262.111
V837

239.02
V837

Digitized by the Internet Archive
in 2026 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/rpdominicivivaop00viva_1

THESES
DAMNATÆ
AD THEOLOGICAM
TRUTINAM REVOCATÆ
A R. P.
DOMINICO VIVA
SOCIETATIS JESU.

R. P. DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU
OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.
TOMUS SEXTUS
COMPLECTENS DAMNATAS THESES AB ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII.

NECNON JANSENII

Ad Theologicam trutinam revocatas juxta pondus Sanctuarii:

Item Michaelis Baji, Michaelis de Molinos, aliasque Theses superiore Sæculo profligatas, quæ in calce hujus Tomi recensentur una cum Indicibus locupletissimis, & Enchiridio olim typis dato

DE JUBILÆO, PRÆSERTIM ANNI SANCTI.

PARS PRIMA.

DE XLV. THESIBUS PROSCRIPTIS

AB ALEXANDRO VII.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

ALMA COLLEGE
262.111
LIBRARY
V837
Los Gatos, Calif.

FERRARIÆ,
MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

51487

EXCELLENTISSIMO PRINCIPI

PHILIPPO BERNUALDO URSINO

Genere Romano, Ursinæ Familiæ Domino, Hispaniarum Magnati Primi Ordinis, Patritio Veneto, Gravinæ Duci XIV. &c.

DOMINICUS VIVA SOCIETATIS JESU

Perpetuam Felicitatem.

IMportunum fortasse, atque omnino abs re nonnemini videbitur, Princeps Excellentissime, quod Te potissimum hujusce Operis Patronum nuncupem, ac Mæcenatem, quod ab institutis tuæ vitæ rationibus abesse videtur quam longissime. Quid, inquiet, cum Principe civilibus rebus intento Sacrorum cura? quid moratæ Theologiæ adyta cum Regnatricis Aulæ splendore, ac phaleris? quid cum amplissimis Ursinæ prosapiæ fascibus, nemini, præterquam uni supremi Numinis Vicario, imitabiles manubiæ? In superbamne Salmonei impotentiam Jovis nimbos, & non imita-

imitabile fulmen, ut ait Poeta, ære, & cornipedum cursu simulantis equorum, suavissimi modestissimique Principis mores pessimo exemplo descifcant? At novimus quidem illum in ipso ætatis flore altiorem gerentem spiritum, mente præditum supra ætatem viri, altissimo nobilissimi generis incumbentem fastigio; fastum, contumaciam, supercilium neutiquam novimus. Hæc fortasse aliquis secum, non satis prudens rerum æstimator. Verum qui sibi sic sapere videtur, profecto desipit; nec unquam magis meum probat consilium, quam cum sic improbat. Possem equidem una obsequii gloria meum hoc tueri consilium, juvat tamen ab ipsa operis hujusce materie Tibi illud commendare, & ex ipso obtrectantium testimonio facere laudis compendium. Te nempe suavissimis ornatum moribus, alta quadam mente præditum, frænos felicitati imponentem tuæ, hi, si qui sunt, mei hujusce consilii censores non abnuunt. Hoc tamen operis, quod altissimæ, ac censoriæ Theologiæ ex asse est, Fidei committi, & clientelæ civilibus curis distenti, atque alia omnia, magna quidem, & præclara, sed ab hoc Theologico pulvere quam longissime dissita agitantis, e re minime arbitrantur. Itane vero? Imo hinc acutiores mihi subdi stimulos sentio, meumque transigi negotium ipso hoc obtrectantium suffragio. Principem convenio id ætatis præcoces jam, ac maturos optimæ spei fructus repræsentantem, cujusvis amplissimæ literaturæ, atque imperii capacem, inter tot denique fortunæ obsequia fortunæ neutiquam obsequentem. Principem igitur convenio, cujus exemplum, cujus vel ipse aspectus morum censura est, cui illud rarissimum æque, ac felicissimum congruit, videri, & prodesse. Non abs re igitur ejus Patrocinio id operis demandatur, in quo ad depravatam inhibendam morum licentiam in blandientes eidem opiniones censura geritur, & Pontificiæ auctoritatis acies ipsa distringitur. Nisi vero quis putet momenti parum ex tua hac vitæ integritate, animi moderatione, morum suavitate, atque elegantia addi virtuti ad alienos mores in officio continendos. At is falsam hanc sibi induat persuasionem, cui non satis perspectum, quid hominis sis, quo genere, qua Domo. Nos, qui te prima Juventæ face præfervidæ indolis adolescentem de facie novimus, Ursina ab Domo, amplissimis florentem Dynastiis, facile cognoscimus, quantum nomen famæ assignaveris, quod virtuti, atque adeo æternitati commendet. Et quidem quam rarum illud est, alacris ingenii adolescentem id ætatis florere jubere, quod in ceteris marcet, ipsique annorum lubrico non modo citra ruinam insistere, sed citra lapsum! Quanto rarius Juvenem id præstare, ac Principem inter aulæ blandimenta, inter fortunæ lenocinia! Scitum illud est, secundas res acrioribus stimulis animos explorare: Miserias utcunque tolerari, facilius mortales felicitate corrumpi. Id ipse juris splendidius in tuam fortunam exerces, ut cui multum liceat, minus semper libeat, quam licet. Illud vero rarissimum, quod adolescens, ac Princeps Ursina e Domo divinum illud exhibes animo, quod in Annibale

nibale secundis præliis elato desideravit Valerius, felicitatis, ac moderationis contubernium, ut Qui nempe Ursino prognatus sanguine Anicios ipsos fasces, e quibus Ursina gens originem repetit suam, vel reptans in purpura habuisti pro crepundiis; Qui tot quotidie intueris obversantes oculis laureatas majorum tuorum imagines, tot Romanos Consules, Præfectos, Senatores, tot palmarios exercituum Duces, non unum supremum Hierosolymitanorum Equitum, Templariorum, ac Teutonicorum Magistrum, tredecim Brandeburgi Marchiones, septem utriusque Saxoniæ Duces, utrosque Septemviros Augustales, singulari fato in unam Ursinam confluente familiam geminato jure ad Imperii suffragium; Qui probe tenes, quot tua familia pene toto terrarum orbe ad immensam gloriæ segetem disseminata, amplissimis semper aucta titulis fuerit, florentissimis cumulata Dynastiis, Ascaniæ, Vestphaliæ, Herciniæ, Cliviæque imperitans olim in Germania, Anglaiæ in Dalmatia, Rhemis in Gallia, Flaminiæ, Umbriæ, ac Veronæ in ulteriori Italiæ parte, Bracciano, & Anguillaræ in Thuscia, Tarento, Lupiis, Salerno, Amalphi, ac sexcentis aliis Oppidis in Neapolitano Regno; ut non abs re illud ei congruat, quot sunt Europæ Regiones, ac Provinciæ, totidem illam fecisse monimenta Dignitatis, atque amplitudinis suæ; Qui deniqu satis perspectum habes, (cui autem id perspectum non sit?) tot illam Regiis, Imperatoriisque cognationibus, atque affinitatibus inclaruisse ad superbiam, ut decem Ursinas numeret Fœminas apud inclytos Reges nuptui collocatas, tredecim Regias, atque Imperatorias Ursinis viris matrimonio copulatas: Batildem nimirum Clodovæo secundo Francorum Regi, Dieterico Regi Saxonum Batildem alteram, Primislao Poloniæ Regi Agnetem, Belæ Hungariæ Regi Cunegundam B. Margaritæ Parentem, partu ne augustiorem, an viro, jure ambigas; Adeleidam, Agnetem alteram, Metildem, Elisabetham Suenoni Tertio, Henrico XII. Christophoris Primo, ac Secundo, Danorum Regibus; Gustavo denique Svecorum Regi Catharinam; omnes Ursina e Gente Heroinas potentissimis Regibus nuptas; quibus aliam addere licet Britannorum Regi junctam conjugio, Ursina Rosa Regiis Magnæ Britanniæ insignibus in Rei fidem inserta, ut eam etiam in Insulam, quæ noti olim Orbis terminus Oceano imperare videtur, Ursinæ Amplitudinis odor pervaderet; & quo cœlestis Ursa mergi nescit Oceano, Ursina etiam occasus nescia vernaret Rosa. Ex altera vero parte Assalam Vitichindi Magni Saxonum Regis sororem Arobono Ascaniæ Duci, duobus Brandeburgi Marchionibus Beatricem, & Catharinam Bohemiæ Regum filias, Gerburgam Henrici Svecorum Regis filiam Joanni utriusque Saxoniæ Duci, Juditham, & Geminas Sophias Danorum Regum filias Urso Augustali Septemviro, Joanni, & Corrado, Agnetem Thessaliæ Regis filiam Poncello, Ioanni Jordano Bracciani Duci Mariam Alphonsi Secundi Neapolitanorum Regis filiam: Hermanno vero Brandeburgi Marchioni Annam Austriacam Alberti Primi Imperatoris filiam, Eduigem filiam

liam Rodulphi Primi Othoni, cognomento Parvo, Helenam Othonis quarti Imperatoris filiam Alberto primo utriusque Saxoniæ Duci, Popponi denique Ascaniæ Principi Gondevinam Ludovici Pii Imperatoris filiam; omnes Regali, atque Imperatoria ab stirpe Ursinis maritali fœdere innexas, atque immortali nominis commendatione copulatas: Qui, inquam, hæc omnia satis perspecta habes, tot laudum, tantæque Familiæ heres ex asse, Romano ex genere, ac inter Venetæ Reipubl. Patricios, interque Hispaniæ Optimates primæ notæ, primique subsellii assidens jure tuo Gravinæ Dux XIV., Idemque ipse jam inde ab heroicis illis temporibus Divina Gratia Provinciæ utriusque Zentæ in Dalmatia Comes, Solofræ, ac Gallutii Princeps, Grumi Dux, Materæ, Nerularum, ac Muri Comes, Vallatæ, ac pene totius Apuliæ Dominus; Idem tamen paratus semper, & obvius facilem te omnibus præbeas, & commodum; sæpe etiam insigni pietatis juxta, ac moderationis exemplo, Te palam demittas Privatorum Sacerdotum ad manuum oscula; adeo ut in tanto fortunæ fastigio pene nescire fastigium, & coronatis Ursinis e Rosis nonnisi integerrimi Pudoris laudem, & custodem virtutum verecundiam traxisse videare. Sic nempe tuæ, avitæque gloriæ consulis incremento, ut cui ad augendum fastigium jam pene superest nihil, hoc uno, qui reliquus est, crescas modo, si Te ipse submittas, securus magnitudinis Tuæ, ratus ab nullo periculo fortunam Principum longius abesse, quam ab humilitate. Testes florentissimæ, quibus imperitas, Toparchiæ, quarum regimini acerba satis ætate relictus heres, adeo subditorum animos mira tui animi moderatione, ac morum suavitate Tibi devinxisti, ut in medio sit, utrum in eos plus amor sibi imperii vendicet, an quod per manus traditum jus obtines dominationis? Illud etiam hinc existit, quo meum tibi probem consilium, quod ea es ex familia, quæ non iis præclarissimis modo, quæ nuper cursim carptimque recensui, verum etiam Sacris ad miraculum circumfluit ornamentis. Quæ nempe tot Cœlo transmisit Indigetes tot invictissimos Fidei Pugiles, ut longe pluribus Ursina Domus explendescat Sanctimoniæ luminibus (quæ nempe ad duodeviginti numerantur) quam Cœlestis ursa illuminatur sideribus. Quæ tot vigilantissimos Sacrorum Antistites, tot Purpuratos edidit Patres, ut id genus Heroum non chorum recenseat, sed populum; Quæ denique quatuor in primis Romanos tulit Hierarchas, Stephanum eo nomine Tertium, Paulum I. Stephani fratrem, Sanctorum etiam syllabo ascriptum, Cœlestinum III. & Nicolaum III. omnes de Christiana Repub. optime meritos; ut abs re nemini videri possit, in hujus operis, ubi Christiana res de summorum Pontificum auctoritate ad rectam virtutis, ac morum normam exigitur, eum accersiri Patronum, cujus amplissimæ Domui tot illa exactis temporibus accepta refert & præsidia, & ornamenta. Nimirum Pontificiæ auctoritati jam nunc assuesces & ipse pro modo, si minus pro merito aliquam rependere gratiam, haustumque Vaticana e Sede in tuæ decus

cus proſapiæ ſplendorem, eidem Vaticanæ Sedi referre, pecul aris obſequii gloria, umbra clientelæ, ut in comperto ſit apud omnes, Chriſtianæ rei ſervire vel auctoritate, vel obſequio, Urſinum eſſe. Verum quid longinqua conſector? ſatis eſt Te meminiſſe Eminentiſſimi VINCENTII MARIÆ Urſini Beneventani Archiepiſcopi, Epiſcopi Tuſculani meritiſſimum ex Fratre Nepotem, ut Patrocinii tui pene uno verbo mihi res peragatur. Quæ mea ſit erga illum infinitis prope obærata nominibus obſervantia: quæ illius erga me ſingularis benignitas, qua nihil mihi vel ad pretium charius, vel ad tutelam inſignius, vel ad dignitatem honeſtius: Quo ille non modo demandatæ ſibi Provinciæ, verum univerſo prope dixerim Chriſtiano Orbi præluceat exemplo, ſcis ipſe ſub eodem exemplo ad eminentem quamvis politioris litteraturæ, ac pietatis effigiem formatus a tenero: Scit pene univerſus Chriſtianus orbis, qui Eum trigeſimum ſeptimum jam annum Romana agentem in purpura, ea animi demiſſione ab omni faſtus umbra in tanta luce abhorrentem ſtupore defixus intuetur, ut jure ambigat adhuc, nec ſatis ſit dijudicando, utrum glorioſius ab eo factum fuerit, quod Paterna ex aula nobilis olim Transfuga Dominicanis meriturus ſub ſignis, nil cupientium caſtra petierit, an quod his iiſdem e Caſtris de Romani Hierarchæ imperio fuerit rurſum invitus in aulam revocatus? quod Romanam meruerit Purpuram, an quod invicte reſpuerit, an quod imperio compulſus acceptarit, unam ſibi e tanto Principatu excerpere ſibi viſus laudem, nimirum obſequii; an demum, quod ita gerat, ut eam in humillima quæque pietatis munia demittat, nunc ſui Ordinis Moderatorum, nunc Peregrinorum, quos abjecta Majeſtate ſæpiſſime abluit, provolutus ad pedes? Qui eum tanta cum vigilantiæ, religionis, conſtantiæ laude muneri etiamnum demiratur ſedulam operam navantem ſuo, ut neminem illo beneficentiorem in Pauperes, neminem in Templorum nitore, cultuque magnificentiorem, neminem in celebrandis Synodis ſolertiorem, omnigenæ litteraturæ laude florentiorem neminem, aut alienæ ſalutis ſtudioſiorem Beneventum ſuſpexerit; ut jure merito factum putet, ut eidem a Terræmotus ruderibus incolumi ſervando ipſa præſto eſſent prodigia, præſentiſſimique tutelaris Philippi Nerii præſidio innocens accideret ruina? Quid hic aut profuſos paternæ Domus reditus in ſuæ Diœceſis, ſibique demandatæ Eccleſiæ vel ornamentum, vel ſubſidium? Quid ejus munificentia erecta Xenodochia, exornatas Parœcias, dedicata ſolemni ritu Templa, auctum in Sacris Odæis numerum precum? Quid tenerioris ætatulæ Chriſtianæ Fidei elementis imbuendæ ſtudium? Quid divini verbi præconium, quo ſæpiſſime, Heroicorum illorum temporum exempla repetens, quibus Sacri ipſi Paſtores commiſſum ſibi gregem divini verbi pabulo nutriebant, vel in vitia detonat e ſuggeſtu, vel virtutum ſemina audientium pectoribus inſerit, vel ad magnæ Matris cultum eorumdem animos jactis quibuſdam facibus inflammat? Quid denique aut penitioris Theologiæ, aut Sacrorum Canonum, Rituumque, aut Divinę

Scripturę

Scripturę singularem scientiam repetam ad fastidium? Omnia ita per se lucent, ut nullo indigeant adscititio laudationis fuco: Ita per se eminent, ut omnibus admiranda quidem se prębeant, nemini, nisi robustę, ac masculę virtuti, imitanda. Nec plura ipse in medium proferre possum, quam ipse teneas vel auritus testis, vel oculatus. Meę itaque in Tuum Eminentissimum Patruum observantiæ aliquam afflabis auram, hoc quodcumque est litterarii laboris ejus nutu susceptum, ejus in spem Nominis conceptum, ac genitum, tuam in fidem, & clientelam accipiendo: simul ejusdem in me profusissimę benignitati lenocinaberis; nec parum ejus spectatissimis morem geres virtutibus, quibus adeo se Religioni commendat, cujus hic res agitur, ut nihil hęc in optatis habeat magis, quam ut tandem in publicæ faustitatis omen suum ille faustis avibus sedeat ad clavum. In primis vero ejus ingenio obsequeris, quo ita fertur in id genus studia, quibus, omni prorsus deterso, qui pravorum ingeniorum vitio irrepserat, situ, Christiana res elucescit magis, ut in Sacras præsertim litteras explanandas non parum operæ impenderit, ac laboris, pluribus accurate conscriptis elucubrationibus, quæ ut publici juris fiant in tam utilis doctrinę normam, jamdiu votis omnibus Christianus Orbis efflagitat. Excipe igitur humanissimo, quo soles, vultu exiguum hoc duplici nomine tibi debitum munus, & quod tuus es, & quod Eminentissimi tui Patrui numeris absoluta omnibus imago es. Da hoc tuo, da Eminentissimi tui Patrui effusissimo in Pietatem, in morum integritatem, in Christianam Religionem studio. Sibi ille gratuletur, quod traducta jam sanctissime ad sui formam exempli tua Adolescentia, illud obtinueris, ut vivendi formam jam ex Te petas: utque aliorum nunc labor est tibi pares succrescere, ita hoc unum tibi reliquum sit factum, ut Te quotidie superes. Sentiat vero Orbis universus, Te, quicquid nobilitate, ingenio, titulorum amplitudine vales, Christianæ Religionis glorię, rationibus, incremento valere; qualemque jamdiu tua Te promittit indoles, agnoscat evasurum propediem in eum virum, qui tuam amplissimam Domum, ac nemini secundam novis honoribus cumules, quando intemeratę Fidei, quod jam nunc suscipis, Patrocinio, eo niteris, qui firmissimus omnium est ad honores, ad felicitatem, ad gloriam gradus. Vale.

THOMAS CAPANUS

Præpositus Provincialis

SOCIETATIS JESU

In Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus, *Damnatæ Theses ad Theologicam trutinam revocatæ juxta pondus Sanctuarii, cujus Prima Pars de 45. Thesibus ab Alexandro VII. proscriptis. Secunda Pars de 65. proscriptis ab Innocentio XI. Tertia de 33. proscriptis ab Alexandro VIII. necnon de quinque propositionibus Jansenii*: a P. Dominico Viva Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; potestate a P. Michaele Angelo Tamburino Præposito Generali ad id nobis tradita facultatem concedimus, ut typis mandetur, si ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu nostra subscriptas, & sigillo Societatis nostræ munitas dedimus Neapoli die 18. Julii 1708.

Thomas Capanus Societatis Jesu.

DECRETUM

SS. D. N.

ALEXANDRI PAPÆ VII.

Die 7. Septembris 1665.

SAnctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore, complures opiniones Christianæ Disciplinæ relaxativas, & Animarum perniciem inferentes, partim antiquas iterum suscitari, partim noviter prodire; & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam in dies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrina, & quem si pro recta regula fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare, ne ullo unquam tempore viam salutis, quam Suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent, arctam esse definivit, in animarum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret, idem SS. D. N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque, per quam itur ad perditionem, via, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit: Qui tantum negotium strenue aggressi, eique sedulo incumbentes, & mature discussis usque ad hanc diem infrascriptis Propositionibus, super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

1. Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

2 Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

3 Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 28. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminentissimorum Cardinalium visa, & tolerata est.

4 Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunque sæculares ab hæresi occulta: & ab excommunicatione propter eam incursa.

5 Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6 Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit Pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione; ac proinde non est denunciandus.

7 Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante; hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

8 Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem, idque post Decretum Urbani VIII.

9 Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

10 Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11 Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans periculum vitæ, aut ob aliam causam, non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12 Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

13 Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato.

14 Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15 Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16 Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

17 Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18 Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare.

19 Non peccat Maritus occidens propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

20 Restitutio a Pio Quinto imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

21 Habens Capellaniam, collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

22 Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23 Frangens jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

24 Mollities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

25 Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26 Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

27 Si liber sit alicujus junioris, & moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

28 Popolus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

Quibus peractis, dum similium Propositionum examini cura, & studium impenditur, interea idem Sanctissimus, re mature considerata, statuit, & decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas, esse damnandas, & prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut divisim docuerit, & defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam speciali, ac specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

DECRETUM ALTERUM SS. D. N. ALEXANDRI PAPÆ VII.

Die 18. *Martii* 1666.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum die 24. Septembris proxime elapsi, quo vigintiocto Propositiones damnatæ fuerunt, examinatis sedulo, & accurate usque ad hanc diem infrascriptis aliis, quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacra Theologia Magistros, ac per Eminentissimos, & Reverendiss. DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generales Inquisitores, eorum suffragia singillatim super unaquaque ipsarum audivit.

Propositio 29. In die Jejunii qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium.

30 Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunii, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.

31 Excusantur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

32 Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

33 Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

34 In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

35 Unico Officio potest quis satisfacere duplici præcepto, pro die præsenti, & crastino.

36 Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expresse revocata per Concilium Tridentium.

37 Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo Quinto, hodie sunt revalidatæ.

38 Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quamprimum, est consilium, non præceptum.

39 Illa particula, *Quamprimum*, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

40 Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

41 Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

42 Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43 Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus quam per decem annos.

44 Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

45 Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usque dum adhibita diligentia corrigantur.

Quibus mature pensatis, idem Sanctissimus statuit, ac decrevit, prædictas Propositiones, & unamquamque ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas, & prohibendas; sicut eas damnat, ac prohibet; Itaut quicunque illas aut conjunctim, aut

divisim

diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Omnia ab eo (ſcil. Papa) *definita teneantur, tamquam a Vicario Apoſtolici Throni.*

Conc. Chalced. apud D. Thom. in opuſc. contra errores Græc.

QUÆSTIO PRODROMA.

Utrum Propositiones a Pontifice confixæ extra Concilium sint infallibiliter falsæ tam in materia Fidei, quam Morum, tam in quæstionibus Juris, quam Facti?

SYNOPSIS.

I. Quid sit censura Theologica? II. Quid intersit inter Thesium condemnationem, & prohibitionem ne doceantur? III. Quid sit Pontificem ex Cathedra loqui? IV. An Pontifex extra Concilium loqui possit ex Cathedra? V. Potest Pontifex errare in quæstionibus Facti non connexis cum quæstionibus Juris respicientibus doctrinam Fidei, aut Morum. VI. Auctoritas Pontificia est infallibilis in decretis Fidei, aut Morum, quæ sancit cum Concilio Oecumenico. VII. Est pariter infallibilis extra Concilium in decretis Fidei toti Ecclesiæ propositis. VIII. Necnon in decretis Fidei spectantibus ad quæstiones Facti connexas cum quæstionibus juris. IX. Potest quippe de Fide definire Conclusionem Theologicam erutam ex una præmissa de Fide, & altera moraliter evidente. X. Demum competit Pontifici etiam extra Concilium ex Cathedra loquenti infallibilitas in decretis Morum, non secus ac in Fidei decretis. XI. Hinc errare nequit in Canonizatione Sanctorum; temerariumque est asserere, quod possit in Beatificando errare.

XII. Neque potest fallere, aut falli in Religionum Approbatione.

XIII. Ad hoc ut de Fide sint, quæ a Pontifice proponuntur ut de Fide credenda, non requiritur, quod sit definitum, hunc numero Pontificem esse verum D. Petri Successorem, aut quod possit Pontifex extra Concilium ex Cathedra loqui. XIV. Ex hoc, quod Pontifex ita loquens sit infallibilis auctoritatis, non fit, supervacanea esse Concilia Oecumenica. XV. Vehementer errant, qui cum hæreticis docent, Pontificem non semel errasse in decretis Fidei. XVI. Et qui putant hanc Pontificis infallibilitatem Sanctis Patribus fuisse ignotam. XVII. Explicatur quomodo possit propositio existimata probabilis, & innocua per condemnationem Pontificis evadere improbabilis, & in praxi noxia.

XVIII. Quanam censura notandus, qui confixas Theses amplectitur ut veras? XIX. Num possit subesse falsitati propositio, quam Pontifex declarat probabiliorem præ opposita? XX. Num debeat esse vera, aut saltem solide probabilis propositio, quam Pontifex vetat censurari.

NEmo est in Theologica facultate usque adeo peregrinus, & hospes, quin videat, quanti momenti sit præsens quæstio, in qua plurima doctrinæ, ac eruditionis seges exundat, & quantum conferat ad percipiendum vim censuræ Pontificiæ. Ut ea pro merito discutiatur, prout ad rem præsentem spectat:

I. Præmitto primo, Alexand. VII. & Innoc. XI. in suis decretis damnasse celebres illas Propositiones in materia morum, ut minimum tanquam scandalosas, & perniciosas in praxi: Alex. vero VIII. alias propositiones damnasse tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, schismaticas, & hæreticas respective; ita scilicet, ut quælibet notanda sit censura consentanea, quamvis quænam singulis competat, non exprimatur. In iis etiam decretis annectitur pœna ezcommunicationis reservatæ in illum, qui aliquam in iis thesibus docuerit, aut defenderit, & in virrute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, ne quis ullam in praxim deducat.

Quid importent hujusmodi Censuræ, explicat Suar. disp. 19. de Fide sect. 2. Turrecremata, Corduba, Lugo disp. 20., & alii passim. Paucis hic dicimus, Censuram Theologicam esse notam doctrinæ malæ inustam propositioni a Theologis, ad quos spectat fidem tueri. Eaque multiplex est, & in diverso gradu. Primo enin propositio uotatur ut *Hæretica*, quæ scil. aperte opponitur, sive contrarie, sive contradictorie alicui veritati, quam liquido constat esse de fide: Sicut *Schismatica* dicitur, quæ immediate opponitur unitati Ecclesiæ. In secundo gradu est propositio *Erronea*, quæ scil. non opponitur immediate propositioni revelatæ, sed solum Couclusioni Theologicæ erutæ ex præmissis de fide; qualis esset e. g. propositio negans Christum Dominum esse risibilem, cum solum revelatum sit esse hominem, ex quo infertur esse risibilem. Tertio loco est propositio *Sapiens hæresim*, quæ solum reddit hominem de hæresi suspectum, quod tunc accidit, quando propositio opponitur Conclusioni Theologicæ non evidenter erutæ ex præmissis de fide, sed probabilissime, & juxta communem Theologizationem. Similiter alia propositio dicitur *Hæresi proxima*, alia *Errori proxima*, quæ scil. affinitatem habent, illa cum hæretica propositione, hæc cum erronea. In quarto gradu est propositio *Male sonans*, cujusmodi est propositio æquivoca, quæ potest quidem habere sensum Catholicum, sed passim in sensu hæretico usurpatur; ut si quis diceret, Fidem justificare, Christum esse immensum, & ubique. Quinto propositio dicitur *Piarum aurium offensiva*, quæ videl. non solum male sonat, sed aliquid etiam indignum in materia Religionis præsefert, ex quo animus pietati, hoc est veræ Fidei doctrinæ deditus offenditur. Sicut *Injuriosa*, *blasphema*, vel *Impia* dicitur propositio, quæ Deo, vel Sanctis habentibus cum Deo habitudinem est contumeliosa, ac dehonorativa. Sexto propositio dicitur *Scandalosa*, quæ immediate, & de se præbet aliis occasionem ruinæ spiritualis. Cum autem in materia fere omnium virtutum præberi possit scandalum, dicitur antonomastice Scandalosa propositio, quæ in materia doctrinæ ad fidem pertinentis præbet occasionem fidelibus errandi, vel male sentiendi; e. g. si dicatur, Christi Imagines non esse adorandas. Postremum occupat locum propositio *Temeraria*, quæ scil. sine rationis regula profertur. Quia tamen in materia Theologica rationis norma ad ali-

quid asserendum est vel auctoritas extrinseca, vel ratio solida ab intrinseco, ideo temeraria dicitur propositio, quæ utroque caret: & quidem negative tantum temeraria, si mere iis careat: positive vero, si opponatur auctoritati Theologorum, & Patrum aliter sentientium: cujusmodi esset e.g., ut notat Canus, quod B. Virgo non fuerit cum anima simul, & corpore assumpta; quod Angeli non sint incorporei, aut simul cum Mundo creati, & similes.

II. Præmitto ulterius, Pontifices, in laudatis decretis duo præstitisse, videlicet damnasse propositiones, inurendo illis censuram suam, & simul prohibuisse, ut diximus, sub pœna excommunicationis, ne doceantur, aut propugnentur, ac in virtute Sanctæ obedientiæ ne in praxim deducantur. Illud autem interest inter condemnationem istam, & prohibitionem, quod condemnatio cum sit declaratio Censuræ, quam merentur propositiones, facta a Spiritu Sancto per Pontificem ex Cathedra loquentem, ut mox ostendemus, inducat de se jure naturæ, circumscripta quavis alia lege Ecclesiastica, obligationem fidelibus credendi illas dignas ea censura, atque adeo improbabiles, & falsas; ut proinde contra legem naturalem peccet, qui eas docuerit, defenderit, aut in praxim deduxerit. Contra vero prohibitio superaddita fert legem Ecclesiasticam graviter obligantem, non quidem ne credantur illæ propositiones tanquam jure merito censuratæ, ac falsæ, sed præcise ne doceantur, defendantur, in praxim deducantur (*a*). Ex quibus sequitur primo, quod si vera esset ea sententia nonnullorum apud Dian. p. 5. tr. 14. res. 25. cui non subscribo, quod scil. lex Ecclesiastica, ut obliget, requirat pnblicationem in singulis Provinciis, sive quod requirat populi acceptationem, Prohibitio ista non obligaret, ubi decreta illa non essent publicata, aut acceptata. At Condemnatio propositionum in iis decretis contenta ubique Gentium obligaret jure naturæ, cum quilibet teneatur credere dignam censura, & falsam propositionem, quam Spiritus S. per Pontificem, tanquam per sui præconem loquens, censura inurendam declarat. Sic, esto Tridentinum in aliquibus locis, ubi non est acceptatum, non obliget quoad ea, quæ præcipit, (nolente Ecclesia ex sua benignitate reluctantes cogere) omnes tamen fideles jure naturæ tenentur credere, quæ Concilium illud docet, ac declarat esse credenda, quomodocumque istæ declarationes innotescant, quippe quæ a Spiritu S. emanatæ credendæ sunt. Sequitur etiam, non peccare contra legem Ecclesiasticam, nec violare prohibitionem in decretis contentam, qui solum interius crederet propositiones illas esse probabiles, & nulla censura inurendas; peccare tamen contra legem naturalem; sicut contra legem naturalem peccaret, qui interius sentiret veras esse propositiones, quas Trid. damnat ut hæreticas (*b*). Unde merito Clem. XI. speciali Bulla 16. Julii 1705. damnavit obsequiosum silentium Jansenistarum delirantium sufficere, quod quinque illæ propositiones Jansenii a Sede Apostolica damnatæ ut hæreticæ solum exterius non admittantur, ad obediendum Ecclesiæ, quæ non judicat de internis: quin debeant etiam interius rejici, & haberi ut hæresim continentes. Et ratio est, quia statim ac Spiritus S. per Pontificem docens Ecclesiam declarat propositionem aliquam esse hæreticam, non lex Ecclesiastica, sed naturalis obligat ad captivandum intellectum in obsequium Fidei, & credendum etiam interius censura dignam propositionem, quam Pontifex ex Cathedra loquens censura notandam declaravit. Sequitur denique peccari graviter tam contra legem naturalem ortam ex declaratione in iis decretis contenta, quam contra legem Ecclesiasticam contentam in ea prohibitione, si aliqua ex iis propositionibus doceatur, vel defendatur, necnon si in praxim deducatur cum judicio pertinaci, quod sit probabilis, & vera: posse tamen aliquando solum venialiter peccari, in praxim deducendo aliquam ex illis, dummodo recte sentiatur, quod ea propositio censuram mereatur, & careat probabilitate: ut si quis ad satietatem comederet ob meram voluptatem. Ratio est, quia non obligamur ad asserendum gravem culpam in materia etiam levi singularum propositionum contineri, sed solum ad credendum singulas esse censura dignas, nec posse licite in praxim deduci.

(*a*) „ Multa contra certissimam hanc Vivæ doctrinam garrit Concina in historia Probabilismi „ *Tom.* 1. *diss.* 1. *c.* 8. §. 2. *pag.* 204. Sed P. Richelmius in opere inscripto: *Saggio di avvertimenti sopra l'opera del* P. Concina ec. *pag.* 72. „ *seqq.* Vivam strenue defendit. Ejus verba mox „ reddam „

(*b*) „ Et hæc doctrina visa fuit Concinæ l. *c.* „ *p.* 207. *seqq.* funestarum consequutionum fons, & „ origo. Nimirum cavillis, & imposturis agere constituerat vir iste de Antijesuitica secta si umquam „ alius, optime meritus. Verum præstat audire P. „ Richelmium, qui utramque Vivæ doctrinam a Concina exagitatam vindicavit. Ita ergo habet ille „ l. c. Il titolo di quel §. 2, è tale. Si *propone all' esame una dottrina del* P. Domenico Viva *concernente l' autorità della* Chiesa *nel dannare le* „ *proposizioni contrarie al buon costume*. Indi sul „ fine del n. 11. *I due miei dubbj sono sopra due* „ *Capi di dottrina*, *che il* P. Viva *stabilisce nella* „ *sua quistione prodroma alle proposizioni dannate* „ *al num.* 2. Io prego in primo luogo qualunque „ valente Teologo a leggere con occhio attento, e „ critico non solamente il detto num. 2. ma tutta intiera la quistione. Dopo una tale lettura „ io mi prometto, che dirà tra se in atto di maraviglia: questo Autore sostiene quì apertamente le sentenze più favorevoli all' autorità della „ Chiesa ed alla infallibilità de' Pontefici: che mai „ può rinvenire quì di mancante il P. *Concina* concernente l' autorità della Chiesa? Tuttavia se n' „ è curioso, venga pure al confronto co'l tomo „ del P. *Viva* da una parte, e quello del P. *Concina* dall' altra. Legga nel nostro Storico i numeri „ 12., e sequenti fino al 16., e poi rilegga ma „ tutto intiero il num. 2. del *Viva* poichè il P „ *Concina* solamente una parte ne scrive. Non credo, che si sentirà dopo ciò punto tentato a mutare il concetto già conceputo del P. *Viva* in „ tutto ciò, ch' è *concernente l' autorità della Chiesa nel dannare le proposizioni* ec. Osserverà bensì „ nel P. *Concina* molti rigiri di parole per criticare il P. *Viva*, e per quistioni da nulla Diamone un esempio. Nota il P. *Viva*. *Quod condemnatio sit declaratio censuræ*. Lo riprende il P. „ *Concina* nel n. 14. dicendo: *La condanna delle* „ *Proposizioni non è altrimente una dichiarazione* „ *delle censure meritate dalle proposizioni: ma al* „ *contrario è un atto conseguente la dichiarazione* „ *delle censure*. Non è questa una misera disputa „ *de modo loquendi*? Per un riguardo si potrà dire „ *atto conseguente*, e per un altro *concomitante*,

„ ov-

„ ovvero l' atto medeſimo eſpreſſo in due maniere,
„ è con due vocaboli per maggior ſpiegazio ne . Ne-
„ go eſſere ripprenſibile il modo di parlare del P.
„ *Viva ;* ma quando pure il foſſe, non ſarebbe in-
„ giuſtamente aggravato per minuzie di tal fatta
„ preſſo molti Leggitori, che non ſanno sì eſatti
„ confronti, e ricevono una ſtorta impreſſione da
„ quel titolo del §., che gitta un odore di ſoſpet-
„ to di alcun fallo *concernente l' autorità della Chie-*
„ *ſa?* Alle molte parole del num. 13. ſi riſponderà
„ dimandando ; ſi ſpiegi il P. *Concina* ſe ammette,
„ o no, reale diſtinzione tra legge *naturale* , *e di-*
„ *vina* da un lato, *Eccleſiaſtica* dall' altro? La dif-
„ ficultà, che ſecondo il P. Concina merita mag-
„ giore ponderazione ſta nel num. 15. Deſidero che
„ ſi rilegga tutto intiero , e dopo ben ſentita la
„ mala impreſſione, che fa in diſcredito del P. *Vi-*
„ *va*; ſi torni coll' occhio ſu 'l num. 2. del *Viva* ,
„ e ſi oſſervi queſta concluſione : *Sequitur denique*
„ *peccari graviter tam contra legem naturalem or-*
„ *tam ex declaratione in iis decretis contenta , quam*
„ *contra legem Eccleſiaſticam contentam in ea pro-*
„ *hibitione , ſi aliqua ex iis propoſitionibus doceatur*,
„ *vel defendatur*, *nec non ſi in praxim deducatur*
„ *cum judicio pertinaci quod ſit probabilis* , *& ve-*
„ *ra* . Con queſte chiare parole, non riferite dal
„ P. *Concina*, la nebbia ch' ingombrava il buon no-
„ me del P. *Viva*, è diſſipata . Le ſteſſe parole del
„ P. *Viva* potrebbono baſtare a diſciorre le oppoſi-
„ zioni , che ſeguono nel num. 16., e ſeguenti ;
„ ed io proteſto , che omai più ſoffrir non poſſo
„ la noja di queſti confronti . Mà poichè ſul fine
„ del num. 19. il P. Lettore dichiaraſi : *io con pia-*
„ *cere riceverò iſtruzione ſovra tutti queſti dubbj , che*
„ *ho propoſti unicamente , e per eſſer poi io ſteſſo il-*
„ *luminato* , *e per avvertire i Fedeli , e non pren-*
„ *dere dalla dottrina del celebre interprete occaſione*
„ *di errare*; sforziamoci d' illuminarlo, come deſi-
„ dera . Chi legge tenga ſotto dell' occhio il Te-
„ ſto del P. *Viva* come ſtà deſcritto nel num. 16.
„ del P. *Concina ;* indi legga il num. 17. ove pro-
„ mette di manifeſtare le conſeguenze ſuneſte che
„ riſultano dalla dottrina in quel Teſto contenuta .
„ Nel num. 18. dirizza contra il *Viva* queſto for-
„ midabile Entimema. *Non pecca contra la legge*
„ *Eccleſiaſtica , chi crede internamente probabili le*
„ *propoſizioni dannate*: *adunque non pecca nemme-*
„ *no contra la legge naturale* . *Lo provo ad eviden-*
„ *za*. Attento caro Lettore alle evidenze *Conciniа-*
„ *ne*, che ſono prezioſe. Proſegue così . *La legge*
„ *naturale non obbliga nel noſtro caſo* , *ſe non per*
„ *mezzo della legge Eccleſiaſtica*, *che ci dichiara l'*
„ *errore delle propoſizioni*: *adunque levata la legge*
„ *Eccleſiaſtica*, *la naturale nel caſo noſtro non obbli-*
„ *ga* . Il P. *Concina* fonda quì il ſuo terribile lo
„ *provo ad evidenza* ſopra la legge *Eccleſiaſtica* ,
„ *che ci dichiara l' errore ec.* E non rifletté , che ne'
„ due teſti del P. *Viva* da lui medeſimo deſcritti
„ il nome di *legge Eccleſiaſtica* non ſi applica a
„ quella parte del Pontificio decreto che ci dichia-
„ ra l'errore delle propoſizioni , ma all' altra par-
„ te, che proibiſce *ne doceantur* , *defendantur &c.*
„ le propoſizioni condannate . Riveda il P. Letto-
„ re il primo teſto da lui riferito nel num. 12. ed
„ oſſervi con occhio pacato . *Illud autem intereſt in-*
„ *ter condemnationem iſtam*, *& prohibitionem*, *quod*
„ *condemnatio cum ſit declaratio cenſuræ*, *quam me-*
„ *rentur propoſitiones* ... *Contra vero prohibitio ſupe-*
„ *raddita fert legem Eccleſiaſticam* ... *ne doceantur*
„ *defendantur &c.* Si legga pure il teſto anche al-
„ quanto più intiero come ſta nella pag. 205. del
„ P. *Concina*: e ſi noti che ha fatto inprimere con
„ carattere majuſcolo le due parole *legem Eccleſia-*
„ *ſticam* , come pure di ſopra la parola *declaratio*.
„ Scrivendo adunque il ſuo num. 12. ha riconoſciu-
„ to il P. Lettore che dal P. *Viva* quella parte del
„ Decreto, che ci *dichiara l' errore delle propoſizio-*
„ *ni* , ſi appella *declaratio*; e molto ſaviamente co-
„ sì ſi nomina : ha del pari riconoſciuto , che il P.
„ *Viva* intitolava *legem Eccleſiaſticam* l' altra parte
„ del decreto , che prohibiſce , *ne doceantur &c.* Se
„ poi ſcrivendo il ſuo num. 18. per altro diſtante
„ non più di quanto è lontana la pag. 208. dalla
„ pag. 205. aveſſe tenuto a mente lo ſcritto da lui
„ nel n. 12. e non ſi foſſe laſciato condurre dal ſuo ſan-
„ to ardore d' impugnare un Probabiliſta , non ſarebbe
„ caduto in un ſordido equivoco da vergognarſene uno
„ ſtudente di Logica . Io parlo della argomentazione ,
„ e della evidenza del P. *Concina* non della ſua perſona:
„ *per altro io ratifico , e la ſtima , e il riſpetto che a queſto*
„ *dotto Teologo profeſſo* : Con tali parole dirette al P.
„ *Viva*, dopo averlo ben maltrattato termina il P.
„ *Concina* il n.19.ed io allegramente a Lui le rendo .
„ Ora tornando al num. 18., e al *provo* ad *evi-*
„ *denza* del P. *Concina* ; Egli ſcrive : *la legge na-*
„ *turale non obbliga nel caſo noſtro ſe non per mez-*
„ *zo della legge Eccleſiaſtica* , *che ſi dichiara l' er-*
„ *rore* ec. Se il P. aveſſe tenuto memoria del ſuo
„ num. 12. in luogo di ſcrivere quì *Legge Eccle-*
„ *ſiaſtica* ; vi avrebbe poſto *Dichiarazione Eccleſia-*
„ *ſtica*,che ci *dichiàra l' errore delle propoſizioni* ; ma
„ ſe ſi foſſe così eſpreſſo , ſi ſarebbe inſieme avve-
„ duto, che non potea più trarſi quella conſeguen-
„ za: *adunque levata la legge Eccleſiaſtica*, *la na-*
„ *turale nel caſo noſtro non obbliga* : e queſta di
„ buon grado concederebbeſi , come alla mente
„ del P. *Viva* pienamente conforme . Non man-
„ cherà quì , chi dica; ecco un nuovo ſaggio di Lo-
„ gica *Conciniana* Intanto il P. *Iſtorico* accorgendo-
„ ſi ora , come è dovere, che ingannato dalla falla-
„ cia di un equivoco , cioè della parola *legge* per
„ l'altra *dichiarazione* , ha pregiudicato alla ſtima
„ che gode meritamente il P. *Viva* ; ſi compiaccia
„ di eſaminare con iſpirito ripoſato, ſe non ſia in
„ debito di ritrattare le ſeguenti propoſizioni nel
„ num. 15. che *la dottrina* del P. *Viva è un*
„ *principio delle più fatali conſeguenze* ; nel num.
„ 17. *Se il P.* Viva *dica qualche coſa di peggio di*
„ *quello che dicono i* Gianſeniſti *intorno alle cinque*
„ *propoſizioni dannate*, *lo raſſegno all' eſame de' ſa-*
„ *pienti :* e poco dopo, *quanto per conſeguenza ſi*
„ *ſia egli avanzato oltre a' giuſti confini della ub-*
„ *bidienza dovuta alle Bolle Pontificie* , *laſcio che al-*
„ *tri lo giudichino* . Il P. *Concina* dee far queſto
„ Eſame di coſcienza ſotto la ſcorta del ſuo Pro-
„ babilioriſmo , che gli deve inſegnare , a che ſia
„ tenuto chi per errore ha danneggiata la riputa-
„ zione del Proſſimo . Non troverà già d' eſſere più
„ Probabile , che la mala impreſſione di propoſi-
„ zioni di tal tempra ſi tolga con quelle cerimo-
„ nie *lo raſſegno all' Eſame de' Sapienti* , ovvero *al-*
„ *tri lo giudichino* , o con quella nel num. 19. *io*
„ *ratifico e la ſtima* ec. Non pretenda di ſottrarſi
„ con dire, che anche la dichiarazione è una Leg-
„ ge dichiarativa e Legge precettiva ; e dovea rico-
„ noſcere, che tal diſtinzione, è contenuta nell' in-
„ tiero ſenſo del teſto del P. *Viva* da lui medeſimo de-
„ ſcritto nel num. 12. e ſe a ciò aveſſe fatto rifleſ-

 „ ſione

„ sione, non si sarebbe lasciato sedurre dal suo infelicissimo sofisma. Una tal mancanza di riflessione in cosa, che ferisce la riputazione di un accreditato scrittore, io voglio di buon cuore scusare dal peccato, che dicesi *formale*, comechè io non sia di sentenza molto indulgente in questa parte; perchè non mi attengo poi intieramente alla dottrina del P. *Concina* nella sua pag. 127. Al P. Lettore appartiene accordare con la sua dottrina il non avere *formalmente* peccato in questo fatto. Nel suo Esame di Coscienza dica tra se: secondo la mia dottrina della pag. 127. *La ignoranza invincibile ella è insuperabile dall' umana industria*: ma nel ravvisare l'equivoco di *Legge*, *e di dichiarazione* eravi forse qualche difficoltà *insuperabile*: Ora debbo confessare in silenzio, che il mio Sofisma è assai grossolano; ma giusta la mia spiegazione... *Ignorare Invincibilmente..... allora soltanto accade.... quando non si può coll'uso delle nostre forze, e degli ordinarj ajuti divini acquistare la cognizione della occulta verità*. Mi sono io raccomandato al Sig. avanti di scrivere contra il P. *Viva* con tanto ardore? Tanto basta: il P. *Concina* faccia il resto; io di buon cuore lo voglio supporre scusato davanti a Dio per lo passato, a' debiti futuri Egli pensi. Per quanto a me non rifino di stupirmi, che un Lettore di Sacra Teologia in quel num. 18. che occupa più d'una facciata, rivolgendo a destra, e a sinistra, a diritto, a roverscio con diverse frasi sempre lo stesso argomento, non siasi mai avveduto della confusione, che si facea nel suo cervello, de' due termini *Dichiarazione*, e Legge sì manifestamente distinti dal P. *Viva* nel testo da lui medesimo descritto nel n. 12. Se poi volea dare il nome di *Legge* anche alla *dichiarazione*; egualmente mi meraviglio, che il Lettore di Sacra Teologia non abbia distinta la *Legge dichiarativa*, dalla *Legge precettiva*.

„ Dopo questo non dubito punto, che il saggio Leggitore sia per conchiudere: ora intendo, qual significato aver debba lo sfregio dal P. *Concina* fatto all'opera del P. *Viva* in quella proposizione della pag. 204. *tanti gravi dubbj avrei a proporre sopra i suoi comenti, quante, per così dire, sono le proposizioni che interpreta*. Se quando dice nel num. 18. *Lo provo ad evidenza*, e poi dopo; *Sicchè il principio mio è evidente*, si perde in una confusione manifesta di termini che dir dovremo, ove nella sua mente sorgano solamente dubbj da lui chiamati *gravi*? A rimettere nella sua stima primiera (dirà finalmente il saggio Leggitore) il P. *Domenico Viva* della *Compagnia di Gesù*, *Teologo di chiaro nome nella sua bell'Opera sopra le proposizioni dannate* dopo le prove che ora tengo in mano non sarebbero più necessarie queste altre testimonianze dell'eruditissimo Cardinale *Lambertini*, ora venerato sommo Pontefice. L'ardore di abbattere un Probabilista non ha permesso al P. *Concina* di fare quelle per altro non difficili riflessioni, che gli ho qui suggerite come pure non gli ha permesso d'avvedersi quanto male gli tornasse a conto di eccitare, chi legge a scorrere tutta intiera la quistione *Prodroma* del P. *Viva* dal titolo di questo §. 2. posto in sospetto di Dottrina men sana *concernente l'autorità della Chiesa*. Se il P. Accusatore ha letta intieramente quella quistione *Prodroma*; come non ha preveduto, che non era giovevole all'onore de' suoi Autori stimolare i curiosi a vederla, a notare nel num. 11. *Infertur hinc primo Pontificem etiam extra concilium errare non posse in Canonizatione Sanctorum*, quod *communius* cum *Bonav. Valentia Bellar. Amico docent esse de Fide. Alii vero cum Suario, Azor. Gran. esse Fidei proximum, contra Cajet. Antoninum, Canum*; e poi anche nel num. 12. *Infertur secundo neque posse Pontificem extra concilium errare in approbatione religionum*, ut *docent Bellar. Valen.* & *alii contra Canum*. Io non curo qui trattenermi a discutere questi articoli; unicamente avverto, che se l'Impegno del P. *Istorico* nell'impugnare il P. *Viva* fosse stato men caldo; non avrebbe mandato i suoi Lettori a vedere intiera la quistione *Prodroma*, o avrebbe procurato di prevenire come meglio potesse, i pensieri, che sorgono in capo a chi ne osserva i due num. 11., e 12. e va tra se tacitamente repetendo: come mai il P. *Concina* vedendo queste citazioni de' suoi Autori *Domenicani*, e le opposte de' *Gesuiti* seguiti dal P. *Viva*, si è lasciato cadere dalla penna quel titolo del §. 2. alla pag. 204. che indicare a *una dottrina del* P. Domenico Viva *concernente l'autorità della Chiesa*: Come non ha in tempo cancellata quella pagina, e le seguenti del detto §?

III. Præmitto demum, Pontificem ex Cathedra loqui idem esse, ac Pontificem tanquam Doctorem, & Magistrum a Christo D. constitutum alloqui Ecclesiam sibi demandatam, proponendo illi, quæ ab omnibus fidelibus infallibiliter credenda, aut observanda sunt; ut docent communiter cum Suar. lib. 1. contra Regem Angliæ c. 3. Ubi advertit, non satis esse, quod Pontifex aliquid obiter, veluti ad explicandum, innuat in materia fidei, vel morum, ut dicatur ex Cathedra loqui, sed requiri, quod, re mature perpensa, & cum Theologis, ac Cardinalibus examinata, definiat, vel approbet aliquid tanquam credendum, vel observandum indubitanter a tota Ecclesia; aliter non videtur loqui ut Doctor Universalis, & Vicarius Christi, cum assistentia Spiritus S. sibi promissa; ea siquidem assistentia videtur solum promissa Pontifici sub ea conditione, quod prævia matura consideratione aliquid decernat, non vero si temere loquatur. Utrum autem errare posset, si citra ullam consultationem, aut maturam deliberationem aliquid definiret? Nonnulli cum Sylvestro affirmant, putantes defuturam in hoc casu Spiritus S. assistentiam: Alii negant cum Valent. & Tann. putantes assistentiam Spiritus S. fuisse universim absque ulla restrictione promissam, ne detur ansa hæreticis negandi, quæ definita sunt, ex defectu debitæ consultationis. Dicendum tamen verius cum Suar. disp. 5. de Fide sect. 8. ad Providentiam Spiritus S. spectare, quod hujusmodi casus non occurrat?

IV. Difficultas nunc est: An ut Pontifex dicatur ex Cathedra loqui sub assistentia Spir. S. citra periculum errandi in materia fidei, vel morum, requiratur, quod cum Concilio Oecumenico, tanquam cum Ecclesia in unum congregata aliquid decernat; an vero etiam extra Concilium infallibilitatem habeat in decernendo, adeo ut eadem certitudine tenendæ sint ut hæreticæ propositiones v. g. Jansenii, & ut temerariæ propositiones damnatæ ab Alex. VII. & Innoc. XI. ac si a Concilio Oecumenico eam censuram accepissent?

V.

V. Hac in re extra dubitationis aleam positum est, posse Pontificem errare, tam si loquatur ut Doctor privatus in quavis materia, quam si loquatur ut Summus Pontifex in quæstionibus facti non pertinentibus ad communem Ecclesiæ Fidem, Religionem, ac morum Sanctitatem, atque adeo nullatenus connexis cum quæstionibus juris respicientibus doctrinam Fidei ac Morum; ut docent communissime cum Bellarm. Ratio est, tum quia infallibilitas Pontificis in hujusmodi materiis non est necessaria ad commune bonum Ecclesiæ, & ad rectam ejus gubernationem, ob quam unice promissa est assistentia Spiritus S.; tum etiam quia nullum datur fundamentum eam asserendi, cum potius experientia constet sæpe Pontificem errare, tam ut Doctorem privatum, quam in iis facti quæstionibus, dum scil. quæritur, Num talis Episcopus sit reus, ac puniendus? Num in eo voto, seu impedimento Matrimonii sit dispensandum? Quod innuit D. Th. quodl. 9. art. 16. dicens: *In sententiis, quæ ad particularia facta pertinent, ut cum agitur de possessionibus, de criminibus, vel de hujusmodi, possibile est judicium Ecclesiæ errare propter falsos testes*. Ex his quippe erroribus nullum detrimentum in totum Ecclesiæ corpus promanat, sicut promanaret, si erraret Pontifex in quæstionibus facti connexionem habentibus cum quæstionibus juris, ut mox ostendemus.

VI. Citra controversiam pariter est apud Catholicos contra Lutherum, & Calvinum apud Suar. & Bellar., Pontificis auctoritatem esse infallibilem, utpote assistentia Spiritus S. suffultam, in decretis fidei, & morum, quæ sancit cum Concilio Generali, quod aperte ex Scripturis colligitur; dicitur enim Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: Matth. ult. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Lucæ 30. *Rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*. Jo. 14. *Alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*. Quibus verbis juxta communissimam SS. Patrum interpretationem promissa est infallibilitas Ecclesiæ, atque adeo Vicario Christi cum Concilio Generali decernenti; aliter quomodo posset verificari, quod portæ inferi adversus Ecclesiam in Petro fundatam non possint prævalere; & quod Ecclesia sit, ut loquitur Apost. 1. ad Tim. 3. *Columna, & Firmamentum veritatis*? Quod etiam a posteriori sit manifestum, cum semper ab omnibus tamquam dogma fidei habitum sit, quodcumque a Pontifice in aliquo Concilio Oecumenico definitum est; & celebre sit illud Gregorii Magni effatum, *Quapropter prima Oecumenica Concilia* (nempe Nicænum, Constantinopolitanum, Ephesinum, Chalcedonense) *habenda esse perinde, ac quatuor Evangelia*; & propterea in professione Fidei dicimus; *Quæ a Sacris Canonibus, & Conciliis Oecumenicis definita sunt, indubitanter recipio, & profiteor*. Et ratio a priori est, quia ad dirimendas controversias in materia fidei, & morum debuit dari viva aliqua Regula visibilis, cum neque satis sit sola Scriptura, quippe non raro obscura, neque etiam Traditiones, quæ passim sunt valde dubiæ; nulla autem Regula viva aptior, quam Pontifex, saltem cum Concilio Generali; ergo ea est infallibilis. Neque in hoc est contrarius Augustinus l. 2. de Bapt. c. 3. ibi enim solum docet Concilia plenaria identidem a posterioribus emendari, vel circa quæstiones facti, vel circa leges pro varietate circumstantiarum mutandas.

VII. Dico nunc primo; Pontifex etiam extra Concilium loquitur ex Cathedra in decretis fidei toti Ecclesiæ propositis, quin possit in iis errare ob Spiritus S. assistentiam. Conclusio hæc est D. Th. 2. 2. q. p. art. 10. Turrecrem. Soti, Cajet. & communissima. Imo Bellarm. l. 4. de Pontif. cap. 2., Suar. lib. 3. de Fidei defens. cap. 13. putant illam esse de fide; Bannez vero fidei proximam; quamvis oppositum docuerint nonnulli apud Dian. in appendice p. 11. tract. 2. ref. 1. cum Gersone, Camerac., a Castro, Adriano, Vigorio. Nunc tamen fere omnes Catholici illam amplectuntur tamquam indubitatam; & damnata est ab Alexan. VIII. propositio 29. qua dicitur futilis esse assertio de infallibilitate Pontificis in fidei quæstionibus decernendis. Imo ipsi Jansenistæ admittunt auctoritatem Pontificis extra Concilium esse infallibilem in quæstionibus juris ad fidem spectantibus; unde fatentur esse hæreticas illas quinque Jansenii propositiones, solumque negant esse infallibilem in quæstionibus facti; proinde negant eas propositiones esse hæreticas in sensu intento a Jansenio, seu in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, prout eas declaravit Innoc. XII. olim damnatas fuisse ab Innoc. X. & Alex. VII.

Probatur conclusio, quia Petro, ejusque successoribus in Scripturis nuper laudatis ex communi Patrum sensu promittitur assistentia Spiritus S., atque adeo infallibilitas in decretis fidei, quæ requiritur ad rectam Ecclesiæ gubernationem, & perpetuam ejus conservationem, quin limitetur ad decreta fidei in Concilio Generali; Petro enim absolute dicitur, quod confirmet fratres in fide, & quod super illum, non super Concilium, ædificanda sit Ecclesia, adversus quam portæ inferi non prævaleant: Ubi Doctores advertunt, Christum D. hæc omnia locutum esse Petro coram aliis Apostolis, qui Ecclesiam, seu Concilium repræsentabant: & coram illis dixit Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt*. Unde fit, assistentiam Spiritus S. & infallibilitatem in decretis fidei competere Petro, ejusque successoribus independenter a Conciliis. Et ratio hujus est, quia infallibilitas ista omnino necessaria est ad Ecclesiæ conservationem; cum sæpe in materia fidei suboriantur controversiæ, quarum decisio absque Ecclesiæ errore, & dissensione, aliisque incommodis nequit diu differri usque ad Concilii Generalis convocationem; quippe quod nonnisi raro convocari potest ob expensas, ob bella, & ob alias gravissimas difficultates; ut proinde usque ad hoc decimum octavum sæculum, quod a partu Virginis labitur, decem & octo dumtaxat Generalia Concilia numerentur; quorum postremum Tridentinum ab anno 1545. usque ad 1563. oportuit prorogari.

Confirmatur Conclusio eorumdem Conciliorum Generalium auctoritate. Etenim in Viennensi Clement. unica de Summa Trinitate dicitur, *Ad Apostolicam dumtaxat considerationem pertinere ea, quæ fidei sunt, declarare*; & in Fl. f. 25. definitur, *Pontificem esse Doctorum Doctorem, & ipsi pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Christo Domino plenam potestatem traditam esse*. Idemque passim docent PP., imo ipsi etiam Sanctissimi Pontifices antiquiores, ut Lucius Martyr, Leo, Agatho, Nicolaus I., Innocent. III. relati a Bellar. lib. 4.

cap.

cap. 3. Chrysologus in Epist. ad Eutychen habet: *Beatus Petrus, qui in propria Sede vivit, ac præsidet, præstat quærentibus fidei veritatem.* Augustin. *Ipsa est petra, quam non vincunt superbæ inferorum portæ.* Quod pariter manifeste evincitur ex sensu, & praxi Ecclesiæ, a cujus exordio ea semper fuit consuetudo, quod Episcopi in controversiis fidei ad Pontificem, etiam extra Concilium, non vero ad Doctores privatos Universitatis recurrerent, illique soli acquiescerent, ut videre est in corpore Juris Canonici, ubi tot responsiones Pontificis ad Episcopos continentur. Advertit tamen Canus l. 5. de locis Theolog. cap. 5. apud Dian. l. c. res. 9. non esse credendum dogma fidei quodcumque in eo volumine continetur, nec quascumque Pontificis responsiones ad Episcopos particulares, sed solum quodcumque a Pontifice ad totam Ecclesiam dirigitur, ut infallibiliter credendum: unde temerarium tantum putat esse negare, quod Pontifex particularibus Episcopis respondit; hæreticum vero negare, quod Pontifex toti Ecclesiæ proponit in materia fidei infallibiliter credendum. Præterea antiquissima etiam fuit Ecclesiæ consuetudo, quod Pontifex etiam extra Concilium hæreses damnaret: quo pacto damnata fuit hæresis Pelagii, teste Prospero in Chronico anno 420.; necnon hæresis Priscilliani, Vigilantii, Joviniani, & aliorum apud Bellar. lib. 4. cap. 3., & nuper etiam hæresis Jansenii ab Innoc. X., & Alexand. VII. Quibus adde, quod Concilia Provincialia eo ipso ac a Pontifice confirmantur, habentur in Ecclesia tamquam Regula fidei, ut constat de Concilio Provinciali Arausicano, Milevitano, variisque Toletanis, Romanis, & Carthaginiensibus apud Bellarm. loc. cit. Suar. Tannerum; ergo citra Concilium Generale potest haberi in Pontifice assistentia Spiritus Sancti, & infallibilitas in decretis fidei.

Neque dicas, tunc haberi hanc infallibilitatem in his decretis, quando ab universa Ecclesia, vel saltem a potissima ejus parte acceptantur, cum non possint adversus totam Ecclesiam portę inferi prævalere.

Nam licet acceptatio Ecclesiæ eam infallibilitatem confirmet, non proinde tribuit primam infallibilitatem; ut ex Scripturis, & rationibus adductis conficitur; aliter hoc etiam dici posset de decretis fidei a Concilio Oecumenico emanatis, quod nullus Catholicus admiserit.

VIII. Dico secundo: Pontifex tam in Concilio, quam extra, ex Cathedra loquitur in decretis Fidei spectantibus ad quæstiones facti connexas cum quæstionibus juris; atque adeo in iis infallibilitatem habet ortam ex assistentia Spiritus Sancti. Conclusio hæc, teste Annato olim Regis Christianissimi a Confessionibus, est fere omnium Theologorum contra Jansenistas, concedentes esse hæreticas quinque illas propositiones, prout damnatæ sunt a Pontifice, negantes vero esse hæreticas in sensu obvio, quem verba ipsa exhibent, & præseferunt in libro Jansenii, esto hoc etiam definitum sit a Pontifice. Quamvis enim utrumque Pontifex definierit, circa primum dicunt errare non potuisse, eo quod spectet ad quæstionem juris in materia fidei, secus vero circa secundum, quippe quod spectat ad quæstionem facti. Sicut olim, teste Ludovico Maimbourgh in historia Arianismi, quatuor Episcopi, nempe Eusebius Nicomediensis, Theognis, Theonas, & Secundus pertinaciter recusarunt condemnationi Arii subscribere, allegantes formulam subscribendam ab omnibus, a Concilio Generali Nicæno propositam, continere de Arii doctrina, ejusque sensu quæstionem facti non veri, aut saltem veritatis incertæ, & ignotæ, ac proinde indefinibilis etiam a Concilio ut de fide.

Probatur Conclusio. Pontifex ex Cathedra loquitur ut Ecclesiæ Magister in decretis fidei spectantibus ad quæstionem juris, quin possit in iis errare ob assistentiam Spiritus Sancti, non solum in Concilio Generali, ut est inconcussum, sed etiam extra Concilium, ut ostendimus Conclusione antecedenti: ergo idem dicendum in decretis fidei spectantibus ad quæstionem facti connexis cum quæstionibus juris; hoc est quando ex negatione facti duci posset illatio ad negationem juris. Consequentia sequitur; aliter si Ecclesia potuisset in iis quæstionibus facti errare, posset etiam in quæstionibus juris, qnod non admittitur: e. g. si Pontifex potuisset errare definiendo, quod propositiones Jansenii sint hæreticæ in sensu obvio, quem præseferunt verba in libro Jansenii, prout Innoc. XII. declaravit, sequeretur, quod etiam potuisset errare in definiendo, quod non sufficiat ad merendum libertas a coactione: Nam qui negat illud factum, quod scilicet propositiones illæ sint falsæ, & hæreticæ in sensu obvio, quem præseferunt in libro Jansenii, non negat eas contineri in libro Jansenii, & quod sensum obvium ibi faciant, cum hoc sit omnibus evidens: ergo cogitur negare illas propositiones in eo sensu contentas in libro Jansenii esse falsas, & hæreticas; atque adeo negando factum, negaretur jus: & Ecclesia errando in quæstionibus facti ad fidem spectantibus erraret in quæstionibus juris: Eo prorsus modo quo negans libros Calvini, & Lutheri proscriptos ab Ecclesia continere propositiones fidei contrarias, (quod spectat ad quæstionem facti) cogitur negare, quod sit fidei contraria, & hæretica hæc propositio, quod Corpus Christi non sit in Eucharistia, (quod spectat ad quæstionem juris) cum enim negari non possit hanc propositionem iis libris contineri, negans eos libros continere propositiones hæreticas, negabit consequenter illam propositionem esse hæreticam. Propterea non solum dicendus est hæreticus, qui admittit ut veras propositiones Jansenii damnatas ut hæreticas, sed etiam qui negat illas esse hæreticas in sensu intento a Jansenio, ut loquitur in sua Bulla Alex. VII. & in sensu obvio, quem ipsamet verba propositionum exhibent, ac præseferunt, ut loquitur Innocent. XII. & prout eas iterum in sua Bulla damnavit Clem. XI. Sic olim Theodoretus & hæreticus, & Nestorianus dictus fuit, quamdiu recusavit clare, & aperte anathema dicere Nestorio: & in Concilio Constantiensi ab eo, qui volebat Catholicam fidem profiteri, exigebatur, ut crederet, & assereret Jo: Vvicleff de Anglia, Jo: Hus de Boemia, & Hieronymum de Praga esse hæreticos, eorumque libros, & doctrinas esse perversas.

IX. Ratio a priori hujus Conclusionis est, quia potest a Pontifice definiri de fide aliqua Conclusio Theologica descendens ex una præmissa de fide, & altera moraliter evidente. V. G. definiri potest de fide, quod Concilium Tridentinum habuerit assistentiam Spiritus Sancti, quæ est Conclusio Theologica descendens ex hac præmissa de fide, quod Concilium Generale legitime congregatum habeat assistentiam Spiritus S., & ex hac alia moraliter evidente, quod scilicet Tridentinum fuerit legitime

con-

congregatum: ergo definire pariter potest Pontifex de fide factum aliquod connexum cum jure, seu Conclusionem Theologicam, descendentem ex una præmissa de fide spectante ad jus, & altera moraliter certa spectante ad factum, ut est Conclusio ista damnata, quod propositiones Jansenii contentæ in ejus libro sint hæreticæ in sensu obvio, quem præseferunt verba; Ea enim descendit ex hac præmissa de fide spectante ad jus, quod scil. sint hæreticæ illæ propositiones, v. g. *sufficit ad merendum libertas a coactione*; & ex hac alia moraliter certa, quod ea in sensu obvio contineatur in libro Jansenii, ut patet omnium experientia legentium Jansenium, præsertim tom. 3. lib. de Gratia Salvatoris c. 6. Et de facto multas hujusmodi Conclusiones Theologicas Ecclesia definivit esse de fide, v. g. quod Christus habuerit voluntatem humanam, quæ descendit ex hac revelata, quod Christus sit homo, & ex hac alia naturaliter certa, quod homo habeat voluntatem; sicut etiam de fide definitum est in Trident. sess. 13. can. 2. Substantiam panis non subesse accidentibus Eucharisticis, quod infertur ex hac præmissa revelata, quod Christus subsit accidentibus panis, & ex hac alia naturaliter certa, quod non possint duæ substantiæ completæ esse sub iisdem accidentibus. Et eodem pacto potuit Ecclesia definire de fide quæstionem hanc facti, quod Nestorius v. g. sit hæreticus, quæ est Conclusio Theologica descendens ex hac præmissa revelata, quod B. Virgo sit Dei parens, & ex hac alia moraliter certa, quod Nestorius negaverit B. Virginem esse Dei parentem: Eademque ratione definire potest Ecclesia, quod D. Ignatius v. g. sit Sanctus, & cultu duliæ adorandus; cum hoc descendat ex ea præmissa de fide, quod sit colendus, qui post heroicas virtutes moritur in osculo Domini; & ex hac alia post tot prævias Ecclesiæ diligentias moraliter certa, quod D. Ignatius post hæroicas virtutes mortuus sit in osculo Domini.

X. Dico demum propius ad rem nostram: Pontifex etiam extra Concilium in decretis morum, non secus ac in decretis fidei, ex cathedra loquitur, quin possit errare ob Spiritus S. assistentiam, atque adeo censura propositionum confixarum a laudatis Pontificibus dicenda a Spiritu S. prodiisse, qui nec fallere, nec falli potest. Hæc Conclusio est pariter fere omnium Catholicorum, & ab iisdem Doctoribus propugnatur, quos pro prima Conclusione laudavimus, indiscriminatim loquentibus tam de decretis fidei, quam morum; utrumque enim iisdem ferme rationibus conficitur.

Probatur ex verbis Christi D. Petro dictis, *Pasce oves meas*; quibus Petro absolute, atque adeo extra Concilium, demandatur cura pascendi Ecclesiam; ergo eidem convenit pascua noxia ab innoxiis secernere, quod præstat decretis ad mores spectantibus; ac proinde in iis habere infallibilitatem, & Spiritus S. assistentiam. Idipsum pariter ex Scripturis pro prima Conclusione adductis evincitur, nec non ex ratione illa a priori, quod scilicet ad bonum Ecclesiæ regimen, & ad Ecclesiæ Sanctitatem id maxime spectet: Quibus accedit sensus communissimus Patrum, & Theologorum, & ipsa praxis Ecclesiæ passim per Pontifices extra Concilium propositiones in materia morum damnantis, & in his decretis acquiescentis, non secus ac in decretis fidei.

Confirmatur, quia si posset Pontifex in decretis morum errare, posset pariter in decretis fidei, ut passim DD. animadvertunt; nam si virtutem aliquam damnaret, aut vitium approbaret, eo ipso doceret eam virtutem esse respuendam, vitium illud amplectendum, quod aperte repugnat doctrinæ fidei indicentis quamcumque virtutem esse amplectendam, quodcumque vitium respuendum: e. gr. si per errorem decerneret licitum esse contractum *Mohatra*, qui proculdubio est usurarius, decerneret licitam esse eam usuram: unde erraret in materia fidei, cum ex revelatis constet quamcumque usuram esse injustam, & illicitam.

XI. Infertur hinc primo, Pontificem, etiam extra Concilium, errare non posse in Canonizatione Sanctorum, quod communius cum Bonav. Valentia, Bellar. Amico docent esse de Fide; Alii vero cum Suario, Azor., Gran. esse fidei proximum, contra Cajet. Antonium, Canum. Ratio illationis est, quia decretum Canonizationis spectat ad materiam morum, cum in eo decernatur, Sanctum v. g. Ignatium ab universa Ecclesia colendum esse: sed Pontifex nequit errare in decretis morum, ut ostendimus: ergo neque in Canonizatione Sanctorum. Verum quidem est hanc esse quæstionem facti; Num scilicet D. Ignatius in patria regnet? Verum quæstio isthæc facti habet connexionem cum quæstione juris ad mores spectante, An scilicet D. Ignatius colendus sit ab universa Ecclesia? in quæstionibus autem facti connexis cum quæstionibus juris, sicut non potest errare Pontifex in materia fidei, ut ostendimus in secunda conclusione, ita neque in materia morum; unde posito decreto Canonizationis indubitabiliter Sancti, tamquam in Cœlo regnantes, & patrocinantes Ecclesiæ, ab ea sunt colendi, non secus ac Hæretici, posita condemnatione, indubitabiliter sunt anathematizandi; unde Bonav. in Opusc. contra Gulielm. ait: *Ad infidelitatem spectat de Sancti Canonizati gloria dubitare*. Utrum autem idem dicendum sit de Sanctis beatificatis; Affirmant Tann., Valentia, & alii, ob easdem rationes: Negant alii, quia in Bullis Beatificationis Pontifex solum dicit, *Concedimus, & indulgemus, ut talis Beatus appellari, & de eo Sacrum, & officium fieri possit*; In Bullis vero Canonizationis dicit, *Definimus*. Leo X. in Canonizatione S. Francisci de Paula sic loquitur: *Decernimus, & definimus esse receptum in gloria*; & Sixtus IV. in Canonizatione S. Bonaventuræ, *Hunc Sanctum esse, fideliter, firmiterque teneri debere decernimus*. Præterea post Beatificationem nova examina succedunt ante Canonizationem, quæ, ut notat Arriaga, essent injuriosa fidei, si de fide esset Beatum esse in gloria; quia tamen Beatificatio est proxima dispositio ad Canonizationem, & quædam inchoata definitio, ideo temerarium esset negare illum esse in gloria, aut asserere, quod possit Pontifex in beatificando errare.

Neque obstat, quod hæretici objectant ex Augustino dicente: *Multa corpora honorantur, quorum animæ torquentur in gehenna*. Nam, præterquam quod hæc verba in Augustino non reperiuntur, intelligi tamen possunt de hæresiarchis, & falsis martyribus, qui a multis honorantur, non de iis, qui Sanctorum, aut Beatorum albo legitime adscripti sunt.

XII. Infertur secundo, Neque posse Pontificem etiam extra Concilium errare in approbatione Religionum, ut docent Bellarm., Valent., & alii contra Canum. Ratio est eadem, quia approbatio Religio-

ligionum spectat pariter ad materiam morum; cum decernatur, Institutum talis Religionis esse medium aptum ad assequendam Evangelicam perfectionem, cujus falsitas officeret puritati doctrinæ, & Sanctitati Ecclesiæ; cum autem Pontifex errare non possit in decretis morum, consequenter neque errare poterit in Religionum approbatione; quas tamen, ut notat Bellarminus, mutatis circumstantiis, poterit abrogare.

XIII. Opponitur adversus præjactas Conclusiones primo. Si Pontifex extra Concilium diceretur loqui ex Cathedra tanquam Ecclesiæ Magister, quoties proponit aliquid toti Ecclesiæ infallibiliter credendum, sequeretur de fide esse credenda quæcumque sic a Pontifice proponuntur: sequela non videtur admittenda; ergo neque id, unde sequitur. Patet minor, quia non potest esse de fide, & infallibiliter verum, quod Pontifex extra Concilium proponit, si non sit certum de fide, tum quod hic numero Pontifex promulgans decretum sit verus Pontifex, tum etiam quod huic Pontifici extra Concilium decernenti Spiritus Sanctus assistat; atqui neutrum est certum de fide, cum multi Doctores Catholici sentiant oppositum; Cajetanus, Canus, Bannez, Corduba, Turrecremata docent esse dumtaxat certum certitudine magna morali, cui non possit subesse falsum, hunc numero Pontificem esse verum Christi Vicarium; Aliacensis, Gerson, Almainus docent Concilio tantum Generali promissam esse Spiritus Sancti assistentiam; ergo non potest de fide esse quodcumque in decretis suis Pontifex extra Concilium proponit toti Ecclesiæ infallibiliter credendum.

Confirmatur primo, quia si certum esset Spiritum S. adstare Pontifici extra Concilium Generale in decretis fidei, frustra Concilia Oecumenica ex toto Orbe cum tot impendiis, & incommodis cogerentur; de facili enim posset habere Pontifex assistentem Spiritum S., ad summum paucos Theologos, & Cardinales consulendo.

Confirmatur secundo, quia jam inde a tempore Apostolorum moris fuit in Ecclesia ad Concilium confugere, non ad Pontificem pro dirimendis controversiis fidei; etenim Actorum 15. legimus super quæstione illa de Circumcisione, & aliis legalibus, omnes non ad Petrum, sed ad Concilium confugisse; ergo signum est, Pontificem in Concilio dumtaxat habere Spiritus Sancti Sapientiam assistricem.

XIV. Respondeo cum Maldero 2. 2. qu. 2. art. 10. Bellarm., Oviedo, sequelam esse omnino admittendam, & continere doctrinam hactenus propugnatam: quare ad probationem minoris neganda est major. Ad hoc ut de fide credi debeat quodcunque Pontifex extra Concilium toti Ecclesiæ proponit infallibiliter credendum, non requiritur, quod definitum sit, illum esse verum Pontificem, & illi extra Concilium competere infallibilitatem in decretis fidei: sufficit, quod utrumque sit moraliter certum, ita ut rationabiliter negari non possit; sicut in omnium sententia, ut de fide credi debeant quæcumque Concilium Generale legitime congregatum definit, non debet esse de fide, quod sit legitime congregatum, sed sufficit, quod sit moraliter certum, ita ut rationabiliter negari non possit: sic ut de fide credi debeat, quod in Scriptura, quam præ manibus habemus, continetur, non debet esse de fide, quod hæc sit illa Scriptura, quam Pontifex Canonicam esse declaravit, sed satis est moralis certitudo; sicut etiam signa credibilitatis prærequisita ad credendum fide divina Mysteria fidei sufficit, quod sint moraliter certa. Et ratio a priori est, quia Fides Divina unice nititur Deo loquenti, non vero signis credibilitatis, aut aliis prærequisitis, ut nobis innotescat Dei locutio; quare sicut in naturalibus forma potest esse præstantior conditione ad illam prærequisita, ita certitudo Fidei nixæ Deo loquenti potest esse major certitudine, quam habemus de signis credibilitatis, & de aliis prærequisitis ad credendum: propterea sicut sufficit moralis certitudo de signis credibilitatis, ut teneamur de fide credere mysteria revelata, ita sufficit moralis certitudo, quod hic numero Pontifex sit verus Pontifex, & quod illi etiam extra Concilium promissa sit assistentia Spiritus Sancti in decretis fidei, ut teneamur de fide credere ea, quæ decernit. Hæc autem moralis certitudo de promissione Spirit. Sanct. facta Pontifici extra Concilium in decretis fidei negari non potest, si attente advertantur, quæ pro prima Conclusione adduximus. Neque facessunt negotium Doctores Catholici oppositum sentientes, nempe Aliacensis, Gerson, & Almainus; tum quia, ut notant DD., tempore Schismatum scripserunt, quando de vero Pontifice non plene constabat; tum etiam quia tenuis eorum auctoritas non deturbat a certitudine morali sententiam, quam omnes Catholici nunc amplectuntur, & ipse usus Ecclesiæ plene demonstrat: Ecquis enim est, qui non credat se vere hæreticum, si propositionem a Pontifice extra Concilium damnatam ut hæreticam amplectatur?

Ad primam confirmationem: Concilia Generalia sunt valde utilia ad fidei controversias altius discutiendas, ad faciliorem decretorum executionem, & ad hæreticorum proterviam efficacius contundendam; idcirco congruum est, ea identidem convocare.

Ad secundam: Poterat D. Petrus auctoritate ordinaria quæstionem illam de legalibus definire; imo, ut notat Bellarm. lib. 4. cap. 17. id etiam poterat solus Paulus, aut Jacobus jurisdictione delegata; placuit tamen Paulo illam in Concilio definiri post magnam conquisitionem; sicut deinde Pontifices identidem consuevere plures controversias in Conciliis dirimere; quia tamen ea non de facili possunt convocari, ideo passim ad solum Pontificem pro his litibus dirimendis confugiunt Catholici, & ab eo passim ex cathedra promanant decreta fidei, quæ universa Ecclesia, captivando intellectum in fidei obsequium, expansis ulnis amplectitur.

XV. Opponitur secundo. Si Pontifex extra Concilium in decretis fidei loqueretur ex cathedra sub assistentia Spiritus Sancti; nunquam posset in iis errare; erravit autem non semel; nam D. Petrus ad Gal. 2. erravit cogendo Gentes judaizare: Liberius etiam subscribendo hæresi Arianæ, de qua subscriptione testantur Athan., & Hieron. Pariter Zephyrinus, si credimus Tertulliano 1. contra Praxeam, Montani hæresim approbavit: Erravit Gregor. III. definiendo in cap. *Quod proposuisti* 32. q. 7. quod si mulier propter infirmitatem non possit debitum reddere, possit vir aliam ducere. Pariter Nicolaus I. in cap. *A quodam Judæo* de consecr. dist. 4. dicendo, validum esse baptismum in nomine Christi collatum; Necnon Gelasius in cap. *Comperimus* de Consecr. dist. 2., ubi dicit, non posse citra sacrilegium sumi unam speciem Eucharistiæ sine alia; Ac Vigilius damnando doctrinam de duabus naturis in Christo.

Con-

Confirmatur, quia Sancti Patres hanc infallibilitatem in Pontifice non agnoverunt; restitit enim D. Cyprianus Stephano Pontifici, qui definierat baptizatos ab hæreticis non esse baptizandos; & D. August. l. 2. de Baptism. cap. 3. excusat Cyprianum, quia nondum erat id in plenario Concilio definitum.

XVI. Resp. Pontifices nunquam errasse in decretis fidei, ut ostendunt Bellarm. Tan., Becan., & alii. Non erravit D. Petrus proponendo Ecclesiæ falsum dogma, sed solum erravit facto, quatenus abstinendo coram Judæis a conversatione Gentilium conversorum indirecte eos inducebat ad judaizandum: Sicut Aaron olim erravit, non doctrina, sed facto, & exemplo proponendo vitulum adorandum. Præterea Liberius non approbavit definitive hæresim Arianam, sed solum metu tormentorum subscripsit condemnationi Athanasii, & communicavit cum Episcopis Arianis; unde solum peccavit contra confessionem Fidei, inciditque solum in hæresim externam; non secus ac D. Petrus, qui oretenus dumtaxat, non corde Christum negavit; ut colligitur ex iis verbis Christi D. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua*; ex quibus Suar. Bellarm., Maldonatus, & alii contra Turrecrematam, Sotum, Bannez docent, Pontificem, neque ut privatam personam, posse in fide errare; & historias de Pontificibus in hæresim lapsis (puta de Honorio I., Marcellino I.) intelligendas esse tantum de hæresi externa. Quod ad Zephyrinum spectat, non approbavit Montani hæresim, sed misit solum litteras pacis ad ejus Sectatores, putans doctrinam Montani non esse fidei contrariam, quas tamen edoctus a Praxea de Montani erroribus statim revocavit. Gregor. III. ibi intelligendus est de impotentia perpetua Matrimonium dirimente. Nicolaus I. docuit quidem in eo textu Baptismum in nomine Christi collatum esse validum, sed addidit statim, *Sicut conferebatur tempore Apostolorum*; etenim Actorum 8. dicitur: *In nomine Christi baptizabantur viri, ac mulieres*; cum autem tempore Apostolorum baptismus conferretur vel in nomine Christi ob specialem dispensationem, ut redderetur venerabile nomen illud tunc temporis exosum, ut docet D. Th., vel potius, ut alii putant, quia in forma baptismi etiam nomen Christi exprimebatur dicendo, Ego te baptizo in nomine Patris, Filii Jesu Christi, & Spiritus S., idcirco recte Nicolaus I. ad Bulgaros respondit validum esse baptismum hoc pacto a Judæo collatum. Gelasius ibi loquitur de Sacerdote sacrificante, cui non licet unam tantum Eucharistiæ speciem sumere. Demum Vigilius, quando doctrinam Catholicam de duabus naturis in Christo damnavit, non erat verus Pontifex, sed intrusus in locum Liberii adhuc viventis: quando vero fuit legitimus Pontifex, doctrinam Catholicam usque ad mortem in exilio propugnavit. Quare universim, si quando Pontifices errarunt, vel errarunt ut Doctores privati, vel in quæstionibus facti non habentibus connexionem cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores spectantibus, ut DD. laudati demonstrant.

Ad confirmationem, passim Patres, ut diximus, docent Pontificis etiam extra Concilium infallibilitatem in decretis fidei, & morum. Ipse Cyprianus l. 4. Epist. 9. hæc habet: *Inde schismata, & hæreses oriuntur, quod Episcopus* (nempe Pontifex) *qui unus est, & Ecclesiæ præest, superba contentione contemnitur*. Restitit quidem Cyprianus Stephano Papæ, non tamen definienti, sed solum præcipienti, quod juxta antiquam consuetudinem baptizati ab hæreticis non rebaptizentur, putans eam non esse traditionem Apostolicam, sed abusum: Augustinus vero loco laudato non excusat Cyprianum ab omni culpa, sed solum ab hæresi, quia de re tunc temporis controversa nihil erat definitum.

XVII. Opponitur ultimo ex Caram., Martinex de Prado, Leandro a Murcia apud Cardenas: Si Pontifex in decretis morum esset infallibilis, debuisset suis declarationibus reddere omnino improbabiles, & certo falsas, ac practice noxias multas propositiones olim probabiles, atque adeo innocuas: E. g. propositio docens, absolutionem Sacramentalem dari posse absenti, quæ olim erat probabilis, (cum pro ea ad 20. Doctores non infimæ notæ apud Suar. disp. 19. de Pœn. recenseantur) post decretum Clem. VIII. evasisset omnino improbabilis; atqui nequit in Ecclesia visibili dari potestas damnandi propositionem aliquam in materia morum improbabilem, & noxiam, quæ antecedenter erat probabilis, & innocua; ergo neganda est Pontifici in decretis morum infallibilitas, sed dicendum ea decreta solum obligare pro foro externo, ne quis in praxim eas propositiones deducat. Minor, quæ videtur absona, probatur ab iis auctoribus, quia nequit innocens per auctoritatem extrinsecam evadere reus, sed solum potest post sententiam Judicis haberi pro foro externo ut reus, qui de se est innocens; ergo propositio de se probabilis, & practice innocens nequit per extrinsecam Pontificis declarationem evadere improbabilis, scandalosa, & practice iniqua, sed solum potest post eam declarationem in foro externo haberi ut scandalosa, & iniqua.

Respondeo argumentum æque probare, quod propositiones semel habitæ ab aliquibus Doctoribus ut probabiles, neque a Conciliis Oecumenicis, neque ab ipso Deo declarante earum falsitatem reddi possint improbabiles, & practice noxiæ; cum ne Deus quidem efficere possit mera sua extrinseca declaratione, quod innocens evadat reus, & iniquus. Quare minor est paradoxum aperte absonum, & falsum. Ad probationem paritas retorquetur; nam qui probabiliter reputatur innocens ex defectu sufficientis notitiæ, ac probationis, accedente sententia Judicis potest apparere certo reus; ergo pariter propositio, quæ ex defectu sufficientis advertentiæ apparet aliquibus probabilis, & innoxia practice, superveniente declaratione Pontificis loquentis ex cathedra, poterit apparere, & haberi certo improbabilis, scandalosa, & perniciosa. Sicut enim olim ex defectu sufficientis notitiæ tempore Augustini probabile erat, non dari Antipodes, nec Zonam torridam esse habitabilem; deinde vero experientia magistra constat, utrumque assertum esse falsum; ita propositio de licito usu absolutionis Sacramentalis per literas, quæ olim aliquibus ex defectu advertentiæ apparebat probabilis, poterit a fortiori, superveniente declaratione Pontificis, utpote infallibili, apparere certo falsa, & improbabilis. Ratio a priori est, quia ad probabilitatem opinionis requiritur, quod nitatur fundamento gravi, nec habeat adversus se rationes efficaces; potest autem aliqua propositio prius apparere nixa fundamento non levi, quin appareat tunc adversus illam ratio efficax, & sic censeri probabilis; deinde poterit relucere adversus illam ratio aliqua efficax, quæ proculdubio est condemnatio Pon-

Pontificia, & sic evadere improbabilis saltem ob extrinsecam auctoritatem infallibilem Pontificis ex cathedra loquentis; quamvis aliquando non reluceat omnibus adversus illam ratio efficax ab intrinseco.

XVIII. Ex hactenus dictis descendit resolutio celebris quæsiti in hac materia, Num scil. & qua censura notandus sit, qui propositiones a Pontifice loquente ex Cathedra damnatas amplectitur ut veras? Videtur enim posse aliqua propositio simul esse scandalosa, & vera, ut si quis proferat vera crimina alterius, quæ audientibus scandalum pariant; sicut potest etiam aliqua propositio esse improbabilis simul, & vera; ut olim tempore Augustini verum erat dari Antipodes, sed illud simul erat improbabile; nullo enim fundamento gravi niti poterat ea assertio.

Ad hoc dicendum cum Maldero, Kon. & aliis apud Lugo d. 20. de Fide sect. 3. propositionem damnatam ut hæreticam citra hæresim negari non posse, tum quod sit hæretica, tum quod sit falsa, utpote quæ immediate est opposita doctrinæ fidei essentialiter veræ: Propositionem vero alia censura notatam, v. g. notatam ut scandalosam, quamvis citra hæresim negari non possit, quod sit scandalosa, prout ea definitur a Pontifice loquente ex cathedra, ut docent laudati DD. contra Lugo, Bannez, Turrianum putantes solum esse errorem, aut errori proximum negare, quod propositio mereatur notam, qua inuritur a Sancta Sede; nihilominus negare, quod ea sit falsa, in omnium sententia non continere hæresim, sed solum errorem; cum non definiatur a S. Sede immediate ejus falsitas, sed solum per illationem certam descendat falsitas ex eo, quod sit scandalosa. Verum quidem est propositionem aliquam posse simul esse scandalosam, vel improbabilem, & simul veram, ut in casibus adductis; id tamen tunc contingere potest, quod ea propositio pro aliquo tantum tempore sit hujusmodi; cessante enim ea circumstantia potest non esse scandalosa; & superveniente nova notitia quæ latebat, potest non esse amplius improbabilis, sed potius omnino certa: ut de facto nunc certum est dari Antipodes, quod antea erat omnino improbabile. At quando propositio aliqua pro quovis tempore, & in quacumque circumstantia est scandalosa, aut improbabilis, ea nequit esse vera; cum non possit pro quavis circumstantia parere scandalum, & carere fundamento gravi propositio vera. Quando autem Pontifex definit propositionem esse scandalosam, aut improbabilem, seu temerariam, id definit pro quovis futuro tempore; unde nequit hujusmodi propositio veritatem continere.

Verum ad tollendam de medio omnem hallucinationem, & ne quis decipiatur prætextu, quod aliqua ex propositionibus damnatis hic & nunc non sit scandalosa, vel quod hic & nunc cesset finis talis declarationis Pontificiæ; unde velit hujusmodi declarationes pro aliquo casu obligare solum pro foro externo juxta ea, quæ dicebamus ex Caram., idcirco condemnationi propositionum consuevere Pontifices annectere prohibitionem in virtute S. Obedientiæ, ne quis illas audeat in praxim deducere.

XIX. Difficultas est, Num possit subesse falsitati propositio, quam Pontifex definit esse probabiliorem præ opposita, sicut in Clement. XI. de Summa Trin. definitur probabilius esse, quod in parvulis baptizatis Virtutes infundantur. Ratio dubitandi est, quia si non potest falsitati subesse, eo ipso non solum esset probabilior, sed omnino certa. Quæritur etiam, num possit esse falsa propositio, quam Pontifex prohibet censurari? sicut Alex. VII. 5. Maji 1667. prohibuit sub pœna excommunicationis, ne quis censuraret hanc propositionem: *Sufficit Sacramento Pœnitentiæ supernaturalis Attritio etiam sine actu dilectionis Dei*. Circa primum varii varia. Turrianus, Salazar apud Lugo l. c. putant eas non posse esse falsas; quia aliter ex iis decretis Pontificiis magnum in Ecclesia sequi posset detrimentum. Lugo verius docet ad Divinam providentiam spectare, ne circa propositiones falsas a Pontifice Ecclesiæ Magistro hujusmodi declarationes, ac decreta promanent, atque adeo quamvis metaphysice loquendo possit esse falsa propositio, quam Pontifex definit esse probabiliorem, de hac tamen falsitate nullatenus dubitandum sit. Et de facto, quod olim ex mente ejus Concilii erat solum probabilius, nunc ex verbis Tridentini videtur omnino certum, videlicet parvulis baptizatis Virtutes infundi; cum Trid. sess. 5. definiat, per gratiam, quæ in baptismate confertur, remitti reatum originalis, & sess. 6. cap. 7. dicat, causam formalem nostræ justificationis, nempe gratiam, nobis inhærere, & in justificatione simul accipi fidem, spem, & charitatem; neque ibi solum loquitur de justificatione adulti, cum dicat causam instrumentalem nostræ justificationis esse Sacramentum baptismi, quod tam adultis, quam parvulis conferri potest; atque adeo certum est parvulis baptizatis de facto cum gratia inhærente virtutes infundi.

XX. Quod autem attinet ad propositiones, quas Pontifex vetat censurari, nihil est causæ, quominus possint aliquando esse falsæ, cum sæpe id solum prohibeatur in bonum pacis, & ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis. Et de facto Alexand. VII. vetuit, ne quis censura ulla notaret tam opinionem affirmantem necessariam esse aliqualem Dei dilectionem in attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita, prout Pallavicinus, & alii ex Sylvio apud Haunoldum de Pœnit. n. 985. acriter contendebant, quam negantem cum communi Theologorum apud Lugo disp. 5. de Pœnit. sect. 9. cum autem alterutræ ex his opinionibus extreme oppositis sit necessario falsa, sequitur, Pontificem de facto vetuisse, ne censura notetur falsa opinio. Neque ex hac prohibitione inferri debet, utramque opinionem esse æque probabilem. Nam, ut dicemus in expositione 15. thesis Alex. VIII. Opinio, quæ docet, sufficere attritionem ex mero metu conceptam absque ulla Dei dilectione, est moraliter certa, & opposita est umbratilis probabilitatis. Sic Pius V. apud Suar. t. 2. in 3. p. disp. 3. sect. 6. prohibuit, ne ulla censura notaretur aut sententia affirmans Immaculatam Deiparæ Conceptionem, aut sententia negans; & tamen illa non solum est moraliter certa, sed etiam proxime de fide definibilis, ut multis probant Velasquez, & Sifilinus apud Platelium t. 2. n. 340., & a fortiori post Bullam Alex. VII. definientis ab Ecclesia celebrari Sanctificationem Deiparæ, non quidem post primum instans, sed ipso primo suæ Creationis momento, quo, ut loquitur Pontifex, *Præveniente Spiritus S. gratia, a peccato originali fuit præservata*. Sub tanto itaque Virginis sine labe Conceptæ patrocinio confixarum thesium falsitatem seorsum ostendere aggrediar.

RECENTIS EDITORIS
AD QUÆSTIONEM PRODROMAM
APPENDIX
SEU BREVIS DISQUISITIO
DE
PROŒMIO ALEXANDRINI DECRETI.

,, QUeritur Pontifex Alexander VII. in prooemio de-
,, creti, quo XLV. Theses proscribit, *modum o-*
,, *pinandi irrepsisse alienum ab Evangelica simplici-*
,, *tate*. Terillus quisnam hic *modus* esset, diligen-
,, ter exposuerat. Placuit tamen P. Concinæ tum
,, in historia Probabilismi, tum in Theologia Chri-
,, stiana iterum in hunc *modum* inquirere, in eo-
,, que Probabilismum agnoscere. Gerras hasce, ine-
,, ptiasque serio confutarunt Viri Clariss. P. Ni-
,, colaus Ghezzi in suis peregregiis dialogis, P. Ga-
,, spar Gagna in suis epistolis, et P. Antonius Lec-
,, chi in opere inscripto: *Avvertenze contrapposte*
,, *alla storia del Probabilismo* pagg. 117. *seqq.* Pa-
,, tuzzius tamen in suis epistolis Theologico-mo-
,, ralibus Concinianum hocce commentum instaura-
,, vit ratiunculis quibusdam in medium adlatis,
,, quæ ipso illo commento leviores sunt. Satis sit
,, heic reddere, quæ Auctor historiæ litterariæ *To-*
,, *mo V. p. 409. seqq.* Patuzzio objecit; ex his e-
,, nim Ghezzii quoque & Gagnæ sententia declara-
,, bitur.

,, Per questo *modus opinandi* &c. il P. *Concina*
,, volle ad ogni costo nella *storia del Probabilismo*,
,, che s'intendesse il *Probabilismo*. Risposero i PP.
,, *Ghezzi*, e *Gagna* tra gli altri, che esser non po-
,, teva il *Probabilismo* questo *rio modo d' opinare*;
,, e ne recaron molte ragioni. Sentiamo prima il
,, P. *Ghezzi* ne' suoi *Dialoghi* (*Dial. III. p.* 120.
,, *dell' ediz. di Lucca*): ,, *Qui chi sa dirci, trattan-*
,, *dosi di un tal uomo, qual è il* P. Concina, *per l'*
,, *una parte sì zelante della verità, e per altra sì*
,, *erudito, sì dotto Lettore emerito di Sacra Teolo-*
,, *gia, ec. chi sa dirci, se questa sia in lui imperi-*
,, *zia, o fidanza de' suoi Lettori; mentre prende,*
,, *e spaccia per una vera condanna un Preambolo,*
,, *in cui il Santo Pontefice altro non fa, che riferire*
,, *ciò, che gli è stato rappresentato; cioè, spargersi*
,, *varie dottrine rilassate in materia di morale, e*
,, *serpeggiare un cotal modo di opinare, alieno dal-*
,, *la semplicità Evangelica, e dalla dottrina de'* Pa-
,, dri, *atto a corrompere il* Cristiano *costume? Questo*
,, *è ciò che in quel Proemio del suo Decreto dice il*
,, *Santo Pontefice avere inteso con sua gran doglia;*
,, *e ciò averlo mosso a committere a più Teologi, e*
,, *Cardinali l' accurato esame di dette denunzie, In-*
,, *di udito il lor voto essere devenuto a proferire so-*
,, *pra di esse il suo Apostolico giudizio cui in ap-*
,, *presso espone. Egli è dunque manifesto, che in quel*
,, *Preambolo il Papa nulla condanna; ma soltanto*
,, *riferisce ciò, che gli è stato denunciato, come*
,, *dannabile. Bene è da credersi essere state fatte*
,, *dette denunzie da persone di zelo, e quel, che*
,, *più monta, di zelo saggio, e moderato, e che*
,, *nulla dia nel* Fanatismo. *Ma finalmente la de-*
,, *nunzia de' zelanti ella è tutt' altra cosa dal Giu-*
,, *dizio del* Papa; *mentre alla denunzia di quelle*
,, *opinioni lasse, e di quel modo d' opinare segue in*
,, *appresso l' esame de' Deputati, indi la sentenza*
,, *della Santa Sede. Se dunque quel* modus opinan-
,, di *era veramente non altro, che la sentenza del*
,, *Probabilismo, e questa dal santo Pontefice fu ri-*
,, *conosciuta per rea, e scandalosa qual fugli denun-*
,, *ziata, non dovrebbe ella trovarsi la prima tralle*
,, *dannate dall' Apostolica Censura? Non leggereb-*
,, *besi in capo a tutte l' altre, o trall' altre almeno*
,, *anche questa? Nelle quistioni morali, in cui dis-*
,, *putasi, se una tale azione sia comandata, o vie-*
,, *tata, è lecito il seguire un' opinione favorevole al-*
,, *la libertà veramente probabile, benchè men pro-*
,, *babile dell' opposta. Scorrete ora il Decreto Ales-*
,, *sandrino, e vedete se vi venga fatto di ritrovar-*
,, *vela. Ora io sostengo*; segue a dire il P. Ghezzi
,, (p. 123.) *che se in quel* modus opinandi *vien*
,, *espresso il Probabilismo, questo è anzi un fortissimo*
,, *pregiudizio a suo favore. Non vi ridete di que-*
,, *sto mio assunto, fino ad averne intesa la brevissima*
,, *prova, che vi propongo. Quel* modus opinandi *a-*
,, *dunque esprime il Probabilismo? Questo dunque*
,, *fu solennemente denunziato alla Santa Sede, co-*
,, *me dottrina direttamente contraria all' Evangelica*
,, *semplicità, alla dottrina de' Padri, e al buon co-*
,, *stume; e in conseguenza ella, per Pontifizio co-*
,, *mando, è stata posta ad accurato severo esame*
,, *di Teologi, e Cardinali; e dopo tutto ciò ella non*
,, *si trova dannata, come trovansi dannate nel mede-*
,, *simo Decreto tante altre sentenze unitamente denun-*
,, *ziate, ed esaminate. E che altro di più ci vuole per*
,, *conchiudere, che il Probabilismo dal santo Pontefice,*
,, *non fu scoperto sì reo, quale fugli denunziato? E chi*
,, *mai può darsi a credere, doversi senz' altro con-*
,, *dannare come reo ciò, che per reo vien denunziato*
,, *alla santa Sede; e non piuttosto doversi avere per*
,, *innocente ciò, che accusato a quel supremo Tribu-*
,, *nale per reo, ed esaminato con tutto rigore, da lui*
,, *non vien condannato?* ,, Passiamo al P. Gagna.
,, Argomenta egli primieramente così (p. 47.). ,,
,, *Il Probabilismo nato*, come è fama, *entro i Chio-*
,, *stri Domenicani, e quindi diramatosi altrove, re-*
,, *gnato ha ne' distretti della sua prima sorgente co-*
,, *tanto alla sfrenata, che per pochissimo meno*
,, *di tutto l' intero secolo, che precedette immedia-*
,, *tamente al decreto con cui Papa Alessandro ripro-*
,, *va il* modus opinandi, *i Domenicani Teologi,*
,, *quanti trattata aveano la quistione del Probabilis-*
,, *mo, e con le stampe messo in pubblico il proprio sen-*
,, *timento: Tutti ad unum (e questo è fatto da più*
,, *scrittori irrefragabilmente dimostrato, e forse am-*
,, *messo per vero per sino dal P. Concina) insegnata,*
,, *sostenuta, difesa aveano la benigna sentenza.*
,, *Dunque è evidente, che nel* modus opinandi *Papa*
,, *Alessandro non ha inteso* il *Probabilismo*, se *pure*
,, *dir non vogliamo, che per quel secolo i PP. Do-*
,, *menicani con un' universale cospirazione stati sieno i*
,, *corruttori della morale Cristiana, e scritto abbia-*
,, *no, e stampato in una foggia lontana affatto* ab
,, Evangelica simplicitate, Sanctorumque PP. Do-
,, ctrina. Altro argomento. *Niuna proposizione,*
,, *che scandalosa sia, o perniziosa; Niuna che sia*
,, *lassa, ed inducente corruttela del Cristiano costu-*
,, *me; Niuna, che sia lontana dall'* Evangelica sim-
,, plicità, *ed opposta alla dottrina* de' Santi PP.,
,, *niuna di queste può essere tutt' insieme veramen-*

,, *te, e sodamente probabile. Crederei, che questa*
,, *proposizione fosse per darmisi per evidente.* In-
,, *ferisco: Dunque niuna proposizione, la quale sia*
,, *veramente, e sodamente probabile, esser può scan-*
,, *dalosa, perniziosa, lassa, inducente corruttela,*
,, *lontana dall' Evangelica semplicità, e dalla do-*
,, *ctrina de' PP. Dunque se il Probabilismo non dà*
,, *per lecito (come di fatti nol dà) l'uso dell' opi-*
,, *nione meno probabile, se non in caso, che essa sia*
,, *sodamente probabile, è una follia imaginarsi,*
,, *che Papa Alessandro mirato abbia al Probabilis-*
,, *mo, quando nel suo decreto se l' è presa contro*
,, *il* modus opinandi, ec. *Il raziocinio è irrefragabil-*
,, *mente giusto per quelle dimostrative regole di le-*
,, *gittima argomentazione, che da i* Logici *regole*
,, *di conversione s' appellano; ed altresì perchè esso*
,, *ridurre si può all' altra regola evidente d' argo-*
,, *mentare detta* a contradictorio consequentis, &c.,
,, *così*: l'opinione è scandalosa, perniziosa, lassa
,, &c. Dunque non è veramente, nè sodamente
,, probabile. *Quindi* a contradictorio consequentis,
,, &c. L'opinione è veramente, e sodamente pro-
,, babile: Dunque scandalosa non è, nè perniziosa,
,, nè lassa, &c. *E qui di nuovo, non dandosi dal-*
,, *la corrente de' sensati Probabilisti per lecito l' uso*
,, *dell' opinione meno probabile, se non in ipotesi,*
,, *che essa sia* veramente e sodamente probabile,
,, *con quale buona logica, o con quale Teologia*
,, *dirsi potrà, che da loro diasi per lecito l' uso del-*
,, *le opinioni scandalose, perniziose, lasse? che*
,, *questi i frutti contagiosi sieno della pianta Proba-*
,, *bilistica? e che il S. Papa Alessandro gli avesse*
,, *in vista quando ha detto*: modus opinandi irre-
,, psit? ,, Osserva altrove il P. *Gagna* (p. 476.),
,, tanto essere stato lungi Alessandro VII. dal con-
,, dannare il Probabilismo, ,, *che anzi egli soffrir non*
,, *volle, che col rispettabile ammanto della probabi-*
,, *lità si tenessero ricoperte (per trovare buon' acco-*
,, *glienza presso i Teologi, e proccurarsi presso di*
,, *loro sicurezza, e franchigia) alcune lasse opinio-*
,, *ni, che ciò osarono: e condannolle però, perchè vo-*
,, *leano parere probabili, quando non l' erano, così*
,, *soffrir non si vogliono a proporzione; e si feriscono*
,, *anzi più acremente co' Vaticani fulmini quelle*
,, *proposizioni massimamente, che ardiscono trave-*
,, *stirsi, e coprirsi col titolo specioso di dogmi, quando erro-*
,, *ri sono opposti alla Fede: Della sudetta tempera s'*
,, *è infra le altre la proposizione 40. fulminata da*
,, *Alessandro medesimo*,,: Est probabilis opinio, quæ
,, dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob
,, delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex
,, osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris:
,, & pollutionis: ,, *Osservaste? Chi fabbricò, o manipolò*
,, *cotesta rea proposizione, volle far passar per probabi-*
,, *le, e con ciò per tollerabile quella opinione, che*
,, *in essa inchiudesi. Attentato sì ardito, e sì mali-*
,, *zioso provocò le collere, provocò i fulmini dal Vi-*
,, *cario di Gesù Cristo*,,. Queste ragioni meritavano
,, pure qualche risposta da chi volea rimettere in
,, campo l'accuse, che il *Probabilismo* era il *modus*
,, *opinandi &c.* Ma il buon *Eusebio* se la passa con
,, gran disinvoltura, tutto questo dissimulando, e
,, facendo sol pompa di alcune sue conghietturel-
,, le, che or ora rifiuteremo. Davver davvero,
,, che questo ancora mi sembra un *modus* di ri-
,, spondere assai curioso, e *alieno* da quello di un
,, uomo onesto, il quale cerchi la verità. Ma sen-
,, tiamo lo stesso *Eusebio*.

,, *Potete voi altri* (*p.* 342.) *M. RR. PP.*ri *scri-*
,, *vere, quanto vi piace per oscurare il senso lumi-*
,, *noso di questo Decreto; potete con tutti gli sforzi*
,, *de' vostri ingegni lussureggianti applicarvi inter-*
,, *pretazioni, quante più volete, e pretendere che ivi*
,, *solo s' esprima in genere l' abuso d' opinare; che*
,, *non verrete in eterno a persuadere chiunque sgombro*
,, *da prevenzione si ponga a leggerlo.* ,,
,, Ma chi ha detto al M. R. P. *Eusebio*, che ivi
,, solo s' esprime *in genere l'abuso* d'opinare? Il P.
,, Ghezzi non già. Ecco le sue parole. ,, *Rileggete*
,, *di grazia*, dic' egli (p. 124.), *tutto quel lungo*
,, *Testo, riferitoci dal P. Concina, in cui il Terillo*
,, *sì caldamente declama contro gli abusi introdotti*
,, *da tanti Sommisti, e Casisti nella Morale Teolo-*
,, *gia, colla lassità di tante loro opinioni, malamen-*
,, *te fondate su un qualche leggerissimo argomento a*
,, *simili, inabile a partorire vera probabilità; on-*
,, *de è seguito, dice egli, che altri di minore Capa-*
,, *cità, e dottrina, facendosi lecito un simil modo*
,, *di argomentare*, similem arguendi modum, *sono*
,, *precipitati di lassità in lassità peggiori, e ciò non*
,, *di rado*, ut ad famam, quam aucupabantur, per-
,, venirent, subtili Satanæ insinuatione decepti. *Ec-*
,, *covi trovato, descritto, condannato dal Principe*
,, *de' Probabilisti quel modo d' opinare contrario all'*
,, *Evangelica semplicità, e alla dottrina de' Padri,*
,, *e corruttore della Morale Cristiana, di cui nel suo*
,, *Proemio parla il Pontefice Alessandro. E questo,*
,, *come ben vedete, non è una determinata dottri-*
,, *na, che possa espressamente dannarsi, ma è una*
,, *cotal maniera di pensare, e discorrere nelle ma-*
,, *terie morali, che da tutti i buoni Probabi-*
,, *listi, al pari, che dagli altri Teologi deve essere*
,, *abbominata, siccome indegna di Cristiano Dotto-*
,, *re, e che, siccomme nasce da vizio, così è atta a fo-*
,, *mentare ogni vizio. Sicchè eccoci tuttavia ben lon-*
,, *tani da quella sì espressa condanna del vero Pro-*
,, *babilismo, che il P. Concina si spaccia per cosa sì*
,, *manifesta e sicura.* Neppure il P. Gagna. Udia-
,, molo (p. 48.) *Se mai qualche corpo di dottrina*
,, *disegnato, ed intaccato fosse stato colla formola*
,, *del Pontificio decreto* (modus opinandi &c.) *Sa-*
,, *pete voi, qual sarebbe egli? ve lo dico su-*
,, *bito*: *Il subbjettivo Probabiliorismo.* (credetemi.)
,, *esso stato sarebbe il disegnato, e l' intaccato. O es-*
,, *so sì! che è nato fatto a dare di leggieri in una*
,, *foggia d' opinare aliena dall' Evangelica semplici-*
,, *tà, contraria alla dottrina de' Padri, ec. Di fatti*
,, *ciò veggiamo accaduto generalmente negli autori*
,, *delle proposizioni dannate, o sieno li posteriori, o*
,, *gli anteriori all' Epoca Conciniana del Probabilismo.*
,, *Essi sono, che delle proposizioni poscia dannate, come*
,, *scandalose, perniziose, lasse, ec. si facean belli, co-*
,, *me opinioni a loro subiettive probabiliori.* ,, La
,, qual risposta può facilmente ridursi a quella del
,, P. *Ghezzi*. Ma perchè vegga il P. *Eusebio*, quan-
,, to io voglia esser seco lui liberale, come prova
,, egli, che non potesse da *Alessandro intendersi in*
,, *genere l' Abuso d' opinare?* o come? L' è cosa chia-
,, ra. ,, *Abuso d'opinare* (p. 342.) *in ogni materia*
,, *sempre v' è stato, e sempre vi sarà, finchè dura il*
,, *mondo, e il santo Pontefice parla d' un Abuso sot-*
,, *tentrato di fresco d' una nuova maniera d' opina-*
,, *re, che in altri tempi non v' era.* ,, Io trasecο-
,, lo, come Uomini dotti possano sì fatte proposi-
,, zioni avanzare, e con aria magistrale, senza e-
,, sitare un puntino. Ripetiamo le parole del Pa-

„ pa, *& summam illam luxuriantium ingeniorum* „ *licentiam* IN DIES EXCRESCERE, PER QUAM „ *modus opinandi irrepsit*. Non dunque il Papa si „ querela, che questo sia un *novel* modo d' opinare sottentrato di *fresco*; tutto l' opposito: duolsi, che di *giorno in giorno* crescesse la licenza „ de' lussureggianti ingegni, per la quale entrata „ era nel mondo una *maniera* d'opinare, ec. ma quando „ questa maniera sottentrata fosse se nel secol passato, se dieci secoli innanzi; nol dice il Papa. „ Fingiamo, che nel quinto secolo della Chiesa indotto si fosse uno scandaloso abuso d' opinioni „ nella morale, e che nel decimo settimo fosse ita „ crescendo la libertà degl' ingegni cagione di quell' „ abuso; sarebbe meno, e men propriamente vera „ la proposizione d' *Alessandro*? Me n'appello a chi „ solo intenda la forza del latino scrivere. Ma ripiglia Eusebio (p. 343.) Alessandro *di tale maniera d' opinare parla, la quale se i Fedeli pro recta* „ *Regula seguissero ec. Forsechè P. M. R. l' abuso* „ *d' opinare può essere assegnato, e seguito qual Regola, e Regola retta delle azioni umane? Chi mai* „ *oserà d' avanzare proposizioni sì stravagante e bizzarra?* Non fa pietà cotale istanza? Un abuso d' „ opinioni *conosciuto per tale* niuno proporrà mai „ per diritta regola d' adoperare; ma chi tale abuso introdusse, chi lo promosse, non per tale il „ conobbe, anzi *come savio, e fondato* modo d'opinare il propose. Un chiaro esempio. Non è pel „ P. Eusebio? non è pel P. *Daniello* un intollerabile *abuso d' opinare il Probabilismo*? eppure trovasi chi lo assegna, e lo segue qual *Regola, e* „ *Regola retta* delle azioni umane. Perchè? perchè i *Probabilisti* sostengono non essere il *Probabilismo* abuso d' opinare, avvegnachè a' due RR. „ PP. *della stretta Osservanza* sembri il contrario; „ che se ancora i Probabilisti conoscessero, essere „ il *Probabilismo* abuso d'opinare, sarebbono eglino „ i primi a detestarlo.

PRIMA PROPOSITIO

Ab ALEX. VII. confixa.

Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi Præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium.

SYNOPSIS.

I. Constat hominem ad actus Theologales non raro obligari per accidens, sed ex vi aliorum præceptorum. II. Videtur vero non constare, quod etiam obligetur per se, seu ex vi præceptorum Divinorum ad virtutes Theologales pertinentium.

III. In sole tamen cæcutit, qui hanc obligationem in dubium revocat; liquet quippe tum ex rationis dictamine, tum ex lege naturali, qua ad Numen colendum obligamur; tum quia actus Theologales necessarii sunt ad pie vivendum, & ad salutem consequendam; tum demum, quia secus haberetur quidam contemptus habituum infusorum. IV. Sicut pluries in vita obligamur ad suscipienda Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; ita a fortiori ad iterandos actus Theologales. V. Non sufficit sola virtualis dilectio, quæ habetur per observantiam præceptorum.

VI. Sufficitne actum dilectionis singulis quadrienniis elicere, & actum Fidei bis in vita? VII. Quoties in vitæ decursu iterandi sint actus Theologales? VIII. Num etiam præceptum Pœnitentiæ obliget per se, & quando? IX. Quinam articuli Fidei explicite credendi sint, quinam vero saltem implicite? X. Num ad Sacramenti Pœnitentiæ susceptionem præmittere oporteat actus formales Fidei, & Spei? XI. Ad satisfaciendum præcepto Fidei non sufficit actus Fidei Virtualis.

I. EXponitur. Bifariam potest quis ad hos actus Theologales obligari. Primo, per se, & ex vi præcepti Divini, & naturalis de eliciendis aliquando his actibus. Secundo, per accidens, & vi aliorum præceptorum; puta ex præcepto non succumbendi alicui gravi tentationi, quæ aliter superari non potest, quam per exercitium horum actuum; aut ex præcepto Confessionis Sacramentalis, cum ex Trid. sess. *6.* c. *6.* ad justificationem in Sacramento recipiendam peccatores se disponant per actus Fidei, Spei, & cujusdam Charitatis initialis, quatenus, ut habet Concil. *Fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Hanc secundam obligationem ex vi aliorum præceptorum nemo unus negavit: de prima dubitarunt nonnulli apud Tamb. l. 2. de præc. Dec. c. 5. Imo Sancius, Serra, Bannez illam negare ausi sunt, (*a*) nixi (*b*) tum eo principio, quod nulla obligatio sit adstruenda, nisi de illa constet; tum etiam quia præceptum videtur non obligare, nisi sit determinatum, ac pro tempore determinato obliget, ut propterea Lugo de Euchar. disp. 16. n. 28. & de Pœn. d. 15. n. 39. doceat, præceptum divinum Communionis, & Confessionis non obligasse extra articulum mortis, nisi tantum radicaliter, donec ab Ecclesia tempus determinaretur.

(*a*) „ Vide Appendicem nostram ad hanc primam „ propositionem.

(*b*) „ Verisimiliter scilicet, & ex conjectura; „ revera enim has rationes non adferunt, si Sancium excipias, quum tamen præcipuæ sint, quæ „ possent pro ea falsa opinione adferri, ac fere „ unicæ, ad quas ceteræ omnes revocari possint, „ mirum non est, Vivam ita adseveranter loquutum.

II. Definit proinde Sancta Sedes, in Sole cæcutire eos, qui de hac obligatione dubitant, cum ea pomeridiana luce sit clarior; & similiter ab Innoc. XI. sex aliæ ejusdem furfuris propositiones damnatæ fuerunt, num. 5. ex 65. ab eo proscriptis, quæ habet; *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus. 6. Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis. 7. Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus. 16. Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se. 17. Satis est actum fidei semel in vita elicere*. Et 65. *Sufficit misteria Trinitatis, & Incarnationis semel credidisse.*

III. Ostenditur falsitas: tum quia ex ipso rationis dictamine absonum est hominem nunquam, aut raro admodum, ad Deum finem ultimum se convertere,

tere, credendo quæ dignatus est revelare, sperando in ejus misericordia, & prosequendo Bonitatem, tum etiam quia lege naturali tenemur Deum Conditorem colere cultu præstantissimo supremæ ejus Excellentiæ consono, quod potissimum per actus Theologales præstatur. Præterea, quia hujusmodi actus necessarii sunt ad pie vivendum, & ad alia media salutis usurpanda. Ac demum quia quidam contemptus est, ac enormis ingratitudo, habitibus infusis virtutum Theologalium fere numquam uti, ac ingentem hunc Thesaurum in sudario reponere, ac nolle illo salutem negotiari.

IV. Confirmatur, quia ut docent communiter DD. apud Martinum Perex disp. 23. sec. 3. ad suscipienda Sacramenta Confessionis, & Communionis pluries in via datur obligatio per se ex vi præcepti Divini, non radicaliter solum, ut voluit Lugo, sed etiam formaliter; & ex præscripto Ecclesiæ datur eadem obligatio suscipiendi illa saltem semel quotannis; ergo a fortiori pluries in vita, & forte etiam pluries quotannis tenemur ex vi præceptorum divinorum ad actus Theologales eliciendos. Consequentia patet; quia ea Sacramenta possunt aliunde suppleri; cum possit citra horum Sacramentorum susceptionem simpliciter salus obtineri; actus tamen Theologales sunt insupplebiles, cum nequeat adultus salutem per alia media consequi: siquidem *Sine fide impossibile est placere Deo*: ad Heb. 11. *& qui non diligit manet in morte*: Joan. 3. ut proinde nequeat in præsenti providentia ex Doctrina communi Theologorum adultus post usum rationis decedere, antequam cogitet de obligatione credendi, sperandi, ac amandi; ergo potiori jure ad eos actus maxime necessarios obligamur; præsertim quia maxime cedunt in Dei honorem, & longe facilius poni possunt, quam Sacramentorum susceptio.

Adde, quod voluntas natura sua ad bonum ordinatur; proinde debuit naturali lege obligari ad libere amandum identidem summum, ac purum bonum, in quo est omne bonum & a quo bonum omne promanat, & quia per Fidem, & Spem ad actus dilectionis disponitur, ideo ad tres omnes actus Theologales identidem eliciendos per se obligamur.

V. Neque dicas, sufficere nobis dilectionem Dei virtualem, quæ habetur per observantiam aliorum præceptorum, juxta illud Jo. 4. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*, ut docuerunt Jo. Sancius in sel. d. p. & Bannez apud Mendo in Stat. diss. 1. q. 13. Nam contra est, quia ob rationes adductas utraque dilectio requiritur ad salutem, virtualis simul, seu interpretativa, & formalis, quæ habetur per ipsos actus charitatis, atque adeo effectiva simul, & affectiva; præsertim quia dilectio effectiva per observantiam mandatorum sine dilectione affectiva, & formali vix potest consistere; cum ex præceptis charitatis pendeat lex universa, ut dicitur Matth. 22.

Hinc Alex. VIII. 24. Aug. 1690. damnavit ut hæreticam hanc propositionem, denuo post tot propositiones ea de re proscriptas e Tartari faucibus erumpentem in fidelium perniciem: *Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali; Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut moralis actus tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decursu vitæ suæ mortalis*: quod de amore formali intelligendum est, ut constat tum ex regula universali, quod verba Pontificis loquentis ex cathedra, ut verba Scripturæ, & CC. sumenda sunt in sensu proprio, nisi quid obstet; tum ex contextu propositionis, & damnationis; tum demum quia frustranea esset hæc nova condemnatio, si hæc etiam propositio intelligi posset de amore virtuali.

VI. Dubitatur tamen hic, Quoties in vita ad actus Theologales obligemur? Sufficiatne singulis quadrienniis v. g. actum dilectionis elicere, & bis in vita actum Fidei?

Ad quod respondendum, arduum esse præfigere tempus hujus obligationis. Nihilominus fere eadem ratio, quæ falsitatis convincit propositiones 6. & 7. damnatas ab Innoc. XI. (quod scilicet satis sit singulis quinquenniis ponere actum charitatis, & semel in vita actum Fidei) evincit pariter, neque sufficere, quod singulis quinquenniis, aut bis in vita ponatur; proinde utraque assertio est enormiter falsa. Qua in re a Tyronibus Theologicæ facultatis diligenter advertendum, quod universim in lege solum præceptiva, aut prohibitiva attendenda sint verba legis, & ea stricte sint interpretanda, ex Reg. 15. Juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*; propterea si quid præcipiatur semel in vita ponendum, non tenemur ponere illud bis: & similiter dum sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibet Innoc. XI. ne quis hanc propositionem defendat, quod *Satis sit actum fidei semel in vita elicere*, non prohibet ne defendatur, quod satis sit bis in vita illum elicere. At ubi damnatur aliqua propositio, attendenda est ratio condemnationis, quæ si æque militet pro propositione affini, hæc pariter implicite declaratur falsa, & omnino improbabilis: quis autem non videat dissonantiam fere eandem contineri, quod quis semel, ac quod quis bis tantum in vita actum Fidei eliciat? Utrumque ergo irrationabile, & absonum. Quod in similibus proscriptis thesibus est advertendum: dum enim e. g. damnatur ab Alex. VII. Prop. 34. dicens: *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto*, male quis inferret, quod satisfaciat præcepto, qui recitat Officium Paschale in Dominica Passionis, quando ratio condemnationis eadem, aut fere eadem est pro utroque casu: Esto excommunicationem non incurreret, qui propugnaret satisfieri in Dominica Passionis præcepto per recitationem Officii Paschalis, eo quod lege positiva solum prohibeatur sub pœna excommunicationis, ne doceatur satisfieri præcepto in die Palmarum.

VII. Ad rem nostram. Inconcussa videtur Sententia Thomistarum ex Angelico Doctore, quod quilibet teneatur ad actum amoris Dei in primo instanti usus rationis, dummodo homo ad hanc obligationem advertat; Idemque dicendum cum communissima in mortis articulo; sicut enim in introitu vitæ debet homo suum Auctorem agnoscere, illumque diligere, cui tenetur ex filiali amore tota vita inservire; ita in exitu vitæ debet suo ultimo fini firmiter adhærere. Quod tamen attinet ad obligationem in vitæ decursu, Nonnulli apud Leandrum docent, hominem singulis saltem festis ad actus Theologales obligari; Sicut virtus Religionis, quæ per se obligat ad sæpe Deum colendum, ex determinatione Ecclesiæ obligat singulis festis ad Sacrum audiendum: Alii cum Ledesma putant, homines quotannis ad eos actus per se obligari; Sicut obligatio orta ex Divino præcepto susci-

piendi identidem Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ex præscripto Ecclesiæ obligat quotannis: Palaus autumat, quod per triennium differre actum amoris sit mortale. Equidem cum Suar. d. 2. de Charitate sect. 5. censeo, prudentis arbitrio taxam hujus obligationis præfigendam; cum enim aliquibus, qui negotiis temporalibus detinentur, rarius Dei amabilitas proponatur, aliis vero crebrius, idcirco pro diversa opportunitate, diversa inest hominibus obligatio se convertendi ad Deum per hos actus; nemo tamen potest citra gravem culpam diutissime eos negligere. Idcirco Palaus docet, esse mortale negligere Dei amorem per triennium, quia videtur homo summum bonum contemnere, & in periculo illud offendendi se constituere, si tamdiu careat Dei dilectione; Hæc autem ratio, ut advertit P. Illsung, videtur evincere, quod quilibet multo sæpius, ac forte pluries quotannis ad id obligetur, præsertim si sæpe alicui opportunitas occurrat; etenim, ut notat Hurtadus apud Dian. p. 5. tr. 13. r. 19. qui diu exercitium virtutum Theologalium negligit, est in gravi periculo amittendi Fidem, ac reliquos habitus infusos, qui desuetudine videntur senescere. Propterea ad hos præstantissimos actus eliciendos sæpe conari debemus; at citra ullam anxietatem, cum vix possit accidere, quod vir timoratus his præceptis non satisfaciat abunde.

VIII. Ex his decidenda est celebris quæstio apud Theologos, Num scil. præceptum Pœnitentiæ obliget peccatorem per se, & ratione sui, idque non solum in articulo mortis, de quo non dubitatur; aliter peccator incurreret æternam damnationem, si pœnitentiam id temporis omitteret; sed etiam in vita, & quando. Vasq. q. 86. a. 2. disp. 3. c. 6. Hurtadus, & alii videntur docere, quod solum in mortis articulo urgeat hæc obligatio per se, quamvis sæpe urgeat per accidens ratione aliorum præceptorum, puta suscipiendi Sacramenta, &c. Lugo disp. 7. de Poen. n. 234. Con. disp. 3. dub. 3. ex Suar. disp. 15. sect. 6. docent, quod licet Præceptum pœnitentiæ non obliget peccatorem ad statim pœnitendum, obliget tamen per se non solum in mortis articulo, sed etiam antea juxta uniuscujusque opportunitates. Horum sententia communis est inter Recentiores, teste Lugo, & amplectenda; Tum paritate Virtutum Theologalium, & Religionis: nam si irrationabile est usque ad finem vitæ differre actum Fidei, qui vitæ Spiritualis est fundamentum, Spei qui ad ultimum finem dirigit, Charitatis, qui Deo nos conjungit, ac Religionis, quo protestamur nos esse Dei servos, ac illum colere tanquam Dominum universorum: ita irrationabilissimum est usque ad mortem differre actum pœnitentiæ post mortale; quinimmo si non vacat gravi culpa, hominem Dei amicum diu differre actum dilectionis, qua Deo arctius uniatur, a fortiori non vacat nova culpa, diu peccatorem differre pœnitentiæ actum, quo Dei inimicitiam excutiat: Tum etiam quia videtur Dei amicitiam contemnere peccator diu in inimicitia perseverans, juxta illud ad Rom. 2. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis?* Quod patet in humanis; irritat enim Principis iram, qui post delictum in Principem patratum, potens facile ejus pacem, & gratiam obtinere, nihil illam moretur, sed diu differat petitionem veniæ, & reconciliationem. Tum demum quia homo a Deo aversus nequit apte vitam suam ad finem ultimum ordinare, quinimmo facile in alia peccata delabitur, juxta illud Greg. Hom. 11. in Ezech. *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit in aliud.*

Opponitur, quod fideles de trasgressione hujus præcepti fere nunquam se accusent, nec soleant a Confessariis de hoc interrogari. Primo instantia est manifesta: nunquam enim fideles se accusant de transgressione præceptorum ad actus Theologales obligantium, nec solent de hoc a Confessariis interrogari; nec proinde sequitur, quod citra gravem culpam possint diu differri actus Theologales. Directe deinde respondendum cum Lugo, vel quod ex statu pœnitentis soleat colligi horum præceptorum violatio, vel quod pœnitentes ad hanc obligationem non adverterint, & ideo non peccarint diu differendo exercitium horum actuum; vel quia putarunt non esse longam dilationem unius anni, quousque urgeat obligatio confitendi, ut multi Doctores docent; esto probabilius sit, quod pluries quotannis teneamur Deum diligere; atque adeo non possit peccator per annum negligere reconciliationem cum Deo saltem per contritionem citra novam culpam.

IX. Dubitatur ulterius, Num ad satisfaciendum præcepto Fidei sufficiat identidem credere universim quicquid tenet Mater Ecclesia, & quicquid Deus revelavit?

Respondeo non sufficere; sed explicite credendum Deum esse, & esse Remuneratorem, quorum utcrque actus, ut constat ex thesi 22. ab Innoc. XI. proscripta, est necessarius necessitate medii. Sunt etiam explicite credenda Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, ut constat ex propositione 65. ab eodem Pontifice proscripta; quicquid sit, num fides explicita horum Mysteriorum in lege Evangelica necessaria sit necessitate medii, an solum præcepti. Qua in re DD. variant. Probabilius videtur ex Suar. & Lugo esse tantum necessariam necessitate præcepti; cum Apostolus solum dicat ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se Remunerator sit*, nulla facta mentione de iis mysteriis: & quamvis in Symbolo D. Athanasii dicatur, necessariam esse ad æternam salutem Fidem de Trinitate, & de Incarnatione, apte id explicari potest aut de Fide implicita, aut de necessitate præcepti; Aliter Gentilis, qui ignorantia invincibili horum mysteriorum laboraret, & simul observasset præcepta naturæ, ac Deum ex toto corde diligeret, salvari non posset, sed teneretur Deus providere illi de mediis, quibus ad ea mysteria noscenda perveniret, ut patet; quod tamen videtur gravi fundamento carere. Illud certum est, culpabilem horum mysteriorum ignorantiam, seu negligentiam in iis addiscendis reddere hominem gravis culpæ reum, & absolutionis Sacramentalis incapacem, ut fert propositio 64. ejusdem Pontificis, de qua suo loco. Præterea necessitate præcepti credenda sunt explicite, crasso tamen modo, & quoad substantiam, quæ in Symbolo continentur, necnon Sacramenta ad salutem maxime necessaria, nempe Baptismus, Eucharistia, & Pœnitentia, ac Missæ Sacrificium. Dicitur autem crasso modo ea scire, qui interrogatus de singulis novit recte respondere. Similiter quisque tenetur etiam scire præcepta Decalogi, & Ecclesiæ. Datur quidem Ecclesiæ præceptum de addiscendo memoriter

Som-

Symbolo, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, &c. hujusmodi tamen præceptum ex Nav. & Lopez contra Barbosam non obligat nisi sub levi, ut exponit consuetudo.

Censeo demum non dari obligationem repetendi pluries in vita actus fidei necessarios tantum necessitate præcepti cum ea frequentia qua tenemur repetere actus fidei necessitate medii necessarios. Actus tamen fidei de credendo universim ea omnia, qua credit Sancta Mater Ecclesia, identidem in vitæ decursu renovandi. Ubi notandum, quod licet ex vi præceptorum Divinorum teneamur ad actus virtutum Theologalium identidem in vita repetendos; nihilominus sententia docens sufficere, quod actus Fidei, Spei, & Charitatis non semel in vita, repetantur, saltem quando aliis præceptis satisfaciendum, puta quando accedimus ad Sacramentum Pœnitentiæ, vel quando conscius peccati mortalis debet administrare Sacramentum, nec habet copiam Confessarii, vel quando ad superandam aliquam gravem tentationem est necessarius actus Fidei, aut Spei, aut Charitatis, non repugnat propositionibus hactenus damnatis; ex iis enim solum constat, dari speciale præceptum Fidei v. g., & non sufficere, quod semel in vita actus Fidei eliciantur, non tamen constat, nec videtur necessarium; quod hujusmodi actus exerceantur extra occasionem satisfaciendi aliis præceptis. Similiter nec repugnat propositioni 64. Innoc. XI. sententia Sylvii, & Sanch. apud Dian. p. 3. tr. 5. r. 46. docens absolutionis esse capacem, qui Mysteria Trinitatis, & Incarnationis inculpabiliter ignorat, eo quod sit adeo hebes, ut ea percipere, aut retinere non possit, ut non raro in rudibus evenit. Addit Tannerus 2. 2. d. 1. q. 7. n. 49. quod licet horum mysteriorum Fides explicita esset necessaria necessitate medii, ut docent Valen. Mol. Laym. apud eundem Dian. l. c., non esset tamen necessaria rudibus, qui ea percipere non possunt, & in hoc infantibus, & fatuis æquiparantur; cum non sit verisimile Deum ab iis majorem cognitionem exigere, quam per vim intellectus ipsi consequi possint. Equidem tamen non ausim subscribere: quia idem esset dicendum de fide explicita Dei Remuneratoris, cum possit aliquis adeo hebeti ingenio esse præditus, ut ad talem notitiam non pertingat: censeo potius ad Divinam providentiam spectare, ne hæc contingant in adultis ratione utentibus, & rationis ductum sectantibus.

X. Dubitatur demum, an debeant exerceri actus Fidei, & Spei, antequam suscipiatur Sacramentum Pœnitentiæ, tanquam præviæ dispositiones ad justificationem, prout habetur in Trident. sess. 6. cap. 6.

Ad quod respondendum cum Haunoldo, Tamb. in opusc. Confessionis l. 3. c. 5. & aliis, quod licet pœnitens teneatur credidisse suo tempore, quæ sunt credenda, sive necessitate medii, sive necessitate præcepti, non tenetur tamen elicere actus Fidei formales, & explicitos de Mysteriis credendis præcise, ut ad Sacramentum Pœnitentiæ disponatur. Etenim Tridentinum loco laudato docet ea, quæ solent, non ea, quæ debent præire justificationem; nemo enim dixerit, sine actu Timoris de Justitia Divina non posse justificationem in Sacramento, aut extra Sacramentum haberi; & tamen Tridentinum ibidem inter actus, quibus peccator disponitur ad justificationem, enumerat Timorem; enumerat etiam Fiduciam, quam habet peccator, quod Deus per Christum sit futurus propitius: & tamen nemo dixerit, quod si quis tantum speret in Divina Misericordia, & conteratur, non justificetur; Et ideo nec est necesse, quod fiat actus Fidei explicitus, & formalis, sed sufficit Fides illa virtualis, quam quilibet habet, dum veniam petit a Deo, & justificationem ex ejus Misericordia expectat.

XI. Inquirit Cardenas in expositione propositionis 17. Innoc. XI. An consimilis fides virtualis (orta scil. ex habitu fidei infuso, sed sine explicita memoria de motivo credendi, nempe de Divina revelatione) sufficiat ad satisfaciendum obligationi eliciendi pluries in vita actus fidei; & de resolutione quæsiti est anxius.

Equidem censeo, fidem hanc debere esse formalem, ex motivo scil. Dei revelantis; (quicquid sit, an semper ac fides est supernaturalis, nitatur huic motivo, saltem languide attacto). Ratio est, quia semper verba Scripturæ, Conciliorum, ac Pontificum in materia doctrinali sumenda sunt in sensu proprio, nisi quid obstet: quare sicut non sufficit e. g. in Sacramento Pœnitentiæ dolor virtualis inclusus in amore Dei super omnia, sed requiritur dolor formalis; quia nomine doloris proprie venit dolor formalis; ita quia nomine actus fidei proprie venit actus fidei formalis nixus motivo Dei revelantis, idcirco hujusmodi actus debet pluries in vita elici, cum ex propositione 17. Innocen. XI. non sufficiat semel in vita illum elicere.

RECENTIS EDITORIS

APPENDIX.

De mente Dominicanorum Bannezii, & Serræ circa caritatis speciale præceptum

§. I.

Origo hujus Controversiæ.

„ Viva Sancium, Serram, Bannezium specialem „ obligationem eliciendi aliquando caritatis actus negare ausos adfirmantem supra vidimus num. „ 1. De Johanne Sancio dubitari non potest. De „ Bannezio potissimum, tum de Serra disputatio „ celebris est a superiore sæculo. Nam quum Amadæus Guimenius in *Tract. de Caritate propos.* 1. „ *num.* 2. adlatis quibusdam Bannezii verbis intulisset: *Videtur M. Bannez commutasse præceptum* „ *speciale Caritatis in præceptum sumendi Eucharistiam, quod est equivalenter illud negare*, Dominicanus Vincentius Baronius *disp.* 3. *operis contra Amadeum sect.* 2. §. 1. in Amadæum vehementer exarsit. At P. Moya in quæstionibus selectis *Tract. 6. disp. 6. q.* 1. §. 3. Amadæum a „ Baronii cavillis strenue vindicavit. Interea prodiit historia Probabilismi a P. Concina conscripta, ubi Viva & Moya eadem de caussa lacessuntur conviciis. P. Gagna Moyam adgressus „ fuit defendere *epist. v.* fassus Vivam errasse. „ Eamdem crambem recoxit mox Concina *T. I.* „ *Theol. Christ.* p. 339., ac Patuzzius *T. III. epistolar. Theologico-moral. ep.* 25. §. 1. Moyæ ut „ Vivæ caussam propugnavit non multo post Cl.

P. No-

„ P. Nocetius *Veritatis Vindicatæ cap. VI.* Patuzzius T. IV. Epistolarum Nocetio in re manifesta iterum litem movere ausus est singulari impudentiæ exemplo. Quare in hostoria litteraria Italiæ *T. VII. p.* 417. pro meritis pœnas dedit. Quis crederet? Tertio Patuzzius pro Bonnezio, ut Serra dimicavit tomo II. contumeliosi, ac stultissimi operis, quod prænotavit *osservazioni sopra varj punti d' Istoria Letteraria* pag. 141. seqq. Hæc istius controversiæ origo, atque historia.

§. II.

Veritatis vindicatæ caput VI. adfertur

P. CONCINA

Tom. 1. pag. 339.

„ PRæterire *hic minime valeo* IMPOSTURAM, „ *quam* P. Moya tract. 6. disp. 6. quæst 1. §. 2. & 3. *impingit Magistro Bannez, qui conceptis verbis docet mandatum caritatis speciale esse, pluries in vita urgere, & potissimum splendente primo rationis lumine. Deinde subdit, difficile satis esse tempora definire præcisa, in quibus urget. Putat tamen eos, qui sumunt Eucharistiam semel in anno implere præceptum istud. Cujus sensus non est, ut* CAVILLATUR *Moya, quod sumptio ipsa Sacramenti sit observantia præcepti. Sed quod fieri vix potest, ut fideles accedant ad hoc divinum convivium, quod ultimum, & supremum est divini in nos amoris argumentum, quin redament Deum illum, qui se in eorum alimentum præbet.* „

NOCETIUS

„ Affero prius textum Magistri Bannez; tum videbimus, an justa sit criminatio. Ita igitur scribit 2. 2. *quæst.* 44. *art.* 1. *Dub.* 1. *conclusione* 3.

„ *Nihilominus Dico* 2. *quod sine scrupulo credi potest, quod qui digne sumit Eucharistiam semel in anno, adimplet simul speciale præceptum Caritatis.*

„ Præmisso textu Dico, sensum Magistri Bannez ipsum esse, quem illi attribuit Moya; non vero quem pie meditatus est P. Concina

„ I. Quia verba Bannezii, si in sua propria significatione sumantur, favent Moyæ, non Patri Concinæ. Significant enim proprie solam sumptionem: & neque proprie neque æquivoce significant amorem, qui juxta P. Concinam vix separari potest a sumptione

„ II. Quia pia meditatio P. Concinæ nullo nititur fundamento. Quod enim Bannez doceat, mandatum Caritatis speciale esse, & sæpius in vita urgere, nihil evincit. Contenditur enim, sensum Magistri Bannez hunc ipsum esse; *Quamvis mandatum caritatis speciale sit, & pluries in vita urgeat:* Nihilominus *sumptio Eucharistiæ semel in anno supplere potest & compensare dilectionem præceptam, & mandati obligationem extinguere.* Atque ferme in hunc modum exposuit hanc sententiam Magister Serra Dominicanus infra citandus.

„ III. Quia si Bannez habuisset in mente sensum excogitatum a Patre Concina; illum certissime Lectoribus explicasset. Poterat enim, & debebat. Poterat; & quidem nullo negotio, & paucissimis verbis, ut est evidens. Debebat; ne scilicet in re tanti momenti lectores dubios incertosque relinqueret quid tandem ipsis agendum foret, ut Maximum & primum mandatum observarent. Nimirum num sufficeret sumere Eucharistiam semel in anno, ut ejus verba præseferunt? an ad sumptionem adjungendus præterea esset amor? Quod ipse nusquam dixit. Quamobrem cum se explicare potuerit, debuerit, & ne verbum quidem fecerit; consequens est, ut de Conciniano illo sensu non cogitaverit.

„ IV. Demum, Quia Petrus de Ledesma perdoctus Dominicanus, quem citatum secutus est Moya, intellexit Bannezium eodem sensu. Audi ipsum in summa a P. Raymundo Ladesou ejusdem ordinis latine reddita: ubi *parte* 2. *tract.* 3. *cap.* 5. hæc habet.

„ *Sexta sententia asserit, eum, qui digne sumit Eucharistiam semel in anno, adimplere simul speciale præceptum Caritatis. Ita sentit M. Bannez loco citato S. Thomæ. Sed hic modus dicendi videtur mihi valde difficilis; quia præceptum de diligendo Deo longe diversum est a præcepto Sumendæ Eucharistiæ. Ergo per ejus sumptionem non adimpletur præceptum Caritatis.*

„ His positis, ubi est Impostura Moyæ & Cavilatio? Nempe in eo; quod verba Magistri Bannez accipiat in sua propria significatione; quod non subintelligat piam meditationem P. Concinæ, quam Bannez non adjunxit, & adjungere potuisset, ac debuisset si in mente habuisset sensum, quem P. Concina meditatus est; Quod non adhibeat interpretationem nullo fundamento suffultam; Demum, quod in interpretatione Bannezii exemplum atque auctoritatem Ledesmæ Dominicani secutus sit. Utrum justa sit criminatio, lectores judicent.

„ Addo Magistrum Serra Dominicanum 2. 2. *quæst.* 44. in fine referre, & non rejicere sententiam Magistri Bannez his verbis. *Certum est præceptum caritatis obligare, ut pluries in discursu vitæ actum dilectionis Dei, & Proximi eliciat homo. Sunt nihilominus, qui dicant absque scrupulo credi posse, præceptum Caritatis adimplevisse eum, qui semel in anno quolibet Eucharistiam sumpsit.*

„ Quare immerito P. Concina *Tomo I. pag.* 285. *& seqq.* acerbas declamationes intorquet contra P. Vivam, quia sententiam Bannezii & Serræ in eundem sensum accepit, in quem illam multo ante ipsum acceperat Ledesma insignis sane Theologus ejusdem Ordinis. Sed Ledesma cujus auctoritatem duo illi Jesuitæ secuti sunt, a P. Concina ne nominatur quidem; Moya traducitur ut *Impostor*; Vivadeclamationibus exagitatur. Succenseat primum fontibus P. Concina; tum de rivulis cogitet. Sed hoc monito nimium sæpe indiget, ut videbimus, in hac sua Christiana Theologia.

§. III.

Quid in historia litteraria Italiæ T. VII. pag. 417. seqq. pro Nocetio adversus Patuzzii criminationes fuerit adlatum. Recitatur ille historiæ locus.

„ IL P. *Bannez* (2.2. q. 44. a. 1. dub. 1. concl. 3.) Scrive: *Nihilominus dico secundo quod sine scrupulo*

,, *pulo credi potest*, *quod qui digne sumit Euchari-*
,, *stiam semel in anno*, *adimplet simul speciale præ-*
,, *ceptum Caritatis*. Cercasi ora il senso di questa
,, proposizione. Il P. *Moya* spiegolla, che *Bannez*
,, volesse dinotarci, la degna comunione essere os-
,, servanza del precetto della Carità, Per questo
,, chiamato è il P. Moya *impostore*, *cavillatore* dal
,, P. *Concina*, il quale vuole, niente altro signifi-
,, carsi dal *Bannez*, *quod fieri vix potest*, *ut fideles*
,, *accedant ad hoc divinum convivium . . . . quin*
,, *redament Deum*. Venne il P. *Noceti*, e con molte
,, ragioni si argomentò di provare (cap. VI.) non il
,, *Concina*, ma il *Moya* essersi bene apposto nell'espli-
,, care la mente del *Bannez*. Ma il P. *Eraniste* (p.509.)
,, vuole, che dal contesto del *Bannez* lasciato dal P.
,, *Noceti* debbasi trarre tutto il contrario. Sentiamo
,, questo contesto. *Dicendum ergo sicut supra dixi-*
,, *mus de fidei*, *& spei præceptis*, *difficile esse pun-*
,, *ctualiter definire omnia tempora*, *& singula*, *qui-*
,, *bus hujusmodi præcepta obligent*. E da ciò che ne
,, vuol mai cavare il P. *Eraniste*? Che? Eccolo. *Se*
,, *il P. Bannez parlando dell' obbligazione del pre-*
,, *cetto della carità*, *rimette il Lettore a quanto avea*
,, *detto di sopra circa i precetti della Fede*, *e della*
,, *Speranza*, *e dove tratta della Speranza chiara-*
,, *mente si esprime*, *che quello soltanto può viver si-*
,, *curo di adempire il precetto di sperare*: qui ali-
,, quoties in anno exercet actum Spei . . . . *Chi*
,, *sarà mai*, *che possa negare*, *tale pure essere stato*
,, *il di lui sentimento intorno l'osservanza del pre-*
,, *cetto della Carità*, *virtù assai più nobile*, *e più*
,, *necessaria*? *Or vada il Censore a decantare . . . .*
,, Adagio, adagio, P. *Eraniste* mio: dite davvero,
,, che il *Bannez* parlando dell'obbligazione del pre-
,, cetto della Carità rimette il lettore a quanto avea
,, detto di sopra circa i precetti della Fede, e del-
,, la Speranza? Il dite davvero? Io nol credo, Pa-
,, dre riveritissimo, per vostro onore. Deh! per quan-
,, to vi è cara la riputazion vostra, rileggete il
,, vantato contesto di *Bannez*. Quel *sicut supra di-*
,, *ximus*, che v' ha abbagliato, sopra che cade?
,, Non già sull'obbligazione del precetto della Ca-
,, rità, ma sul *difficile esse punctualiter definire o-*
,, *mnia tempora*, *& singula*. Se in tutto il resto si
,, fosse rimesso, a quanto avea detto dianzi de' pre-
,, cetti della Fede, e della Speranza, a che avreb-
,, be *Bannez* fatte e prima e poi del precetto della
,, Carità lunghe parole? Ma giacchè de' contesti
,, siete, P. *Eraniste*, amator sì grande, ripigliate in
,, mano il tomo di *Bannez*. Come prova egli il
,, suo *dico secundo* allegato dal P. *Noceti*?

,, *Et probatur*; *quoniam alias oportebat confiteri*
,, *specialiter*, *quod non habuit dilectionem Dei*, *&*
,, *non sufficeret confiteri*, *quod occidit*, *aut fornica-*
,, *tus est*, *sed quod per totum annum omisit adim-*
,, *pletionem præcepti Caritatis*. Dunque il *Bannez*
,, credè, cessare ogni altra obbligazione di far atti
,, d' amor di Dio in chi degnamente una volta l'
,, anno siasi comunicato; perciocchè se oltre quella
,, comunione altro obbligo vi fosse, chi trasgredis-
,, selo, come senza dubbio potrebbelo uno con tut-
,, ta la ben fatta communione, avrebbe spezialmen-
,, te a confessarsi, *quod non habuit dilectionem Dei*;
,, eppure il *Bannez* fonda appunto la sua oppinio-
,, ne, che adempiasi il precetto della Carità, da
,, chi degnamente accostasi all'Eucaristia, su que-
,, sto, che se non si soddisfacesse per tal guisa a que-
,, sto precetto, *alias oportebat confiteri specialiter*,
,, *quod non habuit dilectionem Dei*. E' dunque evi-
,, dente, che il *Bannez* si contentò d'una sola vol-
,, ta per anno, e che questa volta fecela consiste-
,, re nel solo comunicarsi, prescindendo affatto da
,, ogni altro atto d'amor divino, che o precedesse,
,, o accompagnasse, o seguisse la Comunione. Sa-
,, peva il *Bannez*, che si può colla sola attrizione
,, degnamente ricevere l'Eucaristia; dunque se cre-
,, dè adempiersi lo spezial precetto della Carità da
,, colui, che degnamente si comunica una volta l'
,, anno, non potè esigere altro distinto atto d'amor
,, di Dio, o dovealo esprimere. E certo come im-
,, pugna il *Bannez* poc' anzi la dottrina di *Soto*,
,, che *in Baptismo impletur istud præceptum*? Per-
,, chè dic' egli *adulti cum sola attritione digne su-*
,, *scipere possunt Sacramentum Baptismi*, *ergo in*
,, *susceptione Baptismi non adimpletur speciale præ-*
,, *ceptum dilectionis Dei*. Tutto quest' argomento
,, ha invincibil forza contro la sentenza del *Ban-*
,, *nez* sull' adempiersi il precetto della Carità da
,, colui, il quale si comunichi degnamente, se il
,, *Bannez* non fu d' avviso, che l' istessa Comunio-
,, ne (prescindendo da ogni altro atto d' amor di
,, Dio) sia un osservare il precetto della Carità,
,, (e sarebbe maraviglia, che un Teologo sì acuto,
,, quale fu il *Bannez* non avesse avvertito, qual ar-
,, me desse in mano, contro di se al suo *Soto*); ma
,, cade affatto l' argomento, quando col *Moya* dica-
,, si, avere il *Bannez* opinato, che l'annual Comu-
,, nione di per se sola sia un adempiere lo spezial
,, precetto della Carità. *O vada il censore del censo-*
,, *re di Concina* a decantare il contesto di *Bannez*.
,, Ma *Eraniste* trova in questo capo del P. *Noceti*
,, un altro delitto; anzi (pag. 512.) un *gruppo di*
,, *travvedimenti* per non usare altro termine, trop-
,, po *grossolani*. Sul fine del capo scrisse il P. No-
,, ceti (p. 12.) *Quare immerito P. Concina* (T. I.
,, p. 285. & seqq.) *acerbas declamationes intorquet*
,, *contra P. Vivam quia sententiam Bannezii & Ser-*
,, *ræ in eumdem sensum accepit in quem illam mul-*
,, *to ante ipsum acceperat Ledesma insignis sane Theo-*
,, *logus ejusdem ordinis*; *sed Ledesma*, *cujus aucto-*
,, *ritatem duo illi Jesuitæ* (*Moya*, *e Viva*) *secuti*
,, *sunt*, *a P. Concina*, *ne nominatur quidem*: *Moya*
,, *traducitur ut impostor*, *&c.* Ebbene dove è que-
,, sto gruppo di travvedimenti troppo grossolani?
,, Primo travvedimento: Il P. Viva afferma, che
,, *Bannez & Serra negare ausi sunt speciale præce-*
,, *ptum Caritatis*, e 'l P. Noceti vuole, che in ciò
,, *Ledesmæ auctoritatem secutus sit*: Quando nel te-
,, sto di *Ledesma* citato dal P. Noceti stesso non v'
,, è alcun vestigio, che questo *Domenicano* abbia
,, altrettanto asserito di Bannez. Secondo travve-
,, dimento: Il *Ledesma* parla del solo Bannez, non
,, del M. Serra; come dunque *sententiam Bannezii*
,, *& Serræ in eundem sensum accepit* il Viva, *in*
,, *quem illam multo ante ipsum acceperat Ledesma*?
,, Terzo travvedimento (e questo è forse maggio-
,, re): Il P. Viva non cita per ombra il *Ledesma*;
,, e 'l P. Noceti avanza con tanta franchezza, *che*
,, *ha seguito il Ledesma*? *Ha forse il P. Viva spedi-*
,, *to dal Cielo al Censore un qualche Angelo a rive-*
,, *larglielo*? Ma è pur grazioso il N. *Eraniste*; ben-
,, chè nò: io temo anzi, non sia un incauto. Vi
,, ha certe *Rivelazioni* in S. Brigida, che non do-
,, vrebbongli piacere gran fatto: or questo scherza-
,, re sulle Rivelazioni potrebbe a qualcuno stuzzi-
,, care la voglia di parlare di quelle, e produrle,

,, e co-

,, e comentarle: Di grazia non ci abusiamo, P. *Era-*
,, *niste*, dell'altrui sofferenza. Ma non più di ciò.
,, Che sì che senza rivelazioni io trovo il fonda-
,, mento, che ebbe il P. Noceti di dire, avere il
,, *Viva* seguito il *Ledesma* come che questo nomi-
,, nato non sia dal *Viva*. Quante volte è stato rim-
,, proverato dal P. *Concina* il *Viva* essere un copia-
,, tore di *Moya*? Ho io a citarne i luoghi? Perchè
,, sarà dunque inverisimile, che ancora in questo
,, punto abbia egli letto il *Moya*? E se l'ha letto,
,, avrà pur veduto il testo di *Ledesma*, che il Mo-
,, ya cita in lingua *Spagnuola*. Poteva dunque il
,, *Viva* senza mentovare il *Ledesma* seguirlo, e v'è
,, tutto il ragionevole fondamento, che abbial fat-
,, to. Sicchè dov'è questo *travvedimento* del *No-*
,, *ceti e forse maggiore*? Davver davvero mi viene
,, paura, che le travvegole abbiale agli occhi il
,, buon *Eraniste*. E certo non è egli un altro trav-
,, vedimento majusculo a travvedimento imputare
,, al P. *Noceti*, che scrivesse, avere il *Viva* presa
,, la sentenza del Bannez, e del *Serra* in quel senso
,, medesimo, *in quem illam multo ante ipsum accepe-*
,, *rat Ledesma*; quando il Ledesma non nomina il
,, Serra, ma solo parla del Bannez? Che importa,
,, che il *Ledesma* non faccia menzione, se non del
,, solo Bannez? La *sentenza* del *Serra* non è la stessa,
,, che quella del Bannez? Dunque il *Viva* potè pren-
,, dere la *sentenza* (di questa, intendetela *Eraniste*
,, ingannato, di questa si parla dal *Noceti*) potè il
,, *Viva* prendere la sentenza del Bannez, e del Serra
,, nel senso, in cui pigliolla il *Ledesma*, ancorchè
,, questi niente dica del *Serra*. Se il P. Noceti avesse
,, detto, che il *Viva cita Bannez e Serra nel senso*
,, *in che gli ha citati Ledesma*, avrebbe preso un
,, granchio a secco; ma essendosi egli ristretto alla
,, sentenza, *sententiam Bannezii & Serræ*, il gran-
,, chio e madornale prendelo il suo Censore. Ma
,, che diremo del primo travvedimento? *Ledesma* non
,, solamente non dice, avere il Bannez negato, che
,, spezial precetto vi sia della Carità, ma suppone,
,, averlo quel Teologo ammesso. Come dunque
,, potè il P. *Noceti* affermare, che il P. *Viva sen-*
,, *tentiam Bannezii, & Serræ in eumdem sensum*
,, *accepit, in quem illam multo ante ipsum accepe-*
,, *rat Ledesma*? Certamente il *Viva* attribuisce a
,, que' due Teologi *Domenicani d'aver negata l'ob-*
,, *bligazione agli atti di Carità per se, & ex vi præ-*
,, *cepti divini, & naturalis de eliciendis aliquando*
,, *his actibus*. Ringraziato sia il P. *Dinelli*: è facil co-
,, sa l'uscire di questo impaccio. *Hoc tibi, Noceti*
,, *consilii do* (dic'egli nella seconda lettera p. 57.),
,, *ut quando legis Causistas, non verba multum at-*
,, *tendas, quibus aut diligentiam laudant, aut alias*
,, *ejusmodi res, puta dolorem, aut propositum efla-*
,, *gitant; sed ipsam, quam afferunt opinionem, &*
,, *rationum momenta diligenter expendas*. Appli-
,, chiamo questo consiglio ad *Eraniste*. *Vi consiglio,*
,, *Eraniste, che quando leggete* Bannez, Serra, ec.
,, *non molto vi fidiate delle parole colle quali stabi-*
,, *liscono, che spezial precetto abbiamo della Carità,*
,, *ma diligentemente consideriate l'opinione, che se-*
,, *guono, e le ragioni, che recano*. Che fa ciò al
,, Caso? Molto, moltissimo. Il P. *Viva* attribuisce
,, a *Bannez* a *Serra* d'aver negato il precetto spe-
,, ziale di Carità; ciò sembravi impostura, perchè
,, questi due Teologi difendono espressamente l'esi-
,, stenza di questo spezial precetto. No. Entrate
,, nello spirito loro, come vi è entrato il *Viva*, e
,, non vi fidate delle paroline loro. Abbiamo ve-
,, duto, ch'eglino credono, potersi al precetto del-
,, la Carità soddisfare, adempiendo quello della Co-
,, munione Pasquale, dunque realmente non ammi-
,, sero uno spezial precetto di Carità: quindi il *Le-*
,, *desma* appunto combatte l'oppinione del *Bannez*,
,, *quia præceptum de diligendo Deo longe diversum*
,, *est a præcepto sumendæ Eucharistiæ*. Vide dunque
,, il *Ledesma* ciò, che pur dovevate veder voi,
,, che ad altri attribuite *travvedimenti grossolani*,
,, non potersi combinare la sentenza del *Bannez*
,, colla dottrina del precetto speziale di Carità.
,, Per la qual cosa a che strepitare poi tanto con-
,, tro del *Viva*, perchè ciò, che per sola illazione,
,, ma evidente, e necessaria traevasi dalla sentenza
,, del *Bannez*, e del *Serra*, disse assolutamente da
,, loro negarsi? Poteva più chiaramente spiegarsi il
,, Viva; l'accordo, ma difficil cosa è, che quando
,, cercasi di compendiare, come egli faceva, alcu-
,, na volta non isfugga qualche detto intralciato;
,, nè di tai coserelle ad un valentuomo si suol fare
,, il processo, se non da chi ha voglia di litigare
,, e di mordere. Così difeso il *Viva* è aperto in
,, qual senso parlasse anche il *Noceti*, e com'egli
,, non pretese di fare (sentite leggiadrissima, ed
,, onestissima formoletta d'Eraniste p. 511.) *un ro-*
,, *vescio di mano, che altri baratteria chiamerebbono*.

§. IV.

De mente Bannezii iterum pro Moya, & Viva
adversus Concinam, Patuzziumque
disseritur.

,, PRopositio I. *Bannez admisit speciale Carita-*
,, *tis præceptum*. Hoc probant Bannezii lo-
,, ca, quæ magno numero collegit Patuzzius *pag.*
,, 241. *ad* 244.; sed non erat, cur in iis recen-
,, sendis quatuor impleret paginas; non enim id
,, quæritur, ut mox videbimus; immo ad propo-
,, sitionem eam comprobandam satis erant ea ver-
,, ba, quæ Nocetius, & Auctor historiæ Litterariæ
,, adtulere: *adimplet simul* SPECIALE *præceptum*
,, *Caritatis*. Verum sententiarum illarum Bannezii
,, adparatus Patuzzianus maxime faciebat ad im-
,, ponendum populo, Lectoribusque incautis.

,, Propositio II. *Bannez speciale Caritatis præ-*
,, *ceptum, quod admiserat, æquivalenter* (noten-
,, tur hæc Moyæ verba, in quibus sita est quæstio)
,, *deinde* NEGAVIT.

,, Ostenditur propositio. Ille *æquivalenter* ne-
,, gat speciale Caritatis præceptum, qui illud im-
,, pleri posse adfirmat per actum præceptum alte-
,, rius virtutis, puta Religionis; sed Bannez *spe-*
,, *ciale* præceptum caritatis impleri adfirmat per
,, actum præceptum alterius virtutis. Prob. ejus
,, verbis: *nihilominus dico* II. *quod sine scrupulo*
,, *credi potest, quod qui digne sumit Eucharistiam*
,, *semel in anno, adimplet* SIMUL *speciale præce-*
,, *ptum caritatis*; ergo.

,, Dices I. cum Concina in historia Probabilismi,
,, Bannezium loqui ad scrupulosos liberandos, &
,, ad animarum plus æquo anxiarum levamen, quum
,, prudenter credi non possit, Christianum digne
,, communicare, quin Deum non amet. Resp. Ban-
,, nezium loqui de omnibus indiscriminatim, etiam
,, homicidis, etiam fornicariis; hanc enim suæ ad-
,, sertionis addit rationem: *quoniam alias oporteba*t

„ *confiteri specialiter quod non habuit dilectionem Dei & non sufficeret confiteri quod* OCCIDIT *aut* FORNICATUS EST. Sunt ne hi scruplosi? Præterea satis est rite confessum hominem ad Eucharistiam adcedere, ut quis illam digne suscipiat; neque ad confessionem necesse est Caritatem, quæ ad implendum hujus virtutis speciale præceptum necessaria est, adferre, & certe prudenter nemo in animum sibi inducat, id fieri universim ab homicidis, a fornicariis, de quibus Bannezius.

„ Dices 2. cum Patuzzio T. II. Animadversionum in quosdam historiæ Litterariæ articulos p. 288., non alium sensum horum Bannezii verborum esse posse, nisi Confessarium posse prudenter præsumere, Christianum, qui semel saltem in anno digne communicat, speciale Caritatis præceptum implere specialibus ejus virtutis actibus, quos tunc exercet, & anni ipsius decursu sufficienter exercuerit. Resp. supponere Bannezium, hominem istum ad Eucharistiam adcedentem nullum toto anno caritatis actum exercuisse, nam ait: *& non sufficeret confiteri, quod occidit, aut fornicatus est*; *sed quod* (notet Patuzzius hæc verba, quæ vafre dissimulat) *per totum annum omisit adimpletionem præcepti caritatis*. Igitur Patuzzius perperam huc trahit caritatis actus anni decursu exercitos, nisi forte ipse existimet, ad dignam Eucharistiæ sumptionem necessarium esse ut quis anni decursu caritatis actus exerceat. Quid? quod ridicule Bannezius impleri Caritatis præceptum dixisset a sumente Eucharistiam per actus Caritatis *alias* exercitos; caritatis enim præceptum impletum fuisset per illos caritatis actus, non impleretur per Eucharistiæ sumptionem. Præterea quod ad actus caritatis adtinet, qui in ipsa Eucharistiæ sumptione exerceantur, prudentissime potest, ac debet Confessarius præsumere, homicidam, ac fornicarium, qui semel tantum in anno communicet, de caritatis actibus exercendis non admodum fore sollicitum. Quamquam quid Confessarium huc advocat Patuzzius? quum de uno pœnitente Bannezius loquatur, eumque non debere confiteri adfirmet, *quod per totum annum omisit adimpletionem præcepti Caritatis*. Hinc Ledesma Dominicanus, isque Doctissimus a Moya, & a Nocetio citatus multo ante Moyam, & Vivam Bannezii mentem ita explicavit, ut crederet, Bannezium suum speciale Caritatis præceptum a præcepto sumendæ Eucharistiæ non distinxisse.

„ Dices 3. cum eodem Patuzzio, textum Auctoris obscurum ex clarioribus esse explanandum; atqui alibi clarissime docuit Bannezius speciale præceptum caritatis esse admittendum; ergo. Resp. verissimam esse majorem, sed Bannezii locum, quem ipsi objicimus, negamus obscurum esse, atque ex aliis explicandum. Certe Ledesmæ Dominicano obscurus visus non fuit. Quod Patuzzio obscurum videtur, est Bannezium sibi ipsi non satis constare. At hoc non obscuritati tribuendum est, sed humanitatis vitio, quo factum, ut Bannezius etsi vir doctus non animadverterit, hac sua conclusione illa omnia everti, quæ sapienter antea docuerat de speciali caritatis præcepto. Quod si reprehendendi sumus qui Bannezio inconstantiæ notam tribuimus, prius Ledesmæ suo irascatur Patuzzius; ab illo enim didicimus, Bannezium pugnantia scripsisse.

„ Dices 4. cum eodem Patuzzio (p. 245.). Ait Bannez: *dicendum ergo, sicut supra diximus de fidei, spei, & caritatis præceptis, difficile esse punctualiter definire omnia tempora, & singula, quibus hujusmodi præcepta obligant*; ergo idem sensit de præcepto caritatis quod senserat de præcepto *spei*; atqui de spei præcepto docuerat, illum solummodo de ejus adimpletione tutum esse posse, ait enim: *qui aliquoties in anno exercet actum spei tutus esse potest de adimpletione hujus præcepti*; ergo idem docuit de præcepto Caritatis. Confirm. Caritatis præceptum juxta Bannez est *maximum & primum mandatum*; ergo qui exigit pro adimpletione præcepti spei aliquot in anno hujus virtutis actus, multo magis eos postulabit pro adimpletione præcepti caritatis.

„ Resp. dist. conf. ergo idem sensit Bannez quod ad difficultatem *punctualiter definiendi omnia tempora, & singula, quibus* hoc præceptum obligat, conc. conf. quoad definitionem horum temporum nego conseq. Antequam rationem distinctionis, eamque evidentissimam do, obiter animadverto Patuzzium in primo Bannezii textu addidisse de suo *& caritatis*, quod abest a Bannezii textu, & abesse locus, unde ducta est sententia, cogit; præterea moneo, vitiosam esse illam interpretationem, quam secundo Bannezii textui Patuzzius adfingit: *qui aliquoties in anno exercet actum spei*, ille solum *tutus esse potest de adimpletione hujus præcepti*; nam Tò *ille solum* gratis additur, neque id magis Bannezii sententia fert, quam illum solum de suo in Urbem adventu tutum esse posse, qui citatis equis vehatur, ex hac propositione consequatur: *qui citatis equis vehitur, tutus esse potest de adventu in urbem*. Nunc distinctionis rationem reddo. I. Bannez ait: *dicendum ergo, sicut supra diximus de fidei, & spei præceptis, difficile esse &c.* ergo Tò *sicut* cadit supra Tò *difficile esse*. II. Post citata verba continenter addit Bannez: *Nihilominus dico secundo, quod sine scrupulo credi potest &c.*; ergo si Bannez exigit, ut actus spei aliquoties in anno exerceantur, aliter quod spectat ad definitionem actuum loquitur de spe, aliter de caritate; ergo Tò *sicut* nonnisi ad difficultatem definiendi tempora pertinere potest. Ad confirmationem, in qua sibi maximopere plaudit Patuzzius, ea id unum efficit, Bannezium minus cohærenter loquutum fuisse; quod adfirmare nec piaculum est, nec a vero abhorret. Ceterum etsi maximum est Caritatis præceptum, non valere a spe ad caritatem argumentum vel ex eo constat, quod multi Theologi ad omnem justificationem spem necessariam esse contendant, non item caritatem.

„ Dices 5. cum eodem Patuzzio (p. 250.). Bannez ait: *Tandem dico, quod fortasse nobis ignorantibus aliquando est omissio hujus præcepti*: Diliges Dominum &c. *Sicut etiam solet esse omissio præcepti orandi Deum, & propterea oportet dicere semper*: ab occultis meis munda me Domine; ergo Bannez sumit, obligationem dari eliciendi speciales actus caritatis. Resp. hæc fuisse a damnato Vincentio Baronio P. Moyæ jam pridem objecta. Dico igitur cum eodem Moya, cujus responsionem debuisset Patuzzius confutare, antequam contrita Baronii sui arma ad pugnam adferret: *Non dicit* Bannez, *esse peccatum mortale*, nec ideo hæc addidit, quia alteri conclusioni dif-

„ fisus

„ fisus fuerit, sed quia forsan pluries in anno per „ se obligat caritatis præceptum, & nos ignoramus. „ Pluries enim intra annum casus occurrunt, in „ quibus disputant Doctores, sit nec ne obligatio „ eliciendi actum specialem amoris Dei, atque adeo „ omissio hujus præcepti fortassis nobis ignorantibus „ datur, ignorantia scilicet ex diversitate opinio„ num probabilium suborta, quæ quum inculpabi„ lis sit, a peccato non mortali solum, sed etiam „ veniali excusat. Finge Bannezium non æquiva„ lenter tantum, sed simpliciter negasse speciale „ caritatis præceptum; an non idipsum dicere po„ tuisset, quum minime certam a se doceri senten„ tiam nosset? Quod vero addit: *& propterea opor*„ *tet dicere: ab occultis* &c., non probat, Bannezio „ aut lethalem aut venialem culpam visam fuisse „ ejusmodi omissionem; nam præterquam quod bo„ narum mentium est culpam agnoscere, ubi culpa „ non est, atque eam ob rem dicere cum Regio „ Psalte: *ab occultis* &c., etiam rogare Deum pos„ sumus, ut ab occultis materialibus peccatis nos „ mundet, quale peccatum esset omissio illa ex in„ culpabili ignorantia.

„ Dices demum cum eodem Patuzzio. Bannez „ sæpe exigit, ut actus caritatis eliciantur. Distin„ guo, ut actus caritatis eliciantur pluries in anno „ nego, pluries in decursu vitæ subdistinguo, & „ hos tum rite exerceri docet, quum quis sumit „ Eucharistiam conc., & hos extra Eucharisticam „ sumptionem eliciendos docet, nego. Qui admit„ tit speciale præceptum caritatis, postulet, neces„ se est & actus, quibus præcepto illi satisfiat. Ve„ rum quum Bannez, ut vidimus, ab eo qui se„ mel in anno Eucharistiam sumit, adimpleri fa„ teatur speciale præceptum caritatis, necesse est, „ ut pluries quidem in decursu vitæ, sed semel tan„ tum in anno actus caritatis postulaverit, & eos „ non distinctos admiserit a sumptione Eucharisti„ ca; quod æquivalenter est ipsum speciale carita„ tis præceptum negare.

Consectarium.

„ Viva optimo jure, ac meritissimo Bannezium „ iis adcenset, qui speciale caritatis præceptum ne„ gare ausi sunt. Ostenditur. Vere negat speciale ca„ ritatis præceptum, qui illud tantum æquivalenter „ negat; atqui Bannez æquivalenter negavit spe„ ciale caritatis præceptum; ergo vere illud nega„ vit; ergo.

§. V.

De M. Serræ mente circa idem caritatis præceptum disputatur.

„ Postulo I. ut quis speciale caritatis præceptum „ dicatur admittere, non satis esse, eum illud „ præceptum generatim statuere, si quando deinde „ in tempus, & modum, quo illud obligat, inqui„ rit, ita de ejus obligatione loquatur, perinde ac si „ speciale præceptum non esset, aut etiam ita, ut „ speciale præceptum illud non esse necessario con„ sequatur. Hoc postulatum evidens est; nam quem„ admodum nemo prudens dicet, ab eo libertatem „ Catholico sensu adstrui, qui integra quidem dis„ sertatione libertatem admittendam esse conten„ dat, ubi autem quærat, quænam hujusmodi li„ bertas sit, doceat, libertatem esse a coactione, „ non a necessitate; ita nihil interest ad rem præ„ sentem, speciale caritatis præceptum ab aliquo „ doceri, si de ejus obligatione ubi disputet, iis „ illam finibus circumscribat, qui specialis præce„ pti non sunt.

„ Postulo II. eum, qui quampiam opinionem re„ fert, nec refellit, in re præsertim morali, non „ injuria censeri illius patronum, ac defensorem. „ Siquis huic postulato repugnet, non repugnabit „ certe Patuzzius, qui novit, Jesuitas Casuistas, „ ac Vivam præsertim sæpissime a Concina fuisse „ traductos ut laxarum doctrinarum patronos, quod „ illas in medium adtulerint, nec rejecerint. Præ„ terea Patuzzius ipse dolet, a Nocetio Serram in„ ter Bannezianæ sententiæ patronos numerari, „ quum tamen unum hoc de Serra Nocetius dixe„ rit: *addo Magistrum Serra Dominicanum* 2. 2. q. „ 44. *in fine referre, & non Rejicere sententiam Ma*„ *gistri Bannez;* putat igitur Patuzzius, idem es„ se, referre cujuspiam sententiam, nec reijcere, „ atque illi aperte patrocinari. Jam vero sit

„ Propositio I. M. Serra speciale Caritatis præ„ ceptum admisit. Hoc probant textus Serræ a Pa„ tuzzio citati; neque id unquam aut Nocetius, „ aut Auctor *historiæ Litterariæ* negarunt, nec ne„ gare poterant, qui hæc Serræ verba recitaverant: „ CERTUM *est præceptum caritatis obligare, ut* „ *pluries in discursu vitæ actum dilectionis Dei &* „ *Proximi eliciat homo.*

„ Propositio II. M. Serra Bannezii doctrinam re„ tulit, nec rejecit. Ostenditur verbis a Nocetio, „ atque ab Auctore hist. litter. citatis, quæ calli„ de obtruncat Patuzzius, quum tamen in his to„ ta sita sit difficultas. Serra post verba, quæ prop. „ I. adtulimus, continenter subjungit: *sunt* NI„ HILOMINUS, *qui dicant absque scrupulo credi* „ *posse, præceptum caritatis adimplevisse eum, qui* „ *semel in anno quolibet Eucharistiam sumpsit.* Ista „ vidit Patuzzius, ista legit; cur nihil respondit?

„ Propositio III. M. Serra Bannezii sententiam „ defendit. Ostenditur. In Moralibus quæstionibus „ (ex Post. II.) qui sententiam quampiam refert, „ nec refellit, ei patrocinari censendus est; sed „ (ex prop. II.) Serra Bannezii sententiam refert, „ nec refellit; ergo.

Consectarium.

„ Viva non injuria Serram inter eos numeravit, „ qui speciale caritatis præceptum negare ausi sunt. „ Vide Postulatum primum.

„ Dices 1. cum P. Gagna (p. 239.) Quum Gui„ menio Baronius Dominicanus objecisset, de spe„ ciali dilectione Dei mala fide ab eo relatos Ser„ ram, & Bannez, Guimenius in libello supplici „ respondit: *mirum sane erit legenti Amadæum,* „ *quod mala fide relatus* Serra *dicatur, quandoqui*„ *dem ejus formalia verba pro vera, & tenenda sen*„ *tentia ibi adducuntur, in quibus expresse dicit,* „ CERTUM *esse, præceptum caritatis obligare;* er„ go Serra veram, & tenendam sententiam ample„ xus est. Resp. Baronium revera Guimenio impo„ suisse, nam hic de Bannezio unice loquutus fue„ rat, Serramque solum adpellaverat ceu testem „ Bannezianæ doctrinæ. Audi Guimenii verba ex „ editione Coloniensi anni 1665.: *Sic ille* (Bannez) „ *Quem suppresso nomine citat M. Serra.* Evidens „ er-

,, ergo est Baronii impostura, qui Serram mala fi-
,, de a Guimenio relatum fuisse impudenter adse-
,, ruerat.] Id tum Guimenio satis fuerat ad calu-
,, mniam Baronii propulsandam. Atque id etiam sa-
,, tis fuit Gagnæ ad Concinæ repellendam audaciam,
,, qui eamdem Guimenio calumniam intulerat eo-
,, dem, quem Baronius citaverat, adlato loco.
,, Cæterum Guimenius deinde quum sub Matthæi
,, de Moya vero nomine quæstiones selectas ederet
,, (quod Cl. Gagna non animadvertit, neque cur
,, animadverteret, necesse fuit, quum non Moyæ
,, selectas quæstiones, sed Guimenii opusculum ci-
,, tasset Concina) idem de M. Serra docuit, quod
,, Nocetius. Audi illum *Tract. 6. disp. 6. quæst. 1.*
,, *num.* 11. ubi post relata Bannezii verba subjun-
,, git: *Sic ille, quem suppresso nomine refert, nec*
,, REFELLIT *Mag. Serra.* Igitur Guimenius re
,, melius inspecta Serram Bannezii doctrinæ haud
,, infensum fuisse postea comperit.

,, Dices 2. cum Patuzzio (p. 25. seqq.). P. Ga-
,, gna fatetur, Vivam errasse in Bannezii, & Ser-
,, ræ mente interpretanda. Viden ergo ut Concinæ
,, adversarii inter se pugnent, & *Andabatarum mo-*
,, *re* sibimetipsis violentas manus injiciant. Resp.
,, P. Gagnam de Moya vindicando sollicitum magis
,, fuisse, quam de Viva, neque ita adcurate in hu-
,, jus mentem inquisiisse, quemadmodum nos qui
,, novis adversariorum calumniis ad id coacti su-
,, mus. Ceterum stulte gloriatur adversarius, quod
,, non una sit nostrorum scriptorum de Vivæ men-
,, te sententia. An omnes Thomistæ sentiunt, quod
,, Natalis Alexander, ignorantis hominis esse Pela-
,, gianismi notam Scientiæ Mediæ inurere? An
,, Patuzzius eamdem, quam Concina, iniit viam
,, in S. Antonino, quem de Champs in sua *Quæ-*
,, *stiones facti* citavit, interpretando? An (ut pres-
,, sius urgeam Thrasonem nostrum) de Bannezii
,, mente idem ipse, quod Concina, docuit? Certe
,, Concina ad actus caritatis in decursu anni exer-
,, citos, quos Bannez supposuerit in homine ad Eu-
,, charistiam semel in anno accedente, numquam
,, recurrit. Quid Ledesmam, & Serram objecero
,, Bannezium, uti Viva, interpretantes, dicamque
,, Thomistas inter se *Andabatarum more* digladiari?
,, Malam is certe caussam defendat, oportet, qui
,, puerilibus istis, ridiculisque animadversionibus u-
,, nice nititur. Sed hæc satis.

PROPOSITIO II.

Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.

SYNOPSIS.

I. Duellum jure naturæ non est illicitum, si fiat ob finem gravem; secus vero si ob levem finem, qualis in hoc lemmate proponitur. II. Videtur licere ad declinandam timiditatis notam, sicut licitum est bellum ad res temporales tuendas: & sicut potest cum debito moderamine interfici invasor honoris, quin teneatur vir equestris invasus fugere. III. Aliter non repelleretur in Religione D. Jacobi Canditatus, qui duellum recusavit. IV. Verum penes cordatos nullam incurrit notam, qui monomachiam detrectat: imo illam acceptans habetur insipiens, & suæ, ac alienæ vitæ prodigus. V. Non tuetur honorem, sed potius illius facit jacturam, qui duellum acceptat citra caussam gravissimam. VI. Datur aptus modus prospiciendi proprio honori citra acceptationem duelli. VII. Detrectationem duelli vulgares homines, & improbi ascribunt timiditati; Cordati vero ascribunt prudentiæ; propterea Viro Equestri, cui fuga ab invasore est ignominiosa, non est ignominiosum recusare duellum. VIII. Non repellitur a Religione D. Jacobi, qui duellum recusavit, ne Deum offenderet. IX. Sicut nequit occidi calumniator, ita nequit acceptari duellum ad evadendam aliquam calumniam. X. In nullo alio ex casibus a Laymann adductis licitum est duellum acceptare. XI. Quandonam reservatio, & excommunicatio incurratur ab acceptante duellum?

I. EXponitur. Duellum, quod sonat duorum pugnam ex condicto, jure naturæ non est illicitum, dummodo fiat ob finem gravissimum, puta ad extinguenda bella, ut notat Cajet. 2. 2. quæst. 95. art. 8. Sic D. Wenceslaus Boemiæ Dux, ut in ejus Officio legitur, ad singulare certamen adversus Ducem Curimensem eo fine accessit, ut suorum saluti prospiceret; ac proinde visi sunt Angeli arma ministrasse, & dixisse adversario, Ne ferias. Illicitum tamen est duellum, etiam jure naturæ, nedum jure Ecclesiastico, ob levem finem, puta ne Vir Equestris non acceptando illud timiditatis notam incurrat; & idcirco præsens thesis proscribitur, quam olim nonnulli docuerunt, ut refert Bannez 2. 2. q. 64. art. 7. dub. 3. apud Sanch. lib. 2. Summæ c. 39., & impræsentiarum in praxim passim adducebatur in multorum perniciem.

II. Fundamenta hujus erroris sunt: Primo, quia ad res temporales tuendas licitum est bellum; ergo a fortiori licitum erit Viro Equestri singulare certamen ad tuendum honorem, & ad declinandam notam timiditatis; cum honor sit in ordine superiori ad res temporales.

Secundo, quia invasor honoris, sicut etiam rerum temporalium, potest interfici cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando scilicet aliter occurri non potest; sed provocans ad duellum est veluti invasor honoris, qui aliter defendi non potest, quam illud acceptando; ergo potest acceptari, quamvis in discrimen vocetur vita utriusque.

Tertio, Viro Equestri invaso fas est invasorem occidere, ut honorem tueatur, quando vitam tueri non potest, nisi fuga sibi ignominiosa, ut in confesso est apud DD. teste Laymann l. 3. tract. 3. par. 3. cap. 3. ergo pariter poterit Vir Equestris duellum acceptare, quando non potest illud recusare citra ignominiam; utrumque enim videtur æque ignominiosum Viro Equestri, & militari, tam fugere ab invasore, quam duellum recusare: ergo cum liceat non fugere ab invasore, licitum etiam erit duellum acceptare ad notam timiditatis declinandam.

III. Quarto demum, quia in Religione D. Jacobi approbata a Sede Apostolica Candidatus jurare debet, se nunquam recusasse duellum, ad quod fuerit provocatus; ergo licitum est Viro Equestri duellum acceptare: aliter Candidatus esset potius ab ea Religione repellendus, quam admittendus ex hoc, quod non consenserit in Monomachiam.

IV. Ostenditur tamen falsitas confixæ thesis, quia vitam propriam, & alienam in discrimen vocare ob levem finem, dictamini rationis aperte repugnat; Vir Equestris in casu nostro in discrimen vocaret pro-

propriam, & alienam vitam ob finem valde levem, nempe ne timiditatis notam incurrat; ergo jure naturæ acceptare duellum non potest. Minor, in qua potest esse difficultas, fit manifesta, si advertatur, quod vir Equestris recusans duellum, ad quod temere provocatur, apud viros cordatos non solum non incurrat notam timiditatis, sed potius habeatur insipiens, & propriæ vitæ prodigus, si illud acceptet; & solum a paucis, ut loquitur Cajet. idiotis, quibus cor non sapit, & qui vani nominis umbram sequuntur, notaretur timiditatis: quis autem non videat, quod hic finis declinandi notam timiditatis apud paucos Divinæ, & humanæ legis contemptores sit umbratilis? Hoc patet a simili. Si vir liberalis, ac splendidus invitaretur vel ad projicienda, vel ad vocanda in periculum omnia bona sua, insipienter operaretur, si annueret ad declinandam notam aliquam avaritiæ; quia nemo cordatus illi notam ullam inureret, sed potius laudarent omnes animi vim repellentem irrationabiles hujusmodi incitationes; cum autem longe præstet bonis omnibus fortunæ vita, multo magis operaretur insipienter Vir Equestris in periculum vocando propriam, & alienam vitam, prout temere provocatur, ne timiditatis notam incurrat; cum nemo sanæ mentis illi notam ullam inurat, sed potius commendetur animus repellens hujusmodi provocationes probro, & capitali pœna dignas.

V. Ad primam rationem in contrarium dicendum, niti argumentum in falso supposito. Acceptans duellum temere, & citra causam gravissimam (qualis est salus Reip., cui vita Privatorum subordinatur) nec honorem tuetur, nec notam timiditatis declinat, nisi penes paucos Diaboli asseclas, & vulgares homines; quin potius apud cordatos reputatur insipiens, & suæ, ac alienæ vitæ prodigus, ut ostendimus; propterea verum honorem contemnit, dum umbram honoris aucupatur.

Neque dicas hanc esse Mundi persuasionem, quod dedeceat virum Equestrem recusare duellum. Nam similiter Mundi persuasio est, quod comessationibus, ac delectationibus vacandum, quod ultio de inimicis sumenda sit, & alia hujusmodi: quæ tamen rectæ rationi, ac Divino, humanoque juri opponuntur: quare persuasio isthæc potius dicenda hallucinatio, & spectrum dæmonis conantis hac via homines decipere, & ad sese rapere. Potest siquidem magno cum honore Monomachia detrectari etiam a Viro Equestri, si provocanti respondeat, se in medium more consueto proditurum, ac paratum esse contra injustum aggressorem non fuga, sed justa defensione se tueri, & a propugnatione destiturum, ubi alter desistat oppugnare.

VI. Ad secundam, si ratiocinatio adducta subsisteret, sequeretur, ut notat Sanch. loc. cit., quod Vir Equestris, qui injuriam passus est, posset etiam provocare offensorem ad duellum, ut sic suum honorem tueatur, quod nemo somniavit; quia scilicet potest aliter honori offenso consuli, quam provocando ad duellum, quod in discrimen vocaret vitam etiam ipsius offensi: ergo neque potest duellum acceptari, cum possit aliter honori prospici, nimirum dicendo provocanti, Non fuga, sed justa defensione paratum esse se tueri adversus injustum aggressorem; duellum tamen non acceptare in reverentiam Divinæ, & humanæ legis.

VII. Ad tertiam, Verum est apud cordatos fugam esse ignominiosam Viro Equestri, & ideo non tenetur fugere, si invadatur; falsum tamen, quod sit ignominiosum apud eosdem duellum recusare, ut ostendimus, etiamsi apud vulgares, & improbos homines id reputetur ignominiosum: præferendus proinde huic falsæ vulgi opinioni sensus cordatorum, id non timiditati, sed prudentiæ ascribentium, & Divinæ, ac humanæ legis observantiæ.

VIII. Ad ultimam dicendum cum Mendo dissert. 1. q. 21. in Religione D. Jacobi solum exigi, quod Candidatus duellum non recusaverit præ timiditate, fugiendo invasorem provocantem; non vero, quod non recusaverit illud, ne Deum offenderet; unde hic admittitur, ille ab ea Religione repellitur.

IX. Dubitatur tamen hic primo: An liceat saltem Viro Equestri duellum acceptare a provocante, quem scit suum esse calumniatorem, quin possit alia via gravem ignominiam a calumnia provenientem repellere, quam illum occidendo?

Respondeo nullatenus posse, quicquid in contrarium nonnulli dixerint apud Dian. p. 5. tr. 13. re. 27. Sicut enim non licet hunc calumniatorem occidere, ut constat ex propositione 30. Innoc. XI. quæ habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*; Ita neque licet duellum ab eo oblatum acceptare, in discrimen vocando vitam utriusque; quod pariter confirmant propositiones 17., & 18. ab eodem Alex. VII. confixæ, quas etiam suo loco acri calamo insectabimur. Et ratio videtur esse ex Less. l. 2. c. 9. num. 47., quia facile homines sibi persuadent se per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi suppetere, præter mortem calumniatoris. Et quamvis in aliquo casu certissime constaret tum de calumnia, tum de carentia alterius medii ad ignominiam vitandam præter mortem calumniatoris, neque poterit in eo casu aut occidi calumniator, aut acceptari duellum; quia hujusmodi medium ad declinandam ignominiam est revera excessivum, posito quod de se, & fere semper animus in hac re obnoxius est hallucinationi. Quæ ratio militat universim in propositionibus damnatis, quando videtur damnatio fundari in præsumptione, & in casu particulari falsificari præsumptio: e. g. nunquam liceat interficere falsum accusatorem, falsos testes, aut Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare, ut constat ex 18. proposit. Alex. VII. Quamvis enim in aliquo casu certo constaret, quod non posset alia via damnum injustum evitari, quia tamen facile id sibi animus persuadet, & hallucinatur; ideo etiam pro eo casu, quo quis certo credit se non pati hallucinationem, hoc medium evitandi damnum injustum est excessivum, & illicitum. Quinimo quamvis speculative loquendo posset in aliquo casu aliqua ex his propositionibus, quarum damnatio in præsumptione fundatur, jure naturæ culpa vacare; nunquam tamen licitum est eam in praxim deducere, cum id prohibeatur in virtute Sanctæ Obedientiæ, quia hujusmodi casus forte est metaphysice tantum possibilis, non vero moraliter.

X. Ex dictis constat, rejiciendum esse Layman. l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. ubi putat in duobus casibus duellum non videri damnandum, vid. Si Miles in exercitu, vel Vir Equestris in Aula Regia officio, & dignitate excidere debeat ob ignaviæ, ac timiditatis notam, nisi identidem provocanti se sistat; Vel si quis ab injustis conviciis, ac subeundo dedecore aliter se liberare nequeat, nisi cum provocante con-

te congrediatur: Nunquam enim licet mortis periculo se exponere ad vitandum dedecus, quod ex vulgi sinistra opinione provenit.

XI. Dubitatur secundo, An Vir Equestris ad duellum provocatus excommunicationem, aut reservationem incurrat, si illud acceptat, ubi provocatur, quin excusetur a gravi culpa ratione justæ defensionis; quia scil. provocans nollet virum hunc equestrem oppugnare, si ille duellum, ut teneretur, recusaret?

Pro resolutione præmitto, Trid. sess. 25. c. 10. ut detestabilem duellorum usum fabricante diabolo introductum exterminaret, sub pęna excommunicationis illud vetuisse, innodando ea Principes permittentes, pugnantes, consilium dantes, & spectatores; quia tamen excommunicatio isthæc respiciebat tantum duellum solemne, quod scil. fit auctoritate publica, ideo Greg. XIII. illam extendit etiam ad duellum privatum. Clemens VIII. ann. 1592. hanc excommunicationem reservavit, voluitq; eam incurri pariter a provocantibus, etiam pugna non secuta, ut notat Fill. tr. 29. c. 28. n. 170. Deinde idem Clemens ann. 1602. reservavit illam etiam relate ad Regulares intra Italiam extra Urbem, prohibendo ne vi suorum privilegiorum absolverent ab iis quinque casibus Papalibus, quos recenset Quaranta pag. 203.; sunt autem, Violatio immunitatis Ecclesiasticæ, Violatio Clausuræ Monialium, Provocantes, & Pugnantes in duello iuxta decretum Tridentini, & constitutionem Greg. XIII. Percussio Clerici, & Simonia Realis, ac Confidentia Beneficialis: Ubi Lugo in Responsis Moralibus l. 2. d. 2. inquirens, Utrum relate ad Regulares solum reservet provocantes secuta pugna, an vero omnes illos a Trid., & Greg. XIII. enumeratos, nimirum Patrinos, Spectantes ex proposito, Consilium dantes, Provocantes non secuta pugna, & Provocatos? docet probabile esse, quod solum reservet duellum relate ad provocantes secuta pugna; Bonacina tamen, & alii communius sunt in opposita sententia.

His præmissis, censeo cum Bonac. t. 3. disp. 2. q. 3. p. 48. Sanch., Fill., Excommunicationem, ac reservationem juxta præmissa incurri, si duellum fiat ex composito; quandoquidem tunc fit cum assignatione prævia sui loci, & temporis; atque adeo ex condicto, prout requiritur ad eas pœnas incurrendas contra vero si fiat ex calore iracundiæ, aut ex subita rixa, vel si quis occurrens inimico dicat, Distringe ensem, & pugnemus, eas pœnas non incurrit, quia non habetur assignatio temporis, & loci ex condicto; unde non est proprie duellum, sed injusta aggressio, ut loquitur Bonac. contra Peregr. apud Dia. p. 3. tr. 6. r. 1. Nec eas pœnas incurrit, qui fictum duellum committit honoris ergo citra periculum vulneris, etiamsi non desit peccatum scandali, ut docet Fill. apud Dia. p. 2. t. 16. r. 13.

PROPOSITIO III.

Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1619 die 18. Julii in Consistorio Sacræ Congregationis Eminent. Cardinalium visa, & tolerata est.

SYNOPSIS.

I. In hac Thesi solum proscribitur, quod ea sententia visa, ac tolerata sit in Consistorio Sacre Congregat. II. Non fuisse visam satis constat ex hac Pontificis declaratione. III. Utrum indirecte ea etiam sententia damnetur? Alii aliter. IV. Certe imbecilli fundamento ea nititur: & non semel Pontifices declararunt, non posse amplius Episcopos uti ea facultate relate ad casus occultos Bullæ Cœnæ.

V. Possunt tamen Episcopi ab iis casibus absolvere impeditos adire Pontificem, ne pro dilatione impedimenti periculum immineat animarum. VI. Quodnam dicitur impedimentum perpetuum, ratione cujus absolutio datur sine onere? Quodnam temporale, vi cujus datur cum onere? VII. Impediti adire etiam Episcopum possunt pariter ab inferiore absolvi. VIII. Advertendum discrimen inter casus, quibus annectitur, & quibus non est annexa excommunicatio. IX. Recensentur varii casus, in quibus potest inferior a reservatis absolvere; puta si peccata sint mere interna, aut si peccatum sit externe leve, etiamsi interne sit grave; vel si peccatum sit dubium, aut si ignorata fuerit censura, ratione cujus peccatum est reservatum; aut si post absolutionem tempore Jubilæi obtentam memoriæ occurrat aliquod reservatum tunc oblitum.

I. Exponitur. Trid. sess. 24. c. 6. tribuit Episcopis facultatem absolvendi subditos suos in sua Diœcesi per seipsos, aut per Vicarium ad id specialiter deputandum in foro conscientiæ ab omnibus casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis. Vult etiam, quod possint pariter ab hæresi occulta absolvere; non tamen per Vicarium, sed per seipsos immediate. In Bulla vero, quæ quotannis die Cœnæ Domini renovatur, prohibetur, ne quis absolvat a casibus in ea contentis, nisi tantum in mortis articulo constitutos, & præstita prius de stando mandatis Ecclesiæ, & de satisfaciendo cautione, etiam prætextu quarumcunque facultatum per *cujusvis Concilii* decreta concessarum. Putarunt Navar. Cord., Vega, Ledesma, Henr., Sà, & alii apud Sanch. l. 3. Summæ c. 11., & Suar. d. 30. de Pœnit. sect. 2. per hæc verba Bullæ Cœnæ non derogari facultati illi Episcopis a Tridentino concessæ, cum non fiat in Bulla mentio Tridentini, imo nec Concilii Generalis: Docent enim plurimi DD. cum Sanch. l. 3. de Matrim. disp. 26. non derogari decretis Concilii Generalis, nisi ejus fiat expressa mentio his verbis: *Non obstante ulla lege, aut Constitutione in Concilio Genereli edita*; Imo Henriq., & alii apud eundem Sanch. putant ad derogandum decretis Tridentini requiri specialem mentionem ipsius Tri-

Tridentini, utpote Concilii Generalis moderni, quin sufficiat dicere; *Non obstante ulla lege cujuscunque Concilii Generalis*. Et ratio horum Doctorum est, quia decreta Concilii Generalis, utpote matura deliberatione sancita, videntur continere vim clausulæ derogatoriæ ad alia decreta posteriora contraria, nisi hæc de illis specificam habeant mentionem. Præterea, ut illi sententiæ docenti per Bullam Cœnæ non derogari Trid. pondus adderent, dixerunt eam visam, ac toleratam fuisse in Consistorio. Pontifex nunc nihil directe decernens de hac sententia solum declarat, eam non fuisse eo die ab Eminentissimis Cardinalibus visam, ac toleratam.

II. Falsitas hujus proscriptæ thesis ex eo fit perspicua; quia si vere fuisset hæc sententia in Consistorio ad trutinam revocata, ac tolerata, Pontifex declarando oppositum, aut deberet ignorare hujusmodi factum, aut mentiri; quod citra temeritatem, aut impietatem sustineri non potest.

III. Utrum autem per hanc confixam thesim indirecte damnetur sententia docens, posse Episcopos vi Tridentini, non obstante Bulla Cœnæ, absolvere ab hæresi, & ab aliis criminibus in ea Bulla contentis, dummodo sint occulta?

Communius docent cum Illsung sententiam hanc indirecte damnari, aliter Pontifex non fuisset sollicitus, ne ea dicatur in Consistorio tolerata. Lumbier dubitat, & conqueritur, quod in Propositione damnata id non explicetur. Alii vero putant nullatenus sententiam illam damnari; declarat enim solum Pontifex, quod ea non sit hactenus in Consistorio perpensa, ne illi hoc novum pondus addatur, quod certe maximum esset, ex examine, & tolerantia Cardinalium; voluit tamen illam relinquere in sua aut solida, aut tenui probabilitate, differendo examen in tempus.

IV. Equidem censeo, quod sicut maximnm pondus accessisset sententiæ affirmativæ, si ea visa, & tolerata fuisset in Consistorio; ita maximum pondus de facto accessit sententiæ negativæ ex hoc, quod Pontifex ex cathedra doceat eam non fuisse visam, & toleratam. Proinde si prius tenuem habebat probabilitatem ea sententia, nunc habet tenuissimam; si vero prius erat solide probabilis, nunc ab ea solida probabilitate multum est deturbata; & a Doctoribus examinandum esset, num ad tenuem probabilitatem declinasset, insufficientem ad prudenter operandum? Deinde præscindendo, an dum ea sententia a Pontifice ex cathedra dicitur non esse tolerata, implicite etiam dicatur non esse digna, quæ toleretur? Absolute arbitror cum Mendo in Epit. V. *Episcopi*, n. 10. opinionem illam Th. Sanch. l. c., Molinæ disp. 173. Felini, Sarmiento, Menoc., & aliorum Juristarum, quod scil. non derogetur decretis Concilii Oecumenici, nisi per clausulam, quæ Concilium Generale exprimat, non valide fulciri; atque adeo ex ea non inferri, quod per Bullam Cœnæ non derogetur facultati illi in Tridentino concessæ. Ratio est, quia quamvis ad derogandum decretis Conciliorum Generalium debeat aliqua eorum mentio fieri, ut communissime docent cum Covarruv., Guttier., Molin., Nav. apud eundem Sanch. ex c. *Ex parte*, de Capellis Monachorum, & ex cap. *Nonnulli*, de Rescriptis; Nihilominus sufficiens mentio videtur fieri Tridentini in casu nostro per illam clausulam generalem in Bulla Cœnæ appositam, ubi dicitur: *Non obstantibus cujusvis Concilii decretis*; nec videtur requiri alia specialis mentio aut Concilii Generalis, aut ipsius Tridentini, cum ex nullo Canonico textu eruatur clausulam illam generalem non sufficere; præsertim quia, ut notat Pellizar. tract. 8. c. 3. n. 76. verba illa Bullæ Cœnæ, *Non obstantibus Concilii decretis*, non possunt respicere, nisi facultatem a Tridentino Episcopis concessam absolvendi a casibus Pontificiis occultis, cum a nullo alio Concilio ea fuerit concessa.

Confirmatur, quia sæpe Pontifices cum Pio V. Greg. XIII., Clem. VIII. declararunt, non posse amplius Episcopus uti ea facultate a Triden. concessa, ut testantur Tolet., Guttierez, Ugol., & alii apud Sanch. l. 2. c. 11. n. 26. quare dicendum Bullam Cœnæ facultati illi derogare.

V. Difficultas tamen est, an similiter per eandem Bullam derogetur facultati in jure Canonico Episcopis concessæ absolvendi ab omnibus Pontificiis casibus eos, qui ratione alicujus impedimenti sive perpetui, sive diuturni nequeunt adire Pontificem? Siquidem expresse in Bulla prohibetur, ne quis a casibus in ea contentis absolvat, nisi constitutos duntaxat in mortis articulo.

Sylvester apud Suar. disp. 30. de Pœn. sect. 3. negat, Episcopos absolvere ullatenus extra mortis articulum posse a casibus Bullæ Cœnæ sive publicis, sive occultis; (*a*) sed communissime apud Lugo disp. 20. de Pœnit. n. 218., & Martinum Perez disp. 50. ex Regula illa juris apud Suar. l. cit. quoties non patet aditus ad summum Pontificem, vel Legatum, aut ejus Delegatum, nisi cum magna difficultate, & mora, posse Pœnitentem absolvi ab inferiore Sacerdote cum onere comparendi coram Pontifice; cessante impedimento, ut dicitur in Cap. *Eos qui*, de sententia excommunicationis in 6. in Cap. *Mulieres*, C. *Quamvis*, Cap. *De cætero*, de sententia excommunicationis: Et quamvis in his textibus solum sermo sit de excommunicatione ob Clerici percussionem: communiter tamen DD. hanc doctrinam ad omnes excommunicationes Pontifici reservatas extendunt, cum eadem sit in omnibus ratio, vid. *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*, & illa fuerit excommunicatio antiquissima, ad cujus normam reliquæ omnes factæ videantur: quare licet Bulla Cœnæ solum excipiat articulum mortis; Jus tamen Canonicum exceptionem hanc ampliavit ad casum necessitatis; cum enim remedium contritionis non sit facile, non est verisimile, quod Ecclesia pientissima parens voluerit privare peccatores remedio Confessionis, quoties sine longa mora, aut difficultate non possunt adire Pontificem: præsertim quia diuturno tempore potest periculum mortis, atque adeo periculum æternæ damnationis imminere: Aliter reservatio, quæ pro bono charitatis introducta est, contra charitatem vergeret; & potestas retinendi peccata, data, ut loquitur Apostolus, in ædificationem, esset in destructionem. Hinc, ut notat Lugo, ab Episcopis absolvi possunt impuberes, valetudinarii, pauperes, qui ob paupertatem non possunt iter agere, & quicumque diuturno impedimento detinentur, ita tamen ut si impedimentum non sit perpetuum (excepto impedimento pueritiæ) debeant sub juramento obstringi ad comparendum coram Pontifice, cessante illo impedimento; quamvis Val., Navar., Henriq., Bordonus, cum Dian. p. 2. tr. 16. r. 42. probabiliter putent cautionem juratoriam requiri solum pro foro externo, & sufficere pro foro conscientiæ firmum propositum Pœnitentis, prout sufficit in aliis obligationibus.

(*a*) „ Patuzzius T. 3. *epist. Theologico-moral. p.* „ 430. Vivam, & Suarium (*si id adfirmat*) negligentiæ arguit in citando Sylvestro, negatque Sylvestrum suum facultatem illam Episcopis denegasse. Audiamus ergo Sylvestrum verbo *Absolutio IV. 7. dub.* 4. Quæsierat ille, utrum *non potens adire Papam, absolvi possit ab Episcopo?* „ atque adfirmativam sententiam tuetur. Euge Patuzzi. Vicisti. Minime vero. Studi quid sequatur & conticesce. *Hoc tamen fallit in casibus, in quibus nullus absolvere potest, nisi in mortis articulo...* Cur? *quia* (pergit Sylvester) *in talibus non solum inferior, sed* NEC EPISCOPUS *absolvere potest*. Anne deinceps Vivam? anne Suarium oscitantiæ accusabis? „

VI. Illud autem ex Tamb. l. 2. in dec. cap. 3. §. 8. dicitur perpetuum impedimentum, quod est admodum longum, v. g. quinque, vel decem annorum, quia in illo valde longo impedimento moraliter subest mortis periculum: dicitur vero impedimentum temporale, quoties non censetur adesse morale mortis periculum, ut si quis per unum, vel alterum diem deberet expectare copiam Confessarii habentis facultatem delegatam. Et quamvis Mendoza 2. 2. d. 83. s. 7. apud Dian. p. 5. tr. 13. res. 8. inclinet ad dicendum, quod una nox sit longa mora, unde possit quis ab inferiore absolvi a reservatis cum onere, quia sæpe homines dormiendo decedunt, quod innuit Christus D. iis verbis, *Stulte hac nocte repetent animam tuam a te*; id tamen nullatenus videtur admittendum; aliter etiam una hora esset gravis mora, quia etiam ea hora potest homo decedere: Quare prudentis judicio spectanda est, pensatis circumstantiis, moræ hujus longitudo, ratione cujus possit inferior absolvere cum onere a reservatis.

VII. Dubitant ulterius DD., num sicut potest Episcopus a casibus etiam publicis Bullæ Cœnæ absolvere, quando datur impedimentum adeundi Pontificem, eodem prorsus pacto possit alius Confessarius, si detur pariter impedimentum adeundi Episcopum, tam in casibus Pontifici, quam in casibus ipsi Episcopo reservatis? Negant Vasq., Nav., ac Suar. disp. 30. de Pœn. s. 3. cum hoc in jure non exprimatur. Affirmant tamen probabiliter Perez, Boss., Dicastill., Gran., Dian. p. 11. tr. 8. res. 49.; Militat enim eadem ratio, quod scil. reservatio non esset in ædificationem, sed in destructionem: quare sicut censetur Pontifex annuere, quod possit Episcopus absolvere a casibus Bullæ Cœnæ in casu necessitatis etiam extra mortis articulum, *ne pro dilatione pœnitentiæ immineat periculum animarum*; ita censetur etiam annuere, quod possit alius Confessarius, si nec possit Episcopus adiri. Quinimo ex Palao, Henr., Sanch. apud eundem Tamb. contra Bonac. de cens. disp. p. q. 3. p. 2. apud Dian. p. 4. tr. 1. res. 58. & p. 7. tr. 10. r. 23., quamvis possit pœnitens per epistolam, aut per nuncium petere ab Episcopo facultatem, ut absolvatur, ad id tamen non tenetur; quia textus solum obligat ad adeundum Superiorem, non ad alias faciendas diligentias; unde qui sine difficultate, & mora non potest Superiorem adire, poterit tanquam in casu necessitatis constitutus absolvi modo explicato ab Inferiore. Quod si urgeat necessitas Communionis ad vitandam infamiam, aut scandalum, si hic & nunc non communicet habens reservata, poterit pariter a Confessario inferiore non habente facultatem in reservata absolvi cum onere, ut docent Suar. disp. 66. de Euch. sect. 4., Laym. de Pœnit. c. 12., Nav., Soto: Esto etiam possit cum sola contritione ad communionem accedere juxta doctrinam Vasq. de Euch. disp. 206. c. 2., & aliorum apud Tamb. de Comm. c. p. §. 4. vel etiam dimidiare confessionem, aperiendo inferiori solum non reservata, ut docet probabiliter Lugo de Euch. disp. 14. sect. 5. Palaus, Cord.: cum enim nequeat hic Confessarius a reservatis absolvere, videntur frustra ea clavibus subjici: Quamvis autem hujusmodi Confessio esset materialiter dimidiata, esset tamen formaliter integra, non secus ac quando reticetur aliquod peccatum propter grave nocumentum, quod ex Confessione timetur.

Equidem tamen in praxi non puto recedendum a sententia Suarii, Vasq. Bonac. Navar., quo etiam videntur alii Doctores communius collineare, videlicet, quod impeditus adire personaliter Pontificem, ut a reservatis absolvatur, possit ab Episcopo absolvi, prout in Jure exprimitur, quin teneatur adire Pontificem per Epistolam, aut per Internuntium; cum id sit perdifficile, & ferat diuturnitatem. Contra vero impeditus adire Episcopum non possit ab Inferiore absolvi, (nisi forte indirecte, & cum onere, si non possit V. G. hic & nunc aliter a Communione sine nota abstinere) sed teneatur adhibere alias diligentias, quas de facili proculdubio poterit, ad impetrandam ab Episcopo, aut ejus Vicario facultatem, ut ab alio possit absolvi; nisi malit ad Sacram Pœnitentiariam per Epistolam occurrere. Et ratio a priori est, quia universim qui præcipit finem, præcipit indivisim media, dummodo non sint admodum ardua ad finem obtinendum necessaria: Et in tantum qui tenetur adire Pontificem, ut a reservatis absolvatur, si nequeat personaliter adire, non tenetur adire per Epistolam, aut per Internuncium, inquantum in jure cautum est, quod possit Episcopus h. m. impeditos absolvere, ut notat Lugo disp. 20. n. 228., eo quod per Epistolam, aut Internuncium adire Pontificem ferat de se arduitatem, & moram, quæ tamen non habentur relate ad eos, qui nequeunt adire Episcopum personaliter. Et ratio ulterior est, quia aliter vis omnis reservationis plane enervaretur, quandoquidem passim viri, sæpissime ac fere semper mulieres, & præsertim Moniales nequeunt absque nota personaliter adire Episcopum, ut a reservatis absolvantur; Qua de causa non semel Pontifices sub gravibus pœnis vetuere, ne simplices Sacerdotes audeant quenquam a reservatis absolvere sub prætextu, quod aliquis laboret impedimento adeundi Episcopum personaliter; etenim, ut habetur in Trid. sess. 14. c. 7. extra mortis articulum nihil possunt Sacerdotes in casibus reservatis. Non negaverim tamen, quod si citra grave incommodum, & longam moram nullatenus possit ab Episcopo ea facultas obtineri, tunc possit Inferior absolutionem impertiri, *Ne pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; cum onere tamen, ut ea facultas procuretur, ubi commode fieri poterit; exceptio enim illa, ne quis a reservatis absolvat, nisi in mortis articulo, ab ipso jure ad hunc etiam casum extenditur, ut advertit Suarius disp. 30. de Pœn. sect. 3. n. 9., eo quod in diuturno tempore imminere possit periculum mortis.

VIII. Difficultas est, An qui absolvitur ab inferiore occasione alicujus impedimenti a reservatis non habentibus annexam excommunicationem, absolvi debeat cum onere procurandi deinde absolutionem directam a Superiore? Videtur negare Lugo disp. 20. de Poen. sect. 10. intantum enim absolutio a casu reservato habente annexam censuram dari potest cum eo onere sub pœna reincidendi in eandem censuram, quia potest eadem censura ob novum peccatum iterum incurri; at nequit peccatum semel absolutum iterum contrahi; ergo dispar ratio. Sed dicendum opinionem Cardinalis de Lugo habere locum, quando absolutio a reservatis non habentibus annexam censuram confertur ab inferiore habente a jure facultatem absolvendi ab illis in casu impedimenti; ut potest quilibet Sacerdos in articulo mortis, & Episcopus, quando non potest pœnitens adire Pontificem: tunc enim absolutio confertur directe, atque adeo sine onere: Quando vero absolutio confertur ab inferiore non habente a jure facultatem absolvendi a reservatis in casu impedimenti, ut accidit, quando quis v. gr. urgente necessitate communionis confitetur reservata inferiori impotens adire Superiorem: tunc absolutio a reservatis est indirecta, atque adeo remanet onus subjiciendi ea iterum clavibus, ut absolvantur directe, non secus ac si fuissent oblita.

IX. Dubitatur demum, in quonam alio casu possit Episcopus, vel alius Confessarius absolvere ab hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœnæ.

Resp. posse; Primo, si hæresis, vel alius casus reservatus fuerit tantum internus, ut docent Lugo de Poen. disp. 20. sect. 2. Azor. l. 8. c. 19., & alii; quia Ecclesia de facto non reservat peccata mere interna; quicquid sit, an possit ea reservare; in quo variant DD. Probabilius est, quod possit, eo pacto, quo de facto reservat sibi Pontifex dispensationem aliquorum votorum, etiamsi sint mere interna; & ita communius docent cum Suar., Vasq., Lugo, Perez. Actus mere internos cum non possit Ecclesia cognoscere, eos directe non potest præcipere, & prohibere, vel punire, ut habetur in cap. *Tua nos*, & cap. *Sicut tuis*, de Simonia: unde censura non incurritur ob meram hæresim internam: at peccata interna sicut potest Ecclesia absolvere sacramentaliter, ita potest retinere, & reservare, quamvis de facto non reservet ob suavem, ac prudentem, qua utitur, gubernationem, ut ostendit Martinus Perez disput. 46. sect. 2.

Secundo, casus Bullæ Cœnæ, ac omnes alii reservati a quolibet Confessario absolvi possunt, si peccatum externum sit leve, quamvis internum sit grave, ut docet Lugo d. 20. sect. 2. de pœnit. Suar., Henriq., Gran., Perez contra Turrianum. Ratio est, quia reservatio debet esse commensurata gravitati culpæ, quæ reservatur, atque adeo si culpa interne gravis sit, externe levis, non est reservata; propterea nec incurritur censura propter hujusmodi peccatum, v. g. qui leviter Clericum percutit, cum intentione percutiendi graviter, excommunicationem non incurrit; quamvis enim peccatum illud externum denominetur grave a peccato interno gravi, quia tamen reservatur, & punitur, prout est in se, & prout spectat ad forum externum, sub qua consideratione est actio leviter mala, ideo non subest reservationi, aut censuræ.

Tertio, absolvi pariter possunt a quolibet Confessario in casu dubio, ut communiter docent cum Suar. disp. 50. de Cens. sect. 5. Lugo, Filliuc., Perez contra Armill., & Cord. quia ex Reg. 15. Juris in 6. *Odia sunt restringenda, favores amplianđi*: Sicut etiam reservatio votorum ad vota certa restringitur, & censura non incurritur propter delictum dubium. Regula illa Juris, *In dubio tutior pars est eligenda*, concilianda est cum illa alia Regula Juris, *In dubio melior est conditio possidentis*: atque ideo intelligenda illa est tantum de dubio practico: qui enim practice dubitat, num liceat aliqua operatio, sequi debet partem tutiorem; aliter exponit se periculo errandi, & qui amat periculum, peribit in illo; in aliis dubiis ex consilio, non ex præcepto tutiorem partem eligimus, ut notat Suar. de cens. Nav., Soto, Sylv. Ideo in dubio homicidii incurritur irregularitas, quando scil. certa est actio de se occisiva, quæ cum mortali interno fuit posita, & dubitatur, an homicidium causatum fuerit a tali actione; Et ideo in cap. *Perlectis* reservatur percussio Clerici in dubio, an sit gravis, quia in utroque casu peccatum supponitur certum, & lex exprimit, quod etiam in iis dubiis pœna incurratur; Sicut olim ante decretum moderatorium Clem. VIII. exprimebatur a Pontifice, quod nemo posset a delictis in Bulla Cœnæ contentis absolvere, etiam in casu dubio: Cum autem de facto id non exprimatur; sequitur reservationem non incurri in casu dubio, sive dubium sit juris, quando scil. dubitatur, an aliquis casus in ea lege contineatur, sive dubium sit facti, quando scil. dubitatur, an hujusmodi delictum sit patratum? Universim enim, quando dubium est facti, reservatio, aut alia pœna non incurritur; aliter pro delicto dubio daretur pœna certa, unde pœna non corresponderet culpæ; ut proinde multi probabilius doceant peccatum etiam negative dubium non esse subjiciendum clavibus; quamvis in hac re non pauci DD. aliter sentiant; cum potuerit Christus ita instituere Sacramentum, ut ad illud etiam delicta dubia deferrentur; sicut in omnium sententia etiam de delictis dubiis tenemur dolere, ne in dubio etiam sit nostra salus.

Quarto, ab hæresi absolvi potest per quemcunque Confessarium, nec non ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, qui invincibiliter ignoravit iis annexam esse excommunicationem; excommunicatio enim invincibiliter ignorata non incurritur, cum prærequiratur ad excommunicationem incurrendam contumacia, seu legis contemptus: ubi vero lex Ecclesiastica imponens excommunicationem ignoratur, cessat contumacia, unde excommunicatio non incurritur, ut probabilius docent Suar., Soto, Sanch., & alii plurimi apud Conich. disp. 13. de cens. dub. 10. contra Scotum, Rosellam, & alios apud Dian. p. 3. tract. 6. res. 141. Cum autem casus Bullæ Cœnæ, imo omnes casus Pontificii sint reservati de facto, quia annexam habent excommunicationem reservatam ut docet Sanch. l. 2. c. 8. & 11., & Palaus tr. 4. d. 4. p. 3., ideo ignorata invincibiliter excommunicatione, sicut ea non incurritur, ita nec incurritur reservatio, unde potest quilibet Confessarius ab iis absolvere. Quod si ignorantia fuerit crassa, vel supina, & multo magis si sit affectata, censura incurritur; dicitur enim in c. *Ut animarum* de constitution. in 6. Statutis Ordinariorum non ligari ignorantes, nisi eorum ignorantia sit crassa, vel supina: quicquid sit graviter culpabilis, sed ad crassam, vel supinam non perti-

tingat? quod Sanch. l. 9. dis. 32. Portel. contra Sotum, & Suar. apud Dian. p. 3. tr. 5. res. 13. admittunt.

Quinto potest probabiliter quilibet Confessarius absolvere ab hæresi, quæ sit tantum externa, & non sit interna; ut si quis ob metum, vel subitam iram aliquid contra fidem operatus, aut locutus fuerit citra ullum errorem in intellectu contra ipsam fidem: hoc enim cessante, peccatum non est proprie hæresis, quamvis sit gravissima culpa contra externam confessionem fidei; unde probabiliter excommunicatio Bullæ Cœnæ non incurritur, ut docent Suar., Sanch., Fagund., Tolet., Filliuc., & alii apud Dian. p. 3. tr. 4. res. 143., & p. 4. tr. 4. res. 240. quamvis hic in foro externo præsumatur hæreticus, unde denunciandus, & puniendus sit.

Sexto, qui absolutus tempore Jubilæi oblitus fuit casum aliquem Bullæ Cœnæ, poterit deinde absolutionem directam a quocunque Confessario obtinere; quicquid sit, utrum idem dicendum etiam de casu hæresis. Etenim DD. non conveniunt, an tempore Jubilæi, quando conceditur facultas absolvendi etiam a casibus Bullæ Cœnæ, concedatur pariter facultas absolvendi etiam ab hæresi, quæ est primus casus in ea Bulla? Communius autumant, quod sicut concessa facultate absolvendi ab omnibus reservatis, non intelligitur concessa facultas absolvendi etiam a casibus in Bulla cænæ reservatis. quia cum habeant hi casus reservationem specialem, indigent speciali mentione, ut intelligatur ea facultas concessa, ut communissime docent contra Palaum, & alios apud Dian. p. 5. tr. 12. res. 34.; ita concessa facultate absolvendi ab omnibus casibus Bullæ cœnæ, non intelligitur concessa facultas absolvendi ab hæresi, quippe quæ habet specialissimam reservationem, unde indiget etiam mentione speciali, ut tenent Suar. d. 7. de Censur. sect. 5. Vasquez, Pal., Avila apud Dian. p. p. tr. 5. r. p. contra eundem Suar. de Fide dis. 21. Fagund., Soto, Cordubam, Regin., Gobat., & alios recentiores.

PROPOSITIO IV.

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter ipsam incursa.

S Y N O P S I S.

I. Vi suorum Privilegiorum videntur posse Prælati Regulares absolvere ab hæresi occulta in foro conscientiæ. II. Constat tamen id falsum esse, tum ex declaratione S. Congreg., tum etiam quia hujusmodi privilegium olim Prælatis Regularibus concessum non erat in ordine ad sæculares, sed solum relate ad subditos suos.

III. Verum nunc temporis ne subditos quidem absolvere possunt ab hæresi occulta. IV. Idemque communius docent de aliis casibus occultis Bullæ Cœnæ, esto non habeant adeo strictam reservationem.

V. Quid requiritur, ut delictum dicatur occultum?

VI. Recensentur nonnullæ Prælatorum Regularium facultases in ordine ad absolvendum, & dispensandum cum suis subditis. VII. Possuntne Prælati Regulares, citra approbationem Episcopi, sæcularium confessiones audire?

I. EXponitur. Putarunt nonnulli cum Samuello de elect. tr. p. d. p. contr. 11. ex Mariscotto lib. 2. var. cap. 38. n. 41. posse Prælatos Regulares ex vi suorum privilegiorum absolvere ab hæresi occulta non solum subditos, sed etiam sæculares. Ratio videtur esse primo, quia Prælati Regulares, ut habetur in Comp. Privil. V. *Absolutio*, §. 6. absolvere possunt omnes subditos, necnon volentes ingredi in Religionem, atque adeo sæculares ab omnibus peccatis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis, exceptis iis quatuor, quæ continentur in Bulla Sixti IV. videl. relapsu in hæresim, schismate, literarum Apostolicarum falsificatione, & delatione prohibitorum ad infideles: quamvis volentes ingredi in Religionem, & absolvi, nisi mox ingrediantur, statim in pristinas sententias reincidant, ut habet Paulus III. in lit. Apost. pag. 40.: Cum autem exceptio firmet regulam, ut advertit Suar. t. 4. de Relig. l. 4. cap. 21. fit, quod Prælati Regulares absolvere eos sæculares possint a primo lapsu, si minus a relapsu in hæresim.

Secundo, quia ex Bulla Julii III. anno 1552., quæ incipit *Dilecte Fili*, potest Præpositus Generalis Societatis Jesu tam per seipsum, quam per Professos idoneos ab ipso deputandos absolvere in foro conscientiæ quoscumque a Casibus hæresis, & aliis contra fidem, & a consequentibus censuris quibuscumque: quæ facultas in Privilegiis Societatis, V. *Absolutio*, §. 3. communicatur Provincialibus extra Hispaniam, ubi sunt Inquisitores cum potestate subdelegandi in casibus particularibus. Addidit deinde Gregor. XIII. vivæ vocis oraculo, quod nullæ Societatis facultates censeantur revocatæ per Bullam Cœnæ Domini, ut habetur in iisdem Privil. V. *Bulla Cœnæ*; §. 2. Et quamvis vivæ vocis oracula fuerint ab Urb. VIII. revocata; putant tamen Peyrin. t. 3. privil. in Addit. ad 18. Constit. Urb. VIII. c. 12. vivæ vocis oracula olim concessa transiisse in Privilegia Bullata, tum per Bull. Greg. XIII. concedentis PP. Minimis 10. Octob. 1575. omnia Privilegia aliis concessa etiam vivæ vocis oraculo, tum per Bullam Pauli V. eodem ferme pacto confirmantis an. 1605 omnia Privilegia Dominicanis concessa etiam vivæ vocis oraculo, tum demum per Bullam Gregor. XV. confirmantis PP. Theatinis omnia privilegia, iis etiam per communicationem aliarum Religionum concessa: ergo Prælatis Regularibus competere videtur facultas absolvendi sæculares ab hæresi in foro conscientiæ.

Confirmatur; quia ex doctrina Portel. de dub. Regul. V. *Abbas*, Sousæ, & Peyrini t. 3. c. 2. n. 38. per Bullam Cœnæ revocantur Privilegia Regularium solum quoad absolvendum ab iis casibus publicis, & notoriis, non vero occultis. Quod ex eo videtur colligi; tum quia Privilegiorum revocatio est stricte interpretanda, ut notat Henr. l. 7. cap. 30. in com. lit. G., tum etiam, quia passim docent cum Sanch. l. 4. mor. c. 54. n. 27. illos quinque casus Clem. VIII. nempe Percussionem Clerici, Duellum, Violationem immunitatis Ecclesiæ, & Clausuræ Monialium, ac Simoniam realem, & Confidentiam beneficialem, solum reservari, si sint publici; non vero si sint occulti; quando enim sunt occulti, sunt casus Episcopales reservati Episcopis a jure, unde

unde ab iis possunt Regulares probabiliter absolvere; ergo quamvis utrumque præfatum Privilegium revocatum fuerit per Bullam Cœnæ relate ad absolvendum sæculares ab hæresi publica, non tamen ab occulta, & pro foro conscientiæ.

II. Ostenditur nunc falsitas confixæ thesis; tum quia Congregatio Cardinalium 17. Novembris 1628. apud Mendo in Epitome, V. *Prælatus Regularis*, num. 1. declaravit non posse Prælatos Regulares absolvere ab hæresi occulta subditos, ergo a fortiori nec sæculares; tum etiam, quia si Suar. loc. cit. Rodriq. Peyrinum audiamus, Prælatis Regularibus concessa olim fuit facultas absolvendi ab hæresi solum subditos suos; unde vi talis privilegii non poterant sæculares absolvere ab hæresi, nisi solum ingredi volentes in Religionem, ita ut si mox non ingrederentur, statim reinciderent.

Quod dicitur de Privilegio concesso Præposito Generali Societatis Jesu, non est ad rem, quia illud non conceditur Prælatis Regularibus qua talibus, sed solum Generali Societatis, & per communicationem Privilegiorum aliis Generalibus, ut docet Peregrinus apud Dian. p. p. tr. 5. ref. 6. quidquid sit de doctrina illa Peyrini, quod vivæ vocis oracula usque ad annum 1621. transierint in privilegia Bullata, quam acriter impugnat Bordonus t. 2. ref. 31.

Ad confirmationem, illa doctrina Port. Sousæ, & Peyr. communiter non admittitur, quia cum per Bullam Cœnæ revocetur facultas a Tridentino concessa Episcopis quoad absolvendum ab iis casibus, si sint occulti, revocatur pariter facultas concessa Regularibus relate ad eosdem. Utrum autem Regulares probabiliter possint absolvere a casibus illis Clem. VIII., si sint occulti, dicemus in Expositione duodecimæ propositionis.

III. Dubitatur tamen, An possint Prælati Regulares absolvere subditos suos ab hæresi occulta? & an possint etiam Sæculares absolvere ab aliis casibus Bullæ Cœnæ, cum neutrum in hac propositione damnetur?

Respondeo, nonnullos apud Dian. l. c. & p. 8. tr. 7. ref. 50. cum Peyrin. Peregr. Bauny p. 2. de Cens. disp. 3. tr. 2. qu. 26. & aliis docere, quod possint Prælati Regulares absolvere subditos ab hæresi occulta, ex privilegiis concessis Ordini Prædicatorum, & Minorum, nec non Societ. Jesu, V. *Absolutio*, §. 7. Nec revocari ea privilegia per Bullam Cœnæ, docet Rodr. t. p. q. 20. num. 9. Imo quamvis per Bullam Cœnæ revocetur quoad hoc facultas Episcopis, non revocari tamen hoc privilegium Regularium per eandem Bullam putat Megala in pr. p. l. p. c. 12. apud eundem Dianam. Sed negandum id posse Regulares, ut constat tum ex Declar. S. Congr. 17. Novembris 1628. apud eosdem Auctores, tum quia si non possunt Episcopi ab ea absolvere subditos suos juxta superius dicta, nec poterunt Prælati Regulares.

IV. Quod spectat ad alios casus Bullæ Cœnæ, qui non habent adeo strictam reservationem, ut habet hæresis; videtur idem dicendum; tum quia Clem. VIII. & Urban. VIII. apud Peyr. loc. cit. expresse Regularibus prohibuerunt absolutionem a casibus Bullæ Cœnæ; tum etiam quia cum sublata fuerit ea facultas ab Episcopis per Bullam Cœnæ juxta dicta in expositione propositionis antecedentis, videntur pariter quoad hoc revocata privilegia Regularium etiam relate ad suos subditos. Et quamvis contrarium doceant Villal. Sousa, Bauny apud Dian. l. c., & p. 6. tr. 7. ref. 63. & p. 9. tr. 7. ref. 50. putantes in ea Bulla Regularibus prohiberi dumtaxat absolutionem ab illis casibus *prætextu privilegiorum*, ut ibi expresse habetur, non vero ratione privilegiorum: unde si re vera extet privilegium Prælatis Regularibus concessum absolvendi subditos, illud per Bullam Cœnæ non revocatur: Hæc tamen ratiocinatio non subsistit; probaret enim, quod neque sublata sit ea facultas ab Episcopis per Bullam Cœnæ, quibus procul dubio concessa olim fuerat a Trid. sess. 24. c. 6. cum pariter in Bulla Cœnæ dicatur prohiberi omnibus absolutio ab iis casibus *prætextu facultatum*, non vero ratione facultatum per cujusvis Concilii decreta concessarum.

Neque dicas cum Peyr., & aliis., in Bulla Cœnæ revocari facultatem traditam Episcopis a Trid. relate ad illos casus occultos, quia solum relate ad illos casus erat iis concessa. At Prælatis Regularibus concessa fuerat facultas absolvendi suos subditos ab iis casibus etiam publicis; propterea quando hoc privilegium per Bullam Cœnæ revocatur, intelligendum est revocari solum relate ad casus publicos, quia ex Henr. l. c. privilegia Regularium interpretanda sunt instar juris communis, ita ut iis derogetur quam minimum fieri potest. Et eodem modo prohibitio illa Clem. VIII., & Urbani VIII. ne Regulares absolvant a Casibus Bullæ Cœnæ, intelligi potest ne absolvant sæculares, aut subditos suos ab iis casibus notoriis, non vero ab occultis.

Nam quamvis hoc ab aliquibus admittatur cum Naldo, Bordonio, communiter tamen rejicitur, quia videtur concedenda major facultas Prælatis Regularibus relate ad subditos suos, quam Episcopis relate ad suos, esto olim habuerint privilegia ampliora. Imo nonnemo cum Pelliz. tr. 7. c. 4. sect. 2. num. 80. putat, etiam de facto Mendicantes posse absolvere a casibus Sedi Apostolicæ reservatis, etiam publicis, dummodo non sint casus Bullæ Cœnæ, aut sex illi casus Clem. VIII., ubi Episcopi ab iis absolvere nequeunt, nisi sint occulti, ex Trid. loc. cit. Huic tamen sententiæ non acquiesco, quia facultas ista a Regularibus videtur sublata vi decreti Pauli V. ann. 1617. ut dicemus in expositione propositionis 12.

V. Ubi notandum, illud dici *Occultum*, quod non est notorium, nec deductum ad forum contentiosum, ita scilic. ut sit delatum Judici, intimatum parti, & lis sit contestata. Difficultas tamen est, quid veniat nomine *Notorii?* Avila p. 2. c. 6 dist. 2. dub. 9. ex Navar. Soto putat, percussionem v. gr. Clerici non dici publicam, seu notoriam, si facta fuerit in magna Civitate coram decem, vel duodecim, secus vero si fuerit in parvo Oppido; quia scil. ad notorietatem requiritur, quod innotescat majori parti, non quidem totius Civitatis, sed viciniæ, plateæ, Parœciæ, Collegii, Monasterii, &c. ut notat Less. l. 2. c. 11. num. 73. qui verius putat juxta frequentiam loci prudentis judicio decidendum esse, quando delictum dici possit publicum, & notorium. Absolute tamen non est censendum publicum in uno loco, quod est publicum in alio, nisi facile ad illum notitia sit perventura.

VI. Quod si quæras hic, quam facultatem habeant Prælati Regulares in ordine ad absolvendum, ac dispensandum cum subditis suis, & quam relate ad Sæculares.

Respondeo cum Suar. t. 4. de Relig. l. 2. c. 15.

Præ-

Prælatos Regulares jure ordinario, quatenus scilic. sunt Ordinarii Pastores, posse ex vi sui muneris subditos ab omnibus iis culpis, censuris, ac pœnis Ecclesiasticis absolvere, & in iis omnibus dispensare, in quibus possunt Episcopi cum subditis suis. Ratio est, tum quia id spectat ad exemptionem Religiosis concessam; tum etiam quia ex decreto Pii V. & ex Cap. *Abbates* de Privil. in 6. omnibus Prælatis Regularibus Ecclesiastica, & quasi Episcopalis jurisdictio competit: ubi Glossa notat, hanc potestatem dici quasi Episcopalem, quia non extenditur solum ad actus, qui sunt proprii Ordinis Episcopalis. Non possunt tamen ab ea excommunicatione subditum absolvere, quam Episcopus tulerit in casu sibi permisso contra Regularem, si eam sibi Episcopus reservavit, ut notat Suar. loc. cit. cap. 25. Utrum autem vigore suorum privilegiorum dispensare possint in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto? discutit Dian. p. 7. tr. 11. ref. 41. sicut etiam, an dispensare possint super privatione vocis activæ, & passivæ, aut officiorum, ac dignitatum, & in inhabilitate ad illa, aliisque similibus Ecclesiasticis pœnis.

Jurisdictionem immediatam in subditos suos habent tam Generales, & Provinciales, quam Superiores locales ex Suar. loc. cit. quamvis in aliquibus Religionibus jurisdictio Superiorum localium sit restricta, ut proinde Parochis potius comparentur, quam Episcopis: sic in Societate Jesu facultas excommunicandi reservata est Provincialibus. Universim possunt Prælati Regulares dispensare cum subditis in votis, ac relaxare juramenta: dispensant etiam in votis juratis in favorem tertii, si fiant principaliter in honorem Dei, & locus pius, seu pauper solum designetur tanquam materia, circa quam cultus Divinus exhibendus est, ut docet Sanch. l. 4. cap. 41., secus vero si vota illa sint directe in favorem tertii, & ab eo fuerint acceptata; cum non possint Prælati in præjudicium tertii dispensare; siquidem neque ipse Pontifex semper lædere potest jus alienum.

Pariter dispensant cum subditis suis in præceptis Ecclesiæ, juxta generalem regulam a DD. traditam apud Suar. t. 2. de Rel. l. 2. c. 39. *Quicquid jure communi in hoc genere possunt Episcopi circa suos subditos, possunt Prælati Regulares circa suos.* Et ratio est, quia ad jurisdictionem quasi Episcopalem, quam habent, ea potestas est maxime necessaria. Præterea possunt cum Religiosis subditis, instante necessitate, dispensare, quod die festo exerceant opera servilia; sicut etiam, ne recitent ad tempus aliquod horas Canonicas, quando scil. occurrit aut ægritudo, aut grave tædium, seu difficultas; & similiter in Jejunio, ac cibis vetitis, & in regularibus observantiis; nisi forte aliqua illarum reservata sit Superioribus tantum mediatis. Verum in Societate ex Bulla speciali Gregor. XIII. Prælati inferiores solum possunt dispensare in iis, quæ sibi a Generali conceduntur, ita ut censeatur reservatum, quod non est specialiter concessum; ubi in aliis Religionibus censetur concessum, quod non est specialiter reservatum.

VII. Quod autem attinet ad facultatem Prælatorum Regularium erga Sæculares exercendam, docent Henriq., Boss., Valer., Med., Bannez apud Dian. p. 2. tr. 26. ref. 44. eos posse Confessiones Sæcularium audire etiam citra approbationem Ordinarii: quia Tridentinum exigit hanc approbationem, ubi desit Beneficium Parochiale; Prælati autem Regulares, cum habeant curam animarum, habent suo modo Beneficium Parochiale, atque adeo videntur excipi. Hanc tamen doctrinam jure merito rejicit Suar. dist. 28. de Pœn. sess. 8. Rodr., & alii communius, quia Tridentinum de omnibus Regularibus ait, non posse Sæcularium Confessiones audire sine Episcopali approbatione, quin excipiat Prælatos, qui quamvis curam habeant animarum, non proinde dicuntur habere Beneficium Parochiale in sua propria significatione, ut debet accipi. Ex quo fit; non posse hujusmodi Prælatos eligi in Confessarios per Jubilæum sine approbatione Episcopi, ut docent etiam communius contra Boss., & alios apud Dian. p. 5. tract. 12. ref. 52. putantes, quod sicut potest per Jubilæum, aut per Bullam eligi Pœnitentiarius, quamvis ab Episcopo non approbatus, imo aliquando nec electus ab Episcopo, (ut contingit, quando eligitur a Capitulo contra Episcopi voluntatem) quia eo ipso ac constituitur Pœnitentiarius, intelligitur approbatus ad Confessiones audiendas, ita a fortiori Prælatus Regularis, quippe cui cura animarum demandatur ut Parocho, quæ non demandatur Pœnitentiario.

PROPOSITIO V.

Quamvis evidenter constet tibi Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

SYNOPSIS.

I. Videtur cessare onus denunciandi hæreticum, si probare non possis, tum quia cessat denunciationis finis; tum etiam quia contra justitiam est crimen occultum detegere; tum demum, quia ex præcepto Christi Domini delicta occulta clanculum corripienda. II. Hæc tamen nihil evincunt, eo quod hæresis ut cancer serpat; ac proinde antequam lues hæc grassetur, extinguenda est etiam cum aliquali delinquentis infamia ob publicum bonum. III. Aliter fere nunquam Confessarii sollicitantes possent denunciari. Accusator, qui petit jus suum, tenetur probare delictum, non vero denunciator, qui bonum publicum unice respicit. IV. Finis denunciationis non est Rei punitio, sed veneni extinctio; nec cessat hic finis, etiamsi delictum probari non possit. V. Non est contra justitiam hæc crimina occulta denunciare, quia bonum publicum præferendum est privato. VI. Correctio fraterna tunc ex Christi D. præcepto præmittenda est, quando speratur emendatio, non vero in casu nostro. VII. Hinc similiter, nulla prævia correctione, denuncianda sunt crimina occulta, quæ vergunt in damnum gravissimum Reipublicæ.

VIII. Etiamsi sub sigillo naturali sciantur, & sub juramento ea non detegendi. IX. Si spes sit emendationis, correctio fraterna non est omittenda; & simul satisfaciendum est præcepto denunciationis. X. Quid si constet hæreticum esse emendatum? XI. Quid si denuncianti immineat grave damnum? XII. Non requiritur ad denuntiationem, quod præcedat infamia.

XIII. Hæreticus dogmatizans etiam a filio, necnon a complice denunciandus est. XIV. Num sit facienda denunciatio, si delictum audiatur a personis fide dignis? num etiam si audiatur a levibus? XV. Quænam delicta præter hæresim denuncianda sint?

I. Ex-

I. EXponitur. Docuerunt plurimi apud Mendo differ. 1. q. 10. & Dian. p. 1. tr. 4. ref. 3. cum Bauny, Reginaldo, Megala, Candido, de la Cruz, (*a*) & aliis, cessare in hoc casu obligationem denunciandi: Primo quia ex l. *Divus* & l. *ab Accusatore de Senatus consul. Turpil.* tenetur denunciator suam denuntiationem probare, saltem insinuando testes sufficientes; ut tradit Jul. Clar. q. 7. pract. crim.

„ (*a*) De Viva queritur P. Milante, queritur „ Patuzzius *Tom.* 3. *p.* 431, quod falso hujus da- „ mnatæ thesis adsertoribus adscripserit Candidum, „ & de La Cruz. Mihi copia non est eos consu- „ lendi. Unum hoc dico, debuisse Milantem, de- „ buisse Patuzzium inter hæc duo distinguere, abso- „ lute pro aliqua sententia quempiam citare, & „ citare illum ut ab alio citatum, quemadmodum „ hic Viva *apud Mendo*, & *Dianam*. Si absolute „ aliquem citas pro quapiam sententia, teneris illum „ in fonte consulere, ne ei falsam impingas doctri- „ nam; nec satis te excusas, si reprehensus dicas, „ te illum pro ea sententia citatum ab aliis inve- „ nisse, debueras enim primum quos sequutus sis au- „ ctores, proferre; si illum citas ut ab alio citatum, „ non teneris ipsum auctoris librum conferre; cui „ enim tantum ocii sit, ut omnes auctores suis ip- „ se oculis legat? Sed si erras, erroris tui quemad- „ modum culpam ille habet, qui primus citavit, „ ita & is pœnas det, oportet.

Secundo, quia cessat in hoc casu finis denunciationis, cum non possit reus puniri, aut corrigi, nisi constet de ejus delicto.

Tertio, quia reus exponitur certæ infamiæ ob spem incertam emendationis.

Quarto, quia ex doctrina Soti lib. 5. de justitia, quæst. 5. tam est contra justitiam appingere alicui crimen falsum, quam propalare occultum: cum in jure falsum, & occultum crimen æquiparentur, & relate ad forum externum idem sit delictum non apparere, ac non esse.

Denique, quia Christus Dominus vult secreta crimina corrigi, juxta illud Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, hoc est, *coram te*, ut ibi explicat August. *corripe illum inter te*, & *ipsum solum*.

II. Ostenditur falsitas ex Suarez dist. 20. de fide sect. 4. Fagund., Laym., & aliis communissime. Hæresis est malum gravissimum simul, & contagiosum, quod opponitur bono fidei, & publicæ saluti; etenim ex Apostolo 2. ad Timoth. 2. ut cancer serpit, & suo contagio facile alios inficit: ergo specialissima illi medela est adhibenda; atque adeo etiamsi probari non possit hæreticus, adhuc est denunciandus, si de ejus hæresi constet; ad hoc ut (accedentibus aliunde aliis notitiis) possit Judex de illo inquirere, ut statim lues extinguatur, antequam grassetur. Huic tam ingenti bono Fidei, & publico posthabendum est bonum privatum, & subeunda illa aliqualis infamia Rei occulti, & incommodum denunciantis, qui facile posset existimari calumniator.

III. Confirmatur; quia aliter fere nunquam fœmina teneretur Confessarium sollicitantem denunciare; cum fere nunquam hujusmodi delictum probari possit. Adde ex Suar. loc. cit. solum accusatorem teneri probare delictum, quia accusator petit potius jus suum, quam bonum commune; Secus vero denunciator, ex cap. *Super his* de accusat.

IV. Ad primam rationem in contrarium fit satis dicendo, crimina gravissima, & contagiosa ab ea communi lege excipi, ut notat Valent. t. 3. disp. 3. q. 10. p. 5. cum aliis plurimis, quia jactura boni publici, quæ timetur, prævalere debet jacturæ privati boni.

Ad secundam, Non cessat finis legis ad denunciandum hæreticum obligantis, etiamsi probari non possit: Non enim denunciandus solum, ut puniatur, sed ut supervenientibus aliunde aliis notitiis possit de eo inquiri, & ne cancer serpat, cohiberi.

Ad tertiam, quamvis spes emendationis sit incerta, certus tamen est timor gravissimi mali publici, & virulenti, qui præferendus certæ illi aliquali infamiæ privatæ.

V. Ad quartam, Non est contra justitiam, sed rationi consonum præferre bonum ingens publicum bono privato, quod fit denunciando hæreticum occultum. In jure delictum falsum, & occultum in hoc tantum æquiparantur, quod neutrum puniri possit; cæterum crimen falsum nunquam licitum est alteri appingere; at crimen occultum tunc est contra justitiam revelare, quando infamia illius privati non conducit ad altius bonum.

VI. Ad ultimam varii varia apud Suarium loco laudato. D. Thom. docet, Christum D. locutum esse de crimine privato, cum dixerit, *Si peccaverit in te*; non de crimine adversus bonum publicum, & a fortiori si crimen Fidei opponatur. Suarius vero putat imponi a Christo Dom. correctionem fraternam ante denunciationem Evangelicam, quando speratur emendatio. Quia tamen ea non facile ab hæretico sperari potest, & correctio fraterna solum deserviret, ut ille caute se gereret, ut notat Simanchas de Instit. tit. 9. n. 12. unde difficilius occurri posset damno publico imminenti; ideo denunciatio hæretici Canonica facienda est nulla præmissa correctione fraterna; ut præcipitur in Edicto Inquisitorum. Quod etiam decrevit S. Congr. ann. 1660. apud Mendo in Epit. V. *Hæresis* num. 4. approbante Alex. VII. idque non solum verum est de hæreticis, sed etiam de hæresi adhuc leviter suspectis; quicquid in contratium dixerint nonnulli apud Dian. p. 9. tr. 8. r. 46.

VII. Ex hactenus dictis fit primo, quod etiam alia crimina occulta, quæ vergunt in damnum gravissimum communitatis, denunciari possint, nulla præeunte fraterna correctione, ut docet D. Th. 2. 2. q. 33. ar. 7. cum Val. loc. cit. & aliis.

VIII. Fit secundo, Hæresim, & alia ejusdem furfuris crimina denunciari debere, etiamsi sciantur sub sigillo naturali, & sub juramento non ea manifestandi, ut communissime docent cum Suar. Palao, Less. l. 2. c. 30. num. 47. contra Fagund., & Fragosum apud Dian. loc. cit.; agitur quippe de bono publico. Immo universim nullum juramentum promissorium cedens in damnum injustum tertii obligat; cum juramentum non sit vinculum iniquitatis, ut dicitur cap. *Inter cetera* 22. q. 24.

IX. Fit tertio, Si vere sit spes emendationis, & non timor fugæ, vel quod caute hæreticus se gerat, posse simul fieri correctionem fraternam, atque adeo satisfieri præcepto naturali correctionis, & simul denunciari juxta præceptum Ecclesiasticum positivum, ut docet Escobar apud eundem Dianam. Ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum non rejicit omnino correctionem, si credatur profutura, sed solum jubet, quod ejus causa denunciatio non omittatur. Duvallius tamen cum Maldero, & Josepho de August. apud Dian. p. 7. tr. 3. ref. 63. putat posse

posse denunciationem omitti, si moraliter certum esset, illum privata admonitione emendatum iri, & interim nihil mali acturum; quia finis legis, nempe aliorum periculum, omnino cessat: quod aperte etiam docet D. Th. loc. cit. Verum quia hæc spes moraliter certa emendationis vix haberi potest, ideo universim non est omittenda denunciatio. Fagundez vero cum Molfesio, Ortiz, Homobon. apud Dia. p. p. tr. 4. ref. 2. distinguunt inter hæresim formalem, & alia crimina sapientia tantum hæresim, ac putant nunquam omnino omittendam esse denunciationem hæretici formalis ob enormitatem criminis contagiosi; posse tamen in aliis criminibus omitti, si sit moraliter certa emendatio; cum de hæresi formali major securitas requiratur, quæ vix potest accidere.

X. Sed quid, si vere moraliter constet, quod hæreticus sit emendatus? Sotus, Portellus, Molfesius, & alii contra Suar. de fide d. 20. s. 4. Azor. Bonac. & alios communius apud Dian. p. 1. t. 4. ref. 3. docent omittendam esse denunciationem, cum cesset ejus finis, qui non est punitio, sed correctio delinquentis, putantque nonnulli hæreticum esse emendatum, si per triennium bene vixerit, aut per aliud tempus arbitrio prudentis viri. Verius docet Fagund., hoc non habere locum in hæreticis formalibus, quia sunt valde subdoli, & semper de vera emendatione dubitari potest. Bonacina tamen in tract. var. disp. 6. pun. 6. apud Dian. p. 4. tr. 5. ref. 23. docet, etiam Confessarios sollicitantes, & alios non formaliter hæreticos esse denunciandos, qamvis de eorum emendatione constet; quia finis denunciationis non est sola emendatio, sed etiam punitio delinquentis, ut metu pœnæ facilius ipse, & alii ab eo crimine retrahantur: quod etiam innuit Suar. loc. cit. dicens, hæreticum etiam emendatum denunciandum esse, non solum ut inquiratur, an ea lue alios infecerit, & quia sæpe emendatio est apparens, aut non stabilis; sed etiam ne hæreticus facile aliis se communicet, intelligendo, quod etiamsi emendetur, non est occultandus.

XI. Fit quarto, quod si denuncianti immineat periculum vitæ, famæ, aut amissionis magnæ partis bonorum temporalium, juxta sententiam Fag. p. 2. l. 4. cap. 3. possit excusari a denunciatione facienda. Verum communissime docent cum Acunna, Lezana, & aliis apud Dian. p. 4. tract. 5. ref. 19., quod si ex omissione denunciationis in discrimen vocetur bonum Fidei, nullatenus possit denunciatio omitti, etiam cum vitæ discrimine, ut si hæreticus dogmatizet, & animas seducat. Quando tamen delictum non est hæresis formalis, sed solum sapiens hæresim, ut est sollicitatio, poterit v. g. fœmina excusari a denunciando sollicitantem, si grave malum timeat, puta mortem, vulnera, jacturam famæ, vel honoris, aut magnæ partis bonorum; aut si ea proxime eventura probabiliter credat suis consanguineis, aut affinibus usque ad quartum gradum. Cavendum tamen est, ne quis trepidet timore, ubi nullus est timor, ut passim contingit.

XII. Fit quinto, posse in crimine hæresis fieri Inquisitionem, quamvis contra reum nulla præcesserit diffamatio, ut communiter docent cum Simancha, Royas, Penna apud Dian. p. 4. tract. 5. ref. 1., cum hoc exigat bonum fidei, & publicum. Utrum autem in delicto sollicitationis possit inquisitio fieri, quamvis non præcedat infamia? Negat Fagun., & Megala apud eundem Dian., & alii apud Andream Mendo differt. p. qu. 9. docentes non esse proinde denunciandos hujusmodi Confessarios, si aliquo modo de tali delicto non fuerint diffamati. Sed communissime oppositum docent ex praxi Inquisitionis, & ex verbis Constitutionis Pontificiæ, ubi dicitur: *Diligenter inquiras, & juxta facultatem contra hæreticos concessam procedas*. Unde Megala in secunda editione adhæsit sententiæ oppositæ.

XIII. Fit sexto, In denunciatione hæretici formalis facienda non dari personarum exceptionem; etiam uxor tenetur maritum denunciare, frater fratrem, & filius patrem, ut communiter docent cum Suar. loc. cit. Bonac., Azor. contra Alex. de Ales; Royas, Valerum apud Dian. p. p. tr. 4. ref. 4. Colligitur ex lege Deuter. 13. ubi dicitur: *Si tibi persuadere voluerit frater tuus, filius, uxor, aut amicus, quem diligis ut animam tuam, clam dicens, eamus, & serviamus Diis alienis, non miserearis, ut occultes eum*. Verius docet Simanchas, tunc filium ad id teneri, si pater dogmatizaret, & alios hæresim doceret; cum enim tunc teneatur etiam cum discrimine vitæ, ut diximus; a fortiori ad id tenetur cum infamia, aut punitione Patris. Ex quibus pariter fit, denunciandum esse hæreticum dogmatizantem etiam a complice delicti, quamvis aliquatenus tunc seipsum prodat. In aliis delictis ab hæresi formali putant Suar. loc. cit. Portellus, Simanchas, Penna, quod nemo teneatur complicem manifestare propter periculum propriæ infamiæ: Sed communius cum Bonacina, Acunna, Sanctar. Dian. loc. cit. ref. 9. affirmant: Immo ex quadam Epist. nomine Urbani VIII. ad Archiepiscopum Mediolanensem missa apud Dian. p. 4. tr. 5. ref. 31. certum omnino est, fœminam teneri ad denunciandum Confessarium sollicitantem, quamvis ipsa consenserit, & fuerit complex: Esto non debeat suum consensum prodere, nec de eo interrogari, nec in Actis Curiæ scribi, etiamsi a complice Confessario manifestaretur.

XIV. Utrum autem denunciatio hæretici facienda sit, quando non constat evidenter de hæresi, sed ea a fide dignis, aut ab aliis levibus personis audita est? Propositio damnata solum loquitur de eo, cui constat evidenter Petrum esse hæreticum; quare non damnatur sententia Homoboni de Bonis apud Dian. p. 4. tr. 5. ref. 28. putantis non teneri ad denunciandum, qui delictum ab aliis accepit, etiamsi fide digni credantur, si non pariant moralem certitudinem. Communis tamen, & certa sententia est, denunciandum esse Petrum, si a fide dignis audiatur, quod sit hæreticus, ut ostendit Villal. t. 2. Summæ tr. 17. Regin., Navar., & alii apud Dian. loc. cit. Edictum enim hoc præcipit, *Ut si quis sciverit, vel audierit ea delicta, denunciet*, ut videre est apud Dian. p. 4. tr. 5. ref. 28. Si tamen a levibus personis accipiatur, negant esse denunciandum Fagun., Th. a Jesu, Rodr., Portel., & alii: Affirmat Dia., quia in edicto Inquisitorum absolute, & sine limitatione præcipitur sub excommunicatione, *ut si quis sciverit, vel audierit ea delicta*, Inquisitoribus denunciet, quippe quæ vergunt in damnum publicum: ac proinde in hoc Tribunali admittuntur testes alias inhabiles, ex Cap. *In fidei favorem de hæres. in 6.* nempe mulieres, minores, consanguinei, infames, excommunicati, perjuri &c.

XV. Quod si quæras, quænam sint delicta Inquisitoribus denuncianda præter hæresim? Dicendum, esse omnia, quæ hæresim sapiunt: Præcipua sunt,

Apo-

Apostasia a fide, Blasphemia hæreticalis ex iracundia, aut sub conditione, e. g. Non credo in Deum, nisi te interficiam; aut quæ per modum contumeliæ profertur, v. grat. *Al dispetto di Dio*, *Rinnego Dio*: Ex iracundia percutientes Sacras Imagines, Sortilegi, & malefici, vid. qui dæmonum ope occulta revelant, aut aliis nocent; necnon Astrologi judiciarii; Sacerdotes non consecrantes, & non Sacerdotes celebrantes, aut Confessionem excipientes; Confessarii sollicitantes, vel non declarantes sollicitatæ obligationem denunciandi; Revelantes confessionem, ni tamen putent id sibi licere: Frangentes Cedulones: Insordescentes in excommunicatione per annum: Comedentes carnes diebus vetitis: Omittentes semel in anno Sacramenti Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ susceptionem: Receptatores, & fautores hæreticorum: Impedientes quovis modo S. Officium, & his similia, de quibus DD. passim apud Summam Dian. V. *Inquisitorum Jurisdictio*.

PROPOSITIO VI.

Confessarius, qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in qua ad Venerem incitat, non censetur sollicitasse in Confessione, ac proinde non est denunciandus.

SYNOPSIS.

I. Videtur hæc non esse sollicitatio, sed potius causa sollicitationis. II. Saltem non esse sollicitatio completa, quæ trahat onus denunciandi. III. Cessare videtur in hoc casu finis denunciationis, cum sacramentum rite suscipiatur.

IV. Demum traditio chartæ est actus indifferens de se, cum ignoretur, ad Venerem ne, an ad virtutem incitet?

V. Hæc tamen chartæ traditio injuriam irrogat Sacramento: & gravius nocet, quam immediata sollicitatio. VI. Nec minuitur injuria erga Sacramentum per hoc, quod ignoretur, quid in charta contineatur; Sicut non minuitur injuria ex hoc, quod fœmina sollicitationi resistat.

VII. Ad inferendam injuriam sacramento sufficit, quod tunc ponantur media ad malum provocantia. Quamvis hæc sollicitatio non sit completa, adhuc tamen hujusmodi injuria, quæ fert onus denunciationis, est completissima. Actio illa externa non est indifferens, sed de se mala, esto feminæ non appareat tunc, quod sit mala.

VIII. Hinc fit, in plurimis aliis casibus non absimilibus faciendam esse denunciationem, ut si Confessarius diceret feminæ animo iniquo, ut redeat, &c. IX. Non est tamen denunciandus laicus, qui fingit se Confessarium, ut sollicitet, dummodo non absolvat; nec Confessarius sollicitans in administratione aliorum sacramentorum a Pœnitentia. X. Quid si femina consenserit? Si Confessarius sit emendatus? Si consanguineus? Et alia hujusmodi.

XI. Num, & quomodo possit Confessarius ex parvitate materiæ excusari?

I. EXponitur. Thom. Hurtado tract. 4. c. 1. res. 6. censet, traditionem hanc chartæ non esse immediatam sollicitationem. Trullen. l. 1. in dec. c. 2. dub. 18., & Fr. Acacius de Velasco V. *Confessor*, resp. 199., probabiliter hunc non esse sollicitatorem: Castro Palaus t. 1. tract. 4. disp. 9. p. 4. videri hoc probabile, sed quia delictum hoc est gravissimum, & perniciosissimum, standum pro sententia opposita.

Fundamentum confixæ thesis erat primo, quia traditio chartæ postea legendæ videtur potius causa sollicitationis, quam sollicitatio, cum non moveatur tunc ad malum pœnitens.

II. Deinde, quia præceptum denunciandi sollicitantem non obligat, nisi sollicitatio sit completa; quia ex Reg. 15. juris in 6. *Odia sunt restringenda*; unde docent communiter, irregularitatem ratione homicidii non contrahi, nisi completo homicidio, nec excommunicationem Canonis incurri, nisi habeatur realis percussio Clerici, quin sufficiat his delictis dedisse causam.

III. Tum etiam, quia finis legis indicentis denunciationem est, ne pœnitentes gravioribus culpis onerentur, dum accedunt ad Sacramentum, ut antiquis exonerentur; in casu autem, pœnitens ignorans, quid in charta contineatur, adhuc rite suscipit Sacramentum, non secus ac si chartam alteri fœminæ tradendam acciperet.

IV. Denique, quia traditio illa chartæ, cujus materia a pœnitente ignoratur, videtur esse actio de se indifferens, cum illa actio externa possit esse honesta, si charta non ad Venerem, sed ad Virtutem incitaret: ab Ecclesia autem solum præcipitur denunciatio actionis externe malæ: cum autem malitia illius actionis solum a Confessario, non a pœnitente tunc cognoscatur, non videtur cogendus pœnitens ad denunciationem.

V. Ostenditur falsitas, & paralogismus cum Fagun. 2. p. lib. 4. c. 3. Escobar, Sancio, Mendo dissert. 1. quæst. 9., & Dian. p. 4. tr. 5. res. 2. Traditio hujus chartæ ad malum provocativa irrogat injuriam Sacramento, in quo sacrilegium adeo grave a Confessario committitur. Præterea reddit Sacramentum fidelibus odiosum, cum in eo paretur animarum ruina; & quamvis pœnitens tunc temporis a veneno illo non interficiatur, haurit tamen illud, quod postmodum vitam spiritualem tollere tentabit. Immo forte gravius nocet, quam si immediate Confessarius sollicitaret: tunc enim fœmina instructa proposito non peccandi de cætero facile Sathanam repelleret; quando vero remisso fervore charitatis tentatur, facilius consentit. Hinc non minus est denunciandus, si per chartam postmodum legendam sollicitet, quam si immediate.

VI. Confirmatur; quia ignorantia illa fœminæ non minuit gravitatem injuriæ Sacramento irrogatæ; sicuti si fœmina immediate sollicitata a Confessario illi resisteret, resistentia isthæc virtuosa non minuit gravitatem injuriæ Sacramento irrogatæ: unde denunciandus, perinde ac si sollicitaret immediate.

VII. Ad primam rationem in contrarium respondetur, ad inferendam injuriam Sacramento non requiri, quod actu pœnitens inducatur ad malum; sufficit, quod media tunc apponantur, quibus ad malum induci possit. Aliter neque esset denunciandus Confessarius immediate sollicitans, si fœmina illi obsisteret, nec induceretur ad malum. Hinc sollicitationis reus pariter est Confessarius, qui famulo dat occasione Confessionis hujusmodi chartam fœminæ deferendam.

Ad secundam, Sollicitatio dicitur completa, sive poenitens ad malum inducatur, sive resistat; dummodo ponatur medium aptum ad alliciendum animum ad actus inhonestos; in utroque enim casu irrogatur Sacramento injuria, & redditur illud odiosum. Paritas de irregularitate, & excommunicatione non est ad rem; quia citra homicidium, & percussionem Clerici non habetur culpa in iis legibus poenalibus prohibita; unde poenæ non incurruntur, quamvis ad eos effectus inducendos apposita fuerit causa peccaminose: At in casu nostro citra consensum fœminæ, & citra notitiam de eo, quod in charta continetur, adhuc habetur culpa, quam Bulla indicens denunciationem intendit avertere, nempe irreverentia Sacramento, & detrimentum animarum; quare adhuc denunciatio est facienda.

Ad tertiam, Quamvis fœmina tunc non tentetur, tentabitur tamen legendo chartam occasione Sacramenti acceptam, & facilius ex sua fragilitate consentiet transacto fervore propositi, quo tunc muniebatur; unde in Sacramento loco medicinæ venenum propinaretur; ad quod impediendum tendit lex denunciationis.

Ad ultimam, Non requiritur, quod actio illa externa appareat mala tunc, quando fœmina accipit chartam; sufficit, quod deinde innotescat malitia illius actionis externæ Confessarii, ut hic denunciandus sit: Sicuti si immediate sollicitaretur fœmina verbis ambiguis, & deinde adverteret, quod ea verba in malo sensu prolata fuerint, procul dubio teneretur hæc Confessarium sollicitantem denunciare.

VIII. Ex quibus sequitur primo, denunciandum esse confessarium, qui post confessionem diceret fœminæ animo iniquo, quod redeat ad chirographum confessionis accipiendum; aut si post peractam Confessionem sollicitaret puerum in cellam ductum titulo dandi chirographum; vel qui poenitentem sollicitat, dum ad genua procumbit, nolens confessionem audire, nec absolvere; vel qui prætextu confessionis, aut extra occasionem confessionis in Confessionario, aut in loco, ubi Confessiones audiuntur, vel ad Confessionem audiendam electo sollicitat, vel actus, aut sermones inhonestos habet. Ratio horum omnium est, quia quamvis in his casibus sollicitatio non habeatur in actu Sacramentalis Confessionis, dicit tamen relationem ad illam; unde injuria Sacramento irrogatur, redditurque illud poenitentibus odiosum. Proinde ex Bulla Greg. XV. in his omnibus casibus facienda est denunciatio, & Confessarii tenentur poenitentes, quos noverint sollicitatos, de hac obligatione monere.

IX. Sequitur secundo, non esse denunciandum poenitentem, aut interpretem sollicitantem, vel laicum fingentem se Confessarium, (dummodo non absolvat; tunc enim aliunde denunciandus esset) aut Confessarium sollicitantem in administratione aliorum Sacramentorum a Poenitentia. Ratio est, quia Pontifices solum cavere voluerunt, quod de facili potest occurrere cum Sacramenti injuria, & damno animarum; Cum autem constitutiones istæ sint poenales, non sunt ampliandæ, sed restringendæ; quæ omnia cum aliis multis fuse prosequitur Diana p. p. tract. 4. & p. 4. tract. 5. Porro ex Bulla Gregor. XV. obligatio denunciandi sollicitantem non restringitur ad solas fœminas; quælibet enim persona tenetur Confessarium denunciare, si illicitos, & inhonestos sermones, aut tractatus habuerit occasione Confessionis, etiam Confessione non secuta.

X. Utrum autem denunciandus sit Confessarius sollicitans, si non sit diffamatus; si non possit denunciatio probari; si poenitens sibi timeat grave damnum; si sit spes emendationis per correctionem fraternam; si ille sit emendatus; si poenitens sit complex, & sollicitationi consenserit; si sollicitatio Confessarii audiatur a personis levibus, aut a fide dignis; si sub sigillo naturali audita sit, aut sub juramento de non manifestando; si Confessarius sit consanguineus, aut amicissimus, & alia hujusmodi; fuse discutit Diana locis laudatis, & nos abunde his omnibus quæsitis satisfecimus in expositione propositionis antecedentis de heretico denunciando: ubi ostendimus, gravissimam esse obligationem denunciandi hæreticum dogmatizantem, a qua ne periculum quidem vitæ excusat; & majorem esse obligationem denunciandi hæreticum formalem, quam denunciandi sollicitantem, aut alia delicta hæresim sapientia; atque adeo gravior causa requiritur ad impediendam denunciationem hæretici formalis, quam Confessarii sollicitantis, cum illud sit malum publicum, & Fidei bono maxime noxium, & contagiosum.

XI. Difficultas est, Num Confessarius ex parvitate materiæ possit excusari? Portellus, Palaus tr. 4. disp. 9. p. 3. Boss. de Jub. in Appen. dub. 18. num. 55. Sousa apud Dian. p. 4. tract. 5. res. 8. putant, non dari obligationem denunciandi, quando actus externus sollicitationis non est gravis, dummodo poenitens intelligat Sacerdotem non habere animum progrediendi ulterius, ut advertit Palaus loco laudato. Ratio est, quia peccatum externe leve, quamvis interne grave, excusat a quavis poena Ecclesiastica: non enim incurritur ex. gr. excommunicatio ob percussionem Clerici levem, quamvis factam animo percutiendi graviter, ut supra diximus in expositione tertiæ propositionis. Communius tamen docent esse faciendam denunciationem, quia licet manum v. g. vel pedem fœminæ premere, vellicare, laudare de pulchritudine sit veniale intra genus luxuriæ, ex doctrina Sanch. l. 9. disp. 46. n. 16. Salas, Nav., at, si hæc fiant tempore Sacramenti administrandi, sunt mortalia adversus virtutem Religionis, ob gravem injuriam, quæ Sacramento irrogatur: sicut modicum cibi, quod est leve adversus temperantiam, vel obedientiam tempore Jejunii Ecclesiastici, est grave adversus Religionem relate ad jejunium naturale prævium Sacramento Eucharistiæ; & sicut verba injuriosa, quæ prolata contra plebejum sunt levia, prolata contra Episcopum v. g. ratione personæ sunt injuriosa graviter, atque adeo sunt mortale, ut notat Carena §. 5. præsertim quia sic solent sacrilegi Confessarii viam sternere ad finem intentum, incipiendo a blandulis, ac byssinis verbis, & levibus tactibus, & ad ulteriora procedunt, si poenitens annuat; secus si renuat; unde impune hæc scelera perpetrarentur, nisi denunciandi essent etiam ob actus inhonestos externe leves. Hinc Peyr. Sousa apud Dian. loc. cit. res. 25. docent esse denunciandum Confessarium, etiamsi sollicitatio fiat verbis ambiguis, & obscuris; quod intelligendum est, dummodo non constet, aut rationabiliter præsumatur ea verba citra animum sollicitandi esse prolata. In dubio tamen de prava intentione proferentis ea verba ambigua, Bonac. tr. vel disp. 6. p. 3. cum Sanctar. docet præsumendam

esse ex communiter contingentibus pravam intentionem; addit tamen, oppositum probabilius a nonnullis DD. existimari, quia in dubiis, & obscuris benignior interpretatio facienda est ex Reg. *in Obscuris* de Reg. Juris in 6.

PROPOSITIO VII.

Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absque onere denunciandi.

SYNOPSIS.

I. Confessarius sollicitans non tenetur adversus seipsum monere Pœnitentem de denunciatione facienda. II. Hinc videtur obligatio denunciandi cessare, si ea a Confessario non imponatur. III. Verum hæc obligatio imponitur a Pontifice, & solum a Confessario declaratur; unde non cessat ex hoc, quod Confessarius desinat pœnitentem monere; sicut non cessat onus restitutionis. IV. Referuntur plurimæ aliæ viæ ad declinandum onus denunciandi excogitatæ. V. Plerœque tamen sunt præruptæ. VI. Adjuvandus est pœnitens opinionibus benignis, sed non laxis, ac tenuis probabilitatis. VII. Quando nullatenus induci potest pœnitens ad denunciandum, consulenda est Sedes Apostolica, quid facto opus sit. VIII. Num debeat Denunciatio fieri per epistolam, aut per internuncium, si non possit immediate?

I. EXponitur. Tho. Hurtad. tr. 4. c. 6. res. 8. refert plures cum Lorea, Freitas, Trimarchio, Emmanuele de Avila, & aliis, docentes sollicitatum in Confessione non teneri ad denunciandum Confessarium, si eidem sua peccata confiteatur; quia cum non teneatur Confessarius illum de hoc onere monere adversus se, poterit illi absolutionem impertiri nullo onere imposito; unde pœnitens non tenetur ad denunciandum. Quod Confessarius non teneatur monere pœnitentem de hoc onere adversus semetipsum, videtur ex eo constare, quia præcepta Ecclesiastica non obligant cum gravi onere, & incommodo; si enim præceptum correctionis fraternæ non obligat cum magno incommodo, quamvis sit præceptum naturale; a fortiori neque obligabit cum gravi incommodo præceptum hoc Ecclesiasticum Confessoribus impositum. Propterea quamvis ex Bulla Gregorii XV. denunciandus sit Confessarius, qui non declarat sollicitatæ obligationem denunciandi, ut notat Dian. p. 4. tract. 7. res. 7., hoc tamen non est intelligendum, si Confessarius omittat declarare sollicitatæ obligationem denunciandi ipsummet.

II. Quod vero pœnitens, cui non imponitur a Confessario onus denunciandi, immunis sit ab hoc onere, in quo est sita difficultas, ex eo videtur probari posse, quia in Edicto præscribitur, quod onus istud per Confessarium imponatur; unde si cessat in Confessario obligatio illud imponendi, cessat pariter in pœnitente obligatio illud exequendi: Quod si tunc cessat obligatio, nunquam deinde ab alio Confessario imponetur, quia nunquam tenebitur pœnitens alteri Confessario ea de re iterum verba facere, cum fuerit rite absolutus.

III. Ostenditur falsitas. Primo quia Confessarius, si velit prudenter operari, nullum incommodum subit monendo pœnitentem de obligatione ista denunciandi; atque adeo tenetur monere. Dixi; si velit prudenter operari; Sanissimum enim consilium est seipsum deferre ad Tribunal Inquisitionis, antequam deferatur, ut omnem omnino pœnam declinet. Deinde, dato quod non teneatur Confessarius monere adversus seipsum, intantum posset pœnitens esse immunis ab onere denunciandi, inquantum ignoraret hanc obligationem ortam immediate a lege Pontificia; non a voluntate Confessarii, qui proinde hujusmodi onus non debet imponere, sed solum declarare. Quare statim ac innotuerit deinde pœnitenti ea obligatio, tenebitur independenter a qualibet monitione Confessarii denunciare sollicitantem. Eo prorsus modo, quo si Confessarius omittat docere pœnitentem de obligatione, quam habet, restituendi, in tantum posset esse immunis ab hoc onere, in quantum bona fide invincibiliter ignoraret legem naturalem obligantem ad restitutionem. Ubi tamen ea innotuerit, independenter a qualibet monitione Confessarii, tenebitur restituere. Quare commentitium omnino est dicere, quod Confessarius imponat onus denunciandi, & idcirco eo non imposito cesset; cum Confessario solum incumbat onus illud declarandi; quod si omittat sive culpabiliter, sive inculpabiliter, adhuc pœnitens obligabitur, si aliunde notam habeat legem Pontificiam.

IV. Præter hanc explosam, & damnatam plurimæ aliæ viæ excogitatæ sunt a Doctoribus ad eximendam personam sollicitatam ab onere denunciandi, quas in expositione propositionis 5. & 6. perpendimus; videlicet, si sollicitans non sit diffamatus, aut si sollicitatio probari non possit, ut docuerunt nonnulli apud Mendo diss. 1. q. 9. Similiter sit sollicitatio sit occulta, & sit spes emendationis præmittendo correctionem fraternam, ut Fagund. & Peyr. apud Dian. p. 1. tract. 4. res. 2.: imo etiam, si dubium sit, an correctio sit profutura, ut alii apud Delrio ab eodem Diana laudatum; Nec teneri alium a sollicitata, etiamsi ille audierit a fide dignis, nedum a personis levibus, docuit Homobonus de Bonis p. 4. resp. 51. saltem quando sollicitatio scitur sub sigillo naturali, vel sub juramento non revelandi, non dari obligationem denunciandi, docuit Fagund., & Fragosus: Neque teneri sollicitatam, si consenserit, aut si ipsa prius sollicitaverit Confessarium, tanquam delicti complex, dixerunt alii apud Dian. p. 1. tr. 4. res. 11. Excusant alii cum Portel. & Boss., si intervenerit materiæ parvitas. Alii cum Jo. Sancio apud Dian. p. 10. tr. 13. res. 46. si Confessarius fuerit maximus benefactor, aut amicus sollicitatæ. Alii apud Mendo loc. cit. q. 8. si cesset præsumptio in pœnitente, quod Confessarius male de Fide sentiat: Nec non si Confessarius sit bonæ vitæ, & conversationis, & solum semel, aut iterum eandem personam sollicitaverit.

V. Refugit animus alias præruptas vias in medium proferre; quæ si essent perviæ, aditum omnino occluderent ad Sacrum Tribunal, & magnum aperirent ostium huic enormi sceleri, quod impune perpetraretur. Propterea, si minus omnes, certe plures ex istis opinionibus rejiciuntur communiter tanquam laxæ, ac tenuis omnino probabilitatis, insufficientes ad prudenter operandum, quibus scelera foventur, & ruinæ, non saluti animarum consulitur.

VI. Neque dicas, a Theologis opiniones omnes benignas præ manibus habendas, non ut iis passim

ntantur, sed si forte aliquando expediat ad salutem animæ pœnitentis in aliquo raro casu: In re nostra, reperitur aliquando mulier nobilis, & verecunda, quæ nullatenus induci potest ad denunciandum Confessarium sollicitantem, in quo casu videtur magis charitati consonum aliqua ex opinionibus benignis illam adjuvare, quam in ea obstinatione, atque adeo in statu damnationis illam relinquere.

Nam nemo potest hoc sanum consilium refellere: imo hac de causa in Confessario requiritur studium, & doctrina, ut quoad ejus fieri possit, in salutem pœnitentis incumbat. Quod dicimus, non est, opiniones benignas non esse in praxim deducendas juxta materiæ, & pœnitentis exigentiam; dicimus solum opiniones laxas, ac tenuis probabilitatis, quæ communiter a DD. rejiciuntur, & nullo solido fundamento fulciuntur, ut sunt non paucæ ex enumeratis, non deservire ad salutem animarum, sed ad fovenda scelera, & in ruinam etiam ipsius absolventis.

VII. Sed quid agendum in casu adducto, quo non possit induci pœnitens ad denunciandum, nec possit opinionibus benignis vere probabilibus adjuvari? Respondeo, S. Congregationem Inquisit. in hoc casu, annuente Summo Pontifice, decrevisse 27. Septembris 1624., ut constat ex Epistola Cardinalis Mellini ad Archiepiscopum Mediolanensem apud Carenam §. 10., quod Episcopus, vel Inquisitor Confessario tribuat facultatem accipiendi denunciationem in scriptis, & sub juramento, quæ statim deferatur Judici competenti: Quod si neque ad id possit pœnitens flecti, voluit Pontifex, quod ad S. Sedem recurratur pro opportuno remedio, & interim non absolvatur pœnitens, utpote indispositus. Equidem olim in casu non absimili per Epistolam adivi Innocentium XI., qui benigne dignatus fuit facultatem mihi tribuere absolvendi pro ea vice pęnitentem citra onus denunciandi, quod fatebatur subire non posse, panici cujusdam timoris prætextu.

VIII. Dubitatur hic an teneatur pęnitens denunciare per Epistolam, aut per Nuncium, aut per Confessarium, si non possit immediate accedere ad Judicem Fidei vel ob clausuram, vel ob ægritudinem, aut ob aliam physicam, vel moralem impotentiam? Et an teneatur Confessarius subire hoc onus; & vices pęnitentis supplere?

Quod attinet ad Confessarium: Universim non tenetur is subire onera pęnitentis, nisi forte charitas aliquando aliud exigat, quando scil. bonum publicum periclitetur, nec aliter possit remedium adhiberi. Ratio est, quia, ut notat Sanch. l. 2. c. 13. n. 14., onus adeundi Superiorem non est gravamen Confessario impositum, sed pęnitenti; unde si non possit pęnitens adire Superiorem, non eatenus obligabitur Confessarius, quamvis eo velit Pęnitens uti. Imo ex Tamb. lib. de Conf. cap. 9. §. 4. optimum consilium est, quod Confessarius a subeundis oneribus pęnitentis omnino abstineat, sive pęnitens obligetur ad correctionem fraternam proximi, sive ad restitutionem pecuniæ, vel famæ, sive ad denunciandum, sive ad confugiendum ad Superiorem, ut a reservatis, vel a censuris absolvatur. Quod vero attinet ad pœnitentem, docent communiter cum Henriq. Cordub. Velasco, Azor. contra Zambranum apud eumdem Sanch., quod impotens adire personaliter Superiorem, si sit irretitus reservatis, non obligetur adire per literas, per Confessarium, per alium, qui petat a Superiore facultatem, ut possit absolvi: idemque communiter docent cum Avila, Hurtado, Duardo contra Bon. apud Dian. p. 4. tr. 4. ref. 58. si quis teneatur Superiorem adire, ut a Censuris absolvatur, ut diximus in expositione propositionis tertiæ, quia scilicet pęnitens obligatur solum ab iis legibus, ut Superiori se præsentet, non vero ut alias adhibeat diligentias: quare, si sit legitime impeditus, deobligabitur, & ab inferiore habente pro iis casibus facultatem poterit a reservatis, aut censuris absolvi.

Idem proportionabiliter videri posset dicendum in casu nostro. Cum enim edictum solum obliget sollicitatam, ut ad Episcopum, vel Inquisitorem deferat sollicitantem, si non possit personaliter adire, aut illum accersere, non videtur obliganda ad alias diligentias, nisi tamen aliud charitas postulet ad avertendum grave damnum proximi: præsertim quia, ut notat Sanch. loco laudato, Epistolæ facile possunt amitti, & ab alio aperiri, cui non est detegendum scelus Confessarii: ut propterea DD. non obligent pœnitentem ad scribenda peccata propria, quæ facile memoria excidunt; unde denunciatio non videtur facienda per Epistolam. Neque videtur sollicitata obliganda ad manifestandum delictum Confessarii alteri, cujus opera utatur ad denunciandum Judici, quia bonum nomen Confessarii apud illum denigraretur. Et ratio ulterior est, quia *odia sunt restringenda*, ex Reg. 15. Juris in 6. Est autem grave onus aperire sollicitationem Confessarii Judici, qui possit suspicari, quod sollicitata consenserit, aut aliam culpabilem ansam dederit Confessario; ergo hujusmodi onus non videtur extendendum, ita ut qui non potest Judicem adire, teneatur idem delictum alteri manifestare, a quo deferatur. Ob hæc motiva non videtur regulariter, ne per proprium quidem Confessarium, ad denunciandum obligatus, qui non potest immediate. Quamvis si aliquando conferat ad bonum aut publicum, aut sollicitantis denunciatio, non debeat sollicitata retrahi a denunciando per alium cordatum virum, aut per Epistolam, ob hoc motivum, quod alteri a Judice scelus Confessarii detegatur, aut detegi possit.

Dicendum nihilominus censeo, quod licet impotens adire personaliter Superiorem, ut a reservatis, vel a censuris absolvatur, non teneatur illum adire per literas, aut per internuncium; ad id tamen obligetur, si nequeat personaliter adire ad denunciationem faciendam; cum hæc sit longe gravioris momenti, & ad bonum publicum spectet: periculum autem, ne literæ ab aliis aperiantur, passim est valde remotum, quod ad avertendum grave damnum subiri potest: sicut etiam propter bonum publicum manifestari licite potest delictum sollicitantis non solum Judici, sed etiam prudenti internuncio, si aliter denunciatio fieri non possit: Secus fere semper mulieres sollicitatæ a denunciando excusarentur, quia passim citra aliquam notam adire personaliter nequeunt Judicem fidei. Et hac de causa Bonac. disp. 1. de Cens. q. 3. p. 3. cum Zambrano, & alii apud eumdem Sanch. jure merito docent, quod impeditus adire personaliter Superiorem pro absolutione a reservatis, ubi possit commode adire per alium, aut per Epistolam, in qua nomen pœnitentis non exprimatur, unde nullum subsit periculum, quod ejus crimen detegatur, si Epistola ab alio referetur, aut amittatur, tunc non possit absolvi ab Inferiore prætextu impedimenti adeundi Superiorem personaliter; quod pluribus S. Congrega-

tionis

tionis decretis cautum, & sancitum est. Aliter vis reservationis enervaretur; cum plurimi passim, ac præsertim mulieres, ac fere semper Moniales hoc impedimento laborent.

Ubi sciendum ex benignitate Ecclesiæ facili negotio posse quemlibet facultatem Superioris obtinere, ut ab Inferiore absolvatur, etiam quando timor, aut verecundia (fœminis præsertim) aditum intercludit accedendi ad Ordinarium, idque citra periculum, quod peccatum alteri, quam soli Confessario innotescat: videlicet si pęnitens aut per se, aut per Confessarium, suppresso proprio nomine, scribat ad Eminentissimum Pœnitentiarium Majorem, enarrando cum suis circumstantiis casum, a quo petit absolvi, & indicando illi nomen, & cognomen (etiamsi sit fictitium) cui sit a Sacra Pœnitentiaria rescribendum; nec non nomen Oppidi, seu Civitatis, ad quam debeat responsio dirigi. Quod fusius explicatur in Instructione Parochorum, & Confessariorum pro casibus, quorum absolutio, seu dispensatio a Sacra Pœnitentiaria Apostolica impetratur, impressa Romæ anno 1684. & passim obvia.

PROPOSITIO VIII.

Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem Missa licite accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet Celebranti correspondentem; idque post Decretum Urbani VIII.

SYNOPSIS.

I. Triplex est Sacrificii fructus, Generalis, Medius, seu Specialis, ac Specialissimus. II. Generalis per omnia Christi Domini membra distribuitur pro uniuscujusque dispositione. III. Specialis cedit in bonum illius, pro quo Sacrificium offertur. IV. Specialissimus cedit in bonum ipsius Celebrantis, & probabile est posse aliis ad arbitrium Sacerdotis applicari.

V. Posse Sacerdotem pro applicatione hujus specialissimi fructus novum stipendium accipere, putarunt nonnulli, etiam post Urbani VIII. Decretum.

VI. Nihilominus cum incertum sit, num fructus specialissimus Missæ possit alienari, & num æquivaleat uni fructui Medio, an tertiæ hujus parti, an minori, contra justitiam est pro re incerta stipendium certum accipere. VII. Imo simoniace præter consuetam sustentationem aliquid acciperet Sacerdos pro applicatione fructus specialissimi, esto non teneatur illum applicare pro offerente stipendium. VIII. Sicut injustitiam, & simoniam sapit multiplex stipendium accipere pro eodem fructu Medio unius Missæ; ita alterum stipendium accipere pro fructu medio, alterum pro specialissimo. IX. Potestne duplex stipendium pro eadem Missa accipi, alterum pro Præsentia, seu Officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii?

X. Aut alterum ab eo, qui petit Sacrificium ut Impetratorium, alterum ab eo, qui illud petit inquantum Satisfactorium? XI. Potestne saltem aliquid plus accipi, si præter fructum ex opere operato, applicetur fructus ex opere operantis, aut Indulgentia?

XII. Potestne demum eadem Missa satisfieri pluribus obligationibus, quarum una tantum, vel neutra sit ex justitia, puta si uni debeatur propter stipendium, alteri ex gratuita promissione?

I. Exponitur. Conveniunt DD. cum Scoto, Soto, Corduba, & aliis passim apud Suar. d. 79. s. 9. triplicem esse fructum Sacrificii, Generalem, Specialem, seu Medium, & Specialissimum.

II. Generalis dicitur, qui in omnia Christi membra dividitur ex Christi institutione, cum pro omnibus, tam vivis, quam defunctis offeratur a Ministro publico Sacrificium, ex Trident. sess. 22. c. 6. Hunc fructum Suarius putat potius esse per modum impetrationis, quam ex opere operato, quia aliter deberent statim omnes animæ e Purgatorio liberari adjutæ tot Sacrificiis, quæ quotidie in toto orbe Deo offeruntur. Illum tamen ex consortio multorum non minui pro singulis docent communiter; quamvis unusquisque illum sortiatur, ut notat Gavantus, pro mensura suæ devotionis, ac dispositionis: non secus ac effectus Sacramentorum distribuitur *secundum propriam cujusque dispositionem, & cooperationem*, ut loquitur Trident. sess. 6. cap. 7. Quod etiam videtur colligi, ut notat Cajet. ex verbis Canonis, ubi dicitur: *Et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio*. Pro applicatione hujus fructus generalissimi nihil stipendii potest Sacerdos accipere, cum non sit liberum Sacerdoti illum suspendere, aut aliis applicare, quibus maluerit.

III. Specialis vero fructus, seu medius est ille, qui cedit in bonum illius, pro quo sacrificium ex intentione Sacerdotis offertur; & pro illo applicando potest Sacerdos stipendium, eleemosynam, aut sustentationem accipere, qua accepta ad id tenetur ex justitia. Utrum autem hic fructus æque prosit singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur? disputant Theologi. Affirmant probabiliter Cajet. Soto, Vasq. contra Suar. Con. Sicut enim Sacramentum Eucharistiæ est infinitæ efficaciæ in actu primo proximo, adeo ut eodem modo gratiam causet singulis, sive a pluribus, sive a paucioribus suscipiatur; ita pariter Sacrificium Eucharisticum non solum est infiniti valoris quoad sufficientiam, sed etiam habet infinitam efficaciam in actu primo proximo, tum relate ad audientes Missam, de quo non dubitatur, tum relate ad illos, pro quibus offertur; instar Solis, qui tam uni, quam multis æquale lumen impertit, & instar vocis, quæ æque a pluribus ac a paucioribus auditur: non secus ac omnes dicimus de Sacrificio cruento in ara crucis. Propterea æque videtur prodesse danti stipendium, etiamsi pro aliis offeratur: quamvis non possit ab aliis novum stipendium accipi; tum quia non potest pro hoc fructu incerto, & probabili accipi stipendium certum; quamvis enim pro aliis obligationibus, puta ex obedientia, ex voto, possit satisfieri solutione probabili, non tamen pro debitis ex justitia, cum non detur æqualitas inter debitum certum, & solutionem probabilem, seu incertam; Tum etiam quia aliter stipendium, quod non datur in pretium talis fructus, sed in congruam sustentationem Sacerdotis, posset crescere in infinitum, si pro pluribus, & pluribus idem Sacrificium offerretur.

IV. Denique fructus specialissimus, de quo in præsenti est sermo, dicitur ille, qui cedit in bonum ipsius celebrantis, unde dicitur etiam fructus Personalis. Hunc fructum, utpote ejusdem rationis cum speciali, seu medio, posse Sacerdotem aliis applicare ad arbitrium, non secus ac potest quilibet suam communionem v. gr. aut jejunium aliis applicare, qua-

quatenus sunt satisfactoria, & impetratoria, docent Soto, Navar. & alii contra Suar. Bonac. apud Dian. p. 2. tr. 14. ref. 14. Hinc Molfesius tr. 3. cap. 15. Barthol. ab Angelis dial. 5. §. 507. docuerunt posse Sacerdotem pro applicatione hujus partis specialissimæ novum stipendium accipere, atque adeo duplex stipendium pro eadem Missa: quod Homobonus, & Gavantus apud eumdem Dian. dixerunt non vacare sua probabilitate. Fil. vero, & Nav. putarunt, fructum specialissimum trium Missarum æquivalere fructui medio Missæ, atque adeo Sacerdotem pro illo applicando posse solum accipere tertiam partem stipendii consueti.

V. Quod autem istæ opiniones non sint improbabiles, etiam post decretum Urbani VIII. prohibentis stipendiorum pluralitatem pro una eademque Missa, docuit Barthol. a S. Fausto, & Peyr. apud Dian. p. 5. tr. 14. ref. 45. quia decretum illud videtur solum prohibere, ne pro fructu medio ejusdem Missæ multiplex stipendium accipiatur; eo quod illum tantum teneatur Sacerdos applicare pro dante stipendium, quin teneatur ad dandum alteri partem hanc specialissimam. Quare sicut in multorum sententia cum Lugo de Euch. d. 21. sect. 1. n. 21. & aliis apud Tamb. in Op. Miss. l. 3. c. 1. §. 3. n. 14., etiam post decretum Urbani Sacerdos potest accipere pro eadem Missa duplex stipendium integrum, alterum pro Præsentia, seu Officiatura, quando scil. petitur solum, quod Sacerdos tali tempore, & loco celebret, relinquendo illi expresse facultatem quod Missam pro alio applicet; & alterum pro Applicatione Sacrificii; quia illud stipendium sumitur pro labore illo Missæ externo; hoc secundum vero pro consueta sustentatione: & sicut potest duplex accipi stipendium ex eodem Tambur. n. 44. pro eadem Missa, si alter petat fructum impetratorium tantum, puta ad impetrandam salutem ægroti, alter satisfactorium tantum, videl. pro anima defuncti; (quando tamen offerentes stipendium in hoc expresse consentiunt) ita in casu nostro videtur pariter posse duplex stipendium accipi.

VI. Ostenditur tamen falsitas propositionis, quod scil. ea opinio non subsistat, & quod obstet etiam illi decretum Urbani VIII. Debito ex justitia certo, ut diximus, non potest satisfieri solutione probabili, & incerta, cum non detur inter jus activum certum, & passivum incertum adæquatio ad actum justitiæ essentialiter requisita: sed conferens duplex stipendium habet jus activum certum ad duplicem fructum Missæ; applicans vero fructum medium, & specialissimum non confert duplicem fructum certum: ergo non potest propter applicationem utriusque fructus duplex stipendium accipere. Probatur minor, quia omnino incertum est, an possit fructus specialissimus alteri applicari, cum Suar. Bonac., & alii id negent; quamvis enim sit ejusdem rationis cum fructu medio, non constat tamen, quod Christus D. voluerit posse pro aliis applicari. Neque est efficax paritas adducta, quod scil. possimus pro aliis applicare communionem, aut jejunium, secundum quod sunt impetratoria, & satisfactoria, licet non secundum quod sunt meritoria. Nam applicando aliis nostram communionem, & jejunium, applicamus illis fructum istorum operum, qui provenit ex opere operantis, quem constat posse aliis applicari: at applicando fructum specialissimum Missæ, Sacerdos applicaret fructum ex opere operato, de quo non constat, num possit aliis applicari, ut fructus medius, an vero sit inapplicabilis, ut fructus generalissimus? Præterquamquod dubium etiam est inter Doctores, an fructus specialissimus æquivalcat uni fructui medio, an tertiæ parti illius, an minori? Unde contra justitiam est duplex stipendium pro eadem Missa accipere, applicando petenti præter fructum medium etiam partem specialissimam.

VII. Adde stipendium non dari in pretium fructus Sacrificii, ut patet, neque in pretium laboris intrinseci, seu necessario requisiti ad sacrificandum; cum etiam venditio hujus laboris intrinseci sit simoniaca: Gratis enim hujusmodi labor exhiberi debet, juxta præceptum Christi D. Matth. 10. *Gratis habuistis, gratis date*; & qui illum venderet, censeretur vendere pretio temporali rem ipsam spiritualem, ex illa Regula Urb. Papæ in cap. *Si quis objecerit*, 1. qu. 3. *Qui horum alterum vendiderit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit*; quare stipendium unice videtur dari posse in sustentationem Sacerdotis, ut ostendit Lugod. 21. de Eucharistia sect. 1. Sicut enim Pictor dicitur gratis pingere, etiamsi colores, telam, & alia ad picturam necessaria accipiat, inter quæ est sustentatio pictoris; ita gratis dicitur celebrare, qui accipit vinum, candelas, hostiam, & alia ad Sacrificium necessaria, inter quæ est congrua Sacerdotis sustentatio; quippe quæ debita est jure naturæ: dicitur enim Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*: & ad Rom. 15. *Qui altari servit, de altari vivere debet*. Cum autem congrua sustentatio habeatur per unicum stipendium consuetum, quod solum aliquando per accidens possit alterari, v. g. die Nativitatis Domini accipiendo pro tribus Sacris triplex stipendium, vel diebus festis accipiendo stipendium pinguius juxta consuetudinem loci, ut docent Homobonus, Marchan., & alii contra Dianam p. 2. tr. 14. ref. 9., eo quod hoc majus stipendium horum dierum simul cum aliis non excedat congruam sustentationem Sacerdotis pro toto anno; hinc si posset quotidie Sacerdos duplicatum stipendium accipere pro eadem Missa, applicando petenti etiam fructum specialissimum, sequeretur quod acciperet pretium non pro congrua sustentatione, sed pro re illa spirituali, quam venderet: unde committeret simoniam.

VIII. Ex quibus sequitur, quod Urbanus VIII. in eo decreto non solum vetuerit, ne quis pro fructu medio Sacrificii multiplex stipendium accipiat, sed etiam ne alterum pro fructu medio, alterum pro specialissimo, cum utrumque injustitiam, & simoniam sapiat; quamvis enim Sacerdos non teneatur alteri partem specialissimam Sacrificii applicare, nequit tamen pro ea quicquam accipere; tum quia incertum est an ea possit alienari; tum etiam quia novum stipendium pro illa acceptum excederet congruam sustentationem, atque adeo simoniace venderetur res spiritualis.

IX. Neque obstat primo, quod possit etiam post decretum Urbani accipi pro eadem Missa duplex stipendium, alterum pro præsentia, seu officiatura, alterum pro applicatione Sacrificii, ut olim docuit Suar. disp. 86. sect. 5., & Vasq. d. 234. cap. 4. & post decretum docuit Lugo. Nam etiam hoc permisso, quod Gavantus, & Barbosa negant apud eumdem Tambur. loco laudato; intantum potest stipendium illud pro præsentia accipi, quia accipitur pro labore Missæ extrinseco; non enim tenetur Sacer-

dos eo tempore, & loco cum ſuo ſpeciali incommodo celebrare. Præterea requiritur, ut offerens ſtipendium pro officiatura exprimat, aut ex circumſtantiis arguatur, quod contentus ſit ſola præſentia, vel ut honore talis locus afficiatur, vel ob concurſum populi, unde liceat alteri applicare ſacrificium: ſcienti enim, & volenti non fit injuria: quod ſi hoc non conſtet, certe nequit hoc duplex ſtipendium accipi, quia præſumitur, quod offerens ſtipendium velit utrumque. At in caſu noſtro nunquam poterit præſumi, quod offerens duplex ſtipendium contentus ſit illo tantum duplici fructu, Medio ſcil. & Specialiſſimo ejuſdem Miſſæ, unde nequit pro eadem Miſſa hoc duplex ſtipendium accipi.

X. Neque obſtat ſecundo, quod poſſit duplex ſtipendium accipi pro eadem Miſſa, ſi alter petat ſolam impetrationem, alter ſolam ſatisfactionem e ſacrificio promanantem, ut docent nonnulli apud Marchin. tr. 3. p. 2. c. 16. Nam pariter tunc ſolum id licet, quando uterque expreſſe conſenſit in hoc, quod alter tantum ex his effectibus ſibi applicetur; aliter cenſetur utrumque effectum velle: & quamvis videatur petere tantum impetrationem, qui petit Miſſam ad obtinendam ſalutem ægroti, implicite tamen petit etiam ſatisfactionem, ut ſibi proſit, aut animabus Purgatorii, quæ eandem ſalutem ægroti ſuis orationibus impetrent: & eodem modo qui petit Miſſam pro defunctis, non ſolum vult ſatisfactionem, ſed etiam impetrationem, vel ut ſibi proſit, vel ut impetrentur aliæ orationes, ac ſuffragia pro eodem defuncto, ut communius docent cum Suar. Bon. & Tamb.

XI. Neque obſtat tertio, quod juxta nonnullorum doctrinam apud Tamb. l. c. nu. 39. videatur poſſe aliquid plus accipi pro Miſſa a Sacerdote, ſi obliget ſe ad applicandum, præter fructum medium Sacrificii promanantem ex opere operato, etiam fructum ortum ex opere operantis; cum enim hic non debeatur danti ſtipendium, poterit aliquid pro illo accipi, ſi exhibeatur; ergo poterit etiam aliquid accipi pro fructu ſpecialiſſimo, qui pariter non debetur.

Nam eſto poſſit licite fructus ex opere operantis alteri a dante ſtipendium applicari, ut docent Hurtad. & Con. contra Tamb. l. c. falſum tamen eſt, quod poſſit aliquid pro eo accipi citra ſimoniam, poſito quod jam detur Sacerdoti congrua ſuſtentatio, ut ſupra diximus: ſicut nec poteſt aliquid accipi per hoc, quod in Miſſa applicetur Indulgentia defuncto; ut docuit Bordon. reſ. 25. Et dato quod poſſet aliquid accipi propter fructum ex opere operantis, juxta viam qua conceditur poſſe aliquid accipi pro litaniis, reſponſoriis, &c. vid. in partialem ſuſtentationem, ut videtur Tamb. admittere num. 49. non proinde ſequitur, quod poſſit etiam aliquid accipi pro fructu ſpecialiſſimo Miſſæ ex opere operato. Et ratio diſparitatis eſt, quia ille poteſt procul dubio alienari, quatenus eſt impetratorius, & ſatisfactorius: at dubium eſt, num fructus ſpecialiſſimus, qui eſt ex opere operato, poſſit aliis applicari, an vero ſit inalienabilis, ut fructus generaliſſimus: propterea contra juſtitiam eſt, quod ſtipendium certum accipiatur pro fructu dubio; niſi forte in id expreſſe conſentiat dans ſtipendium; tunc enim recurrit, quod ſcienti, & volenti non fiat injuria. Notat tamen Tamb. l. c. n. 8. non ſatis eſſe, quod in id conſentiant hæredes, vel legatarii, ſed requiri, quod conſentiant ii, pro quibus ſacrificium eſt offerendum, quia aliter iſtis injuria irrogatur.

XII. Difficultas eſt, utrum ex hac confixa theſi ſequatur, non licere unica Miſſa ſatisfacere duplici obligationi, quarum una tantum, vel neutra ſit ex juſtitia, applicando uni fructum medium, alteri ſpecialiſſimum, vel applicando uni impetrationem, quam petit, & alteri ſatisfactionem, aut applicando uni integrum Sacrificium, & alteri illud idem juxta probabilem opinionem, quod Sacrificium ſit valoris infiniti in actu primo proximo, adeo ut æque proſit ſingulis, ſive pro pluribus, ſive pro paucioribus offeratur? Tamb. n. 11. docet ex decreto Urbani VIII. atque adeo ex hac proſcripta theſi inferri ea non licere; tum quia ex contextu videtur decretum loqui tam de obligationibus ex juſtitia, quam de aliis obligationibus, puta ex promiſſione, ex voto, ex charitate; tum pariter quia opiniones iſtæ de alienabilitate fructus ſpecialiſſimi, & de infinitate Sacrificii quoad efficaciam in actu primo proximo, ſunt valde dubiæ; tum etiam quia promittens, aut offerens Miſſam non cenſetur offerre Miſſam, quæ alteri applicetur: præſertim quia licet fructus Sacrificii ex opere operato eſſet infinitus, non eſt tamen infinitus fructus, qui ex Eccleſiæ precibus ab eo promanat. Marchinus tamen tract. 3. p. 2. cap. 17. docet eo decreto hæc non prohiberi, ne implicite quidem; quod etiam probabile eſſe docet Dian. p. 6. tract. 6. reſ. 9. & p. 10. tract. 15. reſ. 43. ex Dicaſtil. Eſcobar, Lezana, & aliis. Et ratio videtur eſſe, quia ſoli obligationi certæ ex juſtitia nequit ſatisfieri ſolutione probabili, & incerta; ergo cum in caſu non detur obligatio ex juſtitia offerendi duplex Sacrificium, poterit idem Sacrificium uni offerri quoad impetrationem, quam tantum videtur petere, alteri quoad ſatisfactionem, vel utrique integrum Sacrificium offerri; cum negari non poſſit eſſe valde probabilem, non vero mere dubiam ſententiam de infinitate valoris Sacrificii in actu primo proximo.

Illud equidem cenſeo inconcuſſum, quod ſi uni debeatur Sacrificium ex juſtitia, illi debeatur abſolute omnis fructus Sacrificii; pro altero vero ex charitate, liberalitate, gratitudine, fidelitate, poſſit illud idem Sacrificium offerri conditionate, ſi ſcil. vera ſit opinio de hac infinitate Sacrificii. Abſolute tamen offerri non poteſt pro altero, quando danti ſtipendium expreſſe promittitur, quod pro nullo alio illud idem offerendum ſit, ut conſtat ex propoſitione X. damnata mox explicanda. Quod ſi hoc non promittatur, juxta ſecundam tot DD. ſententiam poterit ſatisfieri eadem Miſſa pluribus obligationibus, quæ non ſint ex juſtitia. Prior tamen ſententia negativa videtur probabilior, ubi Miſſa alteri promittatur, etiam citra ſtipendium.

PRO-

PROPOSITIO IX.

Post Decretum Urbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendi sibi retenta.

SYNOPSIS.

I. Hoc lucrum præseferens sordidam negotiationem jure merito damnatur, quamvis probabiliter non sit vetitum jure naturali, si detur alteri stipendium justum. II. Videtur nonnullis Decretum Urbani VIII. quoad hanc prohibitionem non esse acceptatum, aut non esse in usu, ac proinde non obligare.

III. Verum ex eo præcise, quod a multis illud non servetur, non bene infertur non esse acceptatum, nec obligare. IV. Caret etiam fundamento sententia docens decretum quoad hanc partem obligare tantum sub levi. V. Videtur contra justitiam hujusmodi lucrum retineri, atque adeo restituendum.

VI. Rejicitur opposita sententia Bonacinæ.

VII. Retineri tamen licite illud potest, si sponte condonetur. VIII. Sicuti etiam si detur stipendium Missæ pinguius intuitu talis personæ, & in aliis casibus. IX. Beneficiarius, qui per alium celebrat, necnon habens Capellaniam, non tenetur Celebranti tribuere nisi congruam eleemosynam. X. Quid de executore testamenti, qui hac in re utitur industria ad lucrandum?

I. EXponitur. Decretum hæc habet: *Similiter omne damnabile lucrum ab Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti, qui Missam suscepit celebrandam cum aliqua eleemosyna, ne eandem Missam alteri, parte ejusdem eleemosynæ sibi retenta, celebrandam committat*. Probabiliter ex Suar. Vasq. Bon. d. 4. de Sacr. qu. ult., hoc non est vetitum jure naturali, dummodo alteri detur stipendium justum, & solum retineatur excessus stipendii accepti pinguioris: quia sic nec irrogatur injuria eroganti stipendium, cum revera detur illi Sacrificium, quod promissum est; neque Sacerdoti celebranti, cum detur ipsi stipendium legitime taxatum. Quia tamen hujusmodi sordidum lucrum plurima secum trahit incommoda, præsertim quod Sacerdos celebrans non excitetur ad orandum in Sacrificio eo speciali affectu, prout videtur velle, qui erogat illud pinguius stipendium; idcirco jure merito ab Urbano VIII. lucrum hoc vocatur damnabile, & prohibetur; esto antecedenter ad hanc prohibitionem Pontificiam malitiam ab intrinseco probabiliter non contineret; cum potuisset aliter illi incommodo obviam iri, puta si retinens sibi excessum illum stipendii, specialiter oraret pro eo, qui eleemosynam erogavit.

II. Marchinus tr. 3. p. 2. c. 32. apud Tamb. in Op. Miss. l. 3. c. 1. §. 5. n. 12. dixit, se audivisse in multis Italiæ locis, & Romæ in multis Collegiatis decretum quoad hanc partem non servari; ex quo nonnulli inferebant non esse acceptatum, atque adeo non obligare, juxta communem doctrinam in legibus positivis, quod si non acceptentur, non obligent; esto peccaverint, qui absque justa causa illas non acceptarint. Hoc etiam docuit F. Acacius de Velasco apud Mendo diss. 13. q. 6. Ut huic errori occurreret Alex. VII. hanc propositionem damnationi subjecit.

III. Ostenditur falsitas: quia ex hoc quod lex aliqua a multis non servetur, non bene infertur, quod non sit acceptata, nec obliget; præsertim si homines a lucro incitentur ad transgressionem, nec facile possint transgressores in foro externo deprehendi, ac puniri, nec detur causa justa, cur non acceptetur, ut accidit in casu nostro; ergo dicendum decretum Urbani etiam quoad hanc partem obligare.

IV. Bordonus resol. 25. apud eundem Mendo docuit, ex vi hujus decreti peccare quidem Sacerdotem in acceptione hujus lucri, sed non mortaliter, nec obligari ad illud restituendum. Ratio videtur esse, quia in eo decreto non imponitur transgressoribus ulla gravis pœna, nec apponitur prohibitioni clausula, quæ arguat legem istam positivam obligare sub gravi, qualis esset, sub obtestatione divini judicii, aut similis. Neque urget obligatio restituendi ex damnificatione, cum nulli damnum inferatur: aliter lege naturali obligaretur Sacerdos lucrum istud respuere, atque adeo independenter ab hoc decreto; quod communius non admittitur apud Bon. l. c.

Equidem huic opinioni non acquiesco; tum quia, ut notat Peyrin. apud Tamb. §. 5. num. 6., tam subtilis districtio Sacræ Congregationis indicat velle sub gravi obligare; quod pariter colligitur ex eo, quod voluerit Pontifex hanc nonam propositionem proscribere: tum etiam quia in decreto Urbani dicitur, *Similiter prohibet*: cum autem antecedenter Pontifex sub obtestatione Divini judicii mandaverit, quod tot Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ præscriptæ fuerint, aliter graviter peccent, & ad restitutionem teneantur; & deinde dicat, similiter prohibere hoc damnabile lucrum, sequitur, quod detur ad id obligatio sub gravi, & onus restitutionis: Tum demum, quia quamvis *Tò similiter* in eo decreto solum significaret, quod pariter prohibeatur, non vero, quod eodem modo prohibeatur, adhuc videtur lex ista obligare sub gravi ob materiæ gravitatem, qualis est removere ab Ecclesia hoc damnabile lucrum, & sordidam negotiationem cum detrimento ejus, qui erogat stipendium pingue ad excitandum Sacerdotem, ut cum majori affectu pro ipso oret, quod cessat, quoties celebrans habet stipendium justum. Communius autem docent, quod posita materiæ gravitate lex obliget sub gravi, nisi contrarium explicetur; quia præsumitur, quod legislator velit juxta qualitatem materiæ obligare: aliter propos. illam 32. ex damnatis ab eodem Alex. VII. *Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget*, possemus interpretari etiam de obligatione sub levi, quod nemo dixerit. Hinc Pontifex in Clem. *Exivi*, decernit Regulas D. Francisci obligare sub mortali, si utantur verbo præcepti, aut æquipollente præcepto. Præterquamquod quælibet lex Ecclesiastica obligat sub gravi, quoties ita usus, & consuetudo obligationem legis interpretatur: qualis est lex de servandis festis, de jejunio naturali ante sumptionem Eucharistiæ, de abstinentia a carnibus diebus vetitis, & aliæ hujusmodi; in casu autem nostro ita videtur hanc legem Urbani consuetudo interpretari, cum solus Bordonus in dubium

bium revocet hanc gravem obligationem; ergo &c.

V. Addo videri contra justitiam, saltem posita prohibitione Pontificis, hujusmodi lucrum retinere. Pontifex enim ea lege declarat, quod stipendium pro Missa celebranda relictum, quantum quantum est, Sacerdoti celebranti debeatur, non vero Sacerdoti per alium satisfacienti, prout videtur esse mens tradentis pingue stipendium, forte ut celebrantem excitet ad orandum cum affectu speciali: propterea Sacerdos retinens sibi excessum stipendii justi, videtur retinere, quod alteri debetur, atque adeo peccare contra justitiam graviter, nisi parvitas materiæ excuset, & ad restitutionem teneri.

VI. Neque dicas cum Bon. loc. cit. Sacerdotem, cui traditur stipendium pingue ad Missam celebrandam, non esse mere executorem talis dispositionis, sed evadere dominum illius stipendii cum onere, quod Missa sive a se, sive ab alio celebretur: unde si ab alio celebretur sive gratis, sive justo stipendio, satisfacit obligationi ex justitia, & ad summum peccat contra obedientiam violando hanc legem, quin teneatur ad restitutionem hujus lucri. Nam quamvis hoc non careat sua probabilitate (*a*), videtur tamen probabilius mentem tradentis pingue stipendium esse, quod dominium illius acquiratur a Sacerdote cum onere vel quod ipse celebret, vel quod integrum detur alteri, si per alium satisfaciat, nisi forte illud sponte condonetur; & quamvis id non explicetur a tradente stipendium, explicatur tamen sufficienter a decreto Urbani; propterea videtur, hujusmodi lucrum esse restituendum.

„ (*a*) Quid afficit pronomen *hoc*? Lege iterum „ Vivæ contextum. Nonne evidens est, non heic „ de Bordonii sententia loqui Vivam, sed de Bona- „ cinæ illa ratione, *Sacerdotem cui traditur* &c.? „ Sincerissimus tamen P. Concina *T. VIII. Th. Chr.* „ p. 464. ait de Viva: *refert sententiam Bordonii*, „ *asserentis non peccare contra justitiam* . . . . . *Sa-* „ *cerdotem hunc; sed solum contra obedientiam de-* „ *bitam Pontifici*: *in* QUAM OPINIONEM (fron- „ tem hominis!) *hoc judicium Probabilisticum pro-* „ *fert*: Quamvis hoc non careat sua probabilitate, „ videtur tamen probabilius &c. *Si sua probabilita-* „ *te non caret hæc opinio; ergo* (infert Concina „ falsitati stultitiam addens) *vi Probabilismi exe-* „ *cutioni demandari licite potest*, perinde ac si vi „ *Probabilismi executioni demandari licite* posset, „ quod est *contra obedientiam debitam Pontifici*, „ aut Probabillistæ probabile illud esse docerent, „ quod Pontificiis obstat sanctionibus, quum con- „ tra primo statuant, ut quid solide probabile sit, „ necesse esse, ut nulli aut naturali, aut Divinæ, „ aut Ecclesiasticæ legi adversetur.

VII. Retineri tamen potest hoc lucrum primo, si omnino sponte, & ex mera liberalitate condonetur ab eo, cui Missa traditur celebranda, ut communiter docent apud Tamb., sicut enim potest hic integrum stipendium condonare, & celebrare gratis; ita potest condonare illi excessum justi pretii. Cavendum tamen, ne condonatio ista sit oretenus tantum liberalis, re tamen vera sit coacta, & meticulosa; cum ad id facile Sacerdos inducatur metu, ne in posterum inveniat eleemosynas pro Missis celebrandis.

VIII. Secundo retineri probabiliter potest ex Tamb. n. 13. si moraliter constet stipendii justi excessum dari Sacerdoti liberaliter, non intuitu Missæ celebrandæ, sed intuitu personæ, quia vid. est amicus, vel pauper (*b*). Præterea si Collectores eleemosynarum pro missis sint Sacerdotes, & non tradantur iis Missæ celebrandæ, sed se habeant ut laici, qui curant Missarum celebrationem, poterunt ex Nav., Cord. Tamb. probabiliter contra Pelliz., Soto l. 9. de Justitia qu. 3. moderatam pro labore mercedem ex datis pro Missa suscipere, cum id videatur licitum jure naturæ (*c*). Suarius tamen disp. 86. sect. 3. docet consuetudinem hanc, sicubi esset, non esse consilio, sed correctioni subjiciendam, cum sapiat turpem quæstum. Similiter ex declaratione Sacr. Congreg. ad septimum dubium, poterunt Ecclesiæ, vel loca pia valorem expensarum, quæ pro ipsomet Sacrificio necessario sunt subeundæ, ex eleemosynis pro Missis detrahere, dummodo non habeant reditus, quos in usum earundem expensarum erogare licite possint.

„ (*b*) *Qui exercere erga amicum liberalitatem* „ *vult*, & *misericordiam erga pauperem*, inquit „ Concina l. c., *alia via id præstet*. Egregie; at „ non id quæritur: quod quæritur est, num si re- „ vera hac via id præstet, liceat hoc lucrum reti- „ nere?

„ (*c*) P. Concinæ displicet hæc opinio, sed an- „ te ipsum Suario displicuerat, quem ipse Viva „ mox citat. Cæterum quod velit P. Concina ha- „ rum opinionum praxim damnatam a Benedicto „ XIV. Constit. XXII. *Quanta cura* alibi a nobis „ adlata, meo quidem judicio errat. Nam Ponti- „ fex vetat *mercimonia Missarum*, damnat illos, „ *qui eleemosynas colligunt in iis locis*, *in quibus* „ *stipendia*, *sive eleemosynæ pro Missis sunt pretii* „ *majoris*, *Missas vero celebrare curant in locis*, *in* „ *quibus pro minori pretio celebrari soleant*; nimi- „ rum qui quicquid superest pretii post minus illud „ solutum sibi usurpant; at non hoc est; *modera-* „ *tam pro labore mercedem ex datis pro Missa susci-* „ *pere*, quod licere Tamburino visum fuit. Quan- „ tum inter utrumque distat! Abolenda tamen est „ ea sicubi viget, consuetudo, ut bene monet „ Suarius.

IX. Tertio Beneficiarius, qui potest missam per alium celebrare, poterit tribuere alteri congruam eleemosynam, nisi in fundatione aliter cautum fuerit; & pingues beneficii fructus sibi retinere, ut declaravit eadem S. Congreg. in responsione ad octavum; Quod ex Lugo d. 2. de Euch. sect. 20. n. 30. videtur extendendum ad Capellanum, cum eadem sit ratio de utroque, quibus pinguens dantur reditus, ut alacrius quotidie altari deserviant, ac propter alia onera subeunda, puta in ornatu altaris. Et ex Tamb., & aliis extenditur etiam ad Sacerdotem, cui relinquitur pingue legatum annuum ad ejus vitam, cum onere certarum Missarum; videtur enim decretum loqui solum de eleemosyna manuali.

X. Addit Tamb., hoc lucrum retineri posse, si Sacerdos sit solum executor voluntatis Testatoris relinquentis justa stipendia pro Missis, & ille ex industria speciali, ad quam non tenetur, tradat Missas celebrandas in aliis locis, ubi justum Missæ stipendium ab Episcopo, vel a consuetudine taxatum est minus; dummodo tamen nenconstet, quod Testator voluerit Sacerdotibus illius loci benefacere. Et ratio videtur esse, tum quia in hoc casu non sequitur illud incommodum, quod Sacer-

cerdos careat incitamento ad orandum speciali affectu, cum stipendium relictum supponatur esse justum, & non pingue; tum etiam quia non violatur decretum Urbani, quippe quod solum loquitur de Sacerdote, cui Missa traditur celebranda: & favet doctrina illa communis, quod si quis rem alienam vendat ex commissione, & sua sponte transferat illam in locum, ubi carius venditur, poterit sibi acquirere excessum pretii, tanquam fructum specialis industriæ, ad quam non tenebatur. Verum huic sententiæ non censeo acquiescendum, quia juxta doctrinam Suar. loc. cit. hujusmodi lucrum videtur sapere turpem quæstum, dum convertitur in quandam materiam negotiationis eleemosyna collata pro celebratione Missarum.

PROPOSITIO XII.

Non est contra justitiam pro pluribus Sacrificiis stipendium accipere, & Sacrificium unum offerre; Neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam, promissione etiam juramento firmata, danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

SYNOPSIS.

I. Nititur hæc Thesis in infinito Missæ valore non solum quoad sufficientiam, sed etiam quoad efficaciam in actu primo proximo. II. Ex decreto tamen Urbani VIII., & ratione constat peccare graviter, & ad restitutionem teneri, qui, accepto pro pluribus Sacrificiis stipendio, unum dumtaxat offert.

III. Peccat pariter contra fidelitatem, qui Sacrificium promittit alicui cum obligatione, quod non sit illud pro aliis oblaturus; si deinde pro alio offerat fructum Missæ specialem, secus vero si specialissimum.

IV. Peccatne contra justitiam, qui accipit plura stipendia incongrua pro pluribus Sacrificiis & deinde unum tantum offert? V. Peccatne graviter, qui unum tantum Sacrificium omittit, si illud sit debitum ex justitia, aut ex fidelitate? VI. Cum possit Capellanus obligatus ad celebrandum quotidie semel singulis hebdomadis, juxta consuetudinem introductam, honestatis, seu æquitatis, ac debitæ devotionis causa vacare, poteritne novum stipendium accipere, si velit celebrare?

I. EXponitur Suarius disp. 86. de Sacr. sect. 2. fatetur neminem ex Auctoribus reperisse, qui neget esse contra justitiam accipere plura stipendia congrua pro pluribus Sacrificiis, & deinde unum tantum offerre: & quamvis aliqui, subdit Suar., id tribuant Cajetano, quatenus ex ejus opinione de infinito Missæ valore sequi videatur; nusquam tamen Cajetanus id directe docuit, cum id non sit practice probabile, etiam si vera esset opinio illa speculativa de infinito valore Sacrificii. Thomas tamen Hurtadus p. 2. moral. tract. 8. n. 369. apud Tamb. l. 3. de Sacrif. Miss. c. 1. §. 3. n. 7. videtur id expresse docuisse ductus ex hoc motivo, quod Missæ valor in actu primo proximo sit infinitus, quatenus si pro pluribus applicetur, nullus ex aliorum consortio patitur detrimentum. Thomæ Hurtado adstipulantur alii apud Mendo diss. 13. qu. 3. Immo nonnulli docuerunt, neque id esse contra fidelitatem, quamvis alicui promittatur etiam cum juramento, quod pro ipso tantum Sacrificium offeretur; quia scilicet videtur hujus promissionis juratæ sensus esse, quod promissarius non sit defraudandus integro Sacrificii fructu sibi debito; Sicut non esset contra fidelitatem, si quis juratus promitteret, quod Sacrificium non sit oblaturus pro alio, etiamsi partem Sacrificii specialissimam alteri offerret: quia scilicet promissio illa intelligenda est de fructu Sacrificii medio debito ex stipendio, non de specialissimo, qui nulli debetur, nisi expresse promittitur.

II. Ostenditur falsitas. Et primo quidem, id esse contra justitiam constat tum a posteriori, quia Urbanus VIII. in eo decreto de Celebr. Miss. dicit, hunc peccare graviter, & ad restitutionem teneri; non teneretur autem ad restitutionem, nisi contra justitiam peccaret: tum etiam quia contra justitiam est pro stipendio certo offerre fructum Sacrificii incertum, cum non coæquetur debitum certum cum solutione incerta. Quamvis autem illa opinio de infinita Sacrificii efficacia in actu primo proximo, quam explicavimus propositione 8., esset valde probabilis, adhuc est incerta, cum de ratione opinionis sit obscuritas & incertitudo; atque adeo incerta est in casu nostro solutio, quæ tamen certo est debita ex justitia.

Neque dicas, solum probabile esse, quod Missa hodierna olim applicata Petro, illi prosit, (cum id neget Vasq. & alii apud Lugo disp. 8. de Sacramentis n. 92.) & tamen Sacerdos, qui ex justitia tenetur celebrare pro Petro, satisfacit huic obligationi per solutionem probabilem, videl. per hoc, quod olim applicaverit Petro Sacrificium hodiernum: ergo etiam poterit in casu nostro per solutionem probabilem satisfacere obligationi ex justitia.

Nam dispar est ratio: quia in primo casu solutio non solum est probabilis, sed etiam probabilissima, & moraliter certa, unde non censetur invitus Petrus, si sibi sic satisfiat; at in casu nostro solutio probabilis esset valde incerta; unde censetur rationabiliter invitus offerens stipendium, quod Missa pro aliis etiam eodem modo offeratur. Et sane si eadem persona, ut notat Suar., det Sacerdoti centum aureos pro mille Sacrificiis, & Sacerdos unum tantum Sacrificium pro illa offerat, evidens est, quod peccet contra justitiam, cum operetur contra rationabilem ejus voluntatem, & contra pactum implicitum in ea largitione, & acceptatione contentum; ergo idem dicendum respectu diversarum personarum, si scilicet mille homines dent eidem Sacerdoti singuli julium pro oblatione unius Sacrificii, & Sacerdos unum offerat pro omnibus; etenim medium justitiæ, quod est medium rei, consistit in ipsis rebus, sive ad unam, eandemque personam dicant habitudinem, sive ad plures: propterea si furari decem aureos est mortale, idem erit sive ab uno, sive a pluribus auferantur; (esto furtum relate ad plures requirat ad mortale quantitatem aliquanto majorem) & si vendere rem carius est contra justitiam, idem erit sive pretium excedens ab uno, sive a pluribus accipiatur; ergo tam contra justitiam peccatur, si centum aurei pro mille Sacrificiis ab una persona, quam si a pluribus accipiantur, & deinde unum tantum offeratur.

III. Ex quibus sequitur, quod si promissione etiam

iam non jurata, etiam gratuita, & non onerosa, Sacerdos promittat alicui, quod Sacrificium pro ipso tantum sit oblaturus, contra fidelitatem peccet, si illud idem pro alio offerat. Quicquid enim sit, an hujusmodi promissio gratuita secundum se, independenter a ratione gravis damni, quod alias promissarius pateretur, obliget sub mortali, si materia sit notabilis, in quo variant DD. apud Less. l. 2. cap. 18. dub. 8., & apud Dian. p. 2. tr. 17. res. 9. sicut etiam variant in assignanda hac materia notabili; negari tamen non potest, quod promissio spontanea acceptata de re licita, & possibili, alteri grata, & utili, obliget in conscientia; unde peccatum non declinatur in casu nostro. Verum quidem est, quod promittens Petro Sacrificium, obligans se ad non offerendum illud pro alio, adhuc possit pro alio fructum specialissimum offerre, posito quod non se obligaverit expresse ad offerendum etiam hunc fructum Petro; & ratio est, quia in communi acceptione ita hæc verba accipiuntur, nec aliud intendit universim petens Sacrificium, quam fructum medium illius. At in casu nostro, qui petit, quod Sacrificium non offeratur pro alio, hoc intendit quod fructus medius Sacrificii non exponatur periculo dimidiationis, per hoc, quod juxta opinionem mere probabilem de infinito valore Sacrificii pro alio offeratur; ergo datur obligatio ex fidelitate non offerendi pro alio absolute.

Ultro tamen concedimus, quod possit hujusmodi Sacrificium pro alio offerri conditionate, hoc est in hypothesi, quod vera sit ea opinio; cum hoc non repugnet intentioni petentis pro se tantum Sacrificium offerri. Ex quo etiam fit, quod si quis juratus promittat se non oblaturum pro alio Sacrificium, adhuc possit conditionate pro alio offerre, juramentum enim sequitur naturam actus, super quem cadit, ut notat Less. l. 2. cap. 42. num. 22, quia accessorum sequitur naturam principalis ex Reg. 42. Juris in 6.; unde sicut non est perjurus, qui juratus promittit v. g. servaturum secretum, quamvis deinde revelet, deprehendendo, quod sit in damnum innocentis; quia scilicet subintelligitur ea tacita conditio; nisi vergat in damnum tertii; ita non est perjurus, qui juratus promittitit se non oblaturum pro alio Sacrificium, si deinde offerat pro alio conditionate, & citra præjudicium promissarii; quia similiter in ea promissione subintelligitur, quod non sit offerendum Sacrificium cum ullo ejus præjudicio.

IV. Difficultas hic discutienda est. Num peccet contra justitiam, qui pro pluribus Sacrificiis plura accipit stipendia incongrua æquivalentia uni congruo, & deinde unum tantum Sacrificium offert?

Ante decretum Urbani plurimi DD. cum Suar. Vasq. Cord. Tamb., & aliis apud Dian. p. 2. tr. 14. res. 7. docuerunt, quod qui ob necessitatem, vel paupertatem cogitur consentire ad celebrandum pro stipendio incongruo; possit citra injustitiam, atque adeo citra onus restitutionis servare se indemnem, & unico Sacrificio satisfacere pro pluribus obligationibus ex justitia contractis, quousque stipendia illa minus justa ad justum perveniant. Ex. gr. qui pro quinque assibus promisit unum sacrificium Petro, & alterum pro totidem assibus Paulo, poterit unum Sacrificium pro utroque offerre, ad eum modum, quo qui ob necessitatem cogitur emère triticum pretio injusto, poterit injustitiam pretii compensare, & servare se indemnem; quamvis enim peccaverit contra veracitatem ficte promittendo pretium injustum, non peccat tamen contra justitiam reddendo se indemnem; quia venditor volendo libere vendere consentit implicite ad rationem pretii justi, quod est de essentia venditoris. Sic etiam mutuatarius, quamvis ficte usuras promiserit usurario coactus necessitate mutui, potest deinde se indemnem servare; quia mutuator consentiendo libere in mutuum, conseutit implicite in leges mutuo intrinsecas, atque adeo ad non accipiendam usuram.

Quinimo Th. Tamb. l. c. n. 53. cum aliis relatis a Marchin. putat, etiam post decretum Urbani hanc opinionem subsistere, dummodo tamen offerens tenuem eleemosynam non esset inventurus alios, qui citra consimilem paupertatem, ac necessitatem pro ea modica stipe essent integrum Sacrificium oblaturi; in hoc enim casu promissio tua mendax, & ficta esset illi causa damni injusti, posito, quod alios reperisset, qui pro stipendio incongruo essent celebraturi. Quod explicant exemplo famuli, seu operarii, qui si ob paupertatem cogitur parvo pretio vendere operam suam, non poterit per occultam compensationem accipere sibi a domino pretium commune, quando dominus in tanta multitudine operariorum reperisset alios, qui sponte eo parvo pretio inservirent; multitudo enim sicut mercium, ita & operariorum facit decrescere pretium mercis, & operraum. Verum quidem est, quod vendens aliquid pretio infra justum semper possit servare se indemnem, sicut etiam qui solvit usuras: & ratio est, quia nec emptor habet ullum jus ad pretium injustum, nec usurarius ad usuras: at petens a te Sacrificium pro qninque assibus, & petens tuum famulatum pro parvo pretio habet jus perquirendi alios, qui in id sponte consentiunt, unde ficta illa promissio tua est causa injusta damni, quod hic patitur, dum ficte promittendo cogis illum ad stipendium, aut pretium majus.

Equidem cum de Lugo, Marchino, Ascanio, Tamb., & Dian. l. c. censeo, post decretum Urbani nullatenus posse citra injustitiam, & citra onus restitutionis offerri unum Sarificium, quando plura Sacrificia promissa sunt, propter plura incongrua stipendia. Et quamvis ratiocinatio Thomæ Tamb. non careret sua probabilitate, spectato tantum decreto Urbani, quo præcipitur, *Ut ubi plura stipendia quamvis incongrua & exigua collata fuerint, ut Missæ celebrentur, quot ad rationem attributæ eleemosynæ proscriptæ fuerint*, ubi subtiliter hic Auctor advertit, Missas non esse celebrandas juxta præscriptum offerentis stipendium quomodocumque, sed juxta præscriptum ad rationem attributæ eleemosynæ, adeo ut si eleemosyna data sit limitate, etiam limitate debeatur applicatio Missæ: Nihilominus spectata responsione S. Congregationis ad tertium dubium videtur corruere Tamburini ratiocinatio. Interrogata enim S. Congregatio: *An Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneantur Missas ab offerente præscriptas celebrare?* absolute respondit, *Teneri*. Et ratio videtur esse, quia nisi hæc via omnino occludatur; magna sequuntur incommoda: facile enim quisque sibi persuaderet, eam pati paupertatem, aut necessitatem, ut possit onera Missarum ad rationem stipendii congrui reducere, & passim Missæ pro stipendiis incongruis promitterentur.

Verum Peyrinus tom. 3. privil. cap. p. pr. n. 26. non

non obstante responsione laudata S. Congregationis decernentis Sacerdotes ad Missas præscriptas teneri, etiamsi accepissent stipendium minus congruum, adhuc subscribit opinioni Tamburini, putatque S. Congregationem intelligendam esse de Sacerdote omnino voluntarie accipiente stipendium minus congruum; non autem de eo, qui recipit illud coactus ex paupertate, sicut famulus, qui necessitate adstrictus mercedem incongruam pactus est, potest se servare indemnem. Pelliz. tamen tr. 6. cap. 3. num. 32. hæc omnia perpendens non audet hanc Peyrini sententiam approbare; Neque ipse ausim; & quod dicitur de famulo, discutietur, quando agemus de propositione 37. ab Innoc. XI. proscripta.

V. Quærendum etiam, Num graviter contra justitiam peccet, qui accepto duplici stipendio unum tantum Sacrificium offert pro utroque? & Num etiam contra fidelitatem peccet graviter, qui unum Sacrum offert debens duo ratione promissionis; præsertim si promissio fuerit juramento firmata; An vero ratione parvitatis materiæ excusetur a mortali in utroque casu?

Respondeo cum Sanchez l. p. de Matrim. d. 5. num. 5., & aliis contra Nav., & Bonac. apud Dian. p. 2. tr. 17. res. 9. quod si omittatur una, vel altera Missa liberaliter promissa; aut si pro debito duarum liberaliter promissarum una tantum offeratur, non peccetur graviter, quia damnum illud spirituale, quo illi privantur, non videtur notabile; sicut non peccatur graviter omittendo Salutationem Angelicam alteri promissam etiam cum juramento: quamvis enim quodvis bonum spirituale sit majus omni bono temporali; at gravitas boni spiritualis in his casibus attenditur juxta facilitatem habendi consimile; quia autem facile potest haberi Sacrum erogando julium; ideo sicut non est mortale negare julium promissum, ita nec Missam promissam. Idem itaque dicendum cum Tamb. §. 9. num. 22. siquis unam, aut alteram Missam promittat liberaliter cum juramento, supposita probabilissima opinione, quod juramentum promissorium in materia levi non obliget graviter: Quamvis proculdubio graviter peccet, qui omittit etiam audire, nedum celebrare unam Missam debitam ex voto, aut juramento Deo exhibito, aut debitam ex præcepto Superioris: quia in tali casu materiæ gravitas desumitur ex honore, & cultu, qui Deo per Sacrificium exhibetur, non ex bono spirituali alterius: quod autem unicum Sacrificium gravem Dei cultum contineat, est omnium sententia; aliter non peccaret graviter, qui omitteret Sacrum die festo. Ex his Pelliz. cap. 3. num. 4. docuit contra communem DD. quod neque peccet mortaliter, qui unam tantum Missam omittit debitam ex stipendio; quia sicut censetur leve damnum spirituale, quo privatur ille, cui debetur unum Sacrum ex liberalitate, ita pariter si debeatur ex justitia: Quæ doctrina videtur confirmari ex eo, quod docet Peyrinus t. 3. c. pr. n. 17. ubi habet, quod qui non potest recuperare stipendium debitum ex aliis Missis celebratis, si offeratur novum stipendium pro Missis celebrandis, possit illud sibi retinere in compensationem debiti præteriti. Verum quia, quando quis ex contractu oneroso obligat Sacerdotem ad faciendum Sacrum, videtur esse graviter invitus, & quidem rationabiliter, quod Sacro privetur, quo indiget sæpe ob gravem necessitatem sive spiritualem, sive temporalem, ideo communissime apud Tamb. §. 9. n. 14. docent esse mortale omittere unum Sacrum debitum ex justitia. Immo a Laym. Bonac. Gobat causa 17. num. 596. putatur etiam mortale aliquando illud differre; ut si quis petat Sacrum pro gravi ægritudine filii, & interim moriatur ex dilatione Sacri, a quo probabiliter poterat salutem obtinere.

Quod tamen attinet ad restitutionem; qui unum Sacrum ex justitia debitum omittit, nonnisi carolenum tenetur restituere, quo possit creditor consimile bonum spirituale, si velit, obtinere dando illud pro alio Sacro: propterea negligere restitutionem caroleni hujus est veniale ex parvitate materiæ, ut docent communiter. Qui vero omittit Sacra promissa ex liberalitate, ut ad materiam gravem perveniat, docent communius DD. cum Sanc. l. c. Less. 1. c. 18. n. 56., quod requiratur quantitas quadruplo major, quam in materia justitiæ; unde si in materia justitiæ quantitas gravis obligans ad restitutionem essent v. g. tres Missæ omissæ, in materia fidelitatis, requiruntur duodecim. In opinione vero illorum, qui docent cum Cajet. Sà, & aliis apud eumdem Less. fidelitatem per se nunquam obligare graviter, eo quod nullus promittens liberaliter velit se graviter obligare ad promissum servandum, tunc nunquam datur obligatio gravis restituendi ex omissione Missarum sponte promissarum; ubi tamen promissio non sit juramento, aut instrumento firmata: tunc enim, ut notat Sà, censetur promittens velle dare alteri jus rigorosum, & gravem sibi injungere obligationem, non secus ac quando obligatur ex contractu oneroso; atque adeo quantitas obligans tunc graviter ad restitutionem ea ipsa est, quæ in materia justitiæ. Ex quibus omnibus innotescit, quid dicendum ad quæsitum propositum de eo, qui accepto duplici stipendio ob duplex Sacrum, unum tantum pro utroque offert.

VI. Difficultas denique est, An sit contra justitiam, & contra decretum Urbani, si a Capellano obligato ad celebrandum quotidie accipiatur stipendium novum pro Missis iis diebus, quibus ex cap. *Significatum* de Præbendis, honestatis, ac debitæ devotionis causa permittitur aliquando Sacrum omittere? Videtur, quod si pro alio celebret, & novum stipendium accipiat, unico Sacrificio duplici obligationi ex justitia satisfaciat; atque adeo justitiam violet in terminis hujus damnatæ propositionis.

Ad hoc dicendum, primo aspectu videri, quod justitia non violetur; dum enim Fundator Beneficii non cogit Sacerdotem ad celebrandum quotidie, & permittit illi vacationem aliquando ob honestatem, seu æquitatem, aut ob debitam devotionem, hoc est, ne cogatur indevote ad Sacrum accedere, dum cogitur quotidie celebrare, videtur etiam illi permittere, quod si velit hac libertate se privare, & cum incommodo, ad quod non tenetur, celebrare, possit applicare Sacrificium alteri. Hinc si accipiat ab alio novum stipendium, huic tantum obligationi satisfacit, posito quod non teneatur illud Sacrificium pro Fundatore offerre, unde justitia non violatur. Communiter tamen cum Bonac. Peyr. Nald. Lugo, & aliis apud Tamb. c. 2. §. 2., & Dian. p. 2. tr. 14. res. 28. docent, posse quidem Sacerdotem semel in hebdomada vacare, idque ex consuetudine introducta: non posse tamen, si celebret, Sacrificium pro alio offerre, quam pro Fundatore, nisi

forte sexies circiter quotannis pro se, vel pro suis, aut ob gravem aliquam necessitatem ex præsumpta voluntate Fundatoris; nunquam tamen posse pro Missis aliud stipendium accipere; tum quia voluntas benigna Fundatoris dans stipendium, ut quotidie celebretur, præsumitur quidem, quod velit aliquam vacationem permittere ex honestate, seu (ut interpretatur Dian. l. c.) ex æquitate, ac ob majorem devotionem; sed non præsumitur, quod vacationem illam permittat, ut aliunde Sacerdos lucretur; tum etiam quia in eo c. *Significatum* dicitur, non licere Sacerdoti a Sacrificio vacare *causa voluptatis*, sed solum aliquando causa honestatis, ac debitæ devotionis; unde non potest præsumi de benigna mente Fundatoris, quod velit vacationem permittere ad otiandum, ut proinde licitum sit Sacerdoti otio prætermisso pro alio stipendium offerente celebrare. In hanc sententiam omnes Auctores uniformi calamo eunt. Quinimo Sac. Congregatio interrogata ab Episcopo Collensi, ut habetur in Synodo Neapolitana, Num liceat Sacerdoti habenti obligationem celebrandi quotidie aliquando vacare? & tunc si celebret, an possit pro se, vel pro suis Sacrificium offerre? & an possit etiam offerre Sacrificium pro alio, a quo novum stipendium accipiat? Respondit die 18. Septembr. 1683. posse quidem aliquando concurrente rationabili causa vacare; tunc autem non posse, si celebret, pro aliis Sacrificium offerre, quam pro Fundatore illius Capellaniæ. Imo interrogata etiam S. Congregatio ab eodem Episcopo, An die vacationis teneatur Sacerdos per alium satisfacere? noluit abnuere; sed dixit differendam esse ad tale dubium responsionem.

Equidem censeo, quod sicuti ex consuetudine introductum est, ut notant laudati DD. quod possit Sacerdos ex honestate, seu æquitate semel in hebdomada vacare, id præsumendo rationabiliter ex benigna mente Fundatoris, ita possit etiam consuetudine introduci, quod possit Sacerdos ex benigna pariter mente Fundatoris eo die vacationis velle subesse illi incommodo, ad quod non tenetur, & celebrando alteri a Fundatore Sacrificium offerre, & ab eo stipendium accipere. Ea tamen consuetudo legitime præscripta nusquam legitur introducta; unde verius dicendus est abusus id, quod hac in re nonnullis in locis auditur; ad præscribendam enim consuetudinem requiritur, quod sit rationabilis, quod Superiore sciente, & non contradicente, cum facile possit, legi contraveniatur, idque saltem per decennium ex Palao t. 2. tr. 10. disp. un. pun. 4. Sà, Suar. apud Dian. p. 5. tr. 14. ref. 92., & aliis, quæ vix in casu reperias, esto contingere alicubi possint.

PROPOSITIO XI.

Peccata in Confessione omissa, seu oblita ob instans Periculum vitæ, aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

SYNOPSIS.

I. Vix auctorem reperias, qui in hanc sententiam calamo iverit. II. Ejus ratio videtur esse, quia ex Tridentino solum datur obligatio subjiciendi clavibus peccata, quæ tunc memoriæ occurrunt. III. Tum etiam quia sicut absolutus universim a censuris non tenetur novam absolutionem petere, si deinde aliqua memoriæ occurrat, ita nec absolutus a peccatis.

IV. Sic absolutus ab omnibus reservatis non debet Superiorem adire, si alicujus deinde recordetur.

V. Et qui dicit se peccasse decies circiter, non tenetur iterum confiteri, si de decimo recordetur.

VI. Verum ex Tridentino omnia mortalia crimina ad hoc Tribunal deferenda, quoties memoriæ occurrunt, & nullum subest impedimentum. VII. Sicuti qui ex carentia Confessarii non confitetur simpliciter, tenetur deinde, ubi detur opportunitas; ita qui ex oblivione, aut alio impedimento non confitetur aliquod mortale, tenetur deinde, cum poterit, absolutionem directam de illo petere. VIII. Ex præcepto Divino de integritate materiali Confessionis, & ex praxi Ecclesiæ constat, quomodo interpretandum sit Tridentinum loquens de obligatione subjiciendi clavibus peccata, quæ memoriæ occurrunt. IX. Dispar est ratio inter Absolutionem a Censuris, & Absolutionem a Peccatis. X. Necnon in aliis casibus adductis. XI. Peccatum manifestatum in Confessione ut dubium, si deinde deprehendatur ut certum, debetne iterum subjici clavibus? XII. Et si ante Communionem occurrat memoriæ aliquod peccatum oblitum, tenemurne iterum ante susceptionem Eucharistiæ ad Confessarium redire? XIII. Quousque poterit differri Confessio oblitorum, postquam in memoriam venerint?

I. Exponitur. Vix, aut ne vix quidem aliquem ex Auctoribus reperias, qui calamo in hunc errorem iverit; usque adeo a communi sensu abhorret. Leander a Murcia ex ordine Capuccinorum l. 2. disquis. mor. disp. 9. res. 25. quæstionem hanc in disputationem adduxit; & testatur, se vidisse subscriptionem duodecim virorum doctissimorum Regni Neapolitani stantium pro hac opinione.

II. Illud videtur posse esse fundamentum aliquod hallucinationis. Primo, quia Tridentinum sess. 14. c. 5. explicans onera Confessionis dicit, ea non esse carnificinam conscientiarum; cum nihil aliud a pœnitentibus exigatur, quam ut post diligens examen ea peccata confiteantur, quæ memoriæ occurrunt, reliqua vero eadem confessione inclusa esse intelligantur; cum autem non meminerit Tridentinum de hoc alio onere subjiciendi illa deinde clavibus, si occurrant, imo positive excludat quodcumque aliud onus, dum dicit, *nihil aliud a pœnitentibus exigi*, videntur peccata oblita in prima confessione jam Sacramentaliter absoluta, quamvis indirecte, non esse amplius aperienda. Et eadem esse debet ratio de peccatis omissis ob causam urgentem, (de quo dicendum in expositione propositionis 59. Innoc. XI.) cum noluerit benignissimus Redemptor in hoc Sacramento cum magno incommodo nos obligare ad materialem integritatem, contentus de formali, seu morali; idest quantum moraliter loquendo hic & nunc fieri potest.

III. Secundo, quia ex Suar. disput. 22. de cens. sect. 5. & aliis passim, Si quis generaliter ab habente facultatem absolvatur ab omnibus censuris, ita remanet absolutus ab oblitis, ut non teneatur amplius ab iis petere absolutionem, etiamsi memoriæ occurrant: ergo idem dici posset de peccatis.

IV. Tertio probabiliter ex Regin. Sylv., Con. Nav., & aliis apud Dian. p. 2. tr. 11. res. 29. cum Lugo d. 20. num. 100. contra Suar., Vasq., Bonac. absolutus ab habente potestatem a reservatis oblitis indi-

indirecte, omnino liber est a reservatione; unde, si memoriæ occurrant, non tenetur ad superiorem redire, sed ab inferiore poterunt directe absolvi: ergo absolutus indirecte ab oblitis remanet pariter omnino liber ab illis, quin teneatur ad Confessarium redire.

V. Quarto, qui dicit in Confessione se decies circiter peccasse, prout meminit, si deinde advertat se peccasse undecies, non tenetur iterum illud undecimum peccatum subjicere clavibus, cum fuerit in ea confessione, & absolutione inclusum; atqui etiam ex Trid. l. c. peccata oblita intelliguntur in confessione inclusa; ergo neque tenemur illa amplius subjicere clavibus, quando memoriæ occurrunt.

VI. Ostenditur falsitas, quia ex Trident. sess. 14. c. 3. Christus D. Sacerdotes sui ipsius Vicarios reliquit, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in quæ Christi fideles ceciderint; ergo ex lege Christi D. ad hoc Tribunal deferenda sunt omnia peccata, nisi detur legitimum aliquod impedimentum, quo sublato, obligatio Divinæ legis statim urget; atque adeo peccata, quæ aliquando propter oblivionem, aut aliam causam omissa sunt, cessante hac causa, tenemur in alia confessione exprimere.

VII. Confirmatur, quia si quis aliquando non possit simpliciter ullum peccatum subjicere clavibus, puta quia caret copia Sacerdotis degens inter Gentiles, non per hoc simpliciter tollitur obligatio subjiciendi mortalia clavibus, ubi detur opportunitas; ergo si aliquando propter oblivionem, aut aliam causam non possit aliquod tantum peccatum aperire, cessante hoc impedimento, tenetur pariter illud in sequenti confessione exprimere; sicut enim se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad secundum quid. Quare sicut post contritionem, cui remissio peccatorum annectitur, adhuc remanet onus Confessionis; ita post confessionem, in qua peccata oblita sunt indirecte absoluta, adhuc remanet onus aperiendi illa, si memoriæ occurrant. Quod pariter constat ex usu, & praxi Ecclesiæ, & communissimo omnium sensu.

VIII. Ad primam rationem in contrarium, Trid. docet contra hæreticos confessionem non esse carnificinam conscientiarum, cum non obliget Christus D. ad confitenda peccata, quæ aut physice non possumus, ut sunt oblita; aut moraliter, ut quæ non possumus sine gravi incommodo; & ideo dixit nihil aliud a pœnitentibus exigi, quam ut confiteantur, quæ memoriæ occurrunt. Hinc tamen non fit, excludere onus ea confitendi statim ac occurrunt memoriæ; imo ex his ipsis verbis eruitur hujusmodi onus esse impositum. Cæterum etiamsi ex his verbis illud non eruatur manifeste, constat tamen ex integritate materiali confessionis jure Divino præcepta, & ex usu, praxi, & sensu Ecclesiæ.

IX. Ad secundam, Disparitas inter peccata, & censuras oblitas est, quia judicium Sacramentale, in quo datur absolutio a peccatis, per se exigit cognitionem causæ, eo quod ad salutem & curationem animæ, & ad satisfactionem Divinæ offensæ ordinetur; & ideo etiam peccata oblita, quamvis indirecte Sacramentaliter absoluta, deferenda deinde sunt ad hoc Tribunal, quando memoriæ occurrant, ad obtinendam directam absolutionem; & ut congrua medicina abhibeatur, ac pœna imponatur; Contra vero absolutio a censuris per se non habet alium effectum, neque ad alium finem ordinatur nisi ad tollendum illud Ecclesiasticum impedimentum: ergo sive directe, sive indirecte tollatur excommunicatio, semper remanet pœnitens absolutus, absque illo impedimento, & absque alio onere. Quod ex eo etiam patet, ut advertit Suar. l. c., quia potest, ac solet aliquando dari absolutio a censuris absque ulla earum confessione, etiamsi reo non innotescant, dicendo, Absolvo te a censuris, si forte indiges; at nequit absolutio Sacramentalis dari citra confessionem peccatorum, quæ memoriæ occurrunt: ergo ad absolutionem peccatorum per se requiritur cognitio causæ, secus vero ad absolutionem censurarum; unde censuræ oblitæ non absolvuntur cum eo onere, cum quo peccata oblita.

Ad tertiam recurrit eadem responsio, & disparitas.

X. Ad ultimam, idcirco non tenetur illud undecimum peccatum iterum clavibus subjicere, quia jam subjectum fuit, prout erat in conscientia, atque adeo directe fuit absolutum; unde quamvis deinde deprehendatur ut certum peccatum, quod subjectum fuerat ut dubium per illa verba, Peccavi decies circiter, non datur onus iterum illud confitendi, ut docent communiter cum Suar. d. 22. sect. 5. Vasq. quæst. 91. art. 1. d. 6. Con. Lugo disp. 16. de Pœn. n. 78. contra Martin. Perez. d. 21. de Pœn. sect. 5. At in casu nostro nullatenus subjecta sunt clavibus peccata oblita, nec sunt directe absoluta; unde nil mirum, quod remaneat onus ea aperiendi in sequenti confessione.

XI. Dubitatur tamen acerrime; Utrum peccatum manifestatum ut dubium se habeat instar peccati obliti; ita ut, si deprehendatur deinde ut certum, debeat iterum subjici clavibus ut certum? Negat aperte Arriaga disp. 31. sect. 6. Leander, & alii ob paritatem illam a Lugo adductam disp. 16. sect. 2., quia scil. qui in confessione dicit se peccasse decies circiter, & deinde deprehendit peccasse undecies, non tenetur iterum clavibus subjicere hoc peccatum undecimum, quod ut dubium manifestatum fuerat, & prout tunc erat in conscientia; ergo qui confitetur unum tantum mortale, puta perjurium, ut dubium, si deinde deprehendat vere peccatum hoc commisisse, neque tenetur amplius illud aperire ut certum. Fatetur idem Lugo non agnoscere ullam in his casibus disparitatem, unde putat incohærenter admitti primum, & negari secundum: Idemque judicarunt alii viri docti, cum quibus rem contulit, præsertim Magister Sacri Palatii Reverendissimus Riccardus. (*a*) Quod ex eo videtur confirmari, quia praxis communis fidelium fert, quod pueri, & rustici, qui crasso modo confitentur, minus subtiliter explicando numerum peccatorum, non obligentur ad confessiones repetendas, quando magis instructi possent peccatorum numerum magis certum aperire; sufficit enim, quod ea fuerint tunc clavibus subjecta bona fide, prout erant in conscientia, & quod Confessarius ex tali modo confitendi cognoverit numerum peccatorum confusum, quantum ab iis explicari poterat, ut aperte docet Suar. d. 22. sect. 5. n. 38., & alii passim; ergo pariter qui confitetur peccatum dubium, non debet Confessionem illius repetere, si deinde ut certum deprehendat. Sicut qui obtinet absolutionem a censura dubia, aut dispensationem in voto, aut impedimento dirimente dubio, non tenetur iterum petere absolutionem, vel dispensationem, si deprehendat illa ut certa. Et ratio a priori videtur esse, tum

quia

quia abſolutio a peccato illo manifeſtato ut dubio collata fuit directe ; tum etiam quia ex Trid. l. c. ſolum tenemur aperire peccata , quorum poſt diligentem diſcuſſionem conſcientiam habemus ; cum autem conſcientia dividatur in certam , opinativam, dubiam , ſcrupuloſam , &c. qui manifeſtavit peccatum prout erat in conſcientia dubia , videtur ſuæ obligationi feciſſe ſatis.

(*a*) „ Patuzzius *T. III. p.* 434. ex Milante contendit, Card. de Lugo non eſſe habendam fidem, id eſt eſſe illum mentitum , dum ſibi a Riccardo dicta narravit ; quod hominis eſt , qui pudorem omnem abjecerit . Quem enim non pudeat, niſi effrons omnino ſit, doctiſſimum , piiſſimumque Cardinalem mendacii incuſare ſine tabulis , ſine teſtibus? una hac de cauſſa , ne Dominicanus unus erraſſe videatur. Sed age ſtultiſſimam, impudentiſſimamque accuſationem penitus conſideremus . Cui bono (nam Caſſianum hoc in ejuſmodi caſibus ob oculos ſemper habendum) cui , inquam , bono fuiſſet mentiri . Nam Cardinalis de Lugo ab ea , quam Riccardo tribuit , ſententia tandem diſcedit *num.* 93. Si illam Cardinalis docuiſſet ſententiam, fortaſſe aliquid cauſſæ fuiſſet, cur ſibi ab auctoritate Riccardi patrocinium mendacio adſciſceret ; & quum eam deſeruerit , vel ſtultus fuerit oportet, cui ſine cauſſa mentiri libuerit , vel ſceleſtiſſimus , qui ſententiam abſurdam per apertum mendacium Magiſtro Sacri Palatii tribuerit ; quorum alterum ſapientiæ, alterum pietati Lugonis adverſatur.

„ Verum & illud animadvertendum eſt, Cardinalem de Pœnitentia volumen ſuum non vivo ſolum Riccardo , ſed de ejus facultate edidiſſe . Anne vero credibile ſit , impudentem adeo fuiſſe Lugonem, ut mendacium, cujus a Riccardo poterat manifeſte convinci, proferre non dubitarit , immo librum, in quo illud continebatur, legendum illi, probandumque tradiderit ? At , inquit Patuzzius, numquam vel unus ex S. Thomæ diſcipulis hoc docuit . Ita ſit; igitur Riccardus non potuit ita ſentire? Ulluſne ex S. Thomæ diſcipulis docuit ante Bannezium, impleri per ſumptionem Euchariſticam ſpeciale Caritatis præceptum? tamen hoc ſenſit Bannezius . Aliis exemplis parco, ne invidiam Dominicanæ Scholæ videar velle conflare. Verum inſtat Patuzzius, *quod reapſe laudatus Card. de Lugo ſit in hac re ſuſpectæ fidei , ex eo clarius evincitur , quod inter patronos hujus confixæ Theſis aggreget . . . Petrum Ledeſma , & Dominicum Soto .* At quid ſi id ſine mendacio a Patuzzio ſcribi non potuiſſe contendero? De Lugo inter patronos hujus confixæ Theſis Petrum Ledeſma , & Dominicum Soto recenſet ? Ubinam ? cedo locum , redde verba . Et mirum ſane fuiſſet, hos a Viva omiſſos , quos de Lugo damnatæ Theſis patronos pronunciaſſet . Quid *omiſſos* dico? Ait Viva : *Vix aut ne vix quidem aliquem ex Auctoribus reperias , qui calamo in hunc errorem iverit*. Quid ergo? De Lugo *num.* 78. Ledeſmam , & Sotum citat pro doctrina illorum , *qui dicunt , quando pœnitens non potens determinare numerum certum peccatorum confitetur numerum veriſimilem*, v. gr. pejeravi decies PLUS, MINUSVE; *ſi poſtea recordetur , ſe pejeraſſe duodecim vicibus , non oportere id confiteri , quia illa verba* PLUS MINUSVE *complectuntur ad minus duo illa perjuria* . Hæccine eſt damnata theſis ? an non potius graviſſimorum Theologorum doctrina eſt, atque adeo communis? Quei ergo de Lugo traducitur , ut Ledeſmæ , & Soti ſententiis abuſus ad eos confixæ theſis patronis adſcribendos? Quamquam etſi (quod falſum omnino vides) de Lugo Ledeſmam , & Sotum damnatæ Theſis patronis adcenſuiſſet , propterea ne fidem in iis non mereretur , a Riccardo adcepiſſe ſe narrat? Quæ iſthæc conſecutio eſt ? Primum illud ex incuria , ex aliorum relatu , ex falſa Scriptorum illorum intelligentia proficiſci potuit ; hoc alterum nonniſi mendaciſſime ſcribi potuit . Quare illud non tam hominis , quam humanitatis vitium, hoc voluntatis peccatum fuiſſet. At licetne ex intellectus errore voluntatis culpam argumentando colligere? Fruſtra Patuzzius Milantem heic appellat ; fruſtra ſe hominis auctoritate tuetur . Cur Milantem heic jactat, qui a Milantis doctrina maxime abhorret? Primum iis credat, quæ Milantes adverſus Concinam de Apoſtolico-Monaſtica auctoritate diſputavit ; deinde nobis Milantis objiciat auctoritatem .

Verum Lugo non auſus eſt in hac re recedere a communi ſenſu; cum nullum repererit Scriptorem , qui huic ſententiæ adhæreret , & communiter doceant cum Sanch. l. p. c. 10. n. 69. Turr. , Dian. p. 3. tract. 4. reſ. 91. iterum ſubjiciendum clavibus peccatum manifeſtatum ut dubium , ſi deinde conſtet fuiſſe certum, quod etiam fuſe docet Martinus Perez diſp. 21. ſect. 5. Diſparitas autem inter hunc caſum , & illum , quo quis confitetur peccaſſe decies circiter , & deinde deprehendit ſe peccaſſe undecies, ea videtur eſſe; quia quando unum eſt peccatum dubium; quod ſubjicitur clavibus , hoc pertinet ad ſubſtantiam materiæ confeſſionis ; quando vero quis fatetur decies peccaſſe plus , minuſve , peccatum illud undecimum pertinet veluti ad circumſtantiam, ſeu ad multitudinem majorem , aut minorem peccatorum . Ad quod accedit , Manuale Regularium P. Franciſci Pellizz. prohibitum fuiſſe, donec nonnullæ opiniones deleantur, inter quas eſt iſta, quod ad hoc non obligemur .

XII. Dubitatur ulterius, Num peccata in confeſſione oblita, ſi memoriæ occurrant ante communionem , debeant ſubjici clavibus ante ſuſceptionem Euchariſtiæ , an poſſit deinde huic obligationi ſatisfieri?

Quod ante ſuſceptionem Euchariſtiæ conſcius peccati mortalis debeat confeſſionem præmittere, quin ſufficiat contritio , quæ cæteroqui ſufficit in ſuſceptione aliorum Sacramentorum , conſtat ex Trid. ſeſſ. 13. c. 7. , ubi dicitur hæc obligatio declarari ex Eccleſiaſtica conſuetudine fundata in illo præcepto , *Probet autem ſeipſum homo* . Propterea Vaſq., Suar. , & alii communiter contra nonnullos apud Dian. p. 9. reſ. 2. docent præceptum hoc eſſe Divinum . Ex quibus fit, non poſſe amplius poſt Tridentinum ſuſtineri ſententiam Cajetani in Summa V. *Communio*, Paludani , Cani , & aliorum putantium citra mortale poſſe conſcium peccati mortalis cum ſola contritione communicare , eo quod nullibi inveniatur præceptum Divinum , aut poſitivum de confeſſione Communioni præmittenda.

Quod vero in reverentiam tanti Sacramenti ſufficiat confeſſionem ſacramentalem præmiſiſſe , ita ut ſi deinde memoriæ occurrat aliquod mortale in ea confeſſione oblitum , non debeat ante communionem ſubjici clavibus , docuerunt Reginaldus , Præpoſitus,

positus, Ferrantinus, Cornejo, Garzias, & alii apud Dian. p. *9.* tr. 3. ref. 1., & apud Tamb. de Commun. cap. 1. §. 8. Hæc tamen sententia communissime rejicitur apud Lugo de Euch. n. *126*, & in Indice Expurgatorio Hispano a Cornejo est expuncta, imo per Edictum particulare Sanctæ Inquisitionis in Hispania est reprobata. Ratio potissima est praxis fidelium, quæ indicat præceptum Divinum de præmittenda confessione non solum formaliter, sed etiam materialiter integra ante Communionem. Sicut enim ex sola praxi fidelium docuit Trident. loc. cit. declarari nobis præceptum Divinum de præmittenda Confessione Communioni; ita eadem praxis, & communis fidelium sensus declarat pariter præceptum de præmittenda confessione materialiter integra: unde qui post confessionem sacramentalem recordatur peccati obliti, debet ante susceptionem Eucharistiæ illud clavibus subjicere in ordine ad absolutionem directam. Quod ex eo etiam innotescit, quia Sacerdos celebrans necessitate urgente absque prævia confessione mortalium, ex præcepto Ecclesiastico apud idem Trid. tenetur quamprimum confiteri, (hoc est intra triduum, ut dicemus in expositione propositionis *39.*, ubi etiam discutiemus, an præceptum hoc obliget etiam laicos communicantes, in quo DD. variant apud Dian. p. *9.* tr. 3. ref. 27.) Quod si reverentia tanto Sacramento debita exigit, ut Sacerdos quamprimum confiteatur, si non possit confessionem præmittere, a fortiori dicendum, quod confessio materialiter integra semper Communioni præmittenda sit, ubi necessitas urgens non excuset.

XIII. Dubitatur demum, Utrum peccata in Confessione oblita, aut ex rationabili causa omissa debeant quamprimum subjici clavibus, si memoriæ occurrant; an vero possit eorum confessio differri etiam per annum, usque ad sequentem Confessionem.

Communiter cum Vasq., Soto, Navarr. contra Sylv., Antoninum, Tabienam apud Martynum Perez disp. 24. sect. *9.* docent omittentem, etiam inculpabiliter, aliquo anno confessionem, teneri statim anno insequenti confiteri: sicut omittens, etiam inculpabiliter, tempore Paschali Communionem tenetur statim communicare; hæc enim præcepta non imponunt onus temporis affixum, ita ut eo elapso cesset obligatio, ut præceptum de recitandis horis, de audienda missa, de jejunando. Quod constat ex fine, & forma præceptorum; præcipitur siquidem Confessio *saltem singulis annis*; ex quibus verbis significatur, quod elapso anno obligatio non extinguatur. Qui tamen huic præcepto satisfecit, communius docent cum Suar. disp. *36.* sect. 4. Victoria, Nav. quod non teneatur statim iterum confiteri, si recordetur alicujus peccati in præcedenti Confessione obliti, sed sufficiat, quod peccatum illud clavibus subjiciatur in Confessione sequenti, etiamsi per annum hæc differatur. Ratio est, quia satisfecit jam præcepto Confessionis juxta finem ab eo intentum, quod non careat diu tali Sacramento, ejusque effectu, qui est peccatorum omnium remissio, & reconciliatio cum Deo offenso.

PROPOSITIO XII.

Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate.

SYNOPSIS.

I. Clemens VIII. prohibuit, ne Regulares absolvant a Casibus quos sibi reservant Episcopi. II. Paulus V. declaravit, quod neque a Casibus, seu peccatis, neque ab Excommunicationibus Sedi Apostolicæ, & Episcopo reservatis possint Regulares absolvere, quin expresserit alias censuras. III. Declaravit etiam Urbanus VIII. privilegium olim Regularibus concessum absolvendi ab iis casibus per privilegiorum confirmationem non revocasse. IV. Videri posset hujusmodi privilegium adhuc extare, cum ejus revocatio non fuerit in singulis provinciis publicata. V. Nec fuerit Religionibus intimata sufficienter. VI. Et quia ad revocandum hoc privilegium, utpote insertum in corpore Juris, debuerat ejus fieri mentio specialis.

VII. Demum, quia cum sit privilegium Remuneratorium, debuerat aliunde illud compensari.

VIII. Verum Legi hujus privilegii revocatoriæ nulla defuit conditio requisita ad obligandum. IX. Falsum quippe est, leges Pontificias debere in singulis Provinciis publicari. X. Sufficienter ea lex intimata fuit. XI. Et in ea fit mentio sufficiens hujus privilegii, quod revocatur. XII. Hujusmodi privilegium est stricte Remuneratorium. XIII. Possuntne Regulares absolvere a casibus Episcopo a jure, vel consuetudine reservatis, aut a casibus Papalibus, si sint occulti? XIV. Et quid de casibus in Synodo reservatis, & non expressis in tabella?

I. Exponitur. Poterant olim Regulares ex variis Privilegiis ab omnibus casibus absolvere, etiam Sedi Apostolicæ, nedum Ordinario loci reservatis, exceptis casibus in Bulla Cœnæ contentis. Quod præsertim Paulus III. indulsit Societati Jesu in Bulla *Cum inter* an. 1545. Contendebant tamen locorum Ordinarii, quod huic facultati derogatum esset a Greg. XII. quoad casus Episcopis reservatos, ob quandam Epistolam ad unum ex iis missam a Cardinali S. Sixti, quæ habetur in Comp. Privil. Societatis, V. *Absolutio*, ubi dicitur: *Hac de re ubi Congregatio accurate egisset, deinde ad S. D. N. retulisset, illius Sanctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per Mare Magnum, aliave Privilegia Regularibus concessa, factam non esse eis potestatem absolvendi in casibus sibi ab Episcopo reservatis*. Verum idem Gregor. XIII. deinde declaravit an. 1583. per hanc Epistolam non derogari facultati quoad hoc concessæ Societati Jesu; & quatenus opus esset, illam de novo confirmavit, ut habetur in eodem Comp. Privil. l. c.

Postea Clemens XIII. an. 1601. Regularibus intra Italiam extra Urbem degentibus prohibuit, ne a casibus clare, vel dubie contentis in Bulla Cœnæ absolverent, nec ab aliis quomodocumque Sedi Apostolicæ reservatis, nec ab iis, quos sibi Ordinarii locorum reservant, nisi obtenta in scriptis licentia. Sed anno deinde insequenti moderando hanc prohibitionem permisit, ut præter casus Bullæ Cœnæ,

& sex illos celebres, nempe Violationis immunitatis Ecclesiasticæ, Violationis Clausuræ Monialium, Duelli, Percussionis Clerici, Simoniæ realis, & Confidentiæ Beneficialis, & præter casus, quos sibi Ordinarii reservant, possent Regulares ab aliis omnibus absolvere. Ex qua concessione fit, ut possit absolvere a casibus Bullæ Cœnæ, si dubium sit, an in ea contineantur; cum in dubio melior sit conditio possidentis, ut communiter contra nonnullos docent DD. apud Dian. p. 4. tract. 3. ref. 4. Fit etiam, ut sufficiat ad absolvendum a reservatis licentia vivæ vocis oraculo obtenta, quin sit opus, quod in scriptis conferatur.

II. Quia tamen nomine Casuum, quos Clemens VIII. reservavit, videbantur venire solum peccata, non censuræ, quippe quæ, ut notat Nav. Sum. c. 27. n. 269. non sunt casus, sed pœnæ casuum, ut proinde putarent nonnulli posse Regulares a censuris absolvere, quibus sublatis, possent etiam absolvere a casibus, quibus erat annexa censura reservata: idcirco Paulus V. anno 1617. declaravit, non posse Regulares ab excommunicationibus, vel casibus Sedi Apostolicæ, vel Ordinario loci reservatis absolvere. Ex qua declaratione quidam inferunt, quod possint de facto Regulares ab aliis censuris absolvere, nimirum a Suspensione, & Interdicto.

III. Cum autem successu temporis Pontifices privilegia variis Ordinibus Regularium concessa iterum innovassent, confirmassent, ac de novo concessissent, idcirco putarunt alii, quod per hujusmodi Privilegiorum confirmationes revixerit etiam privilegium olim Regularibus concessum absolvendi a casibus Episcopo reservatis. Hac de causa Urbanus VIII. expresse prohibuit, ne Regulares virtute suorum Privilegiorum absolverent a casibus Episcopo reservatis; imo declaravit, per Privilegiorum confirmationes nullatenus revixisse hoc privilegium, a Tridentino, & ab aliis decretis Congregationum sublatum, & extinctum, absolvendi a casibus Ordinario locis reservatis.

IV. Post hoc Urbani VIII. decretum in dubium revocatum fuit, an adhuc possent Regulares a casibus Episcopalibus absolvere; & multi in partem affirmativam inclinarunt cum Quintanadvenas tract. 3. fin. 12., Bauni, Rodrig. M. Candido, M. Velasco, Aravio, Mendo in Bullam Cruciatæ disp. 23. cap. 4., & aliis apud Dian. p. 9. tract. 6. ref 51. & p. 11. tract. 2. ref. 9. quamvis alii aliis rationibus ducerentur.

Primo quidem, quia lex Pontificia, ut obliget in toto orbe, debet in omnibus Provinciis, & Diœcesibus publicari, ut docent Sotus, Sà, Miranda, Toletus, & alii apud Trullench. in Cruc. l. 1. §. 7. dub. 9.; quod præsertim habet locum in legibus revocatoriis privilegiorum, ut notant Sotus, Medina, & alii apud Dian. loc. cit.; lex autem ista Urbani VIII. revocatoria privilegii hujus Regularium non fuit sic promulgata, ut fatentur communiter; ergo non obligat.

V. Secundo, quia Revocatio privilegii concessi Civitati, Communitati, vel Religioni, ut obliget, debet ipsi notificari, & intimari, ut docent Salas, Bonac. Azorius. Hæc autem revocatio intimata non fuit. Adde ex Mendo, & Vidal. apud Dian. p. 10. tract. 13. ref. 22. Gregor. XIII. in Bulla *Æquum reputamus*, concessisse Societati Jesu, quod nulla derogatio præjudicet privilegiis Societatis, nisi sit illi intimata per trinas distinctas literas eundem tenorem continentes tribus distinctis vicibus, ut graves DD. illam interpretantur cum Amico, de Amatis, & aliis apud eundem Dian.; quod tamen in casu nostro non fuit præstitum.

VI. Tertio, quia, ut notant Velasco, & Delgadillo, Decreta S. Congregationis non habent vim legis, sed tantum opinionis probabilis; nec desunt Doctores putantes id esse verum, etiamsi decreta illa a Pontifice approbentur & servari mandentur: ergo decretum de speciali mandato Urbani VIII. a Sac. Congregatione editum non revocat ineluctabiliter, sed solum probabiliter privilegium Regularium, quo poterant a reservatis Episcopo absolvere. Quod si transmittatur, ea habere vim legis, ut docent communiter, adhuc ad obligandum deberent continere Clausulam revocatoriam privilegiorum, ut possent iis derogare; Imo cum hoc privilegium Regularium contineatur in corpore juris, videlicet in Clementina *Dudum*, & in extravagan. *Inter cunctos*, ut docent Panor. D. Antonius, Armilla (*a*), Emman. p. 61. art. 2. apud Quintanad. l. c. deberet hujus fieri specialis mentio, ut illi derogaretur; quod tamen in decretis S. Congregationis non habetur.

„ (*a*) Contendit Patuzzius T. *III. p.* 435. *seqq.* „ perperam heic citari S. Antoninum, & Fumum, „ qui pro opposita sententia steterint.

„ Verum etsi Viva hos perperam citasset, reprehendendus non esset, non solum quia illos citavit ut relatos a Quintanadvenas, apud quem propterea fides esse debet, sed etiam quia hæc in obiectione sunt, quare non de Viva, sed de damnatæ Thesis patronis conqueri Patuzzius debuisset.

„ Deinde certo certius est, S. Antoninum, & Fumum id docuisse, quod Viva refert illis tributum.

„ A S. Antonino ordior. Patuzzius ait, S. Antoninum cap. IV. de casibus postquam Theologorum sententias retulerat, docentium, vi Clementinæ *Dudum* posse Fratres Prædicatores, & Minores absolvere a Casibus aut consuetudine aut a Synodalibus Constitutionibus Episcopo reservatis, oppositam doctrinam amplecti cap. XI. his verbis: *De Casibus Episcopis reservatis nec Curati, nec dicti* FRATRES *præsentati possunt absolvere, nisi in quantum fuerit a Diœcesanis concessum*. Qua editione Patuzzius usus sit S. Antonini, ignoro. Mihi nunc ad manus est Veneta apud Juntas 1582. Ibi autem *p.* 3. *tit.* 17. *cap.* 10., non 11. occurrunt ea verba, nec post varias ea de re Theologorum opiniones relatas, sed antequam ad eas exhibendas S. Archiepiscopus adcedat. Itaque citatis a Patuzzio verbis addit continenter Antoninus: *& de his modo agendum*. Itaque cap. 11. varias doctorum opiniones refert, atque inter ceteras præcipue illam, quæ docet, *non posse dictos* Fratres *absolvere a casibus* IN JURE *Episcopis, ut dicitur in Clem.*, reservatis; *posse ab omnibus aliis, ut puta reservatis ex consuetudine particulari loci, vel Synodali Constitutione, quia unum negando, aliud tacendo concessit*. Tum aliis relatis sententiis ita concludit: *Quia ergo non est clarum, qui sint casus reservati Episcopis in jure communi, ideo tutior via in hujusmodi, quod Fratres, si possunt, sciant ab Episcopo, quos casus sibi vult reservare, & de illis se non audeant impedire, omnes vero alios sibi concedere*

„ *cedere faciant*. Hæc S. Antoninus ; unde colligas „ 1. Sanctum sub finem capitis x. generatim loquutum fuisse ; deinde cap. xi. quærentem , quinam „ sint casus Episcopi reservati , a quibus Fratres „ non possunt absolvere , doctrinam suam ad peccata in *Jure* reservata arctasse juxta Johannem de „ Lignamine , cujus prolixam dissertationem recitat ; nec improbat tandem non quia falsa hæc esset , sed quia *clarum non est* , *qui sint casus Episcopi reservati in* JURE, dare Fratribus consilium, „ ut Episcopos adeant , casusque *sibi concedere faciant*. Eat nunc Patuzzius, & clamet , S. Antoninum amplecti *la sentenza* DIAMETRALMENTE *opposta*.

„ De Fumo nunc dicendum. Ex verbis , quæ Patuzzius recitat , duo colliguntur . Primum est , „ non posse Fratres absolvere a *sententiis Synodalibus* , idest a censuris in Synodo latis . Alterum „ est , Fratres , ubi audiant confessiones *ex mera commissione Episcopi* , non posse absolvere , *nisi in quantum Episcopus eis concedit* , *& posset sibi reservare quot casus vellet* , *quin tunc non absolverent auctoritate dictæ Clementinæ* DUDUM ; ergo si absolvant *auctoritate dictæ Clementinæ* , sensit Fumus, absolvere illos potuisse a casibus Episcopo reservatis . Sed audiamus illum mentem „ suam explicantem v. *Absolutio* n. 26. his verbis : „ *Fratres qui habentur pro præsentatis* , *secundum dictam formam* Clem. Dudum , *ab omnibus casibus absolvere possunt* , *exceptis præcise reservatis Episcopo vel Superiori jure* , *quantumcunque reserventur Episcopo ex consuetudine vel constitutione* , *vel beneplacito alii casus* . *Hanc opinionem videtur fundasse* Gul. Specu. *&* Jo. de Lig. *efficaciter prosequutus est in* c. Omnis , de pœ. & re . *Et sequitur* Pa. *& rationabiliter* : *quia gratiam* , *quam concedit Papa* , *videlicet absolvere posse ab omnibus* , *nisi reserventur a jure* , *revocare* , *vel arctare non potest inferior* , *ut in* c. Inferior. dist. 21. *Ista enim concessio non est Episcopalis* , *sed Papalis* . *Ipsi namque nudum præbent ministerium* , *quod patet* ; „ *quia si nollet concedere* , *nihilominus dicti fratres haberent* ; *ideo hæc opinio secure tenenda est & praticanda* , *sicut tenent* Sil. *ver.* *Confess.* 2. §. 5. *&* „ Tab. *ver.* Dispensatio . §. 15. *nisi quando casui per constitutionem esset annexa excommunicatio reservata Diœcesano* , *vel Superiori* , *ut dicetur hic infra* , *an scilicet possint &c.* Quid clarius ? Fumus tamen perperam citatur a Viva , si Patuzzio „ credimus .

VII. Adde , quod cum privilegium hoc sit remuneratorium , collatum Regularibus in præmium meritorum erga Ecclesiam , si ad bonum publicum expediret illud revocare, deberet aliunde compensari ; quod tamen non apparet fieri . Mitto alia , quæ ab auctoribus congeruntur ad eludendam potius, quam ad enervandam vim prohibitionis hujus Pontificiæ , cum post proscriptam hanc propositionem ab Alex. VII. ne umbratilem quidem probabilitatem communicent sententiæ sustinenti posse Regulares nunc a casibus Episcopo reservatis absolvere .

VIII. Ostenditur itaque falsitas , quia Decretum Urb. VIII. revocans hoc privilegium a Regularibus, habet omnia requisita ad obligandum ; ergo post Decretum Urb. VIII. non possunt Regulares a casibus Episcopalibus absolvere . Antecedens constabit ex dilutione objectiorum ; & a posteriori patet , quia si probabiliter illud non obligaret , non posset ab Alexand. VII. damnari , saltem ut scandalosa propositio asserens, quod possint Mendicantes ab iis casibus absolvere : quodnam enim scandalum sequi potest , si quis ducatur opinione probabili ? Præterquamquod etiamsi decretum illud olim non obligasset ubique Gentium , obligat tamen nunc proscriptio præsentis propositionis omnes Mendicantes , & ex identitate rationis omnes Regulares ad non absolvendum a casibus , quos sibi Episcopi reservant , ut mox explicabimus (*a*).

„ (*a*) Vide Benedictum XIV. *de Synodo Diœces.* „ *lib.* v. *c.* v. *n.* 6.

IX. Ad primam rationem in contrarium , falsum est leges Pontificias debere in singulis Provinciis , & Diœcesibus publicari , ut possint habere vim obligandi pro toto orbe ; ut docent communius apud Dian. p. 1. tract. 10. res. 8. sufficit enim , quod Romæ promulgentur . Et de facto Bulla Cœnæ Domini nonnisi Romæ publicatur , & tamen ubique obligat : quod nisi verum esset , quomodo damnari posset ut scandalosa thesis ista , quæ Mendicantibus permittit facultatem absolvendi a casibus Episcopalibus , si decretum id prohibens publicari deberet , & non est publicatum in singulis Provinciis ? Adde , quod etiamsi deberet in singulis Provinciis publicari lex Pontificia , ut obliget ; nemo tamen somniare potest , quod definitiones Pontificis loquentis ex Cathedra in materia fidei , vel morum requirant hanc publicationem ; cum sufficiat , quod moraliter constet Pontificem ex cathedra locutum aliquid definiisse , ut ita credi , aut observari debeat : atqui Pontifex ex cathedra locutus est , proscribendo has propositiones , ut ostendimus in quæstione prodroma : ergo quamvis condemnatio harum propositionum non esset publicata in singulis Provinciis , sufficit , quod de ea proscriptione constet , ut ab unoquoque fideli credendum , & observandum sit , quodcunque in iis in materia fidei , aut morum definitur ; cum autem definiatur Mendicantes non habere facultatem absolvendi a reservatis Episcopalibus , saltem nunc post hanc proscriptionem nemo potest ab iis absolvere .

X. Ad secundam , Lex Pontificia revocans Privilegia sufficienter unicuique intimatur per hoc, quod Romæ instar aliarum legum publicetur ; & dato , quod in legibus revocatoriis privilegiorum requiratur aliqua intimatio, non requiritur tamen ulla intimatio, quando revocatio deducitur ex proscriptione alicujus propositionis , de qua constat sufficienter ; cum autem sufficienter omnibus constet de proscriptione hujus propositionis , quæ tribuit facultatem Mendicantibus super casibus Episcopalibus , & ex ejus proscriptione descendat revocata esse privilegia in contrarium , sequitur de facto nullatenus suffragari ratiocinationes Adversariorum . Et per hæc patet ad id, quod dicitur de triplici intimatione facienda Societati Jesu in scriptis, ut possint ejus privilegia revocari . Adde tamen, Lezanam, & alios velle , quod hæc trina monitio requiratur in ordine ad revocationem illius dumtaxat privilegii spectantis ad Conservatores , de quo ibi est sermo , non vero relate ad revocationem aliorum privilegiorum, quæ , ut constat ex Stylo Curiæ , sufficienter derogantur per hoc, quod in Bullis fiat expressa mentio Societatis , vel per hoc , quod in iis addatur clausula illa , *Ac si eis essent personaliter intimata* , ut notat Dian. p. 7. tract. 10. res. 9. Præterquamquod Urb. VIII. an. 1631. apud eundem Dian. part. 21.

tract. 2. ref. 9. declaravit, omnes Constitutiones Apostolicas comprehendere omnes Regulares, nisi expresse excipiantur, quin iis prosint clausulæ quæcumque in contrarium suis privilegiis superadditæ, quod etiam notat Dicastillo dist. 8. q. 8.

XI. Ad tertiam, Communis sententia apud Dian. p. 11. tract. 2. ref. 42., & p. 5. tract. 1. ref. 96. docet, decreta S. Congregationis habere vim legis, quando jussu Pontificis emanant, qui simul mandet ea publicari, & servari; hujusmodi fuit decretum Urb. VIII. quod pariter declarat nunquam revixisse privilegium Regularium absolvendi a reservatis Episcopo sublatum per Tridentinum, & per alia ipsius Congregationis decreta, nec robur ullum acquisivisse ex subsequentibus Privilegiorum confirmationibus, quas obtinuerunt, aut fore, ut acquirat per confirmationes Privilegiorum, quas forte Regulares obtinebunt: Unde patet sufficienter eo decerto privilegium Regularium revocari. Neque ejus fieri debet ulla alia specialis mentio; tum quia disertis verbis revocatur; tum etiam quia, ut notat Dian. p. 9. tract. 6. ref. 51. cum Palao, & Lezana in Clementina illa *Dudum* solum declaratur, Regulares habere facultatem, quam habent Parochi, quin iis concedatur facultas absolvendi a casibus Episcopo reservatis.

XII. Ad id quod additur de privilegio remuneratorio, dicemus fusius in expositione propositionis 36. quod privilegia Regularium non sint stricte remuneratoria; & ideo potest Ecclesia in bonum commune ea revocare, etiamsi nihil aliud in compensationem præcedentium meritorum concedat; cum sufficienter merita isthæc præterita potuerit Ecclesia remunerari per alia privilegia, quæ non revocantur, necnon per illud ipsum, quod hic & nunc revocatur, quatenus hactenus perseveravit.

XIII. Illud hic inquirendum, Num vi hujus proscriptæ propositionis, qua declaratur, non posse Mendicantes absolvere a casibus Episcopis reservatis, intelligatur deesse facultatem ad absolvendum dumtaxat a casibus, quos sibi Episcopi reservant in tabella, an vero etiam a casibus qui jure communi, vel consuetudine Episcopis reservantur, ut est percussio levis Clerici, (quæ Episcopis tantum est reservata ex cap. *Pervenit* de sententia excommunicationis), & excommunicatio contra procurantes abortum ex Bulla Gregor. XIV., & ut sunt omnes Papales occulti, atque adeo etiam sex illi casus Clementis VIII. quando sunt occulti, ex Trid. cap. 6. *Liceat* sess. 24. & similes? Inquirendum deinde, an prohibeantur etiam absolvere a casibus Episcopo reservatis in Synodo, licet in tabella casuum Episcopalium non adnotentur?

Quod attinet ad casus de jure, vel ex consuetudine Episcopo reservatos, negant Bordonus, & Floronus apud Dian. p. 8. tract. 7. ref. 71. quod poterant Regulares ab iis absolvere post decretum Urbani VIII., & multo magis id esset negandum post hanc propositionem proscriptam. Ratio horum Doctorum est, quia quamvis Greg. XIII., & Clemens VIII. in suis prohibitionibus dixerint, Regulares non posse absolvere a casibus, quos sibi Episcopi reservarunt, vel in posterum reservabunt, ut proinde non videantur loqui de aliis casibus aliunde Episcopo reservatis, nihilominus in decretis Pauli V., & Urbani VIII. sermo est de casibus Episcopis reservatis, & sub hac formula etiam loquitur propositio ista damnata; ergo non possunt Regulares absolvere a quocunque genere casuum Episcopis reservatorum, sive Episcopus ipse sibi reservet, sive reserventur a Papa, seu a jure communi, vel ex consuetudine.

Verum Aversa apud eundem Dianam, Lezana, Cespedes, uterque Leander à Sacramento, & a Murcia, & alii supra triginta, quos refert Thomas Hurtado t. 1. tr. 5. ref. 17. putant potuisse post decretum Urbani, atque adeo etiam nunc posse Regulares a casibus de jure communi, vel a consuetudine Episcopo reservatis absolvere. Ratio est, quia Urbanus VIII. in suo decreto declaravit, non revixisse potestatem absolvendi a reservatis Ordinario loci sublatam Regularibus a Sacræ Congregationis decretis; constat autem a decretis antecedentibus S. Congregationis solum sublatam fuisse potestatem absolvendi a casibus, quos sibi Ordinarii locorum reservant; ergo de his tantum loquitur Urbanus VIII., nec non antea Paulus V. ac demum in hac propositione proscripta Alex. VII. Et ratio ulterior est, quia damnatur ut scandalosa hæc propositio, quod Mendicantes non obstantibus decretis antecedentibus Sacræ Congregationis adhuc possint absolvere a reservatis Episcopis; cum autem nusquam decreta Congregationis prohibuerint Regularibus absolvere a casibus de jure communi Episcopo reservatis, quales sunt omnes Papales occulti, utpote in perpetuum a Tridentino Episcopo concessi (demptis occultis in Bulla Cœnæ, de quibus diximus in expositione proposit. 3.) sequitur, quod propositio ista non sit intelligenda de casibus a Papa Episcopo reservatis. Addit Aversa l. c. quod cum Urbanus VIII. reliquerit potestatem absolvendi a casibus etiam publicis Sedi Apostolicæ reservatis, demptis casibus contentis in Bulla Cœnæ, & sex illis Clem. VIII. intra Italiam extra Urbem, ut multi opinantur ex Privilegio Bullato Pauli III. Societati Jesu concesso apud Suar. t. 4. de Relig. tract. 10. lib. 9. cap. 2., a fortiori dicendum est reliquisse potestatem absolvendi a casibus Papalibus occultis, qui ex Tridentino facti sunt Episcopales: nisi forte Episcopi in suis Edictis illos etiam sibi reservent, quia tunc procul dubio nequeunt ab iis Regulares absolvere.

XIV. Quod vero attinet ad casus in Synodo reservatos Episcopo, & non expressos in tabella, ubi habentur casus, quos sibi ipsi Episcopi reservant, Cespedes tract. de exemp. Regul. cap. 6. dist. 142. docet, etiam posse a Regularibus absolvi ob rationes modo adductas; de iis enim non verificatur, quod Episcopi sibi reservent, sed quod lex Synodalis eos reservet Episcopis: hujusmodi enim reservationes valde inter se differunt; altera enim est ab homine, quæ mortuo Episcopo extinguitur, altera est a jure, quæ mortuo Episcopo, qui Synodo præfuit, adhuc perseverat; Reservatio quippe Synodalis est a Christo, qui non moritur; propterea quando lex Synodalis reservat casus Episcopo, Christus dicitur illos reservare Episcopo, non vero Episcopus sibi. Quamvis autem decretum Urbani VIII. & hæc proscripta propositio non distinguant inter has reservationes; quia tamen referuntur ad priora decreta, in quibus solum erat sermo de casibus, quos sibi Episcopi reservant, ideo limitate ad illos videntur intelligenda: sumus enim in materia odiosa, quæ debet in mitiorem partem explicari, & privilegia Regularium lædi debent quam minime fieri potest. Cornitolus vero lib. 1. resp. mor. q. 25., & Homobo-

nus de caf. referv. pag. 53., ex alio capite putant refervationem cafuum in Synodo factam ceffare, quando Epifcopus illos non proponit in tabella; quia fic cenfetur nihil eorum refervationem morari, fed tribuere generalem facultatem omnibus Confeffariis abfolvendi ab iis; fi enim voluiffet fibi refervare, in tabella expreffiffet. Ita DD. ifti ratiocinantur, quorum doctrinæ adhæret Pelliz. tr. 6. c. 2. num. 59. qui pariter tract. 8. cap. 3. num. 80. docet contra nonnullos, poffe etiam nunc Regulares poft decreta Pauli V., & Urbani VIII. abfolvere a cafibus Sedi Apoftolicæ refervatis, etiam publicis, demptis iis, qui in Bulla Cœnæ continentur, & fex illis, quos Clemens VIII. in Italia extra Urbem refervavit; fundaturque in eo, quod licet Paulus V. in fuo decreto prohibuerit, ne amplius Confeffarii tam Sæculares, quam Regulares abfolverent ab excommunicationibus, vel cafibus locorum Ordinariis, vel Sedi Apoftolicæ refervatis, verba ifta referenda fint ad cafus, & cenfuras, de quibus erat fermo in decreto Clementis VIII. quod confirmabat, & innovabat; cum autem in decreto Clementis folum effet fermo de cafibus, quos fibi Epifcopi refervabant, & de cafibus Bullæ Cœnæ, & illis aliis fex enumeratis, idcirco Paulus V. in eo decreto non videtur abftuliffe facultatem, quam habebant Regulares ex vi Privilegii a Paulo III. Societati Jefu conceffi, quod poffent ab aliis cafibus etiam publicis Sedi Apoftolicæ refervatis abfolvere, & ab iis qui a jure Epifcopo refervantur, ut funt fex illi cafus Clementis, quando funt occulti; quod pariter dicendum videtur de decreto Urbani VIII. ubi decretum Pauli V. & Clem. VIII. innovatur.

Sed quicquid fit de his ratiocinationibus, equidem fententiæ laudatæ Floroni, & Bordoni adhærendum cenfeo, putantium Regulares non poffe abfolvere a cafibus quomolibet Ordinario refervatis, nec a cafibus ullis refervatis Sedi Apoftolicæ. Ratio eft, quia per decretum Pauli V. ea facultas omnino videtur fublata, ut patet perpendenti verba illius decreti, ubi dicitur: *Ac infuper ut nulli ex Sacerdotibus prædictis* (vid. five fæcularibus, five Regularibus quorumvis Ordinum) *quibufcumque privilegiis, indultis, & facultatibus fuffulti ab excommunicationibus, vel cafibus eifdem Ordinariis, vel Sedi Apoftolicæ refervatis, præterquam in articulo mortis, abfolvere audeant, vel præfumant.* Claufula illa *Infuper* videtur indicare novam difpofitionem legislatoris ab antiquis diftinctam, *ex cap. Statutum §. Infuper de Refcriptis in 6.* atque adeo videtur Pontifex abftuliffe a Regularibus facultatem abfolvendi ab omnibus quomodocumque Epifcopo, vel Sedi Apoftolicæ refervatis.

Quod fi vera effet doctrina Adverfariorum putantium cum Duardo in Bull. Cœnæ l. 3. §. 2. q. 1. n. 31. verba ifta referenda effe ad cafus, & cenfuras contentas in decreto Clem. VIII., quod innovabatur; fequeretur, quod ifta prohibitio referenda pariter effet ad Confeffarios intra Italiam tantum eztra Urbem degentes, de quibus tantum loquebatur in primo decreto anno 1601. Clem. VIII. Atqui prohibitio Pauli V. fuit univerfalis relate ad Confeffarios, ut declaravit Urb. VIII. dicens in fuo decreto, neque intra, neque extra Italiam poffe Confeffarios abfolvere a cafibus Epifcopalibus: ergo dicendum pariter eft, quod eadem prohibitio fuerit univerfalis etiam relate ad cafus; ut proinde vi decreti Pauli V. fublata fuerit Regularibus omnis facultas abfolvendi tam a cafibus quomodocumque Epifcopo, quam a cafibus Sedi Apoftolicæ refervatis.

PROPOSITIO XIII.

Satisfacit præcepto annuæ Confeffionis, qui confitetur Regulari Epifcopo præfentato, fed ab eo injufte reprobato.

SYNOPSIS.

I. Injufte Regulari idoneo negatur Approbatio.

II. Multiplicitas Confeffariorum non eft caufa fufficiens, cur illi denegetur Approbatio. III. Valde intereft inter Approbationem, & Jurifdictionem, quamvis utraque ad validitatem Sacramenti requiratur. IV. Videtur approbatio injufte negata haberi pro conceffa. V. Nequit enim fententia injufta fpoliare hominem jure fuo. VI. Pontifices declararunt, Regulares injufte reprobatos haberi pro admiffis.

VII. Id quippe videtur poftulare Ecclefiæ benignitas. VIII. Verum ex hac doctrina innumera incommoda traherentur. IX. Trident. hanc Approbationem indifpenfabiliter exigit. X. Necnon Urbanus VIII. XI. Sententia injufta nullum jus præfuppofitum tollit, fed non confert novum jus. XII. Clementina Dudum *non fuffragatur hac in re Regularibus. XIII. Benignitas Ecclefiæ non debet in cafu Approbationem fupplere, licet fuppleat Jurifdictionem, quando id expedit in bonum animarum.*

XIV. Quandonam licentia ad abfolvendum petita, & non obtenta haberi poteft pro conceffa? XV. Approbatus limitate quoad perfonas, peccata, & tempus, nequit Confeffiones audire illimitate.

XVI. Prohibitio Epifcopi, ne Confeffiones aliquando audiantur, non femper eft denegatio Approbationis. XVII. Etiam Prælati Regulares indigent Approbatione, ut poffint excipere fæcularium confeffiones.

XVIII. Confeffiones factæ Regulari injufte reprobato non folum funt illicitæ, fed etiam invalidæ.

I. Exponitur. Quamvis jufte poffit Epifcopus negare approbationem Regulari præfentato, five deficiat in doctrina, five etiam in moribus, aut in alio ad rite obeundum Confeffarii munus fpectante; injufte tamen (ut advertunt Lugo difp. 21. num. 49., & Vafq. q. 93. art. 3. dub. 5. n. 5. contra Fagund. 2. pr. Eccl. l. 7. c 2. n. 14.) negat illam Regulari Idoneo. Sicut enim injufte approbatio denegaretur electo ad beneficium Parochiale, quia per ipfam electionem habet jus ad approbationem, fi fit idoneus, ita injufte negatur approbatio Regulari idoneo. cum Regulares ex Privilegiis Sedis Apoftolicæ habeant jurifdictionem univerfalem, atque adeo habeant completam poteftatem audiendi Confeffiones, dummodo approbentur; atque adeo fint veluti quidam Parochi delegati habentes jus ad approbationem petendam: Injufte igitur fe gerit Epifcopus, five poft examen nolit illos approbare, five eos nolit ad examen admittere, dummodo fint idonei.

II. Addunt Lugo, & Vafq. non effe caufam fufficientem ad negandam petitam approbationem, Confeffariorum fuperfluitatem: quod ex eo probant, quia ficut Parochus poffet ad Metropolitanum appellare, fi præcife ex abundantia Confeffariorum, circumfcripta alia fufficienti caufa, negaretur fibi

ab

ab Episcopo approbatio; ita Regulares, qui sunt veluti Parochi a Sancta Sede delegati: Quod tamen non procedit in Sacerdotibus sæcularibus alias idoneis; quippe qui carent jurisdictione, & ea potest ab libitum ab Episcopo communicari.

III. Illud autem interest inter jurisdictionem, & approbationem, quod, licet utraque sit essentialiter requisita ad validitatem Sacramenti, jurisdictio tamen spectet ad complendam potestatem Ordinis; approbatio vero sit merum requisitum essentiale supponens potestatem completam: Sacerdotes sæculares, qui habent potestatem incompletam, non habent jus ad jurisdictionem ab Episcopo obtinendam; Regulares vero, qui habent a Pontifice jurisdictionem, atque adeo habent a Pontifice complementum potestatis ad absolvendum, jus habent, ne impediantur ab Episcopo, atque adeo jus habent, ne sibi negetur approbatio, si sunt idonei. His præmissis,

IV. Nav. c. 27. n. 206. Sotus, Laym. Fagun. 2. pr. Eccl. l. 6. cap. 2., & alii apud Dian. p. 3. tr. 2. ref. 24. docuerunt, approbationem ab Episcopo injuste Regulari negatam haberi pro concessa, ut proinde non solum valide, sed etiam licite ab eo Confessiones excipiantur, unde satisfiat præcepto annuæ Confessionis ab eo, qui huic Regulari per injuriam reprobato confitetur.

V. Fundamentum autem videtur esse primo, quia sententia injusta non aufert jus, quod quilibet habet ad rem suam; Regularis autem injuste reprobatus jus habet ad confessiones audiendas; cum habeat a Pontifice jurisdictionem, atque adeo completam potestatem: ergo per injustam reprobationem non potest suo jure spoliari.

VI. Secundo, quia Bonif. VIII. in Bulla *Super Cathedram*, de Sepulturis concessit, quod si Episcopus nollet admittere Regulares a Generali, vel Provincialibus præsentatos, haberentur pro admissis, Pontifice illos ex tunc admittente; quod confirmavit Clemens V. in Clement. *Dudum* de Sepulturis. Et quamvis Trid. sess. 23. cap. 15. decreverit, nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale Beneficium habeat, aut ab Episcopis idoneus judicetur, & approbationem obtineat, non obstantibus privilegiis, videtur tamen per hæc verba Tridentini non derogari privilegiis illis Regularium; tum quia cum illa sint inserta in corpore juris, difficilem habent revocationem, ne dicatur fieri juris correctio, ut docet Marquesanus apud Dicast. disp. 10. num. 260., tum etiam quia cum ea dispositio sit Conciliaris, in dubiis non præsumitur per legem posteriorem derogari, ex C. *Ex parte* de Capell. Monach. Hinc Less. cum Palao apud Dian. p. 11. tr. 4. ref. 14. docet, per Concilium Tridentinum Clementinæ illi non derogari, eo quod mentionem illius non faciat, nec directe statuat oppositum lex Tridentini.

VII. Tertio, quia sicut ex benignitate Ecclesiæ suppletur a Pontifice defectus jurisdictionis, tum quando Sacerdos absolvit cum errore communi, & titulo colorato, ex l. *Barbarius* ff. de Off. Prætoris, tum etiam, ut docent communius, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili; ita videtur suppleri a Pontifice ex Ecclesiæ benignitate defectus approbationis, quando injuste ab Episcopo denegatur approbatio: aliter ex malitia Episcopi denegaretur gratia Sacramentalis ei, qui huic Regulari confiteretur, quod videtur arduum. Valide igitur, ac licite ab his Regularibus Confessiones audiuntur, ac proinde satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui illis confitetur.

VIII. Ostenditur falsitas, tum ex communi sensu Theologorum, cum Suar., Vasq., Lugo, quos refert, & sequitur Dian. p. 8. tr. 1. ref. 85., adeo ut Mercerus, & Turrianus de pœn. p. 8. a. 1. disp. 26. sententiam Navarri, & aliorum putent improbabilem, tum etiam quia ex Navarri sententia innumera sequerentur incommoda; quilibet enim Regularis posset facile se idoneum reputare, & si non admittatur, posset Confessiones audire Prælatis reluctantibus.

IX. Et ratio præcipua est, quia Tridentinum ad hæc incommoda vitanda statuit, ut nullus Regularis posset non solum licite, sed nec valide (ut communiter DD. apud Suar. d. 28. sect. 9. num. 8. verba illa Concilii interpretantur) confessiones sæcularium audire absque Episcopi approbatione, revocando privilegia in contrarium. Neque obstat quod in Tridentino non fiat specialis mentio illius Clementinæ *Dudum* insertæ in corpore juris. Nam, ut advertit Suarius, non fuit necesse, quod ejus fieret specialis mentio, quando nisi illi derogaretur, nova hæc dispositio Tridentini nullius esset momenti; cum enim ibi Tridentinum solum loquatur de Regularibus, qui unice ab Episcopo approbationem expectant, nisi derogaret Privilegiis illis antiquis Regularium, lex ista Tridentini esset omnino irrita; propterea Clementinæ illi exercite derogatur, etiamsi non fiat illius specialis mentio. Vel dici potest cum Vasq., & aliis, idcirco Tridentinum non facere mentionem illius Clementinæ, quia nullatenus revocat privilegium in illa Regularibus concessum; in ea quippe solum concedebatur a Pontifice jurisdictio Regulari ab Episcopo non admisso, non vero approbatio, quæ tunc non requirebatur distincta a jurisdictione. Nunc vero Tridentinum vult, quod præter jurisdictionem, quæ a Pontifice omnibus Regularibus conceditur, expectanda sit tanquam essentiale requisitum approbatio Episcopi; & ideo ea deficiente absolutio est irrita, sive juste, sive injuste negetur, esto Regularibus reprobatis, seu non admissis, jurisdictio non deficiat.

X. Adde Urbanum VIII. in Bulla *Cum sicut accepimus* ad firmandum saluberrimum hoc Tridentini decretum revocasse, & annullasse omnia, & singula indulta Regularibus concessa audiendi confessiones sæcularium absque Ordinarii examine, & approbatione; unde sententia Navarri nullatenus subsistit.

XI. Ad primam rationem in contrarium dicendum cum Lugo l. c. n. 50., aliud esse, quod sententia injusta non tollat jus præsuppositum, aliud vero, quod conferat jus; illud primum est verum, sed non facit ad rem nostram, quia injusta reprobatio non tollit jus seu potestatem audiendi confessiones, sed solum est in causa, cur non conferatur hujusmodi potestas expedita; & idcirco ex injusta reprobatione facta ab Episcopo non fit, quod possit Regularis confessiones audire. Sic posito concursu ad aliquam Parochiam, qui prævalet, habet jus ad illam; si tamen injuste ab Episcopo illi denegetur beneficium Parochiale, non proinde poterit gerere se tanquam Parochum, & confessiones audire; quia scil. injusta sententia, seu injusta denegatio Benefi-

cii

cii Parochialis non aufert jus, sed solum est in causa, ne conferatur jus, seu potestas audiendi confessiones beneficio Parochiali annexa.

XII. Ad secundam diximus abunde. Addendum tamen ex Lugo n. 55., quod licet privilegium illud Regularium, de quo est sermo in Clementina *Dudum*, ferat in Regularibus præsentatis Episcopo, & non admissis non solum jurisdictionem, ut putat Vasq., sed etiam approbationem, ut docet Navar., & licet a Tridentino nullatenus illud esset revocatum; nihil tamen ea ad praxim confert. Ratio est, quia in illa Clementina privilegium conceditur cum multis limitationibus, & conditionibus, quæ numquam in praxi purificantur. Præscribitur enim, quod, renuente Episcopo aliquem ex sibi præsentatis admittere, Prælatus Regularis alium ejus loco debeat subrogare; ac præterea, quod non plures præsententur, quam exigat populi multitudo; Semper autem Episcopi, quamvis alii, & alii Regulares subrogentur, possunt aliunde habere sufficientem copiam Confessariorum, unde numquam purificatur id, quod requiritur, ut possint eo privilegio Regulares uti.

XIII. Ad tertiam, argumentum probat nimis; probat enim, quod etiam Sacerdotes sæculares ad audiendas confessiones idonei possint illas licite audire, etiamsi negetur iis jurisdictio ab Episcopo, quia ea suppleretur a Pontifice ex Ecclesiæ benignitate, quod nemo somniavit. Quare benignitas Ecclesiæ solum se extendit ad supplendum defectum jurisdictionis, quando id expedit in bonum publicum, ut accidit, quando habetur error communis cum titulo colorato: & probabilissime eam etiam supplet, quando quis absolvit cum jurisdictione probabili, quia tunc is prudenter operatur: at non spectat ad Ecclesiæ benignitatem, sed ad prodigalitatem, quod suppleat defectum jurisdictionis, aut approbationis, quando a Prælato immediato illæ denegantur, quamvis illicite, aut etiam injuste. Et ratio est, quia daretur ansa ad judicandum unicuique in propria causa adversus Prælatum, dicendo, quod injuste sibi negetur jurisdictio, aut approbatio; quod certe esset inconveniens.

Neque obstat, quod ex malitia Episcopi injuste approbationem denegantis fieret, quod absolutio a Regulari reprobato collata esset irrita, atque adeo gratia Sacramentalis pœnitenti denegaretur. Non enim est novum, quod ex malitia Sacerdotis possit aliquis gratia Sacramentali carere, ac proinde etiam damnari. Sic si Petrus post mortale accedat cum attritione ad sacramentum Pœnitentiæ, & ex iniquitate Sacerdotis non absolvatur, ac statim decedat, proculdubio damnabitur, damnatione quidem inducta a propria culpa, sed non impedita ex malitia Sacerdotis denegantis absolutionem; Sic etiam infans, cui malitiose denegatur Baptismus, si decedat, privabitur æternum visione beata, eritque semper filius iræ ob culpam originalem ex aliena malitia non sublatam per baptismum. Poterit igitur etiam culpa Episcopi injuste approbationem negantis Regulari idoneo præsentato esse in causa, ut irritæ sint hujus absolutiones, ut proinde non possit hic Sacramentum Pœnitentiæ administrare. Ex quo etiam sequitur, quod præcepto Confessionis non satisfaciat, qui hujusmodi Regulari confitetur, eo quod Sacramentum ab eo administratum non sit validum.

XIV. Dices, Urbanum VIII. ut videre est apud Quintanad. tr. 3. sing., concessisse, quod si Superior Regularis neget Confessario Monasterii facultatem absolvendi ab aliquo casu reservato in Religione, adhuc possit pro illa vice ab eo absolvere. Et Dia. p. 3. tr. 2. res. 126. (ubi dicit concessionem hanc fuisse Pauli V.) putat, quod ly *pro illa vice*, non intelligatur pro una vice tantum, sed toties quoties. Putant etiam Henriq., Trull., Fagund., Naldus, & alii apud eumdem Quintanadven. probabiliter sufficere licentiam petitam, & non obtentam, etiamsi petatur ab alio, qui non sit Confessarius Monasterii, sit tamen doctrina, ac prudentia præditus, ita ut valeat in Confessorem domus eligi, præsertim si instet necessitas communicandi; & ratio est, quia tunc præsumitur licentia Prælati mediati, videlicet Provincialis, aut Generalis, aut Papæ, qui nolunt oves suas perire: unde Henriq., Trull., & alii DD. apud Leandrum a Sacram. t. 1. tract. 5. distint. 13. quæst. 66. docent, universim licentiam injuste negatam haberi pro concessa; ergo idem dicendum, si ab Episcopo injuste negetur approbatio Regulari idoneo.

Respondeo hoc etiam probare nimis, vid. semper sufficere licentiam petitam, & non obtentam, quando quis prudenter existimet, quod sibi posset aut deberet concedi; quod nemo dixerit, quare concessio illa facta Regularibus, quod possint hic & nunc absolvi a Confessario domus, etiamsi facultas a Superiore denegetur, non debet extendi ad sæculares; non enim potest sæcularis a reservato aliquo absolvi per aliquem Confessarium loci, qui peteret ab Episcopo facultatem absolvendi, & illam non obtineret: & multo minus ea doctrina extendenda est ad casum nostrum, ita ut approbatio injuste negata habeatur pro concessa. Ratio enim illa, quæ militat pro Regularibus, qui valde arctantur a casuum reservatione, non militat in re præsenti; propterea falsum est, quod universim licentia injuste negata habeatur pro concessa. Tunc solum id admittit Dia. p. 3. tr. 4. res. 79., quando ex benignitate Superioris mediati licentia illa potest præsumi; in casu autem nostro non potest præsumi, quod Pontifex velit approbationem concedere Regulari injuste reprobato ab Episcopo, quia daretur ansa ad dicendum, quod quilibet injuste reprobetur: ergo Regularis injuste reprobatus nullatenus poterit Confessiones audire.

XV. Hinc fit primo, quod approbatus ad audiendas Confessiones, cum non intelligatur eatenus approbatus ad audiendas Confessiones Monialium, ut declaravit Clem. X. anno 1670. in Bulla *Superna*, invalide Monialium confessiones excipiat: Sicut approbatus ad audiendas confessiones Monialium unius Monasterii, invalide exciperet confessiones Monialium alterius Monasterii, relate ad quas non est approbatus. Et si approbetur Confessor extraordinarius pro una vice tantum, non poterit deinceps confessiones audire, ut explicavit idem Clemens ibidem.

XVI. Fit secundo, quod si Episcopus, sine rationabili causa, immo etiam injuste, approbationem limitaret, vel ad certas personas, puta ad viros tantum, vel ad certum tempus, puta per sex menses tantum, invalide exciperentur Confessiones personarum exclusarum, aut ultra tempus præfixum. Ita communiter, quicquid in contrarium dicant Lezana, Miranda, Henr., apud Dian. p. 4. tr. 4. res. 200. & p. 5. tr. 2. res. 35. putantes, quod hujusmodi limitationes sine rationabili causa sint nullæ. Ratio illationis est eadem, quia scilicet deficiente requisito essentiali, nempe approbatione Episcopi, deficit

Sacra-

Sacramentum. Negat Vega, Portel., Villal. apud Lug. num. 56. posse Episcopum licite omnium Regularium approbationem limitare; Si enim vigesimoquarto anno potest Parochus excipere confessiones suarum ovium, absque limitatione personarum, aut temporis, quomodo non erunt idonei Regulares, qui ab ineunte ætate literis, & pietati vacarunt, nisi pertingant v. g. ad trigesimum annum, vel ad quadragesimum? Alii tamen cum Suar. Vasq. Dian. p. 3. tr. 2. ref. 25. putant, posse Episcopos hujusmodi limitationes adhibere, quin obstet id, quod dicitur de Parochis; quia scil. Parochi, ut in munus illud assumantur, subjacent strictiori examini: Sicut etiam Episcopi, qui trigesimo anno approbantur ad absolutiones, & dispensationes gravissimas, quas Pontifex, & Concilia non confidunt omnibus Religiosis etiam sexagenariis. Verum quando Episcopo constat de eximia Regularis idoneitate, non apparet, quomodo possit illi limitate approbationem concedere; immo hoc illi a Clem. X. in ea Bulla expresse inhibetur. Si tamen limitate concedat, etiamsi illicite, & injuste, non proinde poterit hujusmodi Regularis illimitate confessiones audire.

Advertendum tamen, aliquando non negari ab Episcopis approbationem; sed solum prohiberi v. gr. ne extra proprias Ecclesias Regulares confessiones audiant, ne ante auroram, aut post Solis occasum; & eodem modo poterunt inhibere, ne confessiones mulierum audiant ante annum quadragesimum; tunc autem si confessiones contra hujusmodi mandata exciperentur, validæ essent, & solum illicitæ; immo aliquando possent etiam esse licitæ, si ex epicheja hic & nunc benigne legislatoris mentem possemus interpretari.

XVII. Dubitarunt nonnulli apud Dian. p. 3. t. 1. ref. 86. An Prælati Regulares indigeant approbatione Ordinarii, ut possint Confessiones sæcularium excipere? Et ratio dubitandi est, quia ex Trid. loco laudato, qui habet beneficium Parochiale, non indiget alia approbatione, ut possit omnium Confessiones audire, sed solum indiget jurisdictione, ut possit ovium non suarum confessiones excipere, quam illi poterunt alii Parochi delegare: Prælati autem Regulares cum habeant curam animarum sibi subjectarum, sunt vere Pastores suarum ovium, & Parochi, atque adeo habere pariter videntur sufficientem approbationem ad confessiones etiam sæcularium excipiendas, per hoc quod sint ad Prælaturam electi. Et ita sentiunt Henr. Med. Ban. Valerius, & alii. Negant tamen id communiter cum Suar. Rodriq. Lug. disp. 21. n. 9. quia Prælatura Regularis non est proprie beneficium Parochiale; nec quando eligitur Prælatus Regularis, multum semper attenditur ad ejus doctrinam, sicut quando eliguntur Parochi, unde non videntur eatenus approbari ad Confessiones sæcularium audiendas. Multo minus subsistit sententia nonnullorum apud Henr. l. 6. c. 6. n. 12. cum Medin., Bon., & aliis, quod in Jure, aut Theologia laureati, & harum facultatum Lectores non indigeant Episcopi approbatione ad confessiones audiendas; cum hoc verbis Tridentini contradicat, ut proinde sententia ista per Sanctum Inquisitionis Tribunal ab Hieronymo Elamas expuncta fuerit anno 1640.

XVIII. Illud superest inquirendum, Num sustineri possit, quod Confessiones factæ Regulari Episcopo præsentato, & ab eo injuste reprobato sint validæ, quamvis per illas non satisfiat præcepto annuæ Confessionis; (quod solum in hac Thesi a Pontifice proscribitur) sicut communiones extra Parochiam propriam sunt validæ, quamvis per illas non satisfiat præcepto Communionis Paschalis. Cum enim in c. *Omnis utriusque sexus* a Concilio Lateran. sub Innocent. III. præcipiatur, quod singulis annis Confessio fiat proprio Sacerdoti, seu Parocho, sicut etiam Communio Paschalis ab eodem sumatur, videtur solum inferri ex hac propositione damnata, quod non satisfiat præcepto annuæ confessionis, quando Regularis non est approbatus, & veluti ab Episcopo delegatus; sicut non satisfit præcepto communionis Paschalis, quando Regularis non esset delegatus ab Episcopo, vel Parocho ad dandam alicui Sacram Synaxim, quin inde inferatur, quod isthæc Sacramenta invalide ab hujusmodi Regulari conferantur.

Joannes de Poliaco, & Henricus quodl. 10. apud Vasq. q. 93. art. 2. dub. 6. & apud Dicast. disp. 10. de Pœn. n. 472. olim docuerunt, Regulares valide quidem, & licite vi suorum privilegiorum excipere sæcularium confessiones, & illis Sacramentum Eucharistiæ ministrare, ita tamen, ut sicut Communio Paschalis haberi debet a proprio Parocho, ita eidem fieri debeat confessio annua; ut proinde non satisfiat præcepto annuæ confessionis per confessiones Regularibus factas. Adversus hanc sententiam Clem. VIII. in Bulla edita 22. Decembris 1592. declaravit, per confessiones Regularibus factas satisfieri præcepto annuæ confessionis, quippe qui vi suorum Privilegiorum Parochis in ordine ad hoc a Sede Apostolica substituuntur. Nihilominus in casu nostro dici poterit, quod nolit Pontifex Parochis substituere Regularem injuste ab Episcopo reprobatum, ut proinde non satisfaciat præcepto annuæ confessionis, qui illi confitetur; quin proinde sequatur, confessionem illi factam esse invalidam ex defectu approbationis essentialiter a Tridentino requisitæ; siquidem probabiliter dici potest ob rationes adductas, quod si injuste ab Episcopo reprobetur, approbatio illi a Pontifice concedatur, unde valide, & licite confessiones excipiat, esto non satisfiat præcepto confessionis annuæ per has confessiones.

Dicendum tamen, Confessiones factas Regulari injuste reprobato ab Episcopo esse illicitas simul, & invalidas, tum ob rationes hactenus adductas, tum ex hoc ipso, quod per illas non satisfiat præcepto annuæ confessionis. Si enim essent validæ, sufficerent ad satisfaciendum huic præcepto; intantum enim de facto sufficiunt confessiones factæ Regularibus ab Episcopo approbatis, inquantum Pontifex voluit eos in ordine ad hoc Parochis substituere, posito quod habeant approbationem essentialiter a Trident. requisitam; atqui Regularis ab Episcopo reprobatus injuste, si posset valide confessiones excipere, eo ipso intelligeretur habere a Pontifice approbationem a Tridentino requisitam, cum nequeat valide absolvere absque hoc requisito essentiali; ergo haberet quicquid requiritur ut Parochis substituatur in ordine ad excipiendam confessionem annuam præceptam; atque adeo si posset hujusmodi Regularis valide absolvere, satisfaceret præcepto confessionis, qui illi confiteretur. Verum quidem est, in hac Propositione non damnari aperte, quod Confessiones huic factæ sint validæ: aperte tamen videtur inferri, quod sint invalidæ, si per illas præcepto con-

confessionis non satisfit. Esto enim potuisset Pontifex velle, quod hujusmodi confessiones sint quidem validæ, ac licitæ, quin tamen per illas præcepto Confessionis satisfiat, (sicut de facto licitæ sunt communiones apud Regulares factæ, quin satisfiat per illas præcepto Communionis Paschalis) rationes tamen adductæ ostendunt, noluisse de facto esse validas, nec ipsum velle approbationem conferre, si injuste negetur ab Episcopo; tum quia personæ approbatio nequit apte conferri, si ea non cognoscatur; tum etiam quia deberet Pontifex approbare illos, qui se judicant esse approbandos, & injuste ab Episcopo reprobari; quod esset velle unumquemque constituere judicem in propria causa, quo quid absurdius? Neque dicas, quod approbaret Pontifex hujusmodi Regulares per hoc, quod a Generali, vel Provincialibus, a quibus præsentantur, existimentur idonei. Nam licet potuisset id velle, nullum est fundamentum asserendi, quod ita voluerit.

PROPOSITIO XIV.

Qui facit Confessionem voluntarie nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

SYNOPSIS.

I. Nititur hæc thesis in eo, quod Ecclesia non judicet de internis. II. Necnon in quadam Alexandri III. responsione. III. Sed præceptum annuæ Confessionis non est mere Ecclesiasticum. IV. Et hoc dato, ab Ecclesia præcipitur susceptio Sacramenti, quod non ponitur per confessionem invalidam. V. Potest Ecclesia saltem indirecte actus internos præcipere.

VI. Imo etiam directe. VII. Solum pro foro externo Ecclesia non judicat de actibus mere internis; potest tamen excommunicationem iis imponere pro foro interno subeundam. VIII. Alex. III. non favet huic thesi. IX. Ponens confessionem voluntarie nullam, incurrit pœnas latas contra omittentes annuam confessionem. X. Satisfacit tamen præcepto Ecclesiæ, qui ponit sacramentum pœnitentiæ validum, & informe.

XI. Sicut etiam qui similiter suscipit Eucharistiæ sacramentum, non tamen qui sacrilege. XII. Fructus quippe Sacramenti est finis extrinsecus præcepti, qui sub præceptum non cadit.

I. EXponitur. Docuerunt nonnulli primi subsellii Doctores apud Dicast. tract. 8. disp. 7. dub. 2. præceptum Divinum confessionis non obligare extra mortis articulum; proinde præceptum annuæ Confessionis esse mere Ecclesiasticum. Docent præterea Vasq. Con. & alii plurimi apud Dian. p. 8. tract. 1. res. 50. Ecclesiam non posse præcipere actum mere internum, etiamsi necessarium ad externum, qui tamen non sit necessarius ad aliquod esse morale illius: cum enim non possit actus hos internos deprehendere, & punire, videtur, quod neque possit illos præcipere, vel prohibere: unde est commune effatum, Ecclesia non judicat de internis, quod colligitur ex cap. *Tua nos*, & ex cap. *Sicut tuis*, de Simonia. Ex his principiis intulerunt Gabr., Sylv. Palud. Gran. Fagund. & alii cum Dian. loc. cit. & p. 3. tract. 4. resol. 12., quod si quis semel in anno confiteatur ita exterius, ut Sacramentum Pœnitentiæ non recipiat, eo quod omittat confiteri peccata mere interna, vel quia omittit internum dolorem, aut propositum necessarium, adhuc satisfaciat præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ: unde non incurrat pœnas latas contra transgressores. Et eadem ratione docent, beneficiarium, qui recitat exterius horas canonicas ab Ecclesia præceptas absque ulla attentione, quamvis peccet contra Divinum præceptum de alloquendo in oratione Deum attente, ac devote, non peccare tamen contra præceptum Ecclesiasticum, unde non teneatur ad pœnam ab Ecclesia impositam, quæ est fructuum restitutio. Idem docent Victoria, Canus, Sà, & alii plures apud eumdem Dicastillo de eo, qui confiteatur quidem, sed non absolvatur ob indispositionem.

II. Probant id primo, quia Ecclesia nequit præcipere actus mere internos; unde nequit ad absolutionis receptionem obligare, ut nec ad dolorem internum.

Secundo, quia Ecclesia præcipit Confessionem, non Absolutionem, quæ est finis, non materia hujus præcepti. Demum ex quadam responsione Alex. III. in cap. *Quod quidam*, de Pœnit., & remiss. Episcopo Belvacensi interroganti: Quid faciendum, quando *quidam ad Confessionem de criminibus veniunt, & quamvis confiteri velint, se tamen asserunt abstinere non posse*? Ad quod Pontifex respondet. *Eorum Confessiones excipere debes, & eis de criminibus consilium exhibere, quia licet non sit vera hujusmodi pœnitentia, admittenda est tamen eorum confessio, & crebris, ac salutaribus monitis pœnitentia indicenda*: ergo per Confessionem voluntarie nullam videtur posse satisfieri præcepto Ecclesiæ.

III. Ostenditur falsitas. Primo, quia præceptum annuæ Confessionis non est mere Ecclesiasticum, sed est modificatio præcepti Divini facta ab Ecclesia, ut docent communius Doctores ostendentes præcipi tantum a Christo, quod aliquoties, & non raro in vita sumatur a peccatoribus Sacramentum Pœnitentiæ, & quod Ecclesia præceperit, ut saltem semel in anno illud suscipiatur: (quod etiam docent, de præcepto Communionis Paschalis, ut proinde non satisfiat illi per Communionem sacrilegam ex propositione 55. damnata ab Innoc. XI.) Quare sicut non satisfit præcepto Confessionis in articulo mortis per Confessionem voluntarie nullam, ut omnes fatentur, quia tunc præcipitur jure Divino Sacramentum valide, & rite susceptum; ita neque satisfit præcepto annuæ Confessionis per Confessionem voluntarie nullam, cum pariter præcepto Divino radicaliter, ut loquitur Lugo disp. 15. de Pœn. n. 39. ad illam obligemur, & solum ab Ecclesia determinetur tempus, quo debeat suscipi; cum Christus D. non præscripserit tempus, sed reliquerit ab Ecclesia determinandum.

IV. Deinde etiam dato, quod præceptum annuæ Confessionis sit mere Ecclesiasticum, Ecclesia non præcipit meram Confessionem sine absolutione, sed præcipit susceptionem Sacramenti, prout est institutum a Deo; quod patet tum ex c. *Omnis utriusque sexus*, ubi expresse dicitur, debere fideles omnia peccata confiteri, & injunctam sibi pœnitentiam implere, nemo autem tenetur pœnitentiam implere, nisi quando perficitur Sacramentum conflatum ex absolutione; ergo obligat Ecclesia etiam ad absolutionem recipiendam: tum etiam quia eodem modo ab Ecclesia obligamur ad suscipiendum quotannis Sacramentum Pœnitentiæ, ac Sacramentum Eucharistiæ in Paschate; sed non satisfacit præce-

pto Eucharistiæ, qui recipit hostiam, quam scit non esse consecratam, eo quod tunc Sacramentum non recipiat; ergo neque satisfacit præcepto Confessionis, qui non absolvitur, cum neque Sacramentum recipiat. Propterea falsum est, quod absolutio sit finis extrinsecus præcepti, qui non cadit sub præceptum, sed est finis intrinsecus, cum sit pars Sacramenti Pœnitentiæ præcepta.

V. Denique communius docent cum Cajet. Soto, Suar. Less. Henr. apud eundem Dian. loco laudato, Ecclesiam non solum posse præcipere actus internos, qui sunt principium per se actuum externorum quoad esse physicum, & materiale illorum: sicut præcipiendo auditionem Missæ in omnium sententia præcipit actum internum, quo quis velit Missæ assistere; unde si quis, dum celebratur, sit in Ecclesia, non ut Missam audiat, sed ut amicum exspectet, certe non satisfacit: sed etiam posse præcipere actus internos, qui sunt principium, & causa externorum quoad esse formale, & virtutis. Cum enim Ecclesia possit præcipere veros actus virtutum, sicut etiam vitia prohibere, poterit consequenter præcipere illos actus internos, sine quibus actus externi non sunt veri actus virtutum: sic præcipiendo orationem vocalem præcipit attentionem internam, sine qua oratio non est actus religionis; & præcipiendo administrationem Sacramenti, præcipit intentionem internam requisitam ad ejus validitatem; sicut præcipiendo habenti Beneficium Parochiale susceptionem Ordinis Sacri, præcipit etiam internum votum castitatis cum eo connexum; ergo præcipiendo susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ quotannis, potest etiam præcipere, & de facto præcipit confessionem peccatorum cordis, internum dolorem, ac propositum, necnon absolutionis receptionem, sine quibus Sacramentum non consistit.

VI. Quinimo probabilius censeo cum plurimis DD. apud Conic. q. 83. a. 6. Ecclesiam posse præcipere meros actus internos, cum hæc potestas Vicario Christi communicata conferat ad majorem directionem fidelium in ordine ad æternam salutem consequendam, & ad majorem observantiam Divinæ legis: sicut ob eandem causam collata fuit Ecclesiæ potestas dispensandi in votis internis: propterea potest ab Ecclesia sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda prohiberi aliquis actus internus, v. g. ne quis idem Sacrificium applicet ad satisfaciendum duplici obligationi ex justitia; & de facto cap. 7. 8. & 17. dist. 30. excommunicatur, qui jejunia communia putaverit contemnenda, aut die dominico jejunaverit in ejusdem diei contemptum, aut ex interna superstitione; ubi contemptus, & superstitio sunt actus tantum interni.

VII. Ad ea, quæ opponuntur, facile respondetur. Ad primum dico, Ecclesiam non posse punire actus internos nec de illis judicare, donec non prodeant in actum externum; sicut non dispensat in votis internis, nisi manifestentur; potest tamen imponere pœnam excommunicationis ipso facto incurrendæ ei, qui facit confessionem voluntarie nullam ex defectu doloris interni, quamvis nequeat hanc excommunicationem pro foro externo imponere, donec exterius constet de hac culpa.

VIII. Ad secundum: diximus Ecclesiam non præcipere meram Confessionem, sed susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, atque adeo etiam receptionem absolutionis. Ad id, quod additur de Alex. III., dicendum cum Perez disp. 24. sect. 13. Confessionem eorum, qui abstinere a peccatis non possunt, admittendam omnino esse, non quidem ut sufficientem ad observantiam præcepti, sed ut utilem ad hoc, ut a Confessariis possint salutaribus monitis adjuvari, & ad verum dolorem, ac propositum induci.

IX. Ex quibus fit, ut notat Lugo disp. 16. num. 138., pœnas Ecclesiasticas latas contra omittentes annuam Confessionem incurri ab eo, qui ponit Confessionem voluntarie nullam: sicut si sub excommunicatione præcipiatur ab Ecclesia administratio Extremæ Unctionis, vel auditio Missæ, & Sacerdos ungeret exterius infirmum sine intentione interna conferendi Sacramentum; vel Missæ quis interesset sine animo illam audiendi, sed solum ad exspectandum amicum, excommunicatio in foro conscientiæ incurreretur. Nec oppositum docent Vasq. Durandus, Sylv. & alii apud Dian. p. 8. tr. 1. res. 50., dum docent, Ecclesiam non posse prohibere, nec punire actus internos; quia non loquuntur de actibus internis per se conjunctis cum externis, seu de actibus internis imperantibus actus externos præceptos, quales sunt actus interni in casibus adductis, sed solum loquuntur de actibus internis, qui per accidens conjunguntur cum externis præceptis; ut esset v. g. attentio interna in auditione Missæ: putant enim posse aliquem habere intentionem assistendi Sacro, & sic satisfacere præcepto Ecclesiæ, sed sine attentione interna, quæ videtur solum præcepta jure Divino. Communius tamen contra hos auctores docent, quod Ecclesia præcipiendo auditionem Missæ præcipiat etiam illam attentionem jure Divino debitam in tali mysterio; Quicquid sit, utrum ad auditionem Missæ, vel ad recitandas horas requiratur jure Divino attentio interna literalis, aut spiritualis, hoc est vel ad verba, aut ad sensum verborum, vel ad Deum, ut communius docent cum Suar. Vasq. apud Tamb. l. 4. de præc. Decal. cap. 2. an vero sufficiat attentio mere superficialis, quæ dici solet externa, consistens in exclusione ejus occupationis, quæ de se impedit attentionem internam, qualis esset confabulari, scribere, legere historiam, &c.

X. Dubitatur hic, an satisfiat præcepto Ecclesiæ per Confessionem validam quidem, sed informem? ut contingit, si quis habens duo peccata, puta furti, & homicidii, doleat attritione supernaturali de solo homicidio ex motivo turpitudinis propriæ talis culpæ, & invincibiliter oblitus de furto solum confiteatur homicidium, & absolutionem obtineat; in quo casu, juxta sententiam probabilem Cardinalis de Lugo, valide suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, sed sine forma gratiæ; cum detur illi obex, nempe peccatum furti non retractatum. Dicastillus l. cit. asserit communem esse Doctorum sententiam, quod per hujusmodi Confessionem Ecclesiæ præcepto satisfiat, adeo ut ex iis, qui negant posse dari Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, plerique conditionate doceant, quod si esset possibile, adhuc per illud Ecclesiæ præcepto satisfieret. Ita Suar. Val. Med. Sotus contra Vasq. q. 92. art. 3. Ratio est, quia Ecclesia præcipit tantum susceptionem hujus Sacramenti, non vero ejus fructum: quare sicut obedit præcepto Ecclesiæ audiendi Missam, ut notat Lugo, qui illam audit in statu peccati mortalis non percipiendo ejus fructum, quia non præcipitur fructus Missæ, sed mera auditio, quamvis præcipiatur ob fructum, tanquam ob finem extrinsecum præcepti, qui sub præceptum non cadit; ita in casu nostro.

Absonum tamen est dicere cum P. Carolo ab Assumptione in Pentalogo suo Diaphorico apud Platelium t. 5. n. 701., quod Confessio sacrilega, in qua deficit contritio interna, possit esse valida, & informis, ita ut deobligetur homo ab iterum manifestandis peccatis in sacrilega Confessione manifestatis. Ratio est, quia ex Trid. sess. 14. c. 4. sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœnitentis actus, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio: ergo contritione deficiente Sacramentum non est validum. Neque potest dici, quod nomine contritionis hic veniat contritio externa, nempe Confessio, quæ constituat hoc Sacramentum. Nam nomine Contritionis ex Tridentino venit dolor habens annexum propositum non peccandi de cætero; quod nequit competere contritioni externæ.

XI. Ex dictis infertur, probabile etiam esse, quod Præcepto Communionis Paschalis satisfiat pariter per Communionem validam, & informem, quæ contingit, quando quis oblitus invincibiliter mortalis commissi accedit ad Sacramentum Eucharistiæ cum aliis actibus virtutum citra dolorem peccatorum: quamvis enim, si is accederet cum attritione supernaturali, probabiliter juxta communiorem sententiam Suar. Con. Gran. contra Vasq. haberet virtute hujus Sacramenti vivorum primam gratiam, unde Sacramentum esset formatum: at si destitutus dolore supernaturali accedat ad Eucharistiam, proculdubio suscipiet Sacramentum validum, & informe: quod tamen non suscipit sacrilege, si bona fide credat se esse sufficienter dispositum.

Sic quis tamen ad Eucharistiam sacrilege accederet, præcepto communionis neutiquam satisfaceret, ut constat ex propositione 55. ab Innoc. XI. proscripta, quam graves DD. docuerant apud Dian. p. 3. tr. 4. ref. 43. Et ratio est, quia præceptum Ecclesiasticum de Communione Paschali est pariter modificatio præcepti Divini instituentis hoc Sacramentum, non solum ut Viaticum, sed etiam ut alimentum; ut constat ex verbis Christi D. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Unde institutum est cum obligatione suscipiendi illud non solum in articulo mortis, sed etiam identidem in vita, prout præscribendum fuerat ab Ecclesia; præcepto autem Divino non satisfit per manducationem sacrilegam, qua venenum, non alimentum deglutitur, juxta illud Apostoli: *Probet seipsum homo, &c. qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit*: ergo nec satisfit præcepto Ecclesiastico, quod est modificativum Divini. Deinde, etiam transmisso, quod Præceptum Communionis Paschalis sit mere Ecclesiasticum, neque satisfit illi per manducationem sacrilegam: præcipitur enim in cap. *Omnis utriusque sexus*, quod suscipiatur reverenter ut minimum in Paschate Eucharistiæ Sacramentum; ergo non satisfacit, qui suscipit sacrilege. Huic tamen præcepto videtur satisfieri, si quis putet invincibiliter cum debita dispositione, ac reverentia ad illud accedere; quamvis enim ex oblivione mortalis detur pro tunc obex gratiæ, hæc tamen facile deinde consurget juxta probabilissimam sententiam, si per contritionem, aut per attritionem talis obex tollatur. Equidem non subscribo Cajetano, Soto, & Arriagæ disp. 14. de Sacramentis, putantibus Eucharistiam sublato obice per attritionem reviviscere, etiamsi suscepta fuerit cum fictione positiva, & sacrilege. Communiter enim hoc a DD. negatur, alioquin qui quotidie sacrilege communicaret, in fine vitæ immensum gratiæ cumulum posita attritione ex præteritis sacrilegiis reportaret, quod videtur absonum. Censeo tamen, quod si Eucharistia suscipiatur cum fictione negativa, seu cum peccato invincibiliter oblito, sublato hoc obice per attritionem, ea reviviscat; non secus ac in sententia probabiliori ex Suar. Conin. & aliis, reliqua Sacramenta reviviscunt: Nulla enim prærogativa, quæ aliis Sacramentis competit, est deneganda Eucharistiæ, nisi positive ostendatur cum ejus institutione repugnare, cum sit Sacramentum omnium præstantissimum, in quo, ut loquitur Trid. sess. 13. *Salvator divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum*.

XII. Confirmatur illatio; quia communiter DD. docent satisfieri præcepto Confessarii imponentis pœnitentiam Sacramentalem, etiamsi ponatur in statu peccati mortalis, quando fructus ex opere operato non potest ab illa parte integrali Sacramenti Pœnitentiæ causari, nisi sublato obice per contritionem, ut docet Perez, & alii: (quicquid sit, an peccet venialiter, qui advertens se esse in mortali, in eo statu pœnitentiam implet; quod Suar. putat esse clarum, eo quod ponatur obex effectui illius partis Sacramenti; negant tamen Lugo, & Perez, ex praxi fidelium, quia ablato deinde obice damnum resarcitur, & totus ille effectus ex opere operato causatur) ergo a fortiori poterit præcepto Communionis satisfieri, communicando bona fide in statu peccati mortalis, esto nequeat gratia nutritiva tunc causari a Sacramento, sed sit causanda, quando per attritionem, ut communius docent, aufertur obex. Ratio in utroque casu est, quia effectus Sacramenti est finis extrinsecus præcepti, qui sub præceptum non cadit; solum cadit sub præceptum, ne quis sacrilege communicet, & venenum sumat pro alimento, & pharmaco.

PROPOSITIO XV.

Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

SYNOPSIS.

I. Possunt profecto propriæ satisfactiones aliis applicari. II. Hinc videtur posse pœnitentia a Confessario imposita in satisfactionem impleri per alium.

III. Ut potest debitor per alium satisfacere; Et sicut potest vovens auctoritate propria votum in æquale, aut saltem in melius commutare; Si potest pœnitens reddi immunis a pœnitentia injuncta per plenariæ Indulgentiæ lucrationem, quidni per pœnitentiam impletam per alium? IV. Sed nequeunt per alium poni actus pœnitentiæ Sacramentum constituentes, ut est Satisfactio. V. Nec præcepta injuncta possunt per alium impleri. Præsertim quia qui peccavit, ipse debet pœnas luere. VI. Potest tamen aliquando Confessarius idipsum imponere, quod pœnitens aut jejunet v. gr., aut reperiat, qui pro se jejunet: In quo casu probabiliter jejunium alienum proderit ex opere operato. VII. Esto vovens possit votum commutare in evidenter melius, non potest tamen pœnitens similiter pœnitentiam commutare.

VIII. Plenaria Indulgentia non eximit a pœnitentia

tia medicinali. IX. Pœnitentia vero satisfactoria solum indirecte relaxatur per Indulgentias. X. Tenetur pœnitens injunctam pœnitentiam acceptare, & implere, quin possit velle eam luere in purgatorio.

I. EXponitur. Certum est posse fideles invicem suffragiis adjuvari, atque adeo posse unius satisfactionem pro aliis tam vivis, quam defunctis applicari. Quinimmo communiter cum Suar. Lugo disp. 26. n. 5. contra Medinam, & Cordubam docent, suffragia pro aliis applicata infallibiliter prodesse, dummodo adsint conditiones requisitæ, puta quod ponantur in statu gratiæ, &c.: sicut enim infallibiliter prosunt satisfactiones Christi, & Sanctorum, quæ ab Ecclesia per Indulgentias pro defunctis applicantur, ut communius docent cum Suar. Val. Con. contra Cajet. Bonac. Layman apud Dian. p. 5. tr. 1. res. 8., ita a fortiori proderunt infallibiliter satisfactiones propriæ, utpote proprii juris, aliis applicatæ. Quod videtur supponi in iis verbis Catechismi Romani dicentis: *Qui Divina gratia præditi sunt, alterius nomine possunt, quod Deo debetur, persolvere: Nec de hoc cuiquam fidelium dubitandi locus relictus est, qui in Apostolorum Symbolo Sanctorum Communionem profitemur*; non dicerentur autem fideles posse persolvere, nisi in manu haberent Divinam acceptionem, unde satisfactiones propriæ aliis applicatæ infallibiliter prodessent.

II. Hinc nonnulli cum Palud. Sylv. Anton. (*a*) Altisiodorensi apud Lugo disp. 25. num. 79. docuerunt, quod si pœnitentia a Confessario imposita sit mere satisfactoria, & non medicinalis, & præservativa, possit pœnitens alium substituere, qui illam impleat, & sibi applicet eam satisfactionem; præsertim si alius cum majori devotione, atque adeo cum uberiori fructu opus illud exequatur.

(*a*) „ En trias Dominicanorum, quos Patuzzius „ *T. III. p. 437. seqq.* a Viva (imo a De Lugo, „ a quo citatos illos reperit Viva) pro damnata „ Thesi falso adlatos queritur. Sed frustra queri- „ tur. Nam revera ita senserunt, quemadmodum „ sensisse illos Lugo adfirmat.

„ De Paludano primum, & S. Antonino id osten- „ do. Verum ad id necesse nihil aliud erit, quam „ quod Patuzzius a Paludano, & S. Antonino fa- „ tetur admissum, cum Lugonis verbis conferre. „ Fatetur ergo Patuzzius (p. 441.) Paludanum, „ & S. Antoninum concedere, pœnitentem posse „ sua auctoritate alios substituere qui pro ipsis sa- „ tisfaciant, 1. *se il penitente non possa* sive quia „ infirmus est, sive quia moritur, 2. *se per av- „ ventura il penitente si occupasse in opere più gra- „ te al Signore, e più giovevoli al rimedio del pec- „ cato*, 3. *quando spinto fosse da un ardente pre- „ mura di offerire a Dio pei peccati suoi una sod- „ disfazione maggiore*; & ideo imponit homini ma- „ gis accepto Deo. Hæc Patuzzius; ergo si De „ Lugo ad hos casus Paludani, & S. Antonini sen- „ tentiam limitet, Cardinali optimo, & doctissi- „ mo imponit Patuzzius, qui falso ab eo citatos „ Antoninum, & Paludanum intrepide adfirmet. „ Age jam audiamus Lugonem *disp. XXV. Sect. V. „ num. 79. Multi affirmant fieri posse*, SALTEM „ *quando subest rationabilis caussa, ut* IMPOTEN- „ TIÆ *vel* MELIORIS *occupationis; vel quod ille „ alius propter minorem devotionem* MELIUS *exe- „ quetur illud opus, atque ita erit* PŒNITENTI „ MAGIS FRUCTUOSA *illa satisfactio per alium*. „ *Ita* Palud. dist. 20. quæst. 3. *Antonin.* 3. p. tract. „ 14. cap. 20. §. 1. *Sylvester* &c. An ne ovum ovo „ similius, quam Patuzzii textus Lugonis senten- „ tiæ similis sit? Aut igitur De Lugo recte Paluda- „ num, & Antoninum citavit, aut eodem, quo „ Lugo, imposturæ crimine Patuzzius obstringitur.

„ Dices 1. S. Antoninus saltem de duobus ulti- „ mis casibus dubitavit. Resp. dubitavit absolute „ nego, comparative ad primum impotentiæ casum „ concedo. Hinc ait: *de quibus non est* ITA *cer- „ tum*, uti scilicet certum est de priore.

„ Dices 2. Paludanus, & S. Antoninus quum hos „ casus excipiant, generalem, quæ damnata est, „ propositionem non admittunt. Resp. & quæro ex „ Patuzzio, utrum post hujus Thesis damnationem „ credat, licere pœnitenti propria auctoritate in „ postremis duobus casibus substituere alium pœni- „ tentiæ ipsi injunctæ exequutorem? Si adfirmet, „ manifestæ laxitatis reus erit: si neget; ergo ii „ duo casus in damnata thesi includuntur; ergo „ quemadmodum ex hac propositione particulari „ *Petrus currit, Paulus currit* sequitur, homines „ currere, ita ex illis casibus recte inferetur, *Pœ- „ nitentem propria auctoritate substituere sibi alium „ posse, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat*.

„ De Sylvestro nihil adtinet dicere, nam & ipse „ Paludani sententiam refert, & probat.

III. Et ratio videtur esse, quia quilibet potest creditori suo etiam per alium satisfacere; siquidem ex reg. 72. juris in 6. *Qui per alium facit, est perinde, ac si faceret per seipsum*, & ex reg. 68. *Potest quis per alium, quod potest facere per seipsum*. Quod ex eo etiam videbatur posse evinci, quia nonnulli cum Portello, & Vivaldo apud Dian. p. 3. tr. 4. res. 53. putarunt, posse pœnitentem auctoritate propria commutare pœnitentiam sibi impositam in opus evidenter melius; non secus ac in communi sententia apud Sanch. lib. 5. cap. 19. vovens potest sibi votum commutare in evidenter melius; cum enim solus Deus sit creditor, optime ejus voluntati satisfit reddendo illi, quod est gratius; propterea in Cap. *Pervenit* de Jurejur. deciditur promissum non infringere, qui illud commutat in melius. Quinimo probabile etiam est ex Sanch. lib. 8. disp. 9. posse voventem commutare votum auctoritate propria in aliquid evidenter æquale; ergo poterit etiam pœnitens satisfactionem debitam Deo præstare substituendo alium, qui plenius pœnitentiam sibi impositam impleat; non secus ac potest quilibet lucrando indulgentiam plenariam reddi immunis a pœnitentia sibi a Confessario imposita, quatenus est satisfactoria, ut communius docent cum Tan. Gran. Fausto contra Valentiam apud Dian. p. 5. tr. 12. res. 3. Quicquid sit an etiam reddatur immunis a pœnitentia quatenus præservativa, & medicinali; quod Lugo d. 24. sect. 2. cum Vasq. & Con. etiam concedit; probabilius vero Rodriq. Fill. liuc. cum eodem Valentia negant.

IV. Ostenditur falsitas primo, quia ex Florent. & Trid. sess. 14. c. 3. & can. 4. constat, materiam Sacramenti Pœnitentiæ esse tres illos actus pœnitentis, nempe Contritionem, Contritionem, & Satisfactionem; ergo sicut nequit contritio poni per alium, ita nec potest Satisfactio alteri demandari.

V. Secundo, quia in aliis præceptis, puta de audienda Missa, de recitandis horis, de jejunando, non potest alius substitui, ut dicemus etiam in expositione propositionis 21. ergo a fortiori in hoc præcepto

cepto Confessarii: cum enim ex Trid. c. 8. pœnitentia imponatur ad novæ vitæ custodiam, & ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, constat exigi ad executionem hujus præcepti actionem personalem, ut ille ipse, qui peccavit, puniatur. Si enim Deus alienis satisfactionibus contentus esset, abunde satisfieret pro quovis culparum cumulo factisfactionibus Christi D. infinitis, & superabundantibus. Quare tunc valent regulæ illæ juris, quod possit quis per alium facere, quod potest per seipsum, quando non exigitur ex speciali ratione actio personalis. Neque obstat auctoritas, quæ solet adduci D. Th. in 4. dist. 20. q. p. a. 2. dicentis, prodesse satisfactionem per alium factam: prodest enim ad sublevandum debitum peccatoris satisfaciendi pro culpis, eo pacto quo diximus fideles invicem suffragiis juvari; non tamen prodest ex opere operato, sicut debet prodesse satisfactio Sacramentalis.

VI. Gravis in hoc difficultas est, Utrum si Confessarius imponat pœnitenti v. g. jejunium cum facultate, quod possit alium sibi ad jejunandum substituere, tunc jejunium ab alio præstitum prosit pœnitenti ex opere operato, & sit pars Sacramenti Pœnitentiæ, non secus ac si ab ipso pœnitente præstaretur? Quod pœnitentia Sacramentalis causet ex opere operato remissionem pœnæ temporalis in pœnitente, nisi ponatur in statu peccati mortalis, docent communiter cum Vasq. Con. Lugo contra Sotum, & Ledesmam apud Dicastill. disp. 14. dub. 9. cum sit pars Sacramenti integralis. In casu tamen posito Vasq. Layman. Bonac. Lugo, Con. Amicus apud Bardi in 72. Reg. Jur. putant, ipsam procurationem jejunii alieni dumtaxat esse satisfactionem Sacramentalem, non vero jejunium alienum, quod nullatenus prodest ex opere operato; tum quia jejunium alienum non est actus pœnitentis, prout debet esse satisfactio Sacramentalis ex CC. laudatis; tum etiam quia illud non imponitur a Confessario, sed a Pœnitente. Suar. vero, Fagun. Præpos. Fill. & alii apud eundem Bardi probabiliter docent, etiam jejunium alienum prodesse pœnitenti ex opere operato; quia dum fit ex ejus petitione, & cum consensu Confessarii, censetur moraliter esse opus ipsius pœnitentis. Qua in re Doctores advertunt, requiri justam causam, ut Confessarius in id consentiat; cum ex Trid. cap. 4. *Debeant Sacerdotes salutares, & convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur.*

VII. Ad id, quod dicebatur, posse Pœnitentem propria auctoritate commutare pœnitentiam sibi injunctam in opus evidenter melius; communissime id negant cum Sanch. Con. Henr. Imo Lugo d. 25. num. 96. dicit, sententiam oppositam adversari communi Theologorum, & Fidelium sensui; & Turrianus censet illam temerariam, quemadmodum enim non licet auditionem Missæ v. g. ab Ecclesia præceptam, & jejunium Quadragesimale commutare in opus eviventer melius, ita a fortiori nec pœnitentiam a Confessario tanquam Judice injunctam; quæ est pars integralis Sacramenti: sicut etiam pro operibus a Pontifice impositis ad lucrandam Indulgentiam nemo potest propria auctoritate aliud opus evidenter melius subrogare. Ideo potest vovens commutare votum in opus evidenter melius, quia in voto obligatio oritur ab ipso vovente, qui solum se obligat ad opus illud, quatenus est Deo gratum; quare si deinde ponit opus, quod constat esse Deo gratius, votum illud non violat. At obligatio adimplendi pœnitentiam, sicut obligatio aliorum præceptorum oritur ex voluntate aliena, cui tenemur nosmet conformare; unde non possumus aliud opus præstantius subrogare, sive a nobis, sive ab alio pro nobis illud ponatur.

VIII. Ad id quod additur, quod possit pœnitens lucrando Indulgentiam plenariam eximi ab onere implendi pœnitentiam impositam, saltem satisfactoriam, si minus medicinalem, Suar. disp. 38. sect. 10. num. 10. advertit, id temporis raro, vel nunquam licere omittere pœnitentias impositas propter Indulgentias; quia revera imponuntur levissimæ pœnitentiæ, quæ vix sufficiunt per modum medicinæ. Addit Valen. l. c., quod si hæc sententia esset vera, nunquam homo teneretur pœnitentiam adimplere, quia innumeræ suppetunt Indulgentiæ, quas pœnitens posset lucrari; quod non reputare absurdum, videtur absurdissimum. Illud equidem censeo non esse admittendum, quod pœnitens ad pœnitentias medicinales (a quibus per indulgentias eximi non potest) non teneatur; siquidem ex Trid. sess. 14. cap. 8. etiam pœnitentia salutaris, & medicinalis virtute clavium a Sacerdote tanquam Judice simul, & Medico imponitur; propterea quamvis Medicus, qua talis, det solum consilium, non præceptum de pharmaco sumendo, ut loquitur Lugo; in Sacramento tamen Pœnitentiæ ex institutione Christi pharmacum præcipitur, ut ex communi sensu, & usu Ecclesiæ colligitur; Sicut Judex, qua talis, reum confessum debet damnare; in Sacramento tamen Pœnitentiæ ex institutione Christi debet absolvere. Propterea Gratianus apud Sanctar. de Jub. c. 3. dub. 13. dicit, esse commune Theologorum sententiam, quod pœnitens etiam ad pœnitentiam medicinalem obligetur, dicente Triden. sess. 14. cap. 8. *Claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres & credunt, & docent*; Cum autem antiqui Patres non distinxerint inter potestatem ad obligandum circa pœnitentias satisfactivas, & salutares, dicendum, quod ad utrasque obligare possit Confessarius.

IX. Verum quamvis possit pœnitens omnino eximi ab onere pœnitentiæ injunctæ lucrando plenariam Indulgentiam, juxta doctrinam Cardin. de Lugo dist. 27. n. 31. approbatam a Salmanticensibus DD. & a Salas, & Rodriq., non idcirco potest aut pœnitentiam illam in opus evidenter melius commutare, aut ad illam implendam alium sibi substituere. Ratio est, quia, ut notat Suar. disp. 50. sect. 3., & Præpos. qu. 14. dub. 5. pœnitentia in Sacramento injuncta per Indulgentias relaxatur indirecte, quatenus iis subtrahitur fundamentum, nempe reatus pœnæ apud Deum debitæ; unde Sacramentum non remanet mutilum per hoc, quod non impleatur ab ipso pœnitente pœnitentia injuncta: in tantum enim hæc requiritur ad Sacramentum integrandum, in quantum est debita: quando vero per Indulgentiam requisitam non est amplius debita, Sacramentum sine ea satisfactione remanet integrum, vel ad summum integratur ea voluntate lucrandi Indulgentias: quod tamen non contingit, si pœnitentia debita commutetur, aut

per

per alium ponatur; cum non ponatur opus a Judice præscriptum in foro sacramentali.

X. Dices. Juxta sententiam plurium Doctorum, cum Navar., Soto, Villal., Fabro apud Dian. p. 2. tract. 15. ref. 52. potest pœnitens citra mortale nolle pœnitentiam injunctam implere, contentus luendi in purgatorio pœnam temporalem debitam: ergo a fortiori poterit citra mortale velle per alium pœnitentiam implere, ita ut sibi ea prosit, si minus ex opere operato, saltem ex opere operantis, & quod superest pœnæ debitæ, relinquat in alia vita luendum, aut in hac vita delendum per alias operationes satisfactorias proprias, aut per Indulgentias, aut per Sacrificia,

Respondeo, sententiam illam communiter a Theologis rejici, maxime post Trident., teste Lugo d. 25. num. 68., & a Vasquez, ac Victoria reputari contra fidem, a Suarez temerariam, ab aliis periculosam, & improbabilem, quamvis pro ea plures alios DD., qui post Trident. scripserunt, congerat Diana p. 3. tr. 4. ref. 51. Cum enim ex Trid. loc. c. Sacerdos potestatem habeat ligandi, non poterit pœnitens ab obligatione pœnitentiam implendi ullatenus se eximere; atque adeo ad illam acceptandam, & implendam tenetur sub mortali. Quamvis materiæ parvitas ex communi sententia contra Joan. Sanc. in sel. d. 15. a gravi obligatione excuset; qualis esset v. g. recitare Psalmum Miserere; cum non censeatur gravis irreverentia quoad hanc levem partem relinquere Sacramentum mutilum. Adde, pœnitentias id temporis, ut diximus ex Suar., esse levissimas, ut vix sufficiant per modum medicinæ, cum autem pœnitens ad medicinales pœnitentias teneatur, ut ostendimus, nec possit in Purgatorio hoc pharmacum sumere, esto possit pro pœnis debitis satisfacere, fit, quod non possit pœnitentiam impositam respuere: dummodo tamen, ut notat Lugo n. 73., non sit irrationabilis, & dissona consuetudini rationabiliter introductæ ob humanam fragilitatem. Adde demum, quod si non teneretur pœnitens impositam pœnitentiam implere, nec teneretur Sacerdos sub gravi illam injungere convenientem peccatis; quod tamen est contra Tridentinum laudatum; ut propterea communiter rejiciantur Homobonus, Beja, & alii apud Dian. l. c. ref. 97. putantes excusari a mortali Confessarios, qui pro gravibus delictis parvas pœnitentias imponunt, si in absolvendo addant clausulam illam: *Quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum*: Solum excusantur, quando ob impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis leviorem satisfactionem injungunt, ex D. Th., Suar., & aliis communiter; quia in hoc Sacramento magis attenditur emendatio, & salus pœnitentis, quam satisfactio pro pœna.

PROPOSITIO XVI.

Qui Beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario.

S Y N O P S I S.

I. Videtur posse Curatus simplicem Sacerdotem in Confessarium eligere etiam post Tridentinum.

II. Tum ex consuetudine introducta. III. Tum ex privilegio in corpore Juris. IV. Cum possit Parochus juxta nonnullos concedere simplici Sacerdoti facultatem audiendi Confessiones suarum ovium, poterit etiam eandem facultatem tribuere pro se. V. Possunt id Prælati Regulares, Vicarius Capitularis, & Abbates, exempti, quidni etiam Curati? VI. Obstat tamen Tridentinum revocans a Curatis isthæc privilegia. VII. Ne Episcopi quidem possunt simplicem Sacerdotem non subditum in Confessarium eligere, ut declaravit Gregorius XIII., a fortiori nec Parochi. VIII. Esto viguerit olim ea consuetudo, ut quilibet Sacerdos posset alterius Sacerdotis, nedum Parochi, confessionem audire, illi tamen derogatum est per Trident. IX. Derogavit pariter Concilium privilegio in corpore Juris inserto, decrevitque, Sacerdotem, cui deest Approbatio, non esse idoneum, qui in Confessarium eligatur. X. Est improbabile, quod possit Parochus simplicem Sacerdotem exponere ad audiendas suarum ovium confessiones. XI. Probabiliter tamen potest exponere alium Parochum, aut Sacerdotem alibi approbatum. XII. Quid dicendum de Regularibus alibi approbatis? XIII. Prælati Regulares, cum possint suis subditis facultatem tribuere, ut simplici Sacerdoti confiteantur, poterunt ipsi consequenter hujusmodi Confessarium eligere.

XIV. Vicarius Capitularis, & Abbates exempti possunt instar Episcopi simplicem Sacerdotem eligere, ex eo quod possint illum approbare; quod tamen non potest Parochus.

I. EXponitur. Cum Tridentin. sess. 23. cap. 15. exigat in Confessario sæcularium, etiam Sacerdotum, tanquam essentiale requisitum, vel Beneficium Parochiale, vel Approbationem ab Ordinario, communis sententia fert, solum Episcopum posse eligere sibi in Confessarium Sacerdotem simplicem sibi subditum, aut in propria Diœcesi, quia eligendo illum simul approbat; unde habet approbationem Ordinarii essentialiter requisitam; reliquos vero habentes beneficium Curatum non posse post Tridentinum eligere Confessarium, qui careat ea approbatione. Nihilominus posse Parochum, non secus ac Episcopum, eligere sibi simplicem Sacerdotem in Confessarium, quamvis non relate ad absolvendum a reservatis, docuerunt non pauci cum Soto, (*a*) Vega, Ledesma, (*b*) Panormitan. Gaspar. Hurtado, Pasqualigo decis. 105. Leandro a Sacr. tract. 5. de Pœn. disp. 11. q. 34., ut videre est apud Mendo dissert. 10. quæst. 7.

(*a*) „ Ait Patuzzius, Sotum heic citari non in„ dicato loco, nec sententia. Sed si oculos ad se„ quentem numerum deflexisset, & locum & verba „ a Viva citari comperisset. Pergit Patuzzius, & „ con-

„ contendit injuria Sotum citari, quum unice loquutus fuerit de legitima consuetudine, quæ alicubi viguerit. Verum damnata propositio generalis est, & consuetudinem quoque complectitur; immo Viva eos præsertim confutat, qui id licere consuetudine adfirmarunt; Sotum igitur merito jure patronis adcensuit confixæ propositionis. At instat Patuzzius, scripsisse Sotum ante Tridentinum, a quo consuetudini, si quæ fuit, derogatum est. Quid inde? Ergo damnatam Thesim non docuit Sotus? Audi bellulum, quod hinc colligo, argumentum: *Lutherus ante Tridentinum scripsit; ergo patronus non fuit errorum a Tridentino damnatorum*. Mi Patuzzi scis quid ex editis ante Tridentinum a Soto libris fiat; minus culpandum Sotum, quam si post Tridentinum eadem docuisset; non autem patronum non fuisse damnatæ Thesis: scilicet non docuisse, quod docuit „

(*b*) „ Viva suum de Ledesmæ sententia vadem citat Mendo; de eo igitur queratur Patuzzius, non de Viva. Quamquam si Ledesma mihi ad manus esset, non dubito, quin etiam a Mendo jure illum appellatum invenirem, quum in ceteris, quos conferre mihi licuit, Auctoribus injustas Patuzzii querelas deprehenderim „

II. Moventur primo, quia ita videtur consuetudine introductum, ut fatentur Gerson, Ostiensis, & alii apud Suar. disp. 27. de Pœnit. sect. 3. quos se quuti sunt post Trident., Navar., & Sotus in 4. dist. 18. qu. 4. art. 2. ubi hæc habet. *Curati consuetudine habent, ut possint sibi eligere Confessores, præterquam in casibus reservatis; quin vero & universi simplices Sacerdotes eadem gaudent facultate, ut sibi promiscue quemcumque eligant Sacerdotem*.

III. Deinde, quia ex cap. ult. de Pœnit., & Remiss. Episcopi, & inferiores Prælati exempti facultatem habent eligendi sibi Confessarium providum, & discretum præter sui superioris licentiam; ejusque concessionis assignatur ratio, *Ne scil. pro dilatione pœnitentiæ periculum immineat animarum*; cum enim supponantur exempti, oporteret expectare licentiam a Pontifice, vel alio Superiore forte absente, ut possent confiteri. Quod autem nomine Prælatorum exemptorum veniant etiam Parochi, docent Panormit., & alii; quia in certis casibus habent jurisdictionem in foro contentioso; possunt enim excommunicare pro furto, rapina, & similibus, ut docent D. Thom. in 4. dist. 18. Quare sicut post Tridentinum possunt sibi Confessarium eligere Prælati Curiæ Romanæ, Auditores Cameræ, Thesaurarii, Clerici Cameræ, Auditores Rotæ, Magister Sacri Palatii, ut docent nonnulli cum Suar. dis. 27. sect. 2., & Filliuc. apud Dian. p. 10. tract. 16. ref. 76., quia sunt Prælati exempti; ita pariter Parochi. Neque dici potest, quod revocetur a Tridentino hujusmodi privilegium: Nam cum sit insertum in corpore juris, non revocatur per clausulas generales, sed debet de eo fieri specialis mentio, ne passim fiat juris correctio.

IV. Tum etiam, quia potest Parochus exponere Sacerdotem simplicem ad excipiendas confessiones suarum ovium, ut docent non pauci cum Ledesma, Orellana, Thomæ Hurtado, Jo. de la Cruz. apud Dian. p. 10. tract. 6. ref. 65.; ergo etiam potest eligere sibi simplicem Sacerdotem in Confessarium. Consequentia sequitur; quia communiter DD. docent cum Angelico in 4. disp. 21. quæst. 1. art. 5. quæst. 4. apud Sanch. lib. 8. de Matrimon. dis. 4., quemlibet posse uti auctoritate, & licentiis, quas potest aliis concedere. Cum enim Superior duas personas repræsentet, alteram Superioris, secundum quam suam jurisdictionem aliis potest delegare, & licentias concedere; alteram hominis, seu partis communitatis, secundum quam jurisdictioni subjicitur, poterit auctoritatem suam erga seipsum exercere, non secus ac erga subditos; ne ipse sit pejoris conditionis, quam subditi. Antecedens autem probatur ex Cap. *Placuit*, & ex Cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœn., & Remiss. ubi ea facultas Parochis conceditur. Neque dici potest, illam revocatam esse a Tridentino sess. 23. c. 15. ubi requirit approbationem Ordinarii in eo, qui audit Confessiones sæcularium, si careat beneficio Parochiali, non obstantibus privilegiis, aut consuetudine in contrarium; Nam hæc facultas non competit Parochis ex ullo privilegio, aut consuetudine, sed ex proprio munere, ut putant nonnulli apud Fagund. 2. Præc. Eccl. l. 7. c. 2. n. 42.

V. Denique, quia Prælatus Regularis, Vicarius Capitularis, & Abbates exempti, quamvis non sint Episcopi, possunt eligere sibi in Confessarium Sacerdotem ab Episcopo non approbatum, ut docent communiter cum Suar., Fagund. & aliis, quin id deroget Triden. requirenti approbationem ab Episcopis: ergo etiam Parochi, & omnes habentes beneficium Curatum, seu curam animarum habentes, qui ex proprio munere possunt earum confessiones audire.

VI. Ostenditur tamen falsitas ex Suar., Vasq. Lugo, & aliis communissime apud Mendo loc. cit., quia Trid. sess. 23. c. 15. decrevit, *Nullum etiam Regularem posse confessiones secularium, etiam Sacerdotum audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium habeat, aut ab Episcopis idoneus judicetur, & approbationem obtineat; non obstantibus, privilegiis, & consuetudine quacunque etiam immemorabili*: ergo esto Parochi olim aut ex consuetudine, aut ex privilegiis possent sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem, post Tridentinum tamen nullatenus possunt.

VII. Confirmatur, quia cum Romæ dubitatum fuerit, num in hoc decreto Trident. nomine Sacerdotum venirent etiam Episcopi, ita ut ne Episcopis quidem liceret eligere in Confessarium simplicem Sacerdotem non subditum extra propriam Diœcesim non approbatum ab Ordinario? & ad hoc dubium decidendum deputata fuerit Congregatio decem Cardinalium, quorum quinque in partem affirmativam inclinarunt, quinque in negativam; ob rationes, quas Suar. refert disp. 28. de Pœnit. sect. 4. Greg. XIII. in ea sententiarum diversitate consultus respondit, *In re dubia tutius est adhærere decreto Concilii Tridentini*. Quare si ne ipsi quidem Episcopi eligere possunt in Confessarium simplicem Sacerdotem, qui careat approbatione Episcopi a Tridentino essentialiter requisita; & eatenus solum possunt eligere simplicem Sacerdotem subditum extra Diœcesim, aut non subditum in propria Diœcesi, in quantum per hanc electionem illum approbant, quin possint non subditum extra propriam Diœcesim approbare; a fortiori Parochi, & alii habentes solum Beneficium Curatum eligere non poterunt sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem destitutum approbatione sui Episcopi. Certe quæ adducuntur ab Adversariis in favorem Parochorum, a fortiori militarent in favorem Episcopi; præsertim

quia

quia privilegium concessum Episcopis in corpore juris cap. fin. de Pœnit. & Remiss. eligendi sibi Confessarium idoneum, non deberet revocari per clausulam illam generalem Tridentini, ubi dicitur solum *Non obstantibus privilegiis, &c.* tum etiam quia nomine *Sacerdotis* in odiosis non venit Episcopus; unde non videtur in eo decreto Trid. Episcopus comprehendi. Et tamen Gregor. XIII. declaravit, etiam Episcopos eo decreto ligari, ut videre est apud Fagund. 2. Præc. Eccl. lib. 7. cap. 2. nu. 79., quia scil. verba Concilii sunt universalia, atque adeo etiam Episcopos includunt, quin obstent rationes adductæ. Non enim datur sufficiens fundamentum ad dicendum, quod per clausulam illam generalem non revocetur privilegium illud Episcoporum insertum in corpore juris; Et hoc transmisso, privilegium illud solum dicit, quod possint Episcopi eligere Confessarium idoneum, & Tridentinum non derogat huic privilegio, sed solum decernit non esse idoneum, si careat approbatione Episcopali. Deinde quamvis in odiosis nomine Sacerdotum non veniant Episcopi; nihilominus materia isthæc non videtur posse dici odiosa, sed favorabilis, cum sit in favorem Sacramenti, & conscientiæ, & proprie nullum jus auferat ab Episcopis, qui etiam non possunt vices suas idoneis delegare; sed solum apponat conditionem ex parte eorum, quibus deleganda est jurisdictio, ut dicantur idonei. Quare si rationes istæ ex declaratione Pontificis non suffragantur Episcopis, a fortiori non suffragabuntur habentibus Beneficium Curatum; unde nullatenus poterunt simplicem Sacerdotem carentem approbatione Episcopi in Confessarium eligere.

VIII. Ad primam rationem in contrarium: Negant communius eam consuetudinem ante Tridentinum viguisse, quod Parochus simplicem Sacerdotem in Confessarium eligeret: sed hoc transmisso, decretum Tridentini requirit in Confessario approbationem, non obstante quacunque consuetudine in contrarium. His adde, ut advertit ingeniosus Recentior ex Suar. disp. 27. sect. 3., ex sola consuetudine introduci non posse, quod aliquis habeat facultatem eligendi sibi in Confessarium simplicem Sacerdotem carentem jurisdictione, seu facultate Episcopi ad Confessiones excipiendas; cum Jurisdictio ista sit jure Divino requisita, & nulla consuetudo possit adversus jus Divinum prævalere, ut communiter Theologi docent. Solum ex consuetudine eligendi simplicem Confessarium poterit introduci facultas illum eligendi, quatenus Prælati videntes id, & tacentes implicite dant consensum, & jurisdictionem; unde facultas non habetur ex nuda consuetudine, sed ex implicito etiam Episcopi consensu, & ratihabitione de præsenti; quam esse sufficientem ad Confessiones audiendas docent communiter contra Nugnum apud Dian. p. 3. tract. 4. res. 68. (Quidquid sit, an sufficiat etiam ratihabitio de futuro, quando scil. habentur signa externa, quæ non indicant præsentem voluntatem Episcopi, sed solum præsumunt, quod vellet Episcopus facultatem concedere: quod Fill. ex Bonacin., Medina, Sylv., & aliis putat esse probabile; communius tamen negant apud eundem Dianam, & apud Sanch. l. 3. de Matr. disput. 35.) Quare si post Tridentinum alicubi ista consuetudo imbibens consensum Episcopi tacitum, & ratihabitionem de præsenti daretur, ea certe sufficeret, ut possit eligi in Confessarium simplex Sacerdos, quia sub hoc Episcopi consensu non careret jurisdictione, & approbatione Episcopi; eam autem consuetudinem dari de facto in Parochis, & a fortiori in quovis Sacerdote, docent communiter, & constat experientia.

IX. Ad secundam: diximus privilegium illud ne Episcopis quidem suffragari post Tridentinum, vel quia est derogatum, vel quia disertis verbis Concilium decernit, confessarium non posse dici idoneum, & providum, si careat approbatione Episcopali. Hinc, ut notat Dian. p. 10. tr. 16. res. 76. Prælati Curiæ Romanæ, & alii exempti non audent eo privilegio uti, eligendi Confessarium non approbatum ab Episcopo; si enim privilegium hoc Episcopis post Trident. non favet, quomodo poterit aliis Prælatis inferioribus favere? Adde Parochum in eo privilegio nullatenus includi, cum revera non possit dici Prælatus exemptus; subjacet enim jurisdictioni Episcopi; imo nunquam in jure nomine Prælatorum veniunt Parochi, quin potius in Clement. *Dudum* de Sepulturis fit aperte distinctio inter Parochos, & Prælatos.

X. Ad tertiam; Sententia illa, quod possit Parochus simplicem Sacerdotem exponere ad audiendas Confessiones suarum ovium, communissime cum Suar. disp. 28. sect. 4. apud eundem Dian. censetur improbabilis; quamvis enim ratione sui muneris Parochi habeant potestatem ordinariam delegandi vices suas alteri Sacerdoti; at post Tridentinum solum possunt vices delegare in ordine ad audiendas Confessiones Sacerdoti approbato ab Episcopo; & ideo hunc tantum possunt sibi in Confessarium eligere.

XI. Illud admittitur cum Suar. disp. 28. sect. 4. Fill. Trullench. Navar. & aliis communius contra Nugnum apud Dian. p. 3. tract. 4. res. 130. Parochum posse jure suo delegare vices suas, & jurisdictionem in ordine ad audiendas Confessiones alteri Parocho, necnon Sacerdoti approbato ab alieno Episcopo: dummodo, ut notat Con. disp. 8. de Sacr. num. 57. Episcopi non repugnent. Ratio est, quia sic habetur quidquid exigit Trident. nempe Episcopi Approbatio, vel Parochiale Beneficium, & simul Jurisdictio; hæc enim potest a Parocho jure suo aliis delegari, dummodo habeant requisita a Tridentino; quod solum requirit approbationem Episcopi, seu publicum testimonium de idoneitate Sacerdotis, ne ab ineptis Ministris Confessiones audiantur, quin exprimat a quonam Episcopo facienda sit Approbatio. Et licet multi velint faciendam esse ab Episcopo loci, in quo auditur Confessio, alii vero putent, quod ab Episcopo pœnitentis; Suarez tamen, Lugo, & laii docent faciendam esse ab Episcopo Confessarii: imo Henriquez cum aliis apud Dicast. disp. 10. num. 297. putat sufficere approbationem cujuscunque Episcopi. Unde sequitur, quod Parochus in Diœcesi Nolana ver. grat. possit suam jurisdictionem delegare Sacerdoti approbato ab Archiepiscopo Neapolitano, vel ejus Diœcesis Parocho.

XII. Neque obstat, quod dicitur in Bulla Clementis X. quæ incipit *Superna*, ubi declaratur, quod Regulares in una Diœcesi approbati non censeantur approbati ubique, ut proinde non possint in alia Diœcesi confessiones audire sine nova approbatione illius Episcopi, quod etiam declaraverat Innocent. X. apud Dian. p. 10. tr. 16. res. 75. Nam, ut notat Recentior non ignobilis, solum uterque Pontifex voluit limitare usum jurisdictionis Regularibus competentis vi suorum privilegiorum, ne audirent

Con-

Confessiones in aliqua Diœcesi invito Ordinario. At quando jurisdictio eis a Parocho delegatur relate ad suas oves, & Episcopus non est invitus, non est cur non possint Confessiones audire, si aliunde habeant a proprio Episcopo approbationem; Non secus ac in communi sententia apud Vasq. in 3. p. q. 92. a. 3. dub. 4. possunt Parochi alienæ Diœcesis easdem Confessiones audire, si iis a Parocho proprio delegetur Jurisdictio relate ad suos Parochianos; ut proinde communius doceant apud Dian. p. p. tr. 11. ref. 8. approbatum in una Diœcesi posse virtute Jubilæi, aut Bullæ Cruciatæ eligi ubique gentium, ut absolvat a reservatis, prout expresse in Bulla plumbea conceditur.

Adverto tamen cum Dian. loc. cit. consultius esse in praxi sequi opinionem oppositam, quando commode potest ab Episcopo loci peti facultas, ne detur offensioni locus. Hac de causa licet Greg. XIII. concesserit Confessariis Societatis Jesu approbatis, ut quandocunque sive mari, sive terra iter faciunt, possint non repugnantibus Curatis Parochialium Ecclesiarum verbum Dei prædicare, & quorumcunque Christifidelium Confessiones audire; dummodo id non faciant in Oppidis, aut locis, in quibus Ordinarii existunt, nisi eorum licentia desuper obtenta. Nihilominus ad vitandam Episcoporum offensionem, P. Generalis in Comp. Privil. Soc. Jesu, V. *Confessarius* num. 2. mandat, ut Confessarii nostri missi ad fructificandum in aliqua Diœcesi, etsi in itinere possint, sicut, & reliqui Societatis operarii, uti hac facultate, etiam intra eandem Diœcesim, ad quam destinati sunt; per eam tamen non excurrant, antequam recta ad Episcopum, vel eo absente, ad ejus Vicarium tendant, illi se offerant, & facultatem fructificandi obtineant; quod si longe illi absint, petant per literas.

XIII. Ad quartam: quod attinet ad Prælatos Regulares, idcirco possunt eligere simplicem Sacerdotem, quia Trid. loc. cit. approbationem Episcopi in Confessario exigit solum relate ad Confessiones sæcularium; quare cum possit Prælatus Regularis subditis concedere facultatem, ut simplici Sacerdoti confiteantur, poterit pariter ipse sibi simplicem Sacerdotem in Confessarium eligere, sive propriæ Religionis, sive externum, ut docent communissime contra Peregrinum apud Dian. p. 4. tract. 4. ref. 1. & 3.: Quamvis virtute Jubilæi non possint Regulares absolvi a reservatis, nisi Confessarius fuerit ab Episcopo loci approbatus, ut suse ostendi in opusc. de Jubilæo q. 9. art. 4. & docent communius contra Boss. Bonac., & alios apud Dian. p. 5. tract. 12. ref. 17.

XIV. Quod vero spectat ad Vicarium Capitularem, Abbates exemptos, & alios hujusmodi, verum quidem est, quod possint simplicem Sacerdotem, non secus ac Episcopi, in Confessarium eligere: & ratio est, quia cum habeant jurisdictionem Episcopalem, possunt instar Episcoporum simplicem Sacerdotem approbare in ordine ad audiendas Confessiones suarum ovium, & consequenter etiam in ordine ad audiendam confessionem suam; ut non debeat esse, ut diximus, pejoris conditionis Superior, quam subditus. Neque obstat, quod Tridentinum eo loco exigat approbationem ab Episcopis. Nam communiter docent apud Dicast. disp. 10. num. 290., & praxis Ecclesiæ ostendit, Trid. nomine Episcopi sumere eos, qui habent jurisdictionem Episcopalem, ut sunt Capitulum Sede vacante, Vicarius Episcopi, Archiepiscopus in Diœcesibus Suffraganeorum tempore visitationis, & nonnulli Prælati exempti, ac Abbates habentes in foro externo jurisdictionem Episcopalem respectu sæcularium :] cum autem Parochus jurisdictionem Episcopalem non habeat, sicut non potest Sacerdotem simplicem ad audiendas Confessiones approbare, ita neque poterit illum sibi in Confessarium eligere, nec delegare eidem suam jurisdictionem in ordine ad audiendas confessiones suarum ovium.

PROPOSITIO XVII.

Est licitum Religioso, vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de sua Religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Religioso, vel ejus Religioni publice, & coram gravissimis Viris prædicta impingere, nisi occidatur.

PROPOSITIO XVIII.

Licet interficere falsum Accusatorem, falsos Testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum vitare.

SYNOPSIS.

I. Quod ad priorem thesim spectat, ea suadetur, quia si potest sæcularis gladio impedire volentem percutere baculo, etiam volentem percutere lingua, seu calumniatorem poterit occidere cum moderamine debito; atque adeo etiam Ecclesiasticus, cui magis incumbit bonum nomen servare.

II. Potest Religiosus, & Clericus defensione occisiva cum moderamine inculpatæ tutelæ defendere vitam, & res magni valoris, quidni etiam famam occidendo calumniatorem? III. Verum ne laicis quidem licitum est calumniatorem interficere, ex Propositione 30. ab Innocentio XI. proscripta. IV. Ut possit aliquis ad defensionem interfici, duo requiruntur, & quod evidenter damnum grave inferatur, & quod evidenter non possit alia via impediri. V. Hinc potest aliquando interfici invasor vitæ, aut rerum familiarium, nunquam tamen calumniator invasor famæ: Ecclesiastici, quibus fuga non est ignominiosa, non possunt vitæ invasorem occidere, si possunt fuga se defendere. VI. Controversum est, num possint Ecclesiastici bona externa magni valoris defendere defensione occisiva. VII. Hinc patet falsitas thesis sequentis de occisione Accusatoris, &c. VIII. Necnon 32. & 33. Innocentii XI. de defensiva occisione eorum, ad quæ solum habetur jus inchoatum. IX. Sicut etiam 30. de occisione ejus, qui post impactam alapam fugit. X. Ac 31. de occisione illius, qui unum aureum furatur.

XI. Nequit vir nobilis interficere illum, a quo solum contumeliis afficitur, quin velit desistere.

XII. Potest tamen vitæ invasor cum moderamine debito

debito interfici, quamvis prævideatur decessurus in mortali; cum enim possit ab invasione desistere, non dicitur esse in extrema necessitate.

1. PRior Propositio ipsissimis verbis discutitur a P. Francisco Amico disp. 37. de Justit. n. 118. apud Dian. p. 7. tract. 10. res. 28., ubi momenta rationum pro parte affirmativa disputandi gratia proponuntur, (*a*) quin ea admittatur; quippe quæ communi sententiæ refragatur. Illam tamen admittunt Sayr., Navar., Jo: Sancius, Caramuel apud Mendo dissert. 4. qu. 2.

(*a*) „ P. Concina Tom. 4. pag. 310. & 311. „ post recitatam propositionem 17. Alexandri VII. „ de Occisione Calumniatoris ita pergit.

„ *Hanc propositionem docuit P. Franciscus Amicus* „ *disp. 36. de justitia num. 118. P. Dominicus Viva* „ *in sua trutina ad hanc 17. propositionem contendit. P. Amicum disputationis gratia propugnasse* „ *hanc sententiam . . . At quonam quæso principio* „ *id asserit P. Viva cum hoc non indicet P. Amicus,* „ *qui absolute nullaque declaratione adjecta hanc Sanguinariam doctrinam in lucem publicis typis evulgavit? . . . Hinc colligat lector, quanti facienda* „ *sint interpretamenta P. Viva. Probabilistarum nonnulli laxa Commenta evulgant: Opiniones Erroneas typis edunt, quæ lectorum mentes, & animas inquinant. Cum autem ad Evangelicæ doctrinæ tribunal revocantur, tum clamant, aut non* „ *esse sincere excerptas, aut alio in sensu aut disputationis gratia propositas fuisse.*

„ Ad quæ Concinæ verba hæc notat P. Nocetius „ c. 36. *Ver. Vind.*

„ Ergo si credimus Patri Concinæ sincerissime „ Jesuitarum sententias referenti, Pater Amicus „ non proposuit eam opinionem disputationis gra„ tia: P. Viva nullo principio id asseruit: Pater „ Amicus id non indicat: P. Amicus nulla decla„ ratione adjecta sanguinariam doctrinam in lucem „ edidit. Audiatur P. Amicus, qui postquam pro„ posuit momenta rationum pro damnata postea il„ la opinione, dictum numerum 118. ita concludit.

„ *Verum quia hæc apud alios scripta non legi,* „ *nolo ita sint dicta ut communi sententiæ adversentur: sed* solum disputandi Gratia, *maturo judicio* „ *relicto apud prudentem Lectorem.*

„ Hactenus conceptissimis verbis P. Amicus. Ha„ buit ne P. Viva aliquod principium id asserendi? „ Indicat ne hoc P. Amicus? evulgavit ne typis „ sanguinariam doctrinam nulla declaratione adje„ cta? tam intrepidæ imposturæ fieri ne possunt evi„ dentiores? Hinc colligat lector quanti faciendæ „ sint assertiones Patris Concinæ.

„ Utrum vero jure clamemus, præfatam opinio„ nem *disputationis gratia* fuisse propositam, utrum „ jure clamemus sententias Jesuitarum sæpissime non „ esse sincere excerptas integre relatas atque in suo „ vero nativoque adspectu collocatas, ex dictis, „ & dicendiis lectores judicabunt.

„ Sed ut zelo Patris Concinæ in præsentia præter „ modum succenso latior campus aperiatur ad in„ sectandas sanguinarias doctrinas, placet ipsius ocu„ lis subjicere, quo hoc in genere progressi fuerint „ quidam alii Theologi non *disputationis gratia*, „ ut Amicus; sed *Absolute, nullaque adjecta declaratione.*

„ Cajetanus Dominicanus docuit, posse de con„ sensu principis acceptari duellum oblatum a Ca„ lumniatore qui obtinebit a judice occisionem vel „ mutilationem innocentis; quando non detur alia „ ratio evadendi illa mala a Calumniatore median„ te judice inferenda. En ejus verba 2. 2. quæst. „ 95. a. 8.

„ *In uno tamen casu licitum mihi videtur acce„ ptare duellum, quando scilicet accusator evidenter* „ *calumniatur & prævalet contra me innocentem ad* „ *mortem, vel mutilationem. Tunc enim ex quo ac„ cusator impetit me judicis gladio injustissime sine* „ *dubio occidet, vel mutilabit me; ego non habens* „ *aliud refugium, habeo justum bellum defensivum* „ *contra eum; Et propterea si ipse offert mibi duel„ lum, ego possum accceptare de consensu Principis,* „ *& tueri me meliori modo, quo possum.*

„ Dominicus Bannez Dominicanus docuit primo „ posse occidi aggressorem, qui paravit insidias, „ tametsi non sit, ut dicimus, incontinenti; tametsi „ tunc non aggrediatur *physice*, sed solum *moraliter*, „ quatenus jam posuit actionem connexam cum meo „ damno; tametsi tunc *quiescat*: si non potest alia „ ratione vitari damnum illud. En ejus verba 2. 2. „ *quæst. 69. art. 7. concl. 2.*

„ *Postquam jam aggressor fecit aliquam actionem* „ *parando mihi insidias, quas ego aliter effugere non* „ *possum nisi occidendo illum, tunc licitum est mihi* „ *medio tempore antequam instet meum damnum oc„ cidere insidiantem*, etiam si pro tunc quietus sit. „ *Ratio est, quia tunc proprie loquendo est defensio* „ *vitæ meæ; nam profecto moraliter loquendo ille* „ *est* actualis *aggressor*. V. G. *in casu posito potest* „ *mulier adultera occidere maritum, de quo certa est* „ *quod jam habet vel venenum paratum, vel gla„ dium, aut quid simile: tunc enim vim repellit* „ moraliter *loquendo, quamvis* physice *pro tunc ma„ ritus nihil agat.*

„ Dominicus Soto Dominicanus loquens non qui„ dem universaliter, ut Bannez, sed de casu uxo„ ris, & item non adulteræ, sed innocentis, cautissi„ me sine dubio disputat. Admittit nihilominus, „ damnandam non esse talem uxorem, quod ma„ ritum præveniat, si hæc præventio sit defensio „ non aggressio. En ejus Verba *lib. 5. de justitia* „ *quæst. prim. art. 8.*

„ *Fac innoxiam mulierem eodem lecto cum mari„ to jacentem, evidenter scire, eum sub cervicali ab„ didisse gladium, quo ipsam dormientem jugulet;* „ *neque patere miseræ suffragium aliud: numquid* „ *non ipsa posset eumdem gladium furtim arripere,* „ *& fabulam antevertere? Profecto res est dubia.* „ *Ad quam aliud responderi non potest, quam quod* „ *dum actus ille aggressio est, nullatenus est licitus.* „ Si tamen est defensio non est cur condemnetur.

„ Sed omisso Soto, qui ut dicebam, cautissime „ loquitur, redeamus ad Sanguinarias doctrinas ma„ gistri Bannez. Igitur

„ Idem Bannez docet secundo, posse occidi ca„ lumniatorem, qui vadit ad Judicem, & admoni„ tus non vult retrocedere, si aliter non possint de„ fendi vita vel Res. En verba ibidem.

„ *Similiter dico de secundo casu: quod si ille qui* „ *vadit ad Judicem fuerit* admonitus, *& noluerit* „ *retrocedere, poterit is, qui injuriam* patitur, *oc„ cidere illum defendendo se*, vel sua, *si aliter non* „ *potest.*

„ Idem docet tertio, similiter esse discurrendum „ de illo, qui *injuste* vadit ad Judicem, ut accu„ set de crimine vero, sed occulto, ex qua accu„ satio-

fatione certum immineat periculum vitæ, vel *Infamiæ*. En verba ibidem in responsione ad primum Argumentum.

Sed rogat quis, quid agam ego; si quis vadat ad me accusandum de crimine vero, *sed occulto, ex cujus accusatione mihi* certum *periculum creatur mortis vel* Infamiæ? *Respondetur, quod si ille non habet jus ad me accusandum, neque procedit secundum justitiam legalem, ita me possum defendere ab illo*, sicut *ab imponente falsum crimen*.

Idem docet quarto seu potius magis expresse confirmat, non requiri, ut occisio sit incontinenti; seu non requiri, ut aggressio sit actualis *physice*; sed sufficere ad licitam occisionem, si sit actualis *moraliter*. Etenim postquam in tertio argumento sibi ita objecisset -- Proprie vis non dicitur, nisi quando aliquis actualiter aggreditur aliquo facto per se nocivo. Sed ille accusator nondum sic aggreditur. Ergo tunc non verificatur, quod vim vi innocens repellit -- respondit objectioni his verbis.

Ad tertium Argumentum respondetur, quod moraliter *loquendo ille jam cœpit facere vim*, quando apponit causam certam periculi futuri: *Sicut qui parat laqueum pedibus meis in loco per quem mihi necesse est transire; neque enim debeo expectare ad repellendam vim, quando jam nullum erit remedium. Sed tunc vere me defendam*, quando jam posita est aliqua actio, per quam per bonam consequentiam sequitur meum periculum; *alioquin postea nullus est locus defensioni relictus*.

Magister Serra Dominicanus 2. 2. *quæst.* 64. *art.* 7. admittit totam doctrinam magistri Bannez, hoc uno excepto, quod putet nullum, vel metaphisicum esse casum, quo necessaria sit agressoris occisio pro defensione honoris, quia -- *Vix est*, inquit, *quod honor non possit aliter defendi quam per mortem occisoris* -- In Cæteris cum Bannezio convenit; ejusque verba non refero, quia ferme Syllabatim Bannezium exscribit.

Si Doctrinas Cajetani, Bannezii, & Serræ in aliquo Jesuitarum libro P. Concina reperisset, quam acres declamationes non audiremus? Ut statim in Catalogum propositionum damnandarum illas conjiceret? Ut statim ad Evangelicæ doctrinæ tribunal eas revocaret? Ut statim proferret hanc propositionem 18. damnatam ab Alex. VII. -- *Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare* --; & tamen illi Dominicani ne levissime quidem sollicitantur. Magnum argumentum *vacuitatis* a studio partium.

Hæc vero a me commemorata sunt, non ut quidquam iis Theologis sane doctissimis detraham. Sed ut videat I. P. Concina sapientissimos etiam auctores in aliquibus non leviter labi; nec tamen ideo ex omnium manibus exterminandos esse. Ut videat II. quod ipse hoc in loco *pag.* 312. *num.* 5. interrogat: *Undenam tam sanguinaria, tam immanis, tam efferata eruperit Theologia*: e sua nimirum schola, & e fontibus Patre Amico antiquioribus. Ut videat III. quod apertius videre poterit in decursu; nos quoque posse, si liberet, Catalogos laxarum propositionum pertexere; Indices conficere; altum declamare; præsertim cum nobis etiam Verrinæ, Catillinariæ, Philippicæ non omnino ignotæ sint.

Hactenus Nocetius. Sed Dinellius quidam, si Superis placet, Cathedraticus Casanatensis in ineptissimis quibusdam epistolis, quibus a Nocetii accusationibus aggressus est Concinam suum vindicare, seu potius veritati, ac meridianæ luci tenebras offundere, multa pro Concina disputat hac in re, qua de agimus. Nocetius Dinellium confutavit in Italica epistola Romæ primum, deinde Venetiis excusa. Satis heic sit ea adscribere, quæ T. *VII. Hist. Litter. pag.* 435. super hac controversia leguntur.

Il P. *Dinelli* (p. 14.) rimprovera al P. *Noceti* d'avere nel testo di *Concina* lasciate alcune cose molto opportune; accusa ben frivola! perciocchè queste cose tutte niente appartenevano al punto della dichiarazione del P. *Amico* negata dal *Concina*; di che *solo* voleagli il *Noceti* muovere giustissima lite. Ma un' altra impostura commette il *Dinelli* (p. 18.) nel volere dall' impostura difendere il P. *Concina*. *A te*, dic' egli al P. *Noceti*, *caussam expecto*, *cur* Recte a *Viva*, *qui eum* disputandi gratia *locutum esse contendit* (Amicum) *putes fuisse defensum*? P. *Dinelli* non facciamo *un rovescio di mano*, *che altri* baratteria *chiamerebbono*. Non mai il P. *Noceti*, no, non mai si sognò di dire, che il *Viva* avesse *ben* difeso l'Amico; quel *bene*, o *recte* significa, che il *Noceti* sia entrato nella quistione del jus, quando egli è sempre stato sulla quistione di fatto, cioè se vero sia ciò, che scrisse il *Viva* aver l'Amico divulgata la sua dottrina *declaratione adjecta*. Bisogna inculcar questo punto, perchè il P. *Dinelli* per buttar polve sugli occhi (*pag.* 33. *e segg.*) ponsi a provare, che la dichiarazion dell' *Amico* non è bastevole scusa della sua dottrina; che l'*Amico* non ve la pose di cuore; che il P. *Concina* ebbe ragione a non accettarla come sufficiente discolpa della rea dottrina. Che hanno a fare queste chiacchere al punto di fatto sol controverso tra il P. *Noceti*, e'l P. *Concina*? Nulla, nulla. Vagliono solo a rendere, se possibile fosse, con iscaltrite arti odioso il P. *Noceti*, come se egli avesse detto, bastare quella *dichiarazione* per iscusare il P. *Amico*; come se avesse difeso, che il P. *Amico* di vero cuore si attenne a quella *dichiarazione*, come se del *Concina* si fosse doluto, perchè abbia men valutata la detta *dichiarazione*. Ma il *Cattedratico Casanatense* non glorierassi più lungamente d'avere agl' incauti tesi lacciuoli con queste sue frodolenti maniere. Il P. *Noceti* solo si querelò, e persiste pure a querelarsi, che il P. *Concina* abbia rimproverato al *Viva* d'avere avanzato senza niun fondamento, o, com' egli dice, *principio*, che il P. *Amico disputationis gratia* proponesse la dannata proposizione, e al Padre *Amico* d'avere insegnata questa sentenza *nulla adjecta declaratione*. Questo è un fatto, che solo si può liquidare col confronto dell' Edizioni del P. *Amico*. Dunque strigniamo il *Cattedratico*, strigniamo *Eraniste*. La dichiarazione dell' *Amico* citata dal P. *Noceti* c'è, o non c'è nelle sue opere? Se non c'è, hanno essi ragione; se c'è, *Concina* è un impostore, ed eglino pure il saranno, che difendono un impostore. Non una via hanno tenuta il *Dinelli*, ed *Eraniste* per ischermirsi da questo argomento. Confessano tutti e due, quegli (p. 30.), questi (p. 529.), che l'*Amico* nella Edizione del suo quinto tomo fatta in *Dovai*

"nel

nel 1642. aggiunse quella limitazione, *di cui*, soggiugne *Eraniste*, *sì poco conto fece la Santa Sede, che la condannò* ipsissimis verbis, *ne' quali leggevasi nel P. Amico*. Ma il poco conto, che fece la *Santa Sede* di quella limitazione, prova, che non era bastevole discolpa alla reità della dottrina, non prova, che l'*Amico* non ve l'avesse posta; di che solo (bisogna ripeterlo) si fa dal P. *Noceti* quistione col P. *Concina*. Or non dovrebbe questo bastare per dimostrare l'impostura del P. *Concina*? No. I *Padri Apologisti* hanno fatta una maravigliosa scoperta. Questa è, che il testo dell'*Amico* nell'Edizione di *Anversa* del 1650. è tal quale il cita il P. *Concina* senza quella *dichiarazione*, *e forse questa manca in altre Edizioni*, dice *Eraniste*. Ora è bene scusabile il P. *Concina*, perciocchè si servì dell'Edizione d'*Anversa*, dove mancava la dichiarazione. Ma chi tolse dall'Edizione d'*Anversa* il lungo passo, che legevasi nella Edizione di *Dovai*? Il P. *Amico* stesso, dice il P. Dinelli (p. 30. e 34.): i PP. Gesuiti per gli rumori, e tumulti, che insorsero nel *Brabante*, ripiglia il Padre *Eraniste*, e ne ha mallevadori *soggetti ragguardevoli*, *e degni di tutta la fede i Parrochi di Parigi*, *i quali* circa la metà del passato secolo, cioè l'anno 1656. fecero un estratto esattissimo, e fedelissimo di varie pericolose proposizioni d'autori moralisti. Che gruppo è questo di veri *travvedimenti*! Sappiasi dunque, che solo in *Roma* nelle Librerie del Collegio *Romano*, del Collegio *Germanico* del Collegio *Inglese*, della *Penitenzieria di S. Pietro*, *e di S. Croce in Gerusalemme* sonnovi copie del tomo controverso del P. *Amico* stampate tutte in *Anversa* nel 1650. con intero il passo, che leggesi nell'altra Edizione di *Dovai* del 1642. Io ho notate queste Librerie, perchè chi ha piacere di riscontrare, o di far riscontrare queste Edizioni, il possa. Dunque non ha imposto il P. *Noceti* al Mondo, nè ha a torto aggravato il P. *Concina*. Ma nell'Edizione del 1650. fatta pure in *Anversa* col nome dello stesso Librajo, la quale conservasi nella *Casanatense*, il passo comincia alle parole: *Ceterum etsi verum sit*, *nullum dedecus esse &c.* e finisce alle parole *si ex violatione propriæ famæ integra Religio infametur*; il restante, che leggesi nell'Edizione di *Dovai*, e nell'*Anversana* delle citate Librerie, dalle parole *unde licebit Clerico sine maturo judicio relicto penes prudentem Lectorem*, manca affatto. Così è. Ora sì, che cresce l'impaccio. Ne uscirem tuttavia con somma felicità? La Sacra Congregazione dell'*Indice* nel suo Decreto del dì 6. Luglio 1655. riferito dal P. *Dinelli* (pag. 23.) ordina, che dalla Sezione VII. della disputa 36. del P. *Amico* tolgasi *totum illud*, *quod continetur intra lineam illam*. Ceterum etsi verum sit, nullum dedecus esse, *atque illam*, maturo judicio relicto penes prudentem lectorem; *sicque correctum* &c. Da ciò ne inferisco, che prima di quell'anno 1655. niuna alterazione erasi fatta in quel luogo, altrimenti la Sacra Congregazione non avrebbe citato come da correggersi l'intero passo, che per buona metà sarebbe già tolto, e sarebbe stato d'interesse di chi accudiva all'affare dell'*Amico*, che la Congregazione avesse innanzi agli occhi un esemplare emendato nella maniera, che vedesi nell'esemplare della *Casanatense*. Perciocchè il più reo di quel passo, cioè la proposizione da *Alessandro* VII. condannata, certamente vi è stata levata, benchè rimangavi il principio, dal quale ne segue la stessa tesi; il che avrebbe diminuito presso i Cardinali il qualunque reato dell'*Amico*. Dunque non fu l'*Amico* stesso, che troncasse il luogo, e troncatolo, togliesse la dichiarazione posta al fine, come sogna il P. *Cattedratico Casanatense*, essendo morto il P. *Amico* a' 31. di Gennajo del 1651. Quando dunque, e da chi fu mal concio quel luogo? Riflettasi, che il troncamento fatto comincia da queste parole, che contengono in *terminis* la XVII. Proposizione tra le dannate da *Alessandro* VII. *unde licebit Clerico*, *vel Religioso calumniatorem gravia crimina de se &c.* Il perchè tutta la verisimiglianza è, che troncato fosse dopo la condanna fatta da *Alessandro* VII. di quella, e d'altre proposizioni il dì 18. Marzo del 1666., e io non dubito, che il Librajo credendo di provvedere al suo interesse ristampasse que' due fogli levando scioccamente quel solo pezzo in vece di togliere ancora le precedenti parole: *Ceterum &c.*, e così ristampati gl'inserisce nelle copie dell'Edizione del 1650., che non avea ancora spacciate. Dal che è nato, che in molti esemplari della stessa Edizione del 1650. (giacchè oltre a questa altre non ve n'ha posteriori, che che mostrine dubbio *Eraniste*) leggasi quel passo in diverso modo. Il P. *Sotuello* dopo aver nominato il Tomo V. del P. *Amico* della stampa citata d'*Anversa*, soggiunse: *correctus hic liber est juxta decretum Sacr. Congregationis Inquisitionis Romanæ*. Ma conciosiachè la Sacra Congregazione dell'*Indice* (per errore chiamata il *Sotuello* la Congregazione del S. *Offizio*) avesse comandato, che si togliesse da quel luogo dell'*Amico* non solamente l'*unde licebit Clerico*, ma ancora il *ceterum etsi verum sit*, il P. *Dinelli* che nel suo esemplare vide il primo pezzo levato, non già il secondo, rimprovera il *Sotuello* di poca esattezza nel dire, che *correctus hic liber est juxta decretum Sacr. Congregationis*. Questo niente di meno chiamerebbesi in buon linguaggio una *Cavillazione*. Perciocchè non parla il *Sotuello* in particolare del Tomo della Libreria *Casanatense*, o di qualche altro simile, ma in generale del Libro del P. *Amico*, il quale come vedesi in più Librerie, è stato corretto dopo il 1655. alla meglio che poteasi, coprendo con carta bianca soprapostavi tutto quel passo a norma del decreto della Sacra Congregazione. Questo hanno fatto ancora i *Gesuiti*; ma che prova si può recare, ch' eglino autori pur sieno del troncamento, quale scorgesi nell'esemplare *Casanatense*? O qual impegno potevano aver eglino di lasciare nel testo il principio di quella dottrina, che pur voleano torre? E quando avesser ciò fatto, come sarebbero stati sì stolidi di levare la dichiarazione, la quale se non iscemava la reità della dottrina, quella almeno diminuiva del suo Autore? Ma dunque che s' ha a dire del P. *Concina*? Ch' egli è inescusabile, ancorchè avesse avuto un'Edizione a quella simile, che conservasi nella *Casanatense*. E certo comechè tale fosse stata l'Edizione dell'*Amico* della quale egli si valse, non è ella chiara cosa, che a torto egli rimproverò il P. *Viva*, perchè accennò la dichiarazione dell'*Amico*, quasi questa non fosse mai stata al mondo

„ quando ella stampata fu, e nell' Edizione di *Do-*
„ *vai*, e in più copie di quella d' *Anversa*? Ma io
„ pretendo di più, che il P. *Concina* abbia di ciò
„ accusato il *Viva* per impostura. Di grazia pren-
„ diamo in mano la *Trutina* del P. *Viva*. Che dic'
„ egli sulla XVII. Proposizione proscritta da *Ales-*
„ *sandro* VII. *Prior propositio ipsissimis verbis discu-*
„ *titur a* P. *Francisco Amico disp.* 36. *de Just. n.* 118.
„ (notisi ciò che segue) *apud Dian. p.* 7. *tract.* 10.
„ *res.* 28. *ubi momenta rationum pro parte affirma-*
„ *tiva disputandi gratia proponuntur, quin ea ad-*
„ *mittatur*. Or dico io. Se il P. *Concina* avea un'
„ Edizione d' *Anversa* quale sta nella *Casanatense*,
„ perchè vedendo citato dal P. *Viva* il P. *Amico*,
„ non come da lui letto in fonte, ma come alle-
„ gato dal *Diana* non andò a riscontrare il passo
„ nel *Diana*? Come la intrepidezza, con che il *Vi-*
„ *va* affermava il suo *disputandi gratia*, non gli
„ mosse almen qualche dubbio d'alcun equivoco?
„ Ma se avesse consultato il *Diana*, vi avrebbe tro-
„ vato il passo dell' *Amico* colla limitazione dell'
„ Edizione di *Dovai*, e di quella d' *Anversa* che in
„ altre parecchie Librerie si tiene. Che dunque il
„ trattenne da sì necessario riscontro? Se non il ge-
„ nio di mordere il *Viva*. Non vuolsi, che questa
„ sia impostura? Non sia, ma non farà almeno una
„ rea trascuraggine? Non farà un aggravio fatto
„ ad un innocente Scrittore? Non farà una sconsi-
„ gliata franchezza?

Primo, quia possunt hoc sæculares: ergo etiam Clerici, ac Religiosi, quibus magis incumbit bonam famam servare, ut possint saluti proximorum utilem operam navare. Antecedens admittitur a Bannez, Nav., & aliis apud Less. c. 9. n. 82. cum enim possit sæcularis impedire gladio volentem percutere ipsum baculo, poterit etiam volentem percutere lingua, seu calumniatorem cum moderamine debito occidere.

II. Deinde, quia ex communi Jurisperitorum pronunciato, ut notat Clarus apud Less. l. c. periculum famæ æquiparatur periculo vitæ, & ex Bannez, Lopez, Armilla apud Mendo l. c. fama pretiosior est vita; atqui potest Religiosus defendere vitam defensione occisiva, ut communius concedunt: ergo etiam famam.

Denique, quia *melius est bonum nomen, quam divitiæ multæ*, ut dicitur Prov. 22., sed ad defendendas res magni valoris potest Clericus, & Religiosus occidere invasorem, ut docent ad quadraginta DD. apud Cardenas 3. p. Cris. Theolog. disp. 57; & apud Dian. p. 5. tract. 4. res. 17. ergo etiam ad defendendam famam, seu bonum nomen.

III. Ostenditur falsitas, quia ne laicis quidem licet interficere calumniatorem: ergo a fortiori non licet Clericis, ac Religiosis, qui honoribus mundanis nuncium remiserunt, ut vestigiis Christi inhærerent, cujus mansuetudinem, ac lenitatem debent imitari; præsertim quia interficiendo calumniatores famam amitterent potius, quam servarent. Antecedens constat ex propositione 30. damnata ab Innoc. XI., quæ habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit;* Quam olim docuerunt Bonac. disp. 2. de contract. qu. ult. sect. 1. pun. 10., Nav., & alii apud Pasqual. decis. 441.

IV. Ratio a priori, cur nemini id liceat, fundatur in illa maxima, & regula generali, quod scil. ut possit invasor licite interfici, duo requirantur, & quod evidenter damnum grave inferat, & quod evidenter non possit moraliter alia via damnum illud impediri; aliter, ut notant communiter DD., numeris cædibus aperiretur ostium cum magna Reip. perturbatione. Sed in casu nostro nec est evidens, quod damnum grave sequatur ex hoc, quod aliquis nitatur calumniam inferre; cum sæpe calumnia apud cordatos viros ut calumnia habeatur, atque adeo solum calumniatorem dehonestet. Nec est evidens, quod non possit aliter gravis infamia declinari, nempe per Judicem, adhibendo testes, &c. Et quamvis aliquando possit alicui utrumque evidens apparere, & quod grave damnum ex parante calumniam immineat, & quod non suppetat alius modus illud declinandi, quam per necem invasoris, non proinde licita esse potest calumniatoris occisio; quia facile homines ex passione hallucinantur; unde debuit absolute a natura tale medium ad vitandam calumniam prohiberi; eo quod majus esset damnum in Republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur, quam bonum, quod inde sequeretur: & quia bonum publicum prævalere debet privato, ideo toleranda potius in aliquo casu (*a*) ab innocente aliqua dehonoratio, quam permittenda defensio isthæc occisiva. Et per hæc patet ad primam rationem oppositæ sententiæ.

(*a*) „ P. Concina *Tom.* 4. *pag.* 311. post sua
„ verba adnotatione superiori relata nullis interje-
„ ctis ita pergit.
„ *Verum misso P. Amico; dico, ipsum P. Do-*
„ *minicum Viva in commentariis præfatæ proposi-*
„ *sitionis damnatæ quidpiam docere, quod, ut ego*
„ *quidem arbitror, aut pejus est, aut saltem æque*
„ *noxium, ac propositio damnata. Quippe thesis*
„ *proscripta, ob enormia crimina, & magnam in-*
„ *famiam irreparabilem, calumniatorem occiden-*
„ *dum asserit. At P. Viva ultra pergit: & magni-*
„ *tudine criminum ac infamiæ prætermissa, statuit,*
„ *in aliquo casu aliquam dehonorationem sustinen-*
„ *dam esse;* Ideo toleranda potius in aliquo casu ab
„ innocente aliqua dehonoratio, quam permitten-
„ da defensio isthæc occisiva *loc. cit. n.* 4. *Ergo*
„ *excepto* aliquo casu *absolute non est toleranda ab*
„ *innocente aliqua dehonoratio. Ergo gravis dehono-*
„ *ratio seu infamia absolute* in nullo casu *ferenda*
„ *erit. Quæ, sane illationes sunt in relata proposi-*
„ *tione evidenter proscriptæ*. Et heic audiendus
„ Nocetius *cap.* 37. *Ver. Vind.*
„ *Clamamus*, opinionem P. Vivæ non esse *sin-*
„ *cere excerptam. Clamamus, diversissimo in sensu*
„ a P. Viva fuisse propositam. Clamamus *illationes*
„ P. Concinæ a doctrina Patris Vivæ non *dialecti-*
„ *ce*, sed *calumniose* deductas esse. Ut hæc omnia
„ evidenter pateant, afferendus est prius integer
„ textus P. Vivæ in Commentario præfatæ propo-
„ sitionis 17. n. 4. qui sic habet.
„ *Ratio apriori, cur* nemini id liceat, (occidere
„ calumniatorem) fundatur in illa Maxima, & Re-
„ gula generali, quod scilicet, ut possit invasor lici-
„ te interfici, *Duo requiruntur: & quod evidenter da-*
„ *mnum grave inferat, & quod evidenter non possit mo-*
„ *raliter alia via damnum illud impediri*. Aliter, ut
„ notant communiter Doctores, innumeris cædibus
„ aperiretur ostium cum magna reipublicæ pertur-
„ batione. Sed *in casu nostro neque est evidens*, quod
„ damnum grave sequatur ex eo, quod aliquis ni-
„ tatur calumniam inferre; cum sæpe calumnia
„ apud

„ apud cordatos viros ut calumnia habeatur, atque adeo solum calumniatorem dehonestat. *Nec est evidens* quod non possit aliter gravis infamia declinari; nempe per judicem, adhibendo testes, &c. Et *quamvis aliquando* (attendat quæso, lector, nam hic est ille *aliquis casus* quem calumniose interpretatur P. Concina) *possit alicui utrumque evidens apparere*, & quod grave damnum ex parante calumniam immineat, & quod non suppetat alius modus illud declinandi, quam per necem invasoris, *Non proinde licita esse potest calumniatoris occisio*, *quia facile homines ex passione ballucinantur*; *unde debuit absolute a natura tale medium ad vitandam calumniam prohiberi*: eo quod majus esset damnum in republica ex frequentibus cædibus, quæ haberentur, quam bonum quod inde sequeretur. Et quia bonum publicum prævalere debet privato (nunc incipiunt verba quæ sola recisa & avulsa a reliquo contextu recitavit P. Concina) ideo toleranda potius in *aliquo casu* ab innocente aliqua dehonoratio, quam permittenda defensio isthæc occisiva.

„ Supposito integro textu; non dico probabile, sed evidens est, ea verba *in aliquo casu* non habere sensum attributum a P. Concina; scilicet, *excepto aliquo casu in cæteris occidi posse calumniatorem*: sed hunc alium, *Tametsi aliquando utrumque illud possit innocenti apparere evidens*; *nihilominus etiam in tali casu*, *qui potest aliquando contingere*, *ferenda est potius ab innocente aliqua dehonoratio quam permittenda a natura defensio isthæc occisiva*: quæ proinde, ut ait P. Viva, debuit a natura *absolute*, idest in omni casu tum in eo, quo detur duplex illa evidentia, tum in iis, quibus non detur duplex illa evidentia, prohiberi.

„ Paucis. Ex integro contextu evidens est. P. Vivam *in nullo* prorsus casu concedere licitam occisionem calumniatoris. Demonstro hoc ratiocinio fortasse feliciori *illationibus* Concinianis.

„ Vel *utrumque illud*, nempe & quod sit grave damnum illatum a calumniatore; & quod non possit moraliter alia via illud damnum impediri: Vel inquam, *utrumque illud* apparet *evidenter* innocenti; vel non apparet *evidenter*. Nullus est casus intermedius; versamur siquidem inter duas propositiones sibi mutuo contradicentes. *In casu* quo *utrumque illud* appareat *evidenter*, non est licita per P. Vivam occisio calumniatoris, quia homines ex passione hallucinantur; & debuit etiam *in tali casu* defensio occisiva a natura prohiberi. *In casu* quo utrumque illud non appareat *evidenter*, a fortiori multo minus licita est talis occisio. Ergo *per P. Vivam in nullo* prorsus casu occisio calumniatoris licita est.

„ Sed quid opus est argumentis, cum habeamus ipsum P. Vivam apertissimum & clarissimum suimet interpretem? Audi hæc ejus verba in Propositionem 2. Alexandri VII. n. 9.

„ *Dubitatur tamen hic primo, an liceat saltem viro equestri duellum acceptare a provocante, quem scit suum esse calumniatorem, quin possit alia via gravem ignominiam a calumnia provenientem repellere, quam illum occidendo? Respondeo nullatenus posse* (Cajetanus docuit posse de consensu principis) *sicut* non licet *hunc calumniatorem occidere, ut constat ex propositione 30. Innoc. XI.*... *quod pariter confirmant propositiones 17. & 18. ab eodem Alexandro VII. confixæ... & ratio videtur esse... quia facile homines sibi persuadent, se per calumniam offendi, nec aliam viam evadendi suppetere præter mortem calumniatoris. Et quamvis* in aliquo casu *certissime constaret tum de calumnia; tum de carentia alterius medii ad ignominiam vitandam præter mortem calumniatoris*; neque poterit eo casu *aut occidi Calumniator aut acceptari duellum... posito quod de se & fere semper animus in hac re obnoxius est hallucinationi*.

„ Audistin' *quem casum* significent illa Verba Vivæ *in aliquo casu* toleranda est potius dehonoratio? Significant *Casum*, quo *utrumque illud* certissime constet; appareat evidenter. *In quo nihilominus non est licita occisio calumniatoris*. Ex quo quælibet dialectica recte inferet. *Ergo multo minus licita erit in aliis*, in quibus *utrumque illud* non est *evidens*.

„ Audi etiam hæc alia ejus verba in Propositionem 27. ejusdem Alex. VII. num. 9.

„ *Sicut in Casu adducto impossibile moraliter est, quod nequeat alia via vitari ignominia orta a calumnia, quam per occisionem calumniatoris*: *Et idcirco ne aperiatur ostium homicidiis, & vindictis*, Nunquam licet *has opiniones in praxim deducere etiamsi aliquando quis credat* Evidens esse *quod alia via non suppetit, ut loco laudato* (nempe loco quem versamus, & quem P. Concina calumniosa interpretatione deformavit) *ostendimus*.

„ Audistin' quid P. Viva profiteatur se ostendisse in hoc loco? *nunquam licere*. Sed potest P. Viva repetere quantum velit, & clamare usque ad Sydera *nunquam licet*. Dialectica Patris Concinæ semper infert, Patrem Vivam docuisse aliquid pejus propositione damnata, vel æque noxium; docuisse scilicet, *excepto aliquo casu*, in cæteris omnibus licitam esse occisionem calumniatoris.

V. Ad secundam: falsum est famam vitæ æquipaparari, nedum præstare: sed hoc transmisso, ex regula præjacta patet disparitas. Malum enim, quod intentatur ab invasore, qui stricto pugione vult vitam adimere est evidens, & evidenter non potest aliter declinari; secus vero malum, quod ab invasore famæ intentatur per calumniam, ut ostendimus: ergo non solum non potest occidi calumniator post calumniam impositam, quia tunc non esset defensio, sed ultio, sed neque potest occidi, dum calumnia imminet; quia defensio ista occisiva est immoderata, non secus ac excedens, & illicita est defensio occisiva furis, quæ fiat pro conservatione unius aurei, juxta Propositionem 31. damnatam ab Innoc. XI. Quod specialiter verum est in Clericis, & Religiosis, relate ad quos jactura honoris minoris æstimatur, quam relate ad viros Equestres, ut proinde vir Equestris, ex communi doctrina apud Less. c. 3. tr. 3. par. 3. cap. 3. non teneatur fugere aggressorem cum suo dedecore, sed possit ab illo se defendere defensione occisiva, quod tamen non est licitum Ecclesiasticis, aut homuncionibus, quibus fuga non est ignominiosa, ut docent communissime: (quamvis nonnulli apud Dian. p. 4. tr. 4. res. 49. putent, quod hi ex charitate tantum, non vero ex justitia fugere teneantur, unde si aggressorem occidant, non teneantur ad restitutionem) Sic etiam tenetur filius fugere Patrem invadentem, & frater fra-

fratrem, quia horum fuga pietati ascribitur, non timiditati.

VI. Ad tertiam: Valde controversum est, num liceat, saltem Ecclesiasticis, defendere bona externa magni valoris cum dispendio vitæ invasoris, ut videre est apud Dian. p. 5. tr. 5. r. 17., & Less. l. c. Sed eo transmisso, recurrit eadem disparitas modo adducta; quia scilicet est evidens grave damnum, quod ex furto sequitur, & evidens moraliter debet esse, quod non possit facile illud aliter resarciri; quod non habetur, si calumnia immineat.

VII. Ex quibus omnibus constat primo falsitas propositionis 18. sequentis: quæ habet: *Licet interficere accusatorem, falsos testes, ac etiam Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, si alia via non potest innocens damnum evitare;* quod non pauci graves DD. cum Molin., Nav., Bannez, Tann. apud Dian. par. 5. tr. 4. res. 7. defensarunt; & aliqui doctrinam hanc extenderunt ad occidendum testem paratum revelare crimen occultum; nonnulli vero cum Con. Escob. & ipso Dian. putarunt id esse vetitum jure tantum positivo. Sed dicendum ex rationibus adductis etiam naturali jure id prohiberi. Ratio est, tum quia si solum lex positiva prohiberet in hoc casu defensionem occisivam, quæ supponeretur jure naturæ permissa, talis lex esset nimis ardua, atque adeo indigna legislatore humano: Idcirco potest Deus aliquam actionem arduam præcipere, quia simul dat vires, ut facile ponatur, juxta illud Trident. sess. 6. cap. 15. *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*: at legislator humanus non præbet vires ad ferendum onus præceptorum, & ideo non debet grave onus imponere: Tum etiam quia defensio ista occisiva testium, & Judicis iniqui est immoderata, cum possit facile damnum imminens declinari adhibendo alios testes, appellando, reclamando; quod si non possit aliquando damnum impediri, id est per accidens, tribuendumque proprio infortunio; non secus ac si de Cœlo vita, aut propria bona tangantur. Non debuit enim natura propter bonum alicujus privati in aliquo raro casu permittere hanc defensionem immoderatam, quæ innumeris cædibus ansam daret; cum quilibet ex passione facile sibi persuadeat Judicem esse infensum. Ad eum modum quo non debuit natura fornicationem permittere pro illo raro casu, in quo aliquis putaret bonam prolis educationem non esse defuturam; eo quod quilibet estro passionis percitus facile sibi suaderet, quod hic, & nunc bonæ educationi prolis esset prospiciendum, & sic luxuries ubique debaccharetur.

VIII. Constat secundo ex iisdem rationibus falsitas thesium 32., & 33. proscriptarum ab Innoc. XI., quarum prior habet: *Non solum licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus*: & Posterior dicit: *Licitum est tam hæredi, quam legatario contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se taliter defendere, sicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum possessionem injuste impedientem*. Quæ propositiones discutiuntur a Fran. Amico disp. 36. de Just. sect. 8. num. 31., & 132. Possumus enim facili negotio per Judices obtinere ea, ad quæ jus habemus, & si quando non licet, est per accidens. Licitum est quidem defensione occisiva tueri, quæ actu possidemus, ut communius Doctores permittunt, quia scilicet est evidens grave damnum, quod ab invasore imminet, & evidens moraliter esse debet, quod non possit aliter impediri; nec subest periculum occidendi alium ab injusto invasore: hoc tamen non militat in casu harum thesium: ergo defensio occisiva in his casibus est graviter peccaminosa.

IX. Constat tertio falsitas 30. propositionis ab Innoc. XI. proscriptæ; quæ habet: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit: Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis fugiat*. Circa primam partem hujus propositionis jam diximus: Circa secundam, quam plurimi docuerunt apud Mendo dissert. 4. q. 3., & apud Dian. par. 5. tract. 4. res. 11. ex dictis descendit ejus falsitas, quia in tali casu non solum non haberetur defensio occisiva moderata, & permissa, sed simpliciter non haberetur defensio, sed ultio. Etenim qui post alapam impactam fugit, non defert secum honorem sublatum, sicut fur, qui fugiendo defert secum furtum; unde occisio non esset medium ad damnum impediendum, sed ad resarciendum honorem jam sublatum; quod est proprium ultionis, non defensionis. Potest quidem vir nobilis volentem impingere alapam gladio impedire, & ut multi docent apud Dian. loc. cit. res. 4. etiam defensione occisiva se defendere; at post acceptam alapam non potest repercutere; multo minus insequi fugientem, quia isthæc esset ultio, etiamsi fieret continuo: præsertim quia honor læsus per alapam inflictam, ut notat Mendo, etiam apud mundanos magna ex parte resarcitur, dum invasor fugit, timens ab offenso. Verum sicut non licet viro Equestri acceptare duellum, ne timiditatis notam incurrat, ut ostendimus in 2. ex his confixis thesibus; ita nec licet in casu nostro repercutere, & fugientem insequi, eo quod possit per judices honor resarciri. Ideo vindicta, si fiat propria auctoritate, est illicita, juxta illud ad Rom. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam*, quia facile offensus excederet modum debitum: sed multo magis, id sequeretur, si vir nobilis post acceptam alapam posset repercutere invasorem, qui desistit ab amplius offendendo: ergo hoc non licet. Pontifex solum damnat, quod possit occidi impingens alapam, si fugiat, non damnat sententiam illam, quam plures apud Less. l. 2. c. 9. dub. 12. docuerunt, quod scilicet possit offensus ad vitandam infamiam continuo repercutere, quantum satis est ad honorem recuperandum. Verum hæc opinio ex hactenus dictis sustineri non potest, & ipse Less. docuit solum speculative esse probabilem, (quando scilicet repercussio esset moderata, & ad correctionem, ut habet etiam Lugo d. 10. n. 169. non ad vindictam) practice tamen non esse probabilem ob periculum odii, vindictæ, excessus, rixarum, & cædium.

X. Constat quarto falsitas thesis 31. ab eodem Innoc. XI. damnatæ, in qua dicitur: *Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei*. Hæc propositio tribuitur Molinæ tom. 4. tr. 3. disp. 16. & Bonac. l. c., qui tamen hoc solum admittunt, si furto addatur magna contumelia, ac violentia, ita ut rapina sit, non furtum: in quo casu id etiam admittit Cardin. Lugo disp. 10. de Just.

Just. num. 178. propterea ut rapina ista inferat ingentem contumeliam, fieri debet adversus virum nobilem, non plebejum. Quod si Raptor post rapinam fugiat, non poterit læsus insequi illum, & occidere, quia injuria personæ irrogata non potest amplius impediri; unde talis occisio est ultio, non defensio.

Communissima Doctorum sententia apud Dian. l. cit. res. 18. fert, non posse hominem occidi pro conservatione rei vilis, puta duorum, vel trium, immo nec decem aureorum; quamvis non decernant, quantus debeat esse rei valor, ut possit licite defensione occisiva custodiri. Ratio, cur possint res magni momenti defensione occisiva incolumes servari, est, quia sine illis non potest juxta proprium statum vita custodiri: ergo sicut licet vitam defendere, ita etiam bona externa, quæ vitæ sustentationi, & status, honorisque conservationi deserviunt. Immo hoc etiam Clericis, ac Religiosis licitum esse ostendit Lugo loc. cit. ex cap. *Delicto* de Sententia Excommunicationis in 6. & docent communius cum Less. Becan. Tann. apud Dian. loc. cit. res. 17. Quod vero res conservandæ debeant esse magni valoris, & quæ non possint aliter facile recuperari, constat, quia non est profundenda vita proximi ad avertendum leve malum proprium. Unde fit, quod si aliquando amissio unius aurei foret alicui pauperi ingens damnum, ut si artifici tollatur instrumentum suæ artis, quo sublato non possit suam, ac suorum vitam sustentare, tunc poterit illud defensione occisiva custodiri; & ideo Propositio damnata solum vult, id non licere regulariter, esto in aliquibus circumstantiis possit id licere; sicut e converso regulariter licitum est occidere invasorem ad vitam conservandam; at non licet plebejo conservare vitam cum detrimento publico, & interficere Regem, si ab eo injuste invadatur, ut communius docent cum Mol. Less. contra nonnullos apud Dian. res. 2.

XI. Constat quinto, non subsistere sententiam Bonac. loc. cit. Nav. Rodr. Baldelli, & aliorum apud Dian. res. 12., quod possit tanquam invasor honoris interfici, qui virum nobilem signis, aut contumeliis atrocibus afficit, nec vult desistere. Ratio ex Filliuccio est, quia verbales injuriæ sufficienter verbis repelli possunt, & ita etiam apud viros honoratos repelli solent; unde propulsare illas factis est defensio immoderata, & illicita: Hinc non licet viro honorato gladio insequi, qui contumeliose diceret ipsi, Mentiris, nec vellet tacere; sufficienter enim defenditur respondendo, quod ille mentiatur, ut communiter docent cum Azor. contra nonnullos apud eundem Dian resol. 13.

XII. Constat demum, occidi posse cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem vitæ, pudicitiæ, honoris, bonorum externorum magni valoris, & quidem etiam proximi, ut docent communiter cum Fil. Mol. Azor. apud Dian. res. 19. Ratio est, quia vim vi repellere omnia jura, legesque permittunt, ex cap. 12. de Homicid. Immo aliquando ad id datur obligatio, etiam in Ecclesiastico, in eo casu videlicet, in quo iste putaret se esse in mortali, & non posse conteri, antequam ab invasore occidatur. Neque obstat, quod invasor sit in mortali, & in æternum damnetur: Nam id sua culpa contingit, potestque desistere, si nolit interfici; unde non dicitur esse in extrema necessitate, in qua certe præferenda est vita spiritualis proximi vitæ temporali propriæ.

PROPOSITIO XIX.

Non peccat Maritus occidendo propria auctoritate Uxorem in adulterio deprehensam.

SYNOPSIS.

I. Videntur Civiles, & Canonicæ leges detulisse marito potestatem occidendi uxorem in adulterio deprehensam. II. Conducit quippe ad homines ab hoc facinore deterrendos. III. Sic olim Deus Num. 35. consanguineis occisi potestatem contulit interficiendi homicidam. IV. Verum neque collata fuit, neque potuit conferri marito ab ulla lege aut Civili, aut Canonica hujusmodi facultas; tum quia debet reus audiri antequam damnetur, tum etiam quia decederet adultera cum periculo certo æternæ damnationis.

V. Dispar est ratio inter potestatem occidendi Bannitos, & Transfugas, ac occidendi Adulteram.

VI. Leges solum tribuunt marito jus permittens in foro externo hujusmodi homicidium, non vero jus conferens auctoritatem: & non puniunt homicidam, quia præsumunt ex vehementi passione citra libertatem operari. VII. Hujusmodi occisio non est defensio honoris, sed ultio.

VIII. Leges puniunt maritum, si non occiderit cum uxore etiam adulterum, quia tunc præsumunt uxorem occisam esse prætextu adulterii. IX. Deus solum post latam sententiam concessit consanguineis occisi, ut homicidam interficerent. X. Ne Judex quidem potest uxorem adulteram inauditam occidere.

XI. Ad restitutionem tenetur occisor, nisi citra plenam libertatem, atque adeo citra mortale illam occidat. XII. Tam uxor, quam adulter possunt a marito se defendere, etiam defensione occisiva.

XIII. Et adulter irregularitatem non incurreret.

I. EXponitur. Perplures Juristæ cum Gomez, Claro, Tauro apud Lugo disp. 10. de Just. n. 85. putarunt non solum impune, sed etiam citra culpam posse maritum occidere uxorem, & patrem filiam in adulterio deprehensas simul cum adultero: quam sententiam non esse improbabilem docuit etiam Fagund., Sà, & multi Theologi Salmanticenses apud eundem Lugo.

Primo, quia sine culpa potest quilibet tanquam minister justitiæ ex potestate sibi delegata interficere bannitos, & transfugas, qui ad hostes confugere conantur: eo quod leges Civiles hoc tribuant jus unicuique privato, ut habetur leg. 3. §. *transfugas*, ad legem Corneliam de Sicariis; atqui etiam in casu nostro leges Civiles hoc tribuunt jus marito, & Patri, ut constat ex l. *Patri*, ff. ad leg. Jul. de Adult. ubi dicitur: *Patri datur jus occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet*; & ex aliis legibus apud Lugo, & Molinam lib. 4. disp. 99. num. 17.

Secundo, quia etiam leges Canonicæ videntur hoc jus in marito supponere, & implicite confirmare; etenim Nicolaus Papa in cap. *Interfectores* 33. q. 1. sic rescribit cuidam Archiepiscopo; *Interfectores*

fectores suarum conjugum sine judicio, cum non addis, Adulterarum, quid aliud habendi sunt, quam homicidæ?

II. Demum, quia expediens fuit hanc potestatem conferri marito, & patri tum ad deterrendos homines ab adulterio, tum ad consulendum conscientiæ mariti, & parentis, qui ab occidendis adulteris vix possunt se continere ad honorem tuendum: ergo dicendum factam iis esse hanc potestatem.

Confirmatur primo, quia nisi id marito liceret, sequeretur, quod leges Civiles adductæ, cum permittant marito occisionem uxoris simul cum adultero, non tamen uxoris tantum, allicerent ad novum crimen, nempe ad occidendum adulterum post interfectam uxorem; quandoquidem si solum uxor occidatur sine adultero, maritus puniendus esset. Adde leges Canonicas nolle, quod excommunicatio incurratur ab occidente Clericum adulterum ex cap. *Si vero* primo de Sententia Excomm.: ergo signum est, quod maritus occidens in casu nostro Clericum non peccet.

III. Confirmatur secundo, quia Deus Num. 35. concessit consanguineis occisi, ut homicidam interficerent: dicitur enim loco laudato: *Cognatus occisi, statim ut invenerit eum, jugulabit*: ergo pariter potuit conferre Judex, & de facto convenienter contulit facultatem marito ad occidendam uxorem in adulterio deprehensam.

IV. Ostenditur falsitas ex D. Th. in 4. dist. 37. qu. 2. art. 2., & aliis communissime apud Sanchez l. 10. de Matr. disp. 8., quia lex neque contulit, neque potuit conferre marito potestatem occidendi uxorem in adulterio deprehensam: ergo peccat illam occidendo propria auctoritate. Antecedens quoad primam partem patet ex Cap. *Inter hæc* 33. q. 2., ubi Nicolaus I. dicit, non licere secundum Ecclesiasticas leges uxorem adulteram interficere. Quoad secundam partem probatur, quia injustum est parte inaudita aliquem damnare; Deus ipse antequam Adamum damnaret, voluit illum audire, vocans eum, *Adam ubi es*? Genes. 3., ut doceret nos debere excusationes reorum audire: Hinc illud Senecæ in Medea, *Qui statuit aliquid parte inaudita altera, æquum licet statuerit, haud æquus fuit*; forte enim uxor nullatenus vult in adulterium consentire, dum reperitur cum alio adulterium suadente: Et quamvis vere consenserit, non datur ratio cohonestans hanc legem, quod de medio tollatur uxor cum certo, aut fere certo periculo damnationis; atque adeo leges solum concedunt impunitatem marito adulteram uxorem occidenti, parcentes vehementissimo dolori, & præsumentes citra plenam libertatem ex passione immodica id contingere, quin facultatem conferant ad tale homicidium. Unde Augustinus lib. 2. de adul. conjug. cap. 15. vocat illud *Rem nefariam*.

V. Ad primam rationem in contrarium: Leges Civiles tribuunt potestatem unicuique occidendi bannitos, & transfugas, sed post sententiam, & causam examinatam, quod non habetur in casu nostro: Et quamvis aliquando possit contingere, quod in aliquo casu necessitatis possit aliquis inauditus damnari, quando v. g. non vult comparere, ut audiatur, ad avertenda mala gravia imminentia; non licet tamen in casu nostro; cum velit adultera audiri, nec detur ratio cogens ad puniendam illam, dum est in mortali, quin detur ei locus ad pœnitendum. Quare leges adductæ solum interpretandæ sunt, quod permittant, ac dent impunitatem, non facultatem marito, aut patri: & quamvis dicant inesse jus, hoc sonat dare jus permittens in foro externo, & non puniens, non vero jus conferens auctoritatem positivam; & in hoc sensu lex Hispana apud eundem Sanchez dicit, hujusmodi occisionem esse justam.

VI. Ad secundam recurrit eadem responsio: Leges etiam Pontificiæ præsumunt ex vehementi passione contingere hujusmodi homicidia, ac sine plena libertate, & ideo non puniunt reos tanquam homicidas, nec volunt excommunicationem incurri, si adulter Clericus occidatur: puniunt tamen illos aliis mitioribus pœnis.

VII. Ad tertiam: Non fuit expediens, quod hæc potestas conferretur marito, ut ostendimus; essent quippe leges iniquæ: & quamvis maritus non peccasset, si posset auctoritate Judicis uxorem interficere, hæc facultas tamen non potuit illi concedi cum periculo certo damnationis illius. Solum potest Judex post causam examinatam, & post sententiam constituere maritum, vel patrem executorem sententiæ, & tunc si non livore vindictæ, sed justitiæ zelo interficiant, perinde ac carnifices non peccabunt. Quod spectat ad honorem tuendum, constat uxoricidium non esse defensionem honoris post adulterium, sed ultionem, quæ est illicita. Præterquamquod hujusmodi facinus magis confert ad subeundam infamiam, quam ad tuendum honorem, & si quando ad id conferret, non potest propria auctoritate fieri, sed per interpositionem justitiæ, non secus ac quando per aliam quamcunque injuriam honor periclitatur.

VIII. Ad primam Confirmationem: Non alliciunt leges Civiles ad novum crimen, nisi per accidens, eo modo quo Divina misericordia inducit aliquos ad peccandum ob spem misericordiæ consequendæ. Leges præsumunt, quod communiter contingit, quod scil. si etiam occidatur adulter, uxor ob adulterium, & non alia de causa occisa sit, & ideo tunc dant impunitatem; Si vero sine adultero occidatur, tunc non præsumitur occisa ob adulterium, sed prætextu adulterii; & ideo tunc leges mulctatum volunt homicidam.

IX. Ad secundam alii aliter apud Mol. dis. 7. aliqui putant Deum Dominum vitæ legem illam potuisse condere, quam non potest legislator humanus. Alii cum Cajetano, Deum permisisse illam occisionem, ita ut fieret citra pœnam, non citra culpam, ut nos dicimus de permissione occisionis adulteræ. Verius dicendum cum Lyrano, eam occisionem fuisse licitam post latam sententiam; Sicut diximus de bannitis, qui solum post latam sententiam possunt occidi ad vitanda gravia incommoda in Rep., & quando jam potuit eos pœnitere de suis culpis. Et quamvis hoc in Sacris Bibliis non exprimatur, subintelligitur, utpote necessarium; præsertim quia ibidem statim subditur: *Homicida sub testibus punietur, ad unius testimonium nullus condemnabitur*.

X. Ex dictis fit primo ex Antonino, Gabr. & aliis apud Sanch. loc. cit., quod si maritus sit Judex, neque possit uxorem in adulterio deprehensam interficere, quia debet juris ordinem servare, antequam damnet: & sicut Judex supremus ante examen,

men, & sententiam non potest committere marito, quod uxorem adulteram interficiat; ita nec potest ipse suam uxorem occidere, non servato juris ordine.

XI. Fit secundo, quod maritus occidens aut uxorem, aut adulterum, ad restitutionem damnorum teneatur, ut docent communissime cum Sanch. contra Molinam l. 4. disp. 81. Ratio est, quia hæc obligatio non consequitur ex lege humana, sed ex præcepto justitiæ, atque adeo ex lege naturali. Hinc qui vere graviter in eo homicidio peccavit, quamvis excusetur ab excommunicatione, si adulter occisus sit Clericus, aut ab alia pœna legislatoris humani, non excusatur tamen ab onere restituendi. Quod si passione turbatus citra plenam libertatem, atque adeo citra mortale commisit homicidium, tunc immunis erit ab hoc onere; quod cum sit grave, nonnisi ad culpam gravem consequitur.

XII. Fit tertio, Uxorem, & adulterum posse licite se defendere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere maritum, a quo injuste invaduntur; quamvis enim invasioni dederint occasionem adulterando, injuste tamen invaduntur, atque adeo juste se defendunt.

XIII. Utrum autem adulter maritum occidens cum moderamine inculpatæ tutelæ irregularitatem incurrat? Affirmant Villalobos, Ugolinus, Molin., & alii apud Dian. par. 4. tract. 2. ref. 2., quia culpabiliter tali homicidio dedit causam. Suar. Laym. Con. putant tunc incurrere irregularitatem, quando prævidit adulter morale periculum aut occumbendi, aut occidendi; Secus non incurrere. Communius tamen cum Less., Hurtado, Avila, negant irregularitatem incurri, quia ex Clem. *Si furiosus*, de homicidio absolute, & sine ulla distinctione habetur, quod irregularitatem non incurrat, qui se invadentem occidit, cum moderamine inculpatæ tutelæ se defendendo.

PROPOSITIO XX.

Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam Judicis, eo quod sit pœna.

SYNOPSIS.

I. Quod restitutio in pœnam imponatur, videtur colligi ex eo, quod solum facienda sit ab omittentibus Horarum recitationem culpabiliter.

II. Quod vero isthæc pœna ante sententiam Judicis non sit luenda, suadetur, quia exigit hominis actionem, ut executioni mandetur. III. Verum pœna ista ex voluntate rationabili legislatoris ante sententiam incurritur. IV. Aliter fere nunquam fructus Beneficii ob omissionem Horarum restituerentur. V. Præterquamquod lex ista non est pœnalis, quippe quæ solum vult Beneficiarium posse facere fructus Beneficii suos sub conditione, quod non omittat horas culpabiliter.

VI. Probabiliter hæc restitutio non est facienda jure naturæ, sed jure positivo. Nec est facienda omnium fructuum, sed solum tertiæ, vel quartæ partis, aut etiam quintæ in Episcopo. VII. Quod si Beneficium sit tenue, non pertingens ad tertiam partem congruæ sustentationis Clerici vulgaris, nulla est facienda restitutio. VIII. Quid veniat hic nomine congruæ sustentationis?

IX. Nequit hæc restitutio suppleri per quascunque eleemosynas antea factas, licet suppleri probabiliter possit per eleemosynas post omissionem horarum erogatas, quamvis tunc non venerit in mentem obligatio restitutionis faciendæ. X. Potest Beneficiarius eleemosynas ob omissionem horarum debitas sibi applicare, si sit pauper: & potest Episcopum adire ad compositionem faciendam.

I. Exponitur. Concilium Later. sub Leone X. sess. 9. statuit, quod Beneficiarius omittens horas post sex menses ab obtento Beneficio fructus non faciat suos, sed illos pro rata omissionis, tanquam injuste perceptos, teneatur in fabricam Beneficii, aut in eleemosynas erogare: & quia nonnullis videbatur non esse id usu receptum, ideo Pius V. in sua Constitutione idipsum confirmavit. Soto, & Medina apud Sanchez lib. 2. cons. cap. 2. dub. 82. dixerunt, decretum hoc esse pœnale, ac proinde ante Judicis sententiam non obligare (*a*). Quod sit pœnale ex eo evincitur, quia solum obligat omittentes recitationem culpabiliter, ut docent communius cum eodem Sanch. dub. 86. contra Ledesm. & alios putantes, jure naturali faciendam esse fructuum restitutionem, undeunde proveniat omissio recitationis, cum fructus dentur ob recitationem, qua non posita, fructus non debentur.

(*a*) „ Petrus Sotus cap. 4. de vita Clericorum „ ait: *Nec illud opus est anxie tractare, an omittens officium Divinum teneatur idcirco ad restitutionem fructuum, quos percipit ex Ecclesia. Hæc* „ MAGIS *videtur esse* PŒNA, *quæ juste a* PRÆLATIS (ergo & a Pio V.) *imponi potest, quam* „ *ut quis ad eam* PER SE *teneatur*. Scripsit quidem „ Sotus ante Pium V., verum ex ejus doctrina manifeste sequitur damnata propositio. At quid de „ Medina? Patuzzius ex Veneta Italica Medinianæ „ *Instructionis* editione ann. 1582. c. 14. §. 11. hæc „ recitat p. 447. *Nè contro questo fa un moto proprio di* Pio V. *di santa memoria*... *perchè questo* „ *comandamento intendo, che sia* PENALE, QUANDO IL GIUDICE LO COMANDERA'. Confer „ hæc cum Viva dicente: *Soto & Medina*... *dixerunt, decretum hoc esse* PŒNALE, *ac* PROINDE ANTE *Judicis* SENTENTIAM *non obligare*. „ Viva tamen, Patuzzio Judice T. III. pag. 446., „ perperam Sotum, & Medinam citat. At instat „ Patuzzius: Medina duos alios indicat modos explanandæ Pianæ Constitutionis, neque ullum „ amplectitur; ergo non absolute & assertive damnatum illum admisit. R. dist. antec. neque ullum amplectitur, ita tamen ut ne ullum quidem „ rejiciat conc. ant. secus nego antec., & nego suppositum consequentis, neque enim Viva ait, *absolute & assertive* Medinam illud dixisse; ait *dixisse*, non improbando scilicet, & proponendo æque atque alios modos.

II. Quod vero ante sententiam Judicis pœna ista non sit luenda, ex eo probant, quia sola pœna quæ non exigit actionem hominis, ut executioni mandetur, incurri potest ante sententiam Judicis in foro conscientiæ ipso facto; ut est censura, irregu-

laritas, & similes, ad quas homo mere passive se habet; At pœna, quæ exigit actionem hominis, ut in casu nostro, etiamsi feratur ipso facto, & ipso jure, & nulla expectata declaratione, ea non incurritur ante sententiam Judicis, saltem criminis declaratoriam, si minus poenæ, ut docent communiter apud Dian. p. 1. tr. 10. res. 23. cum Laym. Maldero, & aliis; dummodo non clare appareat legislatorem velle, ut reus illam subeat ante quamcunque sententiam Judicis. Et ratio est, tum quia ita usu receptum est, ut nemo privet se re, quam possidet, nisi per Judicis sententiam cogatur; tum etiam quia lex obligans homines ad exequendum pęnas in semetipsos, non videtur accommodata humanæ imbecillitati. Ex quibus Mol. t. 1. tr. 2. disp. 95. infert, ante sententiam non incurri pęnas Sixti V. contra Clericos non deferentes habitum, & Clementis VIII. contra religiosos munera largientes, & Pii V. contra Religiosos admittentes fœminas intra claustra: idemque dicendum ex Valero, V. *Pœna*, diff. 20. de pęna privationis officii ipso facto lata in Superiores Regularium ob contraventionem alicujus Bullæ, & de pęna confiscationis bonorum ab hæreticis ipso facto incurrenda. Imo Sanch. l. 2. c. 39. contra Salonium putat, etiam requiri sententiam Judicis, ut a Religiosis incurratur pęna inhabilitatis ad officia. & dignitates, quamvis hæc non requirat actionem hominis, ut executioni mandetur; quia solum censuræ, & irregularitates citra sententiam possunt ipso facto incurri; ergo a fortiori pęna ista restituendi fructus non videtur ab omittentibus recitationem incurrenda ante Judicis sententiam.

III. Ostenditur falsitas, quia Doctores laudati communiter docent, pęnam non incurri ante Judicis sententiam, nisi clare appareat, quod legislator velit illam, nulla expectata Judicis sententia, incurri, & hac de causa censurę incurruntur in conscientia ante quamcunque sententiam, quando feruntur ipso facto incurrendę: In casu nostro, quamvis pęna ista exigat hominis actionem, ut executioni mandetur; ex voluntate tamen lęgislatoris statim in conscientia incurritur, cum expresse dicatur in Concilio Lateranensi, & in Bulla Pii V. fructus injuste retineri post omissam recitationem: Quis autem non videat ante quamcunque sententiam restituendum in foro conscientiæ quod alienum est, & injuste retinetur?

IV. Neque dici potest, quod lex ista pœnalis exigens, quod reus exequatur poenas in semetipsum, non sit accommodata humanæ fragilitati, nec rationabilis. Nam nisi ita ferretur, fere nunquam fructus ulli restituerentur; cum vix juridice probari possit, aliquem non recitasse privatim horas.

V. Adde, legem istam revera nnn esse pœnalem, quamvis feratur in ommittentes horas culpabiliter, sed esse conditionalem, quatenus non vult fructus beneficiario conferri, si horas omittat: Sicut ex Less. Salas apud Dia. p. 1. tr. 10. res. 23. si in testamento relinquatur fęminæ legatum sub conditione, quod caste vivat, non potest legatum accipere, si turpiter vivat, non in pęnam, sed ob adjectam legati conditionem.

VI. Hinc oritur apud DD. quęstio, utrum jure naturali debeatur ista restitutio, ut proinde etiam primis sex mensibus ex justitia commutativa teneatur ad aliquam restitutionem Beneficiarius, si omittat horas, ut docent Suar. de Relig. t. 2. l. 4. c. 29. Valent., & alii apud Dia. p. 1. tr. 12. res. 25. an vero solum debeatur ex pręcepto Ecclesiastico, atque adeo solum ex obedientia, vel religione, ut docent Sylv. Less. Fill. & alii communius apud eumdem Dia. Ad quod videtur dicendum, probabiliter ex natura rei, secluso jure positivo, nullam esse faciendam restitutionem, quia beneficium potuit dari propter recitationem horarum, non tanquam sub conditione, adeo ut, iis non recitatis etiam inculpabiliter, facienda sit restitutio, sed tanquam sub modo, ut loquitur Sylvest., adeo ut iis non recitatis, adhuc retineri possint fructus Beneficii. Et ita de facto conferri beneficia videtur congruum, cum non sit adstruenda obligatio ista ex justitia citra rationabile fundamentum: præsertim quia potuerunt conferri fructus beneficii non solum propter recitationem horarum, sed etiam propter alia onera beneficiariorum; quippe qui tenentur habitum, & tonsuram gestare, abstinere a negotiatione, ludis, venationibus, inservire Ecclesiæ: Propterea si primis sex mensibus horas non recitent, peccant quidem mortaliter, sed ad restitutionem non tenentur; elapsis tamen sex mensibus, si non recitent culpabiliter, idcirco tenentur restituere, quia Ecclesia voluit eos fructus erogari pauperibus, aut fabricæ beneficii, atque adeo tunc ex justitia tenentur restituere; non secus ac ex justitia tenetur restituere quicumque retinet res alienas. Verum non esse faciendam restitutionem omnium fructuum beneficii habentis plura onera, sed solum restituendos esse fructus respondentes oneri horarum, nempe tertiam, vel quartam partem tantum, aut etiam quintam in Episcopo, cui plurima insunt onera, dicemus in explicatione propositionis sequentis.

VII. Difficultas est, utrum jure naturali, an positivo ad restitutionem fructuum teneatur, qui horas omnino omittit, eo quod habeat beneficium tenue? Communior sententia docet cum Suar. Nav. Less. & aliis plurimis apud Dian. l. c. res. 9. quod habens beneficium, quantumvis tenue, sicut gaudet privilegiis omnibus Beneficiariorum, ita ad omnia eorumdem onera, atque adeo etiam ad horarum recitationem tenetur, ac proinde si eas omittat, tenetur pariter ad restitutionem. Præterea quia Concilium, & Pius V. loquuntur indefinite, quin excludant habentes tenue beneficium: proinde sicuti qui mulierem modice dotatam duxit, tenetur eam alere; ita qui beneficium tenue sortitus est, tenetur, ut ait Glossa, Ecclesiam officiare, licet sit pauper. Quod ex eo etiam videtur firmari, quia si tenetur ad restitutionem, qui uno tantum die horas omittit; immo etiam qui unam integram omittit horam, tenetur ad sextam partem fructuum respondentium uni diei; a fortiori qui semper omitteret horas, & interim perciperet fructus beneficii tenuis. Verum quia non pauci cum Less. Soto, Rodriq. apud Dia. & Sanch. l. 2. consil. c. 2. putant, non obligari ad horas, qui fructus beneficii valde modicos habet, eo quod parum pro nihilo reputatur, & ex Apost. 1. ad Cor. 9. *Qui altari deserviunt, cum altari participant, & de altari vivere debent*; idcirco probabile est nullam fructuum restitutionem faciendam esse ab iis, qui non habent a beneficio, demptis oneribus pecuniariis, bonam partem congruæ sustentationis; possuntque fructus illos modicos retinere in compensationem aliorum onerum personalium, quæ subeunt Beneficiarii.

Quod acriter inquiritur, est, Quodnam beneficium dicatur tenue, ita ut probabiliter ad horas, & restitutionem fructuum non obliget? Alii aliter apud DD., & hoc ideo, quia valor monetæ non est idem ubique, & quod sufficit ad congruam sustentationem in uno loco, non sufficit in alio: propterea rationabilis videtur opinio Malderi, Sanch. l. c., & aliorum putantium esse tenue beneficium, quod non subministrat tertiam partem congruæ sustentationis alicujus vulgaris Clerici, v.

g. si

g. si non subministrat 12. aureos, ubi patrimonium est 36. aureorum, vel si non subministret octo, ubi ad congruam sustentationem sufficiunt 24. & totidem pro patrimonio requiruntur. Less. & Molfesius putant, hos teneri ad recitandas horas aliquibus diebus per annum, v.g. diebus festis, si pro iis congruam sustentationem accipiunt; aliter viverent de altari, & altari non inservirent. Hoc certe videtur rationabile; ab hoc tamen onere eximunt eos Malderus, & Dian. p. 9. tr. 7. ref. 8. ex Suar. t. 2. de Rel. l. 4. c. 16. putantes neque legem Ecclesiasticam, neque naturalem ad id obligare; non Ecclesiasticam, quia in jure Beneficium tenue reputatur pro non beneficio, ex c. *Is cui* de Præb. in 6.; neque obligare legem naturalem, quia fructus tenues, qui recipiuntur, vel compensantur aliis oneribus Beneficiariorum, vel compensari possunt aliis orationibus, vel alio Dei cultu.

VIII. Verum ne detur æquivocationi locus, sciendum, diversimode in materiis diversis nomen congruæ sustentationis usurpari. Nam dum agitur de onere Beneficiariorum expendendi in usus pios, quod congruæ sustentationi superfluit ex fructibus Beneficii, communiter docent ad congruam sustentationem spectare, quicquid est necessarium ad victum, vestitum, habitationem, & alia hujusmodi, tum ipsius Beneficiarii, tum etiam aliorum, quorum cura ipsi incumbit, puta pauperum parentum, aut nepotum; immo ex Conrado, & Martino de S. Joseph. l. 3. tr. 7. n. 13. etiam quicquid est necessarium ad alendos famulos dignitati, ac nobilitati personæ consentaneos. Idemque verum est juxta doctrinam Cajetani 2. 2. q. 100. a. 3. si congrua sustentatio spectetur prout debita jure naturæ Sacerdoti in spritualibus occupato; ita ut possit illam exigere citra ullam simoniam, etiamsi aliunde sit ditissimus. Et ratio ex eodem Cajetano est, quia aliter Beneficiarius, vel Sacerdos secundum se cogeretur mendicare, si ea sibi deessent. Contra vero dum agitur de congrua sustentatione, prout spectat ad eximendum Beneficiarium ab onere recitandi Horas, si ad tertiam ejus partem non pertingat, venit quidem sub hoc nomine quicquid est necessarium ad victum, vestitum, habitationem, medicinalia, & alia hujusmodi ad vitam moderatam Clerici vulgaris requisita, ex Sanch. l. 2. conf. c. 2. d. 67. n. 4. non tamen quicquid est necessarium ad alendos consanguineos pauperes suæ curæ commissos, aut ad alendos famulos dignitati Personæ consonos; aliter facile contingere posset, quod aliquis habens quotannis centum aureos ex fructibus Beneficii ad horas non obligaretur. Et ratio ulterior est, quia si Beneficiarius habeat tertiam partem congruæ sustentationis Clerici vulgaris, puta 12. aureos, ubi Patrimonium est triginta sex aureorum, non eatenus cogitur mendicare, quamvis indigeat centum aureis ad alendos nepotes pauperes, & famulos sibi consentaneos, cum possit ad procuranda sibi necessaria toto die vacare; dempto duntaxat brevi illo tempore recitationi horarum requisito: sicut ob eandem rationem habens solum tertiam partem congruę sustentationis per hoc quod obligetur ad horas recitandas, non dicitur cogi ad mendicandum, ut reliquam sustentationem sibi procuret.

Hinc fit, eatenus ab onere recitandi horas eximi Beneficiarium, si fructus Beneficii nec pertingant, nec proxime accedant ad tertiam partem congruæ sustentationis Clerici vulgaris; quia hujusmodi fructus utpote tenues pro nihilo reputantur; unde non imponitur ratione illorum onus illud grave recitandi horas quotidie: secus vero, si Beneficium redderet centum aureos, etiamsi hæc summa esset necessaria ad tertiam partem congruæ sustentationis tum ipsius Beneficiarii, tum etiam pauperum consanguineorum, ac inservientium: Unde universim ad horas tenetur Beneficiarius habens ex Beneficio tertiam partem congruæ sustentationis Clerici vulgaris: esto per accidens deobligari possit, si aliter vacare non possit necessariæ sustentationi sui, & suorum suæ curæ secundum naturæ jura relictorum.

IX. Denique advertendum, damnari pariter ab eodem Alex. VII. propos. 33. quæ habet: *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quæscunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerat.* Communius cum Sanch. l. 1. c. 13., & Bonac. docent, quod debitor ex justitia, si debiti immemor aliquid donet liberaliter creditori, non possit id computare in partem restitutionis debitæ, quando deinde debiti recordatur, aliter donatio illa non fuisset liberalis. Oppositum tamen probabiliter docuit Baldellus cum aliis apud Dian. p. 5. tr. 13. ref. 94., quia donans liberaliter cum oblivione debiti ex justitia, censetur implicite velle prius suis obligationibus satisfacere, si quas habet, sive ex justitia, sive ex voto, sive ex præcepto: propterea donatio illa liberalis præsumitur fuisse cum ea tacita conditione, nisi aliunde id tibi debeam. Ex hac probabili opinione intulerunt nonnulli irrationabiliter, quod obligatus ad restituendos beneficii fructus ob omissionem horarum, possit satisfacere etiam per eleemosynas, quas ante omissionem recitationis fecerat. Ratio, cur id nullatenus liceat, est, quia donatio illa fuit omnino liberalis, tum explicite, tum implicite, unde nequit deinde obligationi supervenienti satisfieri per eleemosynam illam, quæ absolute prius transiit in dominium pauperis. Propterea ex ea probabili opinione solum sequitur, quod huic obligationi satisfieri possit per eleemosynas factas post horarum omissionem, etiamsi tunc non venisset in mentem hoc debitum. Quod si quis explicite vellet eleemosynas dare liberaliter, etiamsi adesset aliqua obligatio alicujus debiti obliti, cui per eleemosynas satisfieri debeat, certe non potest suppleri deinde restitutio etiam per eleemosynas post contractum debitum erogatas.

X. Ad levandum onus hoc maxime molestum restitutionis, Prima via est, quam docet Sanc. l. c. d. 87. cum Nav. Arag. & aliis communiter; quod scil. si Beneficiarius sit pauper, sibi applicet eleemosynas faciendas pauperibus, cum non sit pejoris conditionis ipse, quam alii, etiamsi olim deliquerit; etenim etiam pauperibus existentibus in mortali potest fieri hujusmodi eleemosyna.

Secunda est, quam docet Mendo in Epitome V. *Bulla Compositionis*, adire Episcopum, ubi Bulla Cruciatæ non viget: is enim potest in sua Diœcesi, non secus ac Pontifex pro toto Orbe, componere bona omnia pauperibus debita, acceptando partem ex iis, quæ debentur, ut illam in usus necessarios utilitati publicæ convertat, & remittendo debitori partem aliam, prout in Domino judicaverit. Spectat quippe ad Pastorem animarum hujusmodi potestas, ne fiant æternæ damnationi obnoxii, qui difficile integra debita incerta restituunt: bona enim incerta debentur Ecclesiæ, vel pauperibus, & idcirco plenam habet Pastor Spiritualis illorum administrationem: Et sicut Princeps bona incerta, quę Reip. debentur, potest in utilitatem publicam convertere; ita Pontifex, & Episcopus de iis, quæ Ecclesiæ, aut pauperibus debentur, disponere potest, prout ad salutem animarum, & ad bonum Christianæ Reipubl. magis expediens judicaverit.

K 2 PRO-

PROPOSITIO XXI.

Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud Beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si Officium per alium recitet.

SYNOPSIS.

I. Quid intersit inter Capellaniam collativam, quæ obligat ad recitationem horarum, & non collativam, quæ ad id non obligat? II. Etiam Præstimonia habent rationem Beneficii cum onere annexo recitandi Horas. Pensiones vero Clericales obligant solum ad recitandum Officium B. Virginis; non tamen laicales. III. Beneficiarii studiis vacantes videntur posse per alium satisfacere obligationi recitandi Horas. IV. Sicut ratione studii excusantur a residentia in suis Beneficiis. Videtur siquidem sufficienter Beneficio inservire, qui inservit per alium.

V. Sicut Capellanus potest per alium celebrare.

VI. At onus recitandi Horas est personale ex Tridentino. VII. Sicut constitutus in Sacris, quamvis studiis vacet, non potest per alium Horas recitare; ita nec Beneficiarius.

VIII. Deobligatur quidem a residentia Beneficiarius ratione studiorum ob incompossibilitatem, non tamen a recitatione horarum. IX. Hæc sacra occupatio ipsi Beneficiario competit, & ideo ipsi imponitur.

X. Tunc solum Capellanus potest per alium celebrare, quando id a Fundatore permittitur.

XI. Ad fructuum restitutionem tenetur etiam ille, qui semel horas post primos sex menses omisit.

XII. Quota pars fructuum restituenda sit ob omissionem singularum horarum, Pius V. declaravit.

XIII. Beneficiarius omittendo horas mortaliter peccat, etiamsi nolit facere fructus suos.

I. EXponitur. Dubitatur apud DD. num habens Capellaniam teneatur ad horas Canonicas recitandas? Videtur enim recipere fructus per modum cujusdam stipendii, & mercedis, non vero propter proprium titulum Beneficii. Docent tamen communiter apud Suar. t. 2. de Relig. l. 4. c. 22. Pal., Laym. Capellaniam collativam esse Beneficium Ecclesiasticum, & ad horas obligare: Secus vero non collativam. In hoc autem diversificantur collativæ a non collativis, quod istæ a Patronis laicis concedantur absque collatione facta a Prælato Ecclesiastico; illæ vero hanc collationem requirant. Porro ex earum fundatione inquirendum est, cum indigeant Capellaniæ collatione Ecclesiastica; quando enim laici relinquent bona sua cum eo onere, quod quotannis certa quædam pensio detur alicui Clerico, ut tot missas celebret, hic Clericus dicitur habere Capellaniam non collativam; quæ in eo statu semper perseverabit, donec consuetudine, aut auctorite Prælatorum ea institutio mutetur: quando vero Capellania auctoritate Episcopi erigitur, (etiamsi ex bonis laicorum dotata sit) & jus præsentandi personam est penes Patronum laicum, tunc Capellania dicitur collativa, & habet rationem Beneficii Ecclesiastici. Etenim ex Panormit. apud eundem Suar. ad rationem Beneficii hujusmodi qualitates requiruntur, vid. quod tantum personæ Ecclesiasticæ per Prælatum Ecclesiasticum conferri possit pure absque ullo pacto, & in perpetuum, & quod habeat aliquid spiritualitatis, in quo fundetur, seu quod habeat officium aliquod Divinum; quæ omnia concurrunt in Capellania collativa, & ideo habet rationem beneficii Ecclesiastici, atque adeo trahit onus recitandi horas.

II. Olim dubitabatur de Præstimoniis, essentne beneficia Ecclesiastica, an pensiones? & an ad horas obligarent? Sunt enim Præstimonia quædam portiones a reditibus beneficiorum abstractę, ac designatæ, quæ per modum subventionis juvenibus conferuntur ad studia peragenda, ut possint commode instrui ad inserviendum deinde Ecclesiæ: cum enim non dentur propter aliquod Sacrum Ministerium, seu propter Officium aliquod Divinum, sed solum propter studium ordinatum remote ad ministerium sacrum postmodum habendum, ideo multi Canonistæ cum Medina, Palatio, negarunt esse beneficium Ecclesiasticum, & ad horas obligare; sed concedebant esse meram pensionem Clericalem. Alii cum Navar. Soto putarunt esse proprie beneficium, ad quod sufficere videtur, quod portio illa præstimonialis detur in ordine ad Officium Sacrum postea obtinendum. Ad hanc dubietatem tollendam Pius V. declaravit diserte, etiam præstimonia, & præstimoniales portiones nullum Ecclesiæ servitium habentia esse Beneficia cum annexo onere horas recitandi, ut videre est apud Sanchez lib. 2. cons. c. 2. d. 59.: quod tamen non competit pensionibus Clericalibus: Quamvis enim istæ sint portiones ex fructibus Ecclesiæ, & exigant in persona statum Clericalem, saltem primam tonsuram, & dentur pro tota vita, non ordinantur tamen ad officium Sacrum, sed conferuntur aut in gratitudinem, aut per modum cujusdam subsidii, ut possit in eo statu pensionarius Ecclesiæ inservire; & ideo ex Constitut. Pii V. solum inducunt obligationem recitandi Offic. B. V.: Pensiones vero laicales, quæ ab Ecclesia laico conferuntur vel per modum gratitudinis propter servitia parentum in Ecclesiæ utilitatem, vel propter aliquod ministerium temporale præstitum, aut præstandum, nullum continens onus spirituale, tanquam aliquid omnino temporale citra simoniam vendi possunt, nedum redimi, ut docet Less. & Victoria. His explicatis

III. Landulphus apud Sylv. V. *Hora* q. 2. Lucas de Penna, Rosella, Angelus, Lopez (*a*), & alii apud Sanchez l. 2. cons. c. 2. dub. *62.* docuerunt, posse (*b*) obtinentem Capellaniam collativam, & quodvis aliud beneficium satisfacere obligationi horarum recitando illas per alium, si vacet studio literarum, saltem quando sufficienter inservit beneficio per Vicarium.

„ (*a*) Dominicanus utique, inquit Patuzzius; at „ quis? Non Franciscus, non Ludovicus; sed neque „ Gregorius, quem Sanchez citat, quum nullus „ Gregorius Lopez Dominicanus notus sit præter „ Sinensem illum, qui Tractatum scripsit *de cultu* „ *Confuco, & parentibus mortuis a Sinis exhibito*. „ Quid ergo? an confictus a Sanchezio Gregorius „ hic Lopez? At non solum hoc loco illum citat „ indicatis ipsis paragraphi verbis, sed sæpe alibi; „ citat illum Moya in quæstionibus selectis *Tract.* „ *6. disp. 4. q. 1. num. 2.*; citat Molina quam sæpissime Tomo primo de Justitia, ut *disp.* 140. „

„ *disp*

„ *disp.* 234. &c. Nodum edissero. Jesuitas existimat Patuzzius esse sui similes, & de Dominicanorum falsis, verisque erroribus in lucem protrahendis sollicitos æque atque ipse cum suo Daniele in Jesuiticos inquirit perdiligenter. Itaque quum a Viva, & Sanchezio Lopezium citatum vidisset, Dominicanum quempiam esse credidit. At mi bone, ubinam Viva, ubinam Sanchezius Dominicanum fuisse illum indicat? Nullusne Gregorius Lopez præter Dominicanum tuum? Consule Bibliothecam Societatis meæ; unum invenies; alium dabit Pontasii Indiculus *T. I. Dictionarii*; plures Morerius; omnes Nicolai Antonii Bibliotheca Hispana, quam si Echardo tuo misso contulisses, Gregorium a Sanchezio citatum invenisses, nec ridendam popello exhibuisses litterariam eruditionem tuam, quæ tota Quetifii, & Echardi Catalogo Scriptorum Ordinis tui contineatur.

„ (*b*) Si Patuzzium audimus *T. III. p.* 450. exaggeratius id dictum a Viva. Sanchez enim hoc unum ait, favere illos huic sententiæ, *ubi referentes . . . non damnant eam, sed tantum dicunt oppositam sententiam messe tutiorem*. Nimirum non intelligit Patuzzius, eum qui sententiam quampiam refert, nec damnat, immo oppositam unice dicit esse *tutiorem*, illam quoque practice teneri *posse* aperte indicare.

IV. Probant id primo ex Cap. fin. de Magistris, ubi ratione studii excusantur beneficiarii a residentia in suis beneficiis; quia scilicet sufficienter videtur satisfieri beneficio, dum per alium servitur ipsi: ergo etiam si per alium recitentur horæ Canonicæ.

V. Deinde potest etiam id suaderi, quia sicut potest Capellanus per alium celebrare, quando ipse commode non potest, ita potest per alium satisfacere oneri horarum: quod videtur præsertim habere locum in præstimoniis, quæ juvenibus dantur, ut possint commode studiis vacare ad inserviendum deinde Ecclesiæ. Ex quibus Ortiz in Summa cap. 3. deobligat a restitutione fructuum beneficiarium, qui per alios recitat horas.

VI. Ostenditur tamen falsitas, quia obligatio recitandi horas est onus personale, non secus ac onus audiendi Missam, jejunandi, implendi pœnitentiam a Confessario impositam, ut diximus in expositione propositionis 15., & constat ex Trid. sess. 24. cap. 12. ubi dicitur: *Omnes Divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia*; ergo non potest per alium huic obligationi satisfieri.

VII. Deinde, sicut constitutus in Sacris non potest per alium satisfacere oneri recitandi horas, quia hujusmodi onus est annexum Ordini Sacro: ita nec satisfacit beneficiarius, quia pariter hujusmodi onus est annexum beneficio, quod illum in statu beneficiarii constituit: propterea sicut constitutus in Sacris non deobligatur ab hoc onere personali ex hoc, quod studiis vacet, & si quando ex ægritudine, aut alia justa causa deobligetur, non tenetur per alium horas recitare; ita nec beneficiarius; atque adeo etiamsi per alium recitet, tenetur ad restitutionem fructuum, perinde ac si nullatenus recitaret.

VIII. Ad primam rationem in contrarium respondetur, idcirco beneficiarium studiis vacantem a residentia deobligari, quia studia sunt incompossibilia cum residentia: potest tamen commode, qui studiis vacat, horas recitare; immo ad studia magnopere confert identidem animum ad cœlum tollere; quod si aliquando infirma valetudo obstaret, quominus studiis vacare posset, qui in recitandis horis distinetur, tunc potius petenda est dispensatio a Prælato; cum recitatio per alium nullatenus suffragetur, prout omnes docent de constituto in Sacris.

IX. Ad id, quod additur: non sufficit, quod a te, vel alio ponatur opus præstantius; ut eximaris ab observantia præcepti. Quare sicut nequit per alium satisfieri auditioni Missæ, quia Ecclesia vult ab unoquoque diem festum sanctificari: ita neque sufficit, quod beneficiarius per alium recitet horas, quia huic statui convenit, & præcipitur isthæc occupatio. Quinimo DD. advertunt, idcirco horas Canonicas vocari Officium, quia illarum recitatio est proprium munus Ecclesiasticorum, qui ad illas obligantur.

X. Ad secundam: Capellanus tunc potest per alium celebrare, quando id a Fundatore permittitur: quod si Fundator velit, quod Capellanus celebret per seipsum, & non per alium; tunc non potest alium substituere, nisi in aliquo raro casu ex præsumpta voluntate Fundatoris, qui non censetur velle ita rigide obligare; immo si adsit legitimum impedimentum, puta infirmitatis, carceris, &c. non tenetur supplere defectum celebrando per alium ex eadem benigna Fundatoris præsumpta voluntate: dummodo hujusmodi impedimentum sit breve, puta octo dierum ex Barbosa, quindecim ex Bonac., unius mensis ex Nav., duorum mensium ex Lugo de Euch. d. 21. n. 49., & aliis apud ipsum. At cum obligatio recitandi horas in Beneficiariis oriatur ab Ecclesia, quæ solum impotentes excusat, nunquam tamen censetur permittere, quod per alium quis satisfaciat, ut omnes docent in similibus præceptis de audienda Missa, de jejunando, &c. ideo nunquam potest habens Capellaniam collativam, vel præstimonium, aut alius beneficiarius ratione studiorum per alium satisfacere: Quamvis omnino excusetur a recitatione, si quando justum habeat impedimentum, quale esset lectio habenda post 24. horas a ducta puncti sorte ad lauream Doctoralem obtinendam; vel si quis non posset aliter ad concionem coram frequenti populo habendam se parare; aut si deberet confessiones audire, ne pœnitentes, qui ad alium Confessarium transmitti nequeunt, jacturam faciant Jubilæi. Universim enim excusat quodcunque charitatis opus majoris momenti, quam sint horæ, quod sine gravi incommodo tuo, aut aliorum omitti non potest, ex Suar., Laym. Sylv. Sanch. l. 7. Conf. cap. 2.

XI. Ex dictis sequitur, peccare graviter beneficiarium, etiamsi semel per alium horas recitet, ut studiis consuetis vacet, non secus ac si semel omitteret horas simpliciter; cum recitatio per alium non eximat ab onere recitandi per seipsum: Sicut etiam peccat graviter, & tenetur ad fructuum restitutionem, qui semel omittit horas, quamvis die sequenti duplicatum Officium recitet. Rejiciuntur quippe communissime Angelus, & Richardus dicentes apud Busemb. non peccari mortaliter, nisi ex consuetudine officium omittatur; ex consensu enim, & traditione Ecclesiæ constat oppositum, & gravis hæc obligatio videtur supponi potius, quam imponi beneficiariis in Conc. Lateran. sess. 9. de refor., ut notat Suar. cap. 8.

XII. Nec est audiendus hac in re Verde docens apud Lumbier, posse aliquam partem quantitatis resti-

stituendæ sibi retinere, qui omittens horas una die, duplicatas recitet die sequenti, ob levamen, quod affert animabus Purgatorii per illam duplicatam recitationem. Ex hoc enim sequeretur, quod propter alia etiam pia opera posset aliquid sibi retinere, quod nemo dixerit; cum aperte præcipiatur a Pio V., quod elapsis primis sex mensibus post adeptam possessionem Beneficii, qui uno die totum Officium culpabiliter omiserit, teneatur omnes fructus illi diei correspondentes restituere: ita ut si fructus Beneficii quotannis sint 365. aureorum, debeat pro hac omissione unum aureum restituere; Si vero omiserit tantum Matutinum (videlicet cum Laudibus) debeat dimidiam partem restituere: sicut etiam qui reliquas sex horas omiserit; sextam vero partem, si una tantum ex his horis omittatur. Quamvis probabiliter ex Nav. Filliuc. Bonac. apud Dian. p. 2. tract. 12. ref. 8. qui præter onus recitandi horas alia onera subit, ut Parochus, Episcopus, &c. possit retinere partem fructuum illius diei, quo horas omittit, respondentem illis aliis oneribus, & solum tertiam, vel quartam partem illorum restituere ob horarum omissionem. Et Sanch. lib. 2. Conf. c. 2. d. 84. approbat cum aliis sententiam Medinæ, quod habens Capellaniam, si non recitet horas, solam tertiam partem fructuum respondentium iis diebus debeat restituere; habens vero beneficium Curatum, quartam partem, Episcopus quintam: Quicquid sit de habentibus præstimonium, aut pensionem, quos Medina contra Henriq. damnat ad omnes fructus restituendos, eo quod alio onere careant.

Ex quibus etiam patet, rejiciendos de la Cruz, & Lopez apud Dian. l. c. ref. 34. putantes beneficiarium, qui per octo, vel decem dies intra annum recitationem horarum omiserit, non teneri ad fructuum restitutionem, eo quod sit servus liberalissimi Domini, qui multo minus, quam Domini temporales, ad pauca attendit. Quamvis enim Deus sit liberalissimus, est simul justus, volens dari unicuique, quod suum est. Excusat Deus a gravi obligatione restituendi, ubi datur materiæ parvitas; sed fructus respondentes octo diebus non possunt dici parvitas materiæ, neque secundum se, ut patet, neque relate ad totum annum; quia sicut omittens horas per octiduum, imo per unum tantum diem intra annum non dicitur excusari a mortali ratione parvitatis materiæ, quia præceptum de recitandis horis, ut de audienda Missa, de jejunando, &c. respicit singulos dies seorsim, ut communissime docent contra Aragon. apud Dian. p. 3. tr. 5. ref. 26. ita in casu nostro.

XIII. Ubi advertit Lugo, omittentem horarum recitationem peccare mortaliter, etiamsi nolit facere fructus beneficii suos, sed velit illos pauperibus, aut fabricæ beneficii erogare; quia onus recitandi horas est absolutum, non vero conditionatum, (videl. si velit percipere fructus beneficii) atque adeo etiamsi nolit eos percipere, peccat horas omittendo; nisi tamen a recitatione horarum excusetur a beneficii tenuitate, quod scil., ut communius docent, non subministrat tertiam partem congruæ sustentationis, nec proxime ad illam accedit, ut diximus in expositione antecedentis propositionis.

PROPOSITIO XXII.

Non est contra justitiam Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

SYNOPSIS.

I. Nonnemo docuit citra injustitiam posse in collatione Beneficiorum Electorem vendere arbitria.

II. Necnon Judicem in ferenda sententia, & similes.

III. Videntur quippe hujusmodi arbitria esse pretio æstimabilia. IV. Constat tamen id esse falsum ex eo, quod vendens arbitria non det totum, quod ex justitia debet, unde ad restitutionem tenetur. V. Conferens Beneficium, si arbitrium vendat, revera ipsum Beneficium vendit simoniace. VI. Et Judex vendens arbitria sententiam justam reddit venalem. VII. Aliter qui debet distribuere mille in dotem alicujus puellæ, posset nongentos accipere a Berta illos offerente, ut præeligatur. VIII. In casibus adductis unum præ alio eligere est actio debita ex justitia, atque adeo non est pretio æstimabilis. IX. Favor præelectionis sufficienter compensatur per obligationem Antidoralem ejus, qui præeligitur. X. Injuria irrogatur ementi hujusmodi arbitria, quamvis libenter emat, aut alteri postponatur: XI. Munera, quæ dantur Electori ad animum alliciendum, si non sint parvi valoris, quæ censeatur liberaliter dari, restituenda sunt.

XII. Pro opere honesto, quod non debetur ex justitia, potest aliquid accipi, si ponatur in gratiam alterius: secus vero si sit debitum ex justitia.

XIII. Quid si ponatur opus ex justitia debitum in gratiam alicujus tertii? XIV. Poteritne Judex aliquid accipere, ut prius expediat causam Sortis, quam Caji?

I. EXponitur. Thesis hæc loquitur de eo, qui potest ad arbitrium conferre Beneficium uni præ altero, & pro electione hujus præ illo vult aliquid exigere, ita ut velit arbitrium vendere, non Beneficium: quod citra injustitiam fieri posse docuit Vincentius Candidus tom. 1. de Benefic. disquis. 18. art. 39. apud Mendo dissert. 6. q. 7.

II. Ejusdem furfuris est 26. thesis confixa ab eodem Alex. VII. *Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Quod quamvis legibus prohibeatur, jure tamen naturali non esse illicitum visum fuit probabile Lessio l. 2. c. 14. n. 64. apud Dian. p. 3. tr. 5. ref. 55., necnon Trul. Salon., & aliis apud eumdem Mendo.

III. Rationes pro utraque Thesi sunt, Primo, quia non est contra justitiam accipere aliquid pro re pretio æstimabili, quæ ex justitia non sit debita: hujusmodi videtur esse adjudicare litem huic præ illo, necnon conferre huic præ altero Beneficium: ergo non est cur non possit pro hujusmodi arbitriis aliquid citra injustitiam exigi.

Secundo, quia Judex adjudicans litem, & elector conferens Beneficium Sorti præ Cajo, amittit favorem Caji, cui posset gratificari adjudicando illi litem,

tem, aut eligendo illum ad Beneficium, & confert Sorti aliquid, quod est illi utilissimum, quin ad id teneatur: ergo ut prius.

Tertio, quia nemo dixerit factam esse injuriam Sorti, cui Beneficium confertur, vel cui lis adjudicatur, si ab eo ob favorem præstitum pretium accipiatur; cum passim idcirco libenter dentur munera judicibus, ut, quantum intra limites justitiæ possunt, suum favorem impendant: Quod quamvis sit reprehensibile, & jure positivo prohibeatur, quia, ut dicitur Ecclesiast. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Judicum*, (dummodo non sint esculenta, & poculenta paucis diebus consumenda, quæ censentur dari omnino liberaliter, ut notant Bon. disp. 10. de præcep. Dec. q. 8. p. 8.) jure tamen naturali non est cur dicatur prohibitum: unde non videtur dari in conscientia onus restituendi ante sententiam condemnatoriam Judicis. Ob easdem rationes Bannez, Lopez, Rodrig., Carolus Baucius, Fagund. tom. 2. l. 8. c. 26., & alii apud Dian. p. 6. tr. 6. resol. 56., & apud Mendo l. c. docuerunt Electores ad Majoratum, ad Cathedram, ad Capellam, & qui debent eligere pauperes pro dividenda eleemosyna, posse citra onus restitutionis aliquid accipere pro eligendo uno præ altero, quando liberum est alterutrum eligere.

IV. Ostenditur falsitas, quia Beneficii Collator tenetur gratis illud conferre, quantum quantum est; Sicut Judex ex justitia tenetur integram litem adjudicare, (quicquid sit, an teneatur illam dividere, non solum quando probationes circa factum sunt æquales pro utraque parte, ut omnes docent, sed etiam quando sunt æquales rationes circa jus pro collitigantibus civiliter, quod docent communius cum Bannez contra Sanch. lib. 1. c. 9. num. 45. & alios apud ipsum, & apud Tamb. lib. 1. in Dec. c. 3. §. 3.) & integra eleemosyna est distribuenda ex voluntate testatoris: sed qui aliquid accipit ab eo, quem alteri præfert, non dat totum, quod debet ex justitia dare; ergo peccat contra justitiam, & ad restitutionem tenetur.

V. Ex quibus fit primo, Collatorem Beneficii in hoc casu simoniace pretium accipere, ut notat Suar. l. 3. de Sim. c. 59., cum revera beneficium vendat, quamvis oretenus dicat vendere arbitrium; atque adeo Divino simul, ac Naturali jure ad restitutionem tenetur, & peccat tum contra Religionem, tum contra Justitiam.

VI. Fit secundo, Judicem in eo casu sententiam justam reddere venalem, ut communiter docent etiam Juristæ cum Baldo in cap. *Super eo*, de transact. atque adeo ad restitutionem teneri; idemque dicendum de Arbitro constituto ad eligendum alterutrum, quem maluerit, si prætextu electionis pretium accipiat; & de Arbitratore pro arbitramento explicando, ut tradunt Interpr. in leg. *Ita demum*, ff. de arbitris. Idemque ex eodem Suario dicas de hærede, qui ex voluntate testatoris tenetur distribuere dotes Virginum, vel alia legata pia juxta suum prudens arbitrium; & de œconomo, qui a patrefamilias habuit potestatem gratis conferendi officia domus suæ.

VII. Ratio omnium horum est eadem, quia ex vi proprii muneris, & officii gratis hæc omnia dispensanda sunt: Aliter qui tenetur v. gr. dare dotem mille aureorum alicui nobili puellæ, posset licite accipere nongentos a Berta, quæ mavult habere censum ipsa, quam quod mille alii conferantur, quo quid absurdius? Sequeretur etiam, quod semper divitibus, qui possunt pecuniam offerre, adjudicaretur lis, & conferrentur Beneficia, exclusis pauperibus; quod pariter est maxime dissonum.

VIII. Ad primam rationem in contrarium negandum, quod pretio æstimabile sit in his casibus unum alteri præferre; nam actio, quæ debetur ex justitia, non est pretio æstimabilis; atqui quod Beneficium, quantum quantum est, conferatur alicui, & consequenter quod unus alteri præferatur, est actio debita ex justitia, sicut etiam quod lis alicui adjudicetur; ergo non potest pro hac præelectione aliquid in pretium accipi. Quare distributor non solum ex justitia tenetur ad rem gratis distribuendam, sed etiam ad ipsam electionem: ergo nihil potest accipere in pretium nec pro re, quam distribuit, nec pro ipsa electione. Verum quidem est, quod eligens Sortem privetur libertate ad eligendum Cajum; at ex munere electoris ad hoc onus obligatur, quod abunde compensatur per hoc, quod qui eligitur, ad gratitudinem ex obligatione antidorali teneatur.

IX. Ad secundam. Quamvis eligens amittat favorem Caji, cui posset gratificari, acquirit tamen favorem Sortis, quem eligit, & qui ad aliquam gratitudinem tenetur; unde sufficienter, ut diximus, illa electio Sortis benefica compensatur per hanc obligationem antidoralem; quia tamen ista electio non est pretio æstimabilis, ideo non trahit ullam obligationem ex justitia, sicut Actio mutuandi, quia non est prætio æstimabilis, quamvis benefica sit mutuatario, cui magnam affert utilitatem, solum trahit obligationem antidoralem, seu ex gratitudine, non tamen ex justitia; atque adeo contra justitiam in utroque casu delinquitur, si quid ex conventione prævia sive implicita, sive explicita accipiatur.

X. Ad tertiam: Injuria irrogatur accipiendo pretium a Sorte, ut eligatur ad Beneficium; non secus ac injuria irrogatur Mutuatario accipiendo pretium propter mutuum: quia neutra actio est pretio æstimabilis, ut ostendimus: propterea venderetur, quod vendi non potest.

XI. Quod spectat ad munera, quæ dari solent Judici, aut Electori ad alliciendum animum, ut tibi potius, quam alteri faveat, dicendum, ea non solum contra leges positivas accipi, sed etiam contra legem naturalem; (nisi sint parvi valoris, quæ censeantur dari omnino liberaliter, ita ut donans non censeatur conqueri, si deinde alteri favor tribuatur.) Quare si eo animo accipiantur, ut ad hujusmodi favorem conferendum implicite obligatio contrahatur, datur onus restituendi, tam si denegetur, quam si conferatur favor; non secus ac si mutuator munera accipiat eo animo, ut velit implicite ex justitia obligari ad mutuum dandum. Si tamen aliquid omnino liberaliter conferatur Judici, aut Electori, quod adeo tenuis valoris sit, ut non facile mentem excæcet, (quod in praxi est valde periculosum, & vitandum) idque ad animum alliciendum, ut loquitur Molin. tom. 1. tr. 2. dis. 88. ad hoc ut majorem, quam teneatur, diligentiam in tui favorem impendat, & ut tuis indigentiis consulat citra præjudicium justitiæ, nec animo illum ullatenus obligandi; tunc cessat onus restitutionis, ut docet etiam Less. cap. 15. num. 64. Sicut enim dicimus eleemosynas parvas datas pauperi ficto dari omnino liberaliter ex charitate absque voluntate implicita, quod restituantur, aut alteri vero pauperi dentur, si revera desit in eo paupertas; secus vero si eleemosynæ pauperi ficto erogatæ sint alicu-

alicujus valoris: ita dicimus, munuscula, seu esculenta, & poculenta, circumscripta aliqua lege positiva, aut consuetudine qua vetentur, accipi, ac retineri posse ab Electore, a Judice, a Distributore officiorum, si absit periculum alicujus obcæcationis, & injustitiæ; quod in praxi raro abest; quia non solent dari invite, nec cum voluntate obligandi ad favorem conferendum; quod tamen dici non potest de muneribus alicujus valoris, quæ sæpe offeruntur ad injustam vexationem redimendam, quatenus aliter non speratur a Judice, vel Arbitro sententia justa; in quo casu licite offeruntur, sed non licite, nec juste acceptantur.

XII. Dices; Juxta sententiam communiorem apud Theologos non peccat contra justitiam, qui accipit aliquid a Petro ad ponendum opus honestum, debitum quidem, sed non ex justitia, puta ad non blasphemandum, ad audiendum Sacrum die festo, ad non ludendum ludo vetito: ergo quamvis detur obligatio ex justitia conferendi Beneficium, vel adjudicandi causam alterutri, quia tamen non datur obligatio ex justitia, quod Sorti potius, quam Cajo favor conferatur, poterit citra injustitiam aliquid accipi, ut uni præ altero conferatur. Respondeo, nego consequentiam: quamvis enim non detur obligatio ulla eligendi Sortem præ Cajo, datur tamen, ut diximus, obligatio ex justitia eligendi alterutrum, & conferendi illi gratis favorem electionis. Idcirco nihil potest accipi pro opere ex justitia debito, quia venderetur res aliena: e. g. qui debet centum, non potest accipere decem, ut hoc debitum solvat; quia venderet illud ipsum jus ad centum, quod erat creditoris, & sic venderet quod suum non est, sed alienum, nec restitueret centum, sed nonaginta: atqui pariter in casu nostro ex justitia Collator Beneficii tenetur alteri conferre gratis Beneficium; ergo si a Sorte aliquid accipiat, ut ipse præ Cajo eligatur, vendit quod suum non est, atque adeo peccat contra justitiam. Quando vero opus est debitum ex aliis virtutibus, ut auditio Missæ, &c. docent communius, quod possit pretium retineri; quia illud non est alteri debitum: atque adeo si in gratiam alterius ponatur, poterit in recompensationem laboris aliquid accipi: non secus ac juxta communiorem sententiam pecunia, quæ collata est ob turpe facinus, puta ob homicidium, vel adulterium, eo patrato, potest retineri, non quidem in pretium facinoris, sed in recompensationem laboris, & periculi. Ex quibus fit, Judicem, si quid accipiat pro ferenda sententia injusta, ea lata, posse illud retinere, quamvis teneatur compensare damnum parti læsæ, si vero aliquid accipiat pro sententia justa ferenda, illud retinere non posse.

XIII. Difficultas est, An possit Collator Beneficii, & Judex in casu nostro accipere aliquid a tertia persona, ut conferat Beneficium, vel adjudicet litem uni præ altero? Quamvis enim teneatur ex justitia conferre gratis alicui suum favorem; non tenetur tamen ex justitia satisfacere huic suæ obligationi in gratiam illius tertii: ergo sicut potest aliquid accipere ad ponendum opus non debitum ex justitia, puta ad audiendum Sacrum, quia non est opus illi debitum: ita videtur in casu nostro posse aliquid accipi a tertia illa persona pro eligendo Sorte, quia etiamsi electio sit debita ex justitia, non est tamen illi debita. Sotus apud Less. c. 14. n. 67. hoc admittit: Less. tamen cum communi id negat, quia venderetur aliquid invendibile, & quod non est proprium vendentis, ut explicavimus: Sicut Mutuator non potest aliquid accipere a tertia persona, ut gratis det mutuum Mutuatario; quia quamvis non teneatur ex justitia hoc obsequium præstare illi tertiæ personæ, tenetur tamen omnino gratis dare mutuum, eo quod hæc actio non sit vendibilis; ita qui debet aliquid ex justitia alteri, (sive debeat alicui determinate, sive vage) non potest aliquid a tertia persona accipere, ut huic obligationi faciat satis.

Equidem tamen cum Lugo disp. 18. de Just. n. 64. ex Vasq. distinguendum censo; si enim tertia illa persona pecuniam conferat in gratiam ipsius Collatoris Beneficii, vel Judicis, quem diligit, ut nimirum inducat illud ad satisfaciendum obligationi ex justitia, puta ad Beneficium conferendum, ad ferendam sententiam, prout debet, potest illa retineri: si vero conferat aliquid in gratiam Creditoris, ut illi satisfiat, & multo magis, si conferat in gratiam Sortis, ut illi potius præ altero Beneficium conferatur, retineri pecunia non potest. Ratio est, quia in hoc secundo casu a Judice venderetur res ex justitia debita; nam sive accipiat pecuniam a Creditore, sive ab alio, qui partes gerit Creditoris, de materiali se habet; in primo casu vero pecunia daretur in compensationem illius actus virtuosi præstiti in gratiam amici; propterea sicut potest amicus aliquid dare Titio, ne se inebriet, & ut Missam audiat; ita poterit illi dare aliquid, ne peccet contra justitiam, & ne se exponat periculo infamiæ, ac pœnæ.

XIV. Dices ulterius: Juxta sententiam Layman. lib. 3. sect. 5. tract. 4. c. 4. apud Dian. p. 3. tr. 5. res. 4. Judex potest aliquid accipere, ut prius expediat causam Sortis, quam Caji, quando liberum est unum alteri præferre, eo quod neuter aut diutius expectarit, aut aliunde sit præferendus: ergo pariter poterunt in casu nostro citra injustitiam arbitria vendi.

Respond. ex dictis, opinionem istam nullatenus esse amplectendam, & Laym. ipse docet illam esse periculosam, & solum speculative loquendo non videri damnandam. Equidem tamen censeo tum practice, tum speculative explodendam esse ob easdem rationes: ex justitia enim tenetur Judex unum alteri præferre, quem maluerit, unde ista prælectio tanquam debita ex justitia non est pretio æstimabilis, nec vendibilis. Nec video, quomodo admissa ea opinione negari possent duæ istæ propositiones ab Alexand. VII. proscriptæ, atque adeo certo falsæ.

PROPOSITIO XXIII.

Frangens jejunium Ecclesiasticum, ad quod tenetur, non peccat mortaliter, nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subjicere præcepto.

SYNOPSIS.

I. Videtur præceptum jejunii non obligare sub gravi, sicut nec aliud præceptum Ecclesiasticum.
II. Potest quidem Ecclesia sub gravi obligare.
III. Videtur tamen noluisse ita de facto obligare ad jeju-

jejunandum, cum non utatur verbis præceptivis.
IV. Saltem de hac obligatione dubitatur, & in tali dubio melior est conditio libertatis, quæ est in possessione.
V. At firmissima est omnium persuasio, quod ad jejunia sub mortali teneamur. VI. Præsumi debet intentio in Legislatore obligandi sub gravi, quoties materia est gravis. VII. Ecclesiæ consuetudo palam ostendit, intentionem Pontificis esse, quod ad jejunandum, & ad festa servanda obligemur sub gravi.
VIII. Pontifex condemnando hanc thesim authentice declarat se velle hanc gravem obligationem imponere. IX. Peccatum potest esse mortale, quamvis solum sit contra Charitatem subjective, & non objective. X. Obligatio jejunandi est gravis tum ex traditione, tum etiam de jure scripto. XI. Consuetudo aperte declarat gravem hanc obligationem.
XII. Quid requiratur, ut consuetudo sit obligatoria?
XIII. Lex Ecclesiastica in materia gravi obligat in conscientia sub gravi. XIV. Quandonam lex dicenda sit pure pœnalis.

I. Exponitur. Si Cajetanum audiamus in Sum. V. *Jejunium*, de jejuniis, quæ consuevit Ecclesia facere, nusquam præcepti vestigium reperitur, ac proinde docet fractionem jejunii Ecclesiastici, quantum est ex jure scripto, non esse lethalem, si desit contemptus. Additque V. *Clericorum peccata*, nullum prorsus præceptum ad mortale obligare, si ejus transgressio non sit contra Charitatem: hæc sunt verba Cajetani: *Qui putat omnia præcepta ad mortale obligare, eget lumine, quo videat, nec Naturalis, nec Divini, nec Humani juris præcepta omnia ad mortale obligare, sed ea solum, quorum transgressio contra charitatem est.* Propterea 2. 2. q. 147. c. 7. dicit, quod cum jejunium neque ad dilectionem Dei, neque ad dilectionem proximi sit necessarium, ejus transgressio non sit mortalis, si desit contemptus. (*a*) Tab. etiam, & Turrecr. relati a Machado de Perfect. Confess. l. 2. f. 472. putant violationem jejunii non esse lethalem, si desit contemptus, aut saltem consuetudo, quippe quæ fert quendam virtualem contemptum: Sylvest. V. *Jejunium*, & Corradus referunt opinionem Cardinalis, & Archidiaconi putantium in violatione jejunii abesse culpam gravem, nisi fiat ex contemptu, aut inobedientia, quatenus nolit quis præcepto se subjicere. Caramuel denique in Apolog. de Probabilitate num. 265. refert non paucos hoc idem docentes de legibus Canonicis, ac de quinque Ecclesiæ præceptis, inter quos Cajetanum, Gersonem, Almainum, necnon D. Bernardum, qui l. de Præc. cap. 39. hæc habet: *Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed non obedire.* Verum D. Bernardus ibi non loquitur de præceptis Ecclesiæ, sed de jussionibus simplicibus Superiorum: Cajetanus solum negat adesse jus scriptum obligans ad jejunium sub mortali: quomodo autem explicandus sit, dum dicit solam violationem præcepti lædentis charitatem esse mortalem, dicemus infra.

(*a*) „ Confer Moyam in *Quæst. select. Tract. 6.* „ *disp.* 5. *quæst.* II. ubi fuse contra Vincentium „ Baronium de Cajetani mente disputat, & mira„ beris, ausum fuisse cum Milante Patuzzium con„ tra hæc hiscere, & Vivam calumniæ Cajetano il„ latæ accusare.

II. Quod vero attinet ad alios DD. qui pro hac sententia laudantur, sciendum eos non negare, quod possit Ecclesia aliquid præcipere sub gravi; omnes enim Catholici, teste Suar. l. 3. de leg. c. 20. & l. 4. c. 17. in hoc conveniunt, quod possit tum lex Ecclesiastica, tum etiam Civilis obligare in conscientia, ut docet D. Th. p. 2. q. 96. art. 4. dicens: *Leges humanitus positæ, si justæ sint, habent vim obligandi in foro conscientiæ a lege æterna, a qua derivantur, secundum illud Prov. 8. Per me Reges regnant, & legum Conditiores justa decernunt.* Quare solum dubitarunt nonnulli, an de facto voluerit Ecclesia obligare sub gravi ad jejunia præscripta, nec non ad festa servanda? ut propterea damnata sit etiam ab Innoc. XI. propos. 52. dicens: *Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.* Nomine autem contemptus, ut advertit Suar. l. 3. de leg. c. 28. non venit contemptus rei præceptæ, quæ forte existimetur inutilis, aut inepta ad finem intentum, nec contemptus legislatoris, quatenus est hæc persona, quæ forte est contemptibilis, sed contemptus ipsius legis, seu legislatoris in quantum talis, adeo ut habeatur contemptus ipsius Jurisdictionis.

Fundamentum hujus erroris videtur esse: Primo, quia ut peccatum sit mortale, debet graviter lædere charitatem aut Dei, aut proximi, etenim *Plenitudo legis est dilectio*, ad Rom. 13. sed jejunii violatio nullatenus lædit charitatem, cum ad Deum, ac proximum diligendum illud non sit necessarium: ergo non præcipitur de facto jejunium sub gravi.

III. Præterea, ut lex obliget sub gravi, tria requiruntur, ut notat Suar. l. c. c. 18. Primo materiæ gravitas, sive ea sit gravis secundum se, sive solum ratione circumstantiarum, & finis; ut fuit prohibitio facta Protoparentibus de non gustando eo pomo: Secundo intentio præcipientis: Tertio verba ipsa præceptiva; In casu nusquam reperiuntur verba Ecclesiæ exprimentia præceptum de jejunio: ergo lex Ecclesiastica indicens jejunium non obligat sub gravi, sed est instar Rubricarum directivarum, seu instar Regularum Societatis Jesu, & plurium aliarum Religionum, quæ non obligant sub reatu culpæ, ne venialis quidem, esto earum transgressio ferat quandam imperfectionem positivam, ratione cujus homo redditur indignus specialibus auxiliis Divinis, (non secus ac irregularitas ex defectu citra omnem culpam fert quandam positivam indispositionem ad Ordines Sacros suscipiendos) ad differentiam imperfectionis negativæ, quæ habetur, dum quis ponit actum minus perfectum potens ponere perfectiorem, vi cujus homo, licet non fiat positive indignus specialibus Dei auxiliis, fit tamen minus dignus, & minus dispositus ad suum ultimum finem, nempe ad intensiorem beatitudinem obtinendam.

IV. Denique, quia si dubitetur, num lex aliqua obliget sub gravi, dicendum non obligare, cum stet in possessione libertas, ut communiter Theologi docent cum Molin. t. 3. disp. 674. atqui saltem est dubium, an lex jejunii obliget sub gravi; siquidem ex vi legis scriptæ non apparent verba indicantia gravitatem præcepti; ex vi vero consuetudinis non constat, quod hujusmodi consuetudo habeat conditiones omnes requisitas ad graviter obligandum; inter eas enim est voluntas in majore parte populi obligandi se ad talem actum; quæ certe fere nunquam potest præsumi; ergo non datur ista gravis obligatio; atque adeo frangens jejunium non

non peccat graviter, si desit contemptus, vel formalis inobedientia, qua quis nolit se præcepto subjicere.

V. Ostenditur falsitas ex firma persuasione fidelium putantium ad jejunia Ecclesiastica se graviter obligari; adeo ut a puero discendo catechismum quilibet apprehendat omnia quinque præcepta Ecclesiæ esse graviter obligatoria: tum etiam quia, ut advertit Sanch. l. 4. c. 4. num. 6/. universim saltem lex Canonica, quæ ordinatur ad animarum salutem, (quicquid sit de Civili, quæ ordinatur ad pacem & tranquillitatem Reip.) obliget semper sub mortali, si contineat materiam gravem ad bonum animarum conducentem, etiamsi non superaddantur illi verba, quæ aut contineant formam præcipiendi gravem, puta in virtute S. Obedientiæ, sub intermination Divini judicii, aut contineant comminationem pœnæ spiritualis gravis, puta sub excommunicatione latæ sententiæ: atqui lex præcipiens jejunium (idemque dicas de lege præcipiente observantiam festorum) continet materiam gravem, & maxime ad bonum animarum conducit, ut patet: ergo obligat in conscientia graviter, adeo ut earum transgressio sit mortalis, etiamsi non fiat in contemptum, vel ex consuetudine, aut ex inobedientia formali, aut cum scandalo, sed ob meram fragilitatem. Major patet in plurimis legibus Ecclesiasticis, quæ ita feruntur, ut in omnium sententia censeantur obligare sub mortali: hujusmodi enim est præceptum impositum a Trid. sess. 13. c. 5. Sacerdotibus confitendi quamprimum, si celebraverint non præmissa confessione ob inopiam Confessarii; nec non lex Clementis VIII. præcipiens Superioribus, ne utantur scientia Confessionis ad externam gubernationem, & lex de Missa audienda diebus festis, ac similes.

VI. Ratio a priori est, quia ut lex de re gravi obliget sub reatu peccati mortalis, requiritur in legislatore præter potestatem etiam intentio obligandi graviter; sed in casibus adductis potestas obligandi in legislatore Ecclesiastico proculdubio non deest; intentio vere obligandi præsumitur, quia præsumi debet in legislatore intentio accommoda materiæ, quam præcipit, & consona bono subditorum, atque adeo intentio obligandi sub gravi materiam gravem, quæ conducit ad salutem animarum: ergo de facto hujusmodi leges obligant sub gravi. Quod communiter etiam probant apud Sanch. l. 6. c. 4. n. 39. ex Clementina *Exivi*, ubi Pontifex ex materiæ tantum gravitate colligit, quod multa, quæ in Regula D. Francisci præcipiuntur, graviter obligent Fratres Minores ad eorum observantiam.

VII. Deinde transmisso, quod dubitari possit de intentione legislatoris, An velit graviter obligare, quando verba præcipientia non addunt formam præcipiendi ullatenus gravem, aut gravem comminationem; in casu tamen nostro hujusmodi dubium evanescit posita consuetudine, quæ declarat, mentem legislatoris esse, ut ad jejunandum, & ad observationem festorum obligemur sub gravi: Consuetudo enim in Cap. *Cum dilectus*, de Consuet. dicitur esse optima legum interpres: ergo cum ea sit consuetudo, seu praxis Ecclesiæ, ut quilibet putet ad jejunandum se teneri sub gravi, nullum remanet dubium de intentione legislatoris, quin voluerit ad id graviter obligare. Certe Florentinum ex universali consuetudine Ecclesiæ Latinæ consecrandi in azymo infert obligationem gravem: ergo a fortiori ex consuetudine universali jejunandi diebus præceptis infertur obligatio gravis, cum magis hoc, quam illud ad animarum salutem conducat.

VIII. Denique etiam transmisso, & non concesso, quod dubitari possit, An consuetudo ista universalis Ecclesiæ habeat omnia requisita ad declarandam intentionem legislatoris graviter obligantem, negari de facto non potest, quod, posita condemnatione hujus propositionis, sufficienter Ecclesia declarat, & quidem authentice, legem istam præcipientem jejunia obligare sub gravi; quilibet enim legislator potest legem suam authentice declarare; ergo cum lex de jejuniis servandis sit Ecclesiastica, potest authentice a Pontifice declarari in casu dubii: & de facto condemnando hanc propositionem declarat se graviter ad id velle obligare, & semper obligasse, atque adeo non remanet amplius locus de hoc dubitandi.

IX. Ad primam rationem in contrarium respondetur, eam probare nimis, videlicet nullam omnino legem Ecclesiasticam, quæ non spectet directe ad Dei Charitatem, aut proximi, posse graviter obligare; atque adeo probat, quod non solum de facto Ecclesia noluerit, sed etiam quod non potuerit præcipere jejunium sub gravi: probat etiam, quod neque peccatum mortale contineatur in contemptu talis legis, cum hujusmodi contemptus non videatur opponi Charitati. Quare dicendum, quod peccatum quodvis mortale debeat esse contra Charitatem solum subjective, quatenus a subjecto peccante expellit Charitatem, & gratiam; at non quodvis peccatum debet esse contra Charitatem objective, aliter nec peccata contra Fidem, aut Spem essent mortalia.

X. Ad secundam: ostendit Fagun. 4. Pr. lib. 1. c. 3. num. 7. contra Cajetan. obligationem gravem de jejuniis servandis non solum constare ex perpetua traditione Ecclesiæ, sed etiam ex jure scripto, videl. ex Cap. *Non licet*, de Consecr. dist. 3. ex Cap. *Non oportet* ibid., ex Cap. *Quadragesima*, ibid. dist. 5. ubi apponuntur verba sufficienter exprimentia præceptum. Sed transmisso, quod hujusmodi præceptum non reperiatur scriptum, non proinde sequitur illud non dari: etenim, ut advertit idem Cajet. apud Sanch. l. 5. Conf. c. 1. non omnes leges Ecclesiasticæ petendæ sunt in Juris volumine, cum multas usus inseruerit: Præterquamquod nonnemo apud eundem Sanch. putat, præceptum jejunii viva voce prolatum esse a temporibus Apostolorum. Sed quicquid sit, utrum hujusmodi præceptum sit scriptum, an traditum, non debet de ejus obligatione gravi dubitari. Verum quidem est, multas leges Ecclesiasticas non obligare sub gravi; sic teste Angelico 2. 2. q. 186. a. 9. Regulæ Fratrum Prædicatorum non obligant ad culpam ne venialem quidem, sed solum ad pœnam taxatam substinendam; at non proinde sequitur, quod lex Ecclesiastica non obliget sub gravi, si gravem materiam contineat conducentem ad animarum bonum; præsertim quando ipse communis sensus, ac persuasio, & consuetudo immemorabilis ostendit, voluisse Ecclesiam sub gravi ad illam obligare.

XI. Ad ultimam ostendimus, quod etiamsi spectatis tantum verbis legis dubitari posset, an voluerit Ecclesia sub gravi ad jejunia obligare; consuetudo tamen optima legum interpres ostendit aperte hanc gravem obligationem; quæ rursus ex con-

condemnatione hujus propositionis magis declaratur.

XII. Neque dicas, Consuetudinem non esse satis ad inducendam obligationem gravem; quis enim dixerit, consuetudines accipiendi Sacros Cineres primo die Quadragesimæ, accipiendi ramos die Palmarum, orandi dum pulsatur ad Ave Maria, suscipiendi aquam lustralem in egressu templi, & similes esse obligatorias? Nam contra est, quia neque omnis consuetudo est obligatoria, neque omnis consuetudo est ex mera devotione, ut constat de consuetudine abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima, quæ evidenter est obligatoria ex propositione 32. Alexandri VII. sicut etiam ex Trident. sess. 13. cap. 7. obligatoria est consuetudo præmittendi Confessionem mortalium ante sumptionem Eucharistiæ. Quare illa consuetudo dicenda est obligatoria, quæ est in materia gravi, & jamdiu ita servatur, ut communiter fideles putent ad illam servandam teneri, quod habetur in casu nostro. Præscindimus hic ab ea quæstione, quam discutit Arria. t. 4. disp. 5. sect. 1. Num scilicet, ut consuetudo aliqua sit obligatoria, sufficiat, quod voluerint olim homines ad illam se obligare; an requiratur etiam lex aliqua a Superiore, vel Principe lata, illam directe præcipiens, aut votum Communitatis de ea servanda, eo quod vix possit aliter præsumi in majori parte Communitatis animus se obligandi? Illud solum dicimus, quod quamvis consuetudo jejunandi in Ecclesia non sit orta ex voluntate in majori parte Ecclesiæ obligandi se ad jejunium, adhuc ex ista consuetudine, qua communiter fideles putant se ad jejunia Ecclesiastica obligari, colligitur, quod saltem extet hujusmodi præceptum de jejunio servando, etiamsi non reperiatur in jure scripto.

XIII. Oppones. Potest Ecclesia præcipere aliquid grave, puta jejunium, non obligando ad illud determinate, sed disjunctive, videl. vel ad jejunandum, vel ad subeundam pœnam gravem consentaneam omissioni talis actus, eo modo, quo obligant ex Angelico Regulæ Patrum Prædicatorum: ergo ex benignitate Ecclesiæ præsumendum est, hujusmodi esse omnia præcepta Ecclesiastica: atque adeo frangens jejunii præceptum non peccat graviter, si paratus sit subire pœnam ab Ecclesia taxatam.

Respondeo, Vasq. disp. 158. n. 22. Medin., Salm., & alios apud Arr. l. 3. d. 16. num. 7. negare, quod possit in materia gravi aliquid præcipi sub veniali; unde multo minus poterit disjunctive prohiberi modo explicato. Equidem tamen cum communiori apud Sanch. lib. 6. cap. 4. censeo posse materiam gravem præcipi sub veniali, sicut etiam posse voventem votum emittere cum intentione obligandi se tantum sub levi in materia gravi; & de facto in Religione Carmelitarum Discalceatorum prohibetur esus carnium tantum sub levi, quamvis ea materia sit capax præcepti gravis: propterea concedendum etiam posse ab Ecclesia materiam gravem prohiberi disjunctive modo explicato, v. g. vel ad jejunandum, vel ad subeundam pœnam consentaneam. Hoc tamen non expedit; præsertim quando non facile deprehendi potest transgressor, ut puniatur, ut in casu nostro.

Hinc docent communiter, leges Ecclesiasticas, quibus apponitur pœna gravis, puta Excommunicationis, Degradationis, & similes, obligare sub gravi; ita ut pœna isthæc peccatum mortale præsupponat, cum non debeat ex benignitate Ecclesiæ præsumi, quod velit ansam dare transgressionibus, quando materia præcepta graviter conducit ad salutem animæ: sicut ex benignitate Legislatoris civilis non est præsumendum, quod velit citra obligationem in conscientia præcipere, quæ valde expediunt ad pacem, & bonum Reipublicæ, ut docent communius apud Sanch. l. 6. c. 4. n. 59. , & Dian. p. 1. tract. 10. res. 17. , cum pœna gravis apponi soleat tum ad expressius significandam obligationem gravem in conscientia, tum etiam ad fortius compellendos subditos ad legis observantiam. Propterea neque lex jejunii, neque lex alia Ecclesiastica in materia gravi censenda est pure pœnalis, obligans dumtaxat ad subeundam pœnam in casu transgressionis.

XIV. Regula autem generalis ad dignoscendum, quandonam lex dicenda sit pure pœnalis, obligans solum sub reatu pœnæ, & non sub reatu culpæ, ea videtur esse. Quando ita aliquid præcipitur, ut neque ex gravitate materiæ, neque ex vi verborum, neque ex ullis circumstantiis colligi possit, quod Legislator velit in conscientia, seu sub reatu pœnæ obligare, tunc lex dicenda est pure pœnalis; ut cum dicitur v. g. Qui merces in civitatem detulerit, hac pœna puniatur, vel hoc solvat. Contra vero, quando aliquid præcipitur sub pœna transgressoribus imponenda: v. g. Prohibemus ne quis arma deferat sub tali pœna; tunc lex non est censenda pure pœnalis, seu solum obligans ad pœnam subeundam, si deprehendatur transgressio, sed mixta, hoc est obligans sub reatu culpæ simul, & pœnæ, ut docent Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 60. Vasq., & alii apud Dian. p. p. tr. 10. res. 20. Quamvis probabiliter etiam multi cum Valen., Nav., Fill., Dian. loc. cit., & Tamb. de Sacrif. Missæ l. 3. c. 1. §. 8. num. 14. doceant, nullam legem pœnalem, sive puram, sive mixtam in quacunque pœna temporali, quantumvis gravi, obligare in conscientia ad culpam, sed solum ad pœnam subeundam, nisi legislator exprimat, quod velit etiam in conscientia obligare. Quando tamen pœna, quæ imponitur transgressoribus, est spiritualis, ut pœna Excommunicationis, Suspensionis, & similes, tunc lex Ecclesiastica non est dicenda pure pœnalis, sed mixta, obligans sub reatu culpæ simul, & pœnæ.

PROPOSITIO XXIV.

Molities, Sodomia, & Bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoque sufficit dicere in Confessione, se procurasse pollutionem.

SYNOPSIS.

I. Non differre specie peccata omnia contra naturam fuit nonnullorum error. II. Recensentur variæ hac de re opiniones. III. Videntur esse ejusdem speciei Mollities, Sodomia, Bestialitas; quia procurare hoc, vel illo modo pollutionem non videtur diversificare moraliter speciem culpæ.

IV. Verum sicut peccata specie diversificantur, si opponantur diversis virtutibus, ita si eidem virtuti opponantur diversimode. V. Sic Furtum, Adulterium, Homicidium, Detractio specie differunt, quamvis eidem virtuti Justitiæ adversentur.

VI. Explicatur, unde specifica ista diversitas peccatorum dignoscenda sit.

VII. Sicut specie differunt Fornicatio, Adulterium, Incestus, Stuprum, Raptus, licet eidem virtuti Castitatis opponantur; ita Mollities, Sodomia, Bestialitas.

VIII. Aliter omnia peccata luxuriæ essent ejusdem speciei.

IX. Peccata contra naturam dicuntur aliquando esse ejusdem speciei, non tamen infimæ, sed subalternæ.

X. Non se habet de materiali, quod procuretur pollutio tangendo hominem, vel tangendo belluam; aut quod concubitus sit cum supposito rationali, vel irrationali.

XI. Hinc plurimæ quæstiones in hac materia enodantur.

XII. Quandonam diversitas specifica peccatorum habeatur etiam a præceptorum diversitate?

I. EXponitur. Ejusdem esse speciei omnia peccata contra naturam docuit Caram. in Theol. Fund. num. 1199. ex Nav. Graffis, & aliis decem DD. Lovaniensibus, cum Armilla, (*a*) Cano, (*b*) & aliis apud Dian. p. 3. tr. 4. res. 59. putantem id esse probabile cum Fill., & Trull. t. 2. lib. 2. cap. pr. dub. 8. num. 8. Ex qua doctrina sequitur, quod sufficienter in Confessione exponantur peccata mollitiei, sodomiæ, & bestialitatis, & alia hujusmodi dicendo, Commisi tot peccata contra naturam, posita ea probabilissima sententia, quod non detur obligatio explicandi circumstantias notabiliter aggravantes. Sequitur etiam non esse explicandum in confessione, num peccatum contra naturam fuerit commissum cum homine, an cum bruto; eo quod hæc diversitas spectet ad diversum modum operandi intra eandem speciem: ad eum modum, quo in omnium sententia peccans peccato bestialitatis non debet explicare speciem bestiæ, num fuerit v. gr. ovis, an avis; eo quod diversitas ista specifica physica de materiali se habeat ad diversificandam moraliter speciem peccati.

„ (*a*) Deceptus hic fuit Viva a Caramuele, aut „ a Diana. Nam ut ex Oviedo nostro ingenue notat Moya *Tract.* 3. *quæst.* 3. *c.* 4. *num.* 40., Fumus intelligi debet *de specie subalterna*. Quare non est cur Patuzzius *T.* 3. *p.*455. de hac Fumi interpretatione sibi plaudat, quam multo ante ipsum tradiderant Jesuitæ duo, Oviedus, & Moya. Potius pudeat ipsum scripsisse (p. 456.): *e tanto più dovea osservarlo il* P. Viva, *quanto che il* P. Fumo *parla secondo la sentenza di* San Tommaso *da lui citato, cui nè il* P. Viva, *nè* ALTRI FINORA *ha avuto l'ardimento di apporre la scandalosa opinione*; ostendit enim his verbis, quam parum in Theologorum libris versatus sit; certe enim Caramuel in *Theolog. Fundam. num.* 1199. pro ea opinione (licet perperam) D. Thomam appellat, aliosque citat, qui S. D. ita sensisse existimant.

„ (*b*) *Canus*, inquit Concina *Tom. IV. Theol. Christ. p.* 486. *nec verbum hac de re habet*. Idem adferit Patuzzius *T.* 3. *p.* 454. Experiamur, num quod his invenire in Cano non licuit, nobis cedat. Editio Cani, qua utor, Patavina est an. 1714. Ibi ergo *Relect. de Pœnit. part.* VI. inter alias rationes, quibus probat, *omnes circumstantias esse explicandas, quæ* ETIAM IN EADEM *specie mortaliter aggravant*, hoc utitur argumento pag. 540. *Item & peccata contra naturam non videntur specie discriminari, quod Cajetanus confirmat. At non satis esset confiteri*: effudi semen contra naturam, *circumstantias vero illius peccati celare, aut etiam negare.*

II. Hac de causa Dian. p. p. tract. 7. res. 2. docuit contra Tanne. & alios, quod peccans cum bestia non debeat explicare, num cum bestia mare, an cum fœmina peccaverit, & quod peccans sodomitice neque debeat hanc sexus diversitatem exponere. Docuit etiam Dicastill., & Azor. contra communiorem apud Dian. p. 7. tr. 12. res. 15. pollutionem procuratam tactibus propriis non differre specie a procurata tactibus alienis, puta tangendo puerum, aut puellam nondum doli capacem, aut tangendo dormientem, vel bestiam, dummodo absit concubitus, atque adeo omnia isthæc peccata sufficienter in confessione explicari dicendo, Commisi pollutionem voluntariam. Docent etiam septemdecim DD. apud Dian. p. 11. tr. p. res. 11., & tract. 3. res. 4., inter quos Bordonus, Pontius, Gesualdus, Thomas Hurtado contra communiorem apud Lugo de Pœnit. d. 16. num. 243. Sodomitam non debere in Confessione explicare, num fuerit agens, an patiens, eo quod videatur esse ejusdem speciei moralis malitia agentis, qui polluitur, ac malitia patientis, qui ad illam pollutionem concurrit; sicut eadem species homicidii est in tenente eum, qui occiditur, ne fugiat, & in vulnerante; & sicut ejusdem speciei est peccatum fornicationis tam ex parte viri, quam ex parte fœminæ, eo quod ad idem scelus uterque per modum unius causæ concurrant. Quod autem in utroque hoc peccato sodomiæ, & fornicationis pollutio sequatur, vel non sequatur, videtur spectare ad circumstantiam aggravantem, quin ea addat novam speciem malitiæ: Juxta quam doctrinam Vericelli t. 1. Quæst. Mor. tr. 4. q. p. num. 21. ex Sot. & Joan. Sanch. apud Mendo dissert. 5. q. 12. dixit, eum, qui propriis tactibus pollutionem procuravit, satisfacere præcepto confessionis dicendo, se procurasse tactibus pollutionem, quin addat eam fuisse secutam, etiamsi secuta fuerit; quod in expositione propositionis sequentis dicemus esse falsissimum.

III. Denique Caram. in Theologia morali lib. 4. n. 1067. docuit id, quod directe in hac propositione damnatur, vid. Mollitiem, Sodomiam, & Bestialitatem non esse diversæ speciei infimæ, atque adeo sufficere, quod qui hujusmodi scelus patravit, in confessione dicat se procurasse pollutionem.

Fundamentum autem videtur esse: Primo quia communiter DD. cum D. Th. 2. 2. qu. 104. art. 1. sex assignant species luxuriæ, nempe fornicationem, adulterium, incestum, stuprum, raptum, & vitium contra naturam: ergo omnia ista peccata mollitiei, sodomiæ, & bestialitatis ad eandem speciem peccati contra naturam spectant.

Secundo, quia non differt specie pollutio, sive ea procuretur tangendo manus, sive brachia alterius; ergo nec differt specie, sive sodomitice, sive brutaliter procuretur; eo quod varietas ista physica membrorum non videatur diversificare speciem moralem culpæ, sed solum spectare ad circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem.

IV. Osten-

IV. Oſtenditur falſitas, quia univerſim ſicut potentiæ, ita & habitus tam intellectuales, quam morales, atque adeo tam virtutes, quam vitia ſpecificantur, & diverſificantur a ſuo objecto formali: ſicut enim potentia ſenſitiva ſpecificatur a ſenſibili, & hæc, vel illa potentia ſenſitiva a diverſo modo attingendi hoc, vel illud ſenſibile, unde viſiva v. gr. ſpecificatur a colorato, auditiva a ſonoro; ita virtus reſpicit honeſtum, ſeu quod rationis dictamini, atque adeo Divinæ voluntati eſt conforme, adeo ut pro diverſitate honeſtatis objectivæ diverſificentur virtutes. Quare juſtitia v. gr. quæ reſpicit adæquationem juris alieni, ſpecie differt a Fortitudine, quæ reſpicit perpeſſionem moleſtiarum, quæ in bonorum operum exercitio occurrunt, & a Temperantia, quæ moderatur voluptates guſtus, & tactus, & a Prudentia, quæ dictat media opportuna ad actiones morales eliciendas: Et eodem pacto vitia inclinant ad operationes inhoneſtas, & rationi difformes, ita ut pro diverſitate inhoneſtatis in objecto formali vitia ſpecie diverſificentur; unde ſpecie differt v. g. injuſtitia ab intemperantia.

V. Verum ſicut virtus poteſt a ſuo objecto formali honeſto reponi in ſpecie aliqua ſubalterna, ita ut in alias ſpecies inferiores dividatur pro diverſo modo attingendi eamdem honeſtatem: e. g. Juſtitia ita reſpicit adæquationem juris alieni, ut dividatur in Commutativam, Diſtributivam, Vindicativam, & Legalem: (quicquid ſit, Num Juſtitiæ nomen univoce, an analogice de his virtutibus dicatur, quamvis non ſint partes poteſtativæ virtutis Juſtitiæ dicentes tantum analogiam ad illam, ut Religio, Fidelitas, Veracitas, Obedientia, Amicitia, & ſimiles, ſed ſint partes ſubjectivæ, ſeu ſpecies Juſtitiæ: de quo Theologi diſputant). Ita vitium poteſt reponi a ſuo objecto formali inhoneſto in ſpecie ſubalterna, quæ in alias ſpecies inferiores dividi poſſit: Et hoc pacto in omnium ſententia furtum, adulterium, homicidium, detractio ſunt ſpecies injuſtitiæ ob diverſum modum, quo virtuti Juſtitiæ commutativæ opponuntur, & injuſtitiam participant: unde ſit, vitia diverſificari ſpecie, non ſolum ſi diverſis virtutibus opponantur, ſed etiam ſi eidem virtuti opponantur diverſimode. Proinde D. Th. p. 2. q. 72. art. 8. cum communi docet, Prodigalitatem, & Tenacitatem ſpecie differre per hoc, quod extreme opponantur eidem virtuti Liberalitatis.

VI. Cum autem non facile ſit dignoſcere, quandonam vitia ea diverſitate opponantur eidem virtuti, ut inter ſe ſpecie diverſificentur, hinc oritur varietas opinionum inter DD., num ſcil. hæc, vel illa vitia diverſificentur: e. g. num ſpecie diſtinguatur pollutio procurata tactibus propriis, & procurata tactibus alienis præciſo ſcandalo, v. gr. tangendo puerum nondum doli capacem, & ſimilia? Ex qua dubietate prodiit hæc theſis proſcripta, quod Mollities, Sodomia, & Beſtialitas non differant ſpecie. Ad criterium hoc inveniendum advertit Tannerus diſp. 4. de Peccatis ex Valent. quæſt. 2. p. 1. quod ſpecie diverſificentur vitia, quoties adeo diverſa ratione, & malitia eidem virtuti opponuntur, ut quantum eſt ex natura, & ratione ejuſdem peccati, non ſit eadem facilitas moraliter loquendo in iis peccatis committendis, & qui propenſus eſt ad unum eorum, quantum eſt ex ipſa peccati ratione, non ſit ſimiliter propenſus ad alterum, ut ſunt in omnium ſententia furtum, adulterium, detractio, homicidium; atqui pariter mollities, ſodomia, beſtialitas ita opponuntur eidem virtuti Caſtitatis, ut quantum eſt ex natura, & ratione horum peccatorum, non ſit eadem facilitas committendi omnia hæc, & qui eſt propenſus ad unum eorum, quantum eſt ex ipſa peccati ratione, non ſit eatenus propenſus ad alia: ergo quamvis hæc peccata eidem virtuti Caſtitatis opponantur, atque adeo ſint in eadem ſpecie ſubalterna, differunt tamen ſpecie infima, non ſecus ac furtum, & homicidium; ut proinde debeant in ſua ſpecie in confeſſione explicari.

VII. Confirmatur: Peccata, quæ non ſunt contra naturam, ſed eidem virtuti Caſtitatis opponuntur, ut ſunt fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, in omnium ſententia ſpecie infima differunt, quamvis conveniant in ſpecie ſubalterna, eo quod ſingula importent ſpecialem diſſonantiam cum recta ratione, & diverſimode eidem virtuti Caſtitatis opponantur: Siquidem adulterium lædit etiam jus conjugis, inceſtus opponitur reverentiæ debitæ conſanguineis; ſtuprum violat ſubjectionem debitam a virgine parentibus, ſi ſit ſub eorum poteſtate, & ponit illam in via ad meretricandum, eo quod difficile maritum inveniat poſt amiſſam virginitatem; raptus infert violentiam &c. Atqui pariter mollities, ſodomia, beſtialitas, quæ conveniunt in ratione peccati contra naturam, dicunt etiam ſpecialem diſſonantiam cum recta ratione, & diverſimode virtuti Caſtitatis opponuntur: cum ſodomia non ſolum generationem impediat, ut mollities, ſed etiam dicat ordinem ad vas ineptum ad generationem intra ſpeciem humanam; beſtialitas vero dicat ordinem ad vas ineptum ad generationem in ſuppoſito alienæ ſpeciei, cui ordo naturalis ſumme contrariatur; magis enim legi naturali adverſatur hominem conjungi cum beſtiis, quam homines inter ſe indebite conjungi, ut conſtat lumine naturæ: ergo peccata iſta contra naturam ſpecie etiam infima differunt, quamvis conveniant in ſpecie ſubalterna; adeo ut beſtialitas ſit peccatum inter iſta graviſſimum, ultra quod non reperiatur niſi concubitus cum dæmone formam humanam aſſumente; & poſt beſtialitatem graviſſimum ſit ſodomia, quod antonomaſtice dicitur Scelus nefandum; mollities vero, utpote contra naturam, gravior ſit in genere luxuriæ aliis peccatis contra Caſtitatem: quæ omnia fuſe oſtendit Angel. 2. 2. quæſt. 154. num. 12. Denique fornicatio inter peccata luxuriæ eſt minime omnium grave, quippe quod ſolum impedit bonam prolis educationem: eſt tamen peccatum ſecundum ſpeciem ſuam gravius furto, ut docet etiam Angel. l. c. art. 3. eo quod fornicatio ſit contra bonum hominis naſcituri, furtum vero ſit contra bona exteriora, ſed non eſt gravior fornicatio, quam homicidium, cum illa ſit contra bonum hominis naſcituri, hoc vero ſit contra vitam hominis jam nati.

VIII. Confirmatur ſecundo auctoritate communiſſima omnium fere DD. dicentium unanimiter ſpecie differre peccata contra naturam, ut mirum ſit Caramuelem docuiſſe peccata iſta ſufficienter exprimi in Confeſſione dicendo, procuratam eſſe pollutionem. Quæ ſententia ſi vera eſſet, non daretur amplius via impugnandi, qui diceret, omnia peccata luxuriæ eſſe ejuſdem ſpeciei infimæ, utpote

oppo-

opposita eidem virtuti Castitatis, & sufficienter in confessione explicari dicendo, Commisi peccatum contra Castitatem: quod certe nemo somniavit: ut omittam, quod in sodomia intervenit etiam peccatum scandali.

IX. Ad primam rationem in contrarium respondeo, Angelicum ibi enumerasse species luxuriæ subalternas, non infimas: sicut quando dicitur, peccata injustitiæ alia esse contra Justitiam commutativam, alia contra distributivam, tunc enumerantur species subalternæ injustitiæ; siquidem contra commutativam dantur diversæ species infimæ eidem virtuti justitiæ oppositæ, ut sunt furtum, detractio, homicidium. Sic etiam in re nostra, sub specie adulterii subalterna includuntur tam adulterium, quod fit cum conjugata, marito consentiente, quam illud, quod fit marito invito, atque adeo injuste; sicut etiam adulterium non sacrilegum, & sacrilegum, quando scilic. conjugatus cum Moniali, aut alia persona Deo dicata peccaret, quæ certe sunt species infimæ diversæ in confessione explicandæ.

X. Ad secundam; Quidam tactus valde impudici, etiamsi non sint sodomitici, explicandi verius sunt in confessione, ob specialem dissonantiam; unde si duo homines ita se polluant, ut alter alteri incumbat, perinde ac si peccarent cum muliere, id videtur explicandum, ut notat Lamas p. 3. c. 8. contra Gobat., Regin. Dian. apud Mendo in Epit. V. *Luxuria* num. 18. Sed hoc transmisso, sodomiam, & bestialitatem ferre dissonantiam, & horrorem specialem nemo non videt: Hinc p. ad Cor. 6. de mollitie, & de sodomia fit mentio specialis, tamquam de duobus specie differentibus, dicitur enim: *Neque fornicarii, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores &c. regnum Dei possidebunt:* & Genes. 3. dicitur: *Homines sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis*. Sicut etiam Levit. 18. specialiter Deus sodomiam, & bestialitatem execratur dicens: *Cum masculo non commisceaeris coitu fœmineo, quia abominatio est: Cum omni pecore non coibis. Mulier non succumbet jumento, nec miscebitur ei, quia scelus est*. Quare varietas ista in his facinoribus non est materialis, ut varietas membrorum, ex quorum tactu procuretur pollutio, sed diversificat speciem moralem culpæ: Sicut enim in peccato bestialitatis de materiali se habet; quod bestia sit hujus, vel illius speciei physicæ, & solum de formali, quod cum ea peccetur; (imo de formali etiam se habet sexus bestiæ, ita ut explicandum sit, num cum bestia mare, an cum fœmina peccatum sit commissum, ut docent communius contra Dian. loc. cit.) ita de materiali se habet, quod his vel illis membris pollutio procuretur, non tamen de materiali, quod concubitus sit præter ordinem naturalem in vase indebito, aut cum suppositis irrationalibus, a quibus omnibus summe abhorret ipsa natura.

XI. Ex doctrina, & principiis jactis descendit resolutio quamplurium quæstionum in hac materia. Ex hoc enim quod specie differant ea peccata, quæ vel opponuntur diversis virtutibus, vel eidem diversimode, ita ut, quantum est ex ipsorum natura, non eandem facilitatem ferant ea committendi, unde qui propensus est ad unum illorum, spectata peccati natura, non sit eatenus propensus ad aliud, sequitur probabilius esse, in sodomia explicandam in confessione tamquam mutantem speciem circumstantiam Agentis, aut Patientis. Secundo, similiter explicandum esse in Sodomia, num ea fuerit commissa cum fœmina. Tertio, Num quis eam commiserit cum consanguineis, vel affinibus, & An Uxoratus propria uxore abusus sit. Quarto, Num procurata sit pollutio tactibus alienis. Quinto, explicanda verius videtur in peccato fornicationis circumstantia Sponsi, vel Sponsæ de futuro ob injuriam, quæ alteri Sponso irrogatur, quamvis ea non sit adulterium: sicut etiam in incestu circumstantia personæ in primo gradu conjunctæ in linea recta, ob specialem violationem pietatis. Sexto, Explicanda probabilius est circumstantia filiæ spiritualis; videtur enim, quod confessarius peccans cum poenitente sacrilegium speciale committat ratione vinculi similis cognationi spirituali ex Sacramento contracti. Septimo, Explicanda etiam videtur circumstantia disparitatis Cultus ob injuriam, quæ Sacramento baptismi irrogatur peccando cum infidelibus, ut notat Less. contra Azor. Octavo, Similiter si tactus impudici fiant in Ecclesia, & a fortiori si in ea habeatur pollutio occulta. Nono, Videtur sacrilegium diversum, si quis peccat cum Sacerdote, ac si peccet cum Religioso; cum videatur esse diversæ speciei votum solemne Castitatis unius, & alterius: Sicut communius docent contra Sanch. l. 7. disp. 27. num. 27. votum solemne Castitatis specie differre a voto simplici; & ideo dum clavibus subjiciuntur peccata contra Castitatem, hujusmodi vota sunt explicanda. Decimo, si inducatur mulier parata ad peccandum, videtur exprimenda circumstantia inductionis, & scandali, esto ea sit parata: quicquid in contrarium dicant Coninc. Ledesm. Azor. Suar. disp. 22. de Poenit. sect. 4. apud Dian. p. 1. tr. 7. res. 34. Contra vero probabilius videtur ex Vasq. & Palao apud Tamb. lib. 10. in Dec. c. 3., quod in peccato delectationis morosæ de copula cum aliqua fœmina non sit explicanda circumstantia fœminæ, num scil. sit Monialis, an conjugata, nisi forte delectatio sit de copula cum illa qua tali; cum enim ab ea circumstantia delectatio præscindat, de materiali se habet: Quamvis ea non se habeat de materiali in actu desiderii de tali copula, quippe quod directe, & efficaciter fertur in ipsum opus externum, a quo desiderium specificatur: Sicut etiam in omnium sententia non se habent de materiali istæ circumstantiæ relate ad personam, quæ morose delectatur; unde explicare debet, num habeat votum castitatis, num sit conjugata, &c. Quæ, & alia plurima fuse discutit Dian. tractatu laudato.

XII. Dubitatur apud Theologos, Utrum distinctio specifica peccatorum solum desumatur ab objectis formalibus, & ab oppositione cum virtutibus modo explicato, an etiam ex diversitate præceptorum? Nav., & Duran. apud Gonetum t. 8. disp. 2. artic. 2. docent, peccata specie diversificari etiam ex multiplicatione præceptorum, atque adeo in Confessione tot malitias in quolibet peccato esse detegendas, quot fuerint præcepta, quibus illud prohibetur. Communiter tamen docent cum Angelico p. 2. quæst. 72. artic. 6. meram diversitatem præceptorum circa idem objectum non inducere diversitatem specificam; propterea violatio jejunii, si fiat tempore Quadragesimæ, & die 4. Temporum, non est duplex peccatum, quamvis duplici præcepto illud præcipiatur; sicut neque est duplex peccatum omissio Sacri die Dominico, in quem incidat festum Apostoli, ut proinde duplici præ-

præcepto illud præcipiatur: Aliter sequeretur, quod in qualibet violatione præcepti humani duplex inesset malitia, altera contra humanum, altera contra Divinum præceptum. Tunc igitur multiplicitas præceptorum infert multiplicationem malitiarum in peccato, quando præcepta idem prohibent ex diversis motivis diversarum virtutum, eo quod ex motivis, & objectis formalibus peccata specificentur, & distinguantur. Hinc percussio v. gr. Clerici duplicem habet malitiam, vid. Injustitiæ, & Sacrilegii, quia a duobus præceptis id prohibetur ex motivo duarum virtutum, Justitiæ, & Religionis. Similiter effusio sanguinis in loco Sacro prohibita a jure naturali ex motivo Justitiæ, & a jure positivo Ecclesiastico ex motivo Religionis duplicem continet malitiam in Confessione explicandam: & eodem modo qui ex voto tenetur jejunare tempore Quadragesimæ, duo peccata committit comedendo carnes, alterum Intemperantiæ, alterum Sacrilegii: quod si illud ipsum jejunium impositum sit a Confessario, contrahitur nova malitia in ejus violatione, eo quod præcipiatur a Confessario ex motivo Pœnitentiæ.

Ex quibus fit, ut advertit idem Gonetus, quod Fratres Minores, qui vovent observantiam suæ regulæ, a qua obligantur ad jejunandum feriis sextis, si eo die comedant carnes, duplex peccatum committant in Confessione exprimendum: quia motivum præcepti contenti in regula est motivum Religionis posito voto illam observandi: at si alius Religiosus a sua regula obligetur sub gravi ad jejunandum feria sexta, cum non detur votum observandi talem regulam, & illa more alterius legis jejunium præcipiat ex solo motivo temperantiæ, unum peccatum committit, dum feria sexta non jejunat.

PROPOSITIO XXV.

Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit Confessionis præcepto, dicens: Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

SYNOPSIS.

I. Videtur non explicata copula, explicari sufficienter numerus, & species peccati. II. Copula videtur ad circumstantiam aggravantem pertinere.

III. Sicut etiam quando ex tactibus obscœnis sequitur pollutio. IV. Ad eum modum, quo effectus peccati probabiliter non est in Confessione explicandus, puta mors, quæ consequitur ad veneni propinationem.

V. Verum copula in casu nostro explicanda, cum spectet ad peccati individuationem speciali modo participantem speciem peccati.

VI. Ob eandem rationem qui se exposuit periculo fornicandi, & simul fornicatus est, debet fornicationem exponere.

VII. Et qui peccato interno superaddidit externum, debet hoc etiam explicare, etiamsi non sit novum peccatum, sed solum speciali modo participet peccati speciem. VIII. Similiter explicanda pollutio, si ea ad tactus impudicos consequatur.

IX. Congruenter Christus D. voluit, ut individuatio etiam peccati notabiliter difformis in Confessione explicaretur juxta praxim Ecclesiæ.

X. Effectus peccati ideo non est in Confessione explicandus, quia non ponitur dependenter ab actu de præsenti libero, unde nec dicitur esse peccatum; secus vero actus externus peccaminosus, & copula in casu nostro. XI. Hinc neque datur obligatio explicandi pollutionem in somno secutam ex causa data graviter culpabili. XII. Multiplicitas numerica objectorum videtur se habere de materiali ad individuationem peccati, & ideo probabiliter ea non est explicanda in Confessione.

XIII. Num in peccato Sodomiæ explicanda sit circumstantia Agentis, vel Patientis?

I. Exponitur. Docuit hanc Thesim Caramuel in Theol. fundamentali, fundam. 25. num. 45., addens id esse cohærenter dicendum ab iis, qui volunt circumstantiam agentis, vel patientis in sodomia posse non explicari, ut videre est apud Dian. p. 11. tr. 1. ref. 11. §. *Nota vero*. Hoc etiam docuerunt nonnulli Recentiores Complutenses apud Luisium Turrianum de Pœnit. q. 9. art. 2. disp. 29.

Fundamentum videtur esse, quia ex Trid. sess. 14. cap. 5. solum numerus peccatorum, & circumstantiæ, quæ speciem peccati mutant, explicandæ sunt in confessione; qui autem habuit copulam cum soluta dicendo, Commisi peccatum grave contra castitatem, neque numerum reticet, neque circumstantiam, quæ mutet speciem peccati; cum copula non reponat peccatum in alia specie distincta a peccato contra castitatem: ergo satisfacit præcepto Confessionis.

II. Confirmatur: quia in sententia satis probabili, quod non sint explicandæ in confessione circumstantiæ notabiliter aggravantes, non debet explicari modus peccati contra castitatem, sed sufficit speciem hujus peccati exponere; atqui quod peccatum cum soluta fiat tactibus, vel osculis, vel copula, spectat tantum ad modum peccati; cum omnia ista peccata sint ejusdem speciei: ergo sufficienter hæc peccata explicantur, dicendo numerum determinatum peccatorum sub ea ratione, quod commissa sint cum soluta contra castitatem: copula enim videtur solum pertinere ad circumstantiam aggravantem; cum non addat novam speciem malitiæ.

III. Huic sententiæ favent Dominicus Soto, Jo: Sanc., & Verric. t. 1. qq. Moral. tr. 4. qu. 1. docentes, sufficienter explicari in confessione pollutionem propriis tactibus causatam, dicendo solum, quod pollutio propriis tactibus sit procurata, & reticendo, quod ea sit secuta: Et quæst. 27. sect. 13. idem Verric. docet, fœminam, quæ tactibus polluta est, sufficienter peccatum subjicere clavibus, accusando solum se de tactibus impudicis, ac reticendo pollutionem. Cujus ratio est, quia pollutio, quæ ad tactus impudicos consequitur, neque est novum numero peccatum, neque addit malitiam specie distinctam a tactibus impudicis, in quibus prævidetur, & intenditur: Siquidem habetur in iis tactibus malitia mollitiei, etiamsi pollutio non sequeretur: cum autem non detur obligatio confitendi nisi numerum, & species peccatorum, non vero modum, & circumstantias superadditas, non videtur dari obligatio explicandi pollutionem, quæ ad tactus impudicos consequitur. Et in casu nostro neque videtur dari obligatio explicandi copulam cum soluta; cum species, & numerus sufficienter explicentur, dicendo commissum esse peccatum grave contra castitatem cum soluta.

IV. Quod videtur confirmari ex doctrina communiter recepta cum Suar., Sanc., Vasq., Layman., Lugo disp. 16. de Pœn. n. 440. contra Sotum, Palaum tom. 1. tract. 2. disp. 1. apud Dicast. disp. 9. de Poen. dub. 1., quod scilicet non sit in Confessione aperiendus effectus a peccato subsecutus: ex. gr. qui venenum propinavit, non tenetur explicare mortem secutam, nisi forte per accidens, quatenus ex homicidio secuto incurritur reservatio, vel excommunicatio, aut si cognoscenda ea sit a Confessario ob irregularitatem, quæ contrahitur, aut ad imponendum onus restitutionis. Sicut autem non est aperienda mors, quæ ad propinationem veneni consequitur, ita nec pollutio, quæ consequitur ad tactus impudicos, cum non sit novum peccatum, atque adeo neque est explicanda copula, quæ non differt specie a tactibus impudicis cum eadem soluta.

V. Ostenditur falsitas. Quamvis juxta probabilem sententiam non teneamur in confessione aperire circumstantias peccati aggravantes, sed solum numerum, & circumstantias speciem mutantes: nihilominus ita numerum peccatorum tenemur explicare, ut unumquodque explicandum sit secundum individuationem suam, si ea individuatio speciali modo participet malitiam specificam peccati: ex. gr. licet non teneamur aperire, num peccatum commissum contra castitatem diu duraverit, num fuerit intentensum; nec explicandum sit, num copula v. g. hoc, vel illo situ fuerit commissa, eo quod hæc spectent ad circumstantias, non ad substantiam actus, explicanda tamen est diversitas actuum, qui diversimode speciem peccati participant; atque adeo explicandum est, num peccatum patratum cum soluta contra castitatem fuerit merus tactus, an fuerit copula; cum hujusmodi duo actus in æstimatione morali diversimode contrahant eandem speciem luxuriæ, & non se habeant, sicut tactus impudicus manus dexteræ, vel manus sinistræ fœminæ solutæ, in quibus in æstimatione morali diversitas ista se habet tantum de materiali: ergo qui copulam habuit cum soluta, non sufficienter illam explicat in Confessione dicendo, Commisi peccatum grave contra castitatem cum soluta; quamvis enim & numerum, & speciem peccati aperiret, at non aperiret individuationem actus, prout debet explicari. Antecedens liquido constat ex praxi Ecclesiæ, ex usu Fidelium, & ex consensu unanimi Doctorum; ex quibus omnibus innotescit a posteriori, hanc fuisse Christi Domini institutionem.

VI. Confirmatur: quia aliter sequeretur, quod qui se exposuit periculo peccandi, v. g. fornicandi, & simul fornicaretur, satis superque peccatum in confessione explicaret dicendo, Exposui me periculo fornicandi; eo quod ipsa fornicatio, quæ consequitur, nec sit novum numero, nec novum specie peccatum, sed solum sit ejusdem numero peccati complementum, spectans ad hanc peccati individuationem: hoc tamen nemo dixerit; quamvis enim hic sufficienter explicet utrumque dicendo, Fornicatus sum, quia implicite tunc dicitur, quod se exposuerit periculo hujus peccati ut solet evenire; at non sufficienter explicaret utrumque dicendo, quod se exposuerit periculo fornicandi, cum non soleat fornicatio semper consequi ad periculum fornicandi. Præterquamquod quamvis in eadem specie peccati sit fornicatio, & periculum fornicandi, eo quod ab eadem virtute castitatis utrumque prohibeatur; at non eodem modo malitiam hanc specificam participat in morali æstimatione actus, quo quis se exponit periculo, & actus, quo quis vult fornicari; & idcirco hæc diversa individuatio est in Confessione aperienda; ergo pariter in casu nostro explicanda est copula cum soluta; eo quod hæc specialis individuatio peccati specialem malitiam contrahat in morali æstimatione diversam ab ea, quam contrahunt tactus, & oscula cum eadem soluta: Sicut in linea physica ex. gr. individuatio Catelli, & individuatio Molossi diversimode contrahunt speciem animalis latrabilis.

VII. Confirmatur secundo: quia in omnium sententia explicandus est in Confessione præter actum internum etiam externus; neque enim sufficit dicere, Volui furari, si de facto furtum secutum est; & tamen actus externus neque est novum numero peccatum, neque mutat peccati speciem, neque spectat ad circumstantias aggravantes peccati, sed spectat dumtaxat ad individuationem, quæ diverso modo participat malitiam peccati, ac merus actus internus: ergo quamvis ex Trident. solum explicari debeat in Confessione numerus, & species peccatorum, & probabiliter non sint explicandæ circumstantiæ aggravantes, adhuc verum est, quod individuatio peccati speciali modo participans malitiam peccati specificam aperienda sit in Confessione; atque adeo non sufficit in casu nostro dicere, Commisi peccatum grave cum soluta contra castitatem, non explicando copulam habitam.

VIII. Hinc sequitur, quod licet copula incepta, & copula completa sint in eadem specie peccati, quia tamen diversimode ejus malitiam participat copula completa, idcirco individuatio horum peccatorum est explicanda. Verum quidem est, quod explicans copulam sufficienter explicet completam, quia antonomastice sumitur pro completa; at si quis desisteret ab illa incepta, id esset explicandum ob diversam individuationem peccati: ad eum modum, quo qui solum se exponit periculo peccandi, & non peccat, debet id explicare ob diversam peccati individuationem. Similiter si quis tangendo solutam se polluat, id debet explicare; quin sufficiat explicare tactus impudicos, ut docent communissime: & qui pollutionem propriis tactibus causavit, non explicat sufficienter individuum peccati dicendo, se procurasse pollutionem, & non exprimendo, quod ea secuta sit; Sicut enim actus externus est explicandus, quin sufficiat explicare internum; ita explicanda est pollutio secuta, quin sufficiat dicere, quod ea sit procurata: propterea opposita sententia Verricelli loc. cit. rejicienda omnino est tanquam falsa & improbabilis, & communi sensui, ac praxi Ecclesiæ contraria, atque adeo etiam institutioni Christi Dom.

IX. Ratio autem, cur congruenter ita Christus Dom. instituerit, ut etiam peccati individuatio explicari debeat, si specialiter malitiam specificam participet, est illa eadem, ob quam Christus Dom. congruenter voluit in confessione explicari, præter actum internum, etiam externum, quamvis hic non superaddat novum peccatum interno; quia scilicet notabiliter variari solet ratio peccati, & status peccatoris, atque adeo judicium Confessarii in utroque casu: Sicut enim actus externus fere semper conjungitur cum actu interno intensiore, diuturniore, & efficaciore, ac sæpe trahit novam peccati speciem, nempe scandalum aliorum, redditque hominem ad recidendum in idem peccatum procliviorem, eo quod ipsa peccati experientia externa horrorem pec-

cati

cati minuit, & audaciam parit ad sæpius peccandum; sæpe etiam reddit hominem obnoxium restitutioni, ut in furto, & homicidio; sæpe pariter ex illo contrahitur reservatio, censura, irregularitas, & alia hujusmodi, de quibus sæpe debet Confessarius pœnitentem instruere; & ideo cognitio actus externi est necessaria in foro Sacramentali, quod ad animarum medelam institutum est, ut possit Confessarius rectum judicium ferre: Ita in casu nostro explicari debuit copula, quin sufficiat dicere, commissum esse peccatum contra castitatem cum soluta; quia sæpe instruendus est Pœnitens, quod per illam contrahatur affinitas, quæ matrimonium impedit cum aliquibus personis, & peccatum venereum cum illis reponit in specie incestus; sæpe etiam in conjugato trahit impedimentum ad petendum debitum ab uxore, si scil. illa soluta sit uxoris consanguinea in gradibus a Tridentino assignatis, vid. in primo, aut secundo gradu: oportet etiam ut Confessarius cognoscat, num peccatum cum soluta fuerit copula, an solum oscula, vel amplexus, quia ista sæpe conjunguntur cum periculo conspurcationis extra vas, unde supervenit peccato circumstantia speciem mutans; pariter sæpe datur reservatio peccati consummati in specie luxuriæ, quæ non se extendit ad alia peccata venerea: ergo pariter congruum fuit a Christo Dom. institui Sacramentum, ut detur obligatio aperiendi individuationem istam peccati, a qua sæpe judicium Confessarii solet variari.

X. Ad rationes in contrarium satisfecimus abunde ostendendo, quod licet non detur obligatio aperiendi in Confessione circumstantias actum aggravantes, debeat tamen peccatorum numerus ita explicari, ut exprimenda sit peccati individuatio, quæ speciali modo malitiam specificam contrahit, ut in casu nostro copula, quæ licet sit modus actus, est tamen modus specialis non pertinens ad circumstantias aggravantes, sed ad specialem individuationem, atque adeo ad substantiam actus, & ideo in confessione est aperiendus. Opiniones vero supra relatæ, quæ huic thesi confixæ favent, ex dictis sunt omnino rejiciendæ.

Ad id, quod additur de effectu ex peccatis secuto: probabile quidem est, illum non esse in Confessione explicandum; Id enim interest inter actum externum, puta propinationem veneni, & effectum peccati, nempe mortem ab eo veneno causatam, ut notat Lugo disp. 16. de Pœn. nu. 449., quod actus externus sit actualiter, & absolute liber, quamvis per denominationem extrinsecam ab actu interno libero, & ideo est formaliter peccatum, ac proinde explicandus in Confessione: ex Augustino enim peccatum definitur, *Dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei*, atque adeo definitio peccati cadit etiam supra actum externum, quamvis non addat novam malitiam supra internum: contra vero effectus peccati, licet olim fuerit liber in sua causa, quatenus libere posita fuit causa pariens hic, & nunc talem effectum; hujusmodi tamen effectus nunc non est actu liber, atque adeo nec peccatum; unde non est in confessione explicandus, cum ex Tridentino nonnisi peccata in confessione aperienda sint quoad numerum, & speciem. Hinc si quis in ebrietate daret culpabiliter causam homicidio, aut pollutioni, juxta hanc probabilem sententiam Vasquii, Layman., Bonac. contra Tanner., & alios apud Dian. p. 1. tract. 7. ref. 67. non tenetur explicare homicidium deinde secutum, aut pollutionem, nisi forte per accidens ad decernendum de irregularitate, de excommunicatione, de onere restitutionis, &c. sed sufficit dicere, se in ebrietate dedisse causam proximam homicidio, vel pollutioni. Et ratio est, quia, ut notat Martinus Perez disp. 26. de Pœnit. sect. 5., & Dicastil. tract. 5. d. 9. d. 1. ad hoc, ut aliquod opus sit peccatum, non satis est libere datam esse illi causam, sed requiritur, quod, dum ponitur, sit sub libera potestate operantis; aliter qui propinavit venenum, tandiu peccaret, quandiu venenum operatur ad mortem causandam; ac proinde si statim post propinationem veneni contereretur, justificaretur simul ratione contritionis, & simul actu peccaret, eo quod tunc venenum ad mortem causandam operaretur; quo quid absurdius? Immo multi probabiliter docent apud Dian. p. 8. tract. 7. ref. 85., quod, si imposita sit excommunicatio, aut reservatio peccato homicidii, & Titius post propinatum venenum statim confiteatur Confessario non habenti facultatem in reservata, & deinde sequatur mors, non teneatur iterum Titius confiteri Superiori, qui possit illum ab eo peccato, & ab excommunicatione absolvere; eo quod mors secuta, cum non sit peccatum, nequit efficere, quod Titius a culpis rite, ac directe absolutus ratione illius excommunicatione, aut reservatione innodetur. Et nonnulli etiam addunt apud eundem Dianam, quod si Titius post propinatum venenum solum conteratur, excommunicationem deinde, aut reservationem non contrahat, cum hæc non incurrantur nisi ob culpam; cum autem culpa veneni propinati per contritionem sit remissa, antequam mors sequatur, non poterit deinde excommunicatio, aut reservatio incurri ob mortem, quæ sequitur; quippe quæ nullatenus est peccatum. Addit ulterius Aversa, & Bordonus, quod si Titius post propinatum venenum solum atteratur, non incurrat deinde excommunicationem, aut reservationem, quando sequitur mors; quia quamvis culpa per attritionem non sit remissa, nihilominus est sufficienter retractata, adeo ut non faciat unum moraliter cum morte, quæ sequitur, unde non subit reservationem, aut excommunicationem: incurritur tamen irregularitas ex Hurtado, quia ad hanc incurrendam non requiritur contumacia.

XI. Ex quibus patet disparitas, quare copula, & conspurcatio inde secuta innotescere debeat Confessario, non tamen conspurcatio in somnis habita ex causa graviter culpabili illi data. Etenim ista conspurcatio, quæ habetur a dormiente, non est peccatum, sed effectus peccati, cum non sit tunc sub libera potestate dormientis: contra vero copula, & conspurcatio, quæ tunc sequitur, sunt peccatum, nempe factum aliquod contra legem Dei, quamvis solum habeant denominationem liberi ab actu interno, a quo tunc causantur, & ideo non sint novum peccatum distinctum a peccato interno, nec superaddant illi novum demeritum.

XII. Opponitur adversus dicta, quod si esset explicanda individuatio peccati speciali modo contrahens ejus malitiam specificam, sequeretur, quod qui uno actu vult v. gr. decem homines occidere, vel decem fornicationes committere, aut si quis uno ictu decem occidat, vel eadem detractione decem homines infamet, debeat numerum istorum objectorum in Confessione explicare. Sequela autem quam-

quamvis admittatur a Vasq., Gran., Henr., Oviedo, & aliis apud Dian. p. 9. tract. 9. res. 55. putantibus, quod sicut habens votum castitatis, si fornicetur, eodem actu physico contrahit duas malitias morales specie diversas, luxuriæ, & sacrilegii explicandas in Confessione; ita qui eodem actu physico vult decem occidere, contrahat decem malitias morales homicidii numero distinctas in Confessione explicandas: Ea tamen sequela probabiliter negatur a Lugo disp. 16. de Pœnit. num. 135. Leand. Tamb. in Meth. Conf. lib. 2. cap. 1. num. 59. Et Lugo putat hoc idem supponi a Suar. dum disp. 22. de Pœnit. sect. 5. negat multiplicari numerice malitias in eodem actu a multiplicatione objectorum. Præscindendo tamen ab hac quæstione speculativa, & transmittendo, quod in eodem actu non possit haberi multiplex numerica moralis malitia, adhuc tamen individuatio peccati, quo quis vult occidere decem, videtur diversimode contrahere malitiam homicidii, ac individuatio peccati, quo quis vult occidere unum tantum hominem; ergo si individuatio peccati explicanda est in Confessione, non sufficiet dicere, Volui occidere plures, sed debebit explicari numerus objectorum dicendo, Volui occidere decem, vel occidi decem uno ictu tormenti bellici: sicut in communiori sententia, si conjugatus cognoscat conjugatam, non satis est dicere, Commisi adulterium, sed explicari debet utrumque conjugium.

Respondeo, ex falsitate propositionis damnatæ, & ex rationibus adductis ad probandum quod debeat explicari in Confessione individuum peccati participans speciali modo specificam peccati malitiam, non inferri, quod sententia ista Lugonis, & aliorum careat sua probabilitate. Nam probabile est, quod malitia homicidii non contrahatur diversa ratione ab actu, quo quis vult occidere duos homines, ac ab actu, quo quis vult occidere centum; ut proinde sufficienter utrumque peccatum explicetur dicendo, Semel volui occidere plures: contra vero, ut ostendimus, malitia luxuriæ diversimode contrahitur a tactibus, & a copula; unde non sufficiet dicere, Commisi peccatum cum soluta contra castitatem. Ratio cur in primo casu non contrahatur diversimode malitia homicidii, ab iis actibus, est illa eadem, ob quam Suar. loc. cit. putat, in peccato respiciente plura objecta non contineri moraliter plures malitias numero distinctas, etiamsi in eodem actu opposito diversis virtutibus moraliter contineantur plures malitiæ specie diversæ. Quando enim peccatum respicit plura objecta, totam malitiam speciei participat, & in morali æstimatione est materialiter tantum diversum ab eo, quod respicit pauciora objecta: Sicut enim peccatum, quod opponitur pluribus præceptis eandem materiam prohibentibus ex motivo ejusdem virtutis, tunc est materialiter tantum diversum ab eo, quod opponitur eidem præcepto; & ideo diximus, violationem jejunii die pervigilii incidentis in quatuor Tempora esse materialiter diversam a violatione jejunii die pervigilii extra quatuor Tempora: ita in casu nostro peccatum, quod respicit plura objecta, materialiter differt ab eo, quod respicit unum tantum, ac proinde non est diversum moraliter peccatum, quo quis vult decem homines occidere, ab eo, quo quis vult unum tantum occidere: Unde probabiliter satisfit præcepto Confessionis dicendo. Volui plures occidere, non explicando determinate eorum numerum. Verum non satisfiet dicendo, Commisi homicidium, quia, ut notant DD. per hæc verba significari solet occisio unius tantum hominis, unde non manifestaretur individuum peccati commissum, sed aliud; manifestaretur enim actus terminatus ad unum tantum objectum, cum tamen peccatum commissum ad plura se extenderit.

Paritas de conjugato peccante cum conjugata non est ad rem: non enim ideo explicandum est utrumque conjugium, quia per illud peccatum læditur jus utriusque conjugis, sed quia læditur diversimode; lædit quippe peccans jus propriæ conjugis, quia contra fidem illi datam peccat, & lædit jus conjugis Bertæ, cum qua peccat, non quia fidem illi datam violat, sed quia cooperatur cum peccato Bertæ violantis fidem datam conjugi suo; Idemque dicas, si habens votum castitatis peccet cum habente idem votum, in quo casu votum utriusque debet explicari. At quando quis eodem actu occidit plures, vel furatur a pluribus, tunc eodem modo violat jus utriusque; non secus ac quando quis transgreditur plura præcepta eandem materiam prohibentia ex motivo ejusdem virtutis, tunc eodem modo læditur jus jurisdictionis utriusque legislatoris; & ideo sicut de materiali se habet pluralitas præceptorum, ac Superiorum, ita de materiali se habet pluralitas illa objectorum, atque adeo non vacat sua probabilitate opinio negans, hujusmodi objecta debere determinate explicari: (nisi forte illa objecta essent diversæ rationis, ut si quis uno actu vellet occidere Patrem suum, & alium Sacerdotem, nam tunc explicandum esset Parricidium, & Sacrilegium). Hoc etiam patet a posteriori, quia quando quis eodem actu detrahit multis, aut coram multis, scandalizando illos, non solet explicari, nec a Confessario interrogari numerus iste determinatus: ergo ex praxi ista Ecclesiæ videtur colligi, quod *respectus* ad plures Personas se habeat de materiali; atque adeo non datur hujusmodi obligatio explicandi hunc numerum objectorum, quæ certe multis scrupulis, & ansietatibus esset obnoxia.

XIII. Quod tamen attinet ad celebrem quæstionem, Num in peccato sodomiæ explicanda sit circumstantia Agentis, vel Patientis? Negat Diana p. 11. tract. 1. res. 11. laudans pro hac sententia septendecim DD., nititurque eo motivo, quod agens, & patiens in peccato sodomiæ concurrant ad idem scelus, & ad eandem pollutionem, & copulam per modum unius causæ: quare sicut eadem est species homicidii tam in eo, qui lethaliter vulnerat, quam in eo, qui tenet vulneratum ne fugiat, eo quod ambo ad idem homicidium concurrant per modum unius causæ, & eadem est species fornicationis tam in viro, quam in fœmina, quia ambo pariter ad eandem fornicationem concurrunt; unde sufficienter in utroque casu explicatur peccatum ab utroque dicendo, Commisi homicidium, vel fornicatus sum: ita eadem videtur esse species sodomiæ in Agente, ac Patiente concurrentibus per modum unius causæ ad idem nefandum scelus; atque adeo uterque pariter peccatum sufficienter explicat dicendo, Peccavi sodomitice.

Communius tamen DD. cum Lugo, Sanch. Dicastillo disp. 9. num. 465. docent, hujusmodi circumstantiam esse explicandam, eo quod in æstimatione morali diversimode contrahat malitiam specificam peccati sodomitici peccatum agentis, utpote se polluentis,

luentis, quam peccatum patientis: Contra vero non participat diversimode malitiam homicidii, qui vulnerat, ac qui tenet vulneratum, aut malitiam fornicationis vir, ac mulier, cum uterque se polluat: atque adeo quamvis in his casibus non sit explicanda circumstantia ista, aut peccati individuatio; explicanda tamen videtur in sodomia circunstantia Agentis, vel Patientis, eo quod ferat individuationem peccati speciali modo contrahentem malitiam specificam sodomiæ, ut proinde hujusmodi circumstantia ad substantiam actus spectet; non secus ac actus externus superadditus peccato interno fert peccati individuationem specialiter contrahentem specificam malitiam peccati, ut propterea spectet ad substantiam peccati, non ad circumstantiam aggravantem.

Hac de causa communiter docent cum Lugo apud eundem Dicastillo num. 270. contra Dian. loco nuper laudato, quod in peccato adulteri explicandum sit, num conjugatus peccaverit cum libera, an liber cum conjugata; & similiter in peccato sacrilegii ob violationem voti num habens votum v. gr. castitatis peccaverit cum non habente votum, an vero non habens votum peccaverit cum habente hujusmodi votum; siquidem malitia specifica adulterii, & sacrilegii in iis casibus ab individuatione illorum peccatorum contrahitur diversimode, ita ut in morali æstimatione longe diversa sit malitia conjugati frangentis fidem suæ conjugi a malitia liberi cooperantis cum conjugata ad frangendam fidem, quam illa suo conjugi debet; necnon malitia violantis suum votum castitatis, quam malitia illius, qui cum habente votum castitatis cooperatur ad violationem talis voti: quare hujusmodi peccatorum individuationes sub eadem peccati specie in Confessione aperiendæ sunt. Ubi advertendum, nonnullos apud Dicastil. loc. cit. velle, quod hujusmodi violationes peccatorum notabiliter diversæ spectent ad diversam peccati speciem, non vero ad eandem diversimode; eo modo, quo in physicis individuatio hujus catelli ab individuatione hujus Molossi dicitur a quibusdam ad diversam speciem animalis pertinere, non vero ad eandem cum notabili diversitate; quod tamen in re præsenti videtur solum esse lis de voce.

PROPOSITIO XXVI.

Quando litigantes habent pro se opiniones æque probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.

SYNOPSIS.

Consule, quæ hac de re habentur in expositione Propositionis 22.

IN expositione Propositionis 22. abunde habentur, quæ ad hanc thesim spectant.

PROPOSITIO XXVII.

Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni; debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem.

SYNOPSIS.

I. *Ad opinionis probabilitatem videtur sufficere, quod ea sit alicujus Neoterici, & non sit confixa a Sede Apostolica.*

II. *Sic potest quilibet acquiescere opinioni sui Magistri, qui pius sit, & doctus; necnon rusticus opinioni Parochi.*

III. *Verum ut opinio sit probabilis ab extrinseco, niti debet Auctoritate gravis momenti; qualis sæpe non est Auctoritas Junioris, imo & plurium Summistarum, quippe qui passim hallucinantur.*

IV. *Passim etiam Librorum Censores approbant ex oscitantia Codices reprehendendos.*

V. *Tunc discipulus potest acquiescere opinioni sui Magistri, & rusticus Parochi, quando invincibiliter ignorant, illorum sententiam esse singularem.*

VI. *Ut opinio singularis sit solidæ probabilitatis, plura requiruntur.*

VII. *In dubiis licitum est consulere plures pios, ac doctos ad reperiendum aliquem, qui faveat libertati.*

VIII. *Quanta debeat esse auctoritas extrinseca unius partis præ alia, ut hæc non deturbetur a solida probabilitate?*

IX. *Non sufficit sola probabilitas speculativa ad prudenter operandum; sed requiritur etiam practica.*

X. *Leges, quæ fundantur in præsumptione periculi, non cessant obligare, si non cesset universim periculum, quamvis cesset in aliquo particulari malum, quod timetur.*

I. EXponitur. Cum opinio possit esse probabilis, tum ab intrinseco ob rationem gravis momenti, quæ valeat inducere assensum prudentem, tum ab extrinseco ob auctoritatem Doctorum magni ponderis, docuerunt nonnulli ad extrinsecam opinionis probabilitatem sufficere meram auctoritatem alicujus Auctoris junioris, & moderni, dummodo ea non sit confixa mucrone Apostolico. Pro qua sententia plures DD. adducit Verricelli t. 2. q. 5. Et quamvis plerique ex his solum doceant cum Sanch. l. 1. c. 9. Vasq. Azor. Valen., id verum esse, quando Auctor est valde doctus, ac pius, quin rem accurate discusserit, qui non sit novitatis sectator, qui sit valde peritus tum juris naturalis, tum positivi, qui non passim hallucinetur, &c. nihilominus non pauci cum Mag. Acacio de Velasco Episc. Oriolensi res. 316., Sylv., & aliis putarunt hoc tantum sufficere, quod opinio in aliquo Juniore reperiatur, nec sit proscripta. Non censent sufficere, quod sit Auctoris Antiqui, quia potest talis opinio esse vel antiquata, vel aliquo Apostolico decreto, quod ignoretur, rejecta; solum putant sufficere, quod sit Auctoris Moderni; quia præcise per hoc, quod ea non rejiciatur a Sede Apostolica, ad quam spectat noxias opiniones convellere, & quod Censores libri a Neoterico editi nullam opinioni in eo contentæ censuram inusserunt, videtur illa ha-

bere sufficiens auctoritatis pondus ad extrinsecam probabilitatem requisitum.

II. Et ratio videtur esse, quia ex doctrina D. Thom. quodlib. 3. art. 10. potest unusquisque acquiescere opinioni sui Magistri, pii vid. ac docti: ergo a fortiori videtur posse quilibet acquiescere opinioni alicujus junioris, quæ a Censoribus debuisset non tolerari, antequam typis daretur, & cui Ecclesia debuisset suam notam inurere, si careret sufficienti probabilitate.

Confirmatur: quia indoctis sufficiens est auctoritas Parochi, ut licite operentur; ergo a fortiori sufficiens poterit esse alicujus Doctoris auctoritas, qui suam opinionem vulgavit, quin ea passa sit proscriptionem.

Ex quibus nonnulli intulerunt, quod quamvis hujusmodi opinio esset contra torrentem Doctorum, & quamvis existimaretur falsa, spectatis principiis intrinsecis, adhuc posset censeri probabilis, & practice vera; quia scilicet potest quilibet tanquam indoctus se gerere, & judicio illius Auctoris proprium judicium submittere: Quod docuit Verricelli loc. cit., ubi habet: *Puto, posse me operari secundum opinionem unius gravis Recentioris contra communem, & contra propriam opinionem, quamvis judicem illam esse falsam ex principiis intrinsecis.*

III. Ostenditur falsitas: Ut opinio aliqua sit probabilis, debet niti motivo gravis momenti, a quo intellectus experiatur se inclinari ad assensum; non secus ac onus tunc dicitur grave, quando quis experitur se ab illo valde premi: propterea non solum debet motivum esse grave secundum se, sed etiam comparative ad motiva retrahentia; qua de causa rationes hæreticorum, quæ magnam speciem præseferunt, non possunt prudentem assensum inducere, eo quod a validissimis rationibus in contrarium Catholicorum enerventur: neque poterit ulla propositio dici probabilis, utut validis rationibus fulciri videatur, si adversus illam stet aliqua definitio Ecclesiæ, aut evidentia sensuum, aut absurdum manifestum, aut communis consensus Doctorum, qui moraliter nos certificent de sententia opposita: tunc enim rationes illæ in speciem validæ dicendæ sunt umbratiles, & ad paralogizandum, non ad concludendum deservire: ergo ut opinio aliqua ob solam auctoritatem extrinsecam dici possit probabilis, debet pondus auctoritatis esse grave tum secundum se, tum etiam comparative ad auctoritates, quæ stant pro sententia opposita: atqui opinio unius Moderni, & sæpe etiam plurium Summistarum potius, & Collectorum, quam Auctorum, secundum se non est magni ponderis, & comparative ad communem Doctorum auctoritatem in oppositum nullius est ponderis: ergo non potest opinionem reddere probabilem, etiamsi non sit rejecta a Sede Apostolica. Minor probatur, quia, experientia teste, Auctores moderni non raro hallucinantur; sicut etiam Antiqui non semel hallucinati sunt; etenim pene omnes proscriptæ propositiones, antequam a Pontifice damnarentur, auctoritate non unius duntaxat aut ex Modernis, aut ex Antiquis fulciebantur, & tamen communiter Doctores etiam ante condemnationem Pontificiam damnabant illas, ut improbabiles, & falsas. Sic Corduba l. 1. q. 22. dub. 11. docuit, delectationem morosam non esse mortale, quod tamen in Indice expurgatorio anno 1652. a Sacro Fidei Tribunali Hispaniæ damnatum fuit: Angelus, Rosella, Turrecremata putarunt, quod præceptum jejunandi, ac audiendi Missam die festo non obliget sub mortali; idemque dicas de sexcentis aliis ejusdem furfuris, quæ a communissima Doctorum sententia abhorrent: ergo auctoritas unius, & sæpe plurium Modernorum non potest de se esse tanti ponderis, ut valeat inducere prudentem assensum, & reddere opinionem probabilem, etiamsi, antequam liber edatur, sub oculos Censorum cadat, & ab Ecclesia non interdicatur. Et ratio a priori est, quia in rebus moralibus facile est homines decipi, cum multa falsa interdum sint verisimiliora veris; quod præsertim verum habet, quando Auctores aut ad novitates, aut ad laxitates propendent, ut idcirco in paræmiam venerit illud. *Nulla fatuitas sine Patrono, Nulla fœditas sine Amatore.*

IV. Neque obstat, quod libri, antequam in lucem prodeant, sub oculos Censorum cadant. Sæpe enim librorum Censores ex oscitantia, aut ex conniventia approbant Codices reprobandos: sæpe etiam non pollent ea perspicacia, quæ valeat opinionum laxitates taxare, & pondus rationum, juxta meritum librare. Ecclesia deinde non configit opiniones laxas statim ac prodeunt, tum quia non statim ad ejus Tribunal deferuntur, tum etiam quia ad id opus est maturo examine, ut proinde pede claudo descendat ad condemnationes, cum sæpe opiniones verbis implexis virus evomant; propterea Innoc. XI. & Alex. VIII. in suis decretis monent, non censendas esse approbatas alias propositiones ibi non expressas, etiamsi Sedi Apostolicæ exhibitæ sint, ut damnentur.

V. Ad id, quod dicitur ex Angelico; verum est posse unumquemque præsertim indoctum sui Præceptoris pii, ac docti sententiam sequi, necnon rusticos posse acquiescere auctoritati Parochi. Hoc tamen tunc est verum, ut notat Vasq. d. 62. c. 2. quando discipulus, & illiteratus invincibiliter ignorant sententiam illam, quam Præceptor, aut Parochus docent, singularem esse, & contra communem Doctorum: aliter in Oppidis, ubi unus est Parochus, nemo posset ejus consiliis acquiescere, sed deberet quilibet peregrinari ad veritatem indagandam. Unde August. lib. de quant. animæ cap. 7. habet: *Auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor; imperitiores homines, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibus rationum facile decipiuntur; his ergo utilissimum est excellentissimæ auctoritati credere.* Quando tamen quis advertit, opinionem aliquam esse singularem, & adversus illam plurimos sentire, tenetur profecto aut momenta rationum perpendere, si sufficienti doctrina polleat, aut auctoritatem extrinsecam sufficientem expectare, ut possit juxta eam opinionem operari; auctoritas enim unius Præceptoris, aut Parochi valde tenuis est comparative ad aliorum aliter communiter sentientium auctoritatem, ut idem Verricelli docet loc. cit. cum Lorch, Azor., & aliis. Et sane sicut quilibet doctus, & probus potest suam sequi opinionem, solum quando invincibiliter ignorat illam non esse singularem; quando tamen advertit esse contra communem Doctorum, tenetur suspicari, ne hallucinetur, & ulterius veritatem inquirere; ita quilibet illiteratus potest opinionem Viri docti, ac probi sequi, sive is sit Præceptor, sive Parochus, sive Auctor Neotericus, quando invincibiliter ignorat eam opinionem esse singularem, aliter illi acquiescere non potest: Sicut nec po-

potest acquiescere opinioni plurium, quorum doctrina, ac prudentia non magni fiat, quoties multitudo DD. primæ notæ militet ex adverso.

VI. In eo dumtaxat casu admitti potest ut probabilis non solum plurium, sed etiam unius Auctoris opinio, etiamsi adversus communem aliorum sentiat, (*a*) quoties Auctor est omni exceptione major; cum enim Auctores relate ad imperitos, qui non valent momenta rationum perpendere, sint veluti testes veritatis, sicut unus testis potest esse aliquando sufficiens ad aliquid suadendum, quando est omni exceptione major, adeo ut ejus auctoritas pluris fiat, quam multorum tenuis auctoritatis, ac dubiæ fidei in oppositum; ita poterit unus Auctor omni exceptione major reddere opinionem aliquam probabilem, etiamsi adversus illam plures tenujoris auctoritatis sentiant. Is autem dicitur Auctor omni exceptione major, qui sit valde peritus tum juris naturalis, tum etiam positivi, qui firmis, ac validis rationibus consueverit conclusiones suas fundare, qui veritatis potius, quam novitatis censeatur amator, ac demum qui aliorum fundamenta plene discusserit, & dejecerit; adeo ut prudenter credi possit alios etiam doctissimos eidem opinioni subscripturos: Ita contingit in opinionibus, quas D. Thomas primus omnium adversus communem Antiquorum docuit, quod optime advertit M. Gallego de Consc. Probabili dub. 21. dicens: *Noster Angelicus Doctor multa scripsit, & docuit contra alios, qui ante ipsum scripserunt; & tamen ejus opiniones statim ac ab ipso traditæ sunt, existimatæ sunt probabiles, tum propter maximam ejus auctoritatem apud Theologos; tum quia non levibus, sed rationabilibus fundamentis ductus est ad sic opinandum.*

(*a*) „ Ita hunc Vivæ locum reddit P. Concina „ T. 1. *hist. Probab. p.* 195., idest turpiter obtrun„ cat; tum in illum inclementer æque ac calumniose „ debacchatur. Sed consule Cl. Lecchium in opere „ prænotato. *Avvertenze contrapposte alla Storia* „ *del Probabilismo pagg.* 107. *seqq.* „

VII. Hinc fit, posse aliquem consulere plures Viros doctos, donec inveniat aliquem qui ab obligatione v. gr. restituendi, vel jejunandi illum excuset; ut docet Sanch. l. 1. c. 9. Palaus, Zumel, & alii non pauci apud Machado t. 1. Disc. pract. a. 7. Ratio est, quia unicuique licitum est suo jure uti, & per licitum, & honestum medium deobligari; quale est varios Doctores consulere ad favorabilem opinionem inveniendam. Id tamen ita præstandum, aut auctoritas Doctoris faventis libertati tanti ponderis sit, quanti debet esse auctoritas unius Auctoris, ut possit reddere opinionem probabilem adversus communem aliorum opinionem; proinde debent voce, aut scripto aliorum auctoritates, rationes, ac fundamenta ei referri, si ignorentur, ut scite refellantur; aliter coram Deo excusatio erit nulla. Ubi advertit Bardi d. 4. de Conscient. cap. 4., quod in rebus ad Theologiam moralem spectantibus non satis sit consulere Theologum Scholasticum magnæ auctoritatis, si in morali Theologia, ut accidit non raro, sit parum versatus: plurimi enim pollent ingenio, non tamen judicio prudentiali; & ideo in Scholastica eminent, in Morali claudicant. Spectanda etiam est in Doctore, qui consulitur, non secus ac in Auctore, qui evolvitur, Probitas, quippe quæ plurimum conducit ad opinionis, quam docet, probabilitatem.

VIII. Quæri potest hic, quanta debeat esse auctoritas extrinseca unius partis præ altera, ut ab hac non dicatur illa infringi, ac enervari in ordine ad reddendam opinionem probabilem? Respondeo, Caramuelem in Regula S. Benedicti num. *16.* docuisse, sententiam esse improbabilem, quoties pro opposita parte stat plusquam octupla pars auctoritatis extrinsecæ: e. g. si pro sententia A stent quatuor Auctores, & pro opposita sint triginta tres ejusdem nominis, illa non potest dici probabilis: addit tamen, unum Auctorem maximi nominis æquivalere quinque Auctoribus magni nominis. Navar. in Sum. c. 27. n. 89. docet, communiorem, & probabilem esse sententiam, pro qua stant sex Auctores tractantes illam ex professo, quam oppositam, pro qua stant quinquaginta, qui sola priorum auctoritate ducantur. Vasq., Azor., & alii apud Tamb. l. 1. in Decal. c. 3. §. 3. docent, ad probabilitatem extrinsecam non requiri Doctorum multitudinem, sed sufficere unum contra innumeros; dummodo sit doctus, ac pius, & rem tractaverit ex professo, firmamque rationem pro se habeat, nec appareat contra ipsum aliquid convincens: quia ex tali Auctore his dotibus munito merito prudens judicium enascitur. Ex his, aliisque doctrinis hac in re fusissime adductis a Cardenas in Crisi p. 1. d. 11. colligitur, non posse indoctos ferre judicium sanum de probabilitate extrinseca alicujus opinionis, sed requiri doctrinam ad discernendum in multitudine, vel paucitate Doctorum pondus auctoritatis, & pondus rationum. Sic ex. gr. pro necessitate contritionis in Sacramento Pœnitentiæ adducuntur undecim Auctores a Suario de Pœnit. d. 20.; & tamen ea opinio censetur omni probabilitate destituta, præsertim post Tridentinum, & ipse Suar. putat non posse absque errore defendi: contra vero plures opiniones Angelicus, ut supra notavimus, primus invexit, & statim albo probabilium fuerunt adscriptæ.

Hæc tamen regula videtur posse dari, quod si opinio sit unius, aut paucorum non paucis ab hinc annis in lucem edita, & contra illam stet sensus communis, non sit dicenda probabilis; Si enim valide fundaretur, habuisset asseclas, cum autem non habuerit, a posteriori signum est eam solido fundamento destitui: Si vero sit unius Doctoris moderni, aut paucorum, & contra illam stet sensus communis, tunc discutiendum, an omnes illæ circumstantiæ enumeratæ a Vasq., & Azor. concurrant, ut possit dici probabilis.

IX. Ubi etiam advertendum, quod probabilitas ab extrinseca auctoritate opinioni refusa aliquando est solum speculativa, non practica; in quo casu non licet illam in praxim deducere: Sic est speculative probabile, quod ad validitatem sacramenti pœnitentiæ sufficiant illa tantum verba. *Absolvo te*, quin proinde possit illa in praxim deduci: Sicut Medicus potest aliquod pharmacum credere probabiliter allativum sanitatis, quin tamen possit illud adhibere, omisso alio certius curativo: Et Venatori potest esse probabile, quod sit fera ea, quæ movetur in saltu, non homo, non tamen potest jacere sagittam, antequam certificetur: Sic multæ ex confixis thesibus habitæ sunt a DD. speculative probabiles, nullatenus tamen practice; cujusmodi habita est a Suar., Less. Laym., & aliis Propositio 13. ab Innoc. XI. proscripta: *Fas est viro honorato occidere invasorem, qui nititur calumniam inferre, si aliter hæc ignominia vitari nequit*; necnon aliæ, de quibus diximus in expositione Propositionis 17.

Et

Et ratio horum omnium est, quia potest aliquando Propositio aliqua considerari secundum se depurata a circumstantiis, a quibus in praxi impossibile moraliter est, quod depuretur; sicut in casu adducto impossibile moraliter est, quod nequeat alia via vitari ignominia orta a calumnia, quam per occisionem calumniatoris; & idcirco ne aperiatur ostium homicidiis, & vindictis, nunquam licet has opiniones in praxim deducere, etiamsi aliquando quis credat evidens esse, quod alia via non suppetat, ut loco laudato ostendimus. Idemque dicendum de plurimis opinionibus ad simoniam, ad usuram, ad vindictam, ad luxuriam spectantibus, quæ solum speculative a DD. admittuntur ut probabiles, non tamen practice, etiamsi alicui videatur nullum subesse periculum in praxi; tum quia facile homo passione abreptus hallucinatur; tum etiam quia ad vitandum periculum proximum gravis damni debuit a natura, & a rationis dictamine universim prohiberi, quod de se cum hujusmodi periculo conjungitur: Sicut parvitas materiæ in delectatione venerea graviter prohibetur, adeo ut nunquam liceat illam deliberate admittere citra mortale, quia de se est conjuncta cum proximo periculo gravis lapsus.

Neque dicas, leges, quæ in præsumptione fundantur, si constet de carentia ejus, quod præsumitur, non obligare. Nam aliquando leges fundantur non in præsumptione alicujus mali, sed solum in præsumptione periculi proximi alicujus mali imminentis, ut liquet in exemplis adductis. Quando autem leges in præsumptione talis periculi fundantur, quamvis constet evidenter, quod cesset malum in aliquo casu particulari, si tamen nunquam cessat periculum proximum tali mali, nunquam cessant illæ leges obligare, ut communiter docent cum Suar. l. 5. de Leg. c. 7., & alii apud Dian. p. 1. tr. 10. ref. 27. contra nonnullos aliter circa idem ratiocinantes. Sic nunquam cessat lex naturalis prohibens fornicationem, quia ea prohibetur a natura, non solum ne minus apte proles educetur, sed etiam ob periculum proximum ne apte educetur: unde quamvis constet, quod aliquando apte educaretur, quia tamen nunquam cessat hujusmodi proximum periculum, ideo nunquam cessat ea lex obligare. Quare similiter in re nostra ratiocinandum.

PROPOSITIO XXVIII.

Populus non peccat, etiamsi absque ulla causa non recipiat legem a Principe promulgatam.

SYNOPSIS.

I. Hic non exprimitur, num populus legem non acceptans peccet adversus legem, an vero adversus jus, & voluntatem legislatoris. II. Docent plures, legem non acceptatam non obligare. Videtur enim lex ferri sub ea conditione, quod acceptetur.

III. Aliter non esset in bonum communitatis.

IV. Hinc populus videtur transtulisse in Superiorem potestatem ferendi leges nonnisi sub hac conditione.

V. Et Ecclesia sub hac etiam conditione videtur leges condere, ne sua potestate abutatur in destructionem. VI. Sed dicendum in legislatore esse tum potestatem, tum etiam voluntatem obligandi suis legibus independenter a populi acceptatione. VII. Si careret ea potestate, non esset proprie superior. VIII. Et si careret ea voluntate, non posset pœnis cogere populum ad legis executionem. IX. Tunc solum præsumitur quod nolit legislator velle obligare ante acceptationem legis, quando scilicet lex est ardua. X. Hinc ad legis validitatem non requiritur acceptatio.

XI. Lex firmatur moribus utentium, ut loquitur Gratianus, firmitate tamen facti, non juris.

XII. Populus potestatem contulit Regibus condendi leges independenter a suo consensu. XIII. Unde populus legem non acceptans citra ullam causam peccat etiam adversus legem. XIV. Quid tamen dicendum in dubio, an lex sit usu recepta? XV. Transmisso, quod populus non peccaret adversus legem, illam non acceptando, adhuc peccaret adversum jus, & auctoritatem legislatoris.

I. Exponitur. Hac in re distinguenda est duplex quæstio; Altera, an lex independenter a populi acceptatione sit valida, ut proinde populus illam non acceptans ea lege adhuc obligetur? Altera, an etiam dato, quod lex non acceptata sit nulla, adhuc populus peccet illam sine justa causa non acceptando? ita tamen ut non peccet adversus legem, si ea supponatur ante acceptationem non obligare, sed peccet contra jus, & auctoritatem superioris, dum sine causa eximit se ab ejus subjectione, & ab obedientia debita. In hac propositione solum damnatur, quod populus sine justa causa legem non acceptans non peccet; præscinditur autem, num peccet adversus legem, quam non observat, an vero adversus jus, & auctoritatem Superioris? quod hic discutiemus.

II. Docent nonnulli cum Cajet. Valen. Fill. Less. Nav. Sà contra Suar. Vasq. Granad. & alios apud Dian. p. 1. tr. 10. ref. 1. acceptationem, & consensum populi esse essentialiter requisitum ad legis validitatem. Quod probant, quia lex fertur, ac promulgatur sub ea tacita conditione, quod a populo acceptetur; hoc enim præsumitur ex benigna voluntate legislatoris, & hoc habetur in l. *De quibus* ff. de Legibus, ubi dicitur: *Leges nulla alia ex causa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ sunt.* Propterea Gratianus in cap. *In illis* dist. 4. dixit: *Leges instituuntur, dum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Hoc autem non solum procedit in legibus Civilibus, sed etiam, ut notant Azor. & Becanus apud eumdem Dian., in legibus Pontificiis. Cum enim ex Apost. 2. ad Cor. 13. data sit Ecclesiæ a Christo D. potestas legislativa in ædificationem, non in destructionem, præsumendum est nolle Prælatos Ecclesiæ uti sua potestate contra communem populorum consensum, quod esset ea uti in destructionem. Quare quando populus legem non acceptat, seu quando major populi pars sequitur operari, ut prius ante legis promulgationem, tunc Superior censetur nolle eos obligare ad legis observantiam; atque adeo qui eam non observat, non dicitur ejus legis transgressor culpabilis: Ad eum modum, quo quando lex per desuetudinem abrogatur, seu incipit a majori parte populi non observari, Superiore vidente, & non contradicente, tunc cessat obligare, nec peccat amplius illam transgrediens: Propterea Sanch. & Azor. putant, Bullam Cœnæ, ubi non est usu recepta, non obligare.

III. Addit Valentia disp. 7. q. 5. p. 5. legem esse inva-

invalidam, si legislator intendat obligare independenter a populi consensu, & acceptatione, eo quod hujusmodi lex magnam excitaret perturbationem, atque adeo non esset in bonum communitatis: Cum autem lex, quæ non est utilis, & in bonum communitatis, sit invalida, sequitur, quod si velit legislator obligare sua lege populum renitentem, ea lex non sit valida, atque adeo non peccet illam transgrediens: quod putat etiam probabile Bonac. tr. de Leg. d. 1. qu. 1. num. 39. Præterea Granado, & alii contra Vasq. p. 2. d. 156. cap. 5. apud Dian. l. c. & p. 1. tr. 14. ref. 8. docent non peccare eos, qui legem non acceptant, dummodo animo parati sint obedire, & legem recipere ut obligatoriam, si legislator aliter tolerare noluerit; si tamen ex tali non acceptatione legis non sequatur scandalum, aut vilipendium justarum sanctionum.

IV. Denique alii censent universim populum non peccare, etiamsi absque ulla causa nolit legem acceptare. Et videtur ex eo suaderi, quia potuit populus transferre in legislatorem potestatem condendi leges sub ea conditione, quod illæ a communitate acceptentur, ut notat Suar. l. 3. de Leg. c. 19.: ergo præsumendum est, quod ita de facto transtulerit hanc potestatem: tum quia præsumi debet, quod populus voluerit gravari legibus quam minimum fieri possit: tum etiam quia hoc videtur conveniens bono publico: ut propterea hic fuerit usus antiquissimus populi Romani, ut refert Alex. ab Alex. l. 6. Gen. c. 23. Hinc fit, quod populus libere absque ulla causa legem non acceptans nec peccet adversus legislatoris jus, & auctoritatem, quippe qui non habet facultatem condendi leges, in quas populus non consentiat, neque peccet adversus ipsam legem, quippe quæ citra acceptationem non est valida: atque adeo nullatenus peccet.

V. Quamvis autem Superior Ecclesiasticus non habeat potestatem condendi leges a populo, sed a Christo Dom.; præsumendum tamen, quod sub eadem conditione Ecclesiasticas leges ferat; tum quia Ecclesia est Parens benignissima, atque adeo nolens cogere invitos legibus suis; tum etiam quia uteretur potestate legislativa in destructionem, non in ædificationem, si cum magna perturbatione, & scandalo vellet leges suas condere, adeo ut non vergerent in bonum commune.

VI. Ostenditur falsitas ex duobus principiis, ex quibus aperte descendit hujus erroris confutatio. Primum est, in legislatore humano esse potestatem condendi legem, quæ obliget independenter a populi consensu & acceptatione: idque non solum verum est de legislatore Ecclesiastico, qui non a populo, sed a Christo D. potestatem legislativam accepit, sed etiam de Principe Sæculari. Secundum est, in legislatore adesse de facto voluntatem obligandi legibus suis independenter ab acceptatione populi: quamvis si res sit ardua, & a majori parte populi lex non observetur, censeatur solum legislator velle legem abrogare; ut proinde solum post abrogationem citra culpam lex non observetur, in principio tamen non vacet culpa ejus transgressio, etiamsi res præcepta fuisset ardua; & a fortiori si absque ulla causa lex non observetur, & acceptetur.

VII. Prima ex his propositionibus a Lorca apud Dian. l. c. censetur evidens; si enim legislator dependenter tantum a populi consensu posset leges ferre, legislator non esset Superior, nec populus esset subditus; quippe qui voluntate, non necessitate pareret, & haberetur solum quædam conventio, & pactum inter legislatorem, & subditos de lege observanda, unde nullum haberetur obedientiæ vinculum. Præterquamquod major esset potestas in populo, quam in legislatore, eo quod posset populus potestatem legislatoris impedire: saltem valde debilis esset potestas Principis, si non posset obligare populum ad parendum, nisi sub conditione, quod non repugnet. Quomodo autem posset Princeps Reipublicæ incolumitatem servare, si non potest cogere populum ad acceptandam legem aliquam rationabilem, justam, & bono publico convenientem? Negari itaque non potest, inesse legislatori potestatem obligandi populum legibus suis independenter ab ejus acceptatione; Quod a posteriori etiam innotescit, quia is est usus, & consuetudo, ut legem non acceptantes, nec servantes puniantur.

Confirmatur: quia ex cap. *de Liguribus* 23. q. 1. Princeps plenissimam habet vim coercitivam erga subditos independenter a populi voluntate: ergo habet similiter vim legislativam: intantum enim potest Princeps subditos coercere, ac punire, inquantum potest eos obligare; atque adeo eadem independentia requiritur, ut possit leges ferre obligatorias, ac ut possit coercere, seu punire legum transgressores. Et sane nemo dixerit, Superiorem non posse ferre præceptum independenter a voluntate subditi: ergo neque potest sustineri, quod Superior non possit ferre leges obligatorias independenter a consensu populi: Aliter daretur bellum justum ex utraque parte: Princeps enim juste exigeret suarum legum observantiam, & populus juste resisteret, cum legis acceptatio ab ejus arbitrio dependeat. Verum quidem est, ut notat Suar. lib. 3. de Leg. cap. 19. in aliquibus Regnis Regem non posse legem condere, nisi cum consensu Regni in publicis Comitiis, ut dicitur esse in Regno Aragoniæ: at hoc non est requiri acceptationem populi, de qua hic quærimus, ad legis promulgatæ validitatem; sed est consensum Regni simul cum consensu Regis concurrere ad legem condendam, antequam promulgetur; ac proinde in hoc casu legislator non est solus Rex, sed Rex simul cum Regno, eo quod tale pactum intercessit inter populum, & Regem, ut non possent aliter leges condi: At quando de hoc pacto non constat, consuetus modus gubernandi fert, ut in Principem sit translata potestas condendi leges absoluta, & independens a populi consensu. Quare ubicumque Regimen non est Democraticum, populus supremam potestatem legislativam contulit in Principem, sive illa sit una persona, ut in Monarchia, sive sit Concilium Procerum, ut in Aristocratia, sive sit mixtum aliquid ex utroque, ut Rex cum Comitiis Regni, vel Dux cum Senatu in Republica: Potestati autem huic legislativæ populus debet esse subditus, juxta illud ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est*: ergo potestas legislativa debet posse leges ferre independenter a populi consensu, & acceptatione.

VIII. Altera propositio, quod scilicet de facto legislator velit obligare, prout potest, legibus suis independenter a populi acceptatione, & consensu, probatur etiam tum a posteriori, quia Principes de facto cogunt per pœnas ad legis executionem, ut usu ipso constat; tum etiam quia verba legis, quæ promulgatur, sunt absolute præceptiva, & non sub

condi-

conditione, quod populus non repugnet: tum demum quia hoc expedit ad bonum regimen, ut vis obligandi non pendeat a populi arbitrio, sicut vis obligandi in præcepto non debet dependere ab arbitrio ejus, cui præceptum imponitur. Quod etiam constat ex illo dicto Gratiani dist. 4. (esto non habeat Canonis auctoritatem) *Leges instituuntur, dum promulgantur; firmantur, cum moribus utentium approbantur*; Si enim leges instituuntur, cum promulgantur; ergo cum promulgentur ante populi acceptationem, antecedenter ad hanc acceptationem vim habent obligandi; firmantur autem moribus, & usu, non ut incipiant obligare, cum usus ipse ex obligatione nascatur, sed ut stabiliores sint, & non facile per desuetudinem abrogentur.

Constat itaque, quod populus legem non observans, nec acceptans post ejus promulgationem peccet, dummodo lex non sit injusta, & invalida: Quamvis si ejus violatio sit frequens, & in majori parte populi, & legislator id sciat, ac dissimulet, tunc desinat lex obligare: non quia non fuit acceptata, sed quia ex tacito legislatoris consensu censetur revocata, ut docent communissime DD. teste Suario loco laudato. Propterea ex communi sententia Matrimonium clandestinum est validum, ubi Tridentinum non est acceptatum, quia lex Tridentini illud irritantis non obligat amplius, posito quod non fuerit a majori parte populi acceptata; idque ex benigna voluntate Pontificis nolentis insistere, quod ea observetur, ac proinde tacite illam revocantis pro iis locis, in quibus procul dubio peccarunt, qui eam a principio noluerunt acceptare.

IX. Illud tamen advertendum ex eodem Suar. quod si lex sit ardua, & gravis quamvis non injusta, & talis communiter judicetur, tunc probabile sit nolle legislatorem obligare populum ad ejus observantiam ante communem acceptationem; sed solum velle experiri, num possit citra perturbationem executioni mandari, & in tali casu qui eam non observat ante communem acceptationem per Epichejam posset a culpa excusari: Neque hoc erit absque ulla causa legem non acceptare, cum detur sufficiens causa ob ejus arduitatem interpretandi benignam mentem legislatoris. Alii tamen docent, etiam in hoc casu servandam esse, si arduitas sit intra latitudinem justæ legis: juxta illud Ulpiani in l. *Prospexit*, ff. Qui, & a quibus: *Quod quidem perquam durum est, sed ita lex scripta est*; Et ut habet Glossa in cap. *Ex parte* 2. de off. deleg. *Quamvis durum sit Superioris mandatum, obtemperandum est*: Unde consultius erit in hoc casu ad legislatorem recurrere, ut legem moderetur; quod si persistat, servanda lex est, & acceptanda, cum in rigore valida sit, si non est injusta.

X. Ad fundamenta adversariorum respondetur, commentitium esse, quod ex natura sua requiratur ad legis validitatem populi acceptatio; cum ostenderimus posse legislatorem obligare subditos independenter ab illorum consensu: potest itaque lex ferri absolute; ita ut obliget, etiamsi populus nolit ea ligari. Verum quidem est, quod si lex non feratur sub ea conditione, quod populus illam acceptet, possit aliquando sequi perturbatio in communitate: at non per hoc fit, quod materia illa præcepta tunc non respiciat bonum commune, atque adeo quod lex sit invalida, & non obliget. Quinimmo majus malum, & major perturbatio in communitate sequeretur, si posset illa ad arbitrium leges respuere, quam si aliquando cogatur invita ad legis observantiam: Præsertim quia, quando lex est ardua, non solet de facto legislator cum omni rigore ad illam servandam obligare, sed potius vult experiri, quomodo executioni mandari possit; & si viderit populum ob arduitatem illam non observare, tacite illam solet revocare, tolerando communes inobservantias, ratione quarum per desuetudinem abrogatur.

Ex quibus constat, quomodo potestas condendi leges independenter a populi consensu data a Christo D. Ecclesiæ sit in ædificationem, & quomodo esset in destructionem si dependenter a populi consensu leges essent ferendæ. Constat etiam probabile esse, quod si lex sit ardua, tunc ex benignitate legislatoris præsumi possit, non solum quod velit illam tacite revocare, si ea non acceptetur, sed etiam quod feratur sub ea tacita conditione, quod acceptetur, ut proinde probabiliter non peccet, qui per Epichejam credit ad legem nimis arduam etiam a principio non obligari, quousque legislator non insistat ad ejus observantiam: quod præter Suar. docent etiam Salas disp. 18. sect. 4. Bonac. & alii. Si tamen leges sint moderatæ, nulla est ratio asserendi, quod eæ ferantur sub ea tacita conditione, quod acceptentur, ac propterea illæ obligant a principio, peccatque eas non observans, & acceptans: quamvis si culpabiliter non acceptentur a majori parte populi, censeantur tacite revocatæ.

XI. Ad textum illum, ubi dicitur, Nulla alia causa nos teneri legibus, nisi quia judicio populi receptæ sunt; Respondetur legis acceptationem esse in causa, quod lex non censeatur revocata; ac proinde legis acceptatio non est essentialis conditio ad legis validitatem, sed est duntaxat signum, quod ea non sit revocata, & obliget. Præterquamquod probabile est, ut diximus, quod ea non raro a principio non obligarit; nam si non acceptetur, idcirco solet non acceptari, quia est ardua, & quando lex est ardua, probabiliter fertur de facto sub ea conditione, quod populus illam acceptet; ut proinde tunc obliget, quando est acceptata.

Juxta hanc responsionem explicandus est Philosophus 2. Polit., c. 2., ubi dicit, Legem nullam vim habere, ut ei pareatur, nisi ex more, qui non fit, nisi temporis longitudine. Et eodem modo explicandum est dictum illud Gratiani, ubi Archidiaconus dicit, legem firmari moribus utentium, firmitate facti, non juris: quia scilicet prima vis, & obligatio in legibus habentur ab institutione, & promulgatione, ac deinde continuatio, & firmitas habetur a consuetudine. Quod dicitur a Sanch. & Azor. de Bulla Cœnæ, intelligendum est, quod non obliget amplius, postquam non est usu recepta; non vero quod non obligaverit, antequam non acceptaretur, Præterquamquod cum quotannis renovetur, videtur non posse dici, quod per non usum, & acceptationem desinat obligare.

Ad id, quod additur postremo loco, posse scilic. legislatorem condere legem sub ea conditione, quod acceptetur: hoc negari non potest; negandum tamen est, quod ita præsumi debeat universim; cum hoc non expediat ad bonum regimen, ut ostendimus. Quare esto probabile sit sub hac conditione legem ferri, si res præcepta sit ardua; at non quando res præcepta est moderata, & congrua bono subditorum; cum non debeat a populi arbitrio pendere vis legum, sed ab ipso tantum legislatore, cujus est bono publico prospicere.

XII. Ex dictis sequitur primo, de facto populum trans-

tranſtuliſſe Regibus poteſtatem condendi leges independenter a ſuo conſenſu ; non ſecus ac Chriſtus Domin. dedit Prælatis Eccleſiæ hujuſmodi abſolutam poteſtatem. Potuiſſet quidem populus Regi, & Chriſtus Prælatis Eccleſiæ dare poteſtatem condendi leges, quæ vim non haberent obligandi antecedenter ad conſenſum ſubditorum ; ſed tunc legislator non eſſet revera Superior, eo quod lex non obligaret ex ejus voluntate, ſed ex quadam cum ſubditis conventione.

XIII. Sequitur ſecundo, quod populus legem non obſervans, nec acceptans peccet directe adverſus legem ipſam ; quippe quæ ante acceptationem, ut oſtendimus, habet vim obligandi : quoties vero res præcepta eſt ardua, & præſumitur, quod nolit Superior obligare ad legis obſervantiam, antequam acceptetur, tunc poteſt ex Epicheja non acceptari ob ejus arduitatem ; nunquam tamen abſque ulla cauſa licitum eſt legem promulgatam non recipere.

XIV. Sequitur tertio, quid dicendum ad celebrem illam quæſtionem, Utrum quando dubitatur, an lex ſit uſu recepta, præſumi poſſit, quod non ſit acceptata, atque adeo quod citra culpam poſſit violari? Affirmat Azor. apud Dian. p. 1. tr. 10. reſ. 3. necnon Moura, & Paulus in Summa Dian. V. *Lex*; eo quod poſſeſſio videatur ſtare pro libertate, cum lex non poſſideat ante acceptationem. Unde Diana infert, quod cum ab aliquibus dubitetur, an ſit uſu recepta Bulla Clem. VIII. de Largitione munerum; & dubitetur etiam de Bulla Pauli II. contra alienantes bona Eccleſiaſtica, an ſit uſu recepta quoad pœnas in ea contentas ; idcirco qui contra illas operatur, non incurrat eas pœnas. Sed verius negandum cum Sanch. lib. 1. cap. 10. & aliis communius, quia in hoc dubio non ſtat in poſſeſſione libertas, ſed lex, quippe quæ antecedenter ad acceptationem eſt obligatoria : & ad ſummum probabile eſt, quod ſtet in poſſeſſione libertas, (atque adeo quod citra culpam lex violetur in dubio, an ſit acceptata) quando materia præcepta eſt ardua ; quia tunc probabile eſt, quod feratur ſub ea conditione, quod populus illam acceptet, atque adeo ante acceptationem non eſt obligatoria.

XV. Sequitur demum, quod in ſententia Navar. Cordub. Driedon. Covarr. & Juriſtarum communiter apud Suar. l. 3. de Leg. cap. 19. putantium acceptationem populi eſſe de facto requiſitam, ut lex obliget ; non quia non poteſt legislator, præſertim Eccleſiaſticus, independenter a populi acceptatione ſuis legibus obligare, ſed quia de facto leges feruntur ſub hac conditione, quod acceptentur, prout moderatum, ac prudens regimen videtur exigere, ne lex lata in bonum communitatis cedat in ejus perniciem : In hac, inquam, ſententia, valide ab eodem Suario ibid. rejecta, in dubio, an lex eſſet acceptata, & non obligaret, eo quod ſtaret in poſſeſſione libertas ; & qui ſine cauſa legem non acceptaret, non peccaret directe adverſus legem promulgatam, quæ ſupponitur non obligare ex defectu conditionis, nempe acceptationis requiſitæ ſi minus ex natura legis, ſaltem ex mera legislatoris benignitate ; peccaret tamen adverſus auctoritatem legislatoris eo quod iſta non acceptatio legis jam promulgatæ abſque ulla rationabili cauſa eſt quidam contemptus Juriſdictionis, ac derogat ſubjectioni debitæ legislatori : Quod ſi hic poſt non acceptationem urgeret ad legis obſervantiam, tunc antecedenter ad acceptationem lex obligaret, atque adeo directe tunc adverſus legem peccaret illam non acceptans. Quare ſemper verum eſt, quod peccet populus ſine ullá cauſa legem non recipiens a Principe promulgatam.

PROPOSITIO XXIX.

In die Jejunii qui ſæpius modicum quid comedit, etſi notabilem quantitatem in ſine comederit, non frangit jejunium.

SYNOPSIS.

I. Videntur modicæ comeſtiunculæ nunquam frangere jejunium, ſi nunquam detur intentio perveniendi ad notabilem quantitatem.

II. Peccatur quippe ſingulis vicibus venialiter.

III. Sicut ſi ſingulis diebus Quadrageſimæ parum comedatur. IV. Ut ſi eodem die in variis rebus Deo promiſſis omittatur materia levis.

V. Sic Religioſus ſubripiens ſæpe comeſtibilia in modica quantitate non peccat graviter contra Paupertatem. VI. Regula tamen generalis eſt, peccari univerſim graviter, quando parvæ quantitates ita multiplicantur, ut deveniant ad quantitatem notabilem graviter a lege prohibitam.

VII. Quantitas notabilis, ſive ponatur ſimul, ſive per plures actus, eodem modo opponitur fini, & voluntati legislatoris.

VIII. Eſto quantitas, ut dicatur notabilis, major debeat eſſe, ſi ponatur per plures actus, quam ſi ponatur ſimul. IX. Nunquam venialia pertingunt ad mortale, at plures materiæ parvæ perveniunt ad quantitatem notabilem.

X. Diſpar eſt ratio inter comeſtiunculas eodem die, ac diverſis diebus. XI. Necnon inter materias leves adverſus idem votum, & adverſus diverſa.

XII. Quid dicendum de furtulis Religioſorum?

XIII. Plura mendacia levia non pertingunt ad mortale, quia non coaleſcunt in unum.

XIV. Quid dicendum de multiplici communicatione cum excommunicatis?

XV. Aſſignatur regula ad dignoſcendum, quandonam materiæ leges coaleſcere poſſint in materiam notabilem. XVI. Quod per varia furtula ſublatum eſt, ſub gravi reſtituendum, ubi pervenerit ad materiam notabilem. XVII. Quænam interpolatio inter unum, & aliud furtulum impedire poterit, ne in unum coaleſcant? XVIII. Quid interſit inter plura furtula, & plures comeſtiunculas die jejunii?

XIX. Quid ſi parum ſæpius comedatur, ne potus noceat? XX. Quid de iterato potu chocolatis?

I. EXponitur. Docuerunt Medina, Victor. Armilla apud Ferdinandum, de la Cruz (*a*) in Direct. 1. Præcep. 3. art. 4. non peccare mortaliter diebus eſurialibus, qui invitatus ab amico ad bibendum comedit ſæpe aliquid parum, ne potus noceat (*b*). Salas vero apud Dian. p. 3. tr. 16. reſ. 43. docuit, tunc parvas comeſtiones coaleſcere in unum, atque adeo frangere jejunium, ſi ſimul ſumptæ ad notabilem quantitatem pertingant, quando quis uno eodemque actu vult omnes illas comeſtiunculas identidem ponendas ; ſecus vero ſi ſingulis vicibus velit parvam quantitatem comedere, quin tunc velit ad notabilem quantitatem pervenire.

(*a*) „ Me-

(*a*) „ Memoria lapsus pro Johanne de la Cruz „ Ferdinandum Viva citat ; quapropter Patuzzius „ *p. 439.* egregio Scriptori inverecunde insultat ; „ sed ne maximorum Patrum exempla in medium „ adferam , qui humani aliquid passi unum inter- „ dum pro alio Scriptorem appellarunt, meminerit „ Patuzzius sui Natalis Alexandri, qui Carmelitam „ P. Bonæ Spei Jesuitis adscripsit ; meminerit sui „ Concinæ , qui pro Edmundo Simonet Edmundum „ Martene citavit ; sui ipsius meminerit , qui Lo- „ pezium a Viva laudatum videns Dominicanum „ Scriptorem citari statim existimavit . Graviora „ certe hæc sphalmata sunt , & oscitantiæ non fe- „ rendæ luculentiora argumenta , quam quod Fer- „ dinandi nomen pro Johannis nomine Viva usur- „ parit.

(*b*) „ Evidens est , Auctores istos non ea de „ caussa heic a Viva citari , ut illis damnatam „ Thesim tribuat , sed ut unde Salas occasionem „ errandi sumpserit , aperiat . Hinc ante Vivam „ scripserat Moya *Tract. 6. disp. 5. quæst. 2. num.* „ *21. Partem negativam* (propositæ quæstionis , *an* „ *qui in die jejunii modicum quid sæpe comedit* , „ *peccet mortaliter* , *si notabilem quantitatem in fine* „ *comederet?*) *tenuit nescio quis duplici fundamento* „ *ductus* , *alio a ratione . . . . . alio ex auctoritate* „ *quorumdam asserentium non violare jejunium* , *qui* „ *parum quid sæpe comedit post prandium* , *invita-* „ *tus ab amico* , *ne potus noceat : quam tenent* M. „ *Fumus* , M. *Medina* , & M. *Victoria* , *quos refert* „ M. *Johannes de la Cruz*. Utrum autem quod ipsis „ tribuunt Moya , & Viva , docuerint Auctores „ isti , ita manifestum est , ut nonnisi veritatis „ impugnandæ studio negari a quoquam possit . „ Nam quod Patuzzius adlatis nescio quibus isto- „ rum verbis aliam illis adfingere sententiam stu- „ det , perridiculum est , ut si longiore disputatio- „ ne uti liceret , facillimum esset demnnstrare . „ Quamquam ipsa illa , quæ profert Patuzzius , „ Scriptorum suorum loca satis probant , quod ipse „ probatum minime vellet , ut consideranti con- „ stabit .

II. Fundamentum videtur esse primo , quia singulæ illæ parvæ comestiones non sunt nisi venialia ; innumera autem venialia non possunt evadere unum mortale : ergo singulæ illæ comestiunculæ procedentes a diversis actibus , quorum nullus intendat quantitatem notabilem , nunquam possunt fieri unum mortale , atque adeo non poterit iis in quacunque multitudine positis jejunium violari .

III. Secundo ; Qui vult singulis diebus Quadragesimæ materiam parvam comedere , non peccat mortaliter , quamvis omnes illæ comestiunculæ notabilem quantitatem contineant ; idque quia non coalescunt in unum ratione diversi diei quo sumuntur : ergo quando diversis actibus eædem parvæ quantitates eodem die sumuntur , neque coalescunt in unum : sicut enim diversitas dierum impedit unitatem moralem in iis comestiunculis, ita in eisdem unitatem impedit diversitas actuum .

IV. Tertio ; non solum qui singulis diebus omittit materiam levem in re Deo promissa , nunquam peccat mortaliter , sed etiam qui eodem die materiam levem omittit in variis rebus Deo promissis , v. gr. si quis vovit eodem die audire sacrum , recitare coronam , jejunare , &c. , & in singulis hisce rebus omitteret aliquid leve , non peccaret mortaliter , ut docent communius cum Suar. contra Sanch. apud Dian. p. 5. tr. 5. res. 55. Et ratio est , quia diversitas ista votorum obstat quominus materiæ illæ leves conflent materiam notabilem , quæ sufficiat ad mortale , etiamsi omnia illa vota ad eandem virtutem Religionis pertineant ; ergo pariter in casu nostro obstabit diversitas actuum .

V. Quarto , quia votum paupertatis non violatur a Religioso , qui sæpius subripit de bonis Monasterii comestibilia in modica quantitate , etiamsi successu temporis deveniat ad quantitatem notabilem , ut docent Sanch. l. 7. c. 19. n. 15. Less. , Nav. , Fagund. l. 7. in Decal. cap. 5. num. 7. (quicquid sit , an recipiens , vel expendens sæpius modica mortaliter peccet , quando ad notabilem quantitatem pervenit? quod pariter negant Less. , & Nav. , sed communius affirmant) . Similiter nunquam mortaliter contra votum Castitatis peccat , qui sæpius leviter peccat adversus hanc virtutem : Et eodem modo , qui frequenter communicat cum excommunicato vitando in civilibus, nunquam peccat graviter, ut docent Avila, & Sayr. contra Bonac. Suar., Filliuc. , Conin. num. 149. ergo neque violat jejunium , qui sæpius comedit modica per diversos actus , non intendens pervenire ad quantitatem notabilem . Et ratio horum omnium est , quia materiæ istæ parvæ non coalescunt in unum .

VI. Ostenditur falsitas. Universim quoties aliquid sub gravi prohibetur , si ratione parvitatis materiæ hic & nunc peccatur adversus tale præceptum solum venialiter , graviter tamen peccatur , quando ob multiplicationem materiarum parvarum deveniatur ad materiam notabilem ab eo præcepto prohibitam ; dummodo in ultima illa materia parva advertatur , quod cum reliquis præteritis materia notabilis consurgat : ergo in casu nostro peccatur graviter , quoties die jejunii sæpe modicum comeditur , ita ut in fine deveniatur ad materiam gravem a jejunii præcepto prohibitam . Antecedens constat inductione , & ratione : Inductione quidem ; quia non alia de causa peccatur graviter in eo ultimo furtulo , ratione cujus simul cum præteritis furtulis materia notabilis accepta est invito Domino , ut docent communissime contra nonnullos apud Dian. p. 1. tract. 6. res. 34. , & constat ex propositione 38. ab Innocent. XI. confixa : Similiter qui sæpius die festo parum laborat , peccat graviter, quando ad tempus notabile pervenit ; sicut etiam qui sæpe parum ex horis canonicis omittit eodem die .

VII. Ratio a priori est , quia eodem modo opponitur voluntati , & fini legislatoris materia notabilis prohibita , sive ea ponatur simul , sive per plures actus ; exempl. grat. tam adversatur graviter Justitiæ furtum notabilis quantitatis, quam plura furtula, quæ simul sumpta notabile damnum alii irrogant : & tam adversatur fini jejunii , & intentioni legislatoris una comestio notabilis, quam plures comestiunculæ, quæ ad notabilem quantitatem perveniant ; & eodem modo tam opponitur graviter Temperantiæ unica gravis intemperantia , quam multæ modicæ , quæ simul sumptæ æquivalent uni gravi .

VIII. Nihilominus sæpe materia notabilis , quæ sufficit ad peccatum grave , aliquanto major debet esse , quando per plures materias parvas constituitur , quam si per unam tantum . Ex. gr. si ad peccandum graviter contra Justitiam sufficit unum furtum quatuor regalium , requiruntur plura , quam qua-

quatuor furtula unius regalis ad peccandum graviter ob multitudinem furtulorum, præsertim si magna intercedat interpolatio inter illa, ut notat Sanch. l. 7. c. 21. Less. & alii apud Dian. loc. cit., & multo magis si furtula fiant relate ad diversos Dominos, cum minus censeantur inviti Domini in hujusmodi furtis levibus, præsertim interpolatis, quam in unico gravi. Sic in casu nostro, si materia parva excusans a mortali die jejunii est cibus duarum unciarum, (modo non sit carnium, vel ovorum, quorum materia parva est longe minor) ut Turri. & Henr. docent apud Dian. loco laudato res. 11. forte erit aliquantulo major, si pluribus vicibus non parum interpolatis aliquid modicum sumatur, eo quod minus videatur tunc opponi voluntati, & fini legislatoris.

X. Ad primam rationem in contrarium, verum est innumera venialia non æquivalere uni mortali, sed non est verum, quod plures comestiunculæ leves non æquivaleant uni notabili excedenti quantitatem duarum unciarum in ordine ad vires per cibum reficiendas: sicut plures damnificationes leves æquivalent uni gravi in ordine ad faciendum Dominum rationabiliter invitum; ergo quamvis plura venialia nunquam pertingant ad mortale; plures tamen comestiunculæ, sicut plura furtula, possunt ad mortale pertingere.

X. Ad secundam, conc. antec. neg. cons. Quoties materiæ leves non violant idem præceptum, non coalescunt in unum moraliter, & ideo nunquam peccatur graviter contra præceptum jejunii, etiamsi singulis diebus aliquid parum comedatur: contra vero quando idem præceptum violatur: Quod ab Adversariis etiam dici debet, quippe qui concedunt esse mortale velle unico actu eodem die jejunii vicies unciam cibi comedere; negant tamen esse mortale velle eodem actu viginti diebus esurialibus, aut tota Quadragesima quotidie unciam cibi comedere: ergo etiam per Adversarios dispar est ratio inter multas comestiunculas diversis diebus, ac eodem die. Et ratio a priori est, quia istæ graviter opponuntur voluntati, & fini legislatoris, non illæ.

XI. Ad tertiam recurrit eadem responsio; sicut enim non coalescunt in unum moraliter multæ materiæ parvæ, si respiciant diversa præcepta, vel vota pro diebus diversis, ita nec coalescunt in unum, si respiciant diversa præcepta, seu vota pro eodem die; secus vero si idem præceptum, aut votum respiciant, sive hoc præceptum, aut votum obliget relate ad eundem diem, sive relate ad plures.

Hinc sive furtula fiant eodem die, sive diversis, adhuc possunt pertingere ad mortale; & si quis per modum unius voveat recitare singulis diebus Salutationem Angelicam, & per mensem illam non recitet, peccabit mortaliter: quod tamen non est verum, si votum sit per modum plurium, ita ut singulis diebus veluti suum votum respondeat de recitanda eo die Salutatione Angelica; tunc enim etiamsi per totum annum earum recitatio omittatur, nunquam mortaliter peccabitur, ut docet Sanchez l. 1. c. 4. num. 14. apud Dian. p. 5. tract. 5. res. 53. Ubi hanc regulam tradit ex Palao: Tunc vota ista dicuntur fieri per modum plurium, quando obligatio singulis diebus affigitur, ita ut, iis elapsis, non detur obligatio ponendi in posterum id, quod eo die est omissum; quod accidere solet in votis personalibus, ut si quis voveat singulis diebus recitare calculum Virgineum, aut singulis Sabbatis jejunare: Contra vero tunc vota fiunt per modum unius, quando obligatio prorogatur in tempus sequens; quod accidere solet in votis realibus, ut si quis voveat quotidie stipem erogare, censetur velle supplere diebus sequentibus, quod aliquo die omiserit.

XII. Ad quartam: Intantum nonnulli DD. putant Religiosum non peccare graviter, si furetur comestibilia ad proprium usum per varia furtula usque ad quantitatem notabilem, inquantum Superior non censetur rationabiliter invitus: si enim Dominus non censetur rationabiliter invitus in hujusmodi furtulis comestibilium ad proprium usum, quæ fiunt a famulis, ut docent Cajetan. Navar. Less., Sà apud Dian. part. 1. tract. 6. res. 34.: a fortiori non erit rationabiliter invitus Superior relate ad subditos, qui aliquatenus filiis æquiparantur ex Sanchez lib. 7. cap. 21. num. 31. Rebell. Fagund. Quamvis, ut notat Lugo d. 3. de Just. non omnino filiis æquiparentur; tum quia non debent succedere in bona Monasterii, ut filii succedunt in bona Patris; tum etiam quia subditi non sunt pauci, ut filii; tum demum quia Superior non solum respicit damnum temporale, quod causatur per furtula, sed multo magis damnum spirituale subditorum, quod tamen non respicitur a Patre relate ad filios, unde facilius sunt rationabiliter inviti Superiores relate ad plura furtula subditorum, quam Parentes relate ad furtula filiorum. Negari tamen non potest ex eodem Sanchez, quod mortaliter peccet Religiosus, si magnam comestibilium quantitatem simul sumat ad proprium usum: Quamvis major quantitas requiratur ad peccandum mortaliter, quando quis clam accipit comestibilia Monasterii ad proprium usum, quam si accipiat, ut vendat, vel donet, eo quod in hoc secundo casu Superior sit magis invitus.

XIII. Ad id, quod additur: Sicut multa mendacia levia, quæ opponuntur virtuti Veracitatis, nunquam pertingunt ad mortale, ita multa venialia adversus Castitatem non pertingunt ad mortale, cum non coalescant in aliquo effectu prohibito ab his virtutibus: contra vero furtula, quæ opponuntur virtuti Justitiæ, coalescunt in ordine ad lædendum jus alterius, & comestiunculæ in ordine ad reficiendas vires; & ideo possunt pertingere ad culpam gravem.

XIV. Ad id, quod dicitur de communicatione cum excommunicatis in civilibus, ea nunquam censetur graviter prohibita ab iis Auctoribus, qui docent non posse adeo eas multiplicari, ut pertingant ad mortale: at in casu nostro multæ comestiunculæ, quæ reficiunt vires multo magis, quam unica, quæ excedat duas uncias, censentur graviter prohibitæ; & ideo mortaliter peccat, qui comedit aliquid parvum die jejunii, quando illud parvum simul cum aliis modicis antecedentibus comestiunculis quantitatem notabilem conflat.

XV. Regula itaque generalis hæc est: Quoties aliquis habens intentionem peccandi pluries leviter adversus aliquam virtutem non peccat graviter, tunc illæ materiæ leves non coalescunt in unam materiam notabilem: e. g. cum non peccet graviter, qui habet intentionem mentiendi passim in materia levi, ideo nunquam mendacia multiplicata pertingunt ad culpam gravem. Contra vero coalescunt in unum materiæ leves, quando habens intentionem peccandi pluries leviter, eo actu peccat graviter:

 ut ac-

ut accidit in casu nostro; siquidem etiam in sententia Adversariorum habens intentionem peccandi pluries leviter per plures comestiunculas die jejunii, peccat graviter; sicut etiam habens intentionem peccandi pluries leviter per plura furtula peccat graviter; propterea plures comestiunculæ, & plura furtula coalescunt in unam materiam notabilem; atque adeo graviter peccat, qui ponit materiam illam ultimam levem, quæ simul cum antecedentibus conflat materiam gravem. Quod tamen intelligendum est, dummodo ad id advertat, aliter excusabitur a culpa gravi, & consequenter etiam ab onere restitutionis sub gravi orto ex injusta acceptione; cum communius doceant, ex culpa levi contra justitiam nunquam oriri onus grave restituendi, eo quod pœna ista gravis non sit consona culpæ levi: non excusatur tamen ab onere restituendi ex re accepta, si per plura furtula graviter læserit jus alienum, & extet res aliena, aut si ex illa factus sit ditior.

XVI. Ex quibus sequitur primo, jure merito confixam esse ab Innoc. XI. propos. 38., quam docuerant Sà, & Bernarduccius apud Dian. par. 1. tr. 6. res. 34. *Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere quod ablatum est per pauca furta, quantumcunque sit magna summa totalis*. Constat enim ex dictis, rem alienam per furtula sublatam coalescere in unum moraliter, ut proinde mortaliter peccetur in illo furtulo levi, quo devenitur ad materiam gravem: quomodo enim daretur onus restitutionis sub gravi, nisi in eo ultimo furtulo supponeretur culpa gravis? Utrum autem habens obligationem hanc gravem restituendi ob ultimum furtulum, teneatur sub gravi restituere integram rem notabilem per plura illa furtula sublatam, v. gr. quinque carolenos, quos quinque vicibus subripuit, an vero sufficiat, quod restituat solum id, quod ultimo furtulo sustulit, puta carolenum? Censeo cum communiori apud Dian. loc. laud. sufficere, quod restituat solum materiam illam parvam, qua sublata non dicitur amplius retinere rem alienam notabilem: si enim ante ultimum furtulum non tenebatur sub gravi ad restituendum, eo quod non haberet tunc rem alienam notabilem, neque tenebitur sub gravi ad illam restituendam, postquam restituit id, quod per ultimum illud furtulum sustulerat.

XVII. Sequitur secundo, non continuari moraliter furtula comestibilium ad proprium usum, sive ea fiant a servis, sive a Religiosis, juxta doctrinam traditam a DD. adductis: Nec continuari moraliter transgressiones leves Religiosorum in materia paupertatis, quando aliquid expendunt, aut accipiunt ab externis absque detrimento bonorum Monasterii cum sua non modica interpolatione morali; ut docet Lugo disp. 3. de Just. num. 182. Nec furtula continuari moraliter, quotiescunque Dominus non est de iis graviter invitus rationabiliter, ut si maxima inter unum, & alterum intercedat interpolatio, puta per annum, ut notat Sanch., & alii apud Dian. l. c. Non videtur tamen probabile, quod docet Filliuc. cum eodem Diana, sufficere interpolationem unius mensis, aut dimidii ad tollendam moralem continuationem, nisi forte materia esset admodum modica: censetur enim rationabiliter graviter invitus Dominus, si sibi singulis mensibus tres julii v. gr. ab eodem subripiantur.

XVIII. Sequitur tertio, quod qui post ultimum furtulum, quo complevit materiam notabilem, iterum novum furtulum committit, iterum peccet mortaliter, quia pergit notabiliter damnificare proximum. At in casu jejunii distinguendum est: qui enim post ultimam comestiunculam, qua pervenit ad quantitatem notabilem, pergit comedere cibos quadragesimales, sive parum, sive multum comedat, non amplius peccat: quia postquam jejunium fregit scienter, (secus vero, si inadvertenter, & materialiter) non tenetur amplius jejunare; unde quamvis comedat, non peccat. At si comedat carnes, peccat toties quoties; quia etiam post fractionem jejunii tenetur a carnibus abstinere; cum enim præceptum abstinendi a carnibus sit negativum, obligat eo die semper, & ad semper; præceptum vero jejunandi est positivum, quod servari amplius non potest posita duplici comestione; & ideo post fractionem jejunii per secundam comestionem non peccat amplius, qui tertio, aut quarto comedit, ut docent communius contra Less. Durand., & alios apud Dian. p. 1. tr. 9. res. 53.

XIX. Sequitur quarto; quod si quis parum non semel comedat die jejunii, quantum sufficit, ne potus cæteroqui necessarius noceat, in his comestiunculis non peccet mortaliter, ut docet Sylv. ex D. Tho., quia cum sumatur per modum medicinæ in valde modica quantitate, & ad vitandum damnum notabile, non censetur ab Ecclesia prohiberi; secus vero si quis comedat pluries parum, ne noceat potus, ad quem ab amico invitatur, si hujusmodi potus non sit necessarius; mera enim amici invitatio ad comedendum, aut bibendum non sufficit ad excusandum a culpa annuentem ad id die jejunii.

XX. Sequitur quinto, quod si supponatur chocolatem ratione parvitatis materiæ non violare jejunium, ut docent communius, non potest citra mortale sumi in magna quantitate, nec citra veniale potest sumi quantitas levis, quam Alphonsus de Leon. apud Tamb. l. 4. in Dec. cap. 1. §. 2. putat esse mediam unciam, eo quod sit valde confortativa virium; Escobar vero esse unciam; & Dian. p. 11. tr. 6. res. 53. esse duas uncias instar aliorum ciborum.

Si vero supponatur esse potum usualem instar vini cerevisiæ, & similium, quæ per accidens tantum nutriunt, & per se ordinantur ad sedandam sitim, ad alterandum, ad refrigerandum, & ad dejiciendum cibum in ventriculum, atque ad alimenti, sanguinisque distributionem, (ut docent non pauci cum Turriano, Machado, Trull., Pontio, Cornejo, Thoma Hurtado, ac Eminentissimis Lugo, & Brancatio aliisque apud Mendo in Epit. V. *Jejunium* n. 5. & apud Dianam loco laudato, ubi refert ita sensisse Pium V., & Paulum V. de hac re interrogatos) tunc die jejunii sumi posset pluries ad eum modum, quo potest quis pluries vinum, vel cerevisiam bibere; dummodo non ex gula, aut intemperanter bibat. Idemque dicendum in sententia Machai, Trull. apud eundem Dian. putantium contra Pasqual., & Murciam, chocolatem non frangere jejunium ratione consuetudinis; sicut enim cœnula serotina ratione consuetudinis introductæ jejunium non frangit, quod certe ante eam consuetudinem frangebat, ita chocolates, præscidendo sitne potus, an cibus.

Communior tamen sententia in praxi tenenda est, quod sc. jejunium violet: Verum qui cum laudatis Doctoribus vellet esse potum usualem, atque adeo non frangere jejunium, advertat oportet, quod apte notat inter alios idem Brancatius in suo eruditissi-

mo

mo opuſculo de potu chocolatis, tunc illam habere rationem potus uſualis, quando ſumitur in ea quantitate, qua Indi eam ſumere ſolent ad ſedandam ſitim, vid. quando ſex unciis circiter aquæ, quæ cyathum non parvum replent, nonniſi uncia cocholatis admiſcetur, & media uncia ſacchari; aliter non ſumitur ad ſitim ſedandam, ſed ad explendam famem. Nec poteſt ulla conſuetudo de ea aliter ſumenda adduci, ſed merus aliquorum abuſus, ſicuti non eſſet potus uſualis, ſed merus abuſus, ſi quis pinguiorem cereviſiam conficeret, quam prout moris eſt, ubi ea utuntur ad bibendum.

PROPOSITIO XXX.

Omnes Officiales, qui in Republica corporaliter laborant, ſunt excuſati ab obligatione jejunii, nec debent ſe certificare, an labor ſit compatibilis cum jejunio.

SYNOPSIS.

I. Omnes Artifices videntur a jejunio exempti ex Eugenii IV. declaratione. II. Iſthæc Pontificia declaratio fuiſſet inanis, ſi ſolum loqueretur de exercentibus artes valde laborioſas. III. Verum ſi quilibet labor excuſaret, deberent etiam a jejunio eximi vacantes Studiis, & exercentes Artes ingenuas, qui majus incommodum ſubeunt, quam ſcriptores, filum ex lana nentes, aut Typographi literas ordinantes.

IV. Eugenius IV. declaravit eximi a jejunio ſolum eos, qui exercent artes laborioſas. V. Declaratio iſta habet rationem deciſionis dubii ſimul, & Privilegii relate ad exercentes artes de ſe laborioſas, in dubio ſcil. an poſſint cum eo labore commode jejunare.

VI. Quid ſi dubitetur, an aliqua Ars ſit de ſe laborioſa, ut Barbitonſoris, Coqui, & ſimilium?

VII. In dubio, an labor, aut ægritudo excuſent, ſtandum judicio Peritorum, aut Medici, vel petenda diſpenſatio. VIII. Excuſat timor rationabilis mali gravis, non tamen merum dubium. IX. Univerſim in dubiis præſumendum quod plerumque contingit.

X. Quænam dicantur Artes de ſe laborioſæ? Quid de Concionatoribus, Ludimagiſtris, Advocatis, Procuratoribus?

I. Exponitur. Nonnulli apud Fagundez Pr. 4. l. 1. cap. 8. num. 15. docuerunt, indiſcriminatim Artifices eximi a jejunii obligatione; tum quia cum corporaliter tota die laborent, videntur indigere multiplici refectione virium, nec poſſe aliter ſine magno incommodo laborare; tum etiam quia Eugen. IV. apud Sylv., Nav., & Tabienam, liberos eſſe declaravit ab obligatione jejunii Opifices, qui laborioſas artes exercent, & agrorum cultores, ſive divites ſint, ſive pauperes: Cum autem indiſcriminatim Eugenius loquatur de Opificibus laborantibus corporaliter in Rep., videntur omnes eximi ab hoc onere, ſive hujuſmodi Pontificis declaratio dicatur habere vim privilegii iis conceſſi, ſive dicatur habere vim decidendi hoc dubium, num ſit grave incommodum, quod Opifices omnes tota die laborando ſuſtinent?

II. Confirmatur; quia reſpectu Artificum exercentium opera valde laborioſa, ut ſunt Ferrarii, Lignarii Foſſores, non erat neceſſaria ulla Pontificis aut declaratio, aut Privilegium ad eos eximendos a jejunio: ergo ut aliquid ea Pontificis declaratio operetur, intelligi debet etiamde aliis Artificibus, qui operibus non valde laborioſis incumbunt, de quibus dubitabatur, an tenerentur jejunare, vel quibus voluit Pontifex hunc favorem impertiri, ne moleſtior iis redderetur labor ille diuturnus qualiſqualis. Omnes ergo Officiales a lege jejunii videntur eximi, ſi corporaliter laborant, quamvis eorum labor ſit compatibilis cum jejunio.

III. Oſtenditur falſitas: Nam ſi ob incommodum, quod ſubeunt tota die laborando, deberent omnes Artifices a jejunii lege eximi, deberent a fortiori eximi, qui ſtudiis vacant, & qui ingenuas, ac liberales artes exercent, quippe ſæpe majus incommodum ſubeunt, quam Scriptores, Notarii, filum ex lino, vel lana nentes, Typographi literas ordinantes, & alii hujuſmodi qui laborant corporaliter; illorum autem incommodum non cenſetur ſufficiens ad eos a jejunio eximendos: ergo a fortiori nec labor iſtorum.

IV. Ad id, quod opponitur de declaratione Eugenii IV. dicendum illam oppoſitum evincere, ac retorqueri: Non enim Pontifex declarat, omnes omnino Opifices ab onere jejunii eſſe immunes, ſed eos duntaxat, qui laborioſa opera exercent, ut notat Mendo diſſ. 8. qu. 8. ergo ex mente Pontificis non ſunt eximendi, qui opera laborioſa non exercent; non cenſentur autem antonomaſtice laborioſa opera exercere, niſi qui laborant cum magna agitatione membrorum, in qua multi ſpiritus conſumuntur, ut proinde opus ſit virium refectione: ergo ex mente Eugenii IV. iſti duntaxat, non vero omnes Officiales, qui corporaliter quomodocumque laborant, a lege jejunii ſunt immunes.

V. Neque hinc ſequitur, quod iſthæc Pontificis declaratio fuerit fruſtranea: Habet enim rationem deciſionis illius dubii, Num Officiales omnes, qui corporaliter laborant, excuſentur a jejunio, an vero ſolum illi, qui exercent artes laborioſas: habetque etiam rationem privilegii relate ad illos Artifices, qui dubitarent, An ſpectatis viribus propriis poſſent commode cum arte per ſe laborioſa, qualis eſt Foſſoris, vel Ferrarii, aut Lignarii, jejunium conjungere? Imo Tamb. l. 4. in Dec. cap. 5. §. 7. n. 18. contra Regin. l. 4. cap. 16. n. 216. cenſet, quod ſi quis inveniatur, qui non dubitet poſſe ſe cum exercitio alicujus artis per ſe laborioſæ, puta Foſſoris, jejunium tolerare, adhuc ab illo vi hujus privilegii, ſeu declarationis ſit immunis; Etenim leges ſemper reſpiciunt, quod communiter, & per ſe contingit; non vero quod raro, & per accidens. Equidem tamen cum Reginaldo l. c cenſeo, quod ſi manifeſte non ſubeat grave incommodum jejunando, qui exercet artem de ſe laborioſam, teneatur jejunare, cum non conſtet, quod Eugenius IV. voluerit cum his diſpenſare, & apte declaratio illa Pontificis explicetur de eo, qui exercendo artem laborioſam dubitat, an poſſit jejunium tolerare? conſonum enim eſt, ut hic nullatenus teneatur.

VI. Quod ſi dubitetur, an aliqua ars dicenda ſit laborioſa, prout dubitatur v. g. de Barbitonſoribus, de Sutoribus calceos conſuentibus, de Coquis, & aliis hujuſmodi, tunc iſta Pontificis declaratio non ſe extendit ad illas; atque adeo quilibet iſtorum certificari debet, an ſuus labor ſit compatibilis cum jejunio, aut an certo probabile ſit, quod hujuſmodi ars, prout a ſe exercetur, ſit per ſe laborioſa; aliter a jejunii præcepto non eximitur. Ratio eſt, quia univerſim in dubiis melior eſt conditio poſſidentis; in his autem dubiis eſt in poſſeſſione præceptum: ergo &c.

VII. Ne-

VII. Neque dicas, In dubiis an labor proprius alicujus artis, v. gr. Barbitonsoris, sit compatibilis cum jejunio, videtur potius dicendum: quod sit incompatibilis, quia possidet lex naturalis præstantior de tuenda vita; atque adeo si dubitetur, an graviter obsit valetudini jejunium cum tali labore, illud omittendum: Sicut si dubitetur, an graviter obsit valetudini jejunium cum hac, vel illa infirmitate, videmur non teneri ad jejunandum ex Ecclesiæ benignitate, quæ non patitur, nos exponi periculo gravis damni.

Nam communiter docent in his dubiis standum consilio peritorum: non secus ac in dubio, an talis infirmitas excuset a jejunio, ex D. Thom., & aliis apud Fagund. p. 4. c. 8. n. 13. standum judicio Medici, vel petenda est dispensatio; eo quod hujusmodi dubium sufficiens causa sit ad dispensandum, nec possit aliter omitti jejunium, quia stat in possessione præceptum.

VIII. Verum quidem est ex Ecclesiæ benignitate, ut a jejunio liberemur, non esse expectandum grave detrimentum, sed sufficere timorem rationabilem, ac prudentem non solum detrimenti gravissimi, puta amittendi vitam, sed etiam mali notabilis. Diximus tamen non sufficere merum dubium de incurrendo malo notabili; sed requiri timorem prudentem, ac rationabilem, ut advertit Tambur. loc. cit.; qui pariter docet censeri notabile damnum, quod a jejunio excuset, si quis jejunando impediretur ab operationibus sibi consonis, aut debitis; puta si Scholasticus non posset debito modo vacare studiis, & Materfamilias curæ suæ domus; sicut etiam Concionator concionibus habendis, & Confessarius audiendis Confessionibus: non enim tenentur ab his operationibus sibi consuetis, & consonis abstinere, ut jejunent. Propter eamdem rationem excusantur a jejunio communiter nutrientes, & prægnantes, eo quod non possint cum jejunio alere commode infantem, & prolem; quamvis non excusentur ab abstinentia a carnibus; nisi forte alicujus specialiter delicata, aut ægra complexio id exigat, eo quod timeatur prudenter aliter grave damnum infanti, aut proli subsecuturum.

IX. Quæres, an excusentur universim a jejunio etiam diebus festis, in quibus non laborant, ii, qui exercent artes manifeste laboriosas? Medina, Bonac., Ledesma apud Mendo loc. cit. q. 7. putant tunc solum excusari, quando ex præcedentibus laboribus experiuntur lassitudinem, aut ad laborem sequentis diei minus apti redduntur. Diana vero p. 1. tract. 9. res. 9. cum Fagund., Azor., Henriq. absolute eos liberat iis diebus a jejunio, quia in ipso labore improbo istorum Artificum imbibitur lassitudo, & debilitas indigens virium refectione; aliter aditus aperiretur scrupulis, & anxietatibus. Equidem censeo, quod sicut hujusmodi artifices tenentur jejunare eo die, quo laborant, si manifeste grave incommodum non sustinerent; (quod aliquando, quamvis raro, accidere potest, ut diximus ex Regin. contra Tambur.) in dubio tamen excusantur ex Eugenii IV. declaratione, aut privilegio, & ut aditus scrupulis intercludatur; ita pariter dicendum relate ad dies festos, in quibus non laborant, si in iis jejunandum est: præsertim quia facilius est reperire nonnullos, qui non sustineant grave incommodum ex jejunio iis diebus, quibus non laborant. Si tamen de hoc dubitetur, videntur eximendi, quia cum pauci admodum inveniantur, qui ex his jejuniis non reddantur minus apti ad labores diei sequentis, ideo in dubiis præsumendum, quod plerumque contingit, & ab onere jejunii liberandi.

X. Quænam autem sint Artes manifeste laboriosæ, in quibus militat hæc doctrina, enumerant passim DD. præsertim Tamb. l. c. ubi recenset etiam Artes manifeste non laboriosas, quæ nonnisi per accidens possunt a jejunio liberare, & Artes dubie laboriosas, de quibus lis est apud DD. num per se eximant a jejunio juxta declarationem explicatam Eugenii IV., ita scilicet ut eas exercens a jejunio deobligetur etiam in dubio, an grave incommodum sit inde reportaturus; eo quod in tali materia præsumendum in dubiis id, quod communiter contingit; ut proinde conscientia dubia deponi possit per opinionem probabilem, quam parit præsumptio orta ex communiter contingentibus.

Dubitatur præsertim de Sutoribus, qui calceos consuunt, de Barbitonsoribus, qui non interpolatim, sed continenter per integrum diem artem suam exercent, de Coquis, qui toto ferme die exercitiis Culinæ laboriosis incumbunt, ac de aliis hujusmodi: Inquiritur etiam de Concionatoribus, & de Ludimagistris, de Advocatis, & Procuratoribus.

Quod attinet ad Concionatores, Sanch. l. 1. Cons. cap. 1. dub. 13. censet regulariter excusari, etiamsi ter, vel quater in hebdomada per horam concionentur cum debita contentione; quia hoc videtur necessarium ad vires conservandas in ordine ad exercendum vivide tantum munus. Lectores etiam putat regulariter excusandos, si quinque, aut quatuor horis edoceant, ut Magistri Scholarum inferiorum Societatis JESU: quod si sint robusti, censet sufficere, ut tribus circiter diebus jejunent: Ad tollendos tamen scrupulos adhibenda Superioris dispensatio. Excusantur etiam apud Dianam p. 1. tract. 9. res. 12. Advocati, & Procuratores, quibus labor est improbus. Equidem censeo in his omnibus, de quibus dubitatur, an per se a jejunio excusentur, servandam esse regulam traditam; quod scil. si constet posse commode jejunium tolerare, ad illud teneantur; si tamen non liquido constet, sed dubitetur, tunc ex communiter contingentibus præsumi poterit, quod non possint sine gravi incommodo jejunare; & ad majorem cautelam adhiberi poterit dispensatio.

PROPOSITIO XXXI.

Excusantur a præcepto jejunii omnes illi, qui iter agunt equitando, utcumque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei conficiant.

SYNOPSIS.

I. Ex itinere videtur universim corpus ita defatigari, ut indigeat refectione.

II. Etiamsi iter non sit necessarium, videtur posse assumi ad evadendam obligationem jejunandi.

III. Sicut potest quis consulto adire Urbem, in qua non jejunatur, ad jejunium declinandum.

IV. Verum lex jejunii obligat omnes, qui ex jejunio notabiliter non gravantur.

V. Cum obligentur Opifices, qui artes non valde

labo-

laboriosas exercent, a fortiori itinerantes cum oblectatione, & sine magno incommodo.

VI. Iter pedestre 20. milliariorum, & equestre non paucorum dierum solet notabiliter gravare; in dubio tamen præsumendum ex communiter contingentibus.

VII. Idem dicas de eo, qui frequenter concionatur.

VIII. Lex, quæ obligat ad finem, obligat ad media, & ad non ponenda illis impedimenta; unde nequit arripi iter non necessarium ad declinandum jejunium.

IX. Impedimentum ad jejunium, si sit indirectum, potest licite apponi, puta adeundo Urbem, in qua non jejunatur.

X. Itinerantes tenentur cœnulam mane sumere, & cœnam vespere, si non possint aliter jejunare.

XI. Debent potius jejunare cum ovis etiam in Quadragesima, quam abstinere ab ovis cum violatione jejunii.

XII. Utrum in cœnula attendenda sit sola quantitas ciborum, an etiam qualitas?

I. Exponitur. Quod iter agentes equitando, etiamsi iter non sit necessarium, a jejunio liberentur, docuit Ortiz apud Dan. p. 1. tract. 9. ref. 46. Alii addiderunt, id etiam verum esse, si iter unius diei conficiatur. Ratio videtur esse, quia multum ex itinere corpus defatigatur, etiamsi equo, vel curru fiat; quare sicut docti Juniores, ut testatur Sanch. l. 5. Conf. c. 1. dub. 13. putant Concionatorem, qui inter annum frequenter concionatur, probabiliter non teneri ad jejunium in vigilia concionis, & in ipso die, quia valde in hoc exercitio defatigatur, debetque vires conservare ad hoc munus cum debito fervore exercendum; ita cum valde etiam defatigetur, qui per integrum diem iter habet, videtur etiam a jejunio eximi.

II. Quod autem id verum sit, etiamsi iter non sit necessarium, videtur probari ex eo quod nonnulli cum Joan. Sancio apud Dian. loc. cit. ref. 52. docent, videlicet non peccare adversus legem jejunii eos, qui volunt se reddere impotentes ad jejunandum ex eo dumtaxat fine, ut deinde a jejunio deobligentur: exempli gratia qui vult ludere pila, ire venatum, defatigari, aut aliud impedimentum jejunio apponere ex solo desiderio non jejunandi; quia scilicet quilibet jus habet ad has operationes, quo non debet privari, ut jejunium servet.

III. Huc videtur facere doctrina Suarii dicentis, posse aliquem die jejunii adire Urbem illam, in qua non datur obligatio jejunandi eo die, quia hoc non esset jejunium infringere, sed modum quærere, quo onus jejunandi excutiatur: unde non intervenit fraus, sed fuga quædam obligationis: ergo pariter poterit quis assumere iter non necessarium incompossibile cum jejunio, ut a jejunio deobligetur.

IV. Ostenditur falsitas, quia lex jejunii obligat, quoties sine magno incommodo potest jejunium servari: sed procul dubio passim sine magno incommodo servari potest jejunium ab iter agentibus, præsertim si curru, aut equo commodo iter habeant, & iter sit paucorum dierum, ut experientia testatur, & communiter DD. advertunt apud Sanch. l. 5. Conf. c. 1. dub. 10. ubi ad summum eximunt ab obligatione jejunandi, qui iter agunt pedestre per magnam diei partem, vel curru, aut equo incommodo iter habent diuturnum, vid. per octo, aut decem dies, ut notat Laym. lib. 4. tract. 8. c. 3. dummodo iter ex honesta causa assumatur, & non in fraudem jejunii: ergo nullatenus eximendi sunt ab onere jejunandi, qui utcumque iter agunt, quamvis non necessarium, & unius diei.

V. Confirmatur: Intantum non sunt immunes ab obligatione jejunii omnes Officiales, qui corporaliter laborant, sed debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio, ut ostendimus in expositione propositionis antecedentis, inquantum passim hujusmodi Officiales sine magno incommodo integrum diem transigunt laborando, ut Notarii, Pictores, Scribæ: atqui passim etiam cum minore incommodo, imo cum non levi oblectatione iter agitur a multis equo, aut curru commodo, saltem paucis diebus, vel uno die: ergo non sufficit hujusmodi iter ad deobligandum a jejunando: præsertim quia habentibus hujusmodi iter nullatenus suffragatur Declaratio illa Eugenii IV. quæ aliquatenus suffragatur corporaliter laborantibus juxta explicationem traditam.

VI. Quare ex dictis in propositione antecedente deducitur, quod ubi iter sit arduum, in quo fere omnes multum defatigentur, ut est iter pedestre majoris partis unius diei, puta 20. milliariorum, & iter equestre non paucorum dierum, si certum sit aliquem sine magno incommodo posse etiam jejunare, tenetur ad jejunium: si vero dubitet, poterit ex communiter contingentibus probabiliter opinari, quod magnum incommodum sit reportaturus, & ideo esse exemptus ab onere jejunii. Ubi vero iter non sit arduum, ille tantum erit exemptus, cui constat ex propria debilitate, aut ægritudine magnum incommodum esse reportandum: quod si de hoc dubitetur, adhibendum consilium Medici, vel peritorum, aut petenda dispensatio; aliter jejunandum: quia stat in possessione præceptum, & causa excusans est dubia; in dubiis autem melior est conditio possidentis; nisi forte detur rationabilis timor mali gravis, qui pariter ex benignitate Ecclesiæ ut diximus, sufficiens est, ut a jejunio deobligemur.

VII. Ad id, quod opponebatur, vid. Concionantem frequenter in anno probabiliter non teneri ad jejunandum tum in pervigilio concionis habendæ, tum etiam ipso die, quo concionatur, dicendum, sententiam hanc non esse admittendam, quando constat, quod aliquis sine magno incommodo possit jejunare simul, & concionari: quod si id non constet, tunc Concionator erit liber a jejunio, quia similiter ex communiter contingentibus poterit opinari, quod indigeat multiplici comestione ad obeundum cum fervore debito tantum munus, necnon ad vires conservandas pro concionibus proxime futuris.

VIII. Quod attinet ad illam aliam partem propositionis, quod scil. iter, licet arduum, etiamsi non sit necessarium, excuset a jejunio, dicendum cum communissima contra nonnullos apud Dian. loc. laud., neminem posse arripere iter non necessarium, aut aliter defatigari, puta pilæ ludo, aut hastiludio, vel venatione eo die, quo urget præceptum jejunii, præcise ut a jejunio deobligetur; cum nemo possit apponere impedimentum directum executioni præcepti jam urgentis. Ratio est, quia qui præcipit finem, præcipit etiam id, quod est necessarium ad talem finem; atque adeo Ecclesia præcipiendo jejunium, præcipit etiam, ne apponantur libere hæc impedimenta.

IX. Neque dicas cum Joann. Sanch. apud Dian. loc. cit. hominem habere jus ad iter habendum, venandum, ludendum, etiam eo die, quo præceptum urget:

urget: ergo poterit licite iter pedestre arripere in fraudem jejunii; Sicut in sententia Suarii, & Sanch., si Neapoli, v. g. detur aliquo die obligatio jejunandi, & Nolæ non detur ista obligatio, licite poterit Neapolitanus eo die adire Nolam, ne jejunet, cum in hoc non interveniat ulla fraus, sed fuga quædam obligationis præcepti.

Nam ex hoc ipso, quod præcipiatur ab Ecclesia jejunium, cessat jus ad iter illud habendum; Sicut ex hoc ipso, quod præcipiatur auditio Sacri, cessat jus, seu libera facultas manendi eo die domi; cum tenearis adire Ecclesiam ad Sacrum audiendum. Doctrina autem illa Suarii, & Tho. Sanch. cæteroqui verissima non est ad rem, quia, ut notant DD., in eo casu solum habetur fuga licita a loco, ubi præceptum urget, quin apponatur præcepto urgenti impedimentum directum, sicut apponeretur in casu nostro arripiendo iter non necessarium, vel lusum pilæ; ergo hæc nullatenus licent, dum præceptum urget. Solum hæc permittuntur tempore remoto a præcepto, v. gr. duobus diebus, & probabiliter etiam ex Tambur. lib. 3. in Decal. cap. 2. §. 3., uno die antequam urgeat præceptum jejunii, vel auditionis Sacri, poterit aliquis ire venatum, quamvis deinde non possit jejunare, aut Missam audire; Imo Sanch. lib. 1. Conf. cap. 1. dub. 7. cum Henriq. permittit etiam Magnatibus, & Equitibus ludum pilæ, & venationem eo ipso die, quo urget præceptum jejunii, dummodo id non fiat frequenter, sed semel, aut iterum, nec fiat in fraudem jejunii, sed directe intendatur illa honesta, ac licita recreatio consona proprio statui. Et similiter poterit haberi aliqua peregrinatio, vel flagellatio incompossibilis cum jejunio, præcise ex devotione; & non intendendo directe exemptionem a jejunio; dummodo id raro fiat, & multum ad Divinum honorem conferat, ut notat idem Sanch. dub. 11. aliter omittenda, aut differenda, quia a jejunio non excusat, ut docet D. Th. 2. 2. qu. 47. art. 4. ad 3. Pariter poterit quis die jejunii ad invisendos consanguineos, adire patriam pedester, & sic non jejunare, quamvis posset ire cum equo, & non eximi a jejunio, dummodo non eat pedester in fraudem jejunii, ut probabiliter docet idem Sanchez dub. 7. cum aliis. Ratio est, quia non datur obligatio abstinendi ab honestis, & justis laboribus ad servandum jejunium. Imo communius contra Tolet. apud Dian. p. 1. tract. 9. ref. 13. docent, non teneri Dominum servis illum solum laborem imponere, vel eos solum operarios vocare, qui cum moderato labore possunt jejunium servare; sed poterit consuetum laborem imponere servis, & quoscumque operarios vocare, licet jejunium ex impotentia non sint servaturi; cum non adeo stricte obliget hoc præceptum: ut ostendit consuetudo etiam a timoratis, & religiosis viris recepta.

X. Quæritur, Utrum itinerantes, si non reperiunt hora meridiana in cauponis cibum sufficientem, teneantur cœnulam serotinam sumere meridie, & cœnam differre ad tempus nocturnum, an vero sint a jejunio liberi: præsertim cum nonnulli putent cum Azor., & Fagund., apud Dian. ref. 33. esse mortale collationem mane sumere, eo quod ex consuetudine solum introducta sit pro tempore serotino, non pro matutino.

Ad quod dicendum cum Sanch. loc. cit. dub. 27., Cajet., & aliis teneri ad jejunium servandum, transferendo cœnam ad tempus nocturnum, nisi per accidens a nimia defatigatione excusentur. Cum enim ratio jejunii bene consistat, etiamsi mane cœnula sumatur, ut docent communiter; ideo quamvis sine causa non liceat cœnulam sumere mane, in casu nostro datur causa sufficiens, ut etiam citra veniale mane sumatur.

XI. Similiter advertit Sanch. dub. 32. itinerantes, & alios habentes, quod sufficit ex cibis Quadragesimalibus, si non possunt cum iis jejunare semel comedendo, possint tamen jejunare, si in refectione adhibeant ova, & lacticinia, teneri etiam in Quadragesima potius servare jejunium, & ovis vesci, quam, neglecto jejunio, vesci cibis Quadragesimalibus. Et ratio est eadem, quia cum ovis, & lacticiniis bene potest jejunium consistere: unde præstat servare legem jejunii præstantiorem, quam consuetudinem graviter obligatoriam abstinendi ab ovis.

XII. Utrum autem itinerantes, aliique possint in cœnulam sumere non solum pisciculos, aut exiguam partem piscis majoris, sed etiam piscem v. gr. sex unciarum cum duabus unciis panis, ita ut solum attendatur quantitas, non qualitas ciborum Quadragesimalium? Annuere videtur Bonacin. disput. ult. de Præc. Eccl. qu. 1. punct. 3. dicens, in serotina collatione non tam cibi qualitatem, quam quantitatem attendendam esse; adversus quem acriter invehitur Dian. p. 1. tract. 9. ref. 1. recensens innumeros Doctores oppositum sentientes, vocatque sententiam Bonac. improbabilem, nulla fultam ratione, aut auctoritate; cum cœnula ista introducta sit a consuetudine, quæ non patitur quancumque ciborum Quadragesimalium qualitatem, sed solum secundas mensas, pisciculos, vel tantillum magni piscis cum frusto panis; adeo ut nolint DD. ex solo pane posse octo uncias sumi. Sententiam Bonac. videntur etiam docere Marchant., Vvigers, Zambellus, Bizozerus, Pasqual., Machad., & alii apud eundem Dian. par. 9. tr. 6. ref. 8., qui tamen putat rejiciendam esse, utpote contra Ecclesiæ praxim, a qua desumenda est mensura, & qualitas collatiunculæ permissæ. Equidem censeo standum consuetudini timoratorum, quæ proculdubio ova, & lacticinia a cœnula amandat. Circa qualitatem vero aliorum ciborum non videtur adeo scrupulose agere; quamvis communiter a magnis piscibus abstineant, ac proinde sine rationabili causa ab hac praxi non est recedendum. Multo minus adhibendum est pulmentum ex sex unciis v. gr. panis, & duabus cremoris amygdalini, aut jusculum ex herbis aqua, & oleo elixatis, quod permittitur a Dian. p. 10. tract. 14. ref. 58. cum Rocaf., Vidal, Pasqual., & Bossio, putantibus aquam mixtam cibo cocto non augere cibi substantiam quoad nutritionem, sed solum alterare cibi qualitatem in ordine ad faciliorem concoctionem in stomacho; unde docent, quod sicut potest in collatione serotina panis permissus imbui vino, quamvis sic crescat in pondere, ita possit cum aqua concoqui, quamvis evadat jusculum.

Qua in re mirari non desinam, quod Dian., qui p. 1. tract. 6. ref. 1. tam acriter invehitur adversus Bonacinæ sententiam, (qui tamen l. c. non docet expresse, quod possint in cœnula sumi sex unciæ piscis majoris cum duabus panis, sed solum quod possit in ea sumi pisciculus, aut exigua pars piscis majoris, attendendo magis ad quantitatem, quam ad qualitatem cibi) vocatque sententiam hanc improbabilem, falsam, auctoritate, ac ratione destitu-

ftitutam; nunc tamen in hac ipsa resolutione 58. laudata, in qua iterum rejicit sententiam Bonacinæ, ad emolliendum tamen quoad ejus fieri potest jejunii præceptum, adhæret sententiæ permittenti in ea cœnula jusculum panis cocti, & in herbis aqua, & oleo elixatis, (esto non permittat juscula aliorum ciborum) cum tamen magis videatur opponi tam fini jejunii, quam consuetudini timoratorum hujusmodi jusculum, seu pulmentum, quam pisciculus, aut exigua pars piscis majoris: præsertim quia, ut notat Laym. lib. 4. tract. 8. cap. 1. num. 9., ignis concoctio plurimum mutat materiam subjectam, ut alium ex ea cibum faciat, nutritioni magis inservientem: unde Layman ab eodem Diana pro sua sententia perperam laudatus solum permittit hujusmodi jusculum in modica quantitate, aut si aliqua causa subsit, v. gr. stomachi infirmitas, cui calido jusculo subveniatur.

PROPOSITIO XXXII.

Non est evidens, quod consuetudo non comedendi ova, & lacticinia in Quadragesima obliget.

S Y N O P S I S.

I. Videtur consuetudo abstinendi ab Ovis in Quadragesima non esse obligatoria, cum non constet, quod introducta sit animo se obligandi.

II. Et quia non eodem modo tenemur abstinere ab ovis in Quadragesima, ac a carnibus.

III. Aliter deberet etiam obligare consuetudo abstinendi ab ovis in Dominicis Quadragesimæ, in Vigiliis, & in Feriis quatuor Temporum.

IV. Saltem non videtur obligare sub gravi.

V. Vetantur autem Ova in Quadragesima, tum vi juris scripti;

VI. Tum vi consuetudinis, quæ ex communi traditione est obligatoria. VII. Et quidem sub gravi.

VIII. Abstinentia tamen ab Ovis non spectat ad substantiam jejunii, ut abstinentia a Carnibus.

IX. Etiam in Dominicis Quadragesimæ ab ovis abstinendum. X. At in jejuniis extra Quadragesimam solum in iis regionibus, ubi viget consimilis consuetudo. XI. Ex hoc quod thesis proscripta non loquatur de jejuniis extra Quadragesimam, non infertur, quod in iis licitum sit vesci ovis.

XII. Etiamsi Clerici tenerentur servare consuetudinem Sæcularium; Religiosi tamen non tenentur servare consuetudines aut Sæcularium, aut etiam Clericorum, nisi forte ad vitandum scandalum.

XIII. Undenam constet consuetudinem aliquam sub gravi obligare?

XIV. Num dispensatus ad ova, & lacticinia possit etiam uti sagimine, & larido?

I. Exponitur. Dubitarunt DD. apud Fag. Præc. 4. cap. 2. Num jure communi interdicatur esus ovorum, & lacticiniorum in Quadragesima, & an interdicatur sub veniali tantum? In controversiam deinde revocarunt, an saltem ex consuetudine teneamur iis abstinere? Nec defuit, qui etiam consuetudinem ad id obligantem ausus fuerit negare, ductus ex eo, quod ad consuetudinem obligantem introducendam plurima requirantur; præsertim quod ea sit introducta a populo animo se obligandi, & quod ab Episcopo saltem sit approbata. Cum autem de his requisitis non constet, & in dubio melior sit conditio libertatis possidentis, ideo nonnemo docuit, ne ex consuetudine quidem nos obligari ad abstinendum ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima.

II. Confirmatur primo: quia si eodem modo sive ex jure communi, sive ex consuetudine teneremur abstinere a carnibus, ac ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima, sequeretur, quod sicut ille, qui facultatem habet edendi carnes, censetur in communiori sententia apud eundem Fag. num. 3. a jejunio liber, ita pariter deberet esse a jejunio liber, qui facultatem habet comedendi tantum lacticinia; quod tamen non admittitur, quia solum abstinentia a carnibus dicitur spectare ad substantiam jejunii: ergo non tenemur eodem modo a carnibus, ac ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima abstinere.

III. Confirmatur secundo; quia si ex vi consuetudinis obligaremur ad abstinendum a lacticiniis tempore Quadragesimali, obligaremur pariter ad abstinendum ab illis etiam diebus Dominicis in Quadragesima; imo etiam in Vigiliis, & jejuniis quatuor Temporum extra Quadragesimam; atqui de hac consuetudine habente vim præcepti in Dominicis Quadragesimæ, & in jejuniis extra Quadragesimam non constat: ergo neque de consuetudine, quæ obliget in Quadragesima.

IV. Denique transmisso, quod hæc consuetudo obliget, non obligat tamen sub gravi, sed tantum sub veniali, cum odia sint restringenda ex Reg. 15. Juris in 6. Quod videtur etiam dicendum post proscriptionem hujus propositionis, in qua solum damnatur, quod ea non obliget; qui autem dicit eam obligare sub veniali, non dicit eam non obligare; ergo etiam post proscriptam thesim sustineri poterit, quod non detur consuetudo graviter obligans ad abstinendum ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima. Et a fortiori idem dicendum in Dominicis Quadragesimæ, quas ad Quadragesimam non pertinere docent Henr. Machado, Escobar, & alii apud Dian. p. 10. tr. 12. ref. 46. Et multo magis in jejuniis extra Quadragesimam, in quibus Sanch., & alii apud Dian. p. 1. tr. 6. ref. 41. docent nullatenus aut ex jure, aut ex consuetudine ova, & lacticinia prohiberi.

V. Ostenditur falsitas. Et primo quidem quod non solum ex evidenti, & indubitabili consuetudine teneamur a lacticiniis, & ovis in Quadragesima abstinere, sed etiam ex jure scripto, docent communius apud Mendo diss. 8. sect. 3. ex cap. *Denique* dist. 4. ubi D. Greg. ait: *Par est, ut qui his diebus a carnibus animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam trahunt originem carnis, jejunemus, a lacte vid. caseo, & ovis.* Et quamvis non pauci apud Fag. loc. laud. putent, quod verba illa *Par est* non contineant præceptum saltem grave; communius tamen illa interpretantur de præcepto graviter obligante, tum ratione gravitatis materiæ; tum quia eodem modo vult Pontifex nos a carnibus ac ab iis, quæ sementinam originem carnis trahunt, abstinere; atque adeo videtur velle utrumque eodem modo, & sub mortali prohibere; tum demum

quia D. Greg. in eo capite respondens Augustino Anglorum Episcopo interroganti: Num præceptum abstinendi a carnibus importaret pariter obligationem abstinendi etiam ab ovis, & lacticiniis, dixit, Par esse, ut ab utrisque jejunemus; non quidem inducendo novum jus, ut notant DD. sed explicando jus antiquum, quod scil. eodem modo ab utrisque abstinere teneamur. Quare verba illa *Par est* non possunt intelligi de obligatione solum veniali, ut contendunt Aragona, Palatios, aliique cum Glossa. Quod ex eo etiam evincitur, quia universim quodvis præceptum Ecclesiasticum in materia gravi obligat sub gravi, quoties consuetudo aliter illud non interpretatur, ut passim DD. animadvertunt; aliter hæc propositio, quæ declarat consuetudinem abstinendi a lacticiniis in Quadragesima obligare, non addendo, quod obliget graviter, intelligi posset de obligatione tantum levi, quod nemo dixerit, ut infra ostendemus.

Confirmatur, quia in Canone 56. Sextæ Synodi Trullanæ sub pœna excommunicationis prohibetur esus lacticiniorum in Quadragesima, ut videre est apud eundem Fagun. l. c. ergo saltem ex hoc jure scripto datur gravis obligatio in re præsenti. Quia tamen nonnulli docent Canones istos non fuisse a Sergio Papa approbatos, eo quod multis scaterent erroribus, idcirco non pauci docuerunt, ne ex illo cap. *Denique*, neque ex hoc Can. Synodi Trullanæ, neque ex alio jure scripto constare de hac gravi obligatione: quam sententiam Alex. VII. in præsenti noluit damnare; solumque declaravit, consuetudinem istam evidenter esse obligatoriam.

VI. Progredimur proinde ad ostendendum, dubitari non posse de hac consuetudine obligatoria: de hac enim testantur supra centum Episcopi, qui adfuerunt Synodo Trullanæ celebratæ anno 692., de illa est communis traditio immemorabiliter recepta: de eadem vix est reperire tot inter DD. qui dubitet; proinde esto requiratur ad consuetudinem obligatoriam, ut animo se obligandi fuerit introducta, & quod consuetudo tanquam ex obligatione, non ex devotione introducta, deinde a Pontifice, vel ab Episcopo approbetur, certo certius asserendum, requisita isthæc omnia in casu nostro adfuisse: quamvis aliunde probari non possint: nisi a posteriori, vid. ex hac firma, & communissima persuasione, quod ista consuetudo obliget. Aliter de qualibet consuetudine immemorabiliter introducta dubitare possemus, an fuerit cum debitis requisitis introducta, & sic ab ejus obligatione essemus liberi: quod quam sit absonum, nemo est, quin videat.

Confirmatur: quia Trid. sess. 13. c. 7. non aliunde nobis declarat obligationem præmittendi confessionem mortalium communioni, quam ex Ecclesiastica consuetudine; & cap. 7. loquens de consuetudine servata semper ab Ecclesia, quod laici a Sacerdotibus communionem accipiant, Sacerdotes vero celebrantes seipsos communicent, addit, morem hunc tanquam ex traditione Apostolica descendentem retineri debere; idemque passim docet de similibus consuetudinibus, quamvis aliunde non constet illas esse obligatorias, quam ex communi fidelium persuasione, quod ex Apostolica traditione emanarint: ergo in casu nostro communis fidelium persuasio, quod consuetudo abstinendi a lacticiniis in Quadragesima sit obligatoria, habueritque requisita ad obligandum, sufficit, ut de hujusmodi obligatione non sit dubitandum.

VII. Hinc infertur, consuetudinem istam non solum obligare, sed etiam evidens esse, quod obliget sub gravi: quamvis id in proscriptione hujus thesis non exprimatur. Ratio est eadem: ideo enim consuetudo ista est evidenter obligatoria, quia est communis persuasio Fidelium, & communissimus Theologorum sensus, quod obliget, esto non constet aliunde, quod habuerit olim omnia, quæ requiruntur ad hoc, ut aliqua consuetudo obliget; atqui est consimilis Fidelium persuasio, & Theologorum unanimis consensus, quod obliget graviter: ergo evidens pariter est, quod sit graviter obligatoria: Propterea qui doceret post hanc propositionem proscriptam, consuetudinem istam obligare tantum sub levi, si minus explicite contradiceret definitioni Pontificis, implicite certe contradiceret.

VIII. Ad rationem in contrarium, diximus, communissimum Fidelium, & Theologorum sensum de obligatione talis consuetudinis expellere omnem dubitationem, an habuerit olim requisita ad obligandum; ac proinde evidenter est obligatoria.

Ad primam confirmationem: etsi plerique passim doceant cum Med., Cord., Nav., Azor. Cajet., & aliis apud Fagund. loc. laud., quod dispensatus ad carnes comedendas sit eatenus a jejunio dispensatus, quia tota substantia jejunii videtur in abstinentia a carnibus consistere, non vero in unica comestione; unde, sublata priori prohibitione substantiali, corruit altera accidentalis: Nihilominus non pauci id negant: Et Less. Victoria, Rodriq. Bon. Reg. Ortiz, aliique apud Dian. p. 1. tr. 9. res. 25. ita distinguunt, dicendo, quod si ad carnes aliquis dispensetur ob ægritudinem, solutus pariter sit a jejunio: secus vero si ad carnes dispensetur, quia non solum a piscibus, & oleo, sed etiam ab ovis, & lacticiniis grave detrimentum sustineret; debitor enim, qui non tenetur ad totum, quod non potest, tenetur solvere partem, quam potest. Et Clementi XI. nunc temporis regnanti placuit sententiam hanc tanquam magis rationi consonam Romæ in praxim deduci, esto ad id non obligarit pro universa Ecclesia. Verum, esto ad substantiam jejunii spectet abstinentia a carnibus, adeo ut sine illa jejunium non consistat; abstinentia vero ab ovis, & lacticiniis non spectet ad essentiam jejunii, ut proinde omnes doceant, quod dispensatus ad ista teneatur jejunare; hinc non fit, quod non possit abstinentia a lacticiniis graviter a lege, vel consuetudine prohiberi: Sufficit enim, quod sit materia de se gravis, ut possit cadere sub præceptum graviter obligatorium; propterea neganda est sequela majoris, etiam transmisso quod præsupponitur. Et ratio ulterior est, quia carnes, utpote validam sustentationem exhibentes, videntur jejunium omnino deturbare, secus vero lacticiniorum comestio: ideo quamvis utrumque prohibeatur graviter, dispensatus tamen ab utroque Medico, Spirituali, & Corporali ad carnes comedendas, censetur eatenus a jejunio solutus, non tamen qui ad lacticinia duntaxat dispensatur.

IX. Ad secundam Confirmationem, in qua multa tanguntur, seorsim de singulis agemus. Quod attinet ad Dominicas in Quadragesima, abstinendum ab ovis, & lacticiniis iis diebus saltem vi ejusdem evidentis consuetudinis obligatoriæ, qua tenemur in aliis quadraginta diebus ab iis abstinere; cum pariter pro hac consuetudine stet communis Fidelium persuasio, & consensus fere omnium Theologorum, pauculis exceptis apud Dian. loc. laud. immemorabilem

bilem autem consuetudinem fixam, & pacificam, nullatenus concutit auctoritas unius, aut alterius Theologi revocantis illam in controversiam, ex eo quod nunc non appareat, an olim habuerit requisita ad obligandum. Præterquamquod isthæc obligatio habetur etiam ex jure scripto, non secus ac obligatio abstinendi a lacticiniis in aliis diebus Quadragesimæ; etenim, ut advertit Sanch. l. 1. Conf. c. 1. dub. 19. in dicto cap. *Denique* prohibentur lacticinia in Quadragesima; atqui etiam dies Dominici sunt dies Quadragesimæ; ergo etiam in Dominicis prohibentur. Minor probatur ex Cap. *Quadragesima* de Consecrat. in 6., ubi dicitur, diebus Quadragesimæ jejunandum præter dies Dominicos: ergo dies Domini sunt vere dies Quadragesimæ: aliter inepte exciperentur. Similiter in laudato Can. 16. Sextæ Synodi reprobatur usus comedendi in Dominicis Quadragesimæ lacticinia: ergo ex jure etiam scripto ea prohibentur; quicquid in contrarium dixerit Pasqualigus apud eundem Dianam, qui deinde in secunda editione cecinit palinodiam, & argumenta omnia in favorem sententiæ oppositæ dissolvit.

X. Quod vero attinet ad jejunia extra Quadragesimam, major difficultas est, Utrum in illis etiam ova, & lacticinia interdicantur? Covar., & Gomez apud Sanch. l. c. dub. 20. censet interdici; quia scilicet ratio prohibitionis, qua in Cap. *Denique* laudato ea interdicuntur in Quadragesima (vid. ut iis diebus, quibus jejunatur, a lacticiniis abstineamus) militat etiam pro reliquis jejuniis; & quia in Cap. *Rogationes* de Consecr. dist. 3. dicitur in his jejuniis *utendum cibis Quadragesimalibus*; cum autem lacticinia non sint cibi Quadragesimales, videntur vetari. Communius tamen sententia negat jure communis ea prohiberi: In primo enim textu laudato solum est sermo de Quadragesima, & ideo non potest ea prohibitio extendi ad jejunia extra Quadragesimam; tum etiam quia sumus in pœnalibus, & pœnæ sunt restringendæ, favores tantum ampliandi: tum demum quia in Quadragesima pœnitentia, & consequenter abstinentia debet esse rigidior, quam extra illam. Deinde verba illa in Cap. *Rogationes* communissime intelliguntur, quod abstinendum sit a carnibus, quæ per se vetantur, & quarum abstinentia pertinet ad essentiam jejunii, non vero de lacticiniis, ut notat Fag. l. 1. num. 42.

Quamvis autem jure communi ova, & lacticinia in jejuniis extra Quadragesimam non interdicantur, dubitatur tamen, Utrum vi consuetudinis detur obligatio ab iis abstinendi, non secus ac in Quadragesima, si minus pro tota Ecclesia, saltem in iis regionibus, ubi viget ea consuetudo? Sanchez dub. 21. inquirens, Utrum in Hispania consuetudo ista sit obligatoria? docet dubitari, an introducta fuerit a majori parte populi animo se obligandi; & quia in dubiis melior est conditio possidentis, ideo censet consuetudinem istam in Hispania non esse obligatoriam. Equidem præscindendo, num in hac, vel alia regione consuetudo illa sit obligatoria, solum assero hypothetice, quod sicubi talis consuetudo esset immemorabilis, prout est consuetudo pro tempore Quadragesimali, & communiter timorati eodem modo a lacticiniis abstinerent in iis jejuniis, non ex ignorantia, sed ex communi persuasione, quod detur ista obligatio, procul dubio ea esset obligatoria, quamvis ignoretur, utrum fuerit introducta a populo animo se obligandi. Ratio est, quia communis ista persuasio indicat præfuisse requisita ad tale obligationem inducendam per consuetudinem, ut omnes dicimus de consuetudine pro tempore Quadragesimali: Et hac de causa Diana in Summa V. *Jejunium* num. 56. dicit, consuetudinem abstinendi a lacticiniis in Vigiliis, & quatuor anni Temporibus in Sicilia videri gravem, & sub mortali receptam etiam apud Regulares.

XI. Neque obstat, quod passim auditur, vid. Alex. VII. in hac propositione solum loqui de consuetudine ista in Quadragesima: ergo videtur aliter sentire de consuetudine abstinendi a lacticiniis in aliis jejuniis, cum exceptio firmet regulam; aliter declarasset, consuetudinem istam in omnibus jejuniis esse obligatoriam. Nam contra est primo, quia ideo Pontifex loquitur solum de consuetudine in Quadragesima, quia hæc est universalis pro tota Ecclesia; consuetudo autem pro aliis jejuniis non est universalis, atque adeo solum in iis regionibus est sub gravi servanda, ubi forte est obligatoria, habetque charactères omnes obligationis instar consuetudinis in Quadragesima. Secundo, quia, ut notavimus in expositione primæ propositionis, solum in lege præceptiva, aut prohibitiva attendenda sunt verba legis, & ea stricte interpretanda; ut proinde, si prohiberentur ab Alex. VII. lacticinia in Quadragesima, lex ista non deberet extendi ad alia jejunia; at in propositionibus damnatis attendenda est ratio condemnationis, quæ si æque militet in aliis casibus, condemnatio implicite etiam ad illos casus se extendit. In casu nostro ratio, cur definiatur ab Alex. VII. consuetudinem abstinendi a lacticiniis in Quadragesima esse obligatoriam, est, quia non est dubitandum de tali obligatione, quando communis persuasio populi illam evidenter ostendit, etiamsi ignoretur, an introducta fuerit talis consuetudo cum debitis requisitis: propterea si hoc idem in aliqua regione, aut pro tota Ecclesia militaret pro pro consuetudine abstinendi a lacticiniis in aliis jejuniis, certe implicite damnatum etiam censendum esset ab Alex. VII. in condemnatione hujus propositionis, quod consuetudo pro aliis jejuniis sit non etiam evidenter obligatoria.

XII. Illud advertunt DD. cum Sanchez loc. cit. & Dian. p. 5. tr. 14. ref. 13. Religiosos non obligari ad observandas consuetudines particulares Sæcularium, immo nec Clericorum, nisi forte eas acceptarint etiam ut obligatorias, quia cum sint diversi eorum status, diversæ sunt pariter consuetudines, & abstinentiæ, ut notant Sylv., Ledes., & alii; puta si consuetudo abstinendi a lacticiniis aliquibus diebus sit particularis alicujus regionis, non obligantur Religiosi, qui illam non acceptarunt; quamvis teneantur scandalum vitare: Quicquid sit, an Clerici teneantur servare consuetudines particulares obligatorias Sæcularium? quod non pauci negant contra Suar., & Pal. apud eundem Dian. putantes teneri, cum eximantur a Jurisdictione Episcopi, a quo consuetudines habent, quod sint obligatoriæ.

XII. Denique quod hæc consuetudo abstinendi a lacticiniis in Quadragesima obliget sub gravi quamvis in hac propositione proscripta non exprimatur, constat ex dictis; tum quia materia est gravis, & magnæ ædificationis; leges autem, ac consuetudines Ecclesiasticæ in materia gravi semper graviter obligant, nisi aliunde constet oppositum;

O 2 gravi-

tum etiam quia, qua ratione evidens est dari consuetudinem istam obligatoriam, ea pariter evidens est esse obligatoriam sub gravi; quia scilicet id habetur ex communissimo Fidelium sensu, & consensu Theologorum, ita ut de transgressione populus scandalizetur, timorati non bene sentiant, & a Superioribus transgressores puniantur.

XIV. Illud dubitatur, An habens facultatem comedendi lacticinia diebus jejuniorum, possit etiam comedere sagimen, & laridum? Affirmant Sylv., Rosella, Hostiensis apud Fag. l. c. n. 49. cum aliis apud Dian. p. 1. tr. 9. ref. 21. Communiter tamen negant; nisi forte in aliqua regione ratione inveteratæ consuetudinis id permittatur; sicut ratione consuetudinis permittuntur etiam intestina animalium die Sabbati apud Castellanos in Hispania, ut notat Sanch. l. 3. disp. 18. n. 19. & in aliquibus Provinciis propter olei penuriam introductum est, quod sagimine uti possit pro oleo etiam iis diebus quibus tenentur ab ovis, & lacticiniis abstinere, ut advertit Mendo differt. 80. qu. 4. quod cum fiat scientibus, & tacentibus Prælatis, qui in hoc possunt dispensare, censentur in hoc dispensasse.

PROPOSITIO XXXIII.

Restitutio fructuum ob omissionem Horarum suppleri potest per quascunque eleemosynas, quas antea Beneficiarius de fructibus sui Beneficii fecerit.

SYNOPSIS.

De hac Thesi abunde in expositione 20.

De hac propositione satis superque dictum est in expositione propositionis 20.

PROPOSITIO XXXIV.

In die Palmarum recitans Officium Paschale satisfacit præcepto.

SYNOPSIS.

I. Graviter peccat, qui in recitatione Horarum notabiliter discedit a forma in Breviario præscripta.

II. in dubium revocarunt, an habeatur notabilis recessus ab ea forma per hoc, quod Officium Resurrectionis recitetur die Palmarum. III. Videtur hæc esse accidentalis variatio. IV. Aliter nunquam posset Officium pro Officio recitari. V. Sic accidentaliter variatur ritus Missæ, legendo die Palmarum Missam Defunctorum. VI. Hinc posset quotidie citra mortale recitari Officium Paschale. VII. Verum variatio est substantialiter diversa, si pro Officio trium Nocturnorum recitetur Officium unius Nocturni, sicut si Vesperæ brevissimæ Sabbati Sancti quotidie recitentur.

VIII. Ita fert sensus communissimus Theologorum.

IX. Valde etiam indecens est, quod die lugubri Palmarum recitetur Officium Paschale. X. Est pariter variatio substantialis Rituum, si passim Officium pro Officio recitetur. Non est arduum explicare, quomodo possint leves istæ variationes ritus quotidianæ in unum coalescere. XI. Ex confixione hujus Thesis sequitur non satisfieri præcepto recitationis horarum, si ritus varietur notabiliter. XII. Quænam autem sit notabilis, & substantialis variatio ritus, indicat communis sensus Theologorum. XIII. Ritus non variatur substantialiter, si aliquando Officium in consimile permutetur. XIV. Secus vero, si permutetur in Officium ritus Extraordinarii, aut si permutetur frequenter. XV. Etiam in Missa variare Ritum substantialiter est culpa lethalis.

XVI. Quid si inadvertenter Officium pro Officio recitatum sit?

XVII. Præstat recitare Officium brevius integrum, quam longius mutilare, quando integre recitari non potest. XVIII. Quod si quis nequeat sine Socio Horas recitare?

XIX. Num sub mortali recitari debeat Officium Defunctorum 2. die Nov. aut Litaniæ diebus Rogationum, & S. Marci?

I. Exponitur. Cum Pius V. in sua Bulla, quæ in Breviario habetur, præceperit in virtute S. Obedientiæ, quod non aliter Horæ Canonicæ recitentur ab iis, qui ad illas obligantur, quam juxta ritum in eo Breviario præscriptum, addens, *Neminem ex his, quibus hoc dicendi munus necessario impositum est, nisi hac sola formula satisfacere posse*, sequitur aperte mortaliter peccari ab iis, qui notabiliter ab ea formula discedunt; venialiter vero ratione parvitatis materiæ ab iis, qui citra rationabilem causam ab ea discedunt, sed non notabiliter.

II. Difficultas tamen apud Theologos non levis est, Utrum formulam Breviarii notabiliter varient, qui officium pro officio recitant? Prima sententia apud Gobat. tr. 5. disp. 3. n. 858. cum Tolet. Bonac. Palao, Busemb., & aliis docet, quamcumque officii mutationem importare notabilem deviationem a formula præscripta, & esse mortaliter peccaminosam, ut proinde sicut non satisfaceret præcepto recitandi Horas, qui interim psalterium recitaret, vel innumeras alias orationes, ita nec satisfaceret, qui die alicujus Sancti recitaret officium Dominicæ, vel e contra, eo quod non perageret pensum impositum, sed aliud longe diversum. Secunda sententia extreme opposita, pro qua Gobat dicit 34. Scriptores nominari, docet quamcumque officii pro officio mutationem esse levem, atque adeo nunquam in ea culpam gravem, reperiri; quia scilicet in quolibet officio habetur ritus substantialis a Pio V. præscriptus, vid., quod constet septem horis, psalmis, lectionibus, orationibus &c., & istorum variatio est mere accidentalis, sicut est mere accidentalis variatio unius Missæ in aliam, dummodo servetur ritus substantialiter præscriptus, quod scilicet constet Introitu, Epistola, Evangelio &c. Advertit tamen Illsung. tract. 5. disp. 1. n. 6. quod DD. isti a Gobat laudati nonnisi pauci excusent a mortali, qui frequenter officium pro officio recitaret, & solus Caramuel absque alio Auctore admittat, quod etiam officium Paschæ Resurrectionis, & Pentecostes possit absque mortali quolibet anni die recitari; quam tamen sententiam deinde retractavit in secunda editione sui operis

nu. 1489. quippe quæ adversatur communi Fidelium, & DD. sensui, ut fuse ostendit Dian. p. 1. tr. 1. res. 26. Tertia sententia cum Suar. Fell. Baldel. Regin., & aliis docet graviter peccari, quoties in fraudem mutatur officium in notabiliter brevius, & quoties frequenter mutatur in æquale; quia in his casibus videtur notabilis discessus a ritu, & formula sub gravi præcepta. Et Bassæus addit graviter etiam peccari, si in aliqua principali festivitate, puta in Nativitate Domini officium mutaretur, ob notabilem neglectum cultus Divini. Quarta demum sententia, quam Sanchez putat probabiliorem cum Vasq. Navar. Escobar, Rodriq. Tamb. tenet, solum frequentiam mutandi officium ferre lethalem culpam, ac proinde leviter peccari, si semel, aut iterum officium de Sancto subrogetur officio Dominicæ, etiamsi illud sit valde brevius: nusquam tamen docent expresse posse officium Resurrectionis, vel Pentecostes extra suas octavas recitari citra mortale; cum unus Caramuel id asseruerit citra solidum fundamentum, ut proinde postea cecinerit palinodiam.

III. Fundamentum, quod adducitur ad ostendendum satisfacere præcepto recitantem officium Resurrectionis quolibet die, etiam die Palmarum, est, quia quoties non variatur notabiliter ritus a Pio V. graviter impositus, non peccatur lethaliter, & præcepto recitandi horas satisfit: sed mutare officium Palmarum in officium Resurrectionis non fert variationem notabilem ritus præscripti: ergo præcepto satisfit. Minor probatur, quia ad formam substantialem ritus præscripti solum spectat, quod officium constet septem horis cum suis psalmis, lectionibus, orationibus: quod autem hoc, vel illud officium recitetur, est variatio accidentalis formæ præscriptæ: Aliter etiam qui semel officium pro officio recitaret, peccaret graviter; quod quamvis nonnulli docuerint, communissime tamen negatur.

IV. Confirmatur primo, quia plurimi DD., qui docent posse aliquando officium pro officio recitari citra mortale, ut Cajet. Soto, Valen. Less. Azor., non excipiunt officium Paschale: ergo ex horum plurimorum sententia, sicut potest quodvis aliud officium permutari, ita etiam officium Palmarum in officium Paschale.

V. Confirmatur secundo, quia non censetur substantialiter mutare formam, ac ritum præscriptum, qui die Palmarum recitaret Missam votivam de Passione D., aut Missam Defunctorum, quamvis istæ Missæ sint longe breviores ea, quæ die Palmarum præscribitur; quia scilicet solum spectat ad ritum Missæ substantialem, quod ea constet Introitu, Epistola, Evangelio, &c.; quod autem hæc, vel illa Missa dicatur, spectat ad ritum accidentalem: ergo neque in casu nostro habetur substantialis variatio ritus, si recitetur officium Resurrectionis die Palmarum.

VI. Ex quo fit, neque peccari graviter, si quotidie officium Resurrectionis officio præscripto subrogetur: sicut enim non peccat graviter, qui singulis diebus Quadragesimæ quid parum comedit extra cœnam, & cœnulam, ut communiter docent apud Dian. p. 2. tr. 12. res. 3., neque peccat graviter, qui quotidie omittit in recitatione horarum unum Psalmum, quia materiæ istæ parvæ, cum spectent ad diversa præcepta suis diebus affixa, non coalescunt in unum, nec conflant materiam gravem: ita variatio ista accidentalis officii pro officio, etiamsi quotidie fiat, non conflat variationem substantialem; atque adeo ad culpam gravem non pertingit. Pro qua opinione, & praxi fuisse Suarium suspicatur Caramuel disp. 16. in Regul. S. Bened. n. 1438. ubi adnotans, Eximium Doctorem quotidie fere octodecim horis studio vacasse, dubitat, an sex residuis horis potuerit somnum capere, comedere, Sacrum facere, & horas recitare? & subdit: Forte singulis diebus legebat Officium de Resurrectione.

VII. Ostenditur falsitas. Et primo quidem, quod non satisfiat præcepto non solum die Palmarum, sed nec quolibet alio die extra suas octavas, recitando Officium Resurrectionis, aut Pentecostes, quæ uno tantum Nocturno constant, ex eo videtur evinci, quia formula ista recitandi Officium cum uno tantum nocturno continente tres Psalmos est extraordinaria, & notabiliter diversa a communi, & ordinario ritu: ergo variatio istorum Officiorum est substantialiter diversa; ut proinde citra mortale nequeat Officium unius nocturni Officio trium nocturnorum subrogari: Sicut Vesperæ, quæ die Sabbati Sancti recitantur cum uno tantum brevissimo Psalmo, habent ritum extraordinarium affixum illi diei, adeo ut nemo somniarit posse citra mortale singulis diebus satisfieri præcepto recitandi Vesperas per recitationem illarum Vesperarum.

VIII. Quod a posteriori fit perspicuum ex sensu Theologorum; Quamvis enim non pauci censeant citra mortale posse semel, aut iterum Officio diei Dominicæ subrogari Officium de Sancto, cum quo valde discrepat in pluralitate Psalmorum; solus tamen Caramuel (cui aliquatenus tantum adstipulantur cum suis limitationibus Th. Hurt. Clericorum Minorum familia, & uterque Leander) docuit variationem cujuscunque Officii in Paschate esse accidentalem: ergo juxta sensum communissimum ea est variatio substantialis, quæ impedit, quominus præcepto satisfiat: præsertim quia idem Caramuel re maturius perpensa cecinit palinodiam, & communissimam sententiam probavit ex cap. *In die* de Consecr. dist. 5., ubi Greg. VII. hæc habet: *Qui in quotidianis diebus tres tantummodo Psalmos, & tres lectiones celebrare volunt, non ex regula SS. Patrum, sed ex fastidio, & negligentia probantur hoc facere: Romani vero diverso modo agere cœperunt. Nos autem ordinem Romanum investigantes, & antiquos Patres, statuimus fieri sicut superius prænotavimus*: ergo ex antiqua consuetudine, & lege Pontificis vetamur extra tempus Paschæ, & Pentecostes Matutinum cum tribus duntaxat Psalmis, & Lectionibus celebrare: quod præceptum, cum sit in materia gravi, obligat sub mortali, atque adeo non satisfacit præcepto, qui Officia Paschæ, & Pentecostes recitat extra illas Octavas. Quamvis autem in propositione damnata id non exprimatur in hac universalitate, communis tamen doctrina fert, quod ubi est eadem ratio, ibi sit eadem legis dispositio, non quidem extensive, sed comprehensive.

IX. Deinde a fortiori non satisfacit, qui Officium Resurrectionis recitat die Palmarum, prout in præsenti thesi exprimitur, Et ratio est, quia præter illam mutationem substantialem ritus Extraordinarii in Ordinarium, datur etiam notabilis variatio quoad Officii qualitatem: maxime enim videtur dedecere, quod ritus proprius lætissimæ Dominicæ Resurrectionis adhibeatur pro ritu lugubri addicto Do-

Dominicæ Palmarum: etenim si maxime dedecet, ut Bassæus, & Reginald. notant, die v. g. Nativitatis Domini celebrare de sancto, vel die Palmarum de Ascensione, eo quod hæc variatio videatur præseferre notabilem neglectum cultus Divini, a fortiori dissonabit die Palmarum recitare Officium Resurrectionis.

X. Denique multo minus præcepto satisfaciet, qui singulis diebus Officium Resurrectionis recitabit; quia præter utramque notabilem variationem ritus adductam, habetur tertia notabilis variatio rituum orta ex frequentia mutationis unius Officii in aliud; quod esse lethale, communior, ut diximus, & probabilior fert opinio. Quamvis enim mutatio unius Officii in aliud etiam brevius semel, aut iterum, aut raro a multis censeatur parva, & accidentalis, adeo ut si ex rationabili causa fiat, excuset etiam a veniali; (ut si quis iter agens recitet Officium, quod scit memoriter, omisso alio, quod sine magno incommodo non potest legere: aut si quis Concionator, Prælector, Oeconomus gravibus aliquando occupationibus detineatur; & forte etiam si quis ex magna erga Sanctum aliquem devotione velit semel in anno de illo Officium recitare) at frequens Officii mutatio quomodo poterit non esse notabilis, & substantialis, & a mortali excusare? Cum enim præcipiatur in virtute S. Obedientiæ a Pio V., quod Officium juxta formulam in Breviario præscriptam recitetur, nec possit a mortali excusare, nisi parvitas materiæ, poterit quidem censeri materiæ parvitas, si aliquando, sed raro, unum Officium in alterum ordinarii ritus permutetur; non tamen si permutetur quotidie, aut frequenter.

Verum quidem est, quod si quis quotidie Psalmum omittat, nunquam graviter peccabit: eo quod istæ materiæ leves moraliter non continuentur; sicut nec peccabit graviter, qui tota Quadragesima singulis diebus parum comedit extra suas horas: At non proinde erunt semper materiæ leves quotidianæ mutationes officiorum. Disparitas, quæ Moyæ videtur perdifficilis, facile assignari poterit cum Gobat. l. c. dicendo, posse procul dubio alienam legem ita ferri, & introduci, ut non obliget graviter; nisi agatur contra illam cum frequentia, quæ contemptum denotet; ut absentia frequens Canonici a Choro, diu abstinere ab eroganda aliqua eleemosyna, & similes: Hujusmodi autem esse legem hanc de non mutanda forma, & ritu præscripto in breviario, videtur evinci tum ex sensu fere communi DD., ita ut ad quinquaginta Scriptores, inter quos non paucos primi subsellii, adducat pro hac opinione idem Gobat; tum ex eo, quod scandalizarentur homines, si scirent aliquem toto anno ritum præscriptum perturbare, Superiores illum punirent, Confessarii non absolverent, si persisteret: ergo quamvis citra mortale possit aliquando Officium habens ritum ordinarium in aliud simile permutari, ut fert etiam sensus fere communis Theologorum, non poterit tamen frequenter: sicut nec potest eodem die in singulis septem horis Canonicis omitti unus Psalmus, etiam in sententia Lessii, & aliorum docentium præceptum recitandi horas æquivalere septem præceptis. Contra vero citra mortale poterit quotidie aliquis Psalmus omitti, quia ex nullo capite habetur latam esse legem, quæ graviter obliget ad non omittendam in horis Canonicis frequenter materiam levem: sensus enim communissimus est, quod istæ materiæ leves nunquam coalescunt in unum; Idemque dicas de eo, qui parum comedit singulis diebus Quadragesimæ. Ecce itaque disparitatem fundatam in sensu fere communi, quod leges non eodem modo obligent in utroque casu: Integrum autem est judicium, quod plurimorum sententiis confirmatur; ut habetur in Cap. *Prudentiam* de Off. Judicis Delegati. Peccat itaque graviter, & præcepto non satisfacit non solum qui Officium Resurrectionis recitat die Palmarum, sed etiam qui Officia Octavarum Paschæ, & Pentecostes recitat extra illas Octavas, & qui frequenter alia Officia permutat: Sicut peccaret graviter, qui Missam v. gr. Defunctorum quotidie recitaret, etiam diebus Solemnibus Paschæ, & Nativitatis Domini, ut notat Tamb. l. 3. de Sacrif. Miss. cap. 6. ex Gavant. p. 3. t. 11., quia frequens mutatio ritus præscripti censetur sub gravi prohiberi, eo quod præseferat quendam contemptum.

XI. Dices: Alexander VII. solum damnat, quod satisfiat præcepto per recitationem Officii Resurrectionis die Palmarum: ergo hinc erui potest nullam aliam mutationem, aut mutationis frequentiam importare culpam lethalem; cum exceptio firmet regulam in contrarium.

Sed contra, quia ex hac ipsa propositionis condemnatione manifeste eruitur, falsum esse principium, in quo sententia illa fundabatur, vid. quia solum spectat ad substantiam ritus præscripti, quod Officium constet septem horis Canonicis, reliqua vero videantur spectare ad ritum accidentalem, ut proinde horum transgressio sit levis. Etenim ex hujus Thesis proscriptione perspicuum fit, etiam qualitatem ritus aliquando graviter præcipi, atque adeo variationem ritus, quæ juxta fere communem DD. sensum est substantialis, & notabilis, graviter etiam prohiberi: ostendimus autem esse juxta fere communem sensum, quod sit etiam notabilis variatio ritus, tam quando Officium extraordinarium, quale est Octavarum Paschæ, & Pentecostes, in ordinarium permutatur, ut expresse advertit etiam Tancredi apud Dian. p. 11. tr. p. ref. 25. quam quando Officia frequenter permutantur: ergo ex hac propositione damnata infertur, quod ista etiam variatio ritus sit graviter prohibita. Verum quidem est, quod qui doceret omnia Officia posse permutari præter Officium Palmarum in Officium Resurrectionis, non incurreret excommunicationem latam contra docentes hujusmodi damnatas propositiones, cum odia sint restringenda, non amplianda: at doctrinam aperte falsam doceret, utpote destitutam eo fundamento, quod per condemnationem hujus propositionis convellitur, vid. quod variatio ritus semper sit accidentalis.

XII. Neque replices, variationem ritus esse substantialem, quando variatur Officium longissimum in brevissimum, & lugubre primæ classis in hilare primæ classis, non vero si hæc omnia non occurrant: Nam stabilito jam, quod variatio ritus possit esse substantialis, ad fere communem DD. sensum recurrendum est, ut decidatur, in quonam casu variatio ritus sit solum accidentalis: Cum autem fere omnes doceant variationem esse substantialem, tum quando Officium extraordinarium in ordinarium permutatur, tum quando Officia permutantur frequenter, sequitur hanc etiam variationem ritus censendam esse substantialem, idque implicite per condemnationem hujus propositionis decerni. Quod a posteriori fit perspicuum; nam si quis doceret nunc

expresse,

expreſſe, poſſe in Dominica Paſſionis, & tota hebdomada Sancta præter Dominicam Palmarum recitari Officium Paſchale, ſtomachum moveret, & probris exciperetur, cum omnes videant, everſo fundamento propoſitionis damnatæ, doctrinas illi affines non poſſe ſubſiſtere.

XIII. Ad rationes in contrarium manifeſta eſt ex dictis reſponſio; vid. mutationem ritus eſſe ſubſtantialem, ſi Officium Paſchale permutetur in Officium Palmarum, ſecus vero ſi raro unum Officium ritus conſueti in aliud permutetur.

XIV. Ad primam confirmationem: Qui abſolute docent poſſe citra mortale officium pro officio recitari, non ſunt intelligendi de officiis iſtis extraordinariis Paſchæ, & Pentecoſtes, neque de frequentia permutandi officia, quia, ut notat Gobat ex cap. *Quamvis* de Præbendis, Quæ ſunt ſpeciali nota digna, non intelliguntur in diſpoſitione generali comprehenſa, niſi exprimantur; & ex Reg. 81. juris in 6. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis in ſpecie non eſſet veroſimiliter conceſſurus*; cum autem unus Caramuel, ut habet Illſung, expreſſe concedat poſſe officia Paſchalia aliis ſubrogari, (qui deinde ſententiam retractavit) ſequitur ſententiam iſtam ut ratione, ita auctoritate etiam eſſe deſtitutam.

XV. Ad ſecundam: Sicut ſub gravi præcipitur ritus ſervandus in recitandis horis, ita ritus in celebratione Miſſæ, ut videre eſt in Bulla Pii V., quæ Miſſali præfigitur; atque adeo in utroque caſu ſolum materiæ levitas poterit a mortali excuſare: ſicut autem graviter ritus variaretur, ſi die Palmarum recitaretur officium Paſchale, ita pariter ſi eodem die Miſſa Paſchæ celebraretur. Non videtur tamen variatio notabilis, ſi die, quo Paſſio recitanda eſt, legatur Miſſa votiva de Paſſione, aut Miſſa defunctorum, dummodo variatio iſta non fieret frequenter, juxta ea, quæ docent Tann. Gavantus, & alii apud Dian. p. 4. tr. 4. reſ. 39.

Ad id, quod additur de quotidiana recitatione officii Paſchalis citra mortale, fecimus ſatis. Advertendum tamen, Suarium non ſolum aperte oppoſitum ſentire, ſed injurioſe illi appingi, quod ſententiam hanc communiſſime exploſam ad praxim deduceret, cum illum addictiſſimum fuiſſe orationi in comperto ſit; adeo ut teſte Adamo Burghaber Centur. pr. caſ. 16. auditus fuerit a Noſtris dicere, *Malle ſe omnem ſcientiam perdere, quam unam horam ex regula Ordinis quotidianæ orationi deſtinatam omittere*. Quare Pius, ac Eximius Doctor longiſſime abſuit non ſolum ab hac frequenti, ac enormi ordinis inverſione in horis recitandis prætextu graviſſimarum occupationum, quibus diſtinebatur, (quod citra injuriam non poterat de illo Caramuel ſuſpicari) ſed etiam a petenda facultate utendi privilegio, quod Dian. p. 3. tr. 2. reſ. 68. fatetur a Clem. VII. Patribus Theatinis conceſſum eſſe, vid. quod Concionibus, Confeſſionibus, Studio Sacræ Theologiæ, & Canonum occupati præcepto Horarum ſatisfaciant, recitando ſaltem ſex, aut ſeptem Pſalmos a Prælato aſſignandos, cum ſeptem Pater noſter, & bis Symbolum Apoſtolorum.

XVI. Ex dictis ſequitur primo, quod ſi quis inadvertenter officium pro officio recitarit, præcepto ſatisfecerit, (dummodo illud non fuerit ritus extraordinarii, ut ſi die Palmarum recitaverit officium Paſchale) Imo ne ſub veniali quidem tenetur errorem corrigere, ac iterum officium debitum illi diei adſcriptum recitare, ſed ſolum conſultum eſt repetere id, quod ad officium proprium ſpectat, ut docent communiter apud Buſembaum. Quod ſi error poſt aliquas horas recitatas deprehendatur, ſufficit quod ex tunc error corrigatur, ut docet Lugo l. 5. Reſp. Mor. d. 8. Utrum autem qui inadvertenter hodie legit de Sancto craſtino, debeat craſtina de eodem Sancto iterum recitare, an vero debeat, aut poſſit craſtina legere de Sancto hodierno? diſcutit ibidem Lugo, & probabilius putat contra Quintanad. debere iterum cras de eodem Sancto recitare, ne bis erret.

XVII. Sequitur ſecundo, quod impotens ratione ægritudinis, itineris, mediæ noctis imminentis, &c. integrum officium longum recitare, poſſit, & conſultius ſit aliud officium brevius, quod poteſt, integrum recitare; cum præſtet ſubſtantiam præcepti implere cum aliqua levi immutatione, quam officium debitum mutilare notabiliter. Immo Villal. t. p. tr. 24. dub. 16. putat hunc ad id teneri contra Dianam p. 1. tr. 11. reſ. 3. ubi docet neminem teneri ad recitandum aliud officium a currente. Cenſet tamen p. 9. tr. 9. reſ. 25., quod carens Breviario v. g. Romano, teneatur officium recitare in quocumque alio officio, quod habere poteſt, eo quod per utrumvis impleatur ſubſtantia præcepti; unde non eſt liber ab obligatione per hoc, quod careat Breviario proprio.

XVIII. Utrum autem liber ſit ab onere horarum, qui non poteſt illas ſine ſocio recitare? Affirmat Jo: Sancius apud Dian. p. 2. tr. 12. reſ. 43. Communius tamen cum Suar. Valent. Azor. ſententiam hanc Sancii refellunt, dummodo commode poſſit ſocius haberi: & ratio eſt, quia quilibet tenetur adhibere media, quæ facile adhiberi poſſunt ad præceptum implendum. Propterea communius docent apud Fagund. Pr. p. l. 2. c. 9. teneri ad audiendum ſacrum die feſto, qui in carcere detinetur, ſi ex privilegio facultas concedatur; teneturque audire Sacrum tempore interdicti, qui habet ad id privilegium.

XIX. Sequitur tertio, die Commemorationis Defunctorum, diebus Rogationum, & die S. Marci non ſatisfieri præcepto, ſi ita mutetur officium, ut omittatur aut officium Defunctorum, aut Litaniæ iis diebus præſcriptæ; cum iſta ſint pars notabilis officii illorum dierum, & communius contra nonnullos apud Molfeſium tr. 5. cap. p. num. 58. cenſeant ſub mortali ea præcipi. Quamvis enim Pius V. excipiat univerſim utentes Breviario Romano ab onere recitandi officium Defunctorum, B. Virginis, & ſimilia iis diebus, quibus Rubricæ ea præſcribunt; conſuetudo tamen explicat id non intelligi pro die Commemorationis Defunctorum, nec de Litaniis Sanctorum pro diebus Rogationum, & S. Marci, ut habet communior, & probabilior ſententia apud Dian. loc. cit. reſ. 42. Utrum autem officium hoc Defunctorum, & Litaniæ iſtæ poſſint pridie ſero recitari poſt Matutinum diei ſequentis? Affirmant Gavantus, & Gobat. apud Illſung. tract. 5. diſput. 1. quæſt. 1. tract. 16. Communius tamen negant, præſertim de Litaniis, ut notat Tambur. lib. 2. c. 5. §. 5., quippe quæ iis diebus ab iis, qui publicæ ſupplicationi non interſunt ad illas canendas, vice talis ſupplicationis privatim recitandæ ſunt.

PRO-

PROPOSITIO XXXV.

Unico Officio poteſt quis ſatisfacere duplici præcepto, pro die præſenti, & craſtino.

SYNOPSIS.

I. Videtur id licere, cum poſſit unica actione duplici præcepto fieri ſatis. II. Non eſt major ratio, cur ea actione uni, & non alteri præcepto ſatisfiat. III. Aſſignatur caſus, in quo poſſit integrum Officium ad duos dies pertinere. IV. At onus Horarum eſt affixum diei, quatenus cuilibet diei debet ſuum Officium reſpondere. V. Poſſumus eadem ſolutione huic, vel illi debito ſatisfacere ad arbitrium, at non ſemper utrique. VI. Duæ opiniones probabiles non ſemper ſunt comprobabiles. VII. Datur regula ad dignoſcendam opinionum probabilium comprobabilitatem.

I. EXponitur. Caramuel in ſua Theologia fundamentali Fund. 31. inquirit, An recitans Matutinum cum Laudibus poſt Veſperas, quando poteſt illud recitari, tam pro die hodierno, quam pro craſtino, ſatisfaciat duplici præcepto recitandi illud pro utroque die? Ad id affirmandum videtur facere, quod in communi ſententia poteſt unica actione ſatisfieri duplici præcepto, & obligationi: E. g. poteſt, unica Miſſa audita die Dominico, in quem incidit feſtum Apoſtoli, ſatisfieri præcepto audiendi Miſſam die Dominico, & præcepto audiendi Miſſam diebus Apoſtolorum; ſic eadem communione facta a moribundo tempore Paſchali ſatisfieri poteſt præcepto communicandi in Paſchate, & præcepto ſumendi Viaticum in articulo mortis; ſic eadem eleemoſyna poteſt ſatisfieri ſimul voto erogandi illam, & obligationi ortæ ex extrema indigentia pauperis: ergo pariter poterit eadem officii recitatione ſatisfieri obligationi recitandi Matutinum, & Laudes pro die hodierno, & pro craſtino, ſuppoſito quod non ſit mortale recitare aliquando officium pro officio, quando non datur mutatio notabilis.

II. Confirmatur, quia poteſt hoc idem officium recitari ad ſatisfaciendum obligationi recitandi illud hodie, & poteſt etiam recitari ad ſatisfaciendum obligationi recitandi illud pro craſtina die: ergo poteſt etiam recitari ad ſatisfaciendum utrique obligationi; ſicuti quia poteſt eadem Miſſa audiri ad ſatisfaciendum obligationi ortæ ex voto, & obligationi ortæ ex præcepto Eccleſiaſtico, poteſt ſimul audiri ad ſatisfaciendum utrique obligationi.

III. Quod ſi poſſit Matutinum, & Laudes recitari ad ſatisfaciendum utrique præcepto, poterunt etiam aliæ horæ, & ſic totum officium in aliquo caſu, qui facile poteſt evenire: Ponamus enim duo horologia æque probabilia variare per mediam horam, ita ut quando horologium A pulſat undecimam cum dimidio, horologium B pulſet duodecimam, ſeu mediam noctem; ſi quis poſt recitatum Matutinum, & Laudes incipiat tunc recitationem aliarum horarum, quando ſcil. horologium A pulſat undecimam cum dimidio & horologium B duodecimam, videtur quod cum has horas recitet, antequam primum horologium pulſet duodecimam, & ſecundum duodecimam cum dimidio, poſſit eadem recitatione ſatisfacere utrique obligationi pro die hodierno, & craſtino. Et ratio eſt, quia cum utrumque horologium ſupponatur probabiliter pulſare veras horas, probabile erit, quod ſit hora undecima cum dimidio; unde poterit ſatisfieri recitationi horarum pro die hodierno; probabile etiam erit, quod ſit hora duodecima, unde poterit etiam recitationi horarum ſatisfieri pro die craſtino, atque adeo poterit utrique obligationi ſatisfieri pro utroque die, recitando ſemel non ſolum Matutinum, & Laudes, ſed etiam reliquas horas.

IV. Oſtenditur falſitas, quia obligatio recitandi horas eſt onus affixum diei, non quatenus quolibet die debeat recitari Matutinum, & Laudes, cum poſſit hodie recitari duplex Matutinum, alterum mane pro die hodierno, alterum Veſpere pro die craſtino, ut proinde craſtino nullatenus Matutinum recitetur; ſed dicitur onus affixum diei, quatenus pro quolibet die officium recitari debet: ergo ſicut duplex dies non poteſt eſſe unus, ita pro duplici die non poteſt unum, idemque officium, aut etiam Matutinum recitari. Antecedens patet ex communiſſimo omnium ſenſu, necnon ex praxi, & conſuetudine, quæ eſt optima legum interpres.

V. Hinc patet diſparitas ad paritates adductas: Etenim Eccleſia ſolum præcipit auditionem unius Miſſæ die feſto, ſive dies ille ex uno, ſive ex pluribus titulis ſit feſtus; præcipit etiam communionem tempore Paſchali, quin velit illam eſſe diſtinctam a communione in articulo mortis, ſi tunc temporis ſumatur; nec vovens erogare ſtipem voluit ſe obligare ad illam erogandam pauperi, qui non ſit in extrema neceſſitate; & ideo poteſt in his caſibus eadem actione multiplici obligationi ſatisfieri. Contra vero, quando officium ex duplici titulo debetur, videlicet ad ſatisfaciendum penſo diurno, & craſtino, tunc præcipitur duplex officium; unde obligatus ad horas recitandas nequit eadem recitatione duplici præcepto ſatisfacere pro utroque die, ſeu titulo.

Ad Confirmationem, inſtantiæ ſunt manifeſtæ: poſſum enim eadem ſolutione ex juſtitia ſatisfacere vel debito A, vel B, non tamen utrique; ſic qui tenetur jejunare ob pœnitentiam in duplici confeſſione impoſitam, poteſt eodem jejunio ſatisfacere vel obligationi ortæ ex prima, vel obligationi ortæ ex ſecunda aliorum peccatorum confeſſione; nemo tamen dixerit, quod poſſit eodem jejunio ſatisfacere utrique. Et ratio univerſim eſt, quia quando obligatio non ſolum eſt duplex, ſed etiam eſt de duplici ſolutione ponenda, tunc quamvis una ſolutio apta ſit extinguere alterutram obligationem, non poteſt tamen utramque; in caſu noſtro obligatio eſt de duplici officio ponendo pro duobus diebus: ergo nequit unico officio utrique obligationi fieri ſatis. Sicuti ſi quis voveat auditionem Sacri, quia communiter hujuſmodi votum intelligitur de auditione Sacri non præcepta, ideo non poteſt die feſto eadem auditione Sacri ſatisfacere obligationi ortæ ex voto, & obligationi ortæ ex præcepto Eccleſiaſtico.

VI. Ad id, quod additur de recitatione Primæ, & aliarum Horarum, quando duplex horologium probabiliter indicat tempus illud pertinere ad diem præſentem, & ad diem craſtinum, dicendum licitum eſſe accommodare ſe huic, vel illi opinioni probabili ortæ ex alterutro horologio, quin ſit licitum accommodare ſe utrique, eo quod utraque opinio ſeorſim ſit probabilis, non tamen conjunctim, unde non ſunt opiniones comprobabiles. Doctrina ſit manifeſta multis exemplis apud Lugo de Euch. diſp. 15. ſect. 2. Tamb. l. 1. in Dec. cap. 3. §. 5. & alios.

& alios: Poteſt enim quis die Sabbati audito utroque hoc horologio accommodare ſe opinioni, quod ſit hora duodecima, & carnes comedere, perinde ac dies Sabbati ſit elapſus; poterit etiam ſe accomodare opinioni, quod ſit tantum hora undecima cum dimidio, & ſic ſumere collationem ſerotinam jejunii, & mane deinde communicare; non poterit tamen ſe utrique opinioni accommodare, ita ut velit ſimul & carnes comedere, & mane deinde communicare. Similiter, qui habet facultatem celebrandi poſt mediam noctem, poterit ſe accommodare horologio pulſanti duodecimam, & celebrare; at poſt celebrationem non poterit velle etiam ſe accommodare alteri horologio, quod tunc temporis pulſavit undecimam cum dimidio, & perinde ac ſi non celebraſſet eo die velle iterum mane celebrare. Pariter in ſententia docente anticipationem comeſtionis diebus eſurialibus non eſſe peccatum lethale, poterit quis tempore Quadrageſimæ poſt cœnam hodie factam meridie, audita duodecima hora noctis ab horologio A, velle cœnare pro alio die; ſed poſt cœnam non poterit velle ſe accommodare horologio B, quod tunc temporis pulſavit undecimam cum dimidio, & perinde ac ſi non cœnaſſet pro ſecundo die, velle iterum cœnare meridie; aliter duplex cœna poſſet quotidie ſumi ſingulis diebus Quadrageſimæ: quare ſimiliter obligatus ad officium recitandum audito horologio A pulſante undecimam cum dimidio, poteſt velle Primam, & reliquas Horas recitare pro die hodierno, non poterit tamen ſimul accommodare ſe alteri horologio B pulſanti duodecimam, & velle, quod per illam recitationem ſatisfiat pro recitatione debita die craſtino. Multæ enim opiniones, quæ ſeorſim ſunt probabiles, nullatenus ſunt comprobabiles, ut proinde una electa non poſſit homo alteri ſe accommodare.

VII. Quod ſi quæras, quænam ſint hujuſmodi? Reſpondeo, quod ſicut illa opinio dicitur probabilis, quæ nititur fundamento gravi, ſive illud ſit grave ab intrinſeco, ſive ab extrinſeca DD. auctoritate, adeo ut ſpectatis omnibus experiatur intellectus vi quadam inclinari ad illi aſſentiendum, ut dicetur in expoſitione propoſitionis 3. Innoc. XI. Ita illæ opiniones dicuntur comprobabiles, quæ non ſolum ſeorſim, ſed etiam conjunctim fundamento gravi nituntur, ita ut ſpectatis omnibus experiatur intellectus vi quadam ad complexum illarum inclinari, ſive ob rationes intrinſecas, ſive ob extrinſecam DD. auctoritatem. In caſu autem noſtro nemo eſt, qui experiatur ſe inclinari ad dicendum, poſſe obligatum ad horas eodem officio ſatisfacere duplici obligationi pro duplici die, quamvis ſpectata illa horologiorum varietate rationabiliter dicatur eadem recitatione poſſe alterutri obligationi ſatisfieri: ergo varietas iſta horologiorum poteſt reddere ambas opiniones probabiles, non comprobabiles; idemque dicas in aliis exemplis adductis, in quibus manifeſtum eſt, quod electa una opinione, non poterit homo amplius juxta alteram, etſi ſecundum ſe probabilem, operari. Hanc aliam regulam tradit Tamb. l. c. n. 17., quod quoties duæ opiniones ſunt probabiles independenter a mea voluntate, tunc ſint etiam comprobabiles; ſecus vero ſi ſint probabiles dependenter a propria voluntate, ut quod pulſus primi, vel ſecundi horologii pertineat ad diem præſentem. Verum niſi hæc regula tandem aliquando ad regulam a nobis traditam reducatur, petit principium, ut conſideranti ſit perſpicuum.

PROPOSITIO XXXVI.

Regulares poſſunt in foro conſcientiæ uti privilegiis ſuis, quæ ſunt expreſſe revocata per Concil. Tridentinum.

SYNOPSIS.

I. Theſis ſolum loquitur de Privilegiis a Tridentino revocatis expreſſe, puta quod non poſſint Regulares citra Approbationem audire Confeſſiones Sæcularium.
II. At videntur poſſe iis uti in foro conſcientiæ, quia revocantur ſolum per clauſulas generales.
III. Et quia cenſentur revalidata a Bullis Pontificiis. IV. Necnon vivæ vocis oraculo.
V. Ac demum, quia Privilegia Regularium, utpote Remuneratoria, non revocantur citra compenſationem. VI. Sed hæc nihil evincunt; quomodo enim hæc Theſis poſſet declarari ſcandaloſa, ſi probabiliter poſſet ſuaderi?
VII. Si Privilegia iſta non eſſent revocata pro foro interno, nec pro externo.
VIII. Ex ſtylo Curiæ ſufficienter hæc Privilegia revocantur per clauſulas generales.
IX. Vivæ vocis oracula etiam pro foro interno revocata ſunt. X. Privilegia Regularium non ſunt ſtricte Remuneratoria; unde non indigent compenſatione, ut revocentur. XI. Revocatio iſta facta per Tridentinum viget, & obligat etiam, ubi Tridentinum non eſt receptum. XII. Idemque dicendum de Privilegiis Regularium, quæ ſolum implicite a Tridentino revocantur.

I. EXponitur. Nonnulla Regularium privilegia Tridentinum revocavit expreſſe, addendo clauſulam illam revocatoriam, *Non obſtantibus privilegiis in contrarium, aut conſuetudine immemorabili:* Alia vero revocavit duntaxat implicite, videl. condendo legem oppoſitam privilegiis Regularium. Utrum hæc privilegia, quæ ſolum implicite revocata ſunt a Tridentino, adhuc perſeverent? affirmant Stieron., Rodriq. reſ. 106. n. 14. cum Portel., Miranda, & aliis, eo nixi fundamento, quod ſi voluiſſet ea Concilium revocare, addidiſſet, ut in aliis, clauſulam revocatoriam. Rectene id aſſeratur, an ſecus, dicemus infra. Præſens confixa theſis ſolum loquitur de privilegiis expreſſe revocatis per Tridentinum: ut fit e.g. ſeſſ. 22., ubi Ordinariis locorum præcipitur, ne in privatis domorum Oratoriis patiantur aliquem privatim celebrare; & in ſeſſ. 23. c. 12. quod nemo ante vigeſimum quintum ætatis annum ad Presbyteratum promoveatur, revocando Privilegium Minimorum, qui poterant vigeſimo ſecundo anno Sacerdotio initiari; quod etiam poterant alii Regulares per communicationem privilegiorum. Sic ſeſſ. 23. c. 15. præcipitur, ut nemo poſſit Sæcularium confeſſiones excipere, ſi Parochiali careat Beneficio, aut Epiſcopi approbatione: Et ſeſſ. 25. c. 22. de Regularibus definitur decreta illius ſeſſionis ab omnibus Regularibus ſervanda eſſe, non obſtantibus quibuſcunque privilegiis in contrarium. De his itaque privilegiis expreſſe revocatis per Tridentinum opinati fuerunt nonnulli cum Henr. l. 6. c. 10. lit. B., Rodr. t. 2. qu. 8. a. 9. Sà, Velaſco, Aluiſet, Bruno, & aliis poſſe licite iis Regulares uti, non quidem in foro externo, cum id vetitum fuerit a Greg. XIII. ad

XIII. ad vitandas dissensiones inter Episcopos, & Regulares, sed solum in foro conscientiæ.

II. Fundamentum primo erat, quia clausula illa generalis, quæ habetur in Tridentino, *Privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis*, vel similis non sufficit ad revocanda Privilegia Regularium; tum quia ex privilegio Eugenii IV. facto Prædicatoribus, & ejusdem Eugenii IV., ac Leonis V. facto Benedictinis eorum privilegiis derogari non potest, nisi de illis fiat de verbo ad verbum expressa mentio, ut habet Rodr. t. 1. QQ. Regul. a. 6.; tum etiam, quia Privilegia se habent tanquam inserta in corpore juris: hæc autem per clausulam generalem non revocantur, ut docent DD. passim.

III. Secundo, quia quamvis ea essent sufficienter per Tridentinum revocata, fuerunt postea a Summis Pontificibus revalidata, & in integrum restituta: Siquidem Pius IV. confirmavit omnia privilegia Ordinis SS. Trinitatis, cum quo Mendicantes communicant, ut videre est apud M. Antonium de Hinojosa Ordinis Prædic. in Direct. Decis. Regul. V. *Confirmatio*, ubi hæc habet: *Hac Bulla Confirmationis ostensa Academiæ Salmantinæ, DD. tum Theologi, tum utriusque Juris prudenter affirmarunt, posse Mendicantes vi hujus privilegii, non obstantibus recentibus Concilii Decretis, uti omnibus privilegiis sibi jamdudum concessis*. Similiter pius V., ut idem Auctor testatur, vivæ vocis oraculo Fratribus Minoribus omnia Prædecessorum privilegia, absque ulla restrictione, vel obstaculo Tridentini, in foro conscientiæ tantum, concessit 13. Maji 1568. Ac deinde idem Pontifex 18. Jan. 1570. motu proprio de novo concessit Ordini Prædicatorum omnia privilegia a suis Prædecessoribus indulta, & voluit pro expressis haberi, non obstantibus quibuscunque Apostolicis Constitutionibus, Et anno 1567. concesserat etiam Mendicantibus omnia privilegia a prædecessoribus concessa, ut videre est apud Quintanad. tract. 3. sing. 17.

IV. Neque obstat, quod Gregor. XIII. in Bulla *In tanta rerum* ann. 1573. reduxerit omnia ad terminos juris communis, & Concil. Tridentini, revocando Constitutiones istas in contrarium. Nam esto revocaverit etiam illum motum proprium Pii V., de quo potest dubitari; non revocavit tamen illud vivæ vocis oraculum concedens Fratribus Minoribus privilegia per Tridentinum revocata in foro tantum conscientiæ; etenim, ut notat Henr. l. 6. c. 6. n. 6. Lezana, & Portellus, per revocationem privilegiorum non intelliguntur revocata vivæ vocis oracula; quia, cum revocatio privilegiorum sit odiosa, non debet ampliari ad oracula, quæ secundum propriam significationem non veniunt nomine privilegii, quo solum significantur privilegia scripta. Præterquamquod cum Greg. XIII. ea privilegia revocaverit ad tollendas dissensiones inter Prælatos, & Regulares, videtur ea sustulisse pro foro tantum externo, ut docet Rodriq. cum aliis apud Lumbier. Quicquid etiam sit, an revocatio vivæ vocis oraculorum, prout a Pontificibus est facta, obliget in conscientia? quod nonnulli negant apud Peyr. t. 3. de Privil. c. 12. n. 1. ad Const. 18. Urb. VIII.; cum enim ea sit odiosa, interpretanda videtur ita, ut minime lædat, quoad ejus fieri potest, atque adeo ita, ut solum obliget pro foro externo. Quibus adde, quod licet illud vivæ vocis oraculum etiam pro foro conscientiæ fuerit revocatum a Greg. XIII. in ea Bulla anni 1573., iterum tamen fuit ab eodem Pontifice confirmatum, & innovatum in Constit. edita 10. Oct. 1575., qua confirmavit, & innovavit in favorem Minimorum omnia privilegia, & vivæ vocis oracula a Prædecessoribus concessa Ordinibus Mendicantium, ut notat idem Peyrinus loc. laud. n. 33. Et quamvis deinde Greg. XV., & Urban. VIII. omnia vivæ vocis oracula iterum revocaverint; revocatio tamen ista, esto obligaret pro foro conscientiæ, at non videtur se extendere ad ea vivæ vocis oracula, quæ per confirmationem illorum factam in Constitutionibus Apostolicis transierunt in Privilegia Bullata, ut in casu nostro, juxta doctrinam Peyr. l. c. Ex quibus videbatur posse Mendicantes uti privilegiis expresse a Tridentino revocatis in foro conscientiæ.

Confirmatur, quia Gregor. XIII. apud Gasparem Hurtado de Sacr. Ord. diff. 21. concessit Societati Jesu, ut pro foro conscientiæ uti possit privilegiis per Tridentinum revocatis; unde alii Regulares per communicationem Privilegiorum possunt iisdem uti.

V. Tertio denique, quia privilegia Regularium, cum sint remuneratoria, & contractu firmata, quippe concessa in remunerationem obsequiorum, quæ Regulares Ecclesiæ præstiterunt, & non mere gratuita, revocari non possunt, nisi revocatio aperte cedat in bonum publicum, & simul fiat aliter compensatio conferendo aliquid æquivalens, ut docent DD. apud Sanch. l. 8. de Matr. disp. 35. Et ratio est, quia hujusmodi privilegia collata vi contractus transierunt in jus privilegiarii; & juri alieno ne ipse quidem Pontifex sine causa potest præjudicare: in casu autem nostro nulla apparet causa, cur privilegia Regularium remuneratoria revocentur etiam pro foro conscientiæ; nec videtur id cedere in bonum publicum, & dato quod in bonum publicum id cederet, non fuit a Tridentino data Mendicantibus ulla compensatio: ergo videntur non esse a Tridentino revocata pro foro conscientiæ.

VI. Ostenditur tamen falsitas, quia quæcunque adducuntur ad ostendendam revocationem privilegiorum expresse factam per Tridentinum esse aut nullam, aut pro solo foro externo, sunt umbratilis probabilitatis; ergo ex iis non fit, quod possint Mendicantes uti in foro conscientiæ privilegiis expresse per Tridentinum revocatis. Antecedens probatur, tum quia quæ adducta sunt in favorem istius sententiæ universim non habent multos Patronos, & communius DD. aliter sentiunt, ut mox dicemus: tum etiam a posteriori, quia si rationes pro ea sententia adductæ sufficienti pollerent probabilitate, non potuisset damnari tanquam scandalosa hæc propositio, quod possint Mendicantes iis privilegiis uti: quomodo enim poterit oriri scandalum, si quis juxta probabilem opinionem operetur?

VII. Confirmatur, quia communissime DD. docent, privilegiis expresse per Tridentinum revocatis non posse Mendicantes uti pro foro externo: ergo idem dicendum pro foro conscientiæ. Probatur consequentia, ideo communiter docent ea esse revocata pro foro externo, quia sic fuit expediens in bonum publicum ad vitandas discordias inter Prælatos, & Mendicantes; atqui hoc pariter probat expediens fuisse, quod revocentur etiam pro foro interno: ergo pro utroque foro sunt revocata. Minor patet, nam si possent v.g. Regulares pro foro interno absolvere a reservatis Episcopo, vel sine Episcopi approbatione, aut alia hujusmodi præstare, nec consuleretur bono publico, nec vitarentur omnino, esto multæ vitarentur

rentur

rentur dissensiones inter Prælatos, & Regulares: ergo expediens fuit quod pro foro etiam interno privilegia isthæc revocarentur. Adde, hunc esse communem sensum legum Ecclesiasticarum, quod etiam pro foro interno, & non pro solo foro externo obligent, adeo ut censurari debuerit utraque illa propositio, quod præceptum jejunii, & præceptum servandi festa non obligent sub mortali, secluso contemptu, & scandalo: ergo lex ista Tridentini revocans Regularium privilegia obligat etiam pro foro interno.

VIII. Ad primam rationem in contrarium: Argumentum si quid probat, evincit, quod neque pro foro externo Privilegia Mendicantium sint revocata, quod non admittitur; quare ex usu, & stylo Curiæ dicendum sufficere ad revocationem privilegiorum clausulam illam generalem; præsertim quia, ut diximus in expositione propositionis 12., Urb. VIII. apud Dian. p. 11. tr. 2. ref. 9. declaravit in Constitutionibus Apostolicis Regulares omnes comprehendi, nisi expresse excipiantur, quin iis prosint clausulæ quæcunque in contrarium suis privilegiis superadditæ. Non requiritur itaque, quod privilegii fiat expressa mentio, ut revocetur: nec est verum, quod se habeant omnia Regularium privilegia tanquam inserta in corpore juris; ita ut non possint per clausulam generalem revocari, ut docet Suar. l. 8. de Leg. c. 38., aliter nec pro foro externo per hujusmodi clausulam revocarentur.

Ad secundam: Quicquid sit de Bullis illis Pii IV., & V., quæ si veræ essent, revalidassent privilegia etiam pro foro externo; dico oraculum illud Pii V. concedens Fratribus Minoribus privilegia antiqua pro foro conscientiæ, sublatum fuisse a Greg. XIII. quippe qui non solum revocavit privilegia Mendicantium contraria Tridentino, sed etiam voluit omnia reduci ad jus commune, quod non fieret, nisi etiam oraculum illud revocasset. Præterea quia finis Pontificis in revocatione privilegiorum fuit ad vitandas discordias inter Prælatos, & Regulares, qui finis non cessaret adæquate, ut diximus, nisi ea etiam pro foro interno revocasset, ideo pro utroque foro ea revocavit: Et quod lex ista revocans privilegia, & oracula obliget pro foro conscientiæ instar omnium legum Ecclesiasticarum, jam ostendimus. Quod autem Greg. XIII. deinde in favorem Minimorum innovaverit privilegia, & oracula Mendicantibus concessa, non facit, quominus ea oracula non sublata deinde sint ab Urb. VIII. Quamvis enim Greg. XIII. in ea Constitutione expresserit innovare generatim oracula, falsum tamen est, ut docet Bordonus tom. 2. ref. 31. n. 5. quod ea oracula transierint in privilegium Bullatum, cum non mutent propriam oraculorum naturam, nisi specialiter in Bulla inserantur: propterea per revocationem omnium oraculorum factam ab Urb. VIII. communiter docent, omnia omnino vivæ vocis oracula corruisse. Præterquamquod in Confirmationibus Privilegiorum addi semper solet clausula illa, *Modo Sacris Canonibus, & Decretis Sacri Concilii Tridentini non adversentur*.

Ad Confirmationem dicendum, similiter oraculum illud ab Urb. VIII. fuisse revocatum, & antecedenter a Greg. XV. uterque enim vivæ vocis oracula revocavit, quamvis Greg. XV. exceperit ea, quæ manu propria S.R.E. Cardinalium erant confirmata: quæ tamen Urb. VIII. non excepit.

IX. Ad tertiam dico cum Pal. tr. 3. d. 4. p. 21. §. 2., & aliis apud ipsum, privilegium non dici Remuneratorium, nec exigere recompensationem, quando justis de causis tollitur, si solum in genere dicatur concedi ob merita privilegiarii, quia hæc mentio meritorum in genere fieri solet potius ob honorem privilegiarii, quam pro rei veritate: quare tunc dicitur Remuneratorium, quando exprimitur in particulari meritum aliquod, cujus intuitu privilegium adæquans tale meritum datur in remunerationem: & in eo casu dicitur privilegium istud esse contractu firmatum, & ita proprium privilegiarii, ut nonnisi ob urgentissimas causas possit tolli; & tunc fieri debet compensatio, conferendo aliquid æquivalens. Privilegia autem Regularium non sunt in hoc stricto sensu remuneratoria; & idcirco possunt ob commune bonum tolli, quamvis nihil detur in compensationem: Sufficienter enim meritis præteritis Regularium respondent in remunerationem privilegia alia, quæ ulterius perseverant, simul cum privilegio illo, quod usque ad revocationem perseveravit, & deinde revocatur.

X. Inquirendum superest, An ubi Tridentinum non est receptum possint Regulares saltem in foro conscientiæ uti privilegiis per Tridentinum revocatis? Ad quod respondendum cum De la Cruz, & aliis negative, quod ostenditur tum a posteriori, tum a priori: Et quidem a posteriori, quia propositio ista ab Alex. VII. proscripta ubique gentium est scandalosa, ut constat ex dictis in quæstione prodroma: ergo nusquam gentium possunt Mendicantes uti privilegiis per Tridentinum expresse revocatis; atque adeo hac lege Tridentini revocantis hæc privilegia obligantur etiam illi, qui Tridentinum non receperunt. Consequentia sequitur: quomodo enim esset scandalosa hæc thesis confixa ubique gentium, atque adeo etiam ubi non est receptum Tridentinum, si ibi liceret Mendicantibus uti iis privilegiis? quare ex proscriptione hujus propositionis legitime infertur a posteriori, quod antecedenter ad hanc proscriptionem id non liceret; & a fortiori post proscriptionem. Ratio deinde a priori est, quia ut privilegium revocetur, non requiritur consensus privilegiarii; licet enim privilegia non conferantur invitis, ab invitis tamen auferuntur; atque adeo etiamsi Tridentinum alicubi non fuerit receptum, adhuc ibi censentur revocata privilegia Mendicantium, quæ in Tridentino revocantur expresse.

XI. Quod attinet ad privilegia solum implicite per Tridentinum revocata, prout implicite sess. 23. cap. 8. revocatur privilegium, quod Regulares possint extra tempora ordinari, & similia, communius docent, nec posse iis Mendicantes uti, ne in foro quidem conscientiæ. Ratio est, quia Tridentinum condendo legem in contrarium illa implicite revocavit. Præterquamquod, quamvis ea Privilegia non revocaverit expresse Tridentinum, revocavit tamen expresse Pius IV. ann. 1565. in Bulla *In Principis Apostolorum Sede*, quæ habetur in calce Concilii, ubi revocantur quæcunque privilegia, quæ Tridentini Decretis contradicunt. Neque dici potest, quod hujusmodi privilegia per innovationem, & confirmationem privilegiorum restituta sint Mendicantibus: Nam in iis confirmationibus addi solet clausula illa, *Dummodo Decretis Tridentini non adversentur*; ergo per confirmationes Privilegiorum non censentur restituta, atque adeo neque iis possunt Mendicantes uti in foro conscientiæ, quidquid in contrarium docuerit Rodriq. cum Miranda, & Portello.

PROPOSITIO XXXVII.

Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo Quinto, hodie sunt revalidatæ.

S Y N O P S I S.

I. Paulus V. plurimas Regularium Indulgentias revocavit.

II. Videbantur tamen restitutæ per Innovationes, & Confirmationes Indultorum factas a Sede Apostolica. III. Nomine etiam Indultorum comprehenduntur Indulgentiæ. IV. Idemque Paulus V. eas Societati Jesu restituit. V. Sed est inverisimile, ac falsum Indulgentias revocatas ab eodem Pontifice statim esse restitutas. VI. Per innovationem generalem Indultorum non censetur Pontifex Indulgentias illas innovasse.

VII. Esto vivæ vocis oraculo ea restituerit Societati Jesu incommunicabiliter, vivæ tamen vocis oracula corruerunt. VIII. Recensentur innumeræ Indulgentiæ ex antiquis, quæ non censentur a Paulo V. revocatæ.

IX. Ad Indulgentias lucrandas sufficit opinionis probabilitas. X. Probabiliter Indulgentiam lucratur, qui illam ignorans ponit opus injunctum.

XI. Ex immenso Indulgentiarum cumulo, quem possumus passim lucrari, non fit, animas omnes, a Purgatorii lacu statim esse liberandas.

I. EXponitur. Paulus V., ut modum poneret innumeris Regularium Indulgentiis, anno 1606. antiquas omnes revocavit, & nonnullas de novo concessit; vid. Indulgentiam plenariam pro die ingressus in Religionem; necnon pro die, quo vota Religiosa nuncupantur; in articulo mortis, invocato saltem corde JESU nomine; in Festo principali proprii Ordinis; eo die quo quis primam Missam celebrat; quam etiam alii Regulares lucrantur, si eidem Missæ intersint, aut eo die celebrent; iis etiam, qui per decem dies exercitiis Spiritualibus vacant: & visitantibus propriam Ecclesiam concessit Indulgentias Ecclesiarum Urbis, & Stationum, aliasque hujusmodi.

II. Quod autem attinet ad Indulgentias antiquas ab hoc Pontifice revocatas, docuit Rodr. res. 77. n. 45. cum nonnullis Academiæ Salmaticensis Magistris, eas jam esse revalidatas, atque adeo posse illis Regulares frui. Fundamentum erat, quia idem Paulus post præfatam revocationem anno 1609. confirmavit, ac innovavit, hoc est de novo concessit Fratribus Minoribus omnia antiqua privilegia, gratias, & indulta spiritualia, exprimens se illa confirmare, & innovare, prout confirmaverat Clem. VIII., qui aperte etiam Indulgentias concesserat: cum autem decretum innovans intelligendum sit juxta naturam decreti innovati ex l. *In testam. ff. de condit. & demonstrat.* fit, quod etiam indultum Pauli V. intelligendum sit juxta formam, & tenorem Clem. VIII. qui expresse Indulgentias confirmaverat.

III. Confirmatur primo: quia Fr. Aloy. a S. Jo. testatus est, se ab eodem Paulo V. audivisse, quod nomine Indultorum spiritualium, quæ Religioni Seraphicæ confirmaverat, intelligerentur etiam Indulgentiæ.

IV. Confirmatur secundo: quia Em. de Lugo in additione manuscripta Privilegiis Societatis V. *Indulgentiæ*, §. 1. hæc habet: *R. P. Claudius Aquaviva Generalis in Congregatione sexta Generali testatus fuit eundem Paulum V. postea Societati nostræ restituisse Indulgentias omnes virtute illius Bullæ revocatas*: Ut proinde etiam per communicationem privilegiorum censeri debeant omnibus Regularibus restitutæ; unde Indulgentiæ omnes Regularibus concessæ, & a Paulo V. revocatæ videntur revalidatæ.

V. Ostenditur falsitas ex Portello de Dub. Regul. V. *Indulgentiæ* num. 13., & aliis ab eo consultis: quia non est verisimile, Paulum V. post revocatas Regularibus Indulgentias statim voluisse eas iisdem restituere, cum nulla de novo affulserit ratio ad mutandam sententiam in re tam gravi: ergo non est præsumendum, quod ex innovatione privilegiorum facta Fratribus Minoribus revalidatæ sint Regularibus Indulgentiæ antiquæ: præsertim quia in confirmatione privilegiorum facta eodem anno ab eodem Pontifice Ordini B. M. de Mercede Redemptionis Captivorum, expresse excepit Indulgentias nuper revocatas.

VI. Confirmatur: *In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*, ex Reg. 81. juris in 6.: ergo quamvis omnia privilegia, & indulta spiritualia Paulus V. innovaverit Fratribus Minoribus, quæ Clemens VIII. antecedenter confirmaverat, non proinde censetur innovasse etiam Indulgentias, quamvis has etiam Clem. VIII. confirmasset: quia in specie ea non esset verisimiliter concessurus post Bullam editam de eorum revocatione. Hinc patet solutio ad fundamentum oppositum.

VII. Ad Confirmationes, vel dicendum, quod Paulus V. voluerit Indulgentias revocatas innovare solum in favorem Religionis Seraphicæ, & Societatis Jesu incommunicabiliter; cum non sit verisimile voluisse pro omnibus Regularibus eas statim innovare, ut ostendimus; vel dicendum ea oracula sublata esse per revocationem vivæ vocis oraculorum factam ab Urbano VIII. quicquid in contrarium dicat Bordonus res. 81. qu. 14. n. 33. cum aliis, docens, revocationes vivæ vocis oraculorum non comprehendere Indulgentias, utpote speciali nota dignas. Neque dicas per condemnationem hujus propositionis Pontificem exercite revocare iterum illas Indulgentias, quas Paulus V. revocaverat, ac illas reddere invalidas relate ad Regulares, quibus fuerant restitutæ. Nam propositio ista, quæ damnatur ut scandalosa, debet supponere, quod ante condemnationem nullæ essent illæ Indulgentiæ, aliter quomodo posset damnari ut scandalosa, atque adeo falsa, si re vera Indulgentiæ illæ fuissent revalidatæ? Ostendimus quippe in quæstione prodroma, non posse esse veram propositionem illam, quæ damnatur ut scandalosa, vel alia censura Theologica inuritur a Pontifice loquente ex cathedra.

VIII. Notandum tamen ex Peyr., Quintanad., & aliis, quod retuli in Opuscul. de Jubilæo, in revocatione Indulgentiarum facta a Paulo V. non esse revocatas pro Regularibus, Primo, Indulgentias olim concessas omnibus Christifidelibus, qualis est v. gr. Indulgentia plenaria ab Adriano VI. concessa apud Dian. p. 4. tract. 4. res. 24. recitantibus *Angelus Domini* ad pulsum campanæ post solis occasum, cum non debeant Regulares in hoc esse deterioris conditionis, quam alii.

Neque

Neque secundo Indulgentias concessas Confraternitatibus Rosarii, Carmelitarum, Centuratorum, Cordigerorum, & similium: Immo probabile est, quod Regulares possint eas lucrari, quamvis non sint adscripti illis Confraternitatibus, neque earum insignia gestent: Sicuti, ut Fratres Minores v. gr. lucrentur Indulgentias Religioni Carmelitarum concessas, non est opus, quod isti Religioni adscribantur; aut ejus habitum gestent, sed sufficit, quod ponant opera injuncta.

Neque tertio Indulgentias Regularibus concessas pro animabus Purgatorii, prout Pontifex declaravit apud Dian. p. 4. tr. 4. resf. 20. sicut etiam anno Jubilæi non suspenduntur Indulgentiæ pro defunctis.

Neque quarto Indulgentiam plenariam a Clemente VIII. concessam parentibus Regularium existentibus in Purgatorio, si pro illis Regularis celebret; cum hæc non sit concessa Regularibus, sed eorum parentibus.

Neque quinto Indulgentias concessas olim pro Sæcularibus Ecclesias Regularium visitantibus; eas enim lucrari etiam possunt Regulares, utpote Christifidelibus omnibus, non solis Regularibus concessas, ut notat Portellus: Præsertim quia Indulgentiæ istæ locales potius sunt, quam personales: Indulgentiæ autem locales, etiamsi pro solis Regularibus concessæ, non censentur revocatæ ex declaratione Sacr. Congregationis anno 1615. apud Peyrinum de Subdito tom. 1. in fine, & apud Angelum Lantuscam in Theatro Regularium. Propterea nonnulli cum eodem Lantusca apud Jo. Petrum Natalem num. 43. putant, non esse revocatam celeberrimam illam Indulgentiam, seu Indulgentiarum cumulum, quem concessit Leo X. Minoribus, ut videre est in Comp. Privil. Soc. §. 3. vid., quod si in propriis Ecclesiis recitent sexies Pater, Ave, & Gloria Patri, lucrentur Indulgentias omnes concessas Ecclesiis Romanis, Hierusalem, Compostellæ, & Portiunculæ, quia hujusmodi Indulgentiæ sunt locales. Verum quamvis hic Indulgentiarum cumulus prout concessus a Leone X. dicatur revocatus a Paulo V., revalidatus tamen fuit ab Urbano VIII. dummodo coram Venerabili recitentur illi sex Pater, & Ave, &c., ut refert Rodriq. resol. 7. n. 47., & Quintan. in Append. tr. 4. dub. 2. nu. 7. Neque obstat decretum Innoc. XI. de Apocryphis Indulgentiis editum ann. 1678. Nam ibi declaratur solum nullius esse roboris Indulgentias Regularium a Paulo V. revocatas, nisi fuerint deinde Romani Pontificis auctoritate innovatæ, aut confirmatæ: hujusmodi autem est hic indulgentiarum cumulus, & ideo possunt illum Regulares lucrari, necnon alias plurimas, quas in memorato Opusculo recensui.

IX. Illud hic inquirendum, Num sufficiat probabilitas opinionis ad Indulgentiam lucrandam? Negant Bonac. Boss. de Jubil. sect. 4. casu 8., & alii apud Dian. p. 5. tract. 12. resf. 32. cum Indulgentiæ solum dependeant a voluntate concedentis, non ab opinione operantis: tantum enim valent, quantum sonant, idest, ut interpretatur Angelicus apud Gobat. cap. 44. quantum sonant conformiter menti; & arbitrio elargientis illas, & astringentis ad conditiones, & circumstantias, quas ipse censet rationabiles, non vero quas putat probabiliter esse attendendas qui Indulgentias lucratur: Propterea si re vera Indulgentia aliqua non sit concessa, aut si præscriptum opus non præstetur, illam non consequimur; quamvis probabilissimum videatur eam esse concessam, vel opus præscriptum præstari.

Equidem tamen censeo cum Leandro, Quart., & aliis non paucis apud Dian. p. 10. tr. 11. resf. 34. Opinionem probabilem aut circa concessionem Indulgentiæ, aut circa opera injuncta suffragari ad illam assequendam, quamvis opinio non concordet cum veritate. Ratio est, quia sicut ex Ecclesiæ benignitate suppletur a Pontifice jurisdictio, si ea forte desit, non solum quando habetur error communis, cum titulo colorato ex l. *Barbarius ff. de Off. Præt.* sed etiam quando habetur de illa opinio probabilis, ut docent Suar. disput. 32. de Pœn. sect. 5. Sanch. l. 3. disp. 2. Less. cap. 29. n. 68. ita pariter suppletur Indulgentia ex benigna mente Pontificis, si ea forte desit, quando quis sequitur opinionem probabilem de ea lucranda; utrumque enim confert ad universale bonum animarum: præsertim quia qui sequitur ductum opinionis probabilis, aut saltem probabilioris, prudenter operatur, atque adeo juxta voluntatem Superioris, quæ eo tendit, ut quilibet operetur recte; non est autem verisimile Superiorem nolle sua voluntate assistere ei, qui recte operatur, & juxta suam voluntatem; ergo incredibile est, quod nolit ut Jurisdictionem, ita etiam Indulgentiam impertiri ei, qui juxta opinionem probabilem operatur. Verum quidem est Indulgentias tantum valere quantum sonant, h. e. quantum conformes sunt menti Pontificis illas concedentis; consonum tamen videtur eas esse conformes voluntati Pontificis, quoties lucraturus Indulgentias juxta probabilem opinionem operatur prudenter, & rationabiliter mentem illius interpretando ex verbis in bulla expressis, aut ponendo opera injuncta juxta probabilem opinionem; atque adeo probabilitas opinionis ad Indulgentias lucrandas videtur conferre, etiamsi opinio non esset vera: quod fusius ostendebam in Opusc. de Jubil. q. 3. art. 2.

X. Dubitatur etiam, An qui Indulgentiam ignorat, illam lucretur, si opus injunctum aliunde exequatur; puta si quis recitet *Angelus Domini* ad pulsum campanæ post solis occasum, ignorans lucrari posse Indulgentiam plenariam, vel putans esse hanc declaratam apocrypham ab Innocent. XI. qui tamen solum declaravit apocrypham hujusmodi Indulgentiam ut concessam a Clem. X. ad pulsum campanæ mane, meridie, & post Solis occasum? Negant Corduba, Trullench., Rodr. apud Dian. l. c.; videtur enim lucraturus Indulgentiam debere habere intentionem saltem virtualem lucrandi illam, quin sufficiat interpretativa. Sed arbitror concedendum cum Leandro, Lugo, Layman, Molina, Salas, & aliis. Ratio est, quia Pontifex Indulgentiam concedens requirit quidem opus injunctum, non tamen requirit, ut fiat ex intentione lucrandi illam; sicut Ecclesia præcipiendo auditionem Missæ die festo, non præcipit, ut audiatur ex intentione satisfaciendi præcepto; & idcirco qui audit Missam, ignorans, diem illum esse festum, atque adeo carens intentione satisfaciendi præcepto, adhuc præcepto satisfacit, ut docent communius.

Confirmatur ex Portello apud Dian.; Opera nostra satisfactoria satisfaciunt ex opere operantis, quamvis operans id ignoret, ut docent communiter Theologi: ergo etiam habetur satisfactio, & remissio pœnarum ex opere operato, seu ex applicatione satisfactionum Christi nobis facta per indulgentias, si po-

si ponatur opus injunctum, quamvis id ignoretur; non secus ac in infante baptismum suscipiente habetur remissio pœnæ damni ex opere operato, quamvis illam ignoret; & in adulto sensibus destituto habetur pariter per Extremam Unctionem remissio pœnæ sensus absque notitia talis remissionis: ergo non requiritur intentio actualis, vel virtualis lucrandi Indulgentiam, sed sufficit habitualis, & interpretativa. Et ratio a priori est, quia ad remissionem pœnæ non est necessaria notitia, nec acceptatio illius: propterea non raro Pontifex Indulgentiam plenariam largitur sensibus destituto: & animabus Purgatorii prosunt nostræ satisfactiones, & indulgentiæ, quas pro iis applicamus, quin sit necessaria illis notitia, vel acceptatio talis applicationis, ut docent Suar., & Lugo apud Dian. p. 11. tr. 5. ref. 54.

XI. Oppones. Si hactenus dicta essent vera, perrari essent, præsertim Regulares, qui decedentes in gratia in Purgatorio torquerentur, aut per plures ibi dies detinerentur innumeræ enim sunt plenariæ Indulgentiæ, quas Christi fideles, ac præsertim Regulares, lucrari possunt; & vix est, qui aliqua careat pro mortis articulo, & qui eam non lucretur: cum nihil aliud ad illam lucrandam desideretur, quam Venerabile Nomen, saltem corde, invocare. Quod si forte quis illam non lucretur, adhuc innumeræ sunt Indulgentiæ, quas pro animabus Purgatorii lucrari possunt fideles. Quod ut pene oculis subjiciatur, ponamus, ut communiter fertur, mille hominum milliones de facto vivere, & hanc hominum multitudinem singulis vigintiquinque annis variari, cum multi ultra, plurimi infra hanc ætatem decedant: hinc fit singulis diebus pene centum, & decem hominum millia emori, & enasci: Ex his autem, qui damnantur ob infidelitatem, aut hæresim, aut ob pessime transactam vitam sunt plurimi; ex iis vero residuis, qui in gratia decedunt, plures Indulgentiam in mortis articulo lucrantes recta ad cœlum evolant, & qui flammis purgantibus addicuntur, sunt admodum pauci. Hinc eo temporis momento, quo D. Bernardus decessit, fertur juxta celebrem revelationem, ex triginta hominum millibus vita functis tres duntaxat Purgatorio fuisse addictos; ac duos tantum Patriam fuisse ingressos. Jam vero plenariæ Indulgentiæ, quæ pro liberandis animabus Purgatorii quotidie a fidelibus acquiri possunt, sunt innumeræ, adeo ut P. Antonius Natalis cap. 7. in solis Ecclesiis Romanis recenseat ut minimum octo, & triginta, quæ quotidie per modum suffragii applicari possint, quas Regulares etiam extra Romam visitando proprias Ecclesias lucrari possunt, quod etiam passim in aliis Ecclesiis conceditur etiam sæcularibus; & probabiliter pluries quotidie acquiri possunt pro defunctis, si pluries injuncta opera ponantur: Quomodo ergo fiet, quod diu in Purgatorio animæ detineantur? Præsertim si vera sit sententia Suarii, Con., Val., Ledesmæ, Trull. apud Dian. p. 3. tract. 12. ref. 8. contra Cajet. Bonav. Cordubam, quod Indulgentiæ pro defunctis applicatæ iis prosint certo, & infallibiliter, cum non desit Divina promissio de remissione pœnarum per Indulgentiarum applicationem facienda, fundata in perpetua traditione Ecclesiæ, & in verbis illis Matth. 16. *Quodcumque solveris &c.* Et tamen communis est persuasio, multas animas per sæcula, & forte etiam usque ad diem Judicii detinendas in Purgatorio; ut proinde confixa sit propositio 43. ab Alex. VII. dicens, *Annuum legatum pro anima relictum non durat plusquam per decem annos*, perinde quasi nulla anima ultra id tempus ab iis flammis crucianda sit.

Huic non levi difficultati fieri satis debet ab omnibus, etiam negata qualibet Indulgentia: Certum enim est promitti a Christo D. nobis quicquid in suo nomine a Deo petatur; atque adeo cum fere omnes petant a Deo remissionem culparum, ac pœnarum, & vitam æternam, fere omnes deberent salvari, quin supersit ulla pœna in purgatorio luenda. Idcirco autem non omnes culparum, ac pœnarum remissiones obtinent, quia non omnes petunt sub circumstantiis debitis, idest cum debita humilitate, fiducia, perseverantia, & similibus. Idem dicendum in casu nostro; promissa enim est remissio pœnarum per Indulgentias, dummodo cum debitis circumstantiis conferantur, & suscipiantur: Requiritur enim debita causa in elargiente, ut sit Dispensator fidelis mysteriorum Dei: requiritur etiam debita præparatio ad illas assequendas; requiritur quippe humilitas, fiducia in Christi sanguine, perseverantia, &c. Quia tamen non semper dictæ istæ circumstantiæ adhibentur: ideo non semper Indulgentias lucramur; immo, ut ait Glossa in Clement. 1. de Reliq. & Venerat. SS. *Pauci admodum Indulgentias consequuntur*. Præterea, ut eas pro defunctis lucremur, requiruntur etiam plures aliæ circumstantiæ: requiritur enim, quod a Deo pro illis acceptentur, cum non teneatur offensus acceptare satisfactionem, quæ ab alio offensoris nomine exhibetur: & ideo dicuntur Indulgentiæ applicari pro defunctis per modum Suffragii, petendo scilicet a Deo, quod illis suffragentur. Verum dato, quod ad id Deus se obligarit, posito quod voluerit, posse Pontificem conferre Indulgentias pro defunctis applicabiles, atque adeo, quod certo, & infallibiliter defunctis prosint, si pro iis applicentur: adhuc requiruntur aliquæ circumstantiæ ex parte eorum, pro quibus offeruntur, inter quas Cajetanus loc. cit. putat illam esse, quod scilicet defunctus in vita per pietatem, & curam erga mortuos meruerit Indulgentias sibi profuturas. Cum autem non raro hujusmodi circumstantiæ desint, idcirco non pauci diutissime in Purgatorio detinentur, quamvis innumeræ Indulgentiæ pro iis applicentur, ac innumera Sacrificia. Ex quibus omnibus id aperte colligitur, non esse lucrationem Indulgentiarum negligendam, sed curandum, ut quoad ejus fieri possit, cum debita præparatione, ac circumstantiis ad eas frequenter assequendas animum adjiciamus; sicut non est Oratio negligenda, sed connitendum, ut cum debitis circumstantiis, & frequentissime ponatur, si volumus votorum esse compotes.

PROPOSITIO XXXVIII.

Mandatum Tridentini factum Sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali, confitendi quam primum, est consilium, non præceptum.

SYNOPSIS.

I. Videtur id esse Consilium, cum non utatur Tridentinum verbis præceptivis. II. Sæpe verba præseferentia

ferentia præceptum aut sunt duntaxat directiva, aut obligant solum sub veniali. III. Saltem obligatio gravis in casu est dubia.

IV. Dici potest, quod solum detur ad id debitum convenientiæ, & honestatis.

V. At ex usu, & omnium consensu constat dari ad id gravem obligationem. VI. Universim lex obligat sub gravi, si materiam gravem contineat. VII. Hinc præceptum de præmittenda Confessione Communioni graviter obligat. VIII. Probabiliter tam hoc, quam præceptum, de quo loquimur, est Juris Ecclesiastici.

IX. Laici hoc præcepto Tridentini non obligantur, si absque Confessione, urgente necessitate, communicent in mortali. X. Nec Sacerdos, si communicet instar Laicorum. XI. Et in aliis casibus. XII. Nec si culpabiliter celebret absque Confessione. XIII. Explicatur quid hic veniat nomine urgentis necessitatis.

I. EXponitur. Trident. sess. 13. cap. 3. habet: *Quod si necessitate urgente Sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.* Villalobos, Ledesma de Euch. cap. 11. apud Dian. p. 2. tract. 14. ref. 60. docuerunt, hæc verba non continere præceptum, cum neque habeatur ulla clausula indicans obligationem gravem, qualis esset, *Sub obtestatione Divini Judicii*, aut similis, nec imponatur ulla gravis pœna transgressoribus: sicut quando in Cap. *Omnis utriusque sexus* præcipitur annua Confessio, imponitur gravis pœna transgressoribus, quamvis præcepto nulla gravis clausula addatur, dicitur enim: *Quilibet semel in anno confiteatur: alioquin & vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Ecclesiastica careat sepultura.* Idem docuit Machadus lib. 2. p. 4. tr. 8. Et hanc sententiam tamquam probabilem admittit Tamb. de Commun. c. 1. . 4., cum enim potuerit Concilium uti verbis imperativis indicantibus præceptum, & iis abstinuerit, videtur potius voluisse adhortari, & dare consilium, quam imponere præceptum.

II. Confirmatur: quia ipsa verba significantia præceptum, qualia sunt Cavete, Facite, Abstineant omnes, Nemo audeat, & similia in nonnullorum sententia cum Cajetano, & aliis apud Palaum disp. 1. de Leg. punct. 9. consilium duntaxat continent: & in aliorum sententia cum Sayr. Nav. solum continent præceptum sub veniali: (esto Palaus, & Sanch. putent in materia gravi obligare sub mortali) ergo a fortiori in casu nostro verba Tridentini, quæ non explicant imperium, probabiliter non continebunt præceptum, saltem sub gravi.

III. Adde quod in dubio de legis obligatione ex Sanch. lib. 6. cap. 4. num. 66., & Palao loc. cit. melior est conditio libertatis humanæ, quæ ab ea est immunis; & in dubio de gravi, an levi legis obligatione, non censetur lex obligare sub mortali, quia ex Reg. 39. Jur. in 6. *In pœnis benignior interpretatio est facienda.* Propterea probabiliter videtur Tridentinum eo mandato aut non obligare, aut saltem non sub gravi.

IV. Neque obstat, quod Missale Romanum explicet illud Tridentini, *Quamprimum confiteatur*, dicendo, *Quamprimum debet confiteri;* quia nonnulli apud Palaum loc. cit. docent, quod verbum *debet* sæpe tantum importet debitum convenientiæ, & honestatis, non vero obligationem sub gravi: sicut ex Suar., & Vasq. apud eumdem Palaum verbum *Oportet* neque significat semper obligationem gravem. Præterquamquod Rubricæ Missalis ex Lugo disp. 20. de Euch. n. 104., non obligant sub mortali, nisi aliquid contineant, quod vel ratione materiæ, vel alunde sit grave. In casu autem nostro, non videtur esse grave inconveniens, quod Sacerdos post celebrationem cum debita contritione, ac dispositione peractam, differat usque ad sequentem celebrationem confiteri peccatum, cujus antea meminerat, quin potuerit præmittere confessionem de illo.

V. Ostenditur falsitas: quia universim leges, quamvis nullam clausulam contineant, quæ explicet gravem obligationem, & quamvis nullam pœnam imponant transgressoribus, obligant tamen sub gravi, quoties usus, & communis DD. consensus, qui est optimus legum interpres, censeat illas sub gravi obligare, ut supra diximus in expositione propositionis 9. & notant DD. communiter cum Præposito 3. p. quæst. 80. art. 4. dub. 5. Nec aliter leges de audienda Missa die festo, de jejuniis, & similes obligant sub gravi, nisi quia ita usus, & consensus DD. eas interpretatur: Atqui in casu nostro tam usus Ecclesiæ, quam Theologi omnes (uno, vel altero excepto, ut loquitur Lugo disp. 14. de Euch. sect. 7.) censent Tridentini præceptum graviter obligare; ergo ita dicendum.

VI. Præterquamquod universim lex censetur sub gravi obligare, ubi materia est gravis, sive in se, sive ratione finis, ob quem lex imponitur; eo quod præsumatur, quod legislator velit imponere obligationem materiæ consonam, nisi aliunde aliud colligatur: In casu nostro censent communius non esse levem materiam hujus legis, ne scil. Sacerdos, qui frequenter celebrat, facile judicet necessitatem urgere ad celebrandum sine prævia confessione peccati, & assuescat differre Confessionem peccati non manifestati in Confessione prævia: quod fert gravem irreverentiam Sacramento Eucharistico, ad quod ex præcepto Divino non sufficit solam contritionem sine Confessione præmittere, ut in aliis Sacramentis vivorum sufficit: ergo lex ista Tridentini non est merum consilium, nec præceptum obligans sub levi, sed sub gravi. Quamvis autem in hac thesi proscripta non exprimatur, quod sit præceptum graviter obligans; nihilominus Præceptum antonomastice sumitur apud Theologos pro præcepto obligante sub mortali, nisi desit materiæ gravitas; atque adeo lex ista, quæ communiter censetur præceptiva, dicenda est graviter obligare juxta materiæ gravitatem.

VII. Ex quibus corruunt quæcumque congeruntur ab Adversariis ad hanc gravem obligationem declinandam: Aliter posset etiam dici (quod nemo somniavit) præceptum de præmittenda Confessione Communioni obligare tantum sub levi, cum non addatur pœna gravis transgressoribus; & cæteroqui illud esse præceptum Ecclesiasticum, non Divinum, docent non pauci, quorum sententiam Suar., Less., Amicus, Kon. apud Dian. p. 9. tr. 3. ref. 2. censent probabilem, quamvis putent oppositam esse communiorem, & probabiliorem.

VIII. Utrum autem præceptum, de quo loquimur, impositum Sacerdoti de confitendo quamprimum, si necessitate urgente absque prævia Confessione cum sola contritione de mortali celebraverit, sit Ecclesiasticum, an vero Divinum? disputant pariter Theologi apud Dianam loco laudato ref. 21. Communius docent cum Less., Præposito, Nugno esse juris Ecclesiastici, non vero juris Naturalis, aut Divini; cum neque jus naturæ obliget ad ponendam

nendam postmodum Confessionem, quæ erat antecedenter ponenda; sicut non debet poni connaturaliter post formam dispositio, quæ erat ponenda antecedenter; neque extet Divini præcepti ad id obligantis vestigium ullum. Ex quibus fit, ut notat Præpositus, quod, ubi Tridentinum non est receptum, non datur isthæc obligatio.

IX. Difficultas est primo, Num vi hujus præcepti solum Sacerdotes, an vero etiam Laici, qui ex necessitate cum peccato mortali prævia contritione communicant, teneantur quamprimum confiteri? Henr. lib. 8. c. 45. n. 4. Sà, Zanardus, Azor. apud Dian. ref. 27. obligant etiam Laicos; quia quamvis Tridentinum solum loquatur de Sacerdote celebrante; finis tamen præcepti militat etiam pro Laico, atque adeo uterque videtur obligandus: Cum enim detur Divinum præceptum de præmittenda Confessione Communioni, quod tam Sacerdotes, quam Laicos obligat, qui urgente necessitate Confessionem omittit, tenetur ad illam statim ac potest, cessante illa necessitate; cum universim qui dispensatur in aliqua lege pro tempore necessitatis, soleat dispensari cum onere illam implendi statim ac potest; atque adeo tam Sacerdos, quam Laicus, ne videantur præceptum de præmittenda Confessione Communioni spernere, ad illam obligantur post communionem, quamprimum possunt.

Verum communissime DD. cum Suar. disput. *66.* sect. 7. Less. Gran., Leandro negant Laicos ad id teneri. Cum enim lex solum loquatur de Sacerdotibus, non est extendenda ad Laicos; tum quia in legibus positivis non tenet argumentum a pari; tum etiam quia dispar est ratio de utrisque; cum enim Sacerdotes frequenter celebrent, erat id iis specialiter injungendum, quippe iis majus periculum subest indigne communicandi; Præterquamquod facile est contingere, quod in aliquo oppido Sacerdos non habeat alium Sacerdotem, a quo absolvatur; Laicus vero fere semper habet Sacerdotem, saltem illum, a quo suscipit Eucharistiam, a quo possit ante Communionem absolvi. Falsum deinde est universim, quod obligatus hic & nunc ad aliquem actum, si per accidens impediatur, teneatur deinde statim præceptum implere; nam obligatus ad communicandum in articulo mortis, si tunc impediatur, non tenetur deinde statim communicare: ergo Laicus obligatus ad Confessionem ante Communionem, si tunc careat copia Confessarii, non tenetur deinde statim confiteri.

X. Ex quibus inferunt Villal., & alii communius, quod neque ad id teneatur Sacerdos, si non celebret, sed instar Laicorum communicet; secus vero si communicet celebrando die Parasceves, aut perficiendo Sacrificium inchoatum ab alio, qui cogatur illud interrumpere; tunc enim communicat Communione non Laica, sed Sacerdotali, ut notat Suarez, & Vasq. cum Lugo hic n. *139.*

XI. Utrum autem Sacerdos, qui præmisit jam Confessionem, & deinde recordatur alicujus mortalis, quin possit ad Confessarium redire, si necessitate urgente celebret, teneatur quam primum deinde confiteri? Affirmant communiter cum Suar., Regin., Bonac. cum jam citra confessionem illius peccati ex necessitate celebret. Quamvis nonnemo id neget apud Dian. ref. *26.* quia Trid. solum videtur loqui de eo, qui absque ulla prævia Confessione celebrat, volens forte reddere Parochos Rurales magis sollicitos ad quærendum Confessarium ante celebrationem Missæ, ne diu celebrent absque Sacramento Pœnitentiæ prætextu carentiæ Confessarii: Propterea iis tantum illud onus imponitur, qui nulla prævia Confessione celebrarunt, non vero iis, qui post Confessionem per accidens recordantur alicujus mortalis: Immo forte nec iis, qui absque Confessione, & absque conscientia peccati mortalis ad celebrandum accedunt, &, dum celebrant, mortalis recordantur; ut iidem DD. docent, & alii cum Vasq. apud Lugo: sicut etiam qui post communionem recordantur peccati invincibiliter prius obliti, non obligantur illud quamprimum confiteri, ut docent communiter.

XII. Difficultas etiam est, An hoc præcepto confitendi quamprimum post Missam obligetur Sacerdos, qui culpabiliter celebrat absque Confessione? Affirmant aliqui cum Sylvio apud Lugo, necnon Vuigers, & Zanardus apud Dian. ref. *26.*, quia hic magis est recens, quam Sacerdos, qui mortaliter deliquit, sed necessitate urgente absque Confessione inculpabiliter celebrat. Verum communiter cum Suar., Fill., Lugo negant, quia præceptum hoc est impositum Sacerdotibus, qui prætextu necessitatis celebrandi diu differunt Confessionem, non illis, qui ex malitia omittunt Confessionem; cum istos jam urgeat Divinum præceptum confitendi: novum autem illud præceptum Ecclesiæ confitendi quamprimum esset illis nova occasio peccandi absque spe fructus; unde non debuit illis imponi, (esto sint sacrilegi) cum non teneat in legibus positivis argumentum a minori ad majus.

XIII. Denique de hac necessitate sacrificandi: si adsit mortale, absque prævia Confessione disputant Theologi quærendo, Quænam illa sit? Conveniunt in hoc, quod sit sufficiens caput ita sacrificandi, & Laicis communicandi: Primo si detur mortis periculum, nec detur copia Confessarii: Secundo, si Eucharistiæ susceptio omitti non possit citra gravem infamiam propriam, vel citra aliorum scandalum. Imo Sylv., Henr. Valent. & alii apud Dicast. tr. 8. putant, quod etiam secluso scandalo, & infamia Sacerdos, qui Missam est exorsus, & Laicus, qui ad Linteum Communionis accessit, non teneatur ad Confessionem, si tunc mortalis recordetur, vel tunc peccet, sed possit præmissa contritione communicare; idque ad vitandam irreverentiam, quæ haberetur in relinquendo locum illum, & actionem jam moraliter inchoatam: Tertio, potest Sacerdos sic celebrare ad dandum Viaticum moribundo. Quare autem in hoc casu cesset obligatio præcepti Divini de præmittenda Confessione Communioni, non tamen cesset obligatio celebrandi cum sacris vestibus, cum non possit ad dandum Viaticum celebrare Sacerdos sine vestibus sacris, aut in una tantum specie, & probabiliter neque id possit, si non sit jejunus, ut nonnulli docent apud Lugo disput. 15. numer. *67.*? Ratio videtur esse, quia reverentia Christo debita compensatur sufficienter per contritionem, ut docet Tambur. lib. de Commun. cap. 1. §. *6.* quod non habetur in aliis casibus. Quarto, probabiliter ex Lugo, Fag. apud eumdem Tamb. potest sic Sacerdos celebrare; si non possit aliter aut ipse, aut alii satisfacere præcepto de Sacro audiendo: Idemque docet Henriq., si non possit aliter satisfieri præcepto Communionis Paschalis; quamvis ad id non teneantur, cum possint sequi opinionem oppositam probabiliorem, quod id non liceat. Et quod dicitur de habente mortale, dicen-

dicendum etiam ex Vasq., & Lugo contra Kon., & Tamb. de habente excommunicationem; ubi enim non obstat peccatum, quod de jure Divino impedit Communionem non præmissa absolutione, neque obstabit excommunicatio, quæ illam impedit jure Ecclesiastico. Denique Sylvester, Tabiena, Rosella, & alii apud Dicast. loc. cit. docent esse sufficiens caput solam magnam utilitatem, aut commoditatem, ut si Sacerdos sit pauper, & indigeat Missæ stipendio, vel si obligatione Capellaniæ teneatur celebrare, aut quid simile; quod tamen Suar. Valent. Henr. putant esse improbabile; cum hæc non apte dicatur necessitas; quæ omnia, & his affinia probe discutit Fagund. in 3. Præc. Ecc. lib. 3. cap. 9.

PROPOSITIO XXXIX.

Illa particula, *Quamprimum*, intelligitur cum Sacerdos suo tempore confitebitur.

S Y N O P S I S.

I. Alii aliter illam interpretati sunt. II. Nequit importare, quod Sacerdos teneatur suo tempore confiteri; cum ad id aliunde teneatur. III. Nec dicitur confiteri quamprimum, qui sponte Confessionem differt, v.g. per sex menses. IV. Hæc particula pro diversitate materiæ diversam patitur temporis latitudinem. V. In casu nostro probabiliter significat intra triduum.

VI. Qui tamen prævidet intra triduum defuturam opportunitatem confitendi, tenetur prævenire.

VII. Sic tenetur prævenire, si minus ante, saltem intra tempus præfixum, qui non potest aliter satisfacere præcepto Confessionis annuæ, & Communionis Paschalis. VII. Quanta debeat esse distantia Confessarii, ut Sacerdos excusetur a Confessione præmittenda, aut quamprimum ponenda?

IX. Sacerdos, qui urgente necessitate celebravit in mortali, nec tenetur vi hujus præcepti, nec potest adire deinde simplicem Confessarium, ut absolvatur a reservatis.

I. EXponitur. Multifariam DD. particulam istam, *Quamprimum*, interpretati sunt. Fagundez 3. Præcep. lib. 3. c. 8. Molfesius, Binsfeldius apud Dian. p. 2. tr. 14. res. 60. putant sufficere, si Sacerdos, qui cum conscientia peccati mortalis necessitate urgente, prævia contritione, sed non prævia confessione, celebravit, confiteatur deinde cum primum iterum celebraverit; atque adeo posse per plures menses confessionem differre. Alii ex opposito cum Henriq. l. 8. c. 45. n. 4. Soto, Dict., Cano, Jo. Sancio in Sel. disp. 32. docent teneri Sacerdotem statim, idest, ut interpretatur illos Diana, finita Missa, adire Confessarium, ut huic obligationi satisfaciat. Alii benignius cum Zanardo non obligant Sacerdotem immediate eo ipso die, sed putant sufficere, quod non differatur Confessio per longum tempus, quod arbitrio prudentis viri spectatis circumstantiis determinari poterit. Lugo tamen, Garzias, Candidus, & alii cum Dian. p. 9. tr. 3. res. 23. putant sufficere, si intra triduum confiteatur; additque Lugo, neque Molfesium, neque Binsfeldium a Diana laudatos, sed solum Fagundez docuisse sufficere, quod confiteatur, cum primum iterum celebraverit; atque adeo sententiam hanc, utpote destitutam auctoritate, & ratione, rejiciendam esse tanquam omnino improbabilem, & laxam.

II. Ostenditur falsitas; quia, ut notat Aversa de Euchar. qu. 8. sect. 7. si hæc sententia subsisteret, rueret præceptum Tridentini imponens Sacerdoti huic, quod quamprimum confiteatur; nam independenter ab hoc præcepto tenetur Jure Divino suo tempore confiteri ante aliam celebrationem, propter mortale nondum clavibus subjectum. Quare eodem modo obligaretur laicus, qui probabilius non ligatur hoc præcepto confitendi quamprimum, si ex necessitate communicet cum mortali absque prævia confessione, quam Sacerdos, qui eo obstringitur; cum uterque teneatur suo tempore peccatum illud confiteri.

III. Denique quis dixerit, quod Sacerdos hic quamprimum confiteatur, si per sex menses differat novam celebrationem, atque adeo post sex menses peccatum illud subjiciat clavibus in ordine ad absolutionem directam? verum quidem est, quod non teneatur immediate post communionem adire Confessarium, cum ly *Quamprimum* debeat sumi moraliter, non physice: debet tamen non differre diu Confessionem, ut possit intelligi, quod quamprimum satisfecerit huic obligationi. Regula Missalis explicat hoc verbum Tridentini, *Quamprimum*, dicendo, Cum primum poterit, quod est dicere, Prima data opportunitate: ergo non poterit expectare usque ad novam celebrationem, si lla diu differenda sit, seu cum suo tempore Sacerdos confitebitur.

IV. Advertit autem Card. de Lugo disp. 14. de Eucharist. nu. 161., quod hæc vox *Quamprimum*, *Statim*, *Mox*, *Incontinenti*, & similes non habeant certam, & determinatam significationem, sed ex diversitate materiæ, de qua agitur, & ratione circumstantiarum diversimode sumantur: ut docent Juristæ communiter apud Cardin. Tuscum in dictione *Mox*: propterea aliquid in una materia dicitur fieri statim, si fiat intra hebdomadam, vel mensem; immo si quis v. gr. voveat ingressum Religionis, dici potest, quod statim ingressus sit, dummodo intra spatium sex mensium ingrediatur, ex Sanch. lib. 4. c. 14. n. 12. Et si stabile aliquod donetur Domui Professæ Societatis, quæ debet illud quamprimum vendere, ut habetur in Constitutionibus p. 6. c. 2. l. E., dicitur illud quamprimum vendi, si vendatur intra decennium ex Lugo in Resp. Mor. lib. 4. dub. 1., & Sanch. l. 7. c. 27. n. 23., quia ex iisdem Constitutionibus temporis opportunitas non est excludenda. In alia vero materia non dicetur aliquid statim fieri, nisi fiat eodem die, aut hora, aut immediate: Sic in Rubricis Missalis dicitur, quod Sacerdos, antequam consecret vinum, elevet Calicem ambabus manibus, ac statim deponat; non diceretur autem deponere statim, qui non deponeret immediate; & cum dicitur Jo. 10. *Et statim gallus cantavit*, non potest intelligi de cantu post aliquam horam: quare prudentis arbitrio judicandum ex circumstantiis, quænam temporis dilatio obstet, quominus aliquid dicatur fieri statim, seu quamprimum.

V. In casu autem nostro probabiliter ex Lugo, Candido, Trullench, Bassæo, Con., & aliis apud Dia. l. c. Sacerdos dicitur confiteri quamprimum, si intra triduum confiteatur: quia apud omnes Juristas, quod fit intra triduum, dicitur fieri quamprimum, & continuo, ex l. fin. Cod. de Judiciis, & l. fin. Cod. de errore Advocatorum, ut videre est apud Bald., Feli., Mandosium. Sic præcipitur in cap. *Eos, qui*, de Sent. excommun. in 6., quod absolutus in articulo mor-

mortis ab excommunicatione reservata, si convaluerit, quamprimum adeat ad Superiorem, aliter in censuram reincidat; non censetur autem reincidere, ut notat Lugo, si intra triduum datæ commoditatis ad Superiorem recurrat; ex Sanch.vero l.2. c.10. n.55. non violat præceptum deferendi libros hæreticorum ad Inquisitores, qui per biduum illos retinet.

(*a*) „ *Hæc interpretatio*, inquit Concina *T. VIII.* „ *p.* 348. , *ut mihi videtur*, *falsa est*, *& Concilii* „ *menti adversa*. Sed Benedictus XIV. *De Syn. Diœcef. lib. XII. cap. VI. n.* 12. *quamvis autem*, in- „ quit, *Auctores Morales* COMMUNITER *sentiant*, „ *ad Conciliaris præcepti implementum sufficere*, *si* „ *Sacerdos intra triduum confiteatur*, *ut videre est* „ *apud* VIVAM *ad suprad. prop.* 39. *num.* 5. *&* „ *apud Milante exercit.* 33. *in eamdem prop.* 39. *§.* „ *collige quarto*; *nihilominus id nobis cautius consilium videretur*, *ut Episcopus controversias hujusmodi in collationibus* &c.

VI. Utrum autem qui statim finita Missa præsentaneum habet Confessarium, quem postea intra triduum non est amplius habiturus, teneatur illico confiteri, nulla interposita mora? fuse disputat Dicast. disp. 9. de Euchar. dub. 9. Affirmant tamen communiter cum Lugo, Candido, Garzia, Dian. loc. c.; Universim enim qui ad aliquem actum intra certum tempus obligatur, prævenire debet, si non possit deinde preceptum implere: Sic qui die festo diluculo tantum potest audire Sacrum, nullam deinde habens opportunitatem, tenetur in omnium sententia anticipare, & summo mane illud audire: Sic etiam ex Azor., & Nav. apud Dicastill. disp. 7. de Pœnit. sect. 10., qui in principio diei timet febrim, puta quartanam superventuram, aut aliud impedimentum, tenetur Officium ejus diei prævenire, & mane Vesperas, & Completorium recitare. Quamvis hac in re sit quædam controversia apud DD., & in opposita sententia sint Henr. Sotus, Sà, Canus, & alii putantes in hoc casu sufficere sic impedito, quod recitet horas temporis non impediti; quia facultas antevertendi horas est privilegium favoris, quo nemo tenetur uti, non vinculum necessitatis; esto, ut notat Canus, si impedimentum apponatur voluntarie, tunc debeat officium præveniri. Resolutio autem hujus difficultatis pendet ex eo principio inter DD. controverso, Num sc. præceptum cujuscumque horæ Canonicæ sit solum pro determinato tempore diei, ita ut solum ex privilegio possit ea anticipari, aut postponi; An vero substantia totius Officii intra latitudinem totius diei sit præcepta sub mortali, & substantiæ hujus præcepti adjuncta sit circumstantia, quod scilicet quælibet hora suo tempore recitetur sub veniali, nisi detur causa excusans; Si dicatur primum, quod ex privilegio tantum possint horæ anticipari, vel postponi, certe nemo tenetur anticipare horas, quas nequit suo tempore recitare, cum nemo teneatur uti privilegio; Si autem recitatio totius Officii sit præcepta sub mortali intra latitudinem diei, ut docent communius, tunc certe prævidens impedimentum futurum debet totum Officium anticipare; non secus ac debet summo mane Missam audire, qui prævidet futurum deinde impedimentum.

VII. Neque dicas, non paucos graves DD. apud Dicastillum, & Dian. p. 3. tract. 4. ref. 69. docere, quod nemo teneatur prævenire ad fatisfaciendum præcepto Ecclesiastico Confessionis annuæ, aut Communionis Paschalis: ergo neque tenetur Sacerdos prævenire confessionem in casu nostro ad satisfaciendum huic præcepto Tridentini, quod pariter est Ecclesiasticum. Nam, ut advertit Dicast. nemo docuit non dari tunc obligationem præveniendi intra tempus a præcepto præfixum: proinde qui prævidet post diem Palmarum defuturam opportunitatem satisfaciendi præcepto Communionis Paschalis, in omnium sententia tenetur Palmarum die communicare: Et eodem modo tenetur in principio anni satisfacere præcepto annuæ Confessionis, qui prævidet impedimentum deinde superventurum: ergo etiam in casu nostro tenetur Sacerdos prævenire.

Illud solum in his præceptis Communionis, & Confessionis revocatur in dubium apud DD. An scilicet qui toto tempore Paschali est impeditus, teneatur ante illud tempus ad satisfaciendum præcepto communicare, & eodem modo antevertere Confessionem, qui prævidet impedimentum futurum pro toto anno insequenti? Nonnulli enim docent apud Dicastil. tr. 4. disp. 10. du. 6. cum Antonino, Sylv. Med., Valen., Soto, & aliis non paucis, quod præceptum Communionis Paschalis sit affixum illi tempori, non secus ac auditio Sacri diei Festo; inde non teneatur anticipare, aut postponere Communionem, qui toto eo tempore impeditur: Alii censent tempore Paschali incipere, non tamen desinere obligationem; ut in eo, qui tenetur restituere; incipit obligatio restituendi statim ac habet rem alienam, nunquam tamen desinit, donec restituat; & in hac sententia impeditus toto tempore Paschali tenetur postponere, non anticipare Communionem: Alii demum putant communius, & probabilius, quod impeditus tempore Paschali, licet non teneatur præcepto Ecclesiastico ad communicandum alio tempore, teneatur tamen vi præcepti divini de non differenda diu Communione; & juxta hanc sententiam tenetur anticipare, si aliter diu futurum sit, ut communicare non possit. Quæ doctrina militat etiam pro præcepto Confessionis, quæ ex Ecclesiæ præscripto debet poni quotannis, sed ex Divino præcepto non potest a peccatore diu differri. In casu tamen nostro certum est, quod si Sacerdos non possit intra triduum confiteri, obligatio non expiret: unde debet statim ac potest Confessarium adire.

VIII. Superest hic inquirendum, Quanta universim debeat esse distantia Confessarii, ut Sacerdos habens conscientiam peccati mortalis excusari possit, quominus illum adeat, sive ante celebrationem, quam omittere non potest, prout tenetur ex Divino præcepto, sive quamprimum post talem celebrationem, prout vi hujus præcepti Ecclesiastici obligetur? Communiter cum Suar. Vasq. Bonac. Fagund. & aliis apud Dicastil. l. c. docent, id relinquendum esse arbitrio prudentis viri, spectatis omnibus circumstantiis personæ, temporis, & loci. Aliqui putant, distantiam trium milliariorum universim excusare; sicut eadem distantia universim excusat a præcepto Ecclesiastico audiendi Missam. Verum in utroque casu ea est universalis regula: Quando distantia tanta est, ut sine magno incommodo non possit huic præcepto Ecclesiastico satisfieri, tunc præceptum non obligat; quia tamen aliquando potest esse magnum incommodum, etiamsi distantia sit brevissima, vel ratione brevissimi temporis, vel ratione pluviæ, vel ob periculum scandali, aut infamiæ, vel ob alia urgentia negotia, & obligatoria; ideo etiam brevis distantia potest aliquando deobligare; & viceversa distantia plurium milliariorum

potest

potest non deobligare, si ea evidenter non pariat magnum incommodum.

IX. Illud videtur hic advertendum, quod licet Sacerdos habens mortale reservatum, aut excommunicationem, si urgeat necessitas celebrandi, & solum habeat copiam Confessarii simplicis non habentis potestatem in reservata, tunc possit juxta varias sententias, quas fuse discutit Dicastil. tr. 4. disput. 9. dub. 7. vel omissa Confessione cum sola contritione celebrare, vel præmittere solum Confessionem de non-reservatis, vel præmittere Confessionem omnium, ita ut a non reservatis absolvatur directe, & a reservatis indirecte, & cum onere adeundi quamprimum Superiorem. Nihilominus hujusmodi Sacerdos, qui habens reservata caret copia cujuscunque Confessarii, & urgente necessitate celebrat, si intra triduum habet deinde copiam solius Confessarii simplicis non habentis potestatem in reservata, nec tenetur ex hoc præcepto Tridentini, nec potest illum adire ad absolutionem accipiendam. Ratio est, quia, ut advertit idem Dicast. numer. 117. intantum potest in primo casu dimidiari Confessio, & dari absolutio directa tantum de non reservatis, inquantum urget necessitas Communionis, ad quam jure divino debet præire Confessio; at in secundo casu neque hæc, neque alia urgens necessitas datur, unde possit dimidiari Confessio, quæ jure divino debet esse integra: ergo nullatenus potest a simplici Confessario absolvi; unde non ligatur hac lege Ecclesiastica Tridentini, nisi ad adeundum, quamprimum fieri poterit, Superiorem.

PROPOSITIO XL.

Est probabilis opinio, quæ dicit, esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem, quæ ex osculo oritur, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis.

SYNOPSIS.

I. In hac Thesi non configitur sententia de parvitate materiæ in re venerea, etiamsi confixionem mereatur, & in dubio sit, an fuerit olim a Clemente Octavo confixa. II. Osculum ob delectationem sensualem in hac Thesi dicitur esse solum veniale. III. Sed distinguendum inter oscula honesta ex benevolentia, & oscula ob delectationem. IV. Distinguendum etiam inter delectationem sensualem, & delectationem sensibilem; necnon inter parvitatem materiæ in delectatione venerea, & in re ex objecto venerea.

V. Nititur hæc Thesis in eo, quod Apostolus non enumerat hæc oscula inter peccata, quæ excludunt a regno Dei. VI. Et quia D. Thom. lethalem culpam agnoscit solum in osculis, quæ ad copulam ordinantur. VII. Oscula videntur indifferentia, ut ad bonum, vel malum finem ordinentur. VIII. Nec opponuntur bono prolis, ut fornicatio. IX. Nec est cur in his non sit danda materiæ parvitas.

X. Sed paralogizat, qui sic ratiocinatur: Siquidem isthæc oscula natura sua ad fornicationem ordinantur magis, quam delectatio morosa de fornicatione. XI. Apostolus ea vocat immunditias, quæ excludunt a Regno Dei. XII. Idemque dicendum de tactibus, & verbis amatoriis proxime provocativis delectationis venereæ. XIII. Quænam causa requiratur, ut licite possint exerceri actiones hujus delectationis provocativæ? XIV. Quid de actionibus indifferentibus, quæ solent aliquando conspurcationem causare? XV. Quid de osculis more patrio, si prævideatur conspurcatio secutura? XVI. Distinguendæ sunt actiones influxivæ graviter ad commotionem spirituum generationi deservientium ab influxivis leviter.

XVII. Apostolus, & D. Thomas laudati rite sunt interpretandi. XVIII. Oscula sunt indifferentia, non tamen si ob delectationem sensualem exerceantur. XIX. Opponuntur bono prolis, sicut delectatio morosa de fornicatione. XX. Secus vero oscula, & tactus ob delectationem sensibilem, sed non sensualem.

XXI. Quare in delectatione venerea non detur materiæ parvitas? XXII. Quid si quis putet opinionem oppositam esse ab extrinseco probabilem? XXIII. Num vacent culpa mortali oscula inter Sponsos, & Sponsas de futuro?

I. Exponitur. Non est idem inquirere, ut nonnemo docuit, Num osculum habitum ob delectationem veneream sit veniale; & Utrum in delectatione venerea detur parvitas materiæ? quamvis enim ex hoc, quod in delectatione venerea non detur parvitas materiæ, recte inferatur, osculum habitum ob hanc delectationem esse mortale, non proinde ex hoc, quod hujusmodi osculum sit mortale, recte infertur, non dari materiæ parvitatem in re venerea: de facto enim Sanch. lib. 9. de Matrim. disp. 46. num. 7. multis cum communissima DD. ostendit, osculum ob delectationem carnalem habitum, necnon amplexus, & tactus esse mortalia, adeo ut Clemens VIII. & Paulus V. jusserint denunciandos esse Inquisitoribus fidei afferentes in illis non contineri crimen lethale: At num. 6. subdit cum Armilla, Soto, Nav. id intelligendum esse, nisi in ea delectatione parvitas materiæ adsit: quamvis deinde re maturius considerata idem Sanch. lib. 5. Summæ cap. 6. num. 12. moderationem hanc sapienter disertissimis verbis retractaverit, & fuse ostenderit ex D. Thoma, & Rebello de Just. p. 2. lib. 3. qu. 19. sect. 3. delectationem veneream deliberate quæsitam nunquam excusare a mortali ratione parvitatis materiæ; tum quia ex Galeno lib. 14. de usu partium cap. 9. hujusmodi delectatio oritur ex motu substantiæ seminis descendentis ad partes obscœnas ex commotione spirituum vitalium generationi deservientium, unde est quædam pollutio inchoata; tum quia ob lubricitatem naturæ fert periculum proximum progrediendi ad majorem delectationem: sicut qui in præcipiti positus vult paucos gradus descendere, exponitur periculo proximo labendi ulterius; & quia qui amat periculum, perit in illo, idcirco citra mortale admitti nequit deliberate quæcunque modica venerea delectatio; quod docent etiam communissime. Quicquid autem sit, an Clemens VIII. sententiam oppositam damnaverit, de quo dubitant nonnulli apud Mendo in Epitome, V. *Luxuria*; certum tamen est P. Claudium Aquavivam Præpositum Generalem Societatis Jesu præcepisse in virtute sanctæ Obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, *Ne ullus e Societate publice, aut privatim, non modo ut veram, vel probabilem, sed nec ut tolerabilem quidem doctrinam ulla ratione doceat, aut sibi placere significet, aut secundum illam consilium cuiquam det, scilicet in re venerea exiguam aliquam delectationem deliberate quæsitam propter levitatem materiæ excusari a peccato mortali*: Quod

præceptum deinde Congregatio 9. Generalis decreto 24. iterum confirmavit.

II. Nihilominus non solum Caramuel, Aravio, & alii apud Dian. p. 7. tr. 11. ref. 28. contra communissimam axcusant a mortali delectationem veneream modicam deliberate quæsitam; sed etiam Martinus de Magistris, Javellus, Ledesma, Soto, & alii apud Sanch. l. c. putarunt, osculum ob solam veneream delectationem habitum, secluso periculo consensus ulterioris, & pollutionis, vacare culpa lethali; quod in præsenti propositione ab Alex. VII. merito damnatur.

III. Ubi advertendum cum Sanch. oscula, & amplexus ex benevolentia, & amicitia honesta habita juxta morem patriæ vacare omni culpa, cum in iis non sit turpitudo, sed castus amor, ut docet D.Th. 2.2. qu. 144. a. 4. Quod si in iis motus sensualitatis, & delectatio venerea insurgat, sufficit quod reprimatur, & nullus ei consensus præstetur. Oscula vero, tactus, & amplexus, qui fiunt ob delectationem veneream, non sistendo in ipsa, sed intendendo copulam, aut delectationem morosam de ista, vel cum periculo hujus delectationis, vel pollutionis, in omnium sententia non vacant culpa mortali. Solum itaque docuerunt nonnulli, osculum habitum ob delectationem veneream, seu carnalem, ac sensualem sistendo in ipsa, nec intendendo copulam, aut de copula voluptatem, nec exponendo se periculo ulterioris consensus, aut pollutionis, esse duntaxat veniale ob materiæ parvitatem.

IV. In eo autem distinguitur delectatio venerea, seu sensualis a delectatione mere sensibili, quod illa sentitur in carne cum commotione spirituum subservientium generationi circa partes libidinosas, & ideo vocatur etiam delectatio carnalis: At delectatio sensibilis est illa, qua solum placet tactus, vel visus v. gr. proprii corporiis, vel alieni, absque ulla libidine, ob proportionem, & connaturalitatem cum organo tactus, vel visus, ut quando tangitur res blanda, v.g. felis, holosericum, &c. vel quando videtur res pulchra, ut pulcher equus, pratum, quæ naturaliter delectant; vel quando mater osculatur infantem suum. Porro delectatio ista tactiva, seu sensitiva, procul dubio culpa vacat, si non ordinetur ad malum finem, & non exponat hominem periculo delectationis sensualis; unde si ea tantum delectatio habeatur, tangendo v. g. alterius manum, aut faciem pulchram aspiciendo, aut congressum animalium, solum in his actionibus habetur veniale, si fiant ex levitate animi, aut curiositate, & periculo duntaxat levi, & remoto delectationis carnalis; ut docet Mendo l. c. in Epitome, & Palaus t. 3. t. 16. d. 5. qu. 9. cum Filiuc. apud Tamb. l. 7. c. 8. §. 1. Neque hoc esset dari parvitatem materiæ in delectatione venerea, sed parvitas materiæ daretur solum in re venerea, hoc est in actionibus istis venereis duntaxat ex objecto. Idemque verum esset, si osculum inter virum, & mulierem haberetur ex ea tantum delectatione sensibili. Quia tamen moraliter impossibile est, quod hujusmodi oscula fiant ob delectationem sensibilem, & non habeatur etiam periculum proximum delectationis sensualis, idcirco non est practice probabile, quod hujusmodi oscula vacent lethali culpa.

V. Quod attinet ad osculum habitum ob delectationem carnalem, de qua est in præsenti sermo; sistendo in ipsa absque periculo ulterioris consensus, & pollutionis, fundamentum asserendi, quod esset solum veniale, fuit Primo, quia Apostolus docens, quæ a regno Christi excludunt, atque adeo sunt mortalia, recensuit solum fornicationem, non delectationem veneream, quæ non sit de ipsa fornicatione, dicens ad Ephes. 5. *Omnis fornicator, aut immundus, aut avarus non habet hæreditatem in Regno Christi*.

VI. Secundo, quia D. Th. 2. 2. qu. 154. art. 4. docet, tunc amplexus, & oscula esse libidinosa, & mortalia, quando ad delectationem copulæ experiendam referuntur; unde malitiam moralem osculi, & tactuum reducit ad delectationem morosam de ipsa copula.

VII. Tertio: Oscula, & tactus sunt de se indifferentia, aliter non possent in signum benevolentiæ adhiberi, ergo intantum sunt mala moraliter, inquantum ad fornicationis delectationem ordinantur; atque adeo si ad illam non ordinentur, non sunt saltem graviter mala.

VIII. Quarto: Ideo fornicatio est intrinsece mala, quia opponitur bonæ educationi prolis; in osculis autem ob meram delectationem veneream habitis hæc oppositio cum bona prolis educatione non reperitur: ergo non participant malitiam fornicationis, quamvis ad illam natura sua ordinentur, atque adeo non sunt graviter peccaminosa.

IX. Quinto: Quoties actio non est mala, nec est mala delectatio, quæ oritur ex illa, quippe quæ naturaliter consequitur; sed oscula de se non sunt mala, cum possint ex casto amore prodire: ergo nec est mala delectatio carnalis, quæ inde consequitur, nisi ad ulteriorem consensum, vel ad pollutionem inducat.

Denique quia, ut ratiocinatur Caramuel l. c. in aliis materiis, puta in furto, in dehonoratione parentum, datur materiæ parvitas excusans a mortali: ergo etiam in delectatione venerea deliberate quæsita; qualis videtur esse ea, quæ in osculis percipitur, si non inducant ad consensum ulteriorem: quamvis enim ea sit inchoata pollutio, est tamen inchoatio remota, & levis, non proxima, & gravis; & quamvis illam admittens subsit periculo ulterioris consensus, subest tamen de se periculo levi, non gravi, atque adeo non contrahit malitiam mortalem.

X. Ostenditur non falsitas: Primo, quia ex dictis Clemens VIII. & Paulus V. apud Sanch. l. 5. c. 6. n. 12. jusserunt Inquisitoribus fidei denunciari asserentes in osculis ob meram delectationem veneream habitis non contineri culpam lethalem. Secundo, quia delectatio, seu complacentia deliberata de objecto mortali, puta de homicidio, de furto, & similibus semper est mortalis; atqui osculum, cui annectitur delectatio venerea, fert complacentiam deliberatam de objecto mortali, nempe de fornicatione, ad quam talis delectatio, & commotio spirituum generationi subservientium natura sua ordinatur: ergo hujusmodi osculum, amplexus, & tactus mortalem culpam continent, etiam secluso periculo consentiendi in ipsam fornicationem, & secluso periculo pollutionis. Quod autem natura sua hujusmodi oscula, & tactus ad fornicationem ordinentur, constat; tum quia iis bruta se præparant ad congressum; tum quia magis ad copulam disponunt, quam delectatio morosa de illa; atque adeo si delectatio isthæc morosa in omnium sententia est mortalis, a fortiori oscula, & tactus. Tertio, Prohibita fornicatione censetur prohibitum quodcunque immediate ad illam disponit; nam universim interdicta re aliqua, censetur interdictum

dictum id, per quod ad illam devenitur, ex l. *Oratio* de Sponsalibus: & idcirco est graviter prohibita delectatio morosa de ipsa copula, quia ad illam immediate disponit: atqui magis ad fornicationem disponit osculum habitum ob delectationem veneream in ipsa sistens, quam delectatio morosa de ipsa fornicatione, ut patet: ergo a fortiori hujusmodi osculum graviter ab ipsa natura prohibetur.

XI. Hinc Apostolus ad Ephes. 5. dicit: *Fornicator, aut immundus, aut avarus non habent hæreditatem in Regno Christi, & Dei*: nomine autem immunditiæ (ut notat Cyril.) veniunt oscula, amplexus, & omnia alia ad luxuriam spectantia; & idcirco communissime huic sententiæ adstipulantur DD. cum D. Thom. 2. 2. q. 154. ar. 4. apud Sanch. l. 9. d. 46. n. 7. Quod ex eo manifestius evincitur, quia communissime etiam omnes docent, in delectatione venerea non dari materiæ parvitatem ob rationes, quas præmisimus; quia scil. ea est quædam inchoata pollutio, & quia ob lubricitatem naturæ nunquam est sine periculo labendi in consensum ulteriorem; ac demum quia delectatio ista, quamvis modica, est quædam complacentia de ipsa copula, ad quam natura sua ordinatur; ut proinde solum possit esse venialis ex actus indeliberatione, & inadvertentia, non secus ac ipsa delectatio morosa de copula: quare sicut delectatio, quamvis modica, v. g. de homicidio, de fornicatione, de furto, si sit deliberata, continet in omnium sententia culpam lethalem; ita etiam delectatio venerea, quamvis modica, si sit deliberate quæsita, quippe quæ est delectatio de ipsa fornicatione, ad quam immediate disponit natura sua.

XII. Ex quibus omnibus sequitur, non solum oscula esse graviter peccaminosa, si fiant ob carnalem delectationem, quæ ex osculis oritur, etiam secluso periculo ulterioris consensus, & pollutionis, sed etiam amplexus, tactus, & verba amatoria proxime ad eandem delectationem provocativa; idque verum est, etiamsi tactus non fiant immediate supra carnem, sed fiant supra vestem; sicut etiam si tangatur ob eundem finem canis, aut aliud animal. Sequitur etiam idem dicendum de aspectibus erga objecta proxime ad eandem delectationem inducentia.

XIII. Ubi notandum, quod illæ actiones, quæ proxime ad delectationem sensualem, immo etiam ad conspurcationem, & immunditiam inducunt, possunt licite poni, data sufficienti causa honesta, secluso periculo consensus; ut potest chirurgus mederi etiam pudenda mulieris, si aliter ea curari non potest: At seclusa causa sufficienti, & gravi juxta gravitatem periculi, cui quis exponitur, poni nequeunt actiones, quæ proxime inducunt ad eas delectationes, etiamsi homo proponat iis non consentire: propterea nequit homo iis comœdiis v. g. interesse, quæ maxime provocant ad delectationes carnales, cum periculum iis consentiendi sit grave; & qui amat periculum, peribit in illo. Qua de causa aspectus etiam mulieris deliberatus in iis partibus, quæ excitant spirituum generationi servientium commotionem, nisi ex rationabili causa cohonestetur, est graviter peccaminosus ob grave, & proximum periculum consentiendi in delectationem, quam naturaliter causat.

XIV. Verum quidem est, quod non teneatur homo abstinere ab actionibus de se indifferentibus, quamvis soleant in ipso etiam pollutionem, nedum commotionem spirituum causare, si non adsit periculum consensus; v. g. non tenetur homo abstinere ab equitatione, a cubatione supina, aut alia hujusmodi actione de se indifferenti, quamvis non raro causaverint in ipso etiam pollutionem. Et ratio est, quia esset grave onus abstinere ab omnibus actionibus de se indifferentibus. At actiones, quæ de se, & ex natura sua, & non per accidens inducunt hos effectus, ut sunt oscula, tactus, verba amatoria, aspectus, comœdiæ, picturæ, & alia hujusmodi, in iis circumstantiis, in quibus de se, atque adeo fere semper in omnibus graviter, & proxime carnales delectationes excitant, non dicuntur actiones indifferentes, sed intrinsece malæ, nisi ex fine apto cohonestentur; eo modo, quo est intrinsece malum mederi verenda mulieris, nisi hujusmodi actio in chirurgo cohonestetur a necessitate talis curationis, & simul absit periculum consensus.

XV. Quare osculum v. g. fratris cum sorore, aut aliud, quod fit more patrio in signum benevolentiæ, etiamsi commotionem magnam spirituum excitet, & delectationem carnalem inducat, non continet culpam, cessante periculo consentiendi; eo quod a fine honesto cohonestetur, & Deus speciali modo assistat ei, qui ob rationabile motivum aliquali illi periculo se exponit, juxta illud Psal. 90. *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*. Custodit enim Deus homines, mandat eos ab Angelis custodiri, si in viis suis ambulent, hoc est in actionibus debitis se exerceant, non tamen si ambulent in viis iniquitatis, exercendo actiones indebitas. Propterea osculum ver. g. habitum inter solutum, & solutam, quod a debito fine non cohonestatur, cum excitet de se spirituum commotionem, quæ causat naturaliter delectationem, exponit hominem periculo proximo consentiendi in illam, & ideo de se est graviter peccaminosum. Et ratio ulterior est, quia intantum oscula ex fine benevolentiæ habita more patrio non sunt intrinsece mala, quamvis prævideatur in iis commotio spirituum, & pollutio, dummodo absit periculum consensus, quia ordinantur ad finem honestum, & ab ipso cohonestantur: idemque dicas de omnibus actionibus utilibus, in quibus prævidetur pollutio secutura citra periculum consensus, ut sunt sæpe curatio vulnerum in partibus verendis, auditio Confessionum, studium de rebus turpibus causa docendi, allocutio fœminarum causa pietatis, vel urbanitatis, & similes, in quibus venerei spiritus accendi solent. At oscula, tactus, aspectus, comœdiæ, verba amatoria carent fine honesto, cum de se nullum alium effectum causent, quam excitare spiritus venereos, & ad delectationem carnalem inducere: ergo de se sunt intrinsece mala, & graviter peccaminosa, quoties proxime, & graviter hanc spirituum commotionem excitant, & multo magis, si causent pollutionem, cum non desit de se proximum periculum consensus.

XVI. Distinguendæ tamen sunt actiones malæ leviter influxivæ ad commotionem spirituum, & pollutionem, ab actionibus graviter influxivis: nam si leviter sunt influxivæ, ut nonnulli aspectus mulierum, nonnulli tactus, nonnullæ comœdiæ, & lectiones librorum obscenorum, nonnulla verba amatoria, v. g. dicendo, Cor meum, Anima mea, ob solam vanitatem, & ad conciliandum vanum amorem, communius docent cum Vasq. Salas, Less. Bonac. apud Dian. p. 2. tr. 1. res. 31. & Tamb. lib. 7. cap. 3. §. 5. num. 50. quod non excedant culpam venialem, quamvis in iis prævideatur etiam

iam pollutio secutura, dummodo absit periculum consensus, aut grave scandalum: contra vero si tactus, aspectus, verba amatoria, lectio librorum, oscula, & similes actiones de se, & non per accidens sint graviter ad spirituum commotionem, & ad pollutionem influxivæ, tunc in genere luxuriæ non vacant culpa mortali, si desit necessitas urgens eas exercendi, ut notat Sanch. l. 9. disp. 45. esto absit periculum consensus in pollutionem, quæ prævidetur secutura. Immo communius etiam docent cum Dian. p. 1. tr. 7. ref. 65. quod non solum actiones leviter influxivæ in pollutionem, atque adeo in genere luxuriæ leves careant culpa mortali, si prævideatur pollutio, & non intendatur, nec subsit periculum consensus; sed etiam actiones mortaliter malæ, sed non in genere luxuriæ, ut sunt crapulæ, nimius potus, non contrahunt malitiam gravem spectantem ad luxuriam, si prævideatur ex iis pollutio secutura citra periculum consensus: Et ratio est, quia de se non ordinantur ad pollutionem, & ideo de se non graviter, sed leviter ad illam concurrunt.

XVII. Ad rationes in favorem propositionis hujus proscriptæ adductas respondetur facile: Et quidem ad primam, diximus Apostolum nomine immunditiæ, quæ a Regno Dei excludit, intelligere hujusmodi oscula, non secus ac in omnium sententia intelligitur etiam delectatio morosa de fornicatione.

Ad secundam: D. Th. ut advertit Sanch. l. 9. d. 46. n. 20. vult oscula, & amplexus esse libidinosa, & graviter mortalia, sive dirigantur ad delectationem fornicationis ab osculante, sive ad illam dirigantur ex natura ipsius osculi; sicut est osculum in casu nostro habitum ob delectationem veneream.

XVIII. Ad tertiam: Oscula, & tactus de se sunt indifferentia; Verum tactus, & oscula, quæ ob delectationem carnalem exercentur, non sunt indifferentia, sed mortaliter mala: quod ab Adversariis etiam dicendum, qui volunt ea esse saltem venialiter mala, & non indifferentia; Sunt autem mortaliter mala, non propter delectationem sensibilem, quæ naturaliter percipitur ex contactu rei organo sensus proportionatæ, sed propter delectationem sensualem, & veneream, quæ suapte natura ad copulam ordinatur.

XIX. Ad quartam: Per hoc quod hujusmodi oscula participent malitiam copulæ, quatenus natura sua ad illam ordinantur, sequitur quod etiam de se bono prolis opponantur, non secus ac delectatio morosa.

XX. Ad quintam; diximus osculum de se non esse malum, & ideo delectatio sensibilis, & tactiva ut tactiva, non est mala; at osculum habitum ob delectationem carnalem de se est malum; & ideo delectatio venerea, quæ non consequitur ex osculo secundum se, sed ex tali osculo, est etiam mala. Quare delectatio quoties continet se intra limites sui objecti, ab illo sumit suam bonitatem, aut malitiam; quando vero transit ad aliam delectationis speciem, nempe luxuriæ ad copulam ordinatæ, tunc malitiam suam sumit ab illa specie, ad quam transit.

XXI. Ad ultimam, ostendimus jam in delectatione venerea non dari parvitatem materiæ, sicut non datur in odio Dei, in blasphemia, simonia. Universim enim quoties integra malitia objecti reperitur tam in re parva, quam in re magna, tunc peccatum eam malitiam imbibens non potest esse veniale ex parvitate materiæ, sed solum ex indeliberatione consensus, aut ex inadvertentia; atqui in delectatione venerea reperitur tota malitia impudicitiæ, sive ea delectatio parva sit, sive magna; non secus ac in delectatione morosa, sive duret per instans, sive per horam: ergo non datur in illis materiæ parvitas. Quamvis enim delectatio modica sit inchoatio pollutionis levis; at in hac etiam inchoatione stat integra malitia fornicationis, ut ostendimus; atque adeo independenter a periculo ulterioris consensus, & pollutionis, est graviter peccaminosa, si deliberate admittatur. Et ratio a priori est, quia cum omnis delectatio venerea fiat per commotionem spirituum, & seminis resolutionem, quod per venas, & arterias ad partes obscœnas deducitur, ut notat Rebel. p. 2. l. 3. q. 19. ex Hippocrate, Galeno, & Aristotele; idcirco omnis delectatio venerea ex natura operis, atque adeo saltem virtualiter ex natura etiam operantis, ordinatur ad seminis emissionem extra actum conjugalem graviter illicitam, & consequenter ipsa etiam ex suo fine intrinseco est graviter illicita: cum enim natura sua sit medium ad aliquid intrinsece malum, non potest esse deliberate volita, quin virtualiter etiam, & implicite intendatur id, quod per se ordinatur: quare quælibet delectatio venerea, quamvis modicissima, deliberate quæsita continet culpam lethalem.

XXII. Adde tamen hic, osculum habitum ob delectationem carnalem, quæ ex ipso oritur, secundum se annecti delectationi non modicæ; atque adeo etiamsi in delectatione venerea daretur parvitas materiæ, adhuc hujusmodi osculum secundum se est graviter peccaminosum. Unde fit, quod si quis se accuset de osculis ob delectationem veneream habitis tanquam de venialibus, nec velit sententiam istam habere ut falsam, & improbabilem, & nullatenus in praxi sequendam, nullatenus sit absolvendus; Sicut neque erat absolvendus ante condemnationem hujus propositionis, postquam Clem. VIII. & Paulus V. jusserunt denunciari asserentes sententiam hanc esse probabilem. Contra vero si quis doctus accuset se de modica delectatione venerea tanquam de veniali ob levitatem materiæ, nolens habere ut omnino improbabilem, sicut est, sententiam negantem in re venerea materiæ parvitatem, ductus ab auctoritate extrinseca DD. illam docentium apud Sanch. l. c. huic non est deneganda absolutio, ne a Confessario quidem Societatis, qui juxta præceptum laudatum P. Claudii sententiam istam non modo ut veram, aut probabilem, sed nec ut tolerabilem habet. Sic enim responderunt Revisores Romani Societatis ad Provinciam Gallobelgicam nomine P. Generalis 15. Jan. 1659. apud Platel. t. 2. n. 252. Et ratio est, quia Confessarius nequit absolutionem negare Pœnitenti disposito; pœnitens autem est sufficienter dispositus sequendo opinionem, quam ipse putat probabilem ob sufficientem auctoritatem extrinsecam; etiamsi Confessarius illam putet improbabilissimam, dummodo non constet aut ex evidentia rationum, aut ex definitione Ecclesiæ, quod ea sententia non sit probabilis; cujusmodi est in casu sententia admittens parvitatem materiæ in re venerea: ergo non est neganda huic pœnitenti absolutio, quamvis nolit acquiescere rationibus, & sententiæ Confessarii.

XXIII. Illud controversum est hac in re, Num sc. oscula ista ob delectationem carnalem habita ortam ex ipsis osculis vacent culpa mortali inter sponsos, & sponsas de futuro: Affirmat Sanch. l. 9. d. 46. n. 47. cum aliis plurimis, dummodo absit periculum consensus in copulam, aut pollutionis: quia sc. cum sponsalia sint initium matrimonii, excusant a mortali

tali hanc delectationem, quæ est quædam inchoatio copulæ. Verius tamen videtur negandum cum Henr. l. 11. c. 19. & aliis; intantum enim ea oscula sunt interdicta solutis sub mortali, quia iis est interdicta copula, cujus oscula illa sunt initium: atqui pariter sponsis de futuro est interdicta copula: ergo iis etiam interdicuntur sub mortali hujusmodi oscula, & amplexus ad captandam carnalem delectationem ordinati: Sicut etiam communiter cum eodem Sanch. disp. 47. contra nonnullos, prohibetur illis sub mortali delectatio carnalis de copula habenda tempore matrimonii, quæ omnia solum in conjugibus vacant mortali culpa; eo quod his permissa sit ipsa copula, ad quam ordinantur.

PROPOSITIO XLI.

Non est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarii, vulgo *Regalo*, dum deficiente illa, nimis ægre ageret vitam, aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile inveniretur.

SYNOPSIS.

I. Occasio proxima materialis peccandi tunc solum non est fugienda, quando aut physice, aut moraliter vitari non potest. II. Ea quippe tunc solum est involuntaria. III. Magnum incommodum, quod excusat ab observantia legis positivæ, non sufficit ad excusandum a lege naturali. IV. Periculum peccandi proximum debet reddi remotum saltem moraliter, si non possit physice. V. Non sufficit propositum non peccandi, nisi etiam proxima peccandi occasio tollatur.

VI. Docuit Jo. Sanc. posse concubinam retineri, si ea sit valde utilis. VII. Sicut potest nova famula advocari, quamvis subsit aliquod periculum, dummodo detur propositum non peccandi.

VIII. At universim, nisi detur impossibilitas moralis tollendi occasionem peccandi proximam, atque adeo ejiciendi concubinam, ea est tollenda.

IX. Quare non sufficit ad eam retinendam, quod sit valde utilis. X. *Non est absolvendus, qui potest, & non vult proximam peccandi occasionem deserere. XI. Illicitum pariter est occasionem peccandi directe quærere pro bono temporali, aut etiam spirituali nostro, vel proximi.*

XII. Lex positiva de audiendo Sacro, ac jejunando non exigit valde grave incommodum, ut deobliget, sicut lex naturalis de fugiendo periculo proximo peccandi. XIII. Si nequeat absque gravi incommodo tolli physice proxima peccandi occasio, tunc non est voluntaria, nec intenditur, sed solum permittitur; reddi tamen debet orationibus, aliisque mediis opportunis occasio moraliter remota.

XIV. Si nova famula esset eodem modo proxima peccandi occasio, ut est concubina, nullatenus posset de novo advocari.

XV. Non solum vitari debet periculum peccandi certum, sed etiam probabile. XVI. Absolvi potest semel, ac iterum, qui proponit occasionem peccandi tollere, antequam tollat; Consultius tamen est absolutionem differre. XVII. Differenda simpliciter absolutio, quando non potest physice tolli proxima peccandi occasio, si non affulgeat emendatio, aut spes emendationis.

I. Exponitur. Hæc propositio est Jo. Sanch. d. 10. n. 20. ubi quamvis cum communissima doceat non dari obligationem fugiendi occasionem peccandi proximam materialiter, si ea aut physice, aut moraliter, hoc est sine valde magno incommodo inducente impossibilitatem moralem vitari non possit; ex hac tamen verissima doctrina absurdissimas infert conclusiones, videlicet, quod concubinarius non teneatur concubinam ejicere; si ejiciendo non possit recuperare centum aureos, quos illi mutuos dedit; aut si amittat lucrum temporale in negotio, cui illa est necessaria: Additque non teneri concubinarium ad illam ejiciendam, si ea deserviret ad oblectamentum, vulgo *Regalo*, quia scilicet bene epulas ministrat, sine quibus nimis ægre vitam transigeret concubinarius, & similis famula difficile inveniretur. Immo vult etiam, quod ob easdem caussas possit concubinarius ejectam concubinam iterum ad famulatum admittere, quantumcunque metuat labendi periculum, dummodo adsit propositum non labendi. Et in eadem sententia videtur esse Joseph ab Ortu apud Dian. p. 4. tr. 4. ref. 165. qui occasionem peccandi proximam putat non esse tollendam in aliis similibus casibus, in quibus revera nulla subest impossibilitas moralis amovendi: ac proinde datur obligatio illam vitandi; quandoquidem qui non vitaret, diceretur nolle, non vero non posse illam vitare, unde deneganda illi esset absolutio; ut constat ex Propositione 61. ab Innocentio XI. proscripta, quæ habet: *Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.* Inconcussum enim est apud DD. quod circumscripta aut physica, aut morali impotentia fugiendi proximam occasionem, ea omnino fugienda sit, quin sufficiat quæcunque caussa utilis, aut honesta, ut possit homo in ea versari, nec licitum sit eam quærere, aut etiam retinere pro bono etiam spirituali, nedum temporali nostro, aut proximi. Quod pariter constat ex Propositione 62. Innocentii XI. in qua dicitur: *Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando caussa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit;* & ex 63. quæ habet: *Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.*

II. Ut rem hanc tanti momenti dilucide discutiamus, præmittendum, Occasionem Proximam dici illam, in qua quis frequenter peccat; Remotam vero, in qua raro. Ex quo fit, ut possit aliqua occasio esse uni proxima, alteri remota, si videlicet ille, non hic, frequenter in lapsum inducatur, aut putet se inducendum. Porro hæc proxima occasio alia est Voluntaria, quæ scilicet potest tum physice, tum moraliter deseri; alia Involuntaria, quæ scilicet aut est physice necessaria, ut cum quis in eodem carcere habitat cum concubina; aut necessaria moraliter, quando scilicet aut sine peccato, aut sine valde gravi incommodo deseri non potest, ut quando mancipium, vel famulus obstrictus ex justitia ad inserviendum cohabitat cum domestica secum peccante, vel quando filius familias tenetur cohabitare cum Patre ad illum sustinendum, & consimilem habet ibi domesticam, quam non potest ejicere; & si non

possit

possit munus aliquod, aut artem, vel mercaturam, in qua frequenter peccavit, sine valde gravi incommodo deserere, ita ut illud subire vires humanas superet, unde dicatur esse moraliter impossibile occasionem illam proximam vitare. Hujusmodi autem valde grave incommodum censetur esse, si v. g. vita discrimini evidenti esset exponenda, si viro honorato incurrenda esset gravis infamia, si familia honesta ad mendicitatem esset redigenda.

III. Quod occasio peccandi remota non sit deserenda, certum est apud omnes; oporteret enim, ut loquuntur Theologi ex Apostolo 1. ad Corin. 5. ex hoc mundo exire. Præterea quod occasio proxima voluntaria sit deferenda, est pariter certum; nomine autem occasionis voluntariæ venit illa, ad quam vitandam non cogimur valde grave incommodum subire; quando enim incommodum non est hujusmodi, ut redigat nos ad miseriam, tenemur potius illud subire, quam esse in discrimine peccandi, & incurrendi reatum odii Divini, ac poenæ æternæ: *Melius enim est*, ut habetur Matth. 18. *in vitam ingredi debilem, vel claudum, quam duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum.* Verum quidem est, quod periculum non levis incommodi excusset nos a lege positiva, puta jejunandi, audiendi Sacrum, quippe quæ ex benignitate legislatoris cum gravi incommodo non obligat; at lex naturalis, utpote indispensabilis, puta de non fornicando, blasphemando, &c. obligat etiam cum vitæ discrimine; & ideo ut deobligemur a fugiendo periculo illam transgrediendi, valde grave incommodum requiritur, quod sit morti, vel miseriæ proximum. Ubi advertendum, periculum peccandi aliud esse certum, aliud probabile, & utrumque si oriatur ab extrinseco, coincidit cum occasione proxima peccandi; unde quæ dicimus de occasione proxima peccandi, dicas etiam de periculo sive certo, sive probabili, orto scilicet ab extrinseca occasione, & non a pravo habitu interno, aut propria fragilitate.

IV. Quod attinet ad occasionem peccandi proximam involuntariam, sive ea sit physice, sive moraliter tantum necessaria, certum pariter est apud omnes, quod non teneamur illam vitare materialiter, cum nemo ad impossibile teneatur; & impossibilitas etiam moralis dicitur absolute Impossibilitas, ut proinde etiam moralis impossibilitas excuset a tollenda materialiter occasione proxima peccandi; quia periculum peccandi secundum se non est peccatum, sed solum est proxima dispositio ad peccandum. Nihilominus tenemur hanc eandem occasionem peccandi vitare formaliter; hoc est periculum illud peccandi, quod secundum se spectatum, & materialiter sumptum est proximum, & certum, aut saltem probabile, tenemur orationibus, jejuniis, frequentia Sacramentorum, & aliis mediis spiritualibus reddere periculum remotum; unde ea occasio, quæ materialiter sumpta est proxima, debet iis mediis moralibus reddi formaliter, seu materialiter remota. Et ratio est evidens, quia, ut dicitur Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: Ubi DD. advertunt, quod amans periculum non pereat per illud, sed in illo, quia ipse amor periculi peccatum est.

V. His præmissis ut certis, remanet inquirendum, Num occasionem de se proximam materialiter sumptam, quam sine valde gravi incommodo vitare possumus, atque adeo voluntariam, teneamur omnino vitare, an vero sufficiat proposito non peccandi se munire, quando non leve incommodum subeundum est in ea deferenda? Hac in re opinatus est contra sensum communem Jo. Sanch. l. c. non esse vitandam; atque adeo non esse obligandum concubinarium ad ejiciendam concubinam in iis casibus, videl. si non possit aliter recuperare centum aureos illi mutuo datos, aut si ea necessaria sit ad lucrandum in aliquo negotio, aut si non possit facile invenire aliam famulam, quæ bene ministret epulas, sine quibus ægre vitam transigeret, ac propterea docet concubinarium hunc esse absolvendum, dummodo proponat non amplius peccare; eo quod occasionem illam proximam non dicatur proprie velle, sed tantum permittere ad detrimentum vitandum: Immo addit idem Auctor cum Vivaldo apud Dian. p. 2. tr. 6. resol. 45. quod hic toties quoties sit absolvendus, etsi nullus profectus appareat.

VI. Fundamentum hujus erroris videtur esse, quia in communi sententia exercens officium v. g. fabri, puta ferrarii, sive lignarii, quamvis sit dives, non tenetur die jejunii ab opere cessare, ut possit jejunare; neque ille, qui properat ad nundinas, tenetur iter interrumpere ad audiendum Sacrum die festo, si interim occasio elabatur: ergo neque tenetur concubinarius ejicere concubinam, si ea sit valde utilis ad lucrandum in aliquo negotio; & a fortiori non est ejicienda, si sit utilis ad oblectamentum, quatenus sine illa ægre vitam transigeret concubinarius, & aliæ epulæ magno tædio illum afficerent, quia oblectamentum in his circumstantiis est majoris momenti, quam quodcunque lucrum temporale.

VII. Confirmatur, quia ad hujusmodi oblectamentum percipiendum fas est cuique famulam aliquam de novo advocare, quamvis subsit labendi periculum: ergo si potest novam fœminam admittere, quidini poterit etiam antiquam retinere cum eodem periculo, esto hæc prius fuerit concubina? Ex quibus fieret, non esse negandam absolutionem ei, qui hujusmodi occasionem proximam retinet in his circumstantiis, si vere proponat non peccare: quia cum hujusmodi proposito vere accedit ad Sacramentum sufficienter dispositus, & si millies cum eodem proposito redeat post lapsum, millies videtur absolvendus, quamvis nullus profectus appareat: Sicuti potest non solum septies, sed etiam septuagies septies; juxta verba Christi Domini, absolvi, quin in eadem peccata relabitur.

VIII. Ostenditur tamen horum omnium falsitas; Et primo quidem, quod occasio proxima peccandi materialiter sumpta, sicut est concubina domi, tolli debeat omnino, nisi detur impossibilitas aut physica, aut moralis eam tollendi, adeo ut non sufficiat ad eam retinendam, quod sit occasio lucri, aut causa damni, quod non sit valde grave, morti, aut miseriæ affine, ex eo evincitur, quia si non detur impotentia aut physica, aut moralis tollendi occasionem proximam, seu periculum peccandi, hujusmodi periculum est voluntarium: ergo est peccaminosum; qui enim amat periculum, peribit in illo; atque adeo peccat. Hinc Christus Dominus Matth. 18. dixit: *Si oculus tuus scandalizat te; erue eum, & projice abs te.* Vult itaque Christus Dominus, quod etiam oculos, seu ea, quæ maxime diligimus, & præ oculis habemus, a nobis abjiciamus, si scandalizent, seu sint occasio ruinæ spiritualis: *Melius est enim cum uno oculo in vitam intrare, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.*

IX. Ex quo sequitur primo, concubinam ejiciendam esse in casibus a Sancio adductis, quia in iis casibus occasio

occasio peccandi est voluntaria, atque adeo Peccaminosa; damnum enim illud, quod ex ejus ejectione subitur, non est adeo grave, ut refundat impotentiam moralem, ac reddat occasionem illam proximam peccandi involuntariam. In eo tantum casu, ut notat Mendo in Epit. V. *Occasio*, posset concubinam retinere ad repetendos ducentos aureos mutuo datos, quando concubinarius esset in extrema necessitate; cui non posset alia via occurrere; Cum enim in hoc casu damnum esset valde grave, reddens moraliter impossibilem concubinæ ejectionem, posset firmiter proponens non consentire, jejuniis, ac orationibus munitus ingredi ejus domum, & eam inducere ad solvendum. Quod si moraliter certum esset se fore peccaturum, si illuc intraret, teneretur mortem ipsam præeligere, quam ingredi ejus modum, ac ponere se in hac morali certitudine peccandi.

X. Sequitur secundo, negandam esse absolutionem ei, qui in proxima hujusmodi occasione peccandi versatur, quamvis dicat firmissimum habere propositum non peccandi. Ratio est, quia hoc ipsum nolle occasionem proximam peccandi tollere, peccatum est; unde propositum illud non peccandi non est efficax, nec universale, cum non se extendat ad tollendam peccandi occasionem, quam debet ille tollere; atque adeo sine debita dispositione accedit ad Sacramentum. Propterea jure merito proscripta fuit ab Innocentio XI. propositio illa *61*. quod scilicet absolvi possit, qui in proxima peccandi occasione versatur, quam potest, & non vult omittere?

XI. Sequitur tertio, ad retinendam proximam peccandi occasionem non sufficere quamcumque causam utilem, aut honestam, nec posse eam quæri directe pro spirituali, aut temporali bono nostro, aut proximi; quod pariter constat ex proposit. *62*. & *63*. ab Innoc. XI. proscriptis. Et ratio est, quia hujusmodi causæ non efficiunt, quominus ea occasio sit voluntaria, atque adeo peccaminosa; *Quid enim prodest homini, si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?* ut habetur Matth. *16*. Quod si minimum animæ detrimentum non est subeundum pro toto Mundo lucrando, multo minus pro bono quocunque, sive temporali, sive etiam spirituali periculum peccandi subiri poterit, quando in eo ipso periculo peccatum habetur, & animæ jactura, quoties est voluntarium; cum de hoc dicatur Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*.

XII. Ad rationes in contrarium adductas dicendum, evidens esse discrimen inter leges positivas jejunandi, seu audiendi Sacrum, & inter legem naturalem vitandi periculum peccandi: Illæ quippe non exigunt valde grave incommodum ad deobligandum, sed sufficit, quod sit non leve, puta ne damnum temporale non levis momenti subeatur, aut ne lucrum non leve amittatur: lex tamen naturalis fugiendi periculum peccandi etiam cum his incommodis obligat. Quod ex eo fit perspicuum; nam si quis adeundo ad nundinas habeat periculum peccandi proximum aut in itinere cum malis sodalibus, aut in termino, tenetur certe nundinas non adire, & lucrum quod sperat, amittere; quamvis ad id non teneatur, ut possit Sacrum audire, si interim ea occasio elabatur. Et ratio a priori est, quia auditio Sacri, jejunium, & alia hujusmodi, quæ legibus positivis præcipiuntur, non sunt ad salutem præcise necessaria, & ideo legislator non vult ad ea cum magno incommodo obligare; at fuga ab eo, quod est intrinsece malum, est præcise necessaria ad salutem, & idcirco lex naturalis obligat etiam cum magno incommodo ad fugiendum adhuc periculum incurrendi in id, quod est intrinsece malum.

XIII. Neque dicas, quod si tenemur vitare occasionem materialiter proximam peccandi, cum incommodo gravi, teneamur etiam illam vitare cum incommodo gravissimo, nempe cum periculo mortis, miseriæ, infamiæ: sicut leonem sævientem cum quovis incommodo vitare debemus.

Nam quando incommodum est gravissimum, tunc non dicimur periculum peccandi velle, sed permittere, & inviti subire, ut habet Basil. in constit. Monast. dicens: *Qui urgente aliqua causa, & necessitate se periculo objicit, vel permittit se esse in illo, cum tamen alias nollet, non tam dicitur amare periculum, quam invitus illud subire, & ideo providebit Deus, ne in illo pereat*. Disparitas autem inter periculum peccandi in casu nostro, & periculum incidendi in leonem sævientem, est, quia possumus orationibus, jejuniis, aliisque mediis periculum peccandi proximum reddere remotum, & ad id tenemur; aliter etiam cum periculo vitæ periculum peccandi fugiendum est.

XIV. Ad confirmationem; Certe non est idem periculum secundum se peccandi cum nova famula advocata ad epulas conficiendas; ac peccandi cum concubina; si tamen in aliquo casu periculum peccandi cum nova famula sit proximum, certe non poterit advocari ex eo præcise capite, quod sine illa epulæ ab aliis præparatæ magno tædio hominem afficerent; solumque in extrema necessitate posset advocari, sicut etiam concubina ad eas epulas conficiendas retineri; dummodo orationibus, aliisque mediis efficiatur, ut periculum illud de se proximum evadat remotum: Sicut potest etiam concubina, cessante scandalo, retineri, si vel ob deformitatem, aut ægritudinem, aut aliunde periculum reincidendi omnino cessavit, ut habet Palaus, & alii apud Dian. p. 2. tr. 16. resf. 45. Quamvis hac in re nemo facile debeat sibi persuadere, quod periculum reincidendi cessaverit; incedit enim per ignes suppositos cineri doloso.

XV. Mendo l. c. dicit ex Gobat. tr. 7. n. 526. & Caram. quod si detur utrinque probabilitas prudens, te fore peccaturum, & te non fore peccaturum in tali occasione, non tenearis ab ea abstinere; quia sicut in aliis opinionibus certo probabilibus, ita in hoc casu poteris formare judicium practicum te non fore peccaturum, atque adeo conscientiam certam, quod non tenearis periculum istud sub mortali vitare. Equidem vero huic opinioni solum subscribo, si probabilius sit te non peccaturum; secus vero si sit æque probabile utrumque, & multo magis, si sit probabilius te peccaturum. Et ratio est, quia ex communi DD. consensu contra Caramuelem, & alios paucos apud Cardenas diss. 40. c. 2. num. 13. non solum periculum peccandi certum, sed etiam probabile fugiendum est, non secus ac occasio peccandi proxima; in casu autem nostro habetur periculum probabile, eo ipso quod probabiliter judicatur peccatum fore, quamvis simul probabiliter judicetur peccatum non fore: ergo etiam in casu nostro periculum peccandi fugiendum est, si æque probabile sit peccatum fore, & multo magis, si id sit probabilius. Addo tamen majorem causam requiri, ut possit quis excusari a vitando periculo peccandi certo, quam a vitando solum proba-

probabili, (præsertim si detur etiam probabilitas de non futuritione peccati) & consequenter quando peccandi periculum aut physice, aut moraliter vitari non potest, pluribus præsidiis jejuniorum, ac orationum muniri debet ad reddendum remotum tale periculum, qui versatur in periculo de se certo, quam qui versatur in periculo duntaxat probabili.

XVI. Dubitatur hic, an possit absolvi, qui in occasione peccandi proxima versatus est, antequam illam tollat: præsertim si in alia Confessione id promisit, & deinde non stetit promissis? Nonnulli cum Con. disp. 8. de Pœn. n. 133. Fill., Azor., Sanch. putant absolvi non posse extra casum necessitatis: Immo Cardenas diss. 40. cap. 5. art. 4. num. 108. putat id colligi ex propositione *61.* Innoc. XI. ubi damnatur, quod absolvi possit, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere. Et ratio videtur esse, quia qui ad Sacramentum Pœnitentiæ accedit, antequam occasionem illam tollat, censetur eam nolle ejicere, atque adeo sine debito proposito efficaci non peccandi de cætero accedere; quandoquidem in hoc ipso, quod occasio peccandi non tollatur, quando potest tolli, peccatur. Neque obstat, quod dicat habere propositum tollendi: Nam si solum proponit illam tollere de futuro, & non statim tollit, eo ipso vult de præsenti in ea occasione manere, atque adeo peccat; sicut qui appropinquante leone proponit fugere, & non statim fugit, censetur velle in periculo mortis manere.

Communius tamen cum Suar. disp. 32. sect. 3. Tabiena, & aliis censeur, posse hujusmodi Pœnitentem absolvi semel, ac iterum, si appareant hic & nunc vera signa doloris, & propositi efficacis tollendi statim occasionem proximam: Imo Corduba, Cajet. & alii putant, quod possit etiam tertia, & quarta vice absolvi; esto sæpe expediat absolutionem differre, quousque proxima illa occasio tollatur. Debet tamen omnino absolvi, etiam ante separationem ab illa, tum si instet mortis periculum; tum si dilata absolutione, creeatur non habiturus ille opportunitatem redeundi, aut ex alia causa non rediturus. Ratio, cur videatur posse prima, & secunda vice absolvi, est, quia potuit pœnitens aut immediate ante, aut audiendo concionem, aut audiendo ipsius Confessarii admonitiones, excitari ad verum, & efficax propositum non peccandi, in quo casu est sufficienter dispositus: Sic passim absolvuntur pœnitentes per hoc, quod proponant restituere, quamvis ante Confessionem non restituerint, prout poterant; quia ex admonitionibus Confessarii potest hic & nunc consurgere verum propositum restituendi, quod ante Confessionem vel erat debile, vel putabatur sufficiens, esto per aliquod tempus opportunum restitutio esset differenda: ergo hoc idem fieri potest in eo, qui tenetur proximam occasionem tollere. Neque ex propositione illa *61.* Innoc. XI. eruitur, quod absolvi non possit: Nam qui proponit occasionem statim tollere, non potest dici, quod illam velit de præsenti; sicut nec dicitur velle periculum mortis, qui appropinquante leone proponit fugere statim ac potest. Caute tamen in hoc procedendum, eo quod passim hujusmodi propositum non est efficax in eo, qui potuit antecedenter occasionem peccandi tollere, & nondum sustulit. (*a*)

(*a*) „ Contra ista hactenus dicta acerrime invehitur „ Concina T. *IV.* *p.* 392. & multo gravius *T. VIII. p.* „ 568. *seqq.* Sed tene diligenter hæc postrema Vivæ „ verba: *Caute tamen* &c. cetera, quæ objicit Con- „ cina, non Theologi sunt, sed phrænetici decla- „ matoris.

XVII. Dubitatur ulterius, An qui versatur in proxima occasione peccandi, quam tollere non potest aut physice, aut moraliter, absolvi possit, si sæpius in eadem peccata redeat, nec appareat ulla emendatio? Jo. Sanch., & Vivaldus apud Lugo disp. 38. num. 38. putant absolvi posse toties, non secus ac consuetudinarium, si appareant vera signa doloris, juxta illud Christi D. *Non septies, sed septuagies septies*: sicut enim absolvi potest toties quoties, qui in eadem venialia reincidit, ita qui in eadem mortalia: idemque docet Dicast. tr. 8. disp. 6. nu. 354. Suarez tamen disp. 32. de Pœn. sect. 2. Nav., Regin., & alii communiter apud Dian. par. 1. tract. *16.* res. 45. docent absolvendum non esse, sed cogendum ad occasionem proximam deserendam; etiam cum maximo detrimento. Et ratio est, quia quoties certo moraliter quis in aliqua occasione est peccaturus, debet illam fugere etiam cum discrimine vitæ; qui autem frequentissime relapsus est absque ulla emendatione in idem peccatum, certo moraliter est peccaturus: ergo tenetur illam occasionem dimittere etiam cum magno detrimento. Quod attinet ad consuetudinarium, dicemus, cum de propositione *60.* Innocent. XI. differendam pariter esse absolutionem, si non sit ulla emendatio, aut spes emendationis, esto non possit occasionem tollere statim, quippe quæ non oritur ab extrinseco, sed ab ipsa fragilitate, & a pravis habitibus: potest quidem occasio ab extrinseco orta, puta concubina, saltem cum magno incommodo statim tolli; at fragilitas orta a pravis habitibus non potest tolli statim; nihilominus differenda est huic absolutio, donec resipiscat, & spes emendationis habeatur.

Quando autem Christus Dominus dixit, septuagies septies absolutionem esse impertiendam, voluit etiam, quod a Confessario Judice simul, & Medico ea impertiretur, atque adeo voluit, ut de proposito efficaci pœnitentis constaret, & quod spes emendationis affulgeret, quæ certe in consuetudinario non habentur, in quo nulla apparet emendatio.

Neque obstat, quod hic & nunc hujusmodi consuetudinarius sit dispositus ad absolutionem: Nam ut notat Arr. dis. 38. de Pœn. num. 38., sicut Ecclesia reservat quædam peccata, ita ut nolit a quovis Confessario absolutionem impendi, quamvis pœnitens habeat sufficientem dolorem de illis, & sit rite dispositus, quia expedit ad majorem cautelam, quod tantum absolvatur ab habente facultatem in reservata: ita iu casu nostro expedit etiam, ut absolutio aliquando differatur ad hoc, ut pœnitens reddatur cautior, & non facile relabatur.

Ad id, quod additur de venialibus, respondet Con. disp. 2. dub. 14. n. 130. posse absolutionem toties quoties conferri illi, qui sæpe in eadem levia venialia relabitur; tum quia occasiones ad ea patranda sunt innumeræ, nec facile vitabiles; tum etiam quia non afferunt grave illud damnum, quod habetur a mortalibus; & ideo operet absolutionem differre ad medelam ei, qui passim in eadem mortalia reincidit, quin ulla appareat emendatio: Experientia enim teste,

teste, ut notat Lugo disp. 14. de Pœn. nu. 171. dilatio ista absolutionis plurimum confert ad resipiscendum; Esto sæpe etiam odiosam reddat Confessionem, & in desperationem inducat; unde magna prudentia opus est ad absolutionem differendam, & multo magis ad negandam ei, qui sibi persuadet habere jus ad illam, quamvis nondum executioni mandaverit ea, quæ a Confessario imposita fuerunt.

PROPOSITIO XLII.

Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

SYNOPSIS.

I. Jure naturæ prohibetur usura, non secus ac furtum, utpote continens injustitiam. II. Citra usuram accipi potest a Mutuante aliquid supra sortem non solum ratione damni emergentis, aut lucri cessantis, sed probabiliter etiam ratione periculi extraordinarii, & proximi amittendi sortem. III. Nonnulli putarunt posse etiam aliquid accipi pro obligatione non repetendi mutuum per longum tempus.

IV. Ratio videtur esse, quia isthæc obligatio est pretio æstimabilis, ac mutuo extrinseca. V. Sic ut est pretio æstimabilis obligatio mutuandi e. g. aut vendendi domum intra decennium. VI. Aut obligatio non colendi e. g. agrum per decennium ad arbitrium alterius.

VII. Vel obligatio conferendi alteri Beneficium Ecclesiasticum. VIII. Aut fidejubendi. IX. Et universim pro munere, quod non teneor ex justitia alteri deferre, possum aliquid accipere, si sit pretio æstimabile.

X. Verum obligatio non repetendi mutuum non debet dici pretio æstimabilis. XI. Periculum remotum, quod possit interim Mutuans pecunia indigere, compensatur per hoc, quod si ea interim pereat, non pereat Mutuanti, sed Mutuatario. XII. Si tamen hujusmodi periculum sit proximum, potest pro eo aliquid accipi, servatis quibusdam conditionibus.

XIII. Lucrum, quod reportatur ex eo præcise, quod detur pecunia numerata pro numeranda, est feneratitium.

XIV. Si Mutuatarius obliget se ad compensandum damnum, quod facile posset Mutuanti occurrere ex absentia pecuniæ, nullatenus hic potest auctarium accipere pro obligatione non repetendi mutuum ad certum tempus. XV. Dispar est ratio inter obligationem non repetendi mutuum, & obligationem mutuandi, fidejubendi, conferendi Beneficium, &c. XVI. Sicut pro donatione nihil potest accipi tamquam debitum ex justitia, ita nec pro obligatione non repetendi mutuum.

XVII. Ex quibus plura ad praxim inferuntur.

XVIII. Num possint Apodixæ minoris emi, quam valeant?

I. Exponitur. Supponendum hic naturali jure prohiberi usuras eodem præcepto, quo furtum prohibetur; quando enim præcise ratione mutui aliquid ultra sortem exigitur, injuste accipitur, cum non servetur æqualitas inter datum, & acceptum; dantur enim v. g. 100. & accipiuntur 105. Quare sicut in contractu v. g. venditionis committitur injustitia, & furtum, si accipiatur res, quæ pluris valeat, quam pretium, quod solvitur; ita in contractu mutui injustitia committitur, & furtum, si accipiatur major pecunia, quam fuerit pecunia mutuata: Quamvis enim auctarium illud offeratur a mutuatario, non idcirco injuria, & injustitia declinatur, quia offert illud metuens, ne alioqui mutuum sibi denegetur; unde non habetur donatio plene libera, sed meticulosa, atque adeo invalida.

II. Posse aliquid ultra sortem a mutuante accipi ob rationes mutuo extrinsecas, puta ob damnum emergens, aut ob lucrum cessans, admittitur communiter, eo quod sicut ratio naturalis dictat non debere mutuantem ditescere ob miseriam mutuatarii, & præcise ratione mutui auctarium acquirere: ita eadem ratio naturalis dictat mutuantem in erogando beneficio mutui debere servari indemnem, atque adeo posse a mutuatario exigere compensationem damni, quod ob mutuum sibi emergeret, aut lucri, quod cessaret. Hac etiam de causa communius docent apud Dian. p. 1. tract. 8. ref. 37. & ref. 57. posse mutuantem aliquid ultra sortem exigere ratione periculi extraordinarii, & proximi amittendi sortem, aut recuperandi illam non sine molestia, & labore: Non enim est rationi consonum, quod mutuans hoc periculum extraordinarium, probabile, & proximum subeat in gratiam mutuatarii: unde tantum potest pro illo accipere, quanti communiter æstimatur: sicut enim emi potest spes proxima aliquid lucrandi, ita potest vendi periculum proximum aliquid amittendi, cum utrumque sit pretio æstimabile. Dixi periculum extraordinarium, & proximum, nam ob periculum remotum amittendi sortem, quod in omni mutuo essentialiter imbibitur, proculdubio nihil potest accipi; tum quia in omni mutuo posset aliquid ultra sortem accipi, unde licitæ essent usuræ; tum etiam quia periculum hoc remotum, quod imbibitur in omni mutuo amittendi sortem, compensatur, ut notat Salas, cum ea utilitate, quam percipit mutuans mutuando, quod scilicet si res interim pereat ob aliquod infortunium, puta incendii, eluvionis, furti, &c. non pereat mutuanti, sed mutuatario; ac proinde in mutuo servatur omnis æqualitas inter onera utriusque contrahentis.

III. Difficultas nunc est, an etiam pro obligatione non repetendi mutuum intra aliquod tempus, puta intra decennium, possit mutuans aliquid ultra sortem exigere? Siquidem hæc obligatio videtur pretio æstimabilis, & non esse mutuo intrinseca, ac essentialis; non enim est necesse, quod mutuans obliget se ad non repetendum mutuum per decennium, cum sufficiat quod non repetat v. gr. per mensem. Affirmarunt non pauci apud Dian. p. 1. tr. 7. ref. 48. cum Medina, Serra, Bassæo, De la Cruz, Velasco, Ledesma, qui apud eundem Dian. dicit sententiam hanc esse discipulis D. Th. communem; quod tamen falsum esse advertit Mendo diss. 6. q. 8. cum nusquam D. Th. id docuerit. Communissima tamen opinio negat cum Less. l. 2. c. 20. dub. 14. Lugo d. 25. de Just. sect. 3. Amico d. 20. sect. 8. Layman, & aliis, quorum aliquis sententiam oppositam voluit esse periculosam, & usuris palliatis expositam; alii vero docent ex ea sequi, quod controversia de usuris ad quæstionem de voce revocaretur; nullus enim contractus esset usurarius, cum in eo posset semper auctarium accipi pro obliga-

 tione

tione ista non repetendi sortem per aliquod tempus.

IV. Fundamenta tamen partis affirmativæ negotium non leve facessunt. Et Primo quidem, idirco potest aliquid ultra sortem accipi in mutuo pro damno emergente, pro lucro cessante, & pro periculo proximo, ac probabili amittendi sortem, quia non est æquum, quod mutuans subeat in gratiam mutuatarii hæc onera pretio æstimabilia, quæ sunt mutuo extrinseca: atqui etiam obligatio non repetendi mutuum ad tempus diuturnum, puta ad decennium, est onus pretio æstimabile, & mutuo extrinsecum: ergo potest etiam pro hac obligatione citra usuram auctarium accipi, quanti illa prudentis arbitrio æstimatur, spectata temporis dilatione, & spectatis opportunitatibus, quæ intra illud tempus accidere possent, quo mutuans pecunia indigeret.

V. Secundo, quia communius DD. cum Molina contra Nav., Salas, & alios docent, quod possit Cajus aliquid accipere a Petro, si se obliget illi ad mutuandum v.g. mille intra decennium, quandocumq; mutuum petierit: eo modo quo potest Cajus aliquid accipere, si se obliget Petro ad vendendam domum intra decennium ad ejus arbitrium, vel si se obliget ad fidejubendum &c. ergo etiam potest Mutuans aliquid accipere, si se obliget ad non repetendum mille per decennium. Probatur consequentia; tum quia utraque obligatio censetur pretio æstimabilis; tum etiam quia in morali æstimatione idem videtur esse obligare se ad mutuandum mille intra decennium ad arbitrium alterius, ac obligare se ad non repetendum mille per decennium.

VI. Tertio: Qui non vult agrum colere, aut domum locare per decennium, si ad id se obliget alteri, potest in omnium sententia apud Lugo aliquid accipere pro hac obligatione, quam subit in gratiam alterius: ergo pariter qui non vult uti pecunia, & illam alteri mutuat per decennium, si obliget se ad illam per decennium non repetendam, poterit etiam pro hac obligatione aliquid exigere.

VII. Quarto: Communiter docent, usuram esse mutuare cum pacto, quod Mutuatarius conferat tibi beneficium Ecclesiasticum; quia hujusmodi obligatio adimit libertatem collatori, & ideo est pretio æstimabilis; sed obligatio ad non repetendum mutuum per decennium adimit etiam mutuanti libertatem: ergo etiam est pretio æstimabilis; atque adeo potest licite compensari.

VIII. Quinto: Fidejussio est de se pretio æstimabilis, & potest pro ea aliquid accipi, ut docent communiter, & tamen fidejubere non fert aliud, quam obligationem ad solvendum pro alio, atque adeo ad virtualiter mutuandum: ergo etiam pro obligatione non repetendi mutuum potest aliquid accipi, quia etiam obligatio ista ad non repetendum mutuum est pariter obligatio ad virtualiter mutuandum, atque adeo est pretio æstimabilis. Imo, ut advertit Less. dub. 14. magis est prætio æstimabile obligare se ad non repetendum mutuum, quam fidejubere pro alio; nam qui fidejubet, quando nullum est periculum, est moraliter certus nullam a se pecuniam numerandam, & si forte contigerit, quod numeret, est moraliter certus, quod sit illam statim recuperaturus cum omni fœnore; at qui mutuat cum obligatione repetendi intra annum, revera caret per annum pecunia, & si quid damni interim forte eveniat, non compensabitur: ergo si potest pro fidejussione aliquid accipi, a fortiori pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus, præsertim si tempus sit diuturnum.

IX. Et ratio a priori videtur esse, quia pro omni beneficio, quod non teneor ex justitia impendere, possum aliquid in compensationem accipere: sed hanc obligationem non repetendi sortem ad tempus diuturnum non tenetur mutuans subire ex justitia: ergo potest pro ea aliquid accipere. Propterea Tamb. ex Dicastillo docet, obligationem non repetendi sortem ad tempus congruum esse mutuo intrinsecam, & pro ea non posse aliquid accipi, quia ad illam tenetur mutuans ex justitia, posito quod velit mutuare; secus vero obligationem non repetendi sortem ad tempus diuturnum.

X. Ostenditur falsitas: Primo quia si hæc sententia subsisteret, aperiretur immensum ostium usuris palliatis; quilibet enim mutuans dicere posset, quod per diem mutuet, gratis, deinde auctarium velit pro obligatione non repetendi sortem per annum, aut per aliud tempus. Propterea Amicus loc. cit. dicit, sententiam hanc esse novam, periculosam, & expositam usuris palliatis, & Palaus t. 7. tract. 32. p. 8. esse valde periculosam in fide, ut proinde Diana p. 8. tract. 7. ref. 63., & p. 11. t. 1. ref. 25. illam retractarit.

Ratio a priori, cur id non liceat, est perdifficilis. Lugo disp. 26. de Just. sect. 3. varias recenset, ac rejicit, & deinde concludit id non licere, quia tanti æstimantur centum, quæ dantur nunc mutuatario, quanti centum, quæ a mutuatario restituuntur post decennium: ergo obligatio non repetendi centum per decennium non videtur pretio æstimabilis, posito quod interim nullum damnum ex absentia pecuniæ patiatur mutuans, nec ullum lucrum cesset. Hæc tamen ratio, quamvis subtiliter ab Auctore promoveatur, patitur tamen difficultatem; quia obligatio ista carendi emolumentis, quæ forte evenire possent ex usu pecuniæ intra decennium, videtur pretio æstimabilis; sicut qui non vult agrum colere per decennium, si ad id se obliget, contrahit obligationem pretio æstimabilem.

Lumbier, & alii communius in eo nituntur, quod obligatio non repetendi sortem per aliquod tempus sit mutuo intrinseca, & essentialis; atque adeo qua ratione usura est illicita, & continet injustitiam, continet pariter injustitiam auctarium, quod pro hac obligatione accipitur, (quæ est de essentia mutui). Sed hæc pariter ratio videtur insufficiens, quia licet sit essentialis mutuo obligatio non repetendi sortem per aliquod tempus congruum, v. g. per mensem, aut annum; at est accidentalis, & extraessentialis mutuo obligatio non repetendi per tempus diuturnum, puta per decennium; ergo solum pro hac obligatione posset aliquid juste accipi: sicuti quia est essentiale mutuo periculum remotum amittendi sortem, non vero periculum proximum, & probabile; ideo non potest mutuans pro eo periculo aliquid ultra sortem accipere, potest tamen pro isto, ut diximus.

XI. Equidem censeo juxta doctrinam Salas dub. 9. idcirco pro hac obligatione non posse aliquid ultra sortem accipi, quia dum mutuans obligat se ad non repetendum mutuum per decennium, vel prævidet periculum esse remotum, quod interim ea pecunia indigeat, vel prævidet esse proximum, & probabile. Si prævidet esse remotum, non potest pro ea obligatione aliquid accipere, sicut nec potest aliquid accipere pro periculo remoto amittendi sor-

sortem; quia pericula ista remota abunde compensantur cum eo emolumento, quod si interim pecunia ex aliquo infortunio, puta furto, incendio &c. pereat, non pereat mutuanti, sed mutuatario. Si vero prævideat periculum esse proximum, & probabile, tunc saltem potest juste exigere a mutuatario: quod si interim intra decennium accidat, quod pecunia sit ipsi necessaria ad præcavendum aliquod damnum, vel acquirendum aliquod lucrum, ab eo hæc omnia compensentur, ut servetur indemnis.

XII. Dices: Si mutuans prævidet periculum proximum amittendi sortem, potest a mutuatario juxta probabilem sententiam aliquid exigere pro hoc periculo, cui se exponit, quanti illud æstimatur, vel quanti v. g. alteri solveret, ut fidejuberet pro ipso: ergo pariter mutuans, qui prævidet periculum proximum, quod intra decennium pecunia illa futura sit necessaria ad præcavendum aliquod damnum; vel ad lucrandum, poterit etiam pro obligatione non repetendi sortem intra decennium aliquid exigere, quanti hujusmodi periculum prudentis arbitrio æstimabitur.

Respondeo posse citra usuram in hoc casu auctarium accipi, non quidem pro obligatione non repetendi sortem intra decennium, sed pro damno probabiliter emersuro, aut pro lucro probabiliter cessaturo intra hoc tempus, quo mutuans in gratiam mutuatarii privat se pecunia sua. Duo tamen sunt a mutuante præstanda: Primum est, quod moneat mutuatarium de hoc damno probabiliter emersuro, ut possit ille aliter sibi consulere, accipiendo pecuniam ab alio, cui forte damnum nullum emergeret, & sic a solvendo auctario liberetur: Alterum est, quod si mutuatarius velit se obligare ad reddendum mutuantem indemnem in eventu, quod pecunia futura sit illi necessaria, solvendo tunc omne damnum emergens, aut lucrum cessans, non obliget illum ad solvendum auctarium ad mensuram æstimationis ejus periculi: Mutuans enim solum habet jus, ut servetur indemnis, nec potest aliam obligationem mutuatario imponere citra usuram.

XIII. Ex iisdem ratiocinationibus facile etiam descendit falsitas propositionis 41. damnatæ ab Innoc. XI. quæ habet: *Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.* De essentia enim mutui est, quod pecunia per aliquod tempus absit, quin possit repeti: Quando autem diu abest ratione mutui, vel subest mutuanti periculum proximum subeundi interim aliquod damnum ob absentiam pecuniæ, vel solum subest periculum remotum: Si solum remotum, hoc abunde compensatur ex eo emolumento, quod si interim pecunia pereat, non mutuanti pereat, sed mutuatario; Si vero subest periculum proximum, sufficit, quod mutuatarius obliget se ad reddendum mutuantem indemnem, ac proinde nihil potest hoc titulo ultra sortem accipi citra usuram. Verum quidem est, communiter pluris æstimari pecuniam præsentem, quam futuram, quia pecunia præsens est apta negotiationi, beneficentiæ, sustentationi &c., & ex pecunia absente, licet futura, sæpe plurima damna eveniunt, & lucra cessant; ut proinde Chirographa, & Apodixæ emi soleant minoris, quam valeant, juxta doctrinam Fagundez contra Molinam: At quando pecunia præsens esset omnino inutiliter retinenda in arca per annum, melior est pecunia futura post annum, quam præsens, ob hoc emolumentum, quod si interim pereat, non tibi pereat, sed alteri, & ideo non potest in hoc casu a mutuante aliquid accipi ultra sortem ex hoc titulo. Sicut nec apodixæ, & credita immatura, seu acerba possunt citra usuram palliatam minoris emi, quam valeant in casu, quo ementi nullum probabile damnum esset interim emersurum, aut lucrum cessaturum, aut nisi difficilis, vel ambigua futura sit solutio, ut docent communius apud Dia. p. 1. tr. 8. res. 47. cum Less., Val., Azor., Rebell., & aliis contra Bellar., Nav. Cajet. apud Less. cap. 21. dub. 8.

XIV. Ad primam rationem in contrarium adductam, diximus, obligationem non repetendi mutuum per decennium non esse pretio æstimabilem, nec mutuo extrinsecam, si solum appareat periculum remotum, quod ea pecunia possit deservire; Si vero appareat periculum proximum, tunc potest auctarium accipi, non pro ea obligatione, sed pro damno probabiliter emersuro, aut lucro probabiliter cessaturo intra decennium, quanti arbitrio prudentis poterit hoc periculum æstimari. Immo nec pro hoc etiam periculo potest licite aliquid accipi, si mutuatarius obliget se ad compensandum integrum damnum, quod forte emergeret, aut lucrum, quod cessaret.

XV. Ad secundam: Communius docent, quod obligans se ad mutuandum intra decennium, tunc possit aliquid pro hac obligatione accipere, quando apparet periculum proximum, quod interim pecunia illa ipse indigebit; quod si solum appareat periculum remotum, non potest quicquam pro hac obligatione accipere, aliter aperiretur via usuris: Mutuans enim posset dicere, Mutuos ibi do gratis mille aureos per hebdomadam, & obligo me ad mutuandum eosdem per annum, vel per decennium, si deinde illos velis, & sic pro hac obligatione aliquid acciperet; quod in omni mutuo contingere posset. Equidem tamen cohærenter ad dicta censeo, quod si obligans se ad mutuandum per decennium debeat penes se tenere pecuniam paratam, possit aliquid pro hac obligatione accipere, quamvis solum prævideat periculum remotum, quod ea pecunia sit futura sibi eo tempore necessaria. Ratio est, quia intantum mutuans non potest pro hoc periculo remoto, cui se exponit in gratiam mutuatarii, aliquid accipere, quia illud compensatur cum eo emolumento, quod si interim pecunia pereat, non pereat ipsi mutuanti, sed mutuatario: At si solum se obliget ad mutuandum, & non mutuet; illud periculum remotum nullo emolumento compensatur: ergo potest juste, ac licite aliquantulum pro eo accipere, quanti prudentis arbitrio æstimabitur. Idemque dicas de eo, qui se obligat ad fidejubendum pro alio per decennium; necnon de eo, qui se obligat ad vendendum aliquid justo pretio ad alterius arbitrium.

Ad tertiam recurrit eadem doctrina; propterea concesso antecedente, negatur consequentia.

Ad quartam: obligatio in mutuatario conferendi Beneficium mutuanti propter mutuum est onus præter rationem mutui, & quod nullatenus compensatur; & ideo si mutuatario hujusmodi onus imponatur, committitur usura; at obligatio non repetendi mutuum in mutuante, qui solum prævidet pe-

periculum remotum, quod ea pecunia possit interim indigere, compensatur sufficienter eo emolumento, quod si forte pecunia illa interim pereat, non sibi pereat, sed alteri: ergo non potest mutuans pro hac obligatione mutuo intrinseca auctarium accipere.

Ad quintam: Pro fidejussione, quæ non est periculosa, nihil posse accipi docent Salon., Sylv., Armilla, Salas dub. 1. Alii vero cum Mol., Nav., Soto, Emmanuele, & Vega putant etiam fidejussionem non periculosam ferre de se obligationem pretio æstimabilem, adeo ut pro ea possit aliquid accipi. Huic secundæ sententiæ ipse adhæreo, prout dixi in responsione ad secundam, & ob rationem ibi adductam nego inde sequi, quod possit aliquid accipi a mutuante præcise propter obligationem non repetendi sortem per aliquod tempus; quia scilic. hæc obligatio in mutuante compensatur aliunde, quod si pecunia interim pereat, non pereat sibi; secus vero in fidejubente obligatio illa solvendi in defectum debitoris.

XVI. Ad rationem a priori; non est verum universim, quod possit aliquid accipi pro beneficio, quod non tenemur ex justitia impendere. Nam donans non tenetur ex justitia impendere beneficium donationis, & tamen nihil pro ea potest accipere; aliter destrueretur conceptus donationis. Pariter pro obligatione vendendi rem justo pretio statim, non potest aliquid accipi distinctum a pretio justo rei: quia ea obligatio unice est æstimabilis ratione rei venditæ: ergo non meretur pretium distinctum a pretio justo rei venditæ. Sic in casu nostro pro obligatione non repetendi mutuum intra decennium non potest aliquid accipi distinctum a sorte; quia ea obligatio est unice æstimabilis ratione pecuniæ mutuatæ: ergo si illa restituatur cum lucro cessante, aut damno emergente, non meretur ullum aliud auctarium. Intantum autem qui se obligat ad vendendum intra decennium, potest aliquid pro ea obligatione accipere distinctum a pretio rei venditæ, quia intra illud tempus possunt multa contingere onerosa ei, qui suscipit hanc obligationem, quod onus non compensatur aliunde: at qui se obligat ad repetendam sortem intra decennium, si solum sit periculum remotum, quod possit ea interim indigere, contrahit onus, quod compensatur eo emolumento, quod si pecunia pereat, non pereat sibi; ergo non potest juste pro ea obligatione aliquid accipi.

XVII. Ex quibus fit primo, rejiciendam esse sententiam Tamb. l. 8. in Dec. tr. 3. c. 8. §. 5. putantis ex Dicast. non esse mutuo intrinsecam obligationem non repetendi sortem, sive ad tempus congruum, sive ad tempus diuturnum ad arbitrium mutuantis; solum enim est mutuo extrinsecum periculum proximum, seu probabile aut amittendi sortem, aut amittendi interim aliquod lucrum; unde solum pro periculo hoc probabili, non vero pro remoto potest aliquid ultra sortem suscipi.

Fit secundo, admitti posse, quod hæc obligatio non repetendi mutuum intra certum tempus sit pretio æstimabilis, non secus ac fidejussio, & obligatio ad mutuandum, vel vendendum intra decennium; pro ea tamen non potest aliquid accipi, sicut potest pro his aliis obligationibus. Disparitas est, quia illa tantum obligatio sufficienter compensatur per hoc, quod si res mutuata interim pereat, non pereat mutuanti; quod certe est aliqualiter pretio æstimabile, quicquid in contrarium dicat Lugo disp. 25. de Just. num. 20.

Fit tertio, quod si obligans se ad non repetendam sortem intra tempus diuturnum prævideat probabile periculum, quod possit interim ea pecunia indigere, possit aliquid pro hoc periculo accipere servata æqualitate, & servatis illis duabus conditionibus supra explicatis; nihil tamen accipi potest pro ea duntaxat obligatione.

XVIII. Fit quarto, sententiam Bellarm., Navarri, Cajetan. & aliorum apud Less. loc. cit., & Dian. par. 1. tr. 8. res. 47., quod scilicet citra usuram palliatam possint apodixæ, & credita immatura aliquando minoris emi, quam valeant, etiamsi non sint difficilis solutionis, nec interim ullum damnum probabile, & proximum emergat, aut lucrum cesset ementi, in hac ratiocinatione, ac disparitate Patris Salas aliquatenus niti: idcirco enim in mutuo nihil potest accipi ultra sortem pro periculo remoto, quod subit mutuans in gratiam mutuatarii, quod si forte interim indigeat pecunia ad lucrandum, debeat ea carere, quia hujusmodi incommodum, cum sit valde tenue sufficienter compensatur cum eo etiam tenui emolumento, quod si interim pecunia ex aliquo infortunio pereat, non pereat mutuanti, sed mutuatario; utrumque enim periculum est remotum, & idcirco non magni momenti: Atqui emens apodixas, seu pagas acerbas, quæ verbi gr. post annum maturescunt, ita subit periculum remotum, ut, si interim indigeat pecunia ad lucrandum, debeat illa carere, ut hoc incommodum non compensetur ullo alio emolumento; siquidem si forte pecunia credita perit, non perit vendenti, sed ipsi ementi apodixas: ergo potest aliquando minoris apodixas emere, quanti hujusmodi incommodum, quantumvis tenue, immo ex Lugo tenuissimum, arbitrio prudentis æstimatur. Quod si ita emantur apodixæ, ut si forte pecunia credita pereat non pereat ementi, sed vendenti, procul dubio usura palliata committeretur in emendis apodixis minoris, quam valeant, quando ementi nullum subest periculum proximum damni ex absentia, & dilatione pecuniæ.

PROPOSITIO XLIII.

Annuum legatum pro Anima relictum non durat plus quam per decem annos.

SYNOPSIS.

I. Non duraret ultra decennium legatum annuum pro anima relictum, si animæ non indigerent illo ultra id temporis.

II. Docuit Beda, quod omnes animæ usque ad Judicii diem in igne purgante torqueantur; Sotus tamen, & alii, quod nulla ultra decennium.

III. Videtur quippe Deus pœnarum brevitatem intensione compensare, ne diu extra Patriam animas sibi necessitudine conjunctas distineat.

IV. Pœnæ Purgatorii, utpote acerbissimæ, si per decennium a justo tolerentur, videntur debitum omne culparum adæquare.

V. Præsertim quia suffragia pro Defunctis sunt innumera.

VI. Verum omnino arbitrarie dicitur, quod non ultra decennium animæ in Purgatorio detineantur.

VII. Revelationes, & historiæ Ecclesiasticæ oppositum suadent.

VIII. Nec-

VIII. Necnon usus Ecclesiæ celebrantis Anniversaria per secula. IX. Hinc annuum legatum perdurare debet quoad ejus fieri potest. X. Potuit quidem Deus decernere, ut nulla ex animabus ultra decennium puniretur, compensando intensione brevitatem pœnarum; sed falsum est ita decrevisse. XI. Divinæ Justitiæ consonum est, ut Purgatorii pœnæ acerbissimæ simul sint, & valde diuturnæ. XII. Raro admodum in hac vita pro debitis pœnis adæquate satisfit. XIII. Suffragia pro Defunctis oblata non tenetur Deus acceptare.

XIV. Indulgentiæ non prosunt Defunctis per modum Absolutionis, ut prosunt Viventibus, sed per modum Solutionis, quæ probabiliter non habet effectum infallibilem. XV. Valor Sacrificii, etiamsi in actu primo proximo dicatur esse valoris infiniti & habere effectum ex opere operato infallibilem, non obest diuturnitati pœnarum. XVI. Jure merito vindicta post hanc vitam non exercetur in corpore salvandorum, sed in sola anima, quæ fuit vera, ac principalis causa peccati.

I. EXponitur. Veritas, aut falsitas hujus assertionis descendit ab ea quæstione, Num scil. ultra decennium animæ in Purgatorio detineantur? Si enim vera esset sententia Soti in 4. dist. 19. q. 3. ar. 2. apud Suar. disp. 46. de Pœn. sect. 4., & aliorum cum Jo. De la Cruz, Conrado, Vivaldo apud Dian. p. 4. tract. 8. res. 101. quod nulla anima in Purgatorio detineatur ultra decem annos, (quod Vivaldus asserit esse verum propter immensam Dei misericordiam, & propter acerbitatem illarum pœnarum, etiamsi nulla daretur Indulgentia) procul dubio annuum legatum pro anima duntaxat relictum non duraret amplius, quam per decem annos: cessante enim fine adæquato hujus obligationis, qui est, ut anima ex pœnis purgantibus liberetur, cessaret etiam ipsa obligatio. Examinandum itaque, Num ea sententia sit moraliter certa, prout deberet esse ad eximendum legatarium a sua obligatione satisfaciendi legato in perpetuum? Num saltem ob auctoritatem tot DD. sit probabilis? An vero sit improbabilis, & arbitrario asserta, ut tenet Suar. loc. cit.? An demum sit erronea, & sua censura digna, quod vult Baldus apud Dian. loc. citat. dicens, Inquisitores in Hispania coegisse quemdam insignem Concionatorem Minoritam illam retractare, ut constat ex Henriq. l. 7. c. 16. num. 4. eo quod retrahat fideles ab operationibus satisfactoriis, & Missis offerendis pro defunctis.

II. Hac in re duæ sunt sententiæ oppositæ; Altera Bedæ l. 5. Hist. Anglic. c. 13. apud eundem Suar. putantis, omnes animas purgandas usque ad diem Judicii in Purgatorio detinendas de lege ordinaria, nisi propter Ecclesiæ intercessionem aliquæ citius liberentur: sicut enim in inferno omnes æqualem in extensione subeunt pœnam, ita & in Purgatorio; quamvis utrobique inæqualem habentes reatum puniantur inæqualiter, dnm inequalem subeunt intensionem pœnarum. Altera vera Soti, & aliorum putantium, vix ullam animam viginti, immo nec decem annis gravissima Purgatorii pœna puniri. Utramque hanc sententiam posse de potentia Dei absoluta esse veram, nemo est qui ambigat. Potest quippe Deus de potentia absoluta duas animas (atque adeo omnes) inæqualiter reas punire eodem tempore, ita ut solum ratione intensionis pœnarum inæqualiter puniantur, unde potest omnes punire usque ad diem judicii, ita tamen ut quæ ob levissimum veniale sunt puniendæ, eas puniat levissima, quamvis diuturnissima pœna. Potest etiam Deus omnes punire solum per decennium, ita ut multarum culparum reæ puniantur intensissime, aliæ remissius. Et de facto quæ decedent paucis diebus ante diem Judicii, brevi illo tempore in Purgatorio cruciabuntur, gravitate suplicii brevitatem compensante; cum certum sit pœnas Purgatorias ultra diem Judicii non esse duraturas ex August. 21. de Civit. 16.: omnes enim post diem Judicii, ut habetur Matth. 25., vel in beatitudinem recipientur, vel in gehennam relegabuntur.

Verum quod de facto non ita accidat, ut omnes animæ seclusis Ecclesiæ suffragiis usque ad diem Judicii puniantur, est communis Ecclesiæ sensus, ut habet Suarius; videturque incredibile, quod Sanctissimi viri cum levissimo reatu decedentes tandiu a visione Dei amicitia sibi conjuncti distineantur. Quod ex eo fit perspicuum, quia ante Christi adventum erat transitus a Purgatorio ad sinum Abrahæ; aliter Christus D. eas solas animas ad Cœlum adduxisset, quæ sine ullo reatu temporalis pœnæ decessissent: quod etiam est inopinabile. Et ratio a priori videtur esse, quia connaturale est, ut juxta culpæ gravitatem pœna sit intensa simul, & diuturna; quare sicut est inopinabile, quod omnes animæ in Purgatorio eadem intentione pœnæ crucientur, & solum differant in diuturnitate; ita est inopinabile, quod omnes eadem pœnæ extensione puniantur, & solum differant in intensione. Idcirco in Inferno solum habetur diversitas in intentione pœnarum, quia in diuturnitate dari nequit inæqualitas; siquidem quodvis mortale ob aversionem a Deo æternam pœnam meretur; ob inæqualem conversionem ad Creaturas meretur pœnas solum in intensione inæquales; at venialia, & mortalia remissa merentur pœnas inæquales simpliciter, atque adeo connaturaliter debent esse inæquales non solum in intentione, sed etiam in diuturnitate; unde omnino inopinabile est, omnes animas purgandas seclusis Ecclesiæ suffragiis usque ad diem Judicii in Purgatorio igne esse detinendas.

III. Quod attinet ad Soti sententiam, quod nulla ultra decennium ibi detineatur, fundamentum videtur esse Primo, quia potuit Deus ita decernere, quod intra hoc tempus totus reatus deleretur; eo prorsus pacto, quo intra breve tempus deletur reatus omnis eorum, qui paulo ante diem Judicii decedunt, supplente gravitate intensiva pœnarum temporis brevitatem: ergo dicendum ita de facto contingere; cum non sit verisimile, quod Deus velit ulterius amicos suos detinere in igne Purgationis, de quo August. serm. 41. de Sanctis habet: *Ignis ille Purgatorius durior est, quam quicquid potest in hoc sæculo pœnarum videri, cogitari, aut sentiri.* Ex doctrina enim D. Th. in 4. dist. 21. q. 1. *Idem ignis est, qui damnatos cruciat in inferno, & qui justos in Purgatorio.*

IV. Secundo, quia per breves, ac leves satisfactiones hujus vitæ compensatur reatus venialium, & aliquando potest contritio esse adeo intensa, ut deleatur a mortalibus eiam reatus pœnæ temporalis: ergo a fortiori compensari potest reatus omnis pœnæ temporalis, tolerando atrocissimos Purgatorii cruciatus per decennium.

V. Tertio, quia Ecclesiæ suffragia sunt innumera pro defunctis, & Indulgentiæ, quæ pro iis applicantur, sunt plurimæ: Item valor Missæ probabiliter est in-

infiniti valoris in actu primo proximo, adeo ut æque prosit singulis, sive pro pluribus, sive pro paucioribus offeratur juxta sententiam Vasq. disput. 231. Cajet. Henriq. Cord. Soti, contra Suar. Lugo, Con. Hæc autem omnia efficiunt, quod moraliter certum sit, animas in Purgatorio non esse ultra decennium detinendas; & ideo annuum legatum pro anima relictum non durat plus, quam per decem annos; ac propterea Covarr. cum aliis docet, annuum illud legatum esse instar usus fructus, qui post decennium extinguitur.

VI. Ostenditur falsitas. Primo, quia omnino arbitrarie, & sine solido fundamento asseritur, animas non amplius quam per decem annos esse in Purgatorio detinendas: cur enim non quinque? cur non viginti? argumenta siquidem adducta non magis evincunt determinationem hujus, quam illius temporis, atque adeo improbabiliter tempus decennale determinatur: unde ruit fundamentum asserendi cessare post decennium obligationem solvendi legatum annuum pro anima a testatoribus relictum.

VII. Secundo, quia plurimæ revelationes, & Ecclesiasticæ historiæ ostendunt, plures animas diutius in eo carcere detineri. Henriq. l. c. lit. I. ex Surio notat de Innocentio Papa III. quod esset usque in diem Judicii in Purgatorio detinendus. Paucis ab hinc annis in quodam Conventu prope Neapolim apparuit Religiosus, qui fere centum ab hinc annis decesserat, & suffragia postulavit. Nec mirum, quod qui post myriades culparum gravium ex Dei misericordia cum sufficienti attritione post absolutionem Sacramentalem moritur, diutissime in Purgatorio sit mulctandus, ubi ex multis apparitionibus constat, Sanctos viros ob leves aliquas veniales culpas diu pœnas eo loci luisse.

VIII. Tertio, quia ex usu Ecclesiæ celebrantis annua anniversaria pro defunctis per sæcula constat, incertum esse, an ibi animæ post pœnas sæculares adæquate satisfecerint Divinæ justitiæ; eo quod judicia Dei sint occulta, & abyssus multa: ergo falsa, & omnino improbabilis est sententia Soti: ut proinde nunquam cesset de se obligatio solvendi legatum annuum pro anima relictum. Quamvis enim aliquando prodesse non possit testatori; vel quia statim ad cœlum evolavit, vel quia in gehennam detrusus est, sufficit, quod possit suffragiis indigere, ut legatum sit ei debitum ex justitia. Quod si non indigeat, mens testatoris fuit, ut legato satisfieret, ad hoc ut possint ea suffragia aliis animabus prodesse.

IX. Hinc fit, quod etiamsi sententia Soti esset probabilis, quod animæ non amplius, quam per decem annos in Purgatorio detineantur; quia tamen cum probabilitate opinionis stat incertitudo, idcirco adhuc legatum annuum solvendum esset citra temporis limitationem, & suffragia pro defuncto offerenda essent; cum debitum certum ex justitia semper urgeat, donec certa sit excusatio ab eo solvendo: certitudo autem in casu nostro haberi non potest, cum incertum sit, an animæ defunctorum post decem annos non amplius in Purgatorio detineantur: ergo semper urget obligatio solvendi legatum annuum pro iis relictum.

X. Ad primam rationem in contrarium, diximus, non repugnare, de potentia Dei extraordinaria, quod omnes animæ intra decennium satisfaciant Divinæ justitiæ usque ad ultimum quadrantem in Purgatorio, sicut nec repugnat, quod similiter satisfaciant omnes intra quinquennium, aut intra annum, aut intra mensem, supplente acerbitate supplicii brevitatem; omnino tamen arbitrario inde infertur, quod ita de facto eveniat. Immo oppositum esse connaturalius, & conformius ad histor. Eccles. ad revelationes, & ad praxim Ecclesiæ, jam ostendimus.

XI. Ad secundam: Verum est satisfactiones in hac vita, utpote voluntarias, longe præstare satisfactionibus alterius vitæ, utpote necessariis, adeo ut SS. PP. comparent illas monetæ aureæ, istas æreæ; nihilominus pro plurimis culpis a quamplurimis satisfaciendum est; & ideo quamvis pœnæ ibi sint acerbissimæ, sunt etiam sæpe diuturnissimæ. Et sane cum septies in die cadat justus, sequitur, quod etiam justus, qui decies singulis diebus venialiter peccaret, deberet pro tribus millibus, & sexcentis, ac quinquaginta venialibus quotannis patratis pęnas luere; ac proinde qui 7. annis post usum rationis viveret, deberet pro viginti quinque millibus quingentis quinquaginta venialibus satisfacere; cum autem longe superet reatus unius mortalis reatum venialium, heu quantum pęnarum luendum vel pro unico mortali dimisso quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ! Quid autem pro tot, tantisque mortalibus, quæ passim patrantur ab iis, qui, ut loquitur Job cap. 15. *Quasi aquam bibunt iniquitatem?* Quid ergo mirum, quod acerbissimæ simul sint, ac diuturnissimæ pęnæ in Purgatorio non paucis animabus debitæ? Admirationem omnem tollet ea consideratio, quod pro mortali non dimisso nulla diuturnitas pœnarum in inferno satis sit ad reatum extinguendum; usque adeo grave est, vilissimum homuncionem Divinam Majestatem contemnere: Proinde Divinæ justitiæ simul, & Misericordiæ congruum est, ut dimisso mortali quoad reatum culpæ, & pęnæ æternæ, reatus non levis supersit pęnæ temporalis luendæ in Purgatorio], quem ille solum poterit æqua lance ponderare, qui gravitatem mortalis appenderit in statera injuriæ Deo irrogatæ. Hinc Bellarm. lib. 2. de Gemitu columbæ cap. 9. aperte pronunciat: *Purgatorii pęnas ultra decem, aut viginti annos extendi, & fortasse ultra centum*, & *mille annos prorogari, non dubium est*: & ex quibusdam revelationibus omni fide dignis animas nonnullas usque ad diem Judicii cruciandas docet: quod etiam Tertullian. & Cypriani auctoritate confirmat. Innocentissimus Bernardus in serm. de Quadruplici debito sic plorans exclamat: *Quomodo satisfaciam, cum cogor debitum reddere usque ad novissimum quadrantem? Peccavi enim super numerum arenæ maris, & multiplicata sunt peccata mea, & non sum dignus videre altitudinem Cęli præ multitudine iniquitatis meæ. Circumdederunt me mala, quorum non est numerus:* si hæc Bernardus, quid dicat peccator? & *si hæc in viridi, quid in arido?*

XII. Neque dicas, homines pro peccatis satisfacere passim in hac vita jejuniis, orationibus, eleemosynis, indulgentiis, ut proinde non multum supersit in altera luendum. Nam, ut hujusmodi opera sint satisfactoria, poni debent ab hominibus in statu gratiæ: non pauci autem ita vivunt, ut raro in statu gratiæ versentur; unde hujusmodi homines si in statu gratiæ ex Divina misericordia decedant, diuturnissime in Purgatorio cruciandi sunt. Præterquamquod illi ipsi, qui Divinam amicitiam custodire nituntur, non pauci raro jejunat

præ-

prætextu ægritudinis, raro orationibus vacant, easque tot evagationibus mentis, ac imperfectionibus intermiscent, ut novam in iis lignorum struem aggerent in Purgatorio comburendam; eleemosynas non pauci erogare non possunt, si paupertate laborant; si divitiis affluunt, sæpe nolunt: Indulgentias obvias passim habent etiam non pauci; quia tamen thesaurum hunc gratis nobis ex Christi meritis oblatum negligunt, justissimo Deo judicio in Purgatorio carent etiam suffragio Indulgentiarum, quas alii pro ipsis lucrentur: unde pluribus lustris, ac decenniis igne Purgatorii torquentur.

XIII. Ad tertiam: Suffragia, quæ pro defunctis offeruntur, non offeruntur ab ipsismet debitoribus, sed a viventibus, qui exhibent suas pro illis satisfactiones; Deus autem offensus non tenetur satisfactiones ab alio, quam ab offensore præstitas acceptare, & ideo nil mirum, quod Deus justis de caussis illas non acceptet: præsertim si animæ defunctorum dum viverent, neglexerunt pro defunctis exorare, & proprias satisfactiones exhibere.

XIV. Pariter Indulgentiæ pro defunctis, cum offerantur per modum solutionis, & suffragii, hoc est offerendo pro iis pretium de thesauro Ecclesiæ, non vero per modum absolutionis, ita scil. ut Vicarius Christi acceptet solutionem oblatam de thesauro pro illis, & juridice absolvat, prout conferuntur indulgentiæ viventibus, erga quos tantum habet Pontifex potestatem judiciariam, idcirco probabile est ex Bon. Laym. Cajet. Cano, Corduba, & aliis apud Lugo, quod illæ non habeant effectum infallibilem, atque adeo sæpe a Deo non acceptentur pro iis, qui thesaurum indulgentiarum in vita neglexerunt. Quod si transmittatur juxta doctrinam Suar., Gran., Valent., Soto, Trull. apud Dian. p. 5. tr. 12. ref. 8. indulgentias etiam pro defunctis applicatas habere effectum infallibilem, eo quod detur Divina promissio de tali effectu, fundata in perpetua traditione Ecclesiæ, & in verbis illis Matth. 16. *Quodcumque solveris, &c.* non proinde fit, statim animas vi indulgentiarum e Purgatorio liberari. Nam etiam oratio justi habet effectum infallibilem ex opere operantis, cum detur etiam Divina illa promissio Joan. 16. *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*; & tamen nemo dixerit, quod si justus petat animas omnes e Purgatorio liberari, statim, & infallibiliter liberentur. Et ratio in utroque casu est, quia Divina promissio non est absoluta, sed conditionata, vid. si applicentur indulgentiæ, & si fiat oratio cum debitis circumstantiis, cum fiducia, humilitate, perseverantia debita, &c. aliter, ut advertit Arriaga, homines desides essent in divino servitio, si statim obtinerent, quodcumque peterent, quomodocumque peterent; & eodem modo torpentes essent ad evadendas Purgatorii pœnas, si statim vi indulgentiarum omnes animæ essent liberandæ.

XV. Idem denique dicas ad id, quod additur de Sacrificio Missæ. Etiam dato, quod sit infiniti valoris in actu primo proximo, adeo ut æque prosit singulis, sive pro pluribus offeratur, sive pro paucioribus, & etiam dato, quod effectus ex opere operato Sacrificii Missæ sit infallibilis, ut communius docent apud Vasq. disp. 228. n. 19., & Arr. disp. 51. sect. 3., non proinde fit, quod statim omnes animæ e pœnis purgantibus vi Sacrificiorum liberentur; idque propter easdem rationes, quibus non statim liberantur vi indulgentiarum, & vi orationum Christifidelium, quamvis infallibilis sit horum omnium effectus; quia scil. debent hæc omnia præstari cum debitis circumstantiis a Dom. rationabiliter statutis, tam ex parte offerentium suffragia, & preces pro defunctis, quam ex parte ipsorum defunctorum: Inter quas illæ in primis solent esse, & quod cum debita fide, ac fiducia, humilitate, & perseverantia ea offerantur; & quod animæ defunctorum non posuerint in vita obicem ad talem effectum, negligendo ea omnia, quæ ex speciali misericordia Dei instituta sunt ad evadendas Purgatorii pœnas, cujusmodi sunt Indulgentiæ, Sacrificia, ac Sacramenta, necnon orationes, ac suffragia pro defunctis. Ex quibus fit, sententiam istam de duratione legati annui pro anima relicti duntaxat per decennium, non solum esse improbabilem, sed aperte falsam, defunctis noxiam, & injustam, pietati fidelium, ac usui Ecclesiæ dissonam, ac sua censura dignam, prout illam Pontifex inurit; atque adeo improbabilem etiam esse sententiam Soti, in qua fundatur, quod scil. animæ vix per decem annos igni purganti subjiciantur.

XVI. Dices. Quamvis corpus cum anima peccaverit, quatenus corpus fuit animæ organum, ac proinde in inferno anima simul, & corpus crucientur, non secus ac in Patria etiam corpus, quod pro Christo passum est, glorificabitur: in Purgatorio tamen corpus, quod fuit organum animæ Deo dilectæ, est omnino immune a pœnis: ergo a fortiori ipsa anima Deo dilecta immunis erit a diuturnitate pœnarum: unde vix ulla plus, quam per decennium cruciabitur.

Respondeo primo, argumentum probare, quod simpliciter anima Deo dilecta non sit crucianda, cum corpus nullatenus crucietur. Deinde arbitrario assignatur tempus decennii; cur non enim quinquennii, aut 20. annorum? Denique idcirco corpus justorum non indiget purgatione, ut ostendit Origenes hom. 14. in Lucam apud Suar. l. c. quia ante resurrectionem sufficienter animæ satisfaciunt in Purgatorio, unde non debent usque ad diem judicii extra patriam detineri, ut deinde post resurrectionem cum corpore crucientur: Contra vero plurimæ ex animabus intra decennium non sufficienter satisfaciunt pro suis culpis, ut ostendimus, & ideo plurimæ ultra hoc tempus cruciantur. Verum quidem est, quod corpus fuerit organum animæ ad peccandum; quia tamen vera, & principalis caussa peccati est anima, ideo poterit in illa fieri sufficiens vindicta ob reatum illum, qui remanet post peccati remissionem; ipsumque corpus per separationem ab anima, per corruptionem, & incinerationem etiam aliqualiter subit pœnas peccatis debitas, unde non debet amplius post resurrectionem mulctari: aliter animæ istæ etiam post diem judicii deberent cum suo corpore cruciari, unde corpus salvandorum non resurgeret impassibile: quod est contra Apostolum, qui 1. ad Cor. 15. habet: *Seminatur corpus animale, surget spiritale; seminatur in corruptione, surget in incorruptione; seminatur in ignobilitate, surget in gloria.*

PROPOSITIO XLIV.

Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ.

SYNOPSIS.

I. Varie hac in re Doctores opinati sunt.

II. Videtur Censura per correctionem Rei cessare; tum quia est pœna medicinalis, unde implicite videtur ferri sub ea conditione, Donec resipiscas; *tum etiam quia per contumaciam contrahitur, unde per cessationem contumaciæ cessare debet: sic si feratur censura per annum, elapso anno, censura cessat citra absolutionem. III. Contritus, & correctus ante absolutionem est vivum Christi membrum, atque adeo etiam Ecclesiæ. IV. At censura, quæ in fieri pendet a contumacia, non pendet ab illa in conservari; unde qui ab Ecclesia censura innodatur, ab Ecclesiæ potestate debet dissolvi. V. Si Censura feratur per tempus determinatum, puta per annum, eo elapso, cessat quidem citra absolutionem, quæ confertur post annum, sed non cessat simpliciter citra absolutionem, quamvis cum sit pœna medicinalis, non debeat sic ferri. VI. Si non requireretur absolutio post correctionem Rei, semper absolutio esset inutilis pro foro interno. VII. Etiam Defunctus, qui decessit contritus, indiget absolutione ab excommunicatione post mortem, ut possit Ecclesiastica sepoltura donari. VIII. Sicut peccatum non tollitur formaliter per resipiscentiam peccatoris, sed per gratiam consequentem; ita censura per consequentem absolutionem. IX. Ex hoc quod sit pœna medicinalis, solum fit, quod curato ægroto debeat tolli; non tamen sine actu Judiciali. X. Sola suspensio fertur aliquando sub conditione, v. g. donec restituas; & hæc ipsa non tollitur nisi per absolutionem præviam, quæ suum effectum habet, purificata conditione. XI. Non mirum, quod excommunicatus contritus sit vivum Christi membrum, & simul a Comunione fidelium sit segregatus.*

XII. Possuntne directe pro hoc Excommunicato, saltem post ejus mortem, communia Ecclesiæ suffragia, ac Missæ Sacrificium offerri?

I. EXponitur. Fuit opinio Sayri, Innoc. Covarr., Megal. apud Dian. p. 5. tract. 10. resol. 25. posse saltem suspensionem tolli ipso facto citra absolutionem, si contumacia recesserit, & offeratur satisfactio. Idem docet de excommunicatione Alciatus in cap. 1. de Electione in 6. cum eodem Covarr. apud Suar. disput. 19. de Cens. sect. 1. in eo casu, in quo aliquis excommunicetur sub ea conditione, *Donec satisfaciat*, *Donec resipiscat*. Quod pariter multi docent etiam de Interdicto, atque adeo de omnibus Censuris, ut proinde Nav. c. 27. n. 28. D. Anton., Henriq., Sà, Boss. apud Dian. p. 5. tract. 12. res. 13. contra Hurtad., Con., Sotum, putent excommunicatum, si conteratur, atque adeo sit in statu gratiæ, posse esse participem suffragiorum Ecclesiæ; & Indulgentias lucrari. Unde videntur sentire, per correctionem & contritionem omnino cessasse pro foro conscientiæ excommunicationem, quæ privat hominem Ecclesiæ suffragiis, & Indulgentiis: Immo Palud. in 4. d. 1. quæst. 18. apud Suar. disp. 7. de Cens. sect. 1. absolute dicit, affectum censura, si in charitate decessit, jam non esse ligatum censura, etiamsi non fuerit ante absolutus.

II. Fundamentum hujus thesis videtur esse, quia omnis lex, seu prohibitio lata pro quandiu aliqua conditio duraverit, ea conditione cessante, ipso facto cessat; verb. gr. si expresse feratur suspensio, *Donec restituas*, posita restitutione, cessat suspensio: Sed qualibet censura implicite fertur sub ea conditione, *Donec resipiscas*, cum sit pœna medicinalis, juxta illud 1. ad Cor. 5. *Judicavi tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut Spiritus salvus sit*: ergo contumacia cessante, ac reo correcto, antecedenter ad omnem absolutionem censuræ cessant; non secus ac peccatum mortale posita contritione perfecta deletur ante absolutionem Sacramentalem. Et ratio a priori videtur esse, quia per quas causas effectus nascitur, per easdem dissolvitur; sed censuræ causa est unice contumacia: ergo hac cessante tollitur.

Confirmatur primo: Si censura feratur usque ad præfixum tempus, puta per annum, eo elapso, cessat citra absolutionem: ergo cum implicite feratur usque ad resipiscentiam, & correctionem Rei, Reo correcto cessat. Quod relate ad Suspensionem esse probabile, si feratur ob contumaciam, docet Dian. l. c., tum quia hæc æquivalet Suspensioni latæ sub ea conditione, *Donec restituas*, quæ ex cap. *Quia sæpe* de Elect. impleta conditione cessat per seipsam, ut notat Glossa; tum etiam quia quamvis in cap. *Cum desideres* de Sententia excommunicationis cautum sit, quod excommunicatio per solam resipiscentiam absque absolutione non tollatur, & in cap. *Qua fronte* idem insinuetur de Excommunicatione simul, ac de Interdicto; nusquam tamen idem dicitur de Suspensione: ergo saltem Suspensio citra absolutionem tolli potest, cessante contumacia.

III. Confirmatur secundo: quia censura innodatus, si sit contritus, & correctus, est verum Christi membrum, adeo ut ab eo tamquam capite influxum recipiat, non secus ac omnes justi: ergo unitur etiam aliis Ecclesiæ membris, ita ut communium suffragiorum sit particeps; atque adeo per solam contritionem, & correctionem redditur a censura immunis.

IV. Ostenditur falsitas: quia quamvis contumacia requiratur, ut possit ferri Censura, adeo ut hæc ab illa dependeat in fieri, non pendet tamen ab illa in conservari: non secus ac culpa est causa pœnæ: hæc tamen sæpe post culpam transactam perseverat; atque licet post resipiscentiam, & condignam satisfactionem exhibitam absolutio conferenda sit, eo quod censura sit pœna medicinalis, & non mere vindicativa, nihilominus ante absolutionem ea non cessat; ut colligitur ex cap. *Qua fronte* de Appell., & cap. *Cum desideres*, de Sententia excommunicationis. Quod jure merito ita institutum est; tum quia qui juridica, & legitima potestate ligatur, ab eadem debet dissolvi; tum etiam quia, quamvis sublata contumacia satisfactum sit obedientiæ debitæ Ecclesiæ, pœna tamen pro culpa commissa non sufficienter luitur, donec ab ipsa Ecclesia absolutio obtineatur.

V. Confirmatur primo: quia ex illis verbis Matth. 15. *Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in Cœlis, & quodcumque solveris, &c.* constat, tam actum ligandi, seu innodandi aliqua censura esse actum jurisdictionis, quam actum absol-

vendi:

vendi: ergo si ex jurisdictione Ecclesiæ fertur censura, ex ejusdem jurisdictione tolli debet; non secus ac pœna vindicativa, quæ a Judicis potestate promanat, ab eadem debet auferri. Quod si pœna aliquando feratur ad tempus determinatum, puta ad decennium, eo elapso cessat pœna ex ejusdem Judicis voluntate, qui simul illam infligit, & simul decernit liberare Reum ab illa purificata conditione decennii elapsi: Et eodem modo, si posset censura ferri ad tempus determinatum, puta per mensem, elapso mense cessaret censura per absolutionem, quæ fertur simul cum excommunicatione sub conditione, quod mensis elabatur. At censura, cum sit pœna medicinalis, non potest ferri, ut notat Suarius, ad tempus determinatum: nam si ante illud tempus resipuerit Reus, debet ante illud absolvi; & si post illud perseveraverit contumacia, non est æquum, quod absolvatur: proinde quando quis ad tempus determinatum suspenditur, ea suspensio habet solum rationem pœnæ vindicativæ, non vero censuræ, seu pœnæ medicinalis. Solum potest censura ferri ad tempus indeterminatum, puta donec restituas; & in tali casu putant nonnulli, quod purificata conditione ista, tunc censura statim cesset ob absolutionem, quæ simul cum excommunicatione collata fuit sub conditione restitutionis. Sicut enim quando fertur censura v. g. contra furantes ipso facto incurrenda, posito furto statim incurritur censura, non quæ tunc feratur, sed quæ lata fuit olim sub ea conditione, quod ponatur furtum: ita si suspendatur Petrus, donec restituat, posita restitutione remanet absolutus, non vi absolutionis, quæ conferatur tunc, sed vi absolutionis, quæ collata fuit, quando fuit lata suspensio, sub ea tamen conditione, quod ponatur restitutio. Verum quamvis possit censuræ absolutio sub hujusmodi conditione conferri, de facto tamen non ita confertur, cum ex Reg. 77. Jur. in 6. *Actus legitimi conditionem non recipiant*; propterea quando quis excommunicatur, vel suspenditur, donec restituat, non fit sensus, quod ex tunc absolvatur sub conditione, quod restituat; sed fit sensus, quod non erit absolvendus, nisi post restitutionem, atque adeo etiamsi restituat, adhuc indiget absolutione. Idemque dicas, etiamsi explicite, nedum implicite aliquis excommunicetur, aut suspendatur, *Donec resipiscat*: Sensus enim est, quod nonnisi post resipiscentiam, & correctionem absolutio sit conferenda; atque adeo universim, contumacia cessante, ac Reo correcto, censuræ non cessant.

VI. Confirmatur secundo: quia aliter, ut notat Cornejo t. 2. tr. 5. disp. 2., absolutio Ecclesiæ pro foro interno esset semper inutilis; cum nunquam Ecclesia conferat absolutionem ante resipiscentiam, & correctionem delinquentis; unde semper Ecclesiæ absolutio præsupponeret censuram sublatam, atque adeo pro foro interno semper esset otiosa.

VII. Confirmatur demum; quia jura Canonica docent, etiam mortuum indigere absolutione, si decessit cum censura publica, quamvis decesserit contritus; ut proinde non possit sepultura Ecclesiastica gaudere, & fructum communium Ecclesiæ suffragiorum percipere ante absolutionem, ut patet ex cap. *A nobis* 2., Cap. *Sacris* de Sent. excommunic. Cap. *Is cui* eod. tit. in 6. & ex Conc. Apaunensi apud Burchardum lib. 11. sui decreti cap. 51. ergo universim censuræ ante absolutionem non cessant. Probabile quidem est, quod si excommunicatus sit occultus, non indigeat absolutione post mortem, cum ex Extravag. *Ad evitanda* non sit exclusus a communione fidelium ex parte ipsius; probabilius tamen est ex Suar. disp. 7. de Cens. sect. 1., quod sit absolvendus occulte; cum disputetur a DD. apud Dian. p. 5. tr. 9. res. 74., an possit Ecclesiæ suffragiis frui ante absolutionem. Ubi notandum, quod qui probabiliter docent cum Hurt., Conin., Boss. apud Dian. p. 5. tr. 12. res. 139., excommunicatum contritum ex benignitate Ecclesiæ esse capacem Indulgentiarum, non proinde docent esse simpliciter a censura immunem ante absolutionem; cum negent posse illum suscipere Sacramenta Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, antequam absolvatur, aut se gerere tamquam non excommunicatum.

VIII. Ad rationem in contrarium diximus, quod etiamsi censura feratur explicite sub ea conditione, *donec resipiscat*, adhuc post resipiscentiam opus sit absolutione; sicut de facto peccatum non remittitur, donec peccator resipuerit: & tamen reatus culpæ, & pœnæ æternæ non tollitur per ipsam resipiscentiam formaliter, sed per gratiam, quæ ex Trid. est unica causa formalis nostræ justificationis, & peccati remissio, quæ gratia in præsenti providentia ex Divina benignitate confertur aut in posteriori natura ad contritionem supernaturalem, aut in posteriori natura ad attritionem cum Sacramento, quod eatenus dicitur ex attrito facere contritum.

Hinc paritas retorquetur; peccatum enim mortale non tollitur formaliter per ipsam resipiscentiam, sed per gratiam consequentem: ergo nec censura formaliter tollitur per resipiscentiam, sed per absolutionem; non secus ac obligatio voti non tollitur ante dispensationem, quamvis detur causa sufficiens ad dispensationem obtinendam. Verum quidem est, in præsenti providentia conferri sæpe nobis gratiam peccati remissivam antecedenter ad Sacramentalem absolutionem; Et ratio est, quia id nobis benignissime promittitur in Scripturis a Deo, qui poterat nolle remissionem impertiri ante absolutionem. Cum autem ex dictis noluerit Ecclesia a nobis vincula censurarum tolli ante absolutionem, idcirco etiam post contritionem, & correctionem illa perseverant, donec per absolutionem tollantur.

Ad rationem a priori dicendum, quod sicut peccatum consequitur reatus odii Divini, & pœnæ æternæ, qui ab illo solum pendet in fieri, non in conservari; unde etiam retractato peccato per actum naturalem, aut per attritionem supernaturalem, ille perseverat; (& perseverare posset in alia providentia etiam post contritionem supernaturalem juxta sententiam communiorem, quod contritio non justificet formaliter) ita ad contumaciam consequitur censura, quæ ab illa tantum pendet in fieri, non in conservari. Quinimmo sicut censura non incurritur per meram inobedientiam præcepto Ecclesiastico, sed requiritur etiam voluntas Judicis Ecclesiastici, quod ea incurratur; ita etiam requiritur ejusdem Judicis voluntas, quod ea tollatur post rei resipiscentiam.

IX. Neque obstat, quod censura sit pœna medicinalis, quæ post curationem cessare debet. Nam cum simul sit medicina, & pœna, quatenus medicina cessare debet post curationem, quatenus pœna cessare debet per actum judicialem: Sicut enim inobediens fuit sensibiliter contumax Ecclesiæ, ita visibiliter subjicere se debet Ecclesiæ, ut ab ea absolvatur;

vatur; cum acquisiverit Ecclesia adversus contumacem jus, quod per solam resipiscentiam non extinguitur; eo pacto, quo per furtum acquiritur a Judice jus adversus furem, quod per meram restitutionem non abraditur.

X. Ad primam Confirmationem; diximus censuram sub ratione censuræ ferri non posse ad tempus determinatum. Quod si feratur ad tempus indeterminatum, videl. donec Reus restituat, aut resipiscat, tunc verba ista probabilius indicant, quod post restitutionem, aut resipiscentiam conferenda sit absolutio. Et data probabilitate ejus sententiæ, quod Suspensio lata sub hac conditione, *donec restituas*, non indigeat nova absolutione post hanc conditionem purificatam, non proinde sequitur, quod ea citra absolutionem tollatur. Nam, ut diximus, dum confertur sub ea conditione suspensio, simul confertur absolutio pro quando erit purificata conditio. Non repugnat enim ex opinione Navar., & aliorum apud Suar. absolutionem ferri sub conditione; & quamvis de facto absolutio ab excommunicatione, & interdicto nunquam sub conditione feratur, ut constat ex citatis juribus, non est tamen improbabile, quod sola absolutio a suspensione de facto feratur sub conditione, quando quis suspenditur e. g. donec restituat.

XI. Ad secundam Confirmationem: argumentum probat, quod etiam Catechumenus contritus, cum sit justus, & vivum Christi membrum, participet suffragia communia Ecclesiæ, quamvis nondum ingressus sit per Baptismum tamquam per januam in ovile Christi, seu in Ecclesiam militantem; quod tamen communiter non admittitur, ut videre est apud Suar. d. 48. de Pœnit. sect. 6. immo communius etiam cum Suar., Fill., Con., Bonac. contra Navar., & Sà apud Palaum de Indulg. qu. 8., nec admittunt, quod Catechumenus in gratia existens sit capax Indulgentiarum.

Quare sicut Christus, etiam inquantum homo, ut docet D. Thom. in 3. dist. 13. qu. 2. n. 2., est caput Angelorum simul, & hominum, juxta illud ad Coloss. 2. *In Christo habitat omnis plenitudo Divinitatis corporaliter, & estis in illo repleti, qui est Caput omnis Principatus, & Potestatis;* Angelis enim meruit vel gloriam essentialem, ut docent Suar., Valent., & alii; vel saltem accidentalem, ut vult Vasq., Gonetus disp. 14. de Incarn. art. 4.: & tamen non eodem modo uniuntur tamquam Christi membra homines viatores cum Angelis, sicut uniuntur homines inter se. Sic pariter Pontifex caput est tam Ecclesiasticorum, quam Sæcularium Fidelium; & tamen non eodem modo uniuntur tamquam membra hujus capitis Sæculares cum Ecclesiasticis, sicut Ecclesiastici inter se. Ita Christus est caput omnium Justorum tam baptizatorum, & a censura immunium, quam Catechumenorum, vel censura innodatorum post contritionem; & tamen membra ista viva Christi capitis non eodem modo inter se uniuntur: nec eodem modo communicant cum Ecclesia militante baptizati a censuris immunes, ac justi Catechumeni, aut censura innodati post contritionem; ac proinde possunt isti esse Christi viva membra, & simul privari communibus Ecclesiæ suffragiis, donec baptizentur, aut absolvantur a censuris. Adde Christum D. diversimode esse Christianorum omnium caput: etenim, ut habet D. Thom. 3. p. q. 6. art. 3. *Primo, & principaliter est caput eorum, qui actu sibi uniuntur per gloriam: secundo, eorum, qui actu uniuntur sibi per charitatem: tertio eorum, qui actu sibi uniuntur per fidem*, hæreticorum vero, qui solum sibi uniuntur per baptismum, dicitur duntaxat caput in potentia, (ut docet Gonet. loco c. contra Cajet.) quatenus possunt converti, ac redire in Ecclesiam, quæ definitur a Theologis ex Nicolao Pontifice *Collectio fidelium*, ut proinde Christus non influat specialiter in hæreticos tamquam in sua membra ob defectum fidei, quæ est initium vitæ spiritualis, & fundamentum Ecclesiæ militantis, juxta illud Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, idest supra fidem Petri: Propterea non eodem modo Christus influit in hæc omnia sua membra; aliter enim influit in Ecclesiam triumphantem, aliter in justos Ecclesiæ militantis, qui sunt membra ejus viva, aliter in fideles peccatores, qui sunt membra actualia, sed mortua; siquidem in hæc solum influit, ut vivificentur a gratia, & desinant esse membra diaboli, sicut in hæreticos, ac gentiles, qui sunt membra in potentia, influit ad hoc, ut fiant membra; non secus ac calor naturalis influit in cibum; non quia est membrum, sed ut convertatur in substantiam aliti. Quare similiter diversimode Ecclesia in sua membra, seu in Christifideles influit; in justos quidem a censuris immunes, reddendos illos omnium suffragiorum participes; in justos vero censura innodatos, solum concionibus, ac privatis orationibus adjuvando, ut ad subjectionem debitam visibiliter veniant; & in peccatores, adjuvando eos orationibus etiam publicis: hæreticos tamen adjuvat, ut ad ovile fidelium redeant. Quamvis non possit Ecclesia jurisdictionem exercere in eos, qui extra Ecclesiam sunt, juxta illud Apostoli 1. ad Corinth. 5. *Quid mihi de iis, qui foris sunt?* potest tamen eos, qui characterem baptismi retinent, punire, quatenus contra ipsam ut illius subditi deliquerunt fidem deserendo, & quia ob characterem habent speciale debitum pertinendi ad collectionem fidelium. Ex quibus perspicuum fit, posse contritum censura innodatum esse Christi, & Ecclesiæ membrum vivum, & tamen communione fidelium privari, donec absolvatur.

XII. Dubitatur apud Suar. disp. 9. de Cens. sect. 3. An liceat communia suffragia offerre pro excommunicatis jam contritis nondum absolutis? Affirmat Navar, & alii multi apud Dian. p. 5. tr. 9. res. 75. cum Avila, Henr., Say., quia non videtur Ecclesia benignissima Parens velle suffragia publica subtrahere iis, qui jam Deo reconciliati sunt: quare licet censura perseveret quoad alios effectus, donec obtineatur absolutio, non tamen quoad istum. Verius tamen dicendum cum eodem Suar., Laym., Soto, Con. censuram etiam quoad istum effectum perseverare, cum non constet oppositum ex ullo Canone; atque adeo non licere pro iis directe communia Ecclesiæ suffragia exhibere: sicut neque licet pro iisdem Sacrificium offerre, ut docent communius cum Vasq. contra Fabrum apud eumdem Dian. res. 76; quamvis verum sit, quod, si pro iis offeratur, valide offeratur, ut docet Suar. l. c. sect. 4.: Ad eum modum quo si excommunicatus ministraret alteri Sacramentum Eucharistiæ, valide, sed illicite ministraret; quandoquidem Ecclesia solum videtur prohibere posse, ne pro excommunicatis Sacrificium offeratur, quin possit efficere, quod Sacrificium a Sacerdote Ministro Christi oblatum frustretur effectu suo juxta Christi institutionem, (ut dicimus etiam de Sacramentis) solumque efficere potest, quod Sacrificium a Sa-

a Sacerdote ut Ministro Ecclesiæ pro excommunicatis oblatum nullatenus illis prosit, vid. quoad orationes, & preces nomine Ecclesiæ in Missa præstitas. Illud probabile est ex Suar., Præp., Dian. l. c. quod si excommunicatio sit occulta, liceat pro hujusmodi excommunicato, si mortuus sit in gratia, Ecclesiæ communia Suffragia, Indulgentias, & Sacrificia applicare; cum non videatur Ecclesia velle illum iis privare, quandoquidem citra infamiam raro poterit obtineri post mortem absolutio, quando excommunicatio est occulta. Immo probabile est ex Hurtad., Con., Nav., contra Suar., Vasq., Avilam apud Dian. ref. 74. quod si excommunicatus sit toleratus, possint universim Sacrificia, & publicæ orationes pro eo offerri, quamvis non possit ille ea petere.

PROPOSITIO XLV.

Libri prohibiti, donec expurgentur, possunt retineri, usquedum adhibita diligentia corrigantur.

SYNOPSIS.

I. *Videntur retineri posse, donec expurgentur, cum cesset finis prohibitionis.* II. *Verum nisi parvitas temporis excuset, citra mortale retineri non possunt ex Reg. Indicis decima. Aliter multa incommoda traherentur. Finis legis non cessat adæquate, quippe qui non tendit solum ad avertendum periculum perversionis, sed etiam in pœnam Auctoris, & ut partes conformentur toti.* III. *Major est Auctoris pœna, si comburantur, quam si solum libris nigrum theta præfigatur. Duplici tamen titulo comburendi, & in pœnam, & in medicinam, ne scilicet in aliorum manus dilabantur, qui eam luem imbibant.* IV. *Negatur communius, quod, cessante fine legis in particulari, cesset legis obligatio.* V. *Nunquam tamen cessat finis hujus legis adæquate, cum nunquam cesset finis ille universalis, qui est, ut partes conformentur toti.* VI. *Hinc ne Lanii quidem, & Aromatarii possunt libros prohibitos retinere.* VII. *Aliter possent hujusmodi libri etiam ab Auctore retineri, ac legi.* VIII. *Quando finis legis cessat contrarie, ita scilicet ut ejus observantia adversetur bono communi, tunc datur locus Epicheiæ; quando vero cessat solum negative, non cessat obligatio legis, si ea non fundetur in præsumptione facti, sed in præsumptione periculi, ut in casu nostro.* IX. *Non prohibetur lectio libri mere materialis.* X. *Num sub nomine libri veniat Codex manuscriptus?* XI. *Num possint Generales Religionum concedere subditis suis facultatem legendi libros vetitos ad oppugnandum?* XII. *Num sit solum culpa venialis legere libros, qui nullum continent errorem, & non prohibentur ex fine gravi.*

I. Exponitur. Libri hæreticorum hæresim continentes, vel de Religione tractantes in Bulla Cœnæ prohibentur absolute sub excommunicatione reservata. Contra vero alii libri passim prohiberi solent sub hac clausula, *Donec corrigantur*: cum hoc tamen discrimine, quod libri hæresiarcharum, qui de Religione non tractant, nec continent hæresim, nec non libri Catholicorum, qui ob suspicionem hæresis, vel falsi dogmatis damnantur, solum prohibentur sub excommunicatione lata non reservata, ut habetur in Regula Indicis decima; libri vero alio titulo interdicti, puta ob obscœnitates, ad vitandas offensiones, & scandala, &c., quibus non est annexa excommunicatio, solum sub mortali prohibentur, ut in eadem Regula habetur. De his itaque libris, qui prohibentur, *Donec expurgentur*, Marcantius apud Dian. p. 11. tr. 7. ref. 62. docuit retineri posse, donec opportune eorum correctio, aut expunctio sit indulta; quod ipse etiam Diana approbat, si diligentia moraliter adhibeatur pro licentia obtinenda: idemque docet Verde. Et ratio videtur esse illa eadem, ob quam Felin. Albert. Decianus, Mascardus apud Pal. tr. 4. d. 2. §. 2. n. 8. docuerunt, posse libros prohibitos legi, si nullum sit periculum subversionis, nec scandalum, aut aliud malum subsequatur; quia scil. cessante fine legis in particulari juxta probabilem opinionem, cessat obligatio legis; finis autem legis prohibentis retentionem, & lectionem librorum prohibitorum videtur esse periculum subversionis in legente, ut fatetur Sanch. l. 2. c. 10. n. 62., & insinuat Pal. n. 9. apud Tamb. l. 2. in Dec. c. 1. §. 7. n. 40.; ergo si cesset hujusmodi finis per retentionem librorum donec expurgentur, possunt retineri; atque adeo cessat interim onus tradendi eos Inquisitori; Propria enim auctoritate comburi, aut corrigi non possunt ex constitutione Gregor. XV. anno 1623. apud eundem Dianam, & ex Constit. Julii III. apud Rodr. in Comp. QQ. Reg. resol. 92.: Quamvis Fill. t. 2. tract. 22. cap. 7. num. 207. excuset comburentem, aut dantem alteri, qui habet facultatem legendi illos.

II. Ostenditur tamen falsitas, quia absolute prohibetur a Pontifice sub mortali, ut constat ex Reg. Indicis laudata, ne quis apud se habeat libros quovis titulo interdictos: ergo nisi excuset a mortali parvitas temporis, (v. g. si post unum, aut alterum diem Inquisitoribus deferantur) retineri nullatenus possunt prætextu expurgationis faciendæ. Et sane si hæc doctrina subsisteret, quod cessante periculo subversionis propriæ, aut alienæ possent libri retineri, sequeretur, quod illi, qui legere nesciunt, aut non intelligunt ea, quæ legunt, possent omnes libros prohibitos retinere, caute illos custodiendo: sequeretur etiam, neminem teneri ad ullum librum vetitum Inquisitoribus deferendum, dummodo proponat illum non legere, & vitet ne ab aliis legatur, atque adeo posset illum retinere, donec licentiam legendi etiam post multos annos obtinuerit; quod certe nemo dixerit.

Et ratio est, tum quia propositum non legendi ex vertibilitate voluntatis mutari facile potest; tum etiam quia periculum, ne ab aliis legantur decursu temporis diuturnii, non facile potest evitari; tum demum quia finis adæquatus prohibendi retentionem horum librorum non est sola securitas retinentis, aut periculum, ne in manus aliorum deveniant, qui ea lue infici possint, sed est etiam pœna Auctoris, quæ simul absterreat, & simul coerceat alios a similibus libris edendis; cum videant eos omnino flammis addicendos. Est etiam finis prohibitionis, ut partes conformentur toti, &, ut notat Suar. de Fide d. 10. sect. 2. n. 21., ne tales libri conserventur, sed destruantur: hujusmodi autem fines legis hujus prohibitivæ librorum nunquam cessant; atque adeo etiam transmisso, quod cessante fine adæquato legis in particulari cesset in illo legis obligatio, (quod communius negatur, ut mox dicemus) non proinde fit, posse libros prohibitos retineri, donec corrigantur, & a fortiori nec legi.

III. Di-

III. Dices cum Caramuele, majorem esse pœnam, & ignominiam Auctoris libri, atque adeo magis coerceri alios a similibus libris edendis, si liber legatur cum nigro theta præfixo, quam si comburatur; sicut major est ignominia, ac pœna furis, si tota urbe circumducatur, præcone ejus furtum inclamante, quam si exulet; atque adeo si cesset uterque finis prohibitionis, nempe periculum subversionis in legente, & pœna, ac ignominia Auctoris, videntur posse hujusmodi libri impune legi, ac retineri, donec corrigantur.

Sed hæc ratio probat, quod nunquam deberent comburi, aut corrigi, ut semper vigeat condemnatio. Quis autem non videat, majorem esse Auctoris pœnam, ac ignominiam, si ejus liber condemnetur simul, & comburatur, quam si solum condemnetur? Sed transmisso quod major esset ignominia, si solum sententia condemnatoria libro præfigatur, adhuc tamen hujusmodi libri sunt comburendi, ne in manus aliorum dilabantur, eorumque contagium serpat; prout consuevit Ecclesia facere jam inde a tempore Apostolorum; dicitur enim in Act. Apost. c. 19. *Multi ex eis, qui fuerant curiosa sectati, contulerunt libros, & combusserunt eos coram omnibus*. Et ratio ex Lugo d.21. de Fide n. 25. est, quia necesse est vitare sermones, & colloquia hæreticorum, ut ex Apostolorum doctrina aperte constat; unde D. Paulus ad Tit. 3. ait: *Hæreticum hominem post unam, aut alteram correctionem devita*; a fortiori eorum scripta fugienda sunt, quæ efficaciora sunt ad lectores pervertendos; siquidem *Segnius irritant animos demissa per aures, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus*; eademque est ratio de aliis libris alia lue infectis. Unde etiam Gentiles libros bonis moribus, vel suæ falsæ Religioni contrarios prohibebant, & comburebant, ut constat ex Valerio Maximo l. 1. c. 1., & ex M. Tull. l. 1. de Nat. Deorum. Itaque duplici titulo libri prohibiti retineri non possunt, sed comburendi ab Inquisitoribus; Primo per modum medicinæ, ut consulatur bono fidelium, avertendo ab iis venenum, quo possent infici; Secundo per modum pœnæ, ut Auctor plectatur qui in doctrinæ abusu peccavit. Quamvis autem sufficienter plecteretur Auctor sola condemnatione, non tamen sufficienter consulitur bono fidelium, nisi libri hujusmodi exterminentur; atque adeo retineri nedum legi non possunt, esto cesset hic & nunc in aliquo particulari periculum subversionis.

IV. Hic tamen maxime advertendum, doctrinam istam de cessatione obligationis legis in aliquo particulari, quando finis legis in eo cessat, esse valde implexam, & dubiam. Admittunt hanc opinionem Gran., Sà, Nav., Cajetan., Henr., Ledes., & alii apud Dia. p. 1. tr. 10., ref. 28., & Pal. disp. 1. n. 1., quia sicuti si cessat finis legis, quæ est anima legis, pro tota communitate, cessat lex totam communitatem obligare; ita si cessat in aliquo particulari: Non secus ac lex correctionis fraternæ, quæ cessat obligare, si hic & nunc cesset ejus finis, nec speretur emendatio. Communiter tamen, & probabilius id negatur a Suar., Vasq., Sanch., Conin., Mol., Bon., Soto, Salon., Med., & aliis apud eundem Dianam; quia scil. lex non respicit casus particulares, sed eos qui communiter solent contingere, ex l. *Ea quæ raro* ff. de Reg. juris: v. g. delatio armorum non prohibetur ad has, vel illas rixas vitandas, sed ad vitandas rixas, quæ passim solent evenire; unde quamvis hic & nunc non subsit periculum rixæ, si senex v. g. deferat arma; quia tamen adhuc possunt rixæ communiter contingere, adhuc lex obligat senem ad arma non gestanda; & solum excipitur aliquis casus, qui ab ipso legislatore censetur excipiendus ratione Epichejæ, (quæ ex Aristotele 1. Eth. 10. est quædam emendatio, & benigna interpretatio legis) puta si quis deferat hic & nunc arma ad defensionem innocentium, qui injuste a latronibus vexantur.

V. Confirmatur: quia ex opposita sententia plurima sequerentur absurda: possent enim Matrimonia v. g. sine præviis denunciationibus contrahi, si constaret nullum subesse impedimentum: Posset etiam vir probus ingredi Monasteria Monialium ad eas in spiritu juvandas, si constaret nullum adesse periculum, aut scandalum: Licita pariter esset fornicatio, quando nullum esset periculum de mala prolis educatione, & alia hujusmodi incommoda inferrentur. Ratio autem a priori, cur non cesset lex, si cesset ejus finis primarius in casu particulari, est, quia finis legis etiam est, ut partes conformentur toti; prout expedit bono publico; propterea si jejunium v. g. præcipiatur ob finem mortificationis, adhuc a viro aliis mortificationibus vacante jejunandum est, ut communitati se conformet. Præterquamquod innumera sequerentur inconvenientia, ac scandala, si quilibet posset in causa propria esse Judex, judicando quod sibi hic & nunc finis legis cesset; passim enim homines ab omnium legum obligatione se eximerent; & idcirco debet lex obligare, etiamsi videatur hic & nunc ejus finis primarius cessare; cum nunquam cesset hic alius finis universalis, quod partes se conforment toti, & quod nemo exponat se periculo transgrediendi legem, dum in propria causa judicat hic & nunc finem legis cessare: Omnes autem istæ rationes non militant, si finis legis cesset obligare. Lex vero correctionis fraternæ ideo non obligat, quando hic & nunc non speratur emendatio; quia, ut notat Covarr., lex ista directe ordinatur in bonum personæ particularis corrigendæ, & si cesset ejus finis in particulari, cessat ejus obligatio: At aliæ leges ordinantur directe in bonum commune, & indirecte in bonum singulorum; & ideo nisi cesset finis legis pro tota communitate, non cessant obligare. Quis enim dixerit, quod lex v. g. de non mentiendo cesset obligare hic & nunc, puta dum mendacium confert ad salvandum innocentem; eo quod finis legis videatur hic & nunc cessare? Quis dixerit legem fornicationis prohibitivam cessare, si cesset hic & nunc ejus finis, nempe periculum de mala prolis educatione?

VI. Hinc communius docent apud Pal. l. c. & Tamb. l. 2. in Dec. c. 1. §. 7. neminem posse licite libros prohibitos legere, aut retinere, quamvis videatur cessare finis primarius talis prohibitionis; tum quia non cessat ille finis universalis, quod partes conformentur toti; tum etiam quia nemo debet de se judicare, quod longe sit a periculo subversionis; legendo enim hujusmodi libros incedimus per ignes suppositos cineri doloso; tum demum quia non facile vitatur periculum, ne hujusmodi libri, si diu detinentur, transeant in aliorum manus, qui ab iis inficiantur. Et hac de causa Sanch. n. 53. cum Ugol., & aliis docet peccare etiam lanios, & aromatarios retinentes hujusmodi libros ad obvolvendas carnes, thus, & odores, & quicquid chartis amicitur inunctis. Immo Turrian. apud Dian. p. 11. tr. 8. res. 62. docet, asserentem libros prohibitos retineri posse, si non contineant doctrinam contrariam fidei, aut Sacræ

cræ

cræ doctrinæ, denunciandum esse S. Officio tanquam assertorem propositionis scandalosæ, & temerariæ.

VII. Confirmatur etiam: quia aliter Auctor libri prohibiti posset licite suum librum legere, & caute retinere, si finis prohibitionis solum esset securitas legentium, & ne in aliorum manus libri dilabantur; cum Auctor nullum novum venenum haurire possit ex eo libro, cujus doctrinam, & errores in mente habet; communiter autem DD. docent hunc peccare cum Trull., Fag., Sanch., Ugol. apud Dian. p. 15. tr. 1. res. 1.

VIII. Confirmatur demum; quia ex Oviedo, Marchantio, Carena, Lugo, & aliis apud eundem Dianam, lectio librorum istorum ne ipsis quidem viris doctis, qui sine periculo eos legere possent, licita est ad errores confutandos, nisi accedat facultas a Sac. Congregatione: idque quia quamvis in hoc casu cesset in iis periculum perversionis; at non cessat pro tota communitate periculum perversionis, quod solet ut plurimum intervenire, & est, ut diximus, unus ex finibus talis prohibitionis; ergo a fortiori non licet libros retinere, aut legere absque animo confutandi eorum errores.

Verum quidem est, quod si cesset aliquando finis legis contrariæ, ita scil. ut observantia legis hic & nunc cedat potius in damnum, quam in bonum commune, tunc lex non obliget, ut advertit Lugo dis. 21. de Fide n. 63. v. g. obligatio restituendi res alienas non obligat ad restituendum gladium Domino furioso, quia hæc restitutio adversatur bono communi. Rursus quando finis legis cessat per hoc, quod ejus observantia hic & nunc, licet non inferat damnum bono communi, impedit tamen bonum commune, tunc datur locus Epichejæ; ut si quis indigeat lectione librorum prohibitorum, ad confutandum errorem aliquem, nec possit facile facultas obtineri, aut expectari. At quando finis legis cessat mere negative in aliquo particulari, si finis non est solum ad avertendum directe aliquod damnum, sed etiam ad avertendum periculum, quod communiter contingit, (ut est lex prohibens librorum lectionem, ac retentionem) tunc lex non cessat obligare, quamvis in aliquo particulari periculum cesset: eo quod non cesset finis legis fundatæ in præsumptione periculi, ut docet Suar. l. 3. de Leg. c. 24., & Arr. l. 3. disp. 16. sect. 4. Hinc communius docent, quod lex fundata in præsumptione cessante facto non obligat; ut lex, quæ obligat ad resarciendum damnum, fundata in præsumptione damni illati; at lex fundata in præsumptione periculi, etiam cessante hic & nunc periculo obligat, quia non cessat finis prohibitionis, qui est avertere pericula, & damna, quæ solent contingere, ut ex rationibus adductis fit perspicuum. Propterea omnes docent, quod lex irritans matrimonia clandestina, aut professionem religiosam ante annum Novitiatus, vel ante decimum sextum annum ætatis, obliget etiam, quando cessat hic & nunc periculum alicujus damni, eo quod illa fundetur in præsumptione periculi, & intendat avertere pericula, quæ passim solent evenire.

Ex quibus omnibus colliges primo, principium illud, in quo nititur hæc propositio proscripta, quod scilicet cessante fine legis in particulari, cesset lex, valde claudicare, & communius negari. Colliges secundo, etiam data probabilitate hujus asserti, falsum esse in casu nostro, quod cesset finis adæquatus legis; cum finis adæquatus, cur libri prohibeantur, non sit sola securitas legentis, sed etiam conformitas partium cum toto; ac avertere periculum, quod haberetur, si quilibet in propria causa esset judex, & periculum ne in aliorum manus illi deveniant, necnon pœna Auctoris, quæ etiam alios coerceat ab hujusmodi libris edendis, dum sciunt flammis esse donandos.

Concludo ostendendo a posteriori ratiocinationem Adversariorum esse fallacem. Nemo unus asseruit, aut asserere potuit, posse libros prohibitos aut retineri, donec corrigantur, aut legi cum proprio, aut alieno periculo; sed solum a nonnullis asserebatur, quod retineri possent cessante periculo, aut scandalo; atqui propositio ista de facto damnatur, & in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipitur, ne ad praxim deducatur; ergo etiam cessante periculo propriæ, aut alienæ perversionis retineri, aut legi non possunt; (nisi forte aliquando ex epicheja) atque adeo vel falsa est illa doctrina, quod cessante fine legis in particulari, cesset in eo casu legis obligatio; vel falsum est, quod in casu nostro cesset finis legis adæquatus.

IX. Oppones: qui legit librum, cujus sensum non percipit, retinendo illum per modicum tempus, puta per horam, non peccat mortaliter ex Sanch., & aliis communius contra Megalam apud Dian. p. 1. tr. 11. res. 36., præcise quia cessat in eo periculum perversionis: ergo universim qui legit hujusmodi libros, aut caute retinet, quousque corrigantur, citra periculum perversionis propriæ, aut alienæ, non peccabit mortaliter.

Respondeo negando consequentiam. Disparitas est, quia lectio, quæ prohibetur, est lectio formalis, non materialis, eo quod in ea soleat passim intervenire periculum perversionis ipsius legentis: cum autem hujusmodi periculum perversionis sive propriæ, sive alienæ passim interveniat, etiam quando libri retinentur, quamvis retineantur caute; idcirco non licet eos ullatenus nec legere formaliter, nec retinere, donec corrigantur, esto possent citra gravem culpam legi materialiter. Unde putat Tamb. l. c. ex Palao, Filliuc., contra Suar., Laym., Regin. apud Dian. l. c. res. 33., quod si quis citra ullum periculum, aut scandalum dicat famulo, aut alteri ignoranti v. g. linguam latinam, quod legat librum prohibitum latino idiomate conscriptum, & ipse audiat, neuter graviter peccet; non enim peccat famulus, quia non legit formaliter; nec peccat ipse, ut docet Sanch., Filliuc., Pal. contra Azor., Laym., Regin. apud Lugo d. 21. de Fide n. 74., quia solum prohibetur lectio horum librorum, non vero ne audiantur legentes; pœnæ autem, ac prohibitiones non sunt extendendæ; unde non peccat, nisi forte ratione retentionis talis libri, quæ ob temporis brevitatem posset a mortali excusare.

X. Utrum autem peccet, qui librum prohibitum non typis impressum, sed manuscriptum lectitat? Affirmant communius cum Suar., & Sanch.; tum quia aliter facile eluderetur lex de libris hæreticorum non legendis, si illi transcriberentur; tum etiam quia liber manuscriptus in communi acceptione est vere liber, & de materiali se habet, quod sit impressus, aut manu exaratus. Negat tamen id Tamb. l. c. n. 14. putans legem hanc odiosam esse restringendam; præsertim quia quando Pontifex vult etiam scripta prohibere, id solet exprimere, ut in Concil. Lateran. sess. 50. ubi dicitur: *Nullus librum aliquem, seu aliquam quamcumque scripturam imprimere præsumat, nisi prius per Vicarium approbetur*

tur, & in Trident. sess. 4. ubi dicitur: *Nulli liceat imprimere quosvis libros de rebus Sacris &c. Qui autem scripto eos communicant, nisi approbati fuerint, eisdem pœnis subjaceant*. Sanch. l. 2. c. 10. n. 29. putat peccare, & excommunicationem incurrere retinentem, aut legentem, vel imprimentem librum hæretici nondum typis excusum, aut transcriptum, cum hic in morali æstimatione revera sit liber; censet tamen non peccare eum, qui legit, aut imprimit Epistolam, Concionem, aut aliam papyrum heretici solutam, nec in tractatus formam redactam; tum quia non habet rationem libri; tum etiam quia non militat eadem ratio, quæ in libris, qui multo amplius extenduntur, & diutius permanent. Hæc autem ratiocinatio æque militat pro libris manuscriptis, (dummodo non sint in fraudem transcripti ex impressis) ac pro Epistolis, vel Concionibus impressis; idcirco me judice non est improbabilis opinio Tamburini, quod manuscripta non veniant nomine librorum: licet enim æque possit aliquis infici legendo librum manuscriptum, ac legendo impressum, non propterea prohibitio cadit contra utrumque: Sicut licet æque possit aliquis infici legendo librum, ac audiendo alium, qui cum facultate eum legeret, non propterea prohibitio cadens supra legentem cadit etiam supra audientem: non enim lex odiosa debet comprehendere casus aliquos raros, qui accidere possunt, si verbis legis non continentur, quamvis militaret pro illis finis legis. Hinc in Reg. 10. Indicis fit mentio specialis de scriptis, dicendo: *Si quis libros Hæreticorum, vel cujusvis Auctoris scripta ob hæresis, vel falsi dogmatis suspicionem damnata, atque prohibita legerit, sive habuerit, statim in excommunicationis sententiam incurrat*.

XI. Inquirit Dian. p. 4. tract. 13. res. 49. Utrum Generales Regularium non obstante Bulla Gregorii XV., & Urbani VIII. concedere possint facultatem legendi libros prohibitos subditis suis ad oppugnandum, juxta facultatem concessam a Gregorio XIII. Generali Societatis Jesu in Bulla *Exponi nobis*, anno 1575., dummodo id fiat cum delectu, & re cum Assistentibus consultata? Affirmat Peyr. in Privil. Minim. t. 2. Constit. 9. Pauli V. n. 10. apud eundem Dian., quia Bullæ illæ revocant quidem facultates antecedenter concessas legendi hujusmodi libros, sed non faciunt mentionem revocandi privilegium ullum. Præterquamquod quamvis in iis Bullis revocarentur privilegia, non revocantur tamen in ea forma, qua unice revocari possunt privilegia Societatis ex Bulla Gregorii XIII. *Æquum reputamus*, vid. ita ut revocatio per trinas distinctas literas tribus distinctis vicibus intimata, & insinuata fuerit Societati; prout hanc Bullam intelligunt, & explicant Antonius de Amatis, Cherub, Dian. p. 1. tr. 2. res. 68. ut habet Amicus disp. 9. de Just. tr. 10. n. 148. Hanc Peyrini sententiam Lezana in Com. QQ. Regular. c. 19. n. 69. putat speculative probabilem; securiorem tamen esse sententiam oppositam, & in praxi consulendam. Equidem censeo in praxi sententiam istam non esse sequendam, quia Urbanus VIII. in Bulla illa, *Apostolatus officium* 1631. addit: *De cætero similis licentia, nisi a Congregatione S. Officii, dum singulis hebdomadis coram Nobis habetur, vel ab aliis per Nos etiam in eadem Congregatione specialiter deputandis concedatur*; quibus verbis videtur Privilegium illud Generali Societatis concessum revocasse; (quicquid in contrarium dicat Pelliz. tract. 6. c. 5. n. 37.) præsertim quia, ut notat Dian. p. 7. tract. 10. res. 29. stylus Curiæ fert, ut Privilegia Societatis revocentur absque illa forma a Greg. XIII. requisita, & ex multis Bullis Pontificiis constat derogari Privilegiis Societatis, aut per hoc, quod de Societate fiat expressa mentio, aut per hoc, quod in Bullis apponatur in fine clausula illa, *Ac si eis personaliter fuissent intimata*: Et quamvis neutrum ex his habeatur in Bulla Urb. VIII. (ut proinde Peyrinus dicat iis verbis nullatenus revocari privilegia olim concessa) cum tamen Pontifex expresse sibi uni reservet potestatem concedendi hujusmodi licentias, sufficienter videtur hanc potestatem a Generali Societatis abstulisse, quod praxis Societatis confirmat; cum a S. Congregatione duntaxat ea facultas a Nostris petatur.

XII. Denique difficultas esse posset, An quando liber prohibitus nullum continet errorem, nec ex fine gravi prohibetur, tunc sit solum veniale ratione levitatis materiæ illum legere, aut retinere? Affirmat Tamb. l. 2. c. 1. §. 7. n. 59. si prohibitioni nulla sit annexa excommunicatio; Cajetanus vero, & Serra addunt id verum esse, etiamsi prohibitioni annectatur excommunicatio ferenda; quia juxta multorum sententiam apud Sanch. l. 6. c. 4. n. 49., & Dian. p. 3. tr. 6. res. 76. cum Palao, & Nav., & aliis pœna ista non est signum obligationis gravis. Moya tamen tr. 5. qu. 10. putat nullatenus posse citra mortale quemcunque librum prohibitum legi, aut retineri, quia Alexander VII. in eo decreto vetuit in virtute S. Obedientiæ, ne ulla ex iis Propositionibus in praxim deducatur; unde videtur graviter prohiberi retentio librorum prohibitorum. Hæc tamen ratiocinatio non est efficax; Nam ex hoc præcepto in virtute S. Obedientiæ solum infertur, quod peccet mortaliter, qui retinet libros prohibitos, asserendo id licere; non vero qui retinet illos, dicendo in ea retentione saltem venialem culpam contineri; Sicut peccat mortaliter, qui comedit, & bibit ad satietatem ob solam voluptatem, asserendo id licere; non vero qui comedit ad satietatem, asserendo in ea comestione venialem culpam contineri. Quare sententia ista Tamburini, Cajetani, & Serræ efficacius videtur impugnari, tum ex eo, quod in Reg. 10. Indicis dicuntur prohiberi sub mortali libri, qui non ob hæresim, vel falsi dogmatis suspicionem, sed alio titulo interdicuntur; tum etiam quia non solent prohiberi a Sacra Congregatione libri, si non contineant materiam, quæ aut ratione sui, aut saltem ratione finis sit gravis; atque adeo universim retentio librorum prohibitorum non vacat culpa lethali.

INDICULUS
THESIUM CONFIXARUM
AB ALEXANDRO VII.

1 DE actibus Theologalibus iterandis.
2 De provocato ad duellum.
3 Ee caſibus Bullæ Cœnæ.
4 De Prælatis Regularibus.
5 De Hæretico denuntiando.
6 De ſollicitante per chartam.
7 De modo declinandi Denunciationem.
8 De fructu Miſſæ ſpecialiſſimo.
9 De pingui ſtipendio Miſſæ.
10 De multiplici Miſſæ ſtipendio.
11 De Peccatis oblitis.
12 De caſibus Epiſcopo reſervatis.
13 De regulari injuſte reprobato.
14 De Confeſſione invalida.
15 De Pœnitentia per alium impleta.
16 De Confeſſario Curati.
17, & 18. De occiſione Calumniatoris, &c.
19 De occiſione Adulteræ.
20 De reſtitutione fructuum Beneficii.
21 De Horis per alium recitatis.
22 De pecunia pro Beneficiis collata.
23 De fractione jejunii citra contemptum.
24 De peccatis luxuriæ ſpecie diverſis.
25 De copula cum ſoluta.
26 De Judice vendente arbitria.
27 De Probabilitate ex uno Auctore.
28 De Populo legem non acceptante.
29 De modicis comeſtiunculis.
30, & 31. De jejunio quoad Opifices, & Itinerantes.
32 De ovis in Quadrageſima.
33 De reſtitutione ob omiſſionem Horarum.
34 De Officio Paſchæ die Palmarum.
35 De unico Officio pro duplici die.
36, & 37. De Regularium Privilegiis, ac Indulgentiis.
38 De Obligatione confitendi quamprimum.
39 De particula illa *Quamprimum*.
40 De Oſculis ob delectationem carnalem.
41 De Concubina ejicienda.
42 De lucro ob dilationem mutui.
43 De annuo legato pro anima.
44 De Cenſurarum ceſſatione.
45 De Libris vetitis.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in Prima Parte hujus Operis continentur.

Prior numerus designat Propositionem ab Alexandro VII. confixam; Secundus Numerum ejusdem, Tertius paginas hujus Voluminis.

A

Absolvi non potest Consuetudinarius, & qui in proxima peccandi occasione involuntaria versatur, si nulla affulgeat emendatio, aut spes emendationis. Propos. 41. Alexand. VII. num. 17. pag. 130
Absolutio a reservatis quandonam debeat conferri cum onere, si conferatur ab Inferiore per hoc, quod pœnitens laboret impedimento adeundi Superiorem? pr. 3. 7. 26
Absolutio quandonam conferri potest ei, qui proponit proximam occasionem peccandi tollere, sed nondum sustulit? 41. 16. 130
Actiones, quæ ex natura sua proxime inducunt in delectationem carnalem, quid requiratur, ut possint cohonestari? 40. 16. 125
Actus interni num possint ab Ecclesia præcipi? 14. 5. 53
Actus Theologales Fidei, Spei, & Caritatis quoties in vitæ decursu sint iterandi? 1. 7. 14. 15
Adultera in adulterio deprehensa nequit a Marito interfici. 10. 4. 43
Amor Dei virtualis non sufficit ad satisfaciendum præcepto Charitatis. 1. 5. 5
Apodixæ, & credita immatura num possint minoris emi, quam valeant? 42. 18. 134
Approbatio ad audiendas Confessiones in quonam differat a Jurisdictione? 13. 3. 53
Approbatio injuste negata num habeatur pro concessa? 13. 4. & seq. ibid.
Approbatio num possit ab Episcopo denegari Regulari idoneo præcise ob superfluitatem Confessariorum? 13. 2. 52
Approbatio Episcopi num requiratur in Prælatis Regularibus ad audiendas Confessiones sæcularium? 13. 17. 55
Approbatus sine rationabili causa limitate relate ad tempus, ad personas, ad peccata, non potest illimitate Confessiones audire. 13. 16. 54
Arbitria vendi non possunt a conferente Beneficia, a Judice, & similibus. 22. 4. 79
Attentio in recitandis Horis Canonicis quænam requiratur? 14. 9. 57

B

Beneficiati omittentes recitationem Horarum ad restitutionem tenentur ante sententiam Judicis. 20. 3. pag. 74. Num teneantur, si primis sex mensibus recitatio omittatur? ibi. n. 6. Num possit hæc restitutio suppleri per eleemosynas antea factas? pr. ead. num. 9. pag. 75. Quid si Beneficium sit tenue, aut solum parva aliqua hora omittatur? num. 7. & prop. 21. 13. 78
Beneficium tenue quodnam sit? 20. 8. 75
Beneficium Curatum habentes nequeunt eligere simplicem Sacerdotem in Confessarium. 16. 6. 62
Beneficiorum collator simoniace, & injuste pecuniam accipit veluti pro emolumento temporali, quod huic conferre non tenetur. 22. 4. 74
Bullæ Cœnæ Casus occulti num possint ab Episcopis absolvi? 3. 3. 25
Bullæ Cœnæ Casus quandonam possint a quolibet Confessario absolvi? 3. 9. 27

C

Calumniator num possit aliquando interfici cum moderamine debito? 17. 3. 68
Capellania collativa in quonam differat a non collativa? 21. 1. 76
Capellaniam habens collativam, aut aliud Beneficium, non satisfacit obligationi recitandi horas, si per alium recitet, etiamsi studio literarum vacet. 21. 7. 77
Capellanus obligatus ad recitandum quotidie num possit semel in hebdomada pro alio celebrare, & ab eo stipendium accipere? 10. 6. 44
Capellanus non secus ac Beneficiarius, per alium celebrans potest illi dare congruam dumtaxat eleemosynam. 9. 9. 41
Capellanus legitime impeditus non tenetur per alium celebrare, si impedimentum non est diuturnum; & quodnam dicatur diuturnum? 21. 11. 79
Casus Bullæ Cœnæ occulti num possint aliquando

do ab Episcopis, aut ab alio inferiore absolvi? 3. 5. & 9. 19. & 21.

Casus Episcopo reservati sive in tabella, sive in Synodo, sive a jure, vel consuetudine num possint a Mendicantibus absolvi? prop. 12. 13. *pag.* 51. *Quid de Casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ, & extra sex illos casus Clementis VIII. ibid.*

Censura Theologica quid sit, & quotuplex? In Quæst. prodr. 1. *pag.* 1. *Quam censuram mereatur, qui theses a Pontifice confixas amplectitur ut veras? ibid. n.* 18.

Censuræ Ecclesiasticæ non cessant per cessationem contumaciæ, & correctionem Rei. 44. 4. 138 *Quid si ferantur, donec resipiscas? ibid. n.* 8. & 10.

Chocolatis potus num frangat jejunium? 29. 20. 100

Christus D. quonam pacto dicatur Christianorum caput? & quinam dicantur Christi membra? 44. 11. 110

Cœnula vespertina diebus esurialibus quos cibos admittat? 31. 12. 104

Communionem Paschalem prævenire num teneatur, qui toto Paschali tempote, ac deinceps erit impeditus? 39. 7. 122

Concilii Oecumenici Decretis sæpe derogatur, etiamsi de iis non fiat specialis mentio. 3. 4. 25

Concubina ejicienda, etiamsi nimis utilis videatur ad oblectamentum Concubinarii, quatenus sine illa nimis ægre hic vitam duceret. 41. 8. 128

Condemnatio Thesium valde differt ab earum prohibitione. In quæst. prodr. 2. *p.* 2

Confessio voluntarie nulla non sufficit, ut præcepto Ecclesiæ satisfiat. 14. 3. 56 *Quid de Confessione valida, sed informi?* 14. 10. 57

Confessiones factæ Regulari injuste reprobato non sufficiunt ad satisfaciendum præcepto Confessionis annuæ. 13. 9. 53 *Num etiam dicendæ sint invalidæ?* 13. *n.* 18. 55

In Confessione non solum explicandæ sunt circumstantiæ speciem mutantes, & peccatorum numerus, sed etiam peccati individuatio, quæ speciali modo malitiam peccati specificam participat; non secus ac actus externus, quamvis non sit novum numero peccatum, nec mutet peccati speciem. 25. 5. 88

In Confessione probabiliter non est explicandus effectus ex peccato subsecutus, puta mors ex propinatione veneni. 25. 10. 89 *Nec numerus objectorum, quæ ab eodem actu respiciuntur, puta quot homines eodem ictu sunt occisi? ibid. pag. ead. Conjugatus peccans cum Conjugata num debeat utriusque conjugium explicare, aut utriusque votum castitatis? n.* 13. *pag.* 92 *Num in Sodomia explicari debeat circumstantia Agentis, vel Patientis? pag. ead.*

Confessario quid agendum, quando non potest inducere pœnitentem ad denunciandum. 7. 7. 36

Confessarius debetne subire onera Pœnitentis, præsertim in denunciatione facienda? 7. 8. *ibid.*

Confessarii Societatis approbati ab Episcopo si mittantur ad fructificandum in alia Diœcesi, poteruntne in itinere Confessiones audire de Parochorum consensu? 16. 12. 63. 64

In Confessarium eligere simplicem Sacerdotem quinam possint? 16. 3. 62

Consuetudo quænam dicenda sit obligatoria? 23. 12. 83. & 32. 6. 105

Consuetudo abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima est evidenter obligatoria. 32. 5. 105. *Num etiam in aliis Vigiliis, & quatuor anni Temporibus? n.* 10. 107

Consuetudines particulares Sæcularium, aut Clericorum non tenentur servare Regulares. 32. 12. 107

Copula cum soluta in Confessione est explicanda, quin sufficiat dicere, Commisi cum soluta grave peccatum contra castitatem. 25. 5. 88

Correctio fraterna num debeat præmitti Denunciationi Canonicæ? 5. 6. 109

D

DEcreta S. Congregationis num habeant vim legis, an solum vim opinionis probabilis? 12. 6. & 11. 50. 51

Decretis Concilii Oecumenici quomodo possit derogari? 3. 4. 25

Defensio occisiva, etiamsi videatur esse cum moderamine inculpatæ tutelæ, in pluribus casibus est illicita, ac præsertim Ecclesiasticis. 18. 3. 69

Delectatio sensualis, seu venerea, in quonam differat a sensibili delectatione? 40. 4. 124

Delectatio venerea deliberate quæsita non admittit materiæ parvitatem. 40. 1. 123

Delicta Inquisitoribus Fidei denuncianda quænam sint? 5. 15. 32

Denunciatio fieri ne debet ab eo, qui delictum audivit dumtaxat, sed non vidit? Et quid si audiverit a personis levibus? 5. 14. *pag. ead.*

Denunciatio fieri ne debeat per Epistolam, an per internuncium, quando non potest fieri immediate? 7. 8. 36

Denunciationem præire num debeat correctio fraterna? 5. 6. 31

A denunciatione facienda quænam excusent? 5. 6. 27. & 7. 4. 35

Denunciandus est hæreticus, etiamsi probari non possit. 5. 2. 31

Denunciandus est Confessarius, qui per chartam solli-

sollicitat in Sacramentali Confessione. 6. 5. 29
Denunciationis obligatio non declinatur per hoc, quod sollicitans confiteatur cum sollicitante, qui hujusmodi onus non imponat. 7. 3. 35
Denunciare debet Confessarium sollicitantem fœmina, licet ipsa consenserit. 5. 13. 32
Dilectionis Dei actus quoties in vitæ decursu iterandus sit? 1. 7. 14
Duellum acceptari non potest a viro equestri ad effugiendam notam timiditatis. 2. 4. 22
Duellum acceptans quandonam excommunicationem reservatam incurrat? 2. 11. 24

E

Ecclesia num possit actus internos præcipere? 14. 5. 57
Ecclesiastici num possint bona externa magni valoris defendere defensione occisiva? 17. 6. 77
Ecclesiasticus tenetur potius aggressorem fugere, quam se defendere defensione occisiva. 18. 5. 69. *Num ad id ex charitate, an etiam ex justitia teneatur?* ibid.
Episcopi quandonam absolvant sine onere impeditos adire Pontificem, ut a reservatis Sedi Apostolicæ absolvantur? 3. 5. 25
Episcopi num possint absolvere ab occultis Bullæ Cœnæ? 3. 4. pag. ead.
Episcopus tunc solum potest sibi in Confessarium eligere simplicem Sacerdotem, quando est in propria Diœcesi, aut ille est subditus. 16. 7. 62
Eucharistia quandonam potest cum sola contritione sumi ab habente mortale? 38. 13. 120 & 39. 8. 122
Eucharistia non reviviscit, sublato obice. 14. 11. 58
Excommunicatio non incurritur a marito occidente Clericum in adulterio deprehensum, quamvis peccet, & ad restitutionem teneatur. 19. 11. 73
Pro excommunicatis contritis vita functis, sed nondum absolutis num liceat Sacrificium offerre, & alia Ecclesiæ suffragia? 44. 12. 140
Cum excommunicatis sæpius communicare in civilibus, num possit pertingere ad mortale? 29. 14. 99

F

Fidei articuli quinam credendi sunt explicite, 1. 9. 15
Fidei, & Spei actus formales num præmittendi sint Sacramento Pœnitentiæ? 1. 10. 16
Fidejussor num possit semper aliquid pro fide jussione accipere? 42. 15. 133
Fur non potest regulariter occidi pro conservatione unius auri. 18. 10. 70
Furtulum committens quandonam peccet mortaliter? 29. 18. 100
Furtula Religiosorum quandonam pertingant ad materiam gravem? 29. 12. & 17. pag. 99. & 100

H

Hæresis casus num possit a Confessario Jubilari absolvi? 3. 9. 27
Ab Hæresi occulta num possint absolvere Prælati Regulares? 4. 2. 29
Hæreticus denunciandus est, etiamsi probari non possit. 5. 2. 31
Horarum recitatio quam attentionem exigat? 14. 9. 57
Horarum recitationem num debeat prævenire, qui tempore ad illas præstituto erit impeditus? 39. 6. 122
Ab Horis recitandis quodnam opus charitatis excuset? 21. 11. 77
In Horarum recitatione qui inadvertenter erravit, num teneatur errorem corrigere, & quomodo? 34. 16. 110
Ob Horarum singularum recitationem omissam quota pars fructuum Beneficii restituenda sit. 21. 13. 78
Horas qui sine socio recitare non potest, num teneatur illum asciscere? 34. 18. 111

I

Jejunium Ecclesiasticum violans, ac festa non servans peccat mortaliter, etiamsi id non faciat ex contemptu, aut quia non vult obedire. 23. 5. 82
A jejunio quodnam iter excuset? 21. 6. 103
Jejunium qui servare non potest, nisi vescatur ovis, tenetur potius vesci ovis, quam neglecto jejunio vesci solis cibis quadragesimalibus. 31. 11. 104
Ad jejunium num teneantur Barbitonsores, Coqui, Sutores, Prægnantes, Advocati, Procuratores, Ludimagistri, Concionatores? 30. 6. 109
Jejunii cœnula qualis esse debeat? 31. 12. 104
Jejunium violatur etiam per modicas comestiunculas sæpius repetitas. 29. 6. 98
A Jejunio non excusantur universim omnes Officiales in Republica corporaliter laborantes. 30. 3. 102
Ad jejunandum num possit apponi impedimentum voluntarium? 31. 8. 101
Impediti adire Superiorem pro absolutione a reservatis quandonam absolvantur sine onere? 3. 6. 26

Imperfectio positiva in quonam differat ab imperfectione negativa, & a culpa veniali. 23. 3. 81
Indulgentia plenaria num eximat ab onere ponendi pœnitentias impositas a Confessario? 15. 8. 60
Indulgentiæ pro defunctis applicatæ num semper habeant effectum infallibilem? 43. 14. 137
Indulgentia plenaria recitantibus Angelus Domini *ad pulsum campanæ post Solis occasum num sit revocata?* 37. 10. 117
Indulgentiam probabiliter lucratur, qui illam ignorans ponit opus injunctum. 37. 10. *pag. ead.*
Indulgentiæ Regularibus concessæ, & a Paulo V. revocatæ hodie non sunt revalidatæ. 37. 5. 116 *Plurimas tamen ex antiquis possunt nunc Regulares lucrari. ibid. n.* 8.
Ad Indulgentias lucrandas probabilitas opinionum suffragatur. 37. 9. 117
Indulgentiarum multitudo cur non impediat quominus plurimorum animæ diutissime in Purgatorio torqueantur? 37. 11. 118
Inquisitio quandonam fieri possit sine prævia diffamatione? 5. 12. 32
Irregularitatem non incurrit adulter, qui maritum adulteræ, a quo invaditur, occidit cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiamsi culpabiliter dederit causam homicidio. 19. 13. 73
Judex acceptans munera quandonam peccet contra legem naturalem, & ad restitutionem teneatur? 22. 11. 79
Judex, a quo iniqua certo imminet sententia, ac falsi testes, & accusatores num possint interfici, si aliter malum declinari non possit? 18. 7. 77
Judex injuste pecuniam accipit pro sententia in favorem unius præ altero. 22. 2. 78 *Poteritne aliquid accipere a tertia persona pro ferenda sententia justa? ib. n.* 13. *Num possit etiam aliquid accipere, ut prius expediat causam Sortis, quam Caji.* 22. 14. 80

L

L*Aridum. Vide Sagimen.*
Legatum annuum pro anima relictum non limitatur ad decennium. 43. 6. 136
Leges Pontificiæ non debent in singulis Provinciis publicari, ut obligent. 12. 9. 50
Lex Ecclesiastica sub gravi universim obligat, posita materiæ gravitate. 23. 5. 82 & 38. 9. 120
Lex lata sub comminatione pœnæ quandonam dicenda sit pure pœnalis? 23. 14. 83
Lex promulgata non potest sine causa non acceptari. 28. 7. 96
Lex ardua, & quæ frequenter non observatur, num obliget? 28. 10. 95
Lex in dubio an sit acceptata, vel usu recepta, num obliget? 28. 15. 97
Libri prohibiti retineri non possunt, usque dum adhibita diligentia corrigantur. 45. 2. 141
Librorum prohibitio relate ad aliquos est sub excommunicatione reservata, relate ad alios sub excommunicatione non reservata; alii demum citra ullam excommunicationem solum prohibentur sub mortali. 45. 1. 141
Libri prohibiti, si transcribantur, poteruntne in Manuscripto legi, ac retineri? 45. 10. 144 *Num excuset a mortali horum librorum lectio, siquando non prohibeantur ex fine gravi, nec errorem contineant? ibid. n.* 12. *Num possint legi, si in casu particulari cesset finis prohibitionis? ibid. num.* 6.
Licentia ad Sacramentaliter absolvendum petita, & non obtenta quandonam habeatur pro concessa? 13. 14. 54
Litaniæ Sanctorum diebus Rogationum, ac S. Marci num debeant sub mortali recitari? 34. 19. 111

M

M*Aritus non potest uxorem in adulterio deprehensam occidere.* 19. 4. 72
Materiæ leves quandonam multiplicatæ coalescant in unam materiam gravem? 29. 15. 99 & 34. 10. *ibid.*
Mendicantes quoad casus Episcopo reservatos, necnon quoad casus Papales. V. Casus Episcopo reservati.
Missæ fructus specialissimus num possit alienari, & pro eo novum stipendium accipi? 8. 6. 39
Missæ ejusdem stipendium quandonam potest esse duplex? 8. 9. 46 *Quandonam potest partem stipendii sibi retinere qui per alium celebrat? ibid. n.* 7. & *seq. Num possit unica Missa satisfieri pluribus obligationibus, quæ non sunt ex justitia? ibi. n.* 12. *Quo jure prohibeatur multiplex stipendium ejusdem Missæ?* 10. 2. 42
Missæ ritus vertere quandonam vacet lethali culpa? 34. 15. 111
Missæ unius omissio debitæ ex justitia, aut ex fidelitate num contineat culpam gravem? 10. 5. 44
Mollities, Sodomia, Bestialitas non sunt peccata ejusdem speciei infimæ, sed subalternæ. 24. 4. 85. & 76. *Undenam desumatur universim diversitas specifica peccatorum? ibid.*
Mutuator non potest aliquid supra sortem accipe-

cipe-

cipere pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus. 42. 10. 132
Mutuans, ut servet se indemnem, potest auctarium consonum accipere non solum ratione lucri cessantis, & damni emergentis, sed etiam ratione periculi extraordinarii, & proximi amittendi sortem; non tamen ratione periculi ordinarii, & remoti. 42. 2. 131
Ad mutuandum v. g. intra decennium, quandocumque mutuum petatur, qui se obligat, poteritne aliquid pro hac obligatione accipere? 42. 15. 125

N

Notorium quidnam dicatur, quidnam occultum? 4. 5. 29

O

Occasio peccandi proxima quomodo sit vitanda, quando est voluntaria, & quomodo, quando est involuntaria? 41. 4. 128
Occasio proxima peccandi num tollenda sit, antequam pœnitens absolvatur? 41. 16. 130
Occultum per quid habeatur, & per quid Notorium? V. Notorium quidnam dicatur?
Officium non potest per alium recitare, qui Capellaniam collativam, aut aliud Beneficium habet, per hoc quod studio literarum vacet. 21. 8. 77
Officium Paschale recitans in die Palmarum non satisfacit præcepto. 34. 7. 109 Sicut nec satisfit, recitando quodlibet aliud extraordinarium pro ordinario. ibid. Nec si frequenter unum officium pro alio recitetur: esto possit citra mortale semel, aut iterum unum Officium ordinarium alteri subrogari. ibid. n. 10.
Officio unico nequit satisfieri duplici præcepto pro die hodierno, & crastino. 35. 4. 112
Opinio solide probabilis quænam dicatur? 27. 3. 92
Opinio per hoc tantum, quod sit in libro alicujus Junioris, & non sit rejecta a Sede Apostolica, non eatenus est probabilis. ibid.
Opinio singularis, ut possit dici probabilis, quid requirat? 27. 6. 93
Opinioni Magistri discipulus, & Parochi rusticus acquiescere possunt, si invincibiliter ignorent illam esse singularem. 27. 5. 92
Opiniones seorsim probabiles quare non semper sint comprobabiles? 35. 7. 113
Oraculorum vivæ vocis revocatio facta ab Urb. VIII. num obliget in foro conscientiæ relate ad privilegia, quæ videntur transiisse in Privilegia Bullæ per confirmationem illorum in Constitutionibus Apostolicis? 36. 8. 115
Oscula inter Sponsos, & Sponsas de futuro num vacent culpa gravi? 40. 23. 126. 127
Osculum habitum ob delectationem carnalem, & sensualem nequit excusari a culpa lethali. 49. 10. 124. 125
Ovis, & lacticiniis num liceat vesci in Vigiliis Extra Quadragesimam? 32. 10. 107

P

Parochus non potest simplicem Sacerdotem non approbatum ab Ordinario post Tridentinum exponere ad excipiendas Confessiones suarum ovium. 16. 10. 63 Potest tamen alium Parochum, necnon Sacerdotem ab alieno Episcopo approbatum. ibid. n. 11.
Parvitas materiæ non datur in delectatione venerea deliberate quæsita. 40. 21. 124
Parvitas materiæ num detur in delicto sollicitationis? 6. 11. 34
Peccata oblita clavibus subjicienda in sequenti Confessione, si memoriæ occurrant. 11. 6. 46 Et quidem ante susceptionem Eucharistiæ. ibi. n. 12. Non tamen statim. ibid. n. 13.
Peccatum manifestatum ut dubium, si deinde deprehendatur ut certum, debetne iterum ut certum subjici clavibus? 11. 11. 46
Peccata undenam specie diversificentur? 24. 4. 85. & 25. 12. 90. 95
Peccatum mortale quodcumque est contra Charitatem subjective, non tamen objective. 23. 7. 22
Periculum peccandi, sive sit certum sive solum probabile, coincidit cum occasione peccandi proxima, si oriatur ab extrinseco. 41. 3. 128
Pœna quandonam incurratur ante sententiam Judicis? 20. 3. 81
Pœnitens non potest alium substituere, qui pœnitentiam sibi a Confessario impositam impleat. 15. 4. 59 Quid si Confessarius annuat? ibid. n. 6.
Pœnitentia a Confessario injuncta non potest a Pœnitente in melius commutari. ibid. n. 7. 60
Num possit commutari in lucrationem Indulgentiæ plenariæ? ibid. n. 8. Num possit pœnitens velle illam in Purgatorio luere? ibid. n. 10. Num illi satisfiat, si ponatur in statu peccati mortalis? 14. 12. 58
Pœnitentiæ præceptum num obliget per se, & pro quando? 1. 8. 15
Pontifex quandonam dicitur ex Cathedra loqui? In quæst. prodr. nu. 3. pag. 2. Quandonam poterit errare? ibid. n. 5. Nunquam erravit in Decretis Fidei. ibid. n. 15. Pontificis etiam extra Concilium ex Cathedra loquentis auctoritas est infallibilis in decretis Fidei, ac morum. ibid. n. 6.

Præceptum est, *non vero consilium illud Tridentini mandatum*, *quod Sacerdos celebrans in necessitate cum mortali quamprimum deinde confiteatur*. 38. 5. 112 *Hæc particula* quam primum *non intelligitur*, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. 39. 2. 121 *Sed probabiliter intra triduum. ibid. n.* 5.

Præceptum hoc Tridentini est Ecclesiasticum. 38. 8. 119. 120. *Nec obligat Laicos similiter cum peccato mortali communicantes. ibid. n.* 9.

Præcepto Confessionis non satisfit per Confessionem voluntarie nullam, *sicut nec præcepto Communionis per Communionem Sacrilegam*. 14. 3. 56 *Quid dicendum de Confessione*, *aut Communione valida*, *&* *informi? ibid. n.* 10.

Præcepto Confessionis non satisfacit, *qui confitetur Regulari injuste reprobato*. 13. 8. 56

Prælati Regulares num indigeant Episcopi approbatione ad audiendas Confessiones Sæcularium? 13. 17. 55. *Quam facultatem habeant absolvendi*, *ac dispensandi tam relate ad subditos*, *quam relate ad Sæculares*. 4. 6. 29. 30 *Non possunt in foro conscientiæ Sæculares absolvere ab hæresi occulta. ibid. n.* 3.

Prælati exempti, *qui possunt eligere simplicem Sacerdotem in Confessarium*, *quinam dicantur?* 16. 3. 62

Præstimonia num sint Beneficia, *an vero Clericales pensiones?* 21. 2. 76

Privilegia Mendicantium remuneratoria num debeant aliunde compensari, *si revocentur?* 12. 7. 48 *&* 36. 9. 115

Privilegiis Societatis Jesu num derogetur citra trinam intimationem per trinas distinctas literas factam? prop. 12. 5., *&* 10. *pag.* 49. 50

Privilegiis per Tridentinum revocatis non possunt amplius Regulares uti in foro conscientiæ. 36. 6. 114

Probabilis non dicitur esse opinio per hoc præcise quod in libro alicujus Neoterici reperiatur, *& non sit expuncta a Sede Apostolica*. 27. 3. 92 *Ad probabilitatem extrinsecam quid requiratur? ibid. num.* 8. 93

Probabiles seorsim opiniones non semper sunt comprobabiles. 35. 6. 112. 113

Ubi probabile æque sit, *quod in tali occasione sis peccaturus*, *& quod non sis peccaturus*, *tenerisne ab ea te retrahere?* 41. 15. 129

Purgatorii pœnæ sunt diuturnæ; *unde annuum legatum pro anima relictum non durat duntaxat per decennium*. 43. 6. 136

Q

Quamprimum confiteri debet Sacerdos, *qui ex necessitate celebravit cum mortali*, *non præmissa confessione*; *idque non est consilium*, *sed præceptum*. 38. 5. 129 *Hæc particula*, quamprimum, *non intelligitur*, *cum Sacerdos suo tempore confitebitur*. 39. 2. 127 *Sed probabiliter in hoc casu significat*, *intra triduum. ibid. Quamvis pro diversitate materiæ diversam secundum se patiatur temporis latitudinem. ibid. n.* 5.

R

Ratihabitio Episcopi de præsenti sufficit ad Confessiones audiendas, *non vero ratihabitio de futuro*. 16. 8. 63

Regula universalis ad dignoscendum quandonam materiæ leves coalescere possunt in materiam gravem. 29. 15. 101

Regula ad dignoscendum specificam peccatorum diversitatem. 24. 4. 82. *&* 25. 12. 89. 90

Regularis in una Diœcesi approbatus poteritne in alia Diœcesi Confessiones audire de consensu Parochi? 19. 12. 63. 64

Regularis injuste reprobatus nequit Confessiones audire. 13. 8. 53 *& invalide absolvit*, *ibid. n.* 18. *pag.* 55

Regulares num possint absolvere a sex Casibus Clementis VIII., *si sint occulti?* 4. 2. 28. 29 *Num a casibus Papalibus extra Bullam Cœnæ?* 12. 13. 50. 51 *Num a casibus de jure*, *vel consuetudine*, *aut in Synodo Episcopo reservatis? ibid.*

Regulares quoad Indulgentias a Paulo V. revocatas. 37. 5. 119

Regulares quoad privilegia revocata per Tridentinum. 36. 6. 114

Religiosorum furtula quandonam pertingant ad materiam gravem? 29. 12. 99

Religiosi non obligantur servare consuetudines particulares sæcularium, *aut clericorum*. 32. 12. 107

Restitutio a Beneficiatis non recitantibus Horas facienda debetur ante sententiam Judicis. 20. 3. 74 *Jure ne naturali*, *an positivo? ibid. nu.* 6. *Quid si Beneficium sit tenue*, *aut si aliqua tantum ex parvis Horis omittatur? ibi. n.* 7. *& pr.* 21. 13. *pag.* 78

Restitutio ob Horarum omissionem debita non potest suppleri per eleemosynas antea factas 20. 9. 75 *Duplex datur via ad levandum hoc onus restitutionis apprime molestum. ibid. n.* 10.

Revocatio Privilegiorum Regularium num fiat per clausulam generalem, *non facta de ii expressa mentione?* 36. 8. 11[illegible]

Revocatio Privilegiorum Societatis Jesu num requirat trinam monitionem? pr. 12. 5. *&* 10 *pag.* 48. 49

S

SAgimen, & laridum num possit comedere diebus esurialibus qui potest vesci ovis, & lacticiniis? 32. 14. 102

Societatis Jesu Privilegiis quid requiratur ut derogetur? pr. 12. *n.* 5. & 10. *pag.* 49

Sodomiæ reus num debeat explicare in Confessione circumstantiam Agentis, vel Patientis? 24. 11. 86 & 25. 13. 90

Sollicitans Confessarius per chartam in Sacramentali Confessione denunciandus est. 6. 5. 32

Sollicitans in quibus casibus non est necessario denunciandus? 6. 9. 33. 34

In sollicitatione daturne materiæ parvitas? 6. 11. 34

Sollicitatus non evadit onus denunciandi per hoc quod confiteatur cum Sollicitante, a quo ad id non obligetur. 7. 3. 35

Specialissimus Missæ fructus quinam dicatur? Et an possit pro eo accipi novum stipendium? 8. 38. 39

Stipendium ejusdem Missæ multiplex quo jure prohibeatur? 10. 2. 40 *In quonam casu liceat duplex stipendium pro eadem Missa accipere?* 8. 9. 46. 47 *Qui accipit plura stipendia incongrua æquivalentia uni congruo, poteritne unum tantum Sacrificium offerre?* 10. 4. 43

Stipendii pinguioris excessus quandonam retineri potest ab eo, qui per alium celebrat? 9. 7. 41

Suario per injuriam a Caramuele appingitur, quod gravissimis curis distentus Officium pro Officio recitarit. 34. 15. 111

T

THeologales actus Fidei, Spei, & Charitatis identidem in decursu vitæ iterandi ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium. 1. 3. 13. 14

V

VErba amatoria quandonam sunt graviter peccaminosa? 40. 15. 125

Vir equestris nequit acceptare duellum ad effugiendam notam timiditatis. 2. 4. 22 *Neque ad calumniam declinandam. ibid. n.* 9.

Vir equestris num teneatur fugere aggressorem cum suo dedecore? 17. 5. 69 *Num possit duellum acceptare, si ab injustiis conviciis, ac subeundo dedecore aliter se liberare non possit?* 2. 10. 23

Vir honoratus num possit calumniatorem occidere, aut illum, qui post impactam alapam fugit? 24. 9. 70 *Num illum, a quo contumeliis atrocibus impetitur, quin velit desistere? ibid. n.* 11

Vivæ vocis oracula in favorem Mendicantium num transierint deinde in Privilegia Bullata? 36. 8. 115

Votum quandonam graviter violatur per plures transgressiones in materia levi? 22. 11. 79

Usura jure etiam naturali prohibetur, non secus ac furtum. 42. 1. 131

Usura non declinatur accipiendo auctarium, per hoc quod detur pecunia præsens, ac numerata pro futura, ac numeranda, quamvis hæc minoris, quam illa soleat æstimari. 42. 13. 133

Usurarie accipitur auctarium pro obligatione non repetendi mutuum usque ad certum tempus. 42. 10. *pag.* 132

Sit autem hic hujus Opusculi (sed oh ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Laus Deo, & B. Virg. sine labe Conceptæ.

A. M. D. G.

R. P. DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU

OPERA OMNIA THEOLOGICO-MORALIA.

TOMUS SEXTUS

COMPLECTENS DAMNATAS THESES AB ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII.

NECNON JANSENII

Ad Theologicam trutinam revocatas juxta pondus Sanctuarii:

Item Michaelis Baji, Michaelis de Molinos, aliasque Theses superiore Sæculo profligatas, quæ in calce hujus Tomi recensentur una cum Indicibus locupletissimis, & Enchiridio olim typis dato

DE JUBILÆO, PRÆSERTIM ANNI SANCTI.

PARS SECUNDA:

DE LXV. THESIBUS PROSCRIPTIS

AB INNOCENTIO XI.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensis Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,
MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.
SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DECRETUM
SS. D. N.
INNOCENTII PAPÆ XI.

Die 2. Martii 1679.

SAnctissimus D. N. Innocentius Papa XI. prædictus, ovium sibi a Deo creditarum saluti sedulo incumbens, & salubre opus in segregandis noxiis doctrinarum pascuis ab innoxiis, a felic. record. Alexandro VII. Prædecessore suo inchoatum prosequi volens, plurimas Propositiones, partim ex diversis vel libris, vel thesibus, seu scriptis excerptas, & partim noviter adinventas, Theologorum plurium examini, & deinde Eminentiss., & Reverend. DD. Card. contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus subjecit. Quibus propositionibus sedulo, & accurate sæpius discussis, eorundem Eminentissimorum Cardinalium, & Theologorum votis per Sanctitatem Suam auditis, Idem SS. D. N. re postea mature considerata, statuit, & decrevit pro nunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas, esse damnandas, & prohibendas, sicuti eas damnat, & prohibet. Non intendens tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias propositiones in ipso non expressas, & Sanctitati Suæ quomodolibet, & ex quacumque parte exhibitas, vel exhibendas ullatenus approbare.

1 Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

2 Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

3 Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

4 Ab infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

5 An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

6 Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

7 Tum solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

8 Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

9 Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus caret culpa, ac defectu veniali.

10 Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

11 Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

12 Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

13 Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob aliquod temporalem emolumentum.

14 Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

15 Licitum eſt filio gaudere de parricidio Parentis a ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate conſecutas.

16 Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe.

17 Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere.

18 Si a poteſtate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei glorioſum conſulo; tacere, ut peccaminoſum per ſe non damno.

19 Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei per ſe ſit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.

20 Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quem habeat ſupernaturalem.

21 Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & utilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.

22 Nonniſi fides Unius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

23 Fides late dicta ex teſtimonio Creaturarum, ſimilive motivo ad juſtificationem ſufficit.

24 Vocare Deum in teſtem mendacii levis non eſt tanta irreverentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem.

25 Cum cauſa licitum eſt jurare ſine animo jurandi, ſive res ſit levis, ſive gravis.

26 Si quis vel ſolus, vel coram aliis, ſive interrogatus, ſive propria ſponte, ſive recreationis cauſa, ſive quocunque alio fine, juret ſe non feciſſe aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra ſe aliquid, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec eſt perjurus.

27 Cauſa juſta utendi his amphibologiis eſt, quoties id neceſſarium, aut utile eſt ad ſalutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.

28 Qui mediante commendatione, vel munere ad Magiſtratum, vel officium publicum promotus eſt, poterit cum reſtrictione mentali præſtare juramentum, quod de mandato Regis a ſimilibus ſolet exigi, non habito reſpectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

29 Urgens metus gravis eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

30 Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapum, vel ictum fuſtis fugiat.

31 Regulariter occidere poſſum furem pro conſervatione unius aurei.

32 Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus.

33 Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſolvantur, ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.

34 Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa gravida occidatur, aut infametur.

35 Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero eſt, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac conſequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

36 Permiſſum eſt furari, non ſolum in extrema neceſſitate, ſed etiam in gravi.

37 Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occulte heris ſuis ſurripere ad compenſandum operam ſuam, quam majorem judicant ſalario, quod recipiunt.

38 Non tenetur quis ſub pœna peccati mortalis reſtituere, quod ablatum eſt per pauca furta, quantumcunque ſit magna ſumma totalis.

39 Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad reſtitutionem iſtius damni illati.

40 Contractus Mohatra licitus eſt etiam reſpectu ejuſdem perſonæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

41 Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non majoris faciat pecuniam præſentem, quam futuram, poteſt creditor aliquid ultra ſortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab uſura excuſari.

42 Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

43 Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

44 Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alicui, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

45 Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

46 Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

47 Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, Digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

48 Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

49 Mollities jure naturæ prohibita non est: Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

50 Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium; adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

51 Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

52 Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

53 Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul, a diversis Celebrantibus audit.

54 Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

55 Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

56 Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

57 Probabile est, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

58 Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

59 Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. gr. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

60 Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

61 Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

62 Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

63 Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

64 Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi.

65 Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

Qui-

Quicunque autem cujusvis conditionis, status, & dignitatis illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim defenderit, vel ediderit, vel de eis disputative, & publice, aut privatim tractaverit, vel prædicaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem latæ sententiæ, a qua non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi pro tempore existente Romano Pontifice, absolvi.

Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus, cujuscunque conditionis, dignitatis, & status etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

Tandem, ut ab injuriosis contentionibus Doctores seu Scholastici, aut alii quicunque in posterum se abstineant, ut paci, & charitati consulatur, idem Sanctissimus in virtute Sanctæ Obedientiæ eis præcipit, ut tam in libris imprimendis, ac manuscriptis, quam in Thesibus, disputationibus, ac Prædicationibus, caveant ab omni censura, & nota, necnon a quibuscunque conviciis contra eas propositiones, quæ adhuc inter Catholicos hinc inde controvertuntur, donec a S. Sede recognitæ sint, & super iisdem propositionibus judicium proferatur.

PRIMA PROPOSITIO.

AB INNOCENTIO XI. CONFIXA:

Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis.

SYNOPSIS.

I. Præmittuntur nonnulla ad probabilitatem spectantia.

II. Advertendum discrimen inter opinionem probabiliorem, ac tutiorem.

III. Et inter opinionem speculative probabilem, ac probabilem practice.

IV. Necnon inter probabilem, seu probabiliorem præ opposita, & probabilissimam, aut moraliter certam.

V. Quæ opinio est speculative probabilis practice, nisi ab hac ipsa opinionis probabilitate pendeat, quod grave damnum declinetur.

VI. Universim in humanis actionibus licitum est sequi opinionem solide probabilem faventem libertati, etiam in conflictu probabilioris faventis legi.

VII. Minor quippe illa probabilitas non eliditur a majori probabilitate partis oppositæ.

VIII. Non pauci proscriptam hanc thesim videntur docuisse.

IX. Alii putarunt in casu hujus thesis peccari quidem, exponendo Sacramentum periculo frustrationis, non tamen contra Religionem, sed contra Charitatem, unde docuerunt illicitum esse usum opinionis probabilis minus tutæ de valore Sacramenti, solum in conferendis, ut habet confixa thesis, non vero suscipiendis Sacramentis.

X. Non abs re alii dixerunt, licitum esse in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem; dummodo non sit speculative solum, sed etiam practice probabilis.

XI. Fundamenta pro licito usu opinionis probabilis minus tutæ de valore Sacramentorum in eorum collatione videntur esse, tum quia prudenter operatur, qui sequitur ductum opinionis probabilis.

XII. Tum etiam quia aliter non liceret absolvere cum jurisdictione dumtaxat probabili.

XIII. Nec liceret cum attritione accedere ad Sacramentum Pœnitentiæ, omissa contritione tutiori.

XIV. Et quia ex praxi Ecclesiæ absolvuntur Pœnitentes, qui probabiliter tantum sunt dispositi.

XV. Demum quia dispensarunt Pontifices apud Indos, quod Episcopi consecratio fieret juxta opiniontm probabilem ab uno tantum Episcopo non a tribus.

XVI. Falsitas innotescit ex irreverentia, quæ Sacramento irrogatur, exponendo illud periculo frustrationis.

XVII. Esto id non adversaretur virtuti Religionis, negari non potest, quod graviter adversetur virtuti Charitatis.

XVIII. Verum sicut contra utramque virtutem graviter peccaret, qui conferret Sacramentum animo illud irritandi, ita qui exponit illud periculo frustrationis: Sicut tam peccat contra legem, qui directe illam transgreditur, quam qui exponit se periculo illam transgrediendi.

XIX. Prudenter operatur, qui sequitur ductum opinionis practice, non vero speculative dumtaxat probabilis.

XX. Quando confertur Absolutio cum jurisdictione solum probabili, non exponitur periculo frustrationis Sacramentum.

XXI. Non solum in conferendis, sed etiam in suscipiendis Sacramentis illicitum est sequi opinionem probabilem de illorum valore minus tutam.

XXII. Cum hoc bene stat, quod licet in Sacramento Pœnitentiæ adhibere attritionem, omissa contritione tutiore, eo quod sententia de sufficientia attritionis non sit solum probabilis, sed probabilissima, immo etiam moraliter certa.

XXIII. Quando Pœnitentes apparent probabiliter dispositi, nec datur motivum dubitandi de opposito, tunc habetur certitudo moralis, saltem respectiva.

XXIV. Pontifex post consultationem Theologorum pro comperto habuit, quod valide posset Episcopus ab uno tantum Episcopo consecrari, & ideo potuit apud Indos dispensare, ne a tribus consecraretur.

XXV. Ex quibus fit, videri implicite proscriptum etiam in suscipiendis Sacramentis usum opinionis probabilis de eorum valore minus tutæ.

XXVI. Licitum tamen esse tam in suscipiendis, quam in conferendis Sacramentis universim usum opinionis moraliter certæ.

XXVII. Necnon usum opinionis probabilis, si ea non spectet ad materiam Sacramenti proximam, sed remotam.

XXVIII. Quid tamen in ordine ad praxim circa Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe?

XXIX. Eritne licitum contrahere Matrimonium cum sola opinione probabili de carentia impedimenti, aut de obtenta dispensatione? Et quid si probabilitas sit circa factum, quid si circa jus?

XXX. Quid si impedimentum sit dirimens jure Naturali, aut Divino?

XXXI. Hinc plurima ad praxim spectantia descendunt.

I. EXponitur. Hujus thesis meritissima proscriptio innumeras in medium protulit difficultates quæ Theologis ipsis non leve negotium facessunt, eo quod non sit obvium falsitatem istius, prout jacet, conciliare cum veritate plurimarum Opinionum, quæ passim a DD. pro practice probabilibus, ac tutis habentur in materia Sacramentorum, & quas ipsa Ecclesiæ praxis comprobat. Equidem, ut sensus proscriptę thesis alte percipiatur, & facili negotio enodari possint, quæ passim occurrunt in collatione, & susceptione Sacramentorum dubitationes, nonnulla ad materiam de Probabili spectantia primoribus labris delibabo.

II. Et primo quidem adverto, latum esse discrimen inter Opinionem tutiorem & probabiliorem; Quis enim ignoret posse opinionem aliquam esse præ opposita probabiliorem, quamvis sit minus tuta? Sic opinio de sufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentię est probabilior, quamvis tutius sit contritionem adhibere; & in dubio, num detur obligatio verb. grat. restituendi, jejunandi? semper tutius est restituere, jejunare, quamvis non semper sit probabilius, quod ad id obligemur. Et ratio est, quia quamvis nomine Opinionis tutæ sæpe veniat opinio practice probabilis probabilitate non tenui, sed solida, & inconcussa, quæ proinde excludat periculum peccandi formaliter; & in hoc sensu, quæ opinio est probabilior, ea dici possit tutior, quatenus longius abest a periculo peccati formalis: Nihilominus nomine Opinionis tutioris significare solemus opinionem illam, quæ tuta est tum formaliter, tum etiam materialiter, seu quæ excludit periculum tum peccati formalis, tum etiam materialis in quo sensu opinio requirens contritionem in Sacramento tutior est, sed non probabilior; adhibendo enim in Sacramento contritionem, ne materialiter quidem, & involuntarie peccare possumus; contra vero qui probabiliori, immo probabilissimę, ac moraliter certæ opinioni de attritionis sufficientia se accommodat, longissime quidem abest a reatu culpę formalis, sed non abest omnino a periculo remotissimo peccati materialis.

Ratio autem, quare vacet culpa formali exponere se huic periculo remotissimo peccati materialis, est quia Deus non obligat homines ad sequendum, quod est tutius; (quicquid in contrarium oblatrent Tutioristæ, & Rigidioristæ, qui instar Scribarum, & Pharisæorum *Alligant onera gravia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum; digito autem suo nolunt ea movere*, ut dicitur Matth. 23.) sed solum obligat ad prudenter operandum, periculum proximum duntaxat, non vero etiam remotissimum peccati materialis. Si enim ad id, quod tutius est, obligaremur, via, quæ ducit ad vitam, non esset solum arcta, sed & impervia; cum superet humanas vires, & moraliter fieri nequeat, semper assequi, quod est tutissimum; teneremur quippe ad semper iterandos contritionis, aliarumque virtutum actus, & quidem intensissimos quoad ejus fieri potest, cum hoc sit tutius; Et sane *debueramus ex hoc Mundo exisse*, ut loquitur Apost. 1. ad Cor. 5. si pericula etiam remota cavere deberemus. Hinc proscripta fuit ab Alex. VIII. tertia illa propositio, quæ habet: *Non licet sequi inter opiniones probabiles probabilissimam.*

III. Advertendum ulterius discrimen inter Opinionem speculative probabilem, & probabilem practicę; potest siquidem aliqua opinio solidam habere probabilitatem speculativam, quin ullam habeat practicam, ut proinde peccet, qui ei se in praxi accommodat. Sic opinio v.g. de sufficientia contactus moralis materiæ proxime in susceptione Ordinis Sacri non solum est probabilis, sed forte etiam est probabilior præ opposita requirente contactum physicum; eam tamen in praxim deducere non licet, ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum; de ratione enim opinionis probabilis, quæ non pertingit ad probabilissimam, seu moraliter certam, est incertitudo, & formido de opposito; atque adeo qui in materia Sacramentorum accommodat se opinioni speculative probabili, incertus est de validitate Sacramenti, unde exponit illud periculo frustrationis sequendo opinionem probabilem de ejus valore, omissa tutiore; ac proinde opinio illa, quæ est probabilis speculative, non est probabilis practice. Sic medicus adhibens pharmacum mere probabile, omisso tutiore, peccat, quia accommodando se in praxi opinioni illi speculative probabili de pharmaco curativo, exponit ægrotum periculo mortis incertusque est de ejus salute; unde talis opinio speculativa caret practica probabilitate.

IV. Hinc apparet tertium discrimen valde advertendum in re nostra inter Opinionem mere probabilem, seu etiam probabiliorem prę opposita, & Opinionem probabilissimam, seu moraliter certam. Opinio siquidem probabilis, quę ad moralem certitudinem non pertingit, habet essentialiter prædicata propria opinionis, nempe obscuritatem, & incertitudinem: ac proinde sæpe opinio speculative probabilis non est practice probabilis, quando scil. imminet periculum gravis damni incurrendi, ut in exemplis adductis. At opinio probabilissima, seu moraliter certa, esto non sit tutissima tum formaliter, tum materialiter, non habet in se ullam incertudinem, seu periculum proximum de frustratione eventus, esto subsit illi aliquod periculum remotissimum, quod cavere non tenemur, ut ostendimus. Et idcirco quoties aliqua opinio est probabilissima, seu moraliter certa speculative, est etiam practicæ probabilitatis; aliter non liceret sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam, quod nemo dixerit. Sic medicus licite adhibet pharmacum moraliter certum, quin teneatur inquirere pharmacum tutius; & nos licite in praxim deducimus opinionem moraliter certam de sufficientia attritionis in Sacramento Pęnitentiæ, quin obligemur ad contritionem tutiorem. Et ratio horum omnium est, quia est onus impar humanis viribus conari semper ad tutissima.

Neque dicas, quod homines in rebus magni momenti inquirant semper majorem certitudinem, quam possunt; & Medicus injuriam irrogaret ægroto, si adhiberet pharmacum moraliter certum, omisso tutiore: Nam quamvis hoc verum sit, quando æque commode adhiberi potest tam medium minus certum, quam magis certum; at quando sine speciali incommodo nequit adhiberi tutissimum: sufficit adhibere moraliter certum. Sic ægrotus ad vitam tuendam non tenetur emere pharmacum valde pretiosum, etiamsi sit tutius, quia nequit illud habere sine speciali incommodo: Et eodem modo Deus in rebus ad salutem animæ pertinentibus non obligat nos ad adhibenda media tutissima, sed solum ad adhibenda moraliter certa; aliter ut diximus, teneremur semper contritionis, & aliarum virtutum actus iterare, ut tutius incedamus; unde via salutis omnibus esset impervia.

V. De-

V. Denique advertendum, universim in humanis actionibus opinionem solide probabilem speculative, etiamsi non sit moraliter certa, esse etiam practice probabilem, nisi forte ut periculum gravis damni incurrendi, aut lex, aut conventio, aut aliunde ratio dictet non licere sequi probabilem, omissa tutiore: (Sicut e. gr. ob periculum gravis damni non licet conferre Baptismum sequendo opinionem probabilem, omissa tutiore; nec licet Medico adhibere pharmacum probabile, quando habet tutius; nec excusatur ab Infidelitate Infidelis non credens, ductus opinione minus probabili, ut dicemus in expositione propositionis 4. nec potest Judex judicare juxta opinionem minus probabilem, ut dicemus in expositione propositionis sequentis.) Ratio doctrinæ est quia quoties in humanis actionibus opinio aliqua apparet solide probabilis, tunc qui ei se accommodat, prudenter operatur, atque adeo non peccat; unde licite illam in praxim deducit, quamvis non sit probabilissima, & moraliter certa. Etenim formido de opposito imbibita in opinione probabili obstat quidem, quominus juxta illam opinionem operans sit omnino tutus, & immunis a peccato materiali; non obstat tamen, quominus sit tutus, & immunis a peccato formali; cum Deus in humanis actionibus universim solum obliget ad prudenter operandum, (prout homines operari solent in iis, quæ ad res temporales spectant, quæ censentur non levis momenti) non vero ad sequendum, quod est omnino tutum, etiam materialiter; eo quod hujusmodi onus esset humanis viribus impar. Solum ad id obligat, quando sequendo opinionem speculative probabilem imminet grave damnum, aut quando lex, conventio, aut ratio dictat sequendam esse opinionem tutiorem; Si enim in humanis actionibus, quoties ad res temporales, aut ad salutem corporis spectant, imprudenter agimus sequendo opiniones mere probabiles, omissis tutioribus, quando ex earum falsitate grave damnum imminet; a fortiori imprudenter operamur sequendo in humanis actionibus ad animæ salutem spectantibus ductum opinionis probabilis, omissa tutiore, si ex ejus falsitate grave damnum spirituale immineat.

Et ratio radicalis est, quia sæpe non pendet ab opinionis probabilitate, quod grave damnum avertatur; e. g. quamvis pharmacum sit probabiliter curativum; non idcirco declinatur mors ægroti, si probabilitas non stet cum veritate opinionis; & quamvis opinio de collatione Baptismi sit probabilis, non eatenus confertur Baptismus, si ea sit falsa: unde imprudentissime in his casibus accommodat se homo opinioni probabili, omissa tutiore. At in aliis humanis actionibus, in quibus specialis aliqua ratio non exigit, quod via tutiori incedatur, non imprudenter agimus sequendo opinionem probabilem, quia ex ejus probabilitate dependet, quod peccatum formale declinetur; & si ea sit falsa, solum incurrimus peccatum materiale, quod cum magno incommodo vitare non tenemur. E. g. sufficit esse probabilem opinionem, quod pingere non sit opus laboriosum, & servile, ut peccatum formale declinet, qui pingit die festo; & quamvis si ea opinio sit falsa, materialiter peccet, non idcirco exponendo se huic periculo peccati materialis peccat formaliter, quia Deus non obligat nos cum tanto onere ad aliud præcavendum; eo quod jugum Divinæ legis esset valde grave, si semper obligaremur ad prosequendum, quod est tutius, quin sufficiat prosequi, quod probabiliter est conforme Divinæ voluntati. Verum quidem est, quod nunquam liceat operari cum formidine de honestate operationis; nihilominus eo ipso quod opinio directe considerata apparet probabilis, statim consurgit judicium reflexum evidens de honestate formali operationis, quæ opinioni probabili se accommodat: Evidens quippe est, & communissime ab omnibus traditum, (exceptis paucis Tutioristis) Deum nolle homines obligare, nisi ad prudenter operandum, seu ad sequendum ductum opinionis probabilis; Evidens rursum est, esse probabilem e. g. hanc opinionem, quod opus pictorium non sit laboriosum; unde evidens fit, quod accommodans se huic opinioni, & pingens die festo neque Ecclesiasticam, neque Divinam legem transgrediatur, etiamsi hæc actio subsit periculo peccati materialis.

VI. Quamvis autem in administratione Sacramentorum, & ubi est periculum gravis damni incurrendi, ac in similibus non sufficiat sequi opinionem probabilem, omissa tutiore, sed requiratur opinio saltem moraliter certa; in reliquis vero humanis actionibus ad prudenter operandum satis sit sequi ductum opinionis probabilis; Nihilominus lis est hoc temporis acriter in medium vocata inter Probabilistas, & Probabilioristas, Num ad licite, ac prudenter operandum sufficiat sequi opinionem solide probabilem faventem libertati, etiam in conflictu probabilioris faventis legi; An vero requiratur, quod opinio favens libertati sit saltem probabilior, si minus moraliter certa, præ opposita favente legi? E. g. num ad licite pingendum die festo satis sit, quod probabiliter opus pictorium sit liberale, etiamsi probabilius esset, quod sit servile; An vero requiratur, quod probabilius sit opus liberale, & ingenuum, ne peccet, qui vellet pingere? Communissime contra nonnullos docent, sufficere regulariter ad prudenter, & licite operandum, quod opinio speculativa, quæ in praxim est deducenda, sit solide, & non tenuiter tantum probabilis, etiamsi sit minus probabilis præ opposita. Et ratio est, tum quia sic onus Divinæ legis esset gravissimum, & jugum durissimum humanis cervicibus impar, si universim obligarentur homines ad sequendum, quod est probabilius; cum sit moraliter impossibile ante quamcumque operationem id discutere, ac discernere, & interim ab operatione desistere; unde via salutis esset impervia: Tum etiam quia, ut advertit P. Paulus Segneri in aurea illa Epistola de probabili n. 49., rationes fere omnes, quæ a Probabilioristis congeruntur ad probandum teneri nos ad sequendum ductum opinionis probabilioris, indivisim evincunt teneri ad sequendum, quod est tutius; atque adeo cum nimis probent, nil probant. Et ratio a priori est, quia opinio minus probabilis adhuc in conflictu probabilioris oppositæ retinet suam probabilitatem, atque adeo sufficit ad prudenter, ac licite operandum.

VII. Neque obstat, quod in speciem opponi solet vid. quod sicut grave de se inclinans lancem ad descensum in conflictu ponderis gravioris in altera lance positi illam nequit inclinare: ita Opinio probabilis habens grave fundamentum, quamvis possit secundum se spectata inclinare intellectum ad prudentem assensum; in conflictu tamen Opinionis probabilioris nixæ fundamento graviori non poterit illum ad prudentem assensum inclinare, atque adeo in conflictu probabilioris Opinio minus probabilis non retinet suam probabilitatem, nec sufficit ad prudenter operandum: Ad hoc enim ut Opinio

sit probabilis, debet niti fundamento, quod sæpius, immo ut plurimum cum veritate potius Opinionis ab eo fundatæ, quam cum falsitate conjungatur; Quamvis autem hoc possit contingere, quando opinio probabilis spectatur absolute, & secundum se; quando tamen spectatur in conflictu opinionis oppositæ probabilioris, videtur fieri non posse, quod utraque Opinio opposita nitatur fundamento, quod magis cum veritate, quam cum falsitate conjungatur: ergo Opinio de se probabilis in conflictu probabilioris non retinet probabilitatem, nec sufficit ad operandum prudenter.

Nam contra est; quia licet gravitas unius ponderis, utpote homogenea, infringat gravitatem ponderis, quod est in lance opposita; probabilitas tamen Opinionis verb. grat. affirmativæ, si sit heterogenea, & oriatur a fundamentis diversis, non infringit probabilitatem Opinionis negativæ oppositæ; Bene enim cohæret, quod opinio affirmativa, spectato hoc fundamento, sit solide probabilis; quatenus hoc fundamentum, in quo nititur, sæpius, immo ut plurimum conjungitur cum veritate, quam cum falsitate opinionis, quam fundat; quod etiam opinio negativa opposita sit probabilis, aut probabilior per hoc, quod fundamentum, in quo nititur, non solum absolute sæpius conjungatur cum veritate, quam cum falsitate opinionis, quam fundat, sed etiam comparative ad opinionem affirmativam oppositam: Unde bene cohæret, quod Opinio minus probabilis etiam in conflictu probabilioris retineat suam probabilitatem, & sufficiat ad prudenter, ac licite operandum.

Quod ex eo valide confirmatur, quia ex dictis quælibet Opinio probabilissima, seu moraliter certa est practice probabilis; cum Deus non obliget homines ad quærendam certitudinem metaphysicam; atqui Opinio ista de licito usu opinionis minus probabilis in conflictu probabilioris est probabilissima, & moraliter certa, utpote communissime recepta, paucis exceptis apud Dian. p. 1. tr. 13. ref. 1. non secus ac Opinio de sufficientia attritionis in Sacramento dicitur probabilissima, & moraliter certa, quamvis pro opposita sententia requirente contritionem non pauci graves Doctores adducantur apud Suar. dist. 20. de Pœn. sect. 1. & apud Platelium t. 5. n. 648. ergo ea est practice probabilis; atque adeo licitum est regulariter in humanis actionibus sequi opinionem probabilem, omissa non solum tutiori, sed etiam probabiliori: Esto non liceat in Sacramentis conferendis, aut in similibus casibus sequi opinionem probabilem de Sacramenti valore, omissa tutiore. Nisi enim universim in humanis actionibus licitum esset sequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris, duo hæc absurdissima sequerentur: Primum est, quod non liceret obtemperare Superioris præcepto, quando Subditus opinatur probabilius esse, quod sit inhonestum id, quod præcipitur; quod tamen adversatur doctrinæ Augustini relatæ in Cap. *Quid culpatur* 23. qu. p., ubi habetur, Militem justum ad belligerandum teneri, Rege sacrilego bellum imperante, si quod jubetur, *Non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est*: Necnon doctrinæ Patriarchæ nostri Ignatii, qui part. 6. Constit. c. p. lit. B. obedientiam vult a Subditis præstari in iis omnibus, *in quibus nullum est peccatum manifestum*.

Nec satisfit a Probabilioristis dicendo, quod obedientia Superiori debita obliget ad abnegandum judicium proprium, & ad judicandum esse honestum id, quod Superior præcipit, quoties manifeste non constat esse inhonestum, etiamsi probabilius sit tum ab intrinseco, tum ab extrinseca Doctorum plurimorum auctoritate, quod illud sit inhonestum. Nam sicut potest Subditus ex extrinseca auctoritate Superioris, cui tenetur obedire, inclinari ad judicandum esse honestum, ac licitum, quod solum probabiliter est hujusmodi, quamvis probabilius sit esse inhonestum, ita potest quilibet aut ex valida ratione, aut ex gravi classicorum DD. auctoritate, quibus fidit, prudenter inclinari ad judicandum esse honestum, ac licitum, quod probabilius ab aliis dicitur esse inhonestum.

Alterum inconveniens apertissimum, quod sequeretur, est, quod homines communiter peccarent per hoc quod maneant in sæculo, ubi probabiliter tantum peccata declinantur, & non ingrediantur Religionem aliquam viridis observantiæ, in qua peccata declinantur probabilius; in ea quippe, ut habet Bernardus, *homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irrigatur frequentius, quiescit securius, moritur fiducius, purgatur citius, præmiatur copiosius*. Si enim culpa non vacat juxta sententiam Antiprobabilistarum sequi opinionem minus probabilem, vi cujus solum probabiliter declinatur legis transgressio, omissa probabiliore, vi cujus declinatur probabilius; a fortiori erit illicitum manere in sæculo, ubi solum probabiliter declinatur peccatum, & gehenna, omisso statu aut Religioso, aut longe perfectiori, in quo peccatum, & gehenna declinatur probabilius. Quare sicut prudenter operatur, & non peccat, qui eo vitæ statu vitam degit, in quo minus probabiliter gehenna declinetur, neglecto statu perfectiori, quem prudentius aggrederetur; ita prudenter operatur qui sequitur opinionem minus probabilem, quamvis operaretur prudentius, & consultius sequendo opinionem probabiliorem. Et ratio a priori est, quia si non esset merum consilium, sed præceptum æmulari charismata meliora, jugum Christi D. esset durissimum, onus supra vires, & via salutis esset impervia.

Quibus adde, quod si dubitaretur, Num detur lex obligans ad sequendam opinionem probabiliorem? ea non teneremur; cum lex dubia non obliget; unde D. Thom. quodl. 6. art. 5. diserte habet: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur*; a fortiori itaque ea lege non tenemur, dum non solum est probabile, sed probabilissimum tum spectatis rationibus ab intrinseco, tum etiam spectata communissima Doctorum auctoritate, hujusmodi legem ad id obligantem non dari.

VIII. Venio nunc ad præsentem thesim, quam docuerunt Serra (*a*), Ledesma (*b*), Velascus, Lorca apud Dian. part. 1. tract. 13. ref. 2., putantes in collatione Sacramentorum licitum esse universim usum Opinionis probabilis, relicta tutiore, nisi forte lex aliqua, aut conventio, aut periculum gravis damni aliud postulet; ut proinde id non liceat in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, & Episcopalis; quia incertitudo, & dubietas de valore baptismi obstat saluti animæ; dubietas de valore Ordinis Sacerdotalis obstat validitati Consecrationum, & Absolutionum: & dubietas Ordinis Episcopalis obstat validitati Ordinis Sacri per Episcopum conferendi; unde ob periculum tanti damni lex naturalis dictat, illicitum esse in his casibus sequi opinio-

pinio-

pinionem probabilem, atque adeo incertam, de valore Sacramenti, omissa tutiore. Idemque docent in collatione Absolutionis Sacramentalis, ubi videtur intercedere inter Confessarium, & Pœnitentem implicita conventio, ratione cujus Pœnitens contrahit obligationem obtemperandi Confessario, & hic viceversa absolvendi Pœnitentem rite dispositum juxta opinionem tutiorem, ne exponat illum periculo carendi gratia Sacramentali ob invaliditatem Sacramenti.

(*a*) „ Negat Patuzzius T. IV. *p.* 6. Serram con„ fixam thesim docuisse. Hæc sunt Serræ verba *lib.* „ 2. *tom.* 2. *qu.* 19. *art.* 6. *dub.* 4. *In administra„ tione Sacramentorum licitum est, omisso eo, quod „ tutius, sequi opinionem probabilem asserentem sic „ vel sic validum, & non irritum fieri Sacramen„ tum, aut ejus effectum suscipi; si tamen Ecclesiæ „ usus & consuetudo id permittat, & non prohibeat.* „ Viden? pejorem damnata thesi propositionem, „ nam proscripta thesis excludit etiam *periculum „ gravis damni incurrendi;* Serra solum *Ecclesiæ „ usum, & consuetudinem.*

(*b*) „ Et hunc favisse damnatæ propositioni ne„ gat Patuzzius. At cujus hæc verba sunt? *Tengo „ por regla cierta, que la opinion probable en las „ cosas morales,* SIEMPER *se puede seguir de la „ manera que es probable,* AUNQUE *sea en agra„ vio de tercero,* y EN MATERIA de SACRAMEN„ TOS, *y esto* SO PENA *de no ser probable.* Le„ desmæ sunt in *Sum. Tom.* 2. *Tr.* 1. *de Fide cap.* „ 5. *post* 6. *conclus.*

IX. Non pauci primi subsellii DD., ut videre est apud Sanch. l. 1. c. 9. num. 33., & Vasquez p. 2. disp. 63. cum Pontio, Machado, Salas, Salonio, & aliis putarunt illicitum esse universim usum opinionis probabilis, relicta tutiore in Sacramentorum administratione; non quidem ex eo capite, quod sit contra virtutem Religionis, seu contra reverentiam Sacramentis debitam, exponere illa periculo frustrationis, sed quia est contra charitatem, & misericordiam exponere hominem periculo carendi gratia Sacramentali, qua indiget; Unde inferunt, posse Pœnitentem suscipere Sacramentum juxta opinionem probabilem de ipsius valore minus tutam, quia potest ipse juri suo cedere. Hæc sententia, ut patet, in hac thesi non proscribitur explicite; in ea enim solum damnatur usus opinionis probabilis, relicta tutiore, in Sacramentis conferendis, non vero in suscipiendis. Nihilominus dicendum censeo cum Suar. tom. 3. in 3. part. disput. 16. sect. 2. Soto, Valent., Henric., & aliis communiter, in conferendis Sacramentis usum opinionis probabilis, relicta tutiore, esse illicitum, etiam ob reverentiam Sacramentis debitam; atque adeo non solum contra Charitatem, sed etiam contra Religionem peccari, exponendo Sacramentum periculo frustrationis; Ex quo fit, quod neque in Sacramentis suscipiendis licitum sit sequi opinionem probabilem de eorum valore, omissa tutiore, ut mox ostendetur.

X. Cardinalis de Lugo dis. 7. de Pœnit. n. 273. solum docuit, licitum esse universim in administratione Sacramentorum sequi opinionem practice probabilem, omissa tutiore. Quæ sententia neque hic proscribitur, neque est rejicienda; quippe quæ non vult licitum esse sequi opinionem speculative probabilem de valore Sacramentorum; sed solum docet licitum esse usum opinionis practice probabilis, omissa tutiore: cum autem nulla opinio ratione cujus exponitur periculo frustrationis Sacramentum, sit practice probabilis, ideo juxta hanc sententiam nunquam licet in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem de eorum valore, relicta tutiore; quod in hac thesi damnatur. Licitum tamen est in Sacramentorum administratione sequi opinionem practice probabilem; quia ex terminis manifestum est, opinionem practice probabilem posse prudenter ac licite in praxim deduci: Quare cum sit practice probabile, quod liceat ex. gr. in Sacramento Pœnitentiæ adhibere attritionem, licitum erit juxta hanc probabilem opinionem suscipere Sacramentum, omissa contritione tutiore.

XI. Fundamenta hujus profligatæ thesis sunt: Primo, quia universim qui sequitur ductum opinionis probabilis, prudenter, atque adeo licite operatur; sed qui sequitur opinionem probabilem de valore Sacramenti, saltem quando ea est probabilior præ opposita, vere sequitur ductum opinionis probabilis: ergo quamvis omittat tutiorem, adhuc prudenter ac licite operatur.

XII. Secundo: nisi hæc thesis subsisteret, non posset a Confessario conferri absolutio cum Jurisdictione solum probabili, omissa certa; Communius tamen DD. docent id licere, ut videre est apud Dian. p. 8. tr. 1. ref. 93. ergo &c. Probatur sequela, quia quamvis Jurisdictio non spectet ad materiam, vel formam Sacramenti, spectat tamen ad valorem Sacramenti, quatenus si vere non adsit Jurisdictio, Sacramentum non est validum, eo quod desit essentiale requisitum formæ Absolutoriæ; atque adeo tam subest periculo frustrationis Sacramentum, si sequamur opinionem probabilem spectantem ad materiam, vel formam, quam si spectantem ad Jurisdictionem; unde si non liceret sequi opinionem probabilem spectantem ad materiam, vel formam Sacramenti, relicta tutiore, nec liceret conferre Sacramentum Pœnitentiæ cum Jurisdictione probabili, omissa certa.

XIII. Tertio: licite Sacramentum suscipitur sequendo opinionem probabilem de ejus valore, omissa tutiore: ergo etiam licite Sacramentum sic confertur; cum in utroque casu æque exponatur periculo frustrationis. Ant. prob., quia communissime docent posse pœnitentem licite accedere ad Sacramentum pœnitentiæ cum attritione, omissa contritione, & tamen hæc sententia de sufficientia attritionis est mere probabilis: cum adversus illam stent Magister Sentent., Hugo, Ricardus de S. Victore, Alensis, Gabriel, Major, Medina, Adrianus, Soto, apud Suar. l. c. quibus accedunt Estius, Molanus, Jansen., Lupus, Dela Verdura; Farvaquius, Havermannus, & alii Recentiores Lovanienses apud Platelium t. 5. num. 649., qui pro sententia requirente contritionem laudant ę Thomistis Cajetanum, Victoriam, Contenson, & ex DD. Societatis Toletum, Comitolum, Pallavicinum. Neque dicas opinionem de sufficientia attritionis esse non solum probabilem, sed etiam moraliter certam: Nam non videtur quomodo possit cohærere hæc moralis certitudo cum auctoritate tot gravium DD. oppositum sentientium.

Confirmatur: quia Alex. VII. die 5. Maji 1667. sub pœna excommunicationis prohibuit, ne censura ulla notaretur aut opinio requirens in attritione aliqualem Dei dilectionem, ut ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento disponat, quod acriter contendebant multi cum Sylvio, Pallavicino, & aliis apud

apud Haunoldum lib. 4. num. 985.; aut opinio negans id requiri cum communi Theologorum apud Lugo disp. 5. de Pœn. sect. 9. ergo ex mente Pontificis utraque opinio videtur probabilis, quamvis prima sit tutior: Communiter autem docent, licitum esse adhibere in Sacramento attritionem excludentem omnem Dei dilectionem condistinctam a proposito non peccandi de cætero, & spe veniæ: ergo licitum est in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem minus tutam.

XIV. Quarto: quia communiter Confessarii absolvunt pœnitentes per hoc tantum, quod probabiliter appareant dispositi, quin requirant dispositionem certiorem: ergo ut prius. Et ratio ulterior videtur esse, quia sicut in casu necessitatis licite adhibetur materia, aut forma dubia conferendo Sacramentum sub conditione, ex eo quod ipsa necessitas tunc excuset a collatione Sacramenti cum periculo frustrandi illud; ita licite adhibetur materia, & forma probabilis, quamvis haberi possit certa; quia moralis impossibilitas assequendi semper, quod est tutius, excusat a collatione Sacramenti cum aliquo periculo frustrationis.

XV. Denique a posteriori id suadetur: quia sæpe Pontifices apud Indos dispensarunt, quod Episcopi consecratio non fieret a tribus, sed ab unico tantum Episcopo, sequentes opinionem probabilem, quod unus sufficiat, quamvis hæc sit minus tuta; Siquidem plurimi DD. docent apud Sanch. l. 7. Conf. dub. 15. num. 26. hujusmodi consecrationem ab uno factam esse invalidam: ergo universim licitum est etiam in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem minus tutam.

XVI. Ostenditur falsitas proscriptæ thesis: Primo, quia non levis irreverentia Sacramento irrogatur sequendo opinionem probabilem de illius valore, relicta tutiore, atque adeo exponendo illud periculo frustrationis; sicut enim, ut advertit Suarius, eandem irreverentiam adversus legem, & adversus Superiorem irrogat, & eodem modo peccat tam qui legem transgreditur, quam qui se exponit periculo illam transgrediendi; ita eodem modo peccat adversus reverentiam Sacramento debitam, tam qui illud frustratur, & invalide administrat, quam qui exponit periculo frustrationis: Non secus ac eodem modo adversus reverentiam Regi debitam delinquit, qui Regem lædit, & qui citra necessitatem exponit se periculo illum lædendi.

XVII. Deinde, esto adversus virtutem Religionis non peccaret, qui administrat Sacramentum cum periculo frustrationis, per hoc quod sequatur opinionem probabilem de ejus valore, omissa tutiore, juxta sententiam laudatam gravium DD.; negari tamen non potest, ut videre est apud Vasquez, & Sanchez loc. cit., quod peccet contra Charitatem. Si enim contra charitatem peccat Medicus, qui propinat pharmacum probabile, omisso certo; a fortiori Minister Sacramentorum adversus Charitatem peccabit, conferendo Sacramentum juxta opinionem minus tutam; Et quamvis gravius peccet, quando Sacramentum est magis necessarium; ut si exponeret periculo frustrationis Baptismum, Ordinem Sacerdotalem, aut Episcopalem; adhuc tamen contra Charitatem peccat, licet levius, exponendo periculo frustrationis reliqua Sacramenta, quæ adeo ad salutem non conferunt. Quamvis autem ex proscripta thesi aperte non inferatur, quod semper sit graviter illicitum conferre quodcunque Sacramentum juxta opinionem minus tutam; at ex materiæ gravitate constat, in hoc usu opinionis probabilis, relicta tutiore, nunquam venialem duntaxat, sed semper contineri de se culpam lethalem.

XVIII. Confirmatur: quia graviter contra Justitiam peccat, tam qui directe projicit sagittam ad occidendum hominem, quam Venator, qui citra necessitatem projicit sagittam ad occidendum animal, quod a longe visum probabilius putatur esse fera, quam homo; eo quod ista major probabilitas speculativa non possit vitare homicidium, si reipsa illud animal fuerit homo: ergo peccat etiam, & quidem graviter contra Charitatem, necnon contra Religionem, tam qui directe confert quodcunque Sacramentum animo illud irritandi, quam qui citra necessitatem confert illud juxta opinionem probabilem minus tutam de ejus valore; eo quod pariter ista probabilitas speculativa non possit vitare invaliditatem Sacramenti, si revera ea opinio non subsistat. Et ratio a priori est, quam adducimus ex Suario; quia scilicet tam peccat contra legem, qui directe illam transgreditur, quam qui exponit se periculo illam transgrediendi.

XIX. Ad primam rationem in contrarium respondeo, argumentum probare nimis; probat enim etiam in collatione Baptismi, & Ordinis licitum esse sequi opinionem probabilem minus tutam, quod ne ipsa quidem confixa thesis audet asserere. Quare is tantum prudenter operatur, qui sequitur opinionem practice probabilem; ostendimus autem, opinionem probabilem de valore Sacramenti, omissa tutiore, non esse practice probabilem: ergo non prudenter, nec licite operatur, qui ei se accommodat.

XX. Ad secundam negatur sequela; dispar enim est ratio inter opinionem probabilem spectantem ad materiam, aut formam Sacramenti, & opinionem probabilem spectantem ad Jurisdictionem, sive illa sit essentiale requisitum, ut docent communius, sive etiam constituat Sacramentum. Quando enim opinio probabilis versatur circa materiam, & formam Sacramenti, tunc illud exponitur periculo frustrationis, & incertum est, an Sacramentum conferatur: cum de ratione opinionis sit incertitudo: At quando opinio probabilis versatur circa Jurisdictionem, tunc Sacramentum non exponitur periculo frustrationis, quia certum moraliter est (ut fuse ostendi in Opusculo de Jubilæo quæst. 3. num. 4. ex Lugo disp. 17. de Pœn. num. 33. Suar. Sanchez lib. 14.) illam ab Ecclesia Parente pientissima suppleri, si forte desit; quicquid nonnulli in contrarium adducant. Quod si certum moraliter sit Sacramentum conferri cum Jurisdictione solum probabili, omissa certa, licitum erit ex dictis Confessario cum probabili tantum Jurisdictione absolutionem impendere. Unde, ut notat Dian. p. 9. tract. 7. ref. 50., licite in articulo mortis absolvitur moribundus a simplici Sacerdote, etiam præsente Sacerdote proprio; Sicut etiam licite adhibetur in articulo mortis in Sacramento attritio, cum moraliter certum sit eam sufficere, ut mox explicabimus, quin eatenus exponatur discrimini salus æterna.

XXI. Ad tertiam: Antecedens a gravibus DD. supra laudatis admittitur; putant siquidem non peccari contra Religionem, sed contra Charitatem ab eo, qui confert Sacramentum juxta opinionem minus tutam; & idcirco solum esse illicitum in Sa-

cramentis conferendis, non vero in suscipiendis sequi opinionem probabilem de eorum valore, omissa tutiore. Equidem vero cum Suar. t. 3. in 3. p. disp. 16. Less., Bonac., Regin., & aliis communius nego antecedens; puto enim contra reverentiam Sacramentis debitam peccari, sive ea conferantur, sive suscipiantur juxta opinionem minus tutam. Ad probationem itaque antec. Suar. l. c. respondet, a DD. vocari in controversiam, An attritio sufficiat ad fructum Sacramenti, sed extra opinionem esse, quod sufficiat ad valorem; unde qui omissa contritione ponit attritionem, non sequitur opinionem mere probabilem de valore Sacramenti. Verum quia hoc ipsum videtur aliquam irreverentiam adversus Sacramentum continere, vid. exponere periculo frustrationis ejus fructum, idcirco juxta doctrinam traditam responderi potest cum eodem Suar. numer. 20., Opinionem de sufficientia attritionis tum ad valorem, tum ad fructum Sacramenti, non esse mere probabilem, aut probabilissimam, sed practice, ac moraliter certam, (ut hic supponimus ex fuse dicendis in expositione decimæ quintæ propositionis ab Alex. VIII. proscriptæ, ubi ostendemus sufficere etiam attritionem ex mero pœnarum metu conceptam absque alia dilectione Dei imperfecta.) Propterea licite in Sacramento Pœnitentiæ adhibetur attritio, omissa contritione tutiore; eo quod in negotio nostræ salutis Deus solum obliget nos ad media moraliter, non ad media metaphysice certa; aliter teneremur ad contritionem intensissimam, & ad illam iterandam quoad ejus fieri potest, ut tutius justificationem consequamur, quod nemo somniavit. Hinc communius docent, etiam in articulo mortis licite attritionem in Sacramento adhiberi; (præsertim quia si in articulo mortis satisfiat præcepto diligendi Deum super omnia, quod tunc urget, superadditur nova moralis certitudo justificationis, atque adeo æternæ salutis) quin detur obligatio, sed solum consilium iterandi actus contritionis, satagendo magis, ut per illos certiorem electionem nostram faciamus.

XXII. Quod spectat ad auctoritatem tot gravium DD. requirentium contritionem in Sacramento, ea non infringit moralem certitudinem de sufficientia attritionis; etenim, ut advertit Suar. n. 3. graves illi DD., nempe Mag. Sent., Hugo, Alensis, Ricard., Bonav., negabant potestatem Clavium extendi ad remissionem culpæ mortalis, putantes Sacerdotem non remittere peccata, sed solum declarare illa esse remissa, & idcirco contritionem in Sacramento requirebant; Cum autem hoc fundamentum post Tridentinum corruerit, auctoritas istorum DD. huic sententiæ non suffragatur. Præterquamquod ut advertit Platelius t. 5. n. 715. bene cohærent ista duo, quod opinio de sufficientia attritionis sit moraliter certa, & opinio opposita habeat aliquam tenuem probabilitatem, cum certitudo moralis non consistat in indivisibili, unde possit non esse summa, excludens quamcumque probabilitatem, etiam tenuem, sententiæ oppositæ. Sic de facto communissime docent esse moraliter certum, quod possimus in humanis actionibus sequi opinionem probabilem faventem libertati in conflictu probabilioris faventis legi; & tamen non pauci docent oppositum. Sic etiam communiter dicimus licite conferri Sacramentum Pœnitentiæ cum Jurisdictione solum probabili, quia moraliter certum est eam suppleri ab Ecclesia, si forte desit, aliter exponeretur periculo frustrationis Sacramentum; & tamen non pauci docent Jurisdictionem ab Ecclesia suppleri solum, quando adest error communis cum titulo colorato, non vero quando Jurisdictio est solum probabilis: quare bene potest moralis certitudo opinionis consistere cum hoc, quod non pauci sentiant oppositum; quando scilicet & ratio videtur perspicua, ac valde solida, & communissime eam DD. amplectuntur.

Ad confirmationem: Quamvis Alex. VII. ad vitandas contentiones, & diffidia vetuerit, ne alterutra ex iis opinionibus carpatur, hinc non infertur, quod non sit practice, & moraliter certa sententia de sufficientia attritionis in Sacramento absque illa aliquali Dei dilectione, quam Adversarii comminiscuntur; sive ea dicatur consistere in hoc, quod attritioni annectatur dilectio aliqua Dei debilis, & remissa, sive in hoc, quod attritio procedat ex utroque motivo contritionis simul, & attritionis, sive bonitatis Divinæ, & pœnarum. Et ratio est, quia utraque ista aliqualis dilectio sic explicata est vera Dei dilectio sufficiens ad justificationem extra Sacramentum; ergo moraliter certum est, quod ea in Sacramento non requiratur; Non secus ac moraliter certum est, quod non requiratur contritio; tum ex verbis Trident. sess. 14. cap. 4. dicentis attritionem disponere ad gratiam in Sacramento; tum quia aliter Sacramentum Pœnitentiæ nunquam peccata remitteret, nec esset Sacramentum mortuorum, sed vivorum, si contritionem necessario præsupponeret; tum pariter quia lex gratiæ non esset benignior, sed difficilior lege Mosaica, & naturæ, in quibus sola contritio absque confessione ad remissionem peccati requirebatur; tum demum quia male in Can. *Si Presbyter* 26. qu. 3. diceretur: *Si Presbyter pœnitentiam morientibus denegaverit, reus erit Animarum*; si enim contritio prærequireretur, ea independenter ab absolutione Sacramentali sufficeret ad salutem. Quare id quod dicitur 1. Jo. 5. *Qui non diligit, manet in morte*, & 1. ad Cor. 3. *Sine charitate nihil sum*, non est intelligendum de charitate actuali, ut contendit Pallavicinus, sed habituali; aliter infantes post Baptismum essent in morte, cum careant actuali charitate. Illud vero, quod habetur in Trid. sess. 6. c. 6. vid. peccatores ad justificationem disponi. *Dum deum tamquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium, & detestationem*, apte explicatur, circumscripta illa aliquali dilectione Dei ad mentem Adversariorum, si dicatur, peccatores habere inchoatam Dei dilectionem per propositum non peccandi de cætero inclusum in attritione ex mero metu pœnarum: qui enim proponit non peccare de cætero, proponit servare omnia mandata; cum autem inter Dei mandata sit præceptum dilectionis proponit consequenter Deum diligere, atque adeo illum in causa, & inchoate diligit. Præterquamquod peccator incipit Deum diligere per actum Spei prævium ad attritionem, amando illum amore concupiscentiæ ut bonum sibi, non vero amore benevolentiæ, quatenus bonum in se, quod spectat ad Charitatem. Fixum itaque sit, opinionem de sufficientia attritionis ex mero pœnarum metu conceptæ esse moraliter, ac practice certam; quin huic morali certitudini refragetur auctoritas nonnullorum aliter sentientium: Sicut sunt etiam moraliter certæ opiniones, quod non requiratur contritio intensissima ad justificationem, neque quod de singulis peccatis singulæ contritiones requirantur, & aliæ hu-

hujusmodi ', quamvis non pauci illas docuerint: nam, ut loquitur D. Ambrof. in Pfalm. 118. *Sunt qui habent timorem Dei, sed non secundum scientiam, statuentes duriora præcepta, quæ non possit humana conditio sustinere. Timor ex eo est, quia sibi videntur consulere disciplinæ, opus virtutis exigere; sed inscitia in eo est, quia non compatiuntur naturæ, non æstimant possibilitatem*, &c.

XXIII. Ad quartam: quando pœnitentes apparent probabiliter dispositi, nec apparet motivum in oppositum, tunc habetur de sufficienti dispositione moralis certitudo, si minus objectiva, & absoluta, certe subjectiva, & respectiva, idest quantum hic & nunc sufficit ad rite absolutionem impendendam, eo quod esset moraliter impossibile assequi majorem illam, & majorem certitudinem, quæ physice posset haberi; ad eum modum, quo ad prudenter imperandum actum fidei firmissimum super omnia non sufficit mera probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de existentia revelationis, (ut constat ex propositione 21. inferius exponenda) nihilominus Rusticus, cui a Parocho proponitur Verbi Incarnatio, dicitur habere notitiam non mere probabilem, sed moraliter certam revelationis, si non habeat motivum dubitandi de inscitia, aut mendacitate Parochi; ea quippe notitia, licet de se non ferat moralem certitudinem, at respectu rustici, qui non tenetur ulterius inquirere, (ne obligetur ad moraliter impossibile) dicitur ferre certitudinem moralem respectivam. Ad id, quod in argumento additur; verum est, quod in casu necessitatis adhiberi possit materia dubia, & a fortiori materia probabilis in collatione Sacramenti, si non possit haberi certa; secus tamen si non detur impossibilitas moralis adhibendi tutiorem.

XXIV. Ad ultimam: quamvis olim multi docuerint, Episcopi consecrationem ab unico Episcopo factam esse invalidam; atque adeo illicitus tunc fuisset usus opinionis probabilis de valore talis Consecrationis, omissa tutiore: postquam tamen Pontifices, præmissa Theologorum consultatione, declararunt eam esse validam, ac proinde apud Indos, ubi non est Episcoporum multitudo, dispensarunt, ut licet ab unico Episcopo Episcopi consecrarentur, erroneum est validitatem talis consecrationis in dubium revocare; etenim, ut habet Bannez 2.2. q. 1. art. 4. dub. 8. *Non potest Pontifex errare, ita ut approbet leges perniciosas, aut nocivas saluti animarum; & oppositum dicere, est hæreticum;* &, ut bene Canus l. 6. de Locis propos. 2. *Si pascua salubris doctrinæ ovibus Christi non daret, sed posset eas erroribus falsis, & perniciosis pascere, non esset a Christo Ecclesiæ provisum*; quinam autem error perniciosior, quam Ecclesiam Dei Episcopis, & Sacerdotibus orbare? quod contingeret, si invalida esset consecratio Episcopi ab unico Episcopo facta, quam Pontifex permitteret.

XXV. Ex hactenus dictis sequitur primo, in hac thesi, in qua proscribitur, non esse illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem minus tutam, explicite non proscribi, quod id sit etiam illicitum in Sacramentis suscipiendis, implicite tamen videtur id etiam proscribi. Ratio est, quia, ut ostendimus ex Suar., & aliis communius, ex hoc etiam capite illicitum est in Sacramentis conferendis sequi opinionem de valore Sacramenti minus tutam, quia exponitur periculo frustrationis Sacramentum; & idcirco sic administrans Sacramenta non solum peccat contra Charitatem, sed etiam contra Religionem, seu contra reverentiam Sacramentis debitam: atqui eodem modo exponitur periculo frustrationis Sacramentum, si adhibeatur materia, vel forma minus tuta in conferendis, quam si adhibeatur in suscipiendis Sacramentis: ergo utrumque est illicitum; unde implicite videtur illa etiam sententia proscribi, quæ plures habuit Patronos apud Sanchez loc. laud. Et sane cum thesis proscripta dicat, Non esse illicitum usum talis opinionis probabilis, nisi id vetet lex, aut conventio, aut periculum gravis damni, seu nisi id vetet Obedientia, Justitia, aut Charitas, sequitur, quod vera sit sententia opposita dicens, hujusmodi usum esse illicitum, etiamsi id non vetet Obedientia, Justitia, aut Charitas, sed sola Religio, seu periculum frustrandi Sacramentum: unde ex hac thesi legitime videtur inferri usum hunc opinionis probabilis esse illicitum, quoties Sacramentum exponitur periculo frustrationis; atque adeo etiam in susceptione Sacramentorum.

Confirmatur: quia thesis proscripta æquipollet huic exceptivæ; Tantum est illicitum uti hac probabilitate, quando in contrarium est lex, aut conventio, aut periculum damni gravis: ergo vera est propositio contradictoria, quod scilicet non tantum ob has causas id sit illicitum, atque adeo etiam ob aliam causam, videlicet ob irreverentiam, quæ Sacramento irrogatur exponendo illud periculo frustrationis: cum autem hæc causa æque militet tam in collatione, quam in susceptione Sacramentorum, sit in utroque casu ex vi hujus thesis dicendum, esse illicitum usum opinionis probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiore.

XXVI. Sequitur secundo, quod licet illicitum sit tam in conferendis, quam in suscipiendis Sacramentis uti opinione probabili minus tuta, liceat tamen uti opinione probabilissima, seu moraliter certa, omissa tutiore, ut constat tum ex propositione 3. ab Alex. VIII. proscripta, quæ negat universim licere sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam: tum etiam quia etiam in negotio salutis æternæ Deus non obligat homines ad adhibenda media metaphysice, sed solum moraliter certa; aliter via salutis non esset arcta dumtaxat, sed etiam impervia. Quod ex eo confirmatur, quia post hujus thesis confixionem interrogata S. Congregatio a Diœcesi Hispalensi, utrum liceret Oleo Benedicto ad Extremam Unctionem conferendam aliud non benedictum pluribus vicibus adjungere; ita tamen ut Oleum adjunctum in unaquaque admixtione sit in minori quantitate, quam benedictum, quamvis adjunctum in omnibus simul admixtionibus superet quantitatem Olei Benedicti? Respondit die 23. Septembris 1682. id licere: Et ratio hujus responsionis descendit ex doctrina tradita, quod scilic. liceat in Sacramentis conferendis uti opinione moraliter certa de eorum valore, omissa tutiore: Quamvis enim multi essent in opposita sententia, putantes exponi Sacramentum Extremæ Unctionis periculo frustrationis adhibendo hoc Oleum, quia tamen est moraliter certum, quod hujusmodi Oleum sufficiat ad valide conferendum Sacramentum; siquidem, ut notat Busemb. ex Bonac., & aliis, hæc est praxis Ecclesiæ, ut si necessitas requirat ob copiam infirmorum; sæpius paulatim adjungatur Oleum non consecratum consecrato, etiamsi post plures additiones major sit quantitas Olei non consecrati, quam consecrati; idcirco

idcirco Sacra Congregatio respondit, licere eam admixtionem. Hinc cum videatur esse moraliter certum, non requiri in Sacramento Poenitentiae aut contritionem intensissimam, aut attritionem existimatam contritionem, [aut singulas contritiones de singulis peccatis, aut propositum non peccandi de caetero formale, sed sufficere virtuale, ut videre est apud Dicastil. disp. 6. n. 212. ac sufficere etiam attritionem supernaturalem ex metu poenarum temporalium, ut a Deo vindice infligendarum (*a*), & alia hujusmodi; idcirco licite sequimur hujusmodi opiniones probabilissimas, omissis tutioribus. Contra vero quia est solum probabile, & non moraliter certum v. gr. quod in Confessione venialium sufficiat mera non complacentia, & dolor virtualis inclusus in proposito confitendi, ut putarunt Praepositus, Sylv. Rosella, & alii apud Tamb. de Conf. l. 1. c. 3., & Dian. p. 11. tract. 5. res. 22., aut quod sufficiat ad Sacramentum Poenitentiae dolor, etiamsi per longissimum tempus praecesserit Confessionem, dummodo non sit retractatus, ut docent Leand., Hurt., Candidus apud Tamb. de Conf. c. 2. n. 6., & alia id genus; ideo hujusmodi opiniones illicite in praxim deducuntur. Quicquid sit autem, Num universim possit iterari absolutio super iisdem peccatis non iterato dolore, ut multi autumant cum Ledesma, Lugo, Dicastillo apud Tamb. l. c. & Dian. res. 21. certum tamen videtur ex praxi Ecclesiae, & Confessariorum, ut notant Lugo, & Diana ibidem, non esse necesse, quod qui post absolutionem statim reconciliatur, moneatur de novo dolore iterando. Et ratio hujus praxis videtur esse, quia est moraliter certum, quod dolor praeteritus non sit retractatus, & conjungatur moraliter cum nova Absolutione, si paulo ante praecesserit; secus vero si reconciliatio non fiat statim.

(*a*) „ Concina T. IX. p. 235. Vivam propter hanc „ doctrinam exagitat. Eam & ego practice impro- „ bandam censeo]. Confer Cardenam *in Crisi prop.* „ *diss.* 2. *c.* 6. *art.* 2. *q.* 2.

XXVII. Sequitur tertio, illicitum esse usum opinionis probabilis minus tutae, solum si spectet ad valorem, seu ad materiam proximam, & formam Sacramenti, non vero si spectet ad materiam remotam; tunc enim non exponitur periculo frustrationis Sacramentum, atque adeo neque contra Religionem, neque contra Caritatem peccatur. Hinc licite poenitens accommodat se opinioni probabili minus tutae, quod non detur obligatio aperiendi in Confessione aut circumstantias mere aggravantes, quae non mutant peccati speciem, aut peccati complicem, quando aliter circumstantia mutans speciem explicari non potest, aut peccatum negative dubium, & alia hujus generis: hujusmodi enim opiniones probabiles, si re vera essent falsae, non redderent irritum Sacramentum, sicut opiniones probabiles, quae spectant ad constitutiva Sacramenti; unde non exponunt illud periculo frustrationis.

XXVIII. Sequitur quarto, quid dicendum in ordine ad praxim circa Sacramentum Poenitentiae validum & informe, quod a Suar., Lugo, & aliis communius contra Vasqu., Con., Amicum, & alios solum probabiliter censetur dari posse ex defectu doloris illimitati; quando scil. habens verb. grat. duo peccata furti, & sacrilegii, de furto dolet ex motivo turpitudinis suae specialis, & nullatenus dolet de sacrilegio, aut quia illius est invincibiliter oblitus, aut quia non advertit ad obligationem dolendi de illo. Ad quod dicendum primo, quod non liceat ponere dolorem de furto limitatum, seu ex motivo particulari turpitudinis furti, quando solum est probabile, quod nullum aliud peccatum sit commissum. Ratio est, quia sequendo hanc opinionem probabilem minus tutam exponeretur Sacramentum periculo frustrationis. Dicendum videtur secundo, licite poni dolorem de furto limitatum, quando datur moralis certitudo, quod nullum aliud peccatum mortale fuerit commissum. Ratio est, quia videtur moraliter certum, quod hujusmodi dolor limitatus sufficiat ad valorem, & fructum Sacramenti, quando constat nullum aliud peccatum esse commissum, siquidem, ut advertit Dicast. l. 8. dis. 6. dub. 5. hic est fere communis DD. sensus: ergo in tali casu, in quo dolor constituens Sacramentum est etiam dispositio ad gratiam, erit moraliter certus valor, & fructus Sacramenti; unde non exponitur periculo frustrationis. Dicendum tertio, quod si quis bona fide adhibuerit dolorem limitatum de furto, & deinde deprehendat se olim commisisse aliud peccatum, puta sacrilegii, poterit juxta opinionem probabilem de valore prioris Sacramenti informis subjicere clavibus in sequenti Sacramento solum peccatum sacrilegii, quia accommodando se huic opinioni probabili non exponit Sacramentum periculo frustrationis; eo quod opinio ista probabilis, quod non detur obligatio iterum confitendi furtum, versetur circa materiam remotam, & non circa valorem Sacramenti.

XXIX. Negotium tamen hac in re non leve facessit celebris illa quaestio, An liceat matrimonium contrahere, atque adeo Sacramentum conficere simul, & suscipere cum sola opinione probabili, & non moraliter certa, quod nullum subsit impedimentum dirimens, aut quod praecesserit super impedimento dirimente sufficiens dispensatio. Nonnullis videtur negandum, quia scilicet exponeretur periculo frustrationis Sacramentum Matrimonii sequendo opiniones istas mere probabiles minus tutas. Equidem tamen distinguendum censeo, & Dico primo, id non licere, si probabilitas sit circa factum, hoc est si probabile sit adesse hujusmodi impedimentum, aut non adesse dispensationem. Quod ex eo videtur colligi, quia in c. *Inquisitioni* de Sent. excom. dicitur, habentem probabilitatem de impedimento dirimente consanguinitatis, aut affinitatis non posse debitum petere, quamvis teneatur reddere: ergo signum est Ecclesiam non habere hujusmodi matrimonium pro indubitanter valido; atque adeo si cum tali probabilitate matrimonium contrahatur, exponitur periculo frustrationis, quod est illicitum. Dico secundo, id licere, si probabilitas sit circa jus, hoc est, quando probabiliter utrinque DD. censent aliquod esse vel non esse impedimentum, aut dispensationem esse, vel non esse validam. Ratio est, quia quando utrinque habentur hujusmodi opiniones probabiles, consuetudo, & praxis Ecclesiae fert, quod matrimonium sic contractum censeatur validum; atque adeo Ecclesia vult matrimonium non dirimi ab impedimento, quod probabiliter non est impedimentum, aut quando dispensatio probabiliter est valida; unde non exponitur periculo frustrationis hoc Sacramentum, si cum tali probabilitate matrimonium contrahatur.

Confirmatur. Non alia de causa communiter dicimus, Sacramentum Poenitentiae licite conferri cum Jurisdictione solide probabili, nec eatenus exponi peri-

periculo frustrationis, nisi quia moraliter certum est, jurisdictionem in tali casu ab Ecclesia Parente benignissima suppleri, si forte desit, ut fert communior DD. sensus apud Dianam p. 8. tr. 1. res. *93.* non secus ac suppletur Jurisdictio ex Ecclesiæ benignitate, quando adest error communis cum titulo colorato propter commune bonum: (eadem quippe incommoda sequerentur, ut notat Bonac. disp. 5. de Pœnit. q. *9.* p. 5. §. 4. si Jurisdictio ab Ecclesia non suppleretur, quando Sacramentum administratur cum Jurisdictione tantum probabili, ac quando administratur cum errore communi, & titulo colorato; immo etiam cum solo errore communi, ut docent plurimi apud eumdem Dian. res. *64.*) Atqui pariter ex Ecclesiæ benignitate impedimentum dirimens nullum est, & matrimonium habetur pro valido, quando est solum probabile, quod aliquod non sit impedimentum, aut quod dispensatio sit valida: ergo licite etiam cum hac probabilitate matrimonium contrahitur, quin Sacramentum exponatur periculo frustrationis. Minor ostenditur ex praxi Ecclesiæ, quæ semper hujusmodi matrimonia declaravit valida: Declaravit quippe validum apud Dianam in fine partis II. Matrimonium initum cum metu reverentiali, qui a multis apud Sanch. lib. 4. disp. *6.* censetur impedimentum dirimens: Declaravit etiam validum apud eumdem Dianam in fine partis X. matrimonium, in quo testes non fuerunt specialiter ad contractum vocati, nec contrahentes fuerunt interrogati a Parocho, qui invitus interfuit; quod impedire validitatem matrimonii docent non pauci apud Sanch. lib. 3. disp. *39.* Præterea Urbanus VIII. rogatus, ut in India dispensaret cum iis, qui suscepto Baptismo vellent aliquam ad arbitrium ex iis multis uxoribus, quas præhabebant, retinere, quin cogerentur ad retinendam primam, respondit, ut refert Carden. hic num. 553. non opus esse dispensatione, sed posse Missionarios sequi opiniones Barbaris illis favorabiliores. Et ratio ulterior est, quia causa matrimonii in cap. fin. de Sent., & re judic. dicitur esse causa favorabilis, in qua non est standum pro Reo, sed pro Actore, atque adeo a Judice semper favendum valori matrimonii quoad ejus fieri potest: ergo rationabiliter Ecclesia vult favere matrimonio, reddendo illud validum, quoties juxta probabiles opiniones contrahitur; Propterea in cap. *Ex literis* de Probat. deciditur, Judicem inter probationes æquales debere stare pro Reo, præterquam in causa liberali, hoc est, ut exponit Glossa, præterquam in causa Matrimonii.

Neque dicas primo, id esse verum solum si matrimonium sit contractum, quia tunc est in possessione; non vero si sit contrahendum.

Nam in tantum favendum est Actori, & standum pro validitate matrimonii, quando matrimonium est contractum, quia causa matrimonii est favorabilis, & favores ex Reg. 15. Jur. sunt ampliandi; sed hoc probat, quod etiam matrimonium contrahendum haberi debeat pro valido, quoties juxta opiniones Probabiles contrahitur: ergo &c. Et ratio ulterior est, quia quamvis matrimonium contractum ex eo, quod stet in possessione, debeat a Judice manuteneri; possessio tamen non sufficit, quod feratur sententia pro ejus valore, cum non sufficiat possessio ad ferendam sententiam in articulo proprietatis: ergo si Ecclesia matrimonium contractum declarat validum, quoties juxta opiniones probabiles fuit contractum, non ideo declarat validum, quia fuit contractum, & stat in possessione, sed quia est causa favorabilis; atque adeo etiam matrimonium eodem modo contrahendum ab Ecclesia habetur pro valido; & impedimentum, quod probabiliter non est dirimens, habetur pro nullo: & de facto Urban. VIII. in responsione laudata loquitur etiam de matrimoniis contrahendis.

XXX. Neque dicas secundo, Ecclesiam solum posse reddere validum matrimonium, quod contrahitur juxta opinionem probabilem circa impedimentum dirimens jure Ecclesiastico, non vero si dirimat jure Naturali, aut Divino, cum non possit Ecclesiæ auctoritas ad id se extendere.

Nam sicut in dubio invincibili de honestate actionis potest Ecclesia præcipere Subdito talem actionem, & Subditus tenetur obedire, ut docet August. lib. 22. contra Faustum c. 74., & refertur in Cap. *Qui culpatur* 23. q. 1. E. gr. si solum sit probabile, quod bellum sit justum, potest Superior obligare Subditos ad bellandum; & Subditi, quamvis probabiliter putent bellum esse injustum, adhuc tenentur obedire: ita pariter, si probabile tantum sit impedimentum esse dirimens jure Naturali, aut Divino, potest Ecclesia, sequendo opinionem probabilem oppositam, obligare homines, quod matrimonium juxta has probabiles opiniones contractum habeatur pro valido, & nulla habeatur ratio ejus impedimenti: unde doctrina tradita procedit de quolibet impedimento, sive dirimat matrimonium jure Ecclesiastico, sive jure Naturali, aut Divino, si matrimonium sit contractum. At si sit contrahendum, abstinendum videtur, ubi Pontifex dispensare non possit, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis.

Confirmantur hæc omnia ex quadam decisione in Tribunali Hispalensi apud Cardenas hic num. *629.* Vir quidam detulerat puellam ad suscipiendum Sacramentum Confirmationis, volebatque ejus esse Patrinus: At dum Episcopus Sacramentum contulit, Vir aliquantulum distans non tenuit puellam physice, sed moraliter, ita scilicet ut communiter existimaretur Patrinus. Quia tamen probabile est, quod Patrinus non contrahat impedimentum dirimens matrimonium, nisi physice teneat eum, qui baptizatur, aut confirmatur, ideo volebat puellam illam in conjugem accipere citra dispensationem. Judex autem in tali casu decrevit, quod citra dispensationem acciperet in conjugem, si factum plene probaret, secus peteret dispensationem: ille nonnisi semiplene, & probabiliter probavit quod puellam non tenuerit physice, & idcirco indiguit dispensatione. Ex qua decisione perspicuum fit, matrimonium juxta opinionem probabilem de carentia impedimenti spectantem ad jus, valide, & licite contrahi; secus vero si spectet ad factum.

XXXI. Ex dictis hactenus fit primo, posse licite matrimonium contrahi cum dispensatione in impedimento dirimente facta ab Episcopo in casu urgentis necessitatis; ut cum probabile sit posse Episcopum in tali casu dispensare. Fit secundo, matrimonium invalidum posse revalidari sine Parocho, & Testibus juxta probabilem opinionem apud Sanch. lib. 2. disp. 36. Fit tertio, posse revalidari matrimonium invalidum, etiamsi alter Conjux sit ignarus nullitatis, quando ex revelatione nullitatis grave scandalum timetur, ut plurimi docent apud eumdem Sanchez. Fit quarto, posse licite matrimonium contrahi inter Patrinum, & Matrem baptizati, quando

quando Baptismus collatus est sine solemnitatibus in necessitate ob periculum vitæ Infantis; cum probabiliter in tali casu impedimentum dirimens cognationis spiritualis non contrahatur, ut multi apud Sanch. lib. 7. disp. 72. Fit quinto, non posse licite matrimonium contrahi cum sola probabilitate facti circa impedimentum dirimens; puta si tantum probabile sit non dari impedimentum dirimens affinitatis; quia Ecclesia non consuevit hujusmodi matrimonia habere pro ratis. Et ratio disparitatis inter probabilitatem circa factum, & circa jus est, quia opinio probabilis circa factum facile deprehendi potest falsa; quod si contingeret, jam matrimonium cum ea probabilitate celebratum, deberet dissolvi; At non facile deprehendi potest falsa opinio probabilis circa jus; & idcirco rationabiliter Ecclesia hujusmodi matrimonia habet pro validis. Unde non exponitur periculo frustrationis Sacramentum matrimonii celebrati juxta opinionem probabilem circa jus, relicta tutiori. Nihilominus si circa factum de impedimento dirimente detur dubium invincibile, tunc standum pro libertate, quæ est in possessione; unde licite potest matrimonium contrahi: Contra vero si dubium sit de validitate dispensationis, matrimonium non potest contrahi, quia stat in possessione lex prohibens matrimonium sub impedimento prævio. Fit denique, matrimonium celebratum juxta opinionem probabilem, quod nullum subsit impedimentum, non posse deinde ob probabilitatem opinionis oppositæ de existentia impedimenti dissolvi. Ratio est, quia hoc fert natura hujus contractus indissolubilis, ut velit Ecclesia illum valide, & indissolubiliter contrahi, etiamsi secundum opinionem probabilem circa jus contrahatur.

PROPOSITIO II.

Probabiliter existimo. Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minus probabilem.

SYNOPSIS.

I. Distinguendum inter causas Criminales, & Civiles: Necnon inter dubietatem circa factum, & circa jus.

II. Quando in causis Civilibus dubietas oritur ex opinionum diversitate circa jus, non pauci docuerunt posse Judicem ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem.

III. Ratio, qua nititur hæc sententia, est, quia sequens ductum opinionis probabilis prudenter operatur. IV. Hinc fieret, quod posset Judex ad arbitrium modo uni, modo alteri parti favere, quoties utrinque dantur opiniones probabiles circa jus.

V. Dicendum tamen, Judicem jure positivo Civili, & Canonico, necnon jure Naturali, debere sententiam ferre juxta opinionem probabiliorem, ex quodam implicito contractu cum Republica. VI. Ad id quippe astringitur, quando constituitur Judex.

VII. Aliter dici deberet Personarum acceptor.

VIII. Hinc non operatur prudenter judicando juxta opinionem minus probabilem: Sicut nec Medicus ver. gr. adhibendo pharmacum minus probabile omisso probabiliori. Idemque dicendum, quoties per usum opinionis probabilis damnum tertii non declinatur.

IX. Contrahit onus restitutionis Judex, si ferat sententiam juxta opinionem minus probabilem.

X. Quamvis neuter ex collitigantibus habeat jus strictum in re ante sententiam Judicis; uterque tamen habet jus strictum, ne res adjudicetur ei, cui minus assistunt favores Legum.

XI. Quod dicitur de Judice, dicendum etiam de Arbitris, & similibus.

XII. Tunc solum potest Judex accommodare se opinioni Collegæ, quando censet eum esse doctiorem, & integerrimum.

XIII. Advocatus, & Procurator possunt patrocinari causæ, cui putant minus assistere favores Legum; & probabiliter etiam causæ dubiæ, proponendo Judici merita causæ.

I. Exponitur. Quando dubietas ob diversitatem opinionum est in causis criminalibus, conveniunt omnes, quod Judex teneatur favere Reo, sequendo opinionem probabilem illi faventem, etiamsi sit minus probabilis præ opposita; dicitur enim in Reg. 11. de Reg. Jur. in 6. *Cum sunt partium jura obscura, Reo favendum est potius, quam Actori.* In causis vero civilibus, si dubium sit circa factum, v. gr. Num homo fuerit sui compos, dum condidit Testamentum? Num commiserit delictum, unde ad restitutionem teneatur? communissime docent, debere Judicem ferre sententiam pro eo, qui plures probationes circa factum adducit. Quod si æquales sint probationes, favendum potius Reo, quam Actori, juxta varias Regulas juris positivi, & naturalis apud Juristas; In causis enim Pupillorum, Viduarum, Locorum piorum, Matrimonii, Dotis, libertatis &c. Judices, si non possint rem dividere, debent ferre sententiam pro his privilegiatis. Similiter in causa utrinque dubia circa jus dubio negativo, favendum est potius Possessori, & Reo; cum in dubio melior sit eorum causa. Quod si neuter possideat, res dividenda, etsi sit invidua, quamvis Ledesma putet posse a Judice applicari cui maluerit, (sicut potest Episcopus Beneficium conferre cui maluerit, si duo sint æque digni) communiter tamen docent ejus pretium esse dividendum; vel forte poterit lis dirimi, & res alteri applicari, si consentiant, ut videre est apud Lugo disp. 37. de Justitia numer. 121. ex Sanch., Salas, & aliis; Idemque dicendum contra Bannez, & Gran. apud eundem Lugo, quoties utrinque opiniones sint æque probabiles circa jus, & neuter possideat; cum non sit major ratio, cur uni potius, quam alteri res adjudicetur; & Judex teneatur secundum merita causæ judicare. Neque obstat paritas Beneficii, quod potest alterutri ex æque dignis conferri ad arbitrium Episcopi; Nam Beneficium ne secundum æstimationem quidem potest dividi. His positis,

II. Quod nunc inquiritur, est, An quando dubietas in causis civilibus oritur ex diversitate opinionum circa jus, tunc possit Judex ferre sententiam juxta opinionem minus probabilem? Affirmarunt Salon. Ledesm., Delrio, Lorca, & alii apud Dian. p. 1. tr. 23. ref. 3., quorum opinionem alii cum Bonac. dixerunt probabilem, quamvis doceant oppositam.

III. Ratio, qua hæc sententia nititur, est, quia qui juxta opinionem probabilem fert sententiam, prudenter operatur: ergo non peccat omittendo sententiam probabiliorem.

IV. Adducit pro hac eadem sententia ad decem alios graves Auctores Dian. p. 11. tract. 2. ref. 60. Et ex illa infert, Judicem posse prout libuerit in ferenda sententia, secluso scandalo, modo uni, modo alteri favere in omnibus casibus, in quibus est opinionum varietas, ut sunt v. g., Num filii expositi reputari debeant legitimi, an illegitimi? Num Pater teneatur filiam naturalem dotare? Num collatio Beneficii facta vel infami, vel regulari sit ipso jure nulla? Num possessor bonæ fidei teneatur restituere fructus industriales mixtos bona fide consumptos, si factus sit ditior? & similes, quos congerit Tamb. lib. 1. cap. 3. numer. 24. Nec defuerunt, qui docerent posse Judicem hæc arbitria vendere; quos rejecimus, cum de propositione 26. Alex. VII. Et Valerus, aliique putarunt, quod si Judex juxta opinionem minus probabilem judicando peccaret, aut ratione scandali, aut quia ex proprio munere tenetur illi magis favere, cui vis magis assistit; non proinde teneretur ad restitutionem, eo quod non violaret Justitiam commutativam: Sicut qui eligit ad Beneficium minus dignum, omisso digniori non tenetur huic quicquam restituere, sed solum Ecclesiæ pro mensura detrimenti, quod inde patitur. Quæ omnia quam absone dicantur, nemo non videt.

V. Ostenditur itaque falsitas: quia tum jure positivo Canonico, & Civili, tum Jure naturali tenetur Judex in ferenda sententia sequi opinionem probabiliorem: ergo non potest juxta minus probabilem judicare. Tenetur quidem Jure positivo, Canonico, & Civili, quia in Reg. 45. Juris in 6., & l. *In obscuris* ff. De Regulis juris dicitur, *Inspicimus in obscuris, quod est verisimilius*. Tenetur pariter jure naturali, quia sicut Medicus, etiamsi ex Charitate, & sine salario suam operam ægroto exhibeat, tenetur ex contractu implicito adhibere pharmacum probabilius curativum, omisso minus probabili, quando æque potest utrumque applicari; ita Judex ex contractu implicito cum Rep. tenetur ferre sententiam juxta merita causæ, adjudicando rem illi, cui magis jus favet: Aliter male consuleretur bono publico, si sententia ferenda esset ex favore, & ob amicitiam cum Judice; Unde fere semper pauperes opprimerentur.

VI. Confirmatur; quia Judex a Rep., vel a Principe constituitur, ut fidelis Minister veritatis, seu ut inquirat diligenter de veritate, & pro ea judicet; non secus ac Oeconomus constituitur a Domino, ut fideliter provideat rebus domesticis, & Medicus, ut fideliter consulat sanitati: ergo tenetur Judex in veritate investiganda, & in ferenda sententia inire viam securiorem; non secus ac Oeconomus tenetur emere, & conducere pro æquali pretio meliora, & Medicus adhibere pharmacum securius.

VII. Confirmatur ulterius: quia sicut dicitur personarum acceptor, qui in distributione bonorum, quæ non sunt propria distribuentis, sed Communitatis, præfert dignioribus minus dignos ex affectu erga personam; ita in casu nostro Judex personarum acceptor dici deberet, si bona litigantibus debita, ac illorum propria vellet iis conferri, non pro meritis causæ, sed pro affectu erga amicum: hujusmodi autem peccatum acceptionis personarum ex genere suo esse mortale, docent communiter cum Angelico.

VIII. Hinc sequitur primo, futilem esse rationem sententiæ oppositæ: Quamvis enim prudenter operetur, qui sequitur opinionem practice probabilem; non tamen prudenter operatur, qui sequitur opinionem tantum speculative probabilem, quando datur lex, seu conventio de sequenda probabiliori. Quare sicut non operatur prudenter, nec licite Medicus adhibendo pharmacum minus probabile; nec Minister Sacramentorum sequendo opinionem minus probabilem; ita nec Judex; quia datur in his omnibus obligatio sequendi, quod est probabilius, ac tutius. Ideo in humanis actionibus licitum est sequi opinionem probabilem, omissa probabiliori, in sententia communiori Probabilistarum; quia per hoc præcise, quod aliquis credat citra passionem, & culpam, opinionem esse probabilem, & operationem illi accommodatam esse prudentem, est immunis a peccato formali, quod scilicet ipsi imputetur: & solum potest incidere in peccatum materiale, quod vitare non tenemur, (aliter non possemus sequi opinionem probabilissimam omissa tutiori) At Judex per hoc, quod sequatur opinionem minus probabilem, non per hoc vitat damnum collitigantis, pro quo stat opinio probabilior; sicut Medicus per hoc, quod det pharmacum minus probabile, non vitat damnum ægroti; nec vitatur damnum suscipientis Sacramentum, si in eo administrando sequamur opinionem minus probabilem; quæ tamen omnia vitare debemus: ergo in his omnibus, & similibus illicitum est sequi opinionem minus probabilem, quamvis possimus universim sequi opinionem minus probabilem, quando ex ea nullum aliud damnum sequi potest, quam peccatum materiale, quod in humanis actionibus est inevitabile; ut fuse diximus in expositione propos. antec.

IX. Sequitur secundo, Judicem, qui juxta minus probabilem opinionem judicat, non solum peccare, sed etiam ad restitutionem teneri, ut docent communiter apud Lugo l. c. num. 121. Ratio est, quia peccat contra Justitiam commutativam, tollendo ab altero ex collitigantibus id, quod ipsi debetur, & ad quod habet jus strictum proprietatis. Quod tamen non accidit, quando Episcopus confert Beneficium minus digno, omisso digniori; cum enim nemo ad hæc bona habeat jus strictum proprietatis, utpote quæ sunt bona Communitatis distribuenda in bonum ipsius Communitatis, idcirco si non distribuantur fideliter, & ad mentem Communitatis, non peccatur adversus jus strictum particularis personæ; unde huic nihil restituendum, sed solum Communitati compensandum damnum ex prava electione secutum. At in casu nostro bonum, quod adjudicatur secundum opinionem minus probabilem, non est Communitatis, sed proprium collitigantium: ergo si ex injusta Judicis sententia denegetur illi ex collitigantibus, cui debetur, tenetur Judex hoc damnum compensare, quippe qui non solum peccat adversus Remp., sed etiam adversus illum, qui privatur bono suo: Ad eum modum, quo Magistratus, ob cujus culpabilem negligentiam patrantur furta, ac homicidia, non solum peccat contra justitiam adversus Remp., sed etiam adversus eos, qui ea damna patiuntur; ac proinde ad restitutionem tenetur, ut communiter docent apud Less. l. 2. c. 13. n. 70.

X. Neque dicas, neutri ex collitigantibus inesse jus proprietatis, antequam lis adjudicetur alteri; ergo Judex non lædit jus justitiæ, seu non peccat contra justitiam commutativam, atque adeo non tene-

tenetur ad restitutionem, si judicet secundum opinionem minus probabilem, etiamsi peccet contra munus Judicis; sicuti quia Fiscus, seu Rex non habet jus ad pœnam pecuniariam ex delicto ante sententiam, qui injuste impedit sententiam, peccat quidem, sed non tenetur ad restitutionem, quia solum impedit, ne Rex acquirat jus; non tamen violat jus acquisitum, ut docent communius cum Less., Sanch., contra Mol., & Laym. apud Dia. par. 3. tr. 6. r. 35.

Nam sicut lædit Justitiam commutativam, & ad restitutionem tenetur, qui vi, mendaciis, ac malis artibus impedit alicui consecutionem alicujus boni; quia quamvis hic non habeat jus absolutum ad tale bonum, antequam ei conferatur, habet tamen jus strictum, ne sibi vi, & fraude impediatur, ut docent communiter apud eundem Dia. res. 33. ita pariter ad restitutionem tenetur judex judicans secundum minus probabilem opinionem, quia inest alteri jus strictum, ne adjudicetur res collitiganti, cui minus assistunt favores legum. Est autem dispar ratio circa pœnam pecuniariam ex delicto: Fiscus enim nullum habet jus ad illam ante sententiam Judicis; At collitigantes habent jus ad rem adjudicandam ante sententiam; & sententia Judicis expectatur, ut jus declaretur potius, quam ut conferatur.

XI. Sequitur tertio, quod dictum est de Judicibus a Rep. constitutis, dicendum etiam de Judicibus ex partium conventione destinatis, seu de Arbitris, necnon de omnibus iis, qui litigantium dissensiones in rebus civilibus decidunt. Omnes isti contra Justitiam commutativam peccant, & ad restitutionem tenentur, si opinioni minus probabili se accommodant; idque verum est, etiamsi prævideatur, quod Judex Superior sententiam inferioris sit retractaturus; cavendumq; Judicibus quam maxime, ne precibus, numeribus, amicitia, timore mens obtenebretur, & apud se statuant probabilitatem majorem stare pro una parte, ubi revera stat pro altera, pro qua ferrent sententiam, si citra passionem judicarent.

XII. Difficultas est, Num Judex possit accommodare se opinioni Collegæ, & contra propriam opinionem secundum illam ferre sententiam? Ad quod dicendum cum Bardi disp. 4. c. 28. & Tamb. l. 1. in Dec. cap. 3. §. 5., quod si collega sit doctior, ita ut ob ejus extrinsecam auctoritatem sententia possit prudenter æstimari probabilior, poterit Judex suam opinionem deponere, & illi se accommodare; secus non potest; quia Resp. vult, ut quilibet juxta proprium sensum judicet, quod sibi videtur verosimilius.

XIII. Difficultas etiam est, An pariter Advocato, & Procuratori illicitum sit tueri opinionem minus probabilem sui Clientis? Ad quod pariter dicendum cum Vasq., Azor., Less. apud eundem Tamb., & Bardi, teneri admonere Clientem de minori probabilitate suæ causæ, atque de proximo periculo amittendi etiam expensas. Nihilominus licitum est promovere rationes Clientis, etiamsi Patrono appareat probabiliorem esse opinionem, quæ favet parti contrariæ. Ratio est, tum quia possunt progressu temporis novæ rationes apparere Advocato, itaut Clienti lis adjudicanda sit; tum etiam quia poterit Judici apparere probabilior opinio, quæ Advocato appareat minus probabilis; nec Advocatus patrocinando causæ, cogit ullatenus Judicem, aut illi suadet, ut suam opinionem sequatur: proinde poterit patrocinari Clienti secundum opinionem minus probabilem, ut deinde judex sententiam ferat secundum opinionem sibi probabiliorem. Immo Dian. p. 1. tr. 13. res. 6., & Mendo disp. 13. qu. 43. contra quam plures docent cum Mald., Lorca, Navar., D. Ant., Sylv., & aliis, quod Advocatus possit etiam causæ dubiæ patrocinari, quia solum proponit Judici merita causæ, ad hoc ut maturius sententia proferatur.

PROPOSITIO III.

Generatim dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui, modo a probabilitatis finibus non exeatur, confisi aliquid agimus, semper prudenter agimus.

SYNOPSIS.

I. *Censuit non nemo ad prudenter operandum sufficere* Generatim, *hoc est Regulariter, tenuem probabilitatem: Sicut etiam ad extrinsecam probabilitatem sufficere, quod opinio sit alicujus Neoterici.*

II. *Videtur assensus esse prudens, etiamsi nitatur probabilitati tenui.*

III. *Sicut in physicis formæ tenuitas non distrahit a tali forma, ita nec tenuitas probabilitatis destruit conceptum probabilitatis, quæ de se apta nata est fundare judicium prudens.*

IV. *Verum de conceptu opinionis probabilis trahentis assensum prudentem est, quod nitatur fundamento, quod sit grave tum absolute, tum comparative ad motiva in oppositum.*

V. *Si probabilitas sit tenuis, & umbratilis, non nititur fundamento gravi, unde non parit assensum prudentem, sed levem, ac temerarium.*

VI. *Hinc tamen non fit, quod probabilitas tenuis sit probabilitas cum addito distrahente.*

VII. *Explicatur, quid veniat nomine tenuis probabilitatis.*

VIII. *Et quare non omnis probabilitas pariat prudentem assensum.*

IX. *Ex hujus thesis proscriptione non infertur, illicitum esse usum opinionis solide probabilis in conflictu probabilioris.*

X. *Videtur opinio probabiliter tantum probabilis non esse absolute probabilis; non secus ac opinio certo probabilis non est certa.*

XI. *Qui accomodat se consilio, & opinioni Confessarii, aut Theologi, non dicitur sequi opinionem probabiliter probabilem.*

XII. *Opinio probabiliter probabilis nititur fundamento gravi de probabilitate, non de veritate talis opinionis.*

XIII. *Ne in casu quidem urgentis necessitatis licitum est sequi opinionem tenuiter probabilem. Ipsa tamen necessitas sæpe addit pondus rationi ab intrinseco, & reddit opinionem illam solide probabilem, ita ut solum in casu urgentis necessitatis licitum sit illi se accommodare.*

I. EXponitur. In duplici sensu potest accipi ly *Generatim*. Primo, ut significet semper, & in omni casu; & in hoc sensu nemo fertur pro hac thesi: quamvis enim Tambur. l. 1. in Dec. c. 3. §. 3. cum Amico t. 3. d. 15. s. 3. num. 49., & Bressero apud Bardi de Consc. Probab. cap. 13. docuerint

licitum esse sequi opinionem exiguæ probabilitatis, dummodo revera intra fines probabilitatis se contineat; negarunt tamen id licere semper, & in omni casu. Siquidem aperte docent, peccare Judicem, si in ferenda sententia sequatur opinionem minus probabilem; necnon medicum in medendo: idemque docent in administratione Sacramentorum, & similibus; in quibus lex, consuetudo, aut pactum obligant ad opinionem probabiliorem sequendam; in his enim casibus opinio probabilis nullam haberet practicam probabilitatem. Secundo ly *Generatim* potest idem significare, ac Regulariter, quando sc. nihil speciale obstat; & in hoc sensu duntaxat nonnulli putarunt sufficere ad prudenter operandum exiguam, ac tenuem probabilitatem, dummodo a probabilitatis finibus non exeatur: Quod Tamb. n. 11. explicavit, dicens id verum haberi, quando probabilitas partis oppositæ non est tanta, ut dejiciat alteram a probabilitate; tunc enim expulsa jam probabilitate non potest intellectum ad prudentem assensum inducere. Hæc propositio est affinis propositioni 27. Alex. VII., quæ contendebat ad extrinsecam probabilitatem opinionis sufficere, illam esse alicujus Auctoris Junioris, ac Moderni, & non esse rejectam a Sede Apostolica ut improbabilem; quod, ut in expositione illius propositionis ostendimus, non sufficit ad prudenter operandum, ob exiguam probabilitatem, quæ ab unius Neoterici auctoritate in opinionem transfunditur.

II. Videtur tamen non improbabile, quod tenuis probabilitas sufficiat ad prudenter operandum, dummodo probabilitas tenuis sit revera probabilitas; Primo, quia cum opinio probabilis idem sonet, ac opinio, quæ prudentem assensum trahit, eo ipso ac tenuitas probabilitatis stat cum vera probabilitate, hujusmodi probabilitas trahit consequenter assensum prudentem, atque adeo sufficit in humanis actionibus ad prudenter, ac licite operandum.

III. Secundo, quia sicut in physicis, ita in moralibus magis, & minus non variant speciem, ut proinde calor remissus, ac debilis intra speciem caloris sit; & Sanctitas exigua adhuc sit Sanctitas: ergo probabilitas tenuis adhuc est probabilitas, de cujus ratione est, ut ad prudentem assensum, & licitam operationem sit satis.

IV. Ostenditur falsitas. De ratione opinionis probabilis est, quod nitatur fundamento gravi, tum absolute, tum comparative ad motiva in contrarium, sive fundamentum hoc grave sit ab intrinseco, sive ab extrinseca DD. auctoritate; adeo ut spectatis omnibus experiatur intellectus vi quadam inclinari, ac quodammodo rapi ad assensum, non quidem raptu ineluctabili, ut contingit in propositionibus evidentibus, sed ita ut ad assensum inclinetur libere cum facultate ad resistendum: sicut enim experientia ipsa discernimus; num pondus aliquod dicatur grave, necne; ita experientia ipsa ostendit, num vis rapiens ad assensum modo explicato, dicenda sit valida, an tenuis, unde probabilitas opinionis dici debeat solida, an umbratilis: quoties autem probabilitas opinionis est tenuis, & exigua non potest intellectus experiri vim illam, qua ad assensum valide inclinetur: ergo opinio tunc non nititur fundamento gravi, nec est solide probabilis.

V. Confirmatur: quia nixus fundamento levi pariente verisimilitudinem aliquam, & tenuem, ac apparentem probabilitatem non potest dici, quod prudenter assentiatur, sed potius temere ac leviter; juxta illud Eccl. 19. *Qui cito credit, levis est corde*: ergo tenuis probabilitas non sufficit ad prudentem assensum.

VI. Docuit nonnemo non posse hæc duo consistere, probabilitatem esse tenuem, & simul intra fines probabilitatis contineri; quia eo ipso ac probabilitas opinionis est tenuis, opinio non nititur fundamento gravi, atque adeo non est probabilis: proinde probabilitas tenuis non videtur esse probabilitas cum addito diminuente, sed distrahente; sicut si dicamus aliquem esse tenuis idoneitatis, exiguæ doctrinæ, modicæ valetudinis, denotamus ineptitudinem, inscitiam, ægritudinem; & dum quis dicitur esse parum diligens, significatur, quod sit negligens: pariformiter dum probabilitas dicitur esse tenuis, ac umbratilis, denotatur apparentia tantum probabilitatis; ut propterea non possit dici, quod opinio tenuis probabilitatis e probabilitatis finibus non egrediatur.

VII. Verum nomine opinionis tenuiter probabilis hic non est intelligenda opinio, quæ est probabilis cum addito distrahente, ita ut nullatenus intra fines probabilitatis contineatur; Aliter hæc thesis non indigeret proscriptione, cum nemo sanæ mentis docuerit homines prudenter, ac licite operari, si opinione nullatenus probabili nitantur. Quare nomine opinionis tenuiter probabilis venit opinio, quæ tenuiter inclinat intellectum ad assensum; quod experientia ipsa discerni potest. Hujusmodi ex Card. diss. 4. c. 5. est opinio dubiæ probabilitatis, & in multorum sententia etiam opinio probabiliter tantum probabilis; sic etiam auctoritas unius Moderni sæpe est tenuiter probabilis, prout explicavimus, cum de 27. thesi ab Alex. VII. confixa: Propterea probabilitas tenuis dici potest, Gravitas apparens alicujus rationis secundum se spectatæ, quæ possit fundare judicium prudens non quidem absolutum, nec practicum sed speculativum, ac respective duntaxat ad tale fundamentum, quod solum secundum quid, non simpliciter est grave, eo quod validis rationibus arietetur. Quare adversus hanc tenuem probabilitatem procedit thesis confixa, necnon fundamenta exposita, vi quorum digna fuit, quæ configeretur.

Ad primam rationem in contrarium dicimus, sensum prudentem non trahi ab opinione quomodocumque probabili, sed ab opinione solide probabili; eo quod niti debeat fundamento gravi: non potest autem dici, quod nitatur fundamento absolute, & spectatis omnibus gravi, opinio, quæ tenuem solum habet probabilitatem, ut ostendimus; temere enim, & imprudenter assentitur, qui levibus indiciis, ac exigua probabilitate inducitur ad assentiendum.

VIII. Ad secundam: dupliciter potest sumi probabilitas: Primo antonomastice, & hæc importat probabilitatem, quæ nititur fundamento, quod spectatis omnibus sit grave, unde est apta nata parere assensum prudentem. Secundo, probabilitas sumi potest, prout importat fundamentum grave secundum quid, quod tamen spectatis omnibus possit esse simpliciter, & absolute leve; & hujusmodi probabilitas nequit parere assensum prudentem: unde quamvis se contineat intra speciem probabilitatis, non tamen pertingit ad probabilitatem antonomastice dictam. Quare falsum est, quod quantacumque

sit

ſit opinionis probabilitas, ſemper ſufficiat ad prudenter, ac licite operandum.

IX. Nonnulli Probabilioriſtæ ex proſcriptione hujus propoſitionis putarunt inferri proſcriptionem Probabiliſmi; non ſecus ac Probabiliſtæ ex proſcriptione propoſitionis 3. Alex. VIII. docent cum P. Segneri in Epiſt. de Prob. num. 49. inferri falſitatem Probabilioriſmi; quatenus argumenta, quæ militant pro Probabilioriſmo, evincunt etiam Tutioriſmum: Pariformiter argumenta, quæ militant pro Probabiliſmo, videntur inferre, licitum eſſe ſequi opinionem tenuis probabilitatis. Quod ex eo etiam probant, quia Pontifex damnat licitum eſſe ſequi opinionem tenuis probabilitatis, quæ intra fines probabilitatis contineatur: ergo videtur damnare ut licitum, ſequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris.

Sed falluntur; tum quia, ſi univerſim in hac tertia propoſitione damnaretur ut illicitum, ſequi opinionem minus probabilem, fruſtra damnaretur ab eodem Pontifice in propoſitione antecedenti, quod id ſit licitum Judici, & in propoſitione immediate ſequenti, quod liceat Infideli; tum etiam quia opinio minus probabilis poteſt niti firmo fondamento, adeo ut inducat ad aſſenſum prudentem etiam in conflictu probabilioris, ut dicemus cum de propoſitione 3. Alex. VIII. Secus vero opinio tenuis probabilitatis; proinde hæc tantum de Cœlo Vaticano tangenda fuit.

X. Difficultas tamen eſt, an opinio probabiliter tantum probabilis dicenda ſit tenuis probabilitatis, adeo ut non liceat juxta illam operari? Negant id nonnulli apud Card. diſſ. 4. cap. 4. & ratio videtur eſſe, quia ſi Theologus v. g. det conſilium juxta opinionem probabilem, hujuſmodi conſilium eſt ſolum probabiliter probabile, & tamen ſufficit ad prudenter operandum: Sicut etiam ſi Medicus peritus juxta probabilem opinionem dicat ægroto, quod non teneatur v. g. ad recitandas horas, ad Sacrum audiendum ratione talis ægritudinis. Et ratio a priori videtur eſſe, quia ſicut opinio certo probabilis ſtat cum ſecuritate de vitando peccato formali, quamvis formidet de incurrendo peccato materiali, quia nititur fundamento gravi de veritate objecti; ita opinio probabiliter probabilis, licet formidet de ipſa probabilitate, nihilominus quia nititur gravi fundamento, prudenter aſſentitur immediate in ordine ad probabilitatem opinionis, & mediate in ordine ad veritatem objecti, & ideo ſtat cum ſecuritate de vitando peccato formali, quod ſcil. operanti imputetur.

Cenſeo tamen cum Suar. Arr. t. 3. diſp. 23. Mendo, opinionem probabiliter tantum, & non certo probabilem carere ſolida probabilitate. Antequam id probetur expono caſum, in quo opinio dici poſſit ſolum probabiliter probabilis. Fingamus opinionem aliquam ſingularem doceri a Recentiore tanquam probabilem. Nunc ſic. Vel in hoc Recentiore concurrunt indubitabiliter ea omnia, quæ requiruntur, ut poſſit hæc opinio haberi ut certo probabilis ab extrinſeco, prout diximus in expoſitione propoſitionis 27. Alex. VII. vel illa requiſita indubitabiliter non concurrunt; vel demum ea concurrunt ſolum probabiliter. Si ea requiſita certo concurrant, ea opinio dicenda eſt certo probabilis; (prout fuere multæ opiniones ſingulares D. Thomæ, ut ibidem diximus) ſi vero ea certo non concurrant, opinio dicenda eſt tenuis probabilitatis, atque adeo inſufficiens ad prudenter operandum; quod ſi ea concurrant ſolum probabiliter, tunc opinio dicetur probabiliter ſolum probabilis. De hac itaque opinione probabiliter probabili dicimus, quod caret ſolida probabilitate, ſeu probabilitate ſimpliciter dicta. Ratio eſt, quia ad probabilitatem requiritur fundamentum ſpectatis omnibus grave ac firmum; quando autem de firmitate fundamenti non habetur certitudo, ſed probabilitas, tunc fundamentum videtur, experientia teſte, nutare, atque adeo non eſſe firmum. Et ſane opinio probabilis, licet patiatur obſcuritatem, incertitudinem, ac formidinem de oppoſito, non tamen compatitur dubietatem; dubietas enim impedit aſſenſum prudentem, qui a formidine opinionis non impeditur; atqui quando de probabilitate opinionis habetur ſolum probabilitas, & formido, tunc, experientia teſte, videtur hujuſmodi formido de probabilitate declinare in dubietatem de veritate objecti, & intellectus prudenter ſuſpendit potius, quam ponit aſſenſum circa illam: ergo opinio probabiliter probabilis non videtur abſolute probabilis; ſicut certo probabilis non eſt certa.

Quod autem experientia doceat, formidinem de probabilitate opinionis declinare in dubietatem de opinionis veritate, facile deprehenditur a poſteriori; nam ſi pœnitens timoratus interroget Confeſſarium cæteroqui doctum, An liceat ſibi v. g. pingere die feſto? & Confeſſarius reſpondeat, certo ſibi conſtare, quod detur opinio ſolide probabilis docens artem pictoriam non eſſe ſervilem, ſed ingenuam, facile ille judicaret ſe poſſe citra culpam huic exercitio operam navare die feſto; At ſi Confeſſarius reſpondeat, probabile tantum ſibi eſſe, quod detur hujuſmodi opinio, non tamen id habere exploratum, profecto pœnitens timoratus non induceret animum ad pingendum, donec de ſolida probabilitate talis opinionis certior fieret, perinde quaſi dubitaret de honeſtate talis actionis; ergo experientia teſte formido de probabilitate opinionis declinat in dubietatem de opinionis veritate.

Et ratio a priori eſt, quia dum habetur probabilitas de probabilitate opinionis, ſicut probabilitati directæ de opinionis veritate additur probabilitas reflexa de opinionis probabilitate; ita formidini directæ imbibitæ in probabilitate directa ſuperadditur formido reflexa, quæ reflexæ probabilitati annectitur; duplex autem iſthæc formido, directa ſimul & reflexa, in dubietatem declinat de veritate opinionis probabiliter probabilis; Aliter ſemper ea opinio remaneret probabilis, etiamſi probabilitati primo reflexæ adderetur probabilitas ſecundo reflexa, & ſic tertio, quarto, in infinitum reflexa; quod nemo dixerit.

XI. Ad id, quod dicitur de Theologo, & Medico, negandum, quod ea opinio ſit tantum probabiliter, & non certo probabilis, quando non datur in oppoſitum prudens motivum ſuſpicandi, quod Theologus, aut Medicus decipiant, vel decipiantur. Sicut enim quando Parochus dicit ruſtico dari evidentiam credibilitatis de myſteriis noſtræ Fidei ob tot Miracula, Scripturas, Prophetias, Martyria, & alia ſigna, quæ Bellar. recenſet t. 2. Contr. 1. l. 4. adeo ut dicere poſſimus cum Regio Pſalte Pſ. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*, tunc ruſticus non dicitur habere probabilitetem de hac evidentia morali, quia Parochus

chus facit illi evidentiam moralem reflexam de evidentia credibilitatis nostræ Fidei, donec rusticus prudenter suspicetur de ignorantia, aut malitia Parochi: ita Theologus, & Medicus pariunt evidentiam moralem de probabilitate opinionis, quam afferunt, si non detur suspicio, quod decipiant, aut decipiantur; aut nisi dicant probabiliter se opinari, quod detur talis opinio; tunc enim probabilitas ista probabilitatis non sufficeret ad prudenter operandum, & deberemus magis certificari, an vere apud Doctores habeatur ea probabilis opinio, quam Theologus, aut Medicus probabiliter judicant reperiri. Et sane tunc habetur moralis aliqua certitudo, quando non datur prudens motivum afferendi oppositum; tunc vero datur probabilitas, quando datur motivum prudens pro una parte, quod sit compossibile cum motivo prudenti pro parte opposita: quamvis neque certitudo moralis consistat in indivisibili, sed possit una esse major alia, nec consistat in indivisibili probabilitas, cum pariter una opinio possit esse probabilior altera. In casu nostro, dum Theologus testatur dari probabilitatem alicujus opinionis, reddit nos moraliter certos de probabilitate, nisi detur prudens motivum afferendi oppositum; sicut Parochus moraliter certificat rusticum de evidentia credibilitatis, quam testatur, nisi detur prudens motivum afferendi oppositum: ergo non habetur in hoc casu adducto a Cardenas mera probabilitas probabilitatis. Hinc D. Th. quodlib. 3. art. 10. dixit, *Posse quemlibet amplecti opinionem, quam a suo Magistro audivit in iis, quæ ad mores pertinent*. (a)

(a) „ Cave tibi imponi finas a Patuzzio, qui „ T. III. p. 394. textum S. Thomæ cum verbis a „ Viva adlatis contendit. Hæc enim non ipsissima „ sunt S. D. verba, sed doctrinam tamen exhi„ bent. Nimirum S. D. ait: *in his vero, quæ per„ tinent ad Fidem, & bonos mores nullus excusa„ tur, si sequatur opinionem* ERRONEAM *ali„ cujus Magistri*; ergo in iis, quæ ad fidem & bo„ nos mores spectant, excusatur quis sequendo opi„ nionem Magistri sui, si non sit erronea. Quæ „ autem *erronea* opinio est? Discamus ex ipso S. „ Thoma eodem loco: *qui ergo* (hæc verba Pa„ tuzzius censuit sibi dissimulanda) *assentit opi„ nioni alicujus Magistri* CONTRA MANIFE„ STUM SCRIPTURÆ TESTIMONIUM, „ SIVE CONTRA ID, QUOD PUBLICE „ TENETUR CONTRA ECCLESIÆ AU„ CTORITATEM, *non potest ab* ERRORIS „ *vitio excusari*. Igitur optime S. Thomæ sensum, „ etsi non verba reddidit Viva, dicens S. Thomam „ docere, *posse quemlibet amplecti opinionem, quam „ a suo Magistro audivit in iis, quæ ad mores per„ tinent*, nisi scilicet opinio isthæc sit *contra ma„ nifestum Scripturæ testimonium, sive contra id „ quod publice tenetur contra Ecclesiæ auctoritatem, „ seu erronea*.

XII. Ad rationem a priori diximus, quod licet opinio probabiliter probabilis nitatur gravi fundamento de probabilitate talis opinionis; non nititur tamen gravi fundamento de veritate talis opinionis, sicut nititur opinio certo probabilis: experimur enim nos quodammodo dubitare, ac retrahi ab assensu circa veritatem opinionis, quando ea est probabiliter probabilis, non secus ac quando est tenuiter probabilis; contra vero impelli, ac vi quadam rapi, quamvis non ineluctabiliter, ad assensum, si sit certo probabilis; unde non vitamus peccatum formale adhærendo opinioni probabiliter tantum probabili. Et ratio ulterior ex Mendo in Epit. ubi præmittit discursum de opinione probab. num. 8. est, quia voluntas peccat prosequendo bonum, quod non repræsentatur adæquate bonum, sed simul cum aliqua specie mali. Cum enim bonum sit ex integra causa, quando bonum est immixtum malo, absolute non est bonum, atque adeo peccat voluntas illud prosequendo; atqui dum opinio apparet tantum probabiliter probabilis, bonitas talis opinionis apparet cum immixtione mali, & cum formidine, ne objectum sit malum, & inhonestum; unde peccat voluntas illud prosequendo. Quando vero opinio est certo probabilis, certum est, quod homo illi prudenter assentiatur, atque adeo objectum apparet voluntati adæquate ut bonum; & solum habetur periculum remotum de falsitate talis opinionis, quod potest voluntas negligere, quia aliter fere nunquam actiones humanæ essent licitæ, nisi possent ab opinione probabili regulari, & ideo licitum est sequi opinionem certo probabilem, non tamen probabiliter probabilem; Esto opposita sententia gravium DD. non careat sua probabilitate: præsertim quia, licet, quando probabilitas de probabilitate opinionis non est bene magna, sed sufficiens, tunc facile declinet in dubietatem de opinionis veritate, ut ostendimus; nihilominus quando probabilitas tum directa, tum reflexa est bene magna, facile poterit in opinionem probabiliter probabilem transfundi sufficiens probabilitas de ejus veritate; & sic poterit tunc opinio probabiliter probabilis esse sufficienter probabilis.

XIII. Difficultas etiam est apud DD. An saltem in casu necessitatis urgentis possimus sequi opinionem tenuiter probabilem? Bardi disp. 4. cap. 13. ex Soto, Sanch. Baldelli, Salas, Less. & aliis affirmat, & exemplificat in casu adducto a Sanchez l. 1. c. 9. & Less. Nam si debeat revalidari matrimonium nulliter contractum, communiter docent, quod requiratur novus consensus utriusque conjugis; Si tamen sine periculo scandali, infamiæ, vitæ, & rixarum manifestari non possit alteri conjugum necessitas revalidandi contractum, tum paucissimi DD. putant sufficere consensum unius tantum conjugis, quæ opinio, licet parum probabilis, in tali casu posset admitti, quia magna necessitas facit licere id, quod cæteroqui esset illicitum; sicut potest v. g. infans baptizari in digito, quando non potest in aliis partibus baptizari.

Sed nullatenus videtur admittendus usus opinionis tenuiter probabilis in sensu composito, quod retineat tenuem probabilitatem, eo quod tunc non nitatur fundamento, quod spectatis omnibus sit grave, possitque parere prudentem assensum. Verum quidem est, quod in casu necessitatis possit infans baptizari in digito, sicut potest baptizari cum aqua rosacea, deficiente aqua pluviali, quia necessitas facit, quod possit sub conditione Baptismus conferri; quod non solum est certo probabile, sed peccaret qui nollet hoc pacto puerum baptizare; unde non habetur in hoc casu tenuis probabilitas. Similiter in casu matrimonii docent DD. laudati cum Less. lib. 2. cap. 17. num. 77. sufficere, quod conjux conscius nullitatis matrimonii inducat conjugem sub aliquo prætextu, puta amoris majoris, vel consolationis, ad renovandum contractum; vel, si id non posset, sufficere quod ipse petendo, aut reddendo debitum intendat de novo consentire, quia consen-

fus

sus alterius jam adest, dum utitur illa tanquam conjuge. Hoc tamen ideo solum est licitum in casu necessitatis, non quia in eo casu licitum est sequi opinionem tenuis probabilitatis, sed quia ipsa necessitas addit pondus rationi ab intrinseco, & reddit absolute probabile, quod, seclusa ea circumstantia, parum haberet probabilitatis: Sicut in casu necessitatis licitum est v. g. æquivocare, conferre baptismum cum aqua rosacea sub conditione, & his similia, quæ extra casum necessitatis sunt illicita.

PROPOSITIO IV.

Ab Infidelitate excusabitur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili.

SYNOPSIS.

I. Hæc pariter confixa thesis excusans Infidelem non credentem, si ducatur opinione minus probabili, nititur in eo principio illegitime usurpato, quod scilicet prudenter operetur, qui sequitur ductum opinionis probabilis. II. Præsertim quia aliter Fidelis teneretur Fidem Catholicam deserere, si per errorem altera Secta illi probabilior appareret.

III. Esto in articulo mortis non excusetur Infidelis non credens ductus opinione minus probabili; at in decursu vitæ videtur excusari, ut diutius discutiat rem tanti momenti. IV. Ad obligationem credendi ex Angelico non sufficit major probabilitas, sed requiritur evidentia credibilitatis.

V. Nihilominus ad vitandum periculum æternæ damnationis tenetur Infidelis juxta opinionem probabiliorem credere; cum non pendeat ab opinionis probabilitate, quod Secta sit vera, & damnatio declinetur. VI. Præterquamquod nequit Infidelis de sua Secta veram probabilitatem habere inculpabiliter; si enim Patrem luminum, prout tenetur, exoraret, illustratio Spiritus Sancti non deesset.

VII. Opinio minus probabilis in hoc casu etsi esset speculative probabilis, non tamen practice.

VIII. Non est eadem ratio de Fideli, ac de Infideli; hic enim umbratilem, ille solidam habet de sua Religione probabilitatem, immo moralem evidentiam saltem subjectivam, si minus objectivam.

IX. Assensus quippe Fidei supernaturalis nequit esse opinativus, & formidolosus. X. Solum in articulis, quorum Fides non est necessaria necessitate medii, sed præcepti, potest Fidelis errare invincibiliter; & tunc assensus Fidei falsus non erit supernaturalis, quamvis imperetur a pia affectione ad Fidem supernaturalem.

XI. Nequit Fidelis suam Fidem supernaturalem ullatenus mutare; datur quippe modus obtinendi a a Deo evidentiam credibilitatis, quam prærequirit Angelicus in credente.

XII. Non solum in mortis articulo, sed etiam in vitæ decursu sequenda est hac in re sententia probabilior; esto in vitæ decursu detur locus veritati maturius inquirendæ.

XIII. Explicatur, in quonam sensu verum sit, quod extra Fidem Catholicam nemo salvus esse possit, etiamsi Infidelis credat juxta sententiam probabiliorem. Nutritus in Sylvis, aut apud Infideles nunquam damnatur ob infidelitatem negativam.

I. Exponitur. Quod Infidelis non teneatur Religionem suam falsam relinquere, & Fidem Catholicam amplecti, si probabile illi sit suam Religionem esse veram, esto probabilius esset, quod esset falsa, docuit Jo. Sanch. disp. 19. num. 9. nixus his fundamentis: Primo quidem, quia prudenter operatur quicumque accommodat se opinioni probabili, etiam in conflictu probabilioris oppositæ; atque adeo sicut non peccat in aliis humanis actionibus, qui sequitur opinionem minus probabilem, ut docent communius DD. contra paucos Probabilioristas, ita nec peccat Infidelis, si ductus opinione probabili non deserat sectam suam.

II. Præterea, quia aliter Fidelis etiam teneretur Fidem Catholicam deserere, si per errorem secta falsa, v. g. Lutherana, aut Calvinistica, appareret probabilior; Interdum enim falsa sunt verisimiliora veris; & si deinde alia Secta appareret probabilior, deberet iterum iterumque Religionem mutare, quod in re tam gravi videtur sapere levitatem: quocirca videtur posse quilibet in sua Religione persistere, quousque apparet probabiliter vera, etiamsi alia videatur probabilior.

III. Videturque in hanc sententiam inclinare Thomas Sanch. l. 2. Sum. cap. 1. n. 6. ubi adversus Bannez, & Ledes. docentes Infidelem teneri credete Evangelio, si illud proponatur magis credibile, etiamsi sua Secta credibilis etiam videatur, docet, id solum esse verum in articulo mortis; quin tunc debet quilibet tutiorem ac probabiliorem partem amplecti; at extra mortis articulum poterit Infidelis in sua Secta prudenter perseverare, eo quod supersit tempus ad rem tanti momenti melius examinandam: præsertim quia mysteria fid i sunt adeo sublimia, & Christi leges adeo carnis, & sanguinis legibus repugnantes, ut non quælibet major probabilitas sufficiens videatur ad inducendam credendi obligationem.

IV. Videtur etiam favere D. Th. 2. 2. q. 1. art. 4. ubi ad obligationem credendi requirit evidentiam credibilitatis, non vero majorem probabilitatem. *Non enim crederet*, inquit, *nisi videret ea esse credenda*, *vel propter evidentiam signorum*, *vel propter aliquid hujusmodi*. unde Christus Dom. Jo. 15. dixit: *Si signa non fecissem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*; atque adeo a peccato infidelitatis excusandus videtur Infidelis, si ductus opinione minus probabili non credat, donec habeat non probabilitatem solum majorem, sed etiam evidentiam credibilitatis, quæ expugnet probabilitatem illam, qua ducitur ad non credendum. (*a*)

(*a*) „ Hæc uti vides objectio est damnatam „ thesim propugnantium, quam num. XI. solvit Viva „ S. D. explanans. Tamen P. Concina *Tom. I.* „ *Th. Christ. p.* 132. ait, *per summam injuriam P.* „ *Vivam traducere tamquam fautorem proscriptæ* „ *propositionis D. Thomam*: Quis hæc legens non „ admiretur Concinæ sinceritatem? qui Vivæ tribuit objectionem eorum, quos ipse confutat, & „ quam laudare debuerat, quod *num. XI.* illis „ eripiat S. Doctorem, illum carpit veluti S. Thomæ injurium. Major ne Cretensium, quam Concinæ fides?

V. Ostenditur falsitas: quia, ut diximus in expositione antecedentium propositionum, nunquam licet sequi opinionem minus probabilem, quando datur lex, consuetudo, conventio de sequenda probabilio-

biliori, aut quando periculum gravis damni ad id obligat; eo quod non pendeat ab opinionis probabilitate illud vitare. Hinc docent communiſſime, non eſſe licitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionem minus probabilem de eorum valore; ſicut non licet Medico ſequi in medendo opinionem hujuſmodi minus tutam, cum non pendeat ab opinionis probabilitate, quod Sacramentum ſit validum, & quod pharmacum ſit curativum. Contra vero, quia in aliis humanis actionibus ab opinionis probabilitate pendet, quod vitetur peccatum formale, ſeu imputabile operanti, idcirco licitum eſt in iis ſequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris; atqui in caſu noſtro non pendet ab opinionis probabilitate, quod Secta ſit vera, ſicut neque quod Sacramenta v. g. quæ forte falſo creduntur, cauſent gratiam, & ad ſalutem perducant; vel quod actus fidei, qui elicitur, ſit ſupernaturalis, (ad quod requiritur, quod nitatur revelationi veræ, non putatæ) & diſponat ad vitam æternam: ergo ad vitandum periculum ſequendi Sectam falſam, ſicut etiam ad vitandum periculum carendi gratia Sacramentali, aut fide ad ſalutem neceſſaria, atque adeo ad vitandum periculum æternæ damnationis, illicitum eſt his in rebus duci ab opinione minus probabili.

VI. Adde, Infidelem non poſſe habere veram probabilitatem de ſua Secta inculpabiliter; Si enim obſervet naturæ leges, & oret ad aſſequendam veritatem, (uti tenetur) quando duplex Secta oppoſita videtur probabilis, Deus volens omnes homines ſalvos fieri non deerit ſua illuſtratione, qua oſtendatur vera Religio; cum certum ſit, quod extra veram Catholicam Fidem nemo ſalvus eſſe poſſit, ut dicitur in forma Profeſſionis fidei apud Tridentinum, & in Cap. *Firmiter* de Sum. Trin. & in Extravag. *Unam Sanctam* de Major. & Obed. ergo infidelis non credens ductus opinione minus probabili peccat etiam in cauſa, non orando, ut veritas pateſiat. Sicut enim qui tenetur inquirere, an hodie jejunandum ſit, ſi omittat id inquirere, ad quod tenetur, peccabit non jejunando ob culpabilem negligentiam inquirendi veritatem; quinimmo excommunicationem ver. gr. latam contra non jejunantes incurreret, ſi ignorantia graviter culpabilis eſſet, vel affectata, quæ in jure æquiparatur ſcientiæ, vel craſſa, aut ſupina, quæ æquiparatur dolo, ex Cap. *Eos qui* de Tempor. Ordin. in 6. & ex Cap. *Ut animarum* de Conſtit. in 6. apud Sanch. lib. 9. diſp. 32. num. 31. & Con. dub. 13. (quicquid ſit, An poſſit dari ignorantia graviter culpabilis, quæ non pertingat ad craſſam, aut ſupinam, quæ a cenſura excuſet; quam laudati DD. admittunt contra Suar.) ita pariter Infidelis ductus opinione minus probabili, ſi omittat inquirere, prout tenetur, graviter peccat non credendo, ob eam ſcil. culpabilem negligentiam, & ignorantiam, in qua ipſa infidelitas eſt interpretative volita, ut advertit Vaſq. p. 2. diſp. 1. 6.

VII. Ad primam rationem in contrarium, jam diximus opinionem minus probabilem in hoc caſu eſſe ſolum probabilem ſpeculative, non tamen practice; ut non eſt probabilis practice opinio minus probabilis de valore Sacramenti in conflictu tutioris ob imminens periculum damni gravis.

VIII. Ad ſecundam: Non eſt eadem ratio de Infideli, ac de Fideli. Infidelis peccat, ſi non credat ductus opinione minus probabili, quia opinio minus probabilis eſt ſolum apparenter probabilis, cum habeat contra ſe evidentiam credibilitatis, quam pariunt ſigna, & notæ omnes, quæ reddunt Fidem Catholicam evidenter credibilem: cujuſmodi ſunt ex Bell. l. 2. Contr. p. l. 4. Sanctitas doctrinæ, firmitas, & uniformitas in quovis tempore, & loco inter tot perſecutiones, Chriſti auctoris Sapientia, ac Sanctitas infinita, miniſtrorum virtus, per quos propagata eſt, Modus propagationis per paucos Piſcatores, ac rudes, Conſtantia Martyrum, Prophetiæ antecedentes tam dilucide impletæ, Gloria tot miraculorum, & aliæ ſimiles, quibus viſis, Infideles ſunt inexcuſabiles, ut dicitur ad Rom. 1.; & Fideles cum omni fiducia dicere poſſunt Deo cum Rich. a S. Vict. l. 1. de Trin. c. 2. *Domine ſi error eſt, a te decepti ſumus; iſta enim nobis ſunt tantis ſignis, & prodigiis confirmata & talibus, quæ nonniſi per te fieri potuerint.* Quod ſi aliquando infidelis putet ſuam Sectam eſſe probabiliter veram, & Religionem Catholicam probabilius tantum veram citra evidentiam credibiltatis, tenetur, ut diximus, ſequi ſententiam tutiorem, ac probabiliorem, & ſimul tenetur orare Deum, qui, ut dicitur Jo. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*, & paratus ſemper eſt oſtendere lumine fidei ſupernæ ſubobſcuro evidentiam credibilitatis Myſteriorum noſtræ fidei, unde probabilitas falſæ ſectæ evaneſcat: At Fidelis ſecundum ſe nequit habere opinionem minus probabilem de veritate fidei Catholicæ; tum quia ſigna credibilitatis reddentia evidenter credibilem Fidem Catholicam, atque adeo parientia aliquam moralem evidentiam de ejus veritate, non dant locum prudenti dubitationi, nedum probabilitati in oppoſitum; tum etiam quia ad credendum fide ſupernaturali fidelis indiget evidentia iſta credibilitatis, ſi minus objectiva, orta ſc. ex merito, & ex conſideratione ſignorum credibilitatis, ſaltem ſubjectiva, & conſentanea propriæ capacitati; quatenus ruſtici v. g., vel pueri, qui non poſſunt notas credibilitatis a Parocho, vel Parentibus propoſitas ad trutinam revocare, habere debent evidentiam moralem credibilitatis, & credentitatis ſibi conſonam, adeo ut non dubitent teneri ad credendum; cum Deus non obliget nos ad exhibendum ipſi cultum intellectualem ſupremum per fidem, ſine certitudine non morali de revelatione excludente prudentem formidinem de oppoſito, ut advertit Lugo. Unde fit, quod quantumcumque deinde conſurgant motiva in contrarium, non poſſint fideles prudenter veram fidem deſerere, cum nunquam dari poſſit probabilitas, quæ illam evidentiam moralem expugnet, ut conſtat ex propoſitione 20. damnata ab eodem Innoc. XI. quæ habet: *Hinc poteſt quis prudenter repudiare aſſenſum, quam habebat ſupernaturalem*; quæ propoſitio deducebatur a prævia propoſitione damnata, cujus tenor eſt: *Voluntas non poteſt efficere, ut aſſenſus fidei in ſeipſo ſit magis firmus, quem mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Cum enim ex imperio voluntatis, & ex pia affectione ad fidem, etiam ruſtici, & pueri teneantur habere aſſenſum ſubjective ſimul, & objective firmiſſimum, magis quam mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium, ut ſuo loco explicabimus, ſequitur, quod nunquam poſſint veram fidem deſerere, nec poſſint motiva in oppoſitum prudenter ſuadere repudium veræ fidei. Unde poteſt quilibet dicere illud Pſal. 118. *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.*

IX. Qui-

IX. Quinimo assensus fidei supernaturalis nunquam potest esse formidolosus, & opinativus; sed est firmissimus excludens omnem formidinem, ut constat ex propositione sequenti 21., quæ dicit: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis, immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit Deus locutus*; & licet Suarius putet in rusticis, & pueris evidentiam credibilitatis, quam non possunt habere ex consideratione signorum credibilitatis, suppleri a lumine fidei; hoc tamen communius negant; cum sufficiat, quod indocti advertant, se teneri ad amplectendum in iis, quæ ad Religionem spectant, quod pii, ac docti prædicant, & docent; ac proinde citra ullam formidinem credant, quod audiunt a Parocho, vel a Parentibus.

X. Dices: Potest aliquando Fidelis inter Lutheranos degens audiendo eorum errores credere, quod probabilior sit hæresis Lutherana, quam fides Catholica; sicut potest rusticus credere Incarnationem Spiritus S., si a Parocho ea proponatur: ergo potest aliquando prudenter fides Catholica respui.

Respondeo, quod Fidelis in iis, quæ sunt necessaria ad salutem necessitate medii, (ut est fides in Deum Remuneratorem, & probabiliter etiam fides de Trinitate, & Incarnatione) non possit invincibiliter errare, cum Deus non desit in necessariis. Immo ne ipsis quidem Infidelibus permittit Deus horum mysteriorum ignorantiam invincibilem, & inculpabilem, ut constat tum ex illo axiomate, *Facienti quod in se est Deus non denegat gratiam suam*; tum ex propositione 6. damnata ab Alex. VIII. quæ dicit, Paganos, Judæos, Hæreticos nullum accipere a Jesu Christo influxum, & carere gratia sufficienti. Possunt tamen etiam fideles aliquando errare invincibiliter in iis articulis, quorum fides est solum necessaria necessitate præcepti, puta in numero Sacramentorum &c. & in his casibus fidelis non peccat, immo meretur credendo falsum invincibiliter; non secus ac meretur, qui mentitur, invincibiliter putans se teneri ad mentiendum hic & nunc, v. g. ad salvandam vitam innocentis. Quod si hinc inde habeat opiniones utrinque probabiles, tenetur credere juxta probabiliorem, quando dubium post adhibitas diligentias deponi non potest; in quo casu, si fides esset de articulo falso, esset assensus naturalis, non supernaturalis, eo quod ex Trid. sess. 6. cap. 9. fidei supernaturali non possit subesse falsum: non secus ac si Parochus rustico proponat credendam Incarnationem tum Verbi, tum Spiritus Sancti, quamvis eodem modo hic conaretur ad credendum firmissime, ut debet, utrumque articulum duplici actu: sola tamen fides de Incarnatione Verbi esset assensus supernaturalis, non vero fides de Incarnatione Spiritus Sancti, etiamsi uterque actus imperaretur a pia affectione ad fidem, quæ esset actus supernaturalis, & meritorius. Immo fides ipsa de articulo vero esset pariter assensus naturalis, si imbiberet aliquam formidinem; cum assensus fidei supernaturalis, ut diximus, formidinem, non secus ac falsitatem respuat.

XI. Ex dictis sequitur primo, quod Fidelis fidem suam supernaturalem nunquam prudenter sit mutaturus, etiam relate ad articulos, quorum fides est solum necessaria necessitate præcepti, quamvis teneatur credere, quod sibi videtur probabilius. Ratio est, tum quia inquirenti veritatem, facienti quod in se est, non denegat Deus suam gratiam, & illustrationem supernam, ut assequatur, vel retineat fidem veram, quæ unice potest esse supernaturalis; tum etiam quia facile dignosci potest in his dubiis, quid in tali articulo sentiat Ecclesia Catholica, quæ, ut habet Apost. 1. ad Tim. 3. *Columna est, & firmamentum veritatis*. Posita autem Ecclesiæ auctoritate, habetur evidentia moralis credibilitatis, quam requirit Angelicus loco laudato, unde evanescit probabilitas in oppositum.

XII. Sequitur secundo, doctrinam adductam Thomæ Sanch., quod scil. solum in articulo mortis teneatur Infidelis credere, quod videtur sibi probabilius, in hoc tantum sensu debere accipi, quatenus, nisi instet mors, possit, antequam firmissime credat, adhibere diligentiam ad inquirendam veritatem, qua tamen sufficienter adhibita, excusari non potest, si vellet ulterius juxta minus probabilem opinionem credere: diximus enim ex Lugo, quod Deus non obligat nos ad supremum hunc cultum intellectualem illi per fidem exhibendum, donec certificemur moraliter de credibilitate mysterii credendi, quamvis non debeamus evidentiam de illo, aut de Divina revelatione exspectare. Quare idcirco in articulo mortis debet Infidelis statim credere, quod sibi videtur probabilius, quia non vacat tunc diligentiam debitam adhibere; non quia in articulo tantum mortis sequenda sit hac in re pars probabilior, & tutior; Siquidem universim opinionem minus tutam materialiter, quam possumus sequi in vita, possumus etiam in articulo mortis, eo quod illa debeat esse formaliter tuta. Hinc in articulo mortis v. gr. licitum est in Sacramento Pœnitentiæ adhibere attritionem, omissa contritione, licet tutiore; (ut docent communius apud Lugo disp. 7. sect. 13. contra Suar.) sufficit enim ad vitandum periculum etiam remotum damnationis, quod moribundus satisfaciat extra Sacramentum in articulo mortis præcepto diligendi Deum super omnia.

XIII. Inquiritur anxie, in quonam sensu verum sit id, quod habetur in Professione Fidei, & in Symbolo D. Athanasii, quod scil. *Extra Fidem Catholicam nemo salvus esse possit*; & quod dicitur Act. 4. *Non est in alio aliquo salus*. Cum enim dictum sit, Infidelem salvari posse, dummodo credat fide supernaturali, quæ necessario credenda sunt necessitate medii, videl. Deum esse, & esse Remuneratorem, etiamsi invincibiliter ignoret ea, quæ credenda sunt necessario necessitate præcepti, inter quæ juxta probabilem sententiam sunt Mysteria Trinitatis, & Incarnationis: videtur hinc sequi, non solum Hæreticos, sed etiam Infideles omnes, Hæbræos, Maumethanos, aliosque Paganos, dummodo non sint Athei, salutem consequi posse, etiamsi ex errore invincibili Catholicam Fidem ignorent: atque adeo extra Fidem Catholicam videtur posse salus obtineri, & independenter a fide in Christum Dom.

Ad hoc dicendum, de fide esse, neminem salvari posse, nisi aliquatenus Ecclesiam Catholicam ingrediatur, saltem per votum implicitum Baptismi, inclusum in contritione, aut in dilectione Dei super omnia, nec posse salutem in alio aliquo haberi, nisi in nomine Christi, seu in ejus virtute, ac ex ejus meritis; ut proinde essentialiter requiratur fides, si minus explicita, ut docent quamplurimi cum Mol., Sanch., saltem implicita de utroque illo Mysterio Incarnationis, & Trinitatis, ut volunt Laym., Con., Med., Sà apud Dian. p. 3. tract. 5. res. 46.,

ref. 46., adeo ut culpabilis ignorantia horum Mysteriorum sit peccatum grave distinctum ab eo, cujus est causa, ut notat Busem., & constat ex propositione 64. Innoc. XI. Hoc posito, verum est, neminem extra Fidem Catholicam in sua Secta salvari posse, quatenus in nulla alia Secta habentur media ad salutem assequendam; & si desit fides saltem implicita de Mysteriis in Secta Catholica credendis, deest fundamentum salutis; quandoquidem sine hac fide impossibile est placere Deo. Quando autem ex invincibili ignorantia aliquis sectatur aliam fidem eo animo, ut per contritionem, vel dilectionem Dei super omnia velit præcepta omnia servare, atque adeo implicite velit credere quicquid credendum est, retractetque idipsum quod explicite credit, & consequenter velit etiam implicite Baptismum a Christo institutum; tunc si minus dicitur esse intra ovile Christi per fidem explicitam in Christum, & baptismum in re, saltem dicitur esse aliquatenus in eo ovili, & veluti ad januam per fidem hanc implicitam, & per baptismum in voto; & sic salutem consequitur, non vi propriæ Sectæ, quam credit explicite, sed vi Sectæ Catholicæ, quam implicite credit, retractando quamcumque aliam fidem. Juxta sententiam vero (de qua dicemus in expositione propositionis 64.) docentem in lege gratiæ esse necessariam necessitate medii Fidem explicitam Incarnationis, & Trinitatis, dicendum cum Angelico qu. 14. de Ver. art. 11. quod si quis in alia Secta, aut nutritus in sylvis legem naturalem observet, Deus, qui non deficit nobis in iis, quæ necessaria sunt ad salutem, mitteret aut Angelum, aut Concionatorem, qui hunc imbueret Mysteriis credendis, ut misit Petrum ad Cornelium Act. 10. Et ita accidere in præsenti providentia existimo. Congruum enim est, ut nemo salutem assequatur sine explicita notitia sui Salvatoris, atque adeo etiam Mysterii Trinitatis, quo ignorato nequit Verbi Incarnatio explicite cognosci, nedum credi. Verum quia citra controversiam necessaria est necessitate medii fides explicita Dei Remuneratoris, atque adeo præmii, ac pœnæ æternæ, idcirco, si quis nutritus in sylvis hæc invincibiliter ignoraret, ac cæteroqui legem naturalem servasset, procul dubio divinitus esset imbuendus notitia ad hos actus fidei eliciendos necessaria: Si tamen legem naturæ violasset, (ut passim contingit) damnaretur solum ob eas culpas, non vero propter infidelitatem negativam, hoc est ex eo, quod non crediderit ea, quæ invincibiliter ignoravit.

PROPOSITIO V.

An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei semel tantum in vita eliceret, condemnare non audemus.

PROPOSITIO VI.

Probabile est, ne singulis quidem rigorose quinquenniis per se obligare præceptum Charitatis erga Deum.

PROPOSITIO VII.

Tunc solum obligat, quando tenemur justificari, & non habemus aliam viam, qua justificari possimus.

SYNOPSIS.

De his tribus thesibus abunde diximus in expositione primæ propositionis ab Alex. VII. proscriptæ.

In his tribus Propositionibus non est immorandum, cum de illis satis superque dictum sit in expositione Propositionis I. Alex. VII.

PROPOSITIO VIII.

Comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum, modo non obsit valetudini, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui.

PROPOSITIO IX.

Opus Conjugii ob solam voluptatem exercitum penitus caret culpa, ac defectu veniali.

SYNOPSIS.

I. Ratio utriusque thesis ne venialem quidem culpam agnoscentis in esu, & potu ad satietatem, necnon in usu conjugii ob solam voluptatem, videtur esse, tum quia licite appetitus naturalis suis actibus fruitur, tum etiam quia hujusmodi actus videntur recenseri inter actus morales indifferentes in individuo; non secus ac florem olfacere, campum prospectare ob solam delectationem.

II. Comestio ad satietatem, & Opus conjugii, cum non sint de se mali, videntur posse ob solam voluptatem exerceri.

III. Aliter illicitus esset actus conjugalis imbibens eam delectationem; unde illicitum esset Matrimonium ordinatum ad talem actum.

IV. Verum voluptas immodica, quæ habetur in his actibus, nequit citra veniale esse finis præcise intentus, utpote mediocritatem excedens, & dissona naturæ rationali.

V. Bruta ipsa a cibo immoderato abstinent.

VI. Videtur pariter venialis culpa comedere, & bibere, non solum ad satietatem, sed etiam moderate, ob solam voluptatem.

VII. Potest quidem appetitus naturalis suis actibus uti, non tamen frui.

VIII. Bruta ipsa venerem respuunt, si cesset finis generationis prolis.

IX. Idcirco intendi potest delectatio moderata, quæ oritur ex olfactu floris, aut campi prospectu, quia ea ex natura operis ad finem debitum ordinatur, animumque ad Cœlestia trahit potius, quam retrahat: Secus vero voluptas immoderata in casu nostro; quæ tunc solum admitti potest, quando ad finem honestum ordinatur.

X. *Possi-*

X. Possibilitas actus moralis indifferentis in individuo non infert licitam comestionem ad satietatem, aut opus conjugii ob solam voluptatem. XI. Sicut amputatio brachii cohonestatur ex fine conservandi vitam, ita opus conjugii ex fine debito procreandi prolem. XII. Vacat proinde culpa, si ad id ordinetur, secus vero, si ad solam voluptatem. XIII. Hinc plura ad praxim inferuntur. XIV. Conjux secundum se tenetur reddere debitum, etiamsi alter ob solam voluptatem, atque adeo illicite petat.

I. EXponitur utraque propositio. Docuerunt Jo. Sanch. disp. 2. n. 14. apud Dian. p. 3. tr. 5., res. 6. Escobar, Martinus Perez d. 18. de Matrim. sect. 7. n. 9., & alii, posse hominem licite comedere, aut bibere ob solam delectationem capiendam, v.g. ob suavitatem cibi, aut potus frigiditatem, deficiente corporis nocumento. Addiderunt alii, id licitum esse, non solum si cibus, aut potus ob solam voluptatem sumatur moderate, sed etiam si ad satietatem. Ratio hujus asserti exprimitur in hac octava thesi, quæ proscribitur, vid., quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui. Ex quo principio hanc aliam conclusionem deduxerunt, quod sc. opus conjugii ob solam voluptaptem exercitum careat culpa etiam veniali; quod Jo. Sanch., De la Crux, Pontius docuerant apud Dia. p. 3. tr. 4. res. 210. & ipse Diana putat esse probabile tum loc. c., tum p. 11. tr. 8. res. 35.

Ratio ulterior utriusque hujus asserti videtur esse, quia juxta probabilissimam sententiam Scoti, Vasq. 1. 2. q. 52. a. 2., & aliorum, dari potest actus moralis indifferens in individuo: puta si quis accedat ad ignem, ut calefiat vel si quis deambulet per pomarium, ita ut advertat hujusmodi actiones nec prohiberi, nec præcipi, sed permitti, & non referat illas signate ad finem virtutis, seu ad Deum, sed solum intendat delectationem illam naturalem, quæ inde percipitur. Satis enim est, quod istæ actiones natura sua ordinentur, & possint signate ordinari ad finem virtutis, ut licite ponantur, quin proinde sint moraliter bonæ, ac honestæ; ergo pariter poterit quis licite ad satietatem comedere, & bibere, ac uti conjugio ob solam voluptatem. Probatur consequentia: quia magis & minus non variant speciem; ergo si deambulare per pomarium ob solam voluptatem est actus moralis indifferens, & non malus moraliter, erit pariter actus moralis indifferens comedere ad satietatem ob solam voluptatem, dummodo non obsit valetudini; necnon conjugio uti. Propterea Cajetanus in summa V. *Gula*, hæc habet: *Nullum peccatum est in hoc, quod cibus delectabiliter sumatur, nisi quis sit adeo insipiens, ut putet omnem voluntariam delectationem sensualem esse peccatum.*

II. Confirmatur primo ex Almayno in 4. dist. 26. q. 1.: Delectari cum uxore de se non est malum: aliter quilibet cognoscens uxorem peccaret: ergo ferri in eam delectationem non est ferri in aliquod malum, seu prohibitum: ergo ob solam delectationem uti conjugio non est malum ex objecto; neque est malum ex circumstantia mali finis, cum supponatur non referri in alium malum finem: ergo simpliciter vacat culpa. Quod etiam videtur dicendum de eo, qui ad satietatem comedit ob solam voluptatem; cum pariter vacet culpa de se ad satietatem comedere; aliter peccaret, qui ad satietatem comedit, prævidens aliter se ex jejunio futuro damnum reportaturum.

III. Confirmatur secundo a Martino Perez l. c. Si intendere delectationem actus conjugalis esset culpa venialis, actus conjugalis esset illicitus; unde illicitus etiam esset contractus matrimonii ad hunc actum ordinatus propter prolis generationem; cum nulla possit esse obligatio ad culpam venialem: ergo ea delectatio, & voluptas carnalis ex se vere est licita, sicut actus conjugalis: atque adeo potest ea unice intendi. Unde potest etiam pariformiter unice intendi voluptas orta ex cibo, & potu ad satietatem sumpto, quoties non obest valetudini.

IV. Ostenditur falsitas, Et primo quod attinet ad cibum, & potum, expressa est auctoritas August. tom. 10. serm. 4. in die Animarum: ubi habet; *Quoties aliquis in cibo, & potu plus accipit, quam necesse sit, ad minuta peccata pertinere noverit.*

Similiter D. Th. q. 14. de Malo a. 1. habet *Regula rationis hæc est, ut homo sumat cibum secundum, quod convenit sustentationi naturæ, & bonæ habitudini hominis, & conversationi eorum quibus vivit.* Et 2. 2. q. 184. ar. 4. species Gulæ hoc versiculo comprehendit: *Præpropere, Laute, Nimis, Ardenter, studiose.* Cum enim Gula consistat in inordinata concupiscentia edendi, potest inordinata ista concupiscentia attendi dupliciter. Uno modo in ordine ad ipsum cibum, aut quatenus spectat ad substantiam, & speciem cibi, videlicet si comedatur *Laute*, sumendo cibos pretiosos; aut quatenus ad qualitatem, ut si accurate, ac *Studiose* præparatus cibus quæratur; aut quantum ad quantitatem, excedendo *Nimis* in edendo: Altero modo quantum ad cibi sumptionem, aut præveniendo tempus debitum, ac *Præpropere* edendo; aut non servando modum debitum, & comedendo *Ardenter*. Ecce quomodo ex Angelico non vacat vitio, ac culpa, nimis (& multo magis ad satietatem) comedere ob meram cibi delectationem.

V. Ratio horum omnium videtur esse, tum quia non potest vacare culpa cibus immoderatus propter meram delectationem sumptus, quando bruta ipsa, quæ unice a delectatione provocantur ad comedendum, abstinent tamen a cibo immoderato, & solum ad sufficientiam, non ad satietatem comedunt; tum etiam, quia natura in comestione delectationem annexuit, non ut finem, sed ut medium, vid. ut ea alliceremur ad comedendum; ergo comedere, & bibere ad satietatem ob meram voluptatem, est invertere naturæ ordinem, ordinando finem ad medium; non medium ad finem. Quod tamen non accidit, quando quis v. gr. florem olfacit, ludit, venatur, aut alium actum moraliter indifferentem exercet ob delectationem vitæ conservationi convenientem; tunc enim, ut advertit D. Thom. in 4. dist. 49. qu. 3. ar. 4. qu. 3., saltem virtualiter, & ex natura ipsius operis, si minus ex parte operantis, ipsa delectatio ad finem debitum ordinatur, cum hujusmodi operationes ab ipsa natura ad animum relaxandum institutæ sint; & ideo non invertitur in his naturæ ordo, nec hujusmodi actus dici debent peccaminosi, sed de se moraliter indifferentes.

VI. Utrum autem non solum sit illicitum comedere, & bibere ad satietatem, sed etiam moderare comedere ob solam delectationem, quamvis in thesi proscripta id non exprimatur: Dicendum tamen juxta communem DD. sensum contra nonnullos relatos a Moya tom. 1. tract. 6. disp. 3. qu. 3., quibus ipse sub-

subscribit, neque id licere, ut aperte docuit D.Th. 4. contra gentes c.87.n.7. dicens non licere cibis & venereis uti propter solam delectationem; quia delectationes, quæ sunt in his actionibus, non sunt finis actionum, sed potius e contra. Sic philosophus 10. Eth. 7. docet voluptatem operationis comitem esse solum eo modo appetibilem, sicut est appetibilis operatio; cum autem esus, & potus non sint appetibiles gratia sui, nec delectatio, quæ illas operationes comitatur. Et ratio ulterior est, quia bonum, quod non est proprium hominis in quantum homo est, sed est commune homini, ac belluis, non videtur gratia sui appetibile; a natura quidem illud propter finem altiorem intenditur in homine; unde homo propter finem a natura intentum debet illud intendere: hujusmodi autem est voluptas, quæ est in cibo, & potu, necnon voluptas venerea; & ideo neutra potest propter se intendi. Neque obstat, quod hujusmodi voluptas a natura cibo apponatur, ut ad comedendum homo invitetur. Hinc enim solum fit, quod possit intendi propter finem a natura intentum, non vero propter seipsam. Verum quidem est, quod possit propter se intendi directe oblectatio aliqua, quæ reperitur in ludo v. gr., in olfactu floris, in auditione musicæ, in aliis actibus moraliter indifferentibus: Et ratio est, quia hujusmodi voluptas ad hoc ipsum instituta est a natura, ut animum relaxet: At voluptas in cibo, potu, ac in venereis non est ad id instituta, sed ut per comestionem consulamus conservationi individui, & per actum conjugalem conservationi speciei; unde inverteretur naturæ ordo, si hujusmodi delectationes directe, & ratione sui intenderentur (*a*). Præsertim quia in his delectationibus facile est modum excedere; & idcirco debuit a natura ipsa vetari, ne propter se directe intenderentur: Ut proinde nonnemo docuerit, in hac thesi, in qua proscribitur explicite, quod liceat comedere, & bibere ad satietatem ob solam voluptatem, proscribi etiam implicite, quod liceat etiam moderate comedere, & bibere, directe intendendo solum voluptatem; eo quod ratio, cur a natura ipsa vetetur illud primum, militet etiam pro hoc secundo, videlicet, quia frueremur, non uteremur voluptate, quæ a natura instituta est ad usum, non ad fruitionem.

(*a*) Concina T. 1. *Th. Christ. p.* 377. & gravius „ T. X. *p.* 563. hanc Vivæ opinionem non modo „ damnatam esse ait in præfata thesi, *sed eviden-* „ *ter falsiorem & laxiorem*. Audi argumentationem „ stipite dignam, non Theologo. *Voluptas cibi &* „ *potus necessaria est ut medium ad naturæ susten-* „ *tationem, & nihilominus, qui illam propter se* „ *directe appetit, peccat saltem venialiter: voluptas* „ *ludi, olfactus rosæ, & musicæ non est necessaria* „ *ad vitæ sustentationem; ergo voluptas captata ex* „ *ludo, musica* &c. per se directe *damnabilior est*, „ *quam voluptas capta ex cibo & potu*. Nego ineptissimam consequentiam. Damnabilitas vel non „ damnabilitas voluptatis petenda non est ex eo „ quod non necessaria, aut necessaria sit ad vitæ „ sustentationem, sed ex fine, ad quem ex natura „ instituta est, qui in voluptate *cibi & potus* in „ ipsa non sistit, sed ad conservationem individui „ progreditur, in voluptate autem ludi, musices &c. „ ipsa voluptas est, & animi relaxatio. Ceterum „ Cardenas diss. VII. videtur aliter a Viva sentire; „ sed vere ut dicam, quæstio est de voce.

VII. Ex hactenus dictis descendit falsitas principii illius in proscripta propositione assumpti, quod scil. licite possit appetitus naturalis suis actibus frui; illud enim interest inter frui, & uti, quod fruamur fine, utamur medio: Proinde Seneca lib. de Vita beata c. 110. quendam Epicuri discipulum sic affatur: *Tu voluptate frueris, ego utor*: Voluptas autem, quæ in cibo reperitur, a natura intenditur ut medium alliciens ad operationem conservationi hominis necessariam: ergo nunquam licet frui voluptate orta ex actibus appetitus naturalis, eam unice, ac ultimate intendendo; ut accidit præsertim, quando quis ob solam voluptatem comedit ad satietatem. Et sane si liceret universim frui actibus appetitus naturalis, liceret etiam ebrietas, ingluvies, libido brutalis, & similia, a quibus ipsa natura abhorret; cum autem etiam ad satietatem comedere, ac bibere naturæ ipsi sit dissonum, ut patet etiam in brutis, nec poterit homo licite frui hoc actu appetitus naturalis. Quod si dicas cum Philosopho 10. Eth. cap. 5. ebrietatem, ac ingluviem non spectare ad appetitum naturalem, cum sint contra naturam, & dici debere voluptates innaturales, & turpes; idem dicas de comestione, & potu ad satietatem.

VIII. Quod vero spectat ad opus conjugii, facile etiam ostenditur, quod nequeat ob solam voluptatem licite exerceri, tum auctoritate D. August. lib. de Bono Conjugali cap. 6., ubi habet: *Conjugalis concubitus generandi causa non habet culpam; concupiscentiæ vero satiandæ, tamen cum conjuge, venialem*; Tum etiam auctoritate D. Thom. 4. contra Gentes c. 87. n. 5. dicentis, inordinatum esse venereis uti propter solam delectationem. Quod pariter constat a posteriori; quia bruta ipsa ab hac delectatione abhorrent, quando cessat finis a natura intentus, qui est prolis generatio; bellua enim prægnans venerem respuit; Tum demum, quia immodicam natura in eo opere apposuit voluptatem, ut ad onera valde gravia matrimonii homines alliicerentur; Cum autem sit immodica, animum a divinis facile revocat, nisi ad debitum finem ordinetur, & idcirco non licet ob solam voluptatem opus illud exercere.

IX. Neque dicas, quod sicut possumus citra culpam cœlum, aut vernantem campum prospectare, musicam audire, rosam olfacere ob voluptatem naturæ consonam, quia ex natura ipsa operis hujusmodi delectatio ad finem debitum, nempe ad vitæ conservationem, ordinatur, ita pariter potest homo, citra ullam etiam venialem culpam, uti conjugio directe ob delectationem, quia pariter ex natura operis ad finem debitum ordinatur: quod non accidit, quando quis ad satietatem, comedit, aut bibit ob voluptatem, quippe quæ ex ipsa natura talis operis ad vitæ conservationem non ordinatur.

Nam, ut diximus, lata est disparitas inter voluptatem ortam ex aspectu campi vernantis, & voluptatem ortam ex actu conjugali: illa enim est voluptas moderata, quæ animum ad cœlestia trahit potius, quam retrahat; & idcirco natura ad hoc ipsum præstandum eam instituit: unde illam intendens ordinat ad finem a natura intentum: Contra vero voluptas venerea, utpote immodica, animum minus aptum reddit ad finem suum; & idcirco nunquam hæc potest directe intendi, sed ordinari debet ad finem a natura illi præstitutum, puta ad prolis procreationem; sicuti quia delectatio, quæ habetur in cibo, a natura ordinatur ad vires reficiendas,

num-

nunquam ea propter se intendi potest, sed ordinari debet ad finem a natura præfixum.

Propterea in re tam lubrica, qualis est luxuria, qui unice delectationem intendit, exponit se proximo periculo prolabendi in varias culpas, excedendo modum debitum; secus vero qui moderatam intendit voluptatem olfaciendo rosam, aut audiendo gratum concentum: ergo non potest citra veniale ob solam voluptatem opus conjugii exerceri, sed debet aut ad bonum prolis procreandæ ac educandæ ad Dei cultum ordinari, & sic erit actus Religionis; vel ad reddendum debitum conjugi, & sic erit actus Justitiæ, ut advertit Angelicus in cap. 7. Epist. 1. ad Corinth. Quicquid sit, an possit opus conjugii exerceri ad vitandum in se periculum incontinentiæ? quod communius negant cum D. Thom. apud Sanch. lib. 9. de Matr. dis. 9.; quoties tamen aliis non difficilibus mediis potest incontinentia vitari; Immo etiam communius docent apud eundem Sanch. disp. 10., esse veniale, illud opus exercere unice propter sanitatem, si aliud medium detur sanitatis instaurandæ.

X. Ad rationem in contrarium adductam, fundatam in possibilitate actus moralis indifferentis in individuo, satisfecimus abunde. Concedimus siquidem, non peccari venialiter in deambulatione ver. gr. per pomarium, in auditione concentus ob delectationem convenientem conservationi vitæ, quoties hujusmodi actus non apparent prohibiti, etiamsi non ponantur ex hoc motivo, quod non sit prohibiti, aut ex alio motivo honesto, ac virtutis. Negamus tamen, ob meram delectationem licite posse hominem ad satietatem comedere, aut actum conjugalem exercere; eo quod hujusmodi delectationes sint incongruæ, ac immodicæ, nec propter se intentæ a natura, ut proinde debeant signate ad finem altiorem ordinari; sicut quando comestio ad satietatem ordinatur ad vomitum necessarium v. gr. saluti recuperandæ, vel quando actus conjugalis ad prolis generationem, (non quidem quæ propriis commodis, sed quæ Deo inserviat,) aut ad reddendum debitum ex justitia. Falsum est autem, quod in moralibus magis, & minus speciem non varient: cum enim virtus in mediocritate consistat, actus, qui a mediocritate aberrat vel per excessum, vel per defectum, non est actus in specie virtutis, sed vitii: v. g. non est actus Liberalitatis, sed vel Avaritiæ, vel Prodigalitatis, si aut minus detur, aut magis, quam oporteat; nec est actus illius virtutis, quam D. Th. 2. 2. qu. 143. ar. 1. vocat Austeritatis, sed est actus Loquacitatis, loqui magis, quam expediat ad convenientem recreationem, similiter excessus in voluptatibus, quæ ex nimio cibo, aut potu, vel ex opere conjugali percipiuntur, non vacat culpa, nisi ad rectum finem ordinetur. Voluptas autem moderata, quæ ex auditione concentus percipitur, si ad honestum finem ordinetur, erit actus virtutis, si vero propter se duntaxat signate ametur, quoties non apparet prohibita, erit actus moralis indifferens, ex natura ipsius operis ad rectum finem a natura intentum ordinatus.

XI. Ad primam confirmationem: Sicut amputare sibi brachium v. g. est malum, non tamen si ordinetur ad vitam conservandam; ita delectari cum uxore ob solam voluptatem est malum; quod tamen non est malum, dum ordinatur ad prolis generationem, quæ Deo famuletur: multa enim sunt, quæ quamvis secundum se sint mala, possunt tamen ex circumstantia aliqua cohonestari. Quid turpius, quam innocentem occidere? Quid autem gloriosius, & honestius voluntate Abraham de occidendo filio ad morem gerendum Deo præcipienti? Malum pariter est nolle rem domino restituere, sed non est malum nolle restituere gladium domino, si sit furiosus: ita in casu nostro non est malum vacare generationi, & actum conjugalem propter suum finem exercere; malum vero est illum propter meram voluptatem exercere, ob rationes adductas; idemque dicendum de comestione ad satietatem.

XII. Ad secundam, nego sequelam; ex hoc quod intendere directe delectationem actus conjugalis sit culpa venialis, non sequitur, quod actus conjugalis, & contractus matrimonialis sit illicitus; Contractus enim matrimonialis ordinatur quidem ad actum conjugalem immediate, & ultimate ad prolis generationem, non tamen ob voluptatem ex actu conjugali percipiendam; illa enim actui conjugali annectitur, ne homines ab oneribus matrimonii retrahantur; sicut comestioni annectitur delectatio, non ut illa ultimate intendatur, sed ut ex illa ad vires reficiendas, & ad vitam sustentandam alliciamur. Hinc licet ea voluptas finaliter, & inordinate intenta sit peccaminosa, non proinde dici debet peccaminosus actus conjugalis, ad quem consequitur delectatio, non ut ea propter se intendatur, sed ut ordinetur ad prolis generationem; nec contractus matrimonialis obligans ad reddendum debitum obligabit ad actum illicitum, cum non obliget ad intendendam finaliter delectationem in eo actu: Et similiter nequit finaliter intendi delectatio, quæ in comestione, ac potu percipitur; siquidem non annectitur ea delectatio comestioni, ut propter se intendatur, sed ut ad sustentationem vitæ ordinetur.

XIII. Ex dictis sequitur primo, ex condemnatione harum propositionum nullatenus concuti opinionem de possibilitate actus moralis indifferentis in individuo. Secundo, comedere & bibere ad satietatem tunc esse illicitum, quando fit ob solam delectationem, non vero si ad honestum finem ordinetur. Tertio, comedere, & bibere modicum aliquid non necessarium ad sustentationem, sed utile ad vitæ conservationem, non esse illicitum, dummodo delectatio illa moderata ad finem debitum honestæ recreationis ordinetur, & non propter se intendatur: Quicquid fuse in contrarium docuerit Bernardus Stubrochius in Notam 3. ad Epist. 9. putans voluptates gustus esse æque licitas, ac voluptates auditus, odoratus, & aspectus, easque moderatas ex se esse indifferentes, laudans pro hac sententia D. Bonav., Scotum, Ochamum, Almaynum, Tabienam, & alios; quod etiam docuit Moya tr. 6. disp. 2. d. 3. Quarto, posse hominem licite prospectare campum, olfacere rosam, audire musicam, ob delectationem illam conservationi vitæ consonam, etiamsi solum virtualiter, & ex natura operis ea delectatio ad hunc finem ordinetur. Neque hinc sequitur, quod homo instar belluæ operetur, intendendo duntaxat hanc delectationem: Nam homo illam amplectitur, & intendit, advertendo, quod sit moderata, & quod a prima regula morum non prohibeatur; quod bellua præstare non potest. Neque sequitur, quod homo delectatione fruatur, non utatur: Quamvis enim finis explicite ab operante intentus sit delectatio; at implicite ea ad vitæ conservationem, cui valde est consona, ordinatur; atque adeo delectatione ista, utpote moderata, & de se ordinabili ad finem

finem debitum homo utitur, non fruitur, etiamsi explicite solum illam intendat cum advertentia, quod non prohibeatur. Quarto sequitur, principium illud esse omnino falsum, quod scil. licite possit appetitus naturalis actibus suis frui: Immo si sensus sit, quod possit universim appetitus frui quolibet actu suo, ita ut etiam ebrietas, libido præpostera, & similia sint licita, est principium dignum quavis censura Theologica: quod si non intelligatur in ea universitate, inepte, & contra regulas dialecticas ex eo infertur, quod liceat comedere, & bibere ad satietatem ob solam delectationem: ex eo enim, quod aliquando liceat intendere delectationem, non rite infertur, quod etiam liceat in casu præsenti. Sexto demum, non vacare veniali culpa, si actus conjugalis ob solam voluptatem exerceatur, aut si voluptas illa directe intendatur; etiamsi talis operatio ad finem debitum ordinetur, ut probant rationes adductæ.

(*a*) „ Hanc opinionem contra clamat damna„ tam Concina *T. VI. p.* 221.

XIV. Dubitatur, An conjux teneatur reddere debitum, si alter ob solam delectationem petat? Ad quod dicendum cum Sanchez lib. 9. disp. 6. num. 6., Palao, Perez, teneri; actus enim ille, qui est illicitus exigenti, non est illicitus reddenti, & ideo est debitus: Ad eum modum, quo si quis voveat non petere crastina depositum, peccat sacrilege petendo; alter tamen reddere tenetur, quia malitia petentis non deobligat alterum a reddendo illi, quod suum est. Quamvis autem aliqualiter videatur conjux reddendo debitum cooperari materialiter actioni illi externæ peccaminosæ petentis, excusatur tamen a culpa sufficienter ex justa causa, quæ subest, vid. ne excitentur odia inter conjuges, aut mutuus amor debitus defervescat. Certe petens mutuum ab usurario, ac solvens usuras, quamvis aliqualiter cooperetur materialiter illius peccato interno, excusatur a culpa ex justa causa, quam habet petendi mutuum: ergo a fortiori in casu nostro excusabitur reddens debitum, quippe qui ex justa causa cooperatur materialiter, non quidem peccato interno petentis, sed solum actioni externæ peccaminosæ: Universim enim non peccat, qui cooperatur actui, quem potest alter hic & nunc bene exercere, & culpa sua facit male, quoties sufficiens datur causa cooperandi, ut in casu nostro: Si tamen posset commode adhiberi correctio fraterna, & speraretur in posterum emendatio, ea ex charitate sub levi adhibenda esset, possetque debitum hic & nunc negari; quamvis id raro admodum contingat, ut advertit idem Sanchez; præsertim quia præsumi debet, quod petens debitum non petat illud unice ob delectationem, sed vel ad incontinentiam etiam vitandam, aut ad salutem instaurandam: cum possit juxta probabilem sententiam ob istos etiam fines exerceri actus conjugalis.

PROPOSITIO X.

Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali.

PROPOSITIO XI.

Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos.

SYNOPSIS.

I. Vindicantur hac in re a persona, calumniæ graves DD., quippe qui non negant dari obligationem diligendi proximum actu interno, dum docent non dari obligationem per se exercendi actum internum dilectionis proximi propter amandum tantum, sicut tenemur Deum diligere præcise propter amandum.

II. In eo nituntur proscriptæ theses, excludentes obligationem diligendi proximum actu interno, & formali, quod Christus D. solum præcipiat actus Charitatis externos.

III. Sicut etiam prim. Jo. 3. solum præscribitur, quod diligamus opere, & veritate.

IV. Dilectio quippe interna est grata Deo, qui cor intuetur, proximus autem sollicitus est de actibus dilectionis externis.

V. Demum, quia diligere omnes homines in confuso est inutile, & diligere in particulari omnes est impossibile.

VI. Ex Scripturis tamen constat, proximum etiam actu interno diligendum esse.

VII. Sicut datur speciale præceptum diligendi Deum actu interno, ac formali, ita & proximum: Esto sufficiat, quod dum alia præcepta implentur, eodem actu præcepto diligendi proximum satisfiat.

VIII. Natura ipsa homines obligat ad hanc dilectionem; ea quippe necessaria est ad generis humani conservationem, atque ad pacem, & justitiam servandam. Dilectio vero proximi supernaturalis, seu ex motivo lumine Fidei cognito, est mandatum novum Christi Dom.

IX. Identidem in vitæ decursu ista dilectio iteranda est.

X. Dum præcipitur a Christo Dom., & in Scripturis actus externus Charitatis, implicite etiam præcipitur internus. XI. Quamvis proximus non intueatur cor, exigit tamen dilectionem etiam internam, sine qua consistere non potest externa.

XII. Ita proximus in confuso diligendus est, ut animus debeat esse paratus ad diligendum quemlibet in particulari, etiam inimicum, si necessitas occurrat.

XIII. Non sufficit dilectio proximi virtualis inclusa in Dei dilectione.

XIV. Discutitur quænam, & quanta sit obligatio diligendi inimicum, etiam actu interno, & formali; ac plura ad praxim spectantia inferuntur.

I. EXponitur. Arriaga 2. 2. disp. 39. sect. 2. Fagundez, Coninch, Gaspar Hurtado, & alii videntur hisce thesibus a stipulari, dum negant præcepto Charitatis obligari nos ad amandum proximum, aut amore orto ex ejus bonitate, cum sufficiat, quod illum amemus propter Deum; aut amore orto ex Divina bonitate, cum sufficiat illum amare propter se: aut amore explicite, ac distincte proximum attingente, cum videatur sufficere, quod implicite in amore Dei includatur proximi amor. Immo nonnemo putavit in has propositiones impegisse ipsum Suarium disp. 5. de Charit. sect. 1., ubi docet, homines non obligari per se ad exercendum actum internum dilectionis proximi propter amandum tantum, sicut tenentur ad amandum Deum præcise propter amandum, sistendo in ipso amore; cum sufficiat, quod proximum diligamus veluti per accidens in casibus passim occurrentibus; quando scil. tenemur ejus necessitati succurrere, aut quando

do adesset magna tentatio, & periculum odii, vel vindictæ, ut moraliter non posset citra hujusmodi actum amoris vinci. Verum si attente Doctores isti legantur, non contendunt, quod in his propositionibus configitur, vid. satisfieri præcepto proximum diligendi absque ullo actu formali, & interno, per solos actus externos, ita ut satisfaciat v. gr. huic præcepto etiam ille, qui ex motivo inanis gloriæ erogat stipem pauperi extreme indigenti, etiamsi nunquam proximum diligat dilectione formali; cum aperte doceant actum internum charitatis saltem naturalem esse nobis ab ipsa ratione naturali præceptum, & actum dilectionis supernaturalem a Christo Domino nobis præcipi verbis illis Jo. 15. *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Solum DD. laudati negant, vel ad actus dilectionis dari obligationem per se præcise propter amandum, & non propter succurrendum in necessitatibus aut spiritualibus, aut temporalibus, sicut datur obligatio ad amandum Deum propter se; vel negant dilectionem istam debere esse implicitam; aut volunt satisfieri huic præcepto per dilectionem proximi propter Deum; quæ, & his similia in his propositionibus non proscribuntur.

II. Fundamentum harum thesium est primo, quia Matth. 1. Christus explicans quonam pacto diligendus sit proximus, solum requirit actus externos, dicens: *Omnia ergo quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim lex, & Prophetæ:* ergo lex Charitatis abunde impletur per actus externos. Quod videtur dixisse etiam Bernardus serm. 58. in Cantica, ubi habet: *An non satis tibi esse judices ad implendum istud de proximi dilectione mandatum, si id perfecte observes, in quo omni homini recte de lege naturæ præscribitur, Quod tibi non vis, alteri ne feceris; & item illud, Quodcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis?*

III. Secundo, quia 1. Jo. 3. solum præscribitur, quod proximum diligamus opere, quin præscribatur actus internus dilectionis: dicitur enim: *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere, & veritate.*

IV. Tertio a priori; quia eam dilectionem debemus proximo impendere, quæ in ejus bonum cedit; cum omnis alia dilectio relate ad proximum, qui non intuetur cor, ut intuetur Deus, parvipendatur; Sed dilectio, quæ in bonum proximi cedit, est ea tantum dilectio, qua per actus externos ei benefacimus, & succurrimus; ergo solum ad actus externos obligat præceptum diligendi proximum.

V. Confirmatur primo: non enim tenemur actu interno diligere omnes homines in confuso, quia hoc videtur inutile, neque omnes in particulari, quia hoc est impossibile; neque hos potius, quam alios, cum non sit major ratio de his, quam de illis: ergo simpliciter non tenemur proximum diligere actu interno: sufficiet, quod in necessitatibus occurrentibus præsto simus, exhibendo officia charitatis debita.

Confirmatur secundo: quia ex verbis laudatis D. Joannis, & ex doctrina D. Thom. 2. 2. qu. 25. ar. 8. non tenemur proximum ex virtute charitatis affectu particulari diligere, nisi ratione occurrentis necessitatis: atqui potest huic occurri per externam beneficentiam citra actum charitatis internum: ergo hic non est necessarius.

VI. Ostenditur falsitas. Primo, quia Christus D. Matth. 22. post expressum primum mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum*, subdit alterum, *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum:* Atqui primo illi mandato non satisfit sine dilectione interna, & formali: ergo nec secundo. Præterea 1. Jo. 4. dicitur: *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum*, vid. consimili dilectione. Et Jo. 15. dicitur: *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: ergo sicut Deus dilectione interna est diligendus, ita & proximus: Deum tamen tenemur propter ipsum amare, & non propter aliud; proximum vero perfectius amamus, si propter Deum diligamus; & ideo ista proximi dilectio spectans ad charitatem infusam sufficit ad implendum secundum præceptum de proximo diligendo. Præterea Aug. l. 8. de Trinit. c. 7. aperte docet, nos eadem charitate Deum, & proximum diligere, quatenus actu interno proximum amamus propter Deum: quod si præcepto diligendi proximum satisfieret per solos actus externos, non esset eadem charitas, qua Deum diligimus, & qua proximum, sed diversa.

VII. Secundo, quia communissime a Theologis rejiciuntur ii, qui apud Lorc. 2. 2. sect. 3. disp. 57. putarunt non dari speciale præceptum diligendi Deum actu interno, sed sufficere, quod impleamus præcepta decalogi, juxta illud Christi Dom. Jo. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*; immo ab Alex. VII. proscribitur prima propositio negans hominem teneri ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Caritatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium. Et ratio est, quia Scriptura sæpissime inculcat, Deum super omnia diligendum, & hoc præceptum vocat primum, & maximum; quod non esset verum, si non esset distinctum a cæteris; atque eodem modo Scriptura sæpe inculcat proximi dilectionem, & hoc præceptum vocat secundum, novum, & proprium Christi Dom.: ergo pariter diligendus proximus actu interno, & formali directe ad hoc præceptum adimplendum, independenter ab impletione aliorum præceptorum: Esto sufficiat, quod dum alia præcepta implentur, eodem actu satisfiat & huic; V. gr. dum teneor hic & nunc succurrere proximo extreme indigenti, possum satisfacere simul præcepto charitatis, si illi succurram ex motivo charitatis, cui non satisfacerem, si illi succurrerem ex motivo verb. gr. inanis gloriæ, nec alias actum Charitatis exercerem: Et eodem modo probabile est, quod Præcepto charitatis erga Deum satisfaciamus per hoc, quod exerceatur actus dilectionis, quando hic est necessarius ad alia præcepta implenda, ut diximus in expositione primæ propositionis Alex. VII. v. gr. si quis eliciat actum contritionis, dum est administraturus aliquod Sacramentum, nec habet copiam Confessarii; aut si credat hic & nunc esse necessarium actum dilectionis Dei super omnia ad vincendam aliquam gravem tentationem. Et ratio a priori est, quia solum tenemur ex præcepto Divino Charitatis identidem actum amoris Dei exercere; Sive igitur illum eliciamus, dum satisfacimus aliis præceptis, sive extra hanc occasionem, semper illi præcepto satisfacimus; cum non videatur necessarium, quod præcepto Charitatis satisfiat extra occasionem satisfaciendi aliis præceptis, nisi forte ea occasio non detur.

VIII. Denique fundamentum ex Suario est, tum quia ratio ipsa naturalis dictat proximum actu dilectionis

ctionis interno prosequendum esse, cum nihil magis necessarium sit ad generis humani conservationem, ad pacem, & justitiam tuendam; tum etiam quia lex naturalis de proximo diligendo, & præceptum hoc novum Christi Dom. non imponunt nisi actum honestum spectantem ad virtutem charitatis: ergo non possumus huic præcepto satisfacere per meros actus externos subveniendo illi in opportunitatibus ex motivo v. g. inanis gloriæ, aut indifferenti, aut ex motivo etiam alterius virtutis: Propterea, ut satisfaciamus legi naturali, satis est, quod ponamus actum dilectionis naturalem; ut satisfaciamus vero præcepto novo Christi Dom. requiritur, quod diligamus aliquando proximum amore supernaturali, sive ex motivo benevolentiæ erga proximum, sive propter amorem Dei; qui actus est præstantioris dilectionis. Quod si ex Christi præcepto non imponeretur obligatio amandi proximum aliquo amore supernaturali, non posset præceptum Christi dici novum, prout habetur Jo. 13. *Mandatum novum do vobis; ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*, hoc est amore pariter supernaturali, ut communiter Patres, & Theologi docent, ut notat Suar. dis. 5. de Char. sect. 4. & quos citatos sequitur M. Prado cap. 12. q. 4. §. 2. Immo ex verbis illis ad Rom. 13. *Qui diligit proximum, legem implevit*, colligunt nonnulli dilectionem proximi non solum debere esse supernaturalem, sed etiam propter Deum: quod videtur docere August. t. 9. tract. 9. in Jo. 4. dicens: *Necesse est ergo, ut Deum diligat, qui diligit fratrem*; necnon D. Thom. in locum laudatum Pauli sect. 2., ubi habet: *In dilectione proximi includitur dilectio Dei, sicut causa in effectu*.

IX. Circa tempus tamen hujus obligationis arridet sententia D. Th. 2. 2. q. 25. a. 8. Suar. l. c., & aliorum communius putantium sufficere, quod aliquando hi actus exerceantur, vid. cum necessitas occurrerit aut exercendi misericordiam, aut vitandi odium, vel periculum vindictæ; & quia est moraliter impossibile quod in convictu hominum deficiant hujusmodi occasiones, in quibus necessaria sit proximi dilectio, ideo moraliter impossibile est, quod Christifidelis, qui christiane vivit, huic præcepto non satisfaciat abunde. Quod si quis animo sit inhumano, advertere ad hanc obligationem debet; & sicut identidem exercere debet actum dilectionis Dei, ita ut non satisfaciat huic præcepto, qui diu caret hoc actu, juxta dicta in expositione primæ propositionis Alex. VII., ita identidem etiam exercere debet actum dilectionis proximi etiam supernaturalem, h. e. ortum ex motivo cognito lumine supernaturali, puta quia ita Christus præcipit, vel quia pro illo Christus sanguinem fudit, vel ut Deum in æternum glorificet, ita ut in dilectione proximi etiam dilectio Dei aliquatenus includatur; & inde fiat quod semper sit animo paratus ad diligendum quemlibet, etiam inimicum in particulari, si necessitas occurrerit, ut loquitur Angelicus. Sicut autem arduum est præfigere tempus, quo obliget præceptum diligendi Deum; ita arduum est præfigere tempus, quo obligemur ad diligendum proximum. Certe ad utrumque frequenter obligamur, unusquisque pro frequentia occasionum; Ex iis quippe verbis primæ Petri 4. *Mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes*, colligitur, hujusmodi actus debere esse adeo frequentes, ut quodam modo sint continui, saltem quoad animi promptitudinem ad succurrendum proximo in necessitatibus occurrentibus.

X. Ad primam rationem in contrarium dicendum, Christum Dom., & D. Bernardum velle, ut aliis præstemus, quæ vellemus nobis præstari. Cum autem nos velimus ab aliis etiam interno affectu diligi, eo quod hic sit necessarius, ut homo sit paratus aliis succurrere in necessitatibus, & parcere in occasionibus diffidii, rixæ, querelarum, invidentiæ, &c., idcirco nos pariter debemus alios interno affectu diligere: Quod docuit idem Bernard. loco laudato subdens: *Neque hoc dico, quod sine affectione simus*, &c.

XI. Ad secundam: Præscribitur a D. Johanne, quod diligamus non verbo tantum, sed opere; & quia, ut opere diligamus in occasionibus, quæ passim occurrunt, requiritur internus affectus, qui identidem renovetur, ideo hic etiam præcipitur.

Ad tertiam: Verum quidem est, quod homines non essent solliciti de actu interno, quo diligantur, si omnia signa benevolentiæ sibi exterius ostenderentur: At quia hæc præstari constanter nequeunt sine interno affectu, idcirco permagni interest, quod quilibet interno affectu a proximo identidem ametur.

XII. Ad primam confirmationem: diximus ex Angelico, hominem debere esse paratum ad diligendum quemlibet in particulari, si necessitas occurrat, etiam inimicum; ad hoc autem est necesse, quod aliquando exerceat actus dilectionis proximi in confuso; & idcirco datur obligatio diligendi non semel proximum actu interno in confuso; ita ut ex his actibus homo reddatur paratus ad diligendum in particulari, quoties opus fuerit.

XIII. Ad secundam: diximus teneri homines ad diligendum proximum in particulari, quoties hic & nunc necessitas occurrit: & ut ad hos actus præsto simus, tenemur etiam aliquando proximum actu interno diligere in confuso. Neque dicas ad id sufficere, quod identidem diligamus Deum super omnia, ex qua dilectione sequitur, quod simus animo parato ad observantiam omnium præceptorum, atque adeo ad diligendum proximum, cum necessitas occurrerit. Nam quamvis nonnemo apud laudatos Auctores putarit, sufficere hanc dilectionem proximi implicitam, inclusam in dilectione Dei ad satisfaciendum præcepto charitatis erga proximum; hæc tamen sententia communiter rejicitur, quia si illa dilectio Dei sufficeret, quatenus implicite includens dilectionem proximi, non darentur duo, sed unum tantum præceptum Charitatis, propterea proximus explicite diligendus ex motivo charitatis supernaturali, (hoc est, quod cognoscatur lumine fidei) volendo scilicet eidem bonum, quia Deo summe Bono placet, ut a nobis ametur. Sicut enim in omnium sententia ad satisfaciendum præcepto diligendi Deum non sufficit dilectio Dei implicita, inclusa in præceptorum executione, juxta illud Jo. 14. *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me*; ita ad satisfaciendum præcepto diligendi proximum non sufficit dilectio implicita, inclusa in dilectione Dei super omnia.

XIV. Ex dictis infertur, etiam inimicos diligendos esse amore interno, ac supernaturali, non solum ut satisfaciamus præcepto illi novo Christi D. expresso his verbis Jo. 13. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*: sed etiam ut satisfaciamus illi alii Christi D. præcepto Matth. 5. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite iis, qui oderunt vos*. Probabi-

liter

liter autem sufficit ex Angelico 2. 2. q. 25. a. 8. quod quilibet ita identidem actu interno, ac supernaturali propter Deum diligat proximum in confuso, ut ex his actibus reddatur animus paratus ad diligendum etiam inimicum in particulari, si necessitas occurrerit, quin sit de præcepto, sed solum de consilio, quod inimicum in particulari diligat, & illi benefaciat propter Deum extra articulum necessitatis. Ratio est, quia sufficienter diligimus inimicum actu interno, & supernaturali, quoties diligendo proximum amore supernaturali, ita non excludimus inimicum, ut reddamur parati ad illum in particulari diligendum, immo ad illi benefaciendum, quoties necessitas occurrerit; (quæ moraliter in convictu humano diu abesse non potest) v. g. quando hujusmodi dilectio inimici in particulari, & beneficentia necessaria est ad vincendam tentationem gravem odii, vel periculum vindictæ, aut rixarum, & quando beneficentia necessaria est ad vitandum scandalum, & quodcunque odii signum. Extra hos casus inimicum in particulari diligere, illique benefacere, ex Angelico non est de necessitate, sed solum pertinet ad perfectionem charitatis.

Unde fit primo, contra præceptum charitatis peccare, qui vult inimico malum, ut malum est; sicut etiam qui aut de ejus malo gaudet, aut de ejus bono tristatur. Licitum quidem est, speculative loquendo, velle ex motivo justitiæ, quod inimicus puniatur, vel ad aliorum exemplum, vel ut ipse corrigatur; practice tamen non est id facile admittendum; quia sub tali zelo sæpe latitat odium inimici, & desiderium vindictæ.

Fit secundo, teneri nos ex præcepto Charitatis ad scandalum vitandum etiam externa signa odii erga inimicum tollere; ut proinde non possimus inimicum excludere ab iis officiis, quæ aliis passim præstare solemus; E. g. non possumus illi salutationem denegare, quam aliis omnibus ejusdem conditionis exhibemus: nec possumus post offensam ab eo acceptam omittere salutationem, qua illum antea prosequebamur; quod præsertim verum est, si quis aliquando debeat prævenire, vel quia est inferior, vel quia prius alterum læsit, & offendit. Poterit quidem Superior alteri salutationem denegare aliquando causa justæ correctionis, aut in pœnam justam criminis; pœna tamen isthæc non debet culpam excedere, aliter non esset justa pœna, sed ultio. Ubi advertit Suar. disp. 5. de char. sect. 5. n. 8. aliquando per accidens nos obligari ad præveniendum inimicum in salutando, etiamsi ille prius læserit, & ad alia specialia benevolentiæ signa illi exhibenda, quando scilicet id judicaretur necessarium aut ad deponendum odium internum, aut ad placandum inimicum, ut ipse odium deponat; pro salute enim æterna proximi tenemur sæpe aliquod consimile incommodum subire: dicitur proinde Matth. 5. *Esto consentiens adversario tuo.*

Fit tertio, neminem posse ab orationibus inimicum excludere, nec a beneficiis communibus. E. g. in distributione eleemosynæ non potest excludi inimicus: poterit tamen, si eleemosyna distribuenda non sufficiat omnibus, ea solum amicis erogari, eo quod hoc de se non sit signum odii erga inimicum: Cavendum tamen ne in hac exclusione aut odium latitet, aut scandalum suboriatur.

Fit quarto, etiam inimico optandam esse salutem æternam, & quodcunque bonum, quod juxta Charitatis dictamen optare debemus proximo, quando illum actu interno, ac supernaturali diligimus propter Deum, & pro illo oramus; & sicut parati esse debemus ad posthabendam etiam vitam temporalem nostram saluti spirituali proximi, quando id opus esset; ita parati pariter esse debemus ad vitam profundendam pro salute æterna inimici.

PROPOSITIO XII.

Vix in sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui. Et ita vix aliquis tenetur ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui.

SYNOPSIS.

I. Hæc proscripta thesis docens vix aliquem teneri ad eleemosynam, quando tenetur tantum ex superfluo statui, per injuriam ascribitur Vasq. a Montaltio in famosis illis Literis Provincialibus.

II. Strictiorem enim hac in re Vasquius, quam alii DD. obligationem imponit.

III. Tam in gravi proximi necessitate, quam in necessitatibus pauperum, quæ appellantur Communes, quilibet tenetur ad aliquam eleemosynam de superfluis suo statui præsenti, esto nihil habeat superfluum relate ad statum mutandum.

IV. Quod constat tum ex præcepto proximum diligendi, tum ex Scripturis innumeris.

V. In extrema necessitate succurrendum esse proximo de superfluis statui, saltem ex lege Charitatis, si minus ex lege Justitiæ, non dubitatur.

VI. De superfluis etiam statui, ac necessariis naturæ eidem succurrendum; Quamvis autem non teneamur proprium statum destruere, tenemur tamen cum aliquo detrimento, licet non gravi, proprii status illi subvenire.

VII. Laicus non tenetur ingentem vim pecuniæ impendere pro redimenda vita pauperis: Ad id vero obligatur Ecclesiasticus de superfluis statui, nisi malit pecuniam istam ad sublevandam minus gravem plurium pauperum necessitatem insumere.

VIII. In gravi necessitate, quæ non æquiparatur extremæ, succurrendum est pauperi solum de superfluis, non de necessariis præsenti statui.

IX. Magis tamen subveniendum ei, qui de suo statu mox est casurus, quam ei, qui jam cecidit: Magisque ab Ecclesiastico, quam a Laico.

X. In communibus pauperum ostiatim mendicantium necessitatibus subveniendum ab omnibus aliqualiter de superfluis statui; ita ut mortaliter peccet, qui propositum habet nunquam erogandi his pauperibus stipem.

XI. *Crebrius tamen ad id obligantur Ecclesiastici, (quippe qui quod superest congruæ sustentationi, tenentur in pios usus erogare) quam Laici. Isti probabiliter gravi huic obligationi satisfaciunt, si quinquagesimam partem annui reditus in pauperes distribuant.*

I. EXponitur. Thesim hanc Montaltius in Epistolis illis Provincialibus ab Alex. VII. proscriptis tribuit Vasquio, ut Moralem Jesuitarum carpat: sed immerito. Quamvis enim Vasquius in Opusc. de eleemosyna cap. 1. dub. 3. num. 27. solum secundam partem hujus thesis doceat, dicendo: *Vix aliquis tenetur, aut secundum opinionem Cajetani, aut nostram, ad eleemosynam, quando tamen tenetur ex superfluo statui*: & cap. 4. n. 14. doceat primam partem hujus thesis, dicendo: *Vix in Sæcularibus invenies, etiam in Regibus, superfluum statui*, sumendo superfluum statui, non pro superfluo statui præsenti, sed pro superfluo statui mutando, seu pro superfluo ad comparandum statum altiorem, quo ex bonis propriis licite conniti possunt sæculares, etiam Reges; ut proinde non loquatur de Ecclesiasticis, qui non possunt uti bonis Beneficii ad comparandum sibi statum digniorem, sed debent pauperibus, & in opera pia erogare, quod est superfluum statui præsenti, & decenti sustentationi: Nihilominus Vasq. eodem cap. 1. n. 25. docet, non solum in necessitate extrema, sed etiam in gravi, (quando scil. aut gravis morbus imminet, aut periculum famæ amittendæ, quæ est auro pretiosior) teneri unumquemque ad eleemosynam erogandam non solum de superfluo, sed etiam de necessario statui, dummodo sit superfluum naturæ, seu suæ, suorumque sustentationi: Ubi alii Doctores communius docent apud Sanch. in opusc. lib. 1. c. 5. dub. 5. num. 44. cum Navar. Cajet. Soto, Ledesma, eleemosynam de necessariis statui erogandam esse sub mortali solum in extrema, non in gravi proximi necessitate, & sufficere, quod in gravi necessitate detur eleemosyna solum de superfluis statui.

II. Constat itaque Vasquium hac in re per injuriam notari a Montaltio, ut Auctorem laxitatis profligatæ; siquidem, ut advertit Moya tract. 6. d. 6. qu. 4. n. 6. strictiorem Vasquius, quam alii obligationem imponit in eo, quod velit proximo succurrendum etiam de necessario statui, si periculum illi immineat famæ amittendæ; ubi communius putant sufficere tunc, quod succurratur de superfluis statui. In reliquis vero eodem modo ratiocinatur, eandemque obligationem imponit Vasquius, ac alii communius, quamvis diversimode loquatur; & in alio sensu ipse usurpet verbum illud *Superfluum statui*, ac alii Auctores. Siquidem alii communius, dum docent in gravi necessitate proximi subveniendum illi esse de superfluis statui, intelligunt de superfluis statui præsenti: Vasq. vero docens, subveniendum proximo in gravi necessitate etiam de necessariis statui, intelligit de necessariis ad acquirendum statum altiorem: Unde fit, quod licet vix in Sæcularibus, etiam in Regibus, inveniatur superfluum statui mutando, adhuc tamen ad eleemosynam teneantur juxta Vasq. de iis, quæ huic statui sunt necessaria, dummodo sint naturæ superflua. Hæc repetit Vasquez c. 4. num. 13. dicens: *Ecclesiastici tenentur extremas necessitates sublevare eodem modo, ac Sæculares: graves etiam necessitates status proximorum, & alias graves tenentur Ecclesiastici sublevare, ut minimum de superfluo statui, & aliquando de necessario, ut supra de Sæcularibus diximus.* Additque duplex discrimen inter Ecclesiasticos, & Laicos. Primum est, quod Laici non teneantur perquirere pauperes, ut eleemosynam elargiantur, cum sufficiat, si illam erogent pauperibus, qui obviam fiunt; secus vero Ecclesiastici, præsertim Episcopi, qui sunt Patres pauperum, tenentur inquirere, eo quod iis cura pauperum sit demandata. Alterum, quod Laici possint de bonis patrimonialibus servare ad statum mutandum; ac proinde fit, ut vix in Sæcularibus, etiam in regibus, invenias superfluum statui, non quidem præsenti, sed altiori, ad quem facile possunt ascendere; Ecclesiastici vero non possunt de bonis Ecclesiasticis servare ad statum altiorem comparandum: cum ea bona data sint ad congruam sustentationem cum onere, quod superfluum præsenti statui in pios usus erogetur.

III. Quod autem attinet ad eleemosynas erogandas in communibus pauperum necessitatibus, quando ad illas tenemur tantum ex superfluo statui, seu præcise quia est superfluum, & datur sufficiens indigentia proximi, etiamsi desit necessitas extrema, aut gravis, de quo est sermo in præsenti thesi, Vasq. recedit a sententia Hurtadi, & aliorum cum Dian. par. 5. tract. 8. ref. 17. putantium nullam dari ad id obligationem in sæcularibus; cum solum permittat sæcularibus, quod possint aliquid ex superfluis præsenti statui de bonis patrimonialibus servare ad suum, vel consanguineorum statum mutandum, quod non permittit Ecclesiasticis relate ad bona Beneficii; Unde non negat utrosque teneri ad subveniendum pauperibus in communibus necessitatibus, quando ad id tantum tenentur ex superfluo statui. Immo aperte loco laudato docet, Ecclesiasticos ad id teneri sub mortali, Sæculares vero videri, quod non obligentur ad id sub mortali; non tamen negat ad id teneri, saltem sub veniali, quod etiam Granadus, & alii docuerunt apud Dianam l. c. & p. 1. tract. 15. ref. 32. (quicquid sit, an communissima sententia retinenda sit, quod ad id sub mortali teneantur, prout infra mox discutiemus) Quare Vasquius non erat carpendus, perinde ac docuisset thesim hanc confixam. Hæc dicta sint ad vindicandum tantum Virum a persona calumniæ, non ab uno Montaltio, sed ab aliis etiam acriter imposita, implicando verbis male sonantibus piam, ac legitimam ejus mentem in ordine ad obligandum omnes ad sublevandum pauperes de superfluis statui, non solum in extrema, & gravi necessitate, (in quo rigidiorem, ac veriorem sententiam propugnat) sed etiam in necessitatibus communibus: esto in hoc recesserit a rigidiore discutienda, quæ ad id obligat sub mortali. (*a*)

(*a*) „ P. Concina *T. II. Th. Chr. p.* 34. pro sua „ *Vacuitate a studio partium*, suoque in Societatem „ amore Vasquezium perperam a Viva defendi ad„ firmat. Confer P. Danielis dialogos adversus Pro„ vinciales litteras *Dial. VI. pag.* 232. *seqq. edit.* „ *Amstelædam.* 1697.

IV. Venio itaque ad præsentem thesim prout jacet exponendam, & redarguendam falsitatis. Prima ejus pars, quod vix in Sæcularibus, etiam in Regibus, invenias superfluum statui, intelligitur communiter de statu præsenti; ac proinde est falsissima, ut patet; quamvis vera esset, si intelligeretur de statu mutando, & quem facile comparare possent. Altera pars, quod vix aliquis teneatur ad eleemosynam, quando tenetur ex superfluis statui, intelligendo de statu præsenti, prout communiter usurpatur, est pariter manifeste falsa. Cum enim plurimi abundent divitiis, atque adeo habeant statui præsenti superflua, plurimi sunt, qui ad eleemosynam tenentur, quando tenentur de superfluis statui præsenti, vid. in gravi proximi necessitate, ut docent communiter,

ter, & non raro in necessitatibus communibus proximi, ut docent communius apud Dian. p. 5. tr. 8. ref. 17. Et utrumque ostenditur, tum ex præcepto proximum diligendi, cui satisfacere non possumus, si nolumus illi graviter indigenti subvenire cum levissimo nostro incommodo, vid. erogando illi superflua statui; aut si nunquam vellemus quicquam de superfluis erogare in communibus pauperum necessitatibus ostiatim mendicantium; tum ex Scripturis, quæ passim graviter nobis misericordiæ actus præcipiunt. Lucæ 11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*; 1. ad Tim. 6. dicitur: *Divitibus hujus sæculi præcipe facile tribuere*. Divites profecto dicuntur, qui superflua statui præsenti habent; his autem præcipitur non solum quod de superfluis aliquid pauperibus tribuant, sed etiam quod facile tribuant: quomodo autem diceretur quis facile tribuere, si nec in gravi proximi necessitate illi de superfluis subveniret, nec vellet aliquid in communibus pauperum necessitatibus erogare?

Neque dici potest, quod huic præcepto satisfiat, si facile, & hilari animo subveniatur pauperi in extrema necessitate constituto. Nam in extrema necessitate, etiam a non divitibus proximo succurrendum de bonis necessariis statui, quæ sint superflua naturæ, seu conservationi vitæ propriæ, ac familiæ, ut docent communiter apud Sanch. l. c. cum ordo charitatis postulet, quod magis vitam proximi diligamus, quam propria bona, quæ ad vitam necessaria non sunt: ergo præceptum Apostoli latum divitibus de facile tribuendo intelligendum est de stipe facile eroganda proximo etiam in gravi necessitate constituto, & non raro in communibus necessitatibus ex superfluis statui, ut docent Suar. disp. 7. de char. sect. 3. Laym. Bon. Azor.

Idem significatur a verbis Christi Domini Luc. 3. *Qui habet duas tunicas, det non habenti, & qui habet escas, similiter faciat*: & ab Apostolo 2. ad Cor. 8. *In præsenti tempore vestra abundantia illorum*, nempe pauperum, *inopiam suppleat*. Et apertius 1. Jo. 3. *Qui habuerit substantiam hujus mundi, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo Charitas Dei manet in eo?* Quibus verbis explicatur, præcepto charitatis sub mortali obligari divites, qui proprie dicuntur substantiam habere hujus mundi, ad succurrendum pauperibus, necessitatem habentibus. Et ideo dicitur, Necessitatem habentibus, non explicando Extremam, Gravem, aut Communem, quia in omnibus hisce necessitatibus proximo aliqualiter subveniendum; ut proinde graviter peccent, ut docent communius, qui de superfluis statui nunquam aliquid erogant pauperibus ostiatim mendicantibus ob communes tantum, non graves necessitates, volentes superfluum statui præsenti integrum servare ad statum altiorem comparandum: quamvis enim Laici non teneantur, ut Ecclesiastici, totum, quod præsenti statui superfluum est, in pios usus erogare, sed possint plurimum servare ad statum mutandum; tenentur tamen aliquid ex eo largiri etiam ad communes pauperum inopias sublevandas, ut præcepto Charitatis satisfaciant.

Neque obstat, quod in communibus necessitatibus sit moraliter impossibile, desiderari eos, qui pauperibus subveniant. Nam idcirco est moraliter impossibile, quia quilibet debet sub gravi aliquando illis subvenire; aliter posset quilibet eleemosynam negare, & sic pauperum necessitas evaderet gravis, aut extrema.

V. Hactenus de obligatione universim succurrendi pauperibus in necessitate extrema, gravi, & communi; quia tamen res est valde implexa, non levis momenti, & valde obvia; idcirco distinctius de obligatione in singulis hisce necessitatibus agendum, tam quoad spectat ad Ecclesiasticos, quam quoad Laicos.

Principium generale, & commune tam Laicis, quam Beneficiariis est, utrosque obligari ad succurrendum pauperi in extrema necessitate constituto de superfluis statui. Ratio est, quia nulla major necessitas, quam extrema, nullumque minus incommodum divitibus, quam expendere, quæ non solum naturæ, sed etiam statui superfluunt: ergo si in aliquo casu lex Charitatis, & Misericordiæ obligat sub gravi, procul dubio obligat in casu adducto: Quicquid sit, an obligatio ista sit solum ex lege Charitatis, an etiam Justitiæ; adeo ut teneatur etiam restituere damna inde secuta, qui huic obligationi non satisfecit? Quod complures docent apud Dian. p. 5. tr. 8. ref. 2. Præscindimus etiam, An huic obligationi satisfiat solum mutuando pauperi, non donando: quod pariter nonnulli docent apud eundem Dian. ref. 5.

VI. Difficultas gravis est, Utrum in extrema necessitate subveniendum pauperi sit etiam ex necessariis statui? Ad quod dicendum videtur cum Suar. disp. 7. de Char. Con. disp. 27. de Char. num. 134. & aliis apud Dian. loc. cit. ref. 7. neminem teneri ad destruendum proprium statum, ut occurrat extremæ necessitati pauperis: teneri tamen omnes cum aliquo, non cum gravi detrimento proprii status illi subvenire. Prima pars hujus propositionis ostenditur, quia nemo tenetur proprium statum destruere pro tuenda vita propria, ut docent communiter: ergo a fortiori pro tuenda aliena. Et ratio a priori est, quia nemo tenetur ad conservandum majus bonum temporale facere jacturam minoris boni cum maxima, & moraliter insuperabili difficultate. Sic nemo tenetur perdere famam ad tuendam vitam; nec tenetur tolerare sectionem brachii ad vitam conservandam: quamvis enim famæ amissio, aut brachii sit amissio minoris boni, quam amissio vitæ, nihilominus quando ea conservari non possunt citra ingentem difficultatem, non tenemur hanc subire ad illa conservanda, ne vitæ faciamus jacturam: ergo nec tenetur homo statum proprium destruere, quod sine ingenti difficultate non fit, ad vitam pauperis conservandam. Præsertim quia ad Reip. utilitatem magis confert status divitum; qui possint plures in gravibus, & communibus necessitatibus sublevare, quam vita pauperis; qua de causa nec Beneficiarius, nec ipse Episcopus tenetur ad statum proprium destruendum, ne persona privata pereat. Secunda pars propositionis, quod scil. cum aliquo, licet non cum gravi detrimento status succurrendum sit pauperi extreme indigenti tam a Laico, quam a Beneficiario, descendit ex præjacto principio. Etenim pati aliquod detrimentum status non censetur medium extraordinarium, & moraliter impossibile; secus vero pati grave detrimentum: ergo ad illud datur obligatio ex præcepto misericordiæ, non ad istud.

VII. Addo tamen ex Conc. Palao, Dian. l. c. ex superfluis statui non teneri Laicum ingentem vim pecuniæ insumere, v. gr. tria, vel quatuor millia

aureorum expendere pro redimenda vita pauperis: Et ex Layman, & Sa non obligatur ad succurrendum ægroto extraordinarias medicinas offerre, & Medicum longe distantem advocare, quia hæc sunt media extraordinaria, quæ continent difficultatem ingentem. Contra vero Beneficiarius, cum teneatur superfluum statui in pios usus erogare, non patitur magnam difficultatem, si magnam vim pecuniæ expendat ad sublevandam extremam indigentiam personæ privatæ; & ideo ad id obligatur; nisi forte ad bonum publicum magis expediret, pecuniam istam insumere ad sublevandam indigentiam minus gravem plurium pauperum, quam ad conservandam vitam unius privati.

VIII. Difficultas ulterior est, An in gravi necessitate subveniendum sit pauperi ex superfluis, aut etiam ex necessariis statui, tam ab Ecclesiasticis, quam a Laicis sub mortali? Ad quod videtur cum communiori dicendum, quod si nomine gravis necessitatis veniat necessitas valde gravis, & pene extrema, qualis esset e. g. quod nobilis cogatur mendicare, aut aliter ducere vitam miseram ipsa morte pejorem, tunc subveniendum illi sit etiam de necessariis statui, cum levi tamen, non cum gravi detrimento proprii status: Eo prorsus pacto quo diximus subveniendum esse tam ab Ecclesiastico, quam a Laico in necessitate extrema. Ratio est, quia necessitas hæc valde gravis, & quasi extrema in morali æstimatione ipsi extremæ indigentiæ æquiparatur; ut proinde Lessius docuerit licitum esse furari, non quidem in gravi necessitate, (ut per injuriam nonnulli illum criminantur,) sed in valde gravi, quæ scil. sit extremæ contermina; ut habet diserte l. 2. c. 12. num. 71. Si tamen nomine necessitatis gravis veniat ea proximi indigentia, ratione cujus minus digne, & opulenter vivat, quam deceat statum suum, succurrendum illi sub mortali solum de superfluis, non de necessariis statui, ut communius docent apud Dian. l. c. ref. 14. contra nonnullos apud Sanch. l. c. num. 43. putantes ad id non dari gravem obligationem; quorum sententiam Mendo in Epitome V. *Eleemosyna* n. 2. dicit esse certo probabilem. Ratio tamen hujus nostri asserti est, quia quod est superfluum statui, non est grave incommodum, si erogetur necessitatem gravem patienti; ergo Charitas Christiana non solum id suadet, sed etiam sub mortali præcipit.

Ubi pariter notandum, quod sicut in extrema necessitate pauperis, ita a fortiori in gravi dives non teneatur ingentem pecuniæ vim de superfluis statui expendere; cum hæc sint media valde difficilia, & impossibilia moraliter; tenetur tamen ad id Ecclesiasticus; quippe qui superfluum statui integre debet in pios usus erogare; nisi tamen velit solum partem superfluorum congruæ sustentationi ad tollendas proximi necessitates expendere, & reliquum Divino cultui, aut aliis piis operibus applicare, prout mox dicemus.

IX. Advertendum pariter ex Vasq. cap. 1. dub. 3. num. 28. & Diana ref. 16. diversimode subveniendum pauperi illi, qui de statu suo cecidit, & non potest eum recuperare, ac pauperi, qui de statu suo mox est casurus. Sicut enim gravius est pati damnum, quam non lucrari, ita gravius est cadere de statu proprio, quam post casum non resurgere; ac proinde hæc censetur necessitas gravior, cui strictius est subveniendum; sicut strictius est subveniendum ei, qui injuste res suas amisit, ac illi, qui casu, & fortuito decidit de statu suo: Quinimo illi, qui non injuste, sed casu decidit de statu suo, non esse subveniendum sub mortali, docent communius cum eodem Vasqu. eo quod pauper iste, eleemosynis acceptis, non tam damnum vitaret, quam lucrum acquireret; nemo autem sub mortali tenetur alteri subvenire ad lucrum acquirendum.

X. Difficultas demum est, Utrum in communibus pauperum necessitatibus ostiatim mendicantium sub mortali subveniendum sit de superfluis statui, tam ab Ecclesiasticis, quam a Laicis? Qua in re, quamvis nonnulli apud Dian. p. 1. tract. 15. ref. 37. & p. 5. tract. 8. ref. 17. putent aut nullam, aut saltem sub veniali dari ad id obligationem, eo quod quilibet prudenter sibi persuadere possit, necessitatem istam pauperum esse ab aliis tollendam; (aliter necessitas non esset communis, sed gravis, aut extrema) dicendum tamen verius cum Suar. disp. 7. de Char. sect. 3. Laym. Lorca, Azor., & aliis, graviter peccare, qui propositum habet nunquam subveniendi pauperibus in communibus necessitatibus. Ratio est, tum quia non apparet, quomodo ab isto servetur præceptum illud impositum 1. ad Timoth. 6. ubi dicitur, *Divitibus hujus sæculi præcipe, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere*; tum etiam quia, cum erogatio stipis de se sit ardua, nisi daretur obligatio sub gravi erogandi illam identidem pauperibus in communibus necessitatibus, facile contingere posset quod hujusmodi pauperibus nemo subveniret; unde non posset formari prudens illud judicium, quod non sit defuturus alius, qui subveniat.

Censeo etiam ex proscripta thesi hujusmodi gravem obligationem inferri. Cum enim ex ejus proscriptione descendat, nos ad eleemosynam teneri, quando ad illam tenemur tantum ex superfluo statui, atque adeo seclusa extrema, aut gravi proximi necessitate, cum etiam materia hujus obligationis de se sit gravis, dicendum ex proscripta thesi descendere, quod ad id obligemur sub gravi.

XI. In hoc tamen Laici ab Ecclesiasticis differunt, quod isti, qui, quicquid superest congruæ sustentationi, debent in pios usus erogare, videntur crebrius ad id obligandi; secus illi, qui possunt de superfluo statui plurimum servare ad altiorem statum acquirendum. Propterea Tambur. probabiliter putat, satisfieri a Laicis huic obligationi, si quinquagesimam partem annui reditus in pauperes distribuant. Granadus vero apud Dian. p. 4. tr. 4. resol. 254. probabiliter putat, quod Episcopi huic obligationi satisfaciant, si quartam partem, & alii Ecclesiastici, si quintam, vel sextam partem annui reditus Beneficii ad sublevandos pauperes impendant, dummodo quod superfluum est congruæ sustentationi, vel ad Dei cultum, vel in usus pios erogent.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Si cum debita moderatione facias, potes absque peccato mortali de vita alicujus tristari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & desiderare, non quidem ex displicentia personæ, sed ob non aliquod temporale emolumentum.

PROPOSITIO XIV.

Licitum est absoluto desiderio cupere mortem Patris, non quidem ut malum Patris, sed ut bonum cupientis, quia nimirum ei obventura est pinguis hæreditas.

PROPOSITIO XV.

Licitum est filio gaudere de parricidio Parentis a se ebrietate perpetrato propter ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas.

SYNOPSIS.

I. Videtur in casibus harum thesium intentio principalis ferri potius in bonum proprium; nec desiderari malum alienum sub ratione mali, sed sub ratione parientis bonum.

II. Desiderium inefficax perinde se habet ac complacentia, & gaudium.

III. Hujusmodi inefficax desiderium, complacentia, & gaudium de morte aliena vacat culpa, si ordinetur ad bonum longe præstantius vita proximi, cujusmodi est bonum ingens Reip., aut bonum spirituale proprium, vel alienum; secus vero, si ad inferius bonum ordinetur.

IV. Licitum etiam est gaudere de bono proprio, quod provenit ex suppositione mortis alienæ, quin tamen liceat gaudium de malo alieno, unde hujusmodi bonum provenit.

V. Nituntur hæ proscriptæ theses in eo, quod desiderium inefficax ultimate feratur in bonum proprium; ut quando Ecclesia orat, ut gentes Paganorum Divinæ dexteræ potentia conterantur.

VI. Tum etiam in eo, quod hujusmodi desiderium est veluti conditionatum. VII. Et quia licite possumus non solum optare, sed etiam consciscere mortem injusto vitæ invasori cum moderamine debito, præcise intendendo proprium bonum.

VIII. Non videtur legi charitatis opponi, saltem graviter, quod mors aliena inefficaciter desideretur ob emolumentum temporale.

IX. Sicut non est culpa gravis violare ordinem charitatis debitum inter personas, sic nec inter objecta. X. Mors aliena, quæ inefficaciter exoptatur, neque est malum morale, neque ad finem malum ordinatur.

XI. Denique delectari de bono, quod consequitur ad malum, non videtur illicitum.

XII. Verum ordo charitatis postulat, quod vita proximi bono temporali proprio levioris momenti præferatur; adeo ut teneamur sub gravi extreme indigenti etiam de necessariis proprio statui subvenire: Tunc non violaretur ordo charitatis, quando mors alteri desideraretur ab bonum præstantius vita, puta ad Dei gloriam, ad animæ salutem.

XIII. Filius gaudens de inculpabili parricidio non solum contra charitatem, sed etiam contra pietatem graviter peccat.

XIV. Ecclesia petit Paganos conteri, sed ad Dei gloriam. XV. Desiderium inefficax, de quo loquimur, non est conditionatum, sed absolutum, ut expresse habet thesis 14. Quid tamen dicendum de hujusmodi desiderio conditionato? XVI. Possumus injustum aggressorem cum moderamine debito occidere ad bonum præstantius vita, videlicet ob quietam Reipub., sicut potest Judex furem morte damnare.

XVII. Graviter læditur charitas erga proximum his affectibus, qui, si innotescerent, amicitiam rationabiliter rescinderent.

XVIII. Universim quando ordo charitatis aut inter personas, aut inter objecta pervertitur graviter, ut in casu nostro, peccatum est grave.

XIX. Malitia in his actibus non habetur ab objecto, aut a fine, sed ex modo tendendi in objectum ob talem finem.

XX. Gaudium de malo, quod trahit bonum, tunc est licitum, quando ordinatur ad bonum præstantius.

XXI. Plura hinc ad praxim spectantia deducuntur.

I. Exponuntur. Primam ex his propositionibus videntur docuisse Cajetanus, Oviedo, Mendo in Statera differt. 4. q. 4. Palaus t. 1. tr. 6. disp. 4. p. 1. n. 15., & alii putantes, id licere, quia hujusmodi gaudium, & inefficax desiderium non est de morte proximi, quatenus illi est mala, sed quatenus est causa emolumenti temporalis, ut proinde principalis intentio non referatur in malum alienum, sed in bonum proprium. Et videtur hæc doctrina niti verbis Angelici 2. 2. q. 57. a. 4., ubi hæc habet: *Cum aliquis dolet de bono alicujus, inquantum ex eo timetur nocumentum vel sibi ipsi, vel aliis bonis, talis tristitia non est invidia, & potest esse sine peccato*. Ubi S. Th. addit Testimonium D. Gregor. 22. Moral. 11. dicentis: *Evenire plerumque solet, ut non omissa Charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria sine invidiæ culpa contristet*. Ex qua doctrina videntur sequentes Theses 14., & 15. descendere: quando enim desideramus absolute desiderio inefficaci mortem Patris propter hæreditatem captandam, non cupimus ejus mortem, ut ipsi malam, sed bonum hæreditatis, quod consequitur; ut videtur docere Oviedo p. 2. tr. 6. Contr. 6. n. 37. Et quando Filius gaudet de Parricidio inculpabiliter commisso ob bonum hæreditatis, non gaudet de malo Patris, sed de bono proprio; ut videtur docere Salas p. 2. tr. 3. disp. 6. sect. 28. n. 29. hæc habens: *Licitum est nobis delectari de occisione hostis, non ut fuit in vindictam, sed ut attulit hæreditatem, vel intulit alia commoda, & vitavit incommoda aliqua*.

II. Ubi notandum, complacentiam, seu gaudium in casu nostro perinde se habere, ac desiderium inefficax, quod ex D. Th. non est voluntas sim-

simpliciter, sed voluntas conditionata, seu velleitas quædam; ut proinde Vasq. p. 2. disp. 114. desiderium inefficax vocet complacentiam, eo quod non aliter in objectum influat hujusmodi desiderium, quam gaudendo de illo; (quamvis re vera desiderium inefficax antecedat objectum, & gaudium consequatur) Hinc Vasquez loco laudato putat, quod ea, de quibus gaudere possumus, pariter possimus inefficaci desiderio cupere; & viceversa: e. g. quia licitum est delectari ob salutem corporalem, vel spiritualem de conspurcatione, quæ in somno accidit, ut docent communiter Theologi cum Angelico in 4. dist. 9. q. p. ar. 4. ad 5. infert Vasq. licitum esse ob eundem finem hujusmodi conspurcationem desiderare desiderio inefficaci, quod communius docent cum Sanch., Laym., Fill., contra Sotum, Azor., Rodriq., apud Dian. p. 3. tr. 5. res. 87. Ex quo fit, quod si possemus gaudere de parricidio in ebrietate patrato ob bonum hæreditatis, possemus etiam illud ob eundem finem inefficaciter desiderare; quod quam absonum sit, nemo est, quin videat. Præsertim quia in duabus postremis thesibus non solum dicitur vacare culpa mortali, ut habetur in prima ex his thesibus, sed etiam dicitur, licitum esse cupere mortem Patris, & de ea delectari ob bonum hæreditatis.

III. Ad intelligentiam præmitto, quod si verba illa, quæ habentur in prima ex his thesibus, vid. *Si cum debita moderatione facias*, recte axplicarentur, & significaretur, quod possimus de malo temporali alicujus gaudere, illudque inefficaciter desiderare, quando inde provenit Reip. majus bonum, ita ut possit hoc rationabiliter bono privato alterius præferri, tunc propositio non esset rejicienda. Illam quippe expresse docet Angelicus in 3. dist. 30. q. 1. ar. 1. ad 4. ubi habet: *Potest aliquis, salva Charitate, optare malum temporale alicui, & gaudere, si contingat, non inquantum est malum illius, sed inquantum est impedimentum malorum alterius, quem plus tenemur diligere, vel Communitatis, aut Ecclesiæ.* Sicut enim in omnium sententia licite optamus mortem alicujus ob bonum spirituale, quod ex illa sequitur, (si aliter non potest illud obtineri) vid. ad evitandas ejus, vel aliorum culpas; quia scil. bonum spirituale præferendum temporali; & ipse rectus Charitatis ordo postulat, ut bonum ingens spirituale optemus, etiamsi ad illud obtinendum prærequiratur mors proximi; & similiter, quia præferendum est bonum temporale Reipublicæ, & proprium bono temporali proximi, quando bonum temporale Reipublicæ est ingens, ita ut rationabiliter præferatur vitæ alicujus privati, possumus juxta ordinatam Charitatem desiderare inefficaciter mortem alicujus privati præcise ad obtinendum bonum ingens Reip.; propterea citra mortale optamus ob publicum bonum, quod scelestus a Judice morti damnetur: Eodem modo, quia vita propria præferenda est vitæ alterius, qui non sit valde utilis Reipub., ubi necessaria sit ad vitam propriam conservandam mors alterius, puta inimici, seu injusti aggressoris, non erit contra Charitatem ordinatam cupere, quod ille potius moriatur, ne ab illo occidaris: Quamvis enim hujusmodi affectus non vacent sæpe veniali culpa, præsertim si sint absoluti, & solum implicite conditionati; nihilominus, si cum hac debita moderatione ponantur, possunt citra culpam mortalem exerceri. Hac etiam de causa potest aliquis citra mortale optare sibi mortem ad evadendam vitam, quam experitur morte ipsa amariorem, nam, ut dicitur Eccl. 30. *Melior est mors, quam vita amara.* Sic Elias 3. Reg. 9. *petivit animæ suæ, ut moreretur* ad evadendas Jezabelis insidias. Et Moyses Num. 11. populi pervicacia contristatus ait: *Obsecro, ut interficias me, & inveniam gratiam coram oculis tuis, ne tantis afficiar malis.* Jonas etiam, quia parcente Deo Ninivitis, populi perturbator, & Propheta mendax videbatur, dixit 3. Reg. 4. *Et nunc Domine tolle, quæso, animam meam a me, quia melior est mihi mors, quam vita.* Et Judas Machabæus 1. Machab. 3. *Melius est nos mori in bello, quam videre mala gentis nostræ.* Ecce quomodo (*a*) possimus licite mortem aut aliis, aut nobis optare cum debita moderatione, videlicet aut ob bonum spirituale, aut etiam ob bonum temporale, quod sit vita longe præstantius: non tamen ob quodcumque temporale emolumentum, ut sonant verba propositionis proscriptæ.

„ (*a*) Idest ad hæc exempla Eliæ, Mosis, Jonæ, Judæ Maccabæi possumus licite mortem „ &c. Quid Concina sinceritatis typus? *T. I. Th. Christ. p.* 466. suppressis hisce exemplis, ad quæ „ *τὸ ecce quomodo* omnino refertur sequentia recitat, tum ait, hanc opinionem *Christianorum*, „ *qui tribulationibus, & calamitatibus concutiuntur, desperationi viam parare, & ad divinam voluntatem conformationem tollere*; quo nihil impium magis, aut blasphemum posset excogitari, „ nisi in Vivam maledicentia, & mala fides exempla illa sustulisset, ut quo illa Vivæ opinio spectet, non intelligerent lectores, quid enim? an Elias, an Moses? an Jonas? an Judas Maccabæus in desperationem prolapsi sunt? an Divinæ voluntati se minime conformarunt? Atqui Viva non absolute dixit, posse quempiam citra mortale sibi mortem, aliisque optare, sed cum isthæc imitatur „ exempla; *Ecce quomodo* &c. Addit præterea Concina *p.* 467. *illud bonum temporale, quod sit vita præstantius, non explicare* Vivam; *loqui tamen de bono privato, quum antea meminerit boni publici: porro quodnam sit bonum temporale* „ PRIVATUM *præstantius vita, non video.* Sed falsum est, loqui heic Vivam de bono temporali privato, nam inter alia adtulerat exemplum „ Judæ Maccabæi dicentis: *melius est nos mori in bello, quam videre mala* GENTIS NOSTRÆ. „ Atqui antea loquutus fuerat de publico; ergo heic agit de privato. Quibus nugis Theologia tractatur! Ad illa verba: *hac etiam de causa* egerat Viva de caussis licite optandi ALIIS mortem, atque eas inter publicum bonum locum habuerat. Tum loquitur ad illa: *Ecce quomodo* de „ morte *nobis* optanda; tandem his verbis: *Ecce quomodo* &c. utrumque colligit: *Ecce quomodo possimus licite mortem* AUT ALIIS, aut NOBIS *optare*; „ de bono temporali *publico* posse Vivam agere? „ & miratur Concina heic iterum Acutum Theologum! qui quod Grammaticus quispiam, si integrum hunc Vivæ locum attente perlegerit, intligat, ipse minime animadverterit.

IV. Propterea potest aliter recte intelligi id, quod dicitur in ea propositione, *Si cum debita moderatione fiat*, vid. si quis gaudeat præcise de emolumento temporali, quod ex morte alicujus provenit, nullatenus vero gaudeat de illius morte; unde complacentia, & desiderium inefficax tantum terminetur

tur ad bonum proprium, nullatenus ad malum alienum; sed solum ex suppositione mortis alienæ velimus emolumentum temporale, quod consequitur, & de illo gaudeamus, vel ad summum de connexione, quam habet mors proximi cum nostro emolumento temporali. In hoc sensu videntur interpretandi Cajetan., Pal., & alii supra laudati, qui proscriptæ huic propositioni videntur adhærere, ut advertit Puente Hurt. Verum propositio, ut jacet, non depurat gaudium de emolumento proprio a gaudio de morte proximi, sed docet vacare mortali labe, gaudere de morte proximi ob nostrum temporale emolumentum; & idcirco merito proscribitur.

V. Fundamentum trium istarum thesium videtur esse; Primo, quia juxta doctrinam Angelici, & D. Greg. l. c. potest quis velle malum alteri, non ut illi malum, sed ut bonum sibi, vel aliis: Sicuti quando Ecclesia contra Paganos orat, *Ut Gentes Paganorum, quæ in sua feritate confidunt, dexteræ tuæ potentia conterantur*: ergo potest pariter quis saltem citra mortale velle mortem alterius propter emolumentum temporale proprium, intendendo directe bonum proprium, non malum alienum. Et ob eandem rationem poterit cupere mortem patris, & de parricidio inculpabiliter patrato delectari ob hæreditatem consecutam.

VI. Secundo, quia, ut advertit Pasqual. numer. 474., hujusmodi desiderium inefficax de morte alterius propter bonum proprium, est veluti desiderium conditionatum, perinde quasi dicatur, Si Deus ita disponeret, quod ille moriatur, gauderem de emolumento proprio; Sed hic affectus conditionatus videtur culpa saltem gravi vacare: ergo &c.

VII. Tertio: Possum injusto aggressori mortem optare, immo etiam inferre cum moderamine inculpatæ tutelæ, non intendendo ejus malum, sed ad declinandum malum proprium temporale: ergo pariter possum inefficaciter desiderare mortem alterius, non ob malum illius, sed ob bonum proprium temporale.

VIII. Quarto: Intantum id non liceret, quia ordo Charitatis postulat, ut præferatur vita proximi emolumento proprio: hoc tamen non videtur legi Charitatis opponi, si desiderium mortis alienæ sit inefficax, nec oriatur ex odio personæ, sed ex amore proprii emolumenti: Sicut non opponitur legi Charitatis, quod quis negligat vitæ conservationem, quando non potest aliter conservari, quam pharmacis valde pretiosis: ergo ad summum id erit veniale, quatenus homo immodice seipsum amat, aut propria commoda; non tamen mortale, cum non intendatur malum proximi.

IX. Confirmatur primo: quia ordo Charitatis tam debet esse inter Personas, ita ut præferantur e. g. Parentes Filiis, aut Uxori, quam inter Objecta, ita ut præferatur bonum spirituale alienum temporali proprio, & vita aliena propriis emolumentis: sed non semper est mortale violare istum ordinem Charitatis debitum inter Personas, ut docent plures apud Lorcam: ergo nec inter Objecta; atque adeo in casu nostro, cum desiderium mortis alienæ sit inefficax, videtur ad summum levis culpa præferre emolumentum proprium vitæ proximi.

X. Confirmatur secundo; quia id, quod intenditur inefficaciter, nempe mors proximi, non est de se malum morale, aliter non posset Judex velle mortem delinquentis; neque est malus finis, ob quem mors proximi intenditur, cum intendatur propter emolumentum proprium; ergo non est cur non possimus id intendere citra gravem culpam.

XI. Denique, quod neque sit illicitum delectari de parricidio in ebrietate perpetrato ob divitias ex hæreditate consecutas, ex eo videtur ostendi: tum quia ex Angelico sup. laud. licitum est delectari de pollutione in somno habita ob salutem spiritualem, ac etiam corporalem, tum etiam quia videtur licitum delectari de inculpabili omissione jejunii præcepti, aut Horarum Canonicarum. Et ratio a priori videtur esse, quia licitum est delectari de bono, quod malo adjungitur, & ad illud consequitur: Sicut licite delectatur Beatus de Gloria Divina, quæ consequitur ad comdemnationem Reproborum, juxta illud Psalmi 57. *Lætabitur Justus, cum viderit vindictam*: ergo licite possumus delectari non solum de hæreditate, quæ ad mortem Patris consequitur, ortam a parricidio in ebrietate commisso, sed etiam de ipso parricidio; non quidem inquantum est malum Patris, sed inquantum est causa hæreditatis captandæ; Sicuti Beati lætantur de Reproborum condemnatione, non quidem ut est illis mala, sed inquantum in illa elucet Justitia Divina semper glorificanda.

XII. Ostenditur tamen falsitas: quia ordo Charitatis postulat, quod vita proximi præferatur emolumento temporali proprio; immo exigit, ut ad illam conservandam succurramus pauperi etiam de necessariis statui, ut diximus in expositione propositionis antecedentis: ergo Charitatis ordo pervertitur, si mortem proximi appetamus, aut de ea gaudeamus propter nostrum temporale emolumentum; eo quod hisce affectibus nostrum emolumentum præferatur vitæ proximi, quæ est in ordine longe superiori; ut proinde perversio ordinis non possit dici levis, nec possint hujusmodi affectus gravi culpa vacare. Et sane magis est damnum pati, quam lucrum non reportare: atqui ad vitam proximi conservandam tenemur adhuc damnum pati, erogando pauperi etiam quæ sunt statui necessaria, quamvis non cum gravi detrimento: ergo a fortiori non possumus ejus mortem appetere ad lucrum temporale reportandum. Possumus quidem mortem proximi appetere ob bonum præstantius vita, puta ob Dei gloriam, ob salutem animæ, ob bonum Communitatis, cum ordo Charitatis petat, vitam etiam propriam tantis bonis posthaberi, at non possumus mortem proximi velle ob bonum levioris momenti, quale est emolumentum temporale.

XIII. Confirmatur: quia tenemur præcepto Charitatis proximum sicut nos ipsos diligere: nemo autem citra mortale vellet sibi vitam abscindi ob emolumentum aliquod temporale; ergo nec possumus velle proximo mortem ob eundem finem. Quod si Filius mortem Patri exoptet, aut de illa gaudeat; aut si gaudeat de parricidio a se in ebrietate commisso, ob hæreditatem captandam, non solum peccabit contra Charitatem, sed etiam contra Pietatem, quæ dictat, Parentes præ cæteris esse diligendos, illisque obsequendum.

XIV. Ad primam rationem in contrarium respondetur, Angelicum ex D. Gregorio admittere, quod possit quis velle alteri malum, ut bonum sibi, vel aliis, quando bonum, quod ex illo malo causatur, est valde præponderans, ita ut etiam ipse, cui malum optatur, rationabiliter vellet sibi hujusmodi ma-

malum ad consequendum illud ingens bonum, quod ex tali malo provenit, ut accidit, quando Ecclesia orat, ut in bonum Christianorum, & ad Dei gloriam obtinendam Gentes Paganorum conterantur. Quod innuit D. Gregorius l. c. apud Angelicum dicens: *Evenire plerumque solet, ut non omissa Charitate, & inimici nos ruina lætificet, & rursus ejus gloria, sine invidiæ culpa, contristet, cum & ruente eo, quosdam bene erigi credimus, & proficiente illo, plerosque injuste opprimi formidamus.* In casu autem nostro vita proximi, & Patris ordinaretur ad obtinendum bonum temporale, & hæreditatem, quæ sunt bona levis momenti; & ideo ordo Charitatis enormiter perverteretur, atque adeo non sine culpa lethali.

XV. Ad secundam: Affectus ille conditionatus erga emolumentum temporale (si scilicet Deus ob fines suos altissimos vellet mortem proximi, quæ cum illo emolumento connectitur) non solet vacare mortali culpa. Ratio est, quia quamvis affectus conditionatus de re intrinsece turpi sub hypothesi, quod liceret, possit speculative loquendo deputari a culpa, juxta ea, quæ docet Vasq. p. 2. disp. 116. cap. 2. & alii apud Tamb. l. 10. in decal. cap. 5. §. 3. nihilominus practice non vacat culpa; nam, ut notat idem Vasq. disp. 42. cap. 3. n. 15. hujusmodi affectus conditionatus ex parte objecti (v. gr. vellem ulcisci, aut odisse Deum, si liceret) oritur regulariter ab affectu ex parte subjecti absoluto inefficaci erga hujusmodi objectum turpe: unde regulariter etiam non vacat culpa gravi affectus hic conditionatus, vellem mortem proximi, ex qua mihi provenit bonum temporale, puta hæreditas, si Deus ita disponeret; quia oritur ex affectu subjective absoluto inefficaci, quo complacet sibi animus de morte proximi ex amore hæreditatis; qui affectus procul dubio est inordinatus, & contra regulas charitatis. Quis enim non est rationabiliter invitus, quod alter de sua morte hunc affectum, & complacentiam concipiat? præsertim quia hujusmodi affectus conditionatus facile transit in absolutum.

Neque obstat, quod mors proximi connexa cum proprio emolumento temporali desideretur sub ea conditione, quod Deus illam velit ob suos altissimos fines. Nam quamvis hujusmodi voluntas videatur recta intendens conformitatem cum Divina voluntate, revera tamen est peccaminosa, & a Divina voluntate difformis. Etenim, ut explicat D. Th. 1. 2. q. 19. a. 10., quando Deus ob suam justitiam vult homini aliquod malum, puta damnationem Petri, voluntas nostra, ut sit recta, non debet esse conformis voluntati Divinæ in re volita, sed in ratione volendi, solumque debemus velle, ac amare justitiam Dei, non damnationem Petri. Quare in casu nostro, esto licitum & laudabile sit velle, quod juxta altissimos Dei fines omnia disponantur, adorando inscrutabilia ejus consilia; non possumus tamen velle mortem proximi cum nostro emolumento temporali connexam, etiamsi Deus illam velit ob altissimos fines suos; quia hujusmodi affectus practice magis oritur ex affectu erga emolumentum temporale, & ex odio de vita proximi impediente nobis assecutionem illius boni temporalis, quam ex affectu erga Divina consilia, quibus omnia ad fines altissimos ordinantur. Immo hinc apparet, quomodo in hoc affectu non habeatur conformitas cum Divina voluntate, sed aperta difformitas, quia voluntas in mortem proximi inclinatur ob finem sordidum, videlicet ob emolutum temporale, quod appetit; ubi Deus mortem illam solum vult ob fines altissimos.

XVI. Ad tertiam: Ideo licitum est vim vi repellere, & cum moderamine inculpatæ tutelæ etiam occidere injustum aggressorem, dummodo bona temporalia non levis momenti velit abripere, quia malum hoc proximi ordinatur ad bonum longe præstantius, puta ad quietem in Republica; aliter si unice ordinaretur ad conservandum bonum illud temporale, id non liceret. Sicut enim Judex licite furem morti damnat, ut bono publico consulat, & sic furta devitet, quod est bonum præstantius vita furis; ita ad consulendum hujusmodi bono publico, & ad injustos aggressores comprimendos, licitum est unicuique cum moderamine inculpatæ tutelæ illos occidere.

XVII. Ad quartam: Etiamsi desiderium inefficax mortis alienæ non oriatur ex odio, aut ex displicentia personæ adhuc graviter contra charitatem peccatur, si malum illud intendatur ob bonum, quod sit levis momenti in conflictu vitæ proximi: sicut invidia de se est peccatum grave, (ut communissime docent Theologi contra Lorc. apud Dia. p. 3. tr. 6. res. 85., cum ad Galat. 5. dicatur excludere a regno Dei) & tamen invidia non tristatur de bono alterius ex odio illius personæ, sed ex amore inordinato propriæ excellentiæ, seu ex odio illius mali, quod putat homo se habere, dum videt quod alius præcellat: ita in casu nostro hujusmodi affectus sunt graviter peccaminosi, quamvis non procedant ex odio personæ, sed quia graviter pervertunt ordinem charitatis. Quod ex eo etiam constat, quia si proximo, aut Patri manifestarentur hujusmodi affectus interni, nempe desiderium inefficax, & complacentia de eorum morte ob divitias captandas, certe graviter contristarentur, & rationabiliter rescinderetur amicitia cum illis; præsertim quia hujusmodi desiderium inefficax facile etiam potest in desiderium efficax prolabi.

Ad id quod dicitur non esse contra Charitatem nolle suam, aut proximi vitam prorogare pharmacis, ac mediis valde pretiosis, ac extraordinariis, dicendum, neminem teneri ad conservandum majus bonum temporale facere jacturam minoris boni, cum maxima, & moraliter insuperabili difficultate: v. g. nemo tenetur amittere famam, aut pati sectionem brachii ad vitam conservandam; & similiter nec tenetur pharmacis valde pretiosis illam prorogare, sed potest mortem aut suam, aut proximi permittere, ne statum suum destruat. Et ratio a priori est, quia ad bonum publicum magis confert, quod conserventur divitiæ, quæ possint pluribus pauperibus prodesse, quam quod vita alicujus privati conservetur; unde hæc ipsa permissio (non vero desiderium) mortis ad bonum præstantius ordinatur: At hoc non habetur, si mors proximi appetatur ob emolumentum temporale, unde dispar ratio.

XVIII. Ad primam confirmationem. Quoties ordo charitatis sive inter personas, sive inter objecta læditur leviter, peccatur solum venialiter; Secus vero si lædatur graviter, ut contingit in casu nostro: quamvis enim affectus sint inefficaces, adhuc inordinatio est gravis; Sicut invidia est grave peccatum, ut diximus, quamvis solum inefficaciter tristitiam ferat de bono alterius ex inordinato amore propriæ excellentiæ.

XIX. Ad secundam: Argumentum probat nimis; pro-

probat enim, quod etiam efficaciter possimus mortem alterius cupere ob bonum temporale nostrum, quia scil. nec mors alterius, quæ desideratur, est malum morale, nec finis propter quem desideratur. Directe dicendum, malitiam moralem in hoc desiderio oriri, non ex objecto, aut fine, sed ex modo tendendi in tale objectum propter illum finem. Judex, dum efficaciter vult mortem delinquentis ob publicum bonum, rite ordinat hujusmodi medium ad tantum finem; secus vero qui cupit mortem proximi ob temporale emolumentum.

XX. Ad ultimam: Delectatio de consurcatione in somno habita propter salutem spiritualem, aut temporalem, excusatur a culpa ratione debiti finis, nempe boni præponderantis. Sic si Filia delectaretur de parricidio inculpabiliter commisso, ne vexetur amplius a Patre, qui volebat eam prostituere, & ad peccandum impellebat, excusari potest talis delectatio a fine, & bono spirituali, quod longe præstat, quam vita Patris. At pinguis hæreditas non præstat vitæ Patris; & ideo citra mortale nequit Filius de Parricidio inculpabiliter patrato delectari ob pingues divitias ex hæreditate consecutas. Præterquamquod consurcatio illa de se est opus solius naturæ exonerantis se: ac proinde D. Th. loc. cit. dicit: *Si placeat, ut naturæ exoneratio, vel alleviatio, peccatum non creditur*: At parricidium non est de se opus solius naturæ; & ideo nequit intendi, nisi ob finem valde sublimem; ut Abraham voluit Isaacum occidere ad obsequendum Deo præcipienti. Complacentia de inculpabili jejuniorum violatione, aut omissione Horarum non est licita, nisi ad finem præponderantem ordinetur; atque adeo peccat, si quis de iis delectetur ob finem ignobilem proprii commodi: nemo enim secundum se potest de objecto materialiter malo delectari; & ideo die Veneris nemo potest delectari de comestione carnium, ut facta die prohibito, sed ad summum citra mortale delectari de ea potest ut facta tempore, quo non prohibetur.

Ad rationem a priori dicendum, licite posse nos delectari de malo alterius, non inquantum est malum illius, sed inquantum est causa boni præponderantis; ut Beati lætantur, dum vident Reproborum pœnas ordinari ad ostensionem Divinæ justitiæ. Propterea D. Th. permittit, quod malum proximi temporale affectu inefficaci appetamus ob tres istos fines; Primo ob ejus correctionem; Secundo inquantum aliquorum temporalis prosperitas est in detrimentum alicujus multitudinis, vel etiam totius Ecclesiæ; Tertio ad servandum ordinem Divinæ justitiæ, juxta illud Psalmi, *Lætabitur justus, cum viderit vindictam*. At in casu nostro complacentia de inculpabili parricidio propter hæreditatem non ordinatur ad bonum præponderans: & ideo est graviter peccaminosa tum contra Charitatem, tum etiam contra Pietatem.

XXI. Ex dictis sequitur primo, licitum esse optare mortem Turcis, Hæreticis, & aliis hostibus Ecclesiæ, aut Reipublicæ, ne Ecclesia, aut Respub. opprimatur, & Divinus cultus, aut justitiæ æquitas conculcetur, ut communiter docent cum Azor. p. 3. c. 2. qu. 20. Ratio est, quia finis hic est bonum præponderans.

Sequitur secundo ex eodem Azorio, Trull., & aliis, licitum id esse, etiamsi putemus Turcas istos, aut Hæreticos cum temporali morte etiam æternam esse subituros: Etenim, quod in eo statu sint, provenit ex propria culpa, & quod intenditur, est bonum præponderans, videl. non solum quies temporalis Ecclesiæ, & Reip., sed etiam æterna salus multorum, quæ ab iis persecutoribus plerumque impeditur. Et sane si potest Judex morte reum damnare, etiamsi obstinate hic nolit ad pœnitentiam converti, poterit cum debito moderamine etiam occidi injustus aggressor, quamvis putetur ad tartara descensurus; tum quia ex propria culpa in eo statu ponitur; tum etiam quia hujusmodi licita aggressoris injusti occisio vitat multorum peccata, & damnationem: multi enim ab injustis aggressionibus detinentur metu, ne similiter occidantur.

Sequitur tertio ex Trul., Navar. contra Bonac. disp. 3. in 1. præcept. Decal. quæst. 4. par. ultim., & Azor. non posse matrem optare mortem Filiæ, aut ex eo, quod non possit juxta proprii status exigentiam nuptui illam tradere, aut ex eo, quod ob illam a marito contemnatur. Et ratio est, quia non habetur in tali casu bonum præponderans.

Sequitur ultimo ex Gran., & aliis apud Dian. part. 5. tract. 14. resol. 9. contra Tambur. lib. 1. cap. 1. §. 3. num. 34., & Jo. de la Cruz, peccare graviter homines, (nisi inadvertentia excuset) qui mortem sibi optant ad evadendas leves, & communes hujus vitæ calamitates. Ratio est, quia non habetur bonum præponderans: possumus tamen, ut supra diximus, mortem optare ad evadendas ærumnas, quæ reddunt vitam morte deteriorem, ut si quis mortem cupiat, ne Deum Optim. Max. amplius offendat, aut ne diu exulet a Patria, dicens cum Psalmista, *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* vel cum Apostolo, *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*; Sic enim fulget bonum præponderans.

PROPOSITIO XVI.

Fides non censetur cadere sub præceptum speciale, & secundum se.

PROPOSITIO XVII.

Satis est actum fidei semel in vita elicere.

SYNOPSIS.

De utraque hac thesi affatim diximus in expositione primæ propositionis Alexandri VII.

PROPOSITIO XVIII.

Si a potestate publica quis interrogetur, fidem ingenue confiteri, ut Deo, & Fidei gloriosum consulo; tacere, ut peccaminosum per se non damno.

SYNOPSIS.

I. Varie a variis dicitur obligare præceptum hoc de externa fidei confessione. II. Hinc solum proscribitur quod per se non obliget, quando interrogatio fit a persona publica, esto aliquando non obliget per accidens. III. Ra-

III. Rationes pro hac thesi videntur esse; tum quia per se loquendo nemo tenetur fidem suam prodere; Et Persona publica, quæ interrogat, non potest ad id obligare.

IV. Tum etiam quia, cum Tyrannus non interroget juridice, potest Fidelis respondere cum æquivocatione, ne se exponat periculo amittendi aut vitam, aut fidem.

V. Demum quia Sancti, & ipse Christus D. de hoc interrogati tacuerunt.

VI. At obsequium fidei debitum postulat confessionem sinceram, quando interrogatio fit a Potestate publica, eo quod taciturnitas cederet in fidei contemptum, & in scandalum.

VII. Et ex verbis Christi Domini constat, hujusmodi obligationem esse gravem.

VIII. Obligatio isthæc respondendi non imponitur ab interrogante, sed a lege naturali.

IX. Quamvis Tyrannus non interroget juridice, datur tamen obligatio respondendi citra æquivocationem, ne Deo, ac fidei honor debitus subtrahatur, quin metus mortis excuset.

X. Christus tacendo coram Herode, ac Pilato interrogantibus, illos contemnebat, & sic virtualiter respondebat: Et consimilis fuit aliorum Sanctorum taciturnitas. XI. Sicut per se loquendo tenemur Fidem profiteri, quando interrogatio fit a publica Potestate, quia taciturnitas in tali casu cederet in Fidei contemptum; ita per accidens aliquando tenemur personæ privatæ de hoc interroganti respondere, quando scilicet taciturnitas pariter cederet in contemptum Fidei. XII. Si interrogatio a Potestate publica non fiat intuitu Fidei, sed v. g. ad imponendum vectigal, tunc præceptum affirmativum profitendi Fidem non obligat.

XIII. Neque obligat, si solum fiat generale Edictum, ut si quis est Fidelis, se prodat.

XIV. Ad vitandum mortis periculum licitum est in terris Turcarum uti Turcico pileo, quippe qui non est signum Religionis protestativum, sed indifferens.

XV. Immo licitum est feria sexta carnibus vesci ad Fidem occultandam, quando ita expedit: non tamen in iis casibus, quos Cardinalis Lugo perpendit.

I. QUod attinet ad duas priores theses, satis superque de iis diximus in expositione primæ propositionis Alex. VII. Quod vero spectat ad ultimam, Suar. dis. 4. de Fide sect. 3., & Lugo disp. 14. num. 37. inquirentes, Num Christianus de sua Religione interrogatus teneatur palam Fidem suam fateri? varias referunt DD. opiniones. Nonnulli enim cum Angelico, Sylv., Angelo indiscriminatim docent per se teneri, a quocunque fiat interrogatio, quoties dissimulatio cederet in contemptum Fidei, aut scandalum pareret: Alii cum Valen., Sanchez lib. 2. cap. 4. docent, dari ad id obligationem, si interrogatio fiat a Persona publica, quia tunc publice agitur de honore Fidei: non vero si fiat a Persona privata, cui responderi potest cum contemptu personæ, non Fdei, Quid ad te? Rursus alii docent teneri Christifidelem ad candide respondendum, si Tyrannus interroget publice, non tamen si privatim; quia in hoc casu gerit vices personæ privatæ, & de materiali se habet, quod sit persona publica: Quinimmo in ipsa Persona publica publice interrogante distinguunt inter Regem proprium, & extraneum; & relate ad extraneum, docent minorem dari obligationem respondendi. Alii demum putant respondendum esse etiam personæ privatæ interroganti, si persona sit gravis, quia tunc tergiversatio cedit in gravem Dei, ac Religionis injuriam; secus vero, si persona sit vilis.

II. Id, quod in hac thesi proscribitur, est solum, non dari per se obligationem ad respondendum, si interrogatio fiat a persona publica habente jurisdictionem, & potestatem ad interrogandum: Esto per accidens aliquando hujusmodi obligatio cesset, ex. gr. si Persona isthæc publica non interroget in odium fidei, sed ut inimicum detegat; tunc enim non dari hanc obligationem, intrepide fatetur Suar. l. c. dicens id per se constare: Sicut etiam passim nulla datur obligatio respondendi, si interrogatio fiat a persona privata, præsertim vili. Immo non solum satius est, sed etiam obligatorium occultare Fidem suam, quando scilicet id fieri potest sine injuria Dei, & Religionis, & sine scandalo, & aliunde ex manifestatione propriæ Fidei non speratur utilitas proximi; præstat enim tunc non se prodere. Quod si periclitaretur ex hac manifestatione vita, quæ ad aliorum commodum utilis esset, & necessaria, daretur certe gravis obligatio Fidem occultandi, ut notat D. Th. Sylv., Angelus, dicentes apud Suar. l. c., interdum esse reprehensibile se prodere; cum non debeat homo vitam suam exponere periculo sine magna causa utilitatis spiritualis propriæ, aut proximorum, vel honoris Dei. Præterquamquod, cum possit accidere, quod aliquis prodendo exponat se periculo Fidem negandi, non debet tunc facile se offerre ad Fidem confitendam, nisi necessitas, & obsequium Deo, ac Religioni debitum ad id cogat, ut monet Cyprianus Ep. 83., & Gregor. Papa in Cap. *Sciscitaris* 7. q. 1.

III. Thesis hæc profligata, teste Wilhelmo Sandæo in Confutatione trium virorum fol. 161. desumpta est ex quibusdam Thesibus Antuerpiæ propugnatis 16. April. 1674. Præside P. Arnaldo Marchant. Minorita; unde etiam desumptæ sunt propositiones sequentes 19., & 20. ab eodem Innoc. XI. proscriptæ. Fundamentum hujus propositionis negantis obligationem per se respondendi, si interrogatio fiat a Potestate publica, videtur esse primo, quia per se loquendo nemo tenetur fidem suam prodere; ergo neque si a Potestate publica fiat interrogatio. Consequentia probatur, quia interrogatio nequit obligationem hanc inducere, non solum si fiat a persona privata, sed neque si fiat a Persona publica, nempe a Magistratu, vel Principe, præsertim si sit Tyrannus; quippe qui auctoritatem non habet præcipiendi Confessionem Fidei.

IV. Secundo: potest universim verbis ambiguis, & artificiosis decipi, qui non interrogat legitime: ergo cum Tyrannus non habeat auctoritatem interrogandi de propria uniuscujusque religione, potest eludi hujusmodi interrogatio æquivocando. Neque dicas, erubescentiam hanc in Fide profitenda esse Fidei injuriosam, atque adeo peccaminosam: Nam posset saltem aliquis tacere non ob erubescentiam, sed ob metum acerbissimæ pœnæ a Tyranno infligendæ, qui cadit in constantem virum, aut saltem metu, ne se exponat periculo negandi Fidem in tormentis.

V. Tertio: quia sæpe Sancti, & ipse Christus Dom. interrogati de hoc tacuerunt. Lucæ 23. Herodes interrogabat Christum Dom. multis sermonibus, *At ipse nihil illi respondebat*: Et Jo. 19. *Pilatus dicit ad Jesum: Unde es Tu? Jesus autem responsum non dedit ei*: ergo non datur per se obligatio

tio ista respondendi, si a Potestate publica fiat interrogatio de Fidei professione.

VI. Ostenditur falsitas: quia, ut advertit Angelicus 2. 2. qu. 3. art. 2., obsequium Deo, ac Fidei debitum postulat, ut publice illam profiteamur, quando taciturnitas cederet in ejus contemptum, aut in aliorum scandalum: quando autem a Potestate publica procedit interrogatio de propria Religione, per se loquendo taciturnitas cedit in Fidei contemptum, & scandalum: ergo per se loquendo datur obligatio respondendi candide, & Fidem profitendi.

VII. Quod autem obligatio ista sit gravis, constat ex verbis Christi D. Luc. 9. *Qui me erubuerit, & sermones meos, hunc Filius hominis erubescet, cum venerit in majestate sua, & Patris, & Sanctorum Angelorum*: Necnon ex Cap. *Existimat*, & Cap. *Nolite timere* 11. qu. 3. ubi dicitur: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ne forte propter timorem mortis non libere dicatis, quod audistis*: Quo collineant etiam verba Apostoli ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem*. Et Augustinus apud Suar. habet: *Qui metu Potestatis veritatem occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem, quam Deum*.

VIII. Ad primam rationem in contrarium dicendum, obligationem respondendi in casu nostro non oriri a potestate, quam habet Tyrannus interrogandi, sed ex eo quod per talem interrogationem consurgit articulus necessitatis, pro quo obligat præceptum confitendi Fidem. Non solum enim datur præceptum negativum non negandi Fidem, quod obligat semper, & ad semper; ac affirmativum credendi Mysteria Fidei interius, quod obligat in vita non semel: sed etiam præceptum affirmativum profitendi Fidem exterius, quod, ut habet D. Th. l. c. obligat, *quando per dimissionem hujus Confessionis subtraheretur honor debitus Deo, & utilitas proximo impendenda; puta, si aliquis interrogatus de Fide taceret, & ex hoc crederetur, vel quod non haberet Fidem, vel quod Fides non esset vera, vel alii per ejus taciturnitatem averterentur a Fide. In hujusmodi enim casibus confessio Fidei est de necessitate salutis*. Hactenus Angel. Quis autem non videat, hæc incommoda oriri per se loquendo, si quis a Potestate publica interrogatus hac de re taceat? ergo &c.

IX. Ad secundam: Esto publica potestas, quantumvis sit legitima, & non tyrannica, jus non habeat ad interrogandum de Lege, sub qua quisque vivit, in ordine ad vitam auferendam, aut in odium ipsius Fidei; tenetur tamen, ut ostendimus, quilibet secundum se respondere, etiam Tyranno; cum ex taciturnitate magnus Deo, ac Fidei honor debitus subtrahatur: Hinc nec erubescentia, nec timor mortis excusant; quia Dei magis ira pertimescenda, quam hominum, & mors potius æterna, quam temporalis. Propterea dicitur Matthæi 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus*: & ibidem intrepide confitenti Christum Dominum promittitur merces magna nimis: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*: Erubescentes vero pœnam illam subibunt horrendam: *Qui me erubuerit, hunc Filius hominis erubescet*.

X. Ad tertiam: Quoties taciturnitas indicat Tyranni contemptum, & constantiam in Fide, tunc ea est virtualis confessio, & responsio, ut in exemplis Sanctorum, & Christi Dom. Idemque dicas, si Tyranno interrogante, & minante, Christifidelis verbi gratia Crucifixum osculetur, aut jugulum ostendat, ostendendo se paratum vitam potius, quam Fidem perdere.

XI. Ex dictis sequitur primo, quod sicut per se loquendo tenemur respondere, quando a Potestate publica de nostra Religione interrogamur; ita pariter per accidens teneamur etiam respondere, si a persona privata interrogemur, quoties per accidens ex taciturnitate pariter honor Deo, ac Fidei debitus subtrahitur, aut alii a Fide avertuntur. Etenim, Augustino teste in lib. de Fide, & Symbolo, *Salvi esse non possumus, nisi nos ad salutem proximorum etiam ore profiteamur Fidem*. Hujusmodi autem obligatio in tali casu, ut notat Lugo loc. cit. num. 62., & Petrus de Tapia tom. 2. Caten. Mor. lib. 1. q. 3. non solum oritur ex charitate, ne scilicet alii in Fide vacillent, sed ex ipso Fidei præcepto affirmativo, quo obligamur ad illam profitendam, quoties ex taciturnitate per se sequitur aliorum vacillatio.

XII. Sequitur secundo, quod si quis a Potestate publica in locis Belgii v. gr. interrogetur, An sit Fidelis, non intuitu Fidei, sed ad imponendum tributum Catholicis, vel ad alium finem nullatenus pertinentem ad fidem, quamvis peccet non respondendo Superiori juridice interroganti, non peccat tamen contra præceptum affirmativum confitendi Fidem, si dissimulet; eo quod hujusmodi taciturnitas nullatenus redundet, ut supponitur, in Fidei contemptum.

XIII. Sequitur tertio ex Suar. loc. cit., Lugo, Conin., Palao, quod si tantum in generali per Edictum proponatur, ut si quis est fidelis, se prodat, cum multi adsint occulti, nullus per se loquendo teneatur se prodere; cum nemo proprie interrogetur; unde non cedit in Fidei contemptum isthæc occultatio: Ea enim, ut diximus, sæpe est expediens, & aliquando etiam necessaria, ut quando in bonum aliorum necessaria est vita ejus, qui vellet se prodere; unde aliquando tempore persecutionis licitum est fideli fugere, ne interrogetur, & Fidem confiteri compellatur: Quod expresse docuit Christus Dominus tum suo exemplo, qui non solum infans fugit Herodem, sed etiam factus vir alterum Herodem, fugit Matth. 4., ut notavit Gregor. Papa in laudato Cap. *Sciscitaris*: tum verbis illis Matth. 10. *Cum vos persequentur in civitate ista, fugite in aliam*; hæc enim fuga est quædam virtualis Fidei confessio, & quædam portio martyrii; siquidem exilium, quando per fugam assumitur, est quædam pœna, quæ propter Fidem suscipitur. Aliquando vero hujusmodi fuga est etiam præcepta, ut si quis valde timeat de sua fragilitate, ne metu mortis sit Fidem negaturus; aut si persona sit ad utilitatem Fidelium necessaria; ut notat August. de D. Paulo ad hunc finem fugiente, ubi dixit 2. ad Cor. 11. *Per murum in sportam demissus sum, & sic effugi manus ejus*.

Quod si fuga alicujus, præsertim Pastoris, tempore persecutionis, esset aliis detrimento spirituali, certe esset peccaminosa: tenemur enim magis diligere proximum in spiritualibus, quam nos in temporalibus; & *Bonus Pastor*, ut habetur Joan. 10. *Animam suam ponit pro ovibus suis: Mercenarius autem videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit*.

XIV. Dubitatur, An licitum sit Fideli in terris Tur-

Turcarum uti pileo Turcico, & tobalia alba ad vitandum mortis periculum? Negant Cajet., Tolet., Val., Navar. Sed probabilius affirmant Suar., Sanchez, Conin., Tann. apud Dian. par. 3. tract. 5. res. 49., quia hujusmodi vestes non sunt signa Religionis protestativa, sed sunt signa indifferentia; & ita se habent ac verba ambigua, quibus licite ex rationabili causa veritas occultatur. Propterea vestes illæ Turcicæ nec mendacium continerent, nec ullam præseferrent negationem Fidei, sed meram Fidei occultationem cum materiali simulatione.

XV. Immo ex Sanchez lib. 2. cap. 4. num. 25. neque delinqueret adversus Fidei Confessionem, qui ad occultandam Religionem, & ad evadendum mortis periculum carnibus ver. grat. vesceretur feria sexta in locis Hæreticorum, etiam si ex observantia talis legis soleant Catholici ab Hæreticis discerni. Ratio est, quia carnium esus non est de se signum, aut professio hæresis, sed multis de causis adhiberi potest tanquam aliquid indifferens, quamvis per accidens Hæretici talem esum ad suæ perfidiæ signum trahant. Notat tamen Lugo disp. 14. de Fide num. 106. circa hunc esum carnium, non posse Catholicum carnibus vesci diebus vetitis coram Hæreticis; Nec quando ab omnibus præsentibus scitur, quod sit Catholicus; Nec quando solum timetur periculum irrisionis; quippe quod est levissimum malum, ascribendum potius honori a Catholico, quam ignominiæ; Nec quando aliquo prætextu potest ea necessitas declinari, puta prætexendo debilitatem stomachi, aut appetitum piscium, vel ovorum: Nec demum quando etiam sine Superioris coactione Sodales hæretici sese mutuo invitant, & hortantur ad esum carnium in contemptum Ecclesiæ. Advertit etiam idem Lugo n. 34. ex Suar., Con., Sanchez non teneri Catholicum cum gravi suo periculo ad utendum veste, vel signo a Principe statuto, quo Christiani ab Hæreticis distinguantur; omissio quippe talis signi non censetur virtualis negatio, sed solum mera occultatio fidei licita ad periculum evadendum. Nunquam tamen poterit Catholicus uti signo ad protestandam falsam Sectam instituto.

PROPOSITIO XIX.

Voluntas non potest efficere, ut assensus fidei per se sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

PROPOSITIO XX.

Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem.

SYNOPSIS.

I. Distinguendum inter firmitatem Fidei affectivam ortam a voluntatis imperio, & firmitatem intellectualem, seu adhæsionis ortam ab objecto credito, quæ actui supernaturali Fidei est essentialis, & identificatur cum ejus summa certitudine; de hac quippe loquitur prior thesis.

II. Distinguendum pariter inter motivum intrinsecum actus Fidei, quod est prima Veritas revelans, & rationes extrinsecas impellentes ad credendum, ut sunt signa credibilitatis, Auctoritas humana Ecclesiæ, aut Parochi.

III. Prior harum thesium contendit non posse suo imperio voluntatem efficere, quod actus Fidei sit in seipso magis firmus firmitate intellectuali, quam mereantur rationes istæ extrinsecæ, quæ non possunt in actu parere majorem certitudinem, quam moralem, compossibilem cum falsitate.

IV. Nititur hæc thesis in eo, quod signa credibilitatis deserviunt solum voluntati, ut imperet assensum firmum, non vero intellectui, ut firmius assentiatur.

V. Cum Fidei assensus niti non possit soli Primæ Veritati revelanti, nisi præeant signa credibilitatis, videtur eam firmitatem habere assensus Fidei, quam merentur rationes istæ extrinsecæ ad illum impellentes. VI. Ex quo descendit thæsis posterior, quod scilicet possit voluntas prudenter assensum Fidei supernaturalem repudiare, ubi dentur in oppositum motiva validiora.

VII. Verum, si res ita se haberet, assensus Fidei supernaturalis non esset infallibilis.

VIII. Firmitas, & certitudo summa Fidei non habetur ab evidentia objecti, sed suo modo ab imperio voluntatis. IX. Assensus Fidei non esset Theologicus ac supernaturalis, si solum haberet firmitatem intellectualem, quam merentur rationes extrinsecæ ad Fidem impellentes.

X. Præsertim quia per Adversarios istæ rationes non merentur, nisi assensum opinativum, & fallibilem, aliter non posset assensus Fidei repudiari prudenter. XI. Unde inepte vellent, quod ex illa priori thesi posterior hæc deducatur.

XII. Ad imperandum assensum Fidei certissimum requiritur evidentia orta ex signis credibilitatis, qua posita ex imperio voluntatis trahit Fidei assensus firmitatem intellectualem summam, atque adeo majorem, quam ea signa mereantur; unde repudium hujus assensus supernaturalis non poterit esse prudens.

XIII. Si posita evidentia credibilitatis eliciatur Fidei assensus, & deinde consurgant motiva oppositum suadentia, tunc inquirendum, quid sentiat de tali mysterio Ecclesia, & recurrendum per preces ad Deum, qui certe sua illustratione non deerit; unde nunquam prudenter assensus Fidei supernaturalis repudiari poterit.

XIV. Quid si Episcopi oppositum hinc inde doceant, ut olim circa validitatem Baptismi ab Hæreticis collati?

I. EXponuntur. Utraque propositio desumpta est ex iisdem Thesibus Antuerpiæ propugnatis a P. Arnaldo Marchant Minorita, teste Sandæo, ut diximus in propositione antecedente; & de utraque hac propositione nonnulla diximus in expositione propositionis IV. Innoc. XI. ubi ostendimus, Infidelem non excusari ab infidelitate, si non credat, ductus opinione minus probabili, quam potest habere de sua falsa secta; Fidelem vero non posse habere aut ignorantiam invincibilem in præsenti providentia, aut opinionem minus probabilem de mysteriis necessario credendis necessitate medii. Ostendimus pariter, Fidelem non posse prudenter repudiare assensum Fidei supernaturalem, etiam de mysteriis credendis necessitate duntaxat præcepti, eo quod inquirenti veritatem in his dubiis, & consulenti sensum Ecclesiæ, quæ dicitur 1. Timot. 3., *Columna, & Firmamentum veritatis*,

tis, non possit falsus Fidei articulus apparere verosimilior: Unde nequit prudenter assensus Fidei verus, ac supernaturalis repudiari, quod ulterius hic prosequendum est.

Verum circa priorem propositionem advertendum, non negari ab Adversariis, quod requiratur ad actum Fidei imperium voluntatis, seu pia affectio supernaturalis ad Fidem, aliter quomodo posset actus dici meritorius? Propterea ad Roman. 10. dicitur: *Corde autem creditur ad Justitiam*, hoc est voluntate libere Fidem imperante; Et in Trid. sess. 6. cap. 6. *Libere moventur in Deum credentes*. Neque ab Adversariis negatur, quod possit voluntas imperare assensum firmissimum, & constantissimum, ita ut parata sit potius vitam, quam Fidem deserere. Quod ab iis negatur, est, voluntatem posse efficere, quod assensus Fidei sit in seipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad illum impellentium.

In iis Thesibus Antuerpiæ propugnatis hæc habentur thesi undecima: *Judicium credibilitatis, quo judicamus de honestate Fidei, ejusque necessitate, voluntati servit, ut firmiter, invicteque assensum imperet, non intellectui, ut certius, firmiusque assentiatur. Voluntas non potest efficere, ut assensus Fidei sit in seipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. Hinc potest quis prudenter repudiare assensum, quem habebat supernaturalem*. Hac in re, ne terminis implicemur, duplex distinguenda est firmitas in actu Fidei: Altera dicitur firmitas affectiva, quæ habetur ratione voluntatis imperantis assensum, & obfirmato animo volentis credere, cujusmodi firmitas habetur etiam in iis, qui obstinate, & imprudenter volunt aliquid affirmare: Altera dicitur firmitas intellectualis, seu firmitas adhæsionis objecto credito, quæ est essentialis ipsi actui Fidei supernaturalis, & identificatur cum ejus summa certitudine, ut constat ex Angelico in 3. dist. 26. art. 1., ubi definiens certitudinem actus, hæc habet: *Certitudo proprie dicitur firmitas adhæsionis virtutis cognoscitivæ ad suum cognoscibile:* Et q. 24. de Verit. art. 1. dicitur, certitudinem actus scientifici duo importare, Firmitatem adhæsionis, & Evidentiam; in primo autem prædicato Fidem esse præstantiorem scientia, juxta illud 2. Petr. 1. *Habemus firmiorem propheticum sermonem*: secus in secundo, cum Fides ex Apostolo sit *Argumentum non apparentium*. De hac itaque firmitate adhæsionis, quam habet actus Fidei in seipso, & ex suis prædicatis essentialibus, loquitur Thesis profligata, dicens, Non posse voluntatem efficere, quod actus sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium.

II. Ubi pariter distinguendum inter motivum intrinsecum actus Fidei, quod est unice Prima Veritas revelans; & inter rationes extrinsecas impellentes ad actum Fidei, quæ sunt, Auctoritas humana Ecclesiæ, seu Parochi, Miracula, Prophetiæ, Sanctitas Doctrinæ, Consensus Doctorum, & alia signa credibilitatis. Sicut enim relate ad actum Charitatis, aliud est motivum intrinsecum, videl. Dei Summa Bonitas; aliud motivum extrinsecum impellens ad actum Charitatis, quod sæpe est metus naufragii, mortis, gehennæ &c., adeo ut actus non esset Charitatis, nec dolor de peccatis esset perfecta Contritio, sed Attritio, si moveretur a metu gehennæ; secus vero si a metu gehennæ solum impellatur voluntas ad Deum diligendum, & ad detestanda peccata ex motivo Divinæ Bonitatis offensæ: Ita actus non esset Fidei Divinæ, nec supernaturalis, & infallibiliter certus, si moveretur ab auctoritate humana Ecclesiæ, & a signis credibilitatis; secus vero si ab his tantum impellatur ad credendum ex motivo intrinseco Primæ Veritatis revelantis.

III. His explicatis, perspicuum fit, Adversarios velle, quod voluntas non possit efficere vi sui imperii, quod assensus Fidei supernaturalis nixus motivo intrinseco Fidei habeat majorem firmitatem adhæsionis, seu certitudinem majorem, quam mereantur rationes istæ extrinsecæ, nempe signa credibilitatis, & auctoritas humana Ecclesiæ, quæ ad summum parere possunt evidentiam, & certitudinem moralem, compossibilem cum falsitate: Unde fieret, quod vel assensus Fidei non esset supernaturalis, vel si esset supernaturalis, non esset infallibiliter verus: quod est contra Trid. sess. 6. cap. 9. dicens, actui Fidei falsum subesse non posse.

IV. Fundamentum hujus erroris videtur esse, quia, ut habetur in Thesi Antuerpiæ propugnata, judicium credibilitatis ortum ex signis credibilitatis, seu ex rationibus ad assensum Fidei impellentibus, solum deservit, ut voluntas firmiter, invicteque assensum imperet, non vero ut intellectus firmius, ac certius assentiatur: ergo actus Fidei solum habet firmitatem affectivam ex imperio voluntatis, non vero firmitatem intellectualem seu adhæsionis, nec certitudinem majorem, quam mereantur rationes illæ extrinsecæ ad assensum impellentes.

V. Confirmatur: quia assensus Fidei, v. g. de mysterio Incarnationis, non potest niti soli Primæ veritati revelanti hoc mysterium. Cum enim hæc propositio: Deus revelat Incarnationem, sit propositio neutra, non secus ac ista alia, Astra sunt paria, non habens de se motivum ullum, vi cujus affirmetur potius, quam negetur, sequitur, quod intantum possit voluntas imperare assensum Fidei de hoc mysterio, inquantum dantur rationes extrinsecæ ad hunc assensum impellentes; ergo actus Fidei in se ipso illam firmitatem, & certitudinem habet, quam meretur pondus harum rationum, & solum ab imperio extrinseco voluntatis est firmissimus, firmitate solum affectiva, non intellectuali.

VI. Hinc inferunt, quod si rationes ad assensum Fidei impellentes aliquando a rationibus in contrarium superentur, possit prudenter repudiari actus Fidei supernaturalis: ver. gr. si quis a Parocho, & Episcopis Europæis edoceatur, validum esse baptismum ab hæreticis collatum, idque credat fide supernaturali, & deinde in Africam appulsus audiat ab iis Episcopis doctrina, & sanctitate claris, ex mente D. Cypriani hujusmodi Baptismum esse invalidum, poterit prudenter repudiare assensum, quem præhabuit supernaturalem.

Similiter si rusticus a Parocho audivit Incarnationem Verbi, & deinde a pluribus Parochis indoctis audiret, non Verbum, sed Spiritum Sanctum fuisse incarnatum, prudenter posset, immo & deberet priorem assensum supernaturalem de Verbi Incarnatione repudiare. Sicut enim tenetur credere Spiritus Sancti Incarnationem rusticus, si invincibiliter putet illam esse revelatam a Deo, esto solum crederet illam assensu naturali; ita qui prius credidit assensu supernaturali Incarnationem Verbi, & deinde habet rationes præponderantes, quibus invincibiliter

putet

putet Incarnationem non Verbi, sed Spiritus Sancti esse a Deo revelatam, & ab Ecclesia doceri, tenebitur hanc credere, & priorem assensum supernaturalem de Verbi Incarnatione repudiare.

VII. Ostenditur falsitas prioris propositionis: quia si voluntas non posset efficere, ut intellectus adhæreat assensu Fidei nixo Deo revelanti, ita in se ipso firmo, firmitate intellectuali condistincta a firmitate affectiva, ut superet firmitatem adhæsionis, quam merentur rationes ad assensum impellentes, sequeretur, quod assensus fidei non esset infallibilis, & consequenter nec supernaturalis, quod nemo Catholicus dixerit. Sequela probatur, quia infallibilitas in actu Fidei non haberetur a prædicatis intrinsecis actus Fidei, quippe qui solum haberet firmitatem, quam merentur rationes illæ extrinsecæ, quæ non est firmitas summa metaphysice incompossibilis cum falsitate: Neque haberetur a firmitate affectiva, quæ non est apta nata parere infallibilitatem in actu, ut patet. Hæretici enim e. gr. firmissime credunt firmitate affectiva falsa Dogmata, & assensus ille firmissimus est falsus; ergo in actu Fidei supernaturali non daretur infallibilitas, si voluntas non posset efficere, quod actus Fidei ita nitatur Deo revelanti, ut hujusmodi actus ex prædicatis intrinsecis majorem firmitatem habeat, & connexionem cum mysterio credito, quam habeat actus nixus rationibus ad Fidem impellentibus. Quare sicut longe præstantior est actus contritionis nixus bonitati Dei offensi, quam actus nixus metui naufragii, & gehennæ ad actum Contritionis impellentium; ita longe præstantior, & in se ipso magis firmus firmitate intellectuali ex imperio voluntatis est actus Fidei nixus Deo revelanti, quam si niteretur signis credibilitatis, & auctoritati humanæ Ecclesiæ ad assensum impellentibus. Ubi vides, quod sicut posito metu gehennæ liberum est voluntati, vel elicere actum attritionis conceptum ex tali metu, vel usurpare hunc metum tamquam rationem extrinsecam impellentem ad actum contritionis perfectissimum, qui unice moveatur a Bonitate Dei offensi; ita positis signis credibilitatis, & auctoritate humana Ecclesiæ proponentis Incarnationem, liberum est voluntati vel imperare assensum naturalem, & de se fallibilem nixum his motivis humanis, vel usurpare hæc motiva tamquam rationes extrinsecas impellentes ad actum Fidei supernaturalem, qui unice moveatur a Prima Veritate revelante.

VIII. Confirmatur primo: quia ad assentiendum firmissime objecto vel requiritur evidentia objecti, vel imperium voluntatis: atqui relate ad objectum Fide Divina super omnia credibilia firmissime credendum non datur evidentia objecti, cum Fides sit Argumentum non apparentium: ergo sola voluntas potest intellectum inclinare ad firmissime credendum: atque adeo potest voluntas efficere, quod assensus Fidei sit firmior in seipso, quam mereatur pondus rationum ad Fidem impellentium.

IX. Confirmatur secundo: quia voluntas libere utitur habitu Fidei supernaturali, sicut & aliis habitibus infusis, & auxiliis extrinsecis: ergo voluntas potest libere imperare assensum Fidei supernaturalem causatum ab habitu Fidei infuso, aut ab auxilio supernaturali, positis signis credibilitatis ad assensum impellentibus, sed hujusmodi actus supernaturalis Fidei esset in se magis firmus firmitate intellectuali, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium; cum non possit assensus nixus his rationibus creatis esse Theologicus, supernaturalis, & infallibilis: ergo potest Voluntas efficere, ut assensus fidei sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum impellentium ad Fidem.

X. Adde, quod per Adversarios rationes ad assensum impellentes non mereantur nisi assensum opinativum, & fallibilem; aliter inepte inferretur, quod prudenter possit actus Fidei supernaturalis repudiari, si consurgant rationes efficaciores in contrarium; sed erroneum est dicere, quod voluntas non possit efficere, quominus actus Fidei supernaturalis sit magis in se ipso firmus firmitate intellectuali, quam sit actus opinativus, & fallibilis: ergo ut supra.

XI. Altera Propositio dicens, *Hinc recte inferes &c.* nequit legitime deduci ex illa priore, si assensus supernaturalis Fidei supponatur habere firmitatem plusquam fallibilem, & opinativam, prout debet ab omnibus supponi: Quomodo enim posset prudenter deseri assensus Fidei, nisi esset fallibilis, & tantum probabiliter verus, ita ut possit apparere probabilior ejus falsitas? Quod si esset fallibilis; jam non esset supernaturalis, cum actus Fidei supernaturalis sit essentialiter verus ex Tridentino loco laudato.

Deinde directe ostenditur assensum supernaturalem non posse prudenter repudiari. Nam vel nititur rationibus creatis; seu signis credibilitatis ad assensum impellentibus: & hujusmodi assensus non est Theologicus, & supernaturalis, cum non nitatur Deo loquenti; Vel positis signis credibilitatis nititur Deo loquenti; Et quomodo potest prudenter testimonium Divinum amplius repudiari? 1. Jo. 5. dicitur *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se*: atqui tantum testimonium prudenter repelli non potest: ergo nunquam potest actus Fidei supernaturalis præconceptus repudiari.

Confirmatur: ut actus Fidei sit supernaturalis, & cum influxu habitus Fidei infusæ, debet mysterium creditum esse evidenter credibile, quin sufficiat sola probabilitas, quod Deus sit locutus, admiscens formidinem, ne Deus non sit locutus, ut dicemus in expositione propositionis sequentis: posita autem evidentia credibilitatis, non potest amplius probabile esse, quod Deus non sit locutus, ut patet: ergo actus Fidei supernaturalis non potest amplius prupenter repudiari.

XII. Ad rationes in contrarium: Judicium evidens credibilitatis, ortum ex signis credibilitatis mysterii credendi, deservit ad prudenter imperandum actum firmissimum, tum firmitate affectiva, tum firmitate intellectuali; si enim solum esset probabiliter verum, quod Deus revelaverit Incarnationem, non daretur motivum sufficiens ad imperandum assensum Fidei adeo firmum firmitate affectiva, ut homo esset paratus potius vitam perdere, quam Fidem de tali Mysterio, etiamsi Angelus evangelizaret oppositum, ut habetur ad Galat. 1. Quando autem datur evidentia credibilitatis, quamvis non detur evidentia veritatis, tunc imprudentissime non creditur; & injuria irrogaretur Primæ Veritati, si nollemus illi credere, nisi quando datur evidentia revelationis: Sicut injuria irrogaretur Principi per suos Ministros præcipienti, si nollemus obedire, quoties non præcipit nobis aliquid immediate; prætendendo excusationem ex eo, quod non constet eviden-

denter Ministros nomine Principis præcepta imponere. Propterea, si posita evidentia credibilitatis, quæ reddat doctrinam credibiliorem quacumque alia illi repugnante, voluntas renuat imperare assensum Fidei firmissimum, peccat; Si vero posita probabilitate tantum Revelationis Divinæ, voluntas imperet assensum Fidei firmissimum, talis assensus, etiamsi unice nitatur Deo revelanti, & revelatio sit vera, non erit assensus supernaturalis, sed naturalis, ut dicemus in expositione propositionis sequentis; & consequenter hujusmodi assensus Fidei erit solum firmissimus firmitate affectiva, non intellectuali: Solus quippe assensus supernaturalis habet hujusmodi firmitatem summam, seu connexionem infallibilem cum objecto credito magis, quam habeat actus scientificus cum objecto scito; adeo ut possit Fidelis dicere cum Augustino 7. Confess. 10. *Facilius dubitarem me vivere, quam vera esse, quæ audivi.* Denique si posita evidentia credibilitatis, voluntas captivet intellectum in obsequium Fidei, & velit ex toto corde credere, Deus præsto est ad concurrendum, vel cum habitu Fidei infuso, vel cum auxilio supernaturali ad actum Fidei supernaturalem usquequaque firmissimum. Potest ergo voluntas efficere, quod ponatur actus Fidei supernaturalis, atque adeo quod assensus Fidei sit in se ipso firmissimus; qualis non esset, si meris rationibus extrinsecis ad fidem impellentibus niteretur.

Ad confirmationem. Equidem in tractatu de Fide dixi cum Angelico, Suarez, Con. Valen., contra Ripaldam, Lugo, & alios RR. Fidem niti uni Primæ Veritati revelanti, quamvis enim hæc propositio, Deus revelat Incarnationem, sit neutra; at illustrata motivis credibilitatis, sicut potest in sententia Adversariorum movere inadæquate ad assensum; (aliter assensus non esset Theologicus, si ne inadæquatæ quidem niteretur Primæ Veritati revelanti) ita in mea sententia potest movere adæquate. Verum dato, quod signa credibilitatis essent motivum immediatum, ut docet Ripalda, & Lugo, & Prima Veritas revelans sit motivum ultimatum, nemo tamen dixerit, Fidem eam solum firmitatem habere intellectualem, quam merentur signa credibilitatis, quæ movent immediate; aliter actus Fidei non esset firmissimus, & infallibilis, nec supernaturalis.

XIII. Ad id, quod additur pro secunda thesi, dicendum, posse quidem rusticum audientem a Parocho, quod Spiritus S. sit Incarnatus, conari ad actum Fidei de Incarnatione Spiritus Sancti, ita ut actus voluntatis imperans hujusmodi actum sit supernaturalis, & meritorius, actus vero Fidei, cum sit falsus, sit solum naturalis; at si rusticus audiat a Parocho Incarnationem Verbi, & post sufficientem evidentiam credibilitatis, saltem respectivam, seu consentaneam capacitati rusticorum, imperet actum Fidei supernaturalem de Verbi Incarnatione, nullatenus deinde poterit prudenter hujusmodi actum repudiare, etiamsi a sexcentis Episcopis, & ab ipsis Angelis, si fieri posset, audiret, non Verbum esse Incarnatum, sed Spiritum Sanctum. Ratio est, quia postquam rusticus posita evidentia credibilitatis semel elicuit actum super omnia credibilia firmissimum, & supernaturalem, relucente deinde aliqua ratione in contrarium, tenetur inquirere de veritate, & de sensu Ecclesiæ Catholicæ circa tale mysterium: Inquirenti enim Deus præsto est sua illustratione; Siquidem *inquirentes Dominum non deficient omni bono*, ut dicitur Psalmo 33., ac propterea nullatenus poterit prudenter assensum supernaturalem repudiare. Idem dicendum de eo, qui in Africa ab innumeris Episcopis audiret Baptismum ab Hæreticis collatum esse invalidum; hic enim memor actus Fidei semel olim eliciti, quod hujusmodi Baptismus sit validus, teneretur inquirere, quid Pontifex, & Ecclesia Catholica, Columna, & Firmamentum veritatis, hac de re doceat; nec Deus (qui, ut dicitur Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*) permitteret hunc frustrari notitia sufficiente ad retinendam veram Fidem; unde non posset prudenter a Fide supernaturali semel concepta recedere.

XIV. Dices cum Petro Hurtado qu. 14. de Fide: Antequam definiretur ab Ecclesia, quod v. gr. Baptismus ab Hæreticis collatus sit validus, dum hinc inde Episcopi Sanctitate, & Doctrina clarissimi oppositum prædicabant, & in praxim deducebat unusquisque sententiam suam, quare non poterat rusticus prius elicere Fidem supernaturalem de validitate talis Baptismi, prout a Parocho edocebatur, & deinde hunc actum prudenter repudiare, audiendo, quod D. Cyprianus doceret oppositum? Respondeo, quod si de aliquo articulo Fidei sit controversia apud Catholicos, actus Fidei de illo non est supernaturalis, sed naturalis; aliter Fides supernaturalis stare posset cum formidine, ne Deus non sit locutus, quod fieri non posse mox ostendemus: Quando vero est moraliter evidens ex signis credibilitatis, aut est omnino certum ex definitione Ecclesiæ, quod Deus revelaverit aliquod mysterium, tunc assensus rustici illud credentis postquam fuerit edoctus a Parocho, erit supernaturalis; & si eidem rustico superveniant rationes in contrarium, debet Ecclesiæ mentem pervestigare, nec Deus deerit, ut diximus, sua illustratione, ut in Fide supernaturali semel concepta perseveret: Quod ita accidere in præsenti providentia constat, tum ex hac propositione jam damnata, tum ex communi DD. sensu apud Suar. d. 4. de Fide sect. 2. n. 5.

PROPOSITIO XXI.

Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis: immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit locutus Deus.

SYNOPSIS.

I. Quod non requiratur ad credendum Fide supernaturali evidentia credibilitatis, sed satis sit probabilitas de existentia revelationis, unde possit assensus Fidei supernaturalis esse formidolosus, videtur ex eo suaderi posse, quod in aliis virtutibus sufficiat, dari probabiliter earum objectum.

II. Cæremoniale vult, credi ab infirmo Sacrum Viaticum suscipiente, Christum esse sub ea Hostia, quæ illi ostenditur.

III. Scripturæ, & Patres agnoscunt Fidem imperfectam, introductoriam, & infirmam.

IV. Sicut etiam datur charitas imperfecta.

V. Rudes, & pueri nonnisi probabilem habent Revela-

velationis notitiam. VI. Denique si cum evidentia morali Revelationis, quamvis fallibili, stare potest assensus Fidei infallibilis, quidni etiam cum notitia solum probabili Revelationis?

VII. At si posset cum sola notitia probabili Revelationis consistere assensus Fidei supernaturalis, non deberet Fidelis esse paratus ad vitam potius, quam Fidem perdendam; sed posset prudenter aliquando Fidem repudiare.

VIII. Hujusmodi probabilitas est in causa, cur non possit homo Fide supernaturali credere se esse in statu gratiæ.

IX. Si posset esse objectum materiale Fidei conclusio eruta ex altera præmissa probabili, posset v. gr. Fide Divina credi, quod detur de facto prædeterminatio physica.

X. Hinc plura ad rem inferuntur.

XI. Dispar est ratio inter actum Fidei, & actus aliarum virtutum: Unde licet possit v. gr. hæc numero Hostia absolute adorari; non potest tamen fide supernaturali credi, quod in ea Christus Dominus contineatur, nisi sub ea implicita conditione, quod sit consecrata.

XII. Hujusmodi est actus Fidei, qui in Cæremoniali exigitur ab infirmo de Christi existentia sub ea Hostia, quæ ostenditur.

XIII. Fides, quam Scripturæ, & Patres vocant modicam, & imperfectam, non est fides formidolosa, sed ea, quæ facile amittitur.

XIV. Dicitur Charitas imperfecta, quæ conjungitur cum aliquo veniali; & in hoc sensu etiam Fides supernaturalis potest esse imperfecta.

XV. In rudibus, & pueris datur evidentia moralis respectiva de Revelationis existentia.

XVI. Assensus Fidei firmissimus prudenter imperatur posita evidentia morali credibilitatis, secus vero data solum probabilitate Revelationis.

XVII. Hinc licet pauperi probabili, aut dubio prudenter stips erogetur: non tamen prudenter imperatur Fides, si Revelatio sit probabilis, aut dubia.

XVIII. Quæ solum probabiliter sunt de Fide, non creduntur Fide supernaturali, sed naturali.

XIX. Poteritne de fide credi, Deiparam fuisse sine labe conceptam?

I. EXponitur. Acerrime thesis hæc propugnabatur a Neotericis, qui multis conabantur ostendere possibilitatem actus Fidei Theologicæ, & supernaturalis, atque adeo utilis ad salutem, nixæ Primæ Veritati revelanti, quamvis non daretur moralis evidentia, sed solum notitia probabilis de Divina Revelatione, seu probabiliter tantum propositio aliqua particularis includeretur in universali revelata. Ex. gr. quia de Fide est, in Hostia consecrata contineri Christum Dominum, & valde probabile est hanc Hostiam esse consecratam, docebant posse Fide Divina, ac supernaturali credi, quod in hac Hostia determinata Christus contineatur, etiamsi detur aliqua formido, ne Deus in revelatione illa universali de existentia Christi Domini sub Hostia consecrata locutus fuerit de hac numero Hostia. Similiter quia multi valde probabiliter docent ex Scripturis colligi v. g. non posse Deum videri oculis corporeis, & ex testimonio etiam Scripturarum Dei existentiam, ac Immortalitatem animæ posse naturali ratione evidenter demonstrari, idcirco docebant posse hæc omnia de Fide credi; cum formidine tamen, ne illa non revelaverit Deus. Ripalda vero disp. 6. de Fide sect. 6. num. 76., licet conetur ostendere, quod sufficiat sola probabilitas revelationis ad credendum aliquid Fide supernaturali, negat tamen mordicus posse Fidem supernaturalem componi cum formidine, ne Deus non sit locutus; quando enim solum probabile est dari revelationem, & nullum datur motivum in oppositum, videtur tunc stare probabilitas de existentia revelationis absque formidine actuali de opposito; & in hoc casu putat Ripalda stare posse Fidem cum sola notitia probabili revelationis absque formidine, ne non sit locutus Deus. Revera tamen hujusmodi notitia probabilis vocatur communiter evidentia moralis respectiva; Ver. gr. quando Parochus proponit rustico revelatum esse Mysterium Incarnationis, auctoritas Parochi non dicitur parere rustico notitiam probabilem talis revelationis, sed moralem evidentiam consentaneam rustico: & idcirco potest rusticus tunc Fide Divina utili ad salutem credere Incarnationem.

Rationes hujus confixæ thesis videntur esse. Primo, quia in aliis virtutibus sufficit, quod probabiliter detur earum objectum, ut possit prudenter voluntas earum actus imperare: V. gr. ut possit prudenter, & honeste exerceri actus misericordiæ supernaturalis erga Petrum, sufficit, quod Petrus probabiliter sit pauper, esto detur de hoc aliqua formido in oppositum. Sic etiam, ut possit prudenter, & honeste adorari hæc numero Hostia adoratione latriæ supernaturali, sufficit, quod probabiliter sit consecrata. Et ratio a priori est, quia aliter raro virtutum moralium actus exercerentur, si requireretur omnimoda certitudo de earum objecto materiali: ver. gr. multi pauperes carerent subsidio, si ad exercendam misericordiam requireretur certitudo speculativa de eorum indigentia; & idcirco sufficit certitudo practica, quod hic actus misericordiæ sit honestus, quamvis exerceatur erga Petrum solum probabiliter, & forte putative tantum indigentem: ergo a pari ad imperandum prudenter, & honeste actum Fidei supernaturalem sufficit, quod detur tantum probabilitas de Divina revelatione; atque adeo Conclusio Theologica descendens ex una præmissa revelata, & altera probabiliter tantum cognita est objectum materiale Fidei; qualis est v. g. quod hæc numero Hostia probabiliter tantum consecrata contineat Christum Dominum.

II. Confirmatur: quia Cæremoniale, ut notat Lumbier de Fide nu. 402. mandat, quod Sacerdos antequam ministret Eucharistiam moribundo, dicat, *Credis frater hoc esse verum Corpus Domini nostri Jesu Christi?* & infirmus respondeat: *Credo*. Præterea Sacerdos in orationibus ante sumptionem dicit, *Libera me per hoc sacrosanctum Corpus, & Sanguinem tuum;* ergo potest Fides supernaturalis exerceri erga objectum probabiliter tantum revelatum.

III. Secundo: quia Scripturæ ipsæ, ut notat Ripalda disp. 2. sect. 11., videntur indicare, dari posse Fidem supernaturalem infirmam, & imperfectam nixam motivo probabili; nam Matth. 14. dicitur: *Modicæ fidei, quare dubitasti?* & Marci 9. Pater Energumeni dixit: *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*; ubi Chrys. addit: *Si credit, quomodo dicit, Adjuva incredulitatem meam? Dicamus igitur, quod multiplex est Fides, Introductoria scilicet, & Perfecta; hic autem incipiens credere, Salvatorem deprecabatur, ut apponeret reliquum ad suam virtutem.*

IV. Tertio: Quamvis Charitas supernaturalis debeat

beat amare Deum super omnia, dari tamen potest Charitas minus perfecta, quæ componatur cum amore boni delectabilis oppositi Deo, hoc est cum Peccato veniali: ergo quamvis Fides supernaturalis debeat credere objectum super omnia, dari tamen potest Fides minus perfecta, quæ componatur cum aliqua dubietate partis oppositæ.

V. Quarto: Rudes, & Pueri non aliam habent notitiam de existentia revelationis, quam probabilem, nempe illam, quæ habetur ex auctoritate Parochi. Pariter in Ecclesiæ incunabulis, quando deerant plures notæ credibilitatis, vid. Consensus populorum, Martyria, &c. credebant Fideles ob solam Apostolorum auctoritatem. Sic Dionysius Areopagita ad solam Pauli concionem est conversus. Act. 16. Sic Eunuchus Reginæ Æthiopum, Jo. 8., & Samaritani, Jo. 4. sine evidentia credibilitatis ad Fidem conversi sunt.

VI. Denique, quia quamvis evidentia moralis de existentia Revelationis Divinæ metaphysice sit fallibilis, hoc tamen non impedit, quominus supposita ea evidentia morali, possit exerceri actus Fidei supernaturalis metaphysice infallibilis: ergo neque obstabat fallibilitas, quæ habetur in probabilitate de existentia Revelationis, quominus ea posita exerceatur actus Fidei supernaturalis infallibilis. Et ratio est, quia potest voluntas efficere, ut actus Fidei in se ipso sit magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium, ut supra ostendimus: Solum enim requiritur, quod assensus Fidei nixus Primæ Veritati revelanti prudenter imperetur; quando autem datur probabilitas de existentia Revelationis, etiamsi cum formidine de opposito, prudenter imperatur: ergo potest stare actus Fidei cum notitia solum probabili Revelationis, immo cum formidine de opposito.

VII. Ostenditur nunc falsitas: quia assensus Fidei supernaturalis, utilis ad salutem, debet esse adeo firmus firmitate tum affectiva, tum intentionali, ut non possimus prudenter illum repudiare, ut ostendimus in expositione propositionis antecedentis; atqui si sola probabilitas de existentia revelationis sufficeret, posset prudenter repudiari; eo quod possent facile consurgere rationes validiores in oppositum: ergo sola probabilitas revelationis non sufficit ad eliciendum actum Fidei supernaturalem. Et ratio ulterior est, quia Fidelis tenetur esse paratus magis vitam, quam Fidem deferere; id autem esset irrationabile, si Fides supponeret solum notitiam probabilem Revelationis: ergo hæc non sufficit.

VIII. Confirmatur primo ex Lugo disp. 1. n. 424. quia ex Trident. sess. 6. cap. 9., nemo potest Fide supernaturali credere se esse in statu gratiæ; hæc enim sunt verba Concilii: *Sicut nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute, & efficacia dubitare debet; Sic quilibet, dum se ipsum, suamque infirmitatem, & indispositionem respicit, de sua gratia formidare, & timere potest; Cum nullus scire valeat certitudine Fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consequutum.* Atqui si sola probabilitas Revelationis sufficeret, possemus post intensos, & iteratos actus contritionis, Fide supernaturali credere, gratiam Dei nos esse consequutos; cum id probabilissime eruatur ex ista præmissa revelata universali, quod contritus gratiam assequatur, & ex hac altera probabilissima, quod nos simus vere contriti: ergo non sufficit sola probabilitas Revelationis ad actum Fidei supernaturalem.

IX. Confirmatur secundo ex Lumbier de Fide n. 401.: quia aliter posset v. g. actu Fidei credi, quod detur v. gr. Prædeterminatio physica. Nam de Fide est dari auxilium efficax; & probabile est auxilium efficax consistere in prædeterminatione physica ad consensum: ergo probabile est dari in consentientibus physicam prædeterminationem: Hujusmodi autem conclusio eruta ex una de Fide, & altera probabili potest esse in hac sententia objectum materiale Fidei: ergo posset actu Fidei supernaturalis credi, quod detur prædeterminatio physica, quod nemo admiserit.

X. Ex quibus sequitur primo, assensum Fidei supernaturalem non solum non posse esse formidolosum, ut habetur in thesi profligata, sed neque posse stare cum sola probabilitate Revelationis depurata ab actuali formidine; prout docent Lumb. de Fide num. 403., & Rip. loc. cit., nisi ea reducatur ad evidentiam moralem respectivam, ut supra diximus. Ratio est, quia ea Fides, etiamsi careat formidine, adhuc posset prudenter repudiari; & adhuc irrationabiliter vellet sic credens vitam potius, quam fidem deferere; ac demum adhuc posset homo fide supernaturali credere, se post iteratos actus contritionis gratiam esse consecutum, quæ admitti non possunt.

Sequitur secundo, quod si Infidelis advertens Religionem Catholicam esse probabiliorem sua, de illa tamen non haberet adhuc evidentiam credibilitatis, sed aliquam formidinem, sed vellet, prout tenetur, Religionem Catholicam credere, in tali casu hujusmodi assensus fidei non esset supernaturalis, sed naturalis, utpote formidolosus.

Sequitur tertio, quod si quis vellet absolute credere assensu fidei se post contritionem, quam credit supernaturalem, gratiam esse consecutum, aut hanc numero Hostiam esse consecratam, vel hunc infantem post Baptismum esse in statu gratiæ, neque hujusmodi actus fidei esset supernaturalis, sed naturalis: Ad eum modum, quo si Parochus doceat rusticum, Incarnatum esse Spiritum Sanctum, & rusticus eliciat actum fidei de Incarnatione Spiritus Sancti, hujusmodi actus esset naturalis. Ratio est, quia fides supernaturalis sicut abhorret a falsitate, ita etiam abhorret a formidine sive actuali, sive radicali, ut ostendimus: assensus autem fidei in casibus adductis non potest excludere formidinem saltem radicalem, cum prudenter dubitari possit, num Contritio fuerit insufficiens ad gratiam recuperandam, num hæc Hostia sit a legitimo Ministro cum debita intentione consecrata &c.; cum enim hæc aliquando accidant, potest intellectus dicere, Forte hic & nunc ita se res habet: ergo assensus fidei in his casibus esset solum naturalis; qui quamvis firmitatem posset habere summam affectivam, non tamen haberet firmitatem summam intentionalem, ortam ex intrinsecis prædicatis actus essentialiter connexi cum veritate mysterii crediti.

Sequitur quarto, quod si Rusticus non habeat evidentiam moralem saltem respectivam, seu consentaneam proprio captui, quod vere Deus revelaverit, & ab Ecclesia proponatur credendum mysterium Incarnationis, prout Parochus docet, sed solum appareat id sibi tantum probabile, adeo ut possit dubitare de opposito, tunc non possit actum Fidei supernaturalem de hoc mysterio elicere.

Dices: Tam potest accidere, quod qui Hostiam consecravit, non sit vere ordinatus, aut baptizatus, unde

unde Hostia non sit vere consecrata, quam potest accidere, quod Parochus ex ignorantia, aut mendacitate non doceat populum vera Fidei mysteria: ergo si non potest dari Fides supernaturalis, quod in hac numero Hostia consecrata sit Christus D., neque poterunt unquam Fide supernaturali pueri, & rudes credere mysterium v. gr. Incarnationis, quod Parochus dicit esse revelatum a Deo, & propositum ab Ecclesia, ut credatur.

Respondeo, Suarium disp. 4. sect. 5. putare, quod evidentia credibilitatis in pueris, & rudibus suppleatur ab illustratione Spiritus S., & idcirco possint isti Fide supernaturali credere, quæ Parochus docet esse credenda. Equidem cum Lugo, & aliis censeo, non esse recurrendum ad illustrationem supernaturalem Spiritus S., ad hoc ut habeatur in pueris, & rudibus sufficiens evidentia credibilitatis condistincta a mera probabilitate relate ad mysteria Fidei credenda, quæ Parochus proponit. Et ratio est, quia rudes, ac pueri facile efformant judicium evidens de credibilitate mysterii propositi a Parocho per hoc, quod ita quilibet intra se ratiocinetur: Ego indoctus in rebus a me ignoratis, ac præsertim Religionis, stare debeo judicio sapientum, & piorum; sed Parochus est sapiens, ac pius: ergo ejus judicio mihi standum est, & illa teneor credere, quæ mihi credenda proponit; Sic rusticus erumpit in actum Fidei nixum Deo revelanti, non secus ac doctus, positis notis credibilitatis, quæ reddunt mysteria Fidei evidenter credibilia. Adde quod Parochus non solum proponit rustico mysteria credenda, sed etiam proponit signa credibilitatis, & miracula a Deo patrata ad illas veritates confirmandas; unde, nisi dubitet de veracitate Parochi, habet evidentiam de credibilitate mysteriorum: Contra vero nullum miraculum proponitur patratum a Deo, ut credatur, quod hæc numero Hostia sit consecrata: ergo de hoc non habetur nisi tantum probabilitas; ac proinde non potest absolute credi fide supernaturali, quod in hac numero Hostia sit Christus D. sed potest id credi conditionate, si scil. sit consecrata: Et absolute creditur solum fide supernaturali, quod in quavis Hostia consecrata Christus D. contineatur.

XI. Ad primam rationem in contrarium dicendum, prudenter imperari actum Misericordiæ, si probabiliter credatur, quod Petrus sit indigens, & prudenter etiam imperari adorationem hujus numero Hostiæ, si probabiliter credatur, quod sit consecrata. At non prudenter imperatur actus Fidei supernaturalis, & firmissimus de existentia Corporis Christi in hac numero Hostia, si probabiliter tantum sit consecrata. Disparitas ex Lugo disp. 1. de Fide n. 320. est, quia imprudenter imperatur actus Fidei super omnia firmus, ita ut velit credens potius vitam perdere, quam Fidem, quando solum probabile est, quod Deus sit locutus. Propterea Deus ad hunc supremum cultum intellectualem nos non obligat, nisi detur evidentia credibilitatis: contra vero prudenter imperatur actus misericordiæ, quando Petrus est probabiliter indigens; vel actus pietatis erga Cajum, qui censetur esse tuus Parens; aut actus adorationis hujus numero Hostiæ; esto forte nec Petrus sit indigens, nec Cajus sit tuus Parens, nec Hostia hæc sit consecrata, aut ex defectu intentionis in Consecrante, aut ex defectu Ordinis Sacerdotalis, vel Baptismi essentialiter requisiti ad validam consecrationem. Ratio horum omnium est, quia plurimi, & fere omnes pauperes carerent subsidio, plurimi, & fere omnes Parentes obsequio debito, ac fere omnes Hostiæ Consecratæ carerent debita adoratione, si ad eliciendos actus harum virtutum non sufficeret probabilitas consentanea, sed requireretur illa moralis evidentia, quæ requiritur ad eliciendum actum Fidei firmissimum. Et idcirco potest absolute adorari hæc numero Hostia consecrata; Non potest tamen Fide supernaturali credi, quod in hac numero Hostia contineatur Christus D., sed actus Fidei debet esse absolutus relate ad Hostiam consecratam ut sic, & relate ad hanc numero Hostiam est saltem implicite conditionatus, si scilicet sit consecrata. Quod si adsit prudens formido de ejus Consecratione, actus Fidei debet esse etiam explicite conditionatus, necnon actus adorationis, ad declinandum periculum idololatriæ.

XII. Ad Confirmationem: Lumbier n. 403. putat, quod possit fides de Corpore Christi sub hac Hostia esse supernaturalis, si nulla detur formido, quod non sit consecrata: Sed dicendum, actum Fidei esse absolutum relate ad Hostiam consecratam ut sic, & relate ad hanc Hostiam esse implicite conditionatum. Ratio est, quia actui Fidei repugnat non solum actualis, sed etiam radicalis formido: aliter possemus prudenter repudiare assensum Fidei supernaturalem, si consurgant rationes validæ, quæ ostendant hanc Hostiam non esse consecratam, ex defectu v. gr. Ordinis Sacerdotalis in Consecrante, prout aliquando accidit. Præterquamquod imprudenter firmissime credimus; in hac numero Hostia contineri Corpus Christi, ita ut velimus vitam potius, quam Fidem hanc deserere, cum possit facile accidere, quod ea non sit consecrata; Contra vero prudentissime etiam rudes, & pueri Fidem v. g. de Incarnatione Verbi firmissimam ponunt, etiamsi Parochus illam proponens facile possit aut decipi, aut decipere. Et ratio est, quia in hoc casu vel evidentia moralis credibilitatis prærequisita suppletur ab illustratione Spiritus Sancti, juxta doctrinam Suarii loco supra laudato, vel habetur ex notis credibilitatis, & miraculis, quæ proponit Parochus, quoties non datur motivum dubitandi de Veracitate, ac Sapientia Parochi: esto per accidens aliquando possit decipi, aut decipere, in quo casu assensus Fidei falsus esset naturalis, non vero supernaturalis.

XIII. Ad secundam rationem in contrarium; Fides potest esse imperfecta, infirma, & introductoria, non per hoc, quod sit formidolosa, sed quia facile amittitur: sicut propositum non peccandi potest esse imperfectum, non quia admiscet aliquam voluntatem peccandi, sed quia facile accedente tentatione deseritur. Hujusmodi fuit Fides illa modica D. Petri, qui dubitavit, non componendo Fidem cum dubitatione, sed amittendo illam per dubitationem. Quod notavit Aug. serm. 14. de Verbis Domini dicens: *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit, sed ubi exclamavit, Fides resurrexit; non ambularet, nisi crederet, sed nec mergeretur, nisi dubitaret.* Quare cum firmitas ista Fidei desumatur præcipue ex pia voluntatis affectione, & hæc possit in sua linea esse major, vel minor, ideo poterit Fides esse magis, vel minus perfecta, quin sit formidolosa. Et in hoc sensu dicitur in Scriptura: *O mulier, magna est Fides tua, Domine adauge Fidem*, & a Patre Energumeni, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam:* Quamvis hæc possint etiam explicari de Fide, quam habebant solum naturalem, non supernaturalem; vel de Fide mortua, non formata charita-

ritate; aut de voluntate, & conatu credendi, qui erat debilis: unde exclamant, *Adauge Fidem: Adjuva incredulitatem meam.*

XIV. Ad tertiam, paritas retorquetur: quamvis enim Charitas supernaturalis possit cum veniali conjungi, repugnat tamen, quod ipse actus charitatis sit supernaturalis, & diligat Deum super omnia amabilem, ac simul sit venialiter peccaminosus; cum peccatum non possit esse supernaturale; ergo quamvis aliquis actus supernaturalis Fidei firmissimus circa aliquod mysterium possit conjungi cum peccato veniali contra Fidem, non poterit ipse actus Fidei supernaturalis esse firmissimus, & credere Deo super omnia credibilia, ac simul esse formidolosus.

XV. Ad quartam, diximus abunde, quomodo non sola probabilitas, sed etiam evidentia credibilitatis, in rudibus, & pueris habeatur, & requiratur, ut possint firmissime credere. Idemque dicendum de Fide illa firmissima Dionysii Areopagitæ, & de illa Eunuchi act. 8. ac Samaritanorum. Hinc D. Th. 2. 2. q. 1. art. 4. ad 2. dixit: *Non enim quis crederet, nisi videret ea esse credenda, vel propter evidentiam signorum, vel propter aliquid hujusmodi*; Ubi innuit, non semper requiri evidentiam unice ortam ex signis credibilitatis, sed posse hanc aliunde suppleri; omnino tamen aliquam evidentiam credibilitatis ad Fidem supernaturalem prærequiri.

XVI. Ad ultimam negatur consequentia. Et disparitas est, quia si detur evidentia credibilitatis, imprudentissime non creditur, sicut etiam imprudentissime Fides firmissima, & supernaturalis præconcepta repudiatur: secus vero, si detur solum probabilitas Revelationis, & multo magis si detur actualis formido, ne Deus non sit locutus.

XVII. Colliges ex dictis primo, quod non solum prudens dubium; & formido, sed etiam sola possibilitas moralis, quod hæc Hostia v. g. non sit consecrata, impediat, ne prudenter imperetur assensus Fidei firmissimus, quod Christus in ea contineatur: At eadem possibilitas moralis, quod hæc numero Hostia non sit consecrata, non impedit, ne prudenter imperetur adoratio latriæ absolute erga illam; Sicut mera possibilitas moralis, quod hi non sint tui Genitores, non impedit, quominus prudenter absolute colantur. Quod si detur prudens motivum dubitandi, an hæc Hostia sit consecrata, adoratio debet esse conditionata ad declinandum periculum Idololatriæ: Contra vero, si detur prudens motivum dubitandi, an isti sint tui Genitores, adhuc possunt absolute coli; (immo debent, si dubium superveniat post legitimam possessionem exigendi talem cultum) sicut potest erogari stips Petro, etiamsi prudenter dubitetur de ejus indigentia. Et ratio est, quia nullum sequitur inconveniens, si colantur parentes dubii, aut si subsidium erogetur pauperi dubio; sequitur vero inconveniens adductum exponendi se periculo Idololatriæ, si absolute adoretur Hostia dubie consecrata.

XVIII. Colliges secundo, non posse Fide supernaturali credi ea, quæ probabiliter tantum dicuntur esse de Fide, seu colligi ex Scripturis, v. g. quod possit naturaliter demonstrari immortalitas animæ, aut quod ne divinitus quidem possit oculus corporeus Deum videre, & alia hujusmodi. Ratio illationis est, quia imprudenter imperatur assensus Fidei firmissimus super omnia relate ad objectum, quod probabiliter tantum est a Deo revelatum.

XIX. Dubitatur, an possit Fide supernaturali credi, Deiparam fuisse sine labe conceptam? Videtur hæc veritas non esse objectum materiale Fidei; quia quamvis ea probabilissime, immo etiam cum morali certitudine ex Scripturis eruatur, & sit proxime definibilis a Pontifice, præsertim post decretum Alex. VII. decernentis, cultum Conceptioni Virginis exhiberi ab Ecclesia secundum piam sententiam, quam fere omnes Catholici amplectuntur; nihilominus opposita sententia videtur aliquam habere probabilitatem, posito quod ex Pontificio Decreto non possit hæreseos, peccati mortalis, aut impietatis damnari. Equidem censeo, posse Immaculatam Virginis Conceptionem Fide Divina credi ab eo, cui moraliter constat eam esse implicite in Scripturis revelatam: etenim juxta doctrinam Suarii t. 2. in 3. par. disp. 3. sect. 6. prohibitio Pontificia, ne alicui propositioni censura ulla Theologica inuratur, bene cohæret cum summa probabilitate, necnon cum morali certitudine sententiæ oppositæ: unde non impedit, quominus sententia, quæ censurari non potest, dici possit omnino improbabilis, ut habet Lugo disp. 20. de Fide n. 104. ex Hurtado; quod innuimus in quæstione prodroma, & dicemus etiam in expositione propositionis 15. Alex. VIII. ubi de prohibitione Alex. VII. ne censura ulla notetur aut opinio requirens in attritione aliqualem Dei dilectionem benevolentiæ, ut in Sacramento disponat ad gratiam, aut illam non requirens; esto cum morali certitudine unius partis stare possit aliqua saltem tenuissima probabilitas extrinseca partis oppositæ. Quare sicut Fide supernaturali credere potest v. g. Incarnationem propositam a Parocho ille rusticus, cui moraliter certum est, Parochum non falli, nec fallere; secus vero si hoc illi sit tantum probabile, & incertum: ita potest Fide supernaturali credere Deiparam sine macula conceptam fuisse is, cui moraliter constat id in Scripturis implicite revelari; Secus vero, si hoc putet esse tantum probabile, & incertum. Idemque dicas de similibus.

PROPOSITIO XXII.

Nonnisi fides Unius Dei necessaria videtur necessitate medii, non autem explicita Remuneratoris.

SYNOPSIS.

I. Fides explicita Dei Remuneratoris videtur solum esse necessaria necessitate præcepti; aut saltem non pro omni casu necessaria necessitate medii. II. Si quis post cognitam, & amatam Dei Bonitatem statim decederet sine Fide Dei Remuneratoris, quare non posset salutem consequi?

III. Sicut Baptismus, qui est necessarius necessitate medii, sufficit quod ponatur in voto, quidni sufficiat pariter Fides explicita Remuneratoris in voto?

IV. Ea quippe in re ipsa nec est necessaria ex natura rei, neque ex lege ulla positiva; cum de hac non constet.

V. Verum ex verbis Apostoli fit perspicuum, eodem modo requiri Fidem Dei Unius, ac Dei Remuneratoris. VI. Idcirco hanc Fidem Deus requirit non solum in voto, sed etiam in re ipsa, & quidem in omni casu, quia in ea fundatur Spes veniæ, & Beatitudinis, qui actus ad Charitatem disponit.

VII. Quamvis dari possit physice actus Charitatis sine prævio actu Spei, non tamen moraliter.

VIII. Si forte accidat, quod quis Deum diligat cognita ejus Bonitate, absque prævia Fide Remuneratoris, Deus non permittet hunc ita decedere.

IX. Quamvis amor eo sit purior, quo minus mercenarius, aut servilis, ad amorem tamen purissimum in natura lapsa non pervenitur absque prævia Spe mercedis, ac timore pœnæ.

X. Solum ex lege Dei positiva requiritur ad salutem Fides explicita Dei Remuneratoris in re, Fides vero explicita de Mysterio Trinitatis, & Incarnationis probabiliter sufficit quod detur in voto.

XI. Diversimode requiritur ad salutem v. g. restitutio saltem in voto, ac Fides explicita horum Mysteriorum, aut Baptismus saltem in voto.

XII. Fides de Deo Remuneratore debet esse de Deo Remuneratore non naturali, sed supernaturali.

XIII. *Ad justificationem Infidelis requiritur, quod Fides ista præat formaliter; ad justificacionem vero Fidelis peccatoris sufficit, quod prgeat virtualiter.*

I. EXponitur. Fides Dei Remuneratoris dicitur Implicita, quando quis in generali credit quidquid Deus revelavit, aut Ecclesia proposuit credendum, cum inter articulos credendos sit etiam retributio danda a Deo meritis, ac demeritis; Explicita vero dicitur, quando hic articulus creditur in particulari, cognoscendo Deum ut Remuneratorem. De hac quæritur, Num sit necessaria non solum necessitate præcepti, ita scil. ut si invincibiliter omittatur, adhuc possit justificatio, & salus æterna obtineri, sed etiam necessitate medii, tamquam medium non solum utile, & conducens, sed etiam omnino necessarium ad salutem obtinendam? Non secus ac Baptismum, & Pœnitentia lapsis post Baptismum dicuntur necessaria necessitate medii ad salutem, eo quod non solum ad salutem conducant sed etiam sint medium usque adeo necessarium, ut etiamsi inculpabiliter omittantur, salus non possit obtineri. Nonnulli cum Arriaga d.12.de Fide sect. 2., Leandro a SS. Sacr., Caramuele, putarunt esse quidem universim necessariam Fidem explicitam Dei Remuneratoris, non tamen in omni casu.

II. Ratio videtur esse, quia si quis, cognita Dei Bonitate, illum super omnia diligat, & statim decedat citra Fidem, aut cognitionem Dei Remuneratoris, salus æterna ab ipso videtur consequenda; Plenitudo enim legis est Dilectio; atque adeo in hoc saltem casu dicendum sufficere Fidem implicitam Dei Remuneratoris.

III. Præterquamquod sicut Baptismus est necessarius necessitate medii, non tamen semper in re, sed aliquando etiam in voto, adeo ut sufficiat ad salutem dilectio Dei super omnia, quatenus includens votum Baptismi, qui suscipi debeat, si possit; Ita videtur Fides explicita Dei Remuneratoris esse necessaria necessitate medii, non tamen semper in re, sed aliquando etiam in voto, adeo ut satis sit dilectio Dei, quatenus includens votum, seu propositum ponendi hujusmodi Fidem explicitam, si detur occasio; atque adeo sicut potest homo salvari sine Baptismo in re, quamvis Baptismus sit institutus a Deo ad gratiam conferendam; ita salvari possit homo cum sola hac Fide explicita in voto, quamvis Fides ista de se conducat ad Spem, & ad Charitatem, atque adeo ad justificationem obtinendam.

IV. Confirmatur: quia procul dubio Deus potest de potentia absoluta absque hac Fide, immo absque ullo actu adulti, justificationem, & salutem conferre; non secus ac illam confert de facto infantibus, qui baptizantur, & statim moriuntur, non expectato ullo eorum actu. Quare ut Fides ista sit necessario prærequisita in omni eventu ad justificationem in adultis, oriri debet aut ex ipsa natura rei, aut ex lege extrinseca Divina: Atqui id non oritur ex natura rei, cum etiam naturaliter accidere possit, Quod Cathecumenus habita tantum notitia, ac Fide unius Dei summe boni, illum super omnia diligat, & statim moriatur; neque ex lege Dei extrinseca, cum de ea non constet: Et quamvis Apostolus dicat ad Hebr. 11. *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se Remunerator est*, id potest intelligi de Fide implicita, aut de Fide explicita in voto. Sic passim in Scripturis requiritur Fides de Mysterio Incarnationis, ut ad Gal. 2. *Scientes, quod non justificetur homo, nisi per Fidem JESU Christi*; Et Act. 16. *Crede in Dominum JESUM, & salvus eris*; Et Jo. 3. *Qui incredulus est Filio, ira Dei manet super illum*; & tamen communius docent, etiam in Lege Gratiæ sufficere Fidem implicitam de Mysterio Trinitatis, & Incarnationis; explicitam vero solum esse necessariam necessitate præcepti; ita ut absolutionis sit incapax, qui per negligentiam culpabilem ea Mysteria ignoraverit, prout suo loco explicabimus, cum de propositione 64. Innoc. XI.: ergo pariter sufficit Fides implicita Dei Remuneratoris; ita ut solum necessaria sit necessitate præcepti Fides explicita.

V. Ostenditur falsitas: quia Apostolus l.c. eodem modo loquitur de necessitate Fidei unius Dei, ac de necessitate Fidei Dei Remuneratoris: sed Fides Unius Dei explicita est necessaria necessitate medii: ergo etiam Fides Dei Remuneratoris explicita. Hanc necessitatem medii, & non solius præcepti innuit Apostolus præmittendo verba illa, *Sine Fide impossibile est placere Deo*; quibus ostendit, Fidem Dei Unius, & Remuneratoris esse adeo necessariam, ut sine illa justificatio haberi non possit. Quod etiam expressit definiendo Fidem, quod sit *Sperandarum substantia rerum, Argumentum non apparentium*. Cum enim speremus bona, præsertim supernaturalia a Deo Remuneratore, quæ ab Apostolo dicuntur non apparere, siquidem *Nec oculus vidit, nec auris audivit* &c., quæ a Deo Remuneratore expectantur, fit, Fidem esse basim, ac fundamentum Spei nostræ, atque adeo Fidem debere esse Dei, etiam Remuneratoris, explicitam.

VI. Ratio autem, cur Deus Fidem explicitam, non quidem in voto, sed in re ipsa, voluerit esse medium ad salutem necessarium, & quidem in omni eventu, est, quia sublata hac Fide explicita, tollitur etiam Spes præmiorum, & Timor pœnarum; cum Spes in Fide Dei Remuneratoris, & Timor in Fide Dei ut Vindicis nitatur: Tollitur pariter Spes veniæ a Deo obtinendæ, & homo nihil cogitat de animæ immortalitate, & de vita futura, nec advertit Deum exaudire orationes, Sacrificiis placari, &c. Unde fieret, quod nemo toto corde Deum inquireret, ac nemo vitam suam componeret, prout oportet, ad salutem obtinendam, ut communiter docent SS. PP.: & ipsa experientia docet, deficientibus hisce stimulis, animum in via Spiritus languescere. Quod docuit pariter Angelicus lect. 2, lit.

2. lit. B. dicens: *Non solum est necessarium credere, quod Deus sit, sed quod habeat providentiam de rebus; aliter nullus iret ad ipsum, si non speraret aliquam remunerationem ab ipso.*

VII. Verum quidem est, posse ex natura rei voluntatem, cognita per Fidem Bonitate Divina, immediate in actum dilectionis erumpere, nullo prævio actu Spei, & nullatenus cognito Deo ut Remuneratore. Verum licet ex natura rei, & physice id sit possibile, moraliter tamen est omnino impossibile; & idcirco Deus ad Fidem explicitam Dei Remuneratoris voluit nos obligare, illamque voluit indispensabiliter præviam ad Justificationem adulti, ut docuit Trid. sess. 6. c. 7. dicens, Fidem sine Spe, & Charitate vitam æternam præstare non posse. Quare ex Tridentino illa duntaxat Fides præstare potest vitam æternam, quæ cum Spe, & Charitate conjungitur: Cum autem ad Spem requiratur Fides explicita Dei Remuneratoris, idcirco hæc Fides explicita Remuneratoris est illa, sine qua salus æterna obtineri non potest.

VIII. Hinc fit juxta leges hujus Providentiæ, quod, si forte accideret, aliquem in sylvis educatum legem naturalem servare, & nihil scire de præmiis in altera vita conferendis, ac de suppliciis infligendis, Deus non permitteret illum mori, antequam de his omnibus instrueretur vel ab Angelo, vel ab alio Prædicante, juxta illud Apostoli, *Fides ex auditu: Quomodo autem audient sine Prædicante?* Permittit quidem Deus, Catechumenum innocentem post actus Fidei, Spei, & Charitatis sine Baptismo decedere, quia Baptismus in re non est medium ad salutem necessarium, cum sufficiat Baptismus in voto; At non permittit hominem innocentem in sylvis enutritum cum sola dilectione Dei naturaliter cogniti decedere absque Fide supernaturali Dei Unius, & Remuneratoris, ut docet Angelicus; quia Fides ista non in voto, sed in re ipsa est medium necessarium, ut ad Spem erigamur, qua ad Charitatem, & Justificationem disponimur.

IX. Ad rationem in contrarium adductam jam fecimus satis, transmittendo physice, & ex natura rei possibilem actum dilectionis Dei supernaturalem immediate post Fidem supernaturalem Dei summe boni, nullatenus cogniti ut Remuneratoris; quia tamen impossibile moraliter est, ut id contingat, idcirco nunquam eveniet, quod citra Fidem Dei Remuneratoris salus obtineatur. Immo non solum vix est, ut eveniat ob moralem impossibilitatem sed nec potest evenire juxta leges præsentis Providentiæ, ut ostendimus. Verum quidem est, amorem Dei eo esse puriorem, quo minus est mercenarius, aut servilis, hoc est quo minus nititur in Spe præmii, aut Timore pœnæ; nihilominus ut ad illum amorem purissimum perveniatur in natura lapsa, oportet per Spem, & Timorem se disponere. Sicut enim notitia beneficiorum non solum juvat ad gratias agendas, sed etiam ad amandum amore amicitiæ ipsum Benefactorem; ita Fides explicita Dei Remuneratoris, & Vindicis non solum juvat ad Spem, & Timorem, sed etiam ad amorem purissimum Dei Remuneratoris. Hinc Aug. l. de Catechizandis Rudibus dixit, *De Timore Dei Charitatem esse ædificandam, quia rarissime accidit, imo vero nunquam, ut quispiam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo Dei timore perculsus. Ecclesiastici primo habetur: Timor Dei expellit peccatum: nam qui sine timore est, non poterit justificari.*

X. Ad confirmationem, diximus ex verbis illis Apostoli colligi, Fidem explicitam Dei, etiam ut Remuneratoris, ex lege Dei extrinseca esse in omni eventu necessariam; esto naturaliter accidere posset (quamvis cum summa difficultate, & cum morali impossibilitate) quod aliquis Divinam Bonitatem diligat super omnia citra notitiam Dei ut Remuneratoris. Quod attinet vero ad Fidem explicitam Trinitatis, & Incarnationis, communius docent esse solum necessariam necessitate præcepti, & sufficere ad salutem, quod habeatur hujusmodi Fides explicita tantum in voto; Siquidem neque ex ullo Scripturæ textu, neque ex sensu communi Ecclesiæ, neque ratione ulla aperte colligitur, quod sit necessitate medii necessaria, ut videre est apud Suar. disp. 12. de Fide sect. 4. & Lugo d. 12. Aliter, ut notat Bonæ Spei, surdus qui nequit his mysteriis instrui, non posset salvari. Quare, sicut Baptismus est ita necessarius ad salutem, ut *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus S. non possit introire in Regnum Dei*, & tamen sufficit ex Divina Misericordia etiam Baptismus in voto: Ita probabilissime ex Suar. l. c. etiam in lege gratiæ sufficit Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis etiam in voto.

XI. Ubi notandum est celebre discrimen inter observantiam in voto reliquorum præceptorum, & istorum: Diversimode enim requiritur v. g. restitutio in voto ad salutem obtinendam, ac Baptismus, seu Fides in Christum in voto: Etenim votum, seu propositum restituendi requiritur solum necessitate præcepti, quo tenemur restituere: restitutio autem non est medium, per quod gratia, & salus conferatur. At votum, seu propositum suscipiendi Baptismum, & ponendi Fidem explicitam de mysterio Trinitatis, & Incarnationis requiritur necessitate medii, quatenus Baptismus in re susceptus est medium institutum ad gratiam causandam, & Fides horum mysteriorum explicita est medium institutum, ut positive disponamur, & per modum meriti de congruo ad Spem, & Charitatem, & salutem obtinendam.

XII. Dubitatur primo, num Fides explicita Dei Remuneratoris necessaria necessitate medii ad salutem debeat esse de Deo Remuneratore supernaturali, an vero sufficiat credere Deum remunerari merita bonis naturalibus. Quamvis propositio confixa ab hoc præscindat, dicendum tamen cum communi, Fidem debere esse de Deo Remuneratore supernaturali, cum de tali Fide loquatur Apostolus l. c. dicens, Fidem ad salutem necessariam esse Argumentum non apparentium, non solum oculis corporeis, sed etiam investigationi rationis, juxta illud, *Oculus non vidit, neque auris audivit, neque in cor hominis ascendit, quæ præparavit Deus diligentibus se.* Propterea, ut notat Suar. disp. 12. de Fide sect. 3. n. 8. necessitatem Fidei de Deo Remuneratore, quam docet Paulus, *De Remuneratione supernaturali intelligendam esse omnes exponunt, & ex contextu aperte colligitur, ut bene ponderavit Cano l. 12. de Locis c. 4.*

XIII. Dubitatur secundo, utrum Fides ista explicita Dei Remuneratoris sit necessaria necessitate medii solum ad primam justificationem adulti, an vero ad quamcumque, adeo ut adultus peccator ad gratiam in Sacramento consequendam teneatur præmittere Fidem explicitam Dei Remuneratoris? Putant nonnulli, non solum ad justificationem infidelis, sed etiam ad justificationem impii Fidelis eam prærequiri, quia Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones adulti ad gratiam consequendam enume-

enumerat Fidem, & Spem; Cum autem Spes fundetur in Fide Dei Remuneratoris, videtur hæc omnino requiri. Communis tamen sententia docet, a Tridentino ibi enumerari actus, qui solent justificationem peccatoris præire, quin sit necesse, quod semper formaliter præeant; sufficit enim, quod olim præierint, & virtualiter perseverent. Sicut enim qui spargit sementem, dicitur spargere cum spe fructus colligendi, quamvis ea spes non sit semper actualis, sed fere semper virtualis, & moraliter perseverans; ita peccator, dum dolet de peccato ex motivo supernaturali, dicitur habere Spem veniæ, & Fidem in Deum Remuneratorem, per hoc quod saltem virtualiter hujusmodi actus perseverent: Unde ad primam justificationem adulti necessario Fides, & Spes præire debent, sed non semper debent iterari, quoties peccator justificatur, dummodo virtualiter perseverent; quamvis hujusmodi actus debeant identidem in vita iterari.

Neque dicas, in iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, sequendam esse partem tutiorem, atque adeo præmittendos esse hujusmodi actus ante quamcumque susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Nam Fidem hanc explicitam actualem Dei Remuneratoris, & Spem ad valide suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum non requiri, videtur esse moraliter certum, tum ex consensu Theologorum, tum etiam quia aliter mutila esset in re tam gravi doctrina Tridentini tradentis in sess. 14. ea, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ spectant. Quare sicut possumus licite adhibere in Sacramento Pœnitentiæ attritionem, omissa contritione tutiore, & adhibere intentionem virtualem in quovis Sacramento, omissa actuali tutiore; ita possumus hos actus Fidei, & Spei virtualiter perseverantes adhibere, posito quod hujusmodi opiniones non sint solum probabiles, sed etiam moraliter certæ: illicitum namque solum est, in iis, quæ ad valorem Sacramenti spectant, sequi opinionem probabilem, non vero sequi moraliter certam, omissa tutiori: ergo ad valide, ac licite suscipiendum Pœnitentiæ Sacramentum non requiritur, quod hujusmodi actus Fidei, ac Spei iterentur, sed sufficit, quod moraliter perseverent, & in actu doloris virtualiter contineantur, prout explicavimus.

PROPOSITIO XXIII.

Fides late dicta ex testimonio Creaturarum, similive motivo ad justificationem sufficit.

SYNOPSIS.

I. Fides ista late dicta, nixa testimonio creaturarum, aut simili motivo, potius est scientia, quam Fides: quod si ea sit naturalis, procul dubio ad justificationem non disponit.

II. In hac thesi sermo est de Fide lata superna.

III. Hic error doctissimo Ripaldæ ascribitur; sed immerito, cum aperte oppositum doceat.

IV. Nititur thesis in locutionibus Apostoli, Augustini, Angelici. V. Necnon in eo, quod dicitur Act. 10. de Cornelio Centurione. VI. Et in hoc, quod sine Fide stricta dari possit ardentissimus Dei amor, atque adeo justificatio. VII. Verum Fides ad justificationem disponens debet esse Argumentum non apparentium, & consequenter Fides stricta. VIII. Quod constat ex Tridentino. IX. Sola Fides stricta potest esse initium salutis, fundamentum, & radix justificationis. X. Nutritus in sylvis habere potest hujusmodi fidem strictam ex interna inspiratione? Sicut illam habuerunt Angeli viatores. XI. Gentiles ab Apostolo dicuntur inexcusabiles, non quia non se disposuerunt per fidem latam ad justificationem; sed quia per peccata reddiderunt se positive indignos illustratione superna, qua ad justificationem perducerentur. XII. Cornelius non erat justus justitia supernaturali ante fidem strictam; & quamvis hac fide non careret, indiguit tamen D. Petri instructione de Incarnationis Mysterio, ut posset illud explicite credere, aut saltem, ne subiret ignorantiam de illo vincibilem. XIII. Amor ardentissimus supernaturalis ex consideratione Divinæ Bonitatis solum concipi potest ab iis, qui fidem strictam præhabuerunt; Secus vero ab Infidelibus. XIV. Primum auxilium supernaturale datur immediate in ordine ad credendum, non vero in ordine ad diligendum Deum.

XV. Solum in præsenti providentia fides stricta est necessario ad justificationem prærequisita. XVI. Cum sola fide lata, etiam supernaturali, non potest in præsenti providentia dari actus Charitatis supernaturalis, & probabilius nec alii aliarum virtutum actus supernaturales. XVII. Fides stricta sufficit quod virtualiter perseveret; ut possit elici actus dilectionis Dei supernaturalis.

I. EXponitur. Fides stricte, & antonomastice dicta nititur Divino testimonio: Fides vero late dicta analogiam quandam habens cum Fide stricta nititur quodam testimonio metaphorico Creaturarum ostendentium Dei bonitatem, peccati turpitudinem, aut virtutis honestatem; in quo sensu dicitur in Psalmis: *Cœli enarrant gloriam tuam; Dies diei eructat verbum*; & ab Augustino, *Habent miracula linguam suam*. Fidem istam late dictam (quæ potius est scientia, quam Fides) non sufficere ad justificationem, si sit mere naturalis, docent communissime contra Vegam lib. 1. in Triden. cap. 20. & Sotum lib. 2. de Nat. & Grat. cap. 11. qui tamen palinodiam cecinit in 4. dist. 1. qu. 2. ar. 3. non potest enim per modum meriti de congruo ad gratiam supernaturalem disponere nisi actus supernaturalis, ut proinde etiam Fides stricte dicta, si sit naturalis, in omnium sententia ad justificationem non sufficiat. Quod constat ex Trid. sess. 6. can. 3. ubi habet: *Si quis dixerit, sine Spiritu S. adjutorio hominem credere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.*

II. Quærendum itaque solum, an sufficiat ad justificationem Fides late dicta supernaturalis; ita ut si quis credat Deum esse, & Remuneratorem esse, idque affirmet ex cognitione superna, quam habet Dei Remuneratoris, orta ex cognitione Creaturarum ostendentium Deum in alia vita retribuere præmia justis, qui in hac vita cruciantur, (siquidem *invisibilia ipsius a Creatura Mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur*, ut dicitur ad Rom. 1.) hic per hujusmodi actum supernaturalem Fidei latæ dictæ valeat ad justificationem se disponere, non secus ac de facto disponit se ad justificationem per Fidem Dei Unius, & Remuneratoris stricte dictam, nixam testimonio, seu revelationi Divinæ.

III. Tribuunt nonnulli thesim hanc proscriptam doctissimo Ripaldæ, qui multis ostendit possibilem esse Fidem supernaturalem late dictam, quæ ad justifi-

stificationem disponat. Immerito tamen nota hæc inuritur tanto Viro; si quidem disp. 17. de Fide num. 213. & disp. 20. de Ente Supernatur. num. 123. hæc habet: *Puto quidem, si legem, & libitum Dei excludamus, ex natura rei in præsenti etiam ordine Providentiæ potuisse Gentiles ex cognitione supernaturali, quæ non sit ex Fide stricta, Deum super omnia diligere, & justificationem obtinere. Cæterum quia communis Theologorum assensus videtur intelligere testimonium illud Pauli ad Heb.* 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo, & Trid. Sess. 6. cap. 7. Sine fide nulli unquam justificationem contigisse, de necessitate strictæ fidei in re exhibitæ ad consequendam justificationem, dicendum est ex lege voluntaria Dei nunquam dari auxilium saltem efficax ad dilectionem supernaturalem in Deum absque prævia instructione fidei strictæ.* Et infra addit, ea omnia, quæ pro Fide late dicta proposuerat, solum disputandi gratia, non assertive proposuisse: cum non liceat temere refragari communi sensui Theologorum negantium Fidem infusam late acceptam sufficere. Nihilominus Justinianus apud eundem Ripaldam num. 215. notat, non deesse Theologos, qui afferant illud Pauli, *Sine fide impossibile est placere Deo*, intelligendum de Fide saltem lata, seu de cognitione supernaturali infusa a Deo ad excitationem naturæ, quam Gentibus sufficientem ad salutem arbitrantur.

IV. Rationes suadentes hanc thesim videntur esse; Primo, quia D. Th. qu. 13. de Verit. art. 11. ad 1. loquens de nutrito in sylvis, & ductum naturalis rationis sequente, habet: *Certissime tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea, quæ sunt credenda, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret;* Ubi non requirit D. Th. determinate instructionem externam, sed docet sufficere etiam inspirationem internam, qua habeatur cognitio supernaturalis Dei, etiamsi non sit elicita a Fide stricta, ut videre est apud Med. p. 2. q. 89. a. 6. Alvar. de Auxiliis disp. 56. n. 22.

Deinde Gentiles ad Rom. 1. dicuntur de sua injustitia inexcusabiles, quia cum cognoverint Deum per creaturas, illum non sicut Deum glorificaverunt. Similiter Augustinus lib. 10. Confess. cap. 6. habet: *Cælum, & Terra, & omnia, quæ in eis sunt, ecce undique mihi dicunt, ut Te amem; nec cessant dicere omnibus, ut sint inexcusabiles*; ergo ex Apostolo, & Augustino potest Fides lata Gentiles ad dilectionem Dei, & ad justificationem disponere.

V. Demum, quia Cornelius Centurio Act. 10. erat *Vir justus, religiosus, ac timens Deum, faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*, & tamen Fide stricta carebat, ut constat ex eo, quia ab Angelo admonitus fuit, ut vocaret Petrum, qui prædicaret ipsi Fidem Christi, & sic salvus fieret: ergo stare potest justitia, seu justificatio absque Fide stricta.

VI. Confirmatur, quia incredibile est, rusticos Fideles, & alios pios homines, qui ex meditatione creaturarum accenduntur in ardentissimum amorem Dei propositi ut Creatoris, Sapientis, Benefactoris, &c. absque ulla memoria Revelationis, non elicere actum utilem ad salutem: ergo idem dicendum de Infidelibus; atque adeo sine Fide stricta stare potest justificatio.

VII. Ostenditur falsitas ex Lugo disp. 12. & aliis passim. Primo, quia Fides Dei Unius, & Remuneratoris, quæ est necessaria necessitate medii, & sine qua impossibile est placere Deo, ab Apostolo ad Hebr. 11. dicitur esse *Sperandarum substantia rerum, Argumentum non apparentium*, præsertim visionis beatæ, ut constat ex contextu: Fides autem lata orta ex cognitione creaturarum non potest assurgere ad attingendam beatitudinem supernaturalem, ad quam sperandam Fides debet disponere: Ergo Fides lata non sufficit ad Spem prærequisitam ad Charitatem, atque adeo nec ad justificationem.

VIII. Secundo, quia ex Trid. Fides disponens per modum meriti ad Spem, ad Charitatem, & ad Justificationem est solum Fides stricta nixa Deo revelanti. Hæc sunt verba Concilii sess. 6. cap. 6. *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati Divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, libere moventur in Deum, credentes vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt.* Præterea sess. 6. cap. 7. dicit, Baptismum esse *Sacramentum fidei, sine qua nulli unquam contigit justificatio*; cum autem Fides protestata in Baptismo sit solum Fides stricta, de hac intelligendum, quod necessario ad justificationem prærequiratur.

IX. Tertio a priori, quia quamvis in alia Providentia potuerit Deus velle justificationem impertiri absque prævio actu Fidei disponentis ad illam per modum meriti de congruo, de facto tamen in præsenti Providentia non solum decrevit, quod Fides justificationem præcedat, testante Apostolo, *Sine Fide impossibile est placere Deo*, sed etiam decrevit, quod Fides per modum meriti de congruo præcederet: (voluit enim, Fidem esse initium salutis, fundamentum, & radicem omnis justificationis, ut habetur in eodem Trid. cap. 8. & nisi Fides haberet rationem meriti congrui, sequeretur, quod non ipsa, sed auxilium supernaturale prævium ad Fidem deberet dici salutis initium) atqui sola Fides stricte dicta, utpote obscura, potest esse libera, & habere rationem meriti congrui, non vero Fides lata, quæ cum sit evidens, non est libera: ergo in præsenti Providentia sola Fides stricta est necessaria necessitate medii ad salutem; atque adeo Fides lata non sufficit ad justificationem, esto in alia Providentia posset sufficere.

X. Ad primam rationem in contrarium Revelatio illa, de qua loquitur D. Th. facta a Deo per internam inspirationem, non pareret Fidem latam, sed strictam, ut notat Lugo dis. 12. n. 61. ex Soto, & Con. Sicut enim Angeli juxta communiorem per Fidem strictam se disposuerunt ad gratiam in primo instanti suæ creationis, nec aliam habuerunt revelationem, nisi immediata a Deo; ita nutritus in sylvis potest etiam a Deo immediate habere revelationem mysteriorum, quæ fide stricta tenetur credere.

XI. Ad secundam, Apostolus dicit, Gentiles esse inexcusabiles, non per hoc, quod caruerint justitia, sed per hoc, quod contraxerint injustitiam, seu per hoc, quod peccaverint; & sic reddiderint se positive indignos illustratione supernaturali, & indirecte magis indispositos ad credendum, & ad justitiam assequendam; ut fuse ostendit Lumbier de Fide n. 826. Augustinus etiam ibi docet, Gentiles esse inexcusabiles in hoc, quod non dilexerint Deum amore naturali, quo redderentur minus indigni illustratione superna, & indirecte fierent magis dispositi ad assentiendum gratiæ, & ad justificationem consequendam. Dixi, Gentiles per actus honestos naturales fieri magis dispositos indirecte ad ponendos actus supernaturales, quia actus naturales non possunt directe,

recte, & positive disponere ad gratiam, utpote quæ est in altiori ordine: potest tamen habitus acquisitus ex frequentatis actibus honestis naturalibus facilitare potentiam ad consimiles actus supernaturales, quoties datur comprincipium supernaturale; & in hoc sensu actus naturales indirecte reddunt hominem magis dispositum ad justificationem assequendam.

XII. Ad ultimam dupliciter respondet Lugo num. 99. Primo, negando, Cornelium fuisse justum justitia supernaturali, antequam a D. Petro instrueretur ad credendum, sed solum erat justus justitia morali, quatenus legi naturali obtemperabat. Secundo, quod Cornelius habebat Fidem strictam de Deo Uno, & Remuneratore, eratque Justus justitia supernaturali; nihilominus, quia carebat Fide explicita Incarnationis, ideo indiguit D. Petro, a quo instrueretur de hoc mysterio: facile enim erat, quod de tanto mysterio haberet ignorantiam vincibilem, & damnaretur, nisi instructus fuisset a Divo Petro.

XIII. Ad confirmationem. Rustici fideles, qui ex consideratione naturæ accenduntur ad amorem Dei, præbuerunt Fidem strictam de Deo Uno, & Remuneratore, & illa Fides virtualiter perseverans satis est ad actum dilectionis supernaturalem ponendum cum auxilio gratiæ; & ad justificationem, ac salutem obtinendam: At Infideles, qui Fide stricta semper caruerunt, carent auxilio supernaturali ad diligendum Deum amore supernaturali; cum primum auxilium supernaturale detur in præsenti Providentia ad credendum Fide stricta, quæ sunt necessaria necessitate medii; & ideo non possunt citra Fidem strictam præviam justificari.

XIV. Dices, Ante Fidem strictam supernaturalem potest Infidelis cum comprincipio supernaturali elicere actum, qui dicitur Pia affectio ad Fidem, nempe actum, quo velit credere: ergo etiam poterit elicere actum dilectionis supernaturalem, & justificari.

Confirmatur, quia ex Lugo disp. 12. num. 24. possunt Infideles cum auxilio supernaturali ponere orationem supernaturalem, qua obtineant illustrationem, ut credant Fide stricta; ergo ut prius.

Negatur consequentia. Ratio est, quia hæc ipsa Pia affectio, seu voluntas credendi essentialiter spectat ad Fidem strictam, inquantum liberam, atque adeo inquantum habet rationem meriti de congruo, & est humanæ salutis initium; unde nullus actus honestus supernaturalis elici potest in præsenti Providentia in priori ad Fidem libere imperatam.

Ad confirmationem, putat Lugo, quod oratio ista supernaturalis spectet etiam ad Fidem, non secus ac voluntas credendi; & idcirco admittit posse ab Infideli poni orationem supernaturalem, qua de congruo mereatur illustrationem ad credendum, quin proinde possit actum dilectionis Dei, aut alium actum supernaturalem ponere ante actum Fidei strictæ: Censeo tamen cum communiori, orationem Infidelium ante Fidem strictam non esse supernaturalem, sed naturalem, quæ solum disponit indirecte ad actum Fidei supernaturalis, & ad justificationem, prout diximus de observantia legis naturalis.

XV. Ex dictis sequitur primo, Fidem strictam necessariam necessitate medii in re ipsa esse essentialiter prærequisitam ad justificationem, non quidem ex natura rei, sed solum in præsenti providentia; non secus ac Baptismus in re, aut in voto est essentialiter requisitus ad justificationem, non ex natura rei, sed solum juxta ordinem præsentis Providentiæ.

XVI. Sequitur secundo, cum sola Fide late dicta supernaturali prævia non posse elici in præsenti Providentia actum supernaturalem dilectionis Dei super omnia; cum enim huic actui annectatur justificatio, juxta illud 1. Jo. 4. *Qui diligit, ex Deo natus est*, inde fieret, quod Fides lata sufficeret ad justificationem. Utrum autem cum sola Fide lata prævia possint elici alii actus honesti supernaturales? si id admittatur, non est in hac thesi proscriptum: Sed verius negandum, quia sicut Fides stricta de facto per modum meriti congrui disponit ad justificationem, ita deberent illi etiam actus supernaturales ad justificationem disponere; unde non esset verum, quod sola Fides stricta sit humanæ salutis initium.

XVII. Sequitur tertio, ad quemlibet actum supernaturalem debere præire Fidem strictam in præsenti Providentia; non quasi vero simul cum aliis actibus supernaturalibus debeat semper credi Deus Unus, & Remunerator, sed quia debet hæc Fides prævia virtualiter perseverare, ut possint elici alii actus supernaturales; Sicut in expositione propositionis antecedentis diximus, ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ obtinendam sufficere, quod virtualiter perseverent actus Fidei strictæ, & Spei supernaturalis.

PROPOSITIO XXIV.

Vocare Deum in testem mendacii levis non est tanta irreverentia, propter quam velit, aut possit damnare hominem.

SYNOPSIS.

I. Per injuriam Scoto, & Baunio imputatur hæc thesis non agnoscens gravem culpam in perjurio de re levi.

II. Ea nititur, tum in hoc quod falsitas, seu difformitas propositionis cum objecto, ad perjurium requisita, non consistat in indivisibili, unde possit esse levissima.

III. Tum etiam in eo quod jurans se prolaturum crastina mendacium leve, nonnisi leviter peccet, quamvis adducatur Deus in testem mendacii futuri.

IV. Tum denique quia, cum detur materiæ parvitas in juramento Promissorio, quidni etiam in Assertorio?

V. Verum perjurii gravitas desumenda ab irreverentia, quæ irrogatur Primæ Veritati, adducendo illam in testem falsi.

VI. Hujusmodi irreverentia, etiam in re levissima, est peccatum gravius homicidio.

VII. Assignatur Regula *generalis ad dignoscendum, quando materiæ parvitas non excusat a mortali.*

VIII. Sicut in Simonia, ita in Perjurio, peccatum est gravius, si sit in materia levi, quam in gravi.

IX. Malitia perjurii non mensuratur a falsitate asserta, sed ab irreverentia erga Deum.

X. Juramentum de cras mentiendo non adducit Deum in testem falsi, sed in testem veri propositi de ponenda cras culpa veniali, & ideo non censetur irreve-

reverentia gravis. XI. Tres requirit comites Juramentum, vid. Veritatem, Judicium, & Justitiam. Si desit Veritas, semper culpa est gravis.

XII. Gravius peccat, qui jurat se cras mentiturum non habens animum mentiendi, quam si velit crastina mentiri.

XIII. Sicut in Voto, ita a fortiori in Juramento promissorio, datur materiæ parvitas.

XIV. Violatio juramenti promissorii non reddit falsum id, ad quod testandum Prima Veritas invocata fuit.

XV. Peccat graviter Petrus inducendo Paulum ad jurandum de re, quam hic putat esse veram, ille vero scit esse falsam.

XVI. Non secus ac peccat graviter, quis v. g. inducit ebrium ad fornicandum.

I. EXponitur. Goffredus apud Angelum *V. Perjurium* docuit, Perjurium jocosum non esse peccatum lethale. Nonnemo ausus est in patrocinium hujus erroris adducere etiam Scotum in 3. dist. 39. q. 1.: illum tamen ab ea calumnia vindicat Suar. t. 2. de Relig. tr. 5. l. 3. c. 4. dicens, Scotum non esse locutum de perjurio levi ex parvitate materiæ, sed de levitate loquendi ex semiplena, & imperfecta deliberatione, dum dixit loco laudato, Unicum perjurium leve non esse peccatum mortale, esse vero peccatum mortale consuetudinem sic jurandi: quatenus consuetus sic jurare non caret sufficienti illa deliberatione, qua sæpe caret, qui semel tempore imperceptibili in perjurium erumpit. Tribuitur etiam hic error Baunio ab Auctore famosi illius libelli, qui inscribitur, *Theologia moralis Jesuitarum*: Sed immerito, quia Baunius solum in juramento promissorio parvitatem materiæ admittit.

II. Fundamentum hujus thesis videtur esse. Primo, quia perjurii malitia desumitur a falsitate propositionis, ad quam comprobandam Deus in testem adducitur: hæc autem falsitas potest esse major, vel minor; non enim consistit in indivisibili; magis enim difformis objecto, seu falsa est propositio, qua quis dicit se habere v. g. centum oculos, quam si dicat habere tres tantum: ergo cum possit falsitas esse levissima, videtur posse perjurium ratione levitatis materiæ a mortali excusari.

III. Secundo; Qui jurat se mendacium leve dicturum, juxta communem sententiam contra Turrianum p. 1. cap. 168. dub. 6., & Catherinum apud Suar. l. c. cap. 19. committit solum culpam venialem, & tamen Deus adducitur in testem mendacii futuri: ergo si adducatur in testem mendacii præsentis, dummodo levis, erit pariter veniale.

IV. Denique, quia in juramento promissorio datur parvitas materiæ, ita ut aliquando sit tantum veniale illius transgressio, ut docent communius cum D. Antonino, Soto, Suar., Sanch., Con. contra Less., Valen., Med. apud Dia. p. 4. tr. 4. res. 60.: ergo etiam in juramento assertorio: in utroque enim casu adducitur Deus in testem falsi, cum hoc solum discrimine, quod in promissorio falsitas sit in opere, quatenus facta non concordant dictis præteritis, seu promissioni factæ; in assertorio vero falsitas sit in ore, seu in verbis, quatenus verba non concordant menti.

V. Ostenditur falsitas: quia licet mendacium sive jocosum, sive officiosum, sive perniciosum desumat suam gravitatem, aut levitatem a damno gravi, aut levi, quod alteri, aut commercio humano irrogat, ut proinde, si damnum leve irroget, culpam venialem non excedat; malitia tamen perjurii suam gravitatem desumit ex eo, quod Deus Prima Veritas adducatur in testem falsi; ad quod parum refert, quod falsitas illa sit gravis, aut levis, perniciosa, vel tantum jocosa. Gravissima autem Deo irreverentia irrogatur, quod adducatur in testem falsi; cum tacite protestetur, Deum posse aut fallere, aut falli, qui vult Deum posse testari falsum; unde quantum est ex se, privat Deum sua infallibili Veritate: ergo nunquam perjurium assertorium poterit a mortali excusari.

VI. Immo, ut docent communius ex Angelico contra nonnullos apud Suar. cap. 3., gravius est peccatum perjurii, etiam in materia levissima, quam ipsum homicidium, & quodcumque aliud peccatum contra proximum; illud quippe immediate Deum lædit, & est contra præceptum primæ tabulæ; ergo sicut odium Dei, Infidelitas, Desperatio, idololatria, Blasphemia, & similia, parvitatem materiæ excusantem a mortali omnino excludunt, quippe quæ immediate Deum ipsum lædunt, suis illum Attributis privando, quantum est ex parte peccantis; ita pariter Perjurium.

VII. Regula autem generalis ea est: Quotiescumque malitia specifica peccati, quantaquanta est, reperitur in aliquo actu peccaminoso, sive materia sit gravis, sive levis, tunc peccatum illud parvitatem materiæ excludit. Sic quia malitia peccati Infidelitatis ex. gr. quantaquanta est, reperitur in actu positivo opposito Fidei, sive non credatur Deo mysterium Incarnationis revelatum, sive quod canis Tobiæ *blandimento suæ caudæ gauderet*, ut dicitur Tob. 11. (quandoquidem in utroque casu negatur Deo infallibilitas in loquendo) ideo Infidelitas non patitur parvitatem materiæ. Hoc pariter accidit in Perjurio, eo quod pariter tollatur a Deo infallibilitas in testando, sive materia perjurii sit gravis, sive levis: ergo nec perjurium ob materiæ parvitatem a mortali excusatur.

VIII. Immo, ut advertit Angelicus 2. 2. qu. 97. a. 3. ad 2. major est irreverentia, & gravius peccatum si perjurium sit in re levi, quam si in gravi. Sicut enim gravius est peccatum Simoniæ, & major contemptus rei Sacræ, si hæc vendatur ob pretium tenuissimum, quam si ob ingentem thesaurum; ita major est irreverentia, quæ Deo & Divinæ Veracitati irrogatur, si ad tenuissimam, quam si ad ingentem falsitatem confirmandam adducatur in testem; unde ex parvitate materiæ contemptus Divinæ Veracitatis crescit potius, quam decrescat in juramento assertorio.

IX. Ad primam rationem in contrarium: Argumentum probat, perjurium neque in materia gravi esse grave peccatum; quia ejus falsitas etiam in materia gravi est levis, dummodo mendacium non sit perniciosum. Quare dicendum, malitiam perjurii non haberi præcise ratione falsitatis assertæ, ita ut illam solum habeat malitiam, quam habet mendacium præsuppositum, sed oriri ex irreverentia, quæ Deo irrogatur adducendo illum in testem falsi; cum autem ista irreverentia ex parvitate falsitatis præassertæ non decrescat, sed potius augeatur, ut diximus, idcirco perjurium etiam in materia levi est peccatum mortale.

X. Ad secundam, concesso antecedente, negatur consequentia. Ut disparitas fiat perspicua, advertendum eamdem esse malitiam in juramento de

leviter mentiendo craftina, ac de ponendo craftina aliud peccatum leve, puta de leviter vindicanda aliqua injuria, Certe illicitum eft, & contra reverentiam debitam Divinæ Veracitati, invocare illam ad teftandum propofitum præfens de ponendo cras aliquo peccato, puta mendacii, aut vindictæ; hæc tamen irreverentia non cenfetur effe gravis, fi vere adfit propofitum iftud, dummodo propofitum non fit de patranda culpa mortali, fed folum veniali: Et ratio eft, quia revera non adducitur Deus ad teftandum falfum, quod graviter derogat fuæ fummæ Veracitati; fed folum invocatur ad teftandum verum, nempe ad teftandum, quod detur propofitum de patranda culpa veniali. Unde ficut non cenfetur gravis irreverentia erga Deum, fi non obfervetur votum in materia levi; ita non cenfetur gravis irreverentia erga Deum, fi invocetur ad teftandum propofitum verum de proferendo cras mendacio, aut de alio veniali ponendo, ut docent communiter cum Cajet. 2. 2. qu. 39. art. 7. Suar. l. c. c. 19., Sanch. l. 3. c. 4., Palao d. 1. de Juram. punct. 6., Laym., Azor. Contra vero communiffime Patres, & Theologi cenfent irreverentiam effe gravem, fi Deus adducatur per juramentum ad teftandum falfum, quamvis in materia leviffima.

XI. Et ratio ulterior eft, quia juramentum tres debet habere comites, ut fit licitum, & religiofum, Veritatem, Judicium, & Juftitiam, ut habetur Jerem. 4. *Jurabis, vivit Dominus, in Veritate, in Judicio, & in Juftitia*; Si defit Veritas, femper culpa eft gravis, ut oftendimus: Si defit Judicium, feu neceffitas, culpa ut plurimum eft venialis; ut cum quis ex levitate, aut confuetudine jurat; & folum peccari poteft graviter, fi gravis negligentia committatur in inveftigatione veritatis, aut in ea confuetudine tollenda, quæ certe periculo pejerandi fubeft: Si tamen defit Juftitia comes, (ut accidit, quando quis jurat fe facturum aliquod inhoneftum, aut contra Divina Confilia) tunc cenfetur grave peccatum, & gravis irreverentia erga Deum, fi abutatur Divina auctoritate ad confirmandum fe magis in voluntate ponendi peccatum grave, & ad reddendos alios de hoc fecuriores; ut fi quis juret fe interfecturum hominem: cenfetur vero irreverentia levis, fi eadem auctoritate abutatur relate ad culpam levem.

XII. Hinc fit, quod fi quis juret fe cras mentiturum, peccet leviter invocando Deum in teftem mendacii futuri, eo quod defit Juftitia comes in materia levi; Contra vero peccet graviter, qui Deum invocat ad teftandum mendacium præfens, eo quod huic juramento defit Veritas comes. Propterea gravius peccat, qui jurat fe mentiturum, non habens animum mentiendi, quam fi hujufmodi animum habeat: Si enim eo animo careat, deeft juramento Veritas comes, atque adeo culpa eft gravis: Si vero habeat animum mentiendi, deeft Juftitia comes in re levi, & ideo culpa eft folum venialis. Jurans tamen fe patraturum rem malam non tenetur illam ponere; cum Juramentum non fit vinculum iniquitatis: Immo neque obligat juramentum de non ponenda re Deo grata juxta confilia, puta de non ingrediendo Religionem, ficut ne obligat votum, quod non eft de meliori bono.

XIII. Ad tertiam: Certum eft, quod ex juramento promiffòrio oriatur gravis obligatio implendi quod juratur ponendum, idque præcife ex vi juramenti, independente ab obligatione, quæ oritur ex fidelitate ratione promiffionis. Propterea David Pfalm. 14. ad obfervantiam Præceptorum id fpectare oftendit, dicens, *Qui jurat proximo fuo, & non decipit*. Quamvis autem Leff. l. 2. c. 42. dub. 5. Valent., Armill. putent hac in re non dari parvitatem materiæ, quia fi non ponatur res cum juramento promiffa, redditur falfum, quod Deus teftatus eft, quod graviter diffonat Primæ Veritati: Communiter tamen cenfent oppofitum apud Dian. l. c., quia in juramento promiffòrio, fi non præftetur deinde id, quod promittitur, non peccatur contra Veracitatem, fed contra Fidelitatem: neque enim in eo juramento adductus fuit Deus in teftem falfi, fed folum ob reverentiam Numinis invocati ponendum eft id, quod fuit promiffum; non fecus ac ponendum eft, quod per votum Deo promifimus; atqui in voto datur materiæ parvitas excufans a mortali: ergo a fortiori in juramento promiffòrio, quandoquidem ex Angelico 2. 2. qu. 89. art. 8. major eft obligatio Voti, quam Juramenti; quia obligatio voti caufatur ex fidelitate, quam Deo debemus; obligatio vero juramenti ex reverentia Deo debita; cum autem infidelitas erga Deum irreverentiam etiam contineat, & non e converfo, idcirco Votum ex ratione fua eft magis obligatorium, quam Juramentum; unde fi culpa folum venialis eft violare votum in materia levi, a fortiori erit veniale in materia levi omittere, quod vi juramenti promiffòrii ponendum effet.

XIV. Neque eft verum, quod reddatur falfum id, quod Deus teftatus eft; quia Deus non fuit invocatus ad teftandam rem futuram, fed folum ad teftandum propofitum præfens de ponenda re futura; quia tamen Deus invocatus eft tamquam Promotor, & Sponfor illius propofiti, & in pignus fecuritatis alienæ, & ad firmitatem majorem noftræ voluntatis, idcirco folum ob reverentiam Numinis invocati propofitum deberet remanere firmum, & conftans, non fecus ac in voto ob fidelitatem Deo debitam; atque adeo in utroque cafu datur materiæ parvitas excufans a mortali.

XV. Dubitatur, An Petrus peccet, perinde ac fi juratus falfum teftaretur, fi Paulum inducat ad jurandum de aliqua re, quam Paulus ex ignorantia putat veram, Petrus tamen fcit effe falfam? Communiter affirmant cum Suar., Pontio, Azor. apud Dian. p. 5. tract. 7. refol. 14., quia fufficit, quod actus fit materialiter malus, ut ejus malitia imputetur ei, qui ad talem actum inducit alium aut laborantem ignorantia, aut libertatis expertem: puta fi quis induceret Infantem ad conculcandas Sacras Imagines, Ebrium ad blafphemandum, vel fornicandum. Hurt. tamen, Quint., Tancred., Dian. l. c., Dicaft. de Juram. difp. 2. num. 389., & alii negant, putantes juramentum in cafu noftro non effe materialiter malum, cum nulla falfitas fit in tali juramento, unde videtur non habe-ri irreverentia Numinis in teftem invocati. Verum quidem eft, quod dictum jurantis non fit conforme objecto; quia tamen eft conforme menti jurantis, & ad hoc teftandum Deus invocatur, eo ipfo non habetur in juramento falfitas.

XVI. Non eft tamen a communi fententia recedendum, quia per hoc quod dictum jurantis fit difforme objecto, eft fimpliciter falfum, quamvis fit conforme menti, ut proinde jurans falfum dicat, quamvis non mentiatur. Cum autem juramentum immediate adhibeatur ad teftandam conformitatem ver-

verborum cum mente, & mediate ad confirmandam conformitatem verborum cum objecto, idcirco in casu adducto videtur jurans induci ad actum materialiter malum; atque adeo ad id inducens peccare. Ideo enim fornicatio ebrii dicitur mala materialiter, quia talis actio in habente libertatem esset formaliter mala, & peccaminosa. Sic est mala materialiter actio laboriosa die festo facta ab eo, qui ignorat diem esse festum, quia si id sciret, actio esset formaliter peccaminosa: atqui Paulus, si sciret esse falsum, quod jurat, peccaret formaliter jurando: ergo dum jurat id ignorando peccat materialiter: ad peccatum autem materiale non licet quemquam inducere; ergo non licet quemquam inducere ad testandum cum juramento id, quod ille putat verum, si Petrus sciat id esse falsum.

PROPOSITIO XXV.

Cum causa licitum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

SYNOPSIS.

I. Hæc thesis permittens juramentum sine animo jurandi, sive detur ad id causa levis, sive gravis, in eo videtur niti, quod licitum sit Confessario jurare sine animo jurandi ad custodiendum Sacramentale sigillum: Et quia universim, quando datur sufficiens causa æquivocandi, juramentum superadditum non videtur requirere animum jurandi.

II. Nihilominus qui jurat sine animo jurandi, saltem a mendacio excusari non potest; non secus ac qui promittit sine animo promittendi. Immo mendacium in re nostra esset irreligiosum, & sacrilegum.

III. Rueret finis juramenti, si liceret jurare sine animo jurandi.

IV. Qui sic jurat falsum, quamvis in rigore non pejeret, adhuc graviter peccat.

V. Sicut qui blasphemat sine animo blasphemandi.

VI. Idque verum est, etiamsi juramentum sit in re levi.

VII. Qui tamen sine animo jurandi jurat verum, nonnisi venialiter peccat, dummodo id non fiat in contractu, aut in judicio.

VIII. Hujusmodi enim juramentum non est graviter deceptivum, nec est illusivum Dei.

IX. Hinc jurans sine animo jurandi semper peccat, quamvis non semper peccet graviter.

X. Confessarius quando ad custodiendum sigillum Sacramentale jurat se non audivisse peccatum pœnitentis, quod re vera audivit, si loquitur formaliter per usum duplicis scientiæ, aut aliter æquivocando, tenetur habere animum jurandi juxta verum sensum verborum: Si vero loquatur materialiter, tunc non jurat.

XI. Universim quicumque amphibologice loquendo jurat, tenetur habere animum jurandi juxta verum verborum sensum, ne mentiatur.

XII. Longe differunt locutio materialis, & juramentum materiale: Etiamsi licita esset aliquando locutio materialis, nunquam tamen licet juramentum materiale; sicut nec blasphemia materialis, hoc est sine animo jurandi, aut blasphemandi.

XIII. Non solum est illicitum juramentum promissorium sine animo jurandi, sed etiam sine animo se obligandi, necnon sine animo implendi, quod promittitur. XIV. Quid de verbis, quæ juratoria non sunt, speciem tamen juramenti præseferunt, v. g. In mea conscientia, Coram Deo loquor, Per fidem Sacerdotis, &c.?

I. EXponitur. Adscribitur hæc sententia Tamb., qui l. 3. c. 3. §. 2. habet: *Certum est jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis, vel jurare verbis æquivocis, non esse licitum sine causa; licitum esse cum causa, juxta ea, quæ diximus cap. 2. §. 2.*; (*a*) quia tamen locus hic, ad quem Lectorem remittit, desideratur, (*b*) idcirco ignotum est, in quo sensu dixerit id esse licitum. (*c*) Si enim solum contenderit Confessarium, ne revelet sigillum Sacramentale, posse, urgente Tyranno, cum juramento negare peccatum Pœnitentis, aut utendo verbis æquivocis, & sic jurando cum animo jurandi, aut loquendo materialiter, atque adeo proferendo verba juratoria non ut significativa, & idcirco sine animo jurandi, non est notandus ut Auctor hujusmodi thesis profligatæ, quippe quæ solum vult licitum esse ex causa aliqua sive levi, sive gravi, loqui formaliter, & jurare absque animo jurandi.

„ (*a*) *Et* 3. Sic Tamburinus.
„ (*b*) Miratur Concina, quei id scripserit Viva, „ quum §. 2. reperiatur. At mirari desinet, ubi „ sciverit, Tamburinum ipsum scripsisse: *nota, verba hæc* (juxta ea, quæ diximus c. 2. §. 2. & 3. „ quæ sunt recolenda) *per errorem sive Scriptoris, sive Typographi, sive alterius huc irrepsisse; hos enim* §. 2. & 3. *dicti* cap. 2. hujus lib. 3., in „ quo secundo cap. *agit Auctor de juramento assertorio, hos inquam* §§. *nunquam invenies*. Quæris „ ubinam hæc scripserit Tamburinus? Cap. XXI. „ apologetici opusculi, quod pro sua *germana doctrina* edidit adscito Lucii San Marco nomine.
(*c*) Maluissem, fassum fuisse Vivam, damnatam „ thesim in Tamburino quo sensu damnata fuit, „ exstare. Melius hic sensus ex citati apologetici „ opusculi cap. XXI. elucescit, quamvis ibi Tamburinus confundat jurare cum caussa amphibologice, & jurare sine animo jurandi, quæ duo di- „ versa sunt. Vide infra num. XI.

Fundamentum hujus erroris videtur esse. Primo, quia saltem Confessarius in casu adducto ad custodiendum sigillum potest jurare, quod pœnitens non subjecerit clavibus v. g. homicidium, quin debeat habere animum jurandi, sive loquatur amphibologice, sive utatur duplici scientia, videl. communicabili, & incommunicabili, sive utatur restrictione non pure mentali, sive loquatur materialiter, juxta quatuor vias, de quibus dicemus in expositione propositionis sequentis: ergo aliquando licitum est, saltem ex causa gravissima, jurare sine animo jurandi.

Secundo: negari non potest, quod cum causa licitum sit uti verbis amphibologicis; in eo autem casu non videtur quare jurans debeat habere animum jurandi; nam in sensu falso, quo accipiuntur verba ab audiente, non potest jurare, quia pejeraret; in sensu autem vero, quo usurpantur verba a loquente, frustra adhibetur intentio jurandi, posito quod audiens accipiat verba in sensu diverso: ergo cum causa licitum est jurare sine animo jurandi.

Tertio: Si quis per injuriam coactus ad jurandum proferat hæc verba, Ego dico cum juramento, non

tenetur habere animum jurandi, cum possit ad injuriam propulsandam æquivocare, & proferre materialiter verba illa: *cum Juramento*: Quod si jocose aliquando utatur hoc æquivoco, nec debet habere animum jurandi: ergo cum causa licitum videtur jurare sine animo jurandi.

II. Ostenditur falsitas: quia jurans sine animo jurandi, sive juret verum, sive pejeret, sive in re gravi, sive in re levi, sive videatur habere causam, sive non, nunquam excusari potest ut minimum a mendacio; mentitur enim, qui dicit, Promitto, Dono, carens animo promittendi, donandi, &c., sed mendacium nunquam est licitum, quantacumque detur causa; cum Innoc. III. Cap. *Super eo* de Usuris dicat, *ne pro vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri*; quod etiam dictum fuisse Simoni Mago a D. Petro refert S. Clemens l. 3. Recognitionum: ergo nunquam licet jurare sine animo jurandi.

Adde, mendacium hoc esse etiam sacrilegum; quandoquidem contra virtutem Religionis est in vanum usurpare Nomen Domini: qui autem jurat sine animo jurandi, in vanum usurpat Dei nomen, ut patet.

III. Confirmatur: Si liceret aliquando jurare sine animo jurandi, rueret finis juramenti, qui est finiendi controversias, & confirmandi veritatem, quod in magnum Reipublicæ damnum vergeret. Quare sicut nunquam caret culpa mendacium, quacumque data causa, quia si aliquando liceret, rueret finis locutionis, qui est arcana mentis communicare, quod cederet in magnum Reip. detrimentum; ita nunquam licet jurare sine animo jurandi, quacumque interveniente causa; quia si aliquando liceret, rueret finis juramenti cum magno Reip. incommodo.

IV. Quod si quis juret falsum sine animo jurandi, citra controversiam peccat graviter. Ratio ex Suar. l. 3. de Juram. cap. 17. est, quia invocatione externa adducitur Dei Nomen ad falsum confirmandum, quod sine gravi irreverentia, & magno abusu Divini Nominis contingere non potest: nam cum homines non intueantur cor, sed solum signa externa, hinc apud audientes perinde est ficte jurare falsum; ac Deum ad testandum falsum adducere, atque adeo neutrum vacat lethali culpa.

V. Confirmatur, quia qui thus adoleret Idolo sine animo adolendi, & qui proferret verba blasphemiæ absque animo blasphemandi, sed ex metu, aut ex vana ostentatione, magnam irrogaret Deo injuriam, quæ non excusaretur a mortali: ergo idem dicendum, si Deus adducatur exterius ad falsum testificandum sine animo jurandi.

Neque obstat, quod vacet mortali culpa maledicere, & imprecari alicui malum, absque intentione imprecandi. Nam in imprecatione invocatur Dei Nomen, non ad testificandum, sed ad causandum alteri malum; quod si solum verbotenus, & non ex animo invocetur, non intervenit gravis Dei injuria, vel proximi; Secus vero si ad testificandum falsum exterius invocetur absque animo invocandi, ut ostendimus. Et quamvis in tali Juramento non haberetur perjurium proprie dictum, sed tantum apparens; hæc tamen ipsa perjurii fictio est gravis Dei injuria, & societati humanæ valde perniciosa, atque adeo graviter peccaminosa ex genere suo.

VI. Utrum autem etiam sit gravis culpa jurare falsum sine animo jurandi in materia levi; ita ut nulla detur in hoc materiæ parvitas, non secus ac in perjurio? Suar. loc. cit. dicit non invenire id ab aliis disputatum; Videri posset, quod sicut est venialis irreverentia non observare in re levi verum Juramentum promissorium, aut non implere votum, quia non est adductus in his casibus Deus in testem falsi; ita sit irreverentia venialis jurare falsum in re levi sine animo jurandi; eo quod nec Deus adductus sit in testem falsi. Quia tamen reverentia debita Numini invocato in juramento promissorio ad testandum propositum præsens de ponenda re futura exigit, quod res futura ponatur, cum Deus invocatus sit tanquam Sponsor, & Promotor talis propositi; ideo peccat graviter, qui in materia gravi hujusmodi propositum non implet, & solum leviter in materia levi, non secus ac qui in materia levi Votum non implet: & pariformiter, quia reverentia debita Numini verbis invocato ad testandum quod asseritur, exigit quod non invocetur in vanum, & sine animo invocandi, idcirco si apparenter invocetur ad testandum falsum in materia gravi, procul dubio peccatum est grave; at si apparenter invocetur ad testandum falsum in re levi, videri posset irreverentia solum venialis.

Verum Verricelli id fuse discutiens p. 1. Qu. moral. tract. 1. quæst. 12. concludit: *Non audeo asserere probabilem, neque tutam in conscientia eam sententiam, quæ affirmaret non esse peccatum mortale in materia levi, ut in mendacio jocoso, aut officioso, jurare exterius sine animo interno jurandi*: additque nullum Auctorem reperiri, qui oppositum docuerit. Et ratio videtur esse, quia sicut in Idololatria, & in Blasphemia, aut in Infidelitate non datur parvitas materiæ, quæ a mortali excuset, etiamsi desit animus internus litandi Idolo, blasphemandi, non credendi; ita nec in perjurio, etiamsi desit animus internus jurandi; Et quamvis gravius peccet, qui pejerat cum animo jurandi, (sicut qui Idolo litat, blasphemat, discredit cum interno animo.) quam qui solum exterius ea peccata committit, nunquam tamen a gravi culpa excusatur, per hoc quod desit animus jurandi, blasphemandi, &c.

VII. Difficultas tamen est, An graviter etiam semper peccet, qui jurat sine animo jurandi, dum verum jurat? Affirmat Cajet. 2. 2. qu. 89. art. 7.; idque verum putat, etiamsi materia sit levis, & juramentum per injuriam exigatur: quam sententiam Suar. c. 17. n. 6. censet probabilem, quamvis nimis rigorosam. Et ratio videtur esse, tum quia etiam in hoc casu invocatio externa Divini Numinis est quædam ejus illusio, contraria primario fini juramenti; tum pariter quia id non fit absque mendacio; (cum revera non juret, qui dicit se jurare) quod videtur Reipublicæ esse valde perniciosum. Communius tamen cum eodem Suar., Sanch. l. 3. c. 6., Less., Palao docent, id esse duntaxat veniale, dummodo non fiat in contractu, aut in judicio legitimo. Ratio hujus doctrinæ est, quia hujusmodi mendacium (quod procul dubio profert, qui dicit se jurare, non habens animum jurandi) neque Deo, neque homini est injuriosum: Non Deo, cum invocetur exterius ad confirmandum duntaxat verum; & quamvis aliqua irreverentia sit illum invocare sine animo invocandi, atque adeo in vanum, ea tamen non est gravis irreverentia; sicut non est gravis irreverentia jurare verum sine necessitate, hoc est sine judicio comite, aut juramento firmare propositum de patran-

patrando aliquo veniali, ut diximus in expositione propositionis antecedentis: Neque est injuriosum homini, quia supponimus hoc fieri extra contractum, & extra judicium legitimum, ac extra quemcumque casum, in quo homo damnum aliquod patiatur ex hoc ficto juramento. Hinc Sanchez a mortali excusat scrupulosum, qui vere aliquid asserens, aut promittens cum juramento, scrupulis agitatus, ac timens ex levissimo motivo, ne pejeret, non habet animum jurandi.

VIII. Neque dicas primo, hujusmodi juramentum fictum esse deceptivum hominum; Nam si proximus decipiatur absque alia damnificatione, culpa est solum venialis.

Neque dicas secundo, quod jurans verum sine animo jurandi illuderet Divino testimonio; externe enim invocaretur Deus ad testandum, & actu interno ejus testimonium respueretur. Nam sicut non dicitur illudere Deo, qui fingit exterius orationem, aut invocationem Divinam, nolens tunc orare, aut qui fingit audire Sacrum, & colere Deum, nolens audire hic & nunc Sacrum, ad quod non tenetur, unde non peccat nisi venialiter in hac simulatione, ut docet Angelicus 2. 2. quæst. 3. art. 4. ita nec dicitur illudere Deo jurans verum sine animo jurandi, nec peccat secundum se, nisi venialiter, nolens interius Divinum testimonium advocare, quando aliunde ad id non tenetur. Illuderet vero, si in contractibus, aut in judicio juramentum fieret sine animo jurandi, quia ad jurandum teneretur; non secus ac Deo illuderet, qui simularet audire Sacrum, quando ad audiendum teneretur: Qui vero falsum jurat sine animo jurandi, non illudit solum Divinum testimonium, sed graviter etiam contemnit, sicut verum Deum contemnit etiam graviter, qui exterius tantum adolet Idolo thus: Contemnit vero gravissime qui pejerat, sicut qui thus adolet Idolo animo adolendi.

IX. Ex quibus omnibus sequitur, quod licet non semper sit mortale jurare sine animo jurandi, semper tamen sit illicitum. Nec Pontifex damnat asserentem id esse aliquando veniale, ut nonnemo scripsit, sed solum asserentem id licere. Ratio, cur semper sit illicitum, est, quia semper continet mendacium irreligiosum, quod a nulla causa sive levi, sive gravi cohonestari potest; quamvis enim juramentum fictum addatur assertioni veræ, falso tamen asserit se jurare, qui non habet animum jurandi. Quod si quis ex consuetudine juret nihil aliud affirmando, vel negando, tunc etiam habetur hujusmodi mendacium irreligiosum, cum falso etiam hic asserat jurare, si revera non juret: Quod si vere juret, certe non pejerat, nec mentitur; sed irreverenter invocat Dei Nomen, atque adeo ex hoc alio capite a culpa non excusatur. Ubi advertendum, quod qui ex consuetudine jurat nihil affirmando, vel negando, culpam etiam lethalem contrahat, si ob illam consuetudinem exponat se periculo pejerandi.

X. Ad primam rationem in contrarium: Confessarius interrogatus a Tyranno de peccato Pœnitentis, dum coactus negat cum juramento illud audivisse; Vel id negat amphibologice, aut per usum duplicis scientiæ communicabilis, & incommunicabilis, aut per restrictionem non pure mentalem, prout dicemus in propositione sequenti; & tunc tenetur habere animum jurandi, juxta sensum verborum verum, aliter mentitur, ut ostendimus: Vel loquitur materialter perinde ac si diceret Blitri, & tunc non jurat, ne exterius quidem, qui profert verba tantum materialiter, & pro quando non sunt instituta ex contractu implicito ad mentem manifestandam: Sicut enim qui dicit, Propositio hæc, Juro Antichristum vivere, constat tribus verbis, non debet habere animum jurandi, quia solum materialiter profert illam propositionem; ita nec tenetur habere animum jurandi Confessarius, quando solum materialiter dicit, Juro non audivisse peccatum hoc in confessione, in quo casu non ipse Tyrannum decipit, sed Tyrannus a se decipitur, existimans etiam pro tali casu voces debere proferri ut significativas.

XI. Ad secundam diximus, quod habens sufficientem causam utendi verbis amphibologicis teneatur habere animum jurandi juxta sensum verborum verum, (etiamsi non accipiantur ab audiente verba in illo sensu) quia aliter mentiretur, per hoc præcise, quod falso dicat se jurare.

Ad tertiam: Qui habet sufficientem causam proferendi materialiter verba illa *cum Juramento*, certe non peccat, dum sine animo jurandi dicit, Ego dico *cum Juramento*; quia in tali casu non jurat exterius, cum non proferat ea verba formaliter ut significativa, & ideo non mentitur, si non habeat animum jurandi. Causa tamen debet esse gravissima, ut licere possit locutio materialis, etiam dato, quod per illam mendacium declinetur.

XII. Hinc habes primo, aliud in rigore esse, locutionem esse materialem, aliud vero juramentum esse materiale. Dicitur jurare materialiter, qui habens obligationem utendi vocibus ut significativis, & loquendi formaliter, jurat sine animo jurandi; sicut blasphemia est pariter materialis, si sit sine animo blasphemandi; hujusmodi autem juramentum, aut blasphemia nunquam licet. Quod si locutio sit materialis, ita ut vel ex contextu, vel ex circumstantiis appareat, verba non debere usurpari ut significativa, tunc citra culpam proferuntur verba juratoria sine animo jurandi, sicut etiam ipsa verba blasphemiæ; ut quando dicimus cum Psalmista, *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*, proferendo solum materialiter propositionem istam insipientis. Et idcirco Confessarius, si aliter non possit custodire sigillum Sacramentale, potest materialiter proferre verba juratoria sine animo jurandi; quia in his circumstantiis non datur obligatio utendi verbis ut significativis. Verum de hac via plura in expositione thesis sequentis.

XIII. Habes secundo, quod sicut in juramento assertorio nunquam licitum est jurare sine animo jurandi, ita neque in promissorio propter eandem rationem; quia scil. nunquam deest saltem mendacium irreligiosum. Unde fit, nullam causam, quantumvis gravem, posse efficere, quod id liceat, etiamsi juramentum coacte per injuriam exigatur. Adde, quod in promissorio jurare sine animo se obligandi est etiam illicitum ex vi talis juramenti: cum reverentia debita Numini invocato exigat natura sua, quod jurans obligetur ad reddendum factis verum id, quod promittitur adducendo Deum in promotorem, & sponsorem talis veritatis. Hinc etiam est illicitum jurare sine animo implendi, quod sub juramento promittitur. Quamvis, si Lessium audiamus c. 42. n. 42. gravius peccat, qui jurat animo non se obligandi, quam qui jurat animo non implendi: quia vide-

videtur gravior irreverentia velle Deum adducere in testem, & nolle ejus testimonio astringi, quam nolle ponere quod juratur. Si quis tamen juret sine animo jurandi, non tenetur ponere, quod promisit ex virtute Religionis, sed solum ad vitandum scandalum; ut docet Sanch. lib. 3. cap. 10. penes quem probabilior est sententia putantium idem dicendum de eo, qui jurat sine animo se obligandi; quia re bene inspecta non jurat, dum ponit conditionem naturæ juramenti contrariam; Contra vero tenetur promissionem juratam ex virtute Religionis implere etiam ille, qui juravit sine animo implendi: propterea qui coactus promisit cum juramento aut usuras usurario, aut lytrum latroni, etiamsi peccaminose caruerit animo standi promissis, adhuc ob reverentiam Numinis invocati tenetur promissis satisfacere, saltem momentanea solutione; etiamsi possit deinde statim solutum repetere, eo quod injuste ab usurario, & latrone retineatur.

XIV. Dubitatur, Utrum contra virtutem Religionis peccet, qui ad confirmandum mendacium addit verba, quæ juratoria non sunt, nec ut juratoria ab audientibus accipiuntur, juramenti tamen speciem præseferunt? Hujusmodi sunt ista; In mea conscientia, per fidem mei, per Fidem Sacerdotis &c. non intelligendo Fidem Catholicam Sacerdotis, sed Fidem, quæ adhibenda est Sacerdoti, qui non facile mentitur; sicut verba illa, In mea conscientia, denotant solum, id certo a me sciri; siquidem Conscientia ex D. Bernardo idem est, ac Cordis scientia: Et similiter si dicatur, Coram Deo loquor, Deus videt meam conscientiam, quæ censentur proferri narrative, non invocatorie, atque adeo speciem habent juramenti, quin sint juramenta. Ad hoc dicendum cum Sanch. l. 3. c. 6. n. 11. Azor., Sylv. in his casibus præter mendacium nullam aliam culpam reperiri contra virtutem Religionis, cum Deus non invocetur, nec significetur invocari ad falsum testandum: Quod si ab audientibus ex ignorantia apprehendantur formulæ istæ ut juratoriæ, tunc ad vitandum scandalum hoc passivum non sunt usurpandæ citra sufficientem necessitatem, aut utilitatem propriam, vel alienam. Quando tamen de aliquibus formulis dubitatur, Num accipiantur communiter ut juratoriæ? tunc stat in possessione libertas, atque adeo usurpari possunt tanquam non juratoriæ, cavendo pariter quoad ejus fieri potest aliorum scandalum.

PROPOSITIO XXVI.

Si quis vel solus, vel coram aliis, sive interrogatus, sive propria sponte, sive recreationis causa, sive quocunque alio fine, juret se non fecisse aliquid, quod re vera fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum, re vera non mentitur, nec est perjurus.

PROPOSITIO XXVII.

Causa justa utendi his amphibologiis est, quoties id necessarium, aut utile est ad salutem corporis, honorem, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio censeatur tunc expediens, & studiosa.

SYNOPSIS.

I. Plurimi Doctores, qui videntur hisce thesibus restrictionem mentalem ex justa causa permittentibus suffragari, si bene advertatur, illis refragantur.

II. Explicatur, quid sit Restrictio pure mentalis, seu interna, quæ hic damnatur ut mendax: Quid vero Restrictio non pure mentalis, seu externa?

III. Necnon quid sit usus duplicis scientiæ? quid Æquivocatio?

IV. Videtur restrictio pure mentalis non continere mendacium, & ex causa licere.

V. Potest mente retineri, si potest submissa voce proferri id, quod requiritur, ne locutio habeat sensum falsum.

VI. Videtur posse Confessarius ad custodiendum sigillum Sacramentale uti hac restrictione.

VII. Videturque licita, quandocunque expediens, & studiosa est veritatis occultatio.

VIII. At in restrictione pure mentali imbibitur tota deformitas mendacii.

IX. Æque utrumque fini locutionis repugnat, & humanum commercium destruit.

X. Intercedit lata disparitas inter Restrictionem pure, & non pure mentalem, seu Æquivocationem.

XI. Datur modus citra hanc restrictionem declinandi mendacium simul, & violationem sigilli sive naturalis, sive Sacramentalis.

XII. Sicut est mendax, qui mente retinet id, quod complet sensum verum, ita qui illud ipsum profert voce imperceptibili ab audiente.

XIII. Multifariam potest Confessarius citra perjurium negare juratus se audivisse peccatum pœnitentis, quando re vera audivit, quando ad id cogitur a Tyranno. XIV. Rustici, si detur gravis causa occultandi veritatem, facile uti possunt usu duplicis scientiæ, negando factum, quatenus non habetur de eo notitia, quæ licite possit communicari. XV. In eo sensu juramentum restrictioni pure mentali superadditum dicitur perjurium, quatenus cuilibet illicito juramento competit nomen perjurii. XVI. Quæ passim adducuntur de Christo D., de S. Raphaele, de Jacob, de SS. Athanasio, Francisco, Felice, & aliis, non fuerunt restrictiones pure mentales. Immo nunquam Christus D. usus fuit æquivocatione presse dicta.

XVII. Per æquivocationem non declinatur mendacium, si non detur causa sufficiens æquivocandi: nec declinatur perjurium, si desit causa, & quidem gravior, superaddendi juramentum. XVIII. In multis casibus licita est Æquivocatio, quin liceat superaddere juramentum. XIX. Quandonam interrogatus a Judice potest æquivocare? XX. Poteritne reus criminis capitalis negare suum delictum cum æquivocatione, si juridice interrogetur? XXI. In quonam sensu verum est, quod ne pro vita quidem tuenda licitum sit mentiri?

I. Ex-

I. EXponitur. In utraque thesi usus restrictionis pure mentalis damnatur a Pontifice, ita ut quocumque fine, & qualibet ex causa fiat, illicite fiat, non secus ac mendacium in quocumque casu illicitum est: Immo declaratur, hanc amphibologiam, seu restrictionem pure mentalem esse revera mendacium, & juramentum illi additum esse perjurium. Utraque propositio a plurimis primi subsellii DD. videbatur doceri apud Dian. par. 2. tract. 15. resol. 25., & par. 3. tract. 6. resol. 30., & apud Sanchez lib. 3. cap. 6. num. 15., & num. 19., & nonnemo ad quinquaginta DD. laudat pro utraque propositione. Verum si attente mens plerorumque istorum cum eodem Sanchez inspiciatur; & si advertatur ad casus, in quibus docent has amphibologias licere, & eorum fundamenta, liquido apparebit, eos nolle licitas esse restrictiones pure mentales, quas Pontifex ut mendacia damnat, sed solum restrictiones non pure mentales, aut æquivocationes, & ad summum locutionem materialem, prout omnes omnino docent, aliqua ex iis viis declinandam esse violationem sigilli Sacramentalis a Confessario, qui a Tyranno interrogatur de peccato Pœnitentis. Quare inter has amphibologias distinguendum est, ut mentem Pontificis, & veritatem assequamur, & ut scrupulis in casibus passim occurrentibus eatur obviam.

II. Restrictio enim pure mentalis, quæ hic damnatur tamquam locutio mendax, habetur, quoties verba secundum se spectata, seclusis omnibus circumstantiis, significant falsum, seu aliud, quam loquens habet in mente, quamvis ut conjuncta cum eo, quod loquens intra se retinet, habeant sensum verum; ut si quis dicat, se vidisse Romam, intelligendo intra se, quod viderit illam in pictura, vel si dicat, Petrum esse mortuum, intelligendo civiliter, seu per assumptionem habitus Religiosi, quando ex circumstantiis apparet locutionem solum esse de morte naturali, de qua loquens interrogatur.

Restrictio vero non pure mentalis, seu restrictio realis, & externa habetur, quoties verba unum de se significatum habent, sed ex circumstantiis, & adjunctis habent aliud significare, ut proinde possint secundum se esse falsa, sed quatenus simul cum circumstantiis consignificant, possint esse vera; ut si Judex pro Tribunali dicat, Petrum esse innocentem, quem tamen privata scientia scit esse reum; circumstantiæ enim illæ significant, Petrum haberi a Judice innocentem juridice, seu secundum allegata, & probata. Sic Christus D. dicens Jo. 7. *Ego autem non ascendam ad diem festum hunc*, verissimum dixit, quamvis ascenderit; quia ex circumstantiis verba illa denotabant, se non ascensurum publice ad ostendendam miraculis suam Divinitatem, ut rogabatur.

III. Ad restrictionem istam non pure mentalem reducitur usus duplicis scientiæ, vid. Communicabilis, & Incommunicabilis, quatenus ex circumstantiis apparet, verba sumenda esse spectata tantum scientia loquentis communicabili: Ut quando Confessarius interrogatur, an aliquid sciat de peccato Pœnitentis? & ipse respondet se nihil scire, ex circumstantiis denotatur se nihil scire, quatenus homo est, seu scientia extrasacramentali: Et si rursus a Tyranno interrogetur, an aliquid de tali peccato sciat ut Confessarius, & scientia Sacramentali licite incommunicabili? poterit juratus asserere, se nihil scire etiam spectata tali scientia, quia ex circumstantiis apparet verba ista proferri a Confessario, quatenus homo est, & scientia extrasacramentali, relate ad quam vere nihil scit, quod spectet ad scientiam Sacramentalem. In hoc sensu communissime Sacri Interpretes docent locutum esse Christum D., quando Marci 13. loquens de Judicis adventu dixit: *De die illo, vel hora nemo scit, neque Angeli in Cœlo, neque Filius*. Quamvis enim Christus Dom. non solum qua Deus, sed etiam qua homo, diem universalis Judicii vere sciret; quia tamen illum nesciebat qua legatus a Patre ad nos edocendos mysteria Divina, atque adeo nesciebat scientia communicabili, & ex circumstantiis luculenter apparebat, verba illa de tali scientia fore accipienda, idcirco vere, & absolute dixit, se diem illum nescire.

Sæpe a Doctoribus Restrictio illa non pure mentalis confunditur cum Æquivocatione: quando scilicet revera verba duplicem sensum habent, alterum secundum se spectata falsum, alterum verum sub talibus circumstantiis, sub quibus apparet ea verba sumenda esse. In rigore tamen Æquivocatio habetur, quando verba secundum se habent duplicem sensum; ut cum dicitur, Petrus non est in triclinio, quod potest esse verum, si sit in triclinio, sed ibi non comedat, sumendo ly non est, pro non Comedit. Restrictio tamen non pure mentalis habetur per verba, quæ de se unam tantum significationem habent, sed ratione circumstantiarum habent aliam. Omnes tamen conveniunt, quod eodem modo sit illicita æquivocatio, ac restrictio non pure mentalis, quando passim adhibentur, & sine rationabili causa; cum sint destructiva humani commercii, si sensum falsum habeant obvium, & sensum verum obscurum. Utraque etiam ex rationabili causa licet: quis enim neget posse Confessarium, vel Secretarium Regni ad occultandam veritatem uti aut æquivocatione, aut restrictione non pure mentali? Idemque dicendum, si adultera a marito interrogetur ad necem, an commiserit adulterium, & in similibus casibus, in quibus datur rationabilis causa permittendi alterius deceptionem salva veracitate loquentis. Etenim si possimus ad vitam nostram tuendam permittere mortem proximi, occidendo illum cum moderamine inculpatæ tutelæ, possumus a fortiori ad grave damnum proprium injustum impediendum permittere deceptionem proximi per usum restrictionis non pure mentalis, aut æquivocationis: quamvis nunquam possimus deceptionem proximi velle per mendacium, quippe quod est intrinsece malum; Sicut nec potest æquivocare qui juridice interrogatur, quia in tali casu debet prævalere bonum publicum bono privato.

IV. Difficultas itaque solum est de Restrictione pure mentali jam explicita, num contineat mendacium, atque adeo sit intrinsece mala, & in nullo casu licita, unde etiam sit perjurus, qui cum ea restrictione jurat; an vero ex aliqua gravi causa liceat, quin dicatur hic esse mendax, & perjurus? Videtur, quod non contineat mendacium, & consequenter nec perjurium, & quod ex rationabili aliqua causa liceat.

Primo, quia intantum æquivocatio non continet mendacium, & ex rationabili causa licet, inquantum continet aliquem sensum verum; & quamvis ille sit obscurus, ita ut audiens illum non facile de-

decipiat, sed decipiatur, permitti tamen potest ista deceptio ad grave damnum declinandum, aut ad occultandam veritatem, quam non oportet aperire, aut ad alium finem gravem: Sicut Christus D. dixit Jo. 2. *Solvite Templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*, loquens, ut advertit Evangelista, de Templo Corporis sui, quod facile ex circumstantiis percipi poterat, & in hoc obvio vero sensu ea locutio accepta fuit ab Apostolis, qui, ut notat idem Evangelista, post resurrectionem recordati sunt, quod de Templo loquebatur; Judæi tamen, odio erga Dominum obcæcati, putarunt ipsum loqui de Templo Hierosolymitano, unde ejecerat nundinantes: atqui pariter restrictio pure mentalis habet sensum verum in mente loquentis, quamvis obscurum relate ad audientem: ergo pariter restrictio pure mentalis est immunis a mendacio, & consequenter a perjurio, & ex rationabili causa licet.

V. Secundo: Si quis veluti solus loquens elata voce, ut audiatur ab aliis, non tamen illos alloquens proferat propositionem falsam, & submissa voce addat id, ratione cujus propositio est vera, non videtur esse mendax, nec perjurus, si addat juramentum: Ver. gr. si elata voce dicat, *Juro me vidisse Romam*, & submissa voce addat *Pictam*, non est mendax, nec perjurus, quamvis Romam viderit in pictura: ergo pariter si mente retineatur ly *Pictam*.

VI. Tertio; quia Confessarius interrogatus a Tyranno, num habeat de peccato Pœnitentis notitiam licite incommunicabilem, non potest negare sine restrictione pure mentali: Si enim dicat, se non posse loqui de auditis in Confessione, eo ipso implicite fatetur peccatum, cum Tyrannus advertat, quod si peccatum non fuisset auditum in Confessione, intrepide Confessarius negaret.

VII. Quarto; quia passim occurrunt casus, in quibus non est licitum veritatem aperire, aut aperiri non potest sine magno incommodo, unde expediens, & studiosa est veritatis occultatio: ergo debet ad id dari via quædam omnibus obvia, etiam rusticis; via autem æquivocationis, aut restrictionis non pure mentalis non est facile obvia, & subest multis perplexitatibus, & periculis incidendi in mendacium, ne veritas occultanda manifestetur: contra vero recursus ad restrictionem pure mentalem est obvius, nec continet animum mentiendi, seu proferendi verba difformia menti, nec animum invocandi, Deum in testem falsi; ergo est licita, & mendacium non continet; & si juramentum accedat; illud non potest dici perjurium, cum ad perjurium essentialiter spectet Deum adducere ad falsum testificandum.

VIII. Ostenditur falsitas: quia Restrictio pure mentalis, & interna, de qua sermo est in propositione proscripta, est verissimum mendacium: ergo si quis ea utatur ob quemcumque finem, & quomodocumque, est vere mendax; & consequenter, si juramentum superaddat, erit perjurius. Antecedens probatur; quia mendacium nihil aliud est, quam locutio difformis menti loquentis: quoties enim verba neque secundum se, neque sub his circumstantiis externis exprimunt objectum, prout est in mente loquentis, tunc locutio est mendax: sed in Restrictione pure mentali totum hoc habetur; quamvis enim verba, ut conjuncta cum eo, quod mente retinetur, verum exprimant, illud tamen, quod mente retinetur, impertinenter se habet ad locutionem, seu ad significandum audienti judicium, quod habet loquens de objecto, quod vult manifestare: ergo non potest Restrictio pure mentalis deputari a locutione mendaci.

IX. Confirmatur: Quamvis mendacium importet difformitatem verborum cum judicio loquentis, Restrictio vero pure mentalis importet conformitatem verborum cum eo, quod mente retinetur; nihilominus utrumque æque omnino repugnat fini locutionis, & est humani commercii destructivum: ergo utrumque est æque malum intrinsece. Immo licet non omne mendacium sit restrictio mentalis, omnis tamen restrictio mentalis est verum mendacium. Et ratio a priori est, quia cum non possint homines internos aliorum conceptus introspicere, natura instituit verba, & signa externa, quæ iis substituerentur ad fovendum commercium; propterea ille solum dicitur verax, qui adhibet signa externa aut de se, aut sub talibus circumstantiis expressiva conceptus loquentis; ille vero mendax, qui adhibet signa isthæc menti difformia; atqui loquens cum pure mentali, & interna restrictione ponit signa externa menti difformia, spectato significato verborum, esto sint conformia cum eo, quod mente retinetur, & a verbis non significatur: ergo adhibens in locutione restrictionem pure mentalem est vere mendax, & consequenter perjurus, si ita loquatur juratus.

X. Ad primam rationem in contrarium: Est manifesta disparitas inter Amphibologiam, quæ habetur cum Restrictione pure mentali, seu interna, ac Æquivocationem, aut Restrictionem non pure mentalem, seu externam: siquidem in illa nullatenus potest innotescere audienti judicium loquentis de objecto manifestando; secus vero in æquivocatione, ac restrictione externa. Etenim si audiens advertat ad duplicem sensum, quem verba habent, aut secundum se, aut sub his circumstantiis, facile potest percipere, aut saltem dubitare, in quonam sensu accipienda sint; unde non frustratur finis locutionis, nec commercium incommodatur; immo potius fovetur, quando ad occultandam aliquam veritatem, quam non oportet aperire, utimur his mediis, quæ utrumque scopulum devitant, nimirum & violationem sigilli, & mendacium, cum utrumque humano commercio repugnet. Verum quidem est, quod si passim, & sine rationabili causa æquivocationibus uteremur, adhibendo verba, quæ habent sensum obvium falsum, & sensum obscurum verum, humanum commercium læderetur; ac proinde sicut non vacat culpa mendacium, ita nec hujusmodi æquivocationes, si desit sufficiens causa eas adhibendi. Potest tamen dari sufficiens causa æquivocandi, aut utendi Restrictione non pure mentali, aut loquendi cum usu duplicis illius scientiæ communicabilis, & incommunicabilis, esto iis audiens decipiatur, puta quando aliter sigillum Sacramentale, vel naturale custodiri non potest; cum hoc magis conducat ad bonum humani commercii, quam quod audiens per eas æquivocationes non decipiatur: At in nullo prorsus casu licitum est mendacium, & consequenter nec restrictio pure mentalis, quæ mendacium involvit.

XI. Dices: Licite possumus uti æquivocationibus, non ex fine decipiendi, sed ex fine custodiendi sigillum, aut ex alio gravi fine, sicut Christus D. ex fine gravi usus est verbis illis in speciem ambiguis Jo. 11. *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a so-*

a somno excitem eum; ad quod Apostoli responderunt: *Si dormit, salvus est*; ubi Evangelista addit: *Dixerat autem Jesus de morte ejus; illi autem putaverunt, quod de dormitione somni diceret*: ergo possumus etiam licite ad eundem finem mendacio uti, aut restrictione pure mentali; siquidem in utroque casu potest haberi non animus decipiendi, sed animus custodiendi v. gr. sigillum, permittendo deceptionem audientis; eo quod magis ad humanum commercium conducat, quod non violetur sigillum, quam quod audiens non decipiatur.

Sed contra est, quia quamvis si hæc duo essent incompossibilia, custodire sigillum, & non mentiri, potius esset mentiendum, quia præceptum de sigillo custodiendo est gravius: ad eum modum quo, licet utrumque prohibeatur, & violare sigillum, & per æquivocationes consulto proximum decipere, juxta illud Levit. 19. *Nec decipiet unusquisque proximum suum*; præstat tamen proximum adhibita æquivocatione decipere, quam sigillum violare. Nihilominus, cum detur via custodiendi in omni casu sigillum, & simul nunquam mentiendi, aut restringendi pure mentaliter, videlicet utendo æquivocationibus, &c. quibus audiens ipse potius se decipit, quam decipiatur; idcirco in nullo prorsus casu mendacium, aut restrictio pure mentalis usurpari possunt. Ut enim habet Innoc. III. cap. *Super eo* de Usur. *Ne pro vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri*: quod etiam dictum fuisse Simoni Mago a D. Petro refert lib. 3. Recognitionum S. Clemens. Et hinc innotescit, quare homicidium, quod est gravius mendacio, possit aliquando esse licitum, videlicet pro vita defendenda cum moderamine inculpatæ tutelæ; mendacium vero nunquam liceat, ne pro vita quidem tuenda. Ratio est, quia non possumus aliquando aliter vitam tueri, quam occidendo injustum invasorem; contra vero possumus vitam tueri citra mendacium, vid. utendo restrictionibus non pure mentalibus, æquivocationibus, & in aliquorum sententia etiam locutione materiali, ut mox explicabimus; unde ne pro vita quidem defendenda licitum est mentiri.

Ad ea, quæ dicuntur de Christo D., negandum mordicus, quod usus fuerit aliquando ulla æquivocatione stricte dicta, quæ scil. haberet sensum obvium falsum, & obscurum verum, esto aliquando audientes non adverterent ad sensum verum obvium. Cum enim æquivocatio secundum se adversetur sinceritati, si minus veritati, ea nullatenus admittenda in Christo D. Propterea Jo. 2. dicitur, quod Apostoli post resurrectionem recordati sunt, non vero quod tunc primo noverint, ipsum locutum esse de Templo Corporis sui, quando dixit, *Solvite Templum hoc*, quamvis Judæi odio erga Dominum obcæcati putarent loqui de Templo Hierosolymitano. Et eodem modo ex circumstantiis facile advertere poterant Apostoli, quod de morte Lazari Christus loqueretur, quando dixit, *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut a somno excitem eum*; si enim de dormitione somni loquebatur, poterat a quocumque alio excitari, esto Apostoli ex Divina permissione putassent, quod de dormitione Christus loqueretur: Idemque dicendum in aliis textibus, in quibus videtur Christus Dom. usus fuisse æquivocationibus.

XII. Ad secund. Vox, quæ non potest pervenire ad aures audientis, perinde est, ac si non proferatur; atque adeo tam est mendax, qui solus loquitur animo decipiendi audientes, quos non alloquitur, si mente occultet id, cum quo verba, quæ audiri possunt, habent sensum verum, quam si proferat illud submissa voce. Propterea, sicut est mendax, & perjurus, qui solus elata voce animo decipiendi audientes dicit, *Juro me vidisse Romam*, subintelligendo *Pictam*, ita si submissa voce addat ly *Pictam*.

XIII. Ad tertiam: Confessarius dum urgetur a Tyranno, num habeat notitiam de peccato Pœnitentis? potest juratus negare; quia spectatis circumstantiis, quod hic sit Confessarius, verba significant, Nescire se peccatum, quatenus est homo, seu notitia communicabili; eo modo quo Christus D. vere dixit se nescire diem Judicii, videlicet quatenus erat Legatus Patris; unde ista restrictio non est pure mentalis: Sicut Judex dicens pro Tribunali, Petrum esse innocentem, non dicitur uti restrictione pure mentali, si privata notitia sciat ejus delictum; eo quod circumstantiæ externæ determinent voces illas ad significandum, quod Petrus sit innocens juridice, seu secundum allegata, & probata. Quando autem Tyrannus urget interrogando Confessarium, An sciat peccatum Pœnitentis, qua Confessarius est, & notitia licite incommunicabili, potest ille, ac debet, ut diximus, iterum negare.

Quæstio tamen est solum speculativa inter Theologos, quomodo hæc secunda responsio a restrictione pure mentali depuretur: nam videtur hæc responsio veritatem habere non posse, nisi cum eo, quod mente retinetur, vid. *Nescio ad dicendum, hoc est ita ut tenear, aut possim respondere*. Communiter docent, circumstantiam illam externam Confessarii indicare, quod dum iterum respondetur, *Nescio*, illud ipsum iterum significetur, quod scil. non detur de illo peccato notitia ulla extrasacramentalis, & humana; quod est dicere, Nescio illud qua homo sum, esto sciam qua Confessarius; quæ restrictio, cum habeatur ratione illius externæ circumstantiæ; appellari solet restrictio externa, & non pure mentalis, quæ non incommodat, sed potius fovet humanum commercium; cum per illam possint citra mendacium tegi arcana, quæ nefas est revelare. Sibi autem imputare debet Tyrannus, quod ad illam circumstantiam non advertat, ut possit deprehendere verum sensum verborum.

Addo nonnullos docere cum Sot., Valent. Sanch. lib. 3. c. 6. n. 10. Pallav. lib. 3. c. 2. quod possit Confessarius usurpare hæc verba *Juro me nescire*, mere materialiter, hoc est perinde ac si diceret Blitri, aut sicut profert hæc verba, qui dicit, Hæc propositio, Juro me nescire, constat tribus verbis. Sicut enim in his circumstantiis non datur obligatio usurpandi verba hæc ut significativa: ita Confessarius ex contractu implicito hominum instituentium verba ad hoc, vel illud significandum, videtur non habere obligationem in illis circumstantiis adhibendi ea verba ut significativa, sed posse usurpare perinde ac nulla esset iis hactenus imposita significatio; quia ipsum humanum commercium postulat, ut non detur obligatio utendi verbis ut significativis, quando subest periculum violandi sigillum etiam naturale. Sicut enim promittens v. gr. centum, non obligatur ad dandum, si accidat, quod iis indigeat ad vitam conservandam, quia per contractum Promissionis non censetur voluisse se obligare pro tali circumstantia; ita loquens non tenetur usurpare verba juxta significationem per contractum implicitum impositam, quando periculum sub-

subest violandi sigillum; quia per illum contractum implicitum non censentur homines voluisse se obligare ad utendum in tali casu vocibus ad significandum, seu ut significativis; Obligatio enim illa major custodiendi sigillum prævalet huic minori; unde licita videtur in his, & similibus casibus locutio materialis. Neque hinc fieret, quod homo juret sine animo jurandi. Nam, ut diximus in expositione propositionis antecedentis, qui materialiter usurpat verba juratoria, revera non loquitur, unde nec jurat; sicut non dicitur blasphemare sine animo blasphemandi, qui materialiter usurpat verba blasphemiæ, ut quando dicitur, Hæc propositio, Non est Deus, constat tribus verbis, vel quando dicitur in Psalmis, *Dixit insipiens in corde suo*, *Non est Deus*, usurpando has postremas voces mere materialiter: Sicut enim ex ipsa conventione implicita hominum oritur, quod voces istæ, Non est Deus, non debeant usurpari semper ut significativæ; ita ex ipso implicito pacto hominum videtur oriri, quod non debeant proferri ut significativa a Confessario hæc verba, Juro me nescire peccatum Pœnitentis, in iis circumstantiis, in quibus non potest aliter custodiri sigillum Sacramentale. Verum quicquid sit de hac opinione, quæ forte mendacium non declinat, satis sit illam innuisse; cum per usum duplicis scientiæ possit facile tam sigillum Sacramentale, quam naturale ab omnibus custodiri.

XIV. Ad ultimam: Rustici, qui ignorant opportunas adhibere æquivocationes, debent advertere, num prævaleat bono publico occultatio veritatis, an sincera illius confessio, ne proximus decipiatur. Certe quando veritatis occultatio confert ad tuendam salutem, honorem, res familiares, aut ad quemlibet alium virtutis actum, tunc licita est æquivocatio; major tamen causa requiritur ad superaddendum juramentum locutioni ambiguæ; quando tamen non occurrit commoda æquivocatio, aut restrictio externa, si causa sit gravis, rustici possunt usu duplicis scientiæ facile obvio veritatem occultare, non animo decipiendi, sed solum permittendo deceptionem (*a*).

(*a*) ,, Patuzzius T. 2. animadversionum suarum ,, in hist. litter. articulos quosdam *p.* 106. & ante ,, ipsum Daniel Concina *T. 3. Th. Christ. p.* 502. improbavit usum duplicis hujus scientiæ, ut qui Restrictio pure mentalis sit. Sed audirem lepidam. ,, Concina *p.* 501. ab usu hujus scientiæ admittendo respectu Confessarii alienus non est: *locum*, ,, inquit, *fortassis habere potest;* infer igitur; ergo ,, restrictio pure mentalis non est; si enim restrictio ,, pure mentalis esset, atque adeo mendacium non ,, liceret Confessario illa uti. Vide dicta num. XI.

XV. Difficultas videtur esse, quomodo juramentum restrictioni pure mentali superadditum possit dici perjurium? Quamvis enim restrictio ista sit mendacium, nihilominus qui ea utitur, dum jurat, non invocat Deum ad testandum falsum, quod vocibus significatur, sed ad testandum verum, quod mente retinet: ergo hujusmodi juramentum non videtur posse dici perjurium, sed ad summum juramentum quoddam deceptivum, & sacrilegum.

Dicendum tamen esse perjurium. Primo, quia quamvis Deus invocetur ad testandum verum illud, quod in mente retinetur; invocatio tamen ista fit etiam ad testandum alteri falsitatem, quam exprimunt verba, atque adeo est perjurium. Deinde quia ex August. relato in cap. 1. 2. q. 2., mediante juramento nequiter decipere credentem, perjurium est. Tertio, quia ex Hieron., & Angelico omne Juramentum illicitum vocatur perjurium; sic dicitur pejerare, qui jurat se patraturum homicidium, quia obligatur ad illud non patrandum, atque adeo ad reddendum falsum juramentum; sic est perjurium incautum, & temerarium, eo quod subsit periculum falsitatis; est etiam perjurium non implere promissionem juratam, ex communi sensu, & usu, ut notat Less. cap. 42. num. 73., quia opere redditur falsum juramentum olim vere præstitum. Perjurium igitur habetur etiam in casu nostro, quia juramentum deservit ad decipiendum, & ad confirmandum mendacium, esto animus sit invocandi Deum ad testandum verum.

XVI. Ex hactenus dictis sequitur primo, ex iis, quæ de Christo Dom., & aliis Sanctis habemus, non evinci licitum usum restrictionis pure mentalis, ut patet percurrendo singula, quæ passim objiciuntur. Dixit Christus Dom. Jo. 2. *Solvite Templum hoc*, &c., & Jo. 1. *Non ascendam ad diem festum*, & Marci 13. *De illo die nemo scit*, *neque Filius*. In his autem omnibus neque interfuit restrictio mentalis, nec æquivocatio stricte dicta, ita scilicet ut sensus obvius verborum esset falsus, & sensus minus obvius esset verus; quandoquidem ex circumstantiis obvius erat illorum verborum sensus germanus; unde nec proprie in his locutionibus interfuit restrictio externa. Jacob vero dicens Genes. 27. se esse Esau primogenitum Isaac, loquutus est allegorice (ut notat August. libro contra mendacium c. 10.) ac metaphorice, atque adeo æquivoce; erat enim jure, licet non persona, Esau primogenitus, quia ob pulmentum lentis acquisiverat jus ad primogenituram. Raphael dicens Tobiæ 5. *Ego sum Azarias magni Ananiæ filius*, locutus est etiam mystice, & metaphorice; quia Azarias significat Adjutorium Dei, & Ananias Nubem, & Nubes ex Ambros. serm. 61. significat Patrem Æternum, unde significavit se esse Adjutorium Dei, & filium adoptivum Patris Æterni. Similiter ratiocinantur Sacri Interpretes de Judith, quæ videtur imposuisse Holopherni; necnon de obstetricibus Ægyptiorum Exod. 1., & similibus; & pariformiter discurrendum de celebri responsione D. Athanasii eludentis satellites Juliani; & Divi Francisci dicentis, homicidam illum, qui ad necem quærebatur, Hac non transisse, denotando saltem locum, ubi ipse erat, esto vidisset illum longius transisse; ea quippe erat causa gravissima, ratione cujus poterat sic æquivocare. Et Sanctus Felix Nolanus interrogatus a Paganis, Ubinam lateret Felix, quem ad necem deposcebant, per usum duplicis scientiæ dixit, se Felicem ad necem conquisitum ignorare; eo quod advertit Divino consilio, ac celebri illo miraculo ipsum occultatum, ut proinde non debuerit a se manifestari, ut cecinit D. Paulinus Presbyter in celebri poemate in honorem S. Felicis elucubrato, dicens:

Persentit & ipse faventis
Consilium Christi, ridensque rogantibus infit:
Nescio Felicem, quem quæritis: illicet illi
Prætereunt ipsum.

Ubi etiam nonnulli volunt Sanctum Felicem lusisse in æquivoco sui nominis dicentem ignorare se Felicem, dum in tot angustiis ac ærumnis versaretur.

XVII. Sequitur secundo, æquivocationem & restrictionem externam aliquando licere, ita tamen, ut

ut quando habent sensum verum obscurum, requiratur causa aliqua ad iis utendum, & quo major est obscuritas sensus veri, eo gravior causa requiratur. Ratio est, quia, nisi detur causa excusans, non intenditur directe occultatio veritatis celandæ, nec deceptio solum permittitur, quod est licitum, sed ea intenditur directe per ea verba præseferentia sensum obvium falsum, quod valde incommodat humano commercio; Unde non declinatur mendacium consistens in falsa vocis significatione cum intentione fallendi. Propterea si æquivocationi illicitæ superaddatur juramentum, non declinatur perjurium, ut advertit Sanch. l. 3. cap. *6.* num. 18. perjurium enim habetur, ut diximus ex Hieron. & Angelico, quoties directe illo utimur ad decipiendum; quamvis enim signate videatur Deus invocari ad testandum verum, exercite tamen invocatur ad falsum testandum.

XVIII. Sequitur tertio, aliquando licitam esse æquivocationem, necnon restrictionem non pure mentalem, quin sit licitum illi superaddere juramentum. Sicut enim contra reverentiam Numini debitam est, illud invocare ad testandum verum, quoties non datur necessitas, unde hujusmodi juramentum non vacat culpa saltem veniali; ita contingere potest, quod detur solum necessitas aliqua sufficiens solum ad æquivocandum, quin sufficiat ad jurandum, in quo casu jurans contra reverentiam Deo debitam juraret, unde neque id vacaret culpa saltem veniali: Exempli gratia, si quis invitatus ad bibendum daret ansam querelis, nisi laudaret vini bonitatem, esto posset forte æquivocare, dicendo vinum esse bonum, loquendo de bonitate transcendentali, sed non proinde haberet sufficientem causam ad superaddendum juramentum; Sic habens nummos, quos mutuare non potest sine incommodo notabili, si petantur mutui, si ipse respondeat se non habere, videtur respondere ad mentem petentis, cum non præsumatur, quod velit ille mutuos nummos, qui sine notabili incommodo mutui dari non possunt. At si mutuando illos incommodum non esset notabile, esset tamen extraordinarium, dari potest aliquando solum causa sufficiens ad æquivocandum, dicendo se non habere, ita ut ex circumstantiis id intelligatur, se non habere ad mutuandum sine extraordinario incommodo, quin causa ista sit sufficiens ad superaddendum juramentum, quod causam exigit graviorem. Sic etiam si quis interrogatur de aliquo levi defectu proximi occulto, poterit æquivocare, dicendo, illum nescire; quod communiter intelligitur nesciri illum scientia, quæ possit sine causa communicari; at nequit superaddi juramentum, cum ex manifestatione illius levis defectus non sequatur grave damnum. Eodem modo Clericus, dum a Custodibus Gabellarum interrogatur, num habeat v. g. ac velit introducere carnes? poterit absolute dicere, se nihil habere, de quo sibi solvenda sit gabella, & ex sufficienti necessitate superaddere ad id juramentum; cum sensus verus hujus locutionis sit obvius: at non videtur admittenda nonnullorum sententia apud Sanch. lib. 3. cap. *6.* quod scilicet possit hic dicere determinate se non habere carnes, intelligendo de carnibus obnoxiis gabellæ juxta mentem interrogantis, nisi detur aliqua gravis causa sic æquivocandi, cum sensus verus sit obscurus;& a fortiori non poterit superaddi juramentum, quod requirit causam multo graviorem.

XIX. Sequitur quarto, testem, aut reum non juridice interrogatos de crimine occulto posse illud negare cum restrictione non pura; ex circumstantiis enim significatur, nesciri delictum, quod debeat tali judicio subjici: Idemque docet Sanch. l. c. de teste, qui juridice quidem interrogatur, sed ob aliquam causam gravem non tenetur ferre testimonium, puta quia notabile damnum incurreret, hinc enim nemo tenetur extra casum hæresis contra parentes, & sanguine junctos testificari, ex l. 4. ff. de Test. Cæterum universim procul dubio peccat graviter, qui juridice interrogatus æquivocando veritatem occultat; & sacrilege peccaret mortaliter, si juramentum superadderet, etiamsi sine animo jurandi.

XX. Utrum autem Reus criminis capitalis, si juridice interrogetur, possit negare delictum cum Juramento, si sit spes evadendi? Negat D. Thom. Navar. & alii plurimi apud Sanch. l. *6.* Consil. c. 3. dub. *29.* Affirmant tamen etiam plurimi cum Sylv. Henr. Less. Lugo d. 40. de Just. sect. 1. quia leges, & præcepta humana universim non obligant cum discrimine vitæ, aut alterius gravissimi damni; proinde Judex habet quidem jus interrogandi ad pœnam infligendam, sed reus non obligatur ad crimen suum manifestandum sub reatu culpæ. Propterea juxta hanc sententiam, si reus juratus illud neget, censetur negare cum restrictione non pura, vid. negando id esse verum, ita ut teneatur declarare, donec est spes evadendi. Similiter qui graviter læsit proximi famam, manifestando delictum occultum, si sit spes, ut retractatio prosit, tenetur, ut docet Sanch. num. 28. illud retractare, dicendo, aut se fuisse deceptum, aut se esse mentitum; in quo casu habetur restrictio non pure mentalis; quia circumstantia delicti gravis denotat, negari illud delictum commissum fuisse, ita ut revelari potuerit.

XXI. Sequitur demum, in quonam sensu verum sit id, quod diximus n. 11. ex Innoc. III. dictum etiam Simoni Mago a D. Petro, quod scilicet ne pro vita quidem defendenda licitum sit mentiri, atque adeo nec uti restrictione interna, seu pure mentali. Non enim est sensus, quod ad vitam propriam, aut proximi tuendam, necnon ad vitandum aliud grave incommodum, non liceat alterius deceptionem permittere, adhibendo congruam æquivocationem, aut restrictionem externam, seu non pure mentalem, aut usum duplicis scientiæ, aut etiam in nonnullorum sententia locutionem materialem: cum enim pro vita defendenda licitum sit injustum invasorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, a fortiori licitum erit illum decipere, seu potius permittere ejus deceptionem citra mendacium; aut restrictionem pure mentalem. Quare sensus est, quod cum mendacium sit intrinsece malum, non secus ac homicidium, sicut pro vita tuenda non est licitum homicidium presse dictum: v. g. Si Tyrannus mihi mortem minitetur, nisi occidam Cajum, non possum occidere Cajum ad mortem declinandam, quia talis occisio esset rigorose homicidium: ita pro vita defendenda neque erit licitum mendacium, aut restrictio pure mentalis: ex. g. Si Tyrannus mihi mortem comminetur, nisi dicas Cajo aliquod mendacium, non potero mendacium hoc, utut levissimum, aut jocosum proferre ad mortem declinandam, eo quod mendacium hoc sit intrinsece malum, quin possit ab hac circumstantia mortis declinandæ cohonestari; Et in

hoc etiam sensu neque est licita ad mortem declinandam restrictio pure mentalis. Poterit quidem acceptio rei alienæ cohonestari a circumstantia mortis declinandæ, ex. gr. Si non possum declinare mortem, quam hostis intentat, nisi accipiendo equum a Cajo ad fugiendum, acceptio ista cohonestatur ab hac circumstantia, nec habet rationem furti presse dicti, cum non sit acceptio rei alienæ invito rationabiliter Domino; At non poterit ex hac circumstantia mortis declinandæ cohonestari nec occisio Caji, qui non sit injustus invasor, nec locutio difformis menti; atque adeo etiam in tali casu locutio ista difformis menti est mendacium stricte dictum, ac similiter restrictio pure mentalis.

PROPOSITIO XXVIII.

Qui mediante commendatione, vel munere ad Magistratum, vel Officium publicum promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod de mandato Regis a similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis, quia non tenetur fateri crimen occultum.

SYNOPSIS.

I. Non proscribitur in hac thesi opinio de crimine occulto non fatendo, quando Judex non interrogat juridice.

II. Nec quando Judex interrogat juridice reum capitalis criminis, si huic affulgeat spes evadendi.

III. Neque proscribitur sola restrictio pure mentalis, seu interna pro casu thesis, sed etiam Restrictio non pure mentalis, seu externa, & æquivocatio.

IV. Immerito carpitur Lessius tanquam Auctor hujus thesis profligatæ.

V. In eo videtur ea niti, quia nemo tenetur suum delictum pandere, quoties nulla infamia, aut semiplena probatio præcessit.

VI. Non semper jus ad interrogandum, quod residet in judice, habet sibi correlativum debitum respondendi. VII. Verum in casu thesis tenetur Candidatus vel retrahere se ab eo Magistratu volendo, aut pandere crimen occultum.

VIII. Sicut quando promovendi ad Ordines Sacros interrogantur de natalibus, de censuris, de irregularitate, &c. tenentur vel retrahere se a petendis Ordinibus, vel crimina occulta detegere.

IX. Quoties interrogatio non fit a judice ad puniendum delictum, sed ad præcavendum damnum Reipublicæ, semper candide respondendum.

X. Sicut etiam quando delictum est notorium, & judex interrogat de auctore criminis, citra æquivocationem respondendum, quamvis non præcesserit semiprobatio. XI. Poteritne Candidatus æquivocare, si commendatio non fuit efficax; aut munus oblatum nullatenus influxit ad Magistratum obtinendum?

XII. Præceptum humanum nihil habet inhumani in casu nostro. XIII. Et interrogatio est juridica, quamvis non præcesserit semiprobatio. XIV. Candidatus poterit suum honorem, ad quem habet jus, servare, retrahendo se ab acceptatione illius Magistratus.

XV. Hinc pejerant Scholares, qui ad obtinendas Matriculas jurant se studuisse, cum non studuerint.

XVI. Alia ad praxim spectantia deducuntur.

XVII. Utrum qui pejeravit in casu thesis, teneatur statim Magistratu se abdicare, ac damna compensare?

I. EXponitur. Censet Filguerra apud Cardenas, in hac thesi damnari opinionem afferentem non dari obligationem fatendi crimen occultum Judici interroganti. Lumbier vero putat solum in ea damnari in hoc casu particulari restrictionem illam mentalem, quam universim Pontifex in duabus thesibus antecedentibus proscripserat. Equidem censeo neutrum in hac thesi damnari; Non primum, quia sententia afferens, quod non teneatur Reus, aut Testis manifestare coram Judice crimen occultum, quando non præcessit semiplena probatio, est omnino diversa ab ista, de qua loquitur thesis; illa enim idcirco vult non dari obligationem fatendi crimen occultum, quia Judex non interrogat juridice, si non præcedat semiplena probatio; in casu autem hujus thesis supponitur, quod Judex procedat juridice, etiamsi non præcedat semiplena probatio, eo quod non inquiratur de delicto in ordine ad punitionem, sed solum ne Magistratus, & officia publica conferantur indignis; qui mediante commendatione, aut munere promoventur; unde ex falsitate hujus thesis nullatenus descendit falsitas illius communis sententiæ, quod non teneatur testis, aut reus fateri crimen occultum coram Judice non interrogante juridice.

II. Neque in hac thesi damnatur illa alia probabilis sententia, quod reus non teneatur fateri crimen capitale, etiamsi Judex interroget juridice, si sit spes evadendi. Nam idcirco in causa capitali id permittitur a plurimis DD. apud Dia. par. 2. tract. 15. res. 27. & Lugo disp. 40. de Justitia sect. 1., quia præceptum humanum non videtur obligare cum periculo mortis, nisi quando magnitudo negotii aliud exigat: At in casu hujus thesis non agitur de morte, aut gravissima pœna declinanda, sed solum de non obtinendo Magistratu: ergo quamvis hæc thesis merito damnetur, non proinde infertur, in hac etiam damnari implicite sententiam illam valde probabilem: esto D. Th., & alii communius sentiant oppositum.

III. Neque subscribo opinioni Lumbierii, & ipsius Cardenas num. 89., quod scil. in hac thesi solum proscribatur Restrictio mentalis, de qua in duabus propositionibus antecedentibus; cum enim ex earum damnatione constet, eas Restrictiones juratas non vacare mendacio, ac perjurio, frustra id ipsum iterum in hac alia thesi statueretur. Quare censeo in hac thesi damnari, licitam esse Restrictionem etiam non pure mentalem; atque adeo etiam Æquivocationem, quoties de mandato Regis, aut ex aliquo speciali statuto juramentum illud exigitur a promoto ad Magistratum; ut proinde promotus teneatur candide fateri suum crimen occultum, nisi velit renunciare Magistratui obtento, & interrogationem illam, ac juramentum declinare. Quamvis enim Æquivocatio, ac Restrictio non pure mentalis licita sit, quando Judex reum, aut testem de crimine occulto interrogat, si non præcesserit infamia, vel semiplena probatio, aut indicia sufficientia; eo quod tunc non interrogat juridice, hoc est secun-

dum

dum ordinem juris, unde non interrogat tunc tamquam Judex, aut Superior, sed tamquam persona privata, cui nemo tenetur pandere crimen occultum: Et quamvis etiam probabile sit, licere æquivocationem in Judicio, quando Judex juridice, ac post semiplenam probationem reum interrogat, si crimen sit capitale, & detur spes evadendi mortem, aut aliam pœnam gravissimam; cum non censeatur præceptum humanum in eo casu obligare cum vitæ discrimine: Nihilominus quotiescumque de mandato Regis exigitur juramentum a promoto ad Magistratum, quod illum non obtinuerit ob commendationes, aut munera, tunc etiamsi nulla infamia, aut semiprobatio præcesserit, interrogatio est juridica, & ordinata non ad puniendum delictum, sed ad avertendum a Rep. damnum, quod sequeretur, si hac via Magistratus indignis conferrentur; & idcirco illicita prorsus est responsio æquivoca, & juramentum additum esset perjurium, ut fert communissima DD. sententia, adeo ut ignoretur quisnam fuerit hujus thesis proscriptæ Auctor.

IV. Putavit nonnemo, thesim hanc doceri a Lessio lib. 2. cap. 42. n. 48., ubi docet, quod si electio ad Prælaturam v. gr. jam sit facta mediante munere, possis coram Judice negare delictum cum Restrictione mentali, intelligendo quod non fecisti publice, vel eo modo, ut sit probabile in judicio; quia non teneris fateri crimen occultum, ubi non habetur infamia, aut probatio semiplena, aut indicia æquipollentia, ut communiter DD. tradunt. Verum Lessius non loquitur in casu hujus thesis, quando scilicet Judex juridice interrogat ad impediendam Officii publici collationem: cum ad juridice interrogandum in casu thesis non requiratur semiplena probatio delicti. Solum itaque loquitur, quando ad juridice interrogandum requiritur semiprobatio, eo quod fiat ad delictum puniendum, ut constat ex iis, quæ docet cap. 31. num. 9., ubi aperte dicit, quod si interrogatio Judicis non tendit ad punitionem delicti, (ut in casu hujus thesis) teneatur subditus fateri veritatem etiam de occultis, etsi nulla præcesserit infamia, aut semiprobatio, aut indicia; vel saltem abstinere ab eo, in quo est peccati periculum, ut cum promovendus ad Ordines rogatur de natalibus, de censuris, de irregularitate, aut cum inituri Matrimonium rogantur de impedimentis. Non est itaque carpendus Lessius, sed apte interpretandus. Nam quod Less. ibi docet, docetur etiam a Soto, Ledesma, Suar. l. 5. de Leg. cap. 9. num. 50., & aliis plurimis apud Sanch. l. 2. Cons. c. 1. dub. 52. posse scilicet negari delictum coram Judice, si ad juridice interrogandum requiratur semiprobatio, eaque desit: Thesis vero præsens docet, posse universim negari delictum occultum, atque adeo etiamsi non prærequiratur semiprobatio ad juridice interrogandum, aut licet ea præcesserit, quando requiritur, quod Lessius non somniavit. Hæc ad vindicandum tantum virum ab ea calumnia.

V. Verum cujuscujus ea thesis sit, videtur in eo niti, Primo, quia universim præceptum humanum non obligat cum gravi onere: est autem onus gravissimum delictum proprium occultum pandere, quoties nulla infamia, aut probatio, aut indicia præcesserunt: ergo poterit cum æquivocatione negare delictum, qui subordinatione interposita promotus fuit ad Magistratum, quando de mandato Regis, aut ex statuto speciali juramentum exigitur.

Secundo: Potest reus universim cum juramento negare delictum occultum, si a Judice de illo non interrogetur juridice, ut tradunt communiter DD. apud Less. l. c., & Sanch. l. 3. cap. 6. n. 25.; nec censetur juridice interrogare, nisi præcedat infamia, semiprobatio, aut indicia: ergo etiam in casu thesis poterit delictum negari, quoties ista non præcesserunt.

VI. Tertio a priori: quia, ut plurimi DD. docent, quamvis aliquis gravissimum crimen commiserit, non idcirco amittit jus proprii honoris, quousque crimen occultum, sicut latro non amittit jus ad propriam vitam defendendam: ergo quamvis juridice interrogetur reus in casu nostro, non proinde non poterit cum æquivocatione negare delictum, etiam cum juramento.

Neque dicas, quod si Judex habet jus interrogandi, consequenter Reus habet debitum respondendi ad mentem interrogantis. Nam sæpe ex varia opinionum probabilitate datur jus in uno absque reatu, seu obligatione in altero: sic qui juste ad triremes damnatus est, aut ad servitutem, probabile est, quod possit licite fugere, ut Less., Lugo, Sanch., & alii docent apud Dian. p. 7. tr. 7. ref. 12. quia præceptum non fugiendi videtur durum, & superans conditionem humanam; hujusmodi autem videtur esse etiam præceptum de pandendo proprio delicto occulto: ergo quamvis Judex legitime interroget, adhuc poterit delictum negari, etiam cum juramento, in casu thesis.

VII. Ostenditur falsitas. Quoties de mandato Regis, aut ex speciali statuto ab eo, qui vult ad aliquod officium publicum promoveri, juramentum exigitur, quod non obtinuerit illud media subornatione, aut commendatione, tunc Rex, aut Lex non intendit, quod Candidatus revelet proprium crimen patratum in hoc, quod per commendationes, aut munera promotionem procurarit; sed solum intendit, quod Candidatus retrahat se ab eo munere, ne hac via Magistratus cum detrimento Reip. conferantur indignis; ac proinde non cogit ad manifestandum crimen, nisi in hypothesi, quod nolit Magistratum sic obtentum renunciare: ergo in tali casu præceptum non est durum, sed rationabile, & valde expediens ad publicum bonum, atque adeo tenetur subditus obedire; ac proinde quamvis nulla præcesserit infamia, aut semiprobatio de delicto, debeat candide illud detegere, ut repellatur, si nolit ipse se retrahere. Propterea si juratus illud negat sub quacumque æquivocatione, peccat graviter, & juxta explicata in propositionibus antecedentibus est etiam perjurus; non secus ac peccat graviter, & est perjurus Reus juridice interrogatus de delicto, quod inquiritur ad vindictam, quando præcessit semiplena probatio, si cum æquivocatione, & juramento negetur: Æquivocatio enim non liberat a perjurio, nisi fiat ex justa causa æquivocandi.

VIII. Confirmatur: quia quando Superior promovendos ad Ordines Sacros interrogat de Natalibus, de Censuris, de Irregularitate, & quando volentes contrahere Matrimonium interrogat de impedimentis, quamvis nulla præcesserit infamia, aut semiprobatio de ullo delicto, adhuc tamen datur obligatio respondendi citra æquivocationem, adeoque manifestandi delictum occultum, ut docent communiter

cum

cum Less. l. 2. c. 31. n. 9., nisi tamen velint abstinere a petendis Ordinibus Sacris, aut Matrimonio; ergo idem dicendum in casu nostro.

IX. Ratio a priori est, quia dupliciter potest Judex, vel Superior de aliquo crimine interrogare; Primo ad illud puniendum; secundo ad impediendum commune damnum, aut alia crimina, quæ aliter sequerentur; ut quando fit interrogatio de crimine impediente susceptionem Ordinis Sacri, vel Matrimonium, & in casu hujus thesis, dum interrogatio fit de subornatione, aut favore prævio ad promotionem. Si interrogatio fiat ad puniendum delictum, proculdubio requiritur semiprobatio, aut indicia, ut juridice Superior interroget, & Subditus teneatur obedire, ut docent communiter apud Suar. loc. cit., cum id postulet æquitas juris. At quando interrogatio fit de delicto in ordine ad præcavendum damnum publicum, aut alia peccata, tunc non debet semiprobatio præire, quia bonum publicum prævalere debet privato; bono autem publico consonum est, quod subditus ad alterutrum compellatur, vel ad manifestandum delictum omnino occultum, vel ad retrahendum se ab eo munere, ad quod cum Reipublicæ detrimento vult promoveri: ergo non datur locus æquivocationi, sed debet Subditus candide respondere ad mentem interrogantis, & delictuum suum pandere; si vult persistere in proposito obtinendi Magistratum.

X. Addo, communiter DD. docere apud Dian. p. 2. tract. 15. ref. 63., quod si delictum sit notorium, quamvis nulla præcat semiprobatio, aut indicia de auctore talis delicti, adhuc possit Judex juridice, seu secundum ordinem juris interrogare aliquem de auctore criminis, ita ut ille teneatur citra æquivocationem respondere. Et ratio est, quia hoc postulat bonum publicum; aliter enim hujusmodi crimina notoria remanerent impunita. Quare, si quando interrogatio fit de delicto notorio in ordine ad punitionem, adhuc debet reus manifestari, quamvis nulla præiverit de illo infamatio, aut semiplena probatio; a fortiori hoc dicendum in casu nostro, quando interrogatio non fit de delicto in ordine ad vindictam, sed in bonum Reipub., & ad vitandas culpas, quæ facile patrantur ab obtinentibus Magistratum per munera, aut commendationes.

XI. Notandum tamen id, quod expresse habetur in proscripta thesi, videlicet ad intentionem exigentis juramentum candide respondendum esse. Hinc si præcessit commendatio, quæ tamen non fuit efficax, eo quod nullatenus illa ad promotionem influxerit, vel si munus fuit quidem oblatum, sed nullatenus profuit, docent nonnulli, quod possit Candidatus cum æquivocatione negare, quod commendatio, aut munus præcesserint, intelligendo, quod non præcesserint ita, ut propter illa Magistratus sit obtentus; sic enim ad mentem exigentis juramentum respondetur, & delictum non manifestatur: id tamen non facile admittendum, quia passim periculum subest, quod commendatio, aut munus ad promotionem induxerint: & cum hujusmodi etiam periculum velit Superior vitare, non respondetur ad mentem interrogantis, quando negatur, quod ea præcesserint. Præterquamquod facile innotescere potest, quod commendatio, aut munera præcesserint, unde scandalum, & infamia oriuntur. Quando tamen dubium est, an commendatio, aut munera ad electionem influxerint, tunc procul dubio non poterit adhiberi æquivocatio, quia stat in possessione præceptum, ut docent communiter contra nonnullos apud Sanchez lib. 1. c. 10. n. 44.

XII. Ad primam rationem in contrarium: Constat ex hactenus dictis, præceptum humanum nihil habere inhumani, si propter bonum publicum obliget aliquem vel ad proprium delictum aperiendum, ut removeatur a Superiore a male administrando Magistratu, vel ad nuncium remittendum Magistratui obtento. Arduum censetur præceptum detegendi proprium crimen in ordine ad vindictam; & idcirco in hoc tantum casu æquitas humana postulat, ne reus de illo interrogetur ante sufficientia indicia; ut proinde, si ea desint, non teneatur reus obedire, unde possit æquivocando etiam cum juramento interrogationem eludere: secus in casu nostro.

XIII. Ad secundam, Diximus juridicam esse in casu nostro interrogationem, quamvis infamia, semiprobatio, & indicia non antecesserint. Si tamen aliquando accideret, quod interrogatio fieret in ordine ad delictum puniendum, nisi ea antecedant, interrogatio non erit juridica; unde nec datur obligatio non æquivocandi.

XIV. Ad tertiam, concesso antecedente, negatur consequentia. Candidatus reus habet jus conservandi propriam famam, quousque crimen est occultum, & idcirco non habet absolute obligationem illud detegendi; sed ea obligatio solum datur, si nolit renuntiare Magistratum obtentum: hoc enim expedit ad bonum publicum, quod privatus alterutrum incommodum subeat, vel renunciandi proprium Magistratum, vel detegendi crimen occultum.

XV. Ex dictis sequitur primo, pejerare Scholares illos, qui ob obtinendas matriculas ad Lauream Doctoralem prærequisitas, dum mandato Regis, aut ex speciali statuto interrogantur, an præmiserint tempore debito studium prærequisitum, cum juramento affirmant, æquivocando, aut jurando sine animo jurandi. Constat enim ex dictis, æquivocationem in tali casu non licere; ac proinde juramentum, etiamsi fiat absque animo jurandi, esse perjurium, prout explicavimus in thesi superiore. Neque dicas, quod Ministri Regii conscii sæpe sint harum fraudum, nec illas morentur; unde videtur juramentum exigi potius ex quadam antiqua formula, quam animo impediendi susceptionem matricularum iis, qui debito studio non vacarunt; atque adeo possunt cum æquivocatione respondere. Nam quamvis aliquando Minister conniveat, non proinde fit, quod juramentum de mandato Regis exigatur mere ad pompam, ut notat Suar. l. 5. de Leg. c. 9., ubi disputat de restitutione facienda ab iis, qui alios hac via præcurrunt.

XVI. Sequitur secundo, ex Suario l. c. Soto, & aliis, advertendum, num Juramentum exigatur a Superiore, vel Judice ad deprehendendum crimen occultum, & illud vindicandum, an ad vitanda alia crimina, & damnum Reip.? In primo enim casu potest reus amphibologice respondere, ac jurare, ne crimen occultum manifestet, si non præcessit infamia, aut semiprobatio; secus vero in secundo; siquidem in secundo casu, etiam nulla præcedente infamia, aut probatione, juridice interrogatur, non tamen in primo.

Sequitur tertio, posse candidatum negare cum æquivocatione crimen occultum, si proponat statim renunciare Magistratum, & desistere ab illo. Ita

Vasq.

Vasq. disp. 168. num. 47., Salas, Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 14. Ratio est, quia tunc respondet ad intentionem exigentis juramentum, qui non intendit aut infamiam Candidati, aut punitionem delicti, sed solum ne conferantur officia publica indignis mediante commendatione, aut munere. Quod si proposuit statim Magistratum renunciare, & deinde non renunciat, quamvis non fuerit perjurius tunc, quando negavit delictum, est tamen deinde perjurus, quatenus non ponit id, ad quod ex eo juramento obligatur.

Sequitur demum, nec posse pœnitentem æquivocare, dum a Confessario interrogatur de consuetudine peccati, de quantitate furti, aut de aliis circumstantiis aggravantibus peccatorum, quoties ea notitia deservit ad rite exercendum munus Judicis, ac Medici. Ratio est, quia Confessarius tamquam Medicus simul, & Judex in foro Sacramentali legitime interrogat in ordine ad vitanda nova delicta; propterea tenetur candide pœnitens respondere, esto non teneatur ea subjicere clavibus, si de iis non interrogetur.

XVII. Dubitatur, an promotus ad Magistratum, seu Prælaturam, qui interrogatus juridice, num mediante commendatione, vel munere illa obtinuerit, veritatem pejerando occultavit, teneatur statim Prælaturam renunciare, & damna compensare alteri, qui sua causa non est electus. Certum est, quod si collatio Magistratus, vel Prælaturæ ex speciali statuto sit ipso jure irrita, quoties per commendationes, aut munera paratur additus ad illa, sive hic pejeraverit, sive non, semper teneatur ea renunciare, cum invalide fuerit promotus, ut habet Suar. l. 5. de Leg. cap. 9. n. 13. debetque pariter damna compensare ei, qui fuisset eligendus, cum fuerit illi injurius. Quod si collatio illa non sit invalida ipso jure, sed invalidanda per sententiam Judicis post delictum deprehensum, qui negavit delictum, peccavit quidem, sed non tenetur ante sententiam Judicis renunciare. Putatque Suar. contra Sot. & Ledesmam probabilius esse, quod non teneatur damna alteri compensare; cum non peccaverit contra Justitiam commutativam respectu eligendi, sed contra obedientiam, respectu Judicis, vel contra justitiam legalem respectu Reipublicæ, vel contra juramentum, & Religionem. Quod Suar. confirmat ex Navar., & aliis docentibus, Reum, qui negando inique veritatem declinat condemnationem pœnæ alias ferendæ, non teneri illam restituere.

PROPOSITIO XXIX.

Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi.

SYNOPSIS.

I. Simulatio formalis in administratione Sacramentorum semper est illicita.

II. Simulatio vero materialis videtur ob metum mortis licere.

III. Sic videtur dari posse aliquando Hostia non consecrata pro consecrata peccatori occulto, aut moribundo, ad vitandam eorum infamiam.

IV. Sicut passim Confessarii fingunt absolvere pœnitentes indispositos.

V. Ac Matrimonium sæpe simulatur ob metum.

VI. Videtur non irrogari injuria Sacramento, quippe quod tunc non habetur.

VII. Sed dicendum, reverentiam Sacramentis debitam postulare, ut sincere administrentur, quin metus ullus simulationem cohonestet.

VIII. Gravius peccat, qui ficte Sacramentum administrat, quam qui sacrilege.

IX. Illudit Christo Dom., qui fingit se meritorum Christi dispensatorem.

X. Nunquam licet præbere Hostiam non consecratam pro consecrata peccatori occulto, aut moribundo.

XI. Confessarii non simulant Absolutionem, sed solum occultant defectum Absolutionis erga indispositos.

XII. Dum simulatur contractus Matrimonialis, non ponitur materia Sacramenti Matrimonii, & ideo Sacramentum non simulatur.

XIII. Etiamsi non habeatur tunc Sacramentum, quando simulatur, adhuc illi irreverentia irrogatur per hoc, quod ponantur ejus partes essentiales, & impediatur, ne sit.

XIV. Hinc hujus thesis condemnatio non est restringenda ad solam simulationem formalem.

XV. Nec est intelligenda de aliquo tantum metu urgente, sed de quocumque, etiam mortis, juxta Regulam advertendam ad dignoscendum, Quandonam thesis proscripta indefinita sumenda sit in sensu particulari, quando vero in sensu universali?

XVI. Unde Sacerdos ab hæretico metu mortis coactus ad consecrandum totum panem, qui est in foro, nequit consecrationem simulare.

I. Exponitur. Simulatio alia est formalis, quæ fit cum voluntate directa decipiendi; alia materialis, quæ fit ob justam causam, permittendo aliorum deceptionem, eo pacto, quo per equivocationem non intenditur directe, sed ob justam causam permittitur aliorum deceptio. Quod simulatio formalis tam in administratione Sacramentorum, quam in quocumque alio casu sit illicita, non dubitatur; quippe quæ ex D. Th. 2. 2. q. 11. art. 1. depurari non potest a mendacio: Parum enim refert, ut notat Angelicus, quod mendacium fiat verbo, aut nutibus, aut alio signo exteriori, dummodo fiat animo fallendi. Quare cum mendacium sit in quovis casu illicitum, adeo ut dicat Innoc. III. Cap. *Super eo* de Usuris, *Ne pro vita quidem defendenda licitum est mentiri*; quod pariter dixit D. Petrus Simoni Mago, ut refert D. Clemens lib. 3. Recognitionum; hinc evidens est, urgentem metum non esse causam sufficientem simulandi formaliter Sacramentorum administrationem, hoc est directe intendendo aliorum deceptionem: Nec est reperire, qui in hoc dissenserit.

II. De simulatione itaque materiali fuit dissensio apud Auctores. Nonnulli enim cum Jo. Sanch. disp. 35., & aliis apud Dian. p. 3. tr. 6. ref. 83. & p. 4. tr. 4. ref. 47. ratione metus gravis licitam esse putarunt simulationem materialem in Sacramentorum administratione: Unde infert Sanch. l. c. Primo, quod si hæreticus minaretur mortem Sacerdoti, si non consecraret totum panem in foro extantem, possit hic ad mortem evadendam simulare consecrationem proferendo verba Consecratoria sine intentione consecrandi. Secundo, Confessarium posse verba absolutoria ficte proferre supra indispositum, si non posset aliter malum comminatum declinare. Tertio, posse eadem verba ficte proferre ob solatium scru-

ſcrupuloſi anxie petentis abſolutionem, etiamſi videretur indiſpoſitus. Similiter alii docent licere Sacerdoti Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata præbere in caſu urgenti, puta ſi peccator ſit indiſpoſitus, & teneatur communicare, vel ad vitandum ſcandalum, vel ne occidatur mulier a marito, ſi hic non videat illam communicare. Quæ tamen omnia audaciam, & temeritatem redolere dixit Palaus tract. 2. diſp. 1. p. 13. apud eumd. Dian. Adverſus hanc ſententiam loquitur in theſi hac profligata Pontifex, definiendo, metum ipſum mortis non eſſe juſtam cauſam ſimulandi Sacramentorum adminiſtrationem.

III. Rationes pro hac theſi videntur eſſe, Primo, quia graves, & non pauci DD. apud eumdem Dian. cum Bonac., Alberto, Villalobos, & aliis docent, peccatori occulto, qui ad vitandam infamiam communicat, poſſe miniſtrari Hoſtiam non conſecratam pro conſecrata, dummodo vitetur idololatria materialis: Quod putant fieri poſſe, ſi oſtendatur populo Hoſtia conſecrata, quæ adoretur, & a tergo illius ſit Hoſtia non conſecrata, quæ deinde detur peccatori, ipſo id ſciente, ne illam adoret.

Confirmatur: quia multi docent cum Altiſiodorenſi apud Suar. t. 3. in 3. p. diſp. 67. ſect. 4., quod ſi deſit Hoſtia conſecrata, poſſit moribundo dari Hoſtia non conſecrata in Sacrum Viaticum ad vitandum ſcandalum.

IV. Secundo; quia paſſim Confeſſarii indiſpoſitum fingunt abſolvere ad cuſtodiendum ſigillum Sacramentale, & ad illum non infamandum.

V. Tertio; quia ſæpe matrimonium ob urgentem cauſam ſimulatur licite, ut communiter docent apud Thom. Sanch. lib. 1. diſp. 11. cum Navar., Sylv., Angel., Lopez. v. gr. ad vitandum ſcandalum, vel ad declinandam mortem ſibi comminatam, poterit quis cum æquivocatione dicere, ſe in matrimonium conſentire, intelligendo, ſi ad id teneatur.

VI. Denique: Intantum non liceret ob urgentem cauſam talis ſimulatio, quia irrogaretur injuria Sacramento: atqui nulla injuria Sacramento irrogatur, quia ut docet Verric. tract. 5. q. 10., revera Sacramentum ibi non eſt, ſi ejus adminiſtratio ſimuletur, ergo licita eſt ob metum gravem iſta ſimulatio: Sicut licet ob aliam gravem cauſam matrimonium ſimulare; quia quando matrimonium ſimulatur, tunc non datur Sacramentum, cum deſit ejus materia, quæ eſt legitimus contractus.

VII. Oſtenditur tamen falſitas: quia quamvis regulariter ſimulatio materialis tam verbis, quam aliis ſignis exterioribus ob juſtam cauſam liceat, & poſſit etiam eſſe honeſta; cum etiam de Chriſto D. dicatur Luc. 24. *Et ipſe ſe finxit longius ire*; Nihilominus quoties ſimulatio aliqua externa eſt aliquatenus Deo injurioſa, tunc nullatenus licet ne ad mortem quidem declinandam: Sic nullam ob cauſam licet exterius adolere thus Idolo, etiam ſine animo adolendi; quia hæc ipſa ſimulatio eſt graviter Deo injurioſa: Et ſi Catholicus a Poteſtate publica interrogetur de ſua fide, illud ipſum tacere, ac diſſimulare eſt peccaminoſum, ut conſtat ex propoſit. 18. Innoc. XI. quia hoc ipſum eſt graviter Fidei injurioſum: atqui in caſu noſtro ſimulare adminiſtrationem Sacramentorum eſt pariter Sacramentis injurioſum: ergo ne ad mortem quidem vitandam iſta ſimulatio materialis eſt licita. Minor patet; quia reverentia debita Sacramentis poſtulat non ſolum, quod ſancte tractentur, ſed etiam quod adminiſtrentur ſincere; ut proinde, ſicut peccat graviter, qui pejerat ſine animo jurandi, eo quod non ſincere invocet Sacroſanctum Dei nomen; ita qui ficte Sacramenta adminiſtrat, quin metus mortis ſit cauſa ſufficiens ad has ſimulationes permittendas, ſicut nec ad ficte pejerandum, aut ad ficte blaſphemandum, vel adolendum Idolo thura.

VIII. Confirmatur: Gravius peccatum eſt ſimulare adminiſtrationem Sacramenti, quam ſacrilege illud adminiſtrare: atqui adminiſtrari ſacrilege non poteſt ob quemcumque metum gravem: ergo neque ficte. Major conſtat ex Cap. *De homine* de Celebr. Miſſ., ubi Innoc. III. loquens de Presbytero, qui conſcius peccati mortalis, ne ſacrilege celebraret, ficte celebravit, dicit: *Licet is, qui pro ſui criminis conſcientia reputat ſe indignum, peccet graviter, ſi ſe ingerit irreverenter ad illud; gravius tamen videtur offendere, qui ſic fraudulenter illud præſumpſerit ſimulare; cum ille in ſolius miſericordis Dei manus incidat; iſte vero non ſolum Deo (cui veretur illudere) ſed populo, quem decipit, ſe aſtringat*. Conſtat igitur, gravius committi ſacrilegium ficte Sacramentum adminiſtrando, quam adminiſtrando illud in mortali; quia Deo illudit, & hominem decipit, qui fraudulenter præſumit Sacramentum ſimulare.

XI. Confirmatur ſecundo: quia ſimulans Sacramenti adminiſtrationem fingit ſe meritorum Chriſti diſpenſatorem: ſed fingere hanc diſpenſationem eſt Chriſto illudere, quod nullatenus licet, ne ad mortem quidem declinandam: ergo urgens metus gravis non eſt cauſa juſta Sacramentorum adminiſtrationem ſimulandi.

X. Ad primam rationem in contrarium: Doctores, qui admittunt poſſe adminiſtrari peccatori occulto Hoſtiam non conſecratam pro Conſecrata, dummodo vitetur idololatria materialis, non admittunt, hanc ſimulationem eſſe licitam ob ullum urgentem metum, ſed ne aut violetur a Confeſſario ſigillum Sacramentale, ſi negetur publice Communio illi, qui ex notitia in confeſſione habita cognoſcitur eſſe indiſpoſitus, aut projiciatur margarita ante porcos communicando indignum. Verum neque hæc eſt cauſa ſufficiens hujus ſimulationis; tum quia gravius eſt peccatum Sacerdotis ſimulantis adminiſtrationem Euchariſtiæ, quam peccatum peccatoris indigne illam ſumentis, ut oſtendimus auctoritate Innoc. III.; tum etiam quia periculum Idololatriæ materialis, ut notat Cajet. 3. p. q. 80. c. 6., evitari non poteſt; quamvis enim a tergo ponatur Hoſtia non conſecrata, a populo tamen adorantur omnes illæ Hoſtiæ, quæ a Sacerdote miniſtrantur, atque adeo etiam illi Hoſtiæ non Conſecratæ adhibetur cultus materialiter idololatricus; quod licet fiat ſine peccato populi invincibiliter putantis illam eſſe Conſecratam: non fit tamen ſine graviſſima culpa Sacerdotis præbentis anſam tali cultui; adeo ut gravius peccet ex Innocent. III., quam ſi ſacrilege Euchariſtiam miniſtraret. Quare in tali caſu ſanum eſſet conſilium ex Henr. l. 8. c. 33. n. 3. quod fingatur dari Hoſtia Conſecrata peccatori occulto, ſed ſtatim retrahatur, & in Pyxidem reponatur, ſi fieri poſſit; Aliter porrigenda eſt illi Hoſtia Conſecrata, juxta exemplum Chriſti D., qui Judam proditorem communicare maluit, quam infamare, ex ſua benignitate volendo; ut magis famæ proximi conſulamus, quam reverentiæ Corpori ſuo debitæ.

Neque dicas, quod ſi fingeremus dare Hoſtiam Conſecratam peccatori illi, & ſtatim illam retraheremus,

remus, adhuc simularemus Sacramenti administrationem, quod nullatenus licet. Nam sicut non simulat Sacramenti administrationem Confessarius, qui fingit quod absolvat indispositum, ne illum infamet, quia tunc solum ob justam causam occultat defectum absolutionis; ita in casu nostro, qui fingit porrigere Hostiam Consecratam peccatori, & non porrigit, non simulat Sacramenti administrationem, sed ob justam causam occultat defectum Communionis, ne illum infamet.

Ad Confirmationem: Ex dictis constat nunquam licere dare Hostiam non Consecratam pro Consecrata; unde Suar. l. c. opinionem illam vocat improbabilem, & intolerabilem.

XI. Ad secundam: Possunt quidem Confessarii & debent occultare defectum absolutionis, ut diximus, quando dimittunt indispositum, sed nullatenus possunt proferre verba absolutoria sine intentione absolvendi, quia hoc esset Sacramenti administrationem simulare. Verum quidem est, quod si alterutrum esset necessarium, aut violare sigillum Sacramentale, aut proferre verba absolutoria sine animo absolvendi, hoc prius esset faciendum; At neutrum fieri debet, cum possit uterque scopulus declinari; si obmurmurando dicantur alia verba, perinde ac si proferretur forma absolutoria. Quare non potest clare proferri forma absolutoria sine intentione absolvendi, ut docent communiter. Nec subscribo P. Cardenas putanti, quod possit secreto dici hoc verbum, *Neutiquam*, & deinde clare addi, *Ego te absolvo*, quia verbum illud *Neutiquam* submissa voce dictum perinde esset ac si mente tantum retineretur, ut diximus cum de Restrictione mentali.

Hinc fit, ob metum gravem posse Sacerdotem fingere, quod absolvat indispositum, dicendo super illum v. g. Orationem Dominicam, & illum benedicendo, perinde ac si absolveret: At non posse proferre verba absolutoria sine animo absolvendi; nec dicere submissa voce, *Neutiquam*, & postea addere clara voce, *Ego te absolvo*. Ratio disparitatis est; quia in primo casu, ut notat idem Cardenas, non adhibetur forma Sacramenti, unde non irrogatur injuria Sacramento in ea simulatione (sicut non irrogatur Numini injuria, si quis ad declinandam mortem proferat alia verba a juratoriis, quando alter putat, quod sic ille pejeret). Cum enim Oratio illa Dominica nullatenus spectet ad administrationem Sacramenti, sicut licita est æquivocatio ob justam causam, ita ob urgentem metum gravem licita est hæc simulatio, quæ Sacramento non est injuriosa, eo quod impertinenter se habeat ad illud; secus vero in secundo casu, in quo forma a Christo instituta ad Sacramentum conficiendum ficte, fraudulenter, atque adeo indebite usurparetur: per hanc enim simulationem materialem Sacramentis, & meritis Christi illuderetur, non secus ac illuderet Deo, qui juraret sine animo jurandi, nec solum contra Veracitatem peccaret, sed etiam contra Religionem, & quidem mortaliter, si juraret falsum sine animo jurandi, ut ostendimus in expositione proposit. 26.

XII. Ad tertiam: Ex hac doctrina præjacta patet disparitas, cur liceat ob urgentem metum gravem simulare celebrationem contractus Matrimonialis, ut docent communiter apud Palaum tom. 5. dis. 2. punct. 12. non vero simulare administrationem Sacramenti. Ratio est, quia dum simulatur contractus Matrimonialis, tunc non ponitur materia, aut forma Sacramenti Matrimonii, nempe mutuus consensus: contra vero dum quis simulat v. g. administrationem Sacramenti Pœnitentiæ dicendo, *Ego te absolvo*, sine animo absolvendi, tunc ponit formam a Christo institutam ad conficiendum hoc Sacramentum: ergo in primo casu potest homo ob urgentem metum gravem simulare voluntatem contrahendi, & sic nullatenus ponere constitutiva Sacramenti Matrimonii; at non potest in secundo casu Sacramenti Pœnitentiæ administrationem simulare, eo quod poneret formam a Christo institutam absque intentione efficiendi Sacramentum. Et ratio ulterior est, quia in Sacramento Matrimonii magis attenditur consensus internus, quamvis per signa externa manifestetur; quippe qui est materia Sacramenti: in aliis vero Sacramentis magis attenduntur ipsa signa externa, & ideo, hæc nunquam possunt ob urgentem metum simulari: Sicut nec potest simulari materia Sacramenti Matrimonii, per hoc quod quis velit celebrare contractum Matrimonialem, & simul nolit Sacramentum Matrimonii suscipere: v. g. in casu quo conscius sibi peccati mortalis nollet Sacramentum suscipere sacrilege, & nollet contritionem præmittere, ac proinde ob urgentem metum gravem simularet Sacramentum recipere, cum revera illud nollet. Hic procul dubio graviter peccaret per hanc simulationem, quia revera poneret materiam Sacramenti absque animo, quod Sacramentum conficiatur, & gravius peccaret per hanc simulationem, quam si sacrilege Sacramentum Matrimonii reciperet, ut ostendimus. Est etiam alia disparitas, quia Matrimonium, si ob metum gravem celebretur, est ipso jure irritum; unde sive contractus simuletur, sive non, nunquam suscipitur Sacramentum Matrimonii, quod non accidit in reliquis Sacramentis.

XIII. Ad ultimam: Non solum irrogatur gravis irreverentia Sacramento, quando est, sed etiam quando ponuntur ejus partes essentiales, & impeditur, ne fit; sicut irreverentia irrogatur Deo, non solum si invocetur ad falsum testandum, sed etiam si ponantur verba juratoria, & non invocetur, ut proinde sacrilege pejeret etiam qui falsum jurat sine animo jurandi, ut diximus in expositione proposit. 26. Sic etiam proli dicitur esse injurius, non solum qui conceptam enecat, sed etiam qui adhibendo media ad ejus conceptionem instituta, impedit tantum ne concipiatur; ut proinde in nullo casu licita sit pollutio. In casu autem quo quis ficte matrimonium celebrat ob gravem metum, non ponit materiam ad conficiendum hoc Sacramentum institutam, (nempe contractum legitimum) & ideo non est injurius Sacramento.

XIV. Ex dictis infertur, in thesi proscripta non solum damnari simulationem formalem, sed etiam materialem in Sacramentorum administratione. Ratio est, quia de hac tantum erat sententia in contrarium, non de illa; & rationes adductæ apertissime ostendunt hanc etiam esse illicitam. Quare licet condemnationes istæ, & leges Pontificiæ, utpote odiosæ, stricte sint interpretandæ, siquidem ex Reg. juris in 6. *In obscuris quod minimum est sequimur*; Nihilominus interpretatio facienda est juxta meritum causæ, & juxta communem intelligentiam; nec est obscurum in casu nostro, aut dubium, num sola simulatio formalis, & non etiam materialis damnetur.

XV. Unde infertur ulterius, quid ad subtilissimam illam difficultatem, Num scil. ex vi præsentis Pon-

Pontificiæ proſcriptionis damnetur ſolum, quod aliquis tantum urgens metus gravis, puta infamiæ, ſit cauſa juſta ſimulandi Sacramentorum adminiſtrationem, an vero quod quilibet metus etiam graviſſimus, puta mortis? Juxta regulas ſummuliſticas videtur, quod hoc ſecundum non damnetur. Ratio eſt, quia quando aliqua propoſitio damnatur, tunc ſolum debet eſſe vera contradictoria; atqui hujus propoſitionis damnatæ, Urgens metus gravis eſt cauſa juſta (quæ cum ſit indefinita, videtur facere ſenſum univerſalem, & ſignificare, Omnis urgens metus gravis &c.) contradictoria eſt iſta, Aliquis metus gravis non eſt cauſa juſta, &c. ergo vi hujus condemnationis ſolum debet eſſe verum, quod aliquis metus gravis, puta infamiæ, non vero quod quilibet metus gravis, etiam mortis non ſit juſta cauſa adminiſtrandi ficte Sacramentum. Hæc tamen ratiocinatio nulla eſt, ſi advertatur ad ſcopum propoſitionis, qui diligenter adverti debet, ne paralogizetur in his materiis. Propoſitio iſta damnata indefinita duplicem ſenſum poteſt habere: Primus eſt univerſalis, vid. Omnis urgens metus gravis, &c. & ſi hunc ſenſum faceret, rite juxta regulas ſummuliſticas inferretur, quod ex vi hujus proſcriptionis non ſit illicitum, ob aliquem metum graviſſimum, puta mortis, ficte Sacramenta adminiſtrare. Secundus ſenſus, quem poteſt habere, & de facto habet, ex dictis, eſt particularis, vid. Aliquis urgens metus gravis eſt cauſa juſta, &c. Et hujus contradictoria eſt, Nullus metus gravis eſt cauſa juſta, &c. unde fit, ne metum quidem mortis poſſe reddere licitam hanc ſimulationem. Quod autem propoſitio iſta proſcripta indefinita accipienda ſit in ſenſu particulari, & non in ſenſu univerſali, conſtare debet ex ipſa materia, quæ proſcribitur, & communi ſenſu, & ex mente eorum, qui theſim proſcriptam docuerunt. Et juxta hanc regulam in aliis propoſitionibus damnatis ratiocinandum eſt. Sic ex. gr. propoſ. 26. Innoc. XI. quæ dicit non eſſe mendacem, nec perjurum, qui utitur reſtrictione mentali ſive hoc, ſive illo modo, duplicem ſenſum habere poteſt, vid. vel univerſalem, quod ſcil. Omnes illi modi enumerati in illa theſi excuſent a mendacio, & perjurio; vel particularem, quod ſcil. Aliquis ex illis modis excuſet. Si faceret ſenſum univerſalem, ex vi talis proſcriptionis deberet ſolum eſſe vera ejus contradictoria, quod ſcil. Aliquis ex illis modis non excuſet: Si autem ſenſus illius theſis ſit particularis, erit vera ejus contradictoria univerſalis, quod ſcil. Nullus ex iis modis a mendacio excuſet. Quod autem in hoc ſecundo ſenſu particulari accipienda ſit ea theſis, ex ipſa materia, quæ proſcribitur, & ex rationibus, quæ ad illam proſcribendam Pontificem induxerunt, dignoſcendum eſt; necnon ex mente eorum, qui illam docuerunt. Idem etiam dicas de propoſ. 34. ejuſdem Innoc. XI. ubi dicitur, Licitum eſſe procurare abortum, ne puella occidatur, vel infametur: Neutrum enim ex his capitibus reddit licitum abortum, quia propoſitio damnata ſumenda eſt in ſenſu particulari, perinde ac ſi diceret; Alterutrum ex his capitibus ſufficit; & non in ſenſu univerſali, ac ſi diceret: Utrumque hoc caput ſufficit ad licite procurandum abortum: & ſic de aliis propoſitionibus ratiocinandum, ut dicemus etiam in expoſitione propoſitionis 53. de auditione ſimultanea plurium partium Miſſæ.

XVI. Dubitatur, an ſi Sacerdos ab hæretico ſub interminatione mortis cogeretur ad conſecrandum totum panem in foro extantem; poſſet ille in ſenſu æquivoco dicere, Hoc eſt Corpus meum, intelligendo de ſuo corpore, eo pacto quo Chriſtus D. Joan. 2. dixit, *Solvite templum hoc*, intelligendo de Templo Corporis ſui, quamvis alii putarent, ipſum loqui de Templo Hieroſolymitano. Affirmat nonnemo in expoſitione hujus theſis. Equidem negandum cenſeo; tum quia hæc ipſa æquivocatio, non ſecus ac prolatio externa formæ conſecratoriæ ſine animo conſecrandi, fert gravem irreverentiam Sacramentis, ac meritis Chriſti Dom. ſicut fert gravem irreverentiam Deo blaſphemia etiam in ſenſu æquivoco prolata ad mortem evadendam; necnon externa adoratio facta idolo in ſignificatione æquivoca: tum etiam quia ſi liceret in tali caſu æquivocatio, liceret etiam reſtrictio mentalis non pura, aut locutio materialis ob circumſtantiam illam metus incuſſi; ad eum modum, quod ob conſimilem circumſtantiam hæc licent Confeſſario, qui cogitur ad revelandum ſigillum Sacramentale, juxta explicata in propoſitione 26. quod tamen in caſu noſtro nemo admiſerit.

PROPOSITIO XXX.

Fas eſt viro honorato occidere invaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit: idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fuſte percutiat, & poſt impactam alapam, vel ictum fuſtis fugiat.

PROPOSITIO XXXI.

Regulariter occidere poſsum furem pro conſervatione unius aurei.

PROPOSITIO XXXII.

Non ſolum licitum eſt defendere defenſione occiſiva, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos poſseſsuros ſperamus.

PROPOSITIO XXXIII.

Licitum eſt tam hæredi, quam legatario contra injuſte impedientem ſe taliter defendere, ſicut & jus habenti in Cathedram, vel Præbendam contra eorum poſſeſſionem injuſte impedientem.

SYNOPSIS.

De his omnibus ſatis ſuperque in expoſitione theſis 17. Alexan. VII.

QUod attinet ad has quatuor propoſitiones, abunde de iis diximus in expoſitione theſis 17. Alex. VII. idcirco ad alias expendendas hic gradum facimus.

PRO-

PROPOSITIO XXXIV.

Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur, aut infametur.

SYNOPSIS.

I. Sensus hujus indefinitæ thesis non est universalis, sed particularis, videlicet quod tam mortis, quam infamiæ metus excuset a procurando abortum fœtus inanimis.

II. Videtur ad mortem, vel infamiam prægnantis vitandam licite posse procurari; Sicut potest sumi pharmacum causans abortum, quando a fętu inanimi imminet mors. III. Universim enim quod est licitum ad mortem declinandam, quoties ea imminet ab intrinseco, licitum etiam erit, si ea ab extrinseco immineat; puta amputare sibi brachium, vesci carnibus humanis, rem alienam surripere, &c.

IV. Intantum non liceret hic abortus, inquantum impediretur vita fętus: At si prægnans occidatur, adhuc fœtus non animabitur. V. Hac de causa licitum est dare pharmacum prægnanti, etiamsi timeatur abortus fętus animati; quia scilicet aliter prægnans simul, & fœtus interibunt.

VI. Sed tam dicitur homicida, qui vitam homini adimit, quam qui impedit immediate, & proxime, ut in casu. VII. Hinc ne ob metum quidem mortis licitum est procurare pollutionem, & a fortiori nec abortum. VIII. Quoties mors prægnantis imminet ab ipso fętu, licitum est directe procurare abortum, dummodo fętus sit inanimis, non vero si sit animatus. IX. Nunquam tamen licet pollutionem procurare, etiamsi ex abundantia, aut corruptione seminis immineat mors.

X. Sicut possumus cum moderamine debito occidere invasorem vitæ, ne ab eo occidamur, quin tamen possimus interficere Petrum ad evadendam mortem, quam aliter Tyrannus comminatur; ita potest procurari directe abortus fętus inanimis, quoties mors prægnanti imminet ab ipso fętu, non vero si immineat ab extrinseco. XI. Sæpe quidem quæ licita sunt ad evadendam mortem ab intrinseco imminentem, licent etiam ad illam declinandam, si immineat ab extrinseco; at non in casu nostro. XII. Potius toleranda est mors prægnantis, & quod fętus non animetur. XIII. Quoties mors prægnantis imminet ab ipso fętu inanimi, hic se habet tanquam vitæ invasor, & ideo dispar ratio.

XIV. Hinc nec licet abortum fętus inanimis directe procurare ad vitandam infamiam alicujus sacri Gynæcei. XV. Immo nec pharmaco indirecto.

XVI. Nec licet unquam hominis conceptionem immediate, ac proxime impedire.

XVII. Quicquid sit, an fęmina per vim oppressa possit continuo semen expellere; non potest tamen deinde. XVIII. Etiam ipsa prægnans abortum procurans excommunicationem incurrit. XIX. Et irregularitas incurritur, etiam in dubio, an fœtus fuerit animatus.

I. EXponitur. Ad rectam intelligentiam hujus thesis advertenda est Regula tradita in expositione propositionis 29. Nam si hæc thesis indefinita faceret sensum universalem, videlicet, Utrumque ex his capitibus sufficit ad procurandum abortum fœtus inanimis; aut ne infametur, aut ne occidatur puella, sequeretur, quod ex vi hujus proscriptionis inferretur, solum esse veram ejus contradictoriam particularem, vid. Aliquod ex his capitibus non sufficit; cum quo bene sustineri posset, quod licet non sufficiat caput illud, ne puella infametur, sufficiat tamen alterum caput, ne scilicet occidatur, Verum hæc thesis sumenda est in sensu particulari, vid. Aliquod ex his capitibus sufficit; Unde vera debet esse ejus contradictoria universalis, vid. Neutrum caput sufficit, ita ut non liceat hujusmodi abortus neque ad vitandam infamiam, neque ad vitandam mortem puellæ.

II. Quod autem possit hic abortus procurari, saltem ne puella occidatur, docuerunt Torreblanca, Bordonus, Zambellus, & alii; & probabile id putaverunt Lezana, Trull., aliique apud Dian. p. 6, tract. 8. res. 37. Primo, quia si puellæ mors immineret immediate ab intrinseco, seu ab ipso fœtu inanimi, posset summi pharmacum directe intentivum abortus, juxta sententiam, quam Sanch. l. 9. de Matrim. dis. 20. n. 10. vocat communissimam, contra Navar., & alios; quia fœtus inanimis est veluti pars viscerum; unde sicut potest amputari digitus, vel brachium ad vitam conservandam, ita potest illa veluti pars viscerum expelli ad vitam matris conservandam, præsertim quia matre pereunte, fœtus ille non animabitur: ergo poterit etiam hic abortus procurari, quando aliter mors immineret matri ab extrinseco, vid. ne ab aliis occidatur: Immo videtur id licere, etiamsi puellæ immineret sola infamia, quia hæc sæpe deterior est morte, juxta illud 1. ad Cor. 9. *Bonum est mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet.* Probatur consequentia; quia sive mors immineat matri ab intrinseco, sive ab extrinseco ratione fœtus, semper illa jus habet ad vitam tuendam, atque adeo semper potest abortum procurare, si fœtus sit inanimis: Esto id non possit, quando est animatus, ne sine baptismo moriatur; solum enim in tali casu licitum est parenti sumere pharmacum, directe intendendo curationem ab ægritudine, quamvis prævideatur probabiliter secuturus abortus, qui permitti potest ad vitam Genitricis conservandam.

III. Secundo, quia universim quæcumque media licita sunt ad mortem declinandam, quando mors aliter imminet ab intrinseco, sunt etiam licita, si mors immineat ab extrinseco, puta a Tyranno: sed procurare abortum fœtus inanimis est licitum, quando aliter mors imminet prægnanti ab intrinseco: ergo etiamsi immineat ab extrinseco. In minori Sanch. l. c. dicit neminem invenisse dissentientem præter Navarrum; non tenetur enim parens cum discrimine vitæ retinere fœtum inanimem, quando potest etiam membrum suum animatum abscindere ad vitæ conservationem. Major autem multis exemplis fit perspicua. Nam ex eo quod possit homo sibi brachium abscindere, quando aliter mortem declinare non potest, inferunt multi cum Bannez, Soto, Ledesma, Lessio, Baldello, quod possit etiam sibi brachium amputare, quando Tyrannus id jubet sub interminatione certæ mortis. Similiter ex eo quod Cajet. 2. 2. q. 118. art. 3. cum aliis doceat, licitum esse in extrema necessitate vesci carnibus humanis, infert Victoria, Sanch. & alii apud Dian. p. 3. tr. 6. res. 48. idem prorsus dicendum, si alioquin mors ab aliis esset inferenda. Cajet. pariter 2. 2. q. 150.

2. q. 150. ar. 2. & Ledesma docent licitam esse ebrietatem, si tanquam pharmacum sumatur ad vitam conservandam; & ideo Vil. Less. Lay. Dian. p. 6. tr. 7. res. 44. contra nonnullos inferunt, posse aliquem se inebriare, quando aliter Tyrannus mortem minitetur: Sic etiam licitum est accipere rem alienam tam in extrema necessitate, quam si alius mortem aliter comminetur, ut docet Palaus ex D. Th. & Vasq. ergo universim quod est licitum ad mortem ab intrinseco imminentem declinandam, licitum erit, si ea ab extrinseco impendeat.

IV. Tertio, intantum non esset licitum procurare hunc abortum, quia esset in præjudicium fœtus animandi, atque adeo in præjudicium speciei humanæ per hæc media propagandæ; quamvis enim proprie homicidium non sit, quia vitam non aufert: est tamen reductive, quia proxime, & immediate vitam impedit; idque multo magis, quam effusio seminis, ut proinde neutrum possit ullatenus quacunque ex causa cohonestari. Hæc tamen ratio videtur esse nulla in casu nostro; quia nisi procuretur abortus, prægnans occidetur, & sic nunquam fœtus animabitur; cessat itaque ratio, cur nequeat abortus procurari.

V. Confirmatur: Idcirco quando fœtus est animatus, potest dari pharmacum prægnanti, quamvis ex illo timeatur abortus, quia supponitur, prægnantem simul, & fœtum alioqui morituros: ergo quia in casu nostro supponitur, quod prægnans sit occidenda, & fœtus non sit animandus, poterit pariter expelli fętus ad salvandam vitam prægnantis.

VI. Ostenditur falsitas: quia tam dicitur homicidii reus, qui procurat abortum fętus animati, quam qui inanimati, non quia in hoc secundo casu vitam homini adimat, sed quia proxime, & immediate vitam hominis impedit: homicidium autem ob nullum metum cohonestari potest; quamvis enim possit quis cum moderamine inculpatæ tutelæ invasorem occidere, non potest tamen homicidium committere, ne ipse ab alio occidatur: ergo non potest procurari abortus, ne puella deprehensa gravida occidatur, & multo minus ne infametur, sive fœtus sit animatus, sive inanimis. Major constat ex cap. *Si aliquis, de Homicidio*, ubi dicitur: *Si aliquis causa explendæ libidinis, vel odii meditatione homini, aut mulieri aliquid fecerit, vel ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci foboles, de homicidio tenetur*. Idemque docet Tertull. in Apolog. c. 1. dicens: *Nobis vero, homicidio semper interdicto, etiam conceptum utero, dum sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet: Neque refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet*.

VII. Confirmatur: quia magis proxime, & immediate ad hominis generationem concurrit fętus inanimis, quam semen: atqui ne ob metum quidem mortis licitum est pollutionem procurare, ut est in confesso: ergo a fortiori non licet procurare abortum fętus inanimis ad vitandam occasionem prægnantis; cum enim hæc ordinentur ad speciei humanæ conservationem, nulla excogitabilis causa potest eorum expulsionem cohonestare; solumque licitum est fętum inanimem expellere, quando se habet tanquam invasor vitæ matris. Sicut autem cum moderamine inculpatæ tutelæ licitum est invasorem injustum occidere (immo etiam invasorem innocentem, puta furiosum, aut amentem) si aliter mors declinari non possit, ut notat Dian. p. 5. tr. 4. res. 34. nunquam tamen licitum est Socratem occidere ad effugiendam mortem, quam Cajus tibi aliter intentet: ita cum eodem moderamine licitum est fœtum inanimem expellere, tanquam matris invasorem; nunquam vero illum expellere licitum est ad vitandam mortem prægnantis, quam alius aliter vellet occidere.

VIII. Quoad fœtum vero animatum, est aliqua dispar ratio; cum enim ex defectu baptismi hujusmodi fœtus passurus sit æternam mortem, si occidatur, idcirco nunquam licet directe expellere, etiamsi ille invasor sit vitæ parentis, sed solum licitum est pharmaco aliquo directe procurare vitam, & salutem parentis, etiamsi prævideatur abortus secuturus; quia præstat vitam matris tueri cum abortu permisso, & non intento, quam expectare utriusque mortem. At fœtus inanimis communius docent contra Vasq. Less. Navar, Filliuc. Amicum, quod possit etiam directe expelli, si sit invasor vitæ parentis, non vero si mors ab extrinseco immineat; ut nec potest pollutio procurari.

Neque dicas, disparem esse rationem inter procurationem pollutionis, & procurationem abortus inanimati, quia ut notat Sanch. l. 9. disp. 20. n. 12. pollutio nunquam procurari potest, etiamsi aliter mors timeatur, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, idque propter periculum imminens consentiendi in delectationem, at hoc periculum non habetur in abortu fętus inanimati: ergo sicut licitum est procurare hunc abortum, quando mors imminet ab intrinseco, ut communius concedunt, licebit etiam, quando mors imminet ab extrinseco.

Nam paritas inter procurationem pollutionis, & abortus fœtus inanimati stat in hoc, quod utrumque impedit generationem hominis, in ordine ad quam instituta sunt a natura semen, & fętus; & quidem magis proxime impedit illam abortus, quam pollutio: ergo si hæc a metu mortis non cohonestetur, eo quod frustraretur natura fine suo, & injuria irrogaretur ipsi speciei humanæ, cujus propagatio impeditur, a fortiori idem dicendum de abortu fętus inanimati.

IX. Verum quidem est, licite procurari abortum hujus fœtus, quando aliter mors parenti imminet ab extrinseco; non posse tamen licite procurari pollutionem, quando ex abundantia, aut corruptione seminis mors imminet. Disparitas tamen est, quia fœtus tunc se habet ut aggressor vitæ, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ potest repelli, quando alia via non suppetit; At quamvis semen aliquando se habeat ut aggressor vitæ, suppetit tamen alia via occurrendi illi. Quod si per accidens aliquando non suppeteret, non proinde aperiendum esset hoc ostium, permittendo scilicet procurationem pollutionis, in qua periculum imminet consentiendi in delectationem, & idcirco nunquam hæc poterit cohonestari. Constat autem ex alibi dictis, quod quando aliqua operatio prohibetur a lege positiva, aut naturali ratione periculi alicujus damni, quod facile imminet, prohibitio non cessat, etiamsi hic & nunc per accidens periculum cesset: propterea lex de non fornicando nunquam cessat, quamvis per accidens hic & nunc cesset periculum male educandi prolem, ratione cujus periculi illa est intrinsece mala: atqui procuratio pollutionis a lege naturali prohibetur propter periculum imminens consentiendi in eam delectationem: ergo quamvis videatur aliquando hujusmodi periculum cessare, adhuc ea est intrinsece mala, & lege naturali prohibita: facile enim esset

sibi persuadere : quod ea sit necessaria ad mortem declinandam, & quod cesset illud periculum: unde facile esset in eam delectationem consentire.

X. Ad primam rationem in contrarium patet disparitas ex dictis ; tam brachium potest abscindi, quam fętus inanimis, quando mors aliter imminet ab intrinseco, quia se habent ut invasores vitæ, secus vero si mors ab extrinseco immineat, ut in casu nostro. Et dato, quod posset aliquis sibi digitum amputare, ne ab alio occidatur, non propterea, ne occidatur, poterit procurare abortum fętus inanimati. Ratio est, quia hujmodi fętus se habet ut alter homo in potentia proxima, ut proinde reus homicidii dicatur, qui abortum procurat. Quare sicut non possumus alium non invasorem occidere directe, ne ab invasore occidamur (quamvis possimus fugere ab invasore, ita ut ex fuga infans v. g., modo sit baptizatus, conculcetur, & sic permittere ejus mortem) ita nec possumus abortum licite procurare, ne puella prægnans occidatur.

XI. Ad secundam : Esto sæpe quæ licita sunt ad vitandam mortem, quando hæc imminet ab intrinseco, liceant etiam, quando imminet ab extrinseco; at non in casu nostro; quia quando mors prægnantis imminet ab intrinseco, tunc fętus se habet ut invasor vitæ matris, & ideo potest licite expelli, sicut potest invasor occidi ; secus vero si mors immineat ab extrinseco.

XII. Ad tertiam: Argumentum probat nimis; probat enim, quod si quis mihi, & Titio mortem comminetur, nisi ego Titium occidam, possim ego Titium interficere : sicut ergo potius toleranda est utriusque mors, quam occidere Titium non invasorem ; ita in casu nostro potius toleranda est mors prægnantis, ita ut etiam impediatur animatio fętus, quam abortum procurare fętus inanimis, quod sine reatu homicidii, ut diximus, fieri non potest.

XIII. Ad confirmationem, Pharmacum directe causans abortum fętus animati non potest sumi licite, quamvis hic fętus videatur invasor vitæ Genitricis ; quia prævalere debet bonum spirituale illius fętus non baptizati ipsi vitæ Genitricis: solum in hoc casu licitum est pharmacum directe causans salutem matris, quamvis prævideatur secuturus abortus, quando aliter mors utriusque declinari non potest. Contra vero, sicut directe possumus brachium secare, ita directe procurare abortum fętus inanimis, juxta communiorem sententiam, quia reputatur ille tanquam vitæ invasor, si aliter mors declinari non possit. Quando autem fętus censendus sit animatus, dicemus in expositione propositionis sequentis.

XIV. Ex hactenus discussis sequitur primo, non licere abortum fętus inanimis procurare etiam ad vitandam infamiam alicujus Communitatis, puta Familiæ nobilis, aut sacri alicujus Gynæcei ; cum enim id sit intrinsece malum, non secus ac aliquem occidere non invasorem, aut pollutionem procurare, sequitur, quod nulla omnino ex causa cohonestari possit.

XV. Sequitur secundo, quod neque liceat procurare abortum fętus inanimis pharmaco aliquo indirecto ad vitandam infamiam, aut ne occidatur prægnans. Ratio est eadem, quia sive expellatur fętus pharmaco directe intendente ejus expulsionem, sive pharmaco intendente directe salutem prægnantis, & indirecte expulsionem fętu, semper est intrinsece malum, quando non periclitatur alioqui vita prægnantis : Hinc sicut poni nequit causa per accidens pollutionis ex intentione, quod ea sequatur ; ita poni nequit causa per accidens abortus ex intentione, quod sequatur, quando non se habet fętus ut invasor vitæ matris.

XVI. Sequitur tertio, quod neque liceat impedire hominis conceptionem quacunque ex causa : Quod si mulier prudenter timeat sibi mortem imminere ex partu, tunc non tenetur reddere debitum conjugi; non potest tamen eo animo reddere debitum, ut conceptionem impediat.

XVII. Sequitur quarto, quod si fęmina per vim sit oppressa, possit ad summum continuo semen expellere, tamquam injustum aggressorem castitatis ad infamiam vitandam, ut probabiliter putat Sanch. l. 2. disp. 22. n. 17. ; at postea nullatenus expelli potest, sicut nec fętus : Ad eum modum, quo potest continuo injustus invasor cum moderamine inculpatæ tutelæ occidi, sed post injustam invasionem non licet, quia hæc non esset defensio, sed ultio.

XVIII. Utrum autem prægnans procurans abortum incidat in excommunicationem latam per Sixtum V. contra procurantes abortum? Negat Naldus apud Dia. p. 7. tr. 5. ref. 7., quia ex verbis Bullæ videtur eximi ipsa prægnans: At communissime DD., ut ipse Naldus advertit, affirmant ; quia Bulla loquitur de omnibus, qui quomodocunque, ope, consilio, vel alia ratione, sive per se, sive per alios, ad abortum concurrerint. Notandum tamen Greg. XIV. voluisse hanc excommunicationem incurri solum propter abortum fętus animati, & effectu secuto ; ita tamen ut a Confessario approbato ad id specialiter deputato ab Ordinario possit absolvi. Ubi Bonacina apud eundem Dia. ref. 15. advertit, dici probabiliter ad id specialiter deputatum ab Ordinario etiam illum, qui habet generalem facultatem ab Ordinario absolvendi ab omnibus censuris reservatis, ut sunt Pęnitentiarii Ecclesiæ Metropolitanæ; quamvis ipse, dum Pęnitentiarii munus obibat, de hoc non leve dubium haberet.

XIX. Quod autem attinet ad irregularitatem, quæ ex procuratione abortus fętus animati effectu secuto incurritur, dicendum, quod in dubio, fuerit necne animatus, ea incurratur, ut docent communiter cum Avila, Barb., Molin. contra nonnullos apud Dia. ref. 24., sicut etiam in dubio, num medium certo adhibitum fuerit causa abortus, an vero aliunde abortus evenerit. Ratio est, quia etiam in dubio homicidii incurritur irregularitas. Cum autem communiter doceant ex Aristotele l. 3. de Anim. c. 3., & Plin. l. 7. c. 6. contra nonnullos, marem die 40. animari, & fęminam die octogesimo, non est censendus irregularis qui ante hos dies procuraverit abortum. Si tamen procurato abortu post quadragesimum diem dubitetur, num fętus sit masculus, an fęmina? præsumendum esse masculum, & irregularitatem incurri, ut advertit idem Dia. re. 6. ex Macha., & Bord., prout servat Sacra Pęnitentiaria ; ac propterea ex procuratione talis abortus effectu secuto incurritur etiam privatio beneficii, ac dignitatis, & inhabilitas ad ea obtinenda citra dispensationem Sedis Apostolicæ.

PRO-

PROPOSITIO XXXV.

Videtur probabile, omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali, & tunc primum incipere eandem habere, cum paritur; ac consequenter dicendum erit, in nullo abortu homicidium committi.

SYNOPSIS.

I. Prior hujus thesis error, quod fœtus, quamdiu est in utero, careat anima rationali, est speculativus: alter ex illo deductus, quod nunquam in abortu homicidium committatur, est practicus.

II. Suadetur prior pars, tum quia nequit fętus, antequam in lucem edatur, simul cum Matre baptizari; tum etiam quia aliter non facile explicaretur, quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri; tum demum quia sic facile salvatur, quomodo ante nativitatem nemini detur a Republic. tutor, nec a Deo Angelus tutelaris proprius, & alia id generis.

III. Hoc tamen non subsistit; tum quia circa septennium deberet anima rationalis infundi, si ea deberet reperire organa disposita ad operationes discursivas; tum etiam quia si fętus abortive editus moveatur, baptizandus est; tum demum quia aliter non essent Martyres, qui decedunt in utero Matris interemptæ in odium Fidei.

IV. Ideo ad Baptismum præsupponi debet nativitas temporalis, quia per illum homo spiritualiter renascitur.

V. Varie a Doctoribus apte explicatur, quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri, etiam infantes in utero Matris decedentes.

VI. Non datur a Republica his infantibus Tutor, eo quod careant propriis bonis: Datur tamen illis a Deo, juxta veriorem sententiam, proprius Angelus tutelaris.

VII. Etiamsi dubitaretur, an fętus in utero careat anima rationali, adhuc procurans abortum fętus animati dicendus est homicida, & irregularitatem incurrit.

VIII. Et licet esset probabilis prior pars hujus thesis speculativa, non proinde erit probabilis altera pars practica.

IX. Excusatur ab homicidio, qui procurat abortum, quando moraliter certum est fœtum non esse animatum, videlicet ante diem quadragesimum.

X. Sententia opposita censetur probabilis.

I. Exponitur. Duplex deliramentum est advertere in thesi hac confixa; Alterum speculativum, quod probabile sit fœtum non animari anima rationali, antequam in lucem edatur; Alterum practicum, quod data hac probabilitate, in nullo abortu homicidium perpetretur. Ex quo fieret etiam, quod nunquam propter procurationem abortus excommunicatio, aut irregularitas incurreretur; nec privatio beneficii, ac dignitatis, aut inhabilitas ad ea obtinenda sine dispensatione Sedis Apostolicæ, cum hujusmodi pœnæ olim latæ a Sixto V. post Bullam Greg. XIV. non incurrantur, si fœtus sit inanimis. Immo etiam hinc fieret, quod posset licite quilibet abortum directe procurare, quando ex illo imminet mors Genitricis; cum possit id fieri juxta probabilem, & communiorem sententiam, quando fœtus nondum est animatus, ut diximus in expositione propositionis antecedentis.

II. Quod attinet ad primam partem thesis speculativam, docuit illam, ut refert Caramuel in Theol. Fundam. nu. 1193. Joannes Marcus Protomedicus Pragensis, subscribentibus quibusdam Theologis, & Universitate Lovaniensi non repugnante: ejusque fundamentum videtur esse, Primo auctoritas Jurisperitorum, qui cum Tiraquel. ad l. *Si unquam* Cod. de Revoc. Donat. n. 148., Baldo, & aliis docent homicidium non committi, quamvis fœtus in ventre perimatur.

Secundo auctoritas Theologica S. Isid. l. 1. de Summo Bono relati in Cap. *qui in maternis* 4. de Consecr. dist. 4. ubi dicitur: *Qui in maternis uteris sunt, cum matre baptizari non possunt; quia qui natus adhuc secundum Adam non est, renasci secundum Christum non potest: Neque enim dici regeneratio in eo poterit, quem generatio non præcesserit.*

Tertio, quia peccatum originale contrahitur a die nativitatis: ergo tunc primum fętus animatur anima rationali. Antecedens, quod videtur absonum, suaderi potest ex verbis Eccl. 30. *Jugum grave* (quod Gelasius Papa Epist. 1. contra Pelag. intelligit de originali) *a die exitus de ventre matris eorum usque ad diem sepulturæ.*

Quarto, quia si in utero matris fœtus informaretur anima rationali, non facile explicaretur, quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri; siquidem infantibus in utero matris decedentibus sæpe nulla humana providentia potest applicari Baptismus, nec potuit olim circumcisio, vel remedium in statu legis naturæ institutum ad salutem. Quomodo enim dici poterit, Deum velle serio finem, si velit media ad illum consequendum esse moraliter impossibilia?

Quinto demum, quia si dicatur anima fętus ante partum non esse rationalis, sed sensitiva, salvantur optime multa quæ aliter difficile salvari possunt, vid. Quare ætas hominis a die nativitatis, & non a die animationis fętus computetur? Quare nemini ante nativitatem detur a Rep. Tutor; nec a Deo Angelus tutelaris distinctus a tutelari matris? Quare abortus fętus animati non puniatur pęna homicidii, sed multo leviori, nempe exilii sive temporalis, sive perpetui juxta varias Juristarum sententias? Et his similia: Ergo probabile est fœtum non animari anima rationali, antequam in lucem edatur.

III. Ostenditur falsitas; Primo, quia omnino arbitrarie dicitur infundi anima rationalis, in fœtu, dum editur: nam vel requiri debet, quod fœtus sit dispositus ad operationes discursivas, ad hoc ut possit informari anima rationali, & sic circa septennium ætatis infunderetur: vel id non requiritur, & negari debet in fœtu successio animarum, & proinde semper ac ille vegetatur, ac movetur, informatur anima rationali. Experientia autem prægnantium constat, fœtus in utero, antequam edantur, moveri: ergo antequam edantur, habent animam rationalem. Propterea Rituale Romanum præcipit, ut si fœtus abortive editus moveatur, absolute, & sine conditione baptizetur, quia supponit motum illum unice esse ab anima rationali.

De-

Deinde id constat ex Scripturis; nam Luc. 1. de Jo. Baptista dicitur: *Exultavit infans in utero ejus*; non diceretur autem infans, si careret anima rationali; Nec dixisset Angelus Zachariæ, *Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suæ*, cum non possit Spiritu Sancto repleri, quod caret anima rationali. Idemque ostenditur etiam ex verbis Apostoli ad Rom. 9. dicentis de Esau, & Jacob, *Cum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali*, quibus significatur capaces fuisse in utero bene, vel male operandi, licet capacitate remota, atque adeo fuisse præditos anima rationali.

Adde, multos septimo mense in lucem edi, qui si deberent exspectare nonum mensem, ut informarentur anima rationali, essent invalide baptizati ante hoc tempus; & si non debent exspectare nonum mensem, non est ratio, cur negetur ante partum fuisse cum anima rationali. Idemque dicas de iis, qui cæsa matre mortua ante partum supervivunt, ut de S. Raymundo Nonnato fertur. Denique, nisi in utero fętus anima rationali informaretur, originale non contraheretur in hominis conceptione; quod repugnat locutioni Scripturæ dicentis Ps. 50. *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*. Nec essent Martyres illi, qui decedunt in utero Matris, quę in odium Fidei perimitur; quod repugnat communi sensui Theologorum apud Ruiz de Prædest. disp. 49. sect. 4.

IV. Ad primam rationem in contrarium, communiter Juristæ cum Covar. Gomez, Julio Claro, Mol. docent, homicidium committi per procurationem abortus fętus animati: Qui secus docent ex Papiniano, vel loquuntur juxta sectam Stoicorum, vel interpretandi sunt, quod loquantur de abortu foetus inanimati; si enim sit animatus, negari non potest, quod homicidium committatur, ut constat ex Cap. *Consuluisti* 2. q. 5. ubi Stephanus V. dicit, *Qui conceptum in utero per abortum deleverit, homicida est*.

Ad secundam: D. Isidorus solum vult non esse baptizandum infantem, dum adhuc est in utero matris, nec illum per baptismum matris baptizari.

Ad tertiam: Originale contrahi a primo instanti conceptionis, quis dubitet? aliter quomodo Psalmista diceret, *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum*? quomodo esset specialissimum B. V. Privilegium, ab eo fuisse in tali instanti immunem? Quare verba illa Scripturę solum indicant, quamdiu in hac vita versamur, jugo originalis, hoc est ejus effectibus nos premi.

V. Ad quartam: In expositione propositionis 4. Alex. VIII. explicabimus, quomodo Deus velit voluntate seria omnes homines salvos fieri, etiam Infantes, qui in utero matris decedunt, & quibus remedium ad salutem applicari non potest; Sive dicatur cum communiori, quod Deus alligaverit proximam applicabilitatem Baptismi voluntati Parentum, qui si non peccarent, sed orarent pro his infantibus, ut debent, applicationem baptismi obtinerent: Sive dicatur cum Vasq., & aliis, Deum noluisse providere illis de proxima, ac morali applicabilitate Baptismi, sed solum de applicabilitate physica, quatenus spectato cursu causarum secundarum posset illis Baptismus applicari; Necnon quia dedit pro iisdem Christum Redemptorem, qui si orasset pro illorum salute, non quidem conditionate (si sc. id Patri placeret, & ad ejus gloriam conduceret, prout oravit, ut a morte ipse liberaretur, cum dixit: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste*, sed absolute, etiam his infantibus applicationem baptismi obtinuisset.

VI. Ad quintam. Ea omnia facile enodantur. Computatur ætas humana a die nativitatis, quia dies conceptionis est valde incertus: Non datur Tutor foetui antequam nascatur, tum quia ex natura rei tutela competit tunc matri; tum etiam quia tunc non habet propria bona, cum non dicatur hæres, nec rumpat Testamentum, antequam ex utero egrediatur, ex l. 1. Cod. de posth. hæredib.: Quod spectat ad Angelum tutelarem, varie Theologi opinantur; censent quidem nonnulli cum Vasq., Molin., Zumel., Val., Angelum tutelarem matris custodire infantem, tanquam matris partem, dum est in utero: Sed communius cum Suar. l. 6. de Angelis c. 17. n. 18. ex D. Thom., Bonav., Anselmo, putant infanti a die conceptionis suum Angelum assignari, qui specialiter illum custodiat; necnon suum Dæmonem adjungi, qui specialiter damnum inferre procuret, cum ex tunc incipiat infans esse Viator. Denique Juristæ, qui docent mitiori pœna mulctandum, qui abortum procurat, quam homicidam, intelligendi sunt de abortu fętus inanimati; quando enim est animatus, Covar., Gomez, Julius Clarus, & alii aperte docent, illum tanquam homicidam puniendum esse.

VII. Venio nunc ad secundam partem proscriptæ thesis, ubi ex probabilitate primæ partis deducitur, in nullo abortu homicidium committi. Qua in re enormiter etiam erratur: quis enim dixerit, quod, si probabile v. g. sit hominem, quem video a longe, esse feram, & probabile etiam sit esse hominem, homicidium non committatur illum occidendo? Constans enim est Theologorum doctrina apud Suar. t. 5. in 3. p. disp. 18. sect. 3. n. 16., ejusdem speciei, seu malitiæ moralis peccatum committi, tam ab eo, qui constituit se in proximo periculo illud committendi, quam ab eo, qui illud de facto committit: ergo tam committitur homicidium ab eo, qui hominem occidit, quam ab eo, qui voluntarie conjicit se in proximum periculum occidendi: atqui in casu nostro, licet esset probabile, quod fętus non animetur anima rationali, antequam ex utero egrediatur, negari non potest ab ipsis adversariis, esse saltem probabile, quod animetur: ergo procurans abortum in tali dubietate conjicit se in periculum proximum occidendi hominem, atque adeo homicidium committit.

VIII. Neque obstat, quod possit homo licite, ac prudenter operari inhærendo opinioni probabili. Nam tunc prudenter, & licite operatur, quando operatur juxta opinionem non solum speculative, sed etiam practice probabilem: in casu autem nostro, esto error ille, quod fętus careat anima rationali, donec est in utero, esset opinio probabilis, ad summum esset probabilis speculative, non practice; non enim ex ea liceret inferre practice, quod possimus illum tractare, perinde ac si anima rationali careret, procurando v. g. pharmaco ejus expulsionem, quando aliter vita matris periclitatur: ergo neque infertur, quod in procuratione talis abortus homicidium non committatur: Sicut nemo ab homicidio excusat illum, qui putans probabiliter Petrum vivere, & probabiliter putans esse mortuum, illum pugione confodiat, aut in mare demergat.

Regula enim generalis est, quod Opinio speculative

tive probabilis non fit practice probabilis, quoties si ea revera esset falsa, non declinaretur malum proprium, aut proximi, ut diximus in expositione propositionis primæ Innoc. XI.; Unde fit, quod non possimus in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore; Sicut non potest Medicus uti pharmaco probabiliter tantum inductivo sanitatis, relicto tutiore: Nec potest Judex juxta opinionem minus probabilem judicare; Nec potest Infidelis ab Infidelitate excusari ductus opinione minus probabili; in his enim omnibus casibus probabilitas speculativa opinionis non reddit illam practice probabilem; quia si opinio speculativa non sit vera, grave detrimentum non declinatur, ut fusius l. c. explicavimus.

IX. Ex dictis sequitur, procurantem abortum nunquam ab homicidio excusari, quoties est solum probabile, quod fœtus non sit animatus: Excusatur tamen, si id sit moraliter certum, seu probabilissimum; sicut universim licitum est sequi opinionem probabilissimam; seu moraliter certam, ex propositione 3. damnata ab Alex. VIII. Quare cum moraliter certum existimetur, nullum fętum animari ante diem quadragesimum, ut notat Dian. p. 7. tract. 5. res. 6., hinc non dicitur homicidii reus, nec irregularitatem incurrere, qui ante hunc diem abortum procuraverit. Quod si post diem quadragesimum, sed ante octogesimum (quando censetur animari fętus fęmineus) procuretur abortus, peccatum homicidii non declinatur; quia cum ignoretur, num fętus sit mas, an fęmina, procurans abortum exponit se periculo expellendi fętum masculinum, atque adeo committendi homicidium; huic autem periculo se exponere, est culpa ejusdem speciei moralis, ac est ipsum homicidium, ut diximus. Verum tamen est, quod si deinde fętus deprehendatur esse fęmineus, irregularitas non incurratur; quia hæc pęna non incurritur ob peccatum homicidii, nisi homicidio jam secuto: Si tamen dubitetur, num fętus ille fuerit mas, an fęmina, adhuc incurritur irregularitas, quia hoc est in homicidio speciale, ex Cap. *Ad audientiam*, quod etiam in dubio homicidii ea incurratur.

X. Dices, multos insignes Medicos cum Gaspare Bravo tom. 3. promp. 4. putare, quod statim in primo instanti, quo concipitur fętus, animetur anima rationali; Et alios cum Thoma Fieno apud eundem Dianam putare, quod prima, vel secunda die, aut saltem tertia animetur; unde docent quemcunque fœtum baptizandum esse, saltem sub conditione: ergo posita probabilitate hujus sententiæ, semper in procuratione abortus committeretur homicidium, etiamsi expelleretur fętus ad effugiendam mortem Matris imminentem ab ipso fętu vitæ Matris invasore, si subsisteret doctrina tradita, quod procuratio abortus non excusetur ab homicidio, quoties fętus probabiliter est animatus.

Respondeo, sententiam, quæ tenuis est probabilitatis, censeri improbabilem, atque adeo oppositam esse moraliter certam: est autem sententia horum Medicorum omnino improbabilis; tum quia est contra torrentem Doctorum; tum quia ex Naldo apud Dian. loc. c. Sacra Pęnitentiaria hunc ritum servat, ut reputet irregularem illum, qui procuravit abortum post quadraginta dies a conceptu, eo quod omnes tradant circa illam diem marem animari; tum demum quia ex Scriptura etiam colligitur, fętum non statim animari: dicitur enim Exodi 21. juxta versionem LXX. *Qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortivum fecerit, si fœtus erat formatus, dabit animam pro anima, si nondum erat formatus, mulctabitur pecunia*. Quare non animatur fętus donec formetur, nec formatur, nisi intra quadraginta dies in masculo, octoginta in fęmina, ut docent communiter; & idcirco ne sub conditione quidem baptizandus fętus paucorum dierum, donec prudenter de ejus animatione dubitetur; nec erit homicidii reus, qui hujus abortum procuraverit, nisi quatenus impedit vitam hominis.

PROPOSITIO XXXVI.

Permissum est furari, non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

SYNOPSIS.

I. Non proscribitur in hac thesi furtum materialiter sumptum etiam in necessitate extrema, sed furtum formaliter sumptum in necessitate gravi.

II. Lessius id permisit solum in necessitate valde gravi, quæ æquipararur extremæ; atque adeo per injuriam a Montaltio dicitur esse hujus thesis Auctor.

III. Explicatur quid veniat nomine necessitatis extremæ, & gravis.

IV. Videtur licere furtum etiam in gravi necessitate, tum quia dives non potest dici rationabiliter invitus per hoc, quod sibi a paupere surripiatur id, quod ipse tenetur illi erogare.

V. Tum etiam quia natura pauperi presso gravi necessitate contulit jus ad bona, quæ ad statum divitis sunt superflua.

VI. Tum demum, quia aliter facile pauper a gravi in extremam necessitatem dilabitur.

VII. Verum ex sacris Canonibus constat puniendum esse, qui in gravi necessitate furatur.

VIII. Tenetur quidem de superfluis suo statui subvenire pauperibus graviter indigentibus; at non facile tenetur huic pauperi determinato quicquam erogare; nec facile huic pauperi constare potest, quod hic dives, a quo furari vellet, superfluis abundet.

IX. Et quamvis utrumque videatur constare, adhuc furtum debuit a natura pro tali casu prohiberi ob periculum hallucinationis.

X. Usus epicheiæ permitti potest aliquando pauperi graviter indigenti; at non de facili, nec in materia gravi.

XI. Solum in extrema necessitate omnia sunt communia, quia debuit natura speciali modo prospicere pro tali indigentia.

XII. Ex hoc quod teneatur dives succurrere pauperi in gravi necessitate, non fit, quod hujusmodi pauper possit aliquid ab eo surripere.

XIII. Aliter aperiretur furtis via consularis.

XIV. Si necessitas sit adeo gravis, ut proxime disponat ad extremam, tunc æquiparatur extremæ.

XV. Solum ex misericordia, non ex justitia tenetur dives pauperi extreme indigenti subvenire.

XVI. Ex justitia tamen tenetur dives non impedire vi, aut minis, ne ab hujusmodi paupere sua bona accipiantur: Quod si ea solum abscondat ad declinandam hanc acceptionem, peccabit duntaxat contra charitatem.

I. EXponitur. Non subscribo concedentibus damnari in hac propositione furtum formaliter sum-

sumptum, etiam in extrema necessitate; quamvis enim furtum formaliter sumptum, seu acceptio rei invito rationabiliter Domino nunquam liceat, & sit malum intrinsece, adeo ut ne Deus quidem possit in hoc proprie dispensare, & idcirco propositio asserens furtum hoc esse aliquando licitum, puta in extrema necessitate, sit propositio aperte falsa, & digna quavis censura; nihilominus nemo hactenus usque adeo desipuit, ut dixerit id licere. Propterea thesis proscripta non est intelligenda de furto formaliter sumpto, sed de furto sumpto materialiter, seu de acceptione rei alienæ, prout permittitur ab omnibus in extrema necessitate; in hoc enim sensu erronee ab aliquibus asseritur apud Dia. p. 11. tr. 1. res. 13. furtum permissum esse etiam in necessitate gravi; & adversus hanc sententiam Pontifex loquitur censurando hanc thesim: Ad eum modum, quo hæc propos., Permissum est homicidium non solum ad sui defensionem, sed etiam in vindictam offensæ, digna esset, cui censura Theologica inureretur, non quia præsumeretur Auctorem hujus propositionis esse adeo excordem, ut vellet homicidium formaliter sumptum esse aliquando licitum, sed quia doceret homicidium depurari a ratione homicidii per hoc, quod fiat in vindictam, sicut in omnium sententia depuratur a ratione homicidii per hoc, quod fiat in sui defensionem cum moderamine debito.

II. Quare quod furtum in eo sensu, quo permittitur in extrema necessitate, in qua omnia sunt communia, permissum etiam censeri debeat in necessitate gravi, videntur docuisse apud Dia. l. c. & p. 5. tra. 8. res. 53. plures, & graves DD. quos inter nonnulli recensent Less., Con. Vasq., Bon., Sa, Sylv., Nav. Verum si attente advertatur, Less. l. 2. c. 12. n. 71. Con., Tamb. l. 8. tr. 2. §. 1. n. 2., & alii communius cum ipso Dia. p. 2. tr. 17. res. 29. docent id esse licitum, non in gravi quacumque necessitate; quod in hac thesi damnatur, sed in necessitate valde gravi, quæ scilicet æquiparatur extremæ. Cum enim vita miserrima sit ipsa morte deterior, juxta illud Ecclesiastici 30. *Melior est mors, quam vita amara*, idcirco sicut ad declinandam mortem in extrema necessitate permissum est furari, ita ex istorum DD. sententia permissum videtur furari ad declinandam hanc vitam miserrimam morte ipsa pejorem in necessitate hac valde gravi, quod in hac thesi non proscribitur. Vasq. vero videtur quidem docere in Opus. de Eleemos. c. 1. n. 60. ex Syl. & Angelo, posse pauperem tam in extrema, quam in gravi necessitate surripere a divite, quæ sunt ejus statui superflua ad sublevandam propriam necessitatem, quando dives tenetur huic pauperi determinate hæc conferre, eo quod tunc rationabiliter non sit invitus; Addit tamen nu. 61. solum in extrema necessitate posse pauperem usurpare sibi, quæ sunt ad vitam tuendam necessaria ex facultate sibi præstita a natura; non vero in necessitate gravi, quando dives non tenetur determinate hujus pauperis necessitatem sublevare ex superfluis statui, sed potest sublevare libere necessitatem aliorum pauperum: Cum autem semper ita contingat, ideo ex sententia Vasquii non potest pauper in gravi necessitate furari.

III. Ut dilucide res discutiatur, explicanda est necessitas Extrema, Quasi extrema, seu valde gravis, & Gravis. Dicitur communiter extrema necessitas illa, ratione cujus pauper est in periculo mortis, amentiæ, aut similis detrimenti: Ubi advertit Vasq. sufficere, ut hæc mala probabiliter timeantur: nam si expectatur, quod pauper jamjam sit emissurus spiritum, aut de salute desperetur, tunc frustra esset eleemosyna, quæ in extrema necessitate est eroganda. Bannez 2. 2. q. 32. ar. 7. dub. ult. putat, (*a*) esse in extrema necessitate etiam illum, cui ratione sui status esset gravissimum dedecus mendicare, nec aliunde haberet alimenta. Quod videtur admittendum si mendicare esset illi moraliter impossibile; sæpe enim nobilis morti potius se objiceret, quam huic ignominiæ. (*b*) Lorca, & Arriaga apud Leandr. p. 6. tr. 5. d. 2. q. 7. idem docent de eo, cui ignominiosissimum esset arti mechanicæ operam dare, aut alteri famulari ad vitam alendam. Villal. p. 1. tr. 2. docet, laborare pariter necessitate extrema, qui est in proximo periculo labendi in mortale ob defectum alimenti, ut si Pater vellet filias prostituere. Trullench., Azor., & alii vocant extremam necessitatem illius Catholici, qui nisi fugiat v. g. cum equo alieno, incidit in captivitatem apud Turcas; præsertim si ibi vita deinde, aut Fides periclitetur. Verum necessitates istæ, quæ ab his Doctoribus appellantur extremæ, ab aliis dicuntur quasi extremæ, & valde graves; & in his casibus docent licitum esse furari, perinde ac si daretur extrema necessitas. Gravis vero necessitas dicitur communiter illa, quam patitur, qui ad se, suosque alendos cogitur de statu suo cadere, sicut etiam qui cogitur pati nuditatem, famem, &c. cum gravi incommodo, non tamen cum incommodo ingenti, quod vitam redderet miserrimam, & ad mortem proxime disponeret.

„ (*a*) Concina *T.* 4. *p.* 553. & Patuzzius *T.* 4. „ *p.* 8. queruntur de Viva, quod Bannezio hanc „ doctrinam tribuerit, quum Bannez solum referat „ aliquos ita opinantes, nec illorum adprobet sen„ tentiam. Addant, Bannezium ne improbare qui„ dem eam opinionem; tum injustam comperient „ querelam suam; cur enim Bannez eam opinio„ nem proponit, nisi quia ab ea alienus non erat?

„ (*b*) Laxum id, & in hac propositione damna„ tum videtur Patuzzio; aliis aliter videtur.

Quod divites pauperibus extrema necessitate laborantibus teneantur subvenire, etiam de necessariis ad proprium statum, quod pauperibus gravi necessitate pressis teneantur subvenire de superflui ad statum, fuse ostendimus in expositione propositionis 12. ejusdem Innoc. XI. cum suis animadversionibus. Utrum autem hinc sequatur, quod sicut laborans necessitate extrema potest surripere a divite, quæ illi sunt ad suum statum necessaria ita pressus necessitate gravi possit surripere a divite, quæ illi ad statum sunt superflua? hic discutiendum.

IV. Et primo quidem videtur licere, quia quod surripitur a Domino irrationabiliter invito, non habet rationem furti, nec illicite surripitur: atqui tam est irrationabiliter invitus dives, quod sibi aliquid surripiatur de necessariis ad statum a paupere extreme indigente, quam quod aliquid surripiatur de superfluis ad statum a paupere graviter indigente: ergo neutrum habet rationem furti formaliter sumpti; atque adeo in eo sensu, in quo permissum est furari in extrema necessitate, permissum pariter est in gravi. Minor probatur, quia nemo potest dici rationabiliter invitus relate ad id ad quod obligatur; aliter posset etiam dici rationabiliter invitus dives per hoc, quod pauper in extrema necessitate surripiat, quod sibi præcise necessarium est ad mortem declinandam, quod nemo dixerit.

V. Secundo non potest acceptio rei alienæ dici furtiva, quoties datur jus illam accipiendi: sed pauper

per in necessitate gravi habet jus surripiendi a divite, quæ sunt illi ad statum superflua: ergo hæc acceptio non habet rationem furti, sed est permissa. Minor probatur: Ideo in extrema necessitate pauper habet jus accipiendi a divite, quæ illi sunt superflua ad vitam conservandam, quia, ut notat Lessius, finis rerum inferiorum est, ut hominibus in necessitate sint subsidio ad vitam conservandam, ac proinde dedit omnibus natura hoc jus iis utendi, adeo ut, juxta receptum axioma, *In extrema necessitate omnia sint communia;* Nec divisio rerum jure Gentium introducta adimere potuit hoc jus naturæ, quia jus Gentium supponit, non evertit jus naturale: atqui hoc pariter probat, quod etiam in gravi necessitate insit pauperi tale jus surripiendi a divite, quæ huic sunt superflua ad statum suum: ergo in utroque casu permittitur surreptio rei alienæ. Minor hæc probatur, quia non est ratio, cur facultas data pauperi a natura parente benignissima restringatur ad solam necessitatem extremam, cum etiam in necessitatibus gravibus voluerit nobis natura de opportunis remediis providere.

Confirmatur: Tam obligat natura divites ad succurrendum pauperi in extrema necessitate de sibi superfluis ad naturam, seu ad vitam conservandam, quam ad succurrendum pauperi in gravi necessitate de sibi superfluis ad statum: ergo sicut pauper in primo casu habet a natura facultatem usurpandi sibi bona divitis illi non necessaria ad naturam; ita in secundo casu facultatem habet usurpandi bona divitis illi non necessaria ad statum.

VI. Confirmatur secundo: quia facilis est descensus a necessitate gravi ad extremam: ergo si voluit natura occurrere necessitati extremæ pauperis, tribuendo illi non quidem dominium rerum, ut notat Navar. c. 17. n. 61., sed jus utendi rebus, quantum satis est ad necessitatem illam sublevandam; voluit pariter occurrere necessitati gravi, quæ viam sternit ad extremam; atque adeo permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi.

VII. Ostenditur falsitas primo; quia in c. *Si quis* 3. de furtis desumpto ex Pœnitentiali Theodori dicitur: *Si quis ob necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, aut pecus, pœniteat hebdomadas tres*: Hæc autem pœnitentia non imponeretur, si liceret in necessitate gravi furari, aut si necessitas illa esset extrema, seu quasi extrema (ut notavit Angelicus 1. q. 66. art. 7. ad 1. dicens, *Decretalis illa loquitur in casu, quo non erat urgens necessitas*, vid. saltem quasi extrema) cum negari non possit necessitatem famis, & nuditatis esse gravem.

VIII. Deinde, esto probabilis esset sententia Cajet., Alensis, Durandi, Panormitani, & aliorum apud Mendo in Epitome V. *Eleemosyna* quod dives non teneatur sub mortali succurrere pauperi in necessitate gravi de superfluis suo statui, quæ tamen opinio communiter rejicitur, ut ostendimus in expositione propositionis 12. præsertim ex illis verbis Apostoli 1. ad Tim. 6. *Divitibus hujus sæculi præcipe facile retribuere*, & Christi D. Matt. 25. *Discedite a me maledicti: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare, hospes eram, & non collegistis me, nudus, & non cooperuistis me*; ubi ex communi Sacrorum Interpretum sententia sermo est de necessitate gravi pauperum: Nihilominus conveniunt DD. cum Angelico l. c., quod dives non teneatur huic potius, quam illi necessitatem gravem patienti succurrere, quando non potest omnibus; Nec tenetur quisquam extra necessitatem extremam succurrere pauperi, si non habeat superflua ad statum suum: ergo licet possit pauper in extrema necessitate, in qua ex dispositione naturæ omnia sunt communia, furari a divite, non potest tamen, ut advertit idem Angelicus, in necessitate gravi. Prob. cons. Non potest pauperi constare, quod dives non reservet superflua statui suo ad succurrendum necessitati gravi aliorum, præsertim sanguine, aut necessitudine conjunctorum; Immo neque potest constare, quod habeat statui superflua; cum sæpe homines ære alieno graventur, & debita hæreditatis initæ nondum solverint: ergo non potest pauper gravi tantum necessitate laborans furari; acciperet quippe id, quod non constat sibi esse debitum.

IX. Adde, quamvis constaret pauperi, quod dives abundet superfluis, & quod nemo alius detur gravem necessitatem patiens, cui liberum sit diviti erogare sibi superflua ad statum; cum hic casus sit perrarus, & moraliter impossibilis, neque in tali casu debuit pauperi licitum esse furtum. Cum enim facile homo pressus angustiis hallucinari possit, & sibi persuadere, quod sit in gravi necessitate, & quod dives sibi determinate teneatur succurrere, idcirco debuit a natura universim vetari furtum in gravi necessitate; juxta ea, quæ diximus in simili casu in expositione propositionis 17., & 18. Alex. VII., & dicemus infra in expositione propos. 43., & 44., quæ doctrina non militat pro necessitate extrema; quæ est admodum rara, & urgentissima, unde permissum est tunc furtum materiale.

X. Poterit tamen aliquando pauper extra necessitatem extremam per Epichejam aliquid leve surripere ad sublevandam non levem miseriam, quando ex misericordia, & pietate divitis probabiliter judicare potest, quod non sit invitus saltem quoad substantiam acceptionis, esto forte credatur invitus quoad modum, quia vellet, ut id sibi petatur, & non clanculum surripiatur: Usus tamen hujus Epichejæ non debet esse facilis, nec in materia gravi; quia divites passim in hoc sunt rationabiliter etiam quoad substantiam inviti, eo quod velint sibi innotescere id, quod pauperibus in stipem erogarint, ut sciant, an satisfecerint obligationi, qua tenentur, stipem aliquam erogandi.

XI. Ad primam rationem in contrarium descendit facile ex dictis responsio: Negandum enim facile contingere posse, quod dives huic determinato pauperi graviter indigenti teneatur succurrere de superfluis ad statum, quin possit ea reservare ad succurrendum alteri, qui forte est in graviori necessitate: Et dato quod ad hoc teneretur, & quod id pauperi constaret; debuit tamen a natura vetari etiam in tali casu pauperi surreptio rei alienæ; quia cum necessitates pauperum sint frequentes, facile pauper hallucinari posset ad credendum se esse in gravi necessitate, & divitem hunc teneri sibi succurrere: unde aperiretur ostium immensum furtis: Ad eum modum quo fornicatio debuit in omni casu esse illicita, esto hic & nunc videatur cessare finis legis eam prohibentis, qui est, ne male proles educetur; quia nisi prohiberetur fornicatio in omni eventu, facile homines præ passione persuadere sibi possent, cessare hic & nunc finem prohibitionis, & sic aperiretur fornicationibus via consularis: Quod inconveniens non sequitur per hoc, quod licitum sit furari in extrema necessitate, quippe quæ est perrara, &

urgen-

urgentissima, cui natura debuit speciali modo prospicere; & ideo pro tali eventu permissum est uti rebus alienis, perinde ac si essent propriæ.

XII. Ad secundam patet etiam ex dictis responsio; assignavimus quippe rationem, cur facultas data a natura pauperi ad sibi succurrendum per usurpationem rerum alienarum restringenda sit ad solam necessitatem extremam, ut proinde non detur jus illud pauperi in gravi necessitate, esto detur in divite obligatio illi succurrendi. Neque enim est novum, quod aliquis teneatur aliquid tibi dare, quin tu possis illud tibi usurpare: Sicut viceversa in sententia communiori, quod dives non teneatur ex justitia, sed solum ex charitate succurrere pauperi extreme indigenti, bene intelligitur, quod pauper habeat jus justitiæ ad usurpandas res divitis, quin correspondeat in divite debitum ex justitia ad illas subministrandas, sed solum ex justitia teneatur non impedire pauperem, ne iis utatur. Et universim quoties tibi non constat rem ab alio possessam tibi deberi, esto revera ille teneatur dare, si sciat esse tuam, non poteris tamen illam surripere; cum nemo possit spoliare alium rebus, quas possidet, ob meras rationes probabiles, quod sibi debeantur. Immo si Petrus certo debeat tibi centum, ut occulta compensatio tibi sit licita, debet esse verum, quod non possis commode per Judicem, aut aliter illa obtinere, ut notat Less. c. 12. dub. 10. (esto probabiliter non peccet mortaliter, qui utitur occulta compensatione, si desit hæc conditio, ut docet Dian. p. 7. tract. 10. res. 17.) Usque adeo verum est, non posse pauperem graviter indigentem spoliare divitem rebus ad ejus statum superfluis, esto ille teneretur eas erogare huic pauperi determinato; quod raro contingit.

XIII. Ad primam confirmationem: Constat ex dictis disparitas inter gravem, & extremam necessitatem. Cum necessitates graves sint frequentissimæ, & facile possit homo persuadere sibi, quod graviter indigeat, aperiretur via furtis, si licet usurpare res alienas in gravi, prout licet in extrema necessitate.

XIV. Ad secundam: Si necessitas sit adeo gravis, ut proxime disponat ad extremam, tunc necessitas illa dicitur quasi extrema, in ea perinde ac in extrema necessitate datur a natura facultas amplissima utendi rebus omnibus, quantum sufficit ad gravissimam illam necessitatem depellendam: adeo ut si deinde pauper in pinguem fortunam deveniat, non teneatur restituere quod usurpavit, quando extreme indigebat; eo quod tunc omnia fuerint communia, ut docent Sotus, Sylv., Azor., & alii contra Less., Nav., Tolet. apud Dian. p. 5. tr. 8. res. 9.; at si necessitas non sit valde gravis, ita ut ad extremam proxime disponat, non datur a natura ea facultas, ut ostendimus.

XV. Utrum autem revera ex justitia teneatur dives pauperi succurrere in extrema necessitate? discutit fuse Sanch. l. 1. Cons. c. 5. dub. 5., qui negativam sententiam putat probabiliorem cum Sot., Salon., Navar., Ledes., Conin., & aliis: Ratio est, quia in extrema necessitate communiter DD. docent urgere præceptum eleemosynæ: ergo stips tunc non est debita ex justitia, actus enim eleemosynæ suapte natura elicitur a misericordia, & imperatur a charitate, unde nullatenus ad justitiam spectat.

Neque obstat, quod Sancti Patres vocent Homicidas eos, qui pauperes fame perire sinunt. Solum enim indicant, mortem pauperum divitibus imputari, si ex defectu subsidii ex charitate debiti moriantur: Sicut in eodem sensu Patres, ut notat Sanch., hujusmodi divites vocant Raptores ex hoc, quod negent res pauperi ex charitate debitas.

Neque rursus obstat, quod in extrema necessitate omnia sint communia, ita ut detur dominium in solidum erga illa, tum in divite possidente, tum etiam in paupere, qui potest illa sibi usurpare: Communiter enim Theologi, & Juristæ negant possibilitatem Dominii in solidum perfecti in pluribus; & solum disputant Theologi, an sit illud possibile pro aliquo instanti, puta pro instanti, quo res donatur, venditur, &c. Quare dicuntur ea bona communia solum per hoc, quod pauper possit ea sibi accipere, ita ut per apprehensionem fiat illorum Dominus, & tunc desinat esse Dominus dives, qui ea possidebat. Hinc diximus pauperem extreme indigentem solum habere jus, ne sibi impediatur acceptio illorum bonorum, quin tamen habeat jus Justitiæ ad illa, nisi post acceptionem; sicut quilibet habet jus Justitiæ, ne sibi malis artibus impediatur cessatio alicujus doni, seu beneficii, quin tamen habeat jus Justitiæ erga illud donum, nisi post donationem.

XVI. Neque denique obstat, quod pauper in extrema necessitate habet jus ad furandum a divite, quod videtur stare non posse cum solo debito charitatis in divite ad ea bona subministranda: Nam jus ad furandum in paupere bene cohæret cum debito ex justitia in divite ad non impediendam pauperi acceptionem bonorum, & cum solo debito ex charitate ad ea subministranda. Unde fit, ut notat Con., quod si dives abscondat sua bona, ne a paupere illa accipiantur, solum peccet contra charitatem; peccet vero contra justitiam, si pauperem impediat vi, aut minis, dum vult ea accipere: Sicut peccat contra charitatem, qui ex odio erga Petrum, precibus, suasione, ac bonis artibus inducit Paulum, ne quicquam Petro donet; peccat vero contra justitiam, si malis artibus, fraude, aut minis ad id Paulum inducat.

PROPOSITIO XXXVII.

Famuli, & famulæ domesticæ possunt occulte heris suis surripere ad compensandam operam suam, quam majorem judicant salario, quod recipiunt.

SYNOPSIS.

I. Non proscribitur, quod aliquando hujusmodi occulta compensatio liceat; sed solum quod liceat, quando ipsi famuli judicant sibi salarium majus deberi.

II. In eo nititur thesis, quod ad occultam compensationem faciendam videatur sufficere sola debiti probabilitas.

III. Et quia Judex obligat Herum ad solvendum salarium majus, si probabilius sit, quod debeatur.

IV. Saltem potest Judex litem dividere juxta merita probabilitatis, quæ pro utraque parte habentur; unde poterit famulus occulte compensare id, quod sibi Judex adjudicaret.

V. Sed communiter docent, neminem posse alium spoliare re possessa, ob rationes duntaxat probabiles, quod ea sibi debeatur.

VI. Quod salarium majus huic famulo debeatur, non est facile dijudicare.

VII. Adde, possessorem bonæ Fidei non teneri ad restituendam rem possessam, etiamsi probabilius sit, quod ea alteri debeatur.

VIII. Quamvis possit Judex Herum condemnare ad solvendum famulo salarium majus ob rationes probabiliores circa jus, quæ huic favent, non potest tamen ipse famulus hoc judicium ferre; unde nequit quicquam sibi hac de causa compensare.

IX. Universim quippe est illicitum, quod est moraliter impossibile, ut ab inhonestate depuretur.

X. Jus certum possessionis in Domino prævalet juri incerto orto ex opinione favente famulis.

XI. Ipse Judex juxta communiorem nequit rem ab uno possessam dividere, si probationes faventes utrique parti sint æquales.

XII. Pauperes, qui necessitate compulsi adiguntur ad inserviendum parvo pretio, possunt sibi compensare solum usque ad pretium justum infimum.

XIII. Idem docent nonnulli de Sacerdote, qui paupertate coactus consensit in stipendium Missæ minus justo. Sed hoc nullatenus admittendum post Urbani VIII. Decretum.

XIV. Si tamen famulus vi, aut metu compellatur ad salarium certo inæquale, poterit occulte sibi compensare usque ad pretium justum medium, dummodo judicium de pretii inæqualitate non fiat ab ipso famulo.

I. Exponitur. Conveniunt DD. apud Rebell. l. 14. qu. 15., posse famulos uti occulta compensatione, tum quando sibi denegatur ab Heris salarium ex pacto debitum; tum etiam quando evidenter constat, non quidem ex mero judicio famulorum, sed ex communissimo Peritorum sensu, injustitiam ab Heris committi in solutione salarii juxta communem æstimationem debiti, spectatis omnibus circumstantiis, ratione quarum potest pretium famulatus præstiti crescere, aut decrescere: Esto in his casibus observandæ sint conditiones a DD. requisitæ, ut fieri possit occulta compensatio; quarum Prima est, quod vitetur damnum debitoris, ne iterato restituat, aut in mala conscientia sit, putando se debere, quod non debet: Altera, quod vitetur etiam damnum proximi, ne illi futurum ascribatur: Tertia, quod non possit facile via juris debitum obtineri; quamvis probabiliter, si hæc conditio desit, non peccet mortaliter, qui utitur occulta compensatione, ut docet Dian. p. 7. tract. 10. ref. 17. Quod in hac thesi proscribitur, est, posse famulos occulte compensare id, quod ipsi judicant ex justitia sibi deberi in salarium; quod certe scandalosum est, & viam aperit innumeris furtis. (*a*)

„ (*a*) P. Concina *tom. 7. pag. 61.* in Catalogo „ propositionum damnabilium: *P. Dominicus Viva* „ *in Trutina theologica in hanc propositionem 37. n. 7.* „ Quod *in hac thesi proscribitur est posse famulos oc-* „ *culte compensare id quod ipsi judicant ex justitia* „ *sibi deberi in salarium... Idcirco ad occultam hanc* „ *compensationem faciendam requiritur judicium Viri* „ *Docti simul & periti.* At Nocetius *c 64. Ver. vind.* „ Vivæ sententiam suæ integritati restituit his ver- „ bis: In primis P. Concina male consuit in unam „ propositionem, citando solum numerum 7, duas „ partes, quæ in P. Viva longissime distant inter „ se. Una enim pars habetur numero primo & al- „ tera in fine numeri septimi. Hoc omisso: plura „ prætermittuntur & resecantur, sine quibus nullo „ pacto intelligitur vera mens, & genuina sente- „ tia P. Vivæ. Ego illam sincere exponam.

„ Ejus igitur opinio hæc est. Ad licitam occul- „ tam compensationem non sufficit probabilitas, sed „ requiritur omnino certitudo moralis, quod de- „ beatur ex justitia salarium majus. Quia posses- „ sor bonæ fidei, qualis est Dominus, non potet „ privari re possessa, donec jus alienum, nempe fa- „ mulorum, sit moraliter certum. Jam vero de hac „ certitudine morali non sunt idonei judices ipsi fa- „ muli, immo neque quilibet Confessarius minus „ doctus & peritus. Et idcirco ad occultam com- „ pensationem faciendam (suppositis aliis conditio- „ nibus jam notis, quas P. Viva ibi enumerat n. 1.) „ requiritur judicium viri docti simul ac periti, „ qui judicet (quid? hoc enim est recisum, & oc- „ cultatum) qui spectatis omnibus judicet moraliter „ certum esse quod majus salarium debeatur.

„ Paucis. Sententia Vivæ limpida, & sincera hæc „ est. Tunc possunt famuli uti licite occulta com- „ pensatione quando suppositis cæteris requisitis Vir „ doctus peritus & passione denudatus judicaverit „ certum moraliter esse quod ipsis debeatur ex ju- „ stitia majus salarium. I. Rogo duo lectores: pri- „ mum: ut ipsi judicent an hæc Vivæ sententia ea- „ dem sit, atque hæc trigesimaseptima damnata ab „ Innoc. XI. Famuli & famulæ domesticæ possunt „ occulte Heris suis surripere ad compensandam o- „ peram suam quam majorem judicant salario quod „ recipiunt.

„ Secundum, ut dignentur oculos rursum reflectere „ ad propositionem oblatam a P. Concina damna- „ tioni, & videre, an ex illa intelligatur genuina „ meus P. Vivæ, quam modo exposui, an intelliga- „ tur Patrem Vivam requirere prædictam certitudi- „ nem moralem de majori salario debito ex justitia: „ an intelligatur virum illum doctum & peritum „ de hac determinata re judicare debere; nimirum, „ utrum vere existat illa moralis certitudo? Si hæc „ intelliguntur non hisco, si non intelliguntur, ut „ videtur mihi certissimum, ergo P. Concina non „ retulit integre & sincere sententiam Vivæ. Quod „ vero hæc sit ea quam exposui, en ejus verba.

„ *Quod in hac Thesi proscribitur, est, posse famu-* „ *los occulte compensare id, quod ipsi judicant ex* „ *justitia sibi deberi in salarium, quod certe scan-* „ *dalosum est & viam aperit innumeris furtis.*

„ Et post hæc dicta num. 1., ex quibus P. Con- „ cina desumpsit primam partem suæ propositionis „ sic habet n. 7.

„ *Ratio a priori (falsitatis propositionis damna-* „ *tæ) est quia universim possessor bonæ fidei non tene-* „ *tur restituere rem possessam, etiam si sit Probabi-* „ *lius, nedum si solum probabile sit, quod ea sit alie-* „ *na, prævalente jure certo, quod habetur a posses-* „ *sione bonæ fidei, juri incerto alieno, quod oritur* „ *ex opinione probabili, aut probabiliori... Ergo* „ *heri jure suo retinent illud salarium, quod famuli* „ *putant sibi deberi, donec moraliter certum sit,* „ *quod debeatur. Ergo injuriam patiuntur, & inju-* „ *stitiam, si per occultam compensationem eo spo-* „ *lientur a famulis judicantibus citra moralem cer-* „ *titudinem illud sibi deberi. Cum autem hæc mo-* „ *ralis certitudo non possit haberi per hoc, quod ipsi* „ *famuli, immo etiam per hoc, quod confessarii mi-* „ *nus docti & periti ita judicent, ut ostendimus* (ibi „ num. 6.) *idcirco* (en verba assuta a P. Concina „ quibusdam verbis numeri 1.) *Idcirco ad occultam*

„ *hanc*

„ *hanc compensationem faciendam requiritur Judi-*
„ *cium viri docti simul ac periti* (quæ sequuntur, &
„ mentem Vivæ manifeste ostendunt, omnia resecta
„ sunt) *& passione denudati, qui spectatis omnibus*
„ *judicet, moraliter certum esse, quod majus sala-*
„ *rium debeatur.*

„ Auditis verbis Vivæ poterunt lectores etiam fa-
„ cilius judicare, utrum ejus sententia a P. Conci-
„ na integre & sincere relata sit: & utrum in ea,
„ ut jacet in P. Viva non avulsa a contextu, non
„ mutilata, aliquid sit damnatione dignum: Nam
„ de hoc postremo, ego more meo nihil definio.
„ Hæc Nocetius.

„ Mira garrit Patuzzius *T.* 4. *p.* 551. *seqq.* ut
„ suum Concinam defendat. Huc tota defensio re-
„ dit. P. Concina alibi bis sincere retulit Vivæ sen-
„ tentiam; ergo? ergo heic etiam? Hæc consecutio
„ num ridicula sit, viderint Lectores; atqui isthæc
„ sit, oportet, ut vera Concinæ defensio sit. At
„ cur qui bis illam sincere retulit, accusato per
„ Nocetium loco obtruncavit? Locum hunc scito
„ esse catalogum propositionum damnabilium; ob-
„ truncare ergo opus fuit, ut damnabilis ea vide-
„ retur propositio. Fraudisne hic nihil fuit? Mini-
„ me vero, Patuzzius inquit p. 553. *Si deve osser-*
„ *vare*, ait ille, *che il P.* Concina *negli Elenchi*
„ *delle proposizioni lasse o dannabili .... suole d'*
„ *ordinario esporre in ristretto la* SOSTANZA *della*
„ *proposizione colle parole dell' Autore, da cui la*
„ *prende, che bastano a farla comparire, quale la*
„ *reputa:* corrige, *quale la vuole*. At M. Patuzzi
„ quæ resecuit Concina spectantne ad *substantiam*
„ propositionis? an non? Si spectant; ergo impostu-
„ ræ in Vivam reus est Concina; at quei non spe-
„ ctare dices, quæ aliam omnino efficiunt proposi-
„ tionem? Nonnulla addit Patuzzius contra Vivæ
„ doctrinam, quæ flocci facienda sunt.

II. Fundamentum videtur esse Primo, quia, ut docent non pauci DD. apud Dian. l. c. res. *16.* ad occultam compensationem faciendam non requiritur, quod debitum sit omnino liquidum, & certum, sed sufficit, quod probabiliter, aut saltem quod probabilius sit, illud deberi: ergo si famuli probabiliter, aut saltem probabilius judicant operam, quam impendunt, esse majorem salario, quod recipiunt, etiamsi id non constet evidenter, adhuc possunt uti compensatione occulta. Antecedens constat percurrendo nonnullas celebres Theologorum opiniones: Docent quippe Less., De la Cruz, Tann. apud Dian. p. 3. tract. 5. res. 30. posse infamatum sibi ipsi satisfacere ex debito pecuniario infamantis, si is nolit, aut non possit famam restituere; esto multi probabiliter etiam doceant non debere famam pecunia compensari, quando aliter compensari non potest. Similiter si testamentum ex defectu alicujus solemnitatis a jure requisitæ sit nullum, probabiliter docent non pauci, legata in eo relicta in conscientia non deberi (quod Barbosa apud Dian. par. 7. tract. *6.* resol. 3. contra communiorem, & veriorem sententiam extendit etiam ad legata pia) quia tamen putant alii cum Mol., Less., Gran. apud Lugo disp. 16. de Just. sect. 5. ea deberi, ideo docent posse legatarium uti occulta compensatione, esto hoc debitum sit tantum probabile. Gravissimi etiam DD. docent cum Maldero, Victoria, Covar., Fill. apud Dian. p. 2. tract. 13. res. 8. Regem ex opinione probabili citra jus, quod Regnum ab alio possessum ad se pertineat, posse illud bello, & armis recuperare; quod si opinio favens Regi sit probabilior, id etiam admittit Suar. Valent. & alii apud Gran. 2. 2. Contr. 3. tract. 12. disp. 4. sect. 3. ergo universim licitum est uti occulta compensatione, quando debitum est probabile, aut saltem quando probabilius est, quod debeatur.

III. Secundo: Judex non solum potest, sed etiam tenetur obligare Herum ad solvendum famulis salarium majus, quando probabilius est, quod majus salarium sit debitum ex justitia; cum teneatur Judex sequi opinionem probabiliorem: ergo si non possit famulus via juris facile hujusmodi salarium obtinere, poterit uti occulta compensatione, non secus ac quando debitum est liquidum.

Tertio: si probabile sit me non debere centum Petro, non teneor ea solvere, ut docent Salon., Mald., & alii apud Joan. Sanchez disput. 33. num. 35. ergo si ex ignorantia hæc centum solverim, possum illa mihi compensare occulte; siquidem causa illa, quæ excusat a solutione debiti, permittere poterit occultam compensationem, si fuerit solutum: ergo universim sola probabilitas, quod res ab altero possessa ad me pertineat, sufficit ad illam occulte recuperandam; atque adeo possunt famuli occulta compensatione uti, quando probabiliter judicant majus deberi sibi salarium.

IV. Denique, quia quando utrinque datur opinio probabilis, altera favens uni, altera alteri circa rem ab alterutro possessam, tenetur Judex, non obstante possessione, rem illam dividere juxta probationes utriusque partis, cum Judex teneatur judicare juxta merita causæ, ne sit acceptor personarum, juxta dicta in expositione propositionis 2. Innoc. XI. ergo quando herus probabiliter putat se non teneri ad solvendum majus salarium, & famulus probabiliter putat sibi deberi majus, sicut tenetur Judex dividere litem pro merito utriusque probabilitatis, ita poterit famulus per occultam compensationem saltem compensare sibi partem illam, quam Judex sibi judicaret. Et sane, si debitum sit liquidum, potest sibi totum compensare; si dubium, nullam potest facere compensationem: ergo si sit probabile, poterit saltem sibi partialiter illud compensare pro merito probabilitatis.

V. Ostenditur falsitas: quia universim non licet privato spoliare possessorem re possessa per solas rationes probabiles, ut docent communissime cum Suar. lib. 5. de Leg. c. 18., Vasq. de Rest. cap. *6.* num. 83., Molin. disp. *691.*, & aliis apud Dian. p. 4. tract. 4. res. *26.* putantibus id oriri ratione possessionis, quæ dat possidenti jus certum prævalens rationibus probabilibus in oppositum. Sanch. lib. 2. de Matrim. disp. 44. hæc habet: *Ut possim alium possessione spoliare, oportet me certum esse, rem non esse suam; & ita universi DD., ut licita sit compensatio, petunt certitudinem in utente illa*: Sic Vasq. loc. cit. dicit: *In hoc æqualitas justitiæ consistit, quod quandiu non constat evidenter, aut per sententiam Judicis, possessor sibi rem retineat*. Et Less. c. 12. num. 58. *Nisi moraliter certum sit, rem non esse possessoris, non poterit ea spoliari, & ita in omnibus Tribunalibus apud omnes gentes judicatur*. Et ratio horum est, quia si mera probabilis ratio sufficeret ad deturbandum aliquem a possessione suorum bonorum, dominia rerum essent incertissima; posset enim quilibet facili negotio rebus suis spoliari: Propterea tum jura in Cap. *Dilecta*, de Verb. signif., & l. Peregre, §. de Acquir. possess., tum consensus Juri-

Juristarum, & Theologorum postulant, ut semper in dubiis melior sit conditio possidentis, nec deturbetur aliquis a sua possessione per meram probabilem rationem, quod res sit aliena, nisi aut id sit moraliter certum, aut saltem Judici, non vero privato id sit probabilius; cum solum in Judice supponatur doctrina sufficiens ad judicandum depurata a passione, non autem in privato, & a fortiori nec in famulis, ac famulabus domesticis: ergo &c.

VI. Confirmatur: quia quamvis certum sit illud esse stipendium justum, quod aut lege, aut consuetudine est taxatum, nihilominus sæpe stipendium debitum, & justum non consistit in indivisibili, sed habet latitudinem pretii Summi, Medii, & Infimi; ut proinde non patiatur injuriam, nec possit compensatione uti famulus, si paciscatur de pretio justo infimo; Sicut nec patitur injuriam Dominus, si cum famulo paciscatur de pretio justo Summo. Verum quidem est, pretium esse evidenter infra infimum, si famulo tota die inservienti non dentur sufficientia ad victum, & vestitum juxta alios suæ conditionis: At quando opera famuli exigit stipendium majus, & consuevit pluris emi, ad decidendum, num stipendium sit minus justo, oportet ad plurima advertere, quæ nonnisi a peritis, doctis, & piis æqua lance perpendi possunt: Examinandum quippe est, an alii passim reperiantur, qui citra consimilem necessitatem tali stipendio contenti sint: hoc enim est manifestum indicium, quod hujusmodi pretium non sit infra infimum. Pręterea advertendum, an multi reperiantur, qui velint suam operam locare; ex hac enim multitudine operariorum decrescit pretium famulatui debitum; Sicut ex multitudine venditorum decrescit pretium justum rei emendæ. Similiter, an ultro famulatus offeratur non indigenti; tunc enim pariter decrescit ejus pretium, sicut in omnium sententia merces ultroneæ vilescunt, earumque pretium decrescit, saltem pro tertia parte; & nonnulli etiam putant decrescere usque ad dimidium apud Dian. p. 1. tr. 8. ref. 53. Adde, quod quando famulatus habet honores, aut emolumenta alia sibi adjuncta, decrescit etiam ejus pretium: Sicut etiam si spem afferat alicujus officii a Domino procurandi; tunc enim sufficit, quod Dominus id procuret, etiamsi officium famulo non possit obtinere. Quod si quis gratis inserviat Episcopo, sperans ab illo Beneficium Ecclesiasticum, & simul intendat Episcopum ad id obligare, erit Simoniacus, ut dicemus in expositione propositionis 45.; si vero solum speret sed non intendat Episcopum ad id obligare, ne implicite quidem, eo quod famulatus non sit dignus magna mercede, & honore aliquo compensetur; tunc pretium famulatus censetur donari: unde non datur locus occultę compensationi; Sicut quando Dominus donat aliquid famulo, non potest deinde occulte illud sibi compensare. Hæc autem omnia, & his similia non solum a famulis amore insano lucri hallucinatis æqua lance pensitari non possunt, sed ne ab ipsis quidem Confessariis non valde doctis, ac peritis; præsertim quia non solum requiritur ad hæc decidenda doctrina non mediocris, sed requiritur etiam notitia æstimationis communis, & praxis in unaquaque regione: ergo ut prius.

VII. Ratio a priori est, quia universim possessor bonæ Fidei non tenetur restituere rem possessam, etiamsi sit probabilius, nedum si solum probabile sit, quod ea sit aliena, prævalente Jure certo, quod habetur a possessione bonæ fidei, juri incerto alieno, quod oritur ex opinione probabili, aut probabiliori, (ut docent communius cum Vasq., Bonac., Salas, Sanch., Lazman., Palao apud Dian. *p.* 4. tr. 3. ref. 26. contra Bannez, Ledes. Salon. Con., Valent. putantes aliquid rei possessæ restituendum a possessore juxta majorem propensionem, quod ea sit aliena) ergo Heri jure suo retinent illud salarium, quod famuli putant sibi deberi, donec moraliter certum sit, quod debeatur: ergo injuriam patiuntur, & injustitiam, si per occultam compensationem eo spolientur a famulis, judicantibus citra moralem certitudinem illud sibi deberi. Cum autem hæc moralis certitudo non possit haberi per hoc, quod ipsi famuli, immo etiam per hoc, quod Confessarii minus docti, & periti ita judicent, ut ostendimus, idcirco ad occultam hanc compensationem faciendam requiritur judicium viri docti simul, ac periti, & passione denudati, qui spectatis omnibus judicet moraliter certum esse, quod majus salarium debeatur.

VIII. Ad primam rationem in contrarium plurima congerit Lugo d. 16. de Just. sect. 5., qui pariter cum communi DD. docet, occultam compensationem esse injustam, si fiat ob debitum mere probabile, & non moraliter certum. Addit tamen Lugo videri probabile, quod possit ab aliquo fieri compensatio occulta (dummodo adsint conditiones supra recensitæ) quando Judex, qui tenetur opinionem probabiliorem circa jus sequi, procul dubio sententiam ferret in ejus favorem: v. g. quia probabilius videtur, quod debeat fieri compensatio in pecunia ab eo, qui non potest famam restituere, & Judex teneretur juxta hanc probabiliorem sententiam judicare: ideo putat loco laudato Cardin. de Lugo probabile esse, quod possit fieri in hoc casu occulta compensatio, quando non potest commode adiri Judex; At juxta communiorem sententiam hoc in eo duntaxat casu permitti potest, quando infamatus penes se habet pecuniam debitam infamantis: potest enim nolle restituere pecuniam, donec sibi restituatur fama, quæ tanti æstimatur, quanti æstimatur pecunia debita: aliter non videtur posse infamatus spoliari pecunia, quam possidet, ob meras rationes probabiles, quod ea sibi debeatur. Idemque videtur dicendum in alio casu adducto ab eodem Lugo de legatis relictis in testamento solum ex defectu alicujus solemnitatis invalido, cum multi DD. doceant, quod in conscientia hæres ab intestato teneatur ea solvere, multi id negent, ut videre est apud Dian. p. 2. tr. 8. ref. 75. Quamvis apud eundem Dian p. 7. tr. 6. ref. 3. communissime doceant contra Barb. quod omnino solvenda sint legata pia relicta in hujusmodi testamento ob dictum solemnitatis alicujus invalido; unde relate ad hæc legata licita omnino videtur occulta compensatio, si ea non solvantur.

Censeo pariter cum eodem Lugo, quod possit Rex bello, & armis recuperare Regnum ab alio possessum, dummodo probabilius sit, quod Regnum illud ad se pertineat; quia scilicet Rex fungitur tunc auctoritate publica instar Judicis adjudicando sibi Regnum juxta opinionem probabiliorem: unde sicut potest privatus uti occulta compensatione, quando non solvitur id, quod post sententiam Judicis sibi debetur; ita potest Rex usurpare sibi Regnum ab alio possessum, si instar Judicis judicet probabilius esse, quod

quod sibi debeatur: Quamvis, quia in causa propria nemo debet Judicis munus obire, ne a propria passione decipiatur, ideo Rex ad examen hujus majoris probabilitatis adhibere debet Consiliarios pios, ac doctos, qui coram Deo rem ad trutinam revocent, & ab amore erga proprium Regem non facile & ipsi hallucinentur.

Quando tamen opinio probabilior non versatur circa jus, vid. Cuinam res debeatur juxta leges, ac jura, ac Doctorum sententias, sed solum versatur citra factum, vid. Num revera sit initus talis contractus, vi cujus res a te possessa mihi debeatur, tunc censent communius, Judicem non debere deturbare possidentem bona fide a re possessa, quamvis majores probationes circa factum faveant Actori; sed requiri, quod sit moraliter certum factum illud, ut ferat sententiam contra possessorem; quia leges non permittunt damnari aliquem, nisi delictum, aut debitum plene probetur, ut videre est apud Lugo loc. cit. num. *96.* Hinc sicut nequit Judex per meram rationem probabiliorem circa factum, seu ob majores probationes faventes Actori spoliare possessorem; ita a fortiori nequit privatus uti occulta compensatione; atque adeo in casu nostro famuli nequeunt uti compensatione occulta per hoc, quod judicent probabilius esse, quod operam præstiterint pinguiori salario dignam. Quinimo esto possit in hoc casu Judex damnare Heros ad pinguius salarium solvendum, ob rationes probabiliores faventes famulis, non possunt tamen ipsi famuli hoc judicium apte formare, & occulta compensatione uti, ut ostendimus, eo quod facile ob amorem lucri, & inscitiam hallucinentur.

IX. Ad secundam patet ex modo dictis; Potest, & tenetur Judex sequi opinionem probabiliorem circa jus, puta, Num posito tali contractu, & tali opera a famulis præstita competat istis salarium majus; At irrationabile est, quod hujusmodi judicium ab ipsis famulis formetur. Immo licet aliquando famulus sufficienti doctrina, ac peritia sit instructus, ut non facile hallucinetur, adhuc tamen irrationabile est, ut proprio judicio in re tam lubrica fidat; unde nequit uti compensatione occulta, ex hoc precise, quod ipse judicet operam suam esse dignam pinguiori salario: & ratio est, quia ut in expositione propositionis 17. Alex. VII.; & alibi diximus, illicitum est universim quodcumque impossibile moraliter est, ut depuretur ab inhonestate, sicut in omnium sententia illicita est universim fornicatio, etiamsi videatur in aliquo casu rarissimo cessare posse finis, propter quem prohibetur, qui est mala prolis educatio.

X. Ad tertiam, concesso antecedente, negatur prima consequentia; quamvis enim non tenear solvere centum, si probabile sit quod non sim illorum debitor, cum faveat mihi in hac probabilitate, immo etiam in dubio, possessio; at si solvi centum Petro ductus ex eo, quod probabiliter ea deberem, non possum amplius per occultam compensationem illa repetere, quia tunc favet Petro possessio illorum centum: non possum autem spoliare possessorem bonæ fidei re, quam possidet, ob meras rationes probabiles, quod res illa ad me pertineat: idemque dicendum in casu nostro.

XI. Ad quartam: Quod spectat ad Judicem, diximus in expositione propositionis 2. Innoc. XI. quod si res a neutra parte possideatur, & rationes probabiles æque faveant utrique parti, debet Judex rem, aut ejus pretium quoad ejus fieri potest dividere, aut si res sit etiam secundum æstimationem indivisibilis, ut est Beneficium Ecclesiasticum, poterit cui maluerit ex æque dignis illam conferre; si vero res ab uno possideatur bona fide, tenetur juxta probabiliorem sententiam circa jus litem adjudicare; si tamen probationes spectent ad factum, cum istæ sint homogeneæ, atque adeo invicem se elidant, ut explicavimus in expositione primæ propositionis Innoc. XI., ideo Judex nequit deturbare possessorem bonæ fidei, per hoc tantum, quod probationes majores ad factum spectantes faveant Actori, nisi moraliter certum sit, quod res illa debeatur, ut diximus ex Lugo dis. *16.* de Justitia num. *97.*: Quare falsum est, quod teneatur Judex rem ab uno possessam dividere, quando probationes æquales favent utrique parti, sive spectent ad jus, sive ad factum. Hinc a fortiori nequit privatus occulta compensatione uti, partialiter spoliando alium re possessa, si æqualis probabilitas favet utrique (quicquid in contrarium docuerit Mercorus, & Moya tract. *6.* p. 2. disp. 4. quæst. 1. num. 15.) Quod si opinio probabilior faveat non possidenti, tenetur Judex totaliter rem eidem non possidenti adjudicare, juxta illam probabiliorem opinionem, quod tota res illi debetur. Quamvis autem id possit, ac debeat Judex, privatus tamen nequit ob hujusmodi rationem probabiliorem spoliare alium re ab illo possessa, quia facile privatus potest hallucinari, unde aperiretur ostium furtis. Ad id, quod additur, dicendum, quod sicut Judex nequit aliquem spoliare, ne partialiter quidem re, quam possidet bona fide, neque in dubio negativo, neque in dubio positivo, (quando scil. probabile est rem illam non spectare ad possidentem, & simul probabilius, aut æque probabile est ad illum spectare) ita a fortiori nequit id fieri privata auctoritate per occultam compensationem.

Ex quibus sequitur primo, quod sicut nequeunt famuli, ita nec Sutores, nec alii Officiales uti consimili occulta compensatione; quamvis enim thesis confixa solum loquatur de famulis, eadem tamen ratio militat de reliquis, qui facile possunt similiter in hoc judicio ferendo hallucinari.

Sequitur secundo, quod famuli ad restitutionem teneantur, si hujusmodi occulta compensatione usi sint: quod si bona fide, puta ex consilio Confessarii indocti, id fecerint, tamquam possessores bonæ fidei tenentur solum restituere id, in quo facti sunt locupletiores.

XII. Dubitatur tamen, An famuli possint occulte sibi aliquid compensare, quando necessitate, aut vi adiguntur ad inserviendum parvo pretio; Qua in re Less. cap. 12. num. 67., Suar. d. 86. de Sacrament. sect. 4., Mol. disp. 506., Dicast., & alii communissime docent, posse citra injustitiam sibi compensare usque ad pretium justum infimum, si ipsi a propria miseria ad id adigantur. Ratio est, quia sicut qui dat mutuum, aut vendit, consentit implicite in leges contractus mutui, & venditionis; atque adeo si mutuatarius necessitate pressus offerat usuras, non tenetur eas ex justitia solvere, cum sint contra leges mutui; & similiter, si quis vendit infra pretium justum infimum, potest sibi defectum compensare, eo quod spectet ad leges venditionis, quod pretium sit justum: ita qui conducit famulatum alienum, consentit in leges conductionis, quæ pariter exigunt pretium justum: unde qui necessitate compulsus locat suum famulatum minoris, quam

sit

sit infimum pretium justum, potest citra injustitiam occulta compensatione supplere defectum. Notandum tamen, quod si ob consimilem necessitatem alii reperirentur, qui pariter eodem parvo pretio inservirent, tunc pretium justum talis famulatus esse deberet minus, quam extra talem circumstantiam, sicut pretium justum mercium decrescit ex multitudine venditorum: Ac eodem modo sicut decrescit pretium mercium ultronearum, ita pretium famulatus, quando famuli sponte se offerunt ad inserviendum; & Dominus iis utitur, non quia iis indiget, sed misericordia motus erga illorum necessitatem.

XIII. Idem docet Suar. loc. cit. de illo Sacerdote, qui paupertate compulsus consentit in stipendium Missæ minus justo; hic enim injuriam patitur, unde potest occulte servare se indemnem; quamvis si sponte consenserit in stipendium inæquale, donando gratis reliquum, teneatur tunc ex obligatione fidelitatis stare promissis. Tambur. tamen lib. 3. de Sacrif. Missæ cap. 1. §. 2. num. *66.* docet hanc Suarii doctrinam non esse sustinendam pro casu, quo offerens Sacerdoti inæquale stipendium facile reperturus esset alium Sacerdotem, qui contentus de hoc minori stipendio donaturus esset id, quod desideratur usque ad stipendium justum Missæ; quia in tali casu ille Sacerdos ficte consentiens in stipendium inæquale esset causa injusta talis damni, quod ille pateretur. Verum, ut optime advertit Puente Hurt., sicut Mutuatarius ficte offerens usuram potest servare se indemnem, etiam pro eo casu, quo mutuans facile esset reperturus alios mutuatarios, qui sponte post mutuum daturi essent aliquid ultra sortem; ita in casu nostro. Et ratio est, quia uterque injustitiam patitur, dum non servantur leges contractus, & idcirco uterque potest servare se indemnem; Idemque dicendum de eo, qui necessitate compulsus vendit rem minoris, quam valeat, esto emens reperturus esset alios, qui donaturi essent reliquum: Et ratio est, quia qui libere in injustum contractum consentit cum tali indigente, advertere debuerat ad hanc fictam promissionem, ut notat in simili Sanch. l. 1. de Matr. d. 10. 13. 19., unde ipse potius se decipit, quam a ficte promittente decipiatur: Propterea hic ficte promittens peccaret quidem ficte promittendo, ad restitutionem tamen videtur non teneri, quia causa damni, quod patitur promissarius, videtur non esse ficta illa promissio, sed ipse contrahens nolens advertere, quod ea promissio sit ficta. Utrum autem hæc doctrina Suarii sustineri possit etiam post decretum Urbani VIII., & Declarationem S. Congregationis declarantis, Sacerdotes accipientes stipendium minus congruum teneri ad celebrandas Missas ab offerente præscriptas? Admittit Peyrinus cum aliis tr. 3. Privil. c. 3. ut diximus in expositione propositionis X. Alexan. VII., putans Decretum loqui de Sacerdotibus, qui sponte, non vero de Sacerdotibus, qui ex paupertate coacti consentiunt in stipendium minus congruum. Pellizzarius tamen tr. *6.* cap. 3. n. 32. non audet hanc Peyrini doctrinam approbare, ne in re tam Sacra sordidis hisce culpis laxentur habenæ; quare nec ipse censeo approbandam, præsertim in iis, qui culpabiliter in id consenserint.

XIV. Illud in calce adverte ex Mol., & Dicast. loc. cit., quod si famulus non a propria indigentia, sed ab extrinseco, idest vi, aut metu compulsus consentiat in salarium inæquale, possit occulta compensatione supplere defectum, non solum usque ad pretium justum infimum, sed etiam usque ad justum medium: Et ratio est, quia in tali casu facile reperturus esset stipendium justum medium, si talis metus abesset.

PROPOSITIO XXXVIII.

Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.

DA hac affatim diximus in expositione propositionis 29. Alex. VII., ubi de sæpius modicum comedente diebus esurialibus.

PROPOSITIO XXXIX.

Qui alium movet, aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem istius damni illati.

SYNOPSIS.

I. Omnes concausæ alicujus damni tam positivæ, quam negativæ tenentur ad restitutionem.

II. Tria tamen ad contrahendam hanc obligationem requiruntur.

III. Quid in dubio de damno secuto, aut de tua cooperatione ad illud?

IV. Thesis hæc non agnoscens onus restitutionis in eo, qui alium movet, aut inducit ad damnificandum, in eo nititur, quod licet inducat, non tamen cogit; unde solum exequenti damnificatio imputatur, non inducenti.

V. Sicut inducens suo pravo exemplo alios ad damnificandum non tenetur ad restitutionem, ita nec inducens suo consilio, mandato, sollicitatione, &c.

VI. Non tenetur restituere, qui precibus, aut consilio inducit divitem, ne pauperi stipem eroget, esto id fiat ex odio erga pauperem.

VII. Ex sola violatione justitiæ commutativæ consurgit obligatio restituendi: Sicut autem quilibet solum habet jus, ne malis artibus sibi assecutio alicujus boni gratis conferendi impediatur, ita ne alius inducatur ad sibi damnificandum; non vero suasione, precibus, mandato, quibus libertas non læditur.

VIII. At mandans, aut consulens damnum est causa moralis talis damni, & ideo ad restitutionem obligatur. Imo prius tenetur mandans, quam exequens, cum illi magis damnum imputetur.

IX. Sicut quia damnum imputatur ei, qui potest, ac tenetur ex justitia illud impedire, & non impedit, ideo pariter Mutus, Non obstans, Non manifestans, tanquam morales causæ negativæ damni ad restitutionem obligantur.

X. Explicatur quid intersit inter obligationem ex Justitia, & Charitate.

XI. Non imputantur Deo peccata creaturarum, quia Deus illa prohibet, & ex munere causæ primæ non tenetur impedire. At inducens alium ad damnum inferendum illud intendit, unde se habet ut Auctor, & cau-

& cauſa moralis talis damnificationis. *XII. Qui pravo exemplo inducit alios ad damnificandum, ſolum peccat contra Charitatem, cum non influat in damnum poſitive; ſecus vero qui alios inſuaſione, manducit dato, precibus*.

XIII. Pariter contra Charitatem delinquit, qui precibus inducit divitem, ne ſtipem pauperi elargiatur; contra juſtitiam vero, qui precibus inducit alium ad damnum inferendum.

XIV. Quilibet enim jus habet, ne ſibi damnum in rebus ſuis inferatur.

XV. Hinc plura ad praxim deducuntur, & quæſtiones non leves enodantur.

I. Exponitur. Qui adeo enormiter deſipuerit, ut calamo in hanc theſim iret, ignoratur; uſque adeo communiſſime exploditur. Docent quippe omnes, ad reſtitutionem teneri quotquot ad damnum aliis inferendum cooperantur, etiamſi cooperentur negative, ſeu non impediendo illud, dummodo ad id ex officio, aut ex contractu obligentur. Quapropter onus reſtituendi ſubeunt non ſolum Concauſæ poſitivæ, ut Mandans, Conſulens, Conſentiens, vid. ſuo ſuffragio, vel auctoritate, Palpo, ſeu Adulator, laudans quaſi ſtrenuum damnificantem, unde ad damnificandum incitetur, Recurſum præbens, ſeu Receptans damnificatorem, eique ferens auxilium, ac Participans, ſeu ſocius criminis, vel ut executor, vel ut mediator, vel ut explorator; ſed etiam Concauſæ negativæ, vid. Mutus, qui ſcilicet tenetur ex juſtitia damnum impedire verbis, puta clamando, reprehendendo, conſulendo, prohibendo; & Non obſtans, ſeu non prohibens factis, ut debet; ac Non manifeſtans damnificationem, aut delictum, quando ad id ex juſtitia tenetur: Quæ omnes Concauſæ verſiculis illis continentur:

Juſſio, Conſilium, Conſulens, Palpo, Recurſus, Participans, Mutus, Non obſtans, Non manifeſtans.

Ratio autem, cur hi omnes ad reſtitutionem teneantur, eſt, quia efficaciter concurrunt ſua actione, vel omiſſione injuſta ad damnificationem; atque adeo cenſentur cauſa injuſta damni, non ſecus ac ipſa cauſa principalis.

II. Tria tamen requiruntur, ut ad reſtitutionem teneantur: Primo quidem, quod damnum indubitanter ſit ſecutum; Secundo, quod præceſſerit eorum externa cooperatio; Tertio quod ea fuerit cauſa moralis, & efficax damni quoad ſubſtantiam, adeo ut damnum ſecutum ſit imputabile cooperanti.

III. Quod ſi dubites an damnum ſit ſecutum? aut ſi dubites, an damnum ſecutum ſit ex tua cooperatione? vel ſi dubites, an cum gravi culpa Theologica ad illud concurreris? tunc probabiliter ex Sayro, Rebell., & aliis apud Tamb. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Damnum ſecutum*, ad reſtitutionem non obligaris, quia in his dubiis ſtat in poſſeſſione libertas; niſi forte aliquando adeo urgeat præſumptio, ut non ſit dubium, ſed moralis certitudo, quod fueris cauſa damni. Immo ad talem obligationem inducendam ſufficit ex Angelico ſolum probabilitas, quod tua cooperatio in damnum influxerit: Id tamen intellige, quando iſta probabilitas caret quavis probabilitate in oppoſitum, unde pariat quandam evidentiam moralem, ſi minus abſolutam, ſaltem reſpectivam, vid. ſpectatis his circumſtantiis; Sicut tenetur ver. grat. audire Sacrum hoc die, colere hos parentes, &c., quando eſt probabile, quod hic dies ſit feſtus, iſti ſunt noſtri parentes, quin detur probabilitas in oppoſitum, eo quod iſta probabilitas pariat quandam moralem evidentiam reſpectivam: Hæc ſunt verba Angelici 2. 2. qu. 62. art. 7. *Tunc ſolum tenetur Conſiliator, aut Palpo, ideſt Adulator, quando probabiliter æſtimari poteſt, quod ex hujuſmodi cauſis fuerit injuſta acceptio ſubſecuta*. Propterea Sanch. lib. 2. de Matr. d. 41. numer. 17. Mol., & alii docent, quod ſi certum ſit damnum, & certa ſit tua actio injuſta, puta tuum conſilium, tua aſſociatio, & ignores, an damnum ex tua actione injuſta ſecutum ſit, adhuc ad reſtitutionem tenearis; quia præſumendum eſt ex communiter contingentibus, quod actio tua injuſta in talem effectum influxerit, dummodo non dentur rationes efficaces, quæ prudens dubium inducant, puta ſi conſilium dederis, quando occiſor erat capitalis inimicus occiſi, & jam parata omnia erant ad homicidium, &c. Verum in praxi probabilior videtur ſententia Mol. diſp. 726. nu. 6. apud Dia. p. 3. tract. 5. reſ. 84. docentis ſufficere in his dubiis, quod pars damni pro quantitate dubii reſtituatur. Addit Tamb. lib. 8. tract. 4. cap. 3. §. 8. ex Vaſq., Lugo, Dicaſt., quod quando quis ita ad damnum concurrit ſive phyſice, ſive moraliter, ut ſine ipſo nulla alia cauſa ſuperveniente adhuc damnum fieret, non obligetur niſi ad partem damni juxta menſuram influxus præſtiti: e. g. Miles gregarius non tenetur ad reſtituendum totum damnum, quod ſit ab exercitu, quia illud damnum etiam ſine ipſo fieret, & valde exigua eſt animatio concepta ab exercitu ex præſentia talis militis: Et eodem modo Conſulens non tenetur ad totum damnum, ſi adhuc ſine tali conſilio, & adhortatione totum damnum fuiſſet inferendum, & conſilium ſolum influxit, ut citius id fieret. Immo Laym. cap. 5. cum Leſſ. cap. 13. dub. 4., Mol. contra Vaſq. de Reſtit. cap. 9. §. 1. dub. 2. docet, quod nullatenus ad reſtitutionem teneatur, qui ſolum materialiter ad damnum cooperatur, quatenus ſine tali cooperatione adhuc totum damnum eſſet inferendum ab alio; v. g. qui ſuri ſcalas tenet, quas fur conſcenderet ad furandum, etiamſi nemo illas teneret; vel ſi ancilla, ut obtemperet Dominæ, aſportet ciſtam furtivam, quam cæteroquin ipſa Domina aſportaret. Probabilior tamen videtur ſententia oppoſita Vaſq. nu. 35., quia videntur eſſe duæ cauſæ partiales ejuſdem individuæ actionis damnificativæ, quamvis una deficiente, altera totaliter influeret.

IV. Cæterum quod nullatenus ad reſtitutionem teneatur, qui alium movet, aut inducit ad damnificandum juxta ſententiam hujus confixæ theſis, ex eo videtur poſſe in ſpeciem oſtendi. Primo, quia movens, aut inducens alium ad damnificandum ſuo conſilio, mandato, petitione, pollicitatione, adulatione, &c., non determinat, nec cogit illum, ſed reliquit in ſua libertate: ergo damnum non aſcribitur inducenti, ſed exequenti; atque adeo ſolum exequens ad reſtitutionem obligabitur; Sicut enim in phyſicis ſolum actiones neceſſariæ tribuuntur generanti, non liberæ; aſcribitur quippe generanti formam lapidis gravitas, ac motum deorſum, ſed non aſcribitur parentibus culpa filiorum: ita in caſu noſtro damnificatio, utpote libera, imputatur ſolum exequenti, non vero inducenti,

aut moventi ad illam; Sicut non imputatur peccatum nostrum Deo, quamvis Deus det illicia, a quibus homo movetur ad peccandum.

V. Secundo: Qui malo suo exemplo inducit alios ad damnificandum, non tenetur ad restituendum damnum ab aliis illatum, ut docet Bonac. ex Sanch. l. 1. Sum. cap. 6. n. 5., idque ex eodem Sanchez verum habet, etiamsi quis damnificet eo pravo animo, ut suo exemplo alii ad damnificandum inducantur. Verum quidem est, quod ad restitutionem teneatur, qui ex officio, aut ex contractu tenetur impedire furta, homicidia, aliasque damnificationes, & non impediat; At cives non tenentur ex officio, aut contractu aliorum damnificationes impedire, atque ad restitutionem non tenentur, si non impediant: Et si quis pravo exemplo alios ad id ducat, solum peccat peccato scandali, non vero contra justitiam commutativam. Addit Sanchez cum Salas, & aliis, probabiliter nec Judicem, nec Episcopum ad hæc inducentes suo pravo exemplo ad restitutionem teneri; Judex enim cum non sit Pastor, non tenetur ex officio bonum exemplum præbere, nec impedire, ne alii suo pravo exemplo ad damnificandum incitentur; sed solum ex officio tenetur coercere damnum inferre volentes, eosque ad satisfaciendum cogere: Episcopus vero, quamvis teneatur ex officio gregem pascere suo exemplo, at non tenetur ad id in ordine ad patientes damnum, & ut eorum bonis consulat, sed in ordine ad ipsos peccantes, ut eos suo exemplo pascat, & a peccatis avertat. Et ob eandem rationem Lugo disp. 22. de Pœn., cum Con., Fill., Bonac., Suar. d. 32. de Pœn. sect. 2. docet probabiliter Confessarium non teneri ad restitutionem, si culpabiliter non obliget pœnitentem ad restituendum, quia ex officio solum tenetur curare bonum spirituale pœnitentis, non vero bonum creditorum pœnitentis; unde si negligenter munus suum exerceat, peccat solum contra Religionem, non contra Justitiam unde ad restitutionem non obligabitur. Solum ad restitutionem obligabitur Confessarius, si culpabiliter positive dicat pœnitenti, quod ad restituendum non teneatur; quia tunc peccat contra justitiam, positive concurrendo ad damnum creditoris; Si tamen bona fide deobligaverit pœnitentem, non tenebitur ipse ad restituendum, sed tenebitur ex justitia cum aliquo incommodo monere pœnitentem de tali errore, ac de obligatione, quam habet ad restituendum: sicut qui inculpabiliter incendit domum alienam, tenetur (& quidem ex justitia, ut docet Lugo n. 62.) cum aliquo incommodo incendium extinguere; & qui inculpabiliter aliquem infamavit, tenetur extinguere incendium famæ, quod inadvertenter accenderat. Confessarius tamen, qui non positive deobligavit, sed solum omisit culpabiliter pœnitentem in Confessione monere de obligatione restituendi, solum ex charitate tenetur illum deinde monere, ut docent Auctores laudati contra Sylv., Nugnum, & alios apud Dian. p. 2. tr. 16. ref. 1. ergo ut prius.

VI. Tertio: Qui inducit precibus, suasione, petitione, &c. divitem, ne pauperi aliquid donet, etiamsi id faciat ex odio erga pauperem, non tenetur ad restitutionem, ut docent communiter contra Cajet. apud Dia. p. 3. tr. 6. ref. 33., & apud Tamb. l. 8. tr. 3. c. 4. §. 2., dummodo fiat id sine dolo, vi, fraude, aut mendaciis; ergo pariter qui suo consilio movet alium ad inferendum damnum. Probatur consequentia: quia tam est grave damnum Pauperis carere pingui legato sibi relinquendo, quam amittere v. g. aureum: sed inducere consilio, aut precibus alium, ne relinquat pauperi pingue legatum, non trahit onus restitutionis: ergo neque inducere consilio, aut precibus aliquem ad furandum aureum.

VII. Quarto a priori, quia universim non datur onus restitutionis, nisi ex violatione Justitiæ commutativæ; & idcirco qui malis artibus impedit, ne pauperi legatum relinquatur, obligatur ad restitutionem, non vero si impediat precibus, aut consilio; quia scilicet in primo casu peccat contra justitiam, cum jus habeat pauper, ne malis artibus, vi, aut dolo sibi bonum impediatur; secus vero in secundo casu, cum non habeat jus pauper, ne sibi assecutio boni impediatur sine fraudibus; atqui in casu nostro inducens aliquem ad furandum, occidendum, &c. peccat etiam solum contra charitatem; non contra justitiam: quia pariter solum jus habet quilibet, ne fraudibus alius inducatur ad sibi damnificandum, non vero ne inducatur sine fraudibus: eo quod solum fraudibus evertatur in damnificante libertas, non secus ac solum fraudibus evertitur libertas divitis ad relinquendum legatum pauperi: ergo neque obligatur ad restituendum, qui movet, aut inducit alium ad damnificandum.

VIII. Ostenditur falsitas. Quicumque damnum alteri infert, obligatur jure naturæ ad damnum compensandum: sed movens, aut inducens alium ad damnificandum Petro, revera damnum infert Petro, cum sit causa moralis talis damni: ergo ad restitutionem obligatur; Quamvis enim inducens alium ad inferendum damnum non causet illud physice, nec necessitet alium ad actionem damnificativam, adhuc tamen illi damnum imputatur, non secus ac inferenti; Quinimo in morali æstimatione magis imputatur damnum Mandanti, quam Exequenti, ut proinde prius ad restitutionem teneatur ex communi omnium calculo Mandans, quam exequens; & antonomastice Mandans dicitur damnum intulisse, non Exequens. Hinc Jo. 19. dicitur: *Tunc apprehendit Pilatus Jesum, & flagellavit*, licet Pilatus solum mandaverit flagellationem: Præterea Philosophus 2. Phys. 29. inter causas efficientes enumerat Consultorem, ergo tam mandans, quam consulens, aut aliter inducens ad damnificandum, ad restitutionem tenetur. Et sane si duo physice ad eandem damnificationem cooperentur, uterque tenetur in solidum restituere, quamvis æque primo ad illam libere concurrant: ergo a fortiori ad restitutionem tenebitur inducens alium ad actionem damnificativam; cum hæc magis inducenti imputetur, quam exequenti, esto inducens non necessitet exequentem.

IX. Adde, damnificationem imputari etiam illi, qui tenetur ex officio, aut ex contractu illam impedire, & non impedit; unde ad restitutionem ex communi omnium sensu tenetur Mutus, Non obstans, Non manifestans; & Ezech. 33. dicitur, quod *si Speculator viderit gladium venientem, & non insonuerit bucina*, reus erit sanguinis effusi: ergo a fortiori contrahit onus restitutionis, qui positive ad damnum alienum cooperatur consilio, jussu, precibus, aut aliter inducendo alium ad inferendum damnum.

Neque dicas, quod sicut non impediens alienum damnum tunc solum obligatur ad restitutionem, quando ex officio, aut contractu, non vero quando so-

solum ex charitate tenetur illud impedire; ita pariter inducens alium ad damnificandum tunc solum obligatur restituere, quando ex officio, aut contractu, non vero quando solum ex charitate tenetur alium non inducere ad damnificandum.

Nam contra est, quia licet tunc solum Justitia obliget ad impediendum alienum damnum, quando ex officio, aut contractu ad id tenemur; nihilominus independenter ab Officio, aut contractu, Justitia obligat ad non inferendum alteri damnum neque immediate, neque mediate, neque physice, neque moraliter; atque adeo licet non semper detur obligatio restituendi, quando non impeditur damnum alienum; semper tamen datur hæc obligatio quando infertur, aut positive inducitur alius ad inferendum damnum.

X. Illud autem interest inter obligationem ex Justitia, cujus violatio trahit onus restitutionis, & obligationem ortam ex Charitate, cujus læsio non trahit hoc onus, quod Justitia obligat ad tribuendum unicuique jus suum, atque adeo obligat ad non lædendum jus alienum, & ad resarciendum, si fuerit læsum, non tamen obligat ad illud conservandum, aut promovendum, nec ad impediendum, ne ab aliis lædatur, nisi quis officio, aut contractu ad id teneatur; aliter ut advertit Mendo in Epist. V. *Restitutio* n. 6. quilibet teneretur alteri gratis inservire, impediendo ejus damnum, quod nemo dixerit: Charitas vero obligat ad augendum bonum proprium per conjunctionem cum aliis, & ad promovendum bonum commune; propterea obligatio orta ex justitia semper violatur, quando quis lædit, aut inducit alium ad lædendum jus alienum actione damnificativa; non semper tamen violatur obligatio orta ex justitia, quando non impeditur alienum damnum, sed solum quando ad id obligamur ex officio, aut contractu. Violatur vero obligatio orta ex charitate, quando non impeditur alienum damnum, eo quod non promoveatur tunc bonum commune, nec bonum proprium per conjunctionem cum aliis, prout charitas postulat; & ideo in hoc casu, quamvis peccat contra charitatem, qui non impedit alienum damnum, non per hoc obligatur ad restitutionem. Hinc fit, ut notat idem Mendo, teneri ad restitutionem, qui accipit pecuniam, ut taceat furtum ab alio patrandum, quia tunc fur securius furatur; unde accipiens sic pecuniam positive ad furtum concurrit, atque adeo lædit Jus alienum: Contra vero qui accipit pecuniam, ne revelet furtum jam commissum, non tenetur ad restitutionem, quia non cooperatur positive ad damnum alienum, nec ex officio, aut contractu tenetur illud revelare. Quinimmo testis, qui in judicio negat alienum furtum, quod vidit, quamvis peccet contra justitiam legalem non obtemperando Judici præcipienti, non per hoc violat jus alienum; unde nec tenetur restituere.

XI. Ad primam rationem in contrarium: Constat ex dictis, damnum imputari non minus causæ morali, quam physicæ, immo mandanti potius, quam exequenti. Ideo non imputantur parentibus peccata filiorum, nec Deo peccata hominum, quia Deus, & parentes ea prohibent: Actiones vero honestæ a Deo præcipiuntur, & idcirco Deo potius, quam nobis imputantur; & de iis dicit Apostolus, *Non ego sed gratia Dei mecum*; & universim ille dicitur auctor alicujus operis, qui vult illud: ut enim habet August. lib. 83. QQ. *Illo auctore cum dicimus*, *illo volente dicimus*; qui autem inducit alium ad inferendum alteri damnum, vult illud; ergo dicitur Auctor talis damnificationis; atque adeo non minus, quam Executor, ad restitutionem obligatur.

XII. Ad secundam constat solutio ex diversitate explicata inter obligationem ortam ex justitia, & ortam ex charitate; Qui pravis suis moribus inducit alios ad peccandum, non intendit illorum culpas; & licet aliquando eas velit, non influit tamen positive in illas, sicut influit Mandans, Consulens, Palpo; & ideo qui pravo exemplo inducit alios ad furandum, ad restitutionem non tenetur; Neque incurrit irregularitatem, qui suo exemplo inducit aliquem ad patrandum homicidium; secus vero si mandet, aut suadeat illud.

XIII. Ad tertiam: Quilibet habet jus, ne malis artibus sibi impediatur assecutio alicujus boni; eo quod habeat jus ad tale bonum conditionate, hoc est deprendenter a voluntate donantis; unde justitia violatur, si fraudibus evertatur libertas illius, qui potest tale bonum conferre; at non læditur justitia, sed charitas, seu promotio boni proprii per conjunctionem cum aliis, si precibus, consilio, aut aliter impediatur collatio boni, & ideo in hoc casu non datur onus restitutionis.

XIV. Ad quartam: Ostendimus contra justitiam peccari, si alius inducatur ad damnificandum, etiamsi id non fiat fraudibus, dolo, ac mendaciis; cum quilibet habeat jus, ne sibi damnum in rebus propriis inferatur nec physice, nec moraliter, nec immediate, nec mediate. Verum tamen est, quod si mere occasionaliter damnum causetur, non violetur justitia, nec detur onus restitutionis; e. g. si quis alapam alteri impingat, qui ob dedecoris apprehensionem per accidens moriatur, non dicitur causa, sed mera occasio mortis; unde non est irregularis, nec ad restitutionem tenetur, ut homicida. Et similiter, si quis alium occidat, & collocet cadaver ante januam Caji, unde Cajus a Judice condemnatur, non dicitur causa moralis, sed solum occasio talis condemnationis, unde non tenetur ad restitutionem, si talem condemnationem prævideat, sed non intendat, ut docet Lugo disp. 8. de Just. numer. 84. contra Sanch.; & a fortiori id verum est, quando quis invenit cadaver occisi ab alio ante suam januam, & illud collocat ante januam alterius.

XV. Ex dictis sequitur primo, quod sicut sub mortali ad restitutionem tenetur, qui movet, aut inducit alium ad graviter damnificandum alteri; ita sub veniali teneatur ad restitutionem, qui inducit alium ad damnificandum leviter; quamvis enim explicite illud duntaxat in hac tesi damnetur, ex illo tamen sequitur hoc aliud implicite etiam damnari.

Sequitur etiam juxta sententiam Vasq., Sanch., Less. contra Sotum, Mol., Laym. apud Dian. p. 3. tr. 6. res. 35. eum, qui inducit Judicem, ne imponat mulctam pecuniariam Fisco, aut parti læsæ solvendam, aut inducit Custodes sylvarum, flumminum, civitatum, ne deferant Magistratibus transgressores, atque adeo impedit, ne mulcta Fisco, aut Dominis solvatur, quamvis peccet, probabiliter tamen ad restitutionem talis mulctæ non teneri. Ratio est, quia ad has mulctas non habet Fiscus, aut pars læsa jus ante sententiam Judicis; ergo qui

has mulctas impedit, non peccat contra Justitiam, nec tenetur ad restitutionem; Sicut nec Judex, & Custodes tenentur ad illam compensandam: Omnes tamen hi tenentur compensare damnum illatum parti læsæ, relate ad id, ad quod habet jus independenter a sententia Judicis: v. g. Custodes, qui ex contractu, atque adeo ex justitia tenentur revelare transgressores, quamvis non teneantur compensare mulctam pecuniariam fisco post sententiam Judicis solvendam, tenentur tamen compensare fisco id, quod esset a transgressoribus solvendum ratione gabellæ; & ideo qui inducit Custodes ad non revelandum transgressores, tenetur etiam ipse hoc damnum fisco compensare.

Dubitatur hic primo, Utrum inducens alium ad damnificandum suo mandato, aut consilio, si revocet mandatum, aut consilium, adhuc ad restitutionem teneatur? Ad quod respondetur, quod si mandatum revocet, non teneatur restituere; eo quod tunc mandatarius non noceat vi mandati, utpote jam revocati; Si tamen revocet consilium, & consulutus adhuc vi illius consilii damnificet, Consulens ad restitutionem tenetur; sicuti qui propinato alteri veneno, conatur deinde antidotis illud extinguere, & non potest, adhuc irregularitatem contrahit, & onus restitutionis, si mors sequatur. Quod si Consultus non vi illius consilii, sed ex propria malitia damnificet, Consulens excusabitur; hoc autem contingit, quoties Consulens post datum consilium Socrati de inferendo alteri damnum, validiores rationes adducit ad retrahendum illum a suo proposito.

Dubitatur etiam, An ad restitutionem teneatur, qui ratum habet, seu approbat damnum nomine suo alteri illatum, quod tamen ne implicite quidem mandavit? Ad quod respondetur negative; quia quamvis ex regula 10. Juris in 6. ratihabitio retrotrahatur, & mandato comparetur quoad pœnas fori exterioris, non tamen quoad causalitatem damni, & quoad onus restitutionis: quomodo enim damnum causari potest a ratihabitione subsequente? quamvis autem damnum illatum sit in gratiam Petri ratihabentis deinde illud; Petrus tamen est causa finalis, non causa efficiens illius damni, unde ad restitutionem non tenetur.

Dubitatur demum, An ad restitutionem teneatur, qui movet, aut inducit alium ad inferendum damnum minus, quoties ille determinatus est inferre damnum majus; e. g. qui inducit Petrum ad vulnerandum duntaxat inimicum, quem vult omnino occidere? Ad quod respondendum cum communiori apud Sanch. l. 7. disp. 11. num. 15., & Lugo d. 19. de Justit. nu. 44., quod nec peccet, nec teneatur consequenter ad restitutionem, si suo consilio intendat tantum avertere illud malum majus; Consilium enim est potius conditionatum, quam absolutum, quasi dicatur, Si vis illum occidere, potius vulnus, vel alapam infligas. Immo licitum est directe ad tale minus malum illum inducere intendendo solum malum illud minus, quatenus minus est, non vero qua malum. Qui tamen determinatus est occidere Petrum, non potest induci ad inferendum potius malum minus Paulo; nisi quando Paulus ex charitate tenetur potius illud minus malum subire, ut proinde non sit rationabiliter invitus: v. g. si fur determinatus sit furari a Petro, qui ob tale furtum redigetur ad extremam necessitatem, licitum est consulere illi, ut potius furetur aliquantulum a Paulo ditissimo, quia in tali casu hic non esset rationabiliter invitus.

PROPOSITIO XL.

Contractus Mohatra licitus est etiam respectu ejusdem Personæ, & cum contractu retrovenditionis prævie inito, cum intentione lucri.

SYNOPSIS.

I. Communiter docent hunc contractum esse illicitum, quippe qui injustitiam continet, & usuram palliatam.

II. Videtur tamen licere, ex eo quod liceant singula, quæ in eo includuntur.

III. Sicut contractus Societatis, qui dicitur Trium, est immunis a labe Usuræ, eo quod singula in eo inclusa liceant, ita contractus Mohatra.

IV. Mutuare sub aliqua conditione levissime onerosa non semper usuram continet.

V. At negari non potest, quod in hoc Contractu pallietur usura.

VI. Etiamsi haberetur in illo verus contractus venditionis mercium; adhuc includitur injustitia per hoc, quod superaddatur ementi onus revendendi pretio infimo merces ab eo emptas pretio summo.

VII. Esto Mercator sit beneficus Socrati emptori, per hoc quod offerat se ad reemendum; injuste tamen illum gravat imponendo onus retrovenditionis, & quidem pretio infimo.

VIII. Si hujusmodi pactum retrovenditionis etiam implicitum desit, injustitia, & usura declinatur, peccari tamen potest contra Charitatem.

IX. Singula, quæ in contractu Mohatra includuntur, licent, circumscripto pacto retrovenditionis.

X. Potest quidem mercator lucrum reportare vi contractus, qui dicitur Trium, non tamen vi hujus contractus Mohatra.

XI. Tunc potest mutuo superaddi aliquod exiguum onus, quando illud non est pretio æstimabile, nec magis Mutuatarium gravat, quam gravet Mutuatio ipsum Mutuantem, nec exigitur ex justitia, sed petitur velut in gratitudinem: Et hoc ipsum in praxi est valde periculosum. In casu tamen nostro imponitur onus grave pretio æstimabile, & ex contractu prævio, atque adeo ex justitia; unde contractus est fœneratitius.

XII. Non potest practice admitti, quod Mercator absque ullo prævio pacto vendat mercem pecunia credita pretio summo; sperans, quod emptor retrovendat eandem sibi pecunia numerata pretio infimo, & manifestando illi hanc suam spem, & intentionem lucrandi.

I. Exponitur. Intervenit hic contractus dictus inter Hispanos *Mohatra*, seu *Barrata*, quoties Cajus indigens pecunia numerata adit mercatorem, qui nolens pecuniam dare mutuam, offert merces, quibus ille non indiget, ut emat eas pecunia credita pretio summo, puta 105., & deinde sibimet retrovendat easdem pecunia numerata pretio infimo, puta 100. Sic enim mercator non ex contractu mutui, sed ex contractu venditionis, & emptionis lu-

lucratur auctarium illud; & Cajus consulit suæ necessitati habendo centum, quamvis cum onere restituendi post annum centum, & quinque. Hic contractus venditionis mercium pecunia credita, & retrovenditionis pecunia numerata damnatur in hac thesi ut illicitus, si fiat respectu ejusdem personæ, & si cum pacto prævie inito retrovenditionis ex intentione lucri: Et quamvis non dicatur illicitus, vel quia scandalosus, vel quia contra charitatem, vel quia contra Justitiam, communiter tamen docent apud Lugo disp. 16. de justit. n. 204. Less. l. 2. c. 21. n. 130. Dian. p. 1. tract. 8. res. 58. esse injustum, & usuram palliatam continere: Nec reperio inter Auctores, qui oppositum docuerit: Solumque excusant illum ab injustitia Salas, & alii, si fiat absque prævio pacto retrovenditionis, ne implicito quidem, etiamsi adsit principalis intentio lucrandi, & prævideatur, quod Cajus merces illas statim sit eidem mercatori revenditurus.

II. Videtur tamen, quod non solum citra injustitiam, sed etiam licite inter mercatorem, & Cajum celebrari possit contractus Mohatra jam explicatus; quia licita sunt singula, quæ in hoc contractu continentur; ergo & totus contractus est licitus. Antecedens probatur. Licite item potest mercator nolle mutuare. Potest enim licite vendere merces pretio justo summo. Potest pariter licite emere ipse easdem pretio infimo, si a Cajo exhibeantur, cum non sit ipse pejoris conditionis, quam alii; unde si possunt alii illas emere pretio infimo, quidni etiam ipse mercator? Potest etiam in utroque hoc contractu venditionis, & emptionis, utpote licito, haberi intentio lucrandi, non secus ac negotiatores licite intendunt lucrum ex emptione facta pretio infimo, & venditione ejusdem rei pretio summo. Illud solum videtur negotium facessere, quod Cajus ex pacto prævio obligetur ad retrovendendum; sed hoc pactum non tam est onerosum Cajo, quam ipsi Mercatori, qui obligat se ad reemendum merces, quas Cajus quærit vendere; unde hic beneficium a mercatore reportat per hoc, quod liberetur a quærendis aliis emptoribus, & a sumptibus in proxenetas faciendis; Præsertim quia pretium mercium ultronearum decresceret: ergo singula, quæ in hoc contractu habentur, videntur juste, & licite fieri posse.

III. Secundo: In tantum esset illicitus contractus Mohatra, in quantum videtur continere usuram palliatam, & prætextu venditionis, & emptionis percipitur virtualiter lucrum ex mutuo, sed revera usuram non continet, quamvis videatur continere: ergo est licitus: Sicut enim e. g. contractus Trium communiter censetur licitus, quia servantur leges trium contractuum, nempe Societatis, Assecurationis sortis principalis, & Assecurationis fructuum, unde non dicitur continere usuram palliatam, quamvis videatur percipi lucrum ex mutuo, ut communiter docent contra nonnullos apud Dian. p. 1. tr. 8. res. 30. ita hic contractus Mohatra dicendus est licitus, quia in eo servantur leges venditionis, & emptionis: unde non debet censeri usurarius, quamvis videatur percipi lucrum ex mutuo.

IV. Tertio: Mutuare Petro pecuniam cum pacto v. g. quod statim remutuet triticum, non censetur usura, ut multi docent apud Dian. p. 1. tr. 8. res. 59. saltem si non sit illi grave incommodum remutuare triticum: quia non imponitur onus quod gravet, sed apponitur conditio levissime onerosa, quod scil. remutuet triticum, si vult mutuam pecuniam: ergo neque censendus usurarius contractus Mohatra ex hoc, quod apponatur pactum retrovendendi merces eidem mercatori pretio infimo, quando hoc non est incommodum, sed beneficium; quia pactum istud apponitur tanquam conditio levissime onerosa, quod scilicet Cajus retrovendat mercem, si velit eam emere pecunia credita.

Ratio in utroque casu est, quia quando obligatio imposita est exigua, nec prudenter pretio æstimabilis, tunc, ut notat Mendo in Epit. V. *Usuræ* num. 30. non reddit contractum mutui usurarium. Hinc non censetur usuram committere Præceptor, si mutuet pecuniam Scholaribus cum pacto, quod suis lectionibus intersint, aut si quis mutuet Petro cum pacto quod in suo Molendino molat, aut merces a se emat pretio, quo esset ab aliis empturus, ut docent Less. c. 20. dub. 8. Laym. Bannez, Rodr. & alii apud eundem Mendo: ergo pariter si mercator imponat Cajo obligationem retrovendendi merces sibi eo pretio, quo esset aliis venditurus, non imponit obligationem pretio æstimabilem; atque adeo contractus Mohatra non videtur usuram continere, sed esse usquequaque licitus.

V. Ostenditur falsitas: quia contractus Mohatra, si fiat respectu ejusdem personæ, & cum pacto prævio retrovenditionis, in omnium sententia continet usuram palliatam; etenim verbo tenus habetur venditio, & emptio, sed revera solum habetur mutuum, & lucrum ex mutuo, ut in omnibus contractibus, in quibus usura palliatur: ergo non solum est illicitus, sed etiam injustus.

VI. Deinde, etiam dato, quod habeatur verus contractus venditionis, & non mutui, adhuc habetur injustitia; quia venduntur merces pretio summo, & superadditur onus, quod retrovendantur pretio infimo: Quis autem non videat, hujusmodi venditionem injustitiam continere? Sicut injusta esset venditio equi pretio summo, si superadderetur emptori onus vendendi domum suam, & a fortiori si ea esset vendenda pretio infimo.

VII. Neque obstat, quod Cajus venditurus sit mercem pretio infimo ad succurendum suis indigentiis, ut proinde non sit onus, sed beneficium, quod Mercator confert, dum emit pecunia numerata mercem, quam carius vendiderat pecunia credita. Nam licet sit beneficium, quod mercator offerat se ad emendum, non est tamen beneficium, sed onus grave obligare Cajum ad vendendum statim pretio infimo: Si mercator Cajo ementi mercem daret optionem vendendi illam, cui maluerit, facile Cajus reperiret, qui eam emeret pretio medio; dum tamen mercator renuit vendere mercem, nisi sibimet retrovendatur, adimit Cajo facultatem inveniendi benignum emptorem, & ideo superaddit aliquod onus, quod reddit contractum venditionis injustum: Immo prætextu venditionis palliat Usuram, quam intendit.

Hinc patet disparitas, quare contractus Mohatra injustitiam contineat, solum si sit respectu ejusdem personæ, & cum pacto retrovenditionis, non vero si sit respectu diversarum, aut sine illo pacto prævio. Quando enim mercator vendit Cajo pecunia credita mercem pretio summo, injustitiam non committit: quod si tertius deinde eandem mercem emat pretio infimo pecunia numerata, pariter servat leges contractus emptionis, unde

nec

nec habetur injustitia; idemque dicas, si Cajus sponte offerat eidem mercatori eandem mercem emendam: Secus vero si Cajus ad id teneatur, ut ostendimus.

VIII. Utrum autem mercator videns indigentiam Caji, qui adigitur ad emendam mercem pretio summo; & ad revendendam infimo, ut suis necessitatibus consulat, peccet, intendendo, quod Cajus sibi mercem retrovendat, etiamsi ad id non obliget; Dicendum, quod si præeat de hoc pactum implicitum, peccat contra Justitiam, non secus ac si pacisceretur explicite, ut patet; si vero nullum præcesserit pactum, peccare poterit peccato scandali, eo quod videatur velle ditescere ex miseriis Caji, & facile etiam peccabit contra Charitatem, si scil. citra incommodum possit subvenire Cajo graviter indigenti, non vendendo mercem pecunia credita cum tanto ejus detrimento, sed mere mutuando, & tamen renuat viscera pietatis induere, ut in ea venditione lucretur: Non peccabit tamen contra Justitiam, nec usuram committet per hoc, quod pecunia credita vendat mercem pretio summo, quam pecunia numerata non venderet, nisi pretio infimo, aut medio. Et ratio est, quia etiam pretium summum est justum; unde in tali venditione non intervenit injustitia.

IX. Ad primam rationem in contrarium, Antoninus, & Medina apud Dian. l. c. ref. 48. contra Nav. Less. & alios putant, nullatenus posse eundem mercatorem redimere pecunia numerata pretio minori mercem, quam vendidit cariori pretio pecunia credita, etiamsi non præcesserit pactum retrovenditionis; cum id sit semper scandalosum, si minus injustum; ut proinde sub gravissimis pœnis id prohibeatur in Legibus Lusitaniæ, & Castellæ apud Rebell. & Mol. disp. 310. Docent pariter Azor. Vega, Mol. contra Nav. Val. Salas apud eundem Dian. hujusmodi contractum non esse immunem ab injustitia, & usura, etiamsi non præcedat pactum retrovenditionis, si fiat principaliter ex intentione redimendi mercem viliori pretio, ita ut sine spe talis lucri mercator non esset credito venditurus illam: Equidem do cum Lugo n. 206. licitum esse hujusmodi contractum absque illo pacto cum intentione lucrandi, ita ut si non esset spes lucri, mercator non esset venditurus; ad eum modum quo potest licite aliquis celebrare propter stipendium, & Canonicus adesse Choro propter distributiones eo animo, ut si hæc abessent, nec Sacerdos hodie celebraret, nec Canonicus adesset Choro, quia scil. possunt hæc esse motivum duntaxat impulsivum, non vero finale; Immo Lugo de Mutuo n. 18. permittit, quod intentio lucrandi possit etiam esse motivum principale, ac finale, quoties lucrum non est injustum: Nihilominus quoties in contractu Mohatra præcedit pactum retrovenditionis, nullatenus depurari potest ab injustitia, ut ostendimus, propter onus grave, quod Cajo imponitur vendendi rem suam pretio infimo.

Neque obstat, quod Cajus hoc modo liberetur a quærendis aliis emptoribus, & a sumptibus in proxenetas faciendis, ut proinde ex tali onere lucrum videatur potius reportare, quam detrimentum. Nam sicut Mutuatarius, qui cogitur ab Usurario ad promittendas usuras, aliquando lucrum reportat (quando scil. aliter deberet vendere res suas vilissimo pretio ad consulendum suis indigentiis, aut quando aliter in custodias mitteretur, unde redderetur impotens ad laborandum, & ad solvendum æs alienum) & tamen injuste cogitur ad usuras solvendas, onusque illud, quod imponitur, quamvis sit gratum, eo quod liberet Mutuatarium ab onere graviori, adhuc est injustum; ita prorsus in casu nostro injuste, & usurarie imponitur Cajo onus revendendi mercem pretio infimo, quamvis subeundo tale onus ab onere graviori aliquando liberetur; unde gratias agere possit mercatori illam reementi, non quidem ob onus injuste impositum, sed ex eo, quod sic ab onere graviori liberetur.

X. Ad secundam: Negari non potest multos contractus iniquos, & usurarios posse reduci ad limites alterius contractus justi, ita ut licite possit vi hujus contractus retineri lucrum, quod independenter a tali contractu esset usurarium; ut proinde multi censeant apud Less. c. 20. dub. 12. quod celebrans bona fide contractum usurarium retinere possit lucrum illud, quod reportare potuisset ex alio contractu justo, quem procul dubio celebrasset, si scivisset contractum initum esse iniquum. Quod ipse Lessius putat verum, saltem in casu, quo uterque contrahentium implicite consentit in illum contractum, qui juste poterat celebrari, & ferre tale lucrum. Sic ex vi contractus societatis, qui dicitur Trium, potest Titius dare mercatori centum, & reportare post annum 110. dummodo revera pecuniam accipiens, illam cum sua industria negotietur, adeo ut possit fructum uberem retrahere, v. g. 40. unde sublata assecuratione sortis principalis, & fructuum, possit juste se obligare ad reddendum centum, & decem: Quod si Mercator acciperet centum, non vi contractus Trium, sed vi contractus Mutui, usurarium esset quodcunque auctarium. In casu tamen nostro contractus Mohatra de se est injustus eo ipso ac admiscetur pactum retrovendendi mercem eidem mercatori, nec potest ullatenus cohonestari, sicut potest cohonestari contractus Trium: siquidem in contractu Trium habetur utrinque lucrum, & damnum æquale; in contractu vero Mohatra cum pacto retrovenditionis lucrum est solius mercatoris, & damnum solius Caji, ergo contractus est iniquus, & continet usuram palliatam voce emptionis, & venditionis: quia lucrum, quod reportatur, virtualiter est præcise ratione mutui, non ratione alterius contractus; ubi in contractu Trium lucrum, quod reportatur, oritur a negotiatione, si revera hæc intercedit; aliter etiam in contractu Trium haberetur usura palliata.

XI. Ad tertiam: Lis gravis est inter DD. Num sine labe usuræ possit Mutuans imponere Mutuatario obligationem aliquam de præsenti? ex. gr. Dubitatur, an possit citra usuram aliquis mutuare pecuniam hodie sub conditione, quod Mutuatarius simul remutuet triticum, vel vendat, aut emat? Molina disp. 308. Suar. Rebell. lib. 8. n. 4. & alii apud Dian. p. 1. tract. 7. ref. 60. & Less. c. 20. d. 8. contra quamplures putant id licere, quando obligatio, quæ imponitur Mutuatario, non est gravior, quam sit Mutuanti mutuatio, aliter procul dubio Mutuatio esset usuraria; ut si quis vellet mutuare centum sub conditione, quod alter vendat omnia bona sua pretio infimo: Conveniunt tamen DD. contra nonnullos apud Molinam disputat. 308. quod semper sit usuraria mutuatio, si imponatur Mutuatario aliqua obligatio in posterum; ver. gr. si quis mutuet Petro sub conditione, quod teneatur ille remutuare tantumdem quandocumque; quia hoc onus semper est pretio æstimabile, & est extra ratio-

rationem mutui: In eo duntaxat sensu admitti potest cum Less. l. c. doctrina illa Mendo, quod absque labe usuræ imponi possit aliqua obligatio Mutuatario, quando scil. non solum est exigua, sed etiam, ut ipse addit, non est pretio æstimabilis, nec magis gravat Mutuatarium, quam Mutuans gravetur ab ipsa mutuatione: Ut si quis mutuet Petro, petens ab eo ratione gratitudinis, ut frequentet suum Molendinum, suam Officinam, quin ad hoc illud obliget ex contractu, & Justitia, ut dicemus in expositione propositionis 42. aut si petat, quod condonet sibi injuriam, quando debet illam condonare; aut quod concedat suam familiaritatem, & similia; a quibus tamen in praxi omnino abstinendum, quia fere semper novum non leve onus inducunt. In re nostra, quis non videat, obligationem, quæ imponitur a mercatore Cajo revendendi mercem pretio infimo, esse onus pretio æstimabile? ergo si vendatur merces pretio summo, & redimatur pretio infimo cum hac obligatione, vel habetur ratione hujus oneris contractus venditionis injustus, vel reportatur lucrum ex mutuo virtuali; Ac propterea emptiones istas, quas Mohatras, seu Barattas appellant, damnant DD. communissime, ut fœneratitias, & iniquas.

XII. Difficultas est, Utrum in sententia Card. de Lugo, & Salas putantium contra Molin. Rodriq. Salon. & alios licitum esse mercatori absque prævio pacto vendere credito mercem pretio summo, eo animo ut redimat pretio infimo pecunia numerata, liceat etiam eidem mercatori manifestare Cajo hanc suam intentionem, dicendo, Vendo tibi mercem credito 105. si tamen indiges pecunia præsenti, paratus sum redimere illam pretio viliori, puta centum? Admittit Lugo num. 208. qui tamen cum eodem Salas monet, solum speculative loquendo id esse probabile; practice enim facile in manifestatione hujus voluntatis intercedit aliquod pactum implicitum, quod certe in foro externo præsumitur; & ideo a contractu Mohatra etiam sic inito est abstinendum.

PROPOSITIO XLI.

Cum numerata pecunia pretiosior sit numeranda, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem, quam futuram, potest creditor aliquid ultra sortem a mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari.

PROPOSITIO XLII.

Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur, tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, sed solum si exigatur tanquam ex justitia debitum.

SYNOPSIS.

I. De priori hac thesi diximus in expositione propositionis 42. Alex. VII. II. Posterior suadetur, quia cum sit licitum sperare lucrum a Mutuatario ex gratitudine, videtur pariter licitum illud exigere tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum, dummodo non exigatur tanquam debitum ex justitia.

III. Præsertim quia licitum censetur excitare Mutuatarium ad aliquam gratitudinem post acceptum mutuum. IV. Potest a Mutuatario exigi, quod suis obligationibus satisfaciat, puta quod Missam audiat die festo, quidni etiam quod satisfaciat obligationi antidorali ex gratitudine? V. Cum sit debitum jure naturæ signum aliquod gratitudinis a Mutuatario, videtur posse illud citra usuram in pactum deduci: Sicuti, quia Missæ stipendium jure naturæ est debitum Sacerdoti in sustentationem, potest illud in pactum deduci citra Simoniam. VI. Sed omne gravamen, quod imponitur Mutuatario, & extra rationem mutui, est Usurarium. VII. Obligationi antidorali gratitudinis nemo tenetur satisfacere conferendo aliquid temporale; cum sufficiat, quod Mutuatarius oret pro Mutuante, & signa benevolentiæ exhibeat.

VIII. Obligationi ex gratitudine superadderetur vi pacti nova obligatio valde onerosa; nam si post hujusmodi pactum Mutuatarius non solveret auctarium, non solum haberetur ingratus, sed etiam infidelis, si minus injustus. IX. Si thesis hæc subsisteret, immensum ostium Usuris, & Simoniis pateret.

X. Non pauca huc spectantia discutiuntur.

XI. Potest quidem lucrum a Mutuatario sperari ut liberaliter conferendum, non tamen ut conferendum vi pacti prævii, quod novum gravamen imponeret.

XII. Practice non debet admitti, quod possit Mutuator excitare Mutuatarium ad aliquam remunerationem ex gratitudine. XIII. Tunc pactum initum cum Mutuatario de satisfaciendo suis obligationibus non est fœneratitium, quando non superaddit novum gravamen. XIV. Stipendium Missæ ideo potest in pactum deduci, quia est debitum jure naturæ ex justitia. XV. Hinc plura deducuntur ad Usuram, & Simoniam spectantia.

I. Exponuntur. Quod attinet ad priorem thesim, nihil est causæ cur in ea immoremur, cum satis superque de illa dixerimus in expositione propositionis 42. Alexand. VII. ubi ostendimus illicitum esse Mutuanti aliquid ultra sortem exigere ex hoc, quod obliget se ad non repetendam sortem usque ad certum tempus, eo quod absentia pecuniæ per aliquod tempus determinatum non reddat illam minoris valoris, quam sit pecunia præsens, dummodo damnum inde emergens, aut lucrum cessans sufficienter compensetur, necnon periculum probabile, & proximum amittendi sortem; periculum enim remotum aut amittendi sortem, aut carendi pecunia, si forte hic & nunc ea Mutuans indigeret, abunde compensatur per hoc, quod si pecunia interim furto, aut alio infortunio pereat, non pereat Mutuanti, sed Mutuatario.

II. Quod attinet ad posteriorem thesim, cum usura sit Lucrum ex mutuo immediate proveniens, hoc est quod unice confertur ratione mutui, tanquam ejus pretium, & ut debitum ex justitia; contra vero a labe usuræ sit immune lucrum, quod provenit ex mutuo mediate, puta ex gratitudine, & liberalitate Mutuatarii, aut ex ejus amicitia, adeo ut conferatur omnino gratis; idcirco docuerunt nonnulli apud Dian. p. 1. tr. 8. ref. 62. & p. 11. tr. 7. ref. 23. licitum esse nolle mutuare, donec Mutuatarius promittat se daturum auctarium in gratitudinem, non ex obligatione Justitiæ, sed

vera-

veracitatis, ac fidelitatis; ut proinde possit deinde illud exigi tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, ac ratione promissionis, esto non possit exigi tanquam ex justitia debitum.

Fundamenta hujus opinionis sunt, Primo, quia non est usura sperare, & intendere lucrum conferendum a Mutuatario, tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine: ergo neque est usura exigere similiter illud, tanquam ex gratitudine debitum. Antecedens admittitur a DD. communiter apud Lugo de Usuris n. 28. qui concedunt posse Mutuantem sub hac spe, & intentione offerre mutuum Principi indigenti, ut ille ex gratitudine conferat officium, vel Beneficium Ecclesiasticum; Quod etiam citra simoniam potest, eo quod nullum interveniat pactum explicitum, aut implicitum, sed mera spes gratitudinis; adduntque, motivum lucri ad mutuandum posse esse principale, & finale, nedum minus principale; & impulsivum, si lucrum intendatur tanquam debitum ex gratitudine, secus vero si intenderetur tanquam debitum ex Justitia.

Neque obstat illud Christi D. Luc. 6. *Mutuum date, nihil inde sperantes*, quia vel hoc est consilium relate ad excludendam spem beneficii ex gratitudine processuri, vel est præceptum relate ad excludendam spem lucri tanquam debiti ex justitia, seu quod sit pretium mutui; In quo sensu communiter interpretatur id, quod ab Urbano Papa dicitur Cap. *Consuluit* de Usuris, vid. ad restitutionem teneri eum, qui mutuat, intendens, ac reportans lucrum, etiamsi absque prævia conventione; tenetur enim ad restitutionem, si lucrum illud accepit tanquam pretium mutui, & in recompensationem non gratuitam, ut proinde a Mutuatario illud coacte, & non liberaliter fuerit datum. Consequentia itaque probatur: quia intantum potest licite sperari, & intendi lucrum conferendum ex gratitudine, & non in pretium mutui, inquantum instinctu naturæ Mutuatarius movetur ad ostendendum se gratum: sed hoc probat posse etiam hanc gratitudinem, utpote jure naturæ debitam, a Mutuante exigi: ergo potest citra usuram exigi lucrum tanquam debitum ex gratitudine.

III. Confirmatur; quia Cajet. Mol. Bannez, Salon. Salas apud Lugo, & Dian. loc. laud. contra Scotum, Medin. Richard. permittunt Mutuanti, quod verbis excitet, & inducat Mutuatarium ad remunerationem ex liberalitate, & gratitudine, saltem post mutuum solutum; ea enim excitatio, & petitio non reddit donationem involuntariam, esto solum ex rubore fiat: ergo poterit etiam ex gratitudine aliquid ultra sortem exigi, dummodo non exigatur tanquam debitum ex justitia.

IV. Secundo: Immunis est ab usura Mutuator, si exigat a Mutuatario, quod suæ obligationi satisfaciat, puta quod audiat Missam die festo, quod remittat odium propter offensam: atqui Mutuatario inest etiam obligatio præbendi se gratum Mutuanti: ergo potest etiam Mutuans ab eo exigere, quod ex gratitudine aliquid supra sortem donet, atque adeo poterit hoc in pactum deduci.

V. Tertio: Cum stipendium Missæ sit debitum jure naturæ, (*Quis enim militat suis stipendiis unquam?* ut dicitur 1. ad Cor. 9.) idcirco potest Sacerdos exigere stipendium Missæ, & antecedenter pacisci de illo: ergo quia etiam debitum est jure naturæ signum aliquod gratitudinis erga Mutuantem, poterit illud exigi, & de eo antecedenter pactum præmitti, ita ut solum deinde tanquam ex benevolentia, & gratitudine debitum exigatur.

VI. Ostenditur tamen falsitas. Committitur usura, quoties immediate ex mutuo provenit aliquod lucrum Mutuanti, & aliquod gravamen Mutuatario, quod fit extra rationem mutui: atqui si Mutuatarius teneatur præter sortem dare auctarium, v. g. quinque pro singulis centenariis, ita ut possint ea a Mutuante exigi tanquam debita, etiamsi ex gratitudine, aut benevolentia, immediate provenit ex mutuo hoc lucrum Mutuanti, & hoc gravamen Mutuatario: ergo si aliquid ultra sortem exigatur tanquam debitum ex benevolentia, committitur usura. Minor probatur. Dicat quis verbi gratia, se nolle vendere domum, sed paciscatur cum Cajo, quod si velit domum sibi in donum dari, opus sit quod obliget se ad donandum pretium domum in gratitudinem, procul dubio hic vellet domum vendere, ac verbis luderet; exigeret enim pretium domus tanquam sibi debitum ex vi promissionis, unde non solveretur illud mere liberaliter ex gratitudine: ergo similiter Mutuans cum pacto, quod detur auctarium ex gratitudine, necnon si independenter ab ullo explicito pacto prævio exigat auctarium tanquam ex gratitudine debitum, exigit tale lucrum tanquam pretium mutui, & in compensationem non gratuitam, quin solvatur illud ex gratitudine, & mere liberaliter; atque adeo lucrum istud Mutuantis, & gravamen Mutuarii non provenit immediate ex gratitudine, & mediate ex mutuo, sed immediate ex mutuo, estque fœneratitium.

VII. Ratio a priori est; quia obligationi antidorali gratitudinis nemo tenetur satisfacere conferendo aliquid temporale; sufficit enim, si Mutuatarius oret pro Mutuante, aut si exhibeat alia signa benevolentiæ, ostendendo se paratum ad succurrendum illi in necessitatibus: quare quando superadditur onus, quod ex gratitudine conferatur auctarium, superadditur illi onus, quod non oritur præcise ex gratitudine; atque adeo lucrum illud immediate provenit ex mutuo, unde est usurarium. Sicut pariformiter Simonia committitur ab eo, qui paciscitur se daturum rem Sacram sub conditione, quod sibi detur pecunia non quidem in pretium, sed in gratitudinem; atqui pro re spirituali exigit temporale tanquam debitum ex gratitudine; quis enim dixerit in tali casu rem Sacram dari gratis, & non permutari spirituale cum temporali? ut mox dicemus in expositione propositionis 45.

VIII. Confirmatur: quia vi illius pacti de dando auctario in gratitudinem superadditur obligationi naturali gratitudinis nova gravior obligatio ratione promissionis; obligationi enim naturali gratitudinis, ut diximus, potest citra ullam notam satisfieri aliter, quam solvendo auctarium, secus vero obligationi ortæ ex promissione: hoc autem incrementum obligationis est novum onus pretio æstimabile, & subitur in pretium mutui, non sponte ex gratitudine: ergo ratione hujus pacti exigitur auctarium verbo tenus ex gratitudine, & revera exigitur tanquam mutui pretium; unde committitur usura: Sicut committitur simonia, si consimile pactum superad-

datur,

datur, quando res Sacra confertur. Quod si pactum non præcedat, sed exigatur tanquam debitum ex gratitudine auctarium, adhuc exigitur tanquam pretium mutui hujusmodi auctarium; quandoquidem gratitudo ad illud determinate solvendum non obligat, nec exercetur gratitudo, nisi gratis omnino aliquid detur, seu in compensationem gratuitam.

IX. Denique, si Thesis hæc confixa subsisteret, usuris, & simoniis immensum ostium aperiretur; Siquidem quilibet posset in mutuo pacisci de auctario, & in collatione rei Sacræ pacisci de danda re temporali, non quidem in pretium mutui, & rei Sacræ, sed ex gratitudine, & benevolentia, ita ut posset deinde rem temporalem exigere tanquam debitam ex gratitudine, non ex justitia, quo quid absurdius dici, aut fingi potest? Neque dicas cum Hurt., Soria, & aliis apud Dian. p. 11. tr. 7. ref. 23. declinari usuram, & simoniam, si pactum obliget tantum ex fidelitate, non vero si obliget ex justitia. Nam hæc ipsa obligatio ex fidelitate est novum gravamen pretio æstimabile; unde usura, & simonia non declinatur. Qua in re advertit Mol. disp. 305., ad simoniam, & usuram non prærequiri pactum formale, & explicitum; aliter non daretur usura mentalis, ad quam sufficit, quod auctarium supra sortem accipiatur velut in mutui pretium, & ut debitum, & non mere liberaliter datum; quare adhuc habetur usura absque ullo prævio pacto explicito, per hoc solum, quod pactum præeat æquivalenter; nam qui dat aliquid ut debitum, non habet animum donandi, aut satisfaciendi obligationi antidorali gratitudinis, sed dat, perinde ac si pactum præfuisset: Porro hujusmodi pactum implicitum accidere solet, ut notat Lugo hic num. 31.; & Less. num. 41. quando Mutuatario nota est indoles Mutuantis, quod nolit gratis mutuare; propterea præsumitur tunc auctarium solvi, & accipi ut debitum, perinde ac si de eo solvendo pactum præcessisset.

X. Dubitatur tamen, An Mutuator ad restitutionem talis lucri teneatur, Primo, si Mutuatarius solvit auctarium tanquam debitum, ipse vero accepit tanquam sibi ex gratitudine donatum? Secundo, si viceversa Mutuatarius dedit liberaliter, ipse vero accepit mala fide, putans sibi dari ut debitum? Et quid si de intentione utriusque dubitetur?

Ad primum quæsitum dicendum cum Lug., & Molina contra nonnullos apud Salas, Mutuantem ad restitutionem teneri, nisi bona fides excuset, quia datio illa, utpote involuntaria, insufficiens est ad transferendum dominium, cum desit animus donandi: Immo si Mutuans accepit illud dubia fide, seu dubitans, num detur sibi liberaliter, an tanquam debitum, adhuc ad restitutionem tenetur, sicut qui dubia fide cœpit possidere rem alienam: Si vero bona fide acceperit, & dubium superveniat, tenetur inquirere ad dubium deponendum: Quod si deponi non possit, probabile est ex Lugo contra Molin., & Salas, quod possit auctarium retineri: sicut dicimus de eo, qui cœpit possidere rem aliquam bona fide, & deinde supervenit dubium, an ea sit res aliena, quod superari non potest: in hoc enim dubio melior est conditio possidentis.

Ad secundum, docent nonnulli apud eundem Salas, auctarium restituendum esse, quia Mutuans non acceptavit illud ut donum, unde non habetur per hujusmodi donationem translatio dominii, deficiente acceptatione. Verius dicendum cum Molin. Less., Lugo, quod possit Mutuans auctarium illud retinere, quando deprehendit animum liberalem donatarii. Ratio est, quia ex parte dantis posita fuit voluntas sufficiens ad transferendum dominium, & ex parte accipientis potest poni acceptatio formalis, quando deprehenditur animus Mutuatarii non retractatus, ita ut tunc dominium transferatur. Præterquamquod posita fuit acceptatio virtualis tunc, quando Mutuans accepit auctarium; quia quamvis putaverit illud non dari gratis, voluit tamen sibi accipere omni meliori modo, quo poterat. Neque obstat, quod in Cap. laud. *Consuluit* de Usuris Pontifex dicat, usurarium mentalem cogendum esse ad restituendum. Ibi enim est sermo, quando Mutuatarius non dedit aliquid supra sortem mere liberaliter, & quandiu de hac voluntate dantis non constat: Hinc restitutio facienda est, etiamsi dubitetur, an Mutuatarius liberaliter dederit; Etenim solum qui bona fide, non vero qui mala fide cœpit possidere, a restitutione excusatur, si dubium superveniens superari non possit.

Dubitatur ulterius, An teneatur ad restitutionem Mutuator, si aliquid ultra sortem det Mutuatarius, liberaliter quidem, sed ductus timore, ne alioquin non sit accepturus iterum mutuum, quando indigebit, aut ne vocetur ingratus? Affirmant Cajet., Mol., Nav., & alii plures apud Dian. loc. c. Negant Salas, Less., Lugo n. 34. & alii. Sicut enim non est Simonia, quando nullo prævio pacto confertur Beneficium famulo ab Episcopo timente, ne alioquin famulus ab ejus obsequio discedat; ita nec intervenit usura in casu nostro. Et ratio a priori videtur esse, quia dare aliquid ex timore non fert, quod detur in pretium; quilibet enim, qui ex gratitudine donat, inducitur ad donandum metu, ne notam subeat ingrati, & tamen liberaliter donat; esto donatio non sit ita spontanea, ac si ex affectu benevolentiæ procederet. Tunc metus impediret liberalem donationem, quando injuste incuteretur, ut si Mutuans minaretur Mutuatario infamiam injustam ingratitudinis, si non daret aliquid ultra sortem; aut si minaretur non mutuare in posterum, quando deberet mutuare. Equidem tamen censeo hanc secundam opinionem solum speculative esse probabilem, non tamen practice; quia Mutuatarius, quando solvit auctarium ductus metu, ne sibi novum beneficium subtrahatur, fere semper putat injustum metum gravem sibi incuti, & idcirco non dat liberaliter, sed coacte ductus hoc injusto metu, unde obligatur Mutuans ad restituendum. Quod si metus esset levis, nec daret causam contractui lucrativo, seu donationi, mutuans posset rem sibi liberaliter donatam retinere.

XI. Supersunt evertenda fundamenta Thesis proscriptæ. Ad primum dicendum, posse quidem sperari, & intendi lucrum liberaliter a Mutuatario dandum; quia spes ista, & intentio, quando nullum præcedit pactum, ne implicitum quidem, non impedit liberalem donationem, nec imponit Mutuatario ullum gravamen; Secus vero si pactum præeat, & si exigatur, quod Mutuatarius ostendat se gratum, superaddendo auctarium, quando ille potest alia via obligationi antidorali gratitudinis satisfacere, puta orando pro Mutuante, laudando illum, &c.

XII. Ad confirmationem: Speculative tantum est probabile, quod possit Mutuans excitare animum Mutuatarii ad gratitudinem debitam jure naturæ;

practice tamen hujusmodi excitatio fert quoddam pactum implicitum, si antecedat mutuum; Et si subsequatur, tunc Mutuatarius metu injusto induci solet ad solvendum auctarium, timens ne sibi injusta nota ingratitudinis inuratur. Verum transmisso antecedente, negatur consequentia; in tantum enim potest excitari animus Mutuatarii ad aliquam gratitudinem, in quantum quodcumque deinde datur, liberaliter datur; & si nihil Mutuarius det supra sortem, ad summum subit notam ingrati, non vero Infidelis: At si pactum præcedat, & deinde exigatur auctarium ut debitum ex fidelitate, tunc imponitur Mutuatario hoc onus pretio æstimabile, quod si non solvat, erit Infidelis; & idcirco non potest citra usuram auctarium exigi vi promissionis præviæ ut debitum ex gratitudine, esto non exigatur ex justitia.

XIII. Ad secundum: Tunc onus, quod vi pacti imponitur Mutuatario de satisfaciendo suæ obligationi, puta de audiendo Missam die festo, de remittendo odio &c., non reddit mutuum fœneratitium, quando pactum non imponit Mutuatario novum gravamen: quod si novum gravamen imponat, non est immune ab usura; ut si obligationi, quam habet Mutuatarius in conscientia solvendi aliquod debitum, superadderetur obligatio civilis in foro externo: aut si potens in foro externo agere contra offensorem, obligaretur ad non agendum. In casu nostro, si Mutuatarius obligaretur ad solvendum auctarium ex gratitudine, obligationi gratitudinis superadderetur nova obligatio ex fidelitate, quod est novum gravamen: ergo committeretur usura.

Neque dicas, quod pactum de solvendo usuras, utpote iniquum, & injustum, neque in foro interno, neque in externo obligaret: unde non superadderet novum gravamen obligationi antidorali gratitudinis. Nam quamvis hujusmodi pactum non obligaret in conscientia, adhuc imponeret novum gravamen per hoc, quod Mutuatarius, si non solveret auctarium promissum, non effugeret notam infidelis; ergo hujusmodi pactum fert, quod auctarium non solvatur ex gratitudine, sed fœneratitie.

XIV. Ad tertium: Idcirco potest Sacerdos citra Simoniam pacisci de stipendio Missæ, quia stipendium hoc est debitum jure naturæ ex justitia: Cum enim detur in sustentationem Sacerdotis, & sustentatio ex justitia debeatur operario, juxta illud Matth. 10. *Dignus est operarius cibo suo*; idcirco hujusmodi pactum non superaddit novum onus petenti Sacrum, unde nec impedit, quominus gratis pro eo Sacrificium offeratur; Sicut non impedit, quominus Pictor dicatur gratis pingere, si exigat cibum necessarium, telam, colores, &c. At in casu nostro pactum solvendi auctarium ex gratitudine superaddit novum gravamen supra obligationem antidoralem gratitudinis debitæ jure naturæ, & idcirco est usurarium. Et quæ diximus de hoc pacto in ordine ad reddendum mutuum fœneratitium, dicenda sunt proportionaliter in ordine ad reddendam collationem rei Sacræ simoniacam.

XV. Ex quibus sequitur primo, quod sicut est usura mutuare cum pacto, quod quis se obliget ex justitia ad remutuandum in posterum, ad frequentandum tuum Molendinum, Officinam, Gymnasium &c.; Ita sit usura mutuare cum pacto, quod quis ad hæc se obliget ex gratitudine: Et ratio est, quia in utroque casu obligationi naturali gratitudinis superadditur nova obligatio onerosa: In primo quidem casu ex Justitia, & civilis, in secundo ex fidelitate, & moralis. Tunc liceret nolle mutuare nisi sub conditione, quod alter velit remutuare, frequentare Molendinum, Officinam, &c. quando obligari ad id ex fidelitate non gravaret magis Mutuatarium, quam gravet Mutuantem ipsa mutuatio; quod tamen vix accidit in praxi; & ideo in praxi ab his pactis abstinendum. Similiter potest quis velle desistere a mutuando, quando videt Mutuatarium minus gratum nolle frequentare Molendinum, Officinam, &c., dummodo hæc non sint onerosa Mutuatario; nam si essent onerosa, & ille vellet desistere a mutuando, quando hæc non præstantur, implicite vult Mutuatario hæc onera imponere, & sic usuram committit.

Sequitur secundo, tunc licitum esse mutuare cum pacto quod alter suæ obligationi satisfaciat, v. gr. audiat Missam die festo, impleat votum, satisfaciat debito liquido &c., quando hujusmodi pactum non superaddit novum onus, quod magis gravet Mutuatarium, quam mutuatio gravet Mutuantem; passim enim hæc nova promissio non censetur magis gravare, quam antecedens obligatio: Semper tamen est illicitum mutuare cum pacto, quod aliquid supra sortem detur ex gratitudine, & benevolentia; quia hujusmodi pactum semper superaddit onus notabiliter gravius, quam sit obligatio antidoralis ex gratitudine.

Sequitur demum, ut notat Lugo num. 45., quod usura simul, & simonia committatur ab eo, qui mutuat cum pacto, quod ex gratitudine sibi Beneficium Ecclesiasticum conferatur; cum hujusmodi pactum ferat gravamen pretio æstimabile.

PROPOSITIO XLIII.

Quidni nonnisi veniale sit detrahentis auctoritatem magnam sibi noxiam falso crimine elidere?

PROPOSITIO XLIV.

Probabile est non peccare mortaliter, qui imponit falsum crimen alteri, ut suam justitiam, & honorem defendat. Et si hoc non sit probabile, vix ulla erit opinio probabilis in Theologia.

SYNOPSIS.

I. Non solum est mortale imponere alteri falsum crimen; sed etiam est contra justitiam: Ab hoc tamen theses istæ præscindunt.

II Aliud est imponere falsum crimen, aliud vero detegere crimen occultum.

III. Videtur tamen esse culpa duntaxat venialis imponere crimen falsum ad sui defensionem, quia solum peccatur contra veracitatem mentiendo.

IV. Sicut solum contra veracitatem, non contra justitiam peccat, qui mendaciis recuperat rem suam, aut impedit suum damnum.

V. Aliter etiam contra justitiam peccaret graviter, qui detegit crimen occultum in sui defensionem.

VI. Sed cum mendacium hoc sit in materia gravi, ideo

ideo non vacat culpa gravi. VII. Nec solum est contra veracitatem, sed etiam contra justitiam.

VIII. Non habetur in casu nostro defensio, sed ultio, cum tale medium non sit efficax simul, & unicum ad se defendendum.

IX. Qui mendaciis procurat invasorem vitæ cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, ideo solum peccat contra veracitatem leviter, quia hujusmodi medium supponitur esse efficax simul, & unicum ad sui defensionem.

X. Qui mendaciis recuperat rem suam, non causat alteri damnum; sicut causat, qui falsum crimen imponit; & quamvis dicatur hujusmodi malum causari in defensionem; ea tamen est ultio.

XI. Quando quis detegit crimen alterius occultum ad se defendendum, tunc habetur justa defensio: perpendenti utrumque casum disparitas innotescit.

XII. Etiam crimen occultum, quod scitur sub sigillo naturali, manifestari potest ad se defendendum.

XIII. Sibi tamen falsum crimen imponere ad evadenda gravia tormenta est solum veniale contra veracitatem, non contra justitiam.

I. EXponitur. Utraque Thesis adscribitur Caramueli, qui in Theologia fund. n. 1051. dicit pro his thesibus stare ad viginti DD. Verum in Editione Lugdunensi videtur palinodiam cecinisse: nam Fundament. 61. num. 1823. docet, imponere testi falsum crimen ad ejus testimonium infirmandum non esse justam defensionem, sed vindictam, atque adeo non vacare gravi culpa. Cardinalis de Lugo disp. 14. de justitia, sect. 2. num. 26. putat, doctrinam Ledesmæ, Bannez, Jo. de la Cruz, & Orellanæ esse speculative tantum probabilem, quod scilicet non sit mortale contra justitiam imponere alicui falsum crimen ad propriam justitiam, & honorem defendendum; peccari tamen procul dubio graviter contra alias virtutes, ac præsertim contra justitiam legalem, falso accusando testem, ac decipiendo Judicem in re gravi: sicut enim graviter peccat adversus Remp., quamvis non peccet contra justitiam particularem, qui amissa aliqua vera, & legitima Scriptura, aliam consimilem confingit, ut docent communiter apud Dian. par. 3. tract. 6. ref. 56. contra nonnullos apud Moyam in App. ad tract. 6. disp. 1. quæst. 5., ita qui imponit alteri falsum crimen ad defendendum suum honorem, & sua bona, quamvis non peccaret contra justitiam commutativam, adhuc peccaret graviter mentiendo in re gravi, quod maxime bono publico adversatur. Denique Dian. par. 3. tract. 5. ref. 4. refert nonnullos absolute docentes, esse solum veniale objicere testi iniquo crimen falsum, secluso perjurio in objiciente, & in testibus ad hoc inducendis.

II. Ex proscriptis tamen his thesibus, & ex communi DD. sensu constat, id esse mortale sive in Judicio fiat, sive extra Judicium. Utrum autem gravis hæc culpa sit etiam contra justitiam, adeo ut trahat onus restitutionis? theses istæ præscindunt; quamvis communiter DD. affirment: præscindunt etiam, an peccet, qui crimen occultum testis detegit, ut suam justitiam, & honorem defendat? quod communiter negant apud Lugo l. c. num. 22. dummodo non excedantur limites justæ defensionis. Ut hæc omnia seorsim discutiantur, præmitto fundamenta thesium istarum.

III. Et primo quidem videtur nonnisi venialiter peccare, qui ad sui defensionem imponit alteri falsum crimen, quia solum videtur peccare contra veracitatem mentiendo; sicut enim non peccat, nisi leviter, qui cum moderamine inculpatæ tutelæ occidit injustum invasorem vitæ adhibendo aliquod mendacium, ut possit sic se defendere, ver. grat. negando se esse illum, qui ad necem quæritur; ita nonnisi venialiter videtur peccare, qui ad sui defensionem mentitur, imponendo alteri personam calumniæ.

IV. Secundo, quia qui imponit alteri falsum crimen ad suum honorem defendendum, non peccat contra justitiam: ergo solum peccat ratione mendacii contra veracitatem: hujusmodi autem mendacium, saltem quando est extra judicium, non apparet, quomodo pertingere possit ad culpam gravem: ergo nonnisi veniale est detrahentis auctoritatem sibi noxiam falso crimine elidere, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ; & si hoc non est probabile, vix erit opinio probabilis in Theologia. Antecedens autem multipliciter probatur a Lugo l. c., tum quia non peccat contra justitiam, qui mendaciis recuperat rem suam, aut qui mendaciis decipit injustum invasorem vitæ, ut in foveam v. gr., vel in fluvium cadat, & sic se liberet ab illo; tum etiam quia non peccat contra justitiam, qui tollit v. gr. victum, vel segetem Petri, si aliter impedire non potest, ne ab eo injuste lædatur; ergo neque peccat contra justitiam, qui crimen falsum detractori imponit, quando nequit aliter tueri famam suam.

V. Tertio, si peccaret graviter etiam contra justitiam, qui ad sui defensionem imponit alteri falsum crimen, peccaret pariter contra justitiam, qui ad sui defensionem detegeret crimen occultum alterius: unusquisque enim tam habet jus, ne falso crimine infametur, quam ne infametur criminis occulti manifestatione: sed hæc sequela communiter negatur: ergo negandum etiam id, unde sequitur.

VI. Ostenditur falsitas Thesium profligatarum: Primo, quia mentiri in materia gravi est gravis culpa: sed imponere detractori, vel testi iniquo crimen falsum, est mentiri in materia gravi: ergo non vacat culpa lethali. Major probatur, quia mendacium in materia levi est culpa levis ob leve damnum, quod Reipublicæ per illud irrogatur; atqui per mendacium in materia gravi grave damnum Reipublicæ emergit: ergo hujusmodi mendacium non est sine gravi culpa. Unde fit, quod si in nullo casu licitum est mendacium leve, ne ad vitam quidem propriam defendendam, ut docet Innoc. III. in Cap. *Super eo*, de Usuris dicens, *Ne pro vita quidem defendenda licitum est mentiri*; a fortiori illicitum erit in quocumque casu mendacium hoc grave; atque adeo ad proprium honorem defensandum non licet falsum crimen detractori imponere, ut est in confesso apud omnes.

VII. Denique quod sit culpa gravis hujusmodi mendacium, non solum contra virtutem Veracitatis ob damnum grave, quod subit propter illud Respublica, sed etiam contra Justitiam legalem si id fit in Judicio imponendo testi iniquo crimen falsum, ostendit Lugo l. c., quia Respublica habet jus, ne decipiatur in iis, quæ pertinent ad rectam gubernationem: atqui si imponatur falsum crimen testi iniquo, decipitur Judex, condemnando testem ob crimen nunquam ab eo commissum; atque adeo decipitur Respublica in judiciis, quæ ad rectam Guber-

nationem maxime spectant: ergo læditur graviter Resp.; unde peccatur graviter contra Justitiam legalem, quæ respicit jus communitatis, seu Reip.

VIII. Denique mendacium hoc sive in Judicio proferatur, sive extra Judicium, est etiam contra Justitiam Particularem, seu Commutativam, & trahit onus restitutionis: ergo non potest gravi culpa vacare. Probatur antecedens: læditur justitia commutativa, quoties læditur jus, quod habet unusquisque, ne ab aliis infametur: sed per mendacium, quo quis detractori imponit falsum crimen, læditur hujusmodi jus, cum proximus infametur: ergo læditur Justitia commutativa.

Neque dicas, non lædi jus, quod habet ad propriam famam detractor, si imponatur illi falsum crimen, quia imponitur ad defensionem, seu ad elidendam ejus auctoritatem valde noxiam, non vero in ultionem. Nam dilucide ostenditur in hoc casu non haberi defensionem, sed vindictam: Tunc enim dicitur aliquis lædere, immo etiam occidere proximum in defensionem; & cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando evidens est, quod medium hoc sit efficax, & unicum ad finem, hoc est ad se tuendum: in casu autem nostro læsio famæ detractoris, cui falsum crimen imponitur, neque evidenter est medium efficax ad impediendum, ne tu ab ea detractione infameris, neque evidenter est unicum medium ad impediendam hanc tuam infamiam: ergo non est defensio, sed ultio.

Adde, quod licet aliquando esset evidens utrumque, nihilominus quia facile potest homo œstro passionis percitus hallucinari, idcirco ad vitandas hallucinationes passim obvias, quibus quilibet facile crederet, hujusmodi medium evidenter esse efficax, & unicum ad propriam infamiam declinandam, debuit universim a natura vetari, ne quis unquam falsum crimen alteri impingat, etiamsi videatur id fieri in defensionem, ut constat ex iis, quæ fuse diximus in exposit. 17., & 18. Alex. VII., quæ sunt consimilis furfuris.

Adde demum ex Less. cap. 9. num. 82., neminem se defendere cum moderamine inculpatæ tutelæ, si se defendit cum præjudicio Reipublicæ, seu violando jus Reipublicæ: atqui imponens crimen falsum testi iniquo violat jus Reipublicæ in judiciis, seu Justitiam legalem, ut ostendimus; & imponens extra judicium crimen falsum detractori violat jus Reipublicæ, ne cives inter se decipiantur, cum proximo periculo vindictæ, quæ facili negotio ob passionis magnitudinem putetur justa defensio, quod si fit in materia gravi, grave præjudicium Reipublicæ fiet: ergo nunquam imponitur grave crimen alteri cum moderamine inculpatæ tutelæ; atque adeo semper hoc erit ultio, & crimen lethale.

IX. Ad primam rationem in contrarium patet responsio ex hactenus dictis: Qui mendaciis procurat invasorem vitæ occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ: ideo solum venialiter peccat mentiendo, quia facile potest esse evidens, quod medium efficax, & unicum ad mortem declinandam sit occisio invasoris: At non facile potest esse evidens, quod medium efficax, & unicum ad vitandam infamiam propriam sit infamatio detractoris, imponendo illi falsum crimen; & ideo in primo casu habetur defensio, & mendacia illa non excedunt limites culpæ levis; in secundo casu habetur ultio; unde mendacium erit graviter peccaminosum, & contra justitiam in re gravi.

X. Ad secundam negatur antecedens. Ad probationes recurrit disparitas modo adducta, qua perspicuum fit, quod in iis tribus casibus habetur defensio, in casu tamen nostro habetur ultio.

XI. Ad tertiam negatur consequentia. Disparitas non est obvia: Verum si advertatur ad ea, quæ diximus, in aperto erit, non esse contra justitiam, sed simpliciter licitum detegere crimen occultum, quando evidenter est medium efficax, & unicum ad seipsum defendendum; Secus vero esse illicitum tum contra veracitatem, tum contra justitiam imponere alteri falsum crimen, etiamsi dicatur id fieri ad defensionem. Ostendimus enim, in hoc secundo casu nunquam haberi defensionem, sed solum vindictam; tum quia facile hallucinari possumus, dum putamus id esse medium unicum, & efficax ad defendendum proprium honorem; tum etiam quia ista defensio cum gravi Reipublicæ detrimento non licet: At in primo casu facile habetur justa defensio; non secus ac quando quis occidit cum moderamine injustum vitæ invasorem; quod perpendenti utrumque casum luculenter patefit. Præsertim quia raro accidit, quod possit manifestari aliquod verum crimen occultum ad se ipsum defendendum; unde si quando haberetur in hoc hallucinatio, esset perrara, atque adeo non esset in grave detrimentum Reip.; secus vero si liceret ad arbitrium appingere alteri falsum crimen.

XII. Utrum autem crimen occultum, si sit etiam secretum, (h. e. si sciatur sub sigillo naturali) possit etiam manifestari ad se defendendum: dicendum cum Sanch. l. 6. Conf. c. 6. & Less. c. 11. d. 7. neminem teneri cum gravi jactura honoris, aut aliorum bonorum sigillum hoc naturale servare, dummodo ejus violatio non cedat in grave Reipublicæ damnum, nec per injuriam talis notitia sit extorta, puta aperiendo alienas literas &c. Ratio est, quia solum ex promissione, non ex officio daretur hæc obligatio servandi sigillum; nemo autem sua promissione censetur se ad id obligare cum tanto incommodo.

Neque dicas, quod hoc esset positive famam auferre, quod nunquam licet. Nam fama positive tolleretur, si imponeretur alteri falsum crimen; & ideo hoc nunquam licet, ne ad mortem quidem declinandam: At detegere crimen occultum, ac secretum, est solum famam alterius non custodire; Sicut autem nemo tenetur alienum depositum cum gravi incommodo servare, ut notat Sot., & Nav.; ita nec tenetur alienam famam custodire. Immo Less. contra Sotum putat, probabile esse, quod si vi, aut fraude extorsisti notitiam criminis occulti, adhuc possis illud revelare ad vitanda gravia tormenta; quia quamvis injuriam irrogaveris extorquendo secretum; aut fraude expiscando, jus tamen habes deinde revelandi in tanta necessitate; Sicut si quis furatus esset equum, posset tamen eo uti in urgente necessitate, etiam cum interitu equi.

XIII. Dubitatur etiam, An possit aliquis sibi ipsi falsum crimen imponere ad vitanda gravia tormenta: Jo. Sancius apud Dia. p. 3. tr. 5. ref. 7. censet id vacare culpa etiam veniali, etiamsi superaddatur juramentum; quia datur sufficiens causa utendi restrictione mentali, quæ excuset a perjurio. Sed non est audiendus, cum constet ex propositione 26. Innoc. XI. re-

XI. restrictiones pure mentales esse mendacia, ac juramentum superveniens esse perjurium. Cajet. V. *Detractio* cum aliis putat, id esse mortale independenter a perjurio, cum nemo sit dominus suæ famæ, sicut non est dominus famæ alienæ: Unde sicut contra Justitiam peccat, qui falsum crimen alteri imponit, ita qui sibi. Dicendum tamen cum Less. cap. 11. dub. 7. esse solum veniale ratione mendacii sibi falsum crimen imponere, non vero mortale contra Justitiam. Ratio est, tum quia communiter contra Cajet. docent apud eumdem Less. dub. 6., hominem esse suæ famæ dominum, non secus ac bonorum fortunæ, adeo ut possit ad sui humiliationem propria occulta delicta palam facere: tum etiam quia, esto non esset suæ famæ dominus, ut non est suorum membrorum, adhuc potest ad vitam salvandam famam prodigere, sicut potest brachium amputare: rectus enim ordo habet, ut bona inferioris notæ exponantur pro conservandis majoribus. Unde etiam fit, ut notat idem Lessius, quod possit homo propriam famam perdere, etiam pro conservanda vita proximi.

Neque hinc sequitur, quod si non peccat homo graviter imponendo sibi crimen falsum ad salvandam vitam proximi, neque peccabit graviter imponendo alteri crimen falsum ad salvandam vitam propriam. Ostendimus enim nunquam id licere, quia est moraliter impossibile, quod hoc sit medium evidenter efficax, & unicum ad se defendendum. Et si quando esset hujusmodi, adhuc debuit universim hoc a natura prohiberi, ne aperiatur magnum ostium læsionibus famæ, quæ facile ex hallucinatione orta præ passionis magnitudine putarentur necessariæ ad sui defensionem: Sicut nunquam licet Calumniatorem occidere, aut Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, etiamsi innocens putet, non posse se alia via damnum vitare; eo quod hæc via multis homicidiis sub prætextu defensionis ostium aperiret, ut diximus in expositione propositionis 18. Alex. VII. Et pariformiter in expositione propositionis 48. dicemus fornicationem jure naturali in quocumque casu esse prohibitam, quamvis in aliquo rarissimo casu cessare videatur finis talis prohibitionis, qui est, ne male proles educetur. Esto enim posset hic finis cessare, nunquam tamen cessat periculum proximum, quod proles male educetur, quia facile homines hac in re possunt hallucinari; unde debuit a natura ratione hujus periculi prohiberi universim, ita ut nunquam omnino liceat, quod adamussim dicendum in casu nostro.

PROPOSITIO XLV.

Dare temporale pro spirituali non est simonia, quando temporale non datur tamquam pretium, seu duntaxat tamquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut e contra.

PROPOSITIO XLVI.

Et id quoque locum habet, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale; immo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut illud pluris æstimetur, quam res spiritualis.

SYNOPSIS.

I. In his thesibus supponitur, quod temporale pro spirituali detur cum aliquo pacto, saltem implicito, aut interpretativo.

II. Etiamsi pactum solum obliget ex benevolentia, gratitudine, ac fidelitate, non ex justitia, adhuc continet Simoniam; Superaddit enim novum gravamen pretio æstimabile.

III. Explicatur, in quonam differat Usura a Simonia; & quare temporale pro spirituali detur simoniace, etiamsi detur in compensationem gratuitam ob ipsam rem spiritualem.

IV. Simonia non declinatur per hoc, quod temporale detur ut motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, non ut pretium.

V. Distinguendum tamen inter motivum intrinsecum, seu finale, & extrinsecum, seu occasionale, ac impulsivum: Necnon inter motivum principale, & minus principale.

VI. Quando temporale, quod pro spirituali confertur, est alicujus momenti, censetur dari tamquam motivum intrinsecum, atque adeo in pretium.

VII. Etiamsi temporale detur tamquam motivum impulsivum, aut minus principale, adhuc Simonia committitur, si detur animo obligandi ad conferendum spirituale.

VIII. Et a fortiori, si illud detur tamquam motivum principale, ita ut pluris æstimetur temporale, quam spirituale.

IX. Nituntur hæ theses in eo, quod sicut dari potest Missæ stipendium non in pretium Sacrificii, sed in sustentationem Sacerdotis: ita dari possit temporale pro spirituali non in pretium, sed in motivum.

X. Sic potest mancipio conferri citra Simoniam libertas sub conditione, quod baptizetur, & tamquam allectivum ad Baptismum.

XI. Potest etiam Socrates obligare se ad dandam alicui loco pio eleemosynam, si ab Episcopo conferatur sibi Beneficium.

XII. Potest pariter Socrates eleemosynam erogare alicui Monasterio, tamquam motivum, ut in Religiosum acceptetur.

XIII. Videturque esse doctrina Divi Thomæ, & Valentiæ, quod possit aliquando dari temporale tamquam motivum, non tamquam pretium pro spirituali; ut quando stipes Religiosis erogatur ad obtinendas ab iis orationes, ac preces apud Deum. Et quando pro Litaniis, ac Responsoriis, aut pro Anniversariis stipes confertur, ea non habet rationem pretii; ac proinde confertur citra Simoniam.

XIV. Verum omnis pactio, quæ sit circa Spiritualia, aut spiritualibus annexa, est Simoniaca.

XV. Et quilibet contractus non gratuitus hac in re censetur emptio.

XVI. Sicut Judex censetur justitiam vendidisse, si acceptavit munera alicujus momenti, tamquam motivum ad ferendam sententiam injustam; ita censetur vendi Spirituale in casu prioris thesis.

XVII. Si

XVII. Si temporale sit motivum principale, immo finis rei spiritualis conferendæ, tunc non solum æquiparatur, sed etiam posthabetur spirituale temporali.

XVIII. Potest quidem amari temporale hic & nunc magis, quam spirituale; nunquam tamen licitum est amare illud tanquam bonum majus, & æstimabilius, prout habetur in altera thesi.

XIX. Stipendium Missæ conferri potest etiam cum prævio pacto, tanquam debitum ex justitia, eo quod revera jure naturæ illud debeatur in sustentationem Sacerdotis.

XX. Donatio facta Mancipio sub conditione, quod baptizetur, censetur omnino liberalis, cum cedat in ejusdem Mancipii utilitatem tam res temporalis donata, quam Baptismus.

XXI. In praxi est periculosum, quod Sortes obliget se ad dandam eleemosynam alicui loco pio sub conditione, quod sibi Beneficium conferatur.

XXII. Qui dat Ecclesiæ, vel Monasterio pecuniam, tanquam motivum, ut sibi conferatur aliquod Beneficium, censetur illam donare gratis.

XXIII. Sicut etiam quando erogatur stipes Religiosis ad obtinendas ab iis orationes, ut notat Angelicus. Et in hujusmodi duntaxat casibus docet Valentia, quod possit dari temporale tanquam motivum ad obtinendum spirituale: Vindicatur proinde tantus Vir a calumnia illi imposita in famosis illis Literis Provincialibus; cum nec verba, quæ illi tribuuntur, in ejus codicibus reperiantur, nec hanc thesim ullatenus docuerit, sed positive oppositum.

XXIV. Pecunia pro Litaniis, & Responsoriis datur in sustentationem, ut stipendium Missæ.

XXV. Ex quibus omnibus plura ad praxim deducuntur.

I. Exponitur. In his thesibus tria habentur: Primum, quod citra Simoniam dari possit temporale tanquam motivum ad obtinendum Spirituale; Alterum, quod dari possit in gratuitam compensationem: Tertium, quod possit etiam dari Spirituale propter temporale, tanquam propter motivum principale, ac finale, ita ut pluris æstimetur temporale istud, quam ipsa res Spiritualis. Quod attinet ad primum, supponitur, quod detur temporale, aut Spirituale non mere gratis, sperando duntaxat, quod ex gratitudine pro temporali redonetur Spirituale, aut e contra, sed quod detur cum aliquo veluti pacto, saltem implicito, conferendo videlicet temporale non mere benevole, sed cum intentione aliquo modo obligandi donatarium ad collationem rei Spiritualis; adeo ut si ea non conferatur, sed aliter satisfaciat donatarius obligationi antidorali gratitudinis, videlicet aut orando pro donante, aut laudando illum, aut exhibendo se paratum ad obsequia &c., aliquam notam subeat, perinde ac si aut injuste, aut infideliter se gesserit acceptando temporale, & non conferendo Spirituale, aut e contra. Ita communiter Theologi apud Suar. t. 1. de Relig. lib. 4. cap. 65., Less. c. 35. dub. 20., Sanch. l. 2. Conf. cap. 3. dub. 28., & alios: Quod constat ex ipsa definitione Simoniæ, quæ ex Div. Thom. 2. 2. qu. 100. art. 1. est: *Studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquod Spirituale, aut Spirituali annexum*, ita ut in nomine Emptionis, & Venditionis, ex eodem Angelico loc. cit. ad 2., veniat omnis contractus non gratuitus; atque adeo Simonia involvit necessario aliquod pactum saltem implicitum. Hinc, ut notat Bonac. quæst. 7. §. 1. n. 4., & alii apud Dian. p. 6. tr. 7. res. 42. Simonia confidentialis non habetur per hoc præcise, quod quis resignet Beneficium cum spe, & confidentia quod aliud sibi conferatur, vel quod pars fructuum sibi, aut alteri tradatur, nisi intendat ad id obligare Resignatarium. Idemque dicas, si quis conferat Beneficium, aut eligat, vel præsentet alterum sub tali spe, & confidentia absque animo obligandi: Et notat idem Bonac., si quis conferat rem spiritualem ad redimendam vexationem injustam, v. gr. ne sibi mortem intentet inimicus, ne famam lædat, idque fiat absque ullo prævio pacto, sed solum rogando alium, ut ab ea vexatione desistat, Simonia non committitur; secus vero si pactum saltem implicitum præeat. Verum ex cap. *Sicut tuus* de Simonia, non potest offerri pecunia v. g. Episcopo solum rogando illum, ne vexet injuste, videlicet ne Beneficium alteri minus digno conferat; cum hoc de se contineat in re beneficiaria pactum implicitum, seu animum obligandi, Simoniam constituens juris Ecclesiastici: siquidem in tali casu injusta vexatio consisteret in hoc, quod tibi denegetur Beneficium debitum, unde per pecuniam via pararetur ad Beneficium obtinendum, in quo consistit malitia Simoniæ. Quare universim Simonia aliquod pactum continet permutandi spirituale cum temporali, & in eo differunt Simonia Mentalis, Conventionalis, & Realis, quod Simonia Mentalis (quæ apud Theologos, & Canonistas est mera Simonia interna, nullatenus prodiens in actum externum) ferat collationem rei Spiritualis animo obligandi alterum ad conferendum temporale, quin tamen hæc iniqua intentio manifestetur: Simonia vero Conventionalis ferat hujusmodi pactum sive explicitum, sive implicitum, quin sit secuta traditio rei Spiritualis; post traditionem vero rei Spiritualis Simonia dicitur Realis. Et quamvis Less. Suar., & alii communius requirant, quod sit etiam tradita res temporalis pro re Spirituali ad incurrendas pœnas Simoniæ Realis; Palaus tamen p. 22. n. 5. cum aliis docet sufficere, quod res Spiritualis duntaxat sit tradita; quia per hanc traditionem consequentem ad pactum solum implicitum, seu ad animum obligandi, res Sacra contrectata jam est irreverenter, unde habetur verissima Simonia.

Præterea potest etiam Simonia continere pactum aliquod solum æquivalenter: nam quando datur temporale pro Spirituali, aut e contra in gratuitam compensationem, si non detur mere gratis, sed tanquam debitum in compensationem, tunc datur perinde ac pactum præcesserit, & sic datur ex pacto æquivalenter: Unde semper verum est, quod Simonia, seu Studiosa voluntas emendi, aut vendendi rem Sacram aliquod pactum involvat saltem implicite, aut æquivalenter.

II. Dubitarunt tamen nonnulli, num citra Simoniam dari possit temporale pro Spirituali, vel e contra cum pacto solum amicitiæ, non justitiæ, hoc est cum pacto solum obligante ex benevolentia, & gratitudine, aut etiam ex fidelitate, non vero ex justitia. Et non pauci id affirmarunt cum Cœlestino, Ghilino, Rocafull. Hurtado apud Dian. p. 6. tr. 7. res. 42. & p. 10. tr. 15. res. 5. putantes ad Simoniam requiri, quod temporale pro Spirituali exigatur vi pacti tanquam pretium, seu ut debitum ex justitia; nec sufficere, quod obligatio naturalis gratitudinis in pactum deducatur; aut quod temporale pro Spirituali detur ut gratuita compensatio, seu ut debitum in com-

compensationem. Hic tamen error in hac thesi configitur; ejusque falsitas apertissime ostenditur de iis, quę fuse diximus in expositione propositionis 42., ostendentes usuram haberi, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam debitum, etiamsi ex vi pacti prævii exigatur tanquam debitum ex benevolentia, & gratitudine, & non tanquam debitum ex justitia; nec non si dicatur ore tenus dari in gratuitam compensationem, detur tamen tanquam debitum, perinde ac si pactum præcessisset: Ex communi enim axiomate apud Sotum lib. 9. de Just. qu. 7. a. 3. *Quod in temporalibus est Usura, in Spiritualibus est Simonia;* atque adeo hujusmodi pactum amicitiæ sicut non excusat ab usura, ita nec a simonia.

Et ratio breviter est, tum quia nova illa obligatio, quæ consurgit ratione talis pacti, supra obligationem naturalem gratitudinis addit novum gravamen pretio æstimabile; siquidem qui pactum hujusmodi non servat, esto alia via obligationi gratitudinis satisfaciat, notatur saltem ut infidelis, si minus ut injustus; tum etiam quia gratitudo non obligat ad hoc determinate præstandum, ad quod obligat pactum illud prævium; Tum pariter quia moraliter censetur vendere, qui donat v. g. domum sub conditione, quod sibi redonetur ex gratitudine pretium æquivalens: Tum demum quia, si hæc via obligandi se ex gratitudine, & ex justitia esset pervia, pateret immensum ostium usuris, & simoniis, ut advertit Suar. t. 1. de Relig. l. 4. cap. 45. n. 11., posset enim Episcopus dicere, Dono tibi beneficium, si redones centum, quæ tamen propositio, ut notat idem Suarez, se ipsam destruit, & falsificat, quia revera in communi æstimatione neuter præter verba donat: Propterea hoc pacto amicitiæ, aut gratuitæ compensationis usura, & simonia palliatur. Quod ex eo etiam fit perspicuum, quia Giezi puer Elisæi, quando petiit a Nahamano ea dona temporalia, non petiit illa in pretium miraculi ab Elisæo patrati, sed in gratuitam compensationem, & tamen lepra punitus est, ut habetur 4. Reg. 5. ergo etiam quod datur in gratitudinem, si detur tanquam debitum, datur simoniace in casu nostro, eo quod detur veluti debitum ex pacto prævio, atque adeo perinde ac si pactum præcessisset.

II. Advertendum tamen quod notat Angelicus q. 13. de Malo art. 4., in hoc discriminari Simoniam ab usura, quod Mutuator possit exposcere a Mutuatario, ut obligationi antidorali sibi satisfaciat, quandoquidem mutuando dat illi quod suum est: Contra vero qui dat Spirituale, non dat quod suum est, sed quod Christi, juxta illud 1. ad Cor. 4. *Sic nos existimet homo ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*, unde nequit exposcere, quod alter sit sibi gratus ob collatam rem spiritualem. Potest quidem ob animum benevolum aliqua gratitudo exerceri erga ipsum Collatorem rei Spiritualis, at ob rem Spiritualem collatam gratitudo unice exerceri debet Ecclesiæ, ac Deo; atque adeo quidquid in gratuitam compensationem propter rem Spiritualem exposcitur, Simoniace exposcitur, præcipiente Domino Matth. 10. *Gratis accepistis, gratis date.* Unde fit, quod citra usuram possit aliquid sponte, ac liberaliter dari Mutuanti benefico in gratuitam compensationem propter ipsum mutuum; non possit tamen citra Simoniam dari temporale pro Spirituali tanquam in compensationem gratuitam propter rem Spiritualem; cum nequeat Spirituale cum temporali compensari, seu pari pondere rependi citra irreverentiam erga rem Sacram, quę est in alio ordine ac temporale, quin possit ullatenus cum hoc æquiparari.

IV. Occlusa itaque hac via declinandi Simoniam per hoc, quod detur temporale in gratuitam compensationem, aut cum pacto solum amicitiæ, non justitiæ, discutiendum, An possit alia via declinari per hoc, quod temporale ex pacto saltem implicito non detur tanquam pretium, sed tanquam motivum ad obtinendum Spirituale, prout nonnulli docuerunt apud eumdem Dian. p. 6. tr. 7. resol. 42. cum Ghilino, qui putat, in obtinendis Beneficiis licitum esse pacisci de aliquo temporali retribuendo tanquam motivo. Et nonnemo docuit posse similiter temporale esse motivum principale ad conferendum Spirituale, necnon finem ipsius rei Spiritualis, ita ut illud magis æstimetur, quam res Spiritualis.

V. Ut dilucide appareat harum thesium error, distinguere oportet inter motivum intrinsecum, seu finale actus, ac inter extrinsecum, & impulsivum, seu occasionale, necnon inter motivum principale, ac minus principale, in quibus explicandis multum laborant Navar., & alii apud Suar. t. 1. de Relig. l. 4. c. 44. Motivum intrinsecum, & finale actus dicitur id, a quo actus specificatur; Extrinsecum vero, seu impulsivum dicitur id, quod impellit ad actum, quem tamen non specificat. E. g. qui advertens se esse in mortali, dum imminet naufragium, vel ruina, & a metu mortis, ac gehennæ movetur ad eliciendum actum contritionis, tunc ponit actum, qui intrinsece moveatur a Divina bonitate, seu ab odibilitate peccati; in quantum est malum, seu offensa Dei, aliter non esset actus contritionis; ad hunc tamen actum impellitur duntaxat, & extrinsece movetur a metu mortis, & gehennæ, seu ab odibilitate peccati, in quantum est malum proprium; Similiter quando ab auctoritate humana Ecclesiæ, vel parochi, & a signis credibilitatis movemur ad eliciendum actum Fidei Divinæ, motivum intrinsecum, & ultimatum hujus actus, juxta communiorem sententiam cum Angelico est unice auctoritas Dei loquentis, ut proinde Fidelis interrogatus, Quare credis? unice reponat, Quia Deus dixit, juxta illud Augustini; *Credimus non hominibus, sed Deo animam nostram firmanti*; Auctoritas vero humana Ecclesiæ, & signa credibilitatis sunt motivum extrinsecum, & impulsivum, quæ reponuntur solum ad interrogationem illam, Unde moveris ad volendum credere? non vero ad interrogationem, Quare credis? In casu nostro, si quis inserviat Episcopo propter mercedem debitam, sperans ab eo Beneficium, poterit merces esse motivum intrinsecum famulatus, & spes Beneficii esse motivum extrinsecum, & impulsivum; sicut etiam Canonicus potest adire chorum ad Deum laudandum, & extrinsece moveri a distributionibus, quas lucratur; ac similiter Sacerdos potest celebrare ad Deum colendum, & extrinsece moveri a stipendio. Et quamvis Sacerdos, si non adesset stipendium, hodie non celebraret, nec Canonicus adiret Chorum, si deessent distributiones, hinc non sequitur quod a stipendio, aut a distributionibus hic & nunc intrinsece moveantur, tanquam a motivo specificante actum, atque adeo quod sint Simoniaci (sicut esset Simoniacus Sacerdos, qui existens in mortali sacrilege celebraret ad lucrandum stipendium, quod esset tunc mo-

motivum intrinsecum talis celebrationis) Ad eum modum, quo nec dicitur moveri intrinsece a metu mortis, & gehennæ, qui ab iis movetur ad actum contritionis eliciendum, quem certe hic & nunc non eliceret, si talis metus abesset. Potest quippe ex imperio voluntatis motivum impellens ad actum non finalizare illum, sed mere extrinsece se habere, esto voluntas ab eo actu hic, & nunc desisteret, si ad ipsum a motivo extrinseco non impelleretur. Motivum itaque impulsivum, ut docet D. Th. Quodl. 8. art. 11., non est causa actus, sed solum potest esse causa, cur actus hic & nunc potius ponatur, quam alia vice.

VI. Quamvis autem ex imperio voluntatis possit semper, speculative loquendo, temporale esse motivum extrinsecum ad conferendum Spirituale, ut proinde Simonia cesset, si ab eo voluntas non moveatur: nihilominus practice tunc temporale solet esse motivum intrinsecum ad conferendum Spirituale, atque adeo habet rationem pretii, & Simoniam continet, quando temporale est alicujus momenti, aptum natum cogere moraliter ad retribuendum Spirituale, non solum ex obligatione antidorali, sed etiam ex quodam pacto implicito, eo quod non censeatur dari omnino gratis temporale, quando non est levis momenti: e. g. si quis det Episcopo esculenta, & poculenta, aut aliud munusculum, censetur dare illud omnino gratis ex motivo liberalitatis, quin velit obligare illum ad conferendum Beneficium: Contra vero, si det pecuniam aptam cogere moraliter Episcopum ad conferendum Beneficium: ita ut possit aliter notari non solum de ingratitudine, sed etiam de infidelitate, & injustitia, tunc non censetur illam dari gratis ex motivo liberalitatis, sperando duntaxat ab Episcopo beneficium sibi conferendum ratione propriæ idoneitatis, non vi pecuniæ oblatæ; & idcirco in foro externo habetur ut Simoniacus; & in foro interno practice etiam dicendus Simoniacus; unde in Can. 30. Apost. habetur: *Si quis Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus per pecuniam hanc obtinuerit dignitatem: dejiciatur*, & Act. 4. dicitur: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam donum Dei existimasti pecunia possidere*. Quamvis enim, ut advertit Urbanus II. in cap. *Salvator* 1. q. 3. Simon Magus non esset adeo hebes, ut putaret, posse potestatem conferendi Spiritum S. rigorose emi justo pretio, sed solum vellet offerre pecuniam tanquam motivum ad obtinendam hanc potestatem: quia tamen pecuniam non obtulit gratis, sed animo obligandi D. Petrum ad conferendam eam potestatem Spiritualem; idcirco irreverenter se gessit, & dicitur voluisse emere donum Dei: non quia voluit revera illud emere, sed quia tractavit ut vendibile; (sicut quando dicitur, *Omnis peccans est ignorans*, non fit sensus, quod ignoret obligationem suam, sed fit sensus, quod operetur, perinde ac ignoraret.) Adde etiam, quod in morali æstimatione verbo tenus differt motivum, & pretium, quando datur temporale animo obligandi alterum ad conferendum Spirituale, aut e contra. Propterea in Conc. Tolet. VIII. dicitur Simoniacus etiam ille, qui præmium offert, ut ad Sacros Ordine ascendat: quia Ecclesia non distinguit, nec practice est distinguere inter præmium, & pretium, ac inter motivum extrinsecum allectivum, seu excitativum, & inter motivum intrinsecum, & finale, quando confertur temporale, quod sit magni momenti, aptum cogere moraliter ad conferendum in recompensationem Spirituale, cum non censeatur dari omnino gratis ex liberalitate, & benevolentia, absque ullo implicito pacto, & cum sola spe, quod excitetur animus donatarii ad conferendum Spirituale ob idoneitatem petentis, & non propter illa munera oblata.

VII. Quod attinet ad motivum finale principale, & minus principale; Sciendum, motivum dici finale, & intrinsecum, si specificet actum; dici vero principale, aut minus principale, si magis, aut minus principaliter intendatur. E. g. motivum finale comestionis est vitæ conservatio; sæpe etiam intenditur delectatio; aut si principalius intendatur vitæ conservatio, & minus principaliter delectatio consequens, dummodo ea ordinetur ad altiorem finem, nulla habetur deordinatio: Sic motivum finale Incarnationis fuit nostra Redemptio, sed principalius fuit Divina Gloria, ad quam nostra Redemptio ordinatur. In re nostra, Sacerdos, qui primario vult celebrare propter stipendium, (ut facile contingere potest in eo, qui celebrat in statu peccati mortalis, ne stipendium amittat) certe est Simoniacus; si tamen principaliter celebret propter exhibendum Deo cultum, & minus principaliter propter stipendium jure naturæ debitum; (quicquid sit, num hoc dici debeat motivum impulsivum, & extrinsecum, an finale, & minus principale?) hic non est Simoniacus: Suar. enim loc. c. advertit, frustra plures DD. desudare in investigando discrimine in hac materia inter motivum impulsivum, & finale minus principale: cum certum sit, Simoniam haberi, si quis det temporale animo obligandi ad Spirituale, sive illud detur ut motivum impulsivum, sive ut motivum intrinsecum minus principale, seu ut pretium, cum in sensu Ecclesiæ, & in morali æstimatione temporale hoc pacto collatum censeatur pretium. Cæterum quando temporale est finis rei Spiritualis, seu est motivum intrinsecum principaliter intentum, procul dubio Simonia committitur, etiamsi possit illud citra Simoniam intendi minus principaliter, ut docet D. Thom. quodl. 8. ar. 11. apud eundem Suarium, dicens de Canonico adeunte Chorum propter distributiones: *Si hujusmodi distributiones recipit quasi finem suæ operationis principaliter intentum, Simoniam committit; si autem habet principalem finem Deum, ad hujusmodi autem distributiones respicit secundario, non tanquam in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad suam sustentationem, constat, quod non vendit actum spiritualem, & ita Simoniam non committit, nec peccat: Sic enim acceptio distributionum non erit causa, quare ad Ecclesiam vadat, sed proprie hujusmodi determinatio, quare nunc vadat, & non alia vice*: Quod si quis vellet distributiones, & stipiendium Missæ non in sustentationem, sed in pretium, quamvis ea intenderet tanquam finem secundarium, etiam Simoniam committeret: Et viceversa qui concionatur habens pro principali fine assecutionem alicujus dignitatis, aut vanam gloriam, non dicitur Simoniacus, quamvis peccet; quia non intendit dignitatem, aut vanam gloriam dandam ut pretium, seu ex pacto prævio inito, aut tanquam debitam ob Sacrum Ministerium; quod requiritur ad Simoniam.

VIII. Ex hactenus explicatis perspicuum fit, Simoniam committi, quoties datur temporale pro Spirituali, etiamsi non detur tanquam pretium, sed precise tanquam motivum, si detur animo obligandi alterum ad conferendum Spirituale; Et a fortiori Simoniam committi, si temporale sit motivum principale

pale ad dandum Spirituale, ità ut pluris æstimetur, quam ipsa res spiritualis; eo quod in hoc casu duplex irreverentia adversus rem Sacram committatur, altera quod permutetur cum temporali tanquam cum pretio, cui censetur æquipararí; altera quod supra rem ipsam temporalem æstimetur, ut proinde res Spiritualis ordinetur ut medium ab obtinendam rem temporalem tanquam ad ejus finem; quod procul dubio summam continet inordinationem, & irreverentiam.

IX. Venio nunc ad fundamenta harum thesium diruenda. Et primo quidem videtur posse dari temporale pro Spirituali non tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum etiam principale, quia potest dari stipendium Missæ cum pacto etiam explicito, quod Sacrificium ponatur, in quo casu declinatur Simonia, quia non datur stipendium in pretium Missæ, sed in sustentationem Sacerdotis: ergo pariter dari potest temporale cum pacto, quod ponatur Spirituale citra Simoniam, si detur temporale non tanquam pretium, sed tanquam motivum etiam principale, ita ut sine *ipso* res Spiritualis non poneretur; sicut sæpe Sacerdos sine stipendio non poneret Sacrificium.

X. Secundo, quia potest citra Simoniam Dominus obligare se ad dandam libertatem mancipio, si suscipiat Baptismum, & Princeps ad dandam vitam reo infideli, si convertatur ad fidem, ut docent communissime apud Sanch. lib. 1. disp. 39. & apud Suar. t. 1. de Relig. 4. cap. 17. in quibus casibus datur temporale ad obtinendum Spirituale, non tanquam pretium, sed tanquam motivum pariter principale, quatenus mancipium non susciperet Baptismum, si non daretur ei libertas, nec Infidelis amplecteretur fidem deficiente illa promissione vitæ; Et eodem modo potest pater obligare se ad dandam pecuniam filio quoties suscipit Sacramenta, aut audit Sacrum, ut docent communiter apud Dian. p. 5. tr. 14. ref. 75.

XI. Tertio, juxta doctrinam Turriani, & Roccafull. apud eundem Dian. loc. c. & p. 11. tract. 6. ref. 31. citra Simoniam potest Titius promittere Cajo se daturum loco pio, aut pauperi eleemosynam, si Cajus obtineat Titio Beneficium Ecclesiasticum. Et ratio est, quia eleemosyna non datur per modum pretii; nec pro intercessione, quod saltem jure Ecclesiastico prohibetur; sed ad movendum Cajum, ut impetret tale Beneficium: Ergo ut prius.

XII. Quarto, potest dari eleemosyna magni momenti aut Ecclesiæ, a qua speratur aliquod Beneficium, aut Monasterio, ut obtineatur ingressus in Religionem; in quibus casibus cessat Simonia, quia non datur in pretium illa eleemosyna, nec censetur dari cum ullo pacto, sed mere gratis ad alliciendum, quamvis ea eleemosyna non daretur, si talis spes abesset: ergo potest similiter offerri Episcopo pecunia tanquam motivum alliciens ad obtinendos Ordines Sacros, vel Beneficium.

XIII. Quinto, videtur hæc esse doctrina Angelici 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. ubi habet: *Licitum est aliquem provocare ad devotionem Monasterii per temporalia Beneficia, ut ex hoc inclinetur ad Monasterii ingressum; licet non sit licitum ex pacto aliquid dare, vel accipere pro ingressu Monasterii*: ergo ex D. Th. licitum videtur esse dare pro spirituali temporale tanquam motivum, non tanquam pretium. Et Montaltius in famoso illo libello, qui inscribitur, *Literæ Provinciales*, hanc doctrinam tribuit etiam Valentiæ tom. 3. pag. 2041. ubi habet, *Non esse Simoniacum usum aliquarum Ecclesiarum, in quibus promittitur aliquod Ministerium spirituale, puta Exequiæ, Missæ, &c. illis, qui hanc, vel illam oblationem obtulerint*, *id quod D. Thom. etiam probat articulo 3. ejus quæstionis ad 3. Et ratio est, quoniam tunc illud temporale spectatur ut motivum, non ut pretium*. Et pag. 2039. dicit, duobus modis vitari posse Simoniam: *Primus est, quando temporale est duntaxat motivum conferendi, vel efficiendi spirituale, aut e contrario. Secundus est, quando per temporale fit compensatio gratuita pro spirituali, aut e contrario* (a). Eidemque doctrinæ videtur adstipulari etiam Tannerus tom. 3. p. 1520.

(a) P. Concina *Tom. 10. pag. 89.* ait:
„ P. *Dominicus Viva in sua Trutina in proposit.* „ 45. *&* 46. *Innoc. XI. n.* 13. *inquit* „ Videtur „ hæc esse Doctrina Angelici 2. 2. „ *quæst.* 10. *ar-* „ *tic.* 3. *ad* 4. „ *Deinde subdit* „ Montaltius in „ famoso illo libello &c. hanc Doctrinam tribuit „ etiam Valentiæ „ *Duo hic peccat P. Viva.* „ *Primo, quod asserat videri hanc Doctrinam esse An-* „ *gelici. Secundo, quod Montaltius talem Doctrinam* „ *tribuat etiam Valentiæ, quasi Montaltius hanc Do-* „ *ctrinam adscripserit S. Thomæ; quod falsum evi-* „ *denter est. Epistolas Provinciales ab Ecclesia da-* „ *mnatas detestor; tum quod Jansenianа lue sint in-* „ *quinatæ; tum quod quorumdam Casuistarum laxas* „ *opiniones Jesuitis, & ipsi inclytæ Societati impin-* „ *gere videantur; quam ego calumniam millies exe-* „ *cratus sum, æternumque execrabor. Cum & leges* „ *Societatis & Sapientiores Jesuitæ sicuti Probabilis-* „ *mum, ita laxas, quæ inde veluti ex fonte pro-* „ *fluunt, opiniones improbent. Ceterum unum adji-* „ *cio; Montaltium ut plurimum, fide summa tran-* „ *scribere opiniones Casuistarum, & quantum ad ver-* „ *ba, & quantum ad sensa.* E contrario *P. Viva* „ *cum aliis non infrequenter sententias, & S. Tho-* „ *mæ, & aliorum Thomistarum falso, ut mitissime* „ *loquar, in sensu refert. Factum hoc siquis expen-* „ *dere ad Critices leges honesto literario certamine* „ *voluerit, me paratum exhibeo.*

„ Et in Indice V. *Viva* ita Scribitur:
„ *Falso propositionem* 45. *ab Innoc. XI. damnatam* „ *adscribit S. Thomæ: quam etiam falso asserit ei-* „ *dem S. Doctori tributam a Montaltio.* Sed præstat „ audire P. Nocetium c. 97. *Ver. Vind.* Non P. Viva „ sed P. Concina *Duo* hic certissime peccat & „ cum eo peccant fœderati Indicum fabricatores: „ Primo peccat peccato *Imposturæ*: Secundo peccat „ peccato *cavillationis.* Quoad primum. Pronunciat „ P. Concina P. Vivam *peccare* in eo, quod asserat, „ *eam Doctrinam videri esse D. Thomæ.* Quis non „ crederet dum audit P. Vivam argui hic de peccato, quis inquam non crederet P. Vivam id asserere *ex propria sententia*, *& ex animo* eam do- „ ctrinam *Angelico* tribuere? atqui sciant lectores, „ P. Vivam id asserere in persona adversariorum. „ & id asserre ut quintam eorum objectionem, quam „ dissolvit deinde ordine suo n. 23. Placet ne vobis, „ lectores hæc agendi ratio? est ne hoc referre *Sincere* sententias Jesuitarum? Sed audiamus Vivam.
„ Igitur P. Viva probat more suo falsitatem dictarum „ propositionum. Deinde n. 9. ita scribit „ *Venio nunc* „ *ad fundamenta harum thesium diruenda*,, tum numeris 9. 10. 11. & 12. affert primas quatuor objectiones, „ & tandem n. 13. quintam his verbis:
„ *Quinto*. Videtur hæc esse doctrina Angelici „ 2. 2. *quæst.* 100. *artic.* 3. *ad* 4. *ubi habet* „ Licitum est aliquem provocare ad devotionem Monasterii per temporalia beneficia, ut ex hoc inclinetur „ ad Monasterii ingressum, licet non sit licitum ex pacto „ aliquid dare, vel accipere pro ingressu Monasterii.

„ *Ergo ex D. Thoma licitum videtur esse dare pro* „ *spirituali temporale tamquam motivum, non tam-* „ *quam pretium. Et Montaltius in famoso illo libel-* „ *lo, qui inscribitur,* Litteræ Provinciales, *hanc Do-* „ *ctrinam tribuit etiam Valentiæ.*

„ Hanc vero objectionem solvit, ut dixi, n. 23. „ Solide ostendendo, D.Thomam nullo modo favere „ adversariis: quia in eo evento, de quo loquitur S. „ Doctor, non modo temporale tribuitur ut purum „ motivum, non ut prætium: sed præterea nullum „ intercedit pactum; neque explicitum neque æqui- „ valens: & nulla intervenit utilitas dantis, sed „ solius accipientis: ut cum muneribus allicitur man- „ cipium ad suscipiendum baptismum: En verba.

„ *Ad quintum: Sicut citra simoniam potest con-* „ *ferri mancipio aliquid temporale, ut alliciatur ad susci-* „ *piendum baptismum, ut diximus in responsione ad se-* „ *cundum, ita potest ex Doctrina Angelici l. c. conferri* „ *alicui beneficium temporale, ut inclinetur ad mona-* „ *sterii ingressum. Quia in utroque casu temporale con-* „ *fertur tamquam motivum, non tamquam pretium:* „ *tum quia nullum intercedit pactum nec explicite,* „ *nec implicite, neque æquivalenter: tum etiam quia* „ *non intenditur in his casibus utilitas propria, sed* „ *illius cui confertur temporale: unde non habetur ulla* „ *permutatio temporalis cum spirituali, nec ulla* „ *emptio, atque adeo nec simonia.*

„ En igitur novum crimen P. Vivæ, & ante hoc „ tempus inauditum: referre quintam objectionem ad- „ versariorum contendentium stare pro se S. Thomam: „ illam solide, & aperte dissolvere; & Angelicum do- „ ctorem ex inimicorum manibus eripere. Pro quibus „ meritis P. Concina calumniatur P. Vivam, quasi „ assereret ex proprio sensu, *eam Doctrinam videri esse* „ *S. Thomæ*; & paratum se exhibet ostendere Patrem „ Vivam non infrequenter sententias S. Thomæ fal- „ so in sensu referre. Utinam lectores annuant iis „ precibus quibus *orat*, ut legantur *in fonte* omnes, „ quos in hoc opere citat.

„ Dixi de *impostura*; venio ad *cavillationem*. P. „ Concina dicit, Vivam secundo peccare, quia scribit, „ Montaltium tribuere eam doctrinam *etiam* Valen- „ tiæ: quasi Viva per illud *etiam* significare voluerit, „ Montaltium tribuisse prius eam Doctrinam S. Tho- „ mæ, quod falsum evidenter est. Sed hæc est *Ca-* „ *villatio*, quæ non aliud ostendit, nisi impotentem „ cupiditatem mordendi Vivam. Quomodo probat P. „ Concina Vivam intendisse animo eam significatio- „ nem? Certissime P. Viva id *expresse* non dicit, ut patet „ ex ejus verbis supra recitatis. Deinde neque id ullo „ modo erui potest ex proprietate locutionis. Ostendo.

„ Finge ex duobus filiis Joannis Petrum occidisse „ natu minorem. Quis culparet tamquam impropriam „ hanc locutionem? *Petrus abstulit Joannis filium* „ *unum, & Paulus sustulit etiam alterum*; & tamen „ illud *etiam* non significaret, eumdem Paulum occi- „ disse primum. Ita in re nostra. Cum Viva dicit, „ aliquos tribuere eam sententiam D.Th.& Montaltium „ tribuere *etiam* Valentię; illud *etiam* non significat „ Montaltium eam tribuisse S. Thomæ.

„ Quod ait P.Concina, *leges Societatis* improbare Pro- „ babilismum, falsum evidenter est. Sicuti in Societate „ nulla lex est, quæ probabilismum imperet; ita nulla „ est, quæ probabilismum vetet. Liberi omnino sumus.

„ Quod ait, *Sapientiores Jesuitas* Probabilismum „ improbare, multo magis est falsum. Vel de vivis „ loquitur, qui sententias suas typis non impresse- „ runt; & ex his multi Probabilistæ sunt, multi Pro- „ babilioristæ; & nullum est argumentum ad definien- „ dum, utri sint *Sapientiores*. Vel loquitur de iis, „ qui libros ediderunt: bona ejus venia aliam habent „ famam *Sapientiæ* atque existimationem, non mo- „ do apud nos, sed apud universam Litterariam „ Rempublicam Suar. Vasqu. Mol. Azor. Valent. „ Sanch. Less. Castrop. Fill. Fagund. Henriqu. Tamb. „ Salas, Laym. Card. de Lug. Con. Carden.& plu- „ rimi similes qui Probabilismum non improbant; „ quam Comitolus, Elizalde, Camargo, Thyrsus, „ Antoine. Atque ut aliquid etiam de ipsis Domini- „ canis attingam: quo argumento probabitur; Baro- „ nios, Contensonios, Natales, Gonetos, Concinas & „ similes Antiprobabilistas, *Sapientiores* esse celeber- „ rimis illis antiquioribus Dominicanis qui Probabi- „ lismum per integrum fere sæculum tutati sunt?

„ Quod Jesuitas eo nomine excusat, quia *leges So-* „ *cietatis*, & *Sapientiores Jesuitæ* Probabilismum im- „ probent; gratias agimus, sed excusationem hujus- „ modi recusamus: Tum quod falsissimo nititur fun- „ damento, ut dictum est; tum quod pejor est qua- „ libet accusatione. Inde enim sequeretur, fere omnes „ Societatis Auctores, paucissimis exceptis, & quidem „ non magni nominis, condemnandos esse. Imo ne- „ que aliam excusationem accipimus, quam aliquan- „ do prætendit; Jesuitas nempe scripsisse bona inten- „ tione. Nemo enim quod sciam hactenus fuit, sal- „ tem ex Catholicis, tam acerbus Jesuitarum ho- „ stis, ut perversæ intentionis Societatis Scriptores „ accusaret.

„ Quamobrem vera Jesuitarum excusatio adversus „ Montaltium, & adversus alios qui Montaltium „ imitati sunt in his est posita.

„ Primo. Quod sæpissime sententiæ Jesuitarum sin- „ cere non referantur: quod de Montaltio apertis- „ sime ostendit P. Daniel, & ego de P. Concina. „ Dicit iste quidem Montaltium *Summa fide* refer- „ re sententias Casuistarum. Et sane octavum fuisset „ terrarum orbis miraculum, nisi P. Concina asse- „ ruisset *Fidem* Epistolis Provincialibus, quas, ut suam „ Theologiam locupletaret, expilavit. Sed non est „ aptus assertor alienæ fidei, qui tam frequenter „ deficit in sua.

„ Secundo. Quod siqui eorum sententias aliquas „ censura dignas vere tradiderunt; eas ut plurimum „ ab aliis magistris antiquioribus didicerunt, potis- „ simum Dominicanis, ut ego sæpius ostendi, cum „ se dedit occasio: & ad hoc ipsum uberius osten- „ dendum, siquis id cupiat, *me paratum exhibeo*. „ Et certe Jesuitas neque primos, neque solos do- „ cuisse, quæ Montaltius carpit, neque ipse Wen- „ drochius negare ausus est: sed eam excusationem, „ ut vidimus excogitavit, quam postea P. Concina „ Montaltii artificium magna ex parte imitatus, „ avide arripuit; ceteros nimirum Casuistas *Latere* „ *in Bibliothecarum angulis*.

„ Tertio. Quod Scriptores Societatis innumeri pe- „ ne sunt; quod plurimos, ingentes, spissosque to- „ mos ediderunt; quod in iis Myriadas, & Myria- „ das Conclusionum rectissime resolverunt; quod „ scripserunt fere omnes ante Decretum Alex. VII. „ ad quod tempus tamquam ad Asylum quemdam con- „ fugere nonnulli solent, quo nimirum tempore mul- „ tæ quæstiones Theologiæ moralis nondum erant „ tanta luce illustratæ, quanta postea a Pontificiis „ Constitutionibus perfusæ sunt. Quare mirum non „ est, si eo tempore, si in tanta optimarum rerum „ multitudine ac varietate, si magnis Magistris Du-

cibus,

„ cibus, Jesuitis etiam aliquid minus rectum exciderit: quod cæteroquin sapientissimis etiam sanctissimisque auctoribus aliquando evenisse compertum est.

„ Nec ideo tamen concedo laxum esse quidquid laxum appellat P. Concina; imo id pernego: qua de re disputare non est hic locus.

„ Quod demum ait P. Concina, Laxas opiniones ex Probabilismo, velut ex fonte profluere: alias dixi & aperte iterum dico; sciolis, & imperitis hoc artificio potest imponere. Illis qui norunt, *Probabilismum* nihil aliud omnino esse præter *hanc sententiam reflexam* „ Licitum est sequi opinionem solide ac practice probabilem faventem libertati in conspectu vel æque probabilis, vel etiam probabilioris faventis legi „ nullamque cognationem habere cum opinionibus directis: illis in quam non imponet.

„ Hactenus Nocetius. Verum quum Patuzzius in Semiprovincialibus illis epistolis, quas sub *Eranistis* nomine divulgavit, Concinam defendere imprudentissime esset adgressus, ita illum pro meritis carminavit Auctor historiæ Litterariæ T. VII. p. 425. seqq.

„ *Chi mai crederebbe, che si fosse potuto pensare a difendere una sì palpabile impostura? Difender dico? Anzi* Eraniste *vuole, che un impostore sia il* P. Noceti, *e si dichiara* (*p.* 586.): Io proccurerò di contenermi nella risposta dentro i termini della convenienza, e della modestia, tuttochè duopo mi sia a tal effetto di uno sforzo non ordinario, vedendo l'impostura evidente, che quivi con artifizioso tratto si avanza; e udendo a parlar in tal foggia, chi non dovrebbe se non confondersi, e ridursi ad un perpetuo silenzio? *Veramente io son tutto confuso, ma per questo poverello, che ha fatto* uno sforzo non ordinario, *per farsi compatire a tutta quanta la più tarda posterità. Io vorrei dissimulare, ma non posso, non posso. Se egli non avesse fatto quello* sforzo non ordinario, *forse forse non direi nulla. Ma giacchè l' ha fatto, potrà più facilmente farne un altro di vedere scoperta la sua dappocaggine per non dirla colla sua frase* baratteria. *Pianta dunque per fondamento il Nostro gentilissimo* Eraniste, *che il P.* Concina *non ha voluto, dir altro, se non che il* Viva *attribuisse a S.* Tommaso *la dottrina di* Valenza, *cioè, che quelle parole di Viva:* Videtur hæc esse doctrina Angelici: *hanno questo senso:* Videtur doctrina Valentiæ esse Doctrina Angelici; *ovvero anche più brevemente, che quel pronome* Hæc *si riferisce alla doctrina di* Valenza, *e non già, come ha inteso il P.* Noceti, *alla proposizione dannata. Ma il P. Viva veramente, e in persona sua attribuisce al Numero XXIII. a S.* Tommaso *la dottrina di* Valenza: *ha dunque tutta la ragione il P.* Concina, *e 'l P.* Noceti *è stato un impostore.* Bravo Eraniste. *Ma io gli nego questa sua maggiore, o sia questo suo gran fondamento, e pretendo, che 'l P.*Concina *ha voluto dire quel che ha detto di fatto, e se ha avuta intenzione di dire altra cosa diversa, peggio per lui, che non l'ha detta. Or che ha detto di fatto il P.*Concina? *Ha detto, che il P. Viva con quelle parole* Videtur hæc esse doctrina Angelici, asserat videri hanc doctrinam esse Angelici; e però *l' ha ripreso*: duo hic peccat P. Viva, primo quod asserit, videri hanc doctrinam esse Angelici. *Or dico io: o'l P.* Con-
„ cina *ha inteso il P.* Viva *nel senso, in che parlò, e solo poteva parlare il* Viva, *o in altro senso: se in altro senso, lasci stare di stampar Teologie, e dica Rosarj, perchè, riprendere uno per una proposizione, intendendola in altro senso da quello, ch' egli la pronunziò, o anche potè pronunziarla, è da scempiato. Ma se il P.* Concina *non è stolido, e prese le parole del* Viva *nel senso, in che solo le scrisse il P.* Viva, *è evidente, che non potè mai il P.* Concina *riferire quel* videtur Hæc esse doctrina Angelici *alla dottrina di* Valenza, *ma solo alla* dannata. *Perciocchè è chiaro, quanto il Sole del mezzodì, che 'l* Viva *non riporta quel pronome* Hæc *alla dottrina di* Valenza, *ma alla dottrina proscritta. Lo provo con evidenza. I. Il* Viva *prima di quelle parole non avea nè punto nè poco nominato* Valenza, *nè la dottrina di lui; non potè adunque riferire il Pronome* Hæc *alla dottrina di* Valenza; *II. Il* Viva *porta l' autorità di San* Tommaso *per un' obbiezione, che favorisce secondo gli Avversarj la dottrina dannata, e non come un' obbiezione, colla quale pretendano gli Avversarj fiancheggiare la dottrina di* Valenza; *dunque quell'*Hæc *non a questa allude, ma a quella. III. Il* Viva *di quella dottrina, della quale in persona degli Avversarj avea detto*: Videtur hæc doctrina Angelici, *soggiugne immediatamente*: Montaltius hanc doctrinam tribuit etiam Valentiæ. *Come dunque per quelle parole* hæc doctrina, hanc doctrinam *potè intendere il* Viva *non la dannata proposizione, ma la sentenza del* Gesuita Valenza? *Non vede* Eraniste, *che allora quelle parole renderebbero questo ridevol senso*: Montaltius doctrinam Valentiæ tribuit etiam Valentiæ? *Egli è dunque evidense, che il P.* Viva *sulle sopraddette parole non intese altra dottrina che la dannata, e che questa, e non altra ivi attribuisce all'* Angelico; *ed è pur evidente, che questa e non altra egli attribuisce all'* Angelico *per modo d' obbiezione. Se dunque il P.* Concina *non altre parole riferisce del* Viva, *che le sopraddette, e per queste sole il riprende, come dette da lui in propria persona, è evidente, che il P.* Concina *di fatto non altro dice, se non che il P.* Viva *ha in propria persona a S.* Tommaso *attribuita la condannata sentenza; il che è falsità, e impostura. Io non so qual sia dimostrazione, se questa non l'è. Eppure* Eraniste *sta saldo, che il P.* Concina *non ha voluto altro dire, se non che 'l* Viva *a S.* Tommaso *attribuisce la dottrina del* Valenza. *E perchè? Eccolo: perchè il P.* Concina *nel numero di sopra avea parlato della dottrina di* Valenza; *non della proscritta.* E' *verissimo; ma è ancora una manifestissima verità, che* Concina *non ha riportate, ne riprese altre parole, se non quelle, nelle quali* Viva nomine alieno *attribuisce a S.* Tommaso *la dottrina dannata; ed è pur manifesto, che senza estrema stoltizia non potè* Concina *intendere della dottrina di* Valenza *quelle parole, che'l* Viva *non potè riferire a questa dottrina, ma alla sola proscritta. In secondo luogo* Concina *dice così*: P. Dominicus Viva in sua Trutina in propos. 45. & 46. Innoc. XI. num. 13. inquit: videtur hæc esse doctrina Angelici; *in rigor dunque la dottrina più immediatamente nominata dal* Concina *è la dannata: dunque secondo la regola d'* Eraniste *quell'* hæc doctrina *deesi riferire a quelle due dannate Tesi, come a quelle, le quali vengono più prossima-*

„ *mente nominate. Ma* Eraniſte *dopo le parole, che*
„ *il P.* Noceti *porta dal numero XXIII. del* Viva
„ *ne traſcrive altre del* Viva *ſteſſo, nelle quali que-*
„ *ſto ſcrittore ſoſtiene contra il* Montalto, *non eſſer*
„ *la dottrina del* Valenza *diverſa da quella di S.*
„ Tommaſo*; ed oh! qui ſi canta il trionfo(p.*588.),
„ *e grida con un tuon formidabil di voce:* Non è
„ egli fuor d'ogni dubbio, che il P. Viva ex pro-
„ pria ſententia & ex animo doctrinam Valentiæ
„ intorno la Simonia Angelico tribuit? *Padre sì*
„ *avete ragione*: Adunque pro quibus meritis P. N.
„ calumniatur P. Concinam, quaſi aveſſe aggrava-
„ to il P. Viva di un' impoſtura evidente? Non è
„ evidente che l'impoſtura è del cenſore? *La gran*
„ *flemma, che ci vuole a leggere queſte millanterie*
„ *nell' atto medeſimo, che ad impoſtura ſi aggiugne*
„ *una nuova impoſtura! O a me sì per contenermi*
„ *nella riſpoſta* dentro i termini della convenienza,
„ e della modeſtia è uopo d'uno sforzo non ordi-
„ nario. *Il P.* Noceti *qual* impoſtura *notò nel* Con-
„ cina *riguardo al* Viva? *Forſe queſta d' avergli at-*
„ *tribuito falſamente, ch' egli aveſſe ſoſtenuto, la*
„ *dottrina di* Valenza *eſſere ſtata dottrina di S.*
„ Tommaſo? *Così eſſer dovrebbe, perchè dalle pa-*
„ *role, colle quali il* Viva *difende come ſentenza di*
„ *S.* Tommaſo *quella del P.* Valenza, *ſi poteſſe con-*
„ *vincere d'* impoſtura *il P.* Noceti. *Ma il P.* No-
„ ceti *non queſta impoſtura notò nel* Concina,
„ *Signor nò. Queſta, queſta è l' impoſtura, che*
„ *rinfacciò al* Concina, *e a' ſuoi confederati fa-*
„ *citori d' Indici, che il* Viva falſo propoſitio-
„ nem XLV. ab Innocentio XI. damnatam (*non*
„ *la ſentenza del* Geſuita Valenza) adſcribit
„ S. Thomæ. *Dunque a che trarre in iſcena*
„ *la conformità, che il P.* Viva *ſoſtiene tra la dot-*
„ *trina del* Valenza, *e quella di S.* Tommaſo, *per*
„ *iſmentire chi duolſi del* Concina, *perchè al* Viva
„ *attribuiſſe d' avere a S.* Tommaſo *imputata non*
„ *la dottrina del* Valenza, *ma la XLV. propoſizione*
„ *proſcritta per* Innocenzio? *E non ſarà* baratteria
„ (*ſiami lecito d' uſar queſta parola ſugli eſempli*
„ *del Padre dello* sforzo non ardinario) *mutare i*
„ *termini e dove il* Noceti *parla della* propoſizione
„ dannata, *ſoſtituire per accuſarlo d'* impoſtura *la*
„ *dottrina del P.* Valenza? *Ma ſi dirà, che la dot-*
„ *trina del* Valenza *non è diverſa dalla dannata;*
„ *dunque il* Viva *attribuendo a S.* Tommaſo *la dot-*
„ *trina di* Valenza, *gl' imputa la dannata propoſi-*
„ *zione. Sia così che la dottrina di* Valenza *ſia la*
„ *ſteſſa, che la condannata. Sia così: non di queſto*
„ *ora ſi cerca.) Il P.* Viva (*o a torto, o a ragione*
„ *che ſia, al fatto, di che ſi quiſtiona, nulla mon-*
„ *ta. Il P.* Viva *tanto è lungi dal credere compre-*
„ *ſa nella dannata la dottrina del* Valenza *che pro-*
„ *va prima, non eſſere proſcritta la dottrina di S.*
„ Tommaſo *e poi da quella dell'* Angelico *non eſ-*
„ *ſer diverſa la ſentenza del* Teologo Geſuita.
„ *Dunque come potè a S.* Tommaſo *attribuire la*
„ *dannata propoſizione ancor dato, che realmente*
„ *queſta propoſizione ſi conteneſſe nella dottrina del*
„ Valenza? *Avrà errato il* Viva *ſe ſi vuole, nel cre-*
„ *dere dottrina di S.* Tommaſo *quella del* Valenza;
„ *ma non potè mai confondere colla dannata la*
„ *ſentenza di S.* Tommaſo. *Che altro reſta, ſe non*
„ *dire con* Eraniſte (*p.* 586.) *che il* Concina *in-*
„ *teſe dire*, che il P. Viva preteſe eſſer dottrina
„ dell' Angelico quella ſteſſa, che avea riportata
„ dal P. Valenza, *e non come gli appone il P.* No-
„ ceti, *quella ſteſſa che fu condannata. Ma nell'* In-
„ dice (*e queſto è pur citato* dal P. Noceti) *ſi di-*
„ *ce, che il* Viva falſo propoſitionem XLV. ab In-
„ nocentio XI. damnatam adſcribit S. Thomæ;
„ *onde non del* Concina *ſolo ſi dolſe il* Noceti, *ma*
„ *ancora de'* Compilatori dell' Indice. *Che colpa è*
„ *dunque del P.* Noceti, *ſe ha inteſo il* Concina
„ *come lo hanno inteſo i facitori del ſuo Indice?*
„ *Avea egli a dubitare, ch' eglino voleſſero aggra-*
„ *varlo, attribuendogli quel che non diſſe; o non*
„ *piuttoſto ebbe tutto il motivo d' opinare, ch' egli-*
„ *no più chiaramente, e ſenza raggiri eſprimeſſero*
„ *quello, ch' egli avea con maggior deſtrezza ac-*
„ *cennato ſenza parere di dirlo? Abbaſtanza è chia-*
„ *ra la ſoperchieria d'* Eraniſte. *Ma ſi dirà, come*
„ *riſponde egli alla riconvenzione, che al* Concina
„ *fa il Noceti d' avere per dottrina del* Viva *citata*
„ *l' obbiezione? Dice (p.* 589.) ognun vede, che
„ il cenſore badar non dovea a queſta frivolezza.
„ *Bravo* Eraniſte! *Non è* frivolezza, *alla qual ba-*
„ *dar non doveſſe il cenſore* Dinelli un hinc *poſto*
„ *dal* La-Croix *non affatto in debito luogo: non è*
„ frivolezza *alla quale non doveſſe badare il cen-*
„ *ſore* Eraniſte *nel* Noceti *un nominare la ſenten-*
„ *za di* Bannez, Serra *come ſpiegata dal* Ledeſma,
„ *il quale non parla che del ſolo Bannez; non è fri-*
„ *volezza, alla quale non doveſſe badare lo ſteſſo* Era-
„ niſte *nel* Viva *attribuire di fatto al* Bannez *e al*
„ Serra *una ſentenza, che infallibilmente viene da'*
„ *loro principj. Queſte ſon coſe di ſomma im-*
„ *portanza. Ma* frivolezza *è bene, alla quale non*
„ *doveva badare il cenſore* Noceti *il prenderſi per*
„ *dottrina d' un Autore l' obbiezione, ch' egli ſi fa*
„ *per riſpondervi. Bravo* Eraniſte *Teologi, Filo-*
„ *ſofi, quanti ſiete applauditegli: è deciſo da quì*
„ *innanzi, che è una* frivolezza *attribuire ad al-*
„ *cuno per dottrina ſua quella degli Avverſarj ch'*
„ *egli ponſi a ribattere. Sì è una* frivolezza. *Ecco*
„ *un nuovo canone inudito di Critica per bene in-*
„ *tendere la mente degli ſcrittori.*

Ratio a priori horum omnium eſt, quia ſine pretio non conſiſtit Simonia, ſeu Studioſa voluntas emendi, aut vendendi ſpirituale: ergo ſi detur pecunia non tanquam pretium, ſed tanquam motivum, Simonia declinatur: Aliter qui dat Religioſis eleemoſynas, petens Orationes, Simoniam committeret; Sicut etiam qui ſtipem erogat, ut Reſponſoria, ac Litaniæ coram aliqua Imagine pro ſe recitentur.

XIV. Oſtenditur falſitas iſtarum theſium, quæ ex hactenus dictis fit loculentiſſima. Primo quia ex Cap. *Tua nos* de Simon. & ex aliis textibus Sacrorum Canonum. Omnis pactio, quæ fit circa ſpiritualia, aut ſpiritualibus annexa, eſt ſimoniaca; ergo ſive detur temporale pro ſpirituali in pretium, ſive ut motivum, ſemper ſimoniace datur, ſi pactum intercedat ſaltem implicitum.

XV. Secundo, quia ex Angelico Simonia eſt Studioſa voluntas emendi ſpirituale, ita ut nomine emptionis veniat quilibet contractus non gratuitus: ergo ſi prævio pacto oneroſo ſaltem implicito detur temporale propter ſpirituale, aut e contra, Simonia committitur, ſive temporale dicatur dari ut pretium, ſive ut motivum.

XVI.

XVI. His adde, quod ficuti qui dicit fe dare gratis domum fub conditione, quod liberaliter donetur fibi pretium æquivalens, revera in morali æftimatione vendit, & folum ore tenus dicitur donare domum; ita qui dicit fe dare gratis, & folum ut motivum alliciens pecuniam cum pacto implicito, quod fibi gratis redonetur res Sacra, revera illam emit, & pecuniam dat ut pretium, & folum verbotenus dat ut motivum. Hujufmodi autem pactum implicitum femper cenfetur haberi, quando non præfumitur, quod gratis temporale donetur cum *fola* fpe rei Spiritualis, abfque animo obligandi alterum ad illam conferendam. Ad eum modum, quo quando quis Judici dat munera alicujus momenti, tunc in morali æftimatione non cenfetur dare illa gratis, fed animo obligandi ilium ad ferendam iniquam fententiam, & Judex litem illi adjudicando dicitur juftitiam vendidiffe. Propterea D. Th. 2. 2. qu. 100. ar. 2. abfolute dicit: *Simoniacum eft per pecuniam parare fibi viam ad fpirituale obtinendum*; Quandoquidem tunc in communi æftimatione, & in fenfu Ecclefiæ cenfetur Spirituale emi, & cum indebita irreverentia æquiparari temporali.

XVII. Quod fi temporale effet principale motivum conferendi fpirituale, immo finis ipfius rei fpiritualis, ita ut illud æftimetur magis, tunc irreverentia propria Simoniæ effet longe major; quandoquidem res fpiritualis non folum temporali æquipararetur, fed etiam pofthaberetur.

Neque dicas, quod ficut actus attritionis, quo deteftamur peccatum propter gehennam, eft honeftus, quamvis per illum magis odio habeamus gehennam, quam peccatum, *Propter quod* enim *unumquodque tale, & illud magis*, quia fcil. per actum attritionis non dicimus, ceffaturos nos ab odio culpæ, fi gehenna deeffet; ita poteft etiam effe actus honeftus voluntas ponendi rem fpiritualem propter bonum temporale tanquam propter finem; quia quamvis hoc actu magis amemus bonum temporale, quam rem fpiritualem; at non per hoc dicimus, quod fi deeffet temporale, non poneretur res fpiritualis, aut quod velimus temporale in pretium, fed ab hoc præfcinditur.

XVIII. Nam contra eft; quia paritas retorquetur. Actus enim attritionis non effet honeftus, fi per illum non folum odio haberetur gehenna, fed etiam odio haberetur tanquam malum majus, quam peccatum; eft tamen honeftus, quamvis per illum magis odio habeatur hic & nunc gehenna, quam peccatum; nam *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: ergo fimiliter inhoneftus eft actus, quo quis vult ponere fpirituale propter temporale, non folum amando eo actu temporale magis, quam fpirituale, feu tanquam finem fecundarium, fed etiam æftimando pluris illud, prout dicitur in thefi confixa; fecus vero fi hic & nunc voluntas magis afficiatur erga temporale annexum fpirituali, quam erga ipfam rem fpiritualem. Quare licitum quidem eft, velle celebrare Miffam propter ftipendium, & propter fuftentationem, tanquam propter finem fecundarium, ita ut hoc actu magis hic & nunc ametur ftipendium, quam Miffa, non tamen licitum eft ftipendium amare tanquam bonum æftimabilius. Et ficut poteft metus gehennæ determinare me hic & nunc ad odio habendum peccatum, quod hic & nunc non odio haberem, fi abeffet talis metus, quin tamen dicere poffim, quod fi talis metus abeffet, peccatum non odio haberem ex alio motivo; ita poteft ftipendium jure naturæ debitum determinare Sacerdotem hic & nunc ad celebrandum, ita ut non celebraret hodie, fi abeffet ftipendium, quin tamen poffit dicere, quod, fi ftipendium abeffet, nunquam vellet celebrare ad cultum Dei. Finis itaque hujufmodi fecundarius, ficut etiam motivum occafionale, poteft quidem determinare ad actum, ut hic & nunc ponatur, ut habet Angelicus l. c., non vero ut ponatur fimpliciter. Quando tamen temporale non eft jure naturæ debitum ponenti rem fpiritualem, tunc neque poteft illud intendi tanquam finis fecundarius, nedum tanquam principale motivum, fi præeat pactum faltem implicitum de illo conferendo; quia tunc haberet in morali æftimatione rationem pretii, ut oftendimus.

XIX. Ad primam rationem in contrarium adductam, Argumentum probat nimis: probat enim, quod ficut poteft ex pacto juftitiæ obligari Petrus ad dandum ftipendium Celebranti, ita poffit v. g. ex pacto juftitiæ obligari Petrus ad dandam pecuniam conferenti Beneficium, aut aliam rem Sacram, quod nemo dixerit. Difparitas autem eft, quia cum ftipendium Miffæ fit debitum jure naturæ, juxta illud Apoftoli 1. ad Cor. 9. *Qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario funt, edunt; & qui Altari deferviunt, de Altari participant*; idcirco non folum poteft intendi fecundario a Celebrante, fed etiam poteft in pactum deduci citra Simoniam, adeo ut Sacerdos nollet celebrare pro Petro, fi non offerretur ftipendium. Et ratio eft, quia adhuc dicitur Sacerdos celebrare gratis, etiamfi exigat ftipendium, tanquam in fuftentationem jure naturæ debitam; ficut gratis dicitur pingere v. g. qui folum exigit, quæ neceffaria funt ad pingendum. At Epifcopus v. g. non diceretur gratis conferre Beneficium, fi aliquid temporale pro illo exigeret, five illud exigeret tanquam motivum, five tanquam pretium; & ideo effet fimoniacus, fi temporale effet motivum, ut conferatur fpirituale.

XX. Ad fecundam: Quando res fpiritualis non cedit in utilitatem exhibentis temporale, fed in utilitatem ejus, qui accipit temporale, ut quando datur libertas fervo, fi baptizetur; tunc idcirco non intervenit Simonia, quia hujufmodi donatio libertatis facta fervo fub ea conditione, quod baptizetur, cenfetur contractus conditionatus gratuitus, non vero onerofus; cum utrumque lucrum fpirituale, & temporale fit ejufdem fervi, & nullum lucrum cedat Domino danti temporale pro folo fpirituali. Contra vero, fi detur pecunia Epifcopo, ut conferat Beneficium, tunc contractus cenfetur onerofus, eo quod Epifcopus lucretur pecuniam, & offerens pecuniam lucretur pro fe, vel pro amico Beneficium; & ideo intervenit Simonia, feu emptio rei Sacræ.

XXI. Ad tertiam: Tunc ea fententia fubfiftit, quando cenfetur donatio illa eleemofynæ aut pauperi, aut Monafterio effe omnino gratuita, quamvis fub conditione, quod obtineatur Beneficium. At fæpe in praxi poteft cenferi contractus onerofus, quando fcil. non tam intenditur actus ille honeftus eleemofynæ, quam aliquod emolumentum temporale, vid. quod tale Monafterium iis eleemofynis redundet; & idcirco caute ea fententia in praxim deducen-

cenda: Præfertim quia etiam quando a fimonia deputatur, illam redolet.

XXII. Ad quartam: Advertit Angelicus 2.2. q. 110. ar. 5. illud effe difcrimen inter pecuniam, quæ datur Ecclefiæ, aut Monafterio, & quæ datur Epifcopo cum fpe obtinendi aliquod fpirituale: quod donans pecuniam Ecclefiæ, vel Monafterio cenfetur dare gratis, & folum ut fiat benemeritus, ac proinde dignus Beneficio Ecclefiaftico: qui vero dat illam Epifcopo, cenfetur dare fub onere, quod Beneficium fibi conferatur. Propterea conferens pecuniam Ecclefiæ folum intendit fieri dignus Beneficio Ecclefiaftico, fperatque illud fibi conferendum præcife ut digno, ac benemerito, unde non intervenit contractus ullus fimoniacus. Quod fi Petrus daret pecuniam Monafterio, vel Ecclefiæ intendens obligare Superiores ex contractu, ut illum in Religionem admittant, vel ut conferant Beneficium, tanquam debitum, feu in gratuitam compenfationem, Superiores vero bona fide pecuniam acciperent, abfque intentione obligandi fe ad admittendum illum in Religionem, vel ad Beneficium conferendum, tunc Simonia mentalis unice committeretur a Petro, non a Superioribus: At viceverfa fi Petrus daret pecuniam gratis, & Superiores illam acceptarent animo obligandi fe ad admitendum in Religionem, vel ad conferendum Beneficium, aut animo conferendi illud tanquam debitum, feu in compenfationem gratuitam, tunc fimonia mentalis committeretur a Superioribus, non a Petro.

XXIII. Ad quintam: Sicut citra fimoniam poteft conferri mancipio aliquid temporale, ut alliciatur ad fufcipiendum Baptifmum, ut diximus in refponfione ad fecundam; ita poteft ex doctrina Angelici loc. c. conferri alicui beneficium temporale, ut inclinetur ad Monafterii ingreffum; quia in utroque cafu temporale confertur tanquam motivum, non tanquam pretium; tum quia nullum intercedit pactum nec explicite, nec implicite, neque æquivalenter: tum etiam quia non intenditur in his cafibus utilitas propria, fed illius, cui confertur temporale; unde non habetur ulla permutatio temporalis cum fpirituali, nec ulla emptio, atque adeo nec fimonia.

Quod attinet ad doctrinam Valen., & Tann., Montaltius in eo famofo libello utrumque criminatur, appingitque Valent. verba quædam, quæ fi in ejus opere reperirentur, proculdubio deberet dici Valentia auctor hujus profligatæ thefis, ac laxitatis in hac materia. Verum, fi codices omnes Valentiæ evolvantur, nufquam eft reperire verba, quæ illi appinguntur, nec doctrinam iis verbis expreffam, fed folum ab eo docetur, (ficut etiam a Tannero) quod D. Th. docet 2.2. qu. 100., & cum D. Th. alii DD. communiffime, videlicet in iis duntaxat cafibus licitum effe ad obtinendum fpirituale conferre temporale tanquam motivum, non tanquam pretium, in quibus temporale nullatenus cenfetur habere rationem pretii, ut in cafibus adductis ab eodem Angelico, puta quando dantur eleemofynæ pauperibus, ut orationum fuffragia ab ipfis impetrentur, non intendendo eorum orationes emere; aut quando dantur Prædicantibus temporalia ad fuftentationem, non ad emendum prædicationis verbum; Sic pro proceffionibus faciendis in aliquo funere aliquæ eleemofynæ recipiuntur, quamvis, ut notat Angelicus, fi pactum interveniret, aut cum intentione emptionis, vel venditionis, fimonia non declinaretur. Et fimiliter confertur mancipio temporale ut motivum ad fufcipiendum Baptifmum, & non in pretium. At nec Valent., nec Tann., nec alius, cui cor fapiat, ufquam docuerunt, in refignatione Beneficii, aut univerfim licitum effe dare temporale pro fpirituali tanquam motivum, non tanquam pretium. Et ratio eft, quia in hoc, & fimilibus cafibus motivum revera habet rationem pretii, ac præfumitur fimonia; unde verba illa, *Non tanquam pretium Beneficii, fed tanquam motivum ad refignandum*, per invidiam appinguntur Valentiæ a Montaltio; cum tamen Valentia id ne fomniaverit quidem; immo loc. laud. doceat oppofitum, dicens: *Quando actus virtutis affert aliquam utilitatem ei, qui dat pecuniam, ut collatio Beneficii, Abfolutio a peccatis &c., tunc præfumitur fimonia; & ideo tanquam fimoniacum damnatur in Cap. Quam pio 1. q. 2. quod quis recipiat, aut det pecuniam pro ingreffu in Religionem*. Ac fimiliter Valent., & Tann. ex eodem Angelico in aliquibus duntaxat cafibus docent, licitum effe dare temporale in gratitudinem pro fpirituali, aut e contra, videlicet quando non præfumitur permutatio fpiritualis cum temporali, feu emptio; ut quando ex gratitudine conferuntur Miniftris fpiritualibus ftipendia, cum dicat Apoftolus 1. ad Cor. 9. *Si nos vobis fpiritualia feminavimus, magnum eft, fi carnalia veftra metamus?* aut quando Epifcopus confert in gratitudinem Beneficium Ecclefiafticum ei, qui omnino gratis, & abfque ullo implicito pacto infervivit Ecclefiæ; ut proinde nec conferat in pretium, nec tanquam gratuitam compenfationem debitam ex juftitia pro famulatu: quod enim confertur ut debitum, non confertur ex mera gratitudine.

XXIV. Ad rationem a priori fecimus fatis oftendendo, pecuniam habere practice, & in fenfu Ecclefiæ rationem pretii, quoties confertur animo obligandi alterum ad conferendum fpirituale. Qui dat eleemofynas Religiofis, petens ab illis orationes, & fuffragia, non cenfetur dare illas animo obligandi ad orandum, aut in gratuitam compenfationem, æquiparando fpirituale cum temporali; quia procul dubio committeretur fimonia. Poteft tamen eadem eleemofyna citra fimoniam dari Religiofis cum obligatione, quod orent, fi detur in ftipendium, & fuftentationem, eo modo quo datur, quando petitur Sacrificium, aut quando petuntur Refponforia, ac Litaniæ coram aliquo Altari recitandæ; Confertur quippe pecunia illa in fuftentationem Miniftrorum Ecclefiæ, & ad ornamentum Altaris; & ideo poteft conferri obligando Miniftros illos Ecclefiæ ex juftitia ad ea recitanda, eo modo quo diximus poffe ex juftitia obligari Sacerdotem ad celebrandum citra fimoniam.

XXV. Ex dictis fequitur primo, famulos Epifcopi fimoniam committere, fi inferviant animo obligandi Epifcopum, ut Beneficio aliquo recompenfet famulatum, & viceverfa Epifcopum effe fimoniacum, fi conferat Beneficium tanquam debitum, feu in gratuitam compenfationem pro famulatu. Regulariter tamen Famuli, qui congruam mercedem habent, folum fperant Beneficium, quin intendant Epifcopum ad illud conferendum obligare; contra vero ii, qui debita mercede fraudantur.

Sequitur fecundo, fimoniam committi ab eo, qui pecuniam offert, ut in Prælatum Regularem eligatur, non fecus ac qui pecuniam offert ad Beneficium obtinendum. Dubium tamen eft, an ille excommu-

municationem incurrat latam contra obtinentes simoniace Beneficium, quia dubium est apud DD., Utrum nomine Beneficii veniat etiam Prælatura Regularis? Immo dubitant etiam Doctores apud Sanch. lib. 2. Cons. cap. 3. dub. 44. Num simoniam contrahant Petrus, & Paulus, qui inter se ita convenirent, Ego eligo te in Guardianum, & tu elige me in Provincialem? Et multi cum eodem Sanch. putant, quod quamvis hic contractus non vacet culpa, non sit tamen simoniacus, quia non permutatur temporale cum spirituali, sed spirituale cum spirituali. Idemque docet Mendo in Epitome V. *Simonia*, si duo Compatroni Beneficii conveniant, ut unus prima vice præsentet quem mavult alter, & hic altera vice præsentet ad arbitrium illius.

Sequitur tertio, esse simoniam saltem juris Ecclesiastici, ut notat Sanch. apud Dia. p. 4. tr. 4. res. 51., offerre pecuniam pro intercessione Intercessori immediato in ordine ad obtinendum Beneficium, etiamsi offeratur ut motivum: Sicut enim paratur via ad Beneficium per pecuniam, si offeratur tanquam pretium Collatori; ita etiamsi offeratur Intercessori immediato. Utrum autem simoniam contineat offerre similiter pecuniam Intercessori mediato? Communius affirmant, licet nonnulli id negent apud Sanch., & Dian. l. c. Passim etiam disputant, Utrum in materia simoniæ dari possit aliquando parvitas materiæ excusans a mortali, saltem si simonia sit juris humani? Nec non quid requiratur ad incurrendas pœnas simoniacorum? & alia hujusmodi, quæ non vacat hic discutere. Illud videtur animadversione dignum, quod Beneficium dimittendum sit, etiamsi simonia pro eo obtinendo commissa sit ab alio, quam a Beneficiario, & ipso inscio, dummodo id innotescat ante triennium; Si vero Beneficiarius id resciverit post triennium, potest illud retinere ratione triennalis possessionis bona fide habitæ cum titulo colorato, ex Reg. 33. Cancellariæ apud Mendo l. cit.; fructus tamen eo triennio percepti restituendi sunt tanquam a possessore bonæ fidei rei non suæ; hoc est restitui debent secundum illud duntaxat, in quo Beneficiarius factus est locupletior.

PROPOSITIO XLVII.

Cum dicit Concilium Tridentinum, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, ad Ecclesias promovent, Concilium vel primo videtur per hoc, Digniores, non aliud significare velle, nisi dignitatem eligendorum, sumpto comparativo pro positivo: vel secundo locutione minus propria ponit digniores, ut excludat indignos, non vero dignos: vel tandem loquitur tertio, quando fit concursus.

SYNOPSIS.

I. Videtur sufficere, quod ad Episcopatum, & Cardinalatum promoveantur digni; esset quippe grave onus, si Pontifex, & Reges tenerentur eligere digniores. II Apostolus solum exigit, quod Episcopus sit Sanctus; non quod sit Sanctior. III. Creatio Cardinalium passim commendatur, si ceciderit in Personas dignas; etiamsi non censeatur esse dignorum. IV. Non debet Beneficium resignari digniori. V. Nec debet Patronus laicus digniorem præsentare. VI. Nec Beneficia simplicia conferri debent magis digno. VII. Est moraliter impossibile promovere semper digniores ad Beneficia, cum non sit dignior, nisi qui est Ecclesiæ utilior.

VIII. Sed Tridentinum diserte exigit, ut Pastores digniores, ac magis utiles Ecclesiæ promoveantur. Sicut exigitur ab Oeconomo, quod præstantiores famulos, ac Ministros eligat. IX. Nec solum ad Episcopatum eligendi sunt digniores, sed etiam ad alia Beneficia Curata, atque ad Simplicia majoris momenti. X. Necnon ad Prælaturas Regulares.

XI. Apostolus, dum requirit, quod Episcopus sit Sanctus, præscindit a concursu Sancti cum Sanctiore. XII. Electio Cardinalium, & Episcoporum idcirco passim commendatur, quia supponitur, quod electi sint Ecclesiæ utiliores. XIII. Probabilius est, Beneficii resignationem faciendam esse digniori. XIV. Ac teneri Patronum præsentare digniorem ad Beneficia Curata. XV. Pariter Beneficia simplicia alicujus momenti citra acceptationem personarum non possunt conferri minus dignis. XVI. Si hæc electio humano modo fiat, non erit graviter onerosa, nec moraliter impossibilis. XVII. Ex quibus plura ad praxim descendunt. XVIII. Si negligatur dignior, peccatur solum peccato scandali, & contra Justitiam distributivam, non contra commutativam adversus digniorem; unde non sunt illi compensanda damna, nisi id fiat in concursu; compensanda tamen sunt damna Communitati.

XIX. Idem dicas de eo, qui inducit Electores ad præmittendum digniorem.

I. Exponitur. Trid. sess. 24. c. 1. loquens de promovendis ad Episcopatum, & Cardinalatum, advertit, tanti momenti esse hujusmodi munus, ut si pro magnitudine rei expendatur, nunquam satis cautum de eo videri possit. Propterea monet omnes, & singulos, qui ad promotionem præficiendorum quodcumque jus quacunque ratione a Sede Apostolica habent, ut bonos Pastores, & Ecclesiæ gubernandæ idoneos promoveri studeant; Ac demum declarat, eos alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles judicaverint, præfici diligenter curaverint: Commemoratque nihil magis esse Ecclesiæ necessarium, quam ut Pontifex in id sollicitudinem omnem, quam ex muneris sui officio debet, impendat, ut lectissimos Cardinales asciscat, & idoneos Pastores Ecclesiis præficiat; aliter oves, quæ ex negligentium Pastorum regimine peribunt, Dominus noster de ejus manu requiret.

Nonnulli, ut gravem hanc obligationem emollirent, docuerunt sufficere, quod eligantur Pastores digni, ac idonei, etiamsi non eligantur Digniores; interpretando verba Concilii, Vel quod voluerit eligi Digniores, hoc est Dignos, sicut apud Latinos Junior, & Senior sumuntur pro Juvene, & Sene: vel quod voluerit eligi Digniores, hoc est Non indignos: vel Digniores, quando fit concursus: in quo casu communiter docent contra Garziam, Ledes., Navar., Sotum, Zapatam apud Dian. p. 11. tr. 4. res. 35., & p. 4. tr. 4. res. 210., peccari graviter etiam contra Justitiam commutativam, atque adeo dari obligationem restitutionis, si eligatur Dignus, omisso

so Digniore. Hæc sententia tribuitur Jo: Andreæ Pedrazzæ, & aliis apud Dia. p. 2. tr. 15. res. 40. & Jo: Pontio apud eundem Dia. p. 11. tract. 4. res. 34. Eamque probabilem dixit Tamb. l. 8. tr. 3. cap. 4. §. 4. ex Fill. tom. 3. tr. 41. Quamvis addat Tamb. oppositam sententiam esse probabiliorem, & in praxi consulendam. Reginaldus etiam apud eundem Dia. censuit, Pontificem, & Reges non teneri sub mortali ad Episcopatum eligere Digniores, eo quod videatur grave onus illos ad id obligare: & March. hanc opinionem tribuit Cajet. in Summa V. *Electio Prælati*, aliisque, qui ante Tridentinum scripserunt.

II. Rationes pro hac sententia videntur esse: Primo, quia Trid. sess. 7. c. 3. solum vult, quod Beneficia Ecclesiastica curam animarum habentia personis dignis conferantur: & Apostolus ad Tit. 1. solum exigit, Episcopum esse hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, quin exigat esse sanctiorem.

III. Secundo, quia universim Creatio Cardinalium, & electio Episcoporum commendatur, si cadat in personas dignas, quamvis non cadat in digniores; non posset autem commendari, si daretur obligatio eligendi digniores.

IV. Tertio, quia si daretur obligatio eligendi digniores ad Beneficia curata, sequeretur, quod etiam Resignans hujusmodi Beneficia deberet resignare digniori, ut vitentur peccata, quæ a Pastore minus digno non vitantur: Hanc tamen obligationem in Resignante non agnoscunt Cajet. Less., Mald., Sà, Salon., Regin. apud Dian. p. 2. tract. 15. res. 41. contra Vasq., Nav., & alios: ergo &c.

V. Quarto, etiam Patronus Laicus deberet digniorem præsentare; cum tamen multi apud Dian. l. cit. res. 37. putent sufficere, quod præsentetur idoneus; idque probant ex verbis Trid. sess. 24. c. 18., ubi dicit, quod præsentatus examinetur, & si reperiatur idoneus, admittatur; Esto communius cum Soto, Vasq., Less. doceant præsentandum esse digniorem.

VI. Quinto, si Beneficia curata deberent conferri digniori, ut saluti animarum, quoad ejus fieri potest, consulatur, deberent etiam Beneficia simplicia conferri digniori, ut dignitati Ecclesiæ, cui debent Beneficiarii inservire, consulatur; quod tamen, ut notat Guttierez apud Dia. res. 38., videtur esse contra praxim Ecclesiæ. Et ratio est, quia ista Beneficia non videntur ex natura rei esse bona communia, & decertantibus debita; cum ea sine concursu conferantur; sed esse Prælatis commissa, ut conferantur dignis, qui, licet non sint digniores, otiose, nec cum scandalo vivant, sed apte possint Ecclesiæ inservire. Esto Vasq., Bannez, & alii apud eundem Dian. ex D. Th. 2. 2. q. 63. censeant, universim acceptionem personarum committi in Beneficiis, atque adeo contra Justitiam distributivam peccari, si conferantur dignis, dignioribus prætermissis; præsertim si Beneficia simplicia sint magni momenti, ut Cardinalatus, Canonicatus, Decanatus.

VII. Demum, quia videtur onus grave, & anxietatibus, ac scrupulis plenum, eligere semper digniores; præsertim quia non debet censeri dignior, qui est sanctior, doctior, nobilior, sed qui est magis Ecclesiæ utilis, quod non facile citra passionem aliquam, & affectum erga personam judicari potest: ergo ea obligatio promovendi digniores ad Ecclesias gubernandas non videtur astruenda.

VIII. Ostenditur falsitas: Et primo quidem, quia cum Tridentinum verbis adeo gravibus inculcet necessitatem promovendi digniores ad curam Ecclesiarum, ac declaret alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, qui Digniores neglexerint, immerito aut detorquetur verbum illud *Digniores* ad aliud significandum contra intentum Concilii, aut limitatur hoc præceptum ad casum concursus. Similiter Innoc. III. in cap. unico tit. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, ait: *Non ex affectu carnali, sed discreto judicio debuisti Ecclesiasticum Beneficium in personam magis idoneam dispensare*. Et ratio ex D. Th. 2. 2. q. 63. est, quia si Dignior prætermittatur, habetur acceptio personarum, ac violatur in re gravi Justitia distributiva; cum Beneficia sint bona communia, & præmia meritorum, ut docent communiter cum Less., & Sanch. Præterea peccatur peccato scandali, quatenus providendo Ecclesias de personis dignis, omissis Dignioribus, pauciora peccata caventur: & ideo Trid. dicit peccatis aliorum communicare, qui digniores prætermittunt. Quibus adde, contra venerationem Ecclesiæ debitam peccari. Sicuti enim quilibet præstantiores famulos exquirit, qui in sua domo sibi deserviant: ita præstantiores Ministros debet ad inserviendum Ecclesiæ promovere, ut ejus honori, ac dignitati consulatur: Elector enim ad Beneficia est instar Oeconomi, ad quem spectat digniores reperire, qui Ecclesiæ deserviant, & in salutem animarum incumbant.

IX. Hinc sequitur, ut notat Lugo disp. 35. de Just. nu. 12., Tridentinum non imposuisse novam in hac re obligationem; sed explicasse antiquam, quæ oritur ex lege naturali. Verum quidem est, Trid. solum loqui de Episcopatibus, & Cardinalatibus, dum dicit eos conferendos esse dignioribus; quia tamen eadem est ratio de aliis Beneficiis, præsertim Curatis, necnon de Beneficiis Simplicibus, præsertim majoris momenti, ut sunt Canonicatus, Decanatus, &c. idcirco dicendum cum communiori peccari mortaliter, quoties digniores negliguntur; nisi parvitas materiæ excuset. Hinc Lugo, & alii censent, solum posse excusari a mortali collationem alicujus tenuis Beneficii simplicis, si fiat digno, omisso digniori, dummodo hoc idem raro admodum, & non frequenter fiat.

X. Notandum tamen, quod cum thesis proscripta confutet illam interpretationem verborum Tridentini loquentis solum de Episcopatu, non vero de aliis Beneficiis curatis, aut simplicibus, idcirco qui doceret, quod in aliis Beneficiis ab Episcopatu sufficiat promovere Dignos in conflictu Digniorum, non incurreret pœnas latas contra tuentes aliquam ex thesibus confixis. Verum si nequit a mortali excusari, qui promovet ad Episcopatum personam idoneam, omissa digniori, quomodo poterit a mortali excusari, qui promovet ad Prælaturam Regularem, aut ad aliud Beneficium Curatum personam dignam, omissa digniori, ac utiliori? cum sæpe magis ad salutem animarum conferat Prælatura Regularis, aut aliquod Beneficium Curatum distinctum ab Episcopatu, quam Episcopatus tenuis. Et quomodo excusari poterit ab acceptione personarum, qui quodcumque Beneficium sive curatum, sive simplex alicujus momenti confert minus digno, negligendo meritum dignioris, & bonum, quod ex præstantia Ministrorum in Ecclesiam redundat? Ex quibus fit, post hujus thesis proscriptionem non videri posse amplius sustineri sententiam illam Reginaldi docentis, eximi

Pon-

Pontificem, ac Reges ab abligatione promovendi digniores ad Episcopatum. Sententiæ vero illæ docentes, quod Resignans non teneatur digniori resignare, nec Patronus Laicus præsentare digniorem, & quod Beneficia simplicia universim non sint conferenda digniori, (quæ a multis DD. propugnantur, a multis etiam oppugnantur) spectata ratione ab intrinseco, non videntur rationabiles, ut videre est apud Lugo disp. 35. de Just. sect. 4.: quamvis spectata extrinseca auctoritate non possint dici improbabiles relate ad aliquos casus, quos alte perpendit idem Lugo loc. cit.

XI. Ad primam rationem in contrarium respondetur, Tridentinum, & Apostolum in iis locis præscindere a concursu dignorum cum dignioribus, & advertunt solum, præficiendos debere esse dignos, & Episcopum debere esse sobrium, justum, sanctum.

XII. Ad secundam; Commendari solet electio Cardinalium, & Episcoporum, si cadat in personas dignas, quia non facile constare potest an aliæ, quæ sunt excellentiores in pluribus dotibus, essent Ecclesiæ utiliores; quod si constaret, alias personas Ecclesiæ utiliores esse prætermissas, electio commendari non posset.

XIII. Ad tertiam: Idcirco ab iis Doctoribus negatur inesse Resignanti onus resignandi Beneficium Digniori, quia ille non est distributor Beneficiorum, sed alteri jus suum transfert, & idcirco non peccat contra Justitiam distributivam, omittendo digniores. Nihilominus censeo, quod alienis peccatis communicaret, ut loquitur Tridentinum, si promoveret ad Curatum Beneficium personam minus idoneam ad aliorum peccata præcavenda, licet dignam; Quicquid sit de probabilitate sententiæ oppositæ, quæ dicitur niti praxi recepta etiam ipsius Pontificis.

XIV. Ad quartam; Puto Patronum etiam Laicum debere digniorem præsentare, præsertim ad Beneficia Curata, cum eadem inconvenientia habeantur ex promotione minus digni, sive hæc promotio fiat immediate a Collatore, sive contingat ob præsentationem a Patrono factam.

XV. Ad quintam; Diximus etiam Beneficia simplicia conferenda esse dignioribus, tum ex vi justitiæ distributivæ, tum ob venerationem Ecclesiæ debitam, ut præstantiores Ministri ei dignius famulentur: quamvis in Beneficiis simplicibus levioris momenti excusare possit a mortali materiæ parvitas.

XVI. Ad ultimam; Argumentum probat nimis. probat enim, quod nunquam debeant Beneficia conferri dignioribus, ne in concursu quidem, eo quod arduum sæpe sit, quinam dignior, ac utilior Ecclesiæ futurus sit, dijudicare. Certe quidem Beneficia, cum conferantur primario in bonum Ecclesiæ, & secundario in præmium meritorum, conferenda sunt potius illi, qui censetur Ecclesiæ utilior: humano tamen modo id inquirendum, & judicandum, deponendo coram Domino passionem omnem, ac humanum affectum, solum inspiciendo Divinam Gloriam, & salutem animarum. Quando autem post præmissas debitas considerationes, ac preces coram Deo, adhuc res est dubia, tunc conferri poterunt alicui ex æque dignis ad arbitrium.

XVII. Hinc fit primo, quod si conferenda sint duo beneficia, alterum curatum, quod tenues habeat reditus, alterum simplex pinguius, & concurrant duo, quorum alter sit minus dignus, sed magis idoneus curæ animarum, alter dignior, sed minus utilis Ecclesiæ; tunc, ut notat Serra 2. 2. quæst. 63. art. 2. Beneficium curatum conferri debet illi minus digno, utpote magis idoneo, & Beneficium simplex huic digniori; cum hoc postulet zelus animarum, cui debent temporalia omnia subordinari.

Sequitur secundo, quod si concurrant ad Beneficium tres, nempe Dignior, Dignus, & Indignus, & major pars Electorum velit excludere digniorem, & nisi conferatur digno, eligere indignum, tunc licite potest eligi dignus, omisso digniore: cum hoc sit magis utile Ecclesiæ. Et eodem modo, ut notat Lugo disp. 35. de Just. num. 29., si concurrant tres, Dignus, Indignus, & Indignissimus, & major pars Electorum velit excludere dignum, & nisi eligatur indignus, potius eligent indignissimum, tunc probabiliter potest eligi indignus in bonum Ecclesiæ, quia dignus ille in tali casu perinde est, ac si non esset; unde potest, ac debet eligi minus indignus, ne eligatur indignissimus, quando fieri non potest, quod neuter eligatur. Ita etiam videtur sentire Less. apud eundem Lugo contra Sot., & alios putantes esse intrinsece malum eligere indignum; atque adeo in nullo casu licere, etiamsi id fiat ad pejora mala vitanda.

Sequitur tertio, posse eligi minus dignum, omisso digniore, quando minus dignus est magis utilis, vel quia est magis sedulus, vel quia magis expertus, vel quia est indigena, vel quia minus distinetur extraneis curis, vel aliis de causis.

Sequitur quarto, Ad Prælaturam Regularem eligendum esse sub mortali digniorem, & utiliorem, ut docent communissime apud Lugo dis.35. de Just. nu. 55. & apud Dian. p. 5. tr. 14. res. 12. contra Jo: Valerum, & Palaum, qui putant non militare eandem rationem in Episcopatu, aut alio Beneficio Curato, ac in Prælatura Regulari, eo quod hæc non sit perpetua, & facile possit occurri in commodis mutando Superiorem. Hæc tamen disparitas est nulla, quia si Superior est dignus, non debet, nec potest intra tempus præscriptum mutari: si vero non est dignior, non potest præcavere culpas eo modo, quo præcaveret dignior, & utilior regimini, & curæ animarum: unde eadem incommoda oriuntur in utroque casu, si eligatur dignus, omisso digniore; atque adeo in utroque casu peccant graviter Electores alienis culpis communicando.

Neque obstat, quod Prælatura Regularis non sit perpetua. Nam si licitum est hoc primo triennio eligere dignum omisso digniore, licebit alio etiam triennio, ac semper; & ideo semper haberetur Pastor minus idoneus ad oves pascendas, & ad culpas præcavendas; quod est culpa Electorum gravissima. Præterquamquod etiam peccatur contra Justitiam distributivam, acceptando personas in distributione istarum Prælaturarum, quæ licet a Religiosis expeti non debeant, nec sint institutæ per se in præmium meritorum, nihilominus Elector attendere etiam debet ad merita Religiosorum, quoties id fieri potest sine prejudicio publicæ utilitatis: cum ista etiam premia calcaria sæpe addant unicuique ad regularem observantiam: & scandalum sæpe suboriatur, si cæteris paribus negligatur dignior, ut dignus promoveatur; cum hoc sine acceptione personanarum fieri non contingat.

XVIII. Difficultas est, Utrum eligens dignum, omis-

omisso digniore, ad Beneficia, præsertim Curata, ita peccet & peccato scandali, & contra Justitiam distributivam, ut peccet etiam contra commutativam, & teneatur etiam ad restitutionem? Teneri ad restitutionem digniori, quando fit concursus, docent communiter, ut supra diximus, contra nonnullos; quia tunc peccatur etiam contra Justitiam commutativam: At si electio minus digni fiat extra concursum, tunc procul dubio facienda est restitutio, seu compensatio damnorum, quæ ex tali electione patitur Communitas; eo quod Elector teneatur ex proprio munere, atque adeo ex contractu, præcavere damna Communitatis, eligendo digniores ad regimen; unde peccat contra Justitiam commutativam adversus Communitatem eligendo minus dignos, & idcirco tenetur damna compensare. Utrum autem detur onus compensandi etiam damna ipsi digniori prætermisso, Cajet., Salon., Ledes., Aragon., Vasq. apud Lugo l. c. n. *76.* affirmant: Sed communius negant cum eodem Lugo, Suar., Less., Soto, Azor.: quia ex sola violatione Justitiæ commutativæ datur onus restituendi: quando autem eligitur dignus omisso digniore, non violatur justitia commutativa relate ad digniorem, quippe qui non habet jus ad bona propria Communitatis, cum hæc non sint destinata, ut particulares habeant ullum jus ad illa: ergo non datur obligatio compensandi damna digniori prætermisso.

XIX. Hinc si quis suo pravo consilio, aut auctoritate inducat Electores ad prætermittendum digniorem, neque tenebitur huic damna compensare; sicut non tenetur compensare damna pauperi, qui pravo consilio inducit divitem ad ei denegandum eleemosynam, cum pauper non habeat jus ad illam; Contra vero qui mendaciis, fraudibus, minis, ac malis artibus inducit Electores ad prætermittendum digniorem, tenetur huic damna compensare; sicut tenetur compensare damna pauperi, qui malis artibus inducit divitem ad negandam illi stipem; quia unusquisque habet jus, ne malis artibus impediatur sibi lucrum, quod potest obtinere ex alterius arbitrio; ac proinde violaretur in hoc casu Justitia commutativa, non quia læditur jus, quod habeat dignior ad Beneficium Ecclesiasticum, aut pauper ad eleemosynam, sed quia læditur jus, quod uterque habet, ne malis artibus impediatur a consecutione talis boni.

PROPOSITIO XLVIII.

Tam clarum videtur, fornicationem secundum se nullam involvere malitiam, & solum esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur.

PROPOSITIO XLIX.

Mollities jure naturæ prohibita non est: Unde si Deus eam non interdixisset, sæpe esset bona, & aliquando obligatoria sub mortali.

SYNOPSIS.

I. Falsum est ad praxim non pertinere, num hæc prohibita sint, quia mala; an vero mala sint, quia prohibita. II. Quænam dicantur actiones ab intrinseco malæ, & ex nulla circumstantia cohonestabiles? III. Putarunt nonnulli, fornicationem, & mollitiem cohonestari posse; sicut cohonestatur occisio innocentis, si fiat in defensionem, aut Deo præcipiente. IV. Fornicatio neque fornicanti videtur mala, neque ipsi proli. V. Immo potius huic videtur benefica. VI. Pariter mollities poterit esse proficua; Sicut effusio sanguinis, aut lactis. VII. Ad vitam conservandam potest prægnans sumere pharmacum expulsivum fœtus inanimis; quidni pariter poterit effundi semen, quando ex illo mors imminet? VIII. Vitæ invasor potest in defensionem interfici, cur non etiam expellit semen morbosum, ubi vitam invadit? IX. At ex Apostolo multifariam ostenditur fornicationem esse jure naturæ prohibitam. X. Ea non solum facit Templum Dei esse corpus meretricis, ac rationem sensui subordinat, sed etiam vergit in nocumentum tum vitæ, tum consonæ educationis prolis. XI. Mollities pariter bono totius generis humani adversatur, facitque rationem sensui obtemperare; unde nullatenus est cohonestabilis. XII. Fornicatio est mala tum relate ad vitam, & educationem prolis, tum etiam relate ad ipsum fornicantem, mentis aciem hebetando, & avocando animam a cœlestibus. XIII. Mollities est humano generi contumeliosa, subditque sensui rationem; quod non habetur per profusionem sanguinis, vel lactis, aut per brachii amputationem; & ideo hæc licent ad vitam conservandam, non illa. XIV. Nec hujusmodi inconveniens sequitur ex expulsione fœtus inanimis. XV. Actus conjugalis ex Divina Providentia, & ex sua natura non subordinat sensui rationem, ut fornicatio, & mollities. XVI. Cohonestatur quidem homicidium ex Divino præcepto, non tamen mollities, aut fornicatio. XVII. Nequit Deus ratione supremi dominii hujusmodi actiones præcipere, & efficere, quod licite fiant. XVIII. Hinc multa ad praxim deducuntur.

I. EXponitur. Utraque propositio adscribitur Caram., qui l. 4. Theologiæ Intentionalis n. *1690.* habet: *Si Deus fornicationem non interdixisset, non esset mala, nec peccatum*: & num. *1965.* *Si Deus mollitiem non interdixisset, non esset mala, sæpe esset bona, & aliquando per accidens obligatoria sub peccato mortali*: Additque, quæstionem hanc, Utrum jure naturali, an positivo Fornicatio, & Mollities interdicantur, esse mere speculativam, & ad praxim non pertinere, cum citra controversiam sit, eas esse de facto illicitas, & graviter peccaminosas, testante Apost. 1. ad Cor. *6.* *Neque fornicarii, neque molles Regnum Dei possidebunt.*

Falsissimum tamen est, id ad praxim non pertinere; tum quia peccata, quæ juri naturæ adversantur, secundum se graviora sunt peccatis, quæ adversantur juri positivo: propterea aliud esset judicium Confessarii, si hæc peccata essent solum mala, quia prohibita, quam si sint prohibita, quia mala: Tum etiam quia si Mollities non esset intrinsece mala, ea non solum liceret, sed ad illam obligaremur, quando esset necessaria ad vitam conservandam; sicut obligamur in tali casu ad comedendas v. g. carnes diebus vetitis, eo quod concurrentibus præcepto positivo comestionis carnium prohibitivo, & præcepto naturali conservandi vitam, prævaleat, & fortius obliget præceptum naturale. Valde itaque ad praxim conferet nosse, quæ peccata mala sint, quia prohibita, quænam prohibita, quia mala. Illud solum ad quæstionem speculativam spectat. Num ea, quæ sunt mala ab intrinse-

co,

cò, formaliter habeant rationem peccati, seu mali moraliter, ac inhonesti, per oppositionem cum lege prohibente, an vero per disconvenientiam cum natura rationali? Qua in re communius docent, per disconvenientiam cum natura rationali esse tantum fundamentaliter peccata, & habere solum prohibenditatem, seu exigentiam, ut prohibeantur; formalem vero peccati rationem habere per violationem legis prohibentis, ut proinde carerent malitia formali, si non prohiberentur, sive possibile sit ea positive non prohiberi a Deo, sive impossibile; quod verius censeo cum Suar. lib. 2. de Leg. c. 6. contra Okamum, & alios; Quinimmo arbitror esse metaphysice, nedum moraliter, impossibile, quod homo Deum, saltem ut supremum Legislatorem, ignoret, aut de illo actu non cogitet, dum ponit operationem, quam advertit esse naturæ rationali disconvenientem, ut idcirco repugnet peccatum mortale esse mere Philosophicum, & non etiam Theologicum, seu transgressivum Divinæ legis, atque adeo Dei offensam, vi cujus Divina amicitia rescindatur, & contrahatur gehennæ reatus, ut dicemus exponendo secundam ex duabus illis thesibus ab Alex. VIII. proscriptis 24. Aug. *1690*.

II. Quod autem attinet ad actiones intrinsece malas, advertendum, aliquas esse simpliciter malas in quacumque circumstantia, ut odium Dei, blasphemia, mendacium, peccatum contra naturam, ut proinde communissime doceant contra nonnullos, qui male audiunt in Theologia, apud Suar. l. c. c. 15., ea a Deo præcipi non posse, nec posse ullatenus Deum in præceptis primæ Tabulæ dispensare: Aliæ tamen actiones ita sunt intrinsece malæ, ut possint ex circumstantia aliqua cohonestari, ut homicidium, quod licitum est in defensionem, aut si a Deo Domino vitæ præcipiatur, sicut fuit Abrahæ præceptum. Sic etiam licite Osee sumpsit sibi mulierem fornicariam, prout illi præceptum fuit; & licite filii Israel expoliaverunt Ægyptios, prout concesserat Deus: Ex quibus nonnulli docuerunt apud eumdem Suar. posse Deum in præceptis secundæ Tabulæ dispensare. Verius tamen dicendum cum eodem Suario, Deum neque in secundæ Tabulæ præceptis formaliter sumptis dispensare posse: v. g. non potest dispensare in furto retinente rationem furti, seu acceptionis rei alienæ invito Domino; quamvis ratione supremi Dominii efficere possit, quod aliqua actio desinat esse materia horum præceptorum. Sicut enim quando Dominus equi permittit, quod equum suum accipias, ex hac circumstantia acceptio illius equi non est amplius furtum, cum non sit invito Domino: ita quando Deus supremus Dominus permisit Israelitis, quod expoliarent Ægyptios, non dispensavit in lege non furandi, sed solum mutavit materiam furti, apponendo circumstantiam illam sui consensus, ratione cujus illa operatio non posset dici furtum, eo quod non esset invito supremo Domino. Sic non dispensavit in lege non fornicandi cum Osee, sed effecit mulierem illam ejus conjugem, dando Osee jus in corpus illius, tamquam supremus omnium Dominus; Nec dispensavit cum Abraham in lege non occidendi, sed dedit Abrahæ jus in vitam Isaaci, tamquam Supremus Dominus vitæ. Propterea in his casibus proprie non dispensavit in præceptis naturalibus; (ut non dispensat Deus in lege naturali de servando voto, quando ejus obligationem remittit, solusque Pontifex dicitur proprie in voto dispensare, quippe qui interveniente duntaxat legitima causa potest obligationem relaxare) sed tantum, ut loquitur Suarius, voluit ratione Supremi Dominii præter leges ordinariæ providentiæ operari in iis actionibus, quæ possunt auctoritate Dei præcipientis cohonestari.

III. Difficultas tamen hic esse potest, An sicut homicidium v. gr. cohonestari potest ex eo, quod fiat in defensionem, aut Deo præcipiente; ita Fornicatio, & Mollities cohonestari similiter possint, aut si fiant, quando necessaria sunt ad vitam conservandam, aut si fiant, Deo præcipiente?

IV. Quod fornicatio de se non sit mala, nisi a Deo prohibeatur, atque adeo quod ex Divino præcepto cohonestari possit, ex eo nititur ostendere Cafam. l. c. cum Durand. in 4. dist. 3. Martino de Magistris q. 3. de Luxuria apud Tamb. lib. 7. c. 1. §. 2., quia ea neque est mala ipsi fornicanti, cum possit aliquando illi esse salubris; neque est mala proli, cum fornicatio de se tendat ad dandam vitam proli; quare sicut homicida est alteri injurius, quia vitam adimit, ita fornicarius est proli beneficus, quia vitam illi tribuit. Neque demum dici potest, quod fornicatio sit proli mala moraliter, si minus physice, quatenus tendit ad ponendam prolem sine convenienti deinde educatione ob incertitudinem parentum. Nam primo non videtur, quomodo injuria illa irrogari possit proli nondum existenti; cum enim actu sit nihil, nequit jus ullum habere ad convenientem educationem: Deinde potest sæpe provideri de apta educatione filiis illegitimis, præsertim Principum, multo magis, quam filiis legitimis pauperum.

V. Confirmatur; quia ex August. melius est esse miserum, immo & damnatum, quam non esse: nam l. 3. de Lib. Arb. c. 6. habet: *Si quis dixerit, non esse, quam miserum me esse mallem, respondebo, Mentiris*. Et ratio est, quia miser participat aliquatenus, nempe physice, Divinam bonitatem, quam non participat, qui non existit: ergo proli melius est esse sine convenienti educatione, quam non esse: atque adeo fornicatio est magis benefica proli per hoc, quod illi det esse, quam sit nociva per hoc, quod illam facile privet debita educatione; unde nequit dici mala proli.

VI. Quod spectat ad Mollitiem, pudet me de his immunditiis, ac nefandis sceleribus verba facere. Verum ut Decretum Pontificium in bono lumine collocetur, expono quæ a Caramuele congeruntur ad probandum illam non esse malam, nisi quia est prohibita, & quod posset aliquando esse bona, immo & obligatoria, nisi esset interdicta. Mollities, inquit Caramuel, non est aliud, nisi effusio portionis alicujus aliquando superfluæ; & aliquando etiam nocivæ homini, sive ea sit sudor, sive spuma, sive lac, sive sanguis, sive aliud juxta varias philosophorum opiniones: effusio autem ista non videtur quomodo dici possit de se mala, nisi esset prohibita: ergo mollities, nisi esset interdicta, non esset mala. Minor probatur: intantum ea effusio esset mala, inquantum esset dispersio alicujus substantiæ ordinatæ ad hominis generationem, ut proinde Molles dici soleant homicidæ, eo quod vitam homini impediant, si minus adimant: atqui ex hoc nequit dici mala, præsertim quando ipsi effundenti est proficua; sicut effusio lactis ordinati ad nutritionem prolis, & effusio sanguinis ordinati ad conservationem propriæ vitæ non est de se mala, præsertim

quando ea effusio est salubris: ergo effusio illa spectans ad mollitiem nequit dici de se mala: Immo videtur posse esse sub mortali obligatoria, quando ad vitam conservandam judicio Medicorum esset præcise necessaria.

VII. Confirmatur ex eodem Caramuele: quia ad vitam conservandam potest prægnans sumere pharmacum expulsivum foetus inanimis, juxta sententiam, quam Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 20. n. 10. vocat communissimam contra nonnullos, ut diximus supra in expositione propositionis 34.; sicut licitum est amputare brachium, quando aliter imminet mors: ergo a fortiori licita secundum se videtur mollities, quando nisi expellatur portio illa aut superflua, aut morbosa, imminet mors; ea enim magis remote se habet ad prolis generationem, quam embryo inanimis.

Neque obstat, quod in mollitie habeatur delectatio, quæ avocat animum a cœlestibus, ac mentem absorbet, ita ut per illam ratio sensui subjiciatur. Nam hoc evinceret, etiam actum Conjugalem esse ex natura sua malum, & simpliciter illicitum, cum pariter in eo ejusdem indolis insit delectatio. Quare videtur fornicatio, & mollities nullam involvere de se malitiam, & de facto esse mala, quia interdicta.

VIII. Denique, quamvis homicidium sit intrinsece malum, nihilominus licitum est cum moderamine inculpatæ tutelæ alium occidere in sui defensionem, necnon si Deus illud præcipiat, prout præcepit Abrahæ interfectionem Isaaci: ergo saltem licita etiam erit pariter mollities, si ea ad vitæ conservationem sit unice necessaria, aut si a Deo præcipiatur. Unde sit, non esse jure naturæ simpliciter, & pro omnibus circumstantiis interdictam; ac proinde poterit esse aliquando obligatoria sub mortali.

IX. Ostenditur falsitas primo ex Apostolo, qui 1. ad Cor. 6., ut notat Angelicus, multis rationibus fornicationem improbat, ostendendo ejus deformitatem independenter ab extrinseco præcepto; dicit enim Apost. *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* D. Th. 2. 2. q. 154. art. 3. ad 2. addit: *Qui fornicatur, dicitur peccare in corpus suum, non solum quia fornicationis delectatio consummatur in carne, quod etiam in gula accidit, sed etiam quia contra bonum proprii corporis agit, inquantum indebite resolvit illud, & inquinat, & alteri commiscet.* Et in eodem Commentario Angelicus laudans August. habet: *Vel aliter secundum Augustinum hic in glossa, Qui fornicatur, in corpus suum peccat, quia anima ejus totaliter carni in illo actu subjicitur, ita quod non possit aliud ibi cogitare: Unde in Psalmis dicitur, Nolite fieri sicut Equus, & Mulus, quibus non est intellectus.* Aliam addit rationem Apostolus dicendo, quod fornicator Templum Dei facit esse Corpus meretricis. Addit tertio, fornicationem impedire futuram resurrectionem dicendo: *Corpus autem non fornicationi, sed Domino, & Dominus Corpori; Deus vero & Dominus suscitavit, & nos suscitabit per virtutem suam.* Ubi Angelicus infert his verbis: *Unde patet, quod non est utendum corpore ad fornicationem, quæ impedit futuram incorruptionem, secundum illud Galat. ult. Qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem.* Urget Apostolus dicendo; *An nescitis, quia membra vestra Templum sunt Spiritus S. qui in vobis est, quem habetis a Deo, & non estis vestri? Empti enim estis pretio magno; glorificate, & portate Deum in corpore vestro:* Ubi notat Angelicus quartam rationem addi ab Apostolo ad ostendendam deformitatem fornicationis, eamque desumi ex dignitate corporis nostri, quam habet tum ex gratia Spiritus S., tum ex redemptione Sanguinis Christi. Constat igitur ex tot Apostoli validissimis ratiocinationibus, fornicationem esse ab intrinseco malam, & non ab extrinseco Dei præcepto, ut est comestio carnis v. gr. die Veneris; qua de causa nullatenus potuit ea permitti. Hinc in Director. Inquis. p. 2. q. 4. n. 11. inter errores Rabbi Moysis ponitur hic, quod fornicatio non sit jure naturæ mala, sed ex jure positivo, adeo ut ante legem datam licita esset fornicatio.

X. Ratio ulterior ex Angelico l. c. est, quia fornicatio fert inordinationem, quæ vergit in nocumentum vitæ ejus, qui ex tali concubitu nasciturus est; quando enim concubitus est vagus, & proles est incerta, parum solliciti sunt parentes de vita prolis. Fert etiam fornicatio inordinationem, quæ vergit in nocumentum educationis consonæ proli, quia parentes essent incerti, si concubitus vagus liceret; quod bono totius generis humani valde repugnat; & ideo jure naturæ debuit fornicatio prohiberi.

XI. Pariter Mollities bono totius generis humani repugnat per hoc, quod disperdatur id, quod est ordinatum ad hominis generationem; & si ea liceret, pauci onera matrimonii subirent. Præterquamquod ea pariter, non secus ac fornicatio, aciem intellectus hebetat, animum a Cœlestibus avocat, facitque rationem sensui obtemperare: ergo pariter jure naturæ debuit interdici. D. Th. 2. 2. quæst. 153. art. 5. fuse ostendit, quod per luxuriæ vitium appetitus inferior, scil. concupiscibilis, vehementer intendatur erga suum objectum, scil. delectabile, propter vehementiam passionis, & delectationis, & idcirco vires superiores ad rationem, & voluntatem spectantes deordinentur in actibus suis, ut proinde ex luxuriæ vitiis sequatur cæcitas mentis, inconsideratio, præcipitatio, inconstantia, amor sui, tædium Dei, affectus præsentis sæculi, horror, vel desperatio futuri: Quomodo itaque non debuere omnes luxuriæ filiæ, quas Greg. lib. 31. Moralium enumerat, jure naturæ interdici? Quod autem hæc incommoda ex actu Conjugali non promanent, ostendit tum experientia, tum communis Patrum, & DD. sensus, tum ratio; quia scil. Deus auctor Conjugii debuit sua providentia efficere, ne ex voluptate conjugali pravi effectus orirentur; quod præstat conferendo ad id sua auxilia præsertim per matrimonii Sacramentum, quibus amor conjugalis intra limites virtutis facile contineri possit.

XII. Ad rationes in contrarium adductas facile respondetur. Et quod attinet ad fornicationem, dicendum, eam esse malam, & primo quidem ipsis fornicariis, ut constat ex verbis laudatis Apostoli; tum quia fornicator peccat in corpus suum, illud coinquinando, ac reddendo ex Templo Christi corpus meretricis: tum quia per fornicationem mentis acies hebetatur, atque advertentia rationis obstruitur, & pars superior inferiori subjicitur. Præterea fornicatio est etiam mala proli, tum quia ejus vitæ nocumentum præbet, tum etiam quia debitam educationem de se impedit. Ex eo autem quod proles nondum existat, non proinde sit, quod non peccetur contra Charitatem, impediendo, ne apte in lucem edatur. Et quamvis aliquando possit provideri, ne male proles educetur, id tamen, ut notat Angelicus, est per accidens; unde debuit fornicatio universim jure naturæ prohiberi.

Neque

Neque dicas, quod ficut lex naturalis de correctione fraterna e. g. ceffat obligare, fi non fperetur emendatio, eo quod ceffet tunc ejus finis; ita lex prohibitiva fornicationis ob malam prolis educationem ceffare poffit, quando præcavetur hoc malum.

Nam primo non ceffat finis adæquatus hujus legis, fi hoc malum præcaveatur, cum multis aliis de caufis prohibeatur fornicatio, ut oftendimus: ubi e contra ceffat finis adæquatus correctionis, fi non fperetur emendatio. Deinde quamvis ceffaret hic & nunc mala prolis educatio, nunquam tamen ceffat periculum de mala prolis educatione; atque adeo nunquam ceffat ea lex obligare: univerfim enim quoties lex fundatur non in præfumptione mali; fed in præfumptione periculi de malo, quod timetur, quamvis hic & nunc ceffet malum, non per hoc ceffat lex obligare, fi non ceffat ejus mali periculum, ut fufe diximus ex Suar. in expofitione propofitionis ultimæ Alex. VII. Ad Confirmationem: Chriftus D. de Juda dixit Matth. 26. *Bonum erat illi, fi natus non fuiffet homo ille*: Ut dictum Chrifti D. concordet cum eo dicto Auguftini, varii varia apud Ruiz de prædeft. difp. 17. fect. 2. Facile concordatur dicendo, Chriftum D. velle, quod damnato fit eligibilius practice non effe potius, quam effe miferum; Auguftinus vero vult, quod fpeculative fit minus malum effe miferum, quam non effe; ficut communiter dicimus, quod fpeculative, & ratione fui præftet mufca, utpote vivens, Soli; non tamen practice, & relate ad utilitatem noftram, ita, ut mufca fit eligibilior, quam Sol. Concordari etiam poteft dicendo, quod Auguftinus ibi loquatur de miferia hujus vitæ, cui fuccedere poffit beatitudo æterna, non vero de miferia æterna damnatorum: quare præeligibilius, & optabilius eft proli non fuiffe, quam fine debita educatione effe, & cum periculo decedendi fine baptifmo, aut cum æterna damnatione; idcirco fornicatio, quæ in hæc difcrimina prolem impingit, eft illi noxia.

XIII. Ad id, quod dicitur de luxuria contra naturam, nempe de mollitie, quicquid fit, num fubftantia, quæ profunditur, fit fanguis, aut lac, an aliud? certum apud omnes eft, illam immediate ad generationem hominis defervire; ergo hujufmodi profufio eft humano generi contumeliofa; præfertim quia fubdit etiam fenfui rationem. Valde tamen intereft inter profufionem illius fubftantiæ, ac profufionem fanguinis, vel lactis; tum quia profufio fanguinis, vel lactis non eft contra bonum fpeciei humanæ, ficut eft profufio feminis; tum etiam quia feminis profufio mentem abforbet, & rationem fenfui fubordinat: contra vero profufio fanguinis, aut amputatio brachii fit potius cum dolore, quam cum delectatione vehementi; unde fola feminis profufio jure naturæ eft interdicta, adeo ut natura ipfa ab ea abhorreat.

Hinc quamvis poffit aliquando effe falubris, non per hoc licite exercetur; tum quia non poffumus propriæ vitæ confulere in grave præjudicium boni communis; tum etiam quia quod eft intrinfece malum, etiamfi leve fit, ut mendacium v. g. officiofum, ne pro vita quidem tuenda poni poteft; tum demum quia vehemens illa delectatio eos pravos affectus parit in intellectu, & voluntate, ut potius mortem fubire debeamus, quam iis affectibus coinquinari.

XIV. Ad confirmationem recurrit eadem refponfio: Embryo inanimis, quando fe habet ut invafor vitæ prægnantis, poteft cum moderamine inculpatæ tutelæ pharmaco expelli; Sicut brachium amputari ad vitam confervandam: At non proinde poteft femen expelli, quamvis effet aliquando vitæ invafor; tum quia propter delectationem illam, quæ mentem abforbet, redditur id pro quacumque circumftantia illicitum; tum etiam quia, nifi fœtus inanimis expellatur, prægnans moritur, & embryo vitam habere non poteft: unde communi bono, & propagationi fpeciei confonum eft, fœtum inanimem expellere, ut vivat mater, quæ alios poffit procreare. Verum nifi femen expellatur, non idcirco homo moritur, cum poffit emiffione fanguinis, aut aliis pharmacis damno occurrere, quod timetur ex ea feminis abundantia.

XV. Ad id, quod additur, videlicet neque debere effe licitum actum conjugalem, fi ea delectatio rationem fenfui fubordinat, diximus actum conjugalem inftitutum ab Auctore naturæ ad prolis propagationem de fe nullum parere pravum effectum, eo quod ad providentiam Dei fpectet ea auxilia fubminiftrare, quibus facile poffit fine ulla deordinatione actus ille exerceri.

XVI. Ad ultimum: Ex eo quod liceat homicidium in defenfionem propriæ vitæ, aut quando a Deo præcipitur, non fequitur quod poffit etiam mollities licere, aut a Deo præcipi. Ratio eft, quia, ut notat Suar. l. c., univerfim quoties aliqua actio fecundum fe præfert turpitudinem, & diffonantiam cum recta ratione, fed fub aliquibus circumftantiis eft dictamini rationis confona, toties fub his circumftantiis eft licita, & poteft effe obligatoria: Contra vero fi fub nulla circumftantia aliqua operatio eft juxta dictamen rationis, nunquam poteft licere, aut præcipi. Hinc quia juxta dictamen rationis eft, ut præferatur vita propria vitæ alienæ, & quod poffit Deus Dominus vitæ difponere de vita hominum, idcirco occifio innocentis, quæ fecundum fe diffonat rationi, fub his circumftantiis, quod fiat in defenfionem, aut ad obtemperandum Deo illam præcipienti, eft aperte licita, & honefta. Sic Ofeæ licitum fuit affumere fibi eam, quæ prius fuerat fornicaria; quia, ut notat Auguft. 22. contra Fauftum, Irenæus, Hieron., illam fumpfit fibi non ad ufum tantum, fede tiam in matrimonium, & in conjugem; unde copula cum illa, quæ ex fe erat fornicaria, & illicita, fub ea circumftantia, quod Deus Supremus Dominus dederit jus in corpus illius, perinde ac conceditur a confenfu mutuo matrimoniali, defiit effe fornicaria, & evafit conjugalis, ac licicita. Eodem modo furreptio bonorum facta ab Ifraelitis, quando Ægyptios jubente Deo Supremo Domino expoliarunt, evafit licita; Sicut licite reus occiditur a Judice, aut ab ejus Miniftro: In nulla tamen circumftantia eft juxta dictamen rationis fornicatio fub conceptu formali fornicationis, nec furtum, aut homicidium fub proprio formali conceptu; unde hujufmodi operationes materialiter fumptæ poffunt aliquando licere, aut præcipi, non vero fumptæ formaliter; & ideo Deus in his præceptis fecundæ tabulæ formaliter fumptis difpenfare nullatenus poteft; quamvis poffit eas actiones materiales præcipere, mutando materiam præceptorum naturalium, non difpenfando in illis.

XVII. Quando tamen actio aliqua in nulla circumftantia eft juxta dictamen rationis, ut odium Dei, blafphemia, perjurium, mendacium, tunc non

folum

solum Deus nequit in præceptis naturalibus, a quibus istæ actiones prohibentur, dispensare, sed neque poterit illas actiones materialiter sumptas permittere, ut licite fiant, aut præcipere; hujusmodi autem est mollities, & quodvis peccatum luxuriæ contra naturam: Rationi enim dissonat, ut ostendimus, quod per illas ratio subjiciatur sensui, & in præjudicium totius generis humani disperdatur semen, quod est institutum ad propagationem speciei humanæ, etiamsi id fieret ad propriæ vitæ conservationem: ergo non solum nequit in iis Deus dispensare, sed neque poterit ratione supremi dominii efficere, ut licite fiant; Sicut nequit ratione supremi dominii efficere, ut quis licite pejeret, aut blasphemet.

XVIII. Ex quibus sequitur primo, quod sicut nemo potest complacere sibi de blasphemiis in somno, aut ebrietate prolatis, aut de parricidio, ut constat ex propositione 15. Innoc. XI., ita nec de solutione naturæ, quam in somnis passus est; quia scilicet complacentia de objecto in se turpi est complacentia de parricidio in somnis patrato, quando ea habetur ob motivum præponderans, v. g. si ex eo parricidio ingens bonum spirituale emergat, aut Religioni Catholicæ, aut ipsi filiæ, quæ v. g. ad peccandum a Patre passim incitabatur. Ita licita erit complacentia de pollutione in somnis ob motivum præponderans, (dummodo ea fit absque ulla delectatione sensibili) puta ob immunitatem a vexatione tentationum, & ex D. Th. etiam ob motivum valetudinis, quæ ad Deo inserviendum confert.

Sequitur secundo, quod neque liceat conspurcationem istam in somnis habendam desiderare, nisi forte ob motivum præponderans sedandi tentationes carnis, aut levandi naturam, ut docent Navar., Vasq., & alii apud Tamb. l. 7. c. 7. §. 11. dummodo tamen desiderium sit simplex, & inefficax; nam si notabiliter in pollutionem influeret, non excusaretur a mortali.

Sequitur tertio, quod a fortiori nec liceat illam, ut in somnis accidat, procurare: sicuti enim licite possumus v. g. ob finem bonum desiderare mortem hominis scandalosi, non tamen possumus illam procurare; ita possumus ob motivum præponderans desiderare inefficaciter conspurcationem in somnis, quin tamen possimus illam procurare. Quare non possumus v.g. comedere res calidas in eum finem, aut tali situ cubare in lecto, ut ea facilius accidat; poterit tamen homo, saltem citra mortale, res calidas comedere, aut tali situ cubare, quamvis prævideat eam secuturam, dummodo eas actiones non exerceat ad finem hunc, nec sit periculum consensus, ut docent Sotus, & Toletus apud eundem Tamb., quia scilicet hujusmodi actiones non sunt notabiliter in pollutionem influentes; unde esset grave onus, si iis teneremur sub gravi abstinere. Sicut enim non tenemur abstinere ab operationibus de se bonis, ut sunt audire confessiones, studio de turpibus vacare ad docendum, loqui honeste cum muliere &c., quamvis prævideatur pollutio citra periculum consensus secutura; ita nec tenemur abstinere ab actionibus indifferentibus, quæ notabiliter in pollutionem non influunt. Tenemur tamen sub gravi causam pollutionis removere, si ea notabiliter influat in genere luxuriæ; sub levi vero, si ea in genere luxuriæ non influat notabiliter; nisi forte aliquando necessitas excuset, ut in Chirurgo, & similibus. Dicuntur autem causæ pollutionis notabiliter in illam influere in genere luxuriæ e. g. oscula, tactus, cogitationes valde excitativæ spirituum ad generationem deservientium: leviter vero dicuntur influere tactus v. g. levis manus ex vanitate, & joco, lectio vana, & curiosa turpium, verba mollia ad conciliandum vanum, sed non libidinosum amorem, potus vini, & similia, de quibus Tamb. l. 4. c. 3. §. 5.

PROPOSITIO L.

Copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium: adeoque sufficit in confessione dicere se esse fornicatum.

SYNOPSIS.

I. Malitia adulterii non explicatur sufficienter in Confessione dicendo prius, Commisi fornicationem, ac deinde post alia interjecta peccata addendo; Intuli cuidam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante; præsertim quia injuria illata non explicatur in sua specie infima. II. Quod copula cum conjugata, consentiente marito, non contineat injustitiam, nec habeat rationem adulterii, ex eo videtur suaderi posse, quia scienti, & volenti non fit injuria. III. Sicut defloratio virginis non est stuprum, si fiat ipsa consentiente; ita copula cum conjugata non est adulterium, si fiat annuente marito. IV. Non facile probatur, quod consensus hic mariti sit irritus; unde injustitia non declinatur. V. Neque quod copula cum conjugata habeat rationem sacrilegii relate ad Sacramentum Matrimonii, ut proinde non sufficiat in Confessione dicere, Commisi fornicationem, si copula fuerit cum conjugata, marito consentiente. VI. Verum præscindendo ab hac tertia malitia, (quæ non intervenit, quando copula habetur cum conjugata infideli) duplex in adulterio malitia continetur, altera contra castitatem, altera contra humanæ generationis bonum: & neutra cessat per consensum mariti in talem copulam. VII. Injuria per adulterium irrogata potius est adversus prolem, quam adversus maritum, qui bono prolis cedere non potest. VIII. Sicut homo invalide consentit, ut sibi membra abscindantur, & Religiosus, ut pallium, quo utitur, surripiatur, ita invalide maritus consentit in copulam proli injuriosam.

IX. Maritus non habet jus in uxorem, sicut habet jus in domum suam, ita ut possit de illa disponere; Sed habet jus in illam, sicut Religiosus in pallium, & homo in sua membra, ita scilicet ut possit ea duntaxat uti. X. Probabiliter per adulterium infertur solum injuria marito, inquantum maritus est, seu inquantum debet consulere bono prolis, non inquantum est persona privata; Unde fit, non esse explicandum in Confessione, ubi maritus in adulterium suæ uxoris consenserit.

XI. Probabiliter etiam irreverentia, quæ Sacramento Matrimonii per adulterium irrogatur, est solum circumstantia aggravans; unde nec est in confessione explicandum, num adulterium fuerit cum Infideli.

XII. Tunc scienti, & volenti non fit injuria, quando consensus non est irritus. XIII. Defloratio virginis, si ipsa consentiat, est solum simplex fornicatio, quia probabiliter virgo non est solum Custos, sed etiam Domina sui claustri; unde consensus non est irritus.

XIV. Consensus mariti redditur a lege Matrimonii.

XV. Si Adulterium fit inter conjugatum, & conjugatam, duplex habetur adulterii malitia in confessione

ne

ne explicanda; Idem dicas, si uterque habeat votum castitatis. XVI. Sicut etiam explicandum, num adulter tantum sit conjugatus, an sola mulier. Diversa quippe habetur malitia, quando conjugatus violat Matrimonium suum, & quando solutus inducit mulierem ad violandum suum Matrimonium. Ac pariformiter si alter tantum habeat votum castitatis, explicare debet pœnitens, num ipse violaverit votum suum, an vero procuraverit, quod alter suum votum violaret.

I. Exponitur. Neoterici Casuistæ, ut notat Gonetus n. 120. de Probabilitate, duplicem agnoscentes in Adulterio malitiam, alteram contra Castitatem, alteram contra Justitiam, hanc erroneam thesim intulerunt, quod scilicet malitia injustitiæ desit, si maritus consentiat in copulam suæ uxoris cum socio criminis, unde tunc satis sit in Confessione fornicationem explicare. Alii vero, quos, cum citato Illustr. Fr. Angelo Manrique Episcopo Pacensi, sequitur Caram. in Theol. Fundament. Fund. 35. c. 3. nu. 537. hunc alium errorem intulerunt, quod possit adulterium in Confessione explicari dicendo prius, Commisi simplicem fornicationem, ac deinde post alia interjecta peccata addendo, Intuli cuidam gravem injuriam, tertia quadam persona cooperante. Falsitas hujus secundi erroris est manifesta, quia injuria adulterii est specie diversa ab injuria Homicidii, Detractionis, Furti &c., unde non satis est dicere, intuli injuriam gravem alteri, tertia quadam persona cooperante, quia explicaretur solum in genere injuria, & non in sua specie infima, ut debet explicari: Quicquid sit, an circumstantia peccati posset ut novum peccatum explicari, quando sic secundum ultimam suam speciem sufficienter explicaretur. Negant enim communius id licere in prima Confessione cum Lugo disp. 16. de Pœnit. num. 652. contra Suar. d. 22. sect. 2. quia pro uno individuo peccato ad duplicem speciem moralem pertinente subrogaretur duplex numero peccatum, quod non esset confiteri peccatum commissum, sed alia non commissa; solumque videtur admittendum, quando in prima Confessione explicata est una malitia peccati, & omissa est ex oblivione alia malitia ejusdem: tunc enim videtur sufficere, quod in secunda Confessione hæc posterior duntaxat malitia explicetur, perinde ac si esset peccatum distinctum physice ab illo, ut docent non pauci apud Lugo loc. cit. & Dian. p. 1. tract. 7. resol. 45.; v. gr. si quis habens votum castitatis confiteatur solum fornicationem, omissa ex oblivione circumstantia Sacrilegii, poterit deinde in alia confessione dicere, Violavi votum in gravi.

II. Quod attinet ad priorem erroneam illationem, quæ spectat ad hanc thesim proscriptam, Fundamentum videtur esse, quia *Scienti, & volenti non fit injuria*, ut dicitur in Reg. 27. Jur. in 6.; ergo marito consentienti in copulam uxoris cum socio criminis non fit injuria; atque adeo cessat in eo crimine malitia injustitiæ, unde solum remanet malitia fornicationis explicanda in Confessione.

III. Secundo a pari, quia defloratio Virginis, si fiat ipsa dissentiente, habet malitiam stupri, si vero fiat ipsa consentiente, habet solum malitiam fornicationis in confessione explicandam, ut docent communius contra quamplures apud Sanch. lib. 7. disp. 14., & apud Lugo disp. 16. de Pœn. n. 218. ergo pariter copula cum conjugata, si fiat marito dissentiente, erit adulterium, marito vero consentiente, erit simplex fornicatio. Probatur consequentia: intantum defloratio Virginis desinit esse stuprum, quando virgo consentit, quia neque fit illi injuria, cum ipsa consentiat, neque naturæ ordinanti claustrum virginale ad legitimam prolem, eo quod fœmina ejus sit domina, neque parentibus, (nisi aliquando per accidens) sicut per se loquendo non fit injuria parentibus, quando fornicatur corrupta; atque adeo nulli fit injuria. Similiter copula cum conjugata, marito consentiente, non est injuriosa marito, quippe qui consensit; Scienti autem, & volenti non fit injuria: Neque fit injuria naturæ ordinanti copulam ad bonum prolis a conjugibus educandæ, cum hæc malitia in qualibet fornicatione, etiam inter solutum, & solutam, reperiatur citra injustitiam; Neque per se loquendo fit injuria consanguineis, ut nec fit a fornicatione solutæ: ergo simpliciter nulli fit injuria, atque adeo cessat malitia injustitiæ: ergo sicut cessante injustitia defloratio virginis desinit esse stuprum, ita copula cum conjugata desinit esse adulterium.

IV. Confirmatur: Intantum copula cum conjugata, marito consentiente, habere potest præter malitiam fornicationis novam malitiam in Confessione explicandam, inquantum consensus ille mariti est irritus; unde non cessat malitia injustitiæ subjicienda clavibus: atqui quamvis ille consensus sit illicitus, non probatur tamen facile, quod sit irritus; non enim constat, quod ab ulla lege irritetur, ut habet Lugo d. 8. de Just. sect. 1. ergo omnino cessat malitia injustitiæ.

V. Neque dici potest cum eodem Lugo, & aliis, quod præter malitiam injustitiæ detur tertia quædam species malitiæ in Confessione explicanda, quæ dicitur a DD. Irreligiositas, per hoc quod talis copula opponatur sanctitati, & bono Sacramenti Matrimonii. Nam nemo dixerit, eam copulam habere rationem sacrilegii, de cujus ratione est, quod sit violatio rei Sacræ; quare ad summum erit quædam circumstantia aggravans, sicut est circumstantia aggravans, quod quis peccet die festo, aut eo die, quo suscipit Sacramentum Pœnitentiæ, aut Eucharistiæ, non circumstantia mutans speciem in Confessione necessario explicanda; unde superest, quod hujusmodi copula, consentiente marito, solum sit contra castitatem, ut proinde peccatum sufficienter explicetur dicendo, Commisi simplicem fornicationem.

VI. Ostenditur falsitas: Primo, quia ex Apost. ad Rom. 7. ad contrahendam malitiam adulterii nihil aliud requiritur, quam accessus ad non suam: *Mulier, vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*. Idemque docet Angelicus 2. 2. quæst. 154. art. 8. dicens: *Adulterium, sicut ipsum nomen sonat, est Accessus ad alienum torum*; advertens duplicem in adulterio malitiam contineri, contra castitatem, & contra humanæ generationis bonum: idque dupliciter, primo quidem inquantum adulter accedit ad mulierem non sibi matrimonio conjunctam, prout requiritur ad bonum propriæ prolis educandæ; alio modo, quia accedit ad mulierem alteri matrimonio copulatam, & sic impedit bonum prolis alienæ. Hæc autem duplex malitia non cessat ex hoc, quod maritus in eam copulam consentiat, ut patet: ergo non cessat ratio adulterii in Confessione explicandi.

VII. Ratio deinde a priori est, quia obligatio in uxore non cognoscendi alium virum, ordinatur directe in bonum generationis humanæ, seu in bonum prolis

prolis

prolis educandæ; atque adeo est jus prolis potius, quam mariti, ne alius ab uxore cognoscatur: huic autem juri prolis maritus renunciare valide non potest: ergo quantumvis maritus renunciet juri suo, non declinatur malitia propria adulterii: Sicuti quia privilegium Canonis, & Fori, quod habet Clericus, ordinatur directe in bonum status Clericalis, est jus potius commune Ecclesiasticorum, quam privatum, illique juri communi nemo privatus valide renunciare potest; ideo quantumvis Clericus cedat juri suo, invalide cedit, nec declinatur injuria irrogata statui Clericali, si percutiatur, aut ad forum Sæculare trahatur Clericus consentiens.

VIII. Confirmatur, & explicatur: Illud jus habet maritus in uxorem, quod quilibet habet in propria membra, ita scilicet ut possit iis uti, non possit tamen de iis disponere: Idemque accidit in Religioso relate ad bona Religionis, & in Feudatario relate ad feuda, &c. possunt enim iis uti, sed invalide de iis disponunt. Quare sicut non declinatur malitia injustitiæ per hoc, quod aliquis consentiat, quod sibi membra abscindantur; aut per hoc quod Religiosus consentiat, quod ab alio accipiantur bona Religionis, vel Feudatarius, quod feudum distrahatur; quia jus in membra spectat ad Deum Dominum nostræ vitæ, ac membrorum; jus in bona Religionis spectat ad Communitatem; & Dominium directum feudi spectat ad Regem: ita non declinatur malitia injustitiæ in casu nostro per hoc, quod maritus consentiat in eam copulam, quia jus, ne illa ponatur, est relate ad prolem.

Ratio horum omnium est, quia tunc scienti, & volenti non fit injuria, quando consensus in actionem aliquam damnificativam neque est meticulosus, seu coactus, neque irritus, seu juridice nullus; quare sicut consensus v. g. mutuatarii solventis usuras non impedit injustitiam in solutione usurarum, quia consensus ille est coactus; & consensus v. g. pupilli donantis res suas sine auctoritate Tutoris non impedit, quominus injuste ea bona accipiantur a donatario, quia consensus pupilli juridice est irritus, hoc est a lege annullatur: ita in casu nostro, quia a lege matrimonii obligantis conjuges, ne commisceantur extraneis, irritatur ille consensus mariti de copula uxoris cum extraneo, ideo injustitia adulterii propria per hujusmodi consensum non declinatur.

IX. Quod autem hic mariti consensus irritetur, ex eo patet, quia maritus non habet jus in uxorem, sicut habet jus in domum suam; ita scil. ut possit ea uti, & ejus usum alteri concedere; sed habet jus in uxorem, sicut Religiosus in bona Monasterii, & sicut quilibet in propria membra, ita scilicet ut possit iis duntaxat uti, non tamen de iis disponere. Quare sicut est irritus a lege, & habetur pro nullo consensus Religiosi, quando disponit de pallio, quo utitur, aut consensus hominis, ut sibi membra abscindantur; ita etiam consensus mariti disponentis de corpore conjugis, & annuentis in ejus copulam; unde injustitia, & adulterium non declinantur, nec sufficit in Confessione explicare duntaxat fornicationem.

X. Dubitatur tamen a DD., Utrum in adulterio duplex injustitia committatur, altera contra bonum generationis humanæ, & prolis, altera contra jus privatum mariti, adeo ut maritus possit juri suo saltem privato cedere? in quo casu cessaret in adulterio hæc tertia malitia, nempe injustitia erga maritum. Affirmant Lug. l. c., & Less. c. 7. dub 3.; & ex hac doctrina sequitur, quod qui consentiente marito committit adulterium, debeat in Confessione explicare hunc consensum, ne se accuset de malitia illa peccati, quam non contraxit. Verius tamen dicendum videtur cum Cajet., & Turriano apud eundem Lugo, per adulterium marito inferri injuriam, non inquantum est persona privata, sed inquantum est maritus, ad quem spectat consulere bono prolis; Sicut injuria, quæ irrogatur Clerico, aut Religioso, non irrogatur illis, inquantum sunt personæ privatæ, sed statui Clericali, & Monasterio; & eodem modo, si quis mutilet alium, irrogat injuriam ipsi naturæ humanæ; unde de materiali se habet, quod maritus consentiat, vel non consentiat; ut dicitur de Clerico, & de Religioso, ac de illo, qui in mutilationem suorum membrorum consentit. Ex quorum sententia sequitur, quod si maritus consentiat, non fit id in Confessione explicandum; sicut non est explicandum in Confessione, quod Clericus consenserit se trahi ad Tribunal Sæculare; cum hujusmodi consensus sint juridice nulli, nec vitent injustitiam etiam adversus personam privatam; quia non datur in iis jus in bonum privatum, sed in bonum commune.

XI. Dubitatur ulterius, Utrum in adulterio detur specialis quædam malitia adversus sanctitatem Sacramenti, quæ sit peccatum mortale contra virtutem Religionis? Affirmant Lugo, Trull., Regin.: ex quo fit, quod adulter, si peccet cum conjugata Christiana, cujus matrimonium fuit Sacramentum, contrahat hanc aliam malitiam, quam non contrahit, si peccet cum conjugata Infideli. Videtur tamen dicendum, quod Baptismus, & Sacramentum illius conjugatæ solum sint circumstantia aggravans, non mutans speciem; non secus ac in apostata a Fide est solum circumstantia aggravans, quod susceperit Sacramentum Confirmationis; & est solum circumstantia aggravans, quod quis peccet eodem die, quo suscepit Sacramentum, cum directe Sacramentis nulla injuria irrogetur, ut docent communius apud Dian. p. 1. tr. 7. res. 32.

XII. Ad rationes in contrarium supra adductas facile respondetur: Et quidem ad primam diximus, tunc injuriam non fieri consentienti, quando consensus non est a lege irritatus: diximus etiam mariti consensum de copula uxoris a lege matrimonii irritari; ea quippe lex intendit bonam prolis educationem; & idcirco marito solum tribuit jus utendi, non disponendi de conjuge: unde per mariti consensum non cessat injustitia, quæ fit eidem, inquantum maritus est, seu inquantum consulere debet bono prolis.

XIII. Ad secundam, transmisso antecedente, quod negatur a multis, negatur consequentia: Disparitas est, quia virgo probabiliter est domina sui claustri, & valide, quamvis illicite, disponit de illo, quippe quod non est instar membrorum, quorum non est domina; ac proinde si consentiat in sui deflorationem, hujusmodi consensus non est juridice irritus; unde cessat ratio illa injustitiæ propria stupri, ac remanet simplex fornicatio. At maritus non habet jus disponendi de conjuge; unde irritus est ejus consensus in copulam conjugis cum alio viro in præjudicium prolis educandæ; atque adeo per consensum mariti non evacuatur a crimine injustitiæ propriæ adulterii. Qui tamen docent cum Henr., Sà, Valent., & aliis plurimis apud Sanch. lib. 7. de Matrimon. disp. 14. ex Angelico 2. 2. quæst. 154. art. 7. Virginem

ginem non esse sui claustri dominam, ut nec suorum membrorum, cohærenter docent, ejus consensum in deflorationem esse irritum, atque adeo non tollere ab illa rationem stupri, & injustitiæ, quæ fiat non quidem virgini ipsi tanquam personæ privatæ, utpote consentienti, sed ipsi naturæ, quæ vult ejus signaculi Virginem non esse dominam, sed custodem, permittendo ejus jacturam solum in ordine ad usum conjugalem.

XIV. Ad Confirmationem fecimus satis dicendo, in adulterio non dari injustitiam erga maritum, inquantum est persona privata; (sicut quando soluta fornicatur, secundum se non datur injustitia erga parentes illius) sed solum inquantum est maritus, atque adeo inquantum consulere debet bono prolis; huic autem autem juri cedere non potest, ut ostendimus; & ideo consensus mariti nunquam tollit a copula conjugis cum alio viro injustitiam, & propriam rationem adulterii. Certe si offenderetur etiam maritus, inquantum est persona privata, ut docet Lugo, & Less., hic suo juri valide posset renunciare, & tunc in adulterio hæc specialis injustitia abesset; quod in Confessione esset aperiendum, ne quis se accuset de peccato, quod non commisit. Circa irreligiositatem, quæ ex Suar. t. 1. de Relig. t. 3. lib. 1. c. 1. est genus quoddam comprehendens idololatriam, perjurium, sacrilegium, & omne vitium virtuti Religionis oppositum, diximus adulterium continere quidem quandam irreverentiam erga Sacramentum matrimonii, cum destruat significationem illam unionis inter Verbum, & naturam humanam, & inter Christum, & Ecclesiam; quandoquidem ex Apostolo, *Qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur*: At hæc irreverentia erga Sacramentum matrimonii non videtur continere gravem malitiam in Confessione explicandam. Sicut fornicatio cum Christifideli fert aliquam irreverentiam Sacramento Baptismi, quin tamen videatur hæc malitia in Confessione explicanda, ut non est explicanda irreverentia erga Sacramentum Eucharistiæ, si quis eodem die, quo communicat, peccet. Quare qui peccavit cum conjugata consentiente marito, ea solum de causa non sufficienter explicat peccatum dicendo, Commisi fornicationem, quia non explicat injustitiam erga maritum, inquantum maritus est, sed inquantum debet bono prolis consulere.

Ex quibus sequitur, quod sicut vir habens copulam cum conjugata, consentiente marito, est vere adulter; ita pariter mulier habens copulam cum conjugato, consentiente uxore, est vere adultera, & injusta erga illam uxorem, inquantum uxor est, respiciens bonum prolis; siquidem consensus ille uxoris, inquantum est persona privata, est pariter irritus, & insufficiens ad impediendam malitiam injustitiæ, & adulterii: Sicut non impedit injustitiam consensus Religiosi, ut sibi pallium, quo utitur, auferatur, aut consensus hominis, ut sibi membrum abscindatur.

XV. Quæritur, an quando habens copulam cum conjugata est pariter ipse conjugatus, sufficienter explicet peccatum dicendo, Commisi adulterium, an vero debeat utriusque conjugium explicare? Nonnulli apud Sanch. l. 9. de Matr. disp. 15., & apud Mendo diss. 5. q. 22. putant, unicam in eo peccato esse malitiam adulterii, quamvis relate ad duo conjugia; & ideo sufficienter peccatum explicari dicendo: Commisi adulterium. Sed communiter cum Suar., Vasq. Sanch., Lugo, Salas docent oppositum. Ratio nonnullorum est, quia in eo adulterio fit duplex injuria duobus conjugibus: Et eadem ratione docent, quod habens votum castitatis, si peccet cum alio habente pariter idem votum, debeat in Confessione utriusque votum explicare; quia in copula illa utrinque sacrilega fit duplex injuria Deo, violando duas personas Deo sacras. Verum, ut advertit Lugo disp. 16. de Pœnit. nu. 258. hæc ratio non videtur efficax, cum probabile sit, non debere explicari pluralitatem numericam objectorum in eodem actu peccaminoso: v. g. qui furatur uno actu centum aureos spectantes ad plures Dominos, non est necesse, quod explicet injustitiam hanc læsisse plures. Quare ratio solidior ex eodem Lugo est, quam innuimus in expositione propositionis 25. ab Alex. VII. proscriptæ, quia scilicet diversa specie est obligatio, quam Petrus habet observandi suum votum, aut servandi fidem suæ conjugi, ab ea, qua debet procurare, ne violet alter suum votum, aut fidem suæ conjugi datam; idcirco duplex malitia specie diversa habetur, quando uterque peccans habet votum castitatis, aut est conjugatus; una vero, si alter tantum habeat hoc votum, aut sit conjugatus.

XVI. Ex qua Lugonis ratiocinatione sequitur, quod adulter explicare debeat, num ipse sit conjugatus, an vero mulier, cum qua peccavit? quia diversa specie est malitia conjugati violantis suum matrimonium a malitia soluti procurantis, quod mulier violet matrimonium suum. Et propter eamdem rationem, si alter tantum habeat votum castitatis, explicari debet, num ipse violaverit votum suum, an vero procuraverit, quod mulier votum suum castitatis violaret?

PROPOSITIO LI.

Famulus, qui submissis humeris scienter adjuvat herum suum ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, & multoties eidem subservit deferendo scalam, aperiendo januam, aut quid simile cooperando, non peccat mortaliter, si id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne a Domino male tractetur, ne torvis oculis aspiciatur, ne domo expellatur.

SYNOPSIS.

I. Licite possumus cooperari materialiter peccato alterius, dummodo tres adsint conditiones, videlicet, Quod actio non sit intrinsece mala, Quod non fiat sine rationabili causa, & Quod non teneamur impedire peccatum proximi.

II. Assignantur regulæ generales ad dignoscendum, Quanta debeat esse gravitas incommodi, ad quod declinandum non teneamur peccatum proximi impedire, immo possimus ad illud materialiter cooperari.

III. Hinc non habetur sufficiens causa in famulo ad adjuvandum Herum volentem stuprare Virginem, ponendo actiones in thesi expositas, ne scilicet male tractetur, aut ne domo expellatur: Dubitatur tamen, an hæc causa sufficiat, si famulus domo expulsus cogeretur men-

mendicare, non quomodocumque, sed subeundo mendicitatem gravissimam, morte ipsa amariorem? IV. Probabilius neque id sufficit, siquidem probabilius actiones illæ in thesi expositæ sunt intrinsece malæ, eo quod hic & nunc sint proxime ad peccatum ordinatæ. V. Ex regulis præjactis discutiuntur variæ Doctorum sententiæ in hac materia; Num scilicet possint aurigæ deferre concubinam; famuli comitari Herum ad lupanar; deferre concubinæ Heri munuscula, &c. VI. Num licite vendantur carnes fracturo jejunium, aut vinum volenti se inebriare, aut gladius volenti hostem occidere? VII. Num saltem hæc liceant in dubio mali abusus proximi?

I. EXponitur. Inconcussum est apud Theologos, licite nos cooperari materialiter peccato alterius, exhibendo illi aut materiam, aut objectum, aut facultatem peccandi, dummodo tres adsint conditiones: quarum prima est, quod operatio nostra non sit intrinsece mala, sed aut bona, aut indifferens; ut proinde, quamvis aliquando verbi gratia Christiani captivi in triremibus Turcarum, aut hæreticorum, ob metum gravem licite remigent contra Catholicos, sarcinas, & arma ad bellum necessaria convehant, propugnacula ædificent, (ut docent Suar., Less., Sanc., Laym. l. 2. t. 3. c. 13. contra Tolet., & alios apud Dian. p. 3. tr. 5. rel. 36.) quia scilicet hujusmodi actiones sunt indifferentes, quæ in bonum finem imperari, & poni possunt, si adsint reliquæ conditiones mox explicandæ; iidem tamen nequeant ignem admovere tormentis bellicis ad internecionem Catholicorum, ne ob metum quidem mortis, cum hujusmodi actio sit intrinsece mala, ut patet. Solum possumus cum moderamine inculpatæ tutelæ injustum vitæ invasorem occidere in defensionem: non possumus tamen occidere Petrum, ne occidamur a Paulo: unde nec possumus ob metum mortis actiones ponere de se connexas cum morte innocentis.

Secunda ex conditionibus est, quod nostra operatio non ponatur ex intentione adjuvandi alium ad peccandum, immo nec sub rationabili causa, ut proinde non liceat petere mutuum, ac offerre usuras usurario, si desit indigentia mutui, quæ excuset a tali cooperatione ad peccatum usurarii: Quicquid sit, Num peccet graviter, an leviter tantum, qui petit mutuum ad res non necessarias, aut leviter inhonestas ab usurario parato, qui solum poneret de novo novum peccatum internum, non externum? in quo variant DD. apud Lugo disp. 25. de Just. n. 234. & Dian. p. 4. tr. 7. res. 8.

Tertia conditio est, quod peccatum proximi non tenearis impedire per hoc, quod non possis aut physice, aut moraliter: quando enim aliena peccata impediri non possunt, saltem moraliter, hoc est sine magno incommodo, tunc censentur permitti, non intendi: contra vero, si possint sine gravi incommodo impediri, qui non impedit, censetur ea velle; & proinde peccat cooperando ad illa. Sicut enim censetur velle incendium domus proximi, qui potest sine gravi incommodo illud extinguere, & non extinguit, atque adeo peccat contra charitatem non extinguendo, etiamsi ex justitia ad id non teneatur; ita a fortiori peccat peccato scandali activi, qui peccato proximi cooperatur, potens sine gravi incommodo a tali operatione cessare, & peccatum illud proximi impedire. *Unicuique enim Deus mandavit de proximo suo*, ut habetur Eccl. 17.

II. Gravissima difficultas consistit in definienda gravitate hujus incommodi, quod præsupponi debet, ne tenearis peccatum proximi impedire, unde possis illi materialiter cooperari. Sæpe enim incommodum non leve excusat ab una, non ab altera cooperatione ad peccatum proximi; & quod incommodum excusat a cooperatione cum peccato A, puta contra temperantiam, non excusat a cooperatione cum peccato B, puta contra Religionem, aut contra Justitiam. Hinc assignantur communiter istæ generales Regulæ. Prima est, Quo peccatum proximi est gravius, eo major causa requiritur, ut possis licite illi materialiter cooperari, cum id charitas exigat. Secunda, Si peccatum sit contra justitiam, gravior etiam causa requiritur, quam si sit contra alias virtutes: quia cooperando cum peccato contra justitiam, non solum peccatur peccato scandali contra charitatem, sed etiam læditur jus tertii. Tertia, Gravior causa requiritur, si cooperatio sit peccato propinquior, quam si remotior: quare causa, quæ excusat a locando verbi gratia domum meretrici, non sufficit, ut possis illi venienti ad peccandum ostium aperire, aut lectum sternere; & quod sufficit famulo, ut possit mere associare Dominum pergentem ad peccandum, non sufficit ad submittendos humeros, vel deferendam scalam, ut possit Dominus ascendere per fenestras ad stuprandam virginem, cum istæ functiones sint peccato propinquiores. Quarta, major etiam causa postulatur, quando, te non cooperante, non de facili esset alius cooperaturus, quam si passim alii reperiantur; unde facilius v. g. excusantur, qui vendunt aleas, fucos, gladios, quibus plurimi abutuntur, quam qui venenum vendit, quod non facile reperitur venale. Quinta demum, major causa requiritur, si minus juris habeas ad aliquam operationem; unde facilius excusatur qui v. g. petit Sacramentum magis necessarium, puta Baptismi ab eo, qui illud administraturus est indigne, quam si petat Sacramentum minus necessarium, puta Confirmationis.

III. His regulis inspectis, adhuc difficile est in casu particulari apte definire, quænam dicatur causa rationabilis excusans a cooperatione cum hoc, vel illo peccato? Propterea a Doctoribus passim, præsertim apud Busemb., Bonac., Laym., Sanch., Tamb., Less., Palaum, Dianam exemplificatur in multis casibus, ut inde possit in similibus eventibus aptum judicium efformari. Verum ne in iis legendis erretur, advertere oportet, quod in præsenti thesi proscribitur, videl. sufficientem causam esse in famulo ad adjuvandum in iis actionibus Herum volentem stuprare Virginem, Ne male tractetur, Ne torvis oculis aspiciatur, Ne domo expellatur; quibus verbis videntur locuti nonnulli apud Dia. p. 5. tr. 7. res. 29.: Palaus tamen ibi adductus non docet sufficere solum, quod aliter famulus e domo expelleretur, sed addit etiam, quod expulsus cogeretur mendicare, aut penuriam pati, quod in hac thesi non proscribitur explicite. (*a*) Utrum autem proscribatur implicite, & virtualiter, dependet ab ea quæstione, num actiones, de quibus thesis loquitur, sint intrinsece malæ, an vero de se sint indifferentes? si enim sit intrinsece malum v. g. adjuvare Herum ascendentem per fenestras ad stuprandam Virginem; (sicut est intrinsece malum admovere ignem tormentis bellicis, quando inde prævidetur secutura mors innocentis) certe ne metus quidem mortis potest famulum excusare ab ea co-

opera-

operatione: unde implicite proscriberetur etiam sententia Palai: Si vero ea actio supponatur esse de se indifferens, eo quod adjuvare Herum ascendentem ad stuprum committendum non sit actio immediate patrativa talis sceleris, cum possit Herus ea cooperatione famuli uti ad subveniendum Virgini illi, & ad bene operandum; contra vero admovere ignem tormentis bellicis in iis circumstantiis sit actio de se occisiva innocentis, atque adeo intrinsece mala, & non indifferens; certe in hac hypothesi non proscribitur implicite sententia Palai. Hæc tamen in eo sensu intelligenda esset, ut nisi famulus obtemperaret, & adjuvaret Herum ascendentem ad fenestras ad peccandum, cogeretur subire mendicitatem non quamcumque, sed gravissimam, quæ scilicet esset morte ipsa amarior, juxta illud Ecclesiastici 30. *Melior est mors, quam vita amara*. Communiter enim Doctores docent, licitum esse cooperari materialiter peccato proximi ponendo actiones de se indifferentes, quando aut mors, aut malum morti affine aliter declinari non potest: unde licitum esset famulo cooperari materialiter peccato Heri in iis actionibus, si supponantur esse de se indifferentes, & ad eas adigatur metu mendicitatis amarissimæ, morte ipsa amarioris. Non licet tamen famulo in iis actionibus, etiamsi essent indifferentes, cooperari peccato Heri ob metum, ne torvis oculis ab illo inspiciatur, aut ne domo expellatur, ita ut cogatur mendicitatem non gravissimam subire. Et ratio est, quia actiones istæ magnam habent cum peccato propinquitatem; unde gravissimam exigunt causam, ut licite possit famulus in iis cum peccato sui Heri, seu potius Tyranni cooperari; atque adeo metus mendicitatis non gravissimæ non excusat.

(*a*) ,, At inquit Concina *Tom.* 2. *pag.* 281.:
,, P. Castropalaus præter mendicitatem addit in-
,, crepationem, & objurgationem solam caussam
,, esse sufficientem adjuvandi herum. Ita sane.
,, Quid tum? Ex hac parte damnata est ejus pro-
,, positio. Adhuc tamen locus est quæstioni, utrum
,, qua parte de mendicitate loquitur, sit proscri-
,, pta ejus doctrina.

IV. Utrum autem actiones, de quibus loquitur proscripta thesis, revera sint intinsece malæ, an vero indifferentes, dubium est in re præsenti gravissimum. Lumbier putat esse intrinsece malas; Cardenas vero de hoc dubitat, nec audet dubium decidere, sed putat consulendam esse Romanam Cathedram, & interim dum consulitur, in hoc dubio, utpote practico, tutiorem partem eligendam esse. Equidem juxta doctrinam Th. Sanch. l. 1. Sum. c. 7. contra Pal. l. c. probabilius dicendum censeo, esse intrinsece malas non solum actiones illas, quæ nullatenus possunt exuere malitiam suam, ut sunt e. g. suadere alicui peccatum, vocare concubinam, ut eat ad peccandum, & similes, de quibus non dubitatur; sed etiam actiones de se, & secundum suum esse physicum indifferentes, quoties hic & nunc sunt proxime ordinatæ ad peccatum, ut admovere scalas, aut humeris sustentare volentem ascendere ad stuprandam Virginem, vel ad occidendum hostem, ut proinde famulus non possit a culpa excusari ob quemcumque metum, si eas præstet, etiamsi sciat Dominum esse paratum ad peccandum, & inventurum alios a quibus ad id adjuvetur: Esse vero actiones indifferentes, quæ remote se habent ad peccatum, ut vendere agnum Infideli, quem scio velle, ut immolet Idolo, locare domum meretrici, & similes, quæ ex causa rationabili præstari possunt, juxta regulas traditas.

V. Ex quibus omnibus facile discerni potest, num solidam, an tenuem habeant probabilitatem plurimæ opiniones, quæ passim hac in re circumferuntur, præsertim apud Dian. in Summa, V. *Peccato cooperari*, & Tamb. l. 5. c. 1. §. 4. Ex. gr. Franciscus Merolla, & Dian. p. 3. tr. 6. res. 11. a culpa excusant aurigas, qui concubinam deferunt ad peccandum, ne lucrum amittant, aut ne domo a Domino expellantur: Quod tamen ex dictis videtur omnino negandum cum Sanch. l. 1. c. 8. n. 25.: gravior enim causa requiritur ad præbendum hujusmodi physicum concursum volenti peccare. Immo censeo hujusmodi causam famulo ipsi non sufficere ad mere materialiter comitandum herum ad lupanar, ut docet Navar. contra Sanch. loc. cit. n. 12., & multo minus ad comitandam concubinam ad domum heri.

Similiter excusant nonnulli apud Dian. l. c. resol. 46. famulum, si deferat concubinæ literas, in quibus ad peccatum provocatur, quando aliter mortem illi Dominus minatur. Sed non videtur excusandus, ut docent Sanch. l. c. n. 26., Rebell., & alii, quia hujusmodi actio videtur intrinsece mala; non secus ac si internuncius invitaret concubinam ad peccandum cum hero. Immo in hoc casu famulus non solum deberet potius subire mortem temporalem, verum etiamsi crederet, quod si tunc occideretur, careret contritione, atque adeo damnaretur propter mortale, quod habet in conscientia, adhuc deberet potius velle subire mortem æternam; quandoquidem actio intrinsece mala nullatenus poni potest, ne ad gehennam quidem ipsam declinandam. Quamvis revera in tali casu hic salvaretur propter hunc ipsum actum dilectionis Dei, quo vellet potius gehennam subire, quam Deum offendere: Si enim *majorem charitatem nemo habet, quam ut ponat animam suam pro amicis suis*, quanto magis si non vita temporalis duntaxat, sed etiam æterna posthabeatur ex affectu charitatis, ne scilicet Deus offendatur?

Præterea nec subscribo sententiæ Sanch. loc. cit. n. 29. putantis, quod sola ratio famulatus sufficiat, ut licite possit famulus jussu heri deferre concubinæ munuscula, aut escula, aut esculenta: cum enim hæc munuscula foveant ignem tartareum, major causa videtur requiri ad reddendas licitas hujusmodi actiones.

VI. Admitto cum eodem Sanchez, & aliis, quod ne lucrum amittas, possis licite vendere v. g. cibos Paschales volentibus jejunium violare; Sicut in Hollandia nautæ Catholici, ut notant Less., Sanchez, Filliuc. licite vehunt annonam ad castra hæreticorum, quia aliter ab aliis veheretur; & ipsi lucrum amitterent. Quando tamen hujusmodi actiones remote ad peccatum concurrentes non facile ab aliis ponerentur, tunc non sufficit causa ista, ne lucrum ammittatur, ut possint licite a te poni; sicut nec sufficit ista causa, sed gravior requiritur, ut possis vendere vinum scienter se inebrianti; cum ebrietas sit peccatum gravius solutione jejunii. Quod si peccatum proximi sit contra justitiam, a fortiori ea causa non sufficit, quamvis ab aliis eadem cooperatio facile poneretur: V. g. si quis velit emere a te gladium directe ad occidendum innocentem, non poteris illum vendere ob quodcunque pretium, etiamsi te non vendente, alius esset venditurus; cha-

ritas enim postulat, ut etiam auferatur, nedum suppeditetur gladius volenti illo abuti ad occidendum proximum.

VII. Inquiritur, Utrum in dubio mali abusus proximi licitum sit suppeditare arma, vinum, cibos Paschales, & alia hujusmodi de se indifferentia? Ad quod dicendum cum Sanchez n. 17., quod si dubietas sit negativa, seu ignorantia mali abusus, absque rationabili causa dubitandi de illo, licitum sit ea suppeditare; Si tamen dubium sit positivum, deturque ratio prudenter dubitandi de abusu, tunc requiratur causa sufficiens, ratione cujus id possit licere; quamvis causa ista non debeat esse adeo gravis, quanta requireretur, si abusus proximi esset certus. Qui plura velit, consulat Sanchez, Less., Laym. de scandalo.

PROPOSITIO LII.

Præceptum servandi festa non obligat sub mortali, seposito scandalo, si absit contemptus.

De hac abunde diximus in expositione propositionis 23. Alexandri VII. ubi de præcepto jejunii obligante, etiam seposito scandalo, aut contemptu.

PROPOSITIO LIII.

Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, immo quatuor simul a diversis Celebrantibus audit.

S Y N O P S I S.

I. Videtur posse simul plures Missæ partes audiri; tum quia obligatus ex præcepto, aut voto ad tres Missas audiendas, potest eas audire simul; tum etiam quia, si possunt duæ Missæ partes a diversis celebrantibus audiri successive, quidni etiam simul? tum demum quia sicut possumus simul audire Missam præceptam, & Horas præceptas recitare, ita plutes partes Missæ præceptæ simul audire. II. Verum cum præceptum sit de integra Missa audienda, & Missa ex sua natura constetur ex partibus successivis, non satisfaceret præcepto, qui plures Missæ partes audiret simul. Idcirco plures contra Suarium admittunt, quod possint a diversis celebrantibus duæ Missæ medietates audiri successive, quia tunc Missa, si minus est integra physice, est saltem integra moraliter, quod non habetur, si audiantur simul. III. Ecclesia præcipit auditionem Missæ, in qua possit homo ad singulas ejus partes seorsim attendere. IV. Similiter non satisfacit præcepto Horarum, qui dum recitat unum Psalmi versum, audit simul alium a socio; aut qui simul aut novem Lectiones, quæ a novem simul leguntur, &c. V. Possumus aliquando benigne interpretari mentem præcipientis, aut voventis trium Missarum auditionem, quod satisfiat, si audiantur simul; at hæc benigna interpretatio non potest in rem nostram cadere.

VI. Successiva attentio, quæ haberi potest, si audiantur plures Missæ partes a diversis Celebrantibus successive, nequit haberi, si audiantur simul.

VII. Esto sufficiat in auditione Missæ sola attentio externa, quæ sit compossibilis cum interna: hæc tamen in singulis Missæ partibus requiritur successive.

VIII. ad eum modum quod possunt aliquando tres Missæ præceptæ audiri simul, poterit simul satisfieri præcepto audiendi Missam, & recitandi Horas, quin tamen possint duæ partes Missæ præceptæ simul audiri.

IX. Vi hujus proscriptæ thesis non solum damnatur, quod satisfiat Missæ præcepto audiendo simul quatuor, sed etiam audiendo simul duas Missæ partes. X. Quænam dicatur pars modica Missæ, quæ excuset a mortali, si omittatur; aut si simul cum alia audiatur.

I. Exponitur. Non paucos Auctores pro hac proscripta Thesi refert Dian. p. 10. tr. 15. res. 3., & p. 2. tract. 17. res. 18. præsertim Gesualdum, Hurtadum, Leand., Garz., Brunium, Molfesium; Dicastillo, Escobar, Mendozam. Et ratio videtur esse primo, quia probabilissimum est, obligatum ad tres Missas audiendas (ut satisfaciat v. g. præcepto Ecclesiæ, voto, ac pœnitentiæ injunctæ a Confessario) posse simul, & eodem tempore tres illas audire, ut docent communius cum Azor., Sanch. Rodr., Graff., Suar., Cajet., & aliis: ergo pariter obligatus ad integram Missam audiendam, poterit duas, aut quatuor ejus diversas partes simul a diversis Celebrantibus audire: Sicut enim se habet tota Missa ad totam, ita pars ad partem: ergo si potest tota Missa simul audiri cum alia, quando duæ sunt audiendæ, poterit una pars simul audiri cum alia, & sic integra Missa audiri.

Secundo, communissime docent apud Dian. p. 5. tract. 14. res. 52., quod præcepto audiendi Missam satisfaciat, qui duas Missæ medietates audit ordine suo a diversis celebrantibus successive, verbi gratia, usque ad consecrationem ab uno, & a consecratione usque ad finem ab altero. Immo idem Dian. loc. cit. cum Turriano non audet damnare peccati mortalis, qui inverso ordine prius audiret posteriorem Missæ medietatem, deinde priorem: Sicut sine mortali potest quis prius recitare Vesperas, deinde Matutinum; eo quod ista ordinis inversio non videatur magna deformitas: quod etiam docent Ledes. de Euch. cap. 27. ex Majore, Soto, Navar.: ergo pariter poterunt duæ medietates Missæ simul audiri. Et ratio videtur esse, quia obligat solum Ecclesia ad integram Missam audiendam, atque adeo ad audiendas singulas Missæ partes, non vero ad audiendas illas continuate ab eodem Sacerdote.

Tertio, probabile est ex Dia. p. 4. tr. 4. res. 107. cum Conin., Laym., Sylv., Hurtado satisfieri præcepto Missæ cum sola attentione externa, vid. nullam exercendo actionem, quæ sit incompossibilis cum attentione interna, esto hæc desit: ergo probabile etiam est, quod ad satisfaciendum huic præcepto non requiratur attentio successiva, atque adeo possint duæ Missæ medietates simul audiri.

Quarto, probabilissimum est apud eundem Dian. l. c. posse aliquem simul audire Missam præceptam, & recitare Horas Canonicas, in quo casu attentio versatur circa Horas simul, & circa Missam: ergo si non requiritur attentio successiva in hoc casu relate ad Horas Canonicas, & Missam, non videtur cur non possint etiam duæ, aut plures partes Missæ simul audiri citra successivam attentionem ad illas.

II. Ostenditur falsitas ex Suar. disp. 88. de Euch. sect. 2., Lugo disput. 22. Caramuele in Theolog. Fundamentali Fund. 31.: quia Ecclesia obligat ad audien-

audiendam Missam, quæ sit unum, & integrum Sacrificium: non censetur autem unum Sacrificium, si una medietas audiatur ab uno, altera ab altero Sacerdote: Sicut non dicitur unum, & integrum Sacrificium offerri Deo, si unus Sacerdos dicat unam Missæ medietatem, v. gr. usque ad consecrationem Hostiæ, & alter incipiat a consecratione Calicis. Unde infert Suarius, neque satisfacere præcepto Missæ, qui audit duas Missæ medietates successive, nedum simul. Nihilominus, quamvis transmittatur, quod præcepto satisfiat, si successive a diversis Celebrantibus audiantur duæ medietates Missæ, eo quod illa successiva auditio, licet non terminaretur ad unam Missam integram physice, terminaretur tamen ad unam integram moraliter: At non potest dici, quod una Missa moraliter integra audiatur, si simul audiantur duæ Missæ partes, quia, ut notat Nugnus, Missa est de natura sua conflata ex partibus successivis: ergo si simul audiantur plures Missæ partes, non auditur una Missa integra, ne moraliter quidem.

III. Præterea Ecclesia præcipit auditionem Missæ, in qua possit audiens singulis partibus Missæ attendere, & devotionem consonam ex iis percipere, esto non obliget ad attentionem erga singulas: atqui si simul plures Missæ partes audirentur, non posset homo ad singulas attendere, & suam devotionem inde percipere: ergo non possunt plures Missæ partes simul audiri.

IV. Unde fit, quod si vovens audire tres Missæ, aut Superior præcipiens trium Missarum auditionem, hoc similiter intenderet, non satisfieret voto, aut præcepto, si tres Missæ simul audirentur. Quamvis autem probabile sit, quod vovens audire tres Missas, aut Superior præcipiens illas, non intendat successivam auditionem illarum: non est tamen probabile, quod Ecclesia præcipiens auditionem Missæ, non intendat successivam auditionem partium Missæ. Quod patet in omnibus aliis similibus præceptis. Nam dum præcipiuntur verbi gratia Horæ Canonicæ, præcipitur, quod successive recitentur, aut audiantur; unde non satisfaceret, qui simul audiret novem lectiones, quæ a novem simul legerentur: nec satisfaceret, qui recitaret unum Psalmi versum, quando socius recitat alium: nec satisfacerent obligationi Chori Communitates, si non successive, sed simul a diversis in Choro Horæ canerentur. Similiter in Missa solemni, in qua non tenetur juxta multorum sententiam Sacerdos legere Epistolam privatim, Evangelium, Graduale, &c. non poterit Sacerdos, dum ea canuntur, Missam perficere; ergo pariter in casu nostro. Aliter posset brevissimo temporis spatio præcepto audiendi Missam satisfieri, si simul viginti partes Missæ audirentur: quod esset præceptum hoc eludere, ut advertit Facultas Lovaniensis, quæ olim hanc thesim damnaverat apud Fagnanum.

Adde, quod licet ante hujus thesis proscriptionem factam ab Innocentio XI. non liquido constaret de mente Ecclesiæ Missæ auditionem præcipientis, ut proinde multi opinati sint huic præcepto satisfieri per simultaneam auditionem plurium Missæ partium; nunc tamen de mente Ecclesiæ post hanc proscriptionem nemo, cui cor sapiat, poterit amplius dubitare.

V. Ad primam rationem in contrarium dupliciter responderi potest. Primo, quod audiens simul tres Missas vere tres integras Missas audiat, unde satisfacit præcepto, aut voto audiendi tres Missas; At audiens simul duas Missæ medietates non audiat unam integram Missam; (duæ enim medietates non conflant unum integrum Sacrificium) & ideo non satisfaciat præcepto audiendi Missam. Secundo, benigne aliquando possumus interpretari mentem præcipientis auditionem trium Missarum, aut voventis illas, quod non intenderit successivam earum auditionem; at non possumus comminisci, quod Ecclesia præcipiens Missæ auditionem, non intendat successivam partium Missæ auditionem, ut ostendimus. Adde, quod licet Confessarius injungens absolute verbi gratia auditionem Missæ singulis diebus per mensem, non intelligatur præcipere, quod diebus Festis duæ Missæ audiantur, altera ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ, altera ad satisfaciendum pœnitentiæ injunctæ: nihilominus, si imponat v. gr. auditionem trium Missarum, nihil explicando, intelligendum est, quod imponat auditionem Missarum non præceptarum, ut advertit Mar. Perez disp. 55. sect. 3.

VI. Ad secundam: Suarius cum aliis negat satisfieri præcepto Missæ, etiamsi successive, & ordine suo duæ medietates Missæ audiantur a diversis Celebrantibus. Sed transmisso antecedente, negatur consequentia. Disparitas est, quia si audiantur successive a diversis Celebrantibus, potest haberi successiva attentio ad singulas Missæ partes, quod Ecclesia intendit: Secus vero si audiantur simul.

VII. Ad tertiam, transmitti potest, quod non requiratur in auditione Missæ nisi illa attentio externa, quæ sit compossibilis cum interna: at ista attentio externa requiritur in singulis partibus Missæ successive, ad hoc ut facile possit audiens Missam mentem ad contemplationem illarum actionum elevare: & ideo non possunt plures Missæ partes simul audiri.

VIII. Ad quartam: Qui recitat Horas, vere orat, potestque tam ad singulas Missæ actiones, quam ad sensum verborum Psalterii mentem elevare: Sicut autem probabiliter potest aliquis simul audire plures Missas præceptas, ita probabiliter potest eodem tempore satisfacere Missæ præceptæ, & recitationi Horarum, quin tamen per hoc possit simul audire plures partes Missæ, ob disparitates adductas in responsione ad primam.

IX. Inquiri hic subtiliter posset, Num vi hujus proscriptæ thesis solum damnetur, quod satisfiat præcepto Missæ, audiendo simul quatuor ejus partes a diversis celebrantibus, an vero etiam audiendo duas medietates simul? Videri posset, quod hoc secundum non damnetur, sicut cum damnatur verbi gratia propositio 36. dicens, *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; solum damnatur, quod liceat invito Domino aliquid surripere in necessitate gravi, non vero in extrema. Et ratio est, quia ex condemnatione alicujus propositionis solum fit quod ejus contradictoria debeat esse vera: atqui hujus propositionis, Audiens duas Missæ partes, immo quatuor simul, satisfacit præcepto, contradictoria vera est, Audiens duas, aut quatuor Missæ partes simul non satisfacit præcepto; cum qua bene cohæret, quod audiens duas simul Missæ partes præcepto satisfaciat; Sicut cum falsitate hujus disjunctivæ, Audiens Missam solemnem, vel Concionem satisfacit huic præcepto Ecclesiæ, stat veritas hujus determinatæ, Audiens solemnem Missam satisfacit præce-

pto:

pto: ergo vi hujus proscriptæ propositionis non videtur condemnari, quod præcepto satisfiat audiendo simul duas Missæ medietates, sed solum si audiantur simul quatuor, vel plures partes: cum hoc videatur longe majorem dissonantiam præseferre, ut proinde hoc secundum vix sit qui admiserit, illud vero primum a pluribus DD. doceatur.

Respondeo tamen, in hac thesi non solum damnari, quod satisfiat præcepto audiendo quatuor Missæ partes simul, sed etiam si audiantur simul duæ medietates. Ratio desumpta est ex illa Regula, quam in expositione propositionis vigesimæ nonæ perpendimus, quod scilicet Quoties propositio aliqua indefinita proscripta potest habere duplicem sensum sive universalem, ita ut ejus contradictoria sit particularis, sive particularem, ita ut contradictoria sit universalis, ex ipsa materia, quæ proscribitur, necnon ex rationibus, quibus ea proscribitur, & ex communi sensu eorum, qui propositionem illam docuerunt, colligere oportet, num sumenda sit in sensu universali, an particulari? In casu nostro thesis proscripta, utpote indefinita, vel potest sumi tamquam universalis, ita ut sensus sit, Utraque auditio Missæ sufficit ad satisfaciendum præcepto, sive fiat audiendo simul duas Missæ partes, sive quatuor, aut plures; Vel potest sumi tamquam propositio particularis, vid. Aliqua auditio sive duarum, sive plurium partium Missæ simultanea sufficit. Si faceret primum sensum universalem, certe ejus contradictoria esset particularis, videl. Aliqua simultanea partium Missæ auditio non sufficit, cum qua bene cohæret, quod aliqua etiam sufficiat; atque adeo non censeretur damnatum, quod per simultaneam auditionem duarum partium Missæ satisfiat, esto non satisfieret præcepto per simultaneam auditionem quatuor partium Missæ. Si vero thesis proscripta faciat secundum sensum particularem, tunc ejus contradictoria debet esse universalis, videl., Nulla simultanea partium Missæ auditio sufficiens est ad satisfaciendum præcepto, atque adeo neque sufficit, si audiantur quatuor, neque si duæ tantum partes Missæ simul. Dicimus nunc, quod propositio ista damnata faciat hunc secundum sensum particularem, ut proinde non solum damnetur sententia docens sufficere ad satisfaciendum præcepto, quod audiantur quatuor Missæ partes simul, sed etiam quæ docet sufficere, quod audiantur duæ partes simul. Ratio est, quia iisdem incommodis premitur utraque sententia, ut docent communiter cum Lugo, Turriano, Caramuele, & aliis apud Dian. l. c.: Quamvis enim sit magis absonum audire simul quatuor, aut viginti Missæ partes, quam duas tantum medietates; nihilominus si possent simul duæ medietates audiri, non posset dari disparitas, cur non etiam quatuor, aut viginti? & idcirco thesis proscripta indefinita sumenda est tamquam propositio particularis, ita ut ejus contradictoria vera faciat sensum universalem, unde nulla prorsus simultanea auditio partium Missæ sufficiat ad satisfaciendum præcepto.

X. Rogabis, an saltem pars aliqua Missæ modica possit citra veniale simul audiri cum reliqua Missa a diversis Celebrantibus; & quænam dici poterit pars modica, quæ excuset a mortali, si omittatur? Circa primum, qui vellet audire Missam jam inceptam verbi gratia ab Epistola, & simul audire aliam, quæ tunc incipit a principio usque ad Epistolam tantum, peccaret venialiter ratione parvitatis materiæ, (non secus ac peccaret venialiter, si partem illam Missæ modicam omitteret) cum ostenderimus Missæ partes esse audiendas successive ad satisfaciendum præcepto. Circa secundum, omnes rejiciunt sententiam Amalarii l. 3. de Ecclesiastico Off. c. 36. relatam a Lessio, & aliis, putantis citra mortale posse omitti a parte ante usque ad Offertorium, & a parte post etiam ultimum Evangelium. Communius etiam docent contra Zanardum, Faustum, & alios apud Dian. p. 5. tract. 14. res. 70. esse partem notabilem omittere principium Missæ usque ad Offertorium. Addit Dian. ex Lugo, Filliuc., Hurtado, Sà, Laym., Fagund., probabile esse, quod non teneantur Fideles sub mortali duo Evangelia in Missa audire, ut proinde possint sine gravi culpa omittere principium Missæ usque ad Evangelium inclusive. Verum communior sententia fert, esse modicam Missæ partem omittere aut a principio usque ad Epistolam exclusive, vel ad summum usque ad finem Epistolæ, aut quod superest post Communionem Sacerdotis.

PROPOSITIO LIV.

Qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, potest autem reliquas Horas, ad nihil tenetur, quia major pars trahit ad se minorem.

SYNOPSIS.

I. Ægrotus, qui non potest majorem Officii partem recitare, non solet obligari ad parvam partem, quam potest, ne ad conscientiæ perplexitatem redigatur: Sicuti si nequit majorem Quadragesimæ partem jejunare, non solet obligari ad paucos illos dies, quos posset: Quicquid sit, an ad id indigeat dispensatione Prælati, aut consilio Medici. II. Etiam sublato hoc motivo perplexitatis, videtur impotens recitare majorem partem Horarum non teneri ad recitandum minorem partem, quam certo potest; quia ex Sacris Canonibus major pars trahit ad se minorem; & universim Accessorium sequitur Principale. III. Videturque id consuetudine receptum. IV. Sic qui non potest integro die jejunare, non tenetur ad partem diei, quam potest.

V. Et qui nequit integram parvam Horam recitare, nec tenetur ad modicam partem, quam potest. VI. Certe neque obligamur ad quamcumque Horarum partem, quam possumus: Neque deobligamur a quacumque, quam possumus: Quanta autem debeat esse pars, ad quam obligamur, quando non possumus integrum Officium recitare? videtur Juri conformius, quod sit solum pars major. VII. Verum, sive præceptum recitandi Horas sit unum, sive multiplex, universim qui non potest solvere totum, quod debet, tenetur ad id, quod potest, si hoc sit separabile; atque adeo qui potest aliquam tantum integram Horam recitare, ad illam tenetur, secluso periculo perplexitatis in ægroto.

VIII. Sicut qui uno tantum die habet cibos esuriales per totam Quadragesimam, tenetur eo die ad jejunandum. IX. Major pars dicitur trahere ad se minorem, quatenus standum est majori parti suffragiorum; non vero quod non teneatur ad partem minorem, qui nequit majorem, ubi res præcepta est divisibilis. X. Commentitium est, hanc consuetudinem viguisse, nisi in casu ægritudinis ad vitandam perplexitatem. XI. Præceptum jejunii est de re individua, secus vero præceptum de re-

de recitandis Horis: Aliter qui non posset recitare solum Completorium, ad nihil teneretur. XII. Singulæ tamen Horæ præcipiuntur tanquam res individua. XIII. Assignatur Regula generalis ad dignoscendum, Quandonam præceptum dicatur esse de re individua? XIV. Quænam est materia parva quæ excusat a mortali in recitatione Horarum? XV. Probabilius præceptum Horarum est unicum, non multiplex.

XVI. Ægrotus nullatenus deobligatur a recitanda qualibet Hora, quam solum potest, quando deest periculum perplexitatis: Sicut cæcus si unam tantum Horam memoriter sciat, ad illam tenetur. XVII. Qui nonnisi cum socio potest Horas recitare, tenetur illum asciscere, si commode potest. XVIII. Qui febri laborat, aut aliter involuntarie impeditur tempore singulis Horis præstituto, juxta communiorem tenetur prævenire, aut postponere, si commode possit.

I. EXponitur. Pro hac sententia indiscriminatim a Dia. p. 4. tra. 4. res. 225. laudantur Navarr., Palaus, Less. p. 7. tr. 11. res. 13. Caramuel, Trulleuch, Candidus. Sed Palaus laudans Lessium solum loquitur de infirmo, de quo non pauci docent cum Suar., Garzia, Rodr. Sanchez, quod si non possit majorem Officii partem recitare, non teneatur ad partem, quam potest; quia nullus est ægrotus, qui non possit aliquam parvam horam recitare; unde nisi ægrotus impotens recitare majorem Officii partem omnino deobligaretur, redigeretur ad perplexitatem conscientiæ, quæ est incommodum gravius ipsa Officii recitatione; & ideo consuetudo ipsa fert, ut ægrotus impotens recitare majorem partem Horarum, eximatur ab obligatione recitandi quamcumque parvam horam, quamvis posset sine gravi incommodo illam recitare: Sicut impotens jejunare majorem Quadragesimæ partem, quamvis posset uno, vel altero die, aut paucis diebus jejunare, solet omnino deobligari, ne redigatur ad angustias perplexitatis, inquirendo, quot essent dies, quibus jejunium tolerare posset. Quamvis autem multi putent, in his casibus ægrotum debere omnino recitare illas parvas Horas, quas certo potest sine gravi incommodo recitare, & diebus illis jejunare, quibus certo potest; & in dubiis recurrere debeat aut ad dispensationem Prælati, aut ad consilium Medici, vel prudentis viri, quod certe est consultius, tutius, probabilius: Nihilominus sententia illa Suarii t. 2. de Relig. lib. 4. cap. 28. num. 27. Sanch., Palai, Less. cap. 37. d. 4. quod ægrotus certo impotens majorem partem Officii recitare simpliciter deobligetur, ne redigatur ad angustias perplexitatis, non videtur carere solida probabilitate; præsertim quia firmata est consuetudine, quæ vim habet tacitæ dispensationis.

II. Quod in hac Thesi proscribitur, est, neminem teneri ad partem Horarum minorem, si non possit majorem, etiamsi cesset motivum illud perplexitatis, quod haberetur in ægroto. Fingamus enim, quod aliquis Officio carens sciat memoriter solum Horas parvas; in hac sententia non teneretur illas recitare: Sicuti si quis urgentibus negotiis distineatur usque ad quadrantem ante mediam noctem, neque teneretur eo quadrante id, quod potest, Horarum recitare in hac sententia, quæ est Navarri in cap. *Quando*, de Consecr. dist. 1. cap. suo. 11. Dian. l. c., Caramuelis, & aliorum apud Tambur. l. 2. in Dec. c. 5. §. 8.

Fundamentum est primo, quia ex cap. 1. *De iis, quæ fiunt a majori parte*, Major pars trahit ad se minorem, & ex vulgari axiomate, Accessorium sequitur principale.

III. Secundo ex Tamb. loc. cit., quia sic videtur consuetudine receptum a prudentibus, & sic suavius redditur onus Officii, & scrupulis minus obnoxium, prout diximus relate ad ægrotum.

IV. Tertio ex Caramuele in Regul. S. Benedicti disp. 115. num. 1435., quia quamvis multi putent præcipi singulas Horas Canonicas divisibiliter: at multorum est sententia, quam ipse Caramuel sequitur, quod totum Officium præcipiatur indivisibiliter; unde non sint septem præcepta terminata ad singulas horas Canonicas, sed unum præceptum terminatum ad integrum Officium: Propterea qui nequit majori ejus parti satisfacere, videtur simpliciter deobligatus; nam rem illam integram præceptam non potest ponere, & ideo ad integram non tenetur; Ad ponendam vero illam mutilatam non obligatur, cum præceptum sit de re integra; & ideo simpliciter deobligatur. Sic qui non potest jejunare integro die, non obligatur jejunare usque ad prandium, licet commode possit; & qui die jejunii non potest abstinere a carnibus, communius docent non teneri abstinere a cœna: qui non potest totam Missam audire, probabiliter nec tenetur audire partem.

V. Confirmatur primo; quia ex Suar. t. 2. de Relig. lib. 4. cap. 18. num. 26. qui non potest majorem partem alicujus horæ Canonicæ recitare, non tenetur recitare partem illam minorem, quam potest, eo quod præceptum de recitandis singulis horis sit præceptum de re integra, & individua: ergo si supponatur, quod etiam totum Officium unico præcepto præcipiatur, tanquam res integra, & individua, aperte sequitur, quod impotens recitare majorem officii partem non teneatur ad partem, quam potest.

VI. Confirmatur secundo ex Nav. apud Sanch. lib. 1. Summæ cap. 19.; quia nec datur obligatio recitandi quamcumque minimam partem, quæ solum possit recitari, nec deobligamur a quacumque parte, quæ recitari possit, nec assignatur in jure, quanta sit illa pars, quæ trahat ad se reliquam; ac proinde prudentis arbitrio relinquitur definienda, argumento cap. *de Caussis* de Officio Deleg. Videtur autem juri conformius, si dicatur, quod universim major pars trahat ad se minorem: ergo in casu, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, ad nihilum tenetur, ex hoc capite, quod major pars ad se minorem trahat.

VII. Ostenditur falsitas ex Suarez, & Sanch. locis laudatis: quia quamvis Officium unius diei sit integra materia præcepti, ea tamen conflatur ex Horis, quarum singulæ continent integram quandam orationem, ita ut possint seorsim recitari: ergo sive præceptum de recitando totum Officium sit unum, sive multiplex, qui potest aliquam tantum integram Horam recitare, ad illam tenetur. Probatur consequentia ex illo axiomate: Qui non potest solvere totum, quod debet, tenetur solvere totum, quod potest, si hoc sit separabile; sicuti si quis debeat centum, nec possit solvere nisi decem, ad hæc tenetur: sed horæ sunt invicem separabiles, cum præceptum non solum sit de recitando integro Officio, sed etiam de recitandis singulis Horis; ut proinde communiter doceant, quod suscipiens Subdiaconatum in meridio teneatur recitare Horas sequentes tantum,

tum, non vero antecedentes, quia apte possunt horæ seorsim recitari: ergo qui potest unicam tantum Horam integram recitare, ad illam tenetur; & a fortiori qui non potest Matutinum, & Laudes recitare, potest tamen reliquas Horas, non poterit illas omittere.

VIII. Confirmatur. Si obligatio recitandi Officium integrum hujus diei non obligaret etiam ad recitandas singulas Horas, tamquam materiam dividuam, ad eum prorsus modum, quo obligatus ad jejunium, si unico tantum die Quadragesimæ (seclusio periculo illo perplexitatis in ægroto) possit jejunare, puta quia in itinere unico tantum die habet cibos ad jejunandum, ad illud tenetur tamquam ad rem præceptam de se dividuam; sequeretur, quod potens recitare omnes Horas, dempto tantum Completorio, ad nihil teneretur, quod nemo dixerit. Quamvis enim nonnulli docuerint non dari obligationem recitandi minorem partem, qui non potest majorem; nemo tamen somniavit, non dari obligationem recitandi partem majorem, qui non potest minorem. Sequela tamen est manifesta: intantum enim per Auctores hujus thesis non tenetur ad minorem partem, qui non potest majorem, ita ut major pars trahat ad se minorem, inquantum præcipitur totum Officium tamquam res individua, & integra: atqui tam est mutilatum Officium, si omittatur Matutinum, & Laudes, seu major pars, quam si omittatur solum Completorium: ergo si verum esset, quod non teneatur ad reliquas Horas, qui non potest recitare Matutinum, & Laudes, verum etiam esset, quod simpliciter ab Officio deobligetur, qui non potest Completorium duntaxat recitare, vel alteram Horam parvam, quamvis possit reliquas. Adde, quod licet ex diversitate opinionum potuerit nonnemo dubitare, num præcipiatur Officium tamquam res dividua, an individua? post hujus thesis proscriptionem nullus superest dubitationi locus.

IX. Ad primam rationem in contrarium dicendum, fundamentum illud, quod ipsa thesi exponitur, & est præcipuum apud Auctores hujus sententiæ, esse nullum; quia in eo Canone solum dicitur, quod standum sit majori parti suffragiorum, quia in tali materia major pars trahit ad se minorem; Ex quo non sequitur, quod in quacumque materia, etiamsi divisibiliter præcepta, minor pars a majore trahatur: Aliter qui solum posset minorem quadragesimæ partem jejunare, aut minorem partem debiti solvere, ad id non teneretur, quod nemo dixerit. Similiter axioma illud, Accessorium sequitur principale, limitatur in multis casibus, ut videre est apud Barbosam Tract. var. 1. axiom. 4., præsertim quando accessorium, & principale sunt separabilia, & inconnexa; Sic qui ovem cum agno promisit, & deinde non potest ovem dare, quia periit, adhuc tenetur dare agnum; ita in casu nostro.

X. Ad secundam: Falsum omnino est, hanc consuetudinem viguisse, nisi in casu ægritudinis ad vitandam perplexitatem, quæ incommodum pareret gravissimum; quis enim testari poterit prudentes, ac timoratos omisisse recitationem Horarum, quas recitare poterant; eo quod non possent Matutinum, & Laudes recitare? Hoc onus recitandi quodcumque recitari potest, est grave, & scrupulis obnoxium, relate ad ægrotum, qui dubitat quousque possit sine gravi detrimento Horas recitare; non tamen relate ad alios, ut si quis haberet Breviarium, quo solum possit recitare Horas absque Matutino, ac Laudibus.

XI. Ad tertiam. Ostendimus singulas Officii Horas præcipi tamquam res dividuas, quæ separatim recitari possint; quod tamen non habetur in aliis exemplis deductis; jejunium enim præcipitur tamquam res individua, & abstinentia a carnibus censetur communius esse de essentia jejunii; Secus vero abstinentia ab ovis, & lacticiniis, ut proinde qui dispensatur ad ova, & lacticinia, in omnium sententia teneatur jejunare. Quod attinet ad Missam, dicendum cum Sanch. lib. 1. cap. 19., quod si possit quis audire Missam a Præfatione verbi gratia usque ad finem, ad id teneatur, quia potest audire Missæ substantialia: Sicut enim in jejunio substantiale est abstinentia a carnibus, & unica comestio, accidentale vero abstinentia ab ovis, hora refectionis &c., & qui non potest hæc accidentalia servare, tenetur substantialia; ita in Missa substantiale est Consecratio, ac sumptio, ut proinde qui potest iis tantum assistere, teneatur, quamvis a reliquis cogatur abesse.

XII. Ad Confirmationem: Nonnulli cum Cardenas docent, quod sicut totum Officium præcipitur tamquam res dividua, ita etiam singulæ Horæ; atque adeo qui solum potest partem notabilem alicujus Horæ recitare, puta novem lectiones Matutini, ad illas sub mortali teneatur. Communius tamen cum Suar. n. 26., Sanch. num. 8. censent, singulas Horas præcipi ut materiam individuam, & tamquam unam actionem perfectam, ut proinde verum sit, quod impotens recitare majorem partem non teneatur ad aliam partem, quam potest, etiamsi ea sit notabilis: Ex. gr. si possit solum legere Lectiones Matutini, & non Psalmos, juxta hanc communiorem sententiam non tenetur lectiones recitare, quia illæ non sunt major pars, nec pars substantialis Matutini, nec conflant Horam Matutinam juxta Ecclesiæ institutionem: Contra vero, si possit recitare Psalmos, præsertim Feriæ, aut Sancti simplicis, & careat lectionibus, ad id tenetur: Sicut etiam tenetur recitare aut integrum Nocturnum tantum, aut Laudes tantum, etiamsi reliqua recitare non possit; quia tam singuli Nocturni, quam Laudes separatim recitari possunt, & tamquam res dividua præcipiuntur, non secus ac reliquæ Horæ, ut advertit Suar. num. 4.

XIII. Regula itaque generalis ex Sanch. est: Quoties aliquis non potest totum præceptum implere, sed potest partem, ad illam tenetur, si verisimile est, Legislatorem intendisse illam partem præcipere: secus vero si est verisimile oppositum: & in dubio standum pro lege, quæ est in possessione, atque adeo ad illam partem tenetur. Ex. gr. Quando aliquid præcipitur tamquam res aliqua individua, (ut præcipitur jejunium unius diei, Missa, tertia pars circuli Virginei, septem Psalmi Pœnitentiales) qui non potest ponere id, quod in his materiis est substantiale, non tenetur ad reliquam partem, quam potest; quando vero præcipitur jejunium Quadragesimale, septem Horæ Canonicæ, jejunia quatuor temporum, & similia, tunc qui potest partem aliquam dividuam, quam verisimiliter intendit præcipere Legislator, ad illam tenetur; v. gr. si potest quis solum Sextam recitare, ad illam tenetur; si vero potest recitare unum tantum Psalmum ex singulis septem Horis, quamvis septem

isti Psalmi conflent orationem longiorem, quam sit Hora Sexta, ad illos tamen recitandos non tenetur. Similiter si memoriter dicere possit Psalmos tantum Horarum, ad illos tenetur, quia omnes Psalmi sunt pars illarum substantialis, & procul dubio major illarum pars; si vero solum possit orationes, capitula, versus, & hymnos, ad illa non tenetur.

XIV. Ad secundam confirmationem: Ostendimus rationi consonum esse, quod ad illas Horas moraliter integras teneamur, quas sine gravi incommodo possumus recitare, quin teneamur, ne sub veniali quidem, ad partem aliquam notabilem, quæ non conflat moraliter Horam Canonicam, puta ad recitandas novem lectiones, si solum illas possemus recitare. Ubi adverto, materiam parvam, quæ excusat a mortali in recitatione Horarum, communius apud Dia. p. 2. tr. 12. ref. 41. censeri esse dimidiam partem Horæ brevioris, puta Tertiæ, Sextæ, Nonæ, aut Completorii, aut tres Lectiones cum responsoriis. Beneficiarius tamen ex Fill., & Dian. ref. 26., nisi integram Horam omittat, ad nullam restitutionem tenetur, esto mortaliter peccaret omittendo partem notabilem.

XV. Ex dictis sequitur primo contra Caramuel. loc. cit., quod etiamsi præceptum recitandi integrum Officium sit unum, non multiplex pro multiplicitate Horarum, atque adeo unum sit peccatum omittere omnes Horas, quin sit explicandum in Confessione, quot Horæ fuerint omissæ, adhuc peccet graviter, qui unam tantum Horam omitteret, quam solum posset recitare; Sicuti quamvis sit unum præceptum de restituendo centum, quæ debentur, nec debeat explicari in Confessione quantitas furti, aut rei alienæ, quæ invito Domino retinetur, nisi Confessarius de illa interroget, (juxta probabilem sententiam, quod solum circumstantiæ mutantes speciem sint necessario aperiendæ) nihilominus qui omittit restituere decem ver. grat., quæ solum restituere posset, adhuc peccat graviter. Et ratio in utroque casu est, quia præceptum recitandi Horas, & restituendi respicit materiam dividuam; unde sufficit, quod materia sit notabilis, quamvis non sit pars major, ut ejus omissio sit graviter peccaminosa. Utrum autem revera præceptum de recitandis Horis sit unicum, an vero multiplex? Less., Tamb., & alii apud Dian. p. 2. tr. 12. ref. 15. putant esse multiplex, eo quod singulæ Horæ suis temporibus recitandæ præcipiantur, esto ex benignitate Ecclesiæ possint citra mortale omnes simul recitari; ac proinde censent explicari debere in Confessione, quot Horæ sint omissæ. Communius tamen cum Suar., Vasq. docent esse unicum, posito quod possit citra gravem culpam qualibet totius diei hora totum Officium recitari, & solum sub veniali præcipiatur tanquam aliquid accidentale, quod statuto tempore singulæ Horæ recitentur.

XVI. Sequitur secundo, ægrotum tunc solum deobligari a recitanda qualibet Hora, quamvis illam possit sine gravi incommodo, quando certum est non posse majorem Officii partem recitare, & incideret in angustias perplexitatis, si vellet decernere, quod hanc potius, quam illam Officii partem posset citra grave incommodum: qui vero eximitur ab iis angustiis, tenetur recitare omnes illas Horas, quas potest: ut cœcus, qui memoriter recitare potest unam Horam, ad illam procul dubio obligabitur. Idemque dicas de ægroto, quando deobligatur ratione ægritudinis e jejunando per majorem Quadragesimæ partem; præsertim quia in hoc dierum spatio facilius poterit perplexitas vitari.

Neque dicas, ex thesi proscripta solum reddi improbabilem sententiam, quod non teneatur ad reliquas Horas, qui potest Matutinum, & Laudes, non vero quod non teneatur ad unam Horam, qui non potest reliquas.

Nam quamvis explicite illa solum sententia damnetur, cum tamen eadem ratio militet pro hac secunda, ut constat ex dictis, sequitur hanc etiam sententiam esse omnino improbabilem; esto solum incideret in excommunicationem, qui priorem illam sententiam doceret, non qui secundam. Ex regula enim alias tradita, Quando eadem ratio, quæ militat pro thesi proscripta, militat pro alia consimili, hæc etiam implicite redditur improbabilis: quamvis quia Odia sunt restringenda, non amplianda, prohibitio sub pœna excommunicationis lata a Pontificibus, ne theses proscriptæ doceantur, non se extendat ad alias consimiles theses, in quibus militat eadem ratio condemnationis.

XVII. Anxie quæritur, An ægrotus, vel cæcus, qui commode potest solum cum socio Horas recitare, teneatur illum ascisœre, si commode possit? Negat Jo: San. apud Dian. p. 2. tract. 12. ref. 43., & Tamb. l. c. quia nemo tenetur privilegio uti: Laym. admittit, si antea solitus erat cum socio Horas recitare. Sed communius cum Valen., Suar., Bonac., Azor., docent teneri socium asciscere, si absque magno incommodo possit; quia universim quando præcipitur finis, præcipitur etiam, quod media ad illum necessaria adhibeantur. Sic qui tenetur Missam audire, & caret vestibus, quas facile potest habere ab alio commodatas, tenetur illas accipere; & ex Lugo disput. 22. de Euchar. sect. 1. qui in carcere detinetur, si a Judice facultatem habet exeundi ad audiendum Sacrum, tenetur ea licentia uti. Quare universim tunc nemo tenetur uti privilegio, quando usus privilegii non est necessarius ad satisfaciendum præcepto; quando vero est necessarius, tenetur: & ideo communius docent cum Suar., Nav., Henr. & aliis plurimis apud eundem Lugo contra Avil., Ledes., Can., Con., Dian. par. 1. tr. 11. ref. 2. quod habens facultatem audiendi Sacrum tempore Interdicti, teneatur illud audire diebus festis. Immo Suar. contra Navar. docet, quod Beneficiarius, qui indigeret socio ad Horas recitandas, quem habere non posset sine aliquo sumptu, qui illi non esset valde gravis, adhuc cum eo sumptu teneatur socium advocare: sicut qui tenetur ad Horas recitandas, tenetur etiam Breviarium emere, si aliunde non habeat.

XVIII. Denique dubitatur, Num qui febri, aut alio impedimento laborat tempore singulis horis præstituto, possit Horas illas omittere, an vero teneatur anticipare, aut postponere? Supponimus tempus tribus nocturnis proprium esse horam noctis tertiam, sextam, & nonam; tempus Laudum esse auroram; tempus quatuor Horarum esse horam diei primam, tertiam, sextam, & nonam; tempus Vesperarum esse ante Solis occasum, (quamvis ex consuetudine Ecclesiæ duabus, vel tribus horis post meridiem, & tempore Quadragesimæ ante Cœnam) Completorii vero tempus esse post Solis occasum; unde fit, præter nocturnas vigilias, septies in die Dominum laudari; juxta illud Davidis, *Media nocte surgebam*, &c. *Septies in die laudem*

dem dixi tibi, ut dicitur in cap. 1. de Celeb. Missarum. Hoc posito, docuerunt nonnulli apud Dian. par. 7. tract. 11. ref. 14., quod habens impedimentum necessarium, v. g. ob febrim, non tamen voluntarium, deobligetur ab Horis eo tempore recitandis: Sicut qui Subdiacocatum suscipit meridie, non tenetur ad Horas Matutinas. Communius tamen docent dari obligationem præveniendi, aut postponendi, si commode fieri possit; quia integra dies est assignata iis recitandis; sicut tenetur summo mane audire Sacrum, qui deinde est impeditus.

PROPOSITIO LV.

Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.

De hac thesi affatim dictum est in expositione propositionis 14. Alex. VII. ubi ostendimus non satisfieri præcepto Ecclesiæ per Confessionem voluntarie nullam.

PROPOSITIO LVI.

Frequens Confessio, & Communio, etiam in his, qui gentiliter vivunt, est nota prædestinationis.

SYNOPSIS.

I. Quid importet esse Notam Prædestinationis?

II. Enumerantur præcipua Prædestinationis signa; inter quæ Frequentia Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, non tamen in his, qui gentiliter vivunt.

III. Videtur hæc thesis in eo niti, quod vita instar gentilium non impediat Sacramentorum fructum, si debite suscipiantur.

IV. Tum etiam quia Pœnitentiæ Sacramentum institutum est ad peccata delenda, & Eucharistia tanquam pharmacum immortalitatis; unde sunt nota Prædestinationis.

V. Nihilominus vel lemma proscriptum loquitur de frequenti horum Sacramentorum usu sacrilego in iis, qui gentiliter vivunt; & enormiter errat: Vel de usu devoto; & nititur in falso supposito: Vel de usu nec sacrilego, nec devoto; & hic nequit esse diuturnus in iis, qui instar gentilium vivunt.

VI. Frequens horum Sacramentorum susceptio indevota viam sternit ad ea sumenda sacrilege.

VII. Bona opera, quæ dicuntur esse nota Prædestinationis, annecti debent constanti mandatorum observantiæ, quæ in iis, qui vivunt gentiliter, haberi non potest. VIII. Frequens horum Sacramentorum usus indevotus est potius nota Reprobationis.

IX. Ex Angelico non est utilis quotidiana Eucharistiæ perceptio citra debitam præparationem. X. Irreverenter, & indigne sumentibus Eucharistia non prodest, sed obest, nec est pharmacum, sed venenum.

XI. Nonnulla sancivit Innocentius XI. circa quotidianam Communionem.

XII. Actualis devotio non videtur necessaria ad percipiendum primarium Eucharistiæ fructum, sed solum ad percipiendam spiritualem dulcedinem.

XIII. Præferenda est reverentia Eucharistiæ debita utilitati propriæ; & ideo nequit citra rationabilem causam absque congrua devotione sumi. Annectitur Decretum Innocentii XI. circa Communionem quotidianam.

I. Exponitur. Nota, seu signum Prædestinationis est id, unde probabiliter, & conjecturaliter alicujus prædestinationem rimari possumus; cum enim ea certo sciri non possit, juxta illud Ecclesiast. 7. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit*, solum ex conjecturis possumus illam scrutari, & ex iis solum probabiliter illam inferre. Hinc Bernard. serm. 2. suos alloquens dixit: *Quis scit, si omnium vestrum, quos hic video, nomina sint in Cœlis, & in libro Prædestinationis notata? Vocationis, & Justificationis nostræ aliqua signa videor intueri*. Signa autem isthæc esse aliud nequeunt, quam bonæ operationes: quæ cum sint prædestinationis effectus, ut habet Angelicus p. 1. q. 23. a. 5., de illa possunt nos quodammodo certiores reddere: unde 2. Petr. 1. dicitur: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, idest compertam aliis Fidelibus, ut exponunt Beda, Glossa, Oecumenius, & alii apud Ruiz disp. 57. de Prædest. sect. 3.

II. Inter opera pietatis, nonnulla præstantius conferunt ad salutem, & idcirco de iis præsertim dicitur, quod sint signa Prædestinationis. D. Bernard. Senen. apud Ruiz loc. c. numerat septem; Recupitus de Signis Prædestinationis enumerat duodecim; vid. Timorem peccati, Pœnitentiæ celeritatem post peccatum, Pœnitentiam fructuosam, Tribulationum tolerantiam, Humilitatem, Misericordiam in pauperes, Dilectionem inimicorum, Continentiam, Passionis Christi memoriam, Religionem erga Deum, & Sanctos, Devotionem erga Deiparam, & præ ceteris frequentem, ac devotum Eucharistiæ usum. Nemo tamen, cui cor sapiat, ausus est dicere, quod in hac thesi proscribitur, Frequentem scil. Confessionem, ac Communionem, etiam in iis, qui gentiliter vivunt, esse notam prædestinationis. Nonnisi ab indoctis, & indiscrete frequentiam horum Sacramentorum urgentibus hæc sententia prodire potuit, aut ab iis, qui ad quotidianam Communionem vellent homines adhortari, flocci facientes, quæ hac de re statuit sapientissime Sacra Congregatio, Innoc. XI. approbante, in eo Decreto ann. 1679. de Communione quotidiana; quod, ut præ manibus habeatur, in calce hujus thesis apponetur.

III. Rationes pro hac sententia videntur esse primo, quia ex D. Th. 3. p. q. 80. a. 10. utile est quotidie Christum sumere, ut homo quotidie ejus fructum recipiat: atqui quotidianus fructus ex Fonte gratiarum uberrime perceptus non potest non esse signum, ac nota prædestinationis; idque etiam in iis, qui gentiliter vivunt; cum vita isthæc instar Gentilium non impediat Eucharistiæ fructum, si debite suscipiatur: ergo frequens usus Eucharistiæ, atque adeo etiam Pœnitentiæ ad illam prærequisitæ jure Divino, nota est prædestinationis etiam in his, qui vivunt gentiliter. Major probatur, quia intantum illa bona opera ex Recupito enumerata sunt nota prædestinationis, inquantum, uberem gratiam conferunt, qua disponimur ad salutem: atqui uberior gratia percipitur ex susceptione horum Sacramentorum; tum quia ex opere operato simul, & ex opere operantis augetur gratia in iis suscipiendis; tum etiam quia Sacramentum Eucharistiæ uberrimam confert gratiam, principem enim inter reliqua obtinet locum; in eo quippe, ut habet Trid. *Salvator divitias sui erga homines amoris velut effudit*: ergo frequens horum Sacramentorum usus nota est præ-

de-

destinationis, etiam in iis, qui pessime vivunt, dummodo non suscipiantur sacrilege.

IV. Secundo, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad delenda peccata, quibus avertimur a salute; Eucharistia vero instituta est tanquam pharmacum immortalitatis, ut loquitur Ignatius Martyr; ergo frequens istorum usus maxime omnium confert ad salutem, atque adeo ea nota est prædestinationis, etiam in his, qui vivunt gentiliter, quin peccata obstent, aut tepiditas; nam, ut dicitur Matth. 9. *Non est opus valentibus Medico, sed male habentibus*, &, ut addit Bonav. tr. de Processu Religionis Processu 7. cap. 2. *Licet tepide accedas, fiducialiter confidas de misericordia Dei, quia quo magis æger, magis indiges Medico*.

V. Ostenditur tamen falsitas: quia lemma proscriptum dicens universim Sacramentorum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ frequentiam esse notam prædestinationis, etiam in his, qui gentiliter vivunt, vel loquitur de frequenti susceptione Sacramentorum sacrilega: & enormiter errat, cum non possint sacrilegia ad prædestinationem conferre, & præbere prudens fundamentum ad judicandum futuram sacrilegorum salutem; quin potius ea sunt apertissima nota reprobationis: Vel loquitur de frequenti susceptione devota, ac religiosa, in quo sensu communissime Patres, & Doctores docent, eam esse notam prædestinationis, & impossibile est id reperire in iis, qui gentiliter vivunt: quomodo enim possunt frequenter cum proposito efficaci non peccandi accedere ad Pœnitentiam, & cum debita humilitate, ac præparatione ad Eucharistiam, qui vivunt gentiliter in cœno culparum? Vel demum loquitur de frequenti usu horum Sacramentorum nec sacrilego, nec devoto, sed quantum satis est, ne sacrilege suscipiantur; & neque hoc poterit esse diuturnum in his, qui vivunt gentiliter; non potest enim frequenter iterari dolor prærequisitus efficaciter excludens voluntatem peccandi de cætero ab eo, qui simul frequenter in enormia Gentilium vitia relabitur.

VI. Quod si propositio loquatur de iis, qui vivunt gentiliter, hoc est vita Philosophorum gentilium a vitiis immuni, sed exuta Christianis virtutibus, atque adeo nullatenus sollicita de dispositione, ac devotione requisita ad hæc Sacramenta suscipienda, neque poterit frequens usus horum Sacramentorum esse nota prædestinationis: Siquidem frequens iste tepidus, ac indevotus accessus ad Sacram Exomologesim, & ad sacram Synaxim viam sternit ad mortalia, & ad susceptionem sacrilegam, & ad damnationem. De hac enim præsertim tepiditate intelligitur illud Apoc. 3. *Quia tepidus es, & nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo*. Non potest itaque probabiliter inferri prædestinatio illorum, qui gentilium mores imitantur, per hoc præcise, quod frequenter, aut quotidie ista Sacramenta suscipiant.

VII. Confirmatur: quia, ut advertit Ruiz l. cit., nullum ex iis bonis operibus, quæ dicuntur a Patribus, & Theologis signa prædestinationis, est tale, nisi annectatur constanti observantiæ mandatorum: nulli enim virtuti Deus Regnum cœlorum promittit, nisi sub ea conditione, quod serventur mandata. Propterea ille duntaxat notam aliquam prædestinationis habere potest, qui iis virtutibus munitur, quibus speretur futura aut continuata legis observantia, & victoria tentationum, aut saltem facilis, ac celer resipiscentia post lapsum: in iis autem, qui gentiliter vivunt, si in nova semper peccata relabuntur, id haberi nequit: ergo nullam prorsus habere possunt prædestinationis notam: Quinimmo, quamvis vitiis careant, neque poterunt prædestinationis notam haurire ex frequenti duntaxat Sacramentorum usu, quippe qui facile in sacrilegia rapiuntur, si debita careant præparatione, ut proinde minus arduum sit ad salutem pervenire eleemosynis, devotione erga Deiparam, aliisque consimilibus virtutum actibus eos, qui gentiliter vivunt, quam frequenti horum Sacramentorum indevota susceptione.

VIII. Denique ratio a priori est, quia illa dicitur nota Prædestinationis, quæ prudens præbet fundamentum judicandi, quod salus sit obtinenda: Sicut e contra ea dicitur Reprobationis nota, unde probabiliter inferimus damnationem alicui esse futuram: Atqui sicut in iis, qui vitam suam recte componunt, frequens Confessionis, & Eucharistiæ devotus, ac religiosus usus præbet prudens fundamentum judicandi, quod salus ab iis sit obtinenda, adeo ut si aliquando ex fragilitate sint defecturi, statim sint ad bonam frugem reversuri; ita in iis, qui vivunt vita Gentilium, aut prava, aut Philosophice duntaxat recta, frequentia etiam minus devota, nedum sacrilega horum Sacramentorum fundamentum præbet judicandi probabiliter, quod facile sint etiam in pœnam irreverentiæ in peccata lapsuri, & damnationem æternam subituri: ergo frequens usus horum Sacramentorum citra debitam dispositionem in iis, qui vivunt vita gentilium, aut prava, aut etiam Philosophice duntaxat recta, non solum non est nota prædestinationis, sed potius reprobationis.

IX. Ad primam rationem in contrarium satisfit ex doctrina ipsius Angelici l. c., qui quamvis dicat cum Ambrosio, ex parte ipsius Sacramenti utile esse illud quotidie sumere, addit tamen hæc: *Alio modo potest considerari ex parte sumentis, in quo requiritur, ut cum magna devotione ac reverentia ad hoc Sacramentum accedat; & ideo si aliquis se quotidie ad hoc paratum inveniat, laudabile, quod quotidie sumat: unde Augustinus, cum dixisset, Accipe quod quotidie tibi prosit, subjungit; Sic vive, ut quotidie merearis accipere. Sed quia multoties in pluribus hominum multa impedimenta hujus devotionis occurrunt propter corporis dispositionem, vel animæ, non est utile omnibus hominibus quotidie ad Sacramentum accedere, sed quotiescumque se ad illud homo invenerit præparatum*. Quare ex Angelico, sicut est utilis, atque adeo nota prædestinationis quotidiana perceptio hujus Sacramenti, si fiat cum debita devotione; ita non est utilis, & consequenter nec nota prædestinationis ejusdem frequens perceptio sine præparatione debita, quæ profecto deest omnino in iis, qui gentiliter vivunt, etiamsi a vitiis essent immunes. Idcirco in l. de Eccl. Dogmatibus apud eundem Angelicum dicitur: *Quotidie Eucharistiæ Communionem accipere nec laudo, nec vitupero*: Secundum se enim permissive se habet ad laudem, & vituperium. Laudandi profecto sunt, qui quotidie sumunt cum debita præparatione, sed vituperandi, qui ea carent, unde unde careant; defectus quippe debitæ dispositionis ob irreverentiam erga tantum Sacramentum detrimento potius est, quam utilitati, ac proinde de illo Ecclesia canit: *Mors est malis, vita bonis*.

X. Ad secundam: Verissimum est, eos, qui ex fragilitate labuntur, indigere his Sacramentis ad peccata

rata delenda, & ad præcavendos relapsus; præsertim quia Eucharistia, ut loquitur Trid. sess. 13. cap. 2., est *Antidotum, quo liberamur a culpis quotidianis, & a mortalibus præservamur*. Quare qui proni sunt ad relabendum, infirmitatem agnoscentes suam, debent Eliæ instar in fortitudine cibi istius ambulare usque ad montem Dei Horeb: propterea Ambros. lib. 4. de Sac. cap. 6. dixit: *Si quotiescunque effunditur Sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere. Qui semper pecco, debeo semper habere medicinam*. Quia tamen cibus Eucharisticus non est pharmacum, sed venenum, si indigne sumatur, & si sumatur irreverenter ex doctrina Angelici l. c., non prodest, sed obest; idcirco iis, qui gentiliter vivunt, si sacrilege, aut etiam irreverenter sumant, esse non potest nota prædestinationis. Huc facit, quod Sacri Interpretes docent, vid. Psaltem Regium de Eucharistia locutum fuisse Psal. 21. cum dixit: *Edent pauperes, & saturabuntur, laudabunt Dominum, qui requirunt eum, & vivent corda eorum in sæculum sæculi*: advertentes satietatem non dari ab hoc ferculo, nisi pauperibus illud esurientibus, & agnoscentibus humiliter propriam indigentiam, neque ex ejus comestione consequi laudem Domini, & vitam comedentium in sæculum sæculi, nisi illud requiratur, idest cum debita præparatione sumatur. His itaque erit pignus futuræ gloriæ, & nota prædestinationis, non vero viventibus gentiliter, qui sacrilege, aut irreverenter illud sumere præsumunt.

XI. Dubitatum fuit, an quotidiana Communio expediret? Sacra Congregatio, annuente Inn. XI., in Decreto laudato declaravit, quotidianam Communionem non esse de Jure Divino: frequentem tamen, quotidianumve Eucharistiæ usum fuisse semper a SS. PP. in Ecclesia approbatum. Quinimmo in votis Trident. sess. 22. fuisset, quod in singulis Missis Fideles adstantes illam reverenter sumerent, si id humana fragilitas ferret. Parochis tamen, & Confessariis decidendum est, quanam frequentia possit quilibet ad tantum Sacramentum accedere, spectata uniuscujusque animi puritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem processu: Negotiatoribus præsertim, & Conjugatis illud Confessarii præscribere debebunt, quod prospicient eorum saluti profuturum; Et unusquisque pro præparationis, ac devotionis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis suavitatem degustet. Monialibus quotidiana Communio permitti poterit, si puritate mentis eniteant, & fervore Spiritus ita incaluerint, ut dignæ quotidiana hujus Sacramenti perceptione videri possint. Verum hac de re recurret sermo in expositione proposit. 25. Alex. VIII.

XII. Dubitatur etiam, Utrum devotio actualis necessaria sit ad primarium fructum Eucharistiæ ex opere operato percipiendum? Cajet. qu. 79. art. 1., Durandus, & alii apud Gonetum affirmant. Sed communius cum Angelico 3. p. qu. 70. art. 8. negant; Siquidem olim pueris usu rationis, atque adeo devotione carentibus dabatur, utique fructuose; Et de facto ex Sacris Canonibus danda est amentibus in articulo mortis, qui ante amentiam illam saltem implicite petierunt. Neque ex Conciliis, aut SS. PP. constat, devotionem actualem esse omnino prærequisitam: Nihilominus indecens est sine illa ad Eucharistiam accedere; ut proinde si deliberate omittatur, obesse dicatur potius ab Angelico, quam prodesse; cum magis Deus puniat irreverentiam positivam erga tantum mysterium, quam velit ex opere operato munificentiam suam ostendere. Fructus certe spiritualis dulcedinis, & gaudii non confertur, si actualis devotio desit; is quippe oritur ex sanctis cogitationibus, & piis affectibus, quæ per mentis divagationem impediuntur.

XIII. Adde ex Dicast. disp. 9. dub. 18., quod licet fructus aliquis suscipiatur ex opere operato, quando minus devote Eucharistia suscipitur, adhuc præferenda est reverentia illi debita, quam propria utilitas; Sicut Ecclesia præcipit, ne sæpius quotidie quis communicet, esto multi ingentem inde fructum essent reportaturi. Solum itaque minus devota Communio permittenda est aut in magna necessitate, aut ratione alicujus solemnitatis; aut si quis diu caruit hoc ferculo, nec potest hic & nunc ulterius ad devotionem excitari; aut Sacerdotibus, ne Ecclesia frustretur fructibus Sacrificii.

DECRETUM

Circa Communionem quotidianam.

CUM ad aures Sanctissimi D. N. fide dignorum testimonio pervenerit, in quibusdam Diœcesibus vigere usum quotidianæ Communionis, etiam in feria sexta Parasceves, & simul affirmari eandem quotidianam Communionem præceptam esse a jure Divino; quin etiam in illius administratione aliquos abusus inolevisse; videlicet, quod aliqui non in Ecclesia, sed in privatis Oratoriis, & domi, immo cubantes in lecto, & non laborantes ulla gravis infirmitatis nota sumant Sacrosanctam Eucharistiam, quam argentea theca inclusam in crumena, aut secreto illis deferunt Sacerdotes Sæculares, aut Regulares; aliique in Communione accipiant plures formas, ac particulas, vel grandiores solito; ac tandem quis confiteatur peccata venialia simplici Sacerdoti non approbato ab Episcopo, aut Ordinario: Cum autem hæc Sanctissimus consideranda commiserit Sac. Congregationi Cardinalium Concil. Trident. Interpretum, eadem S. Congregatio, prævia matura discussione super prædictis, unanimi sententia ita censuit. Etsi frequens, quotidianusve Sacrosanctæ Eucharistiæ usus a SS. Patribus fuerit semper in Ecclesia probatus; nunquam tamen aut sæpius illam percipiendi, aut ab ea abstinendi certos singulis mensibus, aut hebdomadis dies statuerunt, quos nec Concilium Tridentinum præscripsit, sed quasi humanam infirmitatem secum reputaret, nihil præcipiens, quid cuperet, tantum indicavit, cum inquit: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes Sacramentalis Eucharistiæ perceptione communicarent*: Idque non immerito, multiplices enim sunt conscientiarum recessus, variæ ob negotia spiritus alienationes, multæ e contra gratiæ, & Dei dona parvulis concessa: quæ cum humanis oculis scrutari non possimus, nihil certe de cujusque dignitate, atque integritate, & consequenter de frequentiori, aut quotidiano vitalis panis esu potest constitui. Et propterea quod ad Negotiatores ipsos attinet, frequens ad Sacram alimoniam percipiendam accessus, Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscieniarum puritate, & frequentiæ fructu, & ad pietatem processu Laicis negotiatoribus, & Conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis præscribere debebunt. In Conjugatis

gatis autem hoc amplius animadvertent, cum B. Apoſtolus nolit eos invicem fraudari, niſi forte ex conſenſu ad tempus, ut vacent orationi, eos ſerio admoneant, tanto magis ob Sacratiſſimæ Euchariſtiæ reverentiam continentiæ vacandum, puriorique mente ad cęleſtium Epularum communionem eſſe conveniendum. In hoc igitur Paſtorum diligentia potiſſimum invigilabit, non ut a frequenti, aut quotidiana Sacræ Communionis ſumptione unica præcepti formula aliqui deterreantur, aut ſumendi dies generaliter conſtituantur, ſed magis quid ſingulis permittendum, per ſe, aut Parochos, ſeu Confeſſarios ſibi decernendum putet. Illudque omnino provideat, ut nemo a Sacro Convivio, ſeu frequenter, ſeu quotidie acceſſerit, repellatur; & nihilominus det operam, ut unuſquiſque digne pro devotionis, & præparationis modo rarius, aut crebrius Dominici Corporis ſuavitatem deguſtet. Itidem Moniales quotidie Sacram Communionem petentes admonendæ erunt, ut in diebus ex earum Ordinis inſtituto præſtitutis communicent; Si quæ vero puritate mentis eniteant, & fervore ſpiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut quotidiana Sanctiſſimi Sacramenti perceptione videri poſſint, id illis a Superioribus permittatur. Proderit etiam præter Parochorum, & Confeſſariorum diligentiam, opera quoque Concionatorum uti, & cum eis conſtitutum haberi, ut cum fideles ad Sanctiſſimi Sacramenti frequentiam (quod facere debent) acceſſerint, ſtatim de magna ad illud ſumendum præparatione orationem habeant; generatimque oſtendant, eos, qui ad frequentiorem, aut quotidianam ſalutiferi cibi ſumptionem devoto ſtudio excitantur; debere, ſive Laici negotiatores ſint, ſive Conjugati, ſive quicumque alii, ſuam agnoſcere infirmitatem, ut dignitate Sacramenti, ac Divini judicii formidine diſcant cęleſtem menſam, in qua Chriſtus eſt, revereri: Et ſi quando ſe minus paratos ſenſerint, ab ea abſtinere, ſeque ad majorem præparationem accingere. Epiſcopi autem, in quorum Dięceſibus viget hujuſmodi devotio erga Sanctiſſimum Sacramentum, pro illa gratias Deo agant, eamque ipſi, adhibito prudentiæ, & judicii temperamento, alere debebunt, & ab eorum Officio poſtulari ſibi maxime perſuadebunt, nulli labori, aut diligentiæ parcendum, ut omnis irreverentiæ, & ſcandali ſuſpicio in veri, & immaculati Agni perceptione tollatur, virtuteſque, ac dona in ſumentibus augeantur: Quod abunde continget, ſi ii, qui devoto hujuſmodi ſtudio, Divina præſtante gratia, tenentur, ſeque Sacratiſſimo Pane frequentius refici cupiunt, ſuas vires expendere, ſeque probare cum timore, & charitate aſſueverint. Quibus Chriſtum Dominum, qui ſe Fidelibus manducandum, & ſe pretium in morte tradidit, atque in Cęleſti Regno ſe præmium eſt daturus, precatur Sacra Congregatio, ut ſuam opem ad dignam præparationem, & ſumptionem largiatur. Porro Epiſcopi, & Parochi, ſeu Confeſſarii redarguant aſſerentes Communionem quotidianam eſſe de jure Divino: Doceant in Eccleſiis, ſeu Oratoriis privatis, ex diſpenſatione, ſeu Privilegio Pontificis, de manu Sacerdotis ſumendam Sanctiſſimam Euchariſtiam; nec eam ullo modo deferendam in crumena, aut ſecreto ad exiſtentes domi, vel cubantes in lecto, vel ad alios, quam ad infirmos, qui ad illam ſuſcipiendam ad loca prædicta accedere non valent: & ad eos ſi ab Eccleſiis deferatur, publice, & cum pompa juxta formam Ritualis Romani; ſi vero ab Oratorio privilegiato, cum forma decenti. Curent etiam, ut circa Communionem in feria ſexta Paraſceves Miſſalis Rubricæ, & Eccleſiæ Romanæ uſus ſerventur. Inſuper admoneant, nulli tradendas plures Euchariſtiæ formas, ſeu particulas, neque grandiores, ſed conſuetas. Non permittant, ut venialium confeſſio fiat ſimplici Sacerdoti non approbato ab Epiſcopo, aut Ordinario. Si Parochi, & Confeſſarii etiam Regulares, aut quicumque alii Sacerdotes ſecus egerint, ſciant Deo Optimo Maximo rationem reddituros eſſe, neque defuturam Epiſcoporum, & Ordinariorum juſtam, ac rigoroſam animadverſionem in contrafacientes, etiam Regulares, etiam Societatis Jeſu, facultate ipſis Epiſcopis, & Ordinariis per hoc Decretum per Sedem Apoſtolicam ſpecialiter attributa.

Et facta de præmiſſis omnibus, ac de verbo ad verbum relatione, Sanctitas Sua approbavit, ac præſens Decretum typis dari, ac publicari voluit.

In quorum, &c. Datum Romæ 12. Februarii 1679.

PROPOSITIO LVII.

Probabile eſt, ſufficere attritionem naturalem, modo honeſtam.

S Y N O P S I S.

I. Multifariam poterit Attritio eſſe ſupernaturalis quoad ſubſtantiam. II. Multiplex pariter eſt Attritio quoad modum ſupernaturalis, etiamſi ſit naturalis quoad ſubſtantiam. III. Varie Doctores opinati ſunt circa ſufficientiam Attritionis naturalis in Sacramento Pęnitentiæ. IV. Omnes hujuſmodi opiniones in hac theſi proſcribuntur.

V. Videtur Attritio naturalis ſufficere non ſolum ad valorem Sacramenti, ſed etiam ad fructum; ſiquidem ex Tridentino ad juſtificationem diſponit etiam attritio, quæ ex turpitudinis peccati conſideratione concipitur; hæc autem eſſe poteſt naturalis. VI. Ut ad gratiam ſupernaturalem detur diſpoſitio ſupernaturalis, videtur ſufficere, quod ſit ſupernaturalis ſola Spes veniæ, quæ attritioni annectitur. VII. Sacramenta non ponentibus obicem gratiam conferunt; per attritionem autem naturalem non ponitur obex gratiæ. VIII. Saltem naturalis attritio ſufficiet ad Sacramenti valorem, cum poſſit ex Angelico Sacramentum Pęnitentiæ eſſe validum, & informe ex defectu contritionis ſupernaturalis.

IX. Verum ex Tridentino Attritio, quæ diſponit ad gratiam in Sacramento, eſt antonomaſtice Dei donum, atque adeo ſupernaturalis. X. Quod eſt in ordine naturali, nequit ad formam ſupernaturalem diſponere. XI. Iſthæc Attritio non ſufficit ad valorem Sacramenti; cum ex Tridentino actus, qui ſpectant ad integritatem ſubſtantialem Sacramenti Pęnitentiæ, ſpectent etiam ad fructum. XII. Unde fit, nec ſufficere Attritionem ſupernaturalem duntaxat quoad modum, atque adeo non ſufficere, aut quod attritio naturalis annectatur Spei veniæ ſupernaturali, aut quod impetretur ab actu ſupernaturali.

XIII. Attritio ex motivo turpitudinis peccati, ut diſponat ad juſtificationem in Sacramento, debet attingere peccati turpitudinem lumine Fidei. XIV. Spes veniæ in Sacramento fundari debet in Fide ſupernaturali, ex qua procedere etiam debet attritio ſupernaturalis.

lis. XV. Per attritionem naturalem ponitur obex Gratiæ mere negative, quatenus per illam non ponitur attritio disponens ad gratiam. XVI. Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe habetur per hoc, quod attritio supernaturalis non cadat super omnia mortalia commissa. XVII. Potest dolor constitutivus Sacramenti per accidens non disponere ad gratiam.

XVIII. Etiam Attritio concepta ex consideratione turpitudinis peccati, prout dicentis oppositionem cum Deo auctore naturæ, potest esse supernaturalis, si hæc ipsa turpitudo lumine Fidei attingatur.

I. EXponitur. Attritio dicitur naturalis, si viribus naturæ eliciatur independenter ab auxilio gratiæ; ut cum quis dolet de peccato ob infamiam, aut ob pœnas temporales, non respiciendo illas lumine supernaturali ut infligendas a Deo vindice, sed respiciendo illas lumine naturali ut pedissequas culpæ. Est etiam naturalis Attritio, si quis doleat de peccato ob ipsam peccati turpitudinem, & dissonantiam cum natura rationali. Attritio vero dicitur supernaturalis, si procedat ex motivo cognito lumine Fidei supernaturali; tunc enim habet comprincipium etiam supernaturale, & sic est entitative supernaturalis: v. g. si quis doleat de furto ob metum gehennæ, quæ lumine Fidei cognoscitur; & probabilissime etiam, si quis doleat de peccato ob metum pœnarum temporalium ut infligendarum a Deo vindice; cum enim Tridentinum sess. 14. c. 4. dicat, attritionem supernaturalem concipi aut ex consideratione turpitudinis peccati, aut ex gehennæ, & pœnarum metu, ne sit superfluum verbum illud, *Pœnarum*, dicendum, etiam esse supernaturalem attritionem, quæ hoc pacto concipiatur ex motivo pęnarum temporalium cognito lumine Fidei. Et communius etiam docent esse paritur supernaturalem, si concipiatur ob amissionem æternæ beatitudinis, quæ pariter attingitur lumine Fidei. Similiter est supernaturalis ex Trident. si concipiatur ex consideratione turpitudinis peccati, dummodo hujusmodi turpitudo attingatur lumine supernaturali, v. g. ut notat Suar. disp. 5. de Pœnit. sect. 2. ut opposita virtuti supernaturali perducenti ad beatitudinem supernaturalem. Immo ex Lugo disp. 5. de Pęn. n. 142. hæc ipsa fœditas peccati, si cognoscatur lumine supernaturali Fidei cum aliqua oppositione ad Deum, v. g. si apprehendatur furtum, & homicidium, non solum ut dissonum naturæ rationali, sed etiam ut oppositum divinæ voluntati illud prohibenti, est etiam attritio supernaturalis, quamvis non attingatur peccati oppositio cum virtute supernaturali. Universim autem quoties motivum attritionis attingitur lumine Fidei supernaturali, concurrit ad illam comprincipium supernaturale, & sic est intrinsece, & quoad substantiam supernaturalis.

II. Præterea dari potest Attritio supernaturalis tantum quoad modum, & naturalis quoad substantiam; quod, ut notat Martinonius disp. 49. de Pęn. sect. 7. & alii, tripliciter contingere potest. Primo, si modus hic sit actui extrinsecus, v. g. si attritio de se naturalis fiat ex aliqua motione, aut inspiratione interna supernaturalis. Ad eum modum quo si per miraculum fiat aliquid intrinsece naturale, dicitur esse tantum supernaturale quoad modum, ut replicatio corporis, restitutio visus cæco, vitæ mortuo. Secundo, potest modus hic supernaturalis esse actui intrinsecus; ut si ponatur hic & nunc attritio cum ea intensione, aut duratione, ad quam non sufficiunt vires præsentes cum concursu naturali Dei. Tertio, dicitur modus supernaturalis, si attritio imperetur ab actu supernaturali, ipsa tamen procedat a principiis naturalibus. Sic si Parochus v. g. dicat rustico, Spiritum S. esse incarnatum, & rusticus ex pia affectione supernaturali ad Fidem imperet actum Fidei falsum de Incarnatione Spiritus S. hic actus est intrinsece naturalis; cum ex Trid. non possit Fidei supernaturali subesse falsum; imperatur tamen ab illo actu supernaturali, unde dicitur tantum supernaturalis quoad modum. His explicatis,

III. Multiplex fuit Doctorum opinio circa sufficientiam Attritionis naturalis. Prima Soti, Cani, Pitigiani apud Dian. p. 3. tr. 4. ref. 13. docentium, Attritionem naturalem honestam sufficere tum ad valorem, tum ad fructum Sacramenti Pęnitentiæ. Hęc tamen sententia exolevit post Trident. quod sess. 6. can. 3. habet; *Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem pęnitere posse ut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit*: loquitur autem Trident. universim tam de justificatione in Sacramento, quam extra Sacramentum, ut advertit M. Corrad. 2. p. p. 57. & patet ex contextu. Secunda sententia docet, Attritionem naturalem sufficere solum ad valorem, non ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ; unde si invincibiliter ea ponatur, Sacramentum erit validum, & informe, nec dabitur obligatio iterum subjiciendi clavibus eadem peccata. Ita Palud. Capreolus, Cajet. Durand. Victor. Penna, & alii apud Henr. lib. 1. de Pęnit. cap. 26. n. 2. lit. D. Tertia sententia vult sufficere ad valorem, si minus ad fructum Sacramenti Pęnitentiæ Attritionem naturalem quoad substantiam, dummodo sit supernaturalis quoad modum, aliquo saltem ex modis jam explicatis.

IV. Dubitatur nunc, Utrum præsens thesis omnes istas sententias damnet ut improbabiles, an vero solum velit, quod attritio naturalis excludens etiam supernaturalem quoad modum non sufficiat? Et Utrum velit, quod non sufficiat ad valorem, an vero quod solum non sufficiat ad fructum Sacramenti Pęnitentiæ? Cardenas censet non damnari, quod sufficiat saltem ad valorem hujus Sacramenti attritio solum quoad modum supernaturalis, quamvis dicat sententiam hanc esse falsissimam. Equidem censeo omnes sententias enumeratas huic damnationi subjici. Ratio est, quia damnatur universim sufficere attritionem naturalem; ergo cum thesis confixa loquatur illimitate, non possumus nos illam limitare citra rationem validissimam; atqui nulla apparet urgens ratio illam limitandi: ergo neque attritio naturalis nuda, neque attritio solum quoad substantiam naturalis, & supernaturalis quoad modum sufficit; & rursus neque sufficit ad fructum, neque etiam ad valorem Sacramenti Pęnitentiæ: Præsertim quia rationes validissimæ ostendunt, thesim hanc intelligendam esse cum omni universalitate, ut mox ostendemus. Illud certe debet esse inconcussum, quod licet aliqua ex iis opinionibus retineret probabilitatem speculativam, nullam tamen retineat practicam; cum non liceat in his materiis spectantibus ad valorem Sacramenti sequi opinionem probabilem, relicta tutiore.

V. Motiva ad dicendum sufficere attritionem naturalem, videntur esse. Primo, quia Trident. l. c. dicit, Attritionem disponere ad justificationem in Sacramento, si procedat ex consideratione turpitudinis peccati; hæc autem attritio videtur esse naturalis,

turalis, utpote procedens ex motivo naturaliter cognito: ergo sufficit etiam ad fructum Sacramenti Pœnitentiæ attritio naturalis.

VI. Confirmatur; quia Trid. ibidem dicit, attritionem ex turpitudine peccati ad justificationem disponere, si excludat voluntatem peccandi, & conjungatur cum spe veniæ; hoc autem haberi potest, etiamsi attritio sit naturalis, & ex motivo naturali procedat; ergo hæc sufficit. Neque obstat, quod Trid. dicat, hujusmodi attritionem esse donum Dei. Non enim dicit solam attritionem esse Dei donum, sed attritionem cum spe veniæ, atque adeo sufficit, quod spes veniæ sit actus supernaturalis, etiamsi attritio sit naturalis, ut possit peccator per hujusmodi Dei donum ad justificationem disponi.

VII. Secundo, ex eodem Trident. sess. 7. can. 5. Sacramenta novæ legis gratiam conferunt non ponentibus obicem, atqui dolens de peccato ex motivo naturali non ponit obicem gratiæ in Sacramento Pœnitentiæ conferendæ, saltem si putet se esse bene dispositum: ergo ut prius.

VIII. Tertio, quia debet sufficere attritio naturalis ad valorem Sacramenti, si minus ad fructum: aliter (ut conqueritur Lumbier) videtur in hac thesi damnari possibilitas Sacramenti Pœnitentiæ validi, & informis ex defectu doloris requisiti, quod est incredibile. Nunquam enim Ecclesia censetur damnare opiniones receptissimas, & DD. primæ notæ; non quasi vero non præstet sola auctoritas Ecclesiæ omnibus omnino oppositum sentientibus; sed quia impossibile moraliter est, ut communiter prima Theologorum lumina decipiantur. Sacramentum autem Pœnitentiæ validum, & informe etiam ipse Angelicus disertissime admittit in 4. dist. 17. q. 3. art. 4. ubi habet: *Confessio potest esse in eo, qui non est contritus; & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione percipere incipiet; sicut etiam est in aliis Sacramentis: Unde non tenetur iterare Confessionem, qui fictus accedit, sed tenetur postmodum fictionem suam confiteri*: ergo potest dari Sacramentum validum cum sola attritione naturali, quamvis sit informe ex defectu contritionis supernaturalis disponentis ad fructum Sacramenti: Quare probabile videri posset, sufficere attritionem naturalem, modo honestam.

IX. Ostenditur falsitas, tum ex Trident. quod Canone laudato dicit, neminem sine præveniente Spiritus S. inspiratione, atque adjutorio pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur: Tum etiam quia l. c. Trid. etiam dicit, attritionem disponentem ad gratiam in Sacramento esse donum Dei, & Spiritus S. impulsum, quæ est pariter doctrina Arausicani can. 3. Non possent autem hujusmodi dotes attritioni competere, nisi ea esset quoad substantiam supernaturalis: ergo ut disponat in Sacramento ad gratiam, debet esse intrinsece supernaturalis. Quod etiam docet Apostolus 2. ad Cor. 7. dicens, tristitiam, quæ operatur pœnitentiam ad salutem, debere esse secundum Deum.

X. Et ratio a priori est, quia dispositio debet esse proportionata formæ introducendæ; dolor autem naturalis, utpote ordinis inferioris, nequit esse proportionatus ad gratiam: ergo attritio disponens ad justificationem debet esse entitative supernaturalis.

XI. Deinde, quod attritio naturalis sicut non sufficit ad fructum, ita nec sufficiat ad valorem Sacramenti, ex eo evincitur, quia Florent. & Trid. eundem dolorem ad utrumque requirunt. Trid. enim s. 14. c. 3. habet: *Sunt autem quasi materia hujus Sacramenti pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur;* quibus verbis aperte docent, eosdem actus ad integritatem Sacramenti substantialem, & ad effectum pertinere. Similiter Trid. c. 4. differens de Contritione, quam prius dixerat esse partem Sacramenti Pœnitentiæ, docet: *Eam disponere ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam.*

XII. Denique, quod non sufficiat attritio solum supernaturalis quoad modum, (quatenus saltem annectitur Spei veniæ supernaturali, aut imperatur a motivo supernaturali) constat ex dictis; tum quia Trid. de attritione disponente ad justificationem, non vero de aliis actibus concomitantibus dicit esse donum Dei; tum quia Trid. etiam sess. 6. can. 3. definit, non solum actus Fidei, Spei, & Dilectionis, sed etiam actum doloris disponentem ad justificationem debere esse supernaturalem: Arausicanum l. c. auxilium supernaturale speciatim ad actum pœnitentiæ requirit: ergo attritio, quæ non sit quoad substantiam supernaturalis, neque ad fructum, neque ad valorem Sacramenti sufficit.

XIII. Ad primam rationem in contrarium: Ex ipsis verbis Tridentini dicentis, attritionem ex turpitudinis peccati consideratione conceptam disponere ad justificationem, eruitur ipsum loqui de attritione, quæ attingit turpitudinem peccati lumine Fidei; aliter non posset ad gratiam supernaturalem disponere. Notat autem Angelicus qu. 85. a. 5. ad 1. detestationem peccati non solum posse esse supernaturalem uno ex iis duobus modis, quos ex Suar. & Lug. explicavimus, vid. si attingatur turpitudo peccati secundum oppositionem, quam habet cum virtute supernaturali, aut si attingatur lumine supernaturali Fidei dissonantia, quam habet peccatum cum natura rationali, & oppositio cum Divina voluntate illud prohibente, sed etiam posse esse supernaturalem, ita ut sit perfectissimus actus Charitatis; nam in peccato nulla major turpitudo reperitur, quam ipsa offensa Dei summe amabilis. Propterea si quis ex consideratione hujus turpitudinis peccatum detestetur, non solum ponet dolorem supernaturalem; sed etiam elicitum ex virtute Charitatis infusa.

XIV. Ad Confirmationem: Attritio ut disponat ad justificationem in Sacramento, debet excludere voluntatem peccandi, & conjungi cum spe veniæ; hujusmodi autem actus debet fundari in Fide supernaturali, atque adeo attritio procedere debet ex motivo supernaturali, ut ostendimus. Nec sufficit, quod sola spes veniæ sit actus supernaturalis, quia Trident. l. c. definit, non solum actum Fidei, Spei, & Charitatis, sed etiam actum Pœnitentiæ sine auxilio gratiæ ad justificationem non posse disponere: propterea quando Tridentinum dicit attritionem cum spe veniæ esse donum Dei, non loquitur de hoc complexo categorematice, & indivisibiliter sumpto, sed de utroque actu sumpto divisibiliter, & syncategorematice.

XV. Ad secundam: Qui accedit post peccatum cum sola attritione naturali ad Sacramentum Pœnitentiæ, non dicitur ponere obicem gratiæ per hoc, quod habeat peccatum, & non ponat attritionem supernaturalem requisitam ad effectum gratiæ in Sacramento: Quinimo diximus in tali casu Sacramentum non poni; unde nec formatum est Sacramentum, nec validum.

XVI. Ad

XVI. Ad tertiam: Ex definitionibus Tridentini constat, non posse sustineri possibilitatem Sacramenti Pœnitentiæ validi, & informis juxta varias vias olim ab Auctoribus excogitatas: puta si quis non doleat, & cognoscat se non dolere, confiteatur tamen talem indispositionem; vel Si quis careat dolore in ea intensione, quæ requiritur ad fructum; vel si habeat attritionem putatam: & similes. Ex hac thesi damnata infertur etiam, non subsistere opinionem admittentium possibilitatem hujus Sacramenti validi, & informis ex hoc, quod ponatur solum attritio naturalis. Hinc tamen non sequitur, opinionem de Sacramento isto valido, & informi omnino damnari. Probabiliter enim est hujusmodi juxta viam Suar. & Lug. vid. si quis habens v. g. duo peccata, furti, & homicidii, doleat solum de homicidio dolore supernaturali concepto ex motivo turpitudinis propriæ talis peccati, & invincibiliter oblitus de peccato furti suscipiat Sacramentum Pęnitentiæ: in quo casu dantur omnia constitutiva Sacramenti, unde est validum; sed datur obex gratiæ ob peccatum invincibiliter oblitum, & non retractatum, unde Sacramentum est informe. Et in hoc sensu interpretandus est Angelicus loc. laud. ubi dicit, quod Sacramentum sit validum, quando quis non accedit contritus; non enim potest significare, quod sit validum, si absque ullo prorsus dolore suscipiatur. Quare dicendum, juxta mentem Angelici, Sacramentum esse validum, si quis habeat dolorem supernaturalem de uno peccato; & non sit contritus de alio invincibiliter oblito: & idcirco solum tenetur deinde confiteri hanc fictionem, nempe hoc peccatum oblitum, ratione cujus fuit illa fictio, seu simulatio Sacramenti fructuose suscepti.

XVII. Neque dicas, quod in hoc Systemate dolor, qui est pars Sacramenti, non esset dispositio ad gratiam, contra ea, quæ supra diximus ex Flor. & Trid. Nam communiter respondent, id aliquando esse per accidens; Siquidem per se dolor hic ex motivo turpitudinis particularis peccati est sufficiens etiam ad fructum Sacramenti, dummodo per accidens non conjungatur cum peccato illo invincibiliter oblito.

XVIII. Inquiri potest, Num detestatio peccati ex motivo hujus turpitudinis, quod sc. sit contra Deum Auctorem naturæ, possit esse supernaturalis, & sufficiens ad Sacramentum pęnitentiæ? Negat Gonet. disp. 7. de Pœn. a. 4. quia hic actus respiciens motivum naturaliter cognoscibile, est naturalis quoad substantiam, unde nequit tollere aversionem a Deo ut Auctore supernaturali, & ad gratiam in Sacramento disponere. Vasq. vero p. 2. disp. 194. c. 4. n. 35. putat posse hujusmodi attritionem esse donum gratiæ per Christum, & disponere ad justificationem, etiamsi secundum naturam sit ordinis naturalis; quia gratior est Deo detestatio peccati ex hoc motivo, quod sit contra Deum auctorem universi, quam ex motivo pœnarum. Equidem cum Scoto, Ripalda, Lugo censeo actus naturales non differre a supernaturalibus ex objecto formali, sed solum ratione principiorum, unde promanant: quare sicut attritio ex pęnarum temporalium metu est supernaturalis, si lumine Fidei illæ pęnæ attingantur ut a Deo vindice infligendæ; ita attritio ex turpitudine peccati, quatenus scilicet contra Deum auctorem naturæ, poterit esse supernaturalis, si hoc ipsum cognoscatur lumine Fidei. Potest enim cognosci lumine Fidei illud ipsum, quod potest lumine naturali cognosci; & de facto in Symbolo credimus Deum Creatorem Cęli, & Terræ, quod potest etiam lumen naturale manifestare. Quare si attritio procedat ex motivo, quod potest utroque lumine attingi, naturali, & supernaturali, quoties attingit illud lumine naturali, attritio ex illo procedens erit naturalis; sin illud attingat lumine Fidei, attritio consequens erit entitative supernaturalis, sufficiens ad valorem, & fructum Sacramenti Pęnitentiæ. In praxi tamen semper curandum, ut attritio procedat ex motivo supernaturali.

PROPOSITIO LVIII.

Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.

De hac thesi profligata agemus in expositione propositionis sexagesimæ, ubi de Pœnitente habente consuetudinem peccandi.

PROPOSITIO LIX.

Licet sacramentaliter absolvere dimidiate tantum confessos, ratione magni concursus Pœnitentium, qualis v. g. potest contingere in die magnæ alicujus festivitatis, aut Indulgentiæ.

SYNOPSIS.

I. Confessio debet esse materialiter integra, nisi excuset impotentia sive physica, sive etiam moralis.

II. Sufficit tamen ad fructum Sacramenti sola integritas formalis, quando haberi non potest integritas materialis. III. Hinc nonnemo docuit, posse Sacramentaliter absolvi dimidiate Confessos ratione magni concursus pœnitentium in die magnæ festivitatis, aut Indulgentiæ, ne aliis impediatur susceptio Sacramentorum, & Indulgentiæ assecutio.

IV. Videtur quippe licitum esse, Confessionem dimidiare ad declinandum grave damnum spirituale proximi; quod haberetur in casu. V. Idque videtur ex Christi benignitate præsumendum. VI. Præceptum Charitatis prævalet præcepto de integritate materiali Confessionis. VII. Sicut potest Superior gravibus curis distentus, auditis tantum reservatis, absolvere Pęnitentem, & remittere illum Inferiori, ut absolvatur a reliquis: ita in casu. VIII. Sic pariter Confessarius Inferior, auditis tantum non reservatis, potest Pęnitentem absolvere, quando aliter multum esset differenda Confessio. IX. Cum possit probabiliter Sacerdos carens copia Confessarii, quo indiget, celebrare cum sola contritione, ut ipse, vel alii satisfaciant, aut præcepto audiendi Missam, aut communicandi in Paschate, a fortiori videtur posse in casu Confessio dimidiari. X. Verum non reperitur in casu thesis impotentia moralis, quæ excuset ab integritate materiali Confessionis. XI. Si licerent hujusmodi Confessiones dimidiatæ, multorum ruina traheretur.

XII. Quando per accidens longa Pęnitentis Confessio jam incepta non possit citra infamiam, aut scandalum differri, tolerandum potius, quod alii eo die Indulgentia priventur. XIII. Non est præsumendum, quod Christus Dominus consenserit in has dimidiatas Confessiones, quæ obsunt potius, quam prosint animabus. XIV. Pręvalet quidem præceptum Charitatis: at id esset contra Charitatem.

XV. Superior, auditis tantum reservatis, non absolvit Sacramentaliter, sed solum potest reservationem tollere, & absolvere a Censuris. XVI. Ut possit Inferior absolvere Sacramentaliter directe a non reservatis, & indirecte a reservatis, requiritur gravi causa. XVII. Et tunc verius videtur, quod Confessio non possit dimidiari, ita ut solum non reservata clavibus subjiciantur. XVIII. Idcirco Sacerdos ille potest cum sola contritione celebrare, quia tunc urget præceptum audiendi Missam, vel communicandi, casusque est perrarus; unde non sequuntur incommoda, quæ in casu nostro. XIX. Non videtur posse Confessio dimidiari, ne peccati complex detegatur, poterit tamen hujusmodi complex detegi, ne hic & nunc amittatur Indulgentia.

I. EXponitur. Constat ex Trid. sess. 14. cap. 5. Confessionem debere esse secundum se etiam materialiter integram, quatenus ex præcepto Christi Domini tenemur omnia peccata quoad speciem, & numerum, & circumstantias speciem peccatorum mutantes subjicere clavibus. Quia tamen benignissimus Legislator noluit ad id obligare, ubi detur impotentia moralis, nedum physica exponendi aliquod peccatum; (ita enim Ecclesia universum præceptum hoc semper est interpretata) idcirco sufficit tunc dimidiata Confessio, exponendo tantum peccata, quæ citra moralem impossibilitatem, seu grave onus exponi possunt: In quo casu Confessio dicitur esse formaliter tantum integra, quatenus nihil ei deest, quod ad validitatem, & formam Sacramenti spectet.

II. Præterea, sufficere etiam ad fructum Sacramenti Confessionem formaliter tantum integram, quando non potest esse etiam integra materialiter, nemo est qui dubitet; cum noluerit Christus D. teste eodem Tridentino, Confessionem esse carnificinam conscientiarum. Propterea licite dimidiatur Confessio, tum propter impotentiam physicam, ut si quis post aliquorum peccatorum Confessionem sensibus destituatur, aut si immineat periculum naufragii, ruinæ, incendii, &c. vel siquis inculpabiliter alicujus peccati obliviscatur; Tum propter impotentiam moralem, ut si ex Confessione alicujus peccati merito timeatur grave damnum vel proprium, vel alienum, sive corporale, sive spirituale; Verbi gratia si Sacerdos peccatum aliquod sit revelaturus, aut si mulier sciat ex Confessione alicujus peccati sibi, vel Confessario futurum periculum ruinæ, aut si delato ad moribundum Sacro Viatico deprehendat Confessarius, quod teneatur ille plures Confessiones invalidas repetere, nec possit sine infamia, aut scandalo differri diu Eucharistiæ administratio. In his, & similibus casibus sufficit dimidiata Confessio cum proposito subjiciendi clavibus reliqua peccata, ubi cesset impotentia illa sive physica, sive moralis.

III. Ex hac doctrina communissime admissa intulerunt nonnulli apud Con. dis. 7. num. 93. præsentem thesim, quod scilicet possit Confessio dimidiari, quando in aliquo magnæ festivitatis, vel Indulgentiæ die, ob concursum pęnitentium, non possent omnia peccata exponi, quatenus si omnia exponerentur, plurimi carerent eo bono spirituali, ac indulgentia, eo quod non posset Confessarius audiendis aliorum Confessionibus vacare, ut unius, vel alterius integram Confessionem excipiat.

IV. Rationes pro hac sententia videntur esse, Primo, quia ad declinandum malum grave, aut temporale, aut spirituale, sive proprium, sive proximi licite possumus Confessionem dimidiare: sed in casu grave detrimentum spirituale videtur esse, impedire plurimis Indulgentiam, & Sacramentorum susceptionem in die magnæ festivitatis, ut Confessio sit integra, aut se tanto bono privare, Confessionem omittendo; ergo licitum est in casu Confessionem mutilare; unde potest Confessarius dimidiate hac de causa confessos absolvere Sacramentaliter.

V. Secundo, intantum præceptum Christi Domini de integritate materiali Confessionis de facto non obligat cum gravi incommodo, & cum morali impotentia, quia ex benignitate Divini Legislatoris non præsumitur, quod voluerit cum gravi incommodo ad illud servandum obligare: atqui nec præsumitur: quod velit propter illud tanto bono spirituali homines privare, nimirum Sacramentis, & Indulgentia in die magnæ festivitatis: ergo nec obligat in casu nostro.

VI. Tertio, præceptum de integre confitendo in omnium sententia non prævalet præcepto charitatis, unde ad scandalum vitandum potest dimidiari Confessio: sed in casu nostro pariter concurrit hoc præceptum cum præcepto charitatis: ergo, ne privetur homo tanto bono Spirituali, poterit Confessionem dimidiare. Cum enim Sacramenta sint instituta in bonum Spirituale Fidelium, non est credibile, quod voluerit Christus Dominus Fideles privare ingenti bono Spirituali in die magnæ festivitatis, ut servetur præceptum de materiali integritate Confessionis.

VII. Quarto, potest Superior auditis tantum reservatis, absolvere Sacramentaliter penitentem, & remittere illum aliis Confessariis pro absolutione a non reservatis; idque quia non vacat Episcopo, aut alii Superiori gravibus curis distento audire Confessionem integram; ergo propter caput omnino consimile, potest etiam in casu nostro Confessarius sacramentaliter absolvere confessos dimidiate. Consequentia sequitur: Antecedens autem docetur a gravibus Auctoribus apud Lugo disp. 20. de Pęnit. n. 75. vid. a Cajet. D. Anton. Palud. Nav. utroque Soto, & aliis, quamvis velint iidem apud Suar. disp. 31. sect. 1. quod pęnitens dimidiate absolutus a Superiore debeat deinde reservata simul, & non reservata Inferiori confiteri, ut Sacramentum habeat effectum suum. Addit Cajet. V. *Confessio* conditione 10. hanc esse praxim Curiæ Romanæ, quam non licet reprobare.

VIII. Quinto ex Suar. disp. 23. de Pęn. sect. 2. Gran. & aliis apud Dia. p. 5. tr. 13. res. 8. potest Confessio dimidiari aperiendo Inferiori solum non reservata, quando non potest adiri Superior propter reservata; idque non solum quando hoc expedit ad vitandum scandalum, sed etiam ne quis multum differat Confessionem, & Communionem: longa enim Confessionis dilatio est damnum gravissimum, quia privatur homo gratia Sacramentali, & auxiliis gratiæ ad non relabendum; ergo pariter in casu nostro poterit Confessio dimidiari, ne homo privetur ingenti bono Spirituali.

IX. Sexto, quia juxta probabilem sententiam Card. de Lug. d. 14. de Euch. n. 114. & Fag. pr. 3. l. 3. c. 9. Henr. Tolet. Sylv. contra Cord. Suar. Fill. apud Dia. p. 2. tr. 14. res. 63. Sacerdos potest cum sola contritione, si desit copia Confessarii, celebrare præcise ut ipsemet Sacerdos satisfaciat præcepto audiendi Missam. Et ratio ad id asserendum est, quia ex summa benignitate Christi Domini non præsumitur, quod velit privare Sacerdotem bono Sacrificii eo die, quo omnes tenentur illud audire, ut satisfiat præcepto de præmittenda Confessione Communioni. Et similiter potest Sacerdos ex eodem Lugo n. 116. contra Suar. sine Confessione celebrare, ut ipse, vel alii impleant præceptum Paschale: ergo a fortiori poterit dimidiari Confes-

sio, ne bono ingenti spirituali pęnitens, aut alii priventur in die magnæ festivitatis, vel indulgentiæ. Magis enim est Confessionem omittere, quam dimidiare; quandoquidem si omittatur, necessario requiritur ante Communionem contritio, quæ non est obvia: si vero dimidietur, sufficit attritio prævia.

X. Ostenditur falsitas: quia a præcepto integre confitendi nemo deobligatur, nisi ob impotentiam physicam, aut moralem; nec dicitur adesse impotentia moralis, nisi quando ingens damnum homo subiret satisfaciendo tali præcepto. Sed in casu nostro homo non subiret grave damnum, si differret Confessionem ad diem sequentem, esto privaretur ea Indulgentia, qua tamen privatur culpa sua, quia poterat die antecedenti integre, & commode confiteri: ergo non datur in hoc casu sufficiens caput, ut possit Confessio dimidiari.

Dices: Fingamus, quod in die alicujus festivitatis unus tantum sit Confessarius, & quod Pœnitens bona fide Confessionem inceperit per horas protrahendam, ita tamen ut non possit vitare scandalum, si deinde non communicet; in tali casu, nisi dimidietur Confessio, omnes alii absque Confessione, & Communione discedent: ergo saltem licitum erit Confessionem dimidiare in hoc casu, ne alii hoc bono spirituali priventur: Esto possit pęnitens sine absolutione dimitti, quando citra scandalum, aut infamiam posset Confessionem differre.

Respondeo: vel supponimus, quod in hoc casu non solum sit scandalum, aut infamia, si Pęnitens sine absolutione dimissus non communicet, sed etiam sit scandalum, & infamia ipsa protractio Confessionis ad horas, dum alii diu expectantes fremunt; Et in tali casu potest Confessio dimidiari ad scandalum vitandum; Sicut omnes docent, quod possit Confessio dimidiari ad vitandum scandalum, quando Parochus detulit Sacrum Viaticum moribundo, & dum vult ille reconciliari, videt Confessiones præteritas esse repetendas, nec posse id fieri sine magna populi expectantis admiratione: Vel nullum supponitur adesse scandalum, aut infamia, per hoc quod pęnitens diu protrahat Confessionem, ut passim accidit, sed solum haberetur querela illa pęnitentium, quod non possint ipsi confiteri: hæc non est sufficiens ratio Confessionem dimidiandi. Quare ad summum poterit pęnitenti suaderi, quod ad vitandas aliorum querelas recedat sine absolutione, ac deinde redeat tanquam manifestaturus peccatum aliquod oblitum, & interim det locum aliis.

XI. Ratio ulterior est, quia si aperiretur hoc ostium, ita ut licite possent in concursu pęnitentium Confessiones dimidiari, innumera sequerentur inconvenientia. Nam in his festivitatibus plurimi accedunt, qui non facile possunt brevi tempore integre confiteri; atque adeo plurimæ darentur Confessiones dimidiatæ, præsertim eorum, qui maxime indigerent Confessionis remedio. Præterea multæ pariter dimidiatæ Confessiones darentur tempore Paschali: ultimo enim die magnus solet esse pęnitentium concursus, & ii, qui semel quotannis solent Præceptum implere, consulto eo ultimo die accederent, ut possent licite confiteri dimidiate, nec redirent, nisi anno insequenti ad Confessionem complendam. Quamvis enim Sot. apud Suar. l. cit. putet hunc teneri complere Confessionem, statim ac potest; communius tamen cum eodem Suar. negant.

Adde, quod Confessarius ignorans pœnitentis statum non posset illi opportunum remedium dare ad præcavenda nova peccata: Quare ut his, aliisque incommodis occurratur, dicendum, Confessiones non posse ex hoc præcise capite dimidiari, quod exponitur in thesi profligata.

XII. Ad primam rationem in contrarium: Constat ex dictis non esse magnum incommodum pariens moralem impossibilitatem confitendi integre, aut quod hujus Pęnitentis Confessio differatur ad tempus opportunius, aut quod turba populi expectantis careat eo die Confessione, & Indulgentia, si nullatenus posset illius pęnitentis Confessio differri, vel quia scandalum sequeretur, si is non communicaret, vel quia non facile speratur, quod esset rediturus hujusmodi pęnitens.

XIII. Ad secundam: Non potest de benignitate Christi Dom. præsumi, quod velit ob levem hanc causam deobligare a præcepto integre confitendi; præsertim quia, si hoc ostium aperiretur, innumeræ sequerentur Confessiones dimidiatæ, & sacrilegæ, & magna multorum ruina.

XIV. Ad tertiam: Verum est, præceptum Charitatis prævalere præcepto de integre confitendo, sic ut propterea cesset hoc obligare, si damnum notabile alicui eveniret præcise ob observantiam talis præcepti: Ostendimus tamen ex observantia hujus præcepti non evenire in casu thesis proscriptæ damnum notabile. Imo potius damnum notabile eveniret, si scirent homines, ex hac levi, & obvia causa posse Confessiones dimidiari: ergo non cessat in casu obligatio integre confitendi, nec potest aliter de benignissima Christi D. voluntate præsumi.

XV. Ad quartam, communissime negant antecedens; cum non detur ratio per se loquendo sufficiens, cur possit Superior absolvere Sacramentaliter Pœnitentem dimidiate, hoc est a reservatis tantum; potest enim ab excommunicatione extra Sacramentum absolvere, ac tollere reservationem, & sic remittere pœnitentem, ut ab Inferiori a reservatis simul, & non reservatis absolvatur Sacramentaliter: ergo ita debet se gerere. Et in hoc sensu videntur loqui graves Auctores, qui pro sententia opposita laudantur (quicquid sit, an aliqui aliter senserint.) Quod ex eo patet, quia docent, pęnitentem post absolutionem a Superiore acceptam a reservatis, debere deinde Inferiori reservata simul, & non reservata aperire: hoc certe non esset necesse, si Superior Sacramentaliter absolvisset a reservatis; quare solum contendunt, quod possit Superior extrasacramentaliter excommunicationem, & reservationem tollere. Et quod attinet ad praxim Curiæ Romanæ, Sylvester, qui in Basilica D. Petri fuit Pœnitentiarius, hanc esse praxim testatur apud Lugo; qui putat consuetudinem illam, de qua loquitur Cajetanus, absolvendi dimidiate, in eo consistere, quod Pontifex, vel Major Pęnitentiarius absolvant solum ab excommunicatione, & Inferior deinde a peccatis; non vero, quod absolutio Sacramentalis dimidietur.

XVI. Ad quintam: Doctrina Suarii, & Granado, quod scil. habens reservata, quando non potest Superiorem adire, possit dimidiate confiteri Inferiori, aperiendo solum non reservata, vel aperiendo etiam reservata (cum onere tamen postea comparendi) vera est, si longa temporis mora interjicienda est, antequam Superior adiri possit. Ratio est,

est, quia sicut dimidiari potest Confessio ad vitandum scandalum, aut infamiam, eo quod præceptum de integritate Confessionis non obliget cum gravi incommodo; ita dimidiari potest Confessio in casu adducto, eo quod gravissimum incommodum sit diu carere gratia Sacramentali remissiva peccatorum, & auxiliis gratiæ ad vitanda peccata in posterum, necnon gratia Eucharistica: Præsertim quia peccatori diu in statu peccati mortalis degenti difficilis est contritio; unde periculum mortis, & æternæ damnationis non esset remotum; ad quod vitandum probabiliter docent laudati DD. posse Confessionem dimidiari, aut aperiendo Inferiori tantum reservata, aut aperiendo omnia: ita tamen, ut absolutio a reservatis sit solum indirecta, atque adeo cum onere comparendi coram Superiore. Hoc autem gravissimum incommodum non habetur in casu thesis proscriptæ, unde non militat utrobique eadem ratio.

Inquiritur hic, quanta debeat esse hæc temporis mora, quæ sufficiat, ut possit Inferior absolvere pœnitentem directe a non reservatis, & indirecte a reservatis? Quamvis Mendoza apud Dian. l. c. docuerit sufficere spatium unius noctis; quia potest qualibet nocte periculum mortis, & æternæ damnationis imminere, juxta illud Christi Domini Luc. 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetent a te*: Communissime tamen hanc sententiam rejiciunt, eo quod pariter posset sufficere hora, quia qualibet etiam hora potest hujusmodi periculum imminere; Unde docent communiter, spatium hoc temporis arbitrio prudentis viri decernendum, attentis circumstantiis personæ, & impotentiæ adeundi superiorem.

XVII. Difficultas ulterior est, Utrum quando potest quis Confessionem dimidiare, (aut ob hanc longam temporis moram, aut quia ad vitandum scandalum aliquis est communicaturus, aut Sacerdos celebraturus) tenetur Inferiori reservata simul, & non reservata aperire, an vero possit aperire tantum non reservata? Lugo disp. 14. de Euch. n. 98. docet non dari obligationem aperiendi Inferiori reservata, cum non possit ab iis directe absolvere, proinde poterit Confessio dimidiari materialiter, quin desinat ea esse formaliter integra. Verius tamen censeo cum Suar. disp. 66. de Euchar. sect. 4., Valent., Cajet., Soto apud Dian. loc. cit. res. 10., aperienda esse reservata simul, & non reservata Inferiori, ut congrue possit Confessarius a non reservatis directe absolvere, & a reservatis indirecte, & cum onere. Vasq. tamen de Euch. dis. 206. cap. 2. cum Præpos., Hurtad. apud Tamb. de Commun. cap. 1. §. 6. num. 21. putat, posse hominem cum sola contritione communicare, si urgeat necessitas ad vitandum scandalum, nec possit Superiorem adire pro absolutione a reservatis; quia inferior nequit ab omnibus absolvere, & Confessio dimidiari non potest. Hæc tamen sententia non habet multos asseclas. Nam si potest homo ex benignitate Redemptoris, & Ecclesiæ communicare, quamvis habeat casus, & excommunicationem reservatam, ad declinandam infamiam, vel scandalum; a fortiori poterit Sacramentum Pœnitentiæ suscipere ab Inferiori cum onere comparendi deinde coram Superiore ad obtinendam absolutionem directam a reservatis: Præsertim quia Confessio de Jure Divino Communioni præmittenda est ab eo, qui conscius est sibi peccati mortalis; ut docent communius ex verbis ipsis Trident. sess. 13. cap. 7. contra Jo. Medinam & Navar. apud Tamb. loc. c. putantes præceptum hoc esse Ecclesiasticum.

XVIII. Ad ultimam difficultatem, transmissa probabilitate illius sententiæ, quam negant communius, adhuc dispar est ratio in casu nostro. Idcirco enim potest Sacerdos celebrare cum sola contritione, si desit copia Confessarii, ut ipse, vel alii præcepto audiendi Missam, vel Communionis Paschalis satisfaciant, quia urget tunc obligatio istorum præceptorum, & casus hic est perrarus: unde non sequuntur ea incommoda, quæ sequerentur, si præcise ob concursum pœnitentium in die magnæ festivitatis dimidiaretur Confessio, quando nullum urget præceptum, cui debeat satisfieri, sed commode potest ea Confessio aut anticipari, aut postponi. Nunquam itaque licet ob hanc levem causam Confessionem dimidiare. Hinc Dian. par. 2. tr. 14. res. 4. putat, quod Sacerdos possit cum sola contritione celebrare, non solum ut ipse, sed etiam ut alii possint præcepto audiendi Missam satisfacere, quando alius Sacerdos deest; ratio enim præcepti urgentis videtur esse causa sufficiens non omittendi Sacrum, quamvis non possit præmitti Confessio.

Neque obstat, quod illi non peccarent non audiendo Sacrum, si desit Sacerdos. Nam neque peccat moribundus omittendo Viaticum, si Sacerdos desit, qui illud ministret: & tamen ex Lugo potest Sacerdos cum sola contritione celebrare ad dandum Viaticum moribundo: ergo etiam poterit cum sola contritione celebrare, ut possint alii præcepto audiendi Sacrum satisfacere; esto urgentior sit ratio in illo, quam in isto casu.

Confirmatur doctrina, & disparitas adducta: quia ex doctrina Suar. disp. 23. sect. 2., Granado, Perez disp. 37. s. 3., & aliorum, qui moralem habet impotentiam confitendi aliquod mortale hic & nunc, si urgeat præceptum Confessionis annuæ, potest, & debet dimidiate confiteri, si non habeat opportunitatem integre confitendi cum alio Confessore, idque ut præcepto illi satisfiat quoad ejus fieri potest; esto præceptum annuæ Confessionis quoad determinationem temporis sit Ecclesiasticum, & præceptum de integritate materiali Confessionis sit Divinum; Contra vero si non urgeat præceptum Confessionis, non potest dimidiate confiteri, ubi non sit diu differenda Confessio integra: ergo etiam in casibus adductis, quando urget præceptum Ecclesiasticum audiendi Missam, Communicandi in Paschate, & similia, datur sufficiens causa ad Confessionem dimidiandam, ut satisfiat his præceptis, si Confessio non possit fieri integra: At in die alicujus magni festi, vel Indulgentiæ nullum urget præceptum Confessionis, & Communionis: ergo non licet Confessionem dimidiare ob concursum pœnitentium.

XIX. Ex dictis infertur, quid dicendum ad celebrem quæstionem, Num dimidiari possit Confessio, quando manifestari non potest peccatum non manifestato complice? Certe si potest commode haberi Confessarius, cui complex sit ignotus, debet pœnitens hunc adire, ne complicem infamet, utque simul integre confiteatur, in quo omnes conveniunt, teste Suar. disp. 34. sect. 2. Quod si non habeatur alius Confessor, non est sufficiens causa dimidiandi Confessionem, ne complex manifestetur, cum hoc non sit grave complicis damnum; & Christus Dom. qui præcepit, ut pœnitens seipsum infamet apud

Confessarium, a fortiori voluerit, ut complex detegatur. Ita docent communius cum Suarez, Lugo, Vasquez, contra Bannez, Navar., Valen. apud Perez disp. 35. sect. 2. Addit ad rem nostram Fagund. lib. 5. cap. 1., quod si sic differendo Confessionem uno, vel altero die possit haberi Confessarius, cui complex sit ignotus, differenda sit Confessio, ut etiam docet Lugo disp. 16. n. 416. At si pœnitens differendo Confessionem, aut quærendo Confessarium ignotum, sit amissurus Jubilæum, vel Indulgentiam, non tenetur amittere hanc utilitatem spiritualem, ne complicem detegat; Unde fit, Confessionem non posse dimidiari, sed solum posse complicem manifestari, ne Indulgentia hic & nunc amittatur.

PROPOSITIO LX.

Pœnitenti habenti consuetudinem peccandi contra legem Dei, Naturæ, aut Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec est neganda, nec differenda absolutio; dummodo ore proferat, se dolere, & proponere emendationem.

S Y N O P S I S.

I. Habens peccati consuetudinem, si dicat se dolere, quamvis non affulgeat spes emendationis, videtur habere jus ad absolutionem. II. Si consuetudinarius prima vice confiteatur, poterit absolvi: quidni si millies relabatur post millies promissam emendationem?

III. Aliter nec deberet absolvi, qui sæpius in eadem venialia relabitur.

IV. Videtur esse consilium, non præceptum, quod consuetudinario differatur absolutio.

V. Ipsi pœnitenti in hoc Tribunali fides habenda est.

VI. Potest prudenter Confessarius credere, quod in hoc pœnitente sit verum propositum, quamvis illud sit mox mutandum.

VII. Verum in casu thesis absolutio differenda est a Confessario, qua Judice. VIII. Necnon qua Medico. IX. Sicut in bonum animarum nonnulli casus reservantur; ita & differtur consuetudinariis absolutio.

X. Hujusmodi pœnitens, si habeat dolorem sufficientem, habet quidem jus ad Absolutionem, at non ad obtinendam illam statim. XI. Consuetudinarius, qui prima vice confitetur, secundum se non dat ansam dubitandi de sufficienti proposito non relabendi: Secus in casu thesis. XII. Dispar est ratio de relabentibus in venialia ac in mortalia.

XIII. Absolutio sub consilio est differenda, si solum sit utilis dilatio: at sub præcepto, si simul est necessaria ad emendationem pœnitentis. XIV. Non est credendum pœnitenti, quando facta dictis non concordant.

XV. Confessarius non debet sibi persuadere, quod propositum pœnitentis non sit mutandum; debet tamen spem aliquam emendationis concipere.

XVI. Hinc tenetur Pœnitens respondere Confessario interroganti de peccati consuetudine, & de aliis, quæ spectant ad rite censendum de culpis, & ad vulnera curanda.

XVII. Non est novum, quod detur obligatio iterum subjiciendi clavibus eadem peccata.

XVIII. Quænam consuetudo, tanquam speciale peccatum, clavibus subjicienda, etiamsi de illa Confessarius non interroget?

I. EXponuntur. Singulares fuerunt hac in re opiniones Jo. Sancii disp. 9., ut notat Arriaga dis. 38. de Pœnit n. 29., contendentis, Primo, Pœnitentem non obligari ad respondendum Confessario interroganti, an habeat consuetudinem patrandi illud idem peccatum, sed posse æquivocatione utendo id negare, ne scilicet cogatur bis eadem peccata confiteri. Secundo, Confessarium non posse negare, nec differre absolutionem Pœnitenti habenti sufficientem dolorem, & propositum, etiamsi millies in eadem peccata reinciderit, quamvis nullus appareat profectus, & inchoata emendatio. Tertio credendum esse in hoc Tribunali omnino pœnitenti, si ore proferat se dolere, & emendationem proponere, quamvis ex frequentissimo relapsu dubitare prudenter possit Confessarius de vero dolore, & sufficienti proposito. Ex quibus infertur id, quod in hac propositione a Pontifice damnatur, videlicet non esse negandam, nec differendam absolutionem Consuetudinario, qui ore proferat se dolere, & emendationem proponere.

II. Falsitas primæ istarum Jo. Sancii opinionum constat ex proscriptione propositionis 58. ejusdem Innoc. XI. quam in calce hujus discutiemus. Quod attinet ad secundam, fundamentum est, quia sufficienter dispositus ad absolutionem jus habet ad illam: atqui Consuetudinarius habens hic & nunc dolorem, ac propositum est sufficienter ad absolutionem dispositus, etiamsi nulla affulgeat spes emendationis; cum ex Tridentino nonnisi dolor, & propositum a Pœnitente exigatur: ergo huic Consuetudinario neque negari, neque differri potest absolutio. Aliud enim est firmiter proponere de præsenti; aliud vero postea data occasione a proposito desistere, & iterum peccare; illud solum a Pœnitente requiritur; aliter nemo posset absolvi, cum quilibet possit deinde a proposito resilire: Potest autem Consuetudinarius habere propositum illud non peccandi de cætero, etiamsi millies relapsus fuerit, & nulla affulgeat emendationis spes; quomodo ergo poterit huic negari, aut differri absolutio, a qua vires hauriret ad non relabendum? Et sane huic Consuetudinario in articulo mortis differri non potest absolutio; exponeretur enim periculo æternæ damnationis: ergo præcise per dolorem, ac propositum est sufficienter dispositus ad absolutionem obtinendam, & jus habet ad illam; atque adeo nunquam potest absolutio differri.

Confirmatur primo; quia qui prima vice confitetur, quamvis millies idem peccatum commiserit, potest statim absolvi, quia habet sufficientem dispositionem ad absolutionem, etiamsi credatur facile relapsurus ob pravos habitus acquisitos: ergo etiam qui millies relapsus est, postquam millies Confessario emendationem promiserit, poterit absolvi statim, quamvis nulla detur spes emendationis, eo quod habeat requisita ad absolutionem obtinendam. Immo id videtur a Christo Dom. præceptum, qui voluit peccatores absolvi non septies, sed septuagies septies.

III. Confirmatur secundo: aliter nec deberet absolvi, qui frequenter eadem venialia confitetur, si præter dolorem, & propositum requireretur inchoata emendatio, aut spes emendationis,

IV. Con-

IV. Confirmatur tertio, quia communius Doctores docent cum Sanch. lib. 2. c. 32. n. 45. Suar., Regin., Azor. apud Dicast. disp. *6*. n. *366*. consilium sanum esse, consuetudinario absolutionem aliquantisper differre, ut attentius consideret miserum animæ suæ statum, quod si solum consilium est, & non præceptum, sequitur, quod possit absolvi, & quod habeat jus ad absolutionem; unde nequit eo invito differri. Propterea Lovanienses apud Carden. diss. 39. c. 3. docent, quod si utilis duntaxat sit, & non necessaria absolutionis dilatio, fieri nequeat citra consensum pęnitentis. Præterquamquod, ut notat Jo. Sanch. l. cit., consilium debet esse de meliori bono; non potest autem esse majus bonum pęnitentis carere absolutione, cujus est capax, quam illam habere: ergo non potest esse sanum consilium de differenda Consuetudinario absolutione, si vere doleat de culpis præteritis.

V. Quod demum attinet ad tertiam illam opinionem, quod scilicet pęnitenti habenda fides sit, si ore proferat se dolere, & proponere emendationem, quamvis nulla sit spes emendationis, ex eo videtur suaderi posse, quod in hoc Sacramento is sit suimet accusator. Quare sicut in foro externo sententia proferenda est juxta allegata, & probata, ut damnari etiam debeat, qui juridice est reus, quamvis privata scientia Judex habeat illum innocentem, ut docet D. Th. contra Scotum; Sic in foro Sacramentali absolvi debet, qui suimet accusator est, & dicit se dolere, & dispositum esse ad obtinendam absolutionem, quamvis Confessarius de hoc dubitet. Hæc enim habet Angelicus quod l. 1. art. 12. *In foro judiciali creditur homini non pro se; in foro autem Pęnitentiæ creditur homini pro se, & contra se:* & Leander a Murcia disq. 1. in p. 2. disp. 1. ref. 10. l. 1. habet: *Pęnitenti fides habenda est de vero proposito emendæ, sicut de aliis, quæ contra se, & pro se dicit, ut notat D. Th. opus. 26. art. 6. & communiter DD.*

VI. Et ratio a priori videtur esse, quia, ut notat Suar. disp. 32. de Poen. sect. 2., ad absolutionem conferendam sufficit, quod Pœnitens accipiat generale propositum non peccandi de cętero mortaliter: neque oportet, ut confessor sibi persuadeat, & judicet etiam probabiliter, ita esse futurum, ut pęnitens a peccando abstineat; sed satis est, ut existimet nunc habere tale propositum, quamvis post breve tempus sit illud mutaturus, ut docent omnes Doctores: Quando autem pœnitens in foro Sacramentali ore profert se dolere, & proponere emendationem, tunc Confessor prudenter existimat dari tale propositum; quamvis etiam credat illud post breve tempus esse mutandum: ergo quamvis nulla sit spes emendationis, non est differenda absolutio Consuetudinario, qui dicit se dolere, & proponere emendationem.

VII. Ostenditur tamen falsitas ex duplici munere Confessarii, qui Judex simul, & Medicus est: Quatenus enim est judex, tenetur justum judicium facere, atque adeo tenetur prudenter, & probabiliter judicare pęnitentem esse dispositum: aliter sine sufficienti cognitione causæ operaretur, & abuteretur potestate judiciaria exponendo claves periculo errandi; ita ut ipse solveret in terris, quæ in Cęlis non essent soluta; non potest autem prudenter judicare pœnitentem esse sufficienter dispositum, & habere efficax propositum non amplius peccandi, si multoties ille relapsus nulla præbet spem emendationis; Et quamvis fateatur se habere propositum efficax emendationis, hallucinatur facile, cum experientia præteritorum relapsum doceat, propositum esse umbratile: ergo ex munere Judicis non potest Confessarius hic & nunc absolutionem impertiri, sed debet illam differre, quousque prudenter existimare possit, quod vere ille doleat, & vere emendationem proponat.

VIII. Ex munere vero Medici tenetur etiam, nedum potest, Confessarius absolutionem differre, quamvis prudenter judicet, quod pęnitens hic & nunc vere doleat, si ipse existimet, facilitatem absolutionis antea collatæ dedisse ansam relapsibus: ut proinde nulla appareat spes emendationis, si iterum statim absolvatur: Confessarius enim non solum debet præterita vulnera curare, sed etiam alia, quoad ejus fieri potest, impedire. Unde Trid. sess. 14. c. 8. docet, eam satisfactionem esse pęnitentibus imponendam, *quæ ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem deserviat, & simul ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum*. Quare quando Confessarius judicat dilationem absolutionis esse necessariam ad facilem relapsum impediendum, tunc tenetur illam differre; quando vero censet illam esse quidem utilem, sed non necessariam, tunc erit sanum consilium differre, prout in Domino hic & nunc judicaverit.

IX. In articulo tamen mortis nunquam est differenda, etiamsi dubitetur de vero pęnitentis proposito, dummodo, non constet illud abesse; cum non possit Confessarius in illo articulo melius certiorari; unde tunc absolutio sub conditione conferenda est; Extra mortis tamen articulum, si facile pęnitens non sit amplius habiturus opportunitatem confitendi, vel si credatur, quod ex dilatione absolutionis facile in disperationem mersus in nova scelera sit lapsurus, sufficit, quod probabiliter judicetur, hic & nunc adesse verum propositum, etiamsi credatur simul, mox propositum esse mutandum. Cum enim in his casibus dilatio absolutionis non appareat profutura, sed potius nocitura, non adhiberetur in medicamentum, sed in venenum: Extra hos casus communius DD. apud Lugo docent, experimento constare, quod brevis aliqua absolutionis dilatio multum conferat, ne Consuetudinarius in eadem pecata relabatur: Sicut enim, ut notat Arr. hic n. *39*. in bonum animarum instituta est casuum reservatio, ut ex difficultate absolutionis magis homines ab enormibus illis culpis absterreantur; ita in bonum animarum consuevere Confessarii absolutionem differre, ut ex hac absolutionis difficultate magis homines absterreantur a relapsu.

X. Ad primam rationem in contrarium dicendum, Consuetudinarium habentem hic & nunc verum dolorem, & efficax propositum, quin tamen simul præbeat spem emendationis, habere quidem jus ad absolutionem, sed non habere jus ad illam statim obtinendam. Sic Catechumenus petens baptismum jus habet ad illum, non tamen ad illum habendum statim; passim enim differtur, ut melius instruatur, & cum majori dispositione ad illum accedat. Eodem modo passim differtur absolutio, ut melius ad illam pęnitens disponatur; sive per hoc, quod interim rite instruatur a Confessario; sive per hoc, quod expediat prius pęnitentiam aliquam imponere implendam ante absolutionem, ut olim consueverat Ecclesia cum publicis peccatoribus pęnitentiam agentibus, ex Nicephoro l. 11. cap. *26*. sive quia aliquan-

liquan-

liquando expedit, ut ante absolutionem occasio aliqua peccandi proxima a pœnitente tollatur, vel quod ponatur restitutio, quam non semel pœnitens promisit Confessario, quin unquam promissis steterit; sive etiam, ut ex dilatione absolutionis possit advertere ad periculum carendi contritione, & interim moriendi; facile enim terrore perterritus aperiet oculos ad expendendam miseriam suam. Præterquamquod ipsa absolutionis dilatio, tanquam ignominiosa, passim est in causa, cur pœnitens resipiscat, juxta illud Psal. 81. *Imple facies eorum ignominia; quærent nomen tuum Domine.*

Neque obstat, quod destitutus gratia Sacramentali facilius ex defectu virium spiritualium relabetur. Nam sæpe magis conferunt ad resipiscendum ipsa etiam peccata, quam Sacramentorum citra debitam dispositionem susceptio. Unde August. l. 4. de Civit. cap. 19. dixit: *Expedit multis, ut cadant in aliquod apertum, manifestumque peccatum, ut ex tali casu habeant notitiam de propria fragilitate, & corrigant se*; quanto magis poterit ad id conducere absolutionis dilatio? Verum quidem est, quod in articulo mortis Consuetudinarius habens sufficientem dolorem jus habeat ad absolutionem statim obtinendam, cum non suppetat tempus disponendi se ad illam perfectius, aut experientia comprobandi efficaciam propositi de non relabendo; at extra mortis articulum suppetit tempus ad hæc præstanda; & ideo absolutio differenda, quoties nulla apparet spes emendationis.

XI. Ad primam confirmationem: Forte aliquando expedit, quod Consuetudinario, qui prima vice confitetur, differatur absolutio, ut meliori examine, piis meditationibus, ac jejuniis ad uberiorem gratiam in Sacramento recipiendam disponatur. Sed transmisso, quod utilius sit absolutionem conferre, & injungere, quod ad Sacramentum post hujusmodi dispositiones iterum redeat, non proinde sequitur, quod ei, qui sæpius eadem peccata clavibus subjecit, & non est spes emendationis, non sit differenda absolutio; in primo enim casu non habetur prudens dubium de inefficacia propositi, nec deest spes emendationis; secus vero in secundo casu. Quando Christus Dominus præcepit, ut septuagies septies, hoc est non toties, quin pluries, absolutio impenderetur, non præcepit, quod impenderetur statim, & sine sufficienti notitia de pœnitentis dispositione; unde fit, dandam quidem esse millies absolutionem Consuetudinario, sed non sequitur dandam esse statim, & nullatenus esse differendam, quando munus Judicis, aut Medici in Confessario id postulat.

XII. Ad secundam: Non solet absolutio negari ei, qui sæpius in eadem venialia relabitur; tum quia frequentes sunt occasiones relabendi in venialia; tum etiam quia, cum pœnitens non teneatur ea clavibus subjicere, dum subjicit, ostendit, vere se de iis dolere; tum demum quia relapsus in venialia non fert grave nocumentum animæ, quod ferunt mortalia; unde non est arguere a venialibus ad mortalia in casu nostro.

XIII. Ad tertiam diximus esse præceptam absolutionis dilationem, quando est præcise necessaria ad pœnitentis emendationem; esse vero sub consilio, si mere sit utilis, non præcise necessaria, eo quod possit aliis mediis sperari emendatio: Quando est præcise necessaria, non est exspectandus pœnitentis consensus; cum pharmacum a Medico, & sententia judiciaria a Judice citra ægroti, & delinquentis consensum indicenda sint: quando vero est duntaxat utilis ad emendationem, potest etiam citra consensum pœnitentis indici; (licet non expediat eo invito absolutionem differre, si aliunde spes sit emendationis) ostendimus enim, quod possit esse majus bonum pœnitentis carere aliquantisper gratia sacramentali, quam illam statim habere, quando scilicet facilitas absolutionis non retrahit pœnitentem a relapsu.

XIV. Ad id, quod additur de fide habenda pœnitenti, qui ore profert se dolere, & emendationem proponere, dicendum, id esse verum, quando protestatio non est contraria factis; quod si confiteatur quidem dictis se dolere, factis autem neget, eo quod millies in eadem statim peccata relapsus sit, tunc factis ejus potius, quam dictis est credendum. Et quamvis pœnitens ostendat se habere hic & nunc sufficientem dolorem, ac propositum, si tamen nulla sit spes emendationis, non proinde statim absolutio impendenda erit, sed differenda, prout videbitur magis ad obtinendam emendationem profutura.

XV. Ex quibus patet solutio ad rationem a priori: non enim volumus, quod Confessarius sibi persuadeat, & judicet, probabiliter propositum pœnitentis non esse mutandum, ut possit obsolutionem impertiri; sed solum dicimus, ad absolutionem hic & nunc conferendam Consuetudinario non solum requiri, quod Confessarius sibi persuadeat dari hic & nunc sufficientem dolorem, & propositum; sed etiam quod sibi persuadeat, aliquam emendationem ex hac absolutione facile secuturam, aliter absolutio differenda est, ut ex tali dilatione emendatio sperari possit; sic enim Judicis simul, & Medici munus a Confessario rite exercetur.

Neque dicas cum nonnullis apud Arriag. l. c. n. 34., medicinam a Confessario adhibendam esse solum relate ad morbos, & vulnera præterita, seu relate ad peccata, quæ clavibus subjiciuntur, non vero relate ad peccata futura. Nam, ut ostendimus ex Trid. loc. cit., Confessarius non solum curare debet vulnera præterita, sed etiam ne aliis iterum vulneribus pœnitens confodiatur, ut propterea eam pœnitentiam, & ea remedia injungere debeat, quæ non solum ad vindictam præteritarum culparum deserviant, sed etiam ad novæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum.

XVI. Ex dictis sequitur, falsam omnino, & communi sensui, ac rationi valde dissonam esse propositionem quinquagesimam octavam ab eodem Innocentio XI. proscriptam, quę habet: *Non tenemur Confessario interroganti fateri peccati alicujus consuetudinem.* Quando enim ad rite censendum de peccatis, & medendum vulneribus pœnitentis putat Confessarius examinandam esse peccati consuetudinem, vel aliquam circumstantiam aggravantem, puta quantitatem furti, non potest pœnitens illam celare; quamvis si non interrogetur, juxta satis probabilem opinionem, non debeat eam aperire.

XVII. Neque est novum, quod per accidens, & indirecte teneatur aliquis iterato eadem peccata alias remissa clavibus subjicere, non quidem ut de iis novum judicium feratur, sed ut possit aptum judicium ferri, & aptum remedium applicari relate ad peccata præsentia, cum quibus præterita aliquatenus connectuntur. Sic, ut notat Lugo disp. 4. num. 173., conjugatus, qui cognovit uxoris suæ

con-

consanguineam, & clavibus hoc peccatum subjecit, si deinde petat debitum ab uxore, peccat, nec poterit hoc secundum peccatum clavibus subjicere, nisi iterum illud primum explicet. Similiter qui filium spurium genuit, ac deinde instituit illum hæredem, non potest hoc secundum peccatum explicare, nisi iterum aperiat primum; & sic in aliis multis. Quid ergo mirum, quod teneatur pœnitens etiam peccati consuetudinem explicare, quando legitime interrogatur a Confessario in ordine ad medicinam applicandam pro culpis præsentibus? Alioquin, ut idem Lugo notat, innumera incommoda sequerentur contra finem, & reverentiam Sacramento debitam: Potest enim e. g. aliquis per quinquaginta annos singulis diebus cum Berta peccare, & singulis diebus peccatum confiteri, dicendo ea tantum vice peccasse, quo quid absurdius? deciperetur enim in re gravi Confessor. Hinc fit, quod sicut respondere tenetur pœnitens, si a Confessario interrogetur de consuetudine peccati, quando hujus notitia confert ad recte judicandum de peccatis præsentibus, & ad congruam satisfactionem, & medelam indicendam; ita respondere similiter teneatur Confessario interroganti de occasione proxima peccandi, ut communissime docent contra Joan. Sancium apud Dian. P. 1. tract. 7. ref. 55.; Sicut etiam si interrogetur de circumstantiis peccatorum aggravantibus, etiamsi non detur obligatio eas fatendi, si non petantur; cum non sint peccata. Et ratio est, quia horum omnium notitia conducit ad recte judicandum in foro Sacramentali; unde jus habet Confessarius, ut non sibi celentur, si de iis interroget.

XVIII. Inquirendum superest, quandonam teneamur peccati consuetudinem fateri in Confessione, etiamsi de ea non interrogemur? Ad quod decidendum, duplicem cum Lugo disp. 16. n. 204. distinguere oportet consuetudinem: alteram, quæ inducit ad similia peccata cum sua libertate, & advertentia perpetranda: alteram, quæ inducit ad peccata patranda sine libertate, & advertentia, atque adeo ita, ut ea non sint novum peccatum, sed peccatum consistat in eo, quod ea consuetudo sit libere acquisita, aut in eo, quod non adhibeatur conatus debitus ad eam obliterandam; ut accidit, quando quis ex consuetudine blasphemat, aut pejerat, quin advertat hic & nunc ad malitiam blasphemiæ, aut perjurii. Hæc posterior consuetudo libere inducta, aut non evulsa, tanquam speciale peccatum, fatenda est; graviter enim obligamur ad carendum illa. Quamvis enim non peccet hic & nunc, qui pejerat, aut blasphemat sine advertentia; peccat tamen, si non conatur evellere consuetudinem sic pejerandi, aut blasphemandi: Illa vero prior consuetudo tunc est etiam subjicienda clavibus, quando quis advertit, quod per illam ponatur in periculo proximo patrandi novas culpas: cum enim exponere se periculo proximo peccandi sit peccatum, qui advertit quod per consuetudinem peccandi in eo periculo sit, speciale hoc peccatum committit, quod huic periculo se subjiciat, aut quod ab illo non conetur se avertere: Quia tamen raro ad id homines advertunt, idcirco raro se accusant de hac consuetudine, atque adeo raro datur obligatio eam manifestandi, antequam Confessarius de illa interroget. Verum quidem est, quod qui se exponit periculo peccandi, & statim peccat, sufficienter explicat utrumque peccatum, confitendo peccatum commissum, cum quo facit unum moraliter illud aliud, quo se exposuit periculo peccandi; At quando inter unum, & aliud peccatum intercedit mora notabilis sufficiens ad moralem interruptionem, vel quando solum quis se exponit periculo proximo committendi aliquod peccatum, quin tamen illud committat; tunc seorsum explicandum est illud, quo quis periculo peccandi proximo se exposuit; in eo enim ipso peccatum est, juxta illud Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo.*

PROPOSITIO LXI.

Potest aliquando absolvi, qui in proxima occasione peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere; quinimo directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit.

PROPOSITIO LXII.

Proxima occasio peccandi non est fugienda, quando causa aliqua utilis, aut honesta non fugiendi occurrit.

PROPOSITIO LXIII.

Licitum est quærere directe occasionem proximam peccandi pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi.

De his tribus Thesibus satis superque diximus in expositione propos. 41. Alex. VII.

PROPOSITIO LXIV.

Absolutionis capax est homo, quantumvis laboret ignorantia Mysteriorum Fidei, & etiamsi per negligentiam, etiam culpabilem, nesciat Mysterium Sanctissimæ Trinitatis, & Incarnationis Domini nostri JESU Christi.

PROPOSITIO LXV.

Sufficit illa Mysteria semel credidisse.

SYNOPSIS.

I. De hac ultima olim diximus. Quoad primam, distinguendum inter scire, & credere Fidei Mysteria.
II. Videtur absolutionis capax, qui dolet de ignorantia culpabili. III. Aliter ne in articulo quidem mortis posset hic absolvi.
IV. Certum tamen est, esse absolutionis incapacem, qui laborat ignorantia etiam inculpabili Dei Unius, & Remuneratoris. V. Neque potest absolutio conferri ignoranti Mysteria Trinitatis, & Incarnationis, quorum fides est probabiliter necessaria necessitate medii, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis. VI. Qui culpabiliter alia Mysteria ignorat, regulariter non est absolvendus, quia non facile præsumi potest hac in re emendatio. VII. Ignorantia aliquorum Mysteriorum reddit pœnitentem incapacem absolutionis, per hoc quod invalide illi conferatur, aliorum vero per hoc

quod

quod illicite. VIII. Non confertur licite absolutio vere dolenti nisi etiam effulgeat spes emendationis.

IX. Etiam in articulo mortis pœnitens instruendus est de Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis, quoad ejus fieri potest, ante absolutionem.

X. Probabilius Fides explicita horum Mysteriorum est necessaria solum necessitate præcepti, & eadem in voto necessaria necessitate medii.

XI. De hac Fide explicita in voto videntur intelligendi varii Scripturæ textus, in quibus Fides horum mysteriorum dicitur ad salutem necessaria.

I. QUod ad hanc secundam propositionem attinet, abunde de illa dictum est in expositione propositionis primæ Alex. VII. Quoad primam, distinguendum est cum Sanch. l. 2. c. 3. n. 18. inter scire mysteria Fidei, & ea credere: Quamvis enim mysteria Fidei scienda, & credenda sint, & nonnulla etiam explicite sint scienda, & credenda, prout diximus in expositione primæ propositionis Alex. VII. (quod citra controversiam verum est de mysteriis SS. Trinitatis, & Incarnationis) in hac thesi tamen sermo solum est de Scientia, non de Fide mysteriorum Fidei universim. Porro ille dicitur hæc mysteria scire, qui habet illorum notitiam sufficientem, & stabilem, ratione cujus possit identidem ea credere; propterea si quis hic & nunc instructus de illis ea crederet, & statim dedisceret, non diceretur habere scientiam illorum, quamvis habuerit Fidem: Adhanc tamen scientiam sufficit, si interrogatus possit respondere pro modulo proprii captus. Quod si nesciat culpabiliter etiam mysteria Trinitatis, & Incarnationis, non solum peccat, sed etiam absolutionis est incapax.

II. Auctor thesis hujus confixæ fertur esse Marchantius. Hic tamen solum docuit, ut videre est apud Dia. p. 5. tr. 13. ref. 84., non esse repetendas Confessiones eorum, qui ignorabant mysteria Trinitatis, & Incarnationis, si crediderint Deum esse nostræ salutis Auctorem, & nos redemisse; quia hæc Fides implicite continet mysteria nostræ salutis. Verum quicunque fuerit Auctor hujus thesis, fundamentum illius videtur esse.

Primo, quia quamvis detur obligatio non solum credendi, sed etiam crasso saltem modo sciendi mysteria Fidei, præsertim Trinitatis, & Incarnationis, & communiter peccet, qui ea ignorat per negligentiam culpabilem, non proinde fit, quod is non possit absolvi, si doleat, & proponat ea addiscere: Sicut quamvis peccet, qui culpabiliter retinet res alienas, omittendo per negligentiam culpabilem restituere, non proinde fit, quod si doleat, & proponat restituere, non sit capax absolutionis.

III. Secundo, quia si non esset capax absolutionis, qui neglexit culpabiliter mysteria Fidei, præsertim Trinitatis, & Incarnationis addiscere, sequeretur, quod si quis in articulo mortis de hac negligentia se accusaret, nec posset tunc ob imminentem mortem ea addiscere, non posset absolvi. Sequela videtur durissima, & contra praxim Ecclesiæ, quæ nemini in articulo mortis absolutionem negat, si de culpis omnibus vere doleat: ergo absolutionis videtur esse capax, qui per negligentiam, etiam culpabilem, neglexit addiscere mysteria Fidei, etiam Trinitatis, & Incarnationis; (de quibus lis est, num sint necessario credenda necessitate medii, an vero solius præcepti) dummodo præmiserit Fidem Dei Unius, & Remuneratoris, quæ certe est necessaria necessitate medii ad justificationem.

IV. Ostenditur falsitas. Et primo quidem, quod absolutionis sit incapax, qui omnia omnino mysteria Fidei ignorat, etiam Dei Unius, & Remuneratoris, etiamsi inculpabiliter ea ignoret, nemini est dubium, dummodo ignorantia sit tanta, ut impediat Fidem eorum explicitam: & ratio est manifesta, quia Fides explicita Dei unius, & Remuneratoris est necessaria necessitate medii ad justificationem; qui autem incapax est justificationis, ob defectum hujus Fidei, incapax pariter erit absolutionis Sacramentalis.

V. Deinde, quod sit incapax absolutionis, qui per negligentiam culpabilem alia mysteria Fidei, etiam Trinitatis, & Incarnationis ignorat, adeo ut non potuerit saltem hæc duo mysteria credere explicite, probatur: quia probabiliter hujusmodi Fides utriusque mysterii est necessaria necessitate medii ad justificationem; quare si vera est hæc sententia, manifestum est, quod hic, sicut est incapax justificationis ob defectum hujus Fidei, ita etiam est incapax absolutionis: Quod si vera sit opposita sententia docens, eam Fidem esse necessariam solum necessitate præcepti, neque poterit huic conferri absolutio: quia in iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, non possumus sequi opinionem probabilem, omissa tutiore, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis; ergo quamvis probabile sit, quod ea Fides non sit necessaria necessitate medii, nihilominus ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum, debet pœnitens, antequam absolvatur, de his saltem duobus mysteriis instrui, ita ut de utroque Fides explicita præmittatur.

VI. Adde, quod regulariter neque sit absolvendus, qui per negligentiam culpabilem ignorat alia mysteria Fidei ab omnibus scienda, & credenda necessitate præcepti, v. g. qui culpabiliter ignorat Symbolum, Orationem Dominicam, Præcepta Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramenta maxime necessaria, ut Baptismum, Eucharistiam, Pœnitentiam: (quamvis non debeat hæc omnia scire memoriter, sed sufficiat, si interrogatus sciat respondere; præceptum enim Ecclesiæ addiscendi memoriter Symbolum, Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ex consuetudine solum obligat sub veniali, ut tenent Nav., Lopez, apud Busembaum contra Barbosam putantem, quod obliget sub mortali). Ratio cur hic regulariter non sit absolvendus, quamvis doleat, ac proponat ea addiscere, est, quia non facile præsumi potest hac in re emendatio; & idcirco regulariter differenda est absolutio, quousque huic suæ obligationi satisfaciat. Cæterum qui solum ignorat, quæ sunt necessario credenda necessitate præcepti, non vero necessitate medii, quamvis non sit regulariter absolvendus, antequam ea addiscat, si tamen de hac negligentia culpabili doleat, capax est absolutionis; ac proinde, si Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis sit solum necessaria necessitate præcepti, & ea culpabiliter ignorans absolvatur, quamvis peccet absolvens, nisi bona fides excuset, ille tamen, si doleat, valide absolvitur.

VII. Ex quibus habes, in duplici sensu posse intelligi verbum istud; Capax est absolutionis; potest enim significare, tum quod possit valide, tum quod possit licite absolvi; in thesi proscripta fit solum sensus, quod possit licite absolvi, qui culpabiliter ea duo mysteria ignorat,; & ideo nos dicimus illicite absolvi; quamvis valide absolveretur, si ea duo mysteria essent solum credenda necessitate præcepti, non medii.

VIII. Ad

VIII. Ad primam rationem in contrarium dicimus, quod sicut non est capax absolutionis, seu non licite absolvitur, qui alias promisit restituere, aut occasionem proximam peccandi tollere, & non stetit promissis; quia universim quoties non præsumitur emendatio, absolutio est differenda; ita quia in casu nostro regulariter non præsumitur emendatio, etiam ab illo, qui prima vice confitetur hanc negligentiam in addiscendis mysteriis necessario credendis, idcirco regulariter non licite absolvitur, antequam ea addiscat. Quod tamen spectat ad ea duo mysteria Trinitatis, & Incarnationis; ex alio capite non licite absolvitur, qui ea ignorat; quia sc. probabiliter eorum Fides explicita est necessaria necessitate medii; unde exponeretur periculo frustrationis Sacramentum, nisi prius de iis pœnitens instrueretur, ita ut illorum fidem præmittat. Notandum tamen, in thesi profligata solum proscribi, quod licitum sit absolvere etiam illum, qui ignorat culpabiliter mysteria Trinitatis, & Incarnationis; tum quia exponeretur periculo frustrationis Sacramentum; tum etiam quia facile potest a Confessario de tantis mysteriis instrui, quorum fides est adeo necessaria: Cæterum si quis alia mysteria culpabiliter ignoraret, & ex dolore, ac proposito præsenti posset præsumi emendatio, non illicite aliquando absolveretur.

IX. Ad secundam: Etiam in articulo mortis instrui debet poenitens de his duobus mysteriis, antequam absolvatur, quoad ejus fieri potest, non solum ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis, sed etiam ne exponatur poenitens periculo damnationis. Nam si ea Fides explicita horum mysteriorum est necessaria necessitate medii, ut multi opinantur, nullatenus posset pœnitens salvari, etiamsi attritioni supernaturali absolutio superadderetur; Sicut nullatenus salvari potest non præmissa Fide explicita Dei etiam Remuneratoris, ut explicavimus in propositione antecedenti: Quicquid sit, an Deus in præsenti providentia sicut denegat auxilium supernaturale ad actum dilectionis Dei, seu ad contritionem ei, qui nondum credidit, quæ necessario credenda sunt necessitate medii, ita etiam deneget eidem auxilium ad attritionem cum absolutione Sacramentali conjungendam. In casu autem rarissimo, in quo non vacat ob imminentem mortem de his duobus mysteriis pœnitentem instruere, absolutio solum conferri potest sub conditione, quia cum probabile sit eorum Fidem explicitam non esse necessariam necessitate medii, probabile etiam erit, quod valide absolvatur.

X. Hinc sequitur, non esse rejiciendam, nec favere huic thesi proscriptæ opinionem laudatam Marchantii, quod scilicet non sint repetendæ Confessiones ab eo, qui ignorabat mysteria Trinitatis, & Incarnationis: quamvis enim non absolvatur licite, qui ea ignorat; at probabile est, quod absolvatur valide: quoties autem probabile est Confessionem præteritam fuisse validam, ea non est repetenda.

Denique, quod non solum probabile, sed etiam probabilius videatur, cum Soto, Suar., Conin., Ripald., & aliis contra Sanch., Lorcam, Gran., Valen., Amicum, Fidem explicitam horum mysteriorum esse necessariam necessitate duntaxat præcepti, innuimus breviter in expositione primæ propositionis Alex. VII. Sicut in expositione propositionis 22. Innocentii XI. innuimus, quod Fides explicita Trinitatis, & Incarnationis dicenda etiam sit necessaria necessitate medii, saltem in voto; eo pacto, quo Baptismus est necessarius necessitate medii, saltem in voto, ut docet idem Suar. d. 12. de Fide sect. 4., & Lugo d. 12. sect. 4. n. 88. quandoquidem sicut per Baptismum causatur justificatio, ita per hanc Fidem secundum se disponitur peccator per modum meriti congrui ad justificationem.

Unde fit, quod sicut baptismus secundum se requiritur ad justificationem, ita & fides ista explicita Trinitatis, & Incarnationis; Tunc autem sufficit fidem horum mysteriorum, sicut & baptismum, habere solum in voto, nempe in actu contritionis, aut dilectionis Dei super omnia, quando non potest in re haberi: Contra vero fides explicita Dei Unius, & Remuneratoris, si sit tantum in voto, & non in re ipsa, nunquam sufficit ad justificationem, ut ibidem ostendimus; & constat tum ex Scripturis juxta consonam interpretationem intellectis, tum ex communi Patrum, & Theologorum sensu; & ratio ipsa aperte suadet, ita Deum in hac providentia voluisse. Cum enim voluerit omnes homines salvos fieri, & facile sit omnes habere notitiam, ac fidem Dei Remuneratoris, qua maxime ad Spem, & Charitatem, atque adeo ad justificationem adjuvamur, idcirco satis provide decrevit Fidem ipsam Dei Remuneratoris explicitam esse necessariam necessitate medii ad salutem. At vero quia rudes, surdi, stupidi, educati in sylvis non facile habere possunt notitiam Trinitatis, & Incarnationis, idcirco misericorditer decrevit, ut qui inculpabiliter hæc mysteria ignorant, adhuc salutem consequi possint, dummodo habeant fidem illorum explicitam in voto: Quilibet tamen necessitate præcepti adigitur ad illam pro virili in re ipsa habendam, cum per Fidem Incarnationis salus conferatur, juxta illud ad Galat. 2. *Scientes, quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per Fidem Jesu Christi*, & Act. 4. *Non est aliud Nomen sub cœlo datum hominibus, in quo nos oporteat salvos fieri*. Verum quia Christus bene intelligi non potest, nisi Trinitas etiam intelligatur; (cum debeat intelligi, quod Christus Filius Patris Æterni de Spiritu Sancto ex Maria Virgine conceptus sit, & sua nos morte redemerit) idcirco pariter necessaria est Fides explicita Trinitatis; quin sufficiat hæc duo mysteria semel tantum credidisse, ut constat ex dictis loc. laud.

XI. Opponuntur a Valentia, & Lorca plurimi Scripturæ textus, quibus videtur indicari, Fidem explicitam horum mysteriorum esse simpliciter necessariam, atque adeo necessariam necessitate medii: præsertim illud Jo. 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam*: ad Galat. 2. *Nos in Christo credimus, ut justificemur ex fide Christi*: Jo. 11. *Ego sum resurrectio, & vita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet; & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum.* Jo. 17. *Hæc est vita æterna, ut cognoscant Te solum Deum verum, & quem misisti Jesum Christum.* Quod videtur confirmari ex facto Cornelii Centurionis, qui, ut habetur Act. 10., erat vir justus, religiosus, ac timens Deum, cujus orationes, & eleemosynæ acceptæ erant coram Deo, & tamen admonitus fuit ab Angelo, ut Petrum accerseret, a quo in fide Christi instrueretur, ut salvus fieret: ubi Augustinus lib. de Prædestin. Sanct. c. 7. habet: *Si posset sine fide Christi Cornelius esse salvus, non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apostolus*

Petrus. Sed cum Suar., Lugo, & aliis communius dicendum, hos, aliosque Scripturæ textus intelligendos esse vel de necessitate medii Fidei explicitæ mysteriorum Incarnationis, & Trinitatis sive in re, sive in voto, vel de necessitate hujus Fidei explicitæ in re iis, quibus explicite Christus prædicatur, vel de necessitate iantum præcepti relate ad hanc fidem explicitam, vel demum de necessitate Fidei Christi, hoc est quam Christus nobis promeruit, non vero qua Christus explicite credatur.

Ad id, quod additur de Cornelio, satisfecimus cum Lugo in expositione propositionis vigesimæ tertiæ Innocentii XI. dicendo, illum non fuisse justum justitia supernaturali; vel si fuit justus hac justitia, hoc est justificatus, indiguit prædicatione Petri, ne forte laboraret ignorantia vincibili Christi, (de quo tunc temporis multa dicebantur) & damnaretur: Nec in alio sensu accipiendus est Augustinus. Quod ex eo manifeste evincitur, quia aliter incohærenter diceretur, quod esset justus, seu justificatus ante prędicationem Petri, & simul indiguerit Petri prædicatione, & Fide in Christum ad justificationem, & salutem obtinendam: Sicut enim nemo potest in prę senti providentia per actum dilectionis Dei super omnia justificari ante fidem explicitam Dei Remuneratoris, eo quod hæc sit necessaria necessitate medii; Ita nec potuisset Cornelius justificari ante Fidem explicitam Christi D., si hæc in re ipsa esset pariter in omni eventu necessitate medii ad justificationem necessaria. Quæ omnia, fusissime a Scholasticis discussa, hic paucis perstringere operæ pretium duxi.

INDICULUS
THESIUM CONFIXARUM
AB INNOCENTIO XI.

1 De Probabilitate in Sacramentis.
2 De Probabilitate in Judice.
3 De tenui Probabilitate.
4 De Probabilitate in Infideli.
5 De Dei dilectione semel in vita.
6 De eadem singulis quinquenniis.
7 De Præcepto charitatis solum obligante, dum tenemur justificari.
8 De comedente ad satietatem.
9 De opere conjugii ob voluptatem.
10 De dilectione proximi per actus internos.
11 De eadem per solos actus externos.
12 De Eleemosyna ex superfluis.
13 De cupiente mortem proximi.
14 De cupiente mortem Patris.
15 De gaudio ex parricidio in ebrietaate.
16 De præcepto speciali Fidei.
17 De actu Fidei semel in vita.
18 De publica confessione Fidei.
19 De Voluntate reddente Fidem firmiorem.
20 De Fidei repudio.
21 De assensu Fidei formidoloso.
22 De Fide Dei remuneratoris.
23 De Fide late dicta.
24 De Perjurio in re levi.
25 De Juramento sine animo jurandi.
26 De restrictione mentali.
27 De causa utendi amphibologiis.
28 De restrictione ob crimen occultum.
29 De simulatione ob metum in Sacramentis.
30 De occasione Calumniatoris.
31 De occasione Furis.
32, & 33 De defensione occisiva.
34 De procurante Abortum.
35 De Fœtus animatione.
36 De Furto in gravi necessitate.
37 De occulta compensatione Famulorum.
38 De restitutione ob furtula.
39 De inducente ad damnificandum.
40 De Contractu Mohatra.
41 De lucro ob pecuniam numeratam pro numeranda.
42 De Pacto ex gratitudine in mutuo.
43, & 44 De imponente falsum crimen.
45, & 46 De Simonia.
47 De dignioribus ad Beneficia eligendis.
48 De Fornicatione intrinsece mala.
49 De mollitie jure naturæ indirecta.
50 De Adulterio cum Mariti consensu.
51 De famulis cooperantibus ad turpia.
52 De Præcepto servandi Festa.
53 De pluribus Missæ partibus simul.
54 De majori parte Horarum.
55 De Communione sacrilega.
56 De frequentia Confessionis, & Communionis.
57 De Attritione naturali.
58 De fatenda consuetudine peccati.
59 De Confessione dimidiata.
60 De Consuetudinario.
61 De quærente proximam occasionem peccandi.
62 De illam non fugiente.
63 De quærente illam ob bonum spirituale.
64 De ignorantia culpabili mysteriorum Fidei
65 De iisdem non semel tantum in vita credendis.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in Secunda hujus Operis Parte continentur.

Prior numerus deſignat Propoſitionem ab Innocentio XI. confixam, Secundus Numerum ejuſdem, Tertius paginas hujus Voluminis.

A

ABortum fœtus animati procurare non licet ad præcavendam infamiam, aut mortem prægnantis. pr. 34. n. 6. pag. 76. Poteſt fœtus inanimis directe pharmaco aliquo expelli, ſi ſit invaſor prægnantis; ſecus vero ſi ſit animatus. ibid. n. 8. Licitum tamen eſt procurare directe ſalutem matris periclitantis, etiamſi prævideatur abortus ſecuturus. ib. n. 13. Quandonam ex abortus procuratione contrahatur excommunicatio, & irregularitas? ib. n. 18. In nulla abortus procuratione homicidium committi, eo quod fœtus incipiat animari anima rationali, cum paritur, eſt commentitium. prop. 35. n. 3. pag. 78. 79.

Abſolutio Sacramentalis num poſſit aliquando iterari ſuper iiſdem peccatis, non iterato dolore a Pœnitente? 1. 26. 14

Acceptio perſonarum eſt peccatum ex genere ſuo mortale. 2. 7. 18. Acceptor perſonarum, licet non violet jus ſtrictum particularis perſonæ, nec teneatur illi quicquam reſtituere, tenetur tamen Communitati compenſare damnum ex prava electione, ſeu ex violatione juſtitiæ diſtributivæ ſecutum, ib. n. 9.

Actiones ab intrinſeco malæ quænam ſint ſimpliciter incohoneſtabiles, quænam vero per divinam diſpenſationem cohoneſtabiles? 49. 2. & 17. pag. 115. 117

Actiones, de quibus dubitatur, Num ſint intrinſece malæ, ita ut ne ob metum quidem mortis liceant, an vero indifferentes? 51. 4. 123. & 48. 16. 113

Actiones notabiliter in pollutionem influentes in genere luxuriæ, a quibus ſub mortali tenemur abſtinere. 47. 18. 113. 114

Actus naturales a ſupernaturalibus probabilius non differunt ab objecto formali, ſed ratione principiorum, unde promanant. 57. 18. 136

Actus morales indifferentes in individuo num ſint poſſibiles? 8. 1. 27

Adulterium habetur per copulam cum conjugata, etiam marito conſentiente. 50. 6. 119. Num ſit explicandus in Confeſſione hic mariti conſenſus? ib. n. 10. Quotuplex juſtitia per Adulterium committatur? ib. Utrum in Adulterio Chriſtifidelium detur etiam malitia Irreligioſitatis? ib. n. 11.

Advocatus, & Procurator num poſſint patrocinari cauſæ ſecundum opinionem minus probabilem, aut cauſæ dubiæ. 2. 13. 19

Æquivocatio cauſam juſtam requirit, ut licite uſurpari poſſit. Aliquando cauſa, quæ ſufficit ad æquivocandum, non ſufficit ad ſuperaddendum æquivocationi juramentum. 26. 18. 67.

Æquivocare non poteſt, qui juridice interrogatur. 16. 20. 67. Quid tamen ſi reus criminis capitalis poſſit æquivocando pœnam graviſſimam declinare? ib. n. 20. & 28. 3. 68. Neque poteſt æquivocare, qui abſque prævia infamia, aut ſemiprobatione a Judice de aliquo delicto interrogetur, non ad illud puniendum, ſed ad avertendum damnum Reipub. ib. 16. 70. Delictum proprium occultum quandonam poſſit cum æquivocatione negari coram Judice juridice interrogante? ib. Num poſſit æquivocando proferre formam conſecrationis Sacerdos, qui ſub interminatione mortis cogitur ad conſecrandum totum panem, qui eſt in foro? 29. 16. 74. V. etiam *Chriſtus D.*

Angelus tutelaris proprius num detur etiam infanti, dum eſt in utero matris? 35. 6. 60

Attritio naturalis neque ſufficit ad fructum, neque ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ. 57. 9. 135. Quotuplex detur Attritio ſupernaturalis? ib. n. 1. & ſeq.

Attritionem excludentem dilectionem benevolentiæ erga Deum ſufficere in Sacramento Pœnitentiæ, eſt moraliter certum. 1. 21. 12. 13. Etiam in articulo mortis adhiberi poteſt Attritio in Sacramento; præſertim ſi ſimul ſatisfiat præcepto dilectionis Dei, quod urget pro tali tempore. ib.

B

BAptiſmum ſuſcipientes Indi num poſſint aliquam ad arbitrium ex multis uxoribus, quas præhabebant, retinere? 1. 29. 15

Beneficia curata conferre dignis, neglectis dignioribus, non vacat lethali culpa. 47. 8. 112. Quid de Beneficiis ſimplicibus? ib. n. 9. Num pariter Reſignans Beneficium debeat reſignare digniori? ib. n. 10. & 13. Num Patronus laicus debeat Digniorem præſentare? ib. n. 10. & 14. In quonam caſu liceat dignum præferre digniori? ib. 17. Num etiam ad Prælaturam Regularem ſub mortali digniores præferendi ſint? ib. Num violetur aliter, præter juſtitiam diſtributivam, etiam commutativa. ib. n. 18. 113. 114. & 2. 9. 18.

C

CHaritatis ordo tam inter perſonas, quam inter objecta ſecundum ſe ſub gravi ſervandus eſt. 13. 9. & 18. 39. 40

Chriſtus Dom. nunquam uſus fuit æquivocatione preſſe dicta, in qua ſcilicet ſenſus obvius ſit falſus, & occultus verus. 27. 11. & 16. 65. 66.

Circumſtantiæ peccatorum aggravantes clavibus ſubjiciendæ, ſi de iis Confeſſarius interroget. 60. 17. 142. 143

Circumſtantia peccati ſpeciem mutans num poſſit aliquando tamquam novum peccatum ſubjici clavibus? 50. 1. 130

Comedere, & bibere ad ſatietatem ob ſolam voluptatem non vacat culpa. 8 6. 27. 28

Communio quotidiana, aut nimis frequens num expediat? 56. 11. 130. Decretum Innoc. XI. de Communione quotidiana. ib. n. 13. Num requiratur actualis devotio ad percipiendum principalem fructum Communionis. ib.

Communionis, & Confeſſionis frequentia non eſt nota Prædeſtinationis in iis, qui gentiliter vivunt. 56. 5. 138

Compensatio occulta. V. *Famuli*, & V. *Probabilitas debiti*.
Complacentia de morte proximi ob aliquod emolumentum temporale non vacat lethali culpa. 13. 12. 39. Sicut nec est licitum cupere mortem Patris ob pinguem hæreditatem obventuram, aut gaudere de Parricidio in ebrietate perpetrato ob divitias inde ex hæreditate consecutas. ib.
Complacentia, seu gaudium de aliquo objecto in moralibus perinde se habet, ac desiderium inefficax; quamvis hoc physice consequatur, illud vero antecedat objectum. 13. 2. 38
Complacentia de conspurcatione in somno habita, aut de inculpabili omissione recitationis Officii, seu jejunii violatione, & similibus, num possit a culpa excusari? 13. 20. 41
Conditionatus affectus de re intrinsece turpi sub hypothesi, quod liceret, num possit practice culpa vacare? 13. 15. 40
Confessarius quomodo possit citra restrictionem pure mentalem jurare coram Tyranno, se non audivisse peccatum pœnitentis, si revera audiit? 26. 13. 65. 66
Confessori dimidiate ratione magni concursus non licet Sacramentaliter absolvere. 59. 10. 138. Nec potest Superior, auditis tantum reservatis, dimidiate absolvere sacramentaliter subditum. ib. n. 15. In causa necessitatis quid faciet, qui non potest Superiorem adire pro absolutione a reservatis? ib. n. 17. Poteritne confessio dimidiari, ne complex peccati manifestetur? ib. n. 19.
Conformis debet esse voluntas nostra cum Divina, semper quidem in ratione volendi, non semper tamen in re volita. 13. 15. 40
Conjugatus peccans cum conjugata debetne in Confessione utriusque conjugium explicare? an sufficit dicere, quod adulterium commiserit? 50. 13. 121
Cooperari materialiter peccato alterius quandonam liceat? 51. 1. 122. Plures quæstiones huc spectantes enodantur. ib.
Consuetudine peccandi tenemur fateri, si de illa confessarius interroget. 60. 16. 142
Quandonam consuetudo peccandi est subjicienda clavibus, etiamsi Confessarius de illa non interroget? ib. n. 18.
Consuetudinario quandonam debeat differri, aut etiam negari absolutio? 60. 8. 141
Copula conjugatę, etiam marito consentiente, est adulterium. 50. 6. 119. Explicandumne sit in Confessione, ubi maritus consenserit? 50. 10. 120

D

Defensio occisiva in quibus casibus nullatenus liceat? pr. 30. 31. 32. 33. 74. 75
Defloratio Virginis num desinat esse stuprum per hoc, quod illa consentiat? 50. 13. 120
Delectari de inculpabili violatione jejunii quandonam culpa vacet? 13. 20. 41
Delectari de malo alterius, in quantum est causa boni præponderantis, num liceat? 13. 20. pag. ead.
Delectationem duntaxat intendere in esu, & potu ad satietatem, aut in opere conjugii, non vacat culpa. 8. 4. 27. Quid si ob solam voluptatem quis comedat moderate? ib. n. 6.
Desiderare mortem proximi, aut de ejus vita tristari, seu de morte gaudere ob aliquod temporale emolumentum; Necnon cupere mortem Patris ob hæreditatem obventuram; Et gaudere de Parricidio in ebrietate commisso ob ingentes divitias inde ex hæreditate consecutas, est mortale. 13. 14. 39
Desiderium inefficax perinde se habet in moralibus, ac gaudium, seu complacentia de objecto, quamvis hæc consequatur, illud objectum antecedat. 13. 2. 37. 38.
Desiderium conditionatum de re intrinsece turpi sub hypothesi, quod liceret, num possit practice a culpa depurari? 13. 15. 39. 40.
Desiderare sibi mortem non licet ad evadendas communes hujus vitæ ærumnas. Nec Mater potest Filiæ mortem optare, per hoc quod non possit illam juxta exigentiam proprii status nuptui tradere. 13. 21. 41.
Deus quonam pacto velit omnes homines salvos fieri, etiam infantes in utero matris decedentes? 13. 5. 79.
Dilectionis Dei præceptum quandonam obliget? 5. 16. & 7. 27. & 10. 7. 27. 28.
Dilectionis proximi præcepto non satisfit per solos actus externos absque actu interno, & formali. 10. 6. 31
Dilectionis inimicorum præcepto quomodo satisfiat? 10. 14. 32. 33
Dolore non iterato, poteritne absolutio Sacramentalis iterari aliquando super iisdem peccatis? 1. 26. 14

E

Ecclesiastici strictius ad eleemosynam obligantur, quam Laici. 12. 4. 35
Eleemosyna aliquando eroganda de superfluis statui, aliquando etiam de superfluis naturæ, quamvis necessariis statui præsenti. 12. ib. Vix in sæcularibus, etiam in Regibus, invenies superfluum statui, non quidem præsenti, sed altiori, & futuro; unde non excusantur ab eleemosyna facienda, quando ad illam tenentur de superfluis statui. ibid. n. 2. Quænam eleemosyna eroganda est ab Ecclesiasticis, & quænam a Sæcularibus, tam pauperibus in extrema, quam in gravi necessitate constitutis? ib. n. 5. & 8. Et quid erogare debeant in communibus necessitatibus pauperum ostiatim mendicantium? ib. nu. 10. & 36. 8. 82. Pauperi extreme indigenti ex justitia ne, an ex charitate eleemosyna debeatur? 36. 15. 83
Epicheja in usurpatione rei alienæ quandonam liceat? 36. 9. 82
Episcopi consecratio, etiamsi non fiat a tribus Episcopis, sed ab uno duntaxat, adhuc est valida. 1. 24. 14
Episcopus potest in impedimento Matrimonii dirimente in casu necessitatis dispensare. 1. 31. 15
Eucharistia. V. *Communio*, & V. *Hostia consecrata*.
Extrema Unctio valide, ac licite confertur oleo consecrato, in quo ob copiam infirmorum paulatim adjunctum sit oleum non consecratum, etiamsi post plures additiones major sit quantitas olei non consecrati, quam consecrati. 1. 26. 14. 15.

F

Falsum crimen imponere ad elidendam detrahentis auctoritatem, aut ad defendendam suam justitiam, & honorem, est culpa mortalis. 43. 5. 99. Utrum possit ad hunc finem crimen alterius occultum detegi? ib. n. 2. & 11. Quid si crimen occultum sit etiam secretum? ibid. nu. 12. Num possit aliquis sibimet imponere falsum crimen ad evadenda gravia tormenta citra culpam lethalem? ibid. num. 13.
Famuli quandonam metu notabilis detrimenti cooperari possint materialiter peccato sui Heri? 51. 1. 122. Quodnam dicatur hujusmodi detrimentum notabile? ibid. n. 2. Certe non possunt adjuvare Herum

rum ascendentem per fenestras ad stuprandam virginem metu, ne domo expellantur. Quid si metu mortis ad id adigantur? ib. n. 3.
Famulis non licet occulta compensatio, per hoc quod judicent, se esse dignos majori salario. 37. 5. 82. Quid si necessitate adigantur ad inserviendum parvo pretio? ib. n. 12.
Fides cadit secundum se sub præceptum speciale pr. 16. 41. Fidei actum semel in vitæ decursu elicere non sufficit. 17. pag. ead.
Fidem ingenue fateri tenetur, qui a Potestate publica de sua Religione interrogatur. 18. 6. 43. Quid si interrogatio fiat a persona privata? ibid. n. 11. Quid si Persona publica interroget, ad imponendum tributum, non intuitu fidei? ib. n 12. Quid si feratur generale edictum, ut fideles se prodant? ibid. n. 13. Licetne ad fidem occultandam, & ad evadendum mortis periculum uti Turcico pileo in terris Turcarum? ib. n. 14. Aut feria sexta vesci carnibus in Hollandia? ib. n. 15.
Fidei assensus potest ex imperio voluntatis esse in se. ipso magis firmus, quam mereatur pondus rationum ad assensum impellentium. 19. 7. 45.
Fidei assensus supernaturalis nunquam potest prudenter repudiari. 20. 11. 46
Fidei motivum intrinsecum est sola Prima Veritas revelans, extrinsecum vero sunt auctoritas humana Ecclesiæ, & aliæ rationes, ac signa credibilitatis ad credendum impellentia. Sicut est liberum voluntati, posito metu naufragii ad actum contritionis impellente, vel ponere actum contritionis ex motivo intrinseco Bonitatis Divinæ, vel ponere actum Attritionis ob metum naufragii; ita posita auctoritate Ecclesiæ, & signis credibilitatis, potest voluntas vel imperare assensum fidei supernaturalem ex motivo fidei intrinseco, vel naturalem ex motivis fidei extrinsecis. 19. 7. 45. 46.
Fidei assensus supernaturalis non stat cum notitia solum probabili revelationis, aut cum formidine, ne Deus non sit locutus. 21. 7. 49. Ut absolute Christus Dom. in hac Hostia adoretur, sufficit, quod probabiliter sit consecrata; hoc tamen non sufficit, ut absolute credatur in hac Hostia contineri Christum Dom. ibid. n. 11. Utrum evidentia credibilitatis, quæ ad fidem firmissimam prærequiritur, suppleatur in pueris, ac rudibus ab illustratione Spiritus Sancti? ib. n. 10. Fides infirma, & introductoria est illa quæ facile amittitur, non vero quæ est formidolosa. ib. n. 13. Poteritne Fide Divina credi Deiparam fuisse immunem ab originali? ibid. n. 19.
Fides explicita Dei Remuneratoris est necessaria necessitate medii. 22. 5. 51. Hinc non permittit Deus in præsenti providentia, quod adultus, qui legem naturalem servavit, decedat, antequam instruatur de Mysteriis credendis. ib. n. 8. Fides Dei Remuneratoris debet esse de Deo Remuneratore supernaturali. ib. n. 2. Non sufficit fides hæc explicita tantum in voto; esto probabiliter sufficiat fides explicita in voto Mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. ib. n. 10. Utrum ad primam solum justificationem adulti ea fides explicita prærequiratur, an etiam ut peccator iterum justificetur? ib. n. 13.
Fides late dicta ex testimonio creaturarum, similive motivo ad justificationem non sufficit. 23. 7. 57.
Firmitas fidei alia est intellectualis, seu adhæsionis, alia vero affectiva. Etiam firmitas intellectualis potest esse in actu fidei ex imperio voluntatis major, quam mereantur rationes impellentes ad credendum. 19. 7. 45. 46.
Fœtus inanimis abortus. V. *Abortus*.
Fœtus non incipit animari anima rationali, dum paritur. 35. 3. 78. Nec in primo instanti conceptionis. ib n. 9. Sed circa quadragesimum diem, si sit mas, circa octogesimum, si sit fœmina. ib. n. 10.
Fornicatio est prohibita, quia mala, non mala, quia prohibita. 48. 9. 116. Mollities pariter jure naturæ prohibetur, quin sit cohonestabilis. ib. n. 6.
Furtula. V. *Restitutio*.
Furtum in gravi necessitate non licet, quamvis liceat in extrema. 36. 7. 82

H

HOræ Canonicæ num præcipiantur tanquam res dividuæ? 54. 11. 128. Sitne multiplex pro multiplicitate Horarum, an unicum præceptum recitandi Officium? ib. n. 15. Qui recitare non potest Matutinum, & Laudes, tenetur recitare alias Horas, quas potest. ib. n. 7. Ad vitandam perplexitatem infirmus, qui non potest recitare majorem Officii partem, nec tenetur ad minorem. ib. n. 1. Qui non potest Horas sine socio recitare, teneturne illum asciscere? ib. n. 17. Qui recitare nequit Horas tempore singulis præstituto, teneturne anticipare, aut postponere? ib. n. 18.
Hostia non consecrata potestne pro consecrata administrari peccatori occulto? 29. 10. 91

I

IMpedimentum dirimens Matrimonium. V. *Patrinus*. V. *Episcopus*.
Incarnationis, & Trinitatis Mysteria. V. *Mysteria*.
Inimici quomodo sint diligendi? 10. 14. 32. 33
Judex non potest juxta opinionem minus probabilem ferre sententiam. 2. 5. 18. Poteritne opinioni Collegæ se accommodare? ib. n. 12. Quandonam juridice interrogat, etiamsi non præcesserit infamia, aut semiprobatio? 28. 4. 69. & 8. ibid. Aliquando habet jus interrogandi, quin tamen reus teneatur respondere. ib. n. 6.
Juramenti comites debent esse tres, Veritas, Judicium, & Justitia. 24. 11. 42. Vocare Deum in testem mendacii levis est culpa lethalis. ib. n. 5. Jurans se cras mentiturum gravius peccat, si non habeat animum mentiendi cras, quam si habeat. ib. n. 12. Juramentum promissorium admittit materiæ parvitatem, non assertorium. ib. n. 13. Num peccet tanquam perjurus, qui inducit alium ad testandum cum juramento id, quod ille putat verum, ipse vero scit esse falsum? ib. n. 15.
Jurare sine animo jurandi num unquam liceat, quæcunque causa detur? 25. 2. 59. & 60. Mentitur, qui dicit, Juro, nolens jurare; & hujusmodi mendacium est sacrilegum. ibid. Qui falsum jurat sine animo jurandi, licet proprie non pejeret, peccat tamen graviter. ib. n. 4. Num detur in hoc materiæ parvitas? ibid. n. 6. Quid si juret verum sine animo jurandi? ib. n. 7. Confessarius jurans coram Tyranno se non audivisse peccatum in confessione, quod revera audivit, non dicitur jurare sine animo jurandi, aut pejerare. ib. n. 10. Qui promittit aliquid juratus sine animo jurandi tenetur implere, quod promisit, ad vitandum scandalum, non ex virtute Religionis. ib. n. 13. At qui promittit aliquid juratus sine animo implendi, ex virtute Religionis tenetur implere promissum. ib. Sintne juratoria hæc verba, In mea conscientia, Per fidem Sacerdotis, & similia? ib. n. 14.
Juramentum additum restrictioni pure mentali est perjurium. 26. 8. 64. & 15. 66
Juramentum cum restrictione mentali præstitum ab eo, qui mediante commendatione, vel munere promotus est ad Officium publicum, non habito respectu ad intentionem illud exigentis, est illicitum, quam-

quamvis fiat ad non manifestandum proprium delictum occultum. 28. 7. 69
Jurisdictio probabilis sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum. 1. 20. & 29. 13. & 17.
Justitiæ distributivæ violatio num ferat onus restitutionis? 2. 9. 18

L

Legata pia relicta testamento ex defectu alicujus solemnitatis invalido num sint solvenda? 37. 8. 86. Quid etiam de legatis non relictis ad causam piam? ib.
Legis obligatio num cesset, cessante ejus fine in casu particulari? 48. 12. 116. 117
Locutio materialis quid sit? Et an liceat aliquando? 25. 12. 65. & 26. 13. 66

M

Major pars quandonam trahat ad se minorem? 54. 9. 128
Mater nequit optare mortem filiæ, per hoc quod non possit illam juxta exigentiam proprii status nuptui tradere. 13. 21. 41
Matrimonii Sacramentum quandonam poterit suscipi cum opinione solum probabili, quod nullum detur impedimentum dirimens, aut quod præcesserit dispensatio? 1. 29. 15. Matrimonii causa dicitur esse favorabilis, & liberalis. ib. Potestne aliquando Matrimonium revalidari, etiamsi alter conjux ejus nullitatem ignoret? ib. n. 31. Poteritne sine Parocho, & testibus revalidari? ib.
Matrimonialis contractus potest aliquando ratione urgentis metus simulari, quin possit ob ullum metum simulari Sacramentorum administratio. 29. 12. 73
Matutinum, & Laudes si recitari non possint, non eatenus aliæ Horæ possunt omitti. 54. 7. 127
Mendacium ne pro vita quidem tuenda est licitum ex Doctrina D. Petri, & Innocentii III. 26. 11. 64. & 21. 68
Metus urgens gravis. V. *Matrimonialis contractus*.
Missæ partes si simul a diversis celebrantibus audiantur, non satisfit præcepto Ecclesiæ. 55. 2. 125. Missæ pars modica quænam dicatur? ib. n. 10.
Mohatræ contractus est usurarius. 40. 5. 93
Mollities jure naturæ prohibetur, quin sit cohonestabilis, necnon fornicatio. 49. 6. & seq. 115. 116
Mortem nemo sibi potest optare ad evadendas communes hujus vitæ calamitates. 13. 21. 41
Mutuator potestne citra usuram superimponere mutuatario aliquam exiguam obligationem, quæ non sit pretio æstimabilis? 40. 4. 93. Poteritne retinere auctarium datum tanquam debitum, si acceperit tanquam liberaliter donatum; Aut auctarium liberaliter donatum, si acceperit tanquam debitum? 42. 10. 97. Quid si auctarium donetur a mutuatario ob metum, ne ille nolit amplius mutuare? ib. Poteritne Mutuator excitare animum mutuatarii ad gratitudinem jure naturæ debitam? ib. n. 12.
Mysteria Fidei necessitate solum præcepti credenda quænam sint? 65. 6. 131
Mysteria Trinitatis, & Incarnationis ignorans culpabiliter non est capax absolutionis. 64. 1. 126. 127. Nec sufficit ea semel credidisse. 65. 4. 130. & seq. Probabiliter fides explicita horum mysteriorum est necessaria duntaxat necessitate præcepti; ita tamen, ut eadem fides in voto sit necessaria necessitate medii, non secus ac Baptismus in voto. ib. n. 10.

N

Necessitas extrema in quonam differat a quasi extrema, seu valde gravi, & a gravi? & utrum furtum liceat in necessitate valde gravi? 36. 3. 81
In necessitate gravi pauperum quænam eleemosyna eroganda est ab Ecclesiasticis, & quænam a Sæcularibus? 12. 8. 36. Quid erogandum extreme indigenti? ib. n. 6. Quid pauperibus ostiatim mendicantibus? ib. n. 10. & 36. 8. 82. V. Etiam *Eleemosyna*.

O

Occasio peccandi proxima fugienda est, quin excuset causa aliqua utilis, aut honesta: Nec potest directe quæri pro bono spirituali, vel temporali nostro, vel proximi. pr. 61. 62. 63. 145
Occisiva defensio non licet adversus calumniatorem; Nec pro conservatione unius aurei; Nec ad defendenda ea, ad quæ solum habetur jus inchoatum; Nec hæredi, aut legatario, aut habenti jus ad Cathedram, vel Præbendam contra injuste impedientes eorum possessionem. pr. 30. 31. 32. 33. 75
Occulta compensatio ob debitum probabile non licet. 37. 8. 86. V. etiam *Famuli*.
Opinio probabilis. V. *Probabilis opinio*.
Opus conjugii ob solam voluptatem exercitum non vacat culpa veniali. 9. 4. 27. Quid si exerceatur propter vitandam in se incontinentiam, aut propter sanitatem? ib. n. 9.
Oratio supernaturalis poteritne præire actum Fidei supernaturalis, & ad illum disponere, sicut disponit pia affectio ad fidem supernaturalem, seu voluntas credendi? 23. 14. 56

P

Parvitas materiæ in Horarum recitatione. 54. 9. 128. In auditione Missæ. 53. 10. 126. V. etiam *Juramentum*.
Patrinus in Baptismo, & in Confirmatione contrahitne impedimentum dirimens cognationis spiritualis, si non teneat physice baptizandum, aut confirmandum? 1. 30. 125. Quid si teneat physice infantem, quando baptismus confertur in necessitate sine solemnitatibus? ib. n. 31.
Patris mortem cupere ob hæreditatem obventuram, aut de Parricidio in ebrietate perpetrato gaudere ob divitias inde ex hæreditate consecutas, non vacat lethali culpa. 13. 12. 39
Peccatum idem non raro per accidens iterum clavibus subjiciendum est. 60. 17. 142
Periculo peccandi proximo qui se exponit, peccat peccato distincto ab eo, quod deinde subsequitur, si succumbit. 60. 18. 142. & 143. Utrum autem debeat ut distinctum clavibus subjici? ib.
Perjurium in re levi non vacat culpa gravi. 24. 5. 57. Cur non detur in perjurio materiæ parvitas? ib. n. 6. Perjurium est peccatum gravius homicidio, & quocumque alio peccato contra proximum. ib. Et gravius peccat, qui pejerat in re levi, quam qui in gravi. ib. n. 8. Non peccat tamen graviter, qui jurat se cras mentiturum, si vere habet animum mentiendi crastina; secus vero si hic animus desit, cum sic pejeret. ib. n. 14. V. etiam *Juramentum*.
Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe num sit possibile? 57. 15. 135. Quid conferat ad praxim? 1. 28. 75
Præceptum servandi festa obligat sub mortali, etiam secluso scandalo, & contemptu. 52. 124
Præceptum recitandi Officium sit ne unicum, an multiplex pro multiplicatione Horarum? 54. 15. 129
Præcepto Ecclesiæ non satisfit audiendo plures Missæ partes simul. 53. 2. 125. Nec per Communionem sacrilegam. 55. 129
Probabilis opinio speculative quandonam est etiam probabilis practice. 35. 8. 79. 80.
Probabilior opinio in quonam differat a tutiore? 1. 2. 9. In conferendis Sacramentis non licet sequi opinionem probabilem de illorum valore, omissa tutiore. ib. n. 14. Licitum tamen est sequi moraliter certam in conflictu tutioris. ib. n. 26. Et opinionem probabilem de Jurisdictione, ib. n. 29. Num

sufficiat opinio probabilis de carentia impedimenti, aut de dispensatione obtenta, ut possit Sacramentum Matrimonii suscipi? ib. n. 29. Cur in tali casu sufficiat probabilitas circa jus, non circa factum? ib. n. 31. Universim in humanis actionibus licitum est sequi opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris. ib. n. 6. Non licet tamen Judici juxta opinionem minus probabilem judicare. 2. 5. 18. Nec Infidelis non credens ab infidelitate excusatur, si opinioni minus probabili se accommodet. 4. 5. 23. 24

Probabilitas tenuis non sufficit ad operandum prudenter. 3. 4. 20. Esto non sit probabilitas cum addito distrahente, ib. n. 7. Num sufficiat in casu magnæ necessitatis? ib. n. 13. Num sufficiat opinio probabiliter probabilis? ib. n. 10.

Probabilitas debiti non satis est ad occultam compensationem faciendam. 37. 8. 86

Proxima occasio peccandi. V. *Occasio*.

Proximus quomodo diligendus? 10. 6. 31. Quomodo inimicus? ib. n. 16. De proximi morte habere complacentiam, aut illam inefficaci affectu cupere, vel de ejus vita tristari ob emolumentum temporale non vacat gravi culpa. 13. 10. 39

R

Regula universalis ad dignoscendum quandonam propositio proscripta indefinita sumi debeat in sensu universali, & quando in sensu particulari. 29. 15. 72. & 73. & 53. 9. 109. Regula, qua dijudicetur, in quanam culpa detur materiæ parvitas. 24. 7. 57. Regula ad dispiciendum, quandonam teneatur ad partem, quam potest, qui non potest implere totum. 54. 13. 128. Et quandonam opinio speculative probabilis sit etiam probabilis practice. 35. 8. 79

Restituendum est sub mortali, quod per furtula ablatum est, ubi ad quantitatem notabilem perveniat. 38. 88. Restituere debet qui movet, aut inducit alium ad inferendum alteri damnum. 39. 8. 90. 91. Concausæ positivæ, & negativæ damnificationis, quæ ad restitutionem tenentur, quænam sint? ib. n. 2. Quid si concausa probabiliter duntaxat in damnum influxerit? ib. n. 13. Quid si sine illa adhuc damnum sequeretur? ib. Num restituere teneatur Confessarius non obligans pœnitentem ad restituendum? ib. n. 5. Num Gubernator, aut Episcopus, qui suo malo exemplo alios inducunt ad damnificandum? ib. Num qui divitem inducit, ne aliquid pauperi eroget? ib. n. 13 Num qui non impedit damnum, quod ex charitate tenetur impedire? ib. n. 10. Num Judex non imponens mulctam pecuniariam Fisco debitam? ib. 15. Aut custodes, qui non revelando transgressores impediunt, ne mulcta pecuniaria Fisco solvatur? ib. Quid de Consulente, & Mandante damnificationem, si revocetur consilium, aut mandatum? Quid de ratum habente? Quid de inducente ad inferendum malum minus paratum inferre malum majus? ib.

Restrictio pure mentalis est mendacium. 26. 3. 60. Secus vero restrictio non pure mentalis, seu externa, necnon Æquivocatio, Usus duplicis scientiæ, vid. communicabilis, & incommunicabilis, & Locutio materialis. ib. V. *Æquivocatio*, & V. *Juramentum*.

Reus num teneatur fateri crimen capitale, ubi sit spes evadendi? 28. 3. 68. 69. Aliquando reus non tenetur respondere, etiamsi Judex habeat jus interrogandi. ib. n. 6.

S

Sacramenta conferri non possunt juxta probabilem opinionem de eorum valore, omissa tutiore. 1. 16. 12. Immo nec possunt ita suscipi. ib. n. 25. Licitum tamen est tam in conferendis, quam in suscipiendis illis sequi opinionem moraliter certam, relicta tutiore, ibid. n. 26. Eaque administrare cum Jurisdictione probabili. ib. n. 20. V. etiam *Probabilior opinio*.

Scholares num pejerent, quando ad obtinendas matriculas cum æquivocatione jurant se studuisse, cum non studuerint? 28 15. 91

Scienti, & volenti quandonam non fit injuria? 50. 8 120

Simonia committitur, etiam quando temporale pro spirituali datur tanquam motivum, & non tanquam pretium; sicut etiam si detur in gratuitam compensationem. 45. 14. 108. Quandonam temporale pro spirituali censetur dari gratis, & liberaliter, quando vero ex quodam implicito pacto? ib. n. 6. Citra Simoniam exigitur stipendium Missæ in sustentationem Sacerdotis, necnon stipendium pro Litaniis, & Responsoriis, & similibus. ib. n. 19. Potest Pater aliquid filio dare sub conditione, quod frequentet Sacramenta. ib. n. 20. Num possit Beneficium conferri sub conditione, quod detur Eleemosyna Ecclesiæ? ib. n. 22. Sitne Simoniacus contractus inter duos Religiosos, qui se mutuo obligant ad dandum alteri suffragium pro Prælatura? ib. n. 25. Poteritne offerri pecunia Intercessori mediato ad Beneficium obtinendum? ib. Beneficium simoniace obtentum resignandum est, etiamsi Beneficiarius ignoraverit simoniam ab aliis commissam. ib. Quid tamen, si post triennium hanc Simoniam nesciat? ib.

Simulari potest ob urgentem metum gravem contractus matrimonialis. 29. 12. 73. Esto ob nullum metum administratio Sacramentum simulari possit. ib. n. 7.

Stipendium Missæ, si sit incongruum, num possit compensari? 37. 13 65. 66.

Superfluum statui. V. *Eleemosyna*.

T

Trinitatis, & Incarnationis Mysteria. V. *Mysteria*.

Turcico pileo in Terris Turcarum uti ad fidem occultandam, num liceat Christifideli? 18. 14. 43.

V

Valentia vindicatur a persona calumniæ illi imposita a Montaltio circa doctrinam de Simonia. 45. 23. 110

Vasquez per injuriam a Montaltio carpitur circa doctrinam de Eleemosyna eroganda de superfluis status, aut de superfluis naturæ, cum strictiorem, quam alii, obligationem imponat. 12. 2. 34

Voluptatem duntaxat intendere per opus conjugii aut comedendo, ac bibendo ad satietatem, non vacat veniali culpa. 8. 4. 27. Quid si comedatur temperate ob solam voluptatem, ib. num. 6. Teneturne conjux debitum reddere, si alter ob solam voluptatem petat? ib. n. 14.

Usura non declinatur accipiendo auctarium, vel quia datur pecunia numerata pro numeranda, quæ minoris æstimari solet; vel quia exigitur aliquid tanquam debitum ex gratitudine. 41. 6. 96. Qui usurarium contractum bona fide celebrat, poteritne retinere lucrum, quod ex licito alio contractu potuisset reportare? 40. 10. 94. V. etiam *Mutuator*.

Sit autem hic hujus Opusculi (sed ob ubi Æternitatis!)

F I N I S.

Laus Deo, & B. Virg. sine labe Conceptæ.

A. M. D. G.

R. P. DOMINICI VIVÆ
SOCIETATIS JESU
OPERA OMNIA
THEOLOGICO-MORALIA.
TOMUS SEPTIMUS
COMPLECTENS DAMNATAS THESES AB ALEXANDRO VII. INNOCENTIO XI. & ALEXANDRO VIII.

NECNON JANSENII

Ad Theologicam trutinam revocatas juxta pondus Sanctuarii:

Item Michaelis Baji, Michaelis de Molinos, aliasque Theses superiore Sæculo profligatas, quæ in calce hujus Tomi recensentur una cum Indicibus locupletissimis, & Enchiridio olim typis dato

DE JUBILÆO, PRÆSERTIM ANNI SANCTI.

PARS TERTIA.

DE XXXIII. THESIBUS PROSCRIPTIS

AB ALEXANDRO VIII.

Necnon de Quinque Jansenii Propositionibus.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explanantur, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DECRETUM ALTERUM SS. D. N. ALEXANDRI PAPÆ VIII.

Die 24. Augusti 1690.

SAnctissimus D. N. Alexander Papa Octavus non sine magno animi sui mœrore audivit duas Theses, seu Propositiones, unam denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitari, alteram de novo erumpere, & cum sui Pastoralis Officii munus sit, Oves sibi creditas a noxiis pascuis avertere, & ad salutaria semper dirigere, dictarum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus sedulo commisit, qui, pluries re mature discussa, infrascriptis Thesibus, seu Propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia Sanctitati Suæ singillatim exposuerunt.

I. Bonitas objectiva consistit in convenientia objecti cum natura rationali: Formalis vero in conformitate actus cum regula morum. Ad hoc sufficit, ut actus moralis tendat in Finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio neque in decursu vitæ suæ moralis.

II. Peccatum Philosophicum, seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale est transgressio libera Divinæ Legis. Philosophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum, sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque æterna pœna dignum.

Quibus peractis, Sanctissimus, omnibus plene, & mature consideratis, primam Thesim, seu Propositionem declaravit hæreticam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet sub Censuris, & pœnis contra Hæreticos, & eorum fautores in jure expressis: Secundam Thesim, seu Propositionem declaravit scandalosam, temerariam, piarum aurium offensivam, & erroneam, & uti talem damnandam, & prohibendam esse, sicuti damnat, & prohibet, itaut quicunque illam docuerit, defenderit, ediderit, aut de ea etiam disputaverit publice, seu privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in Excommunicationem, a qua non possit (praeterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam Dignitate fulgente, nisi a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi. Insuper districte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub interminatione Divini Judicii prohibet omnibus Christifidelibus cujuscunque conditionis, Dignitatis, ac Status, etiam speciali, & specialissima nota dignis, ne prædictam Thesim, seu Propositionem ad praxim deducant.

DECRETUM ALTERUM
SS. D. N.
ALEXANDRI PAPÆ VIII.

Die 7. Decembris 1690.

SAnctissimus Dominus Noster Alexander Divina Providentia Papa Octavus prædictus, pro Pastorali cura Ovium a Christo Domino sibi commissa, de earum salute sollicitus, ut inoffenso gradu per rectas semitas possint incedere, & pascua nimirum perniciosa in pravis doctrinis exhibita vitare, unius supra triginta Propositionum examen pluribus in Sacra Theologia Magistris, & deinde Eminentissimis, ac Reverendissimis DD. Cardinalibus contra Hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus commisit, qui tantum negotium diligenter aggressi, eique sedulo, ac pluries incumbentes, super unaquaque ipsarum sua Suffragia Sanctitati Suæ singillatim detulerunt.

Propositiones autem sunt infrascriptæ, videlicet.

1 IN statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

2 Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato formali.

3 Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

4 Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

5 Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti.

6 Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A Gratia sufficienti libera nos Domine.

7 Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

8 Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

9 Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura rationali, sine ullo ad Deum offensum respectu.

10 Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

11 Omne, quod non eſt ex Fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.

12 Quando in magnis peccatoribus deficit omnis Amor, deficit etiam Fides, & etiamſi videantur credere, non eſt Fides Divina, ſed humana.

13 Quiſquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate ſi caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

14 Timor gehennæ non eſt ſupernaturalis.

15 Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, ſine dilectione benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus, ac ſupernaturalis.

16 Ordinem præmittendi ſatisfactionem abſolutioni induxit non politia, aut inſtitutio Eccleſiæ, ſed ipſa Chriſti lex, & præſcriptio, natura rei idipſum quodammodo dictante.

17 Per illam praxim mox abſolvendi ordo Pœnitentiæ eſt inverſus.

18 Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pęnitentiæ, etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

19 Homo debet agere tota vita pœnitentiam de peccato originali.

20 Confeſſiones apud Religioſos factæ pleræque vel ſacrilegæ ſunt, vel invalidæ.

21 Parochianus poteſt ſuſpicari de Mendicantibus, qui Eleemoſynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pęnitentia, ſeu ſatisfactione, ob quæſtum, ſeu lucrum ſubſidii temporalis.

22 Sacrilegi ſunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis ſuis pęnitentiam egerint.

23 Similiter arcendi ſunt a Sacra Communione, quibus nondum ineſt amor Dei puriſſimus, & omnis mixtionis expers.

24 Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine Maria in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

25 Dei Patris ſedentis ſimulacrum nefas eſt Chriſtiano in Templo collocare.

26 Laus, quæ defertur Mariæ ut Mariæ, vana eſt.

27 Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo.

28 Valet Baptiſmus collatus a Miniſtro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi obſervat, intus vero in corde ſuo apud ſe reſolvit; Non intendo facere, quod facit Eccleſia.

29 Futilis, & toties convulſa eſt aſſertio de Pontificis Romani ſupra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæſtionibus decernendis infallibilitate.

30 Ubi quis invenerit doctrinam in Auguſtino clare fundatam, illam abſolute poteſt tenere, & docere, non reſpiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

31 Bulla Urbani Octavi *In Eminenti*, eſt ſubreptitia.

Quibus mature conſideratis, Idem Sanctiſſimus ſtatuit, & decrevit 31. ſupradictas Propoſitiones, tanquam temerarias, ſcandaloſas, male ſonantes, injurioſas, hæreſi

pro-

proximas, hæreſim ſapientes, erroneas, ſchiſmaticas, & hæreticas reſpective eſſe damnandas, & prohibendas, ſicut eas damnat, ac prohibet: ita ut quicumque illas aut conjunctim, aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputative, publice, aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem, a qua non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, niſi a pro tempore exiſtente Romano Pontifice, abſolvi.

Inſuper diſtricte in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub interminatione Divinii Judicii prohibet omnibus Chriſtifidelibus cujuſcunque conditionis, dignitatis, ac ſtatus, etiam ſpeciali, & ſpecialiſſima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipſarum ad praxim deducant.

Non intendit tamen Sanctitas Sua per hoc Decretum alias Propoſitiones in majori numero ultra ſupradictas 31. jam exhibitas, & in hoc Decreto non expreſſas approbare.

D E

DE DUABUS PROPOSITIONIBUS AB ALEXANDRO VIII.

Proſcriptis 24. Auguſti 1690.

PROPOSITIO I.

Bonitas objectiva conſiſtit in convenientia objecti cum natura rationali; formalis vero in conformitate cum regula morum. Ad hoc ſufficit, ut actus moralis tendat in finem ultimum interpretative. Hunc homo non tenetur amare neque in principio, neque in decurſu vitæ ſuæ moralis.

De hac affatim in expoſitione primæ Propoſitionis ab Alex. VII. proſcriptæ.

PROPOSITIO II.

Peccatum Philoſophicum, ſeu morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum vero, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum, quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.

S Y N O P S I S.

I. Proſcribitur hæc theſis ut Scandaloſa, Temeraria, Piarum aurium offenſiva, & erronea.

II. Contendit enim peccatum Philoſophicum, ſeu actum humanum naturæ rationali diſconvenientem in eo, qui Deum ignorat, ſeu de Deo non cogitat, non eſſe peccatum Theologicum, ſeu offenſam Dei, nec dignum pœna æterna.

III. Nuper hanc theſim erupiſſe teſtatur Pontifex; propterea hic non proſcribitur, quod olim a plurimis primæ notæ DD. docebatur, videlicet abſolute repugnare peccatum pure Philoſophicum; in hypotheſi tamen ſive metaphyſice, ſive moraliter impoſſibili, quod aliquis invincibiliter Deum omnino ignoraret, hujuſmodi peccatum non fore Dei offenſivum.

IV. Docuerunt pariter nonnulli poſſe per accidens illud dari in hac Providentia.

V. Videturque ſuaderi, tum quia dari poteſt ad breve tempus invincibilis Dei ignorantia; in quo caſu peccatum non eſſet Theologicum; tum etiam, quia poteſt peccatum apparere diſſonum naturæ rationali, quin appareat offenſivum Dei.

VI. Aliter Gentiles ſub utraque formalitate deberent peccatum cognoſcere.

VII. Sicut non eſt homicida, qui occidit hominem invincibiliter putatum feram; ita nec Deum offendit, qui invincibiliter Deum ignorat, dum peccat.

VIII. Sed peccatum pure Philoſophicum forte etiam metaphyſice repugnat: tum quia peccatum eſt eſſentialiter contra Legem æternam; tum etiam, quia adverſatur rationis dictamini, quod eſt præco Divinæ legis.

IX. Quando peccatum attingitur ut diſconveniens naturæ rationali, attingitur impræciſibiliter ut prohibitum a Deo, atque adeo ut Dei offenſivum.

X. Peccatum nequit prohiberi ab ipſa natura rationali, ſiquidem quibuſcumque creaturis ad illud impellentibus, adhuc eſt illicitum.

XI. Deo peccatum eſt impoſſibile; & ideo non prohibetur illi a lege ſuperiore.

XII. Etiamſi peccatum pure Philoſophicum metaphyſice non repugnaret, adhuc eſt moraliter impoſſibile in præſenti Providentia, in qua eſt unicuique obvia notitia Dei prohibentis actionem diſſonam naturæ rationali.

XIII. Ad contrahendam Dei offenſam ſufficit, ſi Deus a peccatore attingatur ſub conceptu ſupremi Legiſlatoris.

XIV. Ad contemptum Dei virtualem ſatis eſt confuſa Dei cognitio.

XV. Etiam Gentilium culpa eſt Theologica. Sicut eſt impius, qui maledicit Genitori, quem nunquam de facie novit; ita Deum offendit, qui ſub confuſo conceptu ſupremi Legiſlatoris illum cognoſcit, dum peccat.

XVI. Non incurrit cenſuram, qui omnino ignorat legem Eccleſiaſticam vetantem aliquid ſub cenſura.

XVII. At incurrit reatum odii Divini, ac pœnæ æternæ, qui peccat; quia ad gravem culpam hæc connaturaliter conſequuntur.

XVIII. Si per impoſſibile Deus peccatum non vetaret, videtur, quod per locum intrinſecum actio diſſona naturæ rationali eſſet peccatum Theologicum.

XIX. Si ſupponatur poſſibilis metaphyſice omnimoda ignorantia Dei in eo, qui peccat, hujus peccatum eſſet pure Philoſophicum.

XX. Sive Prima regula moralitatis ſit natura rationalis, ſive lex Divina, ſemper peccatum eſt Theologicum.

XXI. Sicut actus moralis bonus eſt pariter Theologice bonus; quamvis hic non ſit de ſe ſatis ad contrahendam amicitiam cum Deo: peccatum vero Theologicum ſufficit ad contrahendum reatum Divinæ inimicitiæ.

XXII. Non proſcribitur in hac theſi, quod ſolum moraliter ſit impoſſibilis omnimoda Dei ignorantia, atque adeo quod moraliter tantum, & non metaphyſice peccatum pure Philoſophicum repugnet.

XXIII. Constat, quod moraliter sit impossibilis Dei ignorantia invincibilis.

XXIV. Cum ignorantia Dei invincibili nequit peccatum esse Theologicum.

XXV. Ex celebri Regula ad dignoscendum sensum thesium confixarum descendit, quod in hac thesi non proscribatur peccatum Philosophicum pro hypotesi saltem moraliter, si minus metaphysice impossibili, quod detur omnimoda invincibilis Dei ignorantia.

I. UTramque hanc thesim telo Pontificio confixit Alexander VIII. antequam quicquam decerneret de aliis una, & triginta thesibus, quas eodem tenore deinde scripsit 7. Decembris 1690., vetando sub pena excommunicationis ipso facto incurrendæ Sanctæ Sedi reservatæ, ne quis illas doceret, defenderet, ederet, aut de iis etiam disputaret, aut privatim tractaret, nisi forsan impugnando; & simul in virtute Sanctæ Obedientiæ prohibendo, ne quis illas in praxim deduceret.

Priorem ex his thesibus Pontifex declaravit Hæreticam, quippe quæ aperte, ac immediate opponitur veritatibus revelatis. Dicitur enim 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*; & Marc. 12. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua, & ex tota virtute tua: Hoc est primum mandatum*. Quod pariter Matth. 22. vocatur, *Mandatum primum & maximum*.

Alteram de peccato Philosophico declaravit Scandalosam, Temerariam, Piarum aurium offensivam, & Erroneam. Est autem *Erronea*, utpote quæ non immediate adversatur doctrinæ revelatæ, sed mediate; opponitur enim duntaxat conclusioni Theologicæ erutæ ex una præmissa de fide, & altera naturaliter cognita: de fide enim est, reum esse odii Divini, ac gehennæ, qui Deum offendit; naturaliter vero apertissime cognoscitur, ut mox explicabimus, Deum offendere, saltem tanquam supremum Legislatorem, qui advertit operationem, quam ponit, esse disconvenientem naturæ rationali, & rectę rationi, atque adeo a supremo Legislatore prohibitam, cum Divinæ prohibitionis veluti præco sit dictamen rationis, etiamsi tunc Deus ignoretur sub conceptu Entis optimi, & a se, aut Primæ causæ, aut de illo sub tali explicito conceptu actu non cogitetur. Vel saltem est lumine naturæ notum dari Deum, illumque prohibere, quæ rectæ rationi adversantur, adeo ut in præsenti providentia moraliter contingere non possit, quod detur invincibilis Dei ignorantia, aut inadvertentia, dum peccatur. Est itaque Conclusio Theologica, quod peccatum Philosophicum sit etiam Theologicum, hoc est offensa Dei, dissolvens ejus amicitiam, & pœna æterna dignum, saltem in præsenti providentia; ut proinde propositio opposita, quæ hic proscribitur, sit Erronea.

Est pariter *Scandalosa*; præbet quippe aliis ruinæ spiritualis ansam, dum credunt Deum non offendi, si hic, & nunç æstro passionis perciti de Deo non cogitant, dum in scelera naturæ rationali dissona dilabuntur, atque adeo hujusmodi culpas non esse clavibus subjiciendas, & lacrymis contritionis eluendas. Est etiam *Temeraria*; opponitur quippe communissimæ auctoritati Patrum, ac Theologorum aliter sentientium. Aç demum est *Piarum aurium offensiva*; non solum enim male sonat, verum etiam aliquid indignum in materia Religionis præsefert, ex quo animus pietati, ac doctrinæ Catholicæ deditus offenditur. Alias unam, & triginta theses Pontifex damnavit tanquam temerarias, scandalosas, male sonantes, injuriosas, hæresi proximas, hæresim sapientes, erroneas, schismaticas, & hæreticas respective, nullum determinate ex his nigris theta cuipiam præfigendo, relinquendo aliis advertere, quanam ex his censuris Theologicis singulæ sint notandæ.

II. Quod attinet ad priorem ex his duabus thesibus, nihil est causæ, cur hic iterum immoremur, satis enim superque ejus falsitas ostenditur ex iis, quæ diximus in exponenda prima illa propositione ab Alexandro VII. proscripta, quæ habet: *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi præceptorum Divinorum ad eas virtutes pertinentium*: post cujus proscriptionem mirum est, quod præsens propositio iterum emerserit; ut proinde Alexander VIII. indoluerit in suo Decreto, quod denuo, & in majorem Fidelium perniciem suscitata fuerit.

III. Agendum itaque hic de altera, quæ spectat ad peccatum pure Philosophicum, quæque, ut habet Pontifex, de novo erupit: Siquidem ortum ea habuit occasione arrepta ex quibusdam thesibus publice expositis anno 1686. a quodam Professore Divionensi; in quibus licet hæc thesis prout jacet non periretur, nihilominus paucis per invidiam mutatis, in hanc præsentem thesim una ex iis concinnata fuit; cum tamen mens Professoris in manuscriptis expressa, & verba expositæ thesis longe alium sensum haberent, quam faciunt verba thesis hujus proscriptæ. In ea enim thesi, necnon in manuscriptis Professor diserte loquebatur de illo, qui peccaret cum omnimoda Dei ignorantia, aut inadvertentia, & solum in quodam sensu conditionato, non absoluto asserebatur, quod si invincibilis, & omnimoda Dei ignorantia dari posset in eo, qui peccat, hic Deum non offenderet; quod non pauci Doctores docent, nec in hac thesi damnatur, ut mox ostendetur (*a*).

(*a*) ,, Concina *T. 1. hist. Probab. diss. 1. c.* v. ,, §. I. Vivam reprehendit, quod nullum Professoris Divionensis textum adtulerit, quo hanc ejus ,, fuisse mentem constaret. At Concinæ ista reposuit Cl. Richelmus in libro inscripto: *Saggio di* ,, *Avvertimenti* &c.

,, Il P. *Viva* non ha creduto d' essere obbligato ,, in un Libro di Teologia morale, e non di ,, Storia a ciò, a che non sempre si stimano tenuti gli Storici, e però senza riferire di ogni cosa ,, i testi, espongono i fatti sulle notizie a lor pervenute o per lettere, o per attestati a viva voce, che stimano sinceri. Aggiunge il P. Viva, ,, che il Professore *solum in quodam sensu conditionato, non absoluto*: Questa del P. Concina si dice giunta arbitraria del senso Condizionato. Per ,, assicurarci se sia arbitraria, ricorriamo ad uno ,, Scrittore, che non è casista, ma Storico di Professione. E' questi il Sign. Bernino nel tomo 4. ,, della *Storia di tutte l' Eresie*, nel Pontificato di ,, Alessandro VIII. alla pag. 728. della Edizione ,, Veneta del 1717. ove appunto narrando la Condannagione del peccato filosofico scrive così. Antonio Arnaud quel gran Jansenista da noi molte volte mentovato, esacerbato d'animo per le continue ,, condanne, che si fulminarono da Roma contro i ,, Libri de' suoi partitanti, tanto appartenenti a dogmi, quanto

„ quanto a' costumi pretese (conforme avea fatto „ pel passato) di tirar seco nel medesimo discredito la morale insegnata da' Padri della Compagnia di Gesù in occasione, che un loro Scolare „ sostenne nella università di Dijon in Francia una „ Conclusione, in cui malamente egli distinguendo il peccato, che è contro la ragione naturale, dal peccato, che è contro la legge di Dio; „ Chiamò il primo peccato *Filosofico*, e il secondo „ peccato *Teologico*: dal che facilmente inferivasi „ (il che però non fu giammai in intenzione di „ chi propose, nè di chi sostenne la Conclusione, „ come si dirà) che poteva farsi un peccato gravissimo contro la ragione, che nullamente fosse offesa di Dio, e in conseguenza nullamente meritasse la eterna condannazione, *segue poco dopo il Sign. Bernino*. Ma nulla più punse *l'Arnaud*, „ quanto la dichiarazione pubblicata dal medesimo „ professore di Dijon sopra la esposta conclusione, „ che uscita alla luce delle stampe fu espressa in „ questo tenore traslatato fedelmente da noi dall' „ Idioma Francese nell' Italiano. *Poichè questa dichiarazione è alquanto lunga, e l' opera del Bernino agevolmente da ognuno può leggersi; mi contenterò di trascriverne qualche particella: ecco come si protesta il Professore.* „ Oltre che gli argomenti, de' quali io mi sono servito per prova „ di questa mia conclusione non concludono, se non „ in forma d' ipotesi, io ho condannata, e riprovata espressissimamente ne' medesimi Luoghi „ la proposizione assoluta con tutte quelle odiose „ conseguenze, che se ne tirano contro di me: „ avendo io moltissime volte dichiarato in formali, ed espressi termini, che la ignoranza, e la „ inavvertenza, che renderebbe il peccato puramente *Filosofico*, sarebbe una cosa moralmente „ impossibile sì fra' Cristiani, come fra gl' Infedeli: il che io presi a dimostrare con due prove „ fondate sopra l' autorità, e sopra la ragione. E „ per questo capo io ho avvertito due, e tre volte, che la mia asserzione parlava d'una cosa, che „ non mai avviene, e che non può giammai avvenire „ *Quando un' Uomo con pubblico scritto fa una simile dichiarazione in circostanze tali, che di leggeri esser potrebbe convinto di manifesta menzogna, se si arrischiasse a dir il falso, secondo tutte le più approvate leggi di buona Critica prestasi piena fede ove nè si produca, nè sappiasi, che alcuno mai abbia prodotto argomento in contrario. Gli Scritti dettati erano nelle mani degli Scolari, e a questi si appella il Professore nella sua dichiarazione pubblicata in lingua* Francese, *e nel paese medesimo nel quale gli avea dettati. Nella traduzione del Sign. Bernino così si legge*: Nel termine assoluto, Dio mi sia in testimonio, che „ non è giammai stata la mia intenzione l'asserirla in questo senso: del che pienamente ancor fanno fede tutti gli Scritti Teologici da me sin' ora „ dettati nelle Scuole &c. *Il Sig. Bernino si è preso „ l' incommodo di trasportare nella nostra favella „ quella non breve dichiarazione; appunto perchè „ come perito delle leggi della Storia l' ha stimata „ prova concludente dell' innocenza del Professore. „ Patuzzius ut Berninianæ narrationis fidem elevet,* „ T. IV. p. 28. *ait, Berninium apud Eruditos non magnæ esse existimationis ob graves, in quos non semel lapsus est, errores. Egregie. At quæso Patuzzium, ut ne stipitibus se loqui putet. Vera ne „ est declaratio illa Professoris Divionensis? an conficta? Veram esse nemo erit qui qui in dubium revocet. Exstat enim illa Latine in Bouhousii præstantissimo opere prænotato*: Sentimens des Jesuites sur le Peché Philosophique *sub finem epistolæ sextæ; Gallice vero legitur in Gallico libro inscripto*: Recueil Historique des Bulles, & Constitutions, Brefs, Decrets, & autres Actes concernant „ les Erreurs de ces deux derniers Sirches edit a. „ 1704. pag. 456. *Neque Arnaldus, cui illam objecit Bouhoursius, ausus est illam negare. Confer etiam P. Daurigny Monumenta Chronologica, & „ Dogmatica* T. III. ad ann. 1690. *Beninius ergo „ nullius per me sit fidei: in cæteris; hac in re fides illi negari non potest, nisi ab homine aut perfrictæ frontis, aut fœnei capitis, qui declarationem illam in dubium vocare adgrediatur.*

Quod spectat ad Nomenclaturam peccati hujus Philosophici, D. Thom. p. 2. q. 71. a. 6. ad 5. dicit: *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quod est offensa contra Deum: a Philosopho autem morali secundum quod contrariatur rationi*: Hinc vocatur peccatum Philosophicum actus humanus disconveniens tantum naturæ rationali; vocatur vero peccatum Theologicum actus humanus Dei offensivus, qui proinde Divinam amicitiam rescindit, & trahit reatum pœnæ æternæ.

Quod vero artinet ad Doctorum sententias de peccato Philosophico; Certum in primis est, Alexandrum VIII. in hac thesi noluisse damnare, quæ in antiquis, & gravibus Theologis de hoc peccato scripta legimus; aliter non diceret, Thesim hanc de novo erupisse (*a*) Docuerunt autem plurimi primæ notæ Scriptores cum Henr. disp. 5. de Peccat. q. 1. Jo. Poncio Curs. Theol. disp. 2. q. 3. Lugo disp. 5. de Incarn. sect. 5. Martinonio disp. 19. de Peccat. nu. 40. & fuse Bonæ Spei disput. 5. de Incarn. dub. 5. num. 132., absolute esse simpliciter impossibile sive metaphysice, sive saltem moraliter, peccatum pure Philosophicum, addendo tamen veluti hypothetice, ac speculative, quod si per impossibile quis haberet invincibilem Dei ignorantiam, aut de Deo actu invincibiliter nullatenus, ne implicite quidem, cogitaret, dum advertit furtum v. g. esse rationi dissonum, in tali casu peccatum non foret Dei offensa, nec peccatum Theologicum, sed pure Philosophicum, eo quod impossibile sit Deum offendi, nisi aliquo modo cognoscatur. Universim enim ignorantia invincibilis alicujus rei tollit voluntarium circa ipsam, & ex propositione secunda ex aliis ab Alex. VIII. postmodum profligatis constat, ignorantiam invincibilem juris naturæ excusare a peccato formali operantem ex ipsa. Idipsum hypothetice docuit D. Thom. 2. 2. q. 20. art. 3. ubi ait: *Si posset esse conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo quamvis esset inordinata, non esset peccatum mortale.* Et in hoc duntaxat sensu hypothetico nonnulli Societatis Professores, vestigiis tantorum virorum inhærentes, idipsum in suis thesibus propugnarunt, rejiciendo semper absolute cum iisdem Auctoribus saltem moralem possibilitatem peccati Philosophici.

„ (a) Ubi hæc Vivæ verba citavit Concina T. 1. „ *hist. Probab. p.* 90. addit hanc notam: *Questo „ squarcio del* P. Viva *è insieme bizzarro, e sorprendente*; e con simile stile, inquit P. Richelmius p. 51. va proseguendo nella pag. seguente „ sino al num. 3. Il buon P. Viva fa ivi per verità

„ tà compassionevol figura. Ma come ciò? Non so- „ no sue le quattro linee riferite? Lo sono certa- „ mente: ma sono anche sue altre che seguono, „ nelle quali asserisce, che i nominati Teologi in- „ segnarono *absolute*, *esse simpliciter impossibile sive* „ *metaphysice*, *sive saltem moraliter peccatum pu-* „ *re philosophicum &c.* Il precedente squarcio ve- „ duto nel libro del P. Viva unito al secondo testè „ accennato, non appare più in alcun modo *biz-* „ *zarro e sorprendente*. Perchè si è lasciato rincre- „ scere il P. Concina di scrivere alcune linee di „ più? Gli parve cosa importante al bene delle ani- „ me schernire un Probabilista? Fu effetto del trop- „ po caldo zelo di abbattere il Probabilismo? Chi „ legge, vi pensi e scusi la intenzione. Risponderà „ il P. Concina: le linee da me ommesse del P. „ Viva nella pag. 90. e seguente, sono state da me „ sinceramente riferite poi nella pag. 117. o'e di- „ mostro che que' Teologi hanno insegnato *assolu-* „ *tamente* possibile l'innocente ateismo; e in con- „ seguenza che si è ingannato il P. Viva scriven- „ do, che i medesimi sostennero *Simpliciter impos-* „ *sibile*, *sive metaphysice*, *sive moraliter peccatum pu-* „ *re philosophicum*. Supponiamo come suol dirsi a „ maniera d'ipotesi, che il P. Viva si sia inganna- „ to nell'esporre la mente di quegli autori: si po- „ trà dire; che in ciò abbia errato; ma non mai „ che il suo testo preso intieramente abbia punto „ del *bizzarro*, *e sorprendente*: questo è tutto nel „ cervello del P. Concina, per non avere riferito „ intiero *come*, *e dove doveva* il testo del Viva. „ Io prego il Teologo Leggitore di aprire sopra del „ suo Tavolino da un lato il primo tomo della *Sto-* „ *ria del probabilismo* alle pag. 90., e 91, e dall' „ altro il P. Viva nella esposizione del decreto con- „ dannativo del peccato *filosofico* al n. 3. e mi pro- „ metto, che si stupirà dell'aggravio fatto ad un „ Autore accreditato, esponendo in aspetto tanto „ stravolto la sua dottrina. Scuso la intenzione con „ l'impegno troppo ardente di confutare i Proba- „ bilisti; ma è giusto difendere la innocenza.

„ Ho detto poc'anzi che il P. M. Rev. non ha rife- „ rito intiero il testo del P. Viva *come*, *e dove doveva*. „ Dopo che si è posto nelle pag. 90. e 91. in ap- „ parenza spregevole il suo sentimento, nella qua- „ le non comparirebbe, se ivi col primo scritto pu- „ re si fosse il secondo squarcio; questo secondo, „ che dovea stare nella pag. 90. si trasporta alla „ pag. 117.; alla quale quando giunge il Lettore, „ se pur vi giunge (poichè non tutti hanno la pa- „ zienza di tutto legere) non sa che questo squar- „ cio è da connettersi con quello della pag. 90., „ e che però a torto ingannato dal modo tenuto „ dal P. Concina, egli fece sulle pag. 90. e 91. al- „ cune risate a spese dell' aggravato P. Viva, per „ quelle formole: *questo squarcio del P. Viva è in-* „ *sieme bizzarro*, *e sorprendente*, e poco dopo: *può* „ *immaginarsi cosa più spiritosa? ec.* Che si ottie- „ ne con tali maniere? Si ottiene da un lato di „ mettere in ridicolo un Autore degnissimo di ris- „ petto; ma si crede di far santamente per essere „ un Probabilista: si ottiene dall' altro di poter ris- „ pondere a chi opponesse, che si è troncato il te- „ sto: *mirate bene*, *che le parole*, *non espresse nel-* „ *la pag. 90. sono nella* 117. No, P. Lettore, non „ vi si opporrà di averle soppresse: ma bensì di non „ averle descritte, *come e dove* dovevate. Vi si op- „ porrà, che avete fatto un imbroglio, che a gran „ pena si scuopre da chi si applica di proposito a „ dare su'l vostro libro *Saggi di Avvertimenti*; e „ però non possibile a ravvisarsi dal commune de „ Leggitori anche dotti, ed accorti. Nella pag. 91. „ dice il P. Concina: *Se il P. Viva volea ben di-* „ *fendere gli antichi*, *e gravi Teologi da lui citati*, „ *dovea scrivere così*. *Certum est antiquos Theologos* „ *Martinonem*, *Lugonem*, *Rodes*, *Pontium*, *aliosque* „ *non docuisse peccatum philosophicum proscriptum* „ *ab Alexandro VIII.* Questo appunto ha scritto il „ P. Viva, benchè non con le stesse parole nel nu. „ 3. della sua esposizione del decreto di Alessandro „ VIII. contra il peccato *filosofico*: e questo num. „ 3. il P. Concina cita al piè della pag. 117. dove „ riferisce la seconda parte del testo del Viva, che „ doveva riferire unitamente alla prima nella pag. „ 90. Lo stesso ripete il P. Viva nel num. 22. Che „ diremo del P. Concina? Ha scritto senza legge- „ re intieramente: ha letto; ma il pio fervor di „ scrivere contra il Probabilista gli ha fatto dimen- „ ticare, o dissimulare ciò, che avea letto? Chi „ legge vi pensi, e consideri, se per leggere con „ utile la *Storia del Probabilismo* sono necessarj i „ confronti.

„ Ancora qualche occhiata sulla pag. 91. del P. „ Lettore. Dopo le varie interrogazioni, argomen- „ tazioni, conghietture su'l P. Viva, tutte fondate „ sullo *squarcio bizzarro*, *e sorprendente* in quanto „ istaccato dallo squarcio, che segue; le quali si „ sarebbe vergognato di fare, se avesse in quel luo- „ go soscritto il testo intiero; conchiude il num. 2. „ dicendo che il P. Viva *in questa guisa ci porge* „ *grave fondamento di sospettare*, *e che i vetusti* „ *Teologi abbiano insegnato il filosofismo*, *e che egli* „ *medesimo lo approvi non come condannato dal Santo* „ *Papa*, *ma come insegnato da gravi*, *ed antichi* „ *Dottori*. Io chieggo di nuovo: Il P. Concina ha „ letta la esposizione del P. Viva sulla detta pro- „ posizione dannata. Il P. Viva nel num. 9. asse- „ risce, e prova, che *metaphysice repugnat peccatum* „ *pure philosophicum*. Ripete il medesimo sentimen- „ to al num. 19. Dice bene nel num. 22. che il „ Decreto di Alessandro VIII. non esige tanto, e „ però scrive: *peccatum philosophicum ita esse ab-* „ *solute juxta communiorem sententiam metaphysice* „ *impossibile*, *ut tamen vi hujus proscriptæ thesis ne* „ *implicite quidem proscribatur sententia illa specu-* „ *lativa Henrink*, *Ponchi*, *Bonæspei*, *Lugonis*, *Mar-* „ *tinonis*, *& aliorum docentium*, *non metaphysice*, „ *sed moraliter tantum esse impossibilem ignorantiam* „ *Dei invincibilem in eo*, *qui advertit ad dissonan-* „ *tiam peccati cum natura rationali*; *atque adeo* „ *peccatum pure philosophicum non esse impossibile* „ *metaphysice*, *sed tantum moraliter*. Chi legge, „ miri qui, se il P. Viva non iscriva per appunto „ ciò che il P. Concina pretendendo a torto di cor- „ reggerlo avvisava nella pag. 91. che *doveva scri-* „ *vere così*. *Certum est &c.* come ho notato di so- „ pra. Pensi chi legge come mai sia potuto venir „ in capo al P. Concina, che il P. Viva *porga gra-* „ *ve fondamento di sospettare*, *ch'egli medesimo lo* „ *approvi*, cioè il peccato filosofico. Come mai „ ciò di un uomo, che lo sostiene *metaphysice im-* „ *possibile*? Ecco l'effetto di un ardore smodato nell' „ impugnare Autori Probabilisti „. Hactenus Richel- „ mius.

Communior autem hac in re sententia docet, esse etiam metaphysice impossibile, quod in eo, qui pec-

peccat, detur tunc ignorantia, aut etiam inadvertentia ad Deum, saltem sub conceptu supremi Legislatoris actionem illam naturæ rationali dissonam prohibentis, ut mox explicabimus. Esto tamen metaphysice contingere posset, quod aliquis advertens ad dissonantiam operationis peccaminosæ cum natura rationali, nullatenus de Deo tunc cogitaret, (quod a nonnullis admittitur) non proinde fit, peccatum pure Philosophicum non esse saltem moraliter impossibile. Ratio est, quia ex communissima Theologorum sententia, ad contrahendam culpam Theologicam sufficit etiam exercita, ac implicita aliqua cogitatio de Deo actionem naturæ rationali dissonam prohibente: Sicut v. g. ut Sacerdos peccans contra castitatem contrahat malitiam sacrilegii, non est necesse, quod tunc actu explicite cogitet de suo voto castitatis, sed sufficit, quod de illo cogitet saltem exercite, & sub aliqua cogitatione confusa facile obvia. Cum autem moraliter impossibile sit, quod consimilis cogitatio confusa de Deo culpam prohibente absit ab eo, qui peccat, idcirco est saltem moraliter impossibile peccatum pure Philosophicum.

IV. Nihilominus Zumel qu. 71. de Peccatis ar. 2. disp. 8. apud Tann. tom. 2. disp. 4. qu. 1. dub. 3. refert nonnullos putantes, repugnare quidem per se loquendo dari peccatum pure Philosophicum, quod ita sit contra rectam rationem, ut non sit etiam contra Deum; posse tamen absolute de facto dari in hac providentia per accidens, saltem in aliquo in sylvis enutrito, ob omnimodam, invincibilem Dei ignorantiam, aut inadvertentiam. Victoria etiam in Relect. de perven. ad usum rationis p. 2. n. 8. apud eundem Tanner. refert alios putantes, peccata eorum, qui invincibiliter Deum ignorant, aut ad Dei offensam non advertunt, non rescindere Divinam amicitiam, nec promereri pœnam æternam. Id autem esse verum non solum hypothetice, sed etiam absolute, ita ut dari aliquando de facto possit peccatum pure Philosophicum, non levis momenti rationes videntur suadere.

V. Primo, quia implicat Deum offendi, si non cognoscatur; potest autem dari, saltem ad breve tempus, invincibilis Dei ignorantia (ut docent nonnulli cum Victoria, (*a*) Zumel, & aliis apud Recup. l. 1. q. 7. eo quod existentia Dei non sit nobis per se nota) in quo casu peccatum solum appareret contra dictamen rationis, & dissonum naturæ rationali, non vero Dei offensivum: ergo dari de facto potest absolute hujusmodi peccatum pure Philosophicum, prout scil. spectat ad philosophicam considerationem, quin etiam sit Dei offensivum, prout a Theologo consideratur, juxta explicationem peccati Philosophici, & Theologici traditam ab Angelico loco laudato.

„ (*a*) Audi heic Richelmium p. 56. Facciamo „ posatamente le convenevoli riflessioni. Sia la 1. „ Il P. Viva nulla ivi asserisce di proprio senti- „ mento; si dichiara semplice relatore di quanto „ scrive Recupito. Questi accusar si dovrebbe, se „ avesse luogo l' accusa; io non gitterò certamente „ il tempo in cerca di Recupito, ed altri Autori „ in grazia delle inavvertenze del P. Concina: mi „ sono accinto a fare il confronto su'l P. Viva; non „ è giusto andar vagando. 2. Sulla fede di Recu- „ pito altro non dicesi di Vittoria, fuorchè *potest* „ *dari saltem ad breve tempus invincibilis Dei igno-* „ *rantia*. Il medesimo P. Concina nella detta pag. „ 92. non osa negare, che dal Vittoria siasi am- „ messa qualche specie di tale ignoranza ne' Fan- „ ciulli nel primo momento, in cui sfolgora sulla „ loro mente il lume della ragione. Questo basta a „ rendere vera la proposizione *saltem ad breve tem-* „ *pus*; e nè anche a nome di Recupito viene indi- „ cato, che Vittoria, e Zumel abbiano parlato di „ adulti. Nota il P. Concina: *ma che che siasi de'* „ *fanciulli in mezzo a que' brevi momenti, la quistio-* „ *ne del filosofismo verte sopra gli adulti*. Dunque „ una qualunque ignoranza *saltem ad breve tempus* „ non è connessa co'l filosofismo; dunque nè pure „ a nome di Recupito lo attribuisce il P. Viva al „ Vittoria nel num. 5. Anche nel num. 4. non espri- „ me proprio sentimento dicendo solamente *apud* „ *eundem Tannerum*: Ma che scrive Tannero? che „ Vittoria insegni *peccata eorum, qui invincibiliter* „ *Deum ignorant, aut ad Dei offensam non adver-* „ *tunt, non rescindere divinam amicitiam &c.*? Non „ narra il P. Viva ciò essersi scritto da Tannero, „ ma solamente che *Victoria .... refert alios pu-* „ *tantes peccata eorum &c.* Finalmente il Viva nel „ num. 5. ove cita Vittoria, e Zumel *apud Recup.* „ per la invincibile ignoranza di Dio *ad breve tem-* „ *pus*, si propone una obbjezione; non asserisce, „ che ciò sia connesso col peccato filosofico. Tan- „ to è lontano da ciò, che nel num. 8. cita lo „ stesso Zumel *apud Lugo* per la sentenza, che in- „ segna il peccato filosofico impossibile *metaphysice*. „ Il P. Viva era tutto intento a confutare la su- „ stanza della rea dottrina del peccato Filosofico; „ aveva in pronto Tannero, Recupito, Lugo; non „ così altri Teologi da questi nominati; si è con- „ tentato d'indicare, ove rinvenir si potessero i „ loro Testi da quelli, che fossero di ciò curiosi. „ Bastava, che questo si compiacesse di considera- „ re il P. Concina per non accusarlo incautamen- „ te con quelle parole; *il P. Domenico Viva in* „ *questo novero ripone il P. Francesco Vittoria*, „ cioè tra gl' *illustri Tomisti insegnatore del Filo-* „ *sofismo*.

„ Cæterum Victoriam Philosophico peccato non „ parum favisse, quidquid Patuzzius blateret *p.* 31. „ *seq. T.* 4. *epistol.* evidentissimum est. Confer Ri- „ chelmium *p.* 62. *seqq.*. et Bouhoursium in Galli- „ co opere *Sentimens des Jesuites sur le peché Philo-* „ *sophique p.* 113. *seqq.*

Secundo: Peccatum, ut est Dei offensa; superaddit novam malitiam, quam non importat, prout est contra rationem creatam, seu quatenus est dissonum naturæ rationali; potest autem dari peccatum, quod solum appareat naturæ rationali dissonum, quin tunc in fervore ipso culpæ reluceat ut Dei offensivum: ergo dari potest peccatum Philosophicum, quin sit Theologicum, seu Dei offensa. Major probatur, quia peccatum, prout est offensa Dei, importat transgressionem Divinæ Legis, & contemptum Dei saltem virtualem, quæ non importantur a peccato præcise, prout est contra naturam rationalem, & rationem creatam: ergo nova, ac diversa malitia peccato supervenit ex hoc, quod sit contra Divinam voluntatem, atque adeo Dei offensivum.

VI. Denique, si peccatum ex eo præcise, quod appareat dissonum naturæ rationali, appareret, ac esset Dei offensivum, sequeretur, quod Philosophi Gentiles non solum cognoscerent peccatum, prout est rationi contrarium, sed etiam prout est Dei of-

sensivum: quod tamen videtur esse contra Angelicum p. 2. q.71. a. 6. ad primum. Et ratio a priori est, quia quamvis duæ formalitates realiter indentificentur, potest intellectus unam ab altera præscindere: ergo poterit etiam in peccato attingi disconvenientia cum natura rationali, præscindendo ab oppositione cum Divina voluntate, & ab o ensa Dei: quo casu nequit peccatum dici Dei offensivum, cum non possit offendi persona, quæ non cognoscitur; nec potest per hujusmodi peccatum amicitia Divina dissolvi, aut contrahi reatus æternæ pœnæ: sicut Regem non offendit, nec dicitur reus læsæ Majestatis, qui Regem non cognitum ut Regem offendit: Esto Deus tanquam supremus Princeps, & malorum vindex esset hujusmodi peccata Philosophica puniturus pœna consentanea, quatenus offensas ipsius naturæ rationalis; Sicut Judices scelera, quibus non ipsi, sed alii offenduntur, jure merito puniunt aliquando etiam usque ad privationem vitæ.

VII. Confirmatur primo; quia qui furatur v. gr. rem Sacram advertens tantum, quod sit res aliena, non vero quod sit Sacra, solum est furti reus, non sacrilegii, quia non contrahitur malitia illa, quæ invincibiliter ignoratur. Similiter si quis occidat hominem putatum invincibiliter feram, non est reus homicidii, quia non attingit illum ut hominem: ergo si quis non cognoscat peccatum ut offensivum Dei, sed solum ut dissonum naturæ rationali, patrando illud non offendit Deum.

Confirmatur secundo; quia communius docent cum Suar, Sanch., Henr. contra Cordub. Ugol., apud Dian. p. 3. tr. 6. res. 41. quod ubi lata sit excommunicatio contra furtum v. g. quod lege naturali prohibetur, si quis invincibiliter hanc legem Ecclesiasticam ignorans furaretur, peccaret quidem contra jus naturæ, sed excommunicationem non incurreret, quippe qui non esset contumax, unde esset incapax censuræ, quæ contumaciam, seu contemptum Legis Ecclesiasticæ præsupponit: quomodo enim poterit Ecclesiasticam Legem contemnere, qui illam invincibiliter ignorat? ergo universim verum est, neminem peccare adversus legem, quam ignorat invincibiliter; atque adeo si quis Deum, aut Divinam Legem prohibentem furtum ignoret, aut ad illam, dum actu furatur, non advertat, sed solum advertat, quod furtum dissonet naturæ rationali, & rectæ rationi, peccatum hoc furti erit mere Philosophicum, non vero Theologicum, seu Dei offensa rescindens amicitiam Divinam, ac dignum gehenna.

VIII. Ostenditur falsitas hujus thesis. Et primo quidem, quia validis rationibus suadetur metaphysica repugnantia peccati pure Philosophici. Deinde quia saltem negari non potest ejus impossibilitas moralis, si minus essentialis in præsenti providentia.

Quod metaphysice illud repugnet, ut docuerunt Zumel, Curiel, & alii apud Lugo loc. cit. num. 77. videtur evinci ex definitione peccati tradita ab August. l. 22. contra Faustum, ubi docet, Peccatum esse *Dictum*, *Factum*, *Concupitum contra Legem æternam*; ergo si peccatum, qua peccatum est, essentialiter est contra Legem æternam, atque adeo contemptivum voluntatis Divinæ, juxta illud, *Qui offendit Legem*, *offendit Regem*, aperte sequitur, quod peccatum mortale de sua ratione sit Dei offensa, dissolvens amicitiam cum Deo, ac pœna æterna dignum; atque adeo quod metaphysice repugnet peccatum pure Philosophicum, quippe quod nullatenus adversaretur legi æternæ, seu Divinæ voluntati, (nisi solum materialiter, ut quilibet actus malus, qui ponitur ex ignorantia invincibili) sed solum adversaretur naturæ rationali.

Confirmatur; quia peccatum de sua ratione adversatur, & quidem formaliter, dictamini rationis, quod thesis ipsa proscripta fatetur: implicat autem, quod rationis dictamini adversetur, & non adversetur simul Legi æternæ, cum dictamen rationis sit veluti præco indicens nobis Divinam voluntatem sive præceptivam, sive prohibitivam, sive permissivam, ut docent communissime ex Augustino serm. 6. de Verbis Domini, cum Angelico p. 2. qu. 91. ar. 2, ubi dicit lumen rationis nihil aliud esse, quam impressionem Divini luminis in nobis, juxta illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: ergo implicat peccatum, quod solum sit Philosophicum, & non etiam Theologicum.

IX. Ratio a priori videtur esse, quia quamvis cognitio explicite attingens peccatum ut dissonum naturæ rationali, non eatenus attingat explicite illud ut transgressivum Divinæ Legis, nihilominus repugnat, quod peccatum sub illo priori conceptu attingatur, quin simul attigatur implicite sub hoc secundo, quantum satis est ad quemdam contemptum Divinæ Legis, atque adeo ad offensam Dei; ergo metaphysice repugnat peccatum mortale pure Philosophicum, quod Divinam amicitiam non dissolvat, nec sit Dei offensa. Antecedens probatur, quia præcise per hoc quod peccatum attingatur explicite ut disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, attingitur implicite ut illicitum, atque adeo ut prohibitum, & nullatenus patrandum: ergo etiam attingitur implicite ut oppositum Divinæ voluntati illud prohibenti, atque adeo ut contemptivum Divinæ prohibitionis, & ut Dei offensa. Probatur hæc consequentia, quia quoties peccatum apparet ut prohibitum, ita ut nullatenus liceat, apparet ut prohibitum ab ea voluntate, quæ unice potest illud prohibere; atqui sola Dei lex, & voluntas potest peccatum prohibere, ita ut nullatenus liceat, quibuscumque creaturis illud suadentibus, aut præcipientibus; ergo quoties peccatum apparet ut omnino prohibitum, apparet etiam oppositum Divinæ voluntati illud prohibenti, atque adeo contemptivum Divinæ Legis. Quod autem confusa ista, & implicita advertentia ad Divinam prohibitionem sufficiat ad contrahendum reatum odii Divini, atque adeo ad dissolvendam Divinam amicitiam, ex eo patet, quia sicut in omnium sententia qui invincibiliter in sylvis enutritus nunquam audivit de pœnæ æternitate, aut ad illam non advertit, dum peccat, si vere advertit ad Dei offensam, adhuc sit reus pœnæ æternæ per hoc præcise, quod consentiendo in culpam, implicite consentiat in pœnam illi annexam natura sua, etiamsi non habeat claram notitiam de æternitate pœnæ debita: ita qui in sylvis enutritus invincibiliter nunquam audivit de Dei existentia, aut ad illum non advertit, dum peccat, si vere advertit ad dissonantiam culpæ cum natura rationali, & cum rationis dictamine, atque adeo ad prohibitionem sibi factam ab aliquo Superiore, ita ut nullatenus possit ea operatio sibi licere, quibuscumque creaturis ad illam impellentibus, adhuc sit reus odii Divini per hoc præcise, quod consentiendo in operationem illam sibi interdictam, impli-

implicite consentiat in violationem legis prohibentis, atque adeo in contemptum talis voluntatis, etiamsi careat clara notitia, quod lex, seu Voluntas illam prohibens sit voluntas Divina, unde Deus contemnatur: & consequenter metaphysice repugnat peccatum pure Philosophicum, quod non sit Dei offensa, nec ejus amicitiam rescindat.

X. Neque dicas, posse peccatum relucere dissonum dictamini rationis, atque homini prohibitum, ita tamen ut appareat solum prohibitum a natura ipsa rationali, non vero a voluntate Divina; unde non sequitur, quod sit Dei offensivum. Quod confirmatur ex verbis Apostoli dicentis ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt; ejusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex*: ergo lex prohibitiva culpæ potest esse ipsa natura rationalis.

Nam contra est: quia quod est dissonum naturæ rationali, adeo ut natura ipsa rationalis exigat ejus prohibitionem, nullatenus vetari potest ab ipsa natura rationali formaliter, sed unice prohibetur a lege, seu voluntate Divina; ut proinde non possit a Dei offensa depurari. Et ratio est, quia vel nomine naturæ rationalis venit ipse homo, qui operatur, & cum ipse non sit sibi Superior, non potest quicquam sibi prohibere, ita ut nullatenus sibi licere possit: Vel nomine naturæ rationalis venit tota Respublica hominum, aut complexum omnium creaturarum rationalium possibilium; & neque hujusmodi complexum potest aliquid prohibere homini, ita ut nullatenus possit ei licere. Nam si unice mendacium ver. grat. a complexo Creaturarum rationalium homini prohiberetur, sequeretur, quod volentibus omnibus Creaturis rationalibus, quod homo mentiatur, posset hic licite mentiri, quod tamen est falsum: ergo cum a solo Deo prohiberi possit ver. grat. mendacium, ita ut nullatenus liceat, inde fit, quod idem sit, peccatum esse oppositum naturæ rationali, ac esse oppositum Divinæ voluntati illud prohibenti, atque adeo esse Dei offensivum. Apostolus dicens, quod legem non habentes ipsi sibi sint lex, non est intelligendus, quod homines possint quicquam sibi præcipere, ita ut nullatenus sibi liceat propriam legem transgredi; cum hoc sit aperte falsum; sed est intelligendus, quod homines ex rationis dictamine, quod est Divinæ legis tuba, naturaliter faciant ea, quæ spectant ad legem naturæ.

XI. Neque replices, quod sicut Deo est essentialiter dissonum mendacium, quin tamen illud Deo prohibeatur a lege superiore, sed ab ipsamet natura Divina, ita sit pariter illicitum homini, quin aliunde prohibeatur, quam ab ipsamet natura rationali. Nam diversimode est dissonum mendacium Deo, & homini, esto in utroque sit moraliter malum per difformitatem cum Divina voluntate, quæ est prima regula morum: Etenim Deo ita est dissonum, ut etiam sit metaphysice impossibile; quia Deus a propria natura, quæ essentialiter est cumulus omnium perfectionum, determinatur sicut ad amandum semetipsum, ita ad odio habendum quod est intrinsece malum, seu quod argueret imperfectionem in Divina voluntate, si ab illa amaretur, ut est mendacium, odium Dei, perjurium, & similia; & idcirco, ut hæc sint illicita Deo, non debent a lege superiore ipsi vetari, sed sufficit, quod essentialiter sint contra ipsius Dei voluntatem metaphysice determinatam ad bonum: Contra vero homini mendacium est illicitum, sed physice possibile: ergo ab aliqua regula morum prohiberi debet homini, ne mentiatur; hæc autem prima regula morum relate ad operationes humanas non potest esse ipsa natura rationalis, nec complexum omnium creaturarum rationalium, ut ostendimus; quia adhuc ipsis præcipientibus mendacium, prout physice possent illud præcipere, hoc est illicitum, & moraliter malum: ergo dicendum, quod Prima regula morum, a qua unice homo obligari potest ad non mentiendum, sit divina voluntas; adeo ut peccatum ideo sit naturæ rationali disconveniens, quia oppositum Divinæ voluntati, & Dei offensivum: ac proinde repugnat attingere, aut odio habere peccatum ut dissonum naturæ rationali sine ullo implicito, ac subobscuro respectu ad Deum offensum.

XII. Deinde dato, quod metaphysice contingere possit omnimoda Dei ignorantia invincibilis in eo, qui peccat, ut proinde metaphysice dari possit peccatum pure Philosophicum; Nihilominus de facto est moraliter impossibilis isthæc ignorantia, qua excusetur homo a reatu odii Divini, & pœnæ æternæ, dum ponit humano modo actum graviter disconvenientem naturæ rationali, ac rationis dictamini; unde peccatum pure Philosophicum est saltem moraliter in præsenti providentia impossibile. Ratio est, quia in præsenti Providentia non datur ignorantia Dei invincibilis in hominibus ratione utentibus; dicitur enim Job 36. *Omnes homines vident eum*, nempe Deum, *unusquisque intuetur procul*, & ad Rom. 1. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis; Deus enim illis revelavit; invisibilia enim ipsius per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; ita ut sint inexcusabiles*. Et August. tr. 106. in Jo. *Hæc est virtus veræ divinitatis, ut Creaturæ rationali jam ratione utenti non omnino, ac penitus abscondi possit*. Et Damasc. lib. 1. de Fide Orthodoxa c. 2. *Omnibus cognitio existendi Deum naturaliter est inserta*. Quod a posteriori patet, nam unusquisque in suis necessitatibus, & periculis, ut in tonitruis, ruinis &c., natura veluti duce, supremum Numen invocat; unde stultus duntaxat, aut passionibus obtenebratus potest Deum negare, juxta illud Psal. 53. *Dixit insipiens in corde suo, Non est Deus*: & August. loc. cit. *Exceptis paucis, in quibus natura nimium depravata est, universum genus humanum Deum hujus Mundi fatetur Auctorem*: ergo impossibile est in præsenti providentia, quod advertens ad dissonantiam operationis cum natura rationali non habeat simul virtualiter saltem, & exercite aliquam cogitationem de Deo actionem illam prohibente. Immo transmisso, quod quis ob depravatos mores non solum fateatur non dari, sed etiam non cognoverit Deum, aut de illo nullatenus cogitet, dum actu peccat, adhuc hujusmodi ignorantia, cum sit vincibilis, neque poterit ab offensa Dei peccantem excusare; atque adeo saltem in præsenti providentia impossibile est peccatum pure Philosophicum.

XIII. Ad primam rationem in contrarium: Esto dari possit in aliquo per aliquod tempus invincibilis ignorantia Dei sub conceptu Numinis colendi, aut rerum omnium Conditoris, videtur tamen omnino impossibile, quod Deum non cognoscat sub conceptu Legislatoris supremi, quicumque advertit ali-

quid

quid esse naturæ rationali disconveniens; advertit enim illud sibi a Divina lege prohiberi, ut ostendimus: ergo tunc actu cognoscit dari Deum ut Legislatorem: Neque enim ad Deum cognoscendum requiritur, ut singula Divina attributa clare attingantur; aliter qui caret clara notitia fœcunditatis Divinæ, & Trinitatis Personarum, Deum non cognosceret. Hinc D. Thom. part. 1. quæst. 2. art. 1. ad primum dicit, Deum naturaliter ab omnibus cognosci sub quadam confusione; Sicut enim, ut advertit idem Angelicus loco laudato, possumus cognoscere venientem, qui est Coryscus, quin tamen Coryscum discernamus: ita possumus Deum cognoscere, ut Numen ab omnibus colendum, ut nostrum ultimum finem, & primam causam, & ut supremum Legislatorem, quin advertamus ad reliqua ejus Attributa, vel quod sit cumulus omnium perfectionum, aut id, quo melius excogitari non potest. Cum autem ostenderimus non posse aliquem peccare qui advertat ad Deum sub conceptu Legislatoris actionem illam prohibentis, sequitur repugnare peccatum mere Philosophicum, etiamsi dari possit per aliquod tempus invincibilis Dei ignorantia sub alio conceptu proprio Dei. Et dato etiam, quod metaphysice dari possit in eo, qui peccat, ignorantia invincibilis Dei etiam sub conceptu Legislatoris, saltem in præsenti providentia id repugnat; cum in præsenti providentia connaturaliter, si minus essentialiter, dictamen rationis a natura nobis inditum sit præco Divinæ voluntatis indicens nobis legem æternam Dei; ut proinde peccatum, quod rationis dictamini adversatur, dicatur esse ab Augustino *Dictum*, *Factum*, *Concupitum contra legem æternam*. Divina quippe lex prohibet nobis, ut quod, quæ sunt intrinsece mala, dictamen vero rationis prohibet ut quo: Ad eum modum, quo promulgatio, & notitia legis humanæ est solum prohibitiva, aut præceptiva ut quo, & voluntas Principis est obligatoria ut quod. Unde Ambros. lib. de Paradiso c. 8. dixit: *In eo vocem Domini videmur audire, quod alia interdicat, alia præcipiat.*

XIV. Ad secundam: Quamvis peccatum eo sit gravius, quo clarius cognoscitur Deus offensus; unde gravius peccat, qui advertit ad Divinam Legem prohibentem, explicite attingendo illam, quam qui solum confuse: nihilominus non superadditur specialis malitia peccato, nisi quando contemptus Divinæ legis est formalis, seu quando quis ex contemptu legis peccat, volendo legem violare, ut ostendat se illam flocci pendere, ut advertit Less. l. 2. cap. 6. num. 2. quando autem contemptus est virtualis, quia est ratio communis cujusvis culpæ, non potest refundere illi malitiam specialem. Quia vero quando peccatum apprehenditur solum ut disconveniens naturæ rationali, tunc implicite, & obscure etiam apprehenditur ut a Deo prohibitum, & ut Dei offensivum, ideo tunc etiam imbibit rationem genericam inobedientiæ, & contemptus virtualis Dei.

XV. Ad tertiam: Sequela est verissima, nec aliud sentit D. Thom., ut advertit Amicus disp. 17. de peccatis n. 134. Angelicus enim solum docet, quod licet Gentiles peccatum cognoscant ut contra rationem, & ut offensivum Dei, ut proinde ab Apostolo ad Rom. 1. dicantur *Inexcusabiles*, quia scilicet cum Deum ex creatis effectibus cognoscant, illum non sicut Deum glorificant: nihilominus Philosophus Gentilis considerando peccati naturam, solum considerat illud, prout est contra rationem, non vero prout est offensivum Dei, eo quod sub hac consideratione ad Theologum spectet: Sicuti quamvis Primus motor immotus sit Unus simul, & Trinus; tamen quatenus est Unus, consideratur a Scientia naturali, a Theologia vero quatenus est Trinus.

Ad rationem a priori: Verum quidem est, quod si Deus nullatenus cognosceretur sub aliquo conceptu proprio Dei, nullatenus per peccatum offenderetur; sicut quando homo, qui offenditur non cognoscitur ut Rex, offensa non dicitur regia; at quando peccatum cognoscitur ut disconveniens naturæ rationali, cognoscitur etiam ut prohibitum a lege suprema, ut ostendimus; ergo cognoscitur, quod per illud offendatur Supremus Legislator, atque adeo cognoscitur Deus sub proprio aliquo Dei prædicato; unde nil mirum, quod Deus offendatur. Sic qui nunquam suum Patrem cognovit, peccat contra pietatem, & contra reverentiam Parentibus debitam, si maledicat suo Genitori, quia sufficit, quod ille cognoscatur sub conceptu Genitoris, ut contrahatur malitia impietatis in iis maledictis: ergo etiam ut contrahatur malitia Divinæ offensæ in peccato, sufficit, quod Deus cognoscatur tanquam Legislator supremus illud prohibens; quod habetur, quoties peccatum cognoscitur ut dissonum naturæ rationali. Quare licet non cognoscatur Deus clare sub conceptu Entis, quo melius excogitari non potest, quia tamen cognoscitur Deus confuse sub conceptu supremi Legislatoris, idcirco habetur sufficienter notitia Dei, quantum sufficit ad illum offendendum per peccatum cognitum duntaxat ut disconveniens naturæ rationali.

Ad primam confirmationem, concesso antecedente, negatur suppositum consequentis: diximus enim, quod si peccatum appareat ut dissonum naturæ rationali, apparet etiam ut Dei offensivum, seu ut virtualiter contemptivum Divinæ legis.

XVI. Ad secundam confirmationem recurrit eadem responsio: Ideo non habetur in eo casu contumacia, nec peccatur adversus legem Ecclesiasticam, unde nec incurritur censura, quia lex Ecclesiastica omnino ignoratur: At qui advertit ad dissonantiam, quam habet peccatum cum natura rationali, advertit ad legem Divinam illud prohibentem: ergo legem Divinam violat, & Deum legislatorem offendit, unde amicitia cum Deo dissolvitur, & contrahitur reatus pœnæ æternæ.

XVII. Neque dicas: quod licet non excusetur a culpa, & a Dei offensa in casu posito, saltem excusetur a reatu pœnæ æternæ, qui ignorat peccato esse annexam hanc pœnam; Sicut excusatur ab incurrenda censura, qui invincibiliter ignorat illam alicui peccato esse annexam.

Nam paritas probat nimis; evincit enim, quod similiter excusetur a reatu odii Divini, qui ignorat illud odium esse peccato annexum. Quare dispar est ratio inter Censuram, quæ est pœna extraordinaria, & libere annexa alicui culpæ ex voluntate Legislatoris Ecclesiastici, & inter pœnam æternam, ac odium Divinum, quæ connaturaliter consequuntur ad culpam. Invincibilis ignorantia Censuræ excusat ab illa incurrenda, quia Censura solum ligat contumaces, seu contemptores legis Ecclesiasticæ; cum autem non dicatur contumax, nec contemnens Ecclesiæ legem, qui illam ignorat, ideo censuram non incurrit: At qui advertit ad oppositionem peccati cum natura rationali, advertit implicite ad legem,

seu

seu voluntatem Divinam illud vetantem, illamque contemnit, dum non obtemperat; unde fit reus odii Divini, & pœnæ æternæ, quæ natura sua ad peccatum consequuntur; Qui enim libere, & advertenter vult antecedens, præsumitur etiam consentire in consequens illi annexum.

XVIII. Ex quibus colliges primo; Quid dicendum ad quæstionem illam speculativam, An si per impossibile Deus non existeret, aut non prohiberet quod est intrinsece malum, per locum intrinsecum sequatur, peccatum commissum cum advertentia ad dissonantiam cum natura rationali non fore tunc Dei offensam, nec mereri pœnam æternam. Annuunt Bellar., Less., Zumel apud Lugo disp. 5. de Incarnat. sect. 5. Equidem tamen censeo per locum intrinsecum utramque partem contradictionis sequi; non enim esset Dei offensa, quia non prohibetur a Deo, ut supponitur: ex altera parte cum non possit ex dictis apparere dissonum naturæ rationali, & prohibitum, nisi a Deo prohibeatur, esset simul Dei offensa.

XIX. Colliges secundo, Quid dicendum ad illam aliam quæstionem, Utrum sit possibile peccatum pure Philosophicum saltem in aliquo casu rarissimo? Lugo loc. cit. ostendit casum hunc esse moraliter impossibilem, eo quod sit moraliter impossibile dari in peccante ignorantiam Dei invincibilem, aut illum non cogitare saltem implicite, quod sit Dei offensa id, quod adversatur naturæ rationali. Concedit tamen, quod si revera id contingeret, peccatum non esset Theologicum; cum non possit esse Dei offensa illa operatio, quæ invincibiliter ponitur absque ulla advertentia, quod a Deo prohibeatur. Equidem ex dictis censeo, casum hunc esse etiam metaphysice impossibilem; Si tamen supponatur in aliquo rarissimo casu possibilis omnimoda, etiam implicita, Dei sub conceptu Supremi Legislatoris ignorantia in peccante, hujusmodi peccatum patratum cum sola advertentia ad dissonantiam operationis cum natura rationali certe esset pure Philosophicum.

XX. Colliges tertio, Præter regulam formalem, & immediatam nostrorum actuum moralium, consistentem in dictamine rationis, duplicem considerari posse regulam objectivam moralitatis, per conformitatem ad quam actus dicatur moraliter bonus, seu honestus, & per difformitatem malus moraliter, seu inhonestus: Altera est natura ipsa rationalis; altera vero Divina lex, seu voluntas. Disputant tamen Theologi, Utra istarum sit Prima Regula actuum humanorum, Divina ne voluntas, an vero Natura rationalis. Vasq. . 2. disp. 58., & disp. 97. putat, Primam regulam esse naturam rationalem, ita ut illud dicatur bonum moraliter, & formaliter honestum, quod est naturæ rationali conveniens, ut proinde Divina voluntas consequenter velit, ac amet actus honestos, quia naturæ rationali conformes, & essentialiter odio habeat actus inhonestos, quia eidem difformes. Communius tamen cum Angelico Theologi docent, Primam, ac formalem regulam honestatis objectivæ esse Divinam voluntatem; unde fit, actus naturæ rationali disconvenientes, ut mendacium, perjurium, de se esse solum fundamentaliter, & radicaliter inhonestos, ac proinde vetandos a Divina voluntate, a qua suam formalem hauriant inhonestatem: actus vero naturæ rationali conformes esse de se radicaliter tantum honestos, quatenus exigunt præcipi, aut suaderi a Divina voluntate reddente illos formaliter honestos. Verum sive Prima regula objectiva moralitatis sit lex Divina, sive natura rationalis, semper verum est, ut ostendimus, hominem non posse attingere actum inhonestum ut dissonum naturæ rationali, quin simul illum attingat implicite ut repugnantem Divinæ legi, ac proinde ut Dei offensivum, atque adeo dignum odio Divino, ac pœna eterna; quare peccatum pure Philosophicum dicendum est commentitium.

XXI. Colliges quarto, quod sicut quilibet actus cum advertentia ad disconvenientiam naturæ rationali est malus, & peccaminosus non solum Philosophice, sed etiam Theologice, quatenus est etiam difformis Divinæ voluntati illum prohibenti; unde si appareat graviter dissonus naturæ rationali, apparet etiam graviter a Deo Supremo Legislatore prohiberi, & idcirco est offensa dissolvens ejus amicitiam, ac pœna æterna dignus: ita quilibet actus, qui apparet naturæ rationali conveniens, est pariter non solum Philosophice, sed etiam Theologice bonus, aut saltem non malus, quatenus apparet etiam conformis Divinæ voluntati præcipienti, aut consulenti, vel saltem permittenti. Quia tamen ad contrahendum reatum odii Divini, ac gehennæ sufficit, quod actus appareat aliquo modo difformis Divinæ voluntati graviter illum prohibenti; ad contrahendum vero jus ad amorem Dei amicabilem, & vitam æternam non sufficit, quod actus appareat Divinæ voluntati conformis, sed requiritur etiam, quod sit supernaturalis, & quod ex motivo Charitatis procedat, qualis est contritio perfecta, vel Dilectio Dei super omnia, aut saltem attritio supernaturalis cum Sacramento, quibus ultimo ad gratiam disponimur; idcirco non quilibet actus cum advertentia ad consonantiam cum natura rationali trahit amicitiam Divinam; quilibet vero actus cum advertentia ad gravem dissonantiam cum natura rationali fert Dei offensam, ac Divinam inimicitiam, atque adeo reatum gehennæ.

XXII. Colliges quinto, peccatum Philosophicum ita esse absolute juxta communiorem sententiam metaphysice impossibile, ut tamen vi hujus proscriptæ thesis ne implicite quidem proscribatur sententia illa speculativa Herinx, Poncii, Bonæspei, Lugonis, Martinonii, & aliorum docentium, non metaphysice, sed moraliter tantum esse impossibilem ignorantiam Dei invincibilem in eo, qui advertit ad dissonantiam peccati cum natura rationali; atque adeo peccatum pure Philosophicum non esse impossibile metaphysice, sed tantum moraliter. Ratio est, tum quia Alexand. VIII. hanc thesim proscribit, tanquam de novo ex Orco emersam, unde non proscribit in ea doctrinam olim a Doctoribus laudatis primæ notæ traditam; Tum etiam quia thesis confixa intelligi debet de ignorantia Dei vincibili, ita ut sensus sit, Peccatum grave Philosophicum non esse offensam Dei in illo, qui Deum ignorat, vel de Deo actu non cogitat vincibiliter; non vero si per possibile, aut impossibile Deum ignoraret invincibiliter, cum certissimum sit ex propositione secunda mox exponenda ab eodem Alexandro VIII. proscripta, ignorantiam invincibilem juris naturæ, atque adeo Dei excusare a peccato formali. Sententia vero docens, peccatum pure Philosophicum non esse metaphysice, sed moraliter tantum impossibile, loquitur pro casu moraliter impossibili, quo daretur tunc ignorantia Dei invincibilis: ergo

hæc

hæc sententia longe distat a thesi, quæ proscribitur, unde ne implicite quidem ea damnatur. Adde, præsentem thesim damnari etiam ut scandalosam; Sententia vero docens, moraliter solum, non vero metaphysice repugnare peccatum pure Philosophicum, non videtur posse haberi ut scandalosa, cum sit opinio mere speculativa; nec videtur posse aliis censuris subjici, quibus subjicitur thesis proscripta, atque adeo extra ictum hujus teli Pontificii videtur posita.

XXIII. Ratio autem, cur a laudatis Doctoribus dicatur de facto omne peccatum Philosophicum esse etiam Theologicum, seu Dei offensa, & quod peccatum pure Philosophicum sit impossibile moraliter, est, quia moraliter impossibilis est invincibilis ignorantia Dei in eo, qui operatur contra rationis dictamen: siquidem ab ipsa natura unicuique inditum est, a Deo prohiberi operationes naturæ rationali dissonas juxta illud Psalm. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*. Omnes enim naturæ ductu advertunt, se ab alio esse, qui ab alio non sit, nempe a Deo, qui per dictamen rationis nobiscum loquitur, atque adeo per actiones dictamini rationis repugnantes offenditur: Unde sicut Religiosus ver. grat., dum peccat contra castitatem, quamvis explicite ad votum castitatis a se nuncupatum non advertat, quia tamen ad illud implicite, & exercite advertit, ideo contrahit sacrilegium; & eodem modo uxoratus contrahit malitiam adulterii, quamvis, dum peccat, explicite nihil cogitet de suo conjugio; & ratio est, quia cum hujusmodi cognitio sit obvia, & frequens, saltem virtualiter, & exercite tunc habetur, quantum satis est ad contrahendam malitiam adulterii: Ita prorsus adultus in sylvis enutritus, dum committit v. g. homicidium, advertens ad dissonantiam homicidii cum natura rationali, esto explicite de Deo non cogitet, quia tamen Dei cognitio est unicuique facile obvia, & frequens, idcirco saltem virtualiter, & exercite tunc habet quantum sufficit, ut dicatur ponere non solum peccatum Philosophicum, sed etiam Theologicum, quod sit Dei offensa. Cum hoc tamen videtur stare posse; quod sit possibilis casus, in quo aliquis invincibiliter Deum ignoret, dum advertit ad dissonantiam homicidii cum natura rationali, & consequenter quod metaphysice sit possibile peccatum pure Philosophicum, quod non videtur in hac thesi proscribi.

XXIV. Dices, damnari in hac thesi universim, quod Deum non offendat, qui advertens ad dissonantiam actus cum natura rationali Deum ignorat, aut de illo non cogitat: ergo sive ignoret vincibiliter, sive invincibiliter, semper Deum offendit, & peccatum est Theologicum; atque adeo sententia istorum Auctorum docens, peccatum fore pure Philosophicum, si invincibiliter Deus tunc ignoraretur, & quod solum moraliter sit impossibilis hæc ignorantia Dei in eo, qui peccat, vi hujus proscriptæ thesis exploditur, & damnatur.

Respondeo, nego consequentiam; sensus enim proscriptæ hujus thesis est universalis, ac si diceret: Quæcumque ignorantia Dei, sive vincibilis, sive invincibilis, excusat a Dei offensa operantem contra rectam rationem; unde ejus contradictoria (quæ est vera) debet esse particularis, vid. Aliqua Dei ignorantia sive vincibilis, sive invincibilis, non excusat ab offensa Dei, cum qua bene etiam cohæret sententia istorum Doctorum, quod hæc determinata Dei ignorantia, nempe ignorantia invincibilis, excuset a Dei offensa.

XXV. Ut id altius intelligatur, recolenda est hic celebris illa Regula ad percipiendum sensum propositionum proscriptarum maxime advertenda, de qua plura diximus in expositione propositionis 29., & 53. Innoc. XI. Quoties thesis proscripta est indefinita, & potest sumi tam in sensu universali, quam in sensu particulari, ex materia ipsa, quæ proscribitur, & ex rationum momentis, quibus meruit proscribi, necnon ex Doctorum sensu colligi debet, num ea sumenda sit in sensu universali, ita ut ejus contradictoria particularis sit vera, an in sensu particulari, ita ut sit vera ejus contradictoria universalis; v. gr. Propositio illa 53. Innoc. XI. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo Sacro, qui duas ejus partes, imo quatuor simul, a diversis celebrantibus audit*, sumenda est, ut ibi ostendimus, in sensu particulari, ita ut significet, Aliqua simultanea auditio partium Missæ, sive duarum, sive quatuor, sufficit ad satisfaciendum præcepto, cujus contradictoria vera debet esse hæc universalis, Nulla simultanea auditio sufficit; ac proinde in ea thesi non solum damnatur, quod sufficiat auditio simultanea quatuor partium Missæ, sed etiam duarum partium. Similiter propositio illa 29. *Urgens metus gravis est causa justa Sacramentorum administrationem simulandi*, sumi debet in sensu particulari, ut contradictoria vera sit universalis, videlicet, Nullus urgens metus est causa ad id justa, ne metus quidem mortis urgentissimus. Contra vero Propositio 36. Innocentii XI. *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*, sumenda est in sensu universali, ita ut significet, Omnis necessitas sive extrema, sive gravis excusat a furto; Cujus contradictoria vera est hæc particularis, Aliqua necessitas non excusat a furto; cum qua verissima thesi bene cohæret hæc propositio, quod hæc determinata necessitas, nempe extrema, a furto excuset, seu quod in extrema necessitate permissum sit furari, hoc est (ne lis sit de voce) surripere res alienas: Sicut cum hac propositione particulari, Aliquis homo est albus, bene cohæret hæc alia singularis, quod Æthiops sit niger. Quod si propositio illa indefinita sumeretur in sensu particulari, ita ut significaret, Aliqua necessitas sive extrema, sive gravis excusat a furto, ejus contradictoria vera deberet esse universalis, videlicet, Nulla necessitas neque gravis, neque extrema, a furto excusat, quæ propos. in omnium sententia est falsa. In casu nostro, hæc thesis indefinita, Ignorantia Dei excusat a Dei offensa operantem contra rectam rationem, sumenda est in sensu universali, ne dicamus ignorantiam invincibilem juris naturæ, aut Dei non excusare a peccato formali: unde sensus proscriptæ thesis esse debet, quod Omnis ignorantia Dei sive vincibilis, sive invincibilis excuset: ejusque contradictoria (quæ est vera) debet esse ista particularis, videlicet, Aliqua Dei ignorantia non excusat ab offensa Dei, cum qua bene cohæret hæc alia prop. singularis, nempe, Ignorantia invincibilis Dei excusat a Dei offensa: ergo ex vi thesis hujus proscriptæ non damnatur sententia docens, ignorantiam Dei invincibilem ab offensa Dei excusare operantem contra rectam rationem: Quicquid sit, num moraliter solum, an etiam metaphysice repugnet omnimoda Dei, saltem sub conceptu Supremi Legislatoris, ignorantia in eo, qui contra rectam rationem operatur

ratur. Hæc alte perpendere, & ad Summulisticarum Regularum trutinam revocare, operæ pretium fuit ad vindicandam a persona calumniæ celebrem tantorum Virorum doctrinam. Gradum nunc faciamus ad alias in altero Decreto ab eodem Alexandro Octavo proscriptas theses expendendas.

DE ALIIS UNA ET TRIGINTA THESIBUS AB ALEXANDRO VIII.

Profligatis 7. Decembris 1690.

PROPOSITIO I.

In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas; qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.

SYNOPSIS.

I. Post confixum errorem Baji asserentis hominem peccare in eo, quod necessario facit, & Jansenii asserentis sufficere ad demeritum libertatem a coactione, erupit hic error, quod sufficiat libertas indifferentiæ in causa, nempe in libertate Adæ peccantis. II. Id videntur Novantes suadere, quia ad contrahendam malitiam homicidii in ebrietate patrati sufficit, quod illud fuerit liberum in causa, nempe in ipsa ebrietate. III. Sicut actus externus, & imperatus in sua causa sunt liberi. IV. Et damnati in inferno peccant cum sola libertate in causa. V. Demum quia Christus D. acceptando mortem præceptam aut meruit, aut saltem potuit mereri per solam libertatem in petenda dispensatione.

VI. Verum hæc thesis nonnisi in verbis discrepat ab erroribus Baji, & Jansenii, qui in actibus malis liberis a coactione hujusmodi libertatem indifferentiæ in sua causa, nempe in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis, non inficiabantur. Immo Bajus, & Jansenius non desipuerunt adeo enormiter, ut vellent rationem peccati formalis competere actionibus materialiter malis puerorum, amentium, ac motibus primo primis concupiscentiæ ob solam libertatem in causa. VII. Libertatem formalem indifferentiæ ad demerendum requiri docent Scripturæ, Concilia & PP. VIII. Non secus ac ad merendum, aliter de facto nullum opus esset meritorium. IX. Ratio, quæ probat non sufficere libertatem a coactione, evincit, quod nec sufficiat libertas in causa.

X. Homicidium in ebrietate non est novum peccatum, si sine formali libertate patretur. XI. Actus externus cum sit solum liber denominative, non addit novum meritum, aut demeritum. XII. Idemque dicas de actu imperato, si non sit formaliter liber. XIII. Damnati, si careant libertate physica, ac formali, non peccant, nisi materialiter. XIV. Christi D. libertas formalis ad mortem non acceptandam varie ab Auctoribus conciliatur, eaque ad meritum fuit necessaria; unde si solum fuisset liber ad petendam præcepti dispensationem, fuisset solum meritoria ipsa non petitio dispensationis, non vero acceptatio mortis præceptæ. XV. Hinc nullum novum peccatum formale haberi potest in nobis, nec fuit olim in Adamo per solam libertatem in causa.

I. EXponitur. Definiverat jam Tridentinum adversus Calvinum, & Lutherum s.6.c.5. liberum hominis arbitrium post Adami peccatum non fuisse extinctum: & can. 6. esse in potestate hominis vias suas malas facere. Confixerunt deinde Pius V., & Gregorius XIII. Bajanas illas propositiones, videlicet 39. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*; 66. *Sola violentia repugnat libertati hominis naturali*; & 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Damnavit etiam Innocent. X. & Alexand. VII. tertiam illam Jansenii propositionem; *Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.* Post tot proscriptos errores nova germina ex infecta radice pullularunt; quæ in hac, aliisque sequentibus propositionibus evellere stirpitus curavit Alex. VIII. Docuerunt itaque nonnulli Bajanorum, ac Jansenistarum asseclæ, sufficere in natura lapsa ad peccatum formale libertatem a necessitate, seu libertatem indifferentiæ, quam habuimus in Adamo ad peccandum, vel non peccandum; adeo ut, sicut peccatum originale vere contraximus per hoc, quod inclusi in voluntate Adami, tanquam in voluntate Tutoris, transgressionem illam præcepti Divini a Protoparente formaliter volitam nos etiam voluerimus interpretative; ita vere etiam in interpretativa illa voluntaria transgressione contraxerimus peccata personalia, quæ citra novam libertatem indifferentiæ eramus deinde patraturi. Non quasi vero vellent, sufficere meram libertatem a coactione ad peccatum formale, ac demeritum contrahendum in statu naturæ lapsæ, ut delirabat Jansenius: contendebant tamen, ad peccatum formale nobis imputabile sufficere, quod libertas a necessitate fuerit in causa, vid. in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis.

II. Multipliciter hic error in speciem suaderi potest. Primo, quia ut contrahatur malitia homicidii v. g. sufficit, quod illud fuerit volitum in causa sua; immo sufficit, quod prævideatur illud in ebrietate patrandum, & homo libere inebrietur, quin requiratur nova libertas, dum patratur: ergo pariter sufficit ad contrahendum peccatum formale, ac demeritum in statu naturæ lapsæ libertas illa, qua peccatum voluntarium, ac liberum fuit in causa, hoc est in peccato originali, & in libertate Adami peccantis.

III. Confirmatur; quia in omnium sententia actus externus, quamvis non sit formaliter liber, potest tamen esse moraliter malus, ac peccaminosus per hoc, quod procedat ab actu interno peccaminoso formaliter libero; ut proinde actus externus tanquam verum peccatum in Confessione aperiendum sit, quin sufficiat solum actum internum formaliter liberum manifestare. Immo D. Thom. p.2. quæst.20. ar.9. expresse docet, peccatum externum, quamvis solum habeat libertatem in causa, addere novam malitiam peccato interno: Idemque dicendum de actu imperato, qui solum habet libertatem formalem in causa, vid. in actu imperante, & de electione unici medii libera solum in intentione efficaci finis; ergo universim ad peccatum formale,

ac demeritum contrahendum sufficit libertas in causa; atque adeo ad contrahenda peccata personalia in statu naturæ lapsæ sufficit libertas ad non peccandum, quam habuimus in Adamo.

IV. Secundo, quia damnati peccant formaliter in inferno, dum sibi complacent in peccatis commissis, quamvis nullam aliam habeant libertatem, quam in causa, hoc est in peccatis commissis in via, quæ fuerunt causa æternæ damnationis. Pariformiter Beati in patria honeste operantur, etiam dum Deum facialiter visum diligunt necessario cum sola libertate a coactione, idque propter libertatem indifferentiæ habitam in causa, seu in actibus meritoriis viæ: ergo pariter in natura lapsa peccant homines formaliter, etiam quando solam libertatem habent a coactione, dummodo habuerint libertatem a necessitate in causa, nempe in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis: Cum hoc tamen discrimine, quod, quia actus turpes damnatorum, & actus honesti in patria ponuntur in termino, non sunt demeritorii, aut meritorii; peccata vero a nobis posita cum sola libertate indifferentiæ in causa, quia ponuntur in via, demeritum contrahunt.

V. Confirmatur; quia Christus D. dicitur libere mortuus, juxta illud Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*: & mors fuit meritoria; dicitur enim *Factus obediens usque ad mortem, propter quod Deus exaltavit illum*; & tamen posito mortis præcepto a Patre imposito, juxta multorum sententiam, nullam aliam libertatem habuit ad moriendum, nisi in causa, quatenus, poterat aut præceptum impedire, aut petere dispensationem; cum non posset præceptum transgredi ratione impeccabilitatis ortæ ab unione hypostatica, & a summa Verbi Sanctitate Humanitati communicata: ergo etiam in casu nostro sufficit libertas in causa ad peccatum formale, ac demeritum.

VI. Ostenditur falsitas hujus proscriptæ thesis: Ea siquidem, quamvis verbis discrepet a sententiis explosis Calvini, Baji, & Jansenii, cum illis tamen revera coincidit. Ex hoc enim quod in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & ad demeritum contrahendum sufficiat libertas in causa sua, seu in peccato originali, & libertate Adami peccantis, aperte deducuntur illorum hæreses jam damnatæ, quod scilicet Liberum arbitrium in natura lapsa sit extinctum, quod Homo damnabiliter peccet in eo, quod facit necessario, & quod sufficiat ad demerendum libertas a coactione. Ratio est, quia ut advertit Ripal. tr. 3. disp. 16. s. 3., nemo adeo enormiter desipuit, ut vellet rationem peccati formalis competere actionibus materialiter malis puerorum, dormientium, & amentium, ac motibus omnibus concupiscentiæ; quamvis hæc omnia ab illa prima Adami libertate, & indifferentia ad peccandum, vel non peccandum originem habeant, & in illo potuerint præcaveri; unde suam habeant libertatem in causa. Quare dum contendunt hujus thesis Assertores, per libertatem in causa formalem peccati malitiam contrahi ab actibus solum liberis a coactione, quamvis non liberis a necessitate, non sine dolo, ac fraude implicite eructant errores illos Calvini, Baji, & Jansenii, qui huc tandem collineant.

VII. Addunt pariter iidem Novatores, ut dicemus in sequenti propositione, Ignorantiam invincibilem juris naturæ in statu naturæ lapsæ non excusare a peccato formali operantem ex ipsa: quia scil. quamvis isthæc ignorantia formalem libertatem evertat, componitur tamen cum libertate indifferentiæ in sua causa, nempe in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis, in qua poterat præcaveri, eo quod sit pœna peccati originalis: Similiter putant peccare formaliter eos, qui legem transgrediuntur, quamvis careant auxiliis necessariis, ac sufficientibus ad legem implendam, eo quod carentiam istam auxiliorum sufficientium præcavere pariter poterant in libertate Adæ peccantis. Unde universim putant peccatum formaliter contrahi per solam libertatem in causa, quamvis hic & nunc præcaveri non possit. Quis autem non videat, hæc omnia æque Divinis literis, Conciliis, SS. Patribus, & rationi ipsi adversari, ac errores præfatos Calvini, Baji, & Jansenii? ergo hæc thesis cum iis erroribus coincidit; atque adeo dignissima fuit, cui nigrum theta præfigeretur. Et sane dicitur Eccl. 15. *Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris, porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Tridentinum pariter l. c. dicit, *Liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum posse dissentire, si velit:* Quod etiam docet Arausic. can. 8., & Valent. c. 6. ex Augusti. lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 2. ubi habet: *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* & Basil. Homil. in Psalm. 61. *Unicuique nostrum intus est statera quædam a Conditore nostro fabricata.* Ex his autem auctoritatibus tam descendit falsitas errorum Calvini, Baji, & Jansenii, quam præsentis propositionis; cum inde constet de facto dari in natura lapsa libertatem indifferentiæ formalem præter libertatem in causa, seu in Adamo peccante; atque adeo formalem libertatem indifferentiæ ad peccatum formale, ac demeritum omnino requiri.

VIII. Et ratio ulterior est, quia Assertores hujus propositionis vel volunt, quod etiam libertas in causa, seu in Adamo sufficiat ad operationes moraliter bonas, ac meritorias, vel non: Si dicant non sufficere illam libertatem ad operationes meritorias: ergo neque ad demeritorias, cum eadem omnino libertas, quæ sufficit ad merendum, sufficiat ad demerendum; atque adeo in utroque casu requiritur libertas indifferentiæ formalis, & actualis: Sin dicant libertatem illam in casu sufficere etiam ad meritum, hinc fieret, quod nulla daretur de facto in natura lapsa operatio moraliter bona, ac meritoria; quia electio illius primæ indifferentiæ, quam habuimus in Adamo, non fuit ad bonum, sed duntaxat ad malum; electio autem ad malum, & peccaminosa non potest operationes inde necessario consequentes reddere meritorias, ut patet: ergo nulla daretur in natura lapsa actio meritoria: quare sicut nova, & actualis requiritur libertas indifferentiæ in natura lapsa ad ponendas actiones meritorias; ita etiam ad ponendas actiones demeritorias, & ad contrahendum peccatum formale.

IX. Ratio demum a priori est illa eadem, qua ostenditur contra Jansenistas, ad meritum, & demeritum non sufficere in natura lapsa libertatem a coactione. Ideo enim requiritur libertas a necessitate, seu indifferentiæ, quia non censetur laude, ac præmio, probro, ac pœna dignus, qui habet necessitatem operandi, ut patet in pueris, dormientibus, & amentibus. Unde Aug. l. 3. de lib. arb. cap. 18. dixit: *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* & D. Th. *Nullus debet puniri, vel præmiari*

in eo,

in eo, quod non est in ejus potestate facere, vel non facere. Quod innuitur ab Ecc. 31. *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus; ideo stabilita sunt bona illius in Domino.* Et ratio ulterior est, quia laudabilitas, & imputabilitas formalis ex duplici capite haberi potest, vel per hoc, quod actus honesti debeantur naturæ, a qua necessario promanant, ut debentur Deo actus necessarii voluntatis Divinæ, vel per hoc, quod debeantur liberæ electioni operantis; aliter unice adscribi, & imputari debent causæ determinanti; Sicut actus necessarii Beatorum, & Christi D. imputantur Deo danti lumen gloriæ, & Unionem hypostaticam, ac proinde non sunt meritorii. Quare universim imputabilitas actionis ei tribuitur, a quo habetur determinatio ad illam; & idcirco in nobis, qui a natura non determinamur ad actus honestos, sicut determinatur Deus, imputabilitas unice habetur a libera electione. Hæc autem omnia sicut probant, in actione meritoria, ac demeritoria requiri libertatem indifferentiæ, ita probant requiri etiam libertatem formalem & actualem, nec sufficere libertatem in causa; quippe quæ sicut non sufficit per Adversarios ad actiones laudabiles, & meritorias, ita nec ad peccaminosas, & demeritorias: ergo ad peccatum formale, ac demeritum in statu naturæ lapsæ non sufficit libertas, quam habuimus in Adamo peccante.

X. Ad primam rationem in contrarium dicendum, probare nimis: probat enim, quod sicut homicidium in ebrietate non libere patratum imputatur ebrio propter libertatem in causa, ita non solum peccata, quæ patrantur cum libertate a coactione, sed etiam peccata dormientium, puerorum, amentium, quamvis nullam habeant actualem libertatem, sint pariter imputabilia in natura lapsa ob libertatem in causa, nempe in libertate Adæ peccantis, in qua poterant præcaveri, quod nemo somniavit.

Deinde paritas retorquetur: ebrius enim in omnium sententia non committit novum peccatum, dum sine libertate actuali alium occidit, quamvis peccaverit tam adversus temperantiam, quam adversus justitiam, quando voluit inebriari, prævidens futurum in ebrietate homicidium, ut explicabimus in expositione propositionis sequentis: ergo quamvis peccaverimus in Adamo peccato originali, non committitur tamen novum peccatum, v. g. homicidii, quando quis citra libertatem actualem alium occidit.

XI. Ad confirmationem retorquetur etiam paritas: in omnium enim sententia actus externus non est novum peccatum distinctum ab interno, licet ab isto denominetur aut bonus, aut malus moraliter; & quamvis detur obligatio confitendi peccatum externum, id non oritur, quia est novum peccatum, sed ut habeatur a Confessario sufficiens notitia de actu interno ad hoc, ut possit congrua pœna, & medicina adhiberi. Docent quidem communiter cum D. Th. l. c. contra nonnullos apud Gran. par. 2. contr. 2. tr. 14. disp. 6. actum externum addere actui interno novam quandam bonitatem, vel malitiam; negant tamen addere per se novum meritum, aut demeritum: ergo neque datur demeritum in natura lapsa in actu destituto libertate actuali; atque adeo libertas in causa, seu in Adamo peccante non sufficit ad peccatum formale, & demeritum contrahendum.

XII. Ad id, quod additur de actu imperato (& eadem est ratio de electione unici medii posita intentione efficaci finis) dicendum, quod si potest actus imperatus esse formaliter liber, ut putat Ripalda cum aliis communius, habet consequenter suam malitiam, ac demeritum speciale, distinctum a demerito actus imperantis; quod si careat libertate formali, caret etiam speciali malitia, ac demerito; non secus ac actus externus, qui solum occasionaliter, & per accidens potest ad novum meritum, vel demeritum conferre, quatenus in exercitio actuum externorum aut multiplicantur, aut continuantur actus interni, ut docet Angelicus ibid.

XIII. Ad secundam dicendum, ratiocinationem illam esse Calvini apud Bell. l. 5. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 14. & Wiclephi apud Valdensem l. 1. ar. 1. c. 25. qui conantur ostendere, libertatem ad actus morales posse cum summa necessitate conjungi. Bellarm. loc. cit. habet, *Tam Angelos Sanctos, quam malos dæmones respectu finis ultimi non habere liberum arbitrium a necessitate, sed solum a coactione; tamen respectu mediorum liberum arbitrium etiam a necessitate habere; quia multa faciunt, quæ possent non facere, & contra; & in hujusmodi dæmones vere peccare, & bonos Angelos opus vere laudabile facere; quamvis nec præmium, nec pœna essentialis crescere possit, cum utrique sint in termino; & omnia ipsorum opera ad exercitium damnationis, vel gloriæ sempiternæ pertineant.* Adde ulterius, damnatos non habere physicam necessitatem ad peccandum, sed solum moralem, & idcirco peccare formaliter, ut docent probabilius Scotum, Bassavolus, Valent. Durand. apud Ripald. t. 3. d. 18. n. 142. Quod si physice necessitarentur ad Dei odium, ut nonnulli autumant apud Suar. lib. 8. de Angelis c. 10. communiter rejecti, putantes Deum negare illis concursum paratum ad quacumque operationem bonam eliciendam, & simul infundere habitum necessitantem ad male operandum; tunc hujusmodi odium non posset dici peccatum formale, sed mere materiale, atque adeo esset quidem actus pœnalis potius, quam peccaminosus; ut sunt in nobis actus concupiscentiæ, & actus mali orti ab ignorantia invincibili, qui improprie, & analogice dicuntur peccata, cum sint meræ transgressiones materiales præceptorum, & effectus, ac pœnæ peccati. Similiter amor Beatorum in patria, cum sit physice necessarius ob claram Dei visionem, dicitur naturaliter potius, quam moraliter bonus, quamvis eliciatur cum advertentia ad regulam honestatis, nempe ad Divinam voluntatem; quod etiam dicendum de amore necessario, quo Deus seipsum amat, cum illi deficiat libertas formalis essentialiter requisita ad bonitatem moralem antonomastice dictam; in patria autem nulla alia datur libertas ex Aug. apud eundem Rip. disp. 17. quam libertas a servitute peccati, quatenus liberum arbitrium sua clara Dei visione nulli peccato servire potest.

XIV. Ad confirmationem, censeo cum Esparza, Haunoldo, Mauro, Lorca, & aliis, præceptum mortis Christo impositum non fuisse rigorosum, videl. sub interminatione odii, & pœnæ in hypothesi transgressionis; quinimo puto hujus præcepti Christum Dom. fuisse incapacem ob impeccabilitatem ortam ex Unione hypostatica, & ex intrinseca Sanctitate Verbi Humanitati communicata. Censeo pariter Christum Dom. ad mortem non fuisse necessitatum ex præcepto minus rigoroso, eo pacto videlicet, quo ad observantiam præceptorum naturalium necessitabatur, quatenus ex Divina voluntate sibi prælucente ad ea servanda dirigebatur. Verum arbitror præceptum mortis fuisse instar legis pœnalis, seu

potius consilii onerosi, quatenus si noluisset mortem acceptare, (prout libere potuisset citra culpam, aut imperfectionem moralem, etiam negativam) caruisset titulo Redemptoris, & glorificatione corporis, ut collata ex morali exigentia, seu ex merito talis obedientiæ, quamvis ea non caruisset ut collata ex exigentia naturali Unionis hypostaticæ. Hoc videtur innuisse Christus D. iis verbis Jo. 10. *Ego pono animam meam, & iterum sumo eam; nemo tollit eam a meipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam, hoc mandatum accepi a Patre meo.* Ecce quomodo a mortis mandato Christus non necessitabatur ad illam subeundam: Quod etiam docuit Augustinus dicens: *Quia voluit, quando voluit, & quomodo voluit, mortuus est.* Hinc nihil mirum, quod Christi obedientia fuerit meritoria, utpote omnino libera a necessitate.

Addidi in tract. de Incarnatione cum Arriaga, Hurt. & P. Thyrso Gonzalez, quod in alia providentia poterat præceptum mortis rigorosum imponi, non quidem Christo, sed Humanitati assumptæ in priori ad subsistentiam Verbi, pro quo signo Humanitas erat peccabilis peccato impeditivo Unionis hypostaticæ: & in hoc systemate acceptatio mortis Humanitatis assumptæ libera simul fuisset, & meritoria; qui tamen docent præceptum mortis rigorosum fuisse ipsi Christo impositum, non facile salvant, me judice, in mortis acceptatione libertatem ad meritum requisitam, sive recurrant cum Thomistis ad potentiam non acceptandi in sensu diviso, sive cum Suarez, & Molina ad principium proximum indifferens; Quod si recurrant cum Vasq. ad libertatem quoad mortis circumstantias, aut cum Lugo ad libertatem petendi dispensationem, aut cum Hurtado ad libertatem non acceptandi præceptum, non salvant in rigore meritum Obedientiæ in eo actu.

Cæterum quicquid sit de ardua hac quæstione Scholastica, illud apud omnes est inconcussum, quod si Christus caruisset formali libertate in actu Obedientiæ, per illum non meruisset: ergo neque actiones nostræ in natura lapsa sunt formaliter peccaminosæ, & demeritoriæ per meram illam libertatem in causa.

XV. Ex dictis infertur, in natura lapsa nullum peccatum personale nobis imputari, si actu careat libertate formali non solum a coactione, sed etiam a necessitate; sicut nec imputatum fuisset ipsi Adæ in decursu vitæ novum peccatum, si nullam aliam libertatem habuisset, nisi in causa, seu in primo peccato; ratione cujus gratiam, justitiam originalem, & naturæ integritatem amisit, & in peccati servitutem redactus est. Quamvis enim Adam forte præviderit quod comedendo pomum vetitum facile in alia peccata esset lapsurus ipse, & posteri, & idcirco gravius peccaverit; non secus ac gravius peccat, qui habitualiter peccat prævidens, quod propter habitum vitiosum facilius in nova peccata sit lapsurus: nihilominus sicut non committitur novum peccatum citra novum libertatis exercitium ab eo, qui ex habitu ad nova peccata fit proclivior: ita nec Adam, nec posteri in nova peccata formalia lapsi sunt citra novum exercitium libertatis, quamvis ob illud primum peccatum ad nova peccata redditi sint procliviores. Non sufficit ergo ad peccatum formale, ac demeritum libertas illa, qua voluntarium, ac liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adæ peccantis.

PROPOSITIO II.

Tametsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non excusat a peccato mortali.

SYNOPSIS.

I. Baji, ac Jansenii Asseclæ putantes ad peccatum formale sufficere in natura lapsa libertatem a coactione cum sola libertate indifferentiæ in causa sua, docent in hac thesi ignorantiam juris naturæ invincibilem non excusare a peccato formali.

II. Negari autem non potest, dari sæpe ignorantiam juris naturæ, saltem quoad Conclusiones mediatas, & non dilucide deductas.

III. Ad suadendum, quod hujusmodi ignorantia non excuset, varia adducuntur Scripturæ loca.

IV. Necnon Augustini.

V. Ac Sacrorum Canonum.

VI. Necnon effatum illud, Omnis peccans est ignorans.

VII. Verum sicut a culpa excusat ignorantia invincibilis juris positivi, ita & juris naturalis.

VIII. Utraque enim causat involuntarium; unde ex Augustino, & Angelico excusat a peccato.

IX. Scripturæ, quæ pro hac thesi adducuntur, intelligendæ sunt de ignorantia vincibili; quamvis hæc peccatum minuat, si non sit affectata.

X. Idemque dicas ad auctoritates Augustini.

XI. Regula illa, quod Ignorantia facti, non vero juris excuset, intelligenda est pro foro externo.

XII. Omnis peccans est ignorans, non formaliter, sed interpretative, quatenus operatur perinde ac si ignoraret.

XIII. Ejusdem speciei sunt peccata commissa scienter, ac commissa ex ignorantia vincibili; esto illa sint graviora: Aliquando tamen ignorantia vincibilis est peccatum speciale.

XIV. Quid dicendum de peccatis commissis cum ignorantia concomitante?

I. EXponitur. Descendit hæc propositio, ut adnotavimus in propositione superiore, ex principiis, & erroribus Baji, & Jansenii contendentium hominem peccare etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit; & ad demerendum in natura lapsa non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem indifferentiæ solum in causa, nempe in libertate Adæ peccantis. Cum enim laborans ignorantia invincibili juris naturæ careat notitia inhonestatis objecti, & quidem necessario careat, (aliter ignorantia non esset invincibilis) caret proinde voluntate, cum nihil sit volitum, quin præcognitum; caretque pariter libertate relate ad illam, siquidem omne liberum debet esse voluntarium; atque adeo citra libertatem incideret in peccatum formale. Verum quia ignorantia isthæc juris naturalis est pœna peccati, quam poteramus præcavere, si in Adamo non lapsi fuissemus, ideo docent Novantes isti cum Jansenio lpr. l. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 2. & seq. & Sinnichio in Saule Exrege l. 1. c. 96. peccatum ex ignorantia invincibili juris naturalis patratum esse nobis sufficienter imputabile, utpote liberum libertate indifferentiæ in causa sua, atque adeo esse peccatum formale. & non mere materiale; sicut est transgressio legis in dormientibus, & amentibus,

in quibus non datur capacitas peccati formalis, cum deficiat in illis libertas a coactione, quam putant essentialiter requisitam, & sufficientem ad culpabiliter, & imputabiliter peccandum in natura lapsa.

II. Et sane, quod aliqua ignorantia invincibilis juris naturalis sit possibilis in natura lapsa, videtur negari non posse. Quamvis enim juxta communiorem PP. & Theol. sensum dari non possit ignorantia invincibilis de primis, & universalissimis principiis juris naturæ, qualia sunt, Deum esse colendum, Parentes honorandos, Quod tibi non vis, alteri non esse faciendum, &c. (ut notat Angelicus p. 2. q. 94. ar. 6. ex August. qui in 2. Confess. dicit: *Lex tua scripta est in cordibus hominum, quam nec ulla quidem delet iniquitas*) nec non de conclusionibus immediate, & clare inde deductis, ut sunt fere omnia præcepta Decalogi ex Vasq. Amico, contra Tann. & Præpositum: Nihilominus dari potest in natura lapsa ignorantia invincibilis juris naturæ quoad conclusiones mediate, & non aperte deductas ex iis principiis moralibus, ut docent communius cum Vasq. Sylvio ex Angelico loc. cit. ar. 4. ubi hæc habet: *Lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, sed quantum ad quædam propria, quæ sunt quasi conclusiones principiorum communium, est eadem apud omnes, etiam ut in pluribus; sed ut in paucioribus potest deficere quantum ad notitiam; sicut apud Germanos latrocinium olim non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem naturæ*. Adde, in his conclusionibus remotis, quæ ex principiis moralibus deducuntur, etiam doctos fuisse deceptos. Nam Durandus putavit fornicationem simplicem, stando in jure naturæ, non esse peccatum mortale, dummodo fiat mutuo consensu, & sufficienter caveatur, ne male proles educetur: Cassianus, Marulus, & alii tradiderunt mendacium officiosum esse licitum, & facile etiam reperias, qui invincibiliter credat mendacium leve ad salvandam v.g. vitam innocentis, non esse illicitum; nec lucrum ex mutuo, nec ultionem injuriarum, nec pollutionem, ubi ad vitam tuendam sit necessaria, ut videre est apud Dian. p. 3. tr. 4. ref. 108. Et Vasq. novit rusticum invincibiliter putantem, licitum, ac pium esse morti proximum in alteram partem versare, ut citius decedat, ne diutius patiatur; quæ tamen omnia ex communi DD. consensu prohibentur jure naturæ. Et Augustin. lib. 1. de serm. Dom. cap. 29. (*a*) non audet peccati damnare eum, qui ad declinandam uxoris mortem, usum illius alteri permiserat ex judicio erroneo, quod in tali casu liceret. Quinimmo experientia ipsa docet, multos pueros, & rudes varia peccata adversus legem naturæ committere absque ulla apprehensione peccati, quousque a Confessariis admoneantur. Quare sicut dari potest ignorantia invincibilis circa veritates speculativas non clare deductas ex principiis speculativis; ita dari potest consimilis ignorantia circa veritates practicas non clare deductas ex principiis practicis, & moralibus.

„ (*a*) Recitandum hæic est caput LVII. Veritatis a Nocetio vindicatæ.

„ *P. Concina Tom. 6. pag.* 13. *post relatum quemdam textum S. Augustini, quem adduxerat Johannes Barbeyracus in suo tractatu* Theologiæ moralis Patrum *contra P.Cellier Benedictinum ita pergit:*

„ *Textum hunc non opposuere neque Dallæus neque Clericus severissimi Augustini censores. Ex suis ergo laudatis Magistris, illum, quemadmodum cætera adversus Patris, non transcripsit Barbeyracus: sed ex nostris inferioris subselii Casuistis qui eumdem allegant, ut juris naturæ ignorantiam ex Augustini mente invincibilem ostendant. Alter ex iis est P. Dominicus Viva, qui in commentariis ad secundam propositionem Alexandri VIII. num. 2. falso in sensu laudatum Augustini textum obtrudit, ubi etiam truncatum D. Thomæ textum exhibet ut suam roboret opinionem. Alter vero P. Lecchi, qui in suo opere inscripto* Avvertenze contrapposte all'Istoria del Probabilismo *hunc locum mihi objecit, ut id ipsum evinceret; quam vero irrito conatu alias ostendi in libro cui titulus:* Esplicazione di quattro paradossi p. 112.

„ Ergo, si P. Concinæ habenda est fides, Barbeyracus hæreticus textum illum Augustini excripsit ex nostris inferioris subsellii Casuistis, quorum alter est P. Lecchi, alter P. Viva. Ergo P. Lecchi, & P. Viva præmonstratores fuerunt illi Hæretico & magistri, ut eo textu abuteretur contra mentem Augustini, & contra Patrem Cellier. Si ita se habet res, librum suum composuerit oportet, P. Lecchi (ut de hoc primum loquar) aliquot saltem dies ante illum tractatum Barbeyraci, ut eum legere Barbeyracus & textum Augustini exscribere inde posset. Nonne? Ita pro fecto. Bene.

„ P. Lecchi, ut patebit legentibus, librum suum edidit anno 1744. Numquid Barbeyracus edidit suum tractatum eo anno vel posterioribus? Audi Morerium in novissima editione anni 1740. Verbo *Barbeyrac*.

„ *Il Donna aussi en* 1744. *une nouvelle Traduction du Droit de la Guerre, & de la Paix de Grotius, avec de longues, & d'excellentes Notes, & en* 1728. *Un Traite sur la Morale des Peres, pour repondre au Pere Cellier Benedictin*.

„ Et sine ulla auctoritate Morerii, appositum illi tractatui annum 1728. videre poterit, qui habet oculos. Quamobrem juxta chronologiam Patris Concinæ, P. Lecchi, qui scripsit sexdecim annis post, magister fuit ad textum Augustini adhibendum hæretico Barbeyraco qui scripserat sexdecim annos ante. En quo perducat studium mordendi Jesuitas.

„ Quod attinet ad Patrem Viva, non possum hac evidentia comprobare imposturam. Vere enim Viva scripsit ante annum 1728., in quo Barbeyracus dedit Tractatum suum. Quis tamen revelavit Patri Concinæ, Barbeyracum legisse Trutinam Patris Vivæ, & ex illa Augustini textum exscripsisse? hoc saltem habemus, temere & sine ullo fundamento Patrem Concinam hujus modi odium conflare Patri Vivæ conatum est.

„ Ut vero semper clarius appareat *vacuitas* illa a *Studio partium*, quam tantopere jactat P. Concina, hoc adverto. Memoratum textum Sancti Augustini in eodem prorsus sensu, in quo illum attulerunt P. Lecchi, & P. Viva, attulerat multo ante ipsos Sixtus Senensis Dominicanus in sua *Bibliotheca Sancta*, impressa Venetiis anno 1575. Ubi *libro* 5. *annotatione* 89. hæc habet.

„ *Augustinus lib.* 22. *Capite* 37. *contra Faustum, & lib.* 1. *de Sermone Domini in monte cap.* 29. *in dubium revocat, an Saræ pudicitia potuisset barbarorum libidini supponi citra ullum adulterii crimen, quasi pro mariti vita liceat, ipso consentiente, cum alio viro concumbere; sicut olim tempore*

„ Con-

„ *Constantii Imperatoris Antiochiæ factum est*. Ubi
„ *cum Acindinus Præfectus quemdam servaret in*
„ *Carcere occidendum; quia libram auri, quam fisco*
„ *debebat, non haberet, unde solveret; Uxor mariti*
„ *caritate commota unius noctis concubitum, ipso*
„ *consentiente marito, vendidit diviti cuidam id anxie flagitanti, ac libram auri pro mercede promittenti, ut eo pretio mariti vitam a Præfecto redimeret. Atque hoc facto Acindini pluribus explicato; liberum unicuique permittit, æstimare quod velit, quamvis in eum partem propensior videatur, quod id fieri neutiquam liceat.*

„ Ego non disputo, rectæ ne, an secus Augustini mentem interpretentur Sixtus Senensis, Lecchius, & Viva: in has me difficultates non induo; quæstiones non resolvo. Sed quæro a P. Concina; cur non meminit in hoc loco Sixti Senensis, quem certissime a Lecchio citatum legerat? Cur non dixit, Barbey racum excripsisse textum Augustini potius a Dominicano, qui scripserat 150. annos ante, quam a Lecchio Jesuita qui scripsit sexdecim annos post? cur hanc invidiam injustissime conflavit Jesuitæ, non vero Dominicano, cui verosimilius ratione temporum conflare poterat? Oedipo non est opus, ut causa divinetur.

III. Hoc posito, multis suaderi in speciem potest, quod hujusmodi ignorantia a peccato formali non excuset. Primo ex Scripturis, dicitur enim Luc. 12. *Servus, qui cognovit voluntatem Domini sui, & non fecit secundum voluntatem ejus, vapulabit multis; qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis*; Psalm. 24. *Delicta juventutis, & ignorantias meas ne memineris Domine*; 1 ad Cor. 14. *Si quis ignorat, ignorabitur*; hoc est, ut exponit Cornel. a Lap., *improbabitur* ad quod culpa prærequiritur; atque adeo ignorantia juris naturæ invincibilis culpa non vacat.

IV. Secundo ex Auguft. de Gratia, & liber. arbitr. c. 3., ubi explicans textum adductum Lucæ ait; *Ecce ostenditur, gravius peccare hominem scientem, quam nescientem: Illa ignorantia, quæ non est eorum, qui scire nolunt, sed eorum, qui tanquam simpliciter nesciunt, neminem sic excusat, ut sempiterno igne non ardeat*: & Epistola 154. *Si quis bonum putaverit esse, quod malum est, & fecerit, hoc putando utique peccat; & ea sunt peccata ignorantiæ, quando quis bene fieri putat, quod male fit.*

V. Tertio, quia ex Reg. 13. juris in 6. *Ignorantia facti excusat, non ignorantia juris*; & cap. *In lectum* 24. p. 1. & 2., punitur qui ex ignorantia invincibili cognoverat non suam: Sicut etiam in cap. *Continebatur* de Homicidio punitur Diaconus propter homicidium inadvertenter commissum. Et PP. Synodi Palestinæ apud Auguft. lib. de Gestis Pelagii cap. 18., & 19. reprobarunt Celsium asserentem, *Oblivionem, & ignorantiam non subjacere peccato, quoniam non secundum voluntatem, sed secundum necessitatem eveniunt.*

VI. Quarto demum, quia universim ex Philosopho, *Omnis peccans est ignorans*: & Prov. 14. dicitur: *Errant, qui operantur iniquitatem*. Quomodo enim non errent, si malum prosequuntur ut bonum? cum nemo intendens in malum operetur; ex D. Dionys. de Div. Nomin. cap. 14. ergo ignorantia invincibilis juris naturæ a peccato formali non excusat in natura lapsa operantem ex ipsa. His rationibus permotus Lutherus in Genes. cap. 12. apud Ripald. t. 3. disp. 10. n. 21. dixit: *Falsa est celebris Scholasticorum sententia de ignorantia invincibili excusante. Quisquis invincibilem ignorantiam excusationem mereri statuit, invertit Scripturam Sacram, & tollit a Mundo Christum Justitiæ solem.*

VII. Ostenditur tamen falsitas. Ignorantia invincibilis juris positivi in omnium sententia excusat a peccato formali: ergo etiam ignorantia invincibilis juris naturæ. Antecedens constat, tum ex Scripturis; dicitur enim Jo. 9. *Si cæci essetis, non haberetis peccatum*: & cap. 15. *Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent*: Tum ex propositione 68. Baji damnata, quæ habet: *Infidelitas pure negativa in iis, in quibus Deus non est prædicatus, peccatum est*: Tum ratione, quia ut malitia actus sit imputabilis, debet esse voluntaria: proscripta enim est propositio 46. Baji dicens: *Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium*: atqui malitia actus ex ignorantia invincibili procedentis non potest dici voluntaria, cum prærequiratur cognitio ad rationem voluntarii; quippe quod ex Philosopho, & DD. apud D. Thom. 1. 2. q. 6. art. 1. est *id quod procedit ab intrinseco cum cognitone finis*: ergo malitia actus non potest esse imputabilis & formaliter peccaminosa habenti ignorantiam invincibilem illius: atque adeo ignorantia invincibilis juris positivi excusat a peccato formali. Unde Augustinus epist. 48. dixit: *Certe nullius crimen maculat nescientem*: quod etiam verum est, etiamsi quis culpabiliter incidat in statum ignorantiæ invincibilis; ut si quis se inebriet, non prævidens se in ebrietate patraturum homicidium, tunc peccatum duntaxat est in ebrietate, non in homicidio, ut docet idem Augustinus lib. 22. contra Faust. cap. 44. ubi de filiabus Loth ait: *Inebriaverunt eum, & se nescienti miscuerunt: quapropter culpandus est quidem, non tamen quantum ille incestus, sed quantum illa merebatur ebrietas.*

VIII. Consequentia nunc probatur. Hæc omnia, quæ congessimus ad ostendendum ignorantiam invincibilem juris positivi excusare a peccato formali, æque probant excusare etiam ignorantiam juris naturalis. Propterea D. Thom. universim de quacumque ignorantia invincibili loquens 1. 2. qu. 76. art. 3. habet: *Ignorantia, quæ est causa actus, quia causat involuntarium, se habet, quod excuset a peccato, eo quod voluntarium est de ratione peccati*: & Augustinus lib. de Natura, & gratia, cap. 67. *Non tibi reputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras*: & lib. 3. de lib. arbitr. cap. 18. *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Quod etiam probatur ratione, quia aliter qui invincibiliter putat hic & nunc sibi mentiendum ad salvandam vitam innocentis, necessario peccaret; etenim tam mentiendo, quam non mentiendo peccaret; mentiendo quidem, quia mendacium jure naturæ est illicitum; non mentiendo vero, quia operatur contra conscientiam dictantem sibi mentiendum. Omne autem, quod non est ex fide, peccatum est, ad Rom. 14. Sequela autem hæc admitti non potest, cum damnata sit proposit. 67. Baji: *Homo etiam peccat damnabiliter in eo, quod necessario facit*; & propositio 3. Jansenii negans, ad demerendum requiri libertatem a necessitate; ergo &c. propterea requiretur, quod omnes DD. qui ex ignorantia invincibili aliquid contra jus naturæ de-

cuerunt, peccassent formaliter; ac proinde etiam ipse Jansenius Ipr. peccavit docendo illas quinque propositiones, quamvis vere ex ignorantia invincibili eas docuisset, & non vafre dixisset, Judicio Ecclesiæ sua se dogmata subjicere. Peccarent etiam quotquot invincibiliter contra jus naturæ aliquid docent, imperant, suadent, resolvunt, agunt, quin excusentur, etiamsi juxta probabiliorem opinionem resolvant: quod esset viam salutis reddere imperviam; quo collineant omnes propositiones Bajanæ, & Jansenisticæ.

IX. Ad primam rationem in contrarium: Scripturæ loquuntur de ignorantia vincibili, quæ procul dubio est peccaminosa. Etenim quando tenetur ignorans aut inquirere veritatem, aut petere a Deo, & impetrare gratiam ad peccata vitanda, peccat id omittendo, & peccata ista causata ab ignorantia culpabili dicuntur peccata ignorantiæ, quæ sunt solum necessaria necessitate consequenti ad illam culpabilem negligentiam, & ideo sunt imputabilia. August. in Enchir. cap. 81. habet: *Ille rogandus est, cui dicitur in Psalmo, Dominus illuminatio mea, & salus mea: ut illuminatio detrahat ignorantiam, salus infirmitatem*. Eodem modo Servus digna plagis facit, & vapulabit paucis, si voluntatem Domini ignoravit culpabiliter, & neglexit saltem petere a Patre luminum talis ignorantiæ expugnationem. Quod autem ignorantia vincibilis minuat peccatum, atque adeo reddat peccantem dignum minori pœna, quam si sciens, ac prudens peccaret, dummodo ignorantia non sit affectata, ostendit Angelicus, quia cum ignorantia culpabilis sit causa peccati, v. gr. homicidii, adeo ut homicidium non poneretur, si adverteretur, sequitur, homicidium esse involuntarium secundum quid; cum universim minus voluntarie peccet, qui peccat ignoranter, quam qui scienter peccat; quod si minuitur ratio voluntarii, minuitur etiam culpa, & consequenter etiam reatus pœnæ.

X. Ad secundam: Recurrit eadem responsio ad Augustini anctoritates, qui pariter interpretandus est de ignorantia vincibili, ut patet ex verbis ipsius adductis, cum dicat, *Ignorantia eorum, qui tanquam nesciunt*, seu qui culpabiliter ignorant: Et in alio textu dicit, *Hoc putando peccat*, si scilicet putet id culpabiliter, aliter peccatum esset materiale; nam, ut optime Angelicus q. 3. de Malo, ar. 7. Ignorantia, quæ omnino involuntaria est, non est peccatum.

XI. Ad tertiam: Regula illa juris in 6. intelligenda est tantum pro foro externo, in quo non præsumitur ignorantia juris, sed solum ignorantia facti; & ideo ista tantum excusat, non illa: Quod dicitur de pena data illis, qui ex ignorantia peccaverunt, Turrecremata putat, eam ignorantiam pro foro externo non fuisse præsumptam invincibilem; Idem dicendum de mente PP. Synodi Palæstinæ.

XII. Ad ultimam: Peccans dicitur ignorans, ut notat Herrera in tract. de Angelis, non quia formaliter semper ignorat, aut non advertit ad legis obligationem, & actus inhonestatem, cum sæpe verum sit illud Poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora sequor*; sed ignorat semper saltem interpretative, quatenus operatur, perinde ac si ignoraret quid sibi facto opus sit: & eodem modo interpretative tantum, & practice errant semper, qui operantur iniquitatem, per hoc quod aberrent ab ultimo fine: quamvis non semper errent formaliter, & speculative.

XIII. Dubitatur apud DD., Utrum universim peccata commissa ex ignorantia vincibili sint ejusdem rationis cum peccatis scienter commissis? Med., & Adrian. docent universim esse diversæ speciei, atque adeo explicandum in Confessione, num homicidium v. g. fuerit scienter commissum, an vero ex omissione graviter culpabili diligentiæ debitæ. Cajet. p. 2. q. 76. ar. 4. docet, id esse verum in peccatis contra jus naturæ, non contra jus positivum. Azor. & Vasq. p. 2. dist. 101. c. 5. hoc esse verum in peccatis mere internis, ut in odio Dei, vel proximi in intentione non obediendi &c. non in peccatis, quæ transeunt in actiones externas. Alii demum cum Mald., & Curiele docent, ignorantiam culpabilem legis esse speciale peccatum, quod ante legis transgressionem committitur, & ideo in Confessione aperiendum. Sed communius doctrina fert apud Suar. Sanch. lib. 1. Sum. cap. 17. Bonac., Con., Dian. p. 3. tract. 4. ref. 141. universim ejusdem speciei esse peccata scienter commissa, ac commissa ex ignorantia moraliter vincibili; esto peccata commissa ex ignorantia graviter vincibili sint minus gravia, quam scienter commissa, utpote solum indirecte voluntaria, & secundum quid involuntaria. Ratio est, quia quamvis peccata scienter commissa sint magis voluntaria, atque adeo graviora, non per hoc dici debet, quod differant specie a peccatis commissis ex ignorantia vincibili; unde non est in Confessione aperienda hæc circumstantia (quæ solum est aggravans) juxta probabiliorem opinionem, quod solum circumstantiæ mutantes speciem sint aperiendæ, non vero aggravantes.

Tunc est verum, quod ignorantia vincibilis sit speciale peccatum, quando notitia aliqua præcipitur directe, ut præcipitur directe notitia mysteriorum Fidei, præceptorum Decalogi, & notitia eorum, quæ spectant ad munus proprium, puta Confessarii, Judicis, &c. Quare si culpabiliter quis omittat hæc addiscere, committit speciale peccatum contra specialem virtutem Studiositatis, ut notat Fill. tract. 21. c. 10. n. 365. Quando vero ignorantia est unice removenda ad tollendum impedimentum ad executionem præcepti, tunc non est speciale peccatum distinctum a præcepti transgressione: v. g. si quis omittat culpabiliter inquirere, an crastina sit jejunandum, non jejunando committit duplex peccatum; atque adeo sufficit in Confessione dicere, Violavi jejunium præceptum. Etenim eodem præcepto, quo obligamur jejunare, obligamur ad removenda impedimenta ad jejunium, atque adeo ad inquirendum de die, quo ad illud obligamur; Unde negligens hoc inquirere solum peccat contra præceptum jejunii, & contra virtutem Temperantiæ: (quamvis si culpabiliter omittat inquirere de præcepto jejunii, & postea jejunet, non possit citra mendacium dicere, Non jejunavi, sed debeat solum exprimere culpabilem illam negligentiam). At quando v. g. Confessarius omittit discere quæ tenetur, si invalide absolveret ob eam culpabilem ignorantiam, non satis est, quod aperiat in Confessione, se invalide absolutionem contulisse culpabiliter, sed tenetur etiam aperire culpabilem negligentiam in addiscendo, quæ ad Confessarium spectant, cum hæc notitia directe præcipiatur; ut videre est apud Tannerum q. 2. disp. 4. q. 9., & Dian. loc. cit. Eodem modo qui negligit addiscere mysteria Fidei, si debito tempore ommittat elicere actus Fidei præceptos, non satis est, quod de hoc secundo se accuset, quia ea notitia est directe

præ-

præcepta, ut communiter docent cum Vasq., Fill. Sanch. lib. 1. c. 17. n. 11. contra Merollam n. 697.

XIV. Inquirit Sanch. l. 1. An saltem specie differant peccata commissa ex ignorantia vincibili affectata a peccatis scienter commissis? Palaus l. 1. tr. 2. disp. 1. pun. 16. putat differre specie, si ignorantia affectetur ad liberius peccandum. Navarrus hanc esse circumstantiam notabiliter aggravantem. Sanch. tamen distinguit; Si enim affectetur ignorantia ad liberius peccandum, ita ut subsit periculum committendi alia peccata, certe ratione talis periculi contrahitur malitia specie diversa; ex. gr. Socrates volens cognoscere fœminam affectet ignorare quænam illa sit, vel ut liberius peccet, vel ne culpa sit adeo gravis; si exponitur periculo committendi Adulterium, aut Incestum, aut Sacrilegium, tot peccata committit, quot committendi periculis se exponit: Si vero hujusmodi periculum non subsit, (ut si sciat fœminam alio statu, quam conjugatæ carere, affectetque inquirere, num sit conjugata, ad liberius peccandum) tunc non contrahit nisi malitiam adulterii, non secus ac si certo sciret illam esse conjugatam; unde circumstantia hæc ignorantiæ affectatæ non est in Confessione explicanda.

XV. Difficultas demum est, An ignorantia invincibilis concomitans excuset a peccato formali, seu a malitia objecti sic invincibiliter ignorati? V. gr. si quis jaciat sagittam, & occidat hominem invincibiliter putatum feram, eo tamen animo, ut si sciret ibi esse hostem, etiam jaceret sagittam.

Ad quod dicendum, quod si solum detur ea habitualis animi dispositio, ut id vellet, si adverteret, non tamen detur actualis illa voluntas peccaminosa, tunc nullum peccatum committatur, ut notat Sanch. l. 1. c. 16. n. 14. Si vero detur illa actualis voluntas conditionata occidendi hostem, si forte adesset, procul dubio hic actus internus erit peccaminosus. Verum si cum hoc interno actu peccaminoso conjungatur hostis occisio, irregularitas non incurritur, nec excommunicatio, si hostis sit Clericus, nec onus restitutionis, ut docent communius cum eod. Sanch. contra Durand., & Gabriel. Ratio est, quia actus ille externus non causatur a voluntate illa conditionata peccaminosa, sed a voluntate absoluta occidendi feram; unde ille externus actus non contrahit malitiam ab eo interno, a quo imperatur; Cum autem ad incurrendam irregularitatem, excommunicationem, & onus restitutionis requiratur actus externus graviter peccaminosus, atque adeo ortus ab interno graviter culpabili, idcirco in hoc casu istæ pœnæ non incurruntur.

PROPOSITIO III.

Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam.

S I N O P S I S.

I. Nibil mirum, quod Jansenii Asseclæ imperviam velint viam mandatorum Dei, negando licitum usum opinionis Probabilissimæ in conflictu Tutioris, si cum Jansenio negant in natura lapsa vires ad implenda Divina mandata.

II. Explicatur sensus hujus thesis Tutioristarum; & in quo differat opinio probabilissima a moraliter certa. III. Videntur hanc thesim suadere Sacri Canones, & Scripturæ; Videturque legem Divinam contemnere, qui sequitur opinionem probabilissimam faventem libertati, omissa tutiore favente legi: Aliter id etiam liceret in Sacramentorum administratione.

IV. At opinio probabilissima est practice probabilis, cum sit juxta Spiritus S. consilium, & juxta dictamen rationis.

V. Quamvis opinio favens legi sit tutior, adhuc probabilissima favens libertati est tuta: Aliter Divina lex esset humanis humeris impar: Hinc scrupulos hujusmodi opinio admittit, non ut advertendos, sed ut contemnendos.

VI. In dubiis tutior pars est eligenda ex consilio, non vero ex præcepto; nisi forte dubium sit practicum.

VII. Non tenemur vitare peccata materialia; aliter nemo posset obtemperare Superiori præcipienti aliquid probabiliter honestum, si illud sit etiam probabiliter inhonestum; nec licite miles pugnaret in bello probabiliter tantum justo.

VIII. Non contemnit Divinam legem, qui non sequitur sententiam legi faventem, per hoc, quod id sibi hic & nunc permittatur.

IX. Sicut in procuranda nostra salute non tenemur ad tutissima, inquirendo certitudinem metaphysicam, sed moralem; ita nec in administratione Sacramentorum.

X. Hinc licitum est adhibere in Sacramento Pœnitentiæ Attritionem, omissa contritione tutiore; nisi forte alicui opinio de sufficientia Attritionis appareret solum probabilis, non vero moraliter certa, sive probabilissima.

XI. Hinc licitum est universim sequi opinionem probabilem, omissa probabiliori; nisi detur certa lex obligans ad probabiliorem, aut ad moraliter certam.

XII. Non irrogatur injuria legi Divinæ sequendo opinionem minus probabilem in conflictu probabilioris; licet irrogetur injuria in Sacramentis sequendo opinionem probabilem de eorum valore in conflictu tutioris.

XIII. Opinio minus probabilis quandonam desinit esse probabilis per hoc, quod sit in conflictu probabilioris?

XIV. Quando non pendet ex dictamine rationis de probabilitate opinionis, quando damnum aliquod declinetur, tunc non est licitum sequi opinionem minus probabilem. XV. Licetne sequi opinionem probabiliter probabilem. XVI. Tutiorismum docet, qui contendit, unice Scripturæ, Conciliis, & Sanctis Patribus studendum, ac fidendum, neglecto studio Scholasticorum, & Moralistarum. XVII. Sicut non satis est studium Sacrorum Bibliorum, neglecto studio SS. Patrum, qui manuducant ad percipiendum legitimum sensum Scripturarum; ita non satis est studium Scripturarum, ac SS. Patrum, neglecto Doctorum studio, qui ad percipiendam legitimam mentem SS. Patrum manuducant: Præsertim in iis quæstionibus, de quibus nulla fit mentio apud Sanctos Patres.

I. Exponitur. Sinnichius (*a*), & alii Tutiorismi Sectatores errorem hunc ex Jansenii penu depromptum in medium protulerunt, quo via ad salutem intercluditur ob moralem impossibilitatem assequendi semper quod est tutissimum. Schola isthæc Tutioristarum, & Rigoristarum ita textus, & Canones Sacros, ac Sanctos Patres adhortantes ad æmulandum Charismata meliora interpretatur, ut velit non esse opus consilii, sed præcepti, via tutissima ince-

incedere. Proinde docet nunquam licere sequi opinionem libertati faventem adversus aliquam legem, tametsi ea probabilissima, & recepta communiter censeatur: quod est, onus Christi leve, & jugum suave reddere intolerabile, & viam, quæ ducit ad vitam, reddere non quidem arctam, sed imperviam; cum superet vires humanas assequi semper, quod est tutius, atque adeo quod est perfectius, ut innuimus in expositione primæ propositionis Innoc. XI. Nec mirum, quod hoc doceant Asseclæ Jansenii, cujus erat prima illa ex quinque propositionibus damnatis ut hæreticis, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent, vires, sunt impossibilia, deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.*

(a) ,, P. Concina T. I. *hist. Probab. p.* 374. hæc habet. *Prima però di farmi a parlare dell' abuso della proposizione condannata, opportuno giudico di accennare gli Autori, cui tale proposizione viene attribuita tanto da questo Autore, quanto dal P. Domenico Viva. Ambedue l' ascrivono in primo luogo a Giovanni Sinnichio.* Sinnichius, & alii Tutiorismi sectatores errorem hunc ex Jansenii penu depromptum in medium protulerunt. *Così scrive il P. Viva ne' Comentarj sopra tal proposizione n. 1. Io mi protesto di non voler prendere impegno alcuno per la difesa di Sinnichio, o della dottrina di lui. Dirò solo d'aver letto con qualche diligenza i Capitoli 95. 96. e seguenti del suo libro intitolato Saul exrex, dove tratta del probabilismo, per chiarirmi di questo fatto; e non ho ritrovato altro, che abbia rapporto alla dannata sentenza, se non quanto segue.* Notatu dignum Lactantium loqui non de opinione improbabili, sed simpliciter falsa, qualis potest esse quæ non solum probabilis, sed etiam probabilissima existit. Sicut enim opinio sive minus probabilis sive etiam minus quam probabilis potest esse vera: ita ex adverso opinio probabilior vel etiam probabilissima potest esse falsa. Quandiu ergo intra limites probabilitatis hæretur, errandi periculo non plene obviatur. In materia autem morum necessaria prout ex Lactantio mox audivimus, si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. *Se in questa dottrina contengasi la dannata sentenza, come giace, ne lascio ai Sapienti il giudizio.* Anche giudicando dal solo testo qui descritto, *inquit Richelmmius p. 9.* pare assai chiaro, che i Sapienti ragioneranno così. *Si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur*; Dunque *si quid fuerit erratum*, si pecca mortalmente; ma l'opinione *etiam probabilissima potest esse falsa*, e di più seguendola *errandi periculo non plene obviatur*: ora secondo il testo, pericolo di *errare*, e pericolo di *peccare mortalmente* è lo stesso, poichè *si quid fuerit erratum* &c. Esporsi al pericolo di peccare mortalmente certamente *non licet*: adunque secondo Sinnichio, che adotta il sentimento di Lattanzio (qual egli lo suppone) *non licet sequi* &c. accennare qui la distinzione di peccato *materiale, e formale*, sarebbe trarsi dietro le fischiate di *Sinnichio*, e de' suoi amici, che se ne ridono come di una follia probabilistica, esclusa manifestamente dalle parole *si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur*. Ho detto *sentimento di Lattanzio, qual' egli lo suppone*; perchè sarebbe qui perder il tempo entrare in cotal discussione; per accertare i sentimenti degli antichi è bene spesso necessario esaminare lunghi contesti, paragonare assieme diverse parti de' loro scritti, mirarne lo scopo, le circostanze &c. Qui si ragiona di Sinnichio, non di Lattanzio, il quale quando pur fosse stato di quel parere; ci atterremmo al decreto di Alessandro VIII., e lascieremmo non solamente lui, ma qualunque Santo Dottore più cospicuo: poichè nello stesso decreto fu dannata anche la 30. proposizione a gran dispetto de' partigiani delle Dottrine di Bajo, e di Giansenio. *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.*

,, Risponderanno per tanto al P. Concina i Sapienti, che se con la formola *come giace* il P. dimanda, se in Sinnichio sia la proposizione con le stessissime parole poste nel decreto di Alessandro, non è *come giace*: ma se dimanda se sia il medesimo sentimento espresso con più parole; vi è *come giace*. Così risponderanno, altro pur non mirando che il testo del P. Concina descritto: che se i *Sapienti* avranno il comodo di leggere il capo 95. di Sinnichio, aggiungeranno, la risposta potersi ancora confermare col testo precedente al rapportato dal P. Concina. Eccolo. *Nemo nescit humanam quamcumque opinionem, eo ipso obnoxiam esse periculo erroris, quod non transcendat limites probabilitatis. Si igitur contingat eam re ipsa errare, prout contingere potest, quisquis ei se in operando vel otiando conformaverit, opinione falsa decipietur. Non ergo ad vitam, sed ad mortem verget: dicente Lactantio In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit, ubi notatu dignum est, &c.*

,, Prosegue il P. in quel n. 45. *Sinnichio fu zelantissimo difensore del Probabilismo, come altrove s'è detto. L' abbandonò per non saperlo difendere nelle quistioni sopra il diritto naturale, nel quale egli non ammette ignoranza invincibile ed in conseguenza neppur la probabilità: vuole in tali materie la verità. Se altrove rifiuti eziandio nelle Controversie delle leggi positive il lecito uso della sentenza probabilissima, io no'l sò, nè curo di saperlo.* Su qual fondamento asserisca il P. M. Rev. che *Sinnichio fu zelantissimo* &c. io no'l so, nè curo di saperlo; so bene, che il P. non espone a dovere il sentimento di Sinnichio del cap. *96.* quale per altro egli si dichiara aver letto *con qualche diligenza*. Dice che Sinnichio nel diritto naturale *non ammette ignoranza invincibile*. Si confronti questo col principio del cap. *96. Huic doctrinæ elucidandæ serviet sententia Doctorum de ignorantia rerum agendarum. Ubi enim hæc excusat a culpa, etiam probabilitas opinionis ea subnixæ excusare poterit: secus ubi illa non excusat. Quapropter quotquot censent ignorantiam juris saltem naturalis non excusare a culpa operantem ex ipsa, consequenter censere debent probabilitatem opinionis ea subnixæ nequaquam excusare opinantem, & ex tali sua opinione quantumvis probabili operantem. Censent porro illud authores classici, quorum* ,, *sen-*

„ *sententiam in negotio salutis æternæ nemo pru-* „ *dens contempserit, aut contra eam operans secu-* „ *rum se esse existimaverit*. Dove si trova nel testo „ addotto l'aggiunto d'*invicibile* unito all'*ignoran-* „ *za*, co'l quale aggiunto per sua grazia il P. Con- „ cina l'accompagna? vi è sillaba, che additi la „ distinzione di doppia ignoranza *vincibile*, ed *in-* „ *vincibile*? Non pare che sia qui la 2. proposizio- „ ne dannata da Alessandro VIII. *come giace*, an- „ che inquanto alle parole almeno in parte? *Ta-* „ *metsi detur ignorantia invincibilis juris naturæ*, „ *hæc in statu naturæ lapsæ operantem ex ipsa non* „ *excusat a peccato formali*. Si noti in Sinnichio, *non* „ *excusare a culpa operantem ex ipsa*. Perchè il „ P. Concina come ha prodotto un testo del cap. „ 95. lasciandone ai *Sapienti* il giudizio, non ha „ prodotto anche questo del cap. *96.*? temeva for- „ se, che il *come giace* saltasse qui più facilmente „ agli occhi de' *Sapienti*? E sì che il P. Viva gli „ ha data tutta l'occasione di favellare di questo „ c. *96.* di Sinnichio: poichè come per la 3. pro- „ posizione *Non licet* &c. ha nominato Sinnichio, „ così l'ha nominato per la 2. *Tametsi detur* &c., „ e notando espressamente in *Saule Exrege Lib.* 1. „ *c. 96.* Hæc Richelmius.

II. Putavit nonnemo apud P. Thyrsum Gonzalez dissert. 10. cap. 2. stare posse, quod non liceat universim sequi opinionem probabilissimam, ubi ea favet libertati adversus legem; liceat tamen probabilissimam sequi solum, quando utraque pars subest periculo peccati materialis: V. g. quod possit Judex damnare illum, qui secundum allegata, & probata est reus, quamvis privata notitia sciat illum esse innocentem, ut docet D. Thomas, & quod possit illum servare indemnem, ut docet Scotus: unde fit merito thesim istam proscribi, si etiam in hoc secundo sensu intelligatur. Verum, ut ipse P. Thyrsus advertit, Pontifex damnat hanc thesim in eo sensu, quo damnari debuit: at in hoc secundo sensu non debuit damnari, eo quod nemo hoc in dubium revocaverit: ergo damnari debuit in eo primo sensu, in quo Sinnichius, & alii Tutioristæ illam docuerunt, putantes tutiorem partem semper esse eligendam, atque adeo partem faventem legi, quamvis pars favens libertati sit probabilissima, aut etiam moraliter certa; exempl. grat. contritionem in Sacramento Pœnitentiæ adhibendam esse, non vero attritionem; esto moraliter certum sit, quod attritio sufficiat, tum ob inconcussam Tridentini auctoritatem, tum ob validissimas rationes, quæ pro illa passim adducuntur, ut dicemus in 15. thesi Alex. VIII.

In eo autem differt opinio probabilissima a moraliter certa, quod illa tot habeat pro se rationum momenta, ac tanta Doctorum auctoritate muniatur, ut inter opiniones probabiles principem locum obtineat, intra fines tamen probabilitatis se contineat, eo quod careat fundamento inducente vi sua necessitatem assensus; unde non excludit omnem prorsus etiam levem formidinem, ne res aliter sit, quam judicetur: Contra vero moraliter certa, ac evidens ad assensum necessitat, & formidinem omnem prudentem de opposito excludit. Quia tamen certitudo moralis non consistit in indivisibili, & supremum infimi attingit infimum supremi, ideo poterit supremus gradus probabilitatis attingere infimum gradum moralis certitudinis; ita tamen, ut nunquam suprema probabilitas dici possit proprie, ac presse certitudo.

III. Venio nunc ad rationes Tutioristarum. Et prima videtur e Sacrorum Canonum fonte derivari: Etenim in Cap. *Juvenis* de Sponsal. dicitur: *In dubiis tutior pars est eligenda*. Et in cap. *Si quis autem*, de Pœnis qu. 3. dicitur: *Tene certum, dimitte incertum*.

Secunda, quia periculo peccati se exponere peccatum est, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: atqui sequi probabilissimam faventem libertati, omissa tutiore favente legi, est exponere se periculo peccati: ergo id culpa non vacat.

Tertia, quia videtur legem contemnere, qui sequitur probabilissimam, omissa tutiore favente legi; cum videatur intra se dicere, Volo prosequi, quod mihi placet, nihil morando, quod in hac operatione subsit periculum transgrediendi legem: ergo ut prius.

Quarta, quia si liceret sequi opinionem probabilissimam, omissa tutiore, eo quod in hac opinione solum subsit periculum transgrediendi legem materialiter, sequeretur, quod liceret universim, etiam in administratione Sacramentorum, sequi opinionem probabilem, omissa probabiliore; quia pariter dici potest, quod in hac opinione periculum subsit peccati duntaxat materialis, non formalis; Nam dum prudenter quis operatur juxta opinionem probabilem, nunquam peccat formaliter; sicut non peccat formaliter, dum sequitur probabilissimam, omissa tutiore: ergo.

IV. Ostenditur falsitas: quia probabilissima sententia dicitur illa, quæ validissimo fundamento nititur, habetque pro se suffragium plurimorum Sapientum: Hæc autem, quamvis ad moralem certitudinem non pertingat, ita ut dici possit moraliter certa, adhuc est practice probabilis, cum non possit practice errare, qui sequitur Spiritus S. consilium, atque adeo dictamen rationis: Dicitur enim Eccl. *6.* *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ illorum ex corde conjungere*: ergo licite potest sequi probabilissimam sententiam faventem libertati, omissa tutiore favente Legi.

V. Ratio a priori est, quia quamvis Sententia favens legi sit tutior; at favens libertati, si sit probabilissima, adhuc est tuta; sicut opinio moraliter certa, quæ favet libertati, tuta est, quamvis opinio favens legi sit tutior. Esto enim opinio moraliter certa omnem prudentem formidinem de opposito excludat; opinio vero probabilissima, si ad moralem certitudinem non pertingat, admittere possit aliquam levem formidinem de opposito; nihilominus levis isthæc formido in humanis actionibus est contemnenda; sicut qui scrupulis angitur, debet eos contemnere, ne in angustias, ac in desperationem redigatur: ergo opinio probabilissima favens libertati adversus legem, non secus ac opinio moraliter certa, est absolute tuta, quamvis opposita sit tutior. Hinc docuit Nider apud P. Paulum Segneri in Epist. de Probab. *Non oportet semper tutiorem eligere de necessitate salutis, sed sufficit tutam eligere*; Nam ut addit Giballinus ibid. *Tutior est gradus comparativus præsupponens positivum, scil. aliam esse tutam Propositionem*.

Ratio

Ratio autem cur non obliget Deus non ad sequendum quod tutius est, sed sufficiat universim via tuta incedere, atque adeo juxta probabilissimam, & fere omnium opinionem, est, quia aliter lex Divina esset onus impar humeris humanis, spes salutis esset exigua, hominesque facile jugum excuterent, interim libertati, ac vitiis se darent, ut docuit D. Tho. 2. 2. q. 20. ar. 4. dicens: *Sublata spe, irrefrenate homines labuntur ad vitia, & a bonis laboribus retrahuntur*. Propterea in Reg. Jur. 31. in 6. dicitur: *Qui certus est, certiorari ulterius non oportet*; Sufficit enim ad humanas operationes certitudo moralis, quin requiratur certitudo metaphysica, quæ est moraliter impossibilis, & homines ad angustias, & desperationem incitaret: Et ob eandem rationem sufficit opinio probabilissima; quamvis enim utraque opinio tam probabilissima, quam moraliter certa aliquos scrupulos admittat, nihilominus, ut notat Gerson, scrupulos admittit, non ut advertendos, sed ut contemnendos, cum ex Philosopho æque vitiosum sit, Mathematicum quærere persuadentem, quam Moralem quærere demonstrantem. Ex quibus fit, opinionem probabilissimam esse formaliter tutissimam, licet non sit tutissima materialiter.

VI. Ad primam rationem in contrarium dicimus, In dubiis tutiorem partem esse eligendam solum ex consilio, non ex præcepto; aliter via, quæ ducit ad vitam, esset impervia, ut ostendimus, si non sufficeret opinio probabilissima, nedum moraliter certa, in conflictu tutioris. Hoc docuit D. Antoninus in Summa p. 1. c. 10. dicens: *Eligere viam tutiorem consilii est, non præcepti, aliter oporteret multos ingredi in Religionem, in qua tutius vivitur, quam in sæculo*. Tunc in dubio tutius est eligendum, quando dubium est practice practicum: E. g. qui dubitat, an pingere die festo sit peccatum, non potest pingere, antequam dubium deponat per rationem aliquam probabilem, aut per sufficientem auctoritatem Doctorum: quia aliter exponendo se periculo proximo peccandi, peccaret, juxta illud Eccl. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*: Et ex Apostolo, *Quod non est ex fide peccatum est*, hoc est, quod bona fide non creditur vacare culpa, nequit citra culpam poni: At quando dubium est mere practicum, non practice practicum v. g. Num liceat cum sola attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere; cum sententia favens libertati sit probabilissima, imo etiam moraliter certa, adeo ut DD. communiter censeant oppositam post Tridentinum carere probabilitate, (quamvis pro ea plures DD. adducantur a Suario disp. 20. de Pœn. sect. 1. nempe Magister Sentent., Hug., Richar. Alens., Bonav., Gabr., Major, Medin., Adria., Sot.) possumus absque periculo proximo errandi, & absque ulla prudenti formidine attritionem adhibere tanquam tutam, omissa contritione, licet tutiori. Si sententia de sufficientia Attritionis esset duntaxat probabilis, aut probabilior opposita, cum de essentia opinionis probabilis sit obscuritas, incertitudo, formido de opposito, & periculum errandi, certe non liceret illam adhibere; At cum ea sententia sit moraliter certa, adhibendo attritionem, omissa contritione tutiori, non adhibemus materiam incertam, nec subest formido prudens, aut periculum proximum frustrandi Sacramentum, & ideo satisfacimus illi præcepto, *Tene certum, dimitte incertum*.

VII. Ad secundam: diximus opinionem probabilissimam esse formaliter tutissimam, quippe quæ non subest periculo proximo errandi; unde licitum est illam sequi, cum non teneamur evitare etiam periculum remotum; aliter, ut loquitur Apost. 1. ad Cor. 5. *Debueramus ex hoc mundo exisse*: Nec tenemur vitare etiam peccata materialia; aliter nemo posset obtemperare Superiori præcipienti aliquid probabiliter honestum, si simul sit probabiliter inhonestum id, quod præcipitur: nec posset miles militare, ubi bellum est tantum probabiliter justum; cum tamen Aug. relatus in cap. *Quid culpatur in Bello* 23. q. 1. doceat id licere, quamvis multa homicidia materialiter inde sequantur.

VIII. Ad tertiam: Non contemnit legem Divinam, qui operatur juxta opinionem communem probabilissimam; hic enim non dicit intra se, Volo quod mihi favet, etiamsi subsit periculum transgrediendi legem, sed dicit, Volo hoc, quod mihi favet, quia ex Dei benignitate mihi permittitur, illud non positurus, si prohiberetur.

IX. Ad quartam: diximus in Sacramentis administrandis non esse licitum sequi opinionem probabilem omissa tutiori; quia de ratione opinionis probabilis est incertitudo, & formido de opposito; licitum tamen esse sequi probabilissimam, aut saltem moraliter certam, omissa tutiore, quia illi non subest incertitudo, nec prudens formido. Et sane non major certitudo requiritur in Sacramentis administrandis, quam in procuranda nostra salute: sed ad hanc sufficit certitudo moralis; aliter qui in articulo mortis posuit actum Contritionis v. grat., deberet iterum iterumque conari ad novos, & intensiores actus eliciendos, ut majorem habeat certitudinem; unde non esset verum, quod dicitur 1. Jo. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*: ergo etiam certitudo moralis sufficit in Sacramentis administrandis, quin sola probabilitas sufficiat, ne Sacramentum exponatur periculo frustrationis. Et ideo communiter DD. docent, sufficere in Sacramento Pœnitentiæ Attritionem, omissa Contritione tutiore; Immo etiam sufficere Jurisdictionem probabilem, quia scil. probabilissimum est illam suppleri ab Ecclesia Parente benignissima, si forte desit; non secus ac suppletur Jurisdictio, quando habetur error communis cum titulo colorato, ex l. *Barbarius* ff. de Off. Prætoris.

X. Ubi adverto, quod sicut potest aliqua opinio esse de se tenuis probabilitatis, mihi tamen apparere invincibiliter solide probabilis, in quo casu non pecco illam deducendo in praxim; ita vice versa poterit sententia de sufficientia Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ esse de se non solum probabilissima, sed etiam (ut de facto est) moraliter certa, & tamen mihi apparere solum probabilis: in quo casu certe non liceret mihi illam adhibere, cum non liceat juxta dicta in expositione primæ propositionis Innoc. XI. tam in Sacramentis conferendis, quam etiam in suscipiendis sequi opinionem de eorum valore minus tutam. Ex dictis etiam cum de 3. prop. Innoc. XI. constat, opinionem esse tenuis probabilitatis, si v. g. fundamentum sit de se grave absolute, non tamen grave comparative ad momenta partis oppositæ: Propterea si quis solum advertat ad fundamentum hujusmodi de se grave, & invincibiliter non advertat ad momenta partis oppositæ, ratione quorum fundamentum illud est simpliciter leve, & opinio illa est tenuis probabilitatis, non peccabit deducendo in praxim hujusmodi opinionem, idque per accidens, non per se. Huc etiam facit quod licet ad credendum Fide Divina aliquod mysterium requiratur evidentia moralis credibilitatis,

quin sufficiat mera probabilitas de existentia Relationis, ut constat ex propositione 21. Innoc. XI.; nihilominus rudes, & pueri credere possunt Fide Divina, quod sibi a Parocho proponitur credendum; quia sc. auctoritas Parochi, etsi de se non sit tanta, ut pariat evidentiam moralem, relate ad rudes vero, & pueros parit sufficientem evidentiam moralem, quoties carent motivo ad suspicandum de inscitia, aut mendacitate Parochi: Quare similiter poterit aliqua opinio esse de se probabilissima, aut etiam moraliter certa, & simul alicui apparere duntaxat probabilis solum speculative, & non practice; in quo casu illicitum erit, quamvis per accidens, sequi hujusmodi opinionem de se probabilissimam, aut etiam moraliter.

XI. Ex hactenus dictis infertur, universim in humanis actionibus licitum esse sequi opinionem probabilem, omissa probabiliori, dummodo ea sit veræ, ac solidæ, non tenuis probabilitatis, nec detur certa lex obligans ad probabiliorem, prout datur v. gr. in administrandis Sacramentis, & sicut Judex in judicando tenetur sequi probabiliorem, & Medicus adhibere pharmacum probabilius curativum; & hac de causa non potest ab Infidelitate excusari Infidelis non credens ductus opinione minus probabili. Ratio, cur liceat universim sequi opinionem minus probabilem, est, quia sententia ista est probabilissima, solidissime fundata, ac fere omnium, ut videre est apud Terillum contra paucos, quos recenset Arsdekin: Immo dici potest moraliter certa; sicut enim opinio de sufficientia Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ dicitur moraliter certa, quamvis adversus illam nonnulli sentiant; ita in casu nostro; non obstat enim morali certitudini, ac securitati sententiæ communissimæ, quod nonnulli secus opinentur; nam, ut notat idem Terillus q. 2. nu. 70. major probabilitas unius partis, quando est notabiliter major, pertingere potest non solum ad supremum gradum probabilitatis, sed etiam ad certitudinem moralem. Ratio potissima hujus sententiæ est ex Sanchez l. 1. c. 9. n. 14., quia sequens opinionem solide probabilem in conflictu probabilioris imprudenter operatur, cum omnis opinio probabilis apta nata sit inducere prudentem assensum; nec exponitur periculo peccandi formaliter (ita sc. ut peccatum illi imputetur) sed solum materialiter (ponendo sc. quod a parte rei peccatum est) quia nemo tenetur ponere, quod est tutius, ac perfectius; Si enim in moralibus ad id nos Deus obligasset, onus esset intolerabile, ac multis scrupulis expositum; cum moraliter impossibile sit semper investigare majorem probabilitatem opinionis, & nimis arduum semper ad tutiora obligari; unde Sylv. V. *Confessio*, dixit: *Licet sit tutius statim habita opportunitate confiteri, quam differre; non tamen tutius est tenere, quod sic obligemur; quia viri timorati haberent maximas occasiones peccandi*.

XII. Oppones: Sicut injuria irrogatur Sacramentis, si in eorum administratione sequimur opinionem minus probabilem, ita injuria irrogatur legi Dei, sequendo opinionem minus probabilem faventem libertati: ideo enim in primo casu irrogatur injuria Sacramentis, quia exponuntur periculo frustrationis, quod est contra reverentiam iis debitam: sed in secundo casu exponitur lex Divina periculo transgressionis: ergo pariter Divinæ legi injuria irrogatur: atque adeo in neutro casu licitum est sequi opinionem minus probabilem.

Respondeo non irrogari injuriam legi Dei ab eo, qui sequitur opinionem probabilem faventem libertati, etiamsi probabilior sit opinio favens legi: Siquidem ille paratus est Legi Divinæ obtemperare, quoties constat Deum velle obligare: Idcirco autem irrogatur injuria Sacramentis sequendo opinionem minus probabilem in eorum administratione, quia cum opinio probabilis sit formidolosa, & incerta, incertus esset valor Sacramenti, unde exponeretur periculo frustrationis: At quamvis opinio probabilis favens libertati sit incerta, certum tamen est nos non peccare, quoties prudenter operamur sequendo ductum opinionis probabilis: ergo dispar ratio. Propterea ex dictamine rationis constat, quod si in humanis actionibus opinio aliqua sit probabilis, prudenter, ac licite juxta illam operamur, eo quod nullum aliud ex ea periculum subsit, quam peccati materialis, quod vitare non tenemur (aliter nec possemus sequi opinionem probabilissimam, omissa tutiori) unde non irrogatur injuria legi Divinæ: Contra vero ex ipso etiam rationis dictamine constat, quod si opinio aliqua de valore Sacramenti sit solum probabilis imprudenter, ac illicite juxta illam operemur, eo quod periculum subsit frustrandi illud; quod citra gravem injuriam adversus Sacramentum non contingit: ad eum modum quo injuriam irrogat ægroto Medicus sequendo opinionem minus probabilem in curando, quia ex notitia speculativa, quod ea opinio sit probabilis, non fit, quod ægrotus non exponatur periculo mortis: idemque dicas de Judice, si sequatur opinionem minus probabilem, & de Infideli qui vult sequi sectam suam ductus opinione minus probabili.

Neque dicas, opinionem minus probabilem secundum se consideratam esse probabilem, ac reddere operationem prudentem, ac licitam, non tamen quando est in conflictu probabilioris: Sicut pondus minus grave in lance positum secundum se lancem inclinat; at non quando in opposita lance habetur pondus gravius: Sic auctoritas unius hominis omni exceptione majoris secundum se inducit ad assensum prudentem; non tamen quando oppositum testantur decem, aut mille homines ejusdem auctoritatis.

XIII. Nam contendimus opinionem posse esse probabilem, & inducere assensum prudentem in conflictu probabilioris, dummodo excessus opinionis probabilioris non sit tantus, ut pariat quandam certitudinem moralem. Sic D. Thom. in 4. dist. 16. q. 4. ar. 2. q. 1. habet: *Quidam dicunt, quod omnes circumstantias, quæ aliquam notabilem quantitatem peccato addunt, necesse est confiteri, si memoriæ occurrant: Alii vero dicunt, quod non sunt de necessitate confitendæ nisi circumstantiæ, quæ ad aliud peccati genus trahunt; & hoc est probabilius*. Ecce quomodo Angelicus docet, aliquam opinionem posse esse minus probabilem conflictu probabilioris. Ratio a priori est, quia propositio dicitur probabilis, quæ nititur motivo, quod plerumque cum veritate conjungitur; in quo sensu Philosophus docet, Probabile esse, quod plerumque contingit: atqui potest aliqua opinio, v. gr. quod circumstantiæ aggravantes in Confessione sint aperiendæ, niti motivo, quod plerumque cum veritate conjungitur, & opposita propositio niti alteri motivo, quod etiam plerumque, imo sæpius conjungitur cum veritate: ergo ex duabus opinionibus oppositis potest utraque esse probabilis, & altera esse probabilior. Neque enim motiva, quibus nituntur opiniones, se habent ut pondera ejusdem rationis posita in duplici lance; ista enim ob homoge-

geneitatem invicem se elidunt, & impediunt lancis descensum. Hinc in quæstionibus Facti verum est, quod testimonium unius elidatur a testimonio plurium, qui testantur oppositum, quia sunt ejusdem rationis auctoritates horum testium, ut dicitur de ponderibus in diversa lance: At in quæstionibus Juris momenta rationum sunt heterogenea, & ideo non eliduntur. Quando vero spectatur auctoritas extrinseca relate ad aliquam opinionem, in tantum potest censeri probabilis aliqua opinio, quam docent decem Auctores graves in conflictu probabilioris oppositæ, quam docent v. gr. viginti ejusdem notæ Doctores, quia possumus prudenter inclinari ad dicendum, momenta rationum ab intrinseco quibus nituntur illi decem Doctores, esse valida, & plerumque cum veritate conjungi, prout illi docuerunt; quamvis momenta rationum pro parte opposita, quam docent viginti Auctores, plerumque pariter, & sæpius cum veritate conjungantur: & idcirco poterit utraque opinio esse probabilis ab extrinseco, & altera probabilior.

XIV. Replicabis. Imprudenter operatur, qui adhibitis v. gr. triginta Consiliariis ad aliquid agendum, puta ad iter periculosum arripiendum, vel ad pharmacum sumendum, quod potest mortem causare, sequitur consilium paucorum, neglecto consilio plurium: ergo imprudenter operatur, qui sequitur opinionem aliquorum DD., posthabita opinione plurium sentientium oppositum: atque adeo nequit opinio aliqua esse probabilis solum ab extrinseco in conflictu probabilioris.

Respondeo argumentum probare nimis, quod scilicet neque possimus sequi probabilissimam in conflictu tutioris, cum nemo prudenter operetur sequendo consilium prudentissimum, & probabilissimum in humanis, omisso tutiori. Quare disparitas est, quia sicut non licet in sacramentis conferendis sequi opinionem minus probabilem, eo quod non pendeat a notitia speculativa de probabilitate opinionis validitas Sacramenti; ita quia non pendet a prudenti Consilio, quod iter sit felix, quod pharmacum sanet, idcirco neque licet uti in his casibus opinione minus probabili, imo nec probabilissima, omissa tutiore: Contra vero quia ex dictamine rationis de probabilitate opinionis pendet, quod formale peccatum vitetur, ideo licet uti non solum opinione probabilissima in conflictu tutæ, sed etiam minus probabili in conflictu probabilioris: Hoc enim exigit jugum suave, ac onus leve Divinæ legis, ut fert communissimus Theologorum sensus contra nonnullos Probabilioristas

XV. Utrum autem licitum sit sequi opinionem probabiliter probabilem, an vero ad prudenter, & licite operandum requiratur, quod opinio sit certo probabilis? Subtiliter pro utraque parte ratiocinantur DD.: quorum momenta perpendimus in expositione propositionis 3. Innoc. XI., ubi diximus, probabilius videri, quod opinio probabiliter probabilis non sit dicenda absolute probabilis: Sicut enim certitudo, aut evidentia de probabilitate opinionis non transfundit certitudinem, aut evidentiam in ipsam opinionem: ita probabilitas de opinionis probabilitate nec transfundit probabilitatem in ipsam opinionem. Existimo tamen hac in re non omnes convenire in stabilienda opinione probabiliter probabili, & idcirco non omnes in re ipsa dissentire, quamvis in oppositas partes abire videantur. Illud est certum, Pontifices tam scopulum extremæ laxitatis detexisse, damnando, quod sufficiat ad prudenter, ac licite operandum opinio tenuis probabilitatis, quam scopulum nimii rigoris, damnando, quod non sufficiat opinio probabilissima, esto non sit tutissima; quia scilicet tam laxitas opinionum, quam nimius rigor naufragium fert animarum: eas enim, quas dæmon inducere in laxitates non potest, inducere tentat in rigorem, ut sic in animi abjectionem, ac desperationem inducat. Quamvis autem Pontifices nihil definierint aut de Probabiliorismo, aut de opinione probabiliter probabili; quia tamen ad utrumque scopulum vergunt ex una parte Probabiliorismus, & ex altera nonnihil opinio probabiliter probabilis, ideo caute ac prudenter videtur ab utraque sententia recedendum: sic enim *Medio tutissimus ibis*.

XVI. In calce animadvertendum videtur, Tutiorismum, atque adeo thesim hanc proscriptam doceri ab iis, qui contendunt, studio Scripturarum, Conciliorum, Bullarum, ac Sanctorum Patrum unice vacandum, eorumque auctoritati unice fidendum, neglecto studio Recentiorum Scholasticorum, ac Moralistarum, eo quod hujusmodi DD. aliquando in laxitates ruerint, & theses a Pontificibus proscriptas, antequam proscriberentur, propugnarint. Verum, si attente res discutiatur, sub specie, ac larva sanæ doctrinæ latitat in hoc Tutiorismus, seu quod non liceat sequi opinionem probabilissimam, relicta tutiori: nisi velint potius docere, quod unusquisque, neglecto judicio Doctorum, sibimet fidere debeat in dubio, an aliqua operatio probabilissime dicenda sit licita, spectatis auctoritatibus Scripturæ, CC., & SS. PP.: quod esset immensum ostium laxitatibus, & erroribus aperire. Ostenditur hoc apertissime; Nam dum quæritur v. gr. An aliquis contractus sit Usurarius: An aliqua operatio sit servilis, atque adeo die festo prohibita? vel his similia, qui contendunt unice studendum, ac fidendum Scripturæ, CC., & SS. PP., a quibus solum docetur, usuram jure naturali esse prohibitam, & operationes serviles jure positivo prohiberi die festo; Vel volunt, quod quamvis spectato Recentiorum judicio, aliquis contractus (puta contractus Societatis) probabilissime tantum dicatur non esse usurarius, adhuc tamen ab eo abstinendum sit, eo quod in Scripturis, CC., & SS. PP. non reperiatur, hujusmodi contractum non esse usurarium; & aperte docent Tutiorismum, seu quod non liceat sequi opinionem probabilissimam: Vel volunt, quod quilibet marte proprio dijudicare debeat, an ex Scripturis, CC., & SS. PP. inferatur probabilissime hujusmodi contractum non esse usurarium, etiamsi DD. doceant oppositum; & manifeste docent unicuique fidendum proprio judicio; quod certe laxitatibus viam munit consularem, & adversatur Scripturæ docenti Prov. 3. *Ne innitaris prudentiæ tuæ*, & Eccl. 3. *In multitudine Presbyterorum prudentium sta, & sapientiæ eorum ex corde conjungere*.

XVII. Quare sicut ineptissime quis doceret, unice Scripturæ studendum esse; nullatenus vero Sanctis Patribus, eo quod nonnemo aliquando erraverit: ita longissime a veritate aberrat, qui docet, unice Scripturæ, & Sanctis Patribus studendum, ac fidendum esse, quin ullatenus studio DD. vacandum sit, eo quod nonnemo ex his aliquam ex confixis thesibus propugnarit. Sicut enim legitimum Scripturarum sensum, ubi sit obscurus, aut anceps, expiscari debemus a doctrina, & a communi sensu SS. PP.; ita legitimum Scripturarum, & SS. Patrum

trum

trum sensum, ubi sit obscurus, & anceps, expiscari debemus a communi Doctorum sensu: & sicut non est negligendum studium SS. Patrum, quamvis aliquis aliquando erraverit, quia nunquam est reperire, quod error irrepserit in eo, quod Patres communiter docent; ita non est negligendum studium Doctorum tam Scholasticorum, quam Moralistarum, quia quamvis aliquis aliquando erraverit, nunquam tamen est reperire, quod error irrepserit in eo, quod Doctores communiter docent. Quod luculenter constat ex iis, quæ habentur in libello Lovanii edito ann. 1689. qui inscribitur: *Sexagintaquinque propositiones nuper ab Innoc. XI. proscriptæ, a Societatis Jesu Theologis diu ante SS. Dom. Decretum consensu communissimo rejectæ*. Ex hoc itaque quod nonnulli Doctores theses proscriptas docuerint, & in laxitates ruerint, solum fit, quod caute Doctores legendi, & quod solum bene firmatus Doctorum sensus in regulam nostrarum operationum accipiendus sit. Quapropter jure merito proscripta fuit ab Alexand. VIII. propositio 27. dicens: *Si liber sit alicujus Junioris, & Moderni debet opinio censeri probabilis, dum non constet, rejectam esse a Sede Apostolica tanquam improbabilem*: Sicut adversus contendentes, quod unice Scripturæ, Conciliis, ac SS. Patribus studendum, & fidendum, merito damnatur ab Alex. VIII. propositio 30. dicens: *Ubi quis invenerit Doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*. Sæpissime enim Augustini, ac aliorum Sanctorum Patrum verba ab iis, qui proprio fidunt ingenio, in sensu alieno a mente SS. Patrum, alieno a veritate, alieno etiam a Fide Catholica accipiuntur. Et sane in Synopsi vitæ Jansenii operi ejus præfixa habetur, ipsum gloriari consuevisse, *Se decies, & amplius universa opera Augustini, attentione acri, adnotatione diligenti, libros vero contra Pelagianos facile trigesies a capite ad calcem evolvisse*: Et Jo: Wiclephi apud Valdensem t. 1. c. 2. hæc erant verba: *A multis extraneis, & Modernis dissentio, sed cum multis Sanctis Antiquis, & specialiter Augustino, convenio*: ut proinde ejus discipuli illum elato, ac famoso nomine vocarent *Joannem Augustini*: & arrogantius Jansenius se appellavit non *Jansenium Augustini*; sed *Augustinum Jansenii*: Nihilominus quia proprio fidebant judicio, in tot hæreses lapsi sunt. Idemque dicas de plurimis aliis in varios errores lapsis, ex eo quod a communi Doctorum sensu recederent in explicandis scripturis, ac SS. Patribus. Usque adeo verum est, ad veritatem assequendam nec satis esse studium Sacræ Scripturæ absque studio SS. Patrum, qui Scripturæ arcanos sensus elucident, nec studium SS. Patrum sufficere absque studio aliorum Doctorum, qui Sanctorum Patrum mentem profundo sermone expressam in bono lumine collocent. Sicut autem opiniones, quæ probabilissime juxta communem Doctorum sensum cum Scripturis, & Sanctis Patribus concordant, possunt licite in praxim deduci, etiamsi non sint tutissimæ, ut constat ex proscriptione tertiæ hujus thesis Alexand. VIII. ita quæ probabiliter duntaxat juxta gravium Doctorum sensum ex Scripturæ, & SS. PP. doctrina descendunt, licite etiam possunt in praxim deduci: dummodo uterque scopulus declinetur, quoad ejus fieri potest, & nimiæ benignitatis, quæ vergit ad execrandam laxitatem, & nimii rigoris, qui vergit ad execrandum Tutiorismum: ex utroque enim scopulo naufragium imminet animarum, ut ex proscriptis thesibus fit palam: Quamvis, (quod facile est dignoscere) turpius, ac perniciosius errarint, qui Tutiorismum sectando thesibus ab Alexand. VIII. proscriptis subscripserunt, quippe quæ Fidei doctrinam convellunt, quam qui thesibus ab Alexand. VII., & Innoc. XI. proscriptis subscripserunt sectando intolerabilem benignitatem. Uterque autem scopulus non aliter declinabitur, nisi *Manibus continue terendo Auctores Classicos*, qui pertinentes ad conscientiam quæstiones accurate pertractarint, prout loquitur D. Carolus Borromæus libello edito de ratione Confitentes rite audiendi; quod pariter monet Sanctus Franciscus Salesius in opusculo inscripto, *Admonitio ad Confessarios*. Vocanturque Auctores Classici, ut diximus ex Valentia, Vasquio, Azorio in exponenda thesi 27. Alexand. VIII. qui sint valde docti, ac pii, valdeque periti tum juris naturalis, tum positivi, qui firmis, ac validis rationibus consueverint Conclusiones fundare, discutiendo, ac dejiciendo partis adversæ fundamenta; qui veritatis potius, quam novitatis censeantur amatores, nec de facili hallucinentur.

PROPOSITIO IV.

Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus.

PROPOSITIO V.

Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam & inermem, sine omni gratia sufficienti.

SYNOPSIS.

I. Non solum Calvinus, & Lutherus, sed etiam Jansenius negavit Christum D. fudisse Sanguinem pretiosimum pro æterna salute Reproborum. II. Id tamen est de Fide. III. Novatores nunc in his Thesibus docent, Christum pro omnibus, & solis Fidelibus mortuum esse; & Infideles nullum accipere ab illo influxum, atque adeo carere gratia sufficienti. IV. Variis Scripturæ textibus, & SS. Patrum auctoritate id suadere conantur. V. Videntur gratia sufficienti carere Infideles, cum careant Fide, quæ est fundamentum, & initium salutis. VI. Scripturæ tamen, & Tridentinum aperte docent, pro omnibus omnino Christum mortuum esse. VII. Inepte dicitur, quod ly Pro omnibus *hic sumi possit pro generibus singulorum, non pro singulis generum. VIII. Aut quod Christi mors de se fuerit sufficiens pro salvandis omnibus, quin tamen a Christo fuerit oblata, & a Patre acceptata affectu serio, & quantum est de se efficaci pro omnium salute. IX. Dum dicitur, quod sanguis novi Testamenti pro multis effundetur, fit sensus juxta phrasim Scripturarum, quod effundetur pro omnibus, qui sunt multi; in hoc enim sensu ad Rom. 5. dicitur*: Unius delicto multi mortui sunt. *X. Christus semper fuit exauditus, quando aliquid postulavit voluntate absoluta, & omnino efficaci: non vero si voluntate efficaci tantum ex parte sua, & conditionata.*

Hoc pacto omnium salutem postulavit; necnon in horto, quod calix a se transiret. XI. Obtulit pretium sui Sanguinis etiam pro salute Reproborum, sub conditione tamen, quod per media a Deo ordinata propriæ satisfactiones illis applicentur; quæ conditio ob eorum culpam non purificatur. XII. Non desunt proinde auxilia supernaturalia Infidelibus. XIII. Vult enim omnes homines salvos fieri. XIV. Distinguenda tamen gratia Christi a gratia per Christum. XV. Etiam pueris decedentibus in utero matris Deus providit de sufficienti remedio ad salutem. XVI. Id tamen alii aliter explicant. XVII. Videtur proxima applicabilitas remedii dependere ab oratione Parentum.

XVIII. Sententia docens, Deum non providisse his infantibus de proxima & morabili applicabilitate Baptismi, non videtur consona Divinæ misericordiæ.

XIX. In ea tamen apte salvatur & quod Christus pro iis suam mortem obtulerit. XX. Et quod Deus velit illos salvos fieri. XXI. Discutitur, quomodo Christus sufficientiam ad salutem meruerit etiam iis, qui ipsum præcesserunt. XXII. Deus neminem in hac vita deserit post quamcumque peccatorum multitudinem; unde per ipsos stat quominus resipiscant.

I. Exponuntur. Quod Christus mortem subjerit de se sufficientem pro omnibus omnino salvandis, ideſt habentem antecedenter ad Christi oblationem, & Patris acceptationem in actu primo vim meritoriam, ac satisfactoriam de se sufficientem ad redimendos etiam dæmones, & damnatos, & ad salvandos omnes homines, ac Angelos possibiles, Hæretici ipsi fatentur. Illud Hæretici adversus Catholicos inficiantur, quod Christus D. mortem suam Patri obtulerit pro omnibus hominibus, adeo ut antecedenter ad cujusque reprobationem voluerit omnibus prodesse, non solum quoad temporaneam justificationem, & ad alia dona ordinis supernaturalis, sed etiam in ordine ad salutem æternam. Quod etiam negavit Jansenius tr. 1. lib. 2. cap. 21. col. 387. ubi habet: *Cui nullo modo prodest sanguis, & mors Christi, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus est.* Et col. 309. habet: *Christus pro infidelium in infidelitate morientium, aut justorum non perseverantium æterna salute mortuus non est, nec sanguinem fudit, nec seipsum Redemptorem dedit, nec Patrem oravit: immo non magis pro æterna liberatione ipsorum, quam pro Diaboli, deprecatus est.* Discrepat tamen Jansenius a Calvino, & Luthero, quia isti negant justificationem temporaneam etiam, ac alia dona supernaturalia Reprobis conferri ob merita Christi, atque adeo negant ullatenus Christum pro Reprobis mortem obtulisse; Jansenius vero concedit ex Christi meritis multa beneficia supernaturalia Reprobis in hac vita conferri; atque adeo Christum etiam pro reprobis quoad hoc mortuum esse; non tamen pro æterna illorum salute; quod docet lib. 3. c. 21. col. 386.

II. Adversus utramque hæresim aperte loquuntur Scripturæ: 1. ad Tim. 2. dicitur: *Deus vult omnes homines salvos fieri;* & quia nemini salus in hac providentia conceditur independenter a meritis Christi, voluit consequenter Deus pro omnium salute Christi mortem offerre. Inde dicitur 1. ad Tim. 2. *Dedit Redemptionem semetipsum pro omnibus*; & ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum*; Sicut etiam 1. Jo. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi;* & 1. ad Tim. 4. *Qui est Salvator omnium, maxime Fidelium:* quia scil. Fideles magis participant fructum Redemptionis. Quod etiam præter alia Concilia laudata a Platelio tract. 4. n. 366. definit Trid. sess. 6. c. 2. dicens: *Hunc proposuit Deus propitiatorem per Fidem in Sanguine ipsius pro peccatis nostris, non solum autem pro nostris, sed etiam pro totius Mundi*: & c. 3. addit: *& si ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur.* Quibus verbis adversus Jansenium ostenditur, Christi mortem non solum pro Electis oblatam, sed etiam pro Reprobis, qui non recipiunt Mortis, & Passionis ejus fructum a Christo iis intentum, & quidem efficaciter, quantum est ex parte sua, quamvis inefficaciter ob eorum culpam. Id pariter constat ex Symbolo Fidei, ubi dicitur: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis: Crucifixus etiam pro nobis*; quod etiam a Reprobis credendum est; atque adeo etiam ob Reproborum salutem Christus D. Crucem subiit, ac mortem suam obtulit. Hinc Innocentius XI. damnans ut hæreticam quintam illam Jansenii propositionem, *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*, hæc habet in sua Constitutione edita anno 1653. *Falsam, Temerariam, ac Scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.* Quam condemnationem confirmavit deinde Alex. VII. ann. 1656. adversus nonnullos, ut loquitur, *Filios iniquitatis*, qui quinque illas propositiones vel in libro Jansenii Iprensis non reperiri, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformidarunt. Quinimo declaravit Pontifex quinque istas propositiones damnatas esse in sensu a Jansenio intento, prout scil. in ejus opere exprimitur: cum autem in eo opere aperte dicatur Christus mortuus esse pro salute æterna solum Prædestinatorum, & non magis pro salute Reproborum, quam Dæmonum; idcirco de Fide est, Christum non esse mortuum pro Prædestinatorum duntaxat salute.

III. Quoniam autem adversus Pontificias istas condemnationes Jansenistæ plures cavillationes in medium protulerunt, adeo ut oportuerit Clementem IX. anno 1669. & Innoc. XII. anno 1694., & 1696. suis Epistolis in forma Brevis ad Episcopos Galliæ, & Belgii, ac demum Clementem XI. anno 1705. sua Constitutione, veluti securi, tot errorum capita ex hujus Hydræ collo erumpentia obtruncare; idcirco nonnulli Novatores, ut errorem quoad ejus fieri posset retinerent, dederunt quidem manus Pontificiæ illi condemnationi, admiseruntque ut hæreticam quintam illam propositionem, quod scilicet Christus pro salute solum Prædestinatorum mortem obtulerit: at non proinde induxerunt animum, ut assererent Christum pro salute omnium mortuum esse. Dixerunt enim dedisse se ipsum oblationem Deo non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus, quod nunc ab Alexandro VIII. in hac propositione quarta damnatur.

IV. Hujus erroris ansa videtur peti posse ex illis verbis Jo. 15. *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipsum, non pereat*; & ad Eph. 5. *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea;* &

ea; & Jo. 17. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*; Ubi Christus pro omnibus, & solis Fidelibus orat; Necnon ex illis verbis Matth. 20. *Filius hominis venit dare animam suam Redemptionem pro multis*: Quod etiam dicitur in Consecratione Calicis, *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*; Cum autem non pro omnibus, nec pro solis prædestinatis, sequitur, quod pro omnibus, & solis fidelibus. Quod videtur etiam innuisse Hieron. in illud Ps. 42. *Vendidisti populum tuum sine pretio*, ubi addit: *Dictum est*, (de populo Judaico) *in peccatis vestris venditi estis, & ideo sine pretio, quia non est effusus Agni sanguis pro eis*.

V. Ex hoc autem errore, quod Christus non pro Infidelibus, sed pro omnibus, & solis Fidelibus mortuus sit, sequentem propositionem intulerunt ab Alexandro VIII. pariter damnatam, vid. *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Christo influxum: adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti*. Nil tamen mirum, quod hujusmodi Dogmatistæ nullam agnoscant gratiam sufficientem in Infidelibus (in quibus nullus datur actus bonus salutaris, deficiente in illis Fide, quæ est fundamentum, & initium salutis) si vestigiis inhærent Jansenii Antesignani, qui nullam in natura lapsa agnoscebat gratiam mere sufficientem, ut ostendit fuse Moraines disp. 23., & nos nonnulla in expositione sequentis propositionis innuemus.

VI. Ostenditur nunc falsitas: quia passim in Scripturis dicitur Christus pro omnium salute mortuus esse, ut constat ex modo adductis textibus, & ex 2. ad Corinth. 5. ubi habetur: *Pro omnibus Christus mortuus est, ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit*: Clarissime autem ex illis verbis 1. ad Timoth. 4. *Salvator omnium, maxime Fidelium*: Et ad Rom. 5. ostendit Apostolus, quod sicut ex Adamo mors in omnes promanavit, ita pro omnibus pretium redemptionis a Christo D. oblatum est, dicens: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*. Quod etiam aperte definit Trid. loc. laud. dicens: *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur*; atque adeo ex Trid. non pro omnibus, & solis Fidelibus Christus dedit semetipsum oblationem, sed pro omnibus omnino; quamvis soli Electi beneficium mortis Christi recipiant, iisque duntaxat meritum Passionis communicetur in ordine ad salutem consequendam.

VII. Respondent primo Jansenistæ, ly *Pro omnibus* non debere intelligi universaliter pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, idest pro doctis, pro indoctis, pro nobilibus, & ignobilibus, dummodo sint Fideles. Hæc tamen responsio ab hæreticis mutuata, ut notat P. Stephanus de Champs, non subsistit; quia pariter restringi posset ad solos Electos: Cum autem passim dicatur in Scripturis, Conciliis, & Patribus, quod pro peccatis totius mundi mortuus sit, non debet ea propositio ullatenus restringi. Præsertim quia, cum Apost. 1. ad Timoth. 4. dicat, *Salvator omnium, maxime Fidelium*, apertissime docet, Christum Dominum non Fidelibus duntaxat, sed omnibus salutem promeruisse; quamvis illam speciali modo, & cum speciali beneficentia promeruerit Fidelibus; sicut cum beneficentia specialissima promeruit illam Electis. Disertissime etiam 1. Jo. 2. dicitur, non pro Fidelibus tantum, sed pro omnibus omnino, atque adeo pro singulis generum, non pro generibus singulorum Christum esse mortuum. *Ipse est*, inquit Joan., *propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi*. Quare impie ac stolide dicitur mors Christi pro omnibus, & solis Fidelibus fuisse oblata.

VIII. Respondent 2., Christum pro omnibus mortuum esse quoad sufficientiam, in hoc sensu, quod mors Christi de se fuerit sufficiens ad promerendam salutem omnium, non vero in eo sensu, quod pro omnibus, etiam pro Infidelibus, a Christo oblata fuerit, & a Patre accepta affectu serio, & quantum est de se efficaci pro omnium salute; adeo ut per voluntatem Christi, & Dei non stet, quominus Infideles salventur. Sed neque subsistit hæc responsio; tum quia in hoc sensu non magis Christus mortuus esset pro Infidelibus, quam pro Dæmonibus; tum etiam quia gratis adhibetur hæc limitatio; tum demum quia mori pro aliquo in sensu proprio importat morientis intentionem esse, ut mors sua illi prosit, teste eodem Jansenio tom. 3. c. 21. ubi habet: *Pro aliquo mortuum esse, vel fudisse sanguinem suum, insinuat voluntatem Christi, quam habet, ut ei mors sua Patri oblata, & sanguis prosit*: ergo cum Christus mortuus fuerit pro omnibus, debuit pretium sanguinis pro omnibus offerre, adeo ut non stet per ipsum, quominus omnes salventur.

IX. Ad ea, quæ objiciuntur, facile respondetur. Quamvis Christus mortem subjerit, ut Fideles salventur, non proinde non etiam ut Infideles credant, ac deinde salventur; tradidit quippe semetipsum pro Ecclesia, voluitque ut omnes intrarent suum ovile. Rogavit Christus in ea oratione pro omnibus, qui credituri essent, impetrando scilicet eis auxilia specialia: sed in Cruce oravit etiam pro iis, qui non credebant, ut advertit August. in Psal. 68. Quando autem dicitur Matth. 20., quod sanguis novi Testamenti pro multis effundetur, ly *Pro multis* non excludit omnes, quando omnes sunt multi, ut notat Jansenius Episcopus Gandavensis in suis Commentariis; Et Aug. lib. 20. de Civ. c. 32. advertit, sæpe in Scriptura idem significare multos, ac omnes; ut Dan. 10. *Et multi de his, qui dormiunt, in terræ pulvere evigilabunt*, idest omnes resurgent in die Judicii; & ad Rom. 5. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*, hoc est omnes. Hieron. dixit pretium sanguinis non esse effusum pro Judæis, hoc est quoad efficaciam: In quo sensu interpretandus est etiam Aug. Epist. 102. dicens: *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est*; & Anselmus in Elucid. dicens, *Christus pro solis Electis mortuus est*.

X. Ex quibus sequitur primo, Christum D. semper fuisse exauditum: dicitur enim Jo. 11. *Ego semper sciebam, quia semper me audis*, quando scil. aliquod a Patre postulavit voluntate absoluta, ac omnino efficaci; secus vero quando postulavit voluntate efficaci tantum ex parte sua, & simpliciter conditionata, si scilicet ita Deo gratum foret: sicut omnium hominum salutem postulavit, necnon in horto, ut calix a se transiret.

XI. Sequitur secundo, quod Christus obtulerit pretium sui sanguinis pro salute etiam Reproborum, volens pro illis satisfacere, non quidem absolute,

lute, sed sub conditione, quod per media a Deo ordinata applicentur iis propriæ satisfactiones; qua conditione ob eorum culpam non purificata, juste in inferno pro propriis culpis puniuntur.

XII. Sequitur tertio, falsum esse, quod in quinta propositione ab Alex. VIII. proscripta dicitur, vid. Infideles nullum influxum habere a Jesu Christo, & carere gratia sufficienti ad salutem obtinendam. Quamvis enim salus sit iis conferenda sub conditione propriæ cooperationis; absolute tamen iis conferuntur ex meritis Christi auxilia supernaturalia, quibus ad fidem, & charitatem supernaturalem, atque adeo ad vitam æternam disponantur: Hinc dicitur Jo. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc Mundum*; quæ verba quamvis ex Cyrillo videantur posse intelligi saltem de illustratione naturali, videntur tamen intelligenda esse de lumine supernaturali, ex Chrysostomo, & Aug. lib. 1. de Peccatorum mer. & remiss. cap. 25. cum de illo paulo ante locutus fuerit Evangelista. Item Apostolus relate ad Infideles præsertim locutus est 1. ad Timoth. 2. dicens: *Coram Salvatore nostro Deo, qui omnes homines vult salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: & Isa. 65. relate ad Infideles dicitur: *Expandi manus meas tota die ad populum incredulum, qui graditur in via non bona post cogitationes suas*. Hinc August. illud Psal. 18. *Non est, qui se abscondat a calore ejus*, sic exponit: *Cum Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, mortalitatem nostram suscipiens, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis; & ipsam enim penetravit Verbi calor*. Et D. Prosper l. 2. de Vocat. Gent. c. 20. *Universitati hominum (quod abunde probavimus) ita multiplex, ac ineffabilis Dei Bonitas consuluit semper, & consulet, ut neque ulla pereuntium excusatio suppetat, neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari; cum & illos propria justitia demergat, & istos Dei gratia perducat ad gloriam*. Quod pariter habetur in Concilio Coloniensi p. 7. c. 32. ubi dicitur: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahitur: ille enim semper stat ad ostium pulsans*. Quamvis autem Infideles non sint Christi membra, adhuc Christus D. in illos influit, ut fiant sua membra; non secus ac calor naturalis influit etiam in cibum, ad hoc ut convertatur in substantiam aliti.

XIII. Et ratio a priori, cur Christus Dominus etiam Infidelibus auxilia supernaturalia tribuat, unde non possit eorum voluntas dici nuda, & inermis sine omni gratia sufficienti, est, quia Deus etiam Infideles vult salvos fieri: ergo etiam illis tribuenda fuit sufficientia ad salutem consequendam, atque adeo gratia ad id requisita. Quod Angelicus c. 159. contra Gentes expressit his verbis: *Deus quantum in se paratus est omnibus gratiam dare; vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ut dicitur 1. Timoth. 2. sed illi soli gratia juvantur, qui in seipsis gratiæ impedimentum non præstant*. Quod apertius expressit Franciscus Cumel in par. 1. & in par. 2. pag. 351. dicens: *Si Deus voluit dare Christum ut Redemptorem omnium hominum in particulari, & secundum se, necesse est voluisse illis salutem, & media sufficientia ad consequendam eam, & ad consequendam gloriam: sed Deus voluit dare Christum Dominum ut Redemptorem omnium hominum in particulari, & secundum se, ut est de fide apud omnes: ergo*.

XIV. Quare corruit fundamentum illud, quod videntur Auctores hujus confixæ thesis quadantenus supponere, videlicet principium illud Jansenistarum e Calvini, ac Lutheri fœdissimis fæcibus haustum, ac Christi Sanguini injuriosum, quod scilicet nulla detur in natura lapsa Gratia pure sufficiens, seu quod Interiori Gratiæ (ut habet secunda ex quinque proscriptis Jansenii thesibus) in statu naturæ lapsæ nunquam resistatur. Ea quippe non solum datur in Fidelibus in vacuum gratiam Dei recipientibus, sed etiam in Infidelibus, qui Spiritui Sancto resistunt, & per quos stat, ne ad agnitionem veniant veritatis. Omnibus siquidem ex Divina Misericordia, & ex Christi meritis tribuitur tam gratia ad vitandas culpas, ita ut Tridentinum sess. 6. can. 6. anathematizet asserentes, *Non esse in potestate hominis vias suas malas facere*, quam gratia ad emergendum e vitiorum cœno necessaria, ut homo cum Deo reconciliari, & salutem consequi possit, ut communissime Catholici docent ex hoc ipso, quod Christus pro omnibus, & singulis hominibus mortem objerit; &, ut loquitur Apostolus ad Tit. 2. *Ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Hæc autem, ut communiter docent, etiam obduratis, & Infidelibus sic offertur, ut, si tenuiora quædam auxilia, quæ vel ad peccata vitanda, vel ad Dei opem implorandam certis quibusdam temporibus tribuuntur, non rejicerent, ad Divinam amicitiam paulatim, ac certis veluti gradibus pervenire possent. Quamvis autem, ut advertit de Champs lib. 3. disp. 8. cap. 13. Gratia, quæ Infidelibus tribuitur, non semper sit gratia Christi, hoc est quæ Christi Mediatoris cognitionem, ac Fidem involvat, semper tamen est gratia Christi, seu per Christum, hoc est a Christi meritis comparata; estque, ut loquitur Augustinus, *Munus Redemptionis*, quæ passim vocari solet Gratia Dei, ne confundatur cum Gratia Christi, juxta priorem significationem.

XV. Dubitatur primo, An, & quomodo Deus providerit ex meritis Christi Domini etiam infantibus in utero Matris decedentibus sufficientia salutis media? Quod de facto providerit, constat ex Scripturis, & PP. Dicitur enim 1. ad Timoth. 2. *Mediator Dei, & hominum Christus JESUS, qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Et ibidem: *Deus vult omnes homines salvos fieri*. Instituit proinde Christus Dom. Baptismum pro omnibus, dicens Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Hinc Augustinus lib. 4. contra Julianum cap. 8. dixit: *Numquid parvuli homines non sunt, ut non pertineant ad id, quod dictum est, Vult omnes homines salvos fieri?* Et sane magis Deus hos pueros dilexit, pro quibus voluit Christum pati, juxta illud Joan. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*, quam Dæmones, quibus tantum dedit auxilia sufficientia, ne peccarent, quin eos redemerit post servitutem peccati, ut docent communiter Patres, & Theologi, & colligitur ex ea parabola Matth. 18. de nonaginta novem ovibus dimissis ad quærendam illam, quæ erravit: ergo pueris istis non solum contulit in Adamo auxilium sufficiens, ne laberentur in originale (ut contendit Bannez apud Amicum disp. 28. de Grat. sect. 5.) sed etiam post lapsum providit illis de remedio ad resurgendum, quod non præstitit erga Dæmones.

XVI. Quomodo autem iis providerit, non est obvium explicare. Suarius, Bellarm. Zumel apud eundem Amicum putant, præparata esse his infantibus

tibus ad salutem sufficientia in ipsa institutione Sacramentorum dependenter a causis secundis sive naturalibus, sive liberis, ita ut Deus quantum est ex se velit, ut baptismum suscipiant, nisi tamen aliunde impedimentum illi apponatur. Et quamvis impedimentum apponendum aut ab aliqua actione causæ liberæ, aut ex casuali aliquo concursu, & occursu causarum fuerit a Deo prævisum, non fuit tamen a Deo intentum, sed solum permissum ob altiores fines. Vasquez parte prima disput. nonagesimasexta laudans Gregor. Richardum, Gabrielem, D. Thom. & alios, docet Deum expresse noluisse, quod possent humana diligentia aliquibus parvulis remedia isthæc applicari; quod videtur innuere August. epist. 107. dicens: *Aliquando cupientibus, festinantibusque Parentibus, Ministris quoque volentibus, & paratis* (ad dandum scilicet infanti baptismum) *Deo nolente, non datur; cum repente, antequam detur, ille expiret.* Et sane sicut pauper v. g. non dicitur habere sufficientia ad vitæ sustentationem per hoc, quod Deus in causis secundis providerit illi de cibo, si cibus nulla humana diligentia possit ab illo comparari; ita nec infans dicitur habere remedia sufficientia ad salutem per hoc, quod Deus voluerit Baptismum institui, vi cujus posset ille a culpæ reatu liberari, si tamen baptismus nulla humana diligentia posset ei applicari; ut accidit, quando prægnans v. g. de Cęlo tangitur, aut quando occasione terræmotus, ruinæ, incendii, ægritudinis moritur fœtus, antequam in lucem edatur.

XVII. Propterea communius Recentiores docent, quod si Parentes pro parvulis orarent, & culpas aliquas declinarent, illi sine baptismo non decederent; cum Deus sicut salutem adultorum propriis orationibus alligavit, ita parvulorum salutem alligaverit orationibus Parentum: (Orationem enim Suar. t. 2. de Rel. lib. 1. cap. 28. censet esse ad salutem necessariam, non solum necessitate præcepti, sed etiam necessitate medii, juxta illud Christi D. *Oportet semper orare*). Huic benignæ sententiæ favet D. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. c. 23. dicens; *Non irreligiose arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod isti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus; qua utique si bene uterentur Parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* Et quamvis idem Prosper in Carmine de Ingratis dicat:

Nec meritis istud poteris aptare Parentum,
Cum videas multos Sanctis Genitoribus ortos
Nullo salvari studio potuisse suorum;

Solum tamen his verbis videtur velle, quod Baptismus non desit hic & nunc infanti ob aliquam præsentem ignaviam Parentum; non vero quod non desit ob culpas præteritas, aut ob defectum orationis Parentum, aut saltem ob ebrietates, intemperantias, aut alias culpas Avorum. Ex quo fieret, quod ubi Augustinus dixit, Baptismum aliquando non conferri infantibus *Deo nolente*, intelligendum sit Deo nolente voluntate non antecedente, sed consequente ad culpas, aut defectum orationis Parentum.

XVIII. Equidem nolo hic quæstionem hanc instituere, in qua Scholastici digladiantur. Solum explico, quomodo non solum juxta hanc tertiam sententiam, quam puto magis consonam Divinæ misericordiæ erga infantes, nec non juxta sententiam laudatam Suarii, & Bellar. minus infantibus faventem, sed etiam juxta rigidam sententiam Vasquii docentis, Deum non providisse de proxima, ac morali applicabilitate Baptismi relate ad hos infantes, atque adeo voluisse eos directe a beatitudine excludere propter originale, adhuc tamen salvari possit, quod Christus dederit seipsum Redemptionem pro illis, & non pro Dęmonibus; & quod Deus speciali modo voluerit eos salvos fieri, non solum tribuendo auxilium sufficiens in Adamo, ne laberentur in originale, juxta sententiam Bannez, sed etiam conferendo post lapsum remedium sufficiens ad salutem.

XIX. Et primo quidem salvatur, quod Christus Dominus dederit seipsum ad illos redimendos, quia Christus Dominus vere oravit pro istorum parvulorum salute, oratione tamen conditionata, si scilicet id Deo gratum foret; Sicut oravit Christus pro sua vita corporali, quando dixit, *Transeat a me Calix iste, verumtamen non quod ego volo, sed quod tu*; habuit quippe voluntatem conditionatam, & inefficacem de propria vita, & simul efficaciter voluit mori, prout Deus Pater præcipiebat: non secus ac projiciens merces ex metu naufragii inefficaciter, & conditionate vult non projicere: absolute tamen, & efficaciter vult illas projicere ad evadendum naufragium. Quare in hypothesi, quod Christus hoc pacto oraverit pro salute istorum parvulorum, bene salvatur, quod voluntate seria, non fallaci, aut illusoria voluerit Baptismum iis applicari, voluntate tamen inefficaci, & conditionata si scil. ita Deo arrideret; absolute tamen noluerit efficaciter remedium applicari, eo quod videret id patri non esse gratum. Salvatur proinde, quod eos redemerit, offerendo pro illis pretium sui sanguinis conditionate, hoc est dependenter a beneplacito Patris, sicut vere redemit reprobos offerendo pro illis pretium sui sanguinis conditionate, hoc est dependenter ab ipsorum voluntate: Non obstat enim veræ redemptioni, quod absoluta pretii oblatio applicari possit conditionate, sive dependenter a voluntate Divina, sive dependenter a voluntate illius, pro quo pretium offertur. Cum autem pro Dæmonibus ne hoc quidem pacto Christus semetipsum obtulerit, salvatur, quomodo non eodem pacto se habuerit erga Dæmones, ac erga parvulos istos, quos efficaciter voluit carere remedio ad salutem.

XX. Præterea salvatur etiam, quomodo Deus voluntate seria, & non fallaci voluerit eosdem salvos fieri, quamvis non providerit illi de remedio proxime, & moraliter applicabili; tum quia providit illis de remedio applicabili physice, quam benevolentiam erga dæmones non exercuit; tum etiam quia dedit pro illis Christum Redemptorem, qui pro eorum salute oraret, ita tamen ut si voluisset orare oratione absoluta, procul dubio fuisset exauditus: cum certum sit Christum D. fuisse semper exauditum, quando oravit absolute, ut dicitur Jo. 4. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Verum quia pro parvulis illis oravit conditionate, si scil. Deo placeret, (ut oravit pro se, quando petiit, ut Calix transiret) ideo remedium de facto non fuit illis proxime applicabile. Et recurrit eadem ratio a priori ad ostendendum, quod voluntas ista Divina de istorum parvulorum salute fuerit seria, & non illusoria; siquidem voluntas conditionata, vera & seria voluntas est: sed Deus volens illorum salutem in hypothesi, quod Redemptor pro iis absolute oraret, vellet eorum salutem conditionate: ergo vellet.

vellet serio illos salvos fieri. Immo vellet etiam eorum salutem efficaciter, quamvis aliqua tantum, non omni efficacia. Sicut enim quando Deus vult salutem Judæ dependenter ab ejus voluntate, vult salutem Judæ efficaciter quantum est ex parte sua, cum det ad hoc auxilium sufficiens; quamvis non vellet illam omnino efficaciter, quatenus non dat auxilium efficax, quod posset Judæ conferre; ita Deus volens salutem parvulorum dependenter a voluntate Redemptoris, qui pro iis absolute oraret, vellet pariter eorum salutem efficaciter ex parte sua, cum dederit ad hunc finem Redemptorem, qui oraret; quamvis non voluerit illam omnino efficaciter, cum voluerit illam dependere a voluntate Redemptoris, qui absolute, & non conditionate tantum oraret.

XXI. Dubitatur secundo, quomodo Christus D. mereri potuerit sufficientiam ad salutem etiam iis, qui ipsum præcesserunt; siquidem ex August. de Moribus Ecclesiæ: *Præmium non potest præcedere meritum, & prius homini dari, quam dignus sit*. Ad hanc difficultatem enodandam varii varia. Volunt nonnulli meritum causare præmium intentionaliter, seu prout est in mente præmiantis, & sic posse ante realem sui existentiam præmium causare. Alii cum Esparza qu. 41. de Incarn. docent, posse præmium præire, quando opus meritorium dignificatur a forma, seu quasi forma infinita, & essentialiter æterna, ut sunt operationes meritoriæ Christi D.; quia scilicet hujusmodi meritum secundum partem sui formalem, ac digniorem antecedenter ad quodcumque præmium existit. Expeditior videtur via Haunoldi num. 356. & aliorum, qui tribuunt illam D. Thom. p. 2. q. 114. ar 5., ac distinguunt duplex genus meriti: Alterum dicitur remunerandum, quod scil. movet præmiantem ad conferendum præmium post existentiam realem meriti: Alterum Solutivum, seu Compensativum, quod scil. ponitur post præmium ad istud compensandum, habetque potius rationem pretii pro merce antecedenter collata: & juxta hanc viam salvant, quod Christus D. meruit gratiam SS. PP., Deiparæ, & omnibus qui ipsum præcesserunt.

Lumbier tamen n. 2081. subtiliorem viam commentus est, nixam in revelationibus S. Mariæ Magdalenæ de Pazzis, dicens, quod posito contractu ab æterno inter Patrem Æternum, & Verbum tanquam legitimum Procuratorem suæ Humanitatis in tempore assumendæ, ille obligaverit se ad gratias antiquis Patribus, necnon Angelis conferendas propter merita ponenda ab Humanitate, tanquam mercem ob pretium solvendum; juxta quam viam operationes Christi Domini habuerunt rationem meriti, seu obsequii exigentis recompensationem, ac simul rationem pretii ob mercem antecedenter collatam; & Gratiæ antiquis Patribus collatæ habuerunt rationem pretii simul, ac mercis ob pretium solvendum.

Nec est mirum, quod Pater Æternus, ac Verbum potuerint hujusmodi contractum inire, quamvis una sit voluntas Divina. Nam sicut quando Tutor nomine proprio contrahit secum tanquam cum Tutore pupilli, sufficit, quod habeatur distinctio voluntatum inter Tutorem, & Pupillum; ita quando Deus Pater contrahit nomine proprio cum Verbo tanquam cum Tutore Humanitatis, sufficit, quod habeatur distinctio voluntatum inter Deum, & Humanitatem, qui sunt Contrahentes principales. Addit Lumbier, ad contractum inter Patrem Æternum, & Filium sufficere distinctionem Personarum, quarum altera possit velle aliquid speciale, quod non dicatur velle formaliter, sed solum identice altera Persona. Solum enim relate ad operationes ad extra una est Trium Personarum volitio, sicut una est Potentia; non tamen relate ad operationes ad intra; Nam Pater generat, & consequenter vult generare Filium, quin tamen Filius dicatur generare, aut velle generare seipsum, sed solum vult generari a Patre; Sic etiam Pater misit Filium suum in terras, & utraque Persona Spiritum Sanctum, quin Filius, aut Spiritus sanctus proprie, ac formaliter mittant seipsos: Et eodem modo videtur posse Pater Æternus velle contrahere cum Filio, non tamen secummet. Sic Pater Deiparam vocat Filiam, non Matrem, aut Sponsam; & Filius vocat solum Matrem &c. Sic pariter Pater Æternus dixit, *Hic est Filius meus dilectus*, quod non poterat dicere Verbum, hæc enim omnia supponunt diversas voluntates notionales in Divinis cum summa concordia voluntatis relate ad objecta volita. Et eodem pacto poterat Pater Æternus dicere; Si Filius meus, nempe Christus, ponat merita, dabo antiquis Patribus gratias; & Verbum nomine Humanitatis dicere poterat, ponam merita: quo posito contractu, Gratiæ antiquis Patribus, & iis omnibus, qui Christum præcesserunt, conferendæ essent ob merita Christi, eo quod post contractum de meritis ponendis. Hæc solum innuisse sit satis, cum ad Scholasticam, non ad Polemicam Theologiam spectet multa ex his subtilissima indagine pervestigare.

XXII. Dubitatur demum, Utrum Deus cuilibet in hac vita post quamcumque peccatorum multitudinem conferat auxilia sufficientia ad resurgendum, an vero aliquos ita despiciat, ac obduret, ut non possint amplius resipiscere? Suar. d. 8. de Pœnit. s. 2., Amicus disp. 18. de Gratia sect. 4., & alii referunt nonnullos, qui cum Abulensi, Medina, Armacano, Henrico, Catherino docent, non dari legem generalem, ut qui ad aliquam culparum multitudinem pervenerit, privetur auxiliis necessariis ad pœnitendum; sed aliquas personas aliquando in pœnam peccatorum hujusmodi auxiliis de facto a Deo privari, ut proinde ad Rom. 9. dicatur, *Cujus vult, miseretur, & quem vult, indurat*: Sic Josue 11. habetur: *Domini sententia fuerat, ut obdurarentur*: Jo. 12. *Propterea non poterant credere, quia dixit Esaias, Excæca cor*, &c. Hierem. 51. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Et Psalm. 8. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis*. Ac similiter Sancti Patres passim locuti sunt. Isidorus lib. 2. de Summo Bono cap. 15. *Nonnulli ita despiciuntur a Deo, ut non possint mala plangere, etiamsi velint*. Euseb. apud eundem Suar. docet, Deum aliquos expectare usque ad certum numerum peccatorum, juxta illud Amos 1. *Hæc dicit Dominus: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum*. Et August., Pharaonem ita fuisse desertum, ut jam impœnitentia non imputaretur ei ad culpam, sed ad pœnam. Et ratio hujus doctrinæ videtur esse, quia peccata hanc pœnam merentur; & expedit, ut ea aliquando infligatur ad ostensionem Divinæ Justitiæ, & ad aliorum terrorem: Sicut his de causis Deus aliquos actualiter peccantes aliquando miraculose interfecit; immo etiam vivos in infernum demersit.

Communissima tamen sententia docet cum Angelico, neminem a Deo post quancumque multitudinem, aut gravitatem peccatorum ita deseri, ut non pos-

possit physice, si velit, resipiscere; esto sæpe non possit moraliter. Idque videntur innumera Scripturæ loca insinuare, necnon Concilia, & Patres. Hoc etiam Divinæ Misericordiæ, ac Benignitati procul dubio est magis consonum, atque adeo ita dicendum. Ezech. 18. & 33. dicitur: *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur. Numquid voluntatis meæ est mors impii?* Isaiæ 49. *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum?* &c. Matth. 9. *Non veni vocare justos, sed peccatores ad pœnitentiam*; quæ locutio indefinita, ut advertit Suar. l. c., æquivalet universali; unde dicitur Matth. 11. *Venite ad me omnes*, & ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro omnibus, ut nos redimeret ab omni iniquitate.* Tridentinum etiam sess. 6. c. 14. docet, universim in hac vita dari locum pœnitentiæ agendæ. Idemque docent Chrysostomus, Augustinus, Cyprianus, aliique Patres. Quæ vero ex Scripturis, & Sanctis patribus in oppositum adducuntur, intelligenda sunt, quod Deus in pęnam peccatorum nonnullis sæpe deneget auxilium efficax, & congruum, non vero sufficiens; & quod sæpe ob depravatos mores non possint illi moraliter, non vero quod non possint physice resipiscere, & ad bonam frugem redire. Est enim apud Patres universale axioma, Quamdiu hæc vita durat, locum pęnitentiæ concedi, & auxilium in tempore opportuno ad illam agendam non negari. Propterea, quamvis Deus aliquando hominem actualiter peccantem miraculose interficiat, ita tamen cum illo se gerit, ut si in eo puncto mortis hic vellet pęnitentiam agere, illi auxilium non deesset, quod ostenditur, tum quia hoc exigit Divina promissio, orta ex Misericordia, & fundata in Christi D. Justitia; tum etiam quia quamdiu homo vivit, est in statu viatoris; de ratione autem viæ est, ut semper possit dari accessus ad terminum: unde nemo in hac vita privari dicendus est auxiliis sufficientibus, quibus possit ad terminum, seu ad beatitudinem pervenire; atque adeo pęna ista, quod privetur peccator auxiliis ad resurgendum, videtur excedens statum viæ, minus consona providentiæ Divinæ, & ejus Misericordiæ repugnans. Hinc præceptum pœnitendi, ac præceptum sperandi nunquam cessant in hac vita; cessarent autem, si auxilia deessent ad pęnitendum, ac sperandum: ergo nulli in hac vita ea denegantur, quamvis non semper ea dentur, sed tempore opportuno.

PROPOSITIO VI.

Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A Gratia sufficienti libera nos Domine.

S Y N O P S I S.

I. Jansenius non agnovit in natura lapsa gratiam interiorem sufficientem, cui voluntas resistere possit. II. Novatores nunc dicunt illam esse perniciosam, eo quod semper conjungatur cum omissione culpabili actus præcepti. III. Id videtur suaderi, quia aliter non dixisset de Juda Christus, Bonum erat ei, si natus non fuisset. *IV. Nec prudenter quis mallet gratia pure sufficienti carere. V. Sæpe gratia, quæ confertur, est pure sufficiens in pœnam peccati antecedentis. VI. Non secus ac necessitas moralis ad peccandum; unde non est beneficium, sed supplicium.*

VII. Hæc tamen nimis probant, videlicet etiam in natura integra gratiam sufficientem esse perniciosam; quod ne Jansenistæ quidem audent asserere. VIII. Gratia sufficiens complet actum primum ad salutariter operandum, quomodo ergo non est ingens beneficium? Sic in ordine naturali habere oculos est beneficium, & sibi imputet, qui claudendo palpebras non vult iis uti ad videndum. IX. Prædeterminatio ad materiale peccati in sententia Prædeterminantium stat cum libertate ad bene operandum; & ideo ex culpa voluntatis non ponitur actus bonus. X. Id planius videtur explicari a Fautoribus scientiæ mediæ. XI. Eadem quippe gratia confertur consentienti, ac dissentienti, ac sæpe uberior dissentienti.

XII. Gratia sufficiens antonomastice duo importat, & gratiam, quæ datur a Deo animo sincero, ut ponatur bona operatio, & peccatum, quod ponitur ex culpa voluntatis. Gratia illa semper est ingens beneficium; non enim datur gratia inefficax ut inefficax, sed eo animo, ut, si esset efficax, illa eadem libentius daretur. Quare solum ratione culpæ illi annexæ melius fuisset Judæ, si natus non fuisset. XIII. Prudenter quilibet eligit carere gratia sufficiente, & quolibet bono etiam æterno, si illud sit annectendum propriæ culpæ. XIV. In pęnam peccati solum denegatur aliquando gratia uberior, non tamen datur gratia inefficax ut inefficax. XV. Nec intenditur a Deo, sed permittitur moralis necessitas peccandi.

XVI. Ex hoc quod gratia prævideatur inefficax, non fit, quominus conferatur animo benevolo, ac benefico; prævisio enim, quæ præcedit tempore, consequitur natura efficaciam. XVII. Gratia efficax non requiritur ut possit poni, sed solum ut ponatur actus bonus. XVIII. Apte explicatur, quomodo discernat Deus Electos a Reprobis, ita tamen ut Electio principaliter debeatur Deo, Reprobatio vero imputetur culpæ Reproborum.

I. Exponitur. Lutherus, & Calvinus adversus omnes Catholicos negarunt dari in natura lapsa gratiam sufficientem, quos damnat Trident. sess. 6. cap. 11. dicens: *Deus impossibilia non jubet; sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Jansenius etiam non solum gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ negavit relate ad observantiam nonnullorum præceptorum, ut constat ex ejus prima propositione, *Aliqua Dei præcepta hominibus justis*, &c. *sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant*; sed etiam passim docuit, gratiam quamcumque medicinalem, seu gratiam per Christum Salvatorem esse unice efficacem, seu, ut ipse loquitur, esse *Adjutorium quo*, quin unquam detur gratia sufficiens, seu *Adjutorium sine quo non*, quam solum agnoscit in statu naturæ integræ, seu in Adamo, & in Angelis, in quibus gratia potuit carere effectu suo, ut constat ex eorum lapsu. Immo lib. 3. de Gratia Christi cap. 3. gratiam sufficientem vocat monstrosam, qua monstrosius nihil, eo quod *Nunquam ab initio lapsus humani usque ad diem judicii ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura est.* Hinc illa Jansenii propositio: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quamvis enim admittat Jansenius, quod gratiæ externæ prædicationis Evangelii possit humana voluntas resistere; negat tamen, quod possit resistere gratiæ internæ, seu vocationi Spiritus Sancti, docens in natura lapsa solum dari vel mundanam delectationem victricem, quæ ineluctabiliter culpam invehit, vel cęlestem delectationem victricem, quæ ineluctabiliter trahit a-

ctum

ctum bonum, quin detur in utroque actu nisi libertas a coactione. Adversus hanc hæresim plura dicemus in expositione secundæ illius thesis Jansenianæ, ostendendo negari non posse etiam in natura lapsa gratiam internam pure sufficientem.

II. Assertores hujus confixæ thesis non audent gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ negare; audent tamen asserere, illam non solum non esse nobis utilitati, sed potius detrimento, quatenus infallibiliter, si minus necessario, ea conjungitur cum omissione culpabili actus præcepti; atque adeo docent a Deo petendum esse, ut a gratia sufficienti tanquam a pestifera lue liberemur.

III. Rationes id in speciem suadentes videntur esse, primo, quia Christus Dominus loquens de Juda dixit: *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*: ergo gratia sufficiens illi liberaliter erogata fuit perniciosa. Item Matth. 11. dicitur: *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Et Aug. l. de Grat. & Lib. Arb. c. 15. ait: *Tunc utile est velle, cum possumus, & tunc utile est posse, cum volumus; nam quid prodest, si quod non possumus, volumus, aut si quod possumus, nolumus?*

IV. Secundo, quia quilibet prudenter mallet carere gratia pure sufficienti; quis enim prævidens se damnandum fore post gratias pure sufficientes, non mallet libertate destitui, ac vita privari?

V. Tertio, quia gratia pure sufficiens sæpe datur in pœnam peccati antecedentis: ergo non habet rationem beneficii, sed supplicii, a quo proinde petere possumus ut liberemur.

VI. Quarto, necessitas moralis ad peccandum, quæ stat cum sufficientia physica ad bene operandum, procul dubio est supplicium, non beneficium, non aliunde nisi quia infallibiliter connectitur cum operatione libera mala: sed quælibet gratia pure sufficiens est hujusmodi, sive stet cum sufficientia morali, sive cum impotentia morali ad bene operandum: ergo quælibet gratia sufficiens est supplicium. Ad rationem quippe beneficii spectat, quod sit actio benevola; quomodo autem dici possit actio benevola collatio gratiæ pure sufficientis facta Petro, si cum ejus culpa, & damnatione conjungitur, & quam quilibet prudentissime recusaret?

VII. Ostenditur tamen falsitas. Primo, quia hujusmodi argumenta, quæ speciem aliquam præseferunt, nimis probant: Evincunt enim non solum in natura lapsa, sed etiam in integra non habere rationem beneficii gratiam sufficientem, quod tamen ne ipsi quidem Jansenistæ audent comminisci.

VIII. Secundo, quia gratia sufficiens ex suo conceptu est illa, quæ complet actum primum ad salutariter operandum; hujusmodi autem complementum esse ingens Dei beneficium, quis ambigat? Siquidem est basis, ac fundamentum totius ædificii spiritualis. Et quamvis gratia sufficiens, si sit pure sufficiens, non conjungatur cum actu bono; at quod gratia sufficiens sit pure sufficiens, & non sit efficax, id non habet de se, sed ex culpa voluntatis. Ad eum modum quo habere oculos, seu sufficientiam ad videndum, est magnum beneficium in ordine naturali; quod si quis claudendo palpebras non videat, is non debet carentiam visionis ascribere oculis, aut Auctori naturæ, sed sibi, qui non vult uti oculis ad videndum. Sic ingens beneficium est in ordine supernaturali gratia sufficiens, quæ si non conjungatur cum bono usu voluntatis, id non habet de se, aut ex intentione Dei illam benignissime conferentis, sed ex culpa liberi arbitrii in vacuum illam recipientis. Falsissimum siquidem est, & definitioni Tridentini, ac Scripturis aperte repugnans, quod gratia pure sufficiens inferat culpam, seu omissionem actus præcepti independenter ab electione voluntatis, præcise ob delectationem mundanam victricem; aut quod gratia efficax inferat bonam operationem necessario ob victricem delectationem gratiæ cœlestis. Dicitur enim in Tridentino sess. 6. can. 6. *Esse in potestate hominis vias suas malas facere, ac Deum opera nostra mala solum permissive operari.* Et Zach. 5. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Et Isaiæ 30. *Expectat Dominus, ut misereatur vestri*; quæ omnia non subsisterent, si gratia sufficiens induceret necessitatem ad dissensum.

IX. Quid tamen si ea conjungatur cum physica prædeterminatione ad malum? Quæstio est celeberrima inter Prædeterminatores, & Doctores Societatis. Certe si necessitatem induceret ad peccandum prædeterminatio ad malum, non posset habere rationem gratiæ sufficientis: quomodo enim potest habere sufficientiam ad bene operandum, qui independenter ab exercitio libero suæ voluntatis caret prædeterminatione ad bonam operationem requisita, habetque prædeterminationem, qua ad malum necessitetur? Idcirco nihil mirum, si possemus in eo casu petere a Deo, quod ab ea tanquam ab hoste infensissimo liberemur. Si tamen ea cum libertate consistat, ut fert sententia, de qua non disputo, Prædeterminantium, non est cur petamus ab ea liberari: quin potius gratiæ agendæ Deo, quod sufficientem nobis det ad bonam operationem, qua mereri possimus gloriam de condigno, quamvis ob defectum nostræ voluntatis eam vacuam operis relinquamus; non secus ac gratiæ Deo agendæ ob liberum arbitrium nobis collatum, quamvis eo ad peccandum abutamur; & ut habet Hugo de S. Victore in Epist. ad Rom. cap. 9. qui existit in fovea, gratias debet manum offerenti, ut extrahatur, quamvis nolit illam apprehendere, & extrahi ob desidiam.

X. Hæc autem omnia manifestius apparent vera, si cum Fautoribus Scientiæ mediæ dicatur gratia pure sufficiens ab efficaci non discriminari intrinsece, eademque collata duobus, Petro consentienti, ac Paulo dissentienti, appellari efficax, prout confertur Petro illam conjungenti cum consensu, appellari vero pure sufficiens, prout confertur Paulo libere illam conjungenti cum dissensu. Quamvis enim ipse actus secundus, & cooperatio libere superaddita ipsi gratiæ sufficienti a Petro consentiente sit nova quædam gratia, quatenus ex intentione illius Deus contulit sufficientiam per gratiam, ut proinde bona operatio magis Deo tribuatur, quam nobis, juxta illud Apostoli, *Non ego, sed gratia Dei mecum*: Nihilominus quod spectat ad actum primum, & ad sufficientiam propriam gratiæ prævenientis, eadem omnino, ac invariata potest esse gratia sufficiens in consentiente, ac in dissentiente; ut bene ostendit ex Scripturis, & Patribus Suarez lib. 3. de Auxiliis cap. 20. & Bellarminus lib. 6. de Gratia cap. 15. Aliter non posset exprobrari dissentienti, quod non consenserit, ubi alii consenserunt: Sicut non potest exprobrari puero, quod succumbat hosti, ubi gigas non

non succumbit; posset enim respondere, quod succubuerit, eo quod non haberet vires gigantis. Et idcirco indigna fuisset Christo Domino exprobratio illa facta Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent*. Apte enim respondere potuissent, gratiam sibi collatam esse puerilem, longe minorem ea, quæ Tyriis data fuisset.

XI. Potest itaque ejusdem rationis esse gratia in consentiente, ac in dissentiente, quod Augustinus libro de Prædestinatione, & Gratia c. 15. ostendit, comparando Nabuchodonosor cum Pharaone, dicens: *Ambo homines, ambo Reges, ambo captivum Dei populum tenentes, ambo flagellis clementer admoniti. Cur ergo medicamentum alii ad interitum, alii valuit ad salutem? nisi quod unus manum Dei sentiens, in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit; alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio*. Quinimmo non raro major gratia confertur dissentienti, quam consentienti. Quamvis autem utilior, & appetibilior sit ea minor gratia consentientis, quam dissentientis, hoc tamen non infert, utramque non esse beneficium indebitum, ob quod gratiæ Deo debeantur. Quis enim neget ingens beneficium conferri omnibus ex Redemptione, quamvis Redemptor positus sit in multorum ruinam, quatenus renuunt multi ejus sanguine ablui? Quis neget, Eucharistiam esse beneficium, in quo Redemptor, ut habet Tridentinum, divitias sui erga homines amoris velut effudit; quamvis ea Mors sit malis, Vita bonis; & judicium sibi manducet, qui manducat illam indigne? Ergo beneficium ingens est gratia sufficiens ad æternam gloriam promerendam, quamvis dissentiens, ac renuens in culpæ, ac gehennæ barathrum ruat; ut enim habetur Oseæ 13. *Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium*.

XII. Ad primam rationem in contrarium dicendum, Gratiam pure sufficientem, quæ antonomastice dicitur Gratia sufficiens, duo importare, & sufficientiam ad bene operandum, quæ unice confertur a Deo amore sincero, & benevolo, ut ponatur bona operatio, & simul carentiam bonæ operationis, quæ unice ponitur ex libertate operantis: quatenus importat primum, semper est beneficium, & quamvis beneficium majus esset gratia efficax, quæ scilicet prævidetur conjungenda libere cum consensu, hoc tamen non impedit, quominus gratia sufficiens sit etiam beneficium, licet minus; quatenus vero culpam habet annexam, nobis hæc imputatur, non Deo. Cum autem debeamus præeligere carentiam vitæ, & cujuscumque boni potius, quam culpam, ideo melius fuisset Judam non nasci, quam habere sufficientiam illam una cum culpa. Similiter Corozain, & Bethsaida male habent, non ob virtutes in iis factas, & ob sufficientiam ad credendum, sed ob incredulitatem. Ad auctoritatem Augustini dicendum, gratiam, qua possumus, & nolumus, esse inutilem ex nostra culpa, non secus ac Sacramenta, Miracula, Prædicatio Divini verbi, & Christi exempla dicuntur inutilia, si iis non bene utamur, quin proinde dici possint perniciosa, aut non summe æstimabilia.

XIII. Ad secundam: Quilibet prudentissime mallet quovis bono carere, quam cum quolibet bonorum cumulo aliqua culpa infici. Sicut autem qui prænosceret se lapsurum crastina in peccatum, prudenter optaret hodie mori, nec proinde prorogatio vitæ facta a Deo amore sincero non est beneficium; ita qui cognoscit gratiæ sufficienti annecti ex pravitate voluntatis dissensum, prudenter petit gratia illa sufficienti, ac vita privari, nec proinde desinunt hæc esse Dei beneficia.

XIV. Ad tertiam: In pœnam peccati sæpe denegatur gratia uberior, nunquam tamen denegatur gratia sufficiens: Nec gratia inefficax, quæ aliquando datur a Deo, datur qua inefficax, seu eo animo, ut culpa inducatur; adeo ut si gratia inefficax, quæ hic & nunc datur, prævideretur a Deo efficax, non daretur illa eadem, sed daretur alia inefficax; Si enim hoc pacto Deus conferret gratiam inefficacem, seu pure sufficientem, procul dubio peccatum intenderet, illudque Deo, non nobis imputaretur. Itaque quando in pœnam peccati denegatur gratia uberior, & efficax, & animo sincero datur inefficax, quin detur unquam, qua inefficax, tunc gratia ipsa inefficax, non desinit esse beneficium: Sicut si Rex det Paulo centum, ei daturus mille, si non deliquisset, adhuc centum illa habent rationem beneficii, esto minoris, quam si darentur mille. Ex quo sequitur, quod possimus a Deo petere, quod liberemur ab eo tantum, quod habet rationem pœnæ, nempe a privatione gratiæ uberioris, aut efficacis; quin prudenter possimus petere liberari a gratia sufficienti, secundum quod est sufficiens, sed solum a sufficienti, prout pure sufficienti, seu prout importat complexum ex gratia Dei, & culpa nostra.

XV. Ad quartam: Procul dubio necessitas moralis ad peccandum est pœna, non quidem inflicta, & intenta, sed solum permissa a Deo, & prudenter ab illa petimus liberari; necessitas autem moralis ad peccandum importat complexum ex sufficientia physica ad bonam operationem, & necessitatem moralem ad malum; & quia necessitas ista moralis simpliciter dicta semper conjungitur cum mala operatione, idcirco necessitas moralis ad peccandum neque habet rationem beneficii, prout connectitur, & involvit infallibiliter culpam; neque prout fert necessitatem moralem ad malum. Et ratio radicalis est, quia necessitas moralis ad peccandum est impotentia moralis ad bene operandum, impotentia autem ista moralis, quamvis conjungatur cum sufficientia physica, adhuc est impotentia simpliciter dicta: passim enim in Scripturis dicitur non posse, qui moraliter non potest. Sic in Trident. Justus cum auxiliis gratiæ ordinariis dicitur non posse omnia venialia vitare; & 1. ad Corinth. 10. dicitur: *Fidelis Deus, qui non permittit vos tentari ultra id, quod potestis*: cum autem impotentia simpliciter dicta ad bene operandum detur solum in supplicium, ac pœnam, ideo necessitas moralis ad peccandum non dicitur esse beneficium, sed prudenter petimus ab ea liberari. Quod si a complexo illo, quod involvitur in hoc vocabulo impotentiæ moralis, sejungatur illa tenuis gratia supernaturalis, qua reddimur physice potentes ad bene operandum, hæc procul dubio beneficium est, quamvis tenue comparative ad beneficium, quod confertur per gratiam sufficientem, quæ annectitur potentiæ morali ad bene operandum; & idem beneficium est tenuissimum comparative ad gratiam sufficientem, quæ annectitur bonæ operationi, seu comparative ad gratiam efficacem. Quare non potest ullatenus dici, quod gratia sufficiens seorsim sumpta non sit gratia, cum sit entitas supernaturalis dans physice posse ad bene operandum; quamvis habeat rationem pœnæ (non quidem inten-

intentæ, sed permissæ a Deo) complexum illud categorematice sumptum gratiæ conferentis potentiam physicam, & impotentiæ moralis. Gratia tamen, quæ physice, & moraliter est sufficiens ad bene operandum, procul dubio est purum beneficium; ac proinde collatio gratiæ sufficientis simpliciter est actio benevola; confertur quippe animo benevolo, ut bona operatio sequatur; & idcirco eo animo datur, ut si illa eadem gratia, quæ prævidetur inefficax, prævisa fuisset efficax, illa eadem & libentius daretur.

XVI. Dices primo: Deus prævidet gratiam pure sufficientem nobis ex vitio voluntatis nocituram: ergo non est beneficus illam conferendo; sicut non esset beneficus Rex dando gladium Petro, prævidens fore, ut illo sibi mortem conciscat.

Respondeo, prævisionem inefficaciæ non obstare, quominus gratia inefficax sit beneficium. Quod patet ex sensu communi SS. PP., qui ad interrogationem, Quare Deus creavit Dæmones, & Reprobos, quos præviderat esse damnandos? Respondent, non debere Deum abstinere a suorum munerum largitione, ex eo quod prævideat homines iis esse abusuros. Immo ut advertit August. in Ench. cap. 72. *Melius judicavit Deus de malis benefacere, quam mala nulla esse permittere*. Et ratio ulterior est, quia aliter Deus non posset concedere creaturas liberas, nec posset misericordiam, justitiam, & alia hujusmodi attributa exercere, si teneretur solum conferre auxilia efficacia. Immo ex hoc magis elucet Divina Bonitas quod prævidens homines fore ingratos, & abusuros gratia sufficiente, & aliis suis muneribus, adhuc tamen ea conferat, *Vincente præscientiam Bonitate*, ut loquitur Chrysost. Idcirco Rex prævidens, quod si Petro donet gladium, illi futurus sit detrimento, tenetur abstinere a tali donatione, nec ista haberet rationem beneficii; quia creatura tenetur impedire malum proximi: Deus tamen ex munere Causę Primæ non tenetur impedire peccatum creaturarum, aliter non posset illas concedere liberas; & ideo conferendo gratiam prævisam inefficacem est beneficus. Ad hoc autem explicandum dicendum cum Aldrete, quod Deus pro eo signo, quo vult gratiam inefficacem conferre, nec intelligitur prævidere inefficaciam: ad eum modum, quo pro eo signo, pro quo vult ponere decretum liberum, non intelligitur habere scientiam talis decreti; aliter cum scientia Dei sit infallibilis, decretum consequens non esset liberum, sed necessarium. Hinc sicut Rex est vere beneficus conferendo gladium militi eo animo, quod eo defendatur, si tunc non prævideat eo esse interimendum; ita beneficus est Deus conferendo gratiam inefficacem, per hoc quod pro signo, quo illam confert, non intelligitur prævidere ejus inefficaciam, & damnum ex vitio voluntatis secuturum.

XVII. Dices secundo: Habens gratiam pure sufficientem non potest non peccare, cum ad non peccandum requiratur gratia efficax: ergo per gratiam pure sufficientem constituitur homo a Deo in statu peccati, & damnationis; & consequenter ea non est beneficium, sed supplicium.

Respondeo ex D. Thoma, aliquas propositiones esse necessarias necessitate dicti, seu necessitate consequente, ut est hæc, Prædestinatus necessario salvatur, Scitum a Deo necesse est esse: & hujusmodi est hæc propositio, Habens gratiam pure sufficientem necessario peccat: Alias propositiones esse necessarias necessitate rei, seu necessitate antecedente; puta, Necesse est Deum cognoscere omnia. Necessitas prior non derogat libertati, & potentiæ ad oppositum; & ideo cum veritate hujus dicti, Necesse est, quod habens gratiam pure sufficientem peccet, stat pariter hæc alia veritas, quod habens gratiam pure sufficientem possit non peccare; quia necessitas illa est dicti, non rei; est consequens, non antecedens. Sic necesse est sedentem non ambulare, & tamen sedens habet potentiam ad ambulandum; ita pariter necesse est habentem gratiam pure sufficientem dissentire, & tamen habet etiam potentiam ad consentiendum. Ad id, quod additur, requiri scil. gratiam efficacem ad bonam operationem, & ad non peccandum, distinguendum est. Nam si sensus sit, quod requiratur gratia efficax importans auxilium sufficiens, & cooperationem Dei, ut habeatur ipsa bona nostra operatio, verum est; si sensus sit, quod requiratur gratia ista efficax importans complexum auxilii sufficientis, & operationem Divinam; ut possit haberi bona operatio, est falsum: non enim requiritur actus secundus, ut detur potentia proxima expedita ad illum. Sicut enim ut detur ignis comburens in actu secundo, requiritur ipsa combustio, non tamen ut ignis sit combustivus in actu primo; ita prorsus, ut detur voluntas bene operans, requiritur gratia efficax, quæ importat præter gratiam sufficientem etiam ipsam cooperationem voluntatis: at ut voluntas possit bene operari, sufficit gratia mere sufficiens; & idcirco hæc habet rationem beneficii.

XVIII. Dices ultimo: Deus discernit Electos a Reprobis, ut habetur 1. ad Cor. 4.; nec aliter discernit ex Aug. lib. 2. contra duas Ep. Pelag. cap. 7. nisi quia *Unde discernaris impertit*; ergo sicut Deus impertiendo gratiam efficacem Petro, illum causaliter eligit, facitque vas in honorem, ut dicitur ad Rom. 9.; ita impertiendo gratiam inefficacem causaliter reprobat, & facit vas in contumeliam; atqui merito petimus a reprobatione liberari: ergo merito petere etiam possumus, A gratia sufficienti libera nos Domine.

Respondetur, Deum speciali affectu discernere Electos conferendo gratiam efficacem, cum qua ipsi cooperantur: & quia etiam nostra operatio tribuitur Deo illam intendenti, ac conferenti gratiam prævisam efficacem intendendo hujusmodi efficaciam, ideo uni Deo tribuitur nostra electio, & prædestinatio; cum nemo possit de sua cooperatione gloriari, quasi non acceperit, ut loquitur Apost. 1. ad Cor. 4. At reprobos non dicitur consimili affectu discernere, cum non det illis gratiam inefficacem ex affectu inefficaciæ, & intendendo culpam; quin potius dat gratiam suadendo, præcipiendo, & intendendo bonam operationem; unde quamvis ex collatione gratiæ pure sufficientis, & inefficacis consurgat vas in contumeliam, id non tribuitur Deo illud intendenti, nec gratiæ a Deo collatæ, sed ipsi male operanti juxta illud Oseæ, *Perditio tua, Israel, in me tantummodo auxilium*. Quocirca immerito petimus a gratia sufficienti liberari, cum solum petere debeamus a defectu nostræ cooperationis misericorditer liberari; Quod a Deo præstatur, si non solum conferat nobis posse bene operari, seu gratiam sufficientem, sed etiam ipsum bene operari, videlicet gratiam prævisam efficacem; qua Deus, ut loquitur Augustinus **l. 1. de Liber. Arbit. cap.** 6 *efficit*, *ut faciamus*.

PROPOSITIO VII.

Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est, si mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est.

S I N O P S Y S.

I. Iterum in hac thesi recuditur error Baji, quod in natura lapsa non detur actus virtutis condistinctæ a Charitate supernaturali; unde omnis humana actio vel sit dilectio Dei supernaturalis, seu Charitas Patris, atque adeo bona; vel dilectio Mundi, seu concupiscentia carnis, atque adeo mala. II. Ad conterenda hæc dogmata plures Bajanæ theses fuerunt proscriptæ. III. In eo videntur niti, quod Scripturæ, & Patres passim dicant, inter iniquitatem, & Charitatem nihil mediare. IV. Et Arausicanum dicat, Neminem habere de suo, nisi peccatum. V. Et quia ex Augustino, si ad Creatorem referatur amor, est Charitas, si creatura propter se ametur, est cupiditas, quæ mala est.

VI. Sed negari non possunt actus virtutum naturalium, necnon supernaturalium condistinctarum a Charitate. VII. Aliter frustra in Baptismo aliæ virtutes a Charitate infunderentur.

VIII. Quando dicitur inter charitatem, & iniquitatem nihil mediare, nomine charitatis venit amor omnium virtutum moralium, quæ in charitate radicantur. IX. Homo non habet de suo, nisi peccatum, quatenus solum peccatum ita est nostrum, ut nullatenus agnoscat Deum auctorem. X. Etiamsi ad quamcumque operationem bonam requireretur gratia per Christum, non idcirco ea esset necessarie charitas Patris, sed posset esse ordinis naturalis, quæ dicitur Gratia Providens. XI. Eaque dicitur necessaria, non necessitate antecedente, & quoad sufficientiam, sed necessitate consequente, & quoad efficaciam.

XII. Hinc descendit falsitas sequentis thesis, quod scil. omnia Infidelium opera sint peccaminosa.

XIII. Præsertim quia non est impossibilis dilectio Dei naturalis in natura destituta auxilio supernaturali.

I. EXponitur. Mirum sane videri debet, quod iterum error hic irrepserit, illumque propugnarint Joannes Sinnichius S. T. P. Lovanii die 4. Aprilis 1661. thesi 3., & Macarius Havermans S. T. P. Antuerpiæ 10. Maji 1675., ac nonnulli alii Lovanienses post jam proscriptam a Pio V. & Greg. XIII. propositionem 38. Michaelis Baji, quæ habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Si enim datur amor, qui neque est cupiditas vitiosa, neque charitas supernaturalis, datur consequenter humana actio deliberata, quæ neque est concupiscentia carnis, neque charitas Patris. Bajus, ut advertit Ripald. tom. 3. d. 13. n. 29. negabat possibilem in natura lapsa quemcunque actum virtutis condistinctæ a charitate supernatutali; & idcirco docuit omnem amorem liberum vel esse meritorium vitæ æternæ, si sit elicitus a charitate, vel esse peccaminosum, si ad perfectionem charitatis supernaturalis non pertingat. Docuit quippe non semel, naturam humanam post lapsum adeo imbecillem esse, ut nonnisi ad peccandum valeat; atque adeo citra gratiam, qua Deus ametur amore supernaturali, quemcumque alium amorem, & quemcumque alium actum deliberatum esse inordinatum, & peccaminosum.

II. Ad conterenda hæc falsa dogmata damnatæ fuerunt plurimæ ejus propositiones, nimirum 30. *Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, idest quod ex naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.* Et 36. *Amor naturalis Dei, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus*; Et 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet;* Et 65. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis bonus liberi arbitrii, sive non malus, & gratiæ Dei injuriam facit, qui ita sentit.* Ex his, aliisque Bajanis propositionibus tanquam ex infecta radice pullularunt plures errores Jansenii, & plurimæ ex thesibus ab Alex. VIII. confixis, præsertim ab hac septima usque ad decimam quintam, sicut etiam 23., ut infra ostendemus.

III. Rationes, quæ Bajum, ac Baji asseclas ad hos errores pertraxerunt, videntur esse, Primo, quia passim SS. Patres, & Scripturæ docent, inter charitatem, & iniquitatem nihil mediare, atque adeo omnem actionem deliberatam vel esse amorem Dei supernaturalem, seu Charitatem Patris, vel esse peccatum, seu carnis concupiscentiam. August. in Psalm. 18. *Qui noluerit servire charitati, necesse est serviat iniquitati*. In Enchirid. cap. 107. *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est charitas*. Leo Papa serm. 5. de jejunio habet: *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates; rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut Mundi*. Et Matth. 12. ipse Christus Dominus: *Qui non est mecum, contra me est*.

IV. Secundo, quia ut dicitur in Arausic. can. 22. ex Augustino tract. 3. in Joan. *Nemo habet de suo, nisi peccatum, & mendacium*; Ex Cœlestino Papa ad Episcopos Galliæ: *Nemo nisi per Christum bene utitur Libero Arbitrio*. Ex August. de spiritu, & litera cap. 3. *Neque Liberum Arbitrium quicquam, nisi ad peccandum valet, si lateat veritatis via*. Et Apostolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*: Ergo humana actio deliberata, quæ gratia Dei non adjuvatur ad Deum diligendum, atque adeo non est Charitas Patris, erit carnis concupiscentia peccaminosa.

V. Tertio, quia ad opus moraliter bonum requiritur cogitatio congrua, quæ sine gratia Christi haberi non potest, juxta plurium DD. sententiam cum Vasq. p. 2. d. 189., Torres, necnon Mæratio de Gratia disp. 1. sect. 15. & aliis: ergo quælibet actio deliberata, si ex viribus gratiæ eliciatur, erit Charitas Patris, secus vero erit carnis concupiscentia. Et ratio ulterior est, quia ut habet August. l. 9. de Trinit. c. 7., *Si ad Creatorem referatur amor, non jam cupiditas, sed Charitas erit; tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur Creatura*: Cum autem in omni actione deliberata ametur vel Creator propter se, vel Creatura, ideo quælibet actio deliberata vel est Charitas, vel concupiscentia; quæ procul dubio mala est: nam, ut idem August. habet lib. 6. de Musica cap. 14. *Amor inferioris pulchritudinis* (idest Creaturæ) *animum polluit*. Contra vero amor Creatoris purus, & castus, qui viribus na-

naturæ est impossibilis ex August. lib. 5. cont. Jul. c. 3., erit Charitas Patris, atque adeo inter Charitatem Patris, & concupiscentiam carnis non datur medium in humanis actionibus.

VI. Ostenditur tamen falsitas. Etiam transmisso, quod dari non possint actus morales indifferentes in individuo (quos tamen plurimi, & graves Theologi admittunt possibiles) negari non potest, possibiles esse actus virtutum naturalium, qui nec Charitas Patris sunt, nec peccata, ut constat ex illo Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt;* Et ex propositionibus Baji citatis: Et licet non essent possibiles sine gratia supernaturali actus virtutum, adhuc tamen possibiles sunt actus supernaturales in peccatore Fideli, & Infideli, qui nec sint peccata, nec actus Charitatis, sed aliarum virtutum, puta Fidei, Spei, Misericordiæ: Quis enim neget, peccatorem Fidelem, & Infidelem bene operari, si orationibus, & jejuniis instet coram Deo, orans ut viam salutis edoceatur, si credat, speret, & ex metu gehennæ de peccatis doleat? qui omnes actus nec Charitas Patris sunt, nec carnis concupiscentia.

VII. Et sane si omnis actio humana deliberata, quæ non est Mundi dilectio, esset dilectio Dei, frustra in Baptismo aliæ virtutes supernaturales infunderentur; quippe quæ nunquam in actum secundum essent prodituræ. Quod autem in Baptismo infundantur aliæ virtutes saltem Theologales, constat ex Trid. sess. 6. cap. 7. Et ratio, cur virtutes istæ debeant infundi, est, quia per actus fidei, & spei disponitur homo ad charitatem, qua acquisita fit homo Dei amicus per gratiam; & idcirco debet posse etiam actus virtutum reliquarum supernaturales exercere: cum enim gratia sit natura supernaturalis, ac prima radix potentiarum, seu habituum, ac actuum supernaturalium, debuit per suas potentias, seu habitus infusos ad omnes illos actus honestos posse influere, ad quos potest homo in pura natura se extendere; atque adeo sicut in pura natura possibiles sunt actus naturales singularum virtutum; ita in natura elevata per gratiam possibiles sunt actus supernaturales singularum virtutum, ad quos influant habitus infusi. Ex hoc autem quod natura sit lapsa in culpam, non fit quominus ex meritis Christi possit gratiam recuperare, cui competunt de se virtutes omnes infusæ, tamquam ejus proprietates: ergo etiam in natura lapsa possunt actus supernaturales singularum virtutum exerceri vi istarum virtutum infusarum, ne dicamus, quod sint semper otiosæ, ac supervacaneæ. Hinc illud Ps. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem:* Quomodo autem progressus ab una ad aliam virtutem contingere posset, si unius charitatis exercitium esset possibile in natura lapsa, & non etiam exercitium virtutum reliquarum? Propterea id, quod dicitur in eodem Psalmo, *Beatus vir, cujus est auxilium abs Te, ascensiones in corde suo disposuit*, communiter Sancti Patres intelligunt de ascensione, quæ fit vi auxiliorum Divinorum ab exercitio virtutis inferioris ad exercitium superioris, usque ad supremam, quæ est charitas: Sicut etiam de exercitio virtutum minus intenso ad intensius: Quare inficiari nemo potest, quod præter charitatem, aliæ etiam virtutes supernaturales exerceri possint in natura lapsa. Et dato, quod Deus vellet influxu superno ad solos actus charitatis concurrere, non inde fieret, quod omnis actio humana deliberata, quæ non est Dei dilectio supernaturalis, esset Mundi dilectio; possunt enim virtutes aliæ morales naturales etiam ab Infidelibus exerceri, ut fuse ostendemus in expositione thesis sequentis, necnon undecimæ.

Confirmantur hæc omnia ex eo, quod dicitur Sap. 7. de Sapientia Charitati conjuncta: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, & innumerabilis honestas per manus illius*; ubi aperte significatur, præter sapientiam, & charitatem plurima alia bona ad morum honestatem spectantia animo advenisse; atque adeo plures alias dari virtutes a charitate distinctas; Quod pariter constat ex eo, quod dicitur Sap. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominis.* His enim verbis ex August. lib. 1. Retract. cap. 7. explicantur quatuor virtutes Cardinales ab invicem, & a charitate distinctæ, licet eidem sociali nexu copulatæ. Hinc Catechismus Romanus capite de Baptismo diserte afferit, effectum justificationis esse *Nobilissimum virtutum comitatum, quæ in animum cum gratia infunduntur*. Et in illud ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde*, addit Glossa, *Ad remissionem omnium peccatorum, & copiam virtutum*. Hujusmodi autem virtutes non ex officio, ut comminiscuntur Bajani, sed ex fine, seu ex honestate objectiva inter se discriminari explicabimus in expositione undecimæ thesis.

VIII. Ad primam rationem in contrarium: Augustinus, ut ostendit Ripald. t. 3. disp. 22. n. 186. nomine Charitatis, quæ opponitur iniquitati, intelligit charitatem late sumptam, quæ complectitur amorem omnium virtutum moralium, quatenus ex charitate presse sumpta consequitur reliquarum virtutum amor, juxta illud Christi Domini Jo. 15. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit;* Et ad Rom. 10. *Plenitudo legis est dilectio*. Præterea nomine Cupiditatis apud Augustinum non venit quilibet amor creaturæ, sed cupiditas mala, seu concupiscentia, de qua dicitur: *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum*. Etenim lib. 83. QQ. qu. 36. habet: *Aliud est Charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix omnium malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus, & vitium*. Cum autem sublatis actibus indifferentibus, quælibet actio vel virtuosa sit, vel vitiosa, ideo in hoc sensu verum est, quod regnet carnalis cupiditas, ubi non est charitas: Eademque via aliis auctoritatibus adductis occurrendum.

IX. Ad secundam: Arausicanum, & Augustinus dicentes, *Nemo habet de suo, nisi peccatum, & mendacium*, non sunt intelligendi in sensu, quo Bajus in propositione 27. damnata dixit: *Liberum Arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*: Bajus enim vult, omnes deliberatas actiones, quæ sine gratia Dei fiunt, esse peccaminosas, quod est falsum: Augustinus vero solum vult, peccatum esse ita proprium nostrum, ut nullo modo sit Dei Auctoris: Is enim dicitur alicujus operis Auctor, qui illud vult, ex eodem August. dicente loc. cit. *Illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus*; Cum autem omnia omnino sint Deo volente, præter peccatum, quod unice vult voluntas creata, ideo solum peccatum habet Auctorem ipsam voluntatem creatam, reliqua omnia habent Auctorem Deum. Cœlestinus Papa loc. cit.

ſolum docet, quod libero arbitrio nemo poteſt uti, ut oportet, ad vitam æternam obtinendam ſine gratia per Chriſtum. Et Apoſtolus ſolum monet, quod gratia per Chriſtum requiratur ad ſuperandas tentationes graves, necnon ad ſuperandas collective omnes tentationes, ut docent communiter. Et quamvis verum eſſet, quod ad ſingulas tentationes leves ſuperandas requiratur alia gratia per Chriſtum, ut putant Vaſq., Bellarm., Mærat., & alii contra communiorem cum Suar.; nihilominus Auctores iſti, ut notat Ripal. t. 3. d. 13. n. 3. ſolum contendunt, quod ad vincendas ſingulas tentationes requiratur gratia conſequens, ſeu quoad efficaciam, non vero antecedens, ſeu quoad ſufficientiam: Conſtat enim ex propoſitione 31. Baji, dari in natura ſufficientiam ad vincendas tentationes, victoria tamen non ſalutari, nec conducente directe ad vitam æternam. Præterquamquod Vaſq., & Bellarm. nunquam docuerunt, eſſe gratiam, qua tentationes ſuperamus, eam gratiam ordinis ſupernaturalis, ita ut per illam gratiam & tentatio vincatur, & ſimul ponatur Dei dilectio, ſeu actus, qui ſit Charitas Patris; poteſt enim quis v. gr. nolle furari, velle credere, ſeu velle ſperare &c. vincendo oppoſitas tentationes, quin ponat actum charitatis; atque adeo falſum eſt, quamcumque actionem, quæ non ſit Charitas Patris, eſſe carnis concupiſcentiam, & malam.

X. Ad tertiam recurrit eadem reſponſio. Etiam dato quod cogitatio congrua prærequiſita ad actum moraliter bonum eſſet gratia per Chriſtum, nihilominus hujuſmodi gratia non ſemper trahere debet actum dilectionis Dei, ſeu charitatis ſupernaturalis ſtricte dictæ. Præterquamquod Vaſq., & Bellarmin. ſolum contendunt requiri ad actum moraliter bonum eliciendum gratiam per Chriſtum, quæ tamen ſit ordinis naturalis, videlicet gratiam, quæ dicitur Providens, ſpectans ad ordinem Providentiæ naturalis, non vero gratiam evehentem ſupra vires naturæ, qua fiat opus ſalutare, de qua Scripturæ, & Doctores loquuntur, ubi dicunt: *Sine me nihil poteſtis facere; Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu ſancto; Non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid ex nobis, ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt: Gratia Deo, qui dedit nobis victoriam per Chriſtum.* In tantum autem Gratia iſthæc ordinis naturalis diceretur gratia per Chriſtum, quia omnis gratia conferens aliquatenus ad juſtificationem, & ad ſalutem eſt gratia per Chriſtum; cum Chriſtum venerit, ut loquitur Auguſtin. Epiſt. 105. *non pro nullis, ut homines condetentur, ſed pro impiis ut juſtificarentur:* hujuſmodi autem gratia ordinis naturalis confert etiam, licet indirecte, ad juſtificationem, quatenus ponens ſub iſta gratia actum honeſtum ordinis naturalis, ſuperveniente deinde illuſtratione ſupernaturali circa idem objectum, ob habitum antecedenter acquiſitum facilius in actum ſalutarem inclinatur.

XI. Ut omittam, hanc ipſam gratiam per Chriſtum ordinis naturalis (quam Vaſq., & Bell. putant eſſe neceſſariam ad actus honeſtos) ſolum eſſe neceſſariam, ut diximus, neceſſitate conſequente, ſeu quoad efficaciam, & relate ad actum ſecundum, non vero neceſſitate antecedente, ſeu quoad ſufficientiam, & relate ad actum primum: Quicquid ſit de ſententia illa Ripaldæ, & aliorum, quod ſcil. in præſenti ordine, quoties habetur opportunitas eliciendi actum honeſtum naturalem, ſemper adjungatur gratia ordinis ſupernaturalis, qua ſimul alter etiam actus honeſtus ſupernaturalis circa idem objectum eliciatur: juxta quam ſententiam idcirco non poteſt elici actus honeſtus ſine gratia ordinis ſupernaturalis, quia non poteſt elici actus honeſtus naturalis, quin ſimul eliciatur circa idem objectum actus honeſtus ſupernaturalis, & ſalutaris.

XII. Ex hactenus dictis deſcendit falſitas, tum propoſitionis octavæ ſequentis: *Neceſſe eſt infidelem in omni opere peccare;* tum undecimæ, quæ habet: *Omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana ſupernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum eſt.* De quibus fuſe Vaſq. p. 2. d. 191., & Ripalda tom. 3. d. 20. Hic ſolum adverto, has etiam propoſitiones niti in erroribus Bajanorum, qui putantes omnem actionem deliberatam eſſe peccaminoſam, ſi non ſit Dei dilectio, docuerunt conſequenter Infidelem in omni ſua actione peccare, eo quod careat fide, atque adeo dilectione Dei ſuper omnia. Hujus quippe furfuris fuerunt plurimæ ex proſcriptis propoſitionibus Baji, nempe 25. *Omnia opera Infidelium ſunt peccata, & virtutes Philoſophorum ſunt vitia.* Et 23. *Cum Pelagio ſentiunt, qui textum illum Apoſtoli Roman. 2., Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt, faciunt, intelligunt de Gentilibus Fidem non habentibus:* Necnon 35. *Omne, quod agit peccator, vel ſervus peccati, peccatum eſt.* Ac. 40. *In omnibus ſuis actibus peccator ſervit dominanti cupiditati.* Quarum omnium falſitas ex eo pariter evincitur; tum quia poſſibiles ſunt ſine gratia ſupernaturali actus honeſti naturales, etiam in infidelibus, & peccatoribus, quin dici poſſit, hujuſmodi actus honeſtos eſſe peccata; tum etiam quia nemo dixerit, Infidelem, & peccatorem Divinis inſpirationibus obtemperantem peccare (quando v. g. invitantur a Deo ad orandum, ad quærendum Inſtructorem in Fide, ad jejunandum) quamvis tunc non diligant Deum, nec ſint in ſtatu gratiæ; atque adeo falſum eſt, peccatum eſſe omne, quod non eſt ex fide Chriſtiana, quæ per dilectionem operatur.

XIII. Quibus adde, non poſſe dici, quod ſint peccatum actus ſupernaturales Fidei, & Spei præeuntes ad actum dilectionis Dei, qui ab Infideli, & peccatore elici poſſunt, ut ad gratiam diſponantur; Nec poſſe impoſſibilem eſſe naturæ humanæ gratia ſupernaturali deſtitutæ amorem Dei naturalem (qui procul dubio non eſt peccatum) ut fuſe oſtendit Ripald. t. 3. diſt. 114. ſect. 16.; cum Deus ſumme bonus, & amabilis ſit intra ſpecificativum voluntatis humanæ tendentis ad bonum. Quamvis autem in natura lapſa ad Deum diligendum aliqua gratia per Chriſtum requireretur, ut docuit Vaſq., Mærat., Torres, ea tamen non debet eſſe gratia ordinis ſupernaturalis, ſed ſolum ordinis naturalis, quæ dicitur gratia providens; quippe quæ ſpectat ad providentiam cauſæ primæ, cujus eſt ita combinare curſum cauſarum ſecundarum, ut hic & nunc conſurgat cogitatio congrua, ad quam amor Dei naturalis conſequatur; Damnata quippe eſt propoſitio 30. Baji dicens; *Non ſolum fures hi ſunt, & latrones, qui Chriſtum viam, & oſtium veritatis, & vitæ negant; ſed etiam quicumque aliunde, quam per Chriſtum in viam juſtitiæ, hoc eſt ad aliquam juſtitiam, conſcendi poſſe dicunt.* In qua propoſitione damnatur (ut notat idem Ripald. num. 33. contra nonnullos) non dari in natura ſufficientiam ad aliquam juſtitiam, ſeu ad aliquem actum moraliter bonum; quod pariter

damna-

damnatur in illa 38. propositione Baji, *Omnis amor Creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis est charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Manifesta est itaque falsitas hujus 7. propositionis ab Alex. VIII. proscriptæ, necnon octavæ sequentis, & undecimæ. Quarum, aliarumque proscriptarum thesium præcipuos Auctores, ac Fautores qui scire velit, consulat libellum inscriptum: *Doctrina Theologica per Belgium manans ex Academia Lovaniensi ab anno* 1644. ad 1677. typis datum Moguntiæ 1681., ubi plures S. Theologiæ DD. Belgæ, præsertim Lovanienses recensentur, istarum, aliarumque ejusdem furfuris thesium propugnatores: quamvis Facultas Theologica Lovaniensis ab iis abhorreat, & post Pontificiam proscriptionem acriter illas insectata sit.

PROPOSITIO VIII.

Necesse est Infidelem in omni opere peccare.

SYNOPSIS.

I. Hic pariter error auctorem habuit Bajum, aliosque hæreticorum Antesignanos. II. Nititurque in nonnullis Scripturæ, & Patrum textibus ad id suadendum detortis. III. Necnon in eo, quod opus, ut sit studiosum, ac bonum, ordinari debeat ad Deum, ita ut Dei dilectionem involvat: quod ab infidelibus præstari nequit. IV. Aliter homo creaturis frueretur, non uteretur. V. Sed Tridentinum anathematizat asserentem, omnia opera ante justificationem facta esse peccata; & Patres passim docent, multos Infideles fuisse virtutibus naturalibus præditos. VI. Quod etiam ex Scripturis constat. VII. Ut opus sit studiosum, sufficit, quod virtualiter, & ex natura sua ad Deum referatur. VIII. Transmisso, quod deberet actu ad Deum referri, saltem qui hujusmodi obligationem ignoraret, a culpa excusaretur. IX. Quod non est ex Fide, peccatum est, hoc est quod dictamine conscientiæ non creditur esse bonum. X. Patres solent virtutes Infidelium vocare vitia, quatenus passim ab iis ob finem pravum exercentur. XI. Honeste virtus propter se amatur, etiamsi sit Deo inferior. XII. Utimur, non fruimur Creaturis, quando virtutem amamus propter propriam ejus honestatem, cum idipsum virtualiter propter Deum ametur. XIII. Falsissimum est, aliquas Bajanas theses posse aliquo pacto in rigore, ac proprio verborum sensu sustineri.

I. EXponitur. Hæc thesis Auctorem habet Bajum, ut diximus in thesi antecedenti, cujus erat propositio illa 25. a Pio V., & Gregorio XIII. proscripta, *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia*: Immo ante Bajum docuerant illam tum Lutherus in Epistol. ad Galat. cap. 4. dicens: *Opera extra Fidem facta, ut maxime in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledicto sunt*; Tum etiam Calvinus pluribus in locis apud Rip. t. 3. d. 20. nu. 6. dicens: *Sine Fide, quæ videntur bona opera, in peccata vertuntur*: Nec non Chemnitius, Bucerus, Chamierus, & alii hæreticorum Antesignani. Chemnitius in Ex. 4. Trid. in sess. 6. habet: *Infidelium opera non inter vere bona opera, sed inter peccata recensenda sunt*; Bucerus 1. ad Rom. cap. 14. *Quod Fide caret, non modo ingratum, sed & abominabile est apud Deum*: Chamierus lib. 4. c. 6. *Infidelium voluntas, eo ipso ac destituitur Charitate, mala est.*

II. Id suadere conantur, Primo ex necessitate Fidei ad omne opus moraliter bonum: dicitur enim ad Heb. 11. *Sine Fide impossibile est placere Deo*, & ad Rom. 14. *Omne, quod non est ex Fide, peccatum est.* Ubi Aug. tract. 86. in Jo: addit: *Quid enim est boni operis ante Fidem, cum dicat Apostolus, Omne, quod non est ex Fide, peccatum est?* Similiter Isaiæ 1. dicitur: *Incensum abominatio est mihi, & solemnitates vestras odit anima mea: qui immolat bovem, quasi qui interficit hominem*; Ex quo textu Chemnitius infert, si Sacrificia Fidelium, quæ fiunt in peccatis, Deo displicent, a fortiori si fiant ab Infideli: De utroque autem dici potest illud Matth. 7. *Non potest arbor mala bonos fructus facere.*

Secundo ex Patrum auctoritate: Augustinus enim passim docet apud Vasq. p. 2. d. 121. n. 2., sine Fide, & cultu Dei non posse esse opus veræ virtutis; præsertim lib. 5. de Civ. c. 12., & l. 3. de Trin. c. ult. Item alii PP. apud Ripald. d. 20. sect. 12.; quos inter D. Hieron. l. 2. in Epist. ad Galatas c. 3. ubi habet: *Qui in Christum non credentes, fortes, & sapientes, & temperantes se putant esse, sciant nullum absque Christo vivere, sine quo omnis virtus in vitio est.*

III. Tertio ratione a priori, quam promovet Ariminensis in 2. dist. 39. qu. 1. art. 2., quia universim, ut opus sit studiosum, & bonum, fieri debet prout oportet, ita scil. ut quod oportet fiat, quando, quantum, & cujus gratia oportet; alioquin, ut ait Aristoteles 2. Eth. 4. homo faciet justum, sed non juste: atqui finis, cujus gratia quodvis opus liberum fieri debet, ut juste, & recte fiat, est Deus dilectus, ad quem omnia tanquam ad finem ultimum referenda sunt: ergo qui carent hac Dei dilectione (ut carent omnes Infideles, & peccatores fideles) non faciunt opus bonum, sed malum, & peccaminosum. Minor probatur, quia nihil aliud præter Deum diligendum est propter se; atque adeo opus, quod non dirigitur ad Deum dilectum, est peccaminosum. Neque dicas, opus esse studiosum, si ametur propter ipsam virtutem, etiamsi non ametur propter Deum dilectum. Nam cum virtus sit quid inferius Deo, si potest aliquid amari propter virtutem, & non propter Deum citra culpam, poterunt etiam citra culpam fama v. g. honor, divitiæ amari propter se, & non propter virtutem; quod nemo dixerit.

IV. Confirmatur, quia Creatura rationalis, ut conformiter ad rectam rationem operetur, debet omnia sua opera in Deum tamquam ultimum finem ordinare, illumque diligere: ergo Infidelis carens Dei cognitione, & amore nequit juxta rationis ductum operari. Antecedens videtur esse Augustini pluribus in locis apud Rip. t. 3. d. 20. præsertim l. 4. contra Julianum c. 3. ubi habet: *Cum ad suum non referuntur Auctorem dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti.* Et l. 83. qq. q. 3. ubi docet, rebus omnibus creatis utendum esse, non fruendum, atque adeo propter Deum omnes, nullamque Creaturam propter seipsam diligendam esse: ergo Infideles, qui Creaturis semper fruuntur, non utuntur, in omni suo opere peccant. Et hoc est, quod contendit Bajus probare in l. de virtutibus impiorum, præsertim cap. 4., cui hunc titulum præfigit: *Quod honestatis officia, cum in Deum non referuntur, non sint virtutes, sed vitia*; Et cap. 5. cujus titulus est:

Quod virtutes impiorum, quæ in Deum non referuntur, non ideo ab Augustino negantur esse veræ, quia non salvant, sed vitia sunt, & damnant. Et c. 8. cujus tit. *Quod liberum arbitrium sine Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*.

V. Ostenditur falsitas, tum ex iis omnibus, quæ diximus in thesi antecedenti adversus Baji proscriptas propositiones, præsertim 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata*: 35. *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: Et 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*; Tum quia adversus Lutherum definit Trid. sess. 6. can. 7. *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit*: Tum etiam quia Patres id passim docent. Hieronymus in quadam Epistola ad Demetriadem habet: *Quid enim? multos Philosophorum & audivimus, & legimus, & ipsos vidimus castos, patientes, modestos, liberales, abstinentes, benignos, amatores justitiæ, non minus quam sapientiæ. Unde quæso hominibus alienis a Deo ista, quæ Deo placent? Unde hæc illis bona, nisi de naturæ bono?* Aug. Epist. 130. narrat de Polemone idololatra, non solum ebrioso, sed etiam tunc ebrio, quod ad bonam frugem Xenocratis sermone conversus fuerit: Et lib. de Spir., & lit. cap. 26. habet: *Impiorum Deum verum neque veraciter, neque juste colentium quædam facta legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulas non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus*: Et lib. 5. de Civit. Dei cap. 15. dicit Deum amplitudinem Imperii Romanis contulisse, eo quod plurimis virtutibus naturalibus pollerent. Passim enim Deus operationes laudabiles, & honestas Infidelium, ac Fidelium peccatorum in hac vita remuneratur, eo quod non possit juxta præsentem providentiam in alia. Unde fit, inepte Bajanos velle, quod opera Infidelium sint solum bona ex objecto duntaxat, seu, ut ipsi loquuntur, ex officio, non vero ex fine. Nam si ea essent ex fine peccaminosa, non posset dici, quod Deus illa remuneretur, nec quod ad ea facienda Deus adjuvet, nec quod ea sint Dei dona, nec posset Deus illa commendare: Quæ omnia etiam operibus bonis Infidelium competere passim docent Patres, ac præsertim Augustinus locis laudatis.

VI. Habetur id etiam in Scripturis. Nam Ex. 1., quia obstetrices Ægyptiæ timentes Deum non fecerunt juxta impium præceptum Regis Ægypti, sed conservabant mares, Deus illas muneribus cumulavit; dicitur enim Exod. 1. *Bene ergo fecit Deus obstetricibus. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificavit eis domos*. Pariter pepercit Deus Achab, eo quod viderit illum coram se humiliatum, ut habetur 3. Reg. 21. *Nonne vidistis Achab humiliatum coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum super eum*. Et Danielis 4. Nabuchodonosor Regi dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum: forsitan ignoscet Deus delictis tuis*: Constat igitur ex Scripturis, & Patribus, posse Infideles operationes morales honestas exercere, atque adeo eos non peccare in omni suo opere.

VII. Ratio autem a priori, cur etiam in Infidelibus esse possint operationes laudabiles, & non peccaminosæ, est, quia, ut opus sit studiosum, & moraliter bonum non requiritur, quod illud eliciatur ex Fide Divina, & infusa, qua credatur illud esse bonum; Neque requiritur, quod tale opus actu, & formaliter ad Deum referatur; sed sufficit, quod ad Deum referatur virtualiter relatione virtuali, quæ continetur in ipso amore virtutis, & honestatis affectu, natura sua tendente, ac referibili in Deum. Constat id ex Philosopho 2. Eth. 4., ubi docet, quod ut quis non solum honesta, sed etiam honeste operetur, sufficit, quod operetur sciens, eligens, & propter ipsum, hoc est propter honestatem; Et hic est sensus omnium Theologorum. Aliter sequeretur, quod Fidelis, & Baptizatus, qui numquam lethaliter peccavit, si tribueret eleemosynam ex hoc tantum fine quia honestum est succurrere miseris, vel si obtemperaret parentibus per hoc præcise, quia hoc est rationi consonum, peccaret; quod plane absurdissimum est. Præterquamquod etiamsi requireretur, quod opus formaliter ad Deum referatur, ut sit bonum usquequaque, hoc etiam haberi potest in Infideli, qui naturaliter potest Deum diligere, ut innuimus in thesi antecedenti. Præsertim quia damnata est proposit. 34. Baji dicens: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis vid., quo Deus amatur ut Auctor vitæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum Sacris Literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata*: Et 23. dicens: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum illum Apost. Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt, intelligunt de Gentibus Fidem non habentibus*: Si ergo Fidem non habentes naturaliter faciunt quæ legis sunt, & lex naturæ dictat, omnia ad Deum referenda, ut Creaturis utamur, non fruamur, independenter a gratia supernaturali, & a Fide, poterit hoc ab Infidelibus præstari, & sic non solum non peccarent in hujusmodi opere, sed etiam bene operarentur.

VIII. Neque dicas, quod etiam a nonnullis Scholasticis Theol. cum Vasq. p. 2. d. 189., & Mærat. de Grat. disp. 1. sect. 15. exigatur Gratia per Christum, ut possit poni amor Dei, & quilibet alius actus virtutis, qui ad Deum referatur. Nam diximus cum Ripald. t. 3. d. 13. n. 13. ab his Auctoribus numquam negari, quod independenter a gratia supernaturali possit naturæ viribus poni amor Dei super omnia, solumque requiri gratiam per Christum, ut amor Dei ponatur, non ut possit poni; atque adeo requirunt gratiam consequentem spectantem ad efficaciam, non antecedentem spectantem ad sufficientiam. Quinimo docent sufficere, quod gratia ista per Christum ad ponendum amorem Dei naturalem requisita sit solum ordinis naturalis, quæ nuncupatur Gratia providens, qua ita humanis rebus consulitur, ut hic & nunc consurgat congrua cogitatio, ad quam sequatur amor Dei naturalis, qui proinde nullam habet conducentiam ad vitam æternam, nisi tantum per accidens, & indirecte, quatenus facilius cum auxilio gratiæ ponitur deinde amor Dei supernaturalis vitæ æternæ meritorius.

Adde demum, quod licet opus referri actu deberet ad Deum, ut esset studiosum; nihilominus si Infidelis, aut Fidelis de hac obligatione non cogitet, aut illam invincibiliter ignoret, procul dubio illud omittendo non peccabit; cum ignorantia invincibilis, & impotentia a peccato excusent; ergo falsum est, Infidelem in omni sua libera, ac morali operatione peccare.

IX. Ad auctoritates Scripturæ, & PP. in contrarium adductas respondetur sigillatim. Apostolus dicens, *Sine fide impossibile est placere Deo*, loquitur de perso-

persona, non de opere. Vel dicas cum Cornelio loqui de opere, quatenus sine fide non conducit ad vitam æternam. Et quando dicit. *Quod non est ex fide peccatum est*, communiter Expositores docent loqui de dictamine conscientiæ; peccatum enim est quodcumque ex conscientiæ dictamine non creditur esse bonum. Illud vero Augustini, *Quid enim est boni operis ante Fidem, cum dicat Apostolus: Omne, quod non est ex fide, peccatum est?* in eo sensu sumi debet, ut notat Ripal. disp. 20. n. 101., quatenus Infidelis servus est peccati, & nisi Dei gratia adjuvetur, in peccatum potius quam in opus bonum inclinatur, juxta illud Apost. ad Rom. 6. *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ, nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem.* Isaias, ut exponit Vasq. p. 2. d. 191., idcirco dicit, Sacrificium a peccatoribus oblatum odio haberi a Deo, Vel quia Sacrificium institutum ad placandum Deum provocat illum ad iracundiam, si fiat a peccatore, qui de peccatis non doleat: Vel quia Deus se habet instar odio habentis illud: sicut dicitur Deus irasci, ac ipsum pœnitere, quia instar irati, ac pœnitentis se habet: Certum tamen est, quod oblatio Sacrificii Eucharistici sacrilege facta vere Deum ad iracundiam provocat. Deinde illud Christi Dom. *Non potest arbor mala bonos fructus facere*, intelligi debet de voluntate perversa; Aliter neque posset justus peccare, cum pariter Christus dixerit, *Non potest arbor bona malos fructus facere.* Et similiter Apostolus dicens, *Omnia munda mundis, inquinatis autem, & infidelibus nihil est mundum*, non debet intelligi, quod nihil boni possint operari infideles: Sicut illud, *Omnia munda mundis*, non intelligitur, quod justi nihil mali possint operari; sed sensus est ex Aug. l. 31. contra Faustum c. 4. quod delectus ciborum, si fiat contra fidem, seu dictamen conscientiæ, sit peccatum.

X. Quod ad Patrum mentem spectat, Augustinus, aliique docent passim virtutes infidelium non esse veras virtutes, sed vitia, quia passim opera virtutis ab Infidelibus vitiantur propter finem pravum, ex quo procedunt; ut plurimum enim honoris, & inanis gloriæ cupiditate illa fiunt, ut habet idem Aug. eod. l. 5. de Civit. c. 12.; Cum enim ex Philosopho 2. Eth. 4. aliud sit justum facere, aliud autem juste; atque adeo aliud sit honestum facere, aliud autem honeste, & utrumque ad verum actum virtutis requiratur: quia infideles honesta operantes, v. g. miseris succurrendo, fortiter se gerendo, &c. non solent operari honeste, sed ob pravum finem, quo passim operantur, ideo eorum virtutes sunt umbratiles, & non veræ, sed potius vitia. Quod expressit August. de Spir., & Lit. c. 27. dicens de operationibus Gentilium in speciem studiosis: *Si discutiantur quo fine fiant, vix invenientur, quæ justitiæ debitam laudem mereantur.* Cum autem Aug. dicat vix inveniri, aperte insinuat hujusmodi operationes ex fine debito aliquando poni, & tunc quavis culpa vacare. Præterquamquod sæpe Patres virtutes Infidelium volunt non esse veras virtutes, quia scil. sunt steriles, non salutares, nec ullatenus conducentes ad æternam vitam.

XI. Ad rationem a priori: Constat ex dictis sufficere ad rationem virtutis, quod homo operetur propter honestatem virtutis, & quia operatio est rationi consona, quin requiratur actualis relatio ad Deum: Quis enim dixerit inhonestum, & contra rectam rationem esse, appetere gratia sui id, quod honestum est? Quinimo si honestum unius virtutis non appeteretur gratia sui, sed gratia alterius honestatis, vel propter Deum, tunc honestum illud non spectaret ad eam virtutem, ad quam pertinet, sed ad aliam, ad quam ordinatur, vel ad Charitatem; ut ostenditur a Vasq. p. 2. d. 51. c. 3. Præterea quamvis honestas a virtutibus moralibus attacta non sit ipse Deus immediate, sed sit inferior Deo, dicit tamen virtualiter respectum ad Deum; cum quodvis honestum eatenus sit honestum, quia est conforme Divinæ voluntati, quæ est Prima Regula honestatis, & idcirco potest ratione sui amari: Contra vero fama, honor, divitiæ secundum se nullum respectum ad Deum dicunt, & idcirco non possunt ratione sui amari laudabiliter.

XII. Ad Confirmationem: Creatura rationalis dirigere debet omnia opera sua ad Deum, non quia semper operari debet ex motivo Dei dilecti, quod spectat ad Charitatem virtutum omnium præstantissimam, sed quia semper in actionibus moralibus operari debet juxta dictamen rationis, quod est veluti præco Divinæ voluntatis; & ideo semper operari debet conformiter, aut saltem non difformiter a voluntate Divina: Sic omnia referuntur exercite, & virtualiter ad Deum, seu, ut loquitur Vasq., ex ipsa natura operis honesti, quin requiratur alia relatio ipsius voluntatis. Quando autem Augustinus dicit, Creaturis esse utendum, non fruendum, non negat opera virtutum moralium amari posse propter se, & propter honestatem, quam continent; hujusmodi enim amor objecti creati dicitur usus illius, non fruitio, quia est ejus amor propter Deum virtualiter, & exercite, quatenus illud objectum amatur inquantum honestum, seu quia conforme est Divinæ voluntati. Quinimo probabilissimum est, esse possibiles actus morales indifferentes in individuo, ut si quis ambulet per pomarium videns id non prohiberi; in quo casu non amatur directe honestas operis, nec intenditur illa ambulatio, quia Divinæ voluntati est conformis, sed solum intenditur illa oblectatio cum advertentia, quod a Divina voluntate non prohibeatur, cum ea animi præparatione habituali, quod ea omitteretur, si Divina voluntate non prohibeatur, cum ea animi præparatione habituali, quod ea omitteretur, si Divinæ voluntati esset difformis; ac proinde habetur etiam aliqua interpretativa relatio ad Deum, atque adeo sufficienter habetur hujus objecti delectabilis usus tantum, non fruitio peccaminosa, qualis scilicet habetur, quando delectamur objecto difformiter ad Divinam voluntatem, reponendo virtualiter in illo nostrum ultimum finem.

XIII. Ex hactenus dictis elucet etiam falsitas 11. Propositionis ab Alex. VIII. proscriptæ, quæ habet: *Omne, quod non est ex fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est*, quam infra discutiemus, & quæ, ut in expositione anteceden. adnotavimus, ex proscriptis Baji thesibus apertissime descendit: Quod de aliis etiam plurimis ab Alex. VIII. confixis verum esse passim animadvertimus. Quod mirum est, Novatores istos harum thesium Assertores non inficiari, quod hujusmodi theses cum thesibus Bajanis coincidant; inficiari tamen Bajanas illas theses in Bullis Pii V., & Greg. XIII. contentas omnes ad unam esse proscriptas, eo quod in iis Bullis hæc verba legantur: *Quas quidem sententias stricto coram Nobis examine ponderatas, quamquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent*, (hic contendunt deesse comma, quippe quod in autographo non reperitur, cum in eo nulla de more habeatur interpunctio, ac deinde a Typographo per incuriam

curiam

curiam prætermiſſum fuit, ut dicemus in expoſitione 31. propoſitionis) *in rigore, ac proprio verborum ſenſu ab Aſſertoribus intento, hæreticas, erroneas, &c. damnamus*: Contendunt itaque ex his verbis Bullæ nonnullas ex Bajanis theſibus in rigore, ac proprio verborum ſenſu aliquo pacto ſuſtineri poſſe; ac hujuſmodi eſſe eas, quæ cum his theſibus ab Alex. VIII. proſcriptis coincidunt; quippe quæ videntur niti in doctrina Auguſtini. Sed effugium hoc eſt prorſus inane; Nam, ut oſtendemus loc. laud., nemo eſt uſque adeo hebes, quin perſpiciat comma illud celeberrimum eo loco deſiderari ad explicandam ſanam, ac ſanctam Pontificis mentem. Aliter poſſent ſingulæ ex iis Bajanis theſibus etiam poſt proſcriptionem defendi in proprio verborum ſenſu, quo quid ſtultius? Præterquamquod juſſu Urb. VIII. exemplar illud cum eo commate tranſcriptum Bajanis conſignatum fuit cum mandato Apoſtolico, quod illi exemplari fides adhiberetur, ut proinde dubitari amplius non poſſit de ſenſu Bullæ, ac de mente Pontificis. Quibus adde, Scripturarum, Conciliorum, ac Sanctorum Patrum auctoritates, ac rationes adductas luculenter oſtendere, theſes haſce a Bajana fæce deſumptas dignas fuiſſe, quæ de Cœlo Vaticano tangerentur.

PROPOSITIO IX.

Revera peccat, qui odio habet peccatum mere ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu.

SYNOPSIS.

I. Forte nequit odio haberi peccatum ut diſconveniens naturæ rationali ſine ullo reſpectu ad Deum offenſum. II. Si enim apparet diſconveniens, apparet illicitum, atque adeo prohibitum a Divina lege, & idcirco offenſivum Dei. III. Sed dato, quod poſſit odio haberi peccatum abſque hujuſmodi reſpectu, non proinde tale odium eſſet peccaminoſum, ut fert hæc theſis. IV. Ex theſibus enim antecedentibus conſtat, poſſe humanam actionem non eſſe peccaminoſam, imo etiam eſſe honeſtam, ac ſtudioſam, quamvis non ſit Dei dilectio. V. Hujuſmodi ſunt actus aliarum virtutum a Charitate. VI. Ex Tridentino odium peccati ob ejus turpitudinem eſt donum Dei, & ad gratiam impetrandam in Sacramento diſponit; quomodo ergo poteſt eſſe peccaminoſum? VII. Rationi conſonum eſt peccatum ob ejus fœditatem odiſſe, etiamſi præſcindatur a Dei offenſa. VIII. Sicut rationi conſonum eſt proſequi, quæ naturæ rationali congruunt, præciſe quia congruunt; ita odiſſe, quæ diſconveniunt, præciſe quia diſconveniunt.

I. Exponitur. Claudicat utroque pede præſens propoſitio, tum in eo, quod implicite videtur ſupponere, tum in eo, quod explicite aſſerit. Videtur implicite ſupponere, ut advertit Illſung, poſſe objectum aliquod attingi ut diſconveniens naturæ rationali abſque ullo ad Deum offenſum reſpectu, atque adeo non ut offenſivum Dei; quod eſſe falſiſſimum oſtendimus initio hujus tertii opuſculi, cum de peccato Philoſophico. Intantum enim diximus repugnare peccatum pure Philoſophicum, quod non ſit etiam Dei offenſa diſſolvens amicitiam cum Deo, ac pœna æterna dignum, in eo, qui advertit ad gravem diſconvenientiam operationis peccaminoſæ cum natura rationali, & cum recta ratione, & ſimul ignorat Deum, aut de Deo actu non cogitat, inquantum duo iſta ſunt incompoſſibilia, vid. advertere ad diſſonantiam operationis peccaminoſæ cum natura rationali, & cum dictamine rationis, & non ſimul advertere ad Divinam Legem hujuſmodi peccatum vetantem. Quandoquidem advertere ad diſſonantiam peccati cum natura rationali eſt advertere, quod peccatum illud ſit illicitum, atque a Deo prohibitum; cum autem nonniſi a Deo poſſit prohiberi, ut oſtendimus loco laudato, idcirco impræciſibiliter advertitur ad Deum, ſaltem ſub conceptu ſupremi Legiſlatoris prohibentis actionem illam naturæ rationali diſſonam: ergo ſimiliter in caſu noſtro, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, odit illud tanquam illicitum, & prohibitum; & quia a ſolo Deo illud poteſt prohiberi, idcirco odio habetur ut prohibitum a Deo, & conſequenter ut offenſivum Dei: Unde impoſſibile eſt odiſſe peccatum ob diſconvenientiam cum natura rationali quin ſimul odio habeatur cum reſpectu ſaltem implicito ad Deum offenſum.

II. Verum quidem eſt, non ſemper ac odio habetur peccatum, odio haberi ex motivo Charitatis, ſeu quia eſt offenſa Dei ſumme boni; ſemper tamen ac odio habetur peccatum ut diſſonum naturæ rationali, odio habetur ut repugnans voluntati divinæ illud prohibenti, atque adeo ut offenſivum Dei: Quamvis hujuſmodi odium poſſit oriri non ex amore Dei ſumme dilecti, qui per peccatum offenditur, ſed ex amore proprio, eo quod impediat peccatum aſſecutionem ultimi finis: in quo caſu odium peccati non eſſet contritio, ſed attritio; & quidem naturalis, ſi odio habeatur peccatum ut diſſonum naturæ rationali, atque adeo offenſivum Dei, & idcirco impediens aſſecutionem ultimi finis naturalis, ſeu quatenus oppoſitum virtuti naturali, conducenti ad beatitudinem naturalem; eſſet vero, ut docet Suar. diſp. 5. ſect. 2. Attritio ſupernaturalis, ſi odio habeatur peccatum quatenus impediens aſſecutionem ultimi finis ſupernaturalis, ſeu quatenus oppoſitum virtuti ſupernaturali conducenti ad beatitudinem ſupernaturalem, nempe ad Dei viſionem: Sicut Attritio concepta ex pœnarum metu eſt naturalis, ſi ſit dolor de peccato, inquantum eſt offenſa Dei Vindicis infligentis propter peccatum pœnas temporales, attingendo prædicatum iſtud Dei Vindicis lumine naturali, prout a Gentilibus etiam cognoſcitur; eſt vero attritio ſupernaturalis, ſi attingatur prædicatum iſtud Dei Vindicis lumine Fidei, ſeu ſupernaturali; cum Fide Divina, ac ſupernaturali credi poſſit, quod in Scripturis revelatur, vid. Deum propter peccata non ſolum infligere gehennam poſt hanc vitam, ſed etiam in hac vita ærumnas temporales, ut videre eſt apud Lugo diſp. 5. nu. 142. Et juxta hanc doctrinam etiam poterit eſſe ſupernaturalis attritio concepta ex turpitudine peccati, ut avertentis nos a Deo, ſi hæc ipſa turpitudo, quæ cognoſci poteſt lumine naturali, cognoſcatur lumine Fidei; cum hoc etiam revelatum ſit, atque adeo Fide Divina credi poſſit, & lumine fidei attingi. Quæ omnia maxime advertenda, cum certum ſit ex propoſitione 57. ab Innoc. XI. proſcripta, attritionem naturalem non ſufficere ad Sacramentum pœnitentiæ, ſed requiri attritionem ſupernaturalem,

quæ

quæ communiter concipitur, ut loquitur Trid. sess. 14. cap. 4., vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu: quamvis etiam concipi possit, ut docent communius cum Suar. disp. 5. sect. 2. ex alio motivo supernaturali, v. g. quia peccatum impedit, & tollit jus ad visionem beatam; quod pariter motivum cognoscitur lumine Fidei supernaturali, atque adeo reddit attritionem supernaturalem.

III. Hactenus quoad suppositum lemmatis, quod videtur loqui pugnantia, dum dicit hominem attingere disconvenientiam peccati cum natura rationali, & non attingere respectum ad Deum offensum. Verum hoc transmisso, de quo est lis inter Theologos, adhuc tamen assertum est enormiter absonum, quod scil. peccet, inhoneste se gerat, dictamini rationis, ac voluntati Divinæ renitatur, qui odio habet peccatum propter ejus fœditatem, & disconvenientiam cum natura rationali, præscindendo ab eo, quod sit offensa Dei; Non secus ac pessime audit thesis decimaquinta infra exponenda, quæ vult, Non esse bonum metum, ac supernaturalem Attritionem, quæ ex metu gehennæ, ac pœnarum concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei: Necnon decima sequens, quæ vult, Detestationem peccati ad obtinendam cœlestem gloriam, & non ortam ex dilectione Dei non esse rectam, nec Deo placentem.

IV. Fundamentum harum omnium thesium, quas nonnulli Baji, & Jansenii Asseclæ docebant, erat illud toties convulsum, præsertim in expositione propos. 7., & 8. præcedentium, quod scil. Omnis humana actio deliberata, quæ non sit Dei dilectio, sit peccaminosa; unde manifeste inferebant peccare hominem, qui odio habet peccatum ob ejus fœditatem absque respectu ad Deum offensum, eo quod non habeatur Dei dilectio, si hujusmodi respectus excludatur: Sicuti quia in Attritione concepta ex mero motivo gehennæ, aut ad obtinendam cœlestem gloriam, non continetur Dei dilectio, ideo damnant illam ut peccaminosam.

V. Hujusmodi autem fundamentum non solum habet Auctorem Bajum, qui in propositione 38. a Pio V., & Gregorio XIII. damnata habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum S. in corde diffusa Deus amatur;* Sed etiam Calvinum, qui in Antid. ad sess. 6. c. 25. dicit: *Dei judicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat;* Necnon Lutherum, & Chemnitium ejus Discipulum apud Ripaldam disp. 22.: ut proinde tanquam hareticus damnatus fuerit Bugarius de Monte ab Archiepiscopo Tarraconensi Sancio in Regno Catalauniæ, quod docuerit, nullum opus esse bonum, nisi fiat ex puro, & sincero amore Dei, ut refert Vega in Trid. l. 11. c. 30. Quis enim non videat, actus pietatis, justitiæ, misericordiæ, Religionis, aliarumque virtutum moralium non solum non esse peccaminosos, sed esse etiam honestos, etiamsi fiant ex motivo proprio talium virtutum, & non formaliter ex motivo Charitatis, hoc est propter Divinam bonitatem?

VI. Ostenditur itaque falsitas in casu nostro, quod scil. non peccet, immo vero honeste operetur, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem, quamvis hic actus non procedat ex motivo Charitatis, nec dicat respectum ad Deum offensum. Primo quia Trid. l. c. definit, hujusmodi odium peccati, seu Attritionem ex turpitudinis peccati consideratione conceptam, non secus ac attritionem ex pœnarum metu, *non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsum.* Quod autem loquatur de Attritione non elicita ex motivo charitatis, constat ex his verbis sequentibus: *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit:* ergo non solum non peccat, sed etiam honeste operatur, qui odio habet peccatum præcise ob ejus turpitudinem; esto requiratur, quod hujusmodi odium procedat ex hoc motivo turpitudinis, ut lumine fidei cognito, atque adeo quod procedat ex comprincipio supernaturali, ut sit supernaturale, & possit dici antonomastice Dei donum, ac Spiritus Sancti impulsus, & ut possit ad gratiam impetrandam in Sacramento disponere; Cum non possit actus naturalis disponere ad gratiam supernaturalem: Quicquid sit, utrum in hac attritione requiratur aliqualis saltem Dei dilectio, quod infra examinabimus in expositione propositionis 15.

VII Ratio a priori est, quia rationi consonat, atque adeo non solum non est inhonestum, sed positive honestum, odisse peccatum ob ejus fœditatem, etiam præscindendo ab eo, quod sit Dei offensa; sicut etiam odisse peccatum, quatenus inductivum gehennæ, præscindendo ab alio motivo præstantiori, quod scil. sit offensivum Dei. Tunc hujusmodi dolor de peccato esset peccaminosus, quando quis contempto hoc motivo præstantiori offensæ Divinæ, unice ob motivum turpitudinis, aut pœnarum doleret; qui tamen motivum illud præstantius non contemnit, sed ab eo præscindit, juxta dictamen rationis operatur, sic odio habendo peccatum; atque adeo non solum non peccat, sed etiam honeste operatur. Sicut enim in intellectu, juxta commune proloquium, *Præscindentium non est mendacium*, ita in voluntate, *Præscindentium non est malitia*; quod si nulla malitia, nec peccatum ex hoc quod præscindatur a motivo præstantiori offensæ Divinæ, remanet, quod odium peccati ex motivo minus præstanti turpitudinis propriæ sit laudabile, & honestum, quamvis ad contritionem perfectam non pertingat: Sicuti qui amat Deum ex motivo misericordiæ, præscindendo a motivo bonitatis, honeste, & laudabiliter operatur, quamvis hujusmodi amor non pertingat ad actum perfectæ charitatis.

VIII. Confirmatur; quia impossibile est, quod peccet, qui juxta rationis dictamen operatur; atqui si quis revera Deum ignoraret, aut ad Deum explicite non adverteret, & odio haberet quæcumque dissonant naturæ rationali, puta furtum, mendacium, homicidium, præcise quia naturæ rationali dissonant, hic procul dubio juxta rationis dictamen operaretur: Non secus ac juxta rationis dictamen operaretur, si non advertens ad Deum, prosequeretur quæcumque naturæ rationali congruunt, præcise quia illi congruunt, ut honorare Parentes, & tribuere unicuique jus suum: Ergo sicut non peccat, sed honeste operatur, qui absque ullo respectu ad Deum Parentes honorat, & tribuit unicuique jus suum, præcise ex hoc motivo, quod ista naturæ rationali congruant; ita non peccat, sed operatur honeste, qui absque ulla advertentia, ac respectu ad Deum offensum peccatum odit ob suam fœditatem, & disconvenientiam cum natura rationali. Et sane ex August. lib. 3. de Lib. Arb. *Omne vitium eo ipso,*

quod vitium est, contra naturam est; atqui odisse, quod naturæ contrariatur, secluso quovis respectu ad Deum, est consonum naturæ rationali, ac dictamini rationis, ut patet; Sicut odisse, quod naturæ rationali convenit, est dissonum rationis dictamini: Ergo sicut peccat, & inhoneste se gerit, qui odio habet, quæ naturæ rationali, qua tali, conveniunt: ita ex opposito laudabiliter, & honeste operatur, qui odit, quæ naturæ rationali disconveniunt, præscindendo a quovis respectu ad Deum offensum. Quæ pro hac thesi adducuntur, militant etiam pro thesi decimaquinta, in qua dicitur, quod Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non sit bonus motus, ac supernaturalis; & pleraque mutuata sunt ab hæreticis contendentibus, actum Attritionis ex mero pœnarum metu conceptum esse inhonestum, ac reddere hominem, ut habetur in Trid. sess. 14. cap. 4. hypocritam, ac magis peccatorem. In expositione itaque illius thesis ea exponentur, & confutabuntur.

PROPOSITIO X.

Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens.

SYNOPSIS.

I. Quod culpa non vacat operari propter Cœlestem gloriam obtinendam, fuit pariter error Baji agnoscentis culpam in quovis actu, qui non esset perfectæ Charitatis supernaturalis. II. Ex quo principio plura consectaria inferebat Bajus virulenta, & erronea.

III. Ex his vero corollariis alia deinde Bajani ejusdem furfuris asserta deduxerunt.

IV. Videtur hæc thesis in eo niti, quod odium peccati, & boni prosecutio ex motivo assequendi Cœlestem Gloriam sit amor concupiscentiæ, qui respicit Creaturam ut finem ultimum, & Deum ordinat ad Creaturam.

V. Amor concupiscentiæ opponitur, & excludit amorem amicitiæ cum Deo.

VI. Sicut proximus diligendus est propter Deum, ita quodvis bonum nostrum, & ipsa beatitudo.

VII. Qui peccatum odit non propter Deum, sed ne beatitudinem amittat, cessante hoc motivo non odisset peccatum. VIII. Hinc Bajani docent, actum Spei Theologicæ non esse actum concupiscentiæ, sed benevolentiæ elicitum a Charitate.

IX. Hæc tamen omnia corruunt ex Tridentino anathematizante eos, qui asserunt justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur.

X. Necnon ex Scripturis, & Patribus.

XI. Et quia sicut honestum est odisse peccatum ob metum gehennæ, ita a fortiori intuitu beatitudinis; cum in hoc actu objectum materiale, & formale sit ipse Deus nobis summe conveniens. XII. Amor concupiscentiæ est inordinatus, quoties amamus nobis tanquam ultimum finem bonum creatum, non vero increatum. XIII. Hujusmodi amor concupiscentiæ non opponitur amori amicitiæ erga Deum; quinimmo potest uterque in eodem actu identificari. XIV. Etiam amor proximi, qui non sit Charitas Dei, potest esse studiosus, si diligamus illum propter ejus dona supernaturalia, aut si Deum illi amemus, ut ipsi bonum.

XV. Amor, quo Deus intuitu mercedis æternæ amatur, non fert, quod amans velit ab amore desistere, si abesset beatitudo.

XVI. Hinc fit, commentitium esse, quod actus Spei Theologicæ ad Charitatem pertineat. XVII. Et quod non liceat intuitu mercedis Deo inservire.

I. Exponitur. Bajus, ut advertit Ripald. t. 3. disp. 22., pluribus in locis, præsertim l. de charit. cap. 5. & lib. 1. de virtutibus impiorum cap. 5. & l. 2. de merito docuit, nullam in statu naturæ lapsæ dari in homine virtutem præter charitatem infusam, nullumque esse veræ virtutis actum, qui non esset elicitus a charitate: Et quia omnis amor aut Dei est, aut Creaturæ, idcirco passim docuit, omnem amorem, qui non esset Dei propter se, esse vitiosam cupiditatem, & peccatum, ut videre est in ejus propositione 38. damnata in Bulla Pii V. Ex quo principio plurima intulit Bajus consectaria, quæ pariter in eadem Bulla damnantur.

II. Et primo quidem, impossibilem esse amorem Dei naturalem, ut habetur in propositione 37. Secundo, nullum esse possibilem actum bonum naturæ viribus, ut dicitur in proposit. 37., & aliis. Tertio, omnia opera Infidelium esse peccata, & peccatorem in omnibus suis actibus servire dominanti cupiditati, ut in propositione 28., & 40. Quarto rejiciendam esse distinctionem boni operis in illud, quod est ex objecto, & circumstantiis bonum, & illud, quod est meritorium Regni æterni, ut docet in proposit. 62. Cum enim docuerit nullum opus bonum fieri, nisi ex charitate per Spiritum Sanctum in corde diffusa, sequitur, nullum dari opus moraliter bonum, quod non mereatur de condigno vitam æternam. Quinto, Deum posse suis præceptis obligare ad impossibilia, ut habetur in propositione 54., Ex qua ortum etiam habuit prima propositio Jansenii, qui in suis erroribus Bajum semper habuit Anteambulonem. Cum enim Deus obliget Infideles ad Deum diligendum; nec possint ipsi ullatenus Deum diligere, destituti auxilio gratiæ ad actum charitatis supernaturalem, necessario sequitur Deum impossibilia præcipere, etiamsi desit gratia, qua possibilia fiant.

III. Ex eodem Baji principio, & ex iisdem Corollariis alia deinde Bajani deduxerunt asserta pariter virulenta, & erronea. Primo quidem, omnem affectum mercenarium, aut concupiscentiæ erga Deum, seu qui movetur ex retributione, vel etiam ex bono summo, & Divino, prout nobis conveniente, esse vitiosum; quippe qui deficit ab amore charitatis, & amicitiæ perfecto; quem solum putant esse moraliter bonum. Secundo, vitiosum pariter esse, ac turpem dolorem de peccatis, qui ex solo timore pœnæ, etiam æternæ, concipitur, & non ex affectu benevolentiæ erga Deum. Tertio, fœdam pariter esse pœnitentiam, quæ ex fœditate peccati, & non ex bonitate Divina movetur. Quarto consequenter hujusmodi dolores nullatenus ad justificationem conferre, etiam in Sacramento Pœnitentiæ. Denique virtutes omnes morales, quæ ipsarum virtutum munera obeunt propter solam honestatem creatam in iis repertam, aut propter convenientiam cum natura rationali, & cum rationis dictamine, non tamen propter bonitatem increatam, non esse censendas virtutes, sed vitia.

IV. Hinc itaque Baji, ac Jansenii Affeclæ post tot proscriptas theses iterum docuerunt, odium peccati, & amorem virtutis, ex præciso motivo obtinendi Cœlestem gloriam, Deo non esse gratum, nec vacare culpa, si desit motivum charitatis, ac benevolentiæ erga Deum. Rationes autem, quibus id sibi persuadent, videntur esse:

Prima, quia nullus amor concupiscentiæ erga Deum est virtuosus: ergo nec odium peccati, & amor virtutis præcise ad assequendum Deum sibi; cum procedant ex affectu concupiscentiæ, non amicitiæ. Antecedens probatur; tum quia concupiscentia Dei respicit creaturam tanquam finem, cum referat Deum ad creaturam, illumque amet tanquam utilem creaturæ; tum etiam quia amans Deum sibi amore concupiscentiæ prius amat creaturam, quam Deum, & ex amore creaturæ amat Deum, qua convenientem creaturæ. Sicut enim ut habet August. hom. 34. *Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum;* ita si diligis Deum concupiscendo illum tibi; prius te diligis, & sic Deum: Propterea uteris, non frueris Deo, quando illum diligis propter te; quæ est perversa quædam cupiditas; ut enim habet August. lib. 83. QQ. q. 30. *Summa perversitas est frui utendis, & uti fruendis.*

V. Secunda, quia amor concupiscentię erga Deum, & amor benevolentiæ opponuntur, adeo ut hic ab illo excludatur: atqui actus excludens amorem benevolentiæ erga Deum, ejusque amicitiam, non potest esse rectus, ut patet: ergo amor concupiscentiæ erga Deum, seu odium peccati, & amor virtutis ad cœlestem gloriam assequendam, non potest esse rectus, ac Deo placens. Major probatur; tum quia amor concupiscentiæ est mercenarius, amor vero benevolentiæ, & charitatis est omnino gratiosus, tendens in Deum præcise propter ipsum Deum, & non propter aliud a Deo distinctum; tum etiam quia amor concupiscentiæ respicit Deum tanquam commodum, & utilem creaturæ rationali, atque adeo habet pro fine ipsam creaturam; amor vero benevolentiæ habet pro fine Deum ipsum; isti autem amores invicem se excludunt; ergo &c.

VI. Tertia, quia ex præcepto charitatis erga proximum, hic diligendus est propter Deum, ut virtuose diligatur, quin possimus recte Deum propter proximum amare: ergo juxta ordinem debitum charitatis, etiam nosmetipsos amare debemus propter Deum, non vero Deum propter nos; atque adeo amor concupiscentiæ Dei non est rectus. Antecedens probatur ex illo Christi Domini Jo. 15. *Hæc mando vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*; Christus autem nos dilexit propter Deum: atque adeo propter Deum a nobis proximus diligendus.

VII. Denique, quia actus concupiscentiæ Dei, quo præcise ob bonum proprium peccatum odio habetur, & præcepta adimplentur, usque adeo ad mercedem afficitur, ut ea deficiente peccatum non odio habeatur, nec præcepta serventur; deficiente enim unica, ac præcisa vi motiva deficit actus, & consequenter effectus pendens ab illo; hujusmodi autem actus non potest esse rectus; quippe qui præfert proprium emolumentum Bonitati Divinæ, ejusque amicitiæ, quam negligeret eo deficiente: ergo ut supra.

VIII. Neque obstat, quod Spes Theologica sit actus concupiscentiæ, quo Deum nobismet speramus, & tamen sit rectus. Nam Bajani docent, actum Spei Theologicæ non esse actum concupiscentiæ, sed benevolentiæ elicitum a charitate; quod probant tum ex Augustino l. de Perfectione Justitiæ cap. 10. ubi habet: *Charitas in Cœlo augebitur, & implebitur, contemplata quod credidit, & quod sperabat adepta:* Et in Enchir. cap. 3. ubi amorem charitatis reciprocat cum spe dicens: *Nec amor sine spe est, nec sine amore spes*: Tum a priori, quia ad spem spectat bonum absens, arduum, probabiliter futurum desiderare; ad charitatem autem erga Deum summum bonum absens, & auxilio gratiæ Divinæ consequendum, spectat etiam illud desiderare; cum universim ad amorem benevolentiæ spectet bonum, si est absens, desiderare, & eodem frui, si est præsens, ut patet in amore, quo amicos diligimus: ergo ad Charitatem Theologicam de facto spectat actus Theologice Spei.

IX. Ostenditur falsitas: Primo, quia doctrina hæc Bajanorum descendit ex erroribus Calvini, & Lutheri: Ille hæc habet apud Ripald. t. 3. d. 22. n. 12. *Dei judicio nihil est sincerum, nihil probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat.* Lutherus vero: *Contritio, quæ paratur per amissionem æternæ beatitudinis, facit hypocritam, immo magis peccatorem.* Adversus utrumque definit Trid. sess. 6. Can. 31. *Si quis dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur; anathema sit.* Et in c. 11. ejusdem sess. dicitur: *Constat, eos orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari, qui statuunt in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Neque dici potest, quod Trident. velit solum non contineri peccatum in operatione elicita intuitu mercedis, si ad gloriam Dei ea referatur, & ex amore benevolentiæ Divinæ merces quæratur: Nam Tridentinum in canone laudato damnat hæreticos, qui asserebant peccatum contineri, quando quis præcise intuitu mercedis bene operatur: ergo in hoc nullum vitium habetur.

X. Secundo, quia passim Scripturæ, & Patres nos excitatos ad bene operandum volunt intuitu mercedis: Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* 1. ad Cor. 9. *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam*: Ad Coloss. 3. *Quodcumque facitis, ex animo operamini, sicut Domino, & non hominibus, scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis.* Id apertissime de se dixit David Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem;* Sicut de Moyse dicit Apost. ad Hebr. 11. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Idemque passim hortantur Patres; August. in Psal. 120. *Noli facere bonum opus nisi propter vitam æternam, ideo fac, & securus facies*; & in Psalm. 14. *Non faciamus aliquid, nisi Spe Cœlestium præmiorum. Ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum*: Hieron. lib. 2. epist. 4. *Ubi nonnisi Dei præcepta, & Christi præmia cogitantur, voluntas est illic tantum Dei.*

XI. Tertio ratione id evincitur, quia honestum, ac Deo gratum est dolere de peccato, & legem servare ex metu gehennæ; ergo etiam intuitu mercedis. Consequentia sequitur; neuter enim actus ex motivo Charitatis procedit, sed uterque ex amore concupiscentiæ, quo quilibet seipsum diligit. Antecedens autem constabit ex dicendis in expo-

positione propositionis 15. Et ratio breviter est, quia intentio, qua quis detestatur culpam ex metu gehennæ, est intentio finis ex objecto suo bona, ac recta, atque adeo placens Deo, cum sit voluntas fugiendi pœnam ex se odio dignam; medium etiam, quod assumitur ad vitandam pœnam, nempe detestatio peccati, est etiam ex objecto honestum, ut patet; denique ordinare tale medium ad talem finem est intrinsece bonum; cum sit medium ex natura sua aptum ad inducendum hunc finem; sicut enim pęna non debetur nisi propter culpam, ita nullum medium est aptius ad declinandam pœnam, quam declinare culpam; Quamvis autem culpa sit malum deterius quam sit pœna, non idcirco inordinatum est ordinare detestationem culpæ ad fugam pœnæ, quia ille est finis proximus, qui non excludit finem ultimatum, nempe Deum, ad cujus gloriam totum hoc est referibile, & quamdiu non excluditur, ex se ad illum tendit. Quare licet inordinatum sit referre majus bonum in minus tanquam in ultimum finem, non est tamen inordinatum referre majus in minus bonum tamquam in finem immediatum, & proximum; ita ut totum hoc sit referibile, & virtualiter referatur in Deum tanquam in ultimum finem. Sic Christus Dom. honestissime retulit sua merita ad nostram salutem, & honeste Sacerdotes offerunt Missæ Sacrificium ad obtinendum aliquod bonum temporale, puta salutem ægroti. Quod si dolor peccati ex metu gehennæ non esset honestus, quomodo posset Tridentinum docere, quod sit Dei donum, & Spiritus Sancti impulsus? Hæc autem omnia apertissime ostendunt etiam esse rectam, ac Deo placentem intentionem, qua quis detestatur malum & prosequitur bonum, mere ut cœlestem gloriam obtineat, ordinando detestationem culpæ ad id tanquam ad finem proximum immediatum, quod sit ultimate ad Deum referibile.

Confirmatur: quia Deus hac de causa designavit tam gehennam culpis, quam Cœlestem beatitudinem bonis operationibus, ut illius formidine, & hujus spe ad culpas detestandas, & ad bonum prosequendum impelleremur: ergo his mediis ad id adjuvari est honestissimum.

Confirmatur ulterius; quia in objecto materiali, ac formali amoris concupiscentiæ, quo Deum desideramus ut nobis utilem, & commodum, & ob hoc motivum detestamur malum, & prosequimur bonum, nulla apparet turpitudo; quin immo imbibitur specialis honestas: ergo pariter in amore talis objecti; atque adeo intentio, qua quis culpam odit, & bonum prosequitur ad beatitudinem sibi obtinendam, est rectissima. Consequentia sequitur, quia vitium in amore non aliunde provenit, quam ex objecti inhonestate. Antecedens probatur: Objectum enim materiale, & formale talis amoris est ipse Deus, qui procul dubio quavis turpitudine caret, quinimmo omnem imbibit perfectionem, & amabilitatem: objectum vero formale talis amoris est consonantia, & convenientia Summi Boni, ac Divinæ gratiæ cum homine; quæ pariter turpitudine caret; quinimmo est apprime conformis voluntati Divinæ, atque adeo honesta: ergo nulla turpitudo, sed specialis honestas reperitur in objecto materiali, & formali amoris concupiscentiæ, quo quis Deum sibi diligit, & ob hoc motivum peccatum odit, ac servat mandata. Quare sicut Deus se ipsum diligit sibi ex amore concupiscentiæ citra vitium; ita potest ex consimili amore Creatura rationalis Deum summum Bonum sibi diligere; cum ab eo unice beari, ac satiari possit.

XII. Ad primam rationem in contrarium: Quamvis concupiscentiæ amor, quo quis bonum creatum inordinate sibi amat, vitio non careat, & ex August. l. 83. QQ. q. 36. sit omnium malorum radix, amor tamen concupiscentiæ, quo quis sibi amat Summum Bonum, ad quod tendit homo natura sua, non potest non esse rectus: Universim enim natura sicut non inclinat intellectum nisi ad verum, ita nec voluntatem, nisi ad bonum. Ad probationem antecedentis: non est vitiosum, sed laudabile amare Deum nobis, non tanquam medium, sed tanquam ultimum finem *Qui*, fini non ultimo *Cui*, quod fit per actum Spei, & per actum, quo Deum ut nobis utilem concupiscimus. Ratio est, quia revera Deus est nobis bonus, & seipsum dat nobis amandum, juxta illud Ecclesiæ, *Nobis datus, nobis natus*; est enim nostra salus, nostra redemptio, nostra beatitudo: ergo licite, ac honeste illum nobis concupiscimus: Quamvis enim nos simus finis *Cui* Deus ametur, non sumus tamen ultimus finis *Cui*, quia talis amor non sistit in nobis, ita ut non sit etiam referibilis in Deum tanquam in finem ultimum *Cui*, cum ob ejus gloriam nostram beatitudinem diligamus. Hinc falsum est, quod prius, seu principalius ametur Creatura, quam Deus, & quod Deo utamur, non fruamur; quia quamvis Deum amemus nobismetipsis; non amamus illum nobis ultimate, sed referendo implicite nostrum bonum, & commodum ipsi Deo. Non requiritur autem, quod expresse & actu hujusmodi commodum nostrum ad Dei gloriam referatur, sed satis est, quod referatur implicite, & virtualiter, ita ut sit referibile actualiter: Sicut non est necesse, quod honestas virtutis ametur propter Deum explicite, sed sufficit, quod virtualiter referatur, ut diximus in exposit. propos. octavæ.

XIII. Ad secundam: Amor concupiscentiæ, & amicitiæ erga Deum non opponuntur, sed possunt componi, immo in eodem actu potest uterque amor identificari: Cum enim Deus sit bonus in se, & sit bonus nobis, poterit amari simul ob utramque bonitatem, atque adeo amore, qui simul sit benevolentiæ, & concupiscentiæ: Quamvis amor concupiscentiæ habeat pro fine *Cui* immediato ipsam Creaturam, potest tamen habere etiam explicite pro fine ultimato *Cui* ipsum Deum; & ideo potest amor concupiscentiæ compati secum amorem amicitiæ.

XIV. Ad tertiam: Proximum diligere possumus virtuose affectu supernaturali, qui non sit Charitas Dei, si scil. illum amemus propter ejus dona supernaturalia, & propter virtutes Fidei, Patientiæ, Misericordiæ, quæ in ipso elucent. Possumus etiam amare Deum proximo, qua bonum ipsi proximo; qui actus non est Charitatis erga Deum, sed Charitatis erga proximum: ergo pariter possumus amare Deum nobis amore concupiscentiæ; cum sufficiat, quod implicite, & virtualiter tantum ad Deum id referatur. Christus D. dilexit nos propter Deum expresse referendo ad Dei gloriam bonum, quod nobis volebat; quamvis autem hujusmodi actus expresse referens omnia ad Dei gloriam sit perfectior, utpote Charitatis etiam erga Deum; non inde fit, quod non sit pariter virtuosus actus, qui dumtaxat sit Charitatis erga proximum: Sicut, licet perfectior sit Charitas, non proinde Fides, & Spes deficiunt a ratione virtutis, dicente Apostolo 1. ad

Co-

Corinth. 13. *Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc; major autem horum est Charitas.*

XV. Ad ultimam: Certe vitiosus est actus, quo quis odit peccatum, ut gloriam æternam assequatur, si deficiente gloria, ac mercede, vellet peccare; secus vero si odio habeat peccatum propter mercedem, quin detur simul positiva voluntas peccandi, si merces abesset; cum hoc enim secundo odio peccati est etiam compossibilis actus, quo propter Deum dilectum odio habeatur peccatum; & ideo nullum vitium continet. Idemque dicendum de actu Attritionis, quo quis metu gehennæ dolet de peccatis, & proponit observantiam Præceptorum, qui tamen positive velit peccare, si non daretur gehenna; ut constat ex Tridentin. sess. 6. can. 8. ubi habet: *Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit.*

XVI. Ex quibus sequitur primo, falsum esse, quod actus Spei Theologicæ ad Charitatem pertineat; cum objectum formale spei sit Deus ut bonus nobis, objectum formale Charitatis sit Deus ut bonus in se. Quod constat, tum ex omnium Theologorum consensu, ac doctrina, tum ex Tridentino loquente de Spe, tanquam de virtute distincta; dicit enim sess. 6. cap. 7. *In Justificatione simul hæc omnia accipit homo, Fidem, Spem, & Charitatem*; tum ex Apostolo loc. cit. ubi dicendo, *Major autem horum est Charitas*, comparat Charitatem cum Spe, tanquam cum virtute distincta. Quinimmo omnes Theologi cum Angelico p. 2. quæst. 65. artic. 4. docent, in peccatore Fideli non desperante Fidem, & Spem infusam manere, non vero Charitatem; adeo ut Vasq. p. 2. d. 91. cap. 4. putet oppositum esse pene hæreticum, & saltem erroneum. Augustinus, quando reciprocat Spem cum Charitate, loquitur de Spe late dicta, quatenus importat desiderium boni absentis, ex quocumque motivo illud desideretur, non vero de Spe stricte dicta, qua Deus desideratur ut nobis bonus, & conveniens, & quæ ex omnium Theologorum consensu tendit in bonum absens, arduum, possibile, & probabiliter futurum: passim enim Augustinus hujusmodi Spem a Charitate distinguit. Ad rationem a priori adductam pro idemtificanda Spe cum Charitate respondeas pariformiter, quod scil. ad Charitatem spectet desiderium boni summi absentis, ac ardui, desiderio tamen, quod movetur ex ipsa Bonitate Divina, prout est in se, & quatenus est objectum formale Charitatis; ad Spem vero spectet desiderare idem summum bonum qua bonum nobis, atque adeo quatenus est objectum formale Spei stricte dictæ.

XVII. Sequitur secundo, manifeste falsam esse thesim decimam tertiam ab eodem Alex. VIII. proscriptam, quæ habet: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, Charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*: (quam propugnavit Franciscus Van Vianne S. T. D. Lovanii die 12. Junii 1676. Thesi 1.; & docuerunt Jo. Sinnichius, Franciscus Farvaques, Albericus Vandem, Jacobus Pontanus, aliique Theologi Lovanienses) constat enim consistere posse actum concupiscentiæ quo Deum nobis amamus per actum Spei Theologicæ, non solum sine actu Charitatis, sed etiam in peccatoribus carentibus gratia, & Charitate habituali. Quinimmo Spem ipsam habitualem infusam consistere in peccatoribus Fidelibus, quoties peccatum non adversatur Spei, aut Fidei, constans est Theologorum opinio. Quamvis enim Trid. sess. 6. cap. 15. solum de Fide habituali, non vero de Spe explicite dixerit posse a Charitate separari, eo quod Deus ex sua misericordia velit peccatoribus relinquere Fidem, quæ initium salutis est, ut possint per actus Fidei ad resurgendum disponi; Nihilominus communiter Theologi idem docent de Spe, cum ex Trident. sess. 6. cap. 6. peccator per Fidem simul, & Spem ad justificationem disponatur. Quare non est peccaminosa, sed potest esse supernaturalis, & Theologica Spes veniæ, ac æternæ beatitudinis, & actus concupiscentiæ, quo Deum amamus ut bonum nobis; idque etiam in peccatore, cui proinde non vitio vertitur, sed laudi, ex dictis, intuitu mercedis, præsertim æternæ, Deo famulari, etiamsi Charitate careat cum actuali, tum habituali.

PROPOSITIO XI.

Omne, quod non est ex Fide Christiana supernaturali, quæ per dilectionem operatur, peccatum est.

SYNOPSIS.

I. Ex eodem Bajano deliramento, quod scilicet inter Charitatem, & iniquitatem nihil mediet, descendit hæc confixa thesis, quod peccaminosæ sint nostræ operationes, si non procedant ex Fide supernaturali, quæ per dilectionem operetur.

II. Nonnullis Scripturæ, & Patrum textibus videtur id in speciem suaderi.

III. Constat tamen oppositum, tum ex Tridentino, tum etiam, quia laude dignum est exercitium virtutum moralium in infideli, & in peccatore, ut proinde orationes Cornelii Centurionis fuerint exauditæ, & eleemosynæ Deo acceptæ, antequam incorporaretur Ecclesiæ.

IV. Aliter Infidelis etiam servando legem naturalem, puta honorando parentes, peccaret.

V. Sine Charitate nihil sumus ex Apostolo, quatenus ponere non possumus opus nullum vitæ æternæ meritorium.

VI. Augustinus docens non bene fieri, quod non fit ex Charitate, nomine Charitatis intelligit quemcumque amorem virtutis.

VII. Et ubi docet virtutes esse superbas, dum propter se appetuntur, denotat, superbe Stoicos ex propriis viribus quærere virtutes, & in iis, non in Deo finem ultimum reponere.

VIII. Augustinus non agnovit actus morales indifferentes in individuo.

IX. Bajani nullam agnoscentes virtutem præter Charitatem, distinguunt virtutes solum ex objectis materialibus; quatenus ex motivo Charitatis hoc, vel illud opus exercetur.

X. Communiter tamen Theologi virtutes distinguunt ex objectis formalibus.

XI. Multum interest inter errorem Lutheri, & Baji, solam virtutem Charitatis infusam agnoscentium, a sententia Ariminensis contendentis, actum bonum debere

here aut esse formalem Dei dilectionem, aut ex formali Dei dilectione procedere.

I. Exponitur. In explicatione propositionum antecedentium ostendimus, fundamentum hujus thesis esse errorem Bajanorum, putantium adeo imbecillem remansisse naturam humanam post lapsum, ut nonnisi ad peccandum valeret, quin posset ullum virtutis actum elicere sine auxilio gratiæ Spiritus Sancti, & sine influxu ipsius Charitatis supernaturalis: Unde docebant, omnem amorem creaturæ rationalis dividi in vitiosam cupiditatem, qua mundus diligitur, & in laudabilem charitatem, quæ diffunditur in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum Sanctum, ut constat ex propositione 38. Baji dicentis: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Jo: prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.* Errorem hunc hausit Bajus a Luthero; Adversus quem a Trid. sess. 6. can. 7. anathematizatur, qui dixerit, Opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, esse peccata, vel odium Dei mereri. In eo autem, ut notat Vasq. p. 2. d. 192. differt error Baji ab errore Lutheri, quod ille admittebat etiam in peccatore opera facta ex charitate diffusa in cordibus per Spiritum S. eo quod crederet charitatem etiam cum peccato consistere posse, ut habetur in ejus 76. propositione exdamnatis, ubi dicitur: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis.* Lutherus vero negans horum compossibilitatem, negabat a peccatore in statu præsenti ullum bonum opus effici posse.

II. Videtur in speciem thesis isthæc erronea suaderi posse, tum ex illo Apostoli 1. ad Cor. 1. *Si linguis hominum loquar &c. charitatem autem non habuero, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens*; tum ex Aug. l. de Gratia, & lib. arb. c. 18. ubi ait: *Quod non fit ex charitate, non bene fit.* Et primo Retract. c. 15. *Voluntas sine charitate tota est vitiosa cupiditas.* Quod etiam videtur innuere Leo Papa serm. 5. de Jejunio, ubi habet: *Animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut Mundi.* Ex quibus Bajus dixit, sine charitate infusa opus bonum non posse effici a nobis: Gregorius vero Ariminensis apud Vasq. loco laudato solum putat, opus bonum effici non posse saltem sine charitate acquisita, seu sine relatione operis ad Deum dilectum.

III. Ostenditur tamen falsitas, tum ex dictis in propositione 7. & 8. tum etiam quia si opera, quæ non fiunt ex fide supernaturali per charitatem, essent peccata, sequeretur, quod nullum opus peccatoris esset bonum, quod est contra Trid. loc. laud. ubi habet: *Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare, anathema sit.* Et sane quis neget vacare culpa, & esse laude valde dignum exercitium virtutum moralium in peccatore, & infideli, sicut etiam actus fidei, & spei supernaturalis, necnon attritionis supernaturalis, qui antecedunt justificationem? Cum enim isti actus ad justificationem disponant, procul dubio culpa vacant, cum nequeat culpa ad gratiam obtinendam disponere. Id apertissime docuit August. epist. 57. dicens, eleemosynas, & orationes Cornelii Centurionis ex gratiæ auxilio factas obtinuisse, ut ad justificationem perveniret, & in templum Dei superædificaretur. *Cornelius*, inquit, *Centurio, antequam regeneratione incorporaretur huic Templo, missum ad se Angelum videt, auditque dicentem, quod exauditæ sint orationes ejus, & eleemosynæ acceptæ.* Quod etiam docuit lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. dicens: *In quibusdam tanta est gratia fidei, quanta non sufficit ad obtinendum Regnum Cœlorum, sicut in Catechumenis, & sicut in Cornelio, antequam Sacramentorum participatione incorporaretur Ecclesiæ.* Idemque testatur Chrysostom. in Homil. de Fide, & Lege naturæ apud Vasq. l. c.

IV. Confirmatur, quia si carens fide informata charitate, & quæ per dilectionem operetur, in quocunque suo morali opere peccaret, sequeretur, quod etiam peccaret observando legem Divinam, puta honorando parentes, sanctificando dies festos, necnon vacando jejuniis, orationibus, eleemosynis &c., unde ab his operibus teneretur abstinere, quousque gratiam recuperaret, & consequenter his operationibus redderetur magis indispositus ad gratiam recuperandam: quo quid absurdius dici, aut fingi potest?

V. Ad Auctoritatem Apostoli in contrarium adductam respondetur, ibi doceri, non esse vitæ æternæ meritorium opus, quod fit sine charitate, hoc est sine gratia; cum sæpe nomine charitatis in Scripturis significetur Gratia; ut quando dicitur, *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis*: Quod diserte docuit D. Prosper explicans illum textum Apostoli, *Si habuero &c. Charitatem autem non habuero, nihil sum*, l. 1. de Vita Contemp. cap. 4., ubi habet: *Non ad hoc ista dicit Apostolus, quasi aliqua bona sine Charitate habere aliqui non possint, sed quia nihil prosint habentibus, si a Charitate defecerint.*

VI. Augustinus similiter docet, quod non fit ex charitate, non bene fieri, hoc est sine merito vitæ æternæ. Quando vero Augustinus dicit esse peccatum, quod non fit ex charitate, tunc nomine charitatis venit quilibet amor virtutis vel erga Deum, vel erga proximum, vel erga nos ipsos. Sic lib. de Spir., & lit. c. 32. ait: *Hæc est fides, quæ per dilectionem operatur, non per timorem, non formidando pœnam, sed amando justitiam.* Augustino consonat D. Prosper in Ep. ad Demetriadem, ubi habet: *Ab omni contaminatione mens libera est, quæ sive in se, sive in proximo nihil diligit, nisi quod ex Deo esse novit.* Ex quibus, juxta phrasim Augustini, dicitur fieri ex charitate, & consequenter non esse peccaminosum, sed studiosum, ac moraliter bonum, quodcumque opus fit ex amore virtutis, seu honestatis; atque adeo referri in ultimum finem, nempe in Deum ipsum, non ex voluntate aliqua amoris erga Deum, quæ præcesserit, ut contendit Gregorius Ariminensis, sed ex eo, quod opus virtutis elicitum ob ipsam honestatem, quam continet, sit conforme Divinæ voluntati, quæ est prima regula omnis honestatis, & ipsi arrideat quam relationem erga Deum diximus in expositione propositionis 8. vocari a DD. virtualem, seu habitualem, ac sufficere ad hoc, ut opus sit moraliter bonum.

VII. Neque dicas, Augustinum l. 19. de Civit. c. 26. docere, Virtutes censendas esse superbas, cum propter se appetuntur. Nam solum ibi Augustinus damnat Stoicos, qui volebant ita virtutem propter se appetere, ut in ea ultimum finem, ac beatitudinem homi-

hominis reponerent, non vero in Deo, qui supra virtutem est, & ad quem virtutes omnes saltem virtualiter referri debent: Superbas vocat hujusmodi virtutes, quippe quas Stoici ex propriis viribus quærebant, nec putabant a Deo provenire; ac in iis propriam felicitatem requirebant, non autem in Deo, ad quem assequendum virtutes morales debent exerceri.

VIII. Quando autem Leo Papa dicit, nihil dari in humanis actionibus præter Dei dilectionem, aut Mundi, intelligendus est in eo sensu, in quo explicavimus in propos. 8. etiam Augustinum dicentem in Enchir. cap. 107. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est Charitas*, ita ut nomine Charitatis veniat amor cujuscunque virtutis, & nomine Cupiditatis, seu dilectionis Mundi veniat amor creaturæ inordinatus. Ubi advertendum cum Vasquez p. 2. d. 52. c. 6. Augustinum non admisisse possibiles actus morales indifferentes in individuo. Nam lib. 2. de Peccatorum Meritis hæc habet: *Mirum, si voluntas potest in medio quodam ita consistere, ut nec bona sit, nec mala: aut enim justitiam diligimus, & bona est; & si magis diligimus, magis bona. Quis vero dubitet dicere, voluntatem nullo modo justitiam diligentem non modo esse malam, sed etiam pessimam voluntatem?* Hinc Augustinus passim docuit, inter charitatem, & cupiditatem, seu inter actus virtutis, aut vitii nihil mediare. Qui tamen juxta opinionem satis probabilem admittunt possibiles actus morales indifferentes, negant, divisionem actuum moralium in actus cupiditatis, & charitatis, seu in malos, & bonos, esse adæquatam; atque adeo putant posse dari amorem liberum, qui nec sit charitatis, seu virtuosus, nec concupiscentiæ, seu vitiosus.

IX. Ex dictis habes Primo, in hoc discrepare Bajanos, & Bajanorum sectatores a reliquis Theologis, quod Bajani non distinguant virtutes morales ex objectis formalibus, ut communiter distinguunt illas Theologi cum D. Th. p. 2. q. 60. & Magistro in 2. dist. 27. & in 3. dist. 33. sed solum distinguant illas ex objectis materialibus: quia unam tantum virtutem agnoscunt, nempe charitatem, eamque infusam, non acquisitam in statu naturæ lapsæ: Proinde charitas, prout in varia virtutum officia propter Deum prosequenda incumbit, sortitur variarum virtutum nomina; diciturque v. g. Justitia, quatenus tribuit unicuique jus suum propter Deum; dicitur Misericordia, prout alienæ miseriæ subvenit propter eandem Divinam Bonitatem; dicitur Patientia, si sustineat mala propter Deum; Religio, si ex eodem motivo cultum Deo exhibeat; idemque dicas de reliquis. Hinc docent (ut videre est in Specimine Doctrinæ Theologicæ per Belgium manantis p. 2. cap. 3. §. 5.) unicam esse virtutem in voluntate, nempe Charitatem; & quia putant naturæ viribus non posse hominem in statu naturæ lapsæ Deum diligere perfecte, ac super omnia, ideo hanc unicam virtutem docent esse infusam, ac supernaturalem, ad quam præire debet in intellectu Fides etiam supernaturalis, & infusa; ac proinde omnem actionem liberam esse peccaminosam, si non procedat ex utraque hac virtute, seu per fidem, quæ per dilectionem operatur. Unde prodiit etiam propos. 13. ab Alex. VIII. proscripta: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.*

X. Errant tamen primo; dum negant possibilem esse amorem Dei naturalem in statu naturæ lapsæ. Secundo, dum negant in voluntate pluralitatem virtutum tum acquisitarum, tum infusarum; Sufficienter enim distinguitur v. g. Justitia a Misericordia ex objectis formalibus diversis, v. g. quia Justitia tribuit unicuique solum Jus ob honestatem, quæ in hoc reperitur, & quia hoc apparet conforme naturæ rationali, atque adeo voluntati Divinæ; Misericordia vero succurrit miseris, quia hoc pariter honestum est, atque adeo quamvis hæc non referantur actu ad Deum summe dilectum, (quod spectat ad Charitatem) adhuc sunt operationes virtutum. Quod aperte docuit August. lib. 4. contra Julianum cap. 3. dicens: *Noveris itaque, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes: officium est autem, quod faciendum est, finis vero, propter quod faciendum est.* Tertio errant, dum negant in voluntate aliam virtutem infusam distinctam a charitate Theologica; datur enim in voluntate Spes Theologica, quæ a Charitate realiter distinguitur. Sicut enim amissa gratia, & charitate non amittitur semper Fides, ex Trid. sess. 6. c. 28. sed solum ea amittitur per peccatum infidelitatis; ita Spes habitualis infusa solum amittitur per peccatum, quod spei, aut etiam fidei opponatur, ut communiter docent Theologi apud Rip. d. 128. sect. 5. Præterea quamvis disputent Theologi, Num virtutes morales infusæ distinguantur a charitate, an cum illa identificentur realiter? sicut disputant, Utrum Charitas distinguatur realiter a gratia, an cum illa realiter identificetur? nemo tamen negat, actus virtutum moralium infusarum distingui ab actibus charitatis infusæ; atque adeo dari posse actus morales supernaturales, qui non sint charitatis; unde falsum est, vitio verti quodcumque non procedit ex Fide, & Charitate supernaturali.

XI. Habes secundo, in hoc discrepare errores Lutheri, & Baji a sententia Gregorii Ariminensis, ut advertit Mæratius t. 2. disp. 1. sect. 4. quod Lutherus volebat, ab homine peccatore, ac proinde extra statum gratiæ existente nullum bonum opus fieri posse; Bajus vero volebat, posse quidem ab homine in statu peccati bonum aliquod opus fieri; hujusmodi autem bonum opus necessario procedere ex virtute supernaturali Theologica Charitatis stricte dictæ, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus ametur: Gregorius tamen in 2. dist. 39. qu. 1. art. 2. solum voluit, quod ut aliquis actus sit bonus, debeat aut esse formalis, & expressa Dei dilectio, aut procedere ex formali, & expressa Dei dilectione, ita ut dilectio aliqua, quæ præcessit, habeat rationem intentionis, & opus ex illa procedens habeat rationem electionis, aut medii electi ad placendum Deo per priorem illum dilectionis actum amato: Nomine autem dilectionis, & charitatis apud Gregorium venit Charitas sive supernaturalis, sive naturalis, & acquisita; apud Bajum vero venit sola Charitas infusa, ac per Spiritum S. in corde diffusa. Et eodem modo ad actum bonum Gregorius Ariminensis non requirit fidem stricte dictam supernaturalem, & infusam, ut requirebat Bajus, sed fidem late dictam, nempe cognitionem Unius veri Dei, quæ etiam in Hereticis, & Judæis passim habetur, & olim fuit etiam in Philosophis Gentilibus; unde etiam in his admittit Gregorius possibilem aliquem actum bonum, quem tamen in iis Bajus, & Lutherus negant. Qui tamen refelluntur tum ex dictis, tum

tum etiam quia Dan. 4. Nabuchodonosor Regi extra statum gratiæ, & sine Charitate Theologica existenti dicitur: *Peccata tua eleemosynis redime*: non possunt autem ea redimi, ne quoad pœnam temporalem quidem iis debitam, nisi bonis operibus, non vero malis, aut indifferentibus; ergo possunt sine gratia, & charitate Theologica bona opera exerceri. Potest etiam peccator conari, ut a peccato liberetur, conatu, qui sit solum dispositio ad justificationem: hujusmodi autem conatus procul dubio est bonus, nec procedit a Charitate Theologica, quæ sine gratia, & justificatione consistere non potest: ergo ut prius: Quod etiam constat ex Augustino, qui lib. de Gratia Christi cap. 14. concedit in Assuero Rege infideli aliquod opus bonum, & veræ virtutis: Sicut etiam in Epist. 130. dicit de Polemone infideli, qui temulentus Xenocratis Philosophi scholam ingressus, ejus oratione permotus, ad bonam frugem se recepit. Quod autem nec sit necessarium ad operis bonitatem, quod procedat ex Charitate acquisita, & quod formaliter ad Deum dilectum referatur, satis superque ostendimus contra Ariminensem; quem fuse impugnat Vasq. & Mærat. loco laudato.

PROPOSITIO XII.

Quando in magnis peccatoribus deficit omnis Amor, deficit etiam Fides, & etiamsi videantur credere, non est Fides Divina, sed humana.

SYNOPSIS.

I. Constat ex Trid. non semper amissa gratia Fidem Divinam deperdi; & ideo in hac thesi solum dicitur, quod in magnis peccatoribus, amore deficiente, Fides Divina deficiat.

II. Ratio videtur esse, tum quia ex Angelico Fides informis non est virtus; atque adeo nec Fides Divina.

III. Tum etiam quia magni peccatores videntur magis indigni Fide infusa, & Divina, quam qui peccant peccato Infidelitatis.

IV. Tum demum quia in magnis peccatoribus Fides ista videtur supervacanea.

V. Sed universim ob solum peccatum Infidelitatis Fides Divina deperditur, atque adeo etiam in magnis peccatoribus perseverat, ut disponantur ad resurrectionem spiritualem.

VI. Post peccatum Infidelitatis homo disponi potest ad gratiam recuperandam per actus Fidei causatos ab auxilio extrinseco; at post alia peccata disponi potest per actus Fidei causatos etiam ab habitu Fidei intrinseco.

VII. Si Fides informis non esset virtus Theologica, deberet per quodvis peccatum Fides infusa amitti, quod est falsum. Fides viva non differt a Fide mortua, & informi, sicut homo vivus a defuncto, sed sicut corpus vivum a mortuo.

VIII. Si Fides, & Spes non essent virtutes seorsim a Charitate, non essent tres virtutes Theologales.

IX. Fides infusa neque est virtus moralis, neque intellectualis presse dicta; præstat tamen virtutibus intellectualibus stricte dictis. X. Peccatum Infidelitatis reddit hominem specialiter indignum Fide infusa, & ideo per illud tantum hæc amittitur.

XI. Neque in magnis peccatoribus ea est otiosa.

XII. Si stare potest actus Fidei Divinæ relate ad unum mysterium cum Infidelitate relate ad aliud, juxta sententiam Ripaldæ, adhuc per hoc peccatum Infidelitatis Fides infusa deperditur.

XIII. Probabiliter tamen ea non deperditur, si quis ex ignorantia graviter culpabili discredat aliquem articulum Fidei; aut si quis exponat se periculo incidendi in hæresim.

XIV. Videtur Fidei, ac Spei habitus nunquam infundi ante infusionem gratiæ.

I. Exponitur. Cum definitum sit in Triden. sess. 6. can. 28. non semper, amissa per peccatum gratia, Fidem etiam amitti, sed sæpe in peccatoribus veram Fidem reperiri, licet viva non sit vita gratiæ; idcirco in hac propositione non asseritur, quod semper deficiente amore Dei in peccatoribus deficiat etiam Fides Divina, sed solum quod ea deficiat in magnis peccatoribus, & quando in iis omnis amor deficit, perinde quasi veræ Fidei inseparabilis comes deberet esse amor: unde nec posset Fides amorem omnem anteire.

II. Hanc assertionem ipsissimis verbis expressit Franciscus Van Vianen S. T. D. Lovanii die 25. Junii 1676. thesi 1. ut habetur in eo Opusculo inscripto, *Doctrina Theologica per Belgium manans*: Eidemque sententiæ astipulati sunt Jacobus Pontanus, & Gerardus Van Vuerm pariter S. T. D. Lovanienses; necnon Macarius Havermans S. T. Professor Antuerpiæ, & Ægidius Gabrielis Sacræ Theologiæ Professor Bruxellis. Rationes autem asserti videntur esse, Primo, quia Fides informis non videtur esse vera virtus: ergo Fides informis nequit esse Fides supernaturalis stricte dicta, quippe quæ a Tridentino inter virtutes Theologales, & præstantissimas recensetur, sed erit Fides naturalis, & humana: Ad eum prorsus modum, quo Fides de objecto falso est solum Fides naturalis, & humana; puta si rusticus credat Incarnationem Spiritus Sancti, quam illum doceat Parochus, cum non possit Fidei supernaturali falsum subesse; ut docet Trident. sess. 6. cap. 9. Antecedens autem probatur, tum ex Angelico, qui q. 4. de Fide art. 5. hæc habet: *Ex ratione Fidei est, quod intellectus semper feratur in verum, quia Fidei non potest subesse falsum*; & *ex Charitate, quæ format fidem, habet anima, quod infallibiliter voluntas ordinetur in finem bonum; & ideo fides formata est virtus; fides autem informis non est virtus; quia etsi Fides informis habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis*: Tum etiam quia ex Philosopho lib. 7. Eth. *Virtus est dispositio perfecti ad optimum*; Fides autem informis in peccatoribus non disponit ad optimum, nempe ad actum Charitatis: ergo non est virtus: Tum demum quia ex eodem Philosopho, *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum*, quod uni Fidei formatæ, non vero informi convenit: ergo Fides informis non est virtus, atque adeo non est Fides Divina, & supernaturalis, sed ad summum est Fides illa late dicta, qua Deum credimus ex testimonio creaturarum, vel simili motivo; quæ, ut constat ex proposit. 23. Inn. XI. ad justificationem non sufficit.

Con-

Confirmatur auctoritate D. Gregor. Homil. 26. in Evang. ubi habet: *Vera Fides est, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit*: ergo ex D. Gregorio in peccatoribus non datur vera Fides, ideſt Theologica, ſed ſolum Fides humana, ac naturalis.

III. Secundo: Fides infuſa deperditur per peccatum Infidelitatis: ergo etiam deficit in magnis peccatoribus, in quibus deficit omnis amor. Antecedens conſtat ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 15. ubi dicitur: *Aſſerendum eſt, non modo infidelitate, per quam & ipſa Fides amittitur, ſed etiam quocumque alio mortali peccato, quamvis non amittatur Fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti.* Conſequentia probatur, quia magis videntur indigni Fide infuſa magni peccatores, quam qui metu mortis v. g. incidunt in Infidelitatem: ergo ſi Fides infuſa per hujuſmodi peccatum Infidelitatis amittitur, a fortiori in magnis peccatoribus. Præterea ſicut *Demones credunt, & contremiſcunt*, ut dicitur Jacob. 2., eorum tamen Fides in omnium ſententia non eſt Divina, & ſupernaturalis, orta ex imperio voluntatis captivantis intellectum in obſequium Dei loquentis, ſed eſt mere naturalis, & humana, quatenus ex morali evidentia, quam habent ſignorum credibilitatis, coguntur myſteriis Fidei aſſentiri: ita in magnis peccatoribus, quovis amore carentibus, Fides eſt mere naturalis, juxta illud Auguſt. *Cum dilectione Fides Chriſtiani, ſine dilectione Fides Dæmonis.*

Confirmatur ex illo 1. ad Timoth. 1. ubi dicitur: *Bonam conſcientiam quidam repellentes, circa Fidem naufragaverunt*: ergo licet non omnes, ſaltem ii qui in vitiorum cœno volutantur, carent Fide infuſa.

IV. Tertio, quia Fides infuſa in magnis peccatoribus omni dilectione deſtitutis videtur omnino ſuperflua, ac otioſa: ergo amittitur. Conſequentia ſequitur: ideo enim in Beatis ceſſat Fides, juxta illud Apoſtoli 1. ad Corinth. 13. *Cum venerit quod perfectum eſt, evacuabitur quod ex parte eſt*, ideſt cum venerit Dei viſio, Fides ceſſabit, quia ſcilic. in Beatis eſſet omnino otioſa: ergo ſi etiam in magnis peccatoribus eſt otioſa, debet etiam ceſſare. Antecedens probatur tum quia 1. ad Cor. 13. dicitur: *Si habuero omnem fidem, Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*: ergo otioſa eſt Fides in iis, in quibus omnis amor deficit: Tum etiam quia ad Gal. 5. dicitur: *Fides per Charitatem operatur*: ergo ſi dilectione deſtituatur, operari non poteſt, atque adeo eſt otioſa. Hinc Auguſt. cap. 117. habet: *Qui recte amat, procul dubio recte credit, & ſperat: qui vero non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera, quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat.*

V. Oſtenditur falſitas. Paſſim enim Scripturæ docent, Fidem conſiſtere cum pravis operationibus. Jacobi 2. dicitur: *Quid proderit, Fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, opera autem non habeat?* 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem Fidem, Charitatem autem non habuero, nihil ſum.* Conſtat autem ſermonem hic eſſe de Fide Divina; tum quia deinde ſubdit, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas:*, tum etiam quia Apoſtolus dicit, *Si habuero omnem fidem*, atque adeo non ſolum humanam, ſed etiam Theologicam. Conſtat id etiam ex Trid. ſeſſ. 6. cap. 15. ubi docet Fidem infuſam non amitti per quodvis mortale, (ſicut amittitur gratia) ſed per peccatum Infidelitatis: ergo tam in magnis, quam in non magnis peccatoribus perſeverat, ſi non peccant peccato infidelitatis: Sicut etiam perſeverat habitus Spei infuſæ, ſi mortale ipſi Spei non adverſetur, aut ſi non adverſetur Fidei, quæ eſt Spei fundamentum, ut docent communiſſime apud Ripald. diſp. 121. num. 57. quamvis hoc non exprimatur in Tridentino, quod ita loquitur l. c. *Adverſus hominum quorundam callida ingenia*, &c. *aſſerendum eſt, non modo infidelitate, per quam & ipſa fides amittitur, ſed etiam quocunque alio mortali peccato, quamvis non amittatur fides, acceptam juſtificationis gratiam amitti.* Quod pariter docuit Auguſt. lib. 1. de Trinit. cap. 18. dicens, *fidem ſine charitate eſſe poſſe, non autem prodeſſe*: & lib. contra Donatiſtas ubi habet: *Sicut ſi manus alicujus eſſet arida, verum quidem eſſet membrum, ſed ſine ſanguine, idque mortuum; ſic & fides cum ſit vera, tamen ſine operibus mortua eſt.*

Ratio autem, cur virtus infuſa Fidei, necnon Spei perſeveret in peccatore amiſſa gratia, eſt, quia utraque ad reſurrectionem ſupernaturalem peccatoris diſponit; ac proinde non ex exigentia naturali, ut docent communiter apud Ripald. d. 128. de Ente ſupernaturali, ſed ex mera Divina miſericordia utraque perſeverat, ut poſſit facile peccator ad vitam gratiæ revocari. Certe virtutes iſtæ, cum ſint Gratiæ proprietates, deberent pereunte Gratia connaturaliter perire; At ex Divina pietate conſervantur: & quamvis Deus potuiſſet hoc beneficium magnis peccatoribus denegare; non conſtat tamen, quod in præſenti providentia denegaverit: Immo cum abſolute in Trident. dicatur, non per quodvis mortale, ſed per peccatum infidelitatis amitti Fidem, dicendum abſolute, quod per nullum peccatum mortale, nec per ullam mortalium collectionem amittatur; cum hoc ſit magis conſonum Divinæ miſericordiæ, quæ ex multitudine, & magnitudine peccatorum magis ad miſerendum impellitur, juxta illud Pſal. 24. *Domine propitiaberis peccato meo, multum eſt enim*; ubi motivum, quod adducitur ad propitiationem ſperandam, eſt ipſa iniquitatis magnitudo. Etenim *Abyſſus abyſſum invocat*, nimirum abyſſus miſeriarum abyſſum miſericordiarum, ut explicant Patres; Eſt quippe Divinæ Benignitati conſonum, ut iram ipſam miſericordiæ annectat, juxta illud Habac. 3. *Cum iratus fueris, miſericordiæ recordaberis*; Ergo etiam in magnis peccatoribus, deficiente omni amore, Fides infuſa perſeverat. Unde nonnulli cum Suario docent, Fidem habitualem non eſſe comparandam ad gratiam tanquam proprietatem neceſſario manentem, ut reliquæ virtutes morales, ſed tanquam fundamentum, quod deſtructo ædificio manere poteſt.

VI. Confirmatur, quia peccatores tenentur ad Deum ſe convertere ad priſtinam gratiam recuperandam per pœnitentiam; atqui ad gratiam recuperandam nonniſi per actum Fidei, & Spei poſſunt ſe diſponere, nec gratiam obtinere poſſunt non prævio actu Fidei; etenim *Sine fide impoſſibile eſt placere Deo*, ex Apoſt. ad Hebr. 1. 10. ergo ſi poteſt conſiſtere verus actus Fidei infuſæ antecedenter ad dilectionem, & gratiam, poterit habitus Fidei perſeverare etiam in magnis peccatoribus; cum non detur ſufficiens ratio ad aſſerendam ejus deſtru-

structionem. Verum quidem est, quod posito peccato infidelitatis homo citra habitum Fidei poterit ad gratiam recuperandam se disponere per actus Fidei prævios causatos ab auxilio supernaturali ex pura Divina misericordia collato peccatori; At in aliis peccatoribus ex Divina misericordia perseverat habitus Fidei infusus, sive ut connaturalius eliciatur actus Fidei, sive ut sit magis impetratorius, ut mox dicemus: ergo non est limitanda Divina misericordia citra rationabile fundamentum; ita ut velit ex hoc universali decreto magnos peccatores excludere.

VII. Ad primam rationem in contrarium, argumentum probat nimis: probat enim, quod per quodvis mortale Fides expellatur, cum per quodvis mortale Fides evadat informis; quod tamen est contra Trident. sess. 6. can. 28., ubi habet: *Si quis dixerit, amissa per peccatum Gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit.* Neque dicas, quod sicut homo vivus specie differt a mortuo, neque homo mortuus est verus homo; ita Fides viva & formata specie differat a mortua, & informi, & ista non sit vera Fides. Nam, ut advertit Angelicus, Fides viva a mortua solum accidentaliter differt, & denominative, adeo ut eadem vera Fides possit viva denominari, si gratiæ coexistat, & mortua, si ab ea separetur; non secus ac corpus humanum nunc dicitur esse vivum, si animæ sit unitum, nunc mortuum, si ab illa sejungatur.

VIII. Quare directe ad argumentum negatur antecedens. Etiam Fides informis seorsim a Charitate habet rationem virtutis Theologicæ, non secus ac Spes. Quod constat, tum ex Apostolo, qui 1. ad Corinth. 13. tres enumerat virtutes Theologales dicens, *Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas, tria hæc;* non essent autem tres istæ virtutes, si Fides seorsim a Charitate non esset virtus: Tum etiam quia ex D. Thom. p. 2. q. 55. a. 1. Virtus est habitus inclinans potentiam ad bonum: atqui Fides, etiam seorsim a Charitate, determinat, & inclinat potentiam intellectivam ad rectam operationem, nimirum ad assentiendum vero; adeo ut Fides Divina, cui falsum subesse non potest, unice ad verum possit determinare, etiam seorsim a Charitate: ergo Fides informis est vera virtus.

Et ratio ulterior est, quia ad rationem virtutis secundum se tria requiruntur, vid., Quod potentiam perficiat in ordine ad aliquem actum bonum, & honestum, Quod actus ille sit arduus, ac difficilis, & Quod ex se ad finem ultimum referri possit: hæc autem omnia in Fide infusa etiam informi reperiuntur. Ea enim perficit potentiam intellectivam multo magis, quam quælibet scientia naturalis; quamvis enim actui Fidei desit evidentia, habet tamen certitudinem longe præstantiorem, & entitatem supernaturalem. Præterea habet arduitatem ortam ex obscuritate Divinæ revelationis; Ac demum ad finem ultimum est ordinabilis, ut patet: ergo Fides informis habet rationem virtutis perfectæ in suo genere; esto desit illi major illa perfectio extrinseca, quam haberet, si a Gratia, & Charitate immediate, & formaliter ad finem ultimum ordinaretur. Quare in eo sensu dicitur ab Angelico loc laud. Fides informis deficere a ratione virtutis, quatenus caret ea perfectione, quam habet Fides viva, & formata; Et idcirco in responsione ad tertium dicit, Fidem informem a formata non differre specie, sed sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie. Similiter Fides informis disponit ad optimum, nempe ad actum supernaturalem infallibiliter verum ordinabilem ad finem ultimum, prout disponunt ad optimum cæteræ virtutes a Charitate distinctæ; Redditque etiam bonum, non secus ac reliquæ virtutes hominem habentem illam, quatenus hominem reddit bonum in ordine intellectivo; cum non requiratur ad rationem virtutis ut sic, quod reddat subjectum bonum in genere moris.

IX. Instabis: Fides informis non est virtus moralis, cum non reddat hominem bonum in genere moris, ut dictum est: Neque est virtus intellectualis, cum ex Philosopho nonnisi quinque sint virtutes intellectuales, nempe Intellectus, seu Habitus primorum principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars: ergo simpliciter non est virtus; cum non detur aliud genus virtutum, quam moralium perficientium voluntatem, & intellectualium perficientium intellectum.

Respondeo cum Angelico quæst. 14. de Ver. art. 3. ad 9. Fidem infusam, sive formata ea sit, sive informis, in rigore neque esse virtutem intellectualem, neque moralem, sed Theologicam: Non est virtus moralis presse dicta, quia virtutes morales respiciunt bonum honestum rationi consonum; Fides autem non versatur circa bonum, sed circa verum a Deo revelatum. Et quamvis pia affectio ad Fidem inclinans ad actum Fidei imperandum in obsequium Dei loquentis sit virtus moralis tendens in bonum honestum, eo quod honestum sit velle credere Deo loquenti, positis signis credibilitatis; ipse tamen actus Fidei imperatus, ac procedens ab ipsa pia affectione ad Fidem non respicit honestum, sed verum; ideo non est virtus moralis. Neque in rigore est virtus intellectualis, ut docet idem Angelicus in 3. dist. 23. num. 9. art. 3. ubi hæc habet: *Non sufficit ad rationem virtutis intellectualis, quod per eam cognoscatur verum, sed oportet, ut actus, quo verum consideratur, sit perfectus etiam ex modo, ut bene quis intelligat; fides autem non attingit verum quantum ad modum proprium ipsius intellectus, quia intellectus per fidem non est tantæ efficaciæ, ut id, quod credit, inspicere per se possit, aut ad ea, quæ inspicit, reducere; & ideo non est virtus intellectualis.* Hinc fit, quod dicenda sit vittus Theologica, quatenus habet pro formali objecto ipsum Deum, nempe Auctoritatem Dei loquentis, & spectat immediate ad intellectum perficiendum; unde est virtus intellectualis minus presse dicta. Præfertur tamen ratione suæ certitudinis iis omnibus virtutibus intellectualibus, quas enumerat Philosophus, qui virtutem hanc Fidei non agnoscens, non potuit illam inter virtutes intellectuales recensere.

Ad Confirmationem: Sicut D. Jacobus dicit, fidem sine operibus esse mortuam: ita D. Gregor. dicit non esse Fidem veram; non quia deficit a vera ratione Fidei Divinæ, sed quia deficit a vera ratione virtutis consummatæ, ac vivificatæ a Gratia, vi nempe cujus possit aliquid in ordine ad vitam æternam operari, ut notat Suarius disp. 7.

de Fi-

de Fide sect. 4. De hac Fide S. Isidorus lib. 2. de Summo Bono c. 2. dixit : *Vacua est sine operibus fides, & frustra sibi de sola fide blanditur, qui bonis operibus non ornatur.* Quod autem Fides sine operibus, quamvis sit mortua, adhuc sit vera Fides, docet diserte Tridentinum loco laudato.

X. Ad secundam difficultatem; negatur consequentia. Peccatum Infidelitatis reddit hominem specialiter indignum habitu Fidei; & ideo per hoc tantum Fides habitualis deperditur, non vero per alia delicta, licet graviora. Ideo in dæmonibus, & damnatis ea deficit, quia non possunt amplius resipiscere; unde cessat in iis finis, ob quem ex Divina misericordia relinquitur in peccatoribus, ut scil. ad resipiscentiam per actus Fidei, & Spei disponantur. Hinc, sicut non tenet ista argumentatio, In Beatis remanent virtutes morales: ergo a fortiori virtus Fidei, quæ cum sit Theologalis, præstantior est moralibus; siquidem cessat in Beatis ratio, cur Fides perseveret, non cessat vero ratio, cur perseverent virtutes morales, nempe ad earum actus eliciendos: ita nec tenet hæc argumentatio, In hæreticis cessat Fides habitualis; ergo a fortiori in magnis peccatoribus, quia scilicet ratio, cur in hæreticis destruatur, est specialis illa injuria, quæ Fidei per infidelitatem irrogatur. Augustinus dicit, Fidem Christiani sine dilectione esse instar Fidei Dæmonis, quatenus neutra Fides est meritoria vitæ æternæ, non vero quia utraque sit naturalis.

Ad Confirmationem: magni peccatores sæpe circa Fidem naufragium faciunt solum dispositive, quatenus disponuntur per peccata ad Fidem negandam, & amittendam.

XI. Ad tertiam, Argumentum etiam probat, Fidem cessare non solum in magnis peccatoribus, sed etiam in quolibet peccante; quod aperte Tridentino laudato repugnat. Quare negatur antecedens: Deservit enim Fides habitualis in peccatoribus, sive ut connaturalius eliciantur actus Fidei disponentes ad actus Spei, & Charitatis, atque adeo ad resurrectionem peccatoris, ut docet Lugo disp. 16. de Fide nu. 40. sive ut actus Fidei a tali habitu eliciti sint magis, ac perfectius impetratorii, quam sint actus, qui vi auxiliorum duntaxat eliciuntur, ut putat Ripalda disp. 128. de Ente supernat. n. 67. Ad probationem dicendum, Fidem sine Charitate nihil prodesse, quatenus non est meritoria vitæ æternæ, non quia non prodest ad resipiscendum. In quo sensu accipiendum etiam est id, quod ab Augustino dicitur, quod scil. non amans inaniter credat, aut speret. Denique dicitur Fides operari per dilectionem, non solum quia a Charitate, & Gratia habet illa meritum vitæ æternæ, (quod competit etiam Spei, & aliis infusis virtutibus, sive cum Gratia identificentur, sive solum sint ab ea inseparabiles in præsenti providentia, juxta varias sententias, sed etiam quia Fides est initium salutis, & obtenta Charitate ad operationes impellit, quibus ultimum finem assequimur. Quod docuit Angelicus q. 9. ar. 9. dicens: *Fides primo, & principaliter consistit in operatione, inquantum scil. inhæret Primæ Veritati; sed quia Veritas Prima est etiam ultimus finis; propter quem operamur, inde etiam est, quod fides ad operationem se extendit, secundum illud ad Gal. 5. Fides per dilectionem operatur.*

XII. Dubitatur, Utrum hæreticus culpabiliter discredens unum articulum Fidei, puta Eucharistiam, possit Fide Divina, ac supernaturali alium articulum, puta Incarnationem, credere; ut proinde etiam in hæreticis non omnia, quæ ad Fidem spectant, discredentibus, sicut in magnis peccatoribus, Fides habitualis perseveret saltem partialiter, juxta sententiam Durandi in 3. dist. 23. q. 9. Ad quod respondendum videtur cum communi Theologorum, etiam data possibilitate actus Fidei supernaturalis relate ad unum mysterium in eo, qui culpabiliter alterum discredit, adhuc habitum Fidei infusæ per quemlibet actum Infidelitatis totaliter destrui: Ad eum modum, quo licet posset aliquis Deum amare amore supernaturali limitato, qui non sit ex toto corde, puta observando unum præceptum, non alterum, seu amando Deum, verbi gratia, super fratrem, non super patrem, & super omnia, adhuc totaliter habitus Charitatis & Gratia cum omnibus virtutibus moralibus infusis per quodvis peccatum deperduntur. Ratio est quia ex Trident. sess. 6. c. 15. Fides peccato Infidelitatis amittitur: ergo universim per quodvis peccatum Infidelitatis deperditur.

Utrum autem revera sit possibilis actus Fidei Divinæ limitatus, quo scil. unum mysterium credatur, & alterum, quamvis sufficienter propositum, discredatur? Theologi certant, & adhuc sub Judice lis est. Ripalda, Lugo, Platel. num. 270. contra communiorem affirmant: Putant enim, quod Zacharias poterat Fide supernaturali credere, verbi gratia, Deum Remuneratorem, dum culpabiliter non credebat verbis Angeli prænuntiantis nativitatem Joannis Baptistæ; in pœnam enim evasit mutus, ut constat ex verbis Luc. 1. *Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fient, pro eo quod non credidisti verbis meis.* Id equidem Scholasticis mitto discutiendum.

XIII. Dubitatur demum, Utrum Fides habitualis infusa deperdatur, non solum ab eo, qui scienter, sed etiam ab eo, qui ex ignorantia graviter culpabili negat aliquod Fidei mysterium, aut ab eo, qui se exponit periculo incidendi in hæresim? Lugo disp. 17. de Fide sect. 5. Suar. Coninch. ex D. Th. censent negandum, eo quod neutrum sit peccatum Infidelitatis consummatum, & perfectum. Sicut enim in censuras contra hæreticos latas ab Ecclesia ille solum incurrit, qui scienter negat aliquem Fidei articulum; ita hic duntaxat subit pœnam a eo latam amittendi habitum Fidei infusum, non vero qui ex ignorantia graviter culpabili negat mysterium, aut qui se exponit periculo incidendi in hæresim, quia ad incurrendas pœnas illas videtur requiri peccatum in sua ratione perfectum, & consummatum. Idemque docent de eo, qui metu mortis Fidem exterius tantum negaret: quamvis enim hic peccet contra Fidem, non peccat tamen peccato infidelitatis; unde Fidem infusam non amittit. At qui dubitat de veritate mysteriorum Fidei, Fidem habitualem infusam amittit, ut docet Suar. disp. 19. sect. 4. quia ex c. 1. de Hæret. in 6. *Dubius in fide est Infidelis*; atque adeo vere peccato Infidelitatis, sive dubium sit positivum, videl. judicando mysterium credendum esse dubium, sive sit dubium negativum, videl. suspendendo voluntarie assensum circa tale mysterium, eo quod putet motiva proposita non esse sufficientia ad illud credendum actu Fidei firmissimo; Secus vero, si aliis de causis omittat credere hic & nunc.

XIV. Ubi etiam recolo doctrinam Scoti, Ripaldæ, Lugonis disput. 16. sect. 3. putantium contra Suar. Vasquium, & Valentiam, habitus Fidei, ac Spei

Spei nunquam infundi ante infusionem Gratiæ, atque adeo suscipienti cum fictione baptismum infundi solum characterem baptismalem. Ratio videtur esse, tum quia in Triden. sess. 6. c. 7. dicitur: *In justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo, fidem, spem, & charitatem*: tum etiam quia habitus supernaturales Fidei, & Spei sunt Gratiæ proprietates: ergo connaturaliter illam consequuntur; quamvis ex Divina misericordia non semper amissa gratia amittantur. Illud tamen est discrimen inter habitum Fidei, & habitum Spei infusæ, quod Fides habitualis per solum peccatum Infidelitatis destruatur, non vero per peccatum oppositum Spei; contra vero Spes habitualis destruitur tam per peccatum oppositum Spei, quam per peccatum Infidelitatis, ut docent communissime apud Ripald. de Fide disp. 28. Et ratio est, quia Spes supernaturalis fundatur in Fide: & ideo Fide habituali per peccatum Infidelitatis corruente, corruat oportet & ipsa Spes. Quod videtur innuere Apost. 1. ad Tim. 1. illis verbis; *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*, significans, quod per amissionem Fidei naufragium subeatur; adeo ut homo omnino nudus remaneat, exutus omnibus habitibus infusis.

PROPOSITIO XIII.

Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur.

De hac satis superque nuper diximus in Expositione Thesis X. & XI.

PROPOSITIO XIV.

Timor gehennæ non est supernaturalis.

SYNOPSIS.

I. Quaduplex datur Timor, Filialis, Initialis, Servilis, & Mundanus.

II. Timor gehennæ servilis videtur non esse supernaturalis, sed peccaminosus; quia odio habens culpam ex tali metu videtur nolle culpam vitare, si metus abesset.

III. Operatur enim coacte, & cum renitentia.

IV. Unde hujusmodi timor ab Augustino dicitur non esse castus.

V. Scripturæ tamen passim ad pœnitentiam excitant timore gehennæ.

VI. Tridentinum hujusmodi Timorem vocat Dei donum, ac Spiritus Sancti impulsum.

VII. Patres illum passim commendant.

VIII. Sicut Timor Filialis elicitur a Charitate, ita Servilis a Spe Theologica.

IX. Nisi esset bonus, & quia lumine Fidei elicitus, etiam supernaturalis, minus apte Christus Dominus, & Ecclesia ad illum nos excitarent.

X. Falsissimum est, quod fugiens culpam metu gehennæ nollet culpam vitare, si metus abesset; quamvis verum sit, quod projiciens merces ob metum naufragii nollet eas projicere, si abesset metus.

XI. Operatio meticulosa non semper est involuntariæ secundum quid, & coacta.

XII. Timor Servilis ex Augustino non est castus, quatenus non est Filialis: at non proinde non est supernaturalis. Sicut Spes Theologica non desinit esse supernaturalis per hoc, quod non pertingat ad Charitatem.

XIII. Distinguendum tamen duplex genus Timoris Servilis; datur enim Timor Servilis presse dictus, seu Servilis formaliter, & Servilis late dictus, seu materialiter talis. Prior habetur, quando quis ob metum pœnæ odit culpam, quam non odisset si pœna abesset, & hujusmodi timor est malus, & a SS. Patribus rejectus; Posterior vero habetur, quando præcise timetur pœna, & ob timorem pœnæ culpa declinatur, & hic timor est bonus, & a SS. PP. commendatur.

XIV. Juxta hanc distinctionem interpretandus etiam Angelicus, ubi videtur male sentire de timore Servili.

I. Exponitur. D. Th. 2. 2. qu. 19. art. 2. quadruplex genus Timoris agnoscit, nempe Filialis, Initialis, Servilis, & Mundani: Mundanus timor dicitur, quo quis ob metum mali temporalis Deum deserit, e. g. Fidem abnegat, ne a Tyranno crucietur; hic timor procul dubio vitiosus est, & de eo dicitur Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere; sed potius timet eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gebennam.*

Filialis dicitur, quo quis ad Deum convertitur, & legi obtemperat ob culpæ timorem; filiorum quippe est timere offensam Patris, & hic citra controversiam est perfectus; ortumque suum habet a Charitate; quinimmo, ut advertit Angelicus, ad incrementum Charitatis crescit pariter hujusmodi timor filialis, & castus. Hinc inter septem Spiritus Sancti dona numeratur, cum hujusmodi dona sine Charitate esse non possint; per ea quippe redduntur potentiæ bene mobiles a Spiritu Sancto, sicut per virtutes infusas redduntur bene mobiles a ratione. Præterea castus hic timor etiam in Patria remanet, quamvis ibi sit depuratus a sollicitudine, ne Deus offendatur; & solum importat constantem voluntatem non offendendi Deum dilectum; de hoc enim timore dicitur Psalm. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*; ubi August. 14. de Civit. Dei addit: *Timor ille castus permanens in sæculum sæculi non erit timor exterrens a malo, quod accidere non potest, sed tenens bonum, quod amitti non potest.* Gregorius tamen 17. Moral. exponens illud Job 26. *Columnæ cœli contremiscunt, & pavent ad nutum ejus*, docet, hujusmodi timorem consistere in admiratione, qua Beati Deum ut incomprehensibilem admirantur.

Initialis timor dicitur, qui principium dilectionis est, & de quo legitur Psalm. 110. *Initium sapientiæ timor Domini*; & Eccles. 35. *Timor Domini initium dilectionis est*; mediat quippe inter timorem filialem, ac servilem, quatenus non solum movetur ad fugiendam culpam, ne Deus offendatur, sed etiam ne incurratur pęna; unde importat quendam actum Charitatis imperfectæ; quandoquidem perfecta Charitas tum servilem, tum initialem timorem excludit, juxta illud 1. Jo. 4. *Perfecta Charitas foras mittit timorem.*

Servilis demum timor, de quo nobis agendum, est,

est, quo quis culpam fugit, ne pœnam incurrat, non quidem eo affectu, ut culpam vellet, si pęna abesset, nam hujusmodi timor imbibens amorem culpæ est peccaminosus, & de hoc dicitur illud: *Oderunt peccare mali formidine pęnæ*; sed omnino præscindendo ab eo, quod fieret, si pœna abesset. Quia tamen hoc timore principalius quis fugit a pęna, quam a culpa, cum propter penam fugiat culpam, idcirco hujusmodi timor deficit a Charitate, & libertate, juxta illud primæ ad Corinth. 3. *Ubi Spiritus Domini, ibi libertas*, videlicet propria diligentium Deum; diciturque Servilis, quia proprius est servorum, qui se magis, quam Dominum amant, & idcirco a pęna potius refugiunt, quam a Domini offensa.

II. Hujusmodi timorem servilem esse malum, & consequenter si sit ex motivo, quod cognoscatur lumine supernaturali, puta ex motivo gehennæ, aut pęnarum, prout a Deo Vindice inflictarum, non esse supernaturalem, docuit post Bajum, & Jansenium P. Carolus ab Assumptione in Opusc. de Contritione c. 1. §. 4. quod scripsit sub ficto nomine Germani Philalethis. Ratio videtur esse: quia operans ex metu nollet operari, si metus abesset; ut qui projicit ex metu naufragii merces, nollet illas projicere, si abesset periculum: ergo observans Divinam legem ex metu gehennæ nollet id facere, si non daretur gehenna; hic autem actus procul dubio est malus; continet quippe affectum peccandi seclusa pœna: ergo etiam malus est timor gehennæ imbibens hunc actum, unde supernaturalis esse non potest.

III. Confirmatur primo: quia qui ex metu operatur, coacte, & invite operatur; ut proinde Augustinus in Epist. ad Galat. dicat: *Timore ista implere cogebantur*; & D. Th. 1. 2. qu. 6. art. 2. ait: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur*: atqui dolens de peccatis invitus, & coactus, & cum voluntatis repugnantia non recte operatur: ergo.

IV. Confirmatur secundo ex Augustino, qui tr. 8. in Epist. Joann. habet: *Ille timor, ne in ignem mittaris cum diabolo, non est castus; non enim venit ex amore Dei*: ergo ex Augustino est vitiosus, atque adeo nequit esse supernaturalis. Ex quibus fit, nec posse esse supernaturalem attritionem conceptam ex solo gehennæ, & pœnarum metu, quod discutiemus in expositione propositionis sequentis.

V. Ostenditur falsitas: quia sæpe Scripturæ homines ad servanda mandata, & ad pœnitentiam excitant timore gehennæ, ac pęnarum: ergo hujusmodi timor non est malus, sed rectus; atque adeo cum procedat ex motivo lumine supernaturali cognito, est supernaturalis. Antecedens patet; nam Luc. 13. dicitur; *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. De hoc timore loquitur Job. 9. *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti*. Et David Psalm. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Et Apostolus ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*. Ubi Glossa addit: *Unus spiritus est, qui facit duos timores, servilem, & castum*.

VI. Hinc Tridentinum sess. 7. can. 8. anathematizat, *Qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere*. Similiter sess. 14. can. 3. anathematizat, *Qui dixerit, dolorem ex gehennæ metu conceptum non esse utilem, & ad gratiam non præparare*: Necnon *Qui dixerit, illum esse coactum, & non liberum, ac voluntarium*. Et cap. 4. hujusmodi timorem Trident. appellat *bonum motum, donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum*.

VII. Nec subsistit Bajanorum responsio, quod scil. Tridentinum loquatur de timore initiali habente annexam Charitatem, seu qui ex amore etiam Charitatis procedit. Nam Triden. loquitur adversus Lutherum, qui timorem servilem duntaxat negabat esse bonum, non vero timorem initialem: ergo de timore servili verificatur Tridentini doctrina. Et de hoc timore expresse loquitur D. Thom. 2. 2. q. 19. art. 4. dicens: *Timor servilis secundum suam substantiam bonus est*; & D. Bonavent. in Opusc. de Gratia Sanctif. lib. 5. cap. 4. *Timor servilis donum Spiritus S. est, nec tamen est cum Spiritu S.; sicut aurora est a Sole, nec tamen cum Sole est; Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, & eum, sicuti seta filum, introducit*. Præterea PP. passim ad hujusmodi timorem excitant, præsertim Augustinus serm. 13. de Verb. Apost. ubi habet: *Fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*.

VIII. Ratione autem id evincitur a Ripalda tom. 3. disp. 22. sect. 7. quia timor pęnæ elicitus a virtute Spei infusæ virtuosus est, ac supernaturalis: sed timor servilis pęnæ elicitur a virtute Spei infusæ, ut condistinctæ a Charitate: ergo bonus est, ac supernaturalis: Minor probatur, quia virtuti Spei, ut condistinctæ a Charitate infusa, competit elicere timorem mali oppositi bono suo; sicut virtuti Charitatis competit pariter elicere timorem mali oppositi bono Charitatis; cum ad eandem virtutem spectet prosequi bonum, & fugere malum tali bono oppositum: Sed bonum proprium Spei est æterna beatitudo, cui opponitur ejus amissio, ac gehenna: ergo ad Spem pertinet de hoc malo timere; atque adeo timor servilis gehennæ elicitur a virtute Spei infusa, ac supernaturali; Sicut quia bonum proprium Charitatis est Dei bonitas, prout est in se, ac illi opponitur Dei offensa, idcirco ad Charitatem spectat timor filialis de offensa Dei.

IX. Confirmatur ex inconvenienti; quia si timor gehennæ, ac pœnarum non esset bonus, ac simul supernaturalis, quatenus per lumen fidei hujusmodi malum proponitur, sequeretur, quod minus apte Christus Dominus, Apostoli, Patres cum Augustino loco nuper laudato, Concionatores, & Ecclesia passim hunc timorem incuterent: immo peccaret, qui in auditoribus timorem gehennæ (utpote peccaminosum) excitaret, ut a culpis retrahantur; quod nemo dixerit.

X. Ad rationes in contrarium: Certum est, quod volens positive peccare, si non daretur gehenna, peccet; falsum tamen est, quod nolens peccare ob metum gehennæ velit circumscripta gehenna peccare: Sic qui, verbi gratia, recitat Horas ex motivo præcepti, a quo obligatur, non proinde dicitur habere animum non recitandi, si ad illas non obligaretur, & qui Deum amat ex motivo gratitudinis ob aliquod beneficium acceptum, non habet animum illum non amandi, si beneficium non accepisset; Et qui dat stipem indigenti creditori ex moti-

motivo justitiæ, non habet animum illam negandi ex motivo misericordiæ, si indigens non esset suus creditor. Ratio a priori est, quia potest unum motivum movere, ita ut præscindatur ab alio; potest itaque moveri voluntas ad detestandum peccatum ex motivo pęnarum, quin tamen cessante hoc motivo vellet peccare. Idem dicas de eo, qui projicit merces ex metu naufragii: Cum hoc tamen discrimine, quod projiciens merces tali metu nollet eas projicere, utpote sibi utiles; at odio habens peccatum propter metum gehennæ non præsumitur, quod cessante tali metu, vellet peccare; quia licet peccatum ob suam delectabilitatem alliciat, ob suam tamen inhonestatem, ac turpitudinem retrahit voluntatem a sui amore.

XI. Ad primam confirmationem: Quoties operatio meticulosa est involuntaria secundum quid, & inefficaciter, tunc, ut docet Angelicus p. 2. qu. 6. art. 6. est simpliciter, & absolute voluntaria; aliter non posset esse meritoria, aut demeritoria. Notandum tamen cum Ripalda disp. 22. n. 28. posse aliquando operationem meticulosam esse omnino voluntariam, & ne secundum quid quidem involuntariam; quando scil. nulla consideratur in operatione specialis difficultas, & modestia; ut si quis ex metu gehennæ fugiat peccatum, considerando in hac fuga solum oppositionem cum pœnis ęternis præter propriam ejus honestatem. Notandum etiam tunc operationem meticulosam dici coactam, quando datur affectus positivus ponendi oppositum cessante metu; e.g. dicitur coacte merces projicere, qui metu naufragii illas projicit, quia habet positivum animum non projiciendi, si metus, & periculum abesset: In hoc sensu dicitur coacte a peccato abstinere, qui ob metum gehennę abstineret eo animo, ut vellet peccare, si gehenna non daretur; & de his loquitur August. dum dicit, aliquos timore cogi ad legem servandam; sicut etiam D. Th. docens, quę per metum fiunt, fieri cum repugnantia voluntatis; loquitur enim D. Th. de iis, quę fiunt ex metu, prout plerumque contingit, ac pręsertim de actibus externis, qui conjungi solent cum animo interno positive illos nolente, si metus abesset. At quando non datur hic contrarius peccaminosus affectus, tunc operatio meticulosa non potest dici coacta; unde male diceretur, quod observantia mandatorum, & dolor de peccatis sint actus coacti, quoties deest animus ab iis abstinendi, si metus abesset. Propterea Trid. sess. 14. c. 4. dicit falso a nonnullis asseri, hujusmodi Attritionem *esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam*. Et Can. 5. habet: *Si quis dixerit*, &c. *illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit*.

XII. Ad secundam Confirmationem: Augustinus dicit, timorem servilem conceptum ex pęnarum metu non esse castum, hoc est non esse filialem, nec procedere ex motivo Charitatis; at non proinde sequitur, quod non sit bonus, & supernaturalis, sed vitiosus; Sicut virtus Spei Theologicæ, & virtutes morales infusæ, quamvis non pertingant ad Charitatem, non per hoc desinunt esse virtutes supernaturales. Quare distinguendum est cum Angelico 2. 2. qu. 19. art. 4. ad 1. duplex genus Timoris servilis. Alter dicitur servilis formaliter, quando quis non amat justitiam, sed solum timet pęnam, qua circumscripta vellet peccare, & hujusmodi timor est malus; Alter dicitur servilis materialiter, quo scilicet quis ad deserendam voluntatem peccati, eamque detestandam disponitur, & hic est timor, ad quem ipse Christus Dom. nos passim hortatur; præsertim Luc. 12. dicens: *Ostendam vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*.

XIII. Juxta hanc duplicem distinctionem Timoris Servilis stricte dicti, seu servilis formaliter, hoc est, ut loquitur Angelicus loco laudato *Servilis in quantum servilis est*, positive excludentis, amorem justitiæ per internum affectum ad peccatum, ac Servilis late dicti, seu servilis tantum materialiter, quo præcise timetur pęna, & propter timorem pęnæ abstinetur a culpa, explicandi sunt inumeri alii textus, qui ex August. & aliis PP. passim ab Adversariis objectantur. Libro enim de Nat. & Grat. cap. 57. August. habet: *Sub lege enim est, qui timore supplicii, quod lex minatur, non amore justitiæ, se sentit abstinere ab opere peccati, necdum liber, necdum alienus a voluntate peccandi; in ipsa enim voluntate reus est, qui mallet, si fieri posset, non esse, quod timeat, ut libere faciat, quod occulte desiderat*. Et epist. 44. *Inimicus justitiæ est, qui pęnæ timore non peccat, amicus tamen erit, si ejus amore non peccet; tunc enim vere timetur peccare; Nam qui gehennam metuit, non peccare metuit, sed gehennam*: Et lib. 1. ad Bonif. cap. 9. *In ipsa*, inquit, *intus voluntate peccat; qui non voluntate, sed timore non peccat*. Et in tract. 9. in Ep. Jo. comparat timorem, quo quis abstinet a peccato, cum timore adulteræ, quæ se intus oblectat nequitia adulterii; adulterium tamen idcirco non committit, quia maritum timet. Quod autem in his, aliisque locis Augustinus loquatur de timore stricte Servili, ex eo colligitur; tum quia timorem peccandi comparat cum timore adulteræ, quæ in animo oblectat se adulterio, & propter mariti timorem illud non committit; tum quia plerumque alludit ad legem veterem, quæ a plerisque observabatur ex timore pęnarum stricte servili; tum demum quia sæpe commendat timorem gehennæ excludentem affectum ad peccatum, seu timorem late servilem. In Psalm. enim 127. ita loquitur: *Timet, ne mittatur in gehennam, bonus est, & utilis iste timor*. Et de Verbis Apostol. serm. 13. *Timor servus est, charitas libera; & ut sic dicamus, Timor servus est Charitatis; ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet dominæ venturæ locum: fac vel timore pęnæ, si necdum potes amore justitiæ*. Et tr. 9. in ep. Joan. *Opus est ergo, ut intret timor primo, per quem veniat Charitas; Timor medicamentum, Charitas sanitas*. Et infra: *Si nullus est Timor; non est, quo intret Charitas; sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur; Sic timor primo occupat mentem, non tamen ibi remanet, quia ideo intravit, ut introduceret Charitatem*.

XIV. Similiter juxta eandem distinctionem Timoris servilis presse, ac late dicti explicanda etiam sunt, quæ ex Doctore Angelico pariter opponuntur. Nam 1. 2. qu. 107. artic. 1. ad 2. habet: *Lex vetus dicitur cohibere manum, non animam, quia qui timore pęnæ ab aliquo peccato abstinet, non simpliciter ejus voluntas recedit a peccato, sicut recedit voluntas ejus, qui amore justitiæ abstinet a peccato*: Et in 4. dist. 170. qu. 1. art. 1. docet, An-

Antiochum caruisse vera pęnitentia, quia non ex amore justitiæ de peccatis suis dolebat, sed timore pęnæ, quam expectabat; Unde dicitur 2. Machab. 9. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non esset misericordiam consecuturus*. Manifestum enim est, Angelicum hic loqui de Timore stricte servili; de quo solet etiam illud passim usurpari:

Oderunt peccare mali formidine pęnæ,
Oderunt peccare boni virtutis amore.

PROPOSITIO XV.

Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.

SYNOPSIS.

I. Damnatur solum in hac thesi, quod hujusmodi attritio non sit bonus motus, & supernaturalis, præscinditur tamen, an ea sufficiat in Sacramento Pęnitentiæ.

II. Hic error Auctores habet Lutherum, Bajum, Jansenium, qui nullum agnoscebant virtutis actum, qui non esset elicitus a charitate.

III. Probant, attritionem hanc non esse actum studiosum; quia per illam homo magis odit gehennam, quam peccatum.

IV. Et videtur dicere intra se, Si alterutrum esset declinandum, potius declinarem gehennam, quam peccatum.

V. Hinc non odit magis, quod est magis odibile.

VI. Magis quippe displicet malum proprium, quam Dei offensa; qui actus, esto non esset vitiosus, saltem est naturalis.

VII. Tridentinum tamen hujusmodi Attritionem vocat Dei donum, ac Spiritus Sancti impulsum.

VIII. Docetque illam disponere ad gratiam in Sacramento impetrandam; atque adeo esse supernaturalem.

IX. Tridentinum ibi loquitur de Attritione ex mero metu concepta.

X. Deus ad hunc finem gehennam minatur, ut ex ejus timore peccata caveamus, & de iis doleamus.

XI. Hinc dolens ex hoc motivo ponit a Deo institutum ad peccata declinanda, ac detestanda.

XII. Est supernaturalis Attritio, etiamsi concipiatur ex pęnarum temporalium metu, dummodo lumine Fidei attingantur, ut a Deo Ultore infligendæ.

XIII. Necnon si concipiatur ab omissionem beatitudinis. XIV. Aut ob peccati fęditatem attactam lumine superno.

XV. Quamvis ex vi Attritionis magis displiceat hic & nunc pęna, quam culpa, non idcirco circumscripta pęna amaretur culpa.

XVI. Daretur enim aliud motivum ad culpam detestandam.

XVII. Non agit inordinate, qui ex motivo pęnæ inducitur ad vitandam culpam: quia quamvis hoc actu magis fugiat a pęna, quam a culpa, at non proinde illam æstimat ut malum majus.

XVIII. Attritio fundatur quidem in amore suimet, at non in amore inordinato; nec est naturalis, si bonum, quod appetitur, per lumen Fidei cognoscatur.

XIX. Contendunt nonnulli, requiri in Attritione aliqualem Dei dilectionem, ut in Sacramento ad gratiam disponat.

XX. Communissima tamen, & moraliter certa sententia negat.

XXI. Pluribus conatur Pallavicinus ostendere, quod requiratur ista aliqualis dilectio.

XXII. Sed quomodocumque ea explicetur, semper sequeretur, quod per hujusmodi Attritionem haberetur justificatio ante Sacramenti susceptionem.

XXIII. Nullus determinatus gradus intensionis requiritur in actu Charitatis, ut justificet.

XXIV. Dilectio justificativa debet esse super omnia appretiative, non intensive.

XXV. Textus illi: Sine Charitate nihil sum: Qui non diligit, manet in morte, *intelligendi sunt de charitate habituali.*

XXVI. Multipliciter explicari apte potest id, quod dicit Tridentinum, quod peccatores Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat.

XXVII. Ac similiter interpretandi sunt Patres requirentes amorem Dei inchoatum.

XXVIII. Licet ad Fidem, & Spem infusam habitualem præire debeant actus Fidei, & Spei in adultis; ex meritis tamen Christi in Sacramento non prærequiritur charitas actualis ad habitualem.

XXIX. Attritio sufficienter excludit omnem voluntatem peccandi.

XXX. Videtur, quod non liceat Attritionem sine dilectione in Sacramento adhibere.

XXXI. Sed oppositum videtur moraliter certum.

XXXII. Qui requirunt amorem Dei initialem, verbis duntaxat discrepant a sententia illum non requirente, nisi doceant, quod requiratur contritio.

XXXIII. Tridentinum, & Alexand. VII. dedissent ansam errori in re gravissima, nisi sufficeret Attritio ex metu gehennæ.

XXXIV. Implicite, ac dilucide Tridentinum docet, quod sufficiat.

XXXV. Catalogus Auctorum in contrarium non deturbat sententiam hanc a morali certitudine.

XXXVI Cardinalis Toletus solum requirebat contritionem putatam; sed post Tridentinum cecinit palinodiam.

I. Exponitur. De Attritione duo acriter inquiruntur: Primo quidem, An ea sine dilectione benevolentiæ Dei propter se sit bonus motus, ac supernaturalis? Secundo, An Attritio ex gehennæ metu concepta, quamvis sit bonus motus, & supernaturalis, sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ ad gratiam suscipiendam, si non habeat admixtam aliqualem Dei dilectionem? Solum quoad primum procedit condemnatio præsentis propositionis: Quod attinet enim ad secundum, Alex. VII. 5. Maji 1667. prohibuit sub poena excommunicationis, ne quis censura ulla auderet notare alterutram opinionem, sive affirmantem, necessariam esse aliqualem istam Dei dilectionem in attritione concepta ex pęnarum metu, prout Pallavicinius ex Sylvio, & aliis apud Haunoldum numer. 985. acriter contendebat, sive negantem cum communi Theologorum apud Lugo disp. 5. sect. 9. De utraque controversia celebri, præsertim apud Belgas, paucis hic nobis agendum.

II. Cir-

II. Circa primum, quod attritio ex puro gehennæ metu concepta non sit bonus motus, ac supernaturalis, est error affinis omnino præcedenti, quod scilicet timor gehennæ non sit supernaturalis: & uterque ab iisdem Auctoribus Luthero, Bajo, Jansenio, P. Carolo ab Assumptione apud Platel. t. 5. n. *696.* in lucem malignam editus; nititurque tum in eo falso principio, de quo plura diximus in expositione propositionis 10., quod scil. in natura lapsa nullus detur veræ virtutis actus, qui non sit elicitus a Charitate; tum in aliis futilibus ratiocinationibus, quibus Hæretici perperam conantur ostendere, attritionem ex puro gehennæ metu conceptam non solum non esse bonum motum, ac supernaturalem, sed etiam esse actum peccaminosum.

III. Primo quidem, quia detestans culpam ad vitandam gehennam eligit vitationem peccati tanquam medium ad vitandam gehennam: ergo magis afficitur erga vitationem gehennæ, quam erga vitationem peccati, juxta vulgare effatum, *Propter unumquodque tale, & illud magis*. Atqui magis affectus erga vitationem gehennæ, quam peccati videtur intra se dicere, Si non esset gehenna, peccarem; quod certe culpa non vacat; ergo hujusmodi attritio est actus malus, qui supernaturalis esse non potest.

IV. Confirmatur primo: Qui magis odit gehennam, quam peccatum, dicit intra se, Si nonnisi alterutrum posset declinari, potius eligerem peccatum, quam gehennam; (Sicuti qui assentitur Conclusioni propter præmissas, cum magis assentiatur præmissis, quam Conclusioni, si alterutrum esset negandum, negaret potius Conclusionem, quam præmissas,) atqui hujusmodi actus est peccaminosus; ergo attritio ista non potest esse actus bonus, atque adeo nec supernaturalis.

V. Confirmatur secundo: Qui odit peccatum propter gehennam, ordinat majus ad minus bonum, nempe vitationem peccati ad vitationem gehennæ: ergo inordinate agit. Præterea magis detestatur gehennam, quam peccatum: ergo non detestatur peccatum supra omne malum; Nec magis detestatur, quod est magis odibile: ergo non detestatur peccatum detestatione illi consentanea; atque adeo peccat.

VI. Secunda ratio ex Jansenio est, quia dolor de peccatis ob metum gehennæ fundatur in amore sui, non vero in amore Dei offensi; displicet enim peccatum ob malum, quod trahitur in peccatore, non ob offensam, quæ irrogatur Deo: sed hujusmodi actus, etiamsi non esset vitiosus, saltem est naturalis: ergo attritio ista non potest esse bonus motus, & supernaturalis. Minor probatur, quia naturaliter quilibet semetipsum amat, & ex amore sui met execratur, quodcumque apparet esse inductivum proprii mali; ergo naturaliter odio habetur peccatum, quod apparet inductivum gehennæ.

VII. Ostenditur falsitas: quia Trid. sess. 14. c. 4. docet, Attritionem, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu concipitur, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam esse donum Dei, ac Spiritus S. impulsum, & ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento Pœnitentiæ disponere; necnon esse bonum motum, sine quo gratia in eo Sacramento non confertur: ergo ex Tridentino hujusmodi attritio non solum est bonus motus, sed etiam est supernaturalis. Probatur consequentia; tum quia dum dicitur esse antonomastice donum Dei, & Spiritus S. impulsus, denotatur, quod sit donum supernaturale; tum etiam quia non potest aliquid naturale disponere ad gratiam supernaturalem; cum dispositio, & forma debeant esse in eodem ordine: Aliter non possent impugnari Semipelagiani volentes opera naturalia disponere ad gratiam; quos tamen damnavit Arausicanum.

VIII. Neque dicas, Tridentinum ibi loqui de attritione, quæ annectitur Charitati, cum dixerit sess. *6.* cap. *6.* peccatores disponi ad justitiam, quando post fidem, & spem Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt; ac propterea per odium aliquod, ac detestationem adversus peccata moventur.

Nam licet verum esset, quod hujusmodi amor sit necessarius ad obtinendam gratiam in Sacramento, quod tamen communiter negant; sicut communiter negant esse necessarium ad justificationem timorem Divinæ justitiæ, quamvis hujusmodi timor a Trident. sess. *6.* cap. *6.* enumeretur etiam inter actus, qui solent disponere ad justificationem: Licet etiam verum esset, quod ad justificationem in Sacramento obtinendam prærequiratur amor perfectus, quod etiam negant communissime, ut infra dicemus: adhuc tamen ex hoc, quod Attritio ex metu gehennæ secundum se disponat ad justificationem, manifeste inferri debet, quod sit bonus motus supernaturalis; cum non possit ullatenus actus malus, aut actus naturalis ad justificationem disponere.

IX. Neque replices, Tridentinum ibi loqui de attritione, cui annectitur justificatio atque adeo de attritione concepta ex gehennæ metu simul, & ex motivo Charitatis; & idcirco est bonus motus, ac supernaturalis, & disponens ad justificationem. Ratio autem, cur ibi de hac attritione loquatur, est, quia utitur exemplo Ninivitarum, dicens: *Hoc enim timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*: atqui Ninivitæ non poterunt justificationem impetrare citra dilectionem Dei, ut est perspicuum: ergo attritio, de qua Tridentinnm dicit esse bonum motum, ac Dei donum, involvit actum Charitatis.

Nam primo, Tridentinum dicit, Ninivitas impetrasse misericordiam, hoc est liberationem ab excidio urbis, quod Propheta minabatur, non vero justificationem, ad quod non requirebatur contritio. Quod ex eo patet, quia non est verisimile omnes fuisse contritos; cum tamen omnes misericordiam impetrarint. Deinde Tridentinum utitur exemplo Ninivitarum, non ad ostendendum, quod ad Sacramentum Pœnitentiæ requiratur contritio, sed ad ostendendum, quod attritio ex puro metu gehennæ concepta sit bonus motus, & utilis.

X. Et ratio a priori est, quam innuimus in expositione decimæ thesis, quia scil. Deus in hunc finem pœnas infligit, & gehennam minatur, ut homines a peccatis absterreantur, ac de iis patratis doleant: ergo placet Deo hic metus, ac talis dolor: Sicuti quia in hunc finem promittit beatitudinem, placet etiam Deo dolor de peccatis ex motivo præmii: Hujusmodi enim motivum est nobilius motivo pœnarum, ut notat Cassianus; sicut mercenarius, qui movetur ex motivo mercedis, nobilior est servo, qui movetur ex motivo pœnarum: ergo uterque dolor est bonus motus, & utilis ad salutem, ac præparans ad gratiam, ut definitur a Trid. sess. 14. Can. 5.; & quia concipitur a motivo per Fidem proposito, id

circo

circo est etiam supernaturalis ex auxilio gratiæ procedens.

XI. Confirmatur; quia dolens de peccatis ex metu gehennæ ponit medium a Deo institutum ad vitanda, ac detestanda peccata: sed qui ponit hujusmodi medium, nempe metum gehennæ, bene operatur: ergo qui dolet de peccatis ex solo gehennæ motivo, bene operatur, & utiliter ad salutem.

XII. Ex quibus sequitur primo, esse pariter bonum motum, ac supernaturalem Attritionem conceptam ex pœnarum temporalium metu, dummodo istæ concipiantur ut a Deo ultore inflictæ in pœnarum peccatorum. Ratio est, tum quia in Tridentino l. cit. attritio disponens ad justificationom est illa, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, aut pœnarum metu concipitur: ergo ne dicamus esse superfluum ly *Pœnarum*, explicandum est de pœnis temporalibus: Tum etiam quia etiam hujusmodi motivum proponitur per Fidem, indigetque comprincipio supernaturali: ergo attritio ex pœnarum temporalium metu, si considerentur ut a Deo vindice inflictæ per lumen Fidei, est actus supernaturalis.

XIII. Sequitur secundo, etiam Attritionem conceptam ex amissione beatitudinis esse pariter supernaturalem; quia etiam hujusmodi motivum per Fidem proponitur, & est motivum dignius, quam motivum ex pœnarum metu; sicuti, ut diximus, dignior est mercenarius, qui movetur ex mercede, quam servus, qui ex timore mulctæ.

XIV. Sequitur tertio ex Lugo disp. 5. num. 142. attritionem conceptam ex turpitudinis peccati consideratione, ut sit supernaturalis, debere attingere hanc turpitudinem lumine Fidei cum aliquo respectu ad Deum offensum: fœditas enim propria v. gr. homicidii, si tantum reluceat ut dicens dissonantiam cum natura rationali, & non cum Divina voluntate illam prohibente, & quæ per peccatum contemnitur, non est motivum supernaturale, atque adeo non reddit actum supernaturalem; sicut non est supernaturalis Attritio de peccato mere ob infamiam, quam subjit peccator. Suar. tamen disp. 5. de Pœn. sect. 2. putat, ad supernaturalitatem hujus attritionis sufficere, quod fœditas peccati concipiatur per oppositionem cum virtute supernaturali.

XV. Ad primam rationem in contrarium supra adductam respondetur, quod licet dolens de peccatis ob metum gehennæ exercitæ magis odio habet hoc actu gehennam, quam peccatum, non proinde hic actus est inhonestus: Si enim non est inhonestus actus, quo quis odit solum gehennam, & nullo modo peccatum; a fortiori non erit inhonestus actus, quo quis odit gehennam, & simul odit peccatum, quamvis tunc magis odio habeat gehennam, quam peccatum. Et ratio ulterior ex Suar. apud Lugo disp. 5. num. 138. est, quia quamvis ex vi illius actus, quo quis detestatur magis pœnam, quam culpam, assumendo vitationem culpæ ut medium ad effugiendam pœnam, non inferatur, quod cessante motivo pœnæ, vitaretur culpa; at non per hoc sequitur, quod cessante motivo pœnæ ille vellet peccare; posset enim tunc ex aliis motivis induci ad non peccandum: Sicut ex eo quod quis obtemperet voluntati regis ob spem mercedis, non sequitur, quod deficiente mercede nollet obtemperare. Falsissimum itaque est, quod habens dolorem, seu Attritionem peccati ex mero metu gehennæ in ea sit animi præparatione, ut saltem includat hunc affectum conditionatum, Si peccato non deberetur gehenna, illud non detestarer; motivum enim gehennæ non est in eo actu finis ultimus, in quo affectus sistat super omne odibile, (quod in illa conditionali denotatur) sed est tantum finis proximus. Hinc sicut in actu supernaturali procedente ex virtute Spei, quo quis vult servare omnia Divina mandata propter retributionem æternæ beatitudinis, nullatenus includitur illa conditionalis, Si non sperarem a Deo retributionem æternæ gloriæ, nollem ejus præcepta servare; ita neque consimilis conditionalis virtualiter includitur in detestatione culpæ propter gehennam.

XVI. Ad primam confirmationem. Tunc est verum, quod si alterutrum esset negandum, vel objectum præmissarum, vel objectum Conclusionis, potius negaretur objectum Conclusionis, quando nullum aliud daretur motivum ad illi assentiendum præter motivum præmissarum: Et eodem modo si nullum daretur aliud motivum ad dolendum de peccatis, quam gehenna, dolens de peccatis propter gehennam potius gehennam fugeret, quam peccatum, si alterutrum declinandum esset. At falsum est, quod nullum aliud detur motivum ad fugiendum peccatum præter gehennam, quam causat; datur enim ipsa peccati inhonestas, ac turpitudo, ad quam tanquam proprietas consequitur reatus pœnæ æternæ: & ideo non sequitur, quod dolens de peccatis propter gehennam vellet potius gehennam declinare, quam peccatum, si alterutrum esset declinandum: quamvis hoc actu attritionis magis moveatur ad peccatum detestandum ex motivo gehennæ, utpote sensibilioris, quam ex motivo inhonestatis peccati.

XVII. Ad secundam: Inordinate agit, qui majus bonum ordinat ad minus, ita ut velit majus bonum destrui propter minus, illud huic postponendo, non tamen qui ex desiderio, seu motivo fugiendi minus malum inducitur ad vitandum majus. Inordinate etiam agit, qui detestatur gehennam tanquam malum majus hoc, ut advertit Martinonius disp. 47. de Pœnit. num. 111., æstimando magis pœnam, quam culpam; non tamen qui peccatum detestatur ex motivo gehennæ, utpote efficaciori, videlicet detestando peccatum hic & nunc, ut fugiat gehennam, quam inducit: etenim hujusmodi detestatio non est electio peccati præ gehenna, sed est fuga utriusque mali.

XVIII. Ad secundam rationem in contrarium, quam Jansenius hausit a Luthero in sermone de Pœnitentia, dicendum, quod dolor de peccatis ob motivum gehennæ fundatur quidem in amore suimet, at non in amore inordinato, sed ordinatissimo: tenetur enim quilibet ordinare suas operationes ad assequendum ultimum finem, atque adeo ad vitandam gehennam sibi malam. Quamvis autem amor suimet sit naturalis: at quando quis vult sibi bonum per Fidem cognitum, nempe vitam æternam, aut vitationem gehennæ, tunc hujusmodi amor suimet est supernaturalis.

XIX. Circa secundam difficultatem, Num scil. hujusmodi attritio ex gehennæ metu concepta absque ulla dilectione benevolentiæ Dei sufficiat in Sacramento Pœnitentiæ tanquam ultima, & proxima dispositio ad gratiam? Prima sententia illustrium antiquorum, nempe Magistri, Vict., Rich., Bonav., Alensis, Gabr., Okami docuit, in Sacramento Pœnitentiæ requiri veram contritionem; putabant enim

nim, ut advertit Suarius disp. 20. de Poen. sect. 1. per absolutionem Sacerdotis non conferri gratiam, nec remitti peccata, sed declarari tantum remissa; quod tamen post Trident. sustineri non potest. Secunda sententia Jansenii, Estii, Molani, necnon Lovaniensium nonnullorum cum Christiano Lupo, Macario, Havermans, de la Verdure, Parvaques, & aliis relatis in Opusculo inscripto, *Doctrina Theologica per Belgium manans*, a Platelio n. 649. docet, requiri aliqualem dilectionem benevolentiæ Dei, non quidem intensam, quæ sufficiat ipsa sola ad justificandum, sed remissam saltem, & debilem, (ut loquitur Sylvius apud Lugo disp. 5. sect. 9.) quæ scilicet sine commotivo metus gehennæ consistere non potest. De la Verdure Professor Regius in Universitate Duacensi laudat pro hac sententia e Thomistis Cajet., Victoriam, & Contenson, & ex DD. Soc. Toletum, Comitolum, Pallavicinum. Tertia sententia, cum Victoria, Corduba, Soto, Nav. apud Suarium l. c. requirit contritionem saltem existimatam.

XX. Communissima tamen, & moraliter certa sententia docet, attritionem, secluso quovis motivo Charitatis, etiam putato, sufficere, ut colligitur ex verbis Trid. sess. 14. c. 4. ubi habetur, hujusmodi; *Attritionem ad Dei gratiam in Sacramento Pęnitentiæ impetrandam disponere*. Nec potest hoc intelligi, ut contendunt Adversarii, de dispositione remota, quia hanc habet attritio supernaturalis independenter a Sacramento Pęnitentiæ: ergo intelligi debet de dispositione proxima. Er ratio ulterior est, quia aliter Sacramenta mortuorum instituta ad vivificandum nunquam vivificarent, si semper deberent supponere contritionem, & gratiam; Nec lex gratiæ præstaret legi antiquæ, aut Mosaicæ, aut naturæ, in quibus sufficiebat contritio sine Confessione Sacramentali; unde non posset jugum Christi dici suave, & onus leve: Quod ex Sacris Canonibus etiam confirmatur; quia in cap. *Si Presbyter* 26. q. 61. Julius Papa dicit: *Si Presbyter Pęnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum*: Quod etiam dixit Cælestinus Papa in cap. seq. Hoc tamen non esset verum, si ad absolutionem prærequireretur contritio: nam si ea præcessit, adhuc sine absolutione moriens salvabitur: si non præcessit, etiam cum absolutione damnabitur: unde nullatenus Sacerdos esset reus animarum: ergo dicendum, contritionem in Sacramento non prærequiri; sed sufficere meram attritionem ex mero pęnarum metu conceptam.

XXI. Admittunt quidem DD. pro secunda sententia laudati cum Pallav. non requiri in Sacramento Pœnitentiæ Contritionem, sed sufficere attritionem, putant tamen attritioni debere annecti aliqualem Dei dilectionem, quæ extra Sacramentum ad justificandum non sufficiat, & solum cum Sacramento satis sit ad justificationem; sive hæc aliqualis dilectio consistat in hoc, quod actus moveatur ab utroque motivo, vid. bonitatis Divinæ, & gehennæ, & sic deficiat a perfecta Contritione, quæ unice movetur a bonitate Divina, sive consistat in eo, quod sit quædam dilectio remissa, ac debilis, & non ex toto corde, prout ad justificationem requiritur.

Probat hoc Pallavicinus primo ex Scripturis: dicitur enim 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte*, & 1. ad Cor. 13. *Sine Charitate nihil sum*.

Secundo ex Trident. sess. 6. cap. 1., ubi dicuntur peccatores ad justificationem disponi, *dum Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium & detestationem*: ergo detestatio debet oriri ex prævia dilectione. Et cap. 7. dicitur, *Fides sine Spe, & Charitate vitam æternam præstare non potest*.

Tertio ex SS. PP., & Angelico, qui passim in locis a Pallavicino laudatis exigunt dilectionem aliquam ad justificationem. August. l. de vera, & falsa pęnitentia c. 17. habet: *Sine amore Dei nemo unquam gratiam invenit, nec veniam consecutus est*. Et Angelicus in 4. dist. 17. q. 3. a 4. dicit, Confessionem non valere sine Charitate, quæ est principium merendi.

Quarto ratione, tum quia Deus nunquam confert habitum Fidei, nisi actus Fidei præcedat, nec habitum Spei, nisi præcedat actus Spei; ergo neque habitum Charitatis, & gratiam, nisi præcedat actus Charitatis: Tum etiam quia, sicut in humanis offensor Principis non videtur dispositus ad ejus amicitiam obtinendam, si petat veniam dicens, se illam petere ob metum vindictæ, non ob displicentiam de ejus aversione, & inimicitia; ita nec videtur congrue dispositus peccator ad veniam obtinendam, si dolet tantum ex metu pęnarum, & non ex motivo Charitatis.

Denique, quia ex Trident. sess. 14. cap. 4. Attritio, ut disponat ad Dei gratiam in Sacramento Pęnitentiæ impetrandam, debet voluntatem peccandi excludere: sed attritio ex gehennæ metu concepta non excludit omnem peccandi voluntatem, nisi includat Dei amorem: ergo hunc debet includere. Minor probatur: Dicat quis, Mallem peccare, quam subire gehennam, & deinde de hac culpa atteratur ex metu gehennæ absque Dei amore, hic non detestaretur illud peccatum; atque adeo non excluderet omnem voluntatem peccandi. Quod ex eo patet, quia aliter sibimet contradiceret; ex una enim parte diceret vi attritionis, Ego volo vitare gehennam omnibus modis, & ideo detestor quodvis mortale, utpote quod est inductivum gehennæ, ex altera parte diceret, Malo peccare, quam subire gehennam: ergo sibi contradiceret.

Confirmatur. Potest dari casus, in quo quis apprehendat necessarium esse mortale ad vitandam gehennam; quod contingeret, si quis cognoscens se esse in statu peccati mortalis, cogatur a Tyranno ad Fidem negandam sub interminatione mortis, & putet non posse statim conteri, unde apprehendat negationem Fidei necessariam sibi esse ad vitandam gehennam. Hoc posito, Attritio ex mero metu gehennæ non excludit voluntatem peccandi etiam pro isto casu; quia ut excluderet voluntatem peccandi pro tali casu, deberet haberi voluntas subeundi potius gehennam, quam negandi Fidem: voluntas autem efficax vitandi gehennam non potest esse voluntas subeundi illam: ergo attritio pro tali casu non excluderet omnem voluntatem peccandi, si careret amore Dei.

XXII. Dicendum tamen cum fere communissima, in Sacramento sufficere Attritionem ex mero gehennæ metu conceptam absque alia dilectione Dei. Ratio est, quia si requireretur aliquis alia dilectio in sensu explicato, semper haberetur justificatio

ante

ante Sacramentum Pœnitentiæ, unde recurrerent, quæ diximus adversus primam sententiam requirentem contritionem perfectam. Probatur sequela; tum quia in Scripturis dilectioni Dei universim promittitur justificatio; dicitur enim Jo. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo;* & 1. Jo. 8. *Omnis qui diligit, ex Deo natus est*, nec usquam limitatur hæc promissio ad dilectionem tantæ, vel tantæ intensionis, aut quæ excludat aliud commotivum a Bonitate Divina; & quod in contrarium dicitur, omnino arbitrarie dicitur, ut communiter advertunt DD. Tum etiam quia sive dilectio sit debilis, hoc est remissa, sive intensa, semper ejusdem speciei est: unde semper sufficit ad justificationem. Verum quidem est, quod dilectio sufficiens ad justificationem debeat esse ex toto corde, & non ex corde diviso. At non dicitur ea esse ex toto corde, per hoc quod sit intensa, sed per hoc quod Deum præferat vi sua cuilibet creaturæ; unde dicatur esse super omnia, non quidem intensive, sed appretiative. Quod docuit D. Thom. in 4. dist. 17. quæst. 2. dicens: *Quicumque parvus sit dolor, dummodo ad Contritionis rationem sufficiat, omnem delet culpam*. Præterea sive dilectio procedat ex solo motivo Charitatis, sive etiam ex pœnarum metu, semper vera dilectio est, atque adeo ante Sacramenti susceptionem justificat: ergo si aliqualis illa dilectio, quæ ab Adversariis requiritur, alterutro ex his modis explicetur, semper habebitur ante Sacramentalem Absolutionem justificatio.

XXIII. Confirmatur Conclusio ex proscriptione 70. thesis Bajanæ, quæ habet: *Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram Charitatem, & Charitas etiam perfecta potest consistere cum reatu æternæ damnationis*. Certe ad perfectionem essentialem Charitatis, & Contritionis delentis peccatum, & reatum æternæ damnationis non requiritur ullus determinatus gradus intensionis, ut docent communissime cum Angelico loco laudato, sed sufficit Dei dilectio, quæ solum sit super omnia appretiative, licet non sit super omnia intensive: ergo si in Attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita deberet includi aliquis amor Dei super omnia, licet remissus, ac debilis, semper ante absolutionem haberetur justificatio: atque adeo sententia ista coincideret cum sententia communiter rejecta requirente in Sacramento Pœnitentiæ Contritionem.

XXIV. Neque dicas, amorem Dei initialem non pertingere ad Contritionem perfectam, nec ferre secum justificationem extra Sacramentum, si diligatur Deus super omnia solum affectu, non effectu, juxta phrasim Bellarm. lib. 6. de grat. & lib. arb. cap. 7., seu si amor sit debilis instar amoris D. Petri, qui antequam ab ancilla tentaretur, dixit Jo. 13. *Animam meam pono pro te;* & non sit intensus usque ad impletionem omnium mandatorum, & instar amoris D. Petri patientis pro Christo martyrium, ita ut occurrente qualibet tentatione non deficiat: ut proinde Catechismus Romanus p. 1. c. 5. de Sacram. Pœnit. n. 37. dicat, Contritionem deletivam peccati debere esse *vehementem, acrem, intensam, ut doloris acerbitas cum scelerum magnitudine æquari, conferrique possit*. Nam quamvis verum sit, quod perfectior sit Charitas intensior, quæ affectu simul, & effectu Deum diligit, quam remissior, quæ solum affectu diligit Deum, ita ut occurrente objecto aliquo alliciente statim deficiat; nihilominus negari non potest, ad perfectionem essentialem Charitatis justificativæ solum sufficere, quod Deus super omnia appretiative diligatur; quin requiratur, quod hujusmodi affectus erga Deum nunquam sit defecturus, quacumque tentatione superveniente; Aliter nunquam Charitas, & contritio extra Sacramentum justificarent: cum nunquam hujusmodi actus sint in ea intensione, ut ob quamcumque allicientiam in contrarium nunquam sint defecturi: nisi forte quando aliquis ex speciali Dei benevolentia, & protectione sit in gratia confirmatus. Catechismus dum exigit ad deletionem peccati contritionem vehementem, acrem, & intensam, quæ cum scelerum magnitudine coæquari possit, non exigit contritionem in eo intensionis gradu, in quo fuit peccatum. Sicut enim non requiruntur tot contritiones, quot fuerunt peccata, ut nonnulli communiter rejecti olim docuerunt: ita nec requiritur intensio contritionis adæquans peccatorum intensionem, ut docent communissime; eo quod misericorditer a Deo cuilibet contritioni, quæ sit appretiative super omnia, promissa sit justificatio. Quare solum exigitur, quod contritio ita sit vehemens, & intensa, ut se extendat ad detestanda non aliqua tantum, sed omnia peccata commissa, & sic magnitudini scelerum æquari, conferrique possit.

XXV. Rationes in contrarium a Pallavicino adductæ facile evacuantur. Ad primam multipliciter respondet Haunoldus n. 989., sufficit tamen dicere, ea loca posse intelligi de Charitate habituali, non de actuali: aliter infantes post baptismum essent in morte.

XXVI. Ad secundam; Tridentinum dum exigit, quod peccatores diligere incipiant, ut ad justificationem in Sacramento disponantur, solum requirit amorem Dei inchoatum: hic autem sufficienter includitur in voluntate reconciliandi se cum Deo per Sacramentum; quis enim neget, voluntatem adhibendi media ad reconciliationem cum aliquo esse aliqualem illius amorem? Includitur etiam in proposito servandi in posterum Dei mandata, & non amplius peccandi; constat enim hujusmodi propositum esse pariter aliqualem, & inchoatum Dei amorem: cum enim inter præcepta detur præceptum dilectionis, qui proponit servare præcepta, inchoate & in causa diligit. Præterea in ipso odio peccati, quamvis ex motivo pœnarum concepto, includitur etiam aliqualis dilectio, & Charitas inchoata; qui enim odit alicujus malum, aliqualiter illum amat, amore veluti negativo, nolendo sc. illi malum, esto non velit illi positive bonum condistinctum a carentia talis mali. Denique dici potest cum Ripald. tom. 3. disp. 22. n. 119., quod Deum diligere incipiamus, cum amamus illum amore concupiscentiæ, quatenus bonum nobis per actum Spei prævium ad Attritionem, non vero amore benevolentiæ, seu quatenus est bonus in se, quod spectat ad Charitatem (quicquid sit, an hujusmodi actus Spei ad justificationem in Sacramento prævius debeat esse formalis, & explicitus, an sufficiat virtualis? qua de re diximus in expositione propositionis I. Alex. VII. n. 10.) Hæc sunt verba Concilii l. c. *Dum peccatores se esse intelligentes, a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo, in Spem eriguntur, fidentes Deum sibi propitium propter Chri-*

Christum fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt. Ecce quomodo amor, quo *Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*, non est alius, quam amor, *quo in Spem eriguntur*. Quod pariter colligitur ex verbis, quæ subdit ibidem Trid. dicens: *De hac dispositione scriptum est: Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se Remunerator sit*. Et, *confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Quis autem non videat, quod accedere ad Deum ut Remuneratorem, illique confidere spectet ad Spem? Quare Tridentinum in peccatore disponente se ad justificationem, & incipiente Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere videtur non agnoscere aliam dilectionem præviam condistinctam ab actu Spei. Ubi vero docet, Fidem sine Spe, & Charitate præstare non posse vitam æternam, constat ibi non loqui de Charitate actuali, sed de habituali; aliter infantes destituti actuali Charitate salvari non possent.

Hic autem sciendum est, quod Cardinalis Pallavicinus refert l. 12. c. 10. suæ historiæ, vid. quod in decreto subscribendo de Attritione, ubi dicebatur, Attritionem, quæ vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, ac pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum Spe veniæ, esse donum Dei, ac Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, &c.; addebatur, hujusmodi actum vix sine aliquo motu amoris Dei esse posse. Quia tamen Jo. Æmilianus Episcopus Tudetanus intercessit, advertens id esse falsum, & in hac re varias esse Theologorum sententias, idcirco Patres Tridentini censuerunt verba isthæc delenda esse, ut Theologicæ discussioni relinqueretur, An, & quomodo in actu Attritionis motus amoris Dei imbibatur, aut requiratur. Ex quibus innotescit, non fuisse de mente Concilii, quod Attritio disponens ad Dei gratiam impetrandam in Sacramento includere debeat motum dilectionis Dei, per hoc scilicet, quod a motivo Bonitatis Divinæ procedat; sed sufficere quod hujusmodi motus dilectionis juxta varias Theologorum explicationes includatur in ea attritione; ostendimus autem sufficienter includi dilectionem Dei inchoatam tam in ipso odio peccati, quam in proposito non peccandi de cætero, nec non in ipsa Spe veniæ, ac in voluntate reconciliandi se cum Deo: ergo, &c.

Adde demum, quod in expositione primæ propositionis Alex. VII. adnotavimus, & advertit idem Ripalda, Tridentinum l. c. non enumerare actus, qui debent, sed actus, qui solent justificationem in Sacramento anteire; inter quos etiam recenset dolorem ex terrore pœnarum incussum, & dilectioni Dei prævium, atque adeo non procedentem ex illa; & tamen ex omnium Theologorum, ac ipsorum Bajanorum calculo hujusmodi dolor ad justificationem non est semper necessarius; cum sufficiat dolor immediate ex motivo Charitatis conceptus, nulla prævia consideratione, & formidine pœnarum; atque adeo sicut potest suscipi Sacramentum, ejusque effectus, quin præcedat talis dolor; ita etiam suscipi potest cum tali dolore, quin annectatur talis amor. Sic pariter ibidem Concilium inter actus, qui solent justificationem præire, enumerat Timorem de justitia Divina, ac Fiduciam, quam habet peccator, quod Deus per Christum sit futurus propitius; & tamen nemo dixerit, quod si quis sperans tantum in Divina misericordia conteratur, non justificetur: quare fundamentum hoc præcipuum Adversariorum corruit usquequaque.

XXVII. Ad tertiam: Augustinus, & alii Patres interpretandi sunt de amore inchoato, qui includitur in voluntate reconciliandi se cum Deo, in odio Divinæ offensæ, in proposito servandi omnia præcepta, ac præsertim præceptum de Deo diligendo super omnia, aut in Spe veniæ. Angelicus vero, ut notat Esparsa, ibi loquitur ex professo de Confessione, quatenus est meritoria gloriæ: & ideo dicit illam ad merendum hoc præmium nihil valere sine Charitate, & gratia.

XXVIII. Ad quartam: Prærequiritur actus Fidei, & Spei ad Fidem & Spem habitualem; quia per Fidem Deus exercet suum magisterium, & instruit hominem de fine supernaturali, & mediis ad illum, per Spem vero erigit animum ad media ponenda, quibus finis ultimus supernaturalis, arduus quidem, sed ex Divina Misericordia probabiliter futurus, obtineri possit: At ad infundendam Charitatem habitualem, & gratiam Deus solum extra Sacramentum prærequirit Charitatem actualem; in Sacramento tamen ex meritis Christi contentus est de dilectione inchoata, quam explicavimus, & de pura attritione: aliter nihil conferrent Christi merita in Sacramentis, nisi defectum aliquem in nobis supplerent. Ad id, quod postremo loco dicitur, verum est, quod nec Principis, nec Dei veniam mereatur, qui positive dicit, nihil morari eorum offensionem, sed solum vindictam metuere; hic enim actus est injuriosus, & peccaminosus: qui tamen absolute dicit ob metum pœnarum detestari offensam, quamvis hoc actu honesto non sit congrue dispositus ad veniam a Principe obtinendam (sicut nec a Deo extra Sacramentum) est tamen dispositus ad illam obtinendam a Deo meritis Christi Dom. in Sacramento. Plura huc spectantia adducit subtiliter Esparsa qu. 89. de pœnitentia.

XXIX. Ad ultimam: Quoties attritio supernaturalis non se extenderet ad omnia peccata commissa, tunc haberetur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, juxta sententiam Suarii, Lugo, & aliorum admittentium possibilitatem hujus Sacramenti validi, & informis ex defectu doloris illimitati. Cæterum, ut notat idem Lugo disp. 16. de Pœn. n. 58., & Martinonius disp. 48. n. 113. in casu adducto attritio ex mero metu gehennæ extenderet se ad retractandum etiam peccatum illud, quo quis dixisset, Mallem peccare, quam subire gehennam. Ratio est, quia qui dolet de peccato quatenus inductivo gehennæ; dolet de quovis peccato inductivo gehennæ, atque adeo dolet etiam de illo peccato, quod commisit dicendo, Mallem peccare, quam subire gehennam, quia etiam hoc peccatum est gehennæ inductivum: Nec est verum, quod sibimet contradicat; quia dum atteritur ex metu gehennæ, non perseverat in ea voluntate, quod malit peccare, quam subire gehennam, sed vult illam non fuisse, atque adeo virtualiter retractat etiam illud mortale.

Ad Confirmationem, quicquid sit de possibilitate illius casus, de quo alii aliter, dicendum cum laud. DD. l. c. attritionem debere excludere voluntatem, patrandi quodvis peccatum pro quacumque hypothesi quæ solet evenire, non vero pro hypothesi aut impossi-

possibili, aut extraordinaria; Aliter neque contritio excluderet omnem voluntatem peccandi, cum non excludat voluntatem peccandi pro hypothesi illa, in qua quis ex conscientia erronea putaret sibi potius peccandum peccato minus gravi, quam graviori, si neutrum possit declinari. Cæterum sicut in hoc casu peccatum minus grave citra culpam poneretur: ita in eo casu, quo quis vellet potius sine contritione mori, & subire gehennam, quam negare Fidem, revera gehennam non subiret, eo quod ex hoc actu perfectissimi amoris justificaretur.

XXX. Hic tamen anxie demum quæritur, Utrum licite possimus in Sacramento Pœnitentiæ adhibere hujusmodi attritionem supernaturalem conceptam ex puro metu gehennæ cum proposito non peccandi de cætero absque ulla dilectione Dei? Videtur enim, quod non; quia in iis, quæ spectant ad valorem Sacramenti, non possumus uti opinione probabili, omissa tutiore; hæc autem negans requiri dilectionem Dei aliqualem præter attritionem, videtur esse mere probabilis, cum graves DD. acriter pugnent pro sententia opposita; ut proinde Alex. VII. vetuerit, ne alterutra ex his opinionibus confutaretur: ergo non possumus uti benigna illa opinione, omissa hac tutiore.

XXXI. Nihilominus pene communissima DD. sententia tenet, licitum esse in Sacramento Pœnitentiæ adhibere Attritionem supernaturalem absque alia dilectione Dei inchoata condistincta a voluntate reconciliandi se cum Deo, ab odio peccati, quod apprehenditur esse Dei malum, & offensa, a proposito non peccandi de cætero, & a spe de remissione obtinenda; in quibus actibus initialis aliqua Dei dilectio continetur, prout explicavimus. Ratio est, quia, ut diximus in expositione tertię propositionis, ab Alex. VIII. proscriptæ contra Sinnichium & alios Tutioristas, in Sacramentis conferedis, quamvis illicitum sit uti opinione probabili de illorum valore, omissa tutiore; non est tamen illicitum uti opinioni moraliter certa, omissa tutiore. Aliter nec sufficeret attritio cum aliquali dilectione ad mentem Adversariorum, sed requireretur contritio perfecta in Sacramento Pœnitentiæ, utpote tutior. Opinio enim moraliter certa non subest morali periculo falsitatis, sed periculo tantum valde remoto, quod cavere in humanis actionibus est moraliter impossibile, ac proinde ad illud cavendum non obligamur; sicut in articulo mortis post elicitos nonnullos actus dilectionis Dei super omnia & contritionis, non tenemur ad iterandos alios, & alios intensiores, & intensiores actus amoris Dei ad vitandum periculum remotissimum nostræ damnationis, in casu videlicet, quod priores actus non fuerint sufficientes ad justificationem; Atqui opinio de sufficientia Attritionis ex puro pœnarum metu conceptæ non solum pertingit ad supremum gradum probabilitatis, verum etiam ad moralem certitudinem, spectatis verbis, ac mente Tridentini, spectatis rationibus, ac spectata communissima Theologorum auctoritate apud Lugo disp. 5. de Pœn. n. 133., & apud Haunoldum de Pœnit. num. *996.*; Non secus ac per Adversarios moraliter certa est sententia de sufficientia Attritionis aliqualem Dei dilectionem involventis, quamvis non pauci apud Suarium disput. 20. de Pœnit. sect. 1. cum Magistro sent., Hugone, Richar., Alensi, Bonav., Gabriele, Medina., Adriano, Soto., & aliis putent requiri Contritionem perfectam: ergo licite in Sacramento Pœnitentiæ adhibetur Attritio ex mero pœnarum metu concepta; esto nonnulli contradicant, ita ut ab illorum auctoritate aliquatenus extrinseca probabilitas in sententiam oppositam derivetur.

Nam, ut alias adnotavimus ex Terillo q. 22. n. 7. & Platelio n. 715. potest aliquando probabilitas unius partis esse adeo excedens, ut pertingat ad aliquam moralem certitudinem, quin tamen deturbet ab aliqua tenuissima probabilitate, saltem orta ab extrinseco, partem oppositam; eo quod certitudo moralis non consistat in indivisibili, ut certitudo metaphysica, aut physica: qua de causa Adversarii ipsi docent Attritionem cum aliquali dilectione, omissa contritione perfecta, sufficere in Sacramento Pœnitentiæ: docentque etiam communiter non requiri in dolore certum gradum intensionis, & multo magis, quod sit intensissimus, aut saltem magis intensus, quam sit alius actus tunc existens in voluntate, nec requiri de singulis peccatis singulas contritiones, nec in contritione certam durationem; quamvis pro his, & aliis sententiis plures graves DD. adducantur a Dicastillo disp. 2. de Pœn., Lugo disp. 5. sect. 7. & aliis passim; ut proinde aliqua tenuissima probabilitas extrinseca in has sententias derivetur: cum enim hæc probabilitas sit admodum tenuis, non obstat quominus dici possint hujusmodi sententiæ improbabiles, & sententiæ oppositæ communissimo DD. suffragio approbatæ moraliter certæ. Prohibitio autem illa Alex. VII. ne alterutra ex iis opinionibus censuretur, non infert, utramque sententiam esse probabilem, cum hujusmodi prohibitiones sæpe fiant in bonum pacis, & ad vitandas discordias, non in gratiam veritatis: Sicut Pius V. apud Suar. t. 2. in 3. p. disp. 3. s. 6. vetuit, ne alterutra ex opinionibus oppositis circa Immaculatam Deiparæ Conceptionem censura ulla notaretur: etiamsi altera juxta communissimum Ecclesiæ sensum sit moraliter certa, altera videatur improbabilis, ut constat ex iis, quæ diximus in calce Quæstionis Prodromæ.

XXXII. Quibus adde, quod maxime advertendum, esse quidem non paucos, qui hac tempestate contendant, in Attritione ad Sacramentum Pœnitentiæ requisita includi debere aliquem Dei amorem initialem; sed non est facile reperire, qui aliter explicet hujusmodi amorem initialem, nisi Vel per hoc quod sit amor remissus, ac debilis; Vel per hoc, quod identificet sibi dolorem ex metu gehennæ, atque adeo procedat ex utroque motivo contritionis, & attritionis: Vel demum per hoc, quod imbibatur in voluntate reconciliandi se cum Deo per sacramentum, aut in ipso odio peccati ex motivo supernaturali, aut in proposito non peccandi de cætero, aut ad summum in spe veniæ, ut diximus. Juxta primam, & secundam explicationem hujusmodi amor est justificativus ante absolutionem, ut supra ostendimus, eo quod in Scripturis cuilibet amori Dei ex toto corde, seu super omnia, & cuivis contritioni, absque limitatione ad hanc, vel illam intensionem actus, promittatur justificatio: atque adeo sicut est moraliter certum, quod non requiratur in Sacramento Pœnitentiæ Contritio, ita est moraliter certum, quod non requiratur hujusmodi amor initialis sic explicatus. Juxta tertiam vero explicationem procul dubio convenimus cum Adversariis, quod hujusmodi amor initialis requiratur: ergo si res ad Theologicam trutinam revocetur, verbis duntaxat ab Adversariis discrepamus,

dum dicimus esse moraliter certum, quod Attritio, quæ gehennæ, & pęnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non solum sit bonus motus, ac supernaturalis, (quod post hujus thesis proscriptionem inficiari nemo poterit) sed etiam ad Sacramentum Pęnitentiæ valide, ac licite suscipiendum sufficiat, quin possit huic sententiæ opponi auctoritas plurimorum aliter sentientium; Siquidem vix est reperire, qui ab hac nostra sententia nonnisi verbis discrepet, si recedat a sententia communissima, quod non requiratur in Sacramento Pęnitentiæ Contritio, sed sufficiat Attritio.

XXXIII. Denique a posteriori etiam colligitur, sententiam hanc esse in praxi tutissimam, atque adeo moraliter certam. Primo, quia Tridentinum audiens ab Jo. Æmiliano Episcopo Tudetano, ut diximus, falsum esse, quod attritio vix unquam concipi possit sine amore; & quod variæ essent Auctorum sententiæ circa sufficientiam Attritionis in Sacramento, non solum non expressit, amorem Dei requiri, ut attritio disponat ad gratiam recipiendam in Sacramento, quod erat præstandum, ne passim exponeretur Sacramentum periculo frustrationis, si talis amor requireretur; verum etiam censuit delenda esse verba illa, quod vix unquam attritio sine amore concipi possit; expressitque, attritionem ad gratiam in Sacramento impetrandam disponere. Secundo, quia cum Alex. VII. octo, & viginti theses ut minimum tanquam scandalosas proscripsisset die 24. Septemb. 1665., ac postmodum alias septendecim die 28. Martii 1666.; deinde advertens hinc inde acriter Theologos digladiari super hac necessitate aliqualis amoris in attritione ad Sacramentum Pęnitentiæ requisita, die quinto Maji 1667. solum decrevit, ne censura inureretur alterutri ex opinionibus, sive quæ docet hunc amorem requiri, sive quæ negat; immo in eo decreto mox afferendo addidit, inter Scholasticos communiorem esse sententiam non requirentem hujusmodi amorem. Et sane si sententia hæc, quam Alex. VII. dicit esse communiorem, solum esset probabilis, & non moraliter certa, procul dubio exponeretur periculo frustrationis Sacramentum, unde non liceret eam in praxim deducere. Cum autem Tridentinum, dum traderet constitutiva Sacramenti Pęnitentiæ, abstinuerit ab exprimenda necessitate amoris in Attritione; & Alex. VII. sententiam excludentem hanc necessitatem non solum non damnaverit, sed etiam dixerit eam esse inter Scholasticos communiorem, profecto implicite videntur illam non solum tolerare, sed etiam approbare; atque adeo solum ad dissensiones vitandas voluit Pontifex vetare, ne alterutra ex sententiis censura ulla notaretur: Aliter dedissent ansam errori in re adeo gravi, tam Tridentinum tradendo mutilam doctrinam adeo necessariam saluti animarum, ubi prius in Prologo sessionis 14. exactam, ac plenam de hoc Sacramento doctrinam tradere, ac proponere promiserat; quam Alex. VII. afferendo authentice, sententiam negantem necessitatem amoris in Attritione esse inter Scholasticos communiorem. Quis enim refugiat in praxim deducere sententiam, de qua certo constat ex communiori Theologorum calculo haberi veriorem præ opposita? Subnecto hic Decretum, ut inde veritas elucescat.

Feria v. Die v. Maji MDCLXVII.

SAnctissimus Dominus noster Alexander Papa VII. cum accepisset non sine gravi animi mœrore, Scholasticos quosdam acrius, neque absque Fidelium scandalo inter se contendere, An illa Attritio, quæ concipitur ex metu gehennæ, excludens voluntatem peccandi, cum Spe veniæ, ad impetrandam gratiam in Sacramento Pęnitentiæ, requirat insuper aliquem actum dilectionis Dei, asserentibus quibusdam, negantibus aliis, & invicem adversam sententiam censurantibus, Sanctitas Sua enixe cupiens pacis vinculum inter Fideles servari; omnemque fomitem scissuræ extingui, auditis votis Eminentiss. & Reverendiss. Dominorum Cardinalium adversus hæreticam pravitatem Generalium Inquisitorum, necnon DD. Consultorum, & Qualificatorum S. Congregationis ejusdem Generalis Inquisitionis, hoc præsenti Decreto, In virtute Sanctæ Obedientiæ, & sub pęna Excommunicationis latæ sententiæ huic Sanctæ Sedi reservata, aliisque pęnis ejusdem Sanctę Sedis arbitrio taxandis, præcipit cunctis, & singulis Fidelibus, quocumque gradu, & dignitate, etiam Episcopali, & majori, immo etiam Cardinalitia fulgentibus, ut si deinceps de materia Attritionis præfatæ scribent, vel libros, aut scripturas edent, vel docebunt, vel prædicabunt, vel alio quovis modo Pęnitentes, aut Scholares, cæterosque erudient, non audeant alicujus Theologicæ censuræ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterutram Sententiam, sive negantem necessitatem aliqualis dilectionis Dei in præfata Attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem, donec ab hac Sancta Sede fuerit aliquid in hac re definitum. Statuitque præterea Decretum hoc, seu illius exemplum ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, & in acie Campi Floræ affixum, omnes ubique existentes arctare, afficere, ac si unicuique personaliter fuisset intimatum.

Ex quo perspicuum fit, præceptum istud in Virtute S. Obedientiæ, ne censura ulla his opinionibus inuratur, non impedire, quominus aliqua ex iis dici possit improbabilis, & falsa, ut docent Theologi communiter; tum quia inter Censuras Theologicas non recensetur falsitas, & improbabilitas; tum etiam quia evidens est alterutram ex his opinionibus extreme oppositis, quæ censurari non possunt, esse falsam.

XXXIV. Illud videtur negotium facessere, quod refert Pallavicinus l. c., vid. Patribus Tridentinis exhibitum fuisse decretum subscribendum, in quo dicebatur Attritio *Sufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ constitutionem*; cum autem audierint ab Episcopo Tudetano variare hac in re Auctorum sententias, ac nonnullos putare ad Sacramenti constitutionem requiri contritionem, idcirco censuerunt ea verba expungenda ab eo Decreto, eo quod nollent lites Scholasticorum dirimere, sed solum hæreses damnare. Ex quo videtur inferri, aut fuisse de mente Concilii, quod Attritio non sufficiat, aut saltem quod voluerit Concilium ab hoc præscindere; unde ex verbis Concilii nullum habet præsidium Sententia de sufficientia Attritionis in Sacramento.

Sed primo jaculum ferit ipsos Adversarios, qui

cum

cum doceant Tridentinum loqui de Attritione involvente aliqualem amorem, quando dicit sess. 14. c. 4., quod ad gratiam impetrandam in Sacramento disponat, & velit non esse de mente Concilii, quod ea Attritio, de qua ibi loquitur, Sacramentum constituat, posito quod expunxerit ea verba, quibus dicebatur ea Attritio: *Sufficere ad Sacramenti Pœnitentiæ constitutionem*, sequitur quod solum probabile, & non moraliter certum sit, hujusmodi attritionem involventem aliqualem amorem sufficere; atque adeo ne exponatur periculo frustrationis Sacramentum, in praxi necessario sequenda sit sententia requirens Contritionem: Quare cum hujusmodi argumentum nimis probet, nihil probat. Directe deinde respondeo, quod licet expresse Tridentinum l. c. non dicat attritionem sufficere ad constitutionem Sacramenti; hoc tamen dicit implicite, ac dilucide, dum dicit eam in Sacramento ad Gratiam impetrandam disponere; non enim loqui potest de dispositione solum remota, cum id competat Attritioni etiam extra Sacramentum; loquitur igitur de dispositione proxima, & ultima, quæ Attritioni in Sacramento competit ex hoc præcise, quod illud constituat.

XXXV. Paucis perstringo, quæ fusius hactenus diximus in re tanti momenti. Non me latet, quod sicut P. Francolinus in erudito suo Opere de Dolore ad Sacramentum Pœnitentiæ necessario, & P. Gomaz in tractatu Pœnitentiæ innumeros recensent Auctores, qui stant pro sufficientia Attritionis citra ullum amorem benevolentiæ erga Deum in Sacramento, ut ostendant sententiam hanc, etiam spectata extrinseca auctoritate, esse moraliter certam, nedum probabilissimam, ut proinde liceat citra ullam religionem eam in Sacramento Pœnitentiæ adhibere; ita ex adverso Neoterici non paucos graves Auctores enumerant, qui etiam post Tridentinum docuerunt, attritionem non esse sufficientem in Sacramento, nisi dolor sit de peccato, etiam ut est offensa Dei; idque ut ostendant utramque opinionem non excedere limites probabilitatis, unde inferant unumquemque ad hanc attritionem adhibendam teneri, eo quod non liceat in materia Sacramentorum sequi opinionem probabilem minus tutam, ne exponatur Sacramentum periculo frustrationis. Verum, si advertatur ad horum Doctorum verba, Vel docent, consultius, & tutius esse, hanc Attritionem adhibere in Sacramento; & nemo unus est, qui in hoc dissentiat, cum solum a communissima doceatur licite Attritionem sine amore benevolentiæ adhiberi, esto tutior sit contritio; quia licitum universim est sequi opinionem moraliter certam, omissa tutiore; Vel docent, in Sacramento requiri aliqualem Dei amorem, qui non sit perfectus, sed initialis; & ostendimus in hoc omnes convenire, cum omnes velint requiri in Sacramento Pœnitentiæ propositum non peccandi de cætero, (atque adeo servandi Dei præcepta, inter quæ est præceptum dilectionis) quod procul dubio includit amorem Dei initialem seu amorem in causa; sicut etiam includitur hujusmodi amor in voluntate, quam habet pœnitens reconciliandi se cum Deo, necnon in actu spei de obtinenda ex meritis Christi peccatorum remissione; Siquidem per actum Spei, quo desideramus Deum ut bonum nobis, incipimus illum amare, & ad amorem benevolentiæ, quo Deus ut in se bonus amatur, immediate disponitur.

Vel demum docent, attritionem ad Sacramentum requisitam debere attingere rationem Divinæ offensæ, ita ut non solum detestemur in culpa reatum gehennæ, sed etiam Dei offensam; & hoc in duplici sensu accipi potest. Primus est, quod utrumque odisse, ac detestari debeamus; & hoc ab omnibus admittitur; unde fit, quod in attritione ex mero pœnarum metu etiam aliqualis Dei amor contineatur, per hoc quod offensam, seu malum Dei odio habeamus, & detestemur, cum nolle alicui malum, sit aliqualiter illum amare; cum enim amare idem sit, ac velle bonum, & carentia mali sit aliquale bonum, videl. negativum, consequenter qui odit Dei offensam, atque adeo vult a Deo hujusmodi malum extrinsecum abesse, aliqualiter illum amat. Alter sensus est, quod Attritio non possit disponere in Sacramento ad gratiam impetrandam, nisi habeat pro motivo tum metum gehennæ, tum etiam Dei offensam, seu motivum tum Attritionis, tum Contritionis; & si quis reperiatur, qui id expresse doceat, non est audiendus; ut non sunt audiendi post Tridentinum (ut diximus in expositione primæ propositionis Innoc. XI. n. 21.) graves illi, & non pauci DD. laudati a Suario contendentes, in Pœnitentiæ Sacramento requiri Contritionem: Ostendimus quippe, quod eodem modo ante Absolutionem Sacramentalem justificet Contritio pura, ac dolor, qui ex utroque motivo Attritionis simul, & Contritionis formaliter procedit. Quare catalogus bene magnus Auctorum requirentium aliqualem Dei amorem in Attritione non deturbat a morali certitudine sententiam, quæ docet sufficere Attritionem ex mero pœnarum metu conceptam, ita ut licite adhiberi possit in Sacramento, quin exponatur illud morali periculo frustrationis.

XXXVI. Nonnemo totus est in ostendendo, quod etiam post Tridentinum in opposita sententia fuerit Cardinalis Franciscus Toletus Societ. Jesu, eo quod in pluribus editionibus antiquioribus suæ Summæ, seu Instructionis Sacerdotum, quæ typis data fuit post ejus obitum ann. 1599. l. 3. c. 4. num. 8. reperiantur hæc verba: *Attritio, si talis sit, ut cognoscat pœnitens se non detestari peccatum, ut est Dei offensa, sed tantum ut est alicujus mali causa, & pœnæ inferni, non sufficit ad Sacramentum.*

Sed primo, dato quod ita senserit Toletus, hinc solum fit, quod fuerit ipse in tertia illa sententia laudata Victoriæ, Cordubæ, Soti, Nav., communiter post Tridentinum rejecta, quod scilicet in Sacramento requiratur saltem contritio putata; non vero quod docuerit requiri in Attritione aliqualem Dei amorem saltem debilem, ac remissum, prout contendunt Adversarii juxta secundam illam sententiam Pallavicini, Comitoli, de la Verdure, & nonnullorum Lovaniensium, qui tamen non satis explicant, in quo consistat hujusmodi debilis, ac remissus amor. Deinde, cum in pluribus ejusdem Auctoris autographis, qui in Bibliotheca Romana asservantur, reperiatur, quod postea palinodiam cecinerit, ac propria manu scripserit, sufficere in Sacramento Pœnitentiæ Attritionem, prout colligitur ex sess. 14. c. 4. Concil. Tridentini, dicendum, quod ante Tridentinum fuerit in ea priori sententia requirente contritionem putatam, ac deinde advertendo ad verba Tridentini docuerit sufficere attritionem supernaturalem, quæ est Dei donum, & impulsus Spiritus Sancti; & idcirco juxta hanc postremam ejus mentem prodierunt deinde aliæ editiones ejusdem Summæ. (*a*)

(*a*) Quæ

„ (*a*) Quæ contra hæc de Toleto scripta a Viva „ obloquuti sunt Concina, & Patuzzius, ea diluta „ habes in Historia Litteraria Italiæ T. 3. *p.* 119. „ & T. VIII. part. 11. pag. 76. seqq.

PROPOSITIO XVI.

Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei id ipsum quodammodo dictante.

PROPOSITIO XVII.

Per illam praxim mox absolvendi ordo Pœnitentiæ est inversus.

SYNOPSIS.

I. Olim a Sixto IV. fuit damnatus hic error, quod satisfactio debeat Absolutioni præmitti.

II. Videturque in eo niti, quod materia Sacramenti debeat formam anteire.

III. Et quia olim in Ecclesia ante peractam pœnitentiam Absolutio non conferebatur.

IV. Quod ex Patribus colligitur.

V. Id tamen neque requiritur ex Christi institutione; aliter sensibus destituto non posset conferri absolutio.

VI. Neque ex natura Sacramenti instituti per modum Judicii.

VII. Neque ex ipsa natura rei, cum sæpe partes integrantes ad formam subsequantur.

VIII. Solum materia spectans ad essentiam Sacramenti Pœnitentiæ debet formam anteire, non vero quæ spectat ad integritatem.

IX. Olim in Ecclesia sola Absolutio Canonica, non vero Sacramentalis post peractam pœnitentiam conferebatur.

X. Non raro tamen etiam Absolutio Canonica impertiebatur ante expletam publicam pœnitentiam.

XI. Et non pauci ab omnibus publicis pœnis eximebantur.

I. EXponitur. Petrus de Osma apud Lugo disp. 12. de Pœnit. num. 42. contendit (ut constat ex Bulla Sixti IV. adversus eos errores) Satisfactionem Sacramentalem debere ex Christi institutione consona naturæ rei præire Absolutionem; & hunc ritum, seu ordinem præmittendi Satisfactionem Absolutioni consuevisse olim Ecclesiam observare (prout refert Palatius dist. 15. q. 1. ex Nicephoro l. 11. c. 18. loquens de Absolutione publica) non quidem ob bonum regimen tantum, aut ex humana, sed ex Divina institutione naturis rerum accommodata. Iterum hic error in hac confixa thesi apud Belgas Rigorismi Sectatores erupit, illumque tuentur Estius, & Arnaldus lib. de freq. Commun., qui proinde docent, praxim Ecclesiæ præsentem absolvendi, antequam satisfactio executioni mandetur, esse debiti ordinis, & a Christo instituti in materia Pœnitentiæ eversivam; & in sequenti propositione addunt, hanc consuetudinem, etiamsi universalem, & diuturnissimam, ab Ecclesia non haberi pro usu, sed pro abusu, atque adeo non esse tolerandam. Anonymus quidam, Auctor *Compendiosæ deductionis* in Belgio anno 1672. his verbis virus hoc evomebat: *Certo constat, Ecclesiam per undecim sæcula hunc morem tenuisse, ut postquam peccatores omnia animarum suarum vulnera Christi Ministris aperuissent, idonea illis remedia acciperent. Deinde Pœnitentium partes erant, præscriptum satisfactionis modum accurate implere. Hic itaque Pœnitentiæ ordo, & decursus erat: Primum Confessio peccatorum, pœnitentiæque postulatio, deinde impositio pœnitentiæ, postea impositæ pœnitentiæ expletio, ad extremum absolutio. Ordinem vero hunc non politia, aut institutio Ecclesiæ induxit, sed ipsa Christi lex, ac præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante.*

II. Prima, ac præcipua hujus sententiæ ratio videtur esse, quia in Sacramentis debet materia formam præire; ex Tridentino autem sunt quasi materia Sacramenti Pœnitentiæ tres actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio: ergo sicut ex institutione Christi debet Contritio, & Confessio Absolutionem antecedere, ita & Satisfactio: aliter (ut dicetur in expositione thesis sequentis) Satisfactio non posset parere fructum ex opere operato, unde non esset pars Sacramenti, ne integralis quidem. Præterea in humanis remissio offensæ non confertur, nisi præstita satisfactione: ergo connaturale est, quod præeat Satisfactio: atque adeo Christi lex consona naturis rerum, non politia, aut institutio Ecclesiæ, hunc ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni præscripsit.

III. Secundo, hoc ipsum ostendere videtur a posteriori Ecclesiæ praxis antiqua, quamvis nunc antiquata: olim enim non solebat Absolutio conferri ante peractam integram pœnitentiam, nisi in mortis articulo, ut refert Morinus cap. 1. lib. 9. citans Orosium Cardinalem: Jo: Maldonatum, Petavium, Marianum, Victoriam, & alios; & in Conc. Carthag. 4. can. 8. habetur: *Pœnitentes, qui in infirmitate viaticum Eucharistiæ acceperunt, non se credant absolutos sine manus impositione, si supervixerint*; ad innuendum, quod post peractam pœnitentiam iterum debeant absolvi.

IV. Confirmatur primo ex Cypriano Ep. 59., ad Fidum, ubi conqueritur, quod Therapius suus collega Victori Presbytero pacem dederit, antequam plenam pœnitentiam egisset.

Confirmatur secundo ex Abbone Archiepiscopo Rhemensi serm. 3. Spicilegii tom. 9. ubi habet: *Nullus est certe Episcopus, qui possit absolutionem dare, nisi post pœnitentiam factam, & dignam satisfactionem.*

V. Ostenditur falsitas: quia satisfactio neque ex Christi D. institutione, ac præscripto premitti debet Absolutioni, neque ex ipsa natura Sacramenti Pœnitentiæ instituti per modum Judicii, neque demum ex ipsa natura rei, quamvis cæteroqui possit (ut notat Sylvester V. *Confessio*, §. 24.) pœnitentia ante Absolutionem expleri: ergo quamvis Ecclesia consueverit aliquando Absolutionem Canonicam, ac pro foro externo post executionem pœnarum conferre, prout mox explicabimus; absolutio tamen Sacramentalis, & pro foro interno non debet post pœnitentiam conferri. Nec præsens praxis Ecclesiæ ordinem Pœnitentiæ a Christo D. institutum invertit: Immo, ut infra dicemus, non aliter consuevit Ecclesia a suis incunabulis absolvere; quamvis aliquando differat Absolutionem ad experiendam solum pœnitentis emendationem, non vero ad expectandam pœnæ executionem.

Quoad primam partem antecedens constat, quia

actus Pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, *ad integritatem Sacramenti, ad plenamque, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione, tamquam partes Sacramenti Pœnitentiæ requiruntur*, ut habetur in Trident. sess. 14. cap. 3. Contritio tamen, & Confessio requiruntur tamquam partes essentiales, sine quibus Sacramentum consistere non potest, ut nec sine corpore v. g. homo; Satisfactio vero requiritur tamquam pars integralis, sine qua essentia Sacramenti, ejusque præcipuus effectus, nempe peccati remissio, haberi potest, non secus ac essentia hominis sine brachio consistit, ut docent communissime. Quod ex eo fit perspicuum, quia Sacramentum Pœnitentiæ conferri potest etiam iis, qui sensibus destituti nullam possunt satisfactionem ponere: ergo institutio Christi D. non fert, quod satisfactio essentialiter ad Absolutionem præmittatur.

Confirmatur; quia aliter forma Absolutionis, qua dicitur, *Ego te absolvo*, esset falsa, quoties non præmitteretur satisfactio, atque adeo, cum fere semper conferatur hoc Sacramentum ante executionem Pœnitentiæ, fere semper Sacramentum Pœnitentiæ esset invalidum, imo & sacrilegum, cum non possit citra sacrilegium adhiberi forma Sacramenti, pro quando innotescit carere suo effectu: quo quid absurdius?

Confirmatur ulterius ex praxi Ecclesiæ offerendi sacrificia pro vita functis ante satisfactionem impositam, juxta ea, quæ præscribuntur in Trid. sess. 25. in decreto de Purgatorio. Sacrificia autem nihil Defunctis prodesse possent, nisi admissio peccatorum consisteret sine remissione pœnæ temporalis: ergo Deus ante condignam satisfactionem præstitam impertitur remissionem culparum. Unde Sacramentum Pœnitentiæ non est ita institutum a Christo Domino, quod Absolutio non possit ante pœnitentiam conferri.

VI. Probatur deinde secunda pars antecedentis, quod scil. neque id postulet natura Sacramenti Pœnitentiæ instituti per modum Judicii; sicut enim in judicio humano executio mulctæ consequitur ad sententiam, ita in judicio Sacramentali connaturaliter consequitur satisfactio.

VII. Denique tertia pars antecedentis, quod neque id postulet natura rei, etiam patet, quia consonum est naturis rerum, quod sæpe partes integrales consequantur ad essentiam compositi: Sicut in composito humano post infusionem animæ accrescunt dentes, capilli, & aliæ multæ partes per continuam nutritionem: ergo neque ex Christi præscripto, neque ex natura Sacramenti instituti ad modum judicii, neque ex ipsa natura rei infertur, debere satisfactionem absolutioni præire; Atque adeo praxis Ecclesiæ præsens absolvendi ante satisfactionem impletam non invertit ordinem Pœnitentiæ, sed servat ordinem a Christo Domino institutum consonum naturis rerum; quod ulterius constabit ex mox dicendis in expositione sequentis propositionis.

VIII. Ad primam rationem in contrarium: Falsum est, ut ostendimus, partes integrales debere universim formam præire; sicut enim possunt dentes v. gr. in homine connaturaliter consequi infusionem animæ, ita poterit connaturaliter satisfactio consequi Absolutionem. Immo in multorum sententia aliquando potest etiam forma Sacramenti physice integram materiam antecedere, dummodo moraliter cum illa conjungatur; ut si quis statim post prolatam Baptismi, vel Confirmationis formam ponat Ablutionem, vel Unctionem. Non potest tamen Absolutio præire Contritionem, aut Confessionem, quia isti actus ex Tridentino sunt partes simul, & dispositiones præviæ ad peccati remissionem, quæ per Absolutionem confertur; Satisfactio autem nusquam enumeratur in Conciliis inter dispositiones prævias ad peccati remissionem, cum sufficiat propositum satisfaciendi. Sicut non prærequiritur ad absolutionem emendatio vitæ, sed propositum emendationis. Quomodo autem possit satisfactio Sacramentalis causare effectum ex opere operato, etiamsi Absolutio longe ante præcesserit, explicabimus in thesi sequenti.

Ad id quod additur, argumentum probat nimis. In humanis enim prærequiritur ut plurimum ad veniam obtinendam satisfactio condigna: Immo neque ipsa condigna satisfactio sufficit ad amicitiam recuperandam; Non satis est enim, quod plebejus Regem offendens quamcumque satisfactionem sibi moraliter possibilem & exhibeat, & exequatur, ut in ejus amicitiam admittatur: ergo si paritas ducta ex humanis, probaret, evinceret, quod ad culpæ remissionem prærequiratur satisfactio condigna. Quare sicut ex meritis Christi potest per Adversarios sufficere modica satisfactio prævia ad Absolutionem, ut possit gratia per Sacramentum conferri, ita dicendum sufficere solum propositum satisfaciendi prævium ad Absolutionem. Et sane in lege antiqua Naturæ, & Scripta sufficiebat in peccatore ad gratiam recuperandam Contritio, quæ solum continebat propositum servandi totam legem, & satisfaciendi pro viribus; quomodo ergo in lege Gratiæ ad obtinendam in Sacramento Pœnitentiæ gratiam non sufficiat propositum ponendi satisfactionem prævium Absolutioni? Præsertim quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est ad modum Judicii, in quo executio pœnæ consequi solet sententiam Judicis.

IX. Ad secundam rationem, & confirmationes distinguenda est duplex Absolutio, altera Sacramentalis, & a peccatis, altera non Sacramentalis, quæ dicebatur Absolutio Canonica, hoc est juxta Sacros Canones, qua Pœnitentes absolvebantur a residuis pœnis Canonicis, & publicis, necnon ab impedimento accedendi ad Sacram Mensam; unde per illam dicebantur reconciliari Ecclesiæ, & Sacro Altari. Hac posita distinctione, dicendum nunquam Ecclesiam consuevisse differre absolutionem sacramentalem rite dispositis, præcise ut pœnitentia peragatur, sed solum post Absolutionem sacramentalem expectasse executionem pœnarum Canonicarum, ac deinde contulisse secundam absolutionem Canonicam, qua Ecclesiæ, & Altari Pœnitentes reconciliarentur. De secunda itaque absolutione Canonica loquuntur Concilium Cartaghinense, Cyprianus, & Abbo locis laudatis, in quibus docent, absolutionem post condignam satisfactionem esse conferendam; cum non possit citra errorem asseri, quod absolutus sacramentaliter in mortis articulo non sit revera a peccatis absolutus, etiamsi nullam præmiserit satisfactionem, nec possit ullam aliam post Sacramentalem absolutionem exequi. Hanc absolutionem Canonicam Cyprianus, & alii vocant Pacem, adeo ut idem significet Pacem dare, ac Absolvere a pœnis Canonicis; eo quod Reus Ecclesiæ per illam, & Altari reconcilietur, ac pace etiam externa cum Ecclesia fruatur. De hac etiam absolutione Canonica loquitur

loquitur Concil. Tolet. III. in quo ſtatuitur, *ut ſecundum formam antiquorum Canonum detur pęnitentia, qua expleta, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, Pęnitens Communioni reſtituatur.*

X. Ubi notandum, quod hæc ipſa Abſolutio Canonica olim etiam ante pœnitentiam publicam expletam non raro conferebatur: ut conſtat tum ex decreto Soteris Papæ anno 176. ubi dicitur: *Etiam Pęnitentes in die Cęnæ Domini ad percipienda Corporis, & Sanguinis Domini Sacramenta reconcilientur*; tum etiam ex eo, quod Burcardus l. 5. c. 19. refert de Silverio Papa n. 536., qui conſuevit Pœnitentibus quinquies in anno Communionem dare, atque adeo a peccatis abſolvere, antequam pœnitentiam expleſſent. Immo vix reperiebatur, qui ante annum ex benignitate Eccleſiæ non abſolveretur; quantumvis per plurimos annos pœna publica eſſet ponenda, adeo ut quidam dixerint pro ſingulis mortalibus ſeptennem pœnitentiam in iis Canonibus præcipi; quod tamen Suar. diſp. 38. de Pœnitentia ſect. 4. putat eſſe fabuloſum. Illud eſt certum, quod pro ſolo homicidio viginti annis pœna erat luenda, ut videre eſt apud Baſil. Epiſt. ad Amphilochium can. 56., ubi hæc habentur: *Qui ſua ſponte interfecit, & poſtea pęnitentia ductus eſt, viginti annis Sacramento non communicabit. Viginti autem anni ſic in eo diſpenſabuntur: debet quatuor annis deflere ſtans ante fores Oratorii, & Fideles ingredientes rogans, ut pro eo precentur, ſuam iniquitatem pronuncians: poſt quatuor autem annos inter Audientes recipietur, & quinque annis cum eis egredietur; ſeptem autem annis cum iis, qui in ſui ſubſtratione orant, egredietur; in quatuor annis ſolum ſtabit cum fidelibus, ſed non erit oblationis particeps; iis tum expletis, erit particeps Sacramentorum.*

XI. Verum non ſolum paſſim in hac diuturnitate temporis diſpenſabatur, ſed ab omnibus publicis pœnis eximebantur non raro Clerici, Milites, Pauperes, Valetudinarii, & qui ad ætatem quadragenariam non pertingebant; atque adeo perrari erant, qui his pœnis mulctabantur; non ſecus ac raro id temporis pœnæ publicæ excommunicatis imponuntur, antequam Eccleſiæ, & altari reſtituantur. Et ratio eſt, quia Canones illi Pœnitentiales, (qui habentur in Jure Canonico in calce Decreti) ut advertit Suarez l. c. non erant leges, & præcepta, ſed erant Inſtructiones, & mera quædam Regula directiva, ut illam Confeſſarii ſequerentur, quantum expedire cenſerent. Cur autem nunc temporis pœnæ illæ tam diuturnæ, tam plenæ pudore, ac labore fere nunquam a Confeſſariis imponantur? dicemus in expoſitione propoſitionis ſequentis.

PROPOSITIO XVIII.

Conſuetudo moderna quoad adminiſtrationem Sacramenti Pœnitentiæ; etiamſi eam plurimorum hominum ſuſtentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Eccleſia non habetur pro uſu, ſed abuſu.

SYNOPSIS.

I. Audacter hæc theſis contendit, Eccleſiam errare poſſe in Sacramentorum adminiſtratione, dum docet, ab Eccleſia pro abuſu haberi conſuetudinem modernam abſolvendi ante pęnitentiam expletam, & abſolvendi paſſim a ſolis venialibus. II. Videtur conſueviſſe olim Eccleſia poſt expletam pęnitentiam abſolutionem impertiri. III. Diximus tamen, id eſſe verum duntaxat de Abſolutione Canonica, non de Sacramentali. IV. Nequit conſuetudo iſta moderna dici abuſus, cum neque ſit contra jus naturæ, neque contra Chriſti inſtitutionem, neque contra Sacros Canones. V. Benignitati Chriſti, & legis gratiæ conſonum fuit, quod abſolutio ſatisfactionem præiret.

VI. Tenetur ſecundum ſe Confeſſarius pęnitentem rite diſpoſitum abſolvere, ſi ſolum proponat imperata facere. VII. Multis de cauſis non ſunt amplius in uſu Canones Pęnitentiales. VIII. Sicut non amplius Fideles quotidie communicant. IX. Nec datur communio parvulis, ut olim dabatur, nec laicis datur ſub utraque ſpecie. X. Satisfactio Sacramentalis poteſt effectum ex opere operato cauſare ratione formæ præteritæ moraliter perſeverantis. XI. Probabiliter ex opere operato præter remiſſionem pęnæ temporalis cauſat etiam augmentum gratiæ. XII. Dummodo non impleatur in ſtatu peccati mortalis. XIII. Quamvis ſatisfiat præcepto Confeſſarii implendo pęnitentiam impoſitam in ſtatu peccati mortalis, id tamen non vacat aliqua veniali culpa. XIV. Licet probabiliter recedente fictione hujuſmodi ſatisfactio cauſet effectum ſuum ex opere operato. XV. Sicut Sacramenta cauſant effectum ex opere operato pro menſura diſpoſitionis in ſuſcipiente; ita ſatisfactio pro menſura devotionis illam implentis. XVI. Eſto in aliis præceptis probabiliter ſatisfiat ponendo opus preceptum abſque intentione ſatisfaciendi, immo cum intentione non ſatisfaciendi; at non in caſu noſtro. XVII. Multis conantur Novatores ſuadere, quod conſuetudo etiam moderna abſolvendi paſſim a ſolis venialibus ſit abuſus. XVIII. Sed impudentiſſime id aſſeritur.

XIX. Innumera incommoda ſequerentur, ſi id non liceret. XX. Occurritur objectis. XXI. Non requiritur dolor de omnibus venialibus, ſicut requiritur de omnibus mortalibus.

I. Exponitur. In duplici ſenſu ſumi poteſt theſis hæc meritiſſime confixa. Prior eſt, quod conſuetudo moderna abſolvendi Pœnitentes ſtatim ante pœnitentiam impletam, necnon omittendi Canonicarum pœnarum impoſitionem, non habeatur ab Eccleſia pro uſu, ſed pro abuſu; Et juxta hanc explicationem videtur referri ad theſim antecedentem, quæ loquens de hac praxi mox abſolvendi contendebat per illam ordinem Pœnitentiæ eſſe inverſum. Alter ſenſus magis univerſalis eſſe poteſt, quod ab Eccleſia habeatur pro abuſu moderna conſuetudo, non ſolum per hoc, quod imponantur Pœnitentiæ leves, omiſſis illis rigidiſſimis Sacrorum Canonum, & quod ante pœnitentiam expletam conferatur Abſolutio; & quod citra prævium amorem Dei ſuper omnia, & intenſiſſimam contritionem; ſed etiam per hoc, quod paſſim pro venialibus conferatur Abſolutio Sacramentalis. Siquidem nonnulli in Belgio auſi fuerunt aſſerere, *Abuti eos Sacramento Confeſſionis, qui quamvis ad Sacram Synaxim acceſſuri, prætendunt a venialibus abſolvi*: Addentes, quod *Non ſic agebant primi Chriſtiani, qui quotidie communicabant, ut & modo Sacerdotes, ſine Confeſſione*. Juxta utramque itaque interpretationem a Novatoribus id effutiebatur, & juxta utramque nihil petulantius audiri, aut fingi poteſt. Quamvis

vis enim explicite in hac thesi solum dicatur, quod moderna isthæc consuetudo in administratione Sacramenti Pœnitentiæ ab Ecclesia habeatur pro abusu: implicite tamen audacter, ac perfricta fronte asseritur, hanc Ecclesiæ universalis praxim esse reipsa abusum; atque adeo Ecclesiam in iis, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem, enormiter errare. Seorsim thesim hanc juxta utramque acceptionem paucis confutabimus.

II. Et primo quidem, quod consuetudo moderna absolvendi mox Pœnitentes ante Pœnitentiam impletam haberi debeat pro abusu, quantumvis eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, ex eo nituntur ostendere, quod olim Ecclesia nonnisi post peractas pœnitentias Canonicas consueverit Absolutionem impertiri, juxta ea, quæ fuse diximus in antecedenti propositione. Hinc Tertullianus in lib. de Pudic. inducit Zephyrinum Papam dicentem, *Ego & mœchiæ, & fornicationis delicta pœnitentia functis dimitto;* quibus verbis videtur ostendi, eum fuisse usum Ecclesiæ jam inde a tertio sæculo, ut nonnisi pœnitentia functis Absolutio conferretur: Quod pluribus confirmatur apud Morinum, & Martenem, & alios.

III. Ostenditur tamen, consuetudinem hanc Ecclesiæ non posse haberi pro abusu. Primo quidem, quia, ut in antecedentis thesis expositione ostendimus, solum Absolutionem Canonicam, qua homo Ecclesiæ, & Altari reconciliabatur, consuevit Ecclesia post peractam pœnitentiam publicam impertiri, non vero Absolutionem Sacramentalem, qua homo reconciliatur Deo. Quamvis enim justis de causis aliquando possit, ac debeat Confessarius Sacramentalem absolutionem differre, præsertim consuetudinario, ut diximus in expositione propositionis sexagesimæ Innoc. XI. nunquam tamen Ecclesia consuevit Absolutionem Sacramentalem differre per hoc, quod Pœnitentia imposita nondum sit impleta; cum Christus D. instituerit Sacramentum Pœnitentiæ per modum judicii, in quo executio pœnæ consequitur sententiam judiciariam.

IV. Secundo, quia tunc consuetudo habet rationem abusus, seu corruptelæ, quando adversatur legi, quæ per contrariam consuetudinem abrogari non potest; ac propterea omnis consuetudo adversus naturæ leges, aut adversus Christi præcepta est corruptela; Sicut etiam a Bonif. XIII. in cap. *Consuetudinem* de Consuetudine in 6. vocatur *Corruptela* Consuetudo illa, quæ Sacris est inimica Canonibus. At in casu nostro Consuetudo moderna (quæ, ut diximus*, fuit etiam jam inde ab Ecclesiæ incunabulis) conferendi absolutionem Sacramentalem, ac remissionem peccati ante peractam pœnitentiam, neque est contra jus naturæ, ut patet, neque contra Christi institutionem, aut Sacros Canones; ergo non potest dici abusus. Minor patet tum ex iis, quæ diximus, tum etiam quia in Clement. *Dudum*, de Sepulturis, imponitur Sacerdoti, quod *Confessiones audiat, pœnitentias imponat, & absolvat*. Decretum Bonifacii Episcopi Moguntini, qui floruit sæculo octavo, relatum a Morino n. 12. dicit: *Curet unusquisque Presbyter statim post acceptam Confessionem Pœnitentium, singulos data oratione reconciliare.* Sozomenus c. 16. lib. 7. agens de prima institutione Pœnitentiarii, ac de pœnitentia publica, quam Nectarius sustulit, (quicquid sit, num sustulerit Pœnitentiam publicam, an solum Confessionem publicam de criminibus occultis? in quo DD. variant) refert Pœnitentiarium consuevisse statim pœnitentes absolvere post impositas pœnas, quas luerent. Unde patet, Consuetudinem modernam absolvendi pœnitentes statim post Confessionem fuisse in Ecclesia antiquissimam, atque adeo hanc fuisse Christi institutionem Apostolica auctoritate traditam, juxta illud Aug. lib. 4. de Bapt. parvulorum cap. 24. *Quod universa tenet Ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi Apostolica auctoritate traditum rectissime creditur.*

V. Congruum autem fuit, ita Christum Dom. voluisse Sacramentum Pœnitentiæ instituere, ut ad absolutionem, & remissionem peccati solum præiret propositum exequendi pœnitentiam a Confessario injunctam; quia aliter lex gratiæ non esset benignior legibus antiquis; siquidem statim post contritionem gratia tunc conferebatur, quin deberet satisfactio expectari. Præterea sequeretur, quod moribundis, qui non possunt pœnitentiam ullam ponere, non posset absolutio Sacramentalis conferri; & rite dispositis ad gratiam in Sacramento percipiendam deberet etiam absolutio denegari, & interim in statu peccati relinqui, atque adeo cum periculo damnationis æternæ, si interim decederent, & cum proclivitate ad nova scelera patranda. Denique sequeretur, quod in eo, qui accederet ad absolutionem cum sola attritione, pœnitentia, quæ ante Absolutionem impleta fuisset, nullum effectum causaret ex opere operato, eo quod posita fuisset in statu peccati, ut advertit Suar. disp. 38. de Pœn. sect. 3. (quicquid sit, an effectum ex opere operato causaret recedente fictione? in quo Scholastici decertant). Hæc autem omnia a Christi, & Ecclesiæ benignitate sunt alienissima.

VI. Hinc Theologi omnes, teste Suar. d. 32. de pœnit. sect. 3. docent, non solum posse, sed etiam teneri Confessarium secundum se Pœnitenti rite disposito absolutionem impertiri, nec posse illam sine rationabili causa differre, qualis esset v. g. si promisisset alias restituere, aut proximam occasionem peccandi tollere, nec steterit promissis, præsertim si non semel id promisisset. Ratio autem, cur teneatur Confessarius statim absolvere, est, quia hoc postulat ratio judicii; tenetur quippe Judex statim absolvere reum, si dignus est qui absolvatur. Id exigit etiam munus ministeriale Confessarii, qui tenetur Sacramentum administrare juxta voluntatem Christi principaliter absolventis, qui ad id potestatem dedit ligandi, atque solvendi, ut dispositi absolvantur: unde injuria illis fieret, tam si negaretur, quam si differretur absolutio; (nisi forte aliquando in remedium Confessarius ut Medicus putet dilationem profuturam.) Immo in hoc nullum est discrimen inter Confessarium proprium, seu Parochum, & alium Confessarium delegatum, qui non tenetur Confessiones audire, ut docent communiter contra Medinam apud eundem Suarium. Quamvis enim Confessarius delegatus secundum se non teneatur Confessiones audire; si tamen audivit, eo ipso ex implicito contractu inter ipsum, & Pœnitentem tenetur uterque æquitatem, & justitiam servare; atque adeo tam Confessarius tenetur statim absolvere, nisi obstet rationabilis causa, quam pœnitens tenetur eidem obtemperare.

VII. Ad ea, quæ opponuntur ex usu antiquo Ecclesiæ, satisfecimus abunde in thesi antecedenti distinguendo

guendo duplex genus absolutionis, videl. Sacramentalis, qua homo reconciliatur cum Deo, & ista secundum se statim conferebatur; & Canonicæ, qua pœnitens Ecclesiæ reconciliabatur, & altari, & ista passim post pœnas publicas peractas impertiebatur. Quod autem nostra hac tempestate non sint amplius in usu Canones Pœnitentiales, nec pro delictis publicis illæ publicæ pœnæ infligantur, quæ in Sacris Canonibus erant præfixæ, id oritur ex circumstantia temporis præsentis; sive quia Charitas, ac devotio antiqua Fidelium refrixit; sive quia tunc expediebat acriter punire reos, ne in iis persecutionibus succumberent spe facilis veniæ; sive quia Urbanus II. pęnas publicas condonare voluit iis, qui ad bellum adversus Infideles proficiscebantur; elargiendo iis Indulgentias; unde pęnæ illæ in bonum majus Ecclesiæ commutatæ fuerunt; sive aliis de causis.

VIII. Profecto sicut olim, ut D. Th. advertit 3. p. qu. 8. art. 10. ex Apostolica sanctione quotidie fideles communicabant; (quicquid sit, an id intelligendum sit de solis fidelibus Clericis Altari inservientibus, ut contendunt Turrecremata, Petavius, Balsamon, & alii communiter) ac deinde diminuto fidei fervore Fabianus Papa indulsit, ut saltem ter in anno omnes communicarent, nempe die Paschæ, Pentecostes, & Nativitatis Domini; ac demum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente Charitate multorum, Innoc. III. statuit, ut saltem semel in anno in Paschate communicent. Ide dum magna vigebat devotio fidei Christianæ, Canones pœnitentiales utiliter executioni mandabantur, qui nunc ob diminutum fervorem rationabiliter non sunt amplius in usu. Similiter Trid. sess. 21. c. 4. loquens de communione, quæ olim parvulis dabatur, docet Sanctissimos illos Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuisse; iis tamen Communionem non esse necessariam definit; & non esse illis concedendam juxta præsentem usum Ecclesiæ docent passim DD. apud Lugo disp. 13. sect. 4. prout præscribitur in Rubricis Ritualis Pauli V. Et eadem sess. c. 2. Tridentinum loquens de Communione sub utraque specie hæc habet: *Licet ab initio Christianæ Religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset; tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine, gravissimis, & justis causis adducta Sancta Mater Ecclesia hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit.* Ex quibus constat, potuisse etiam rationabiliter in pęnis statuendis aliquam Ecclesiæ consuetudinem mutari: esto nihil possit Ecclesia quoad ea, quæ pertinent ad Sacramenti Pęnitentiæ administrationem a Christo D. institutam, quod sc. per modum Judicii conferatur, atque adeo ante executionem pęnæ sententia proferatur, & reus rite dispositus absolvatur, nisi forte aliquando aliud exigat Medici munus, quod pariter obit Confessarius.

IX. Opponunt nonnulli apud Lugo dist. 12. de Pęn. nu. 43. quod si posset Absolutio ante peractam penitentiam conferri, non posset deinde Satisfactio Sacramentalis causare ullum effectum ex opere operato, atque adeo non posset dici ullatenus pars Sacramenti, ne integralis quidem, nulla enim materia Sacramenti causat ex opere operato effectum independenter a forma Sacramenti; atque adeo cum forma Sacramenti Pęnitentiæ jam præterierit, quando ponitur satisfactio, hæc non posset ex opere operato causare effectum suum.

X. Ad hoc tamen facile respondetur, quod sicut Eucharistia causat effectum suum ex opere operato ratione formæ præteritæ moraliter perseverantis, juxta communiorem sententiam, quod verba consecratoria moraliter perseverantia constituant Eucharistiæ Sacramentum etiam in facto esse; ita Satisfactio causat effectum suum ex opere operato ratione formæ absolutoriæ moraliter perseverantis. Certe omnes dicimus, benedictionem v. g. perseverare moraliter, quousque aqua lustralis physice perseverat, electionem Pontificis moraliter perseverare, quousque vivit Pontifex: ergo possunt etiam verba Consecratoria perseverare moraliter, quousque perseverant species Sacramentales; & in casu nostro perseverare moraliter potest Absolutio, quousque ponatur satisfactio.

XI. Quæritur autem a Scholasticis, Primo, Num effectum ex opere operato, qui a satisfactione Sacramentali causatur, sit sola remissio pęnæ, an vero augmentum gratiæ? Secundo, An hic effectus remissionis pęnæ causari possit, etiamsi satisfactio ponatur in statu peccati mortalis? Tertio, An satisfactio in statu peccati mortalis posita sit pars integralis Sacramenti, ita ut per illam satisfiat obligationi contractæ implendi pęnitentiam impositam? Quarto, An satisfactio in statu peccati mortalis posita, sublata fictione, reviviscat?

Et ad primum communius docent apud Dicastil. cum Vasq. Con. Lugo ex D. Th. contra nonnullos, cum quibus videtur sentire Suar. disput. 38. sect. 2. solum conferri remissionem alicujus pęnæ temporalis, quando impletur pęnitentia a Confessario imposita, non vero conferri augmentum gratiæ ex opere operato. Ratio est, quia ex Trident. sess. 14. cap. 3. actus Pęnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio, ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, ac proinde partes Pęnitentiæ dicuntur. Cum autem Contritioni, Confessioni, & Absolutioni tanquam partibus essentialibus competat remissio culpæ, & pęnæ æternæ, quod fit per gratiæ infusionem, videtur, quod Satisfactioni, quæ est pars integralis, supersit tantum causare remissionem pęnæ temporalis, & eatenus plenam, & perfectam peccati remissionem.

XII. Ad secundum communius pariter docent cum Suar. Lugo, Con. contra Vasq. Medin. Nav. apud Dicastil. disp. 14. dub. 11. remissionem pęnæ ex opere operato non causari, quando in statu peccati mortalis pęnitentia imposita impletur; non enim est verisimile, quod Christus D. voluerit per Sacramenta remitti pęnam iis, quibus ineſt mortalis culpa, & inimicitia cum Deo: confert quidem ex sua misericordia peccatoribus Deus gratias actuales, non tamen, effectum alium misericordiæ, qui ad resipiscendum non spectat; Et idcirco nemo dixerit indulgentiam ullam acquiri ab eo, qui in mortali versatur. Et ratio a priori est, quia cum remissio ista pęnæ sit effectus supernaturalis præparans aliquo modo hominem ad gloriam, removendo scil. impedimentum ad illam, non est cur conferatur ei, qui per mortale est ad gloriam indispositus.

XIII. Ad tertium, concedunt communiter non esse mortale, quinimo satisfieri obligationi a Confessario impositæ implendo pęnitentiam in statu peccati mortalis. Sicut enim satisfit obligationi audiendi Sacrum, verbi gratia, jejunandi, &c. si in statu peccati mortalis ea ponantur; ita satisfit obligationi a Confessario impositæ, etiamsi in statu pec-

cati

cati mortalis pęnitentia impleatur. Suar. d. 38. sect. 8. putat id esse veniale, quia ponitur obex effectui ex opere operato, nempe remissioni pœnæ temporalis: Lugo tamen etiam a veniali excusat; quia scil. sicut non est veniale adesse Benedictioni Pontificis in statu peccati mortalis, pro quando ponitur obex Indulgentiæ; ita neque in hoc casu. Verum ex alio capite videtur non declinari veniale; quia scil. levis aliqua irreverentia est ponere in statu peccati mortalis partem Sacramenti integralem.

XIV. Ad quartum, probabilius censeo, quod satisfactio Sacramentalis in statu peccati posita, recedente fictione, causet ex opere operato effectum suum, ut docent Suar., Soto, Nav. contra Ledesmam, Adrianum. Sicuti enim Sacramentum Pęnitentiæ validum, & informe ex defectu doloris extensivi cadentis super omnia peccata commissa probabiliter recedente fictione reviviscit, adeo ut non detur obligatio iterum subjiciendi clavibus eadem peccata; ita probabiliter dicendum etiam de satisfactione; quia pars videtur imitari naturam totius. Utrum autem non solum satisfactio in statu peccati posita, sed etiam illa, quæ impletur per opus peccaminosum, pariter reviviscat quoad effectum ex opere operato, oblice sublato; ut si quis ob malum finem impleat pęnitentiam a Confessario impositam; Nonnulli cum eodem Suar. affirmant; nam sicut baptismus susceptus ob finem malum recedente fictione reviviscit, ita satisfactio Sacramentalis. Et ratio videtur esse, quia illa actio, qua punitur delictum, secundum se, & quoad substantiam est bona, & ideo potest esse instrumentum, quo applicetur Christi satisfactio; Sic Missa prodest ex opere operato ei, pro quo offertur, quamvis Sacerdos celebret simoniace; quia finis malus celebrantis non impedit, quominus actio illa Sacrificii oblata secundum se, & quoad substantiam sit bona.

XV. Quæritur pariter a Scholasticis, An pęnitentia prudenter imposita, & quæ nullatenus sit imminuta a Confessario, aut ob fragilitatem Pęnitentis, aut ob suam culpabilem conscientiam, sed censeatur peccatis commensurata, deleat semper ex opere operato totum reatum pœnæ, si rite impleatur? Et sane quod ita Christus Dom. potuerit instituere, non dubitatur; Quod vero ita instituerit, affirmant Scotus, Gabriel, Sotus apud Dicastil. disp. 14. dub. 12. Communius tamen cum Suar. Vasq., Lugo, & aliis negant; sicut enim non eadem gratia omnibus confertur in Sacramentis ex opere operato, sed major, vel minor pro mensura dispositionis; ita non idem reatus pęnæ omnibus remittitur per eandem satisfactionem impositam pro iisdem peccatis, sed major, vel minor pro dispositione, ac devotione pœnitentiam implentis; sic enim homines excitantur ad ferventius exequenda Sacra Mysteria.

XVI. Inquirunt demum Theologi Morales, An qui ponit opus impositum pro pęnitentia a Confessario, puta auditionem Sacri, sed absque intentione satisfaciendi, aut cum intentione contraria non satisfaciendi, adhuc satisfaciat? Affirmat Sanc. l. p. in Dec. cap. 17. num. 15., prout docuerat de adimpletione aliorum præceptorum. Vasq. tamen, & Dicastil. docent, quod etiamsi hæc doctrina esset vera in aliis præceptis, in quibus præcipitur tantum substantia operis, non modus, atque adeo non præcipitur, ut eo fine opus ponatur, ut præcepto satisfiat; in casu tamen nostro id requiratur. Et ratio est, quia partes Sacramenti debent poni ad eum finem, ut Sacramentum, ejusque fructus suscipiatur; ut proinde non sufficiat dolor, nisi ad Sacramenti susceptionem ordinetur, ut docent communius cum Suar. Bon. contra Lugo d. 14. sect. 4. sicut nec sufficit narratio peccatorum ob alium finem facta, ut possit dici Confessio Sacramentalis; ergo nec satisfactio, si non ordinetur ad Sacramentum complendum; Et licet speculative probabile sit sufficere, quod dolor præteritus deinde ad Confessionem referatur; practice tamen videtur requiri, quod dolor ex intentione suscipiendi Sacramentum eliciatur: cum in Sacramentis etiam suscipiendis, ut diximus in expositione primæ thesis Inn. XI. non possimus sequi opinionem solum probabilem de eorum valore, omissa tutiore. Sed obiter hæc dicta sint, quæ ad Scholasticam, & Moralem Theologiam spectant. Redeamus ad Polemicam, & videamus, an possit haberi ab Ecclesia pro abusu Consuetudo moderna juxta alteram acceptionem, quod scil. passim pro venialibus conferatur Sacramentalis Absolutio?

XVII. Rationes pro hac thesi in hoc sensu usurpata videntur esse: Primo, quia, ut habet quidam libellus Flandricus in Belgio evulgatus: *Quotidie olim primi Christiani communicabant, ut & modo Sacerdotes, sine Confessione; idque quia non est necesse confiteri venialia. Quare regulam Christianæ perfectionis non debemus ponere in confitendo sæpe, & diu, sed in vivendo ita, ut cum primis Christianis non debeamus confiteri; in tali statu non indigemus amplius Confessione.*

Secundo, quia, ut habet quidam Theologus in sua Methodo tr. p. qu. 4. object. 6. frequens Confessio de solis venialibus subest periculo irreverentiæ, immo etiam frustrationis Sacramenti, eo quod non facile cum debita dispositione suscipiatur. Propterea hic Auctor permittit frequentem de venialibus Confessionem viris Sanctitate conspicuis, qui animo cælitus illustrato peccatorum venialium malitiam conspiciunt, illamque non minus habent exosam, quam agnitam. Aliis vero concedit, quod solum instituant Confessionem, quam nulla sequatur Absolutio, nec expectetur secutura, nisi quando aperte constet de intenso dolore, ac proposito; aliter Absolutio cum Sacramenti irreverentiæ periculo impertiretur ex defectu sufficientis doloris, ac propositi. Ex quibus paralogismis permoti nonnulli in Belgio per plures menses Monialibus absolutionem Sacramentalem differebant. Ecce quo dilabuntur Rigorismum affectantes, ut praxim universalis Ecclesiæ contemnant, & in speciem reverentiæ erga Sacramenta, velint nos iis privare, quibus benignissimus Salvator pretium Sanguinis, si fas est dicere, prodige effusi voluit nobis in satisfactionem, in pharmacum, ac ad gratiæ, & gloriæ augmentum applicari.

XVIII. Ostenditur itaque falsitas: quia ex Tridentino constat; usum confitendi venialia esse antiquum, & laudabilem; hæc enim habet sess. 14. c. 5. *Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, quanquam recte, & utiliter, citraque omnem præsumptionem in Confessione dicantur, quod piorum hominum usus demonstrat; taceri tamen citra culpam, multisque aliis remediis expiari possunt.* Et sess. 6. c. 11. habet: *Licet in hac mortali vita, quantumvis Sancti, & justi, in levia saltem, & quotidiana, quæ etiam venialia dicuntur, peccata quamdoque cadant, non propterea desinunt*

esse justi : justorum illa vox est & humilis , & verax : Dimitte nobis debita nostra . Quare cum ex Tridentino etiam justi debeant de venialibus quotidianis petere condonationem, cum recte, & utiliter clavibus subjiciantur ad remissionem obtinendam , cum is sit piorum hominum usus ; sequitur, impudentissime a Novatoribus asseri , quod hujusmodi consuetudo ab Ecclesia habeatur pro abusu . Quod ex eo confirmatur, quia statuta Religionum a Sancta Sede approbatarum passim frequentiam Confessionum præscribunt . Dicere autem , quod Confessio venialium fieri debeat citra Absolutionem Sacramentalem, est doctrinæ Tridentini adversari , & velle , quod justi incommodum subeant Confessionis absque emolumento ex opere operato, quod libentius a Christo D. justis impenditur , quam peccatoribus . Verum quidem est, quod possint multis aliis remediis venialia expiari , ut proinde non detur onus subjiciendi ea clavibus; nunquam tamen utilius expiantur, quam si cum debito dolore, ac proposito Sacerdotibus deferantur absolvenda ; tum ob difficiliorem relapsum, tum ob fructum de se uberiorem ex opere operantis, tum etiam ob fructum ex opere operato . Hinc Christus D. volens Eucharistiam Apostolis distribuere, lavit eorum pedes, dicens Jo. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet*, ostendens, non esse nobis accedendum ad Communionem non præmissa de venialibus quotidianis emundatione, quæ in Sacramento Pœnitentiæ solet esse efficacior.

XIX. Adde, quod si non habens conscientiam peccati mortalis deberet a Sacramentali Confessione abstinere, non pauci deberent tota vita abstinere a Sacramento Pœnitentiæ, quod non leve scandalum pareret : non pauci etiam obliti alicujus mortalis commissi privarentur hoc remedio ad mortalium remissionem misericorditer instituto; cum enim possit aliquis carere dilectione Dei super omnia, & simul habere mortale oblitum , non posset uti remedio Confessionis , donec non esset conscius illius mortalis . Quid autem Divinæ erga peccatores Misericordiæ magis adversum? Idcirco in Cap. *Si Presbyter* 16. *qu.* 6. Julius Papa dicit : *Si Presbyter Pœnitentiam morientibus abnegaverit, reus erit animarum*, quia poterit aliquando moriens per Attritionem esse sufficienter dispositus ad absolutionem , & sic ad salutem obtinendam: aliter si opus esset contritione ad absolutionem Sacramentalem obtinendam, nullatenus obstaret saluti æternæ morientis defectus Absolutionis ; unde Presbyter abnegans absolutionem non posset dici Reus animarum ; ergo Reus pariter animarum dici debet , qui contendit absolutionem Sacramentalem esse denegandam iis, qui solum venialia confitentur; cum accidere possit , quod habeant aliquod mortale oblitum, & ob defectum absolutionis damnentur.

XX. Ad ea, quæ opponebantur , facile respondetur. Ad primum , omnino commentitium est dicere , quod Christifideles olim quotidie citra Confessionem communicarent ; neque enim est verum , quod communicarent quotidie omnes fideles , sed solum Ministri Altaris , ut ostendit Balsamon , Petavius , & alii. Neque est verum, aut verisimile, quod sine frequenti Confessione communicarent, cum ex Tridentino laudato usus piorum hominum ferat istam venialium Confessionem , quod a fortiori dicendum est de primis Christifidelibus pietate, ac fervore præstantissimis. Ex eo autem, quod non sit necesse confiteri venialia , inepte deducitur , quod ea a primis Christifidelibus non exponerentur in Confessione ; sicuti ex eo quod non obligarentur ad opera supererogationis, inepte colligitur , quod ea a sapientissimis illis Fidelibus non præstarentur.

Ad secundum: Verum quidem est , quod sicut quotidiana Communio non est omnibus consulenda, sed iis duntaxat , qui a curis sæcularibus segregati Deo vacant , & pietate præcellunt , ut sic cum majori reverentia, ac fructu tantum Sacramentum suscipiatur, ut dicemus in expositione propositionis vigesimæ tertiæ ; ita pariter nec est omnibus indiscriminatim consulenda Confessio quotidiana de venialibus, eo quod facile omnes possint cum debita devotione ad hoc Sacramentum accedere ; hinc tamen non fit , quod non sit laudabile utrumque Sacramentum juxta Confessarii præscriptum, & prout unicuique opportunum est , frequentare : quare frequens Confessio de venialibus de se nec subest periculo irreverentiæ , nec periculo frustrationis Sacramenti , nisi forte illa aliquis abutatur ex propria culpa ; quin potius fervorem excitat, gratiam auget , redditque homines magis cautos, ac difficiliores ad relabendum.

XXI. Neque obstat, quod non ita facile excitetur dolor de venialibus, ut de mortalibus , aut quod emendatio non semper appareat , nec facile propositum sit efficax. Nam ei , qui a mortalibus abstinet, non est arduum concipere dolorem supernaturalem de venialibus, quæ usque adeo Deo displicent , ut juste gravissimas Purgatorii pœnas amico Dei infligendas mereantur. Præterquamquod facile potest ad securitatem majorem justus post Confessionem levium culparum superaddere Confessionem alicujus gravioris culpæ olim commissæ , de qua facile concipere potest dolorem supernaturalem intensum , ac efficax propositum non relabendi, cum ad valorem, & fructum Sacramenti sufficiat dolor de aliquibus venialibus cum proposito respondente huic dolori, & simul cum proposito nunquam peccandi graviter , quin requiratur dolor de omnibus venialibus , sicut requiritur dolor de omnibus mortalibus, eo quod mortale quodcumque non retractatum sit imcompossibile cum gratia , non vero veniale . Denique non est expectanda a Confessario ea emendatio de venialibus , quæ de mortalibus ; tum quia datur moralis necessitas succumbendi aliquibus venialibus ob arbitrii vertibilitatem, ob frequentiam tentationum impellentium ad venialia, ob propensionem naturalem ad delectabilia, ob dæmonis instigationem , & ob naturæ imbecillitatem ; unde, ut habet Trident. laudatum, frequentius in ea labimur : Tum etiam quia possunt venialia ex eodem Tridentino citra culpam in Confessione taceri , aliisque remediis expiari ; unde potest Confessarius ignorare , an præcesserit emendatio, dummodo sit moraliter certus de dolore sufficiente ad Absolutionem impertiendam : Tum demum quia venialibus a gratia Dei non excludimur.

PRO-

PROPOSITIO XIX.

Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato.

SYNOPSIS.

I. Hæc thesis exigendo pęnitentiam tota vita pro originali irrogat injuriam efficaciæ Baptismi. II. Remanere solet post Sacramentum Pęnitentiæ reatus pęnæ temporalis per pęnitentiam abolendus. At post Baptismum, licet perseveret concupiscentia effrænis, ea tamen vocatur ab Apostolo peccatum, quatenus est ex peccato, & ad peccatum inclinat, sed revera non est peccatum, nec per pęnitentiam deleri debet. III. Docuit Jansenius, originale per hanc concupiscentiam prorogari, & usque ad mortem in nobis perseverare. Hinc Novatores docent, tota vita pro originali pœnitendum. IV. Id suadere conantur, quia concupiscentia ex Augustino peccatum simul est, & pęna, ac causa peccati. V. Saltem pro reatu talis pęnæ relicto post Baptismum videtur satisfactio Deo exhibenda.

VI. Sicut tota vita dolendum pro peccatis actualibus, etiam post susceptum Sacramentum Pęnitentiæ; ita pro originali post susceptum Baptismum.

VII. Eadem ratio videtur utrobique militare.

VIII. Quamvis originale non sit propria voluntate commissum, est tamen voluntarium interpretative, & ita unicuique proprium, ut possimus illud detestari, odisse, ac de eo dolere, esto non possimus illud retractare. IX. Vero quamvis post Baptismum remaneant in renatis concupiscentia effrænis, mors, ægritudo, & aliæ pęnalitates ad agonem, nihil tamen in iis remanet, quod ab ingressu cęli remoretur; unde pro originali, utpote per Baptismum omnino deleto, nulla amplius pęna luenda. X. Immo originale nec spectat ad Sacramentum Pęnitentiæ, nec est objectum materiale virtutis Pęnitentiæ quoad actum hujus præcipuum, qui est dolor de peccato trahens actum retractationis, & voluntatem satisfaciendi pro illo. XI. Esto possimus de originali dolere, sicut etiam de peccatis alienis.

XII. Per Baptismum non restituitur integritas naturæ, & justitia originalis; hujusmodi tamen peccati effectus per nullam pœnitentiam deleri potest. XIII. Pro originali deleto nulla potest exhiberi satisfactio, quæ ad justitiam vindicativam spectet. XIV. In quonam sensu concupiscentia, seu fomes remanens in renatis vocetur ab Apostolo peccatum? XV. Quare ea post Baptismum remanet? XVI. Quare post Sacramentum Pęnitentiæ, & post Indulgentiæ plenariæ lucrationem, adhuc consonum est, quod pro culpis personalibus tota vita pęnitentia agatur; secus vero pro originali post susceptum Baptismum? XVII. Quid de pęnitentia pro peccatis personalibus commissis ante Baptismum? XVIII. In quonam sensu originale dicitur a Tridentino habere propriam rationem peccati, cum revera pro illo non debeat stricta, ac propria satisfactio exhiberi? XIX. Ostendit Lugo, quod Deipara debuisset subire potius originale, quam venialiter peccare, si in alterutrum scopulum impingere debuisset.

I. EXponitur. Hanc etiam injuriam Jansenii Asseclæ irrogant Divinæ Misericordiæ, meritis, ac satisfactionibus Christi Domini, & efficaciæ Sacramentorum, ut velint homines post Baptismum susceptum teneri ad exhibendas Deo satisfactiones quoad vixerint, præcise ob originale: perinde quasi dubitari possit, an Christi merita, & satisfactiones per Baptismum nobis applicatæ, reatum omnem contractum ob originale a nobis eraserint? ubi Trident. sess. 5. can. 5. definit, ita tolli per Baptismum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet, ut nihil prorsus in renatis supersit, quod eos ab ingressu Cęli remoretur; ut proinde non sit opus nostris satisfactionibus, ubi Christus pro nobis non solum in actu primo, sed etiam in actu secundo, posita Baptismi susceptione, satisfecit abunde. Quod iterum docuit Trid. sess. 14. cap. 2. dicens, discriminari Sacramentum Baptismi a Sacramento Pęnitentiæ, non solum quia Baptismi Minister non est judex, juxta illud Apostoli ad Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* sed etiam quia per *Baptismum Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur Creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes, ad quam tamen novitatem, & integritatem per Sacramentum Pęnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus, ut merito Pęnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit.*

II. Quare licet post susceptum Pęnitentiæ Sacramentum sæpe supersit Deo satisfaciendum ob reatum pęnæ temporalis non omnino deletum, Divina id exigente justitia, Divina tamen misericordia nullum voluit nobis superesse reatum post Baptismum susceptum a nostris satisfactionibus delendum. Quod pariter animadvertit Trident. eadem sess. 14. cap. 8. ubi habet: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint, aliter vero qui semel a peccati, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, scientes Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverint.* Hæc Tridentinum docuit adversus Lutherum, & Calvinum, qui contendebant peccatum originale consistere in ipsa naturæ humanæ corruptione, seu in concupiscentia, quæ in nobis etiam post baptismum perseverat; atque adeo juxta eorum hæresim etiam post Baptismum peccatum originale perseverabat, si minus in reatu odii Divini, saltem in reatu talis pœnæ, nempe concupiscentiæ effrænis (seu fomitis), quam Apostolus ipse ad Coloss. 3. Peccatum appellat; ut advertit idem Trident. sess. 5. can. 5. ubi habet: *Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

III. Jansenius inhærens Lutheri, & Calvini vestigiis ferme idem sentiebat, ut ostendit Morainès disp. 15. numer. 25. apud Platelium t. 2. num. 310. Ex cujus doctrina Jansenistæ docuerunt, quod homo tota vita deberet pro originali pœnitentiam agere, videl. ad Deo satisfaciendum pro peccato originali, quod in nobis usque ad mortem in concupiscentia perseverat. Hęc sunt verba Jansenii tom. 2. lib. 1. de statu naturę lapsę cap. 6. colum. 209. *Peccatum originale per libidinem, seu concupiscentiam, tanquam per veram causam transfusionis ex natura rei propagatur; Non secus* (ut habet cap. 18. col. 245.) *ac subinde cæcitas, podagra, aliaque parentum vitia tum affectuum, tum corporum transfunduntur;* & cap. 6. col. 210. addit: *Nec*

vero

vero aliter propagari potest ullo modo, nisi per libidinem, & concupiscentiam. Ecce quomodo ex Jansenio per concupiscentiam originale propagatur; atque adeo cum perseveret usque ad mortem concupiscentia, perseverat in nobis peccatum, quod per pœnitentiam delendum est. Quinimmo motus ipsos indeliberatos concupiscentiæ, quamvis non liberos libertate a necessitate, Jansenius docuit esse peccata; cum l. 2. de Statu naturæ lapsæ cap. 25. col. 14. dixerit: *Per præceptum, Non concupisces, ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi*: & c. 14. col. 844., & seq. *Motus concupiscentiæ non sunt aliud, quam quædam desideria peccatorum; desideria autem peccatorum non tantum deliberata, sed etiam talia, quæ rationem antevertunt, sunt mala, turpia, illicita*: unde in ejus indice tom. 2. expresse ponitur: *Concupiscentiæ motus indeliberati sunt peccata.* Hæc Jansenii doctrina aperte ostendit, ipsum voluisse errores Baji e tenebris in lucem malignam evocare; cum proscripta olim fuerit utraque illa Baji Propositio, videl. 50., quæ habet: *Prava desideria, quibus homo non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, Non concupisces*; Et 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Et falsitas est evidens; quia peccatum consistere non potest absque ratione voluntarii, ac liberi a necessitate, quæ in motibus concupiscentiæ indeliberatis reperiri non potest.

IV. Novatores deinde eundem errorem indirecte conati sunt insinuare, docentes tota vita pro originali pęnitendum, vid. ob libidinem, & concupiscentiam in nobis ab eo relictam. Primo quia isthæc concupiscentia peccatum simul est, & pęna, & causa peccati, ut videtur docere Augustinus lib. 5. contra Julianum cap. 3. ubi habet: *Concupiscentia carnis, adversus quam concupiscit bonus Spiritus, & peccatum est, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati, quia reddita est meritis inobedientis; & causa peccati defectione consentientis*; quod etiam videtur docere Apostolus ad Rom. 7. dicens: *Si autem quod odi malum, illud facio, jam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum.* Quod si concupiscentia non esset revera peccatum, sed solum pęna peccati, sequeretur, quod Julianus contra Augustinum inferebat, videl. concupiscentiam esse dignam laude, & amore, ut est pęna a Deo juste inflicta; & tamen Aug. in Ps. 35. docet, Deum in renatis fomitem peccati odisse.

V. Secundo, etiam dato, quod concupiscentia, & fomes ad peccatum impellens non sit proprie peccatum, sed solum sit ex peccato, ut habet Trid. sess. 5. can. 5., sicut ex peccato ortum habet in nobis mors, fames, sitis, ægritudines, & aliæ pęnalitates, adhuc videtur sequi, quod pro originali tota vita pęnitentia nobis agenda sit; quia quousque remanet reatus pęnæ a culpa relictus, debet satisfactionibus a nobis præstitis extingui: atqui pęna hæc peccati originalis, atque adeo reatus talis pęnæ in nobis tota vita remanet: ergo semper pro ea satisfactio exhibenda; non secus ac post Sacramentum Pęnitentiæ satisfactio nobis Deo exhibenda, quousque remanet reatus pęnæ temporalis.

VI. Tertio a priori, quia pro gravi culpa, quæ pęnam æternam meretur, quælibet nostra satisfactio est incongrua; sed originale est culpa mortalis trahens pęnam æternam saltem damni, si minus sensus, reddensque nos *filios iræ*, ut dicitur ad Eph. 2., seu dignos, in quos Deus suam iram exerceat: ergo quælibet nostra satisfactio est incongrua; atque adeo tota vita pęnitendum.

Neque obstat, quod vi satisfactionum Christi Dom. in Baptismo tollatur a nobis totum id, quod habet veram, ac propriam peccati rationem, necnon omnis pęnæ reatus. Nam etiam per Sacramentum Pęnitentiæ deletur peccatum personale, & per plenariam Indulgentiam omnis reatus pęnæ ab eo relictus extinguitur; & tamen adhuc de peccatis personalibus tota vita dolendum, ac pęnitendum, juxta illud Psal. 50. *Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*; Et Ps. 6. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, & lacrymis meis stratum meum rigabo*: ergo pariter pro originali tota vita dolendum etiam post baptismum.

VII. Confirmatur; quia de peccatis personalibus tota vita dolendum, ac pęnitendum; tum quia Divina Justitia exigit ex Trid. sess. 14. cap. 2, quod præter Christi satisfactiones aliqua etiam a nobis Deo satisfactio exhibeatur ad placandam Divinam Majestatem a nobis offensam; tum ad facilius superandam vim habituum malorum, & concupiscentiæ ad peccatum inclinantium: tum ad perseverantiam finalem, quæ est donum gratuitum, obtinendam; unde Isaiæ 38. dicitur: *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*: Hæc autem omnia evincunt pariter, quod pro originali tota vita dolendum, ac pęnitendum sit: Ergo.

VIII. Neque dicas, pęnitentiæ actum cadere non posse supra peccatum originale, quod non est propria voluntate commissum. Nam quamvis non sit propria voluntate commissum peccatum originale, adhuc ex Trident. sess. 5. can. 5. habet veram, & propriam peccati rationem, quatenus est nobis voluntarium interpretative, si minus formaliter; & ideo dicitur esse unicuique proprium: Cum dicat Apostolus ad Cor. 15. *In quo omnes peccaverunt*; Et ex Trid. can. 2. Adam per inobedientiæ peccatum non solum mortem, & pęnas corporis in omne genus humanum transfudit, sed etiam ipsum peccatum, quod mors est animæ: ergo tam super peccatum personale, quam super originale cadere possunt actus pęnitentiæ, saltem odium, detestatio, dolor, ac satisfactio, si minus retractatio; quippe quæ ex D. Th. 3. p. q. 84. a. 2. ad 3. solum cadere potest super peccatum propria voluntate commissum. Hinc Trid. sess. 6. cap. 6. habet: *Propterea moventur adversus peccatum per odium aliquod, & detestationem, hoc est per eam pęnitentiam, quam ante baptismum agi oportet*; Unde ex Trid. potest aliquis pęnitentiæ actus baptismum præire, nempe odium, ac detestatio, quæ procul dubio cadere possunt etiam in originale: Ex quibus videtur evinci, quod tota vita pro originali pęnitentia aliqua subeunda sit.

IX. Ostenditur tamen falsitas: quia sublata quavis peccati macula, & quocumque reatu tam odii Divini, quam pęnæ, quæ ab ingressu Cęli remoretur, nulla superest pęna pro illo luenda, ac satisfactio Deo exhibenda: atqui per Baptismum omnis omnino macula tollitur, & omnis reatus tum odii Divini, tum pęnæ obstruentis aditum ad patriam tam ortus a peccato originali, quam etiam ab actualibus ante baptismum patratis; siquidem per Baptismum, *Si fuerint peccata ut coccinum, quasi nix dealbabuntur*, ut dicitur Isaiæ 1.: ergo nulla pro originali post

ba-

baptismum pęna subeunda: Esto consonum sit, quod peccatum illud odio habeamus, ac detestemur, dicendo cum Job. 3. *Pereat dies, in qua natus sum, & nox, in qua dictum est, Conceptus est homo*; imo etiam consonum sit, ut de illo doleamus, seu displicentiam concipiamus dolorosam in cordis amaritudine, quin tamen possimus illud retractare; cum retractatio solum cadere possit super actus propria voluntate elicitos. Minor constat tum ex Trid. sess. 5. can. 5., ubi dicitur, in renatis nihil esse damnationis, & eos per baptismum reddi innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos, itaut nihil prorsus eos ab ingressu Cęli remoretur; & sess. 14. cap. 2. Per Baptismum Christum induentes novam prorsus in illo effici creaturam, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes: Tum ex Florentino in decr. Eugen. ubi habetur: *Propterea Baptizatis nulla pro peccatis præteritis injungenda est satisfactio*. Tum ex cap. *Per Baptismum* de Consecr. dist. 4., ubi dicitur, quod Caro peccati evacuetur, seu tota etiam poena semper vi Baptismi remittatur. Quod etiam docuit Trid. sess. 6. c. 14. dicens, satisfactionem per jejunia, eleemosynas, & alia pia spiritualis vitæ exercitia post Sacramentum Pęnitentiæ ponendam esse pro pęna temporali, quæ, ut Sacræ literæ docent, non tota semper (ut in Baptismo fit) dimittitur. Et ratio est, quia, ut DD. advertunt, ex Trident., per Baptisma in nobis Christi Passio applicatur, ac si cum illo mortui fuissemus, & consepulti; unde veterem hominem omnino exuentes, nova in Christo efficimur creatura, omnino pura, & immaculata.

Neque obstat, quod per Baptismum non tollatur a nobis concupiscentia, mors, ægritudo, & aliæ pęnalitates, quas contraximus propter originale. Nam ex Trid. istæ remanent in nobis ad agonem, & meritum, quia ex Apost. 2. ad Tim. 2. *Non coronabitur, nisi qui legitime certaverit*.

X. Confirmatur; quia peccatum originale neque spectat ad Sacramentum Penitentiæ, neque est objectum materiale virtutis Pęnitentiæ quoad ejus præcipuum actum: ergo falsum est, quod agenda sit pro originali per totam vitam poenitentia. Antecedens quoad primam partem est de fide; quoad secundam ostenditur explicando actus ad virtutem pęnitentiæ spectantes. Primus est Odium peccati, in quantum est Dei offensa: Secundus Detestatio ejusdem: Odium respicit peccatum etiam futurum, & possibile: Detestatio solum fertur in peccatum commissum sive a se, sive ab alio; & ideo detestatio supra actum odii addit affectum voluntatis, & desiderium quoddam, quod peccatum non fuerit commissum: sicut enim ad amorem boni, quod possidetur, connaturaliter consequitur desiderium semper illud habendi; ita ad odium mali præhabiti, nempe peccati commissi, connaturaliter consequitur desiderium, ne unquam fuerit, quod spectat ad detestationem. Tertius Poenitentiæ actus est Dolor, seu displicentia trahens quandam animi inquietudinem, ac pœnam de peccato commisso: Hic dolor connaturaliter consequitur ad detestationem; quamvis in Beatis ob immensum gaudium, quod possident, consurgere non possit: unde solum odio habent, ac detestantur peccata a se, vel ab aliis patrata, quin de iis doleant; cum scriptum sit Apoc. 21. *Neque dolor erit ultra*. Quartus pęnitentię actus est Retractatio, quæ solum versatur circa peccatum a se commissum, cum nemo retractare possit, quod ipse non fecerit: Hæc autem retractatio fert voluntatem illud delendi, ac expiandi: propterea ad retractationem connaturaliter consequitur voluntas satisfaciendi, ipsa satisfactio, ac spes veniæ. Præcipuus autem actus virtutis pęnitentiæ non est odium peccati, aut detestatio, cum hujusmodi actus etiam in Beatis haberi possint; (quicquid sit, an hac de causa remaneat in Beatis virtus infusa Pęnitentiæ, ad eliciendos vid. ex motivo formali Pęnitentiæ hujusmodi actus, licet minus præcipuos?) Actus itaque Pęnitentiæ præcipuus est dolor, seu displicentia peccati, trahens voluntatem expiandi illud, ut constat ex Etymologia vocabuli: Pęnitentia enim ex Aug. l. de Vera, & falsa idem sonat, ac Pęnæ, seu doloris tenentia, quæ trahit voluntatem illud vindicandi, ac expiandi.

XI. His positis: Quamvis possimus originale odisse, ac detestari, imo etiam de eo dolere, sicut etiam possimus dolorem, ac animi poenam habere de peccatis alienis: non possumus tamen de originali dolere dolore, qui trahat actum retractationis, aut voluntatem vindicandi, ac expiandi illud, postquam per Baptismum fuit omnino deletum; atqui hujusmodi dolor trahens retractationem, & voluntatem satisfaciendi secundum se ad virtutem Poenitentiæ præcipue spectat (ut proinde multi doceant, Christum D. caruisse virtute Pęnitentiæ infusa; quamvis enim dolere potuisset de peccatis nostris, & odisse, detestari, ac dolere de peccatis, quæ in alia providentia potuissent a sua Humanitate patrari in statu separationis, antequam cum Verbo conjungeretur, si forte fuisset aliquando separata, non potuit tamen illa retractare, tanquam propria hujus Divinæ personæ; esto fuissent propria ejusdem Humanitatis) ergo peccatum originale non est objectum materiale virtutis Poenitentiæ quoad ejus actum præcipuum.

XII. Et sane formalis honestas objectiva Virtutis Pęnitentiæ consistit in victoria difficultatis, quam experimur ad retractandum peccatum commissum, necnon ad delendum illud tum quoad se, tum quoad effectus ab eo relictos; ut propterea Aug. l. de Vera, & falsa Pęn. dixerit: *Pœnitentia est quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dolet commisisse*. & l. de Ecclesiasticis dogmatibus, *Pęnitentia est pęnitenda non admittere, & admissa deflere*; peccatum autem originale nec est retractabile, ut diximus, nec quicquam potest de illo deleri post susceptum baptismum; cum per baptismum omnino deleatur tum ipsa culpa originalis, tum reatus pęnæ damni æternæ (licet non restituatur nobis per Baptismum simul cum gratia justitia originalis, & integritas naturæ, quam Adam, & posteri per peccatum amiserunt: neque hujusmodi effectus, ac pęna peccati in hac providentia per ullum actum pęnitentiæ deleri possit) ergo peccatum originale non est ullatenus delendum per pęnitentiam; esto possimus illud detestari, ac de effectibus ab eo relictis dolere; eo quod concupiscentia ver. gr. ab eo relicta impedimento sit ad facilem præceptorum observantiam; Sicut ingemiscens dicebat Apostolus ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* In hoc sensu ipse D. Th. in 4. dist. 16. q. 1. a. 1. admittit haberi posse de originali Pęnitentiam istam late dictam: nunquam tamen est verum, quod Assertores hujus damnatæ thesis contendunt, videl. pęnitentiam necessariam esse ad delendum originale,

aut

aut dari præceptum de pœnitentia pro originali facienda per totam vitam; immo neque est verum, quod pœnitentia stricte dicta cadere possit supra originale.

XIII. Neque dicas, quod licet non possimus dolere de originali dolore retractativo, ac vindicativo, possimus tamen satisfactionem aliquam pro illo exhibere, etiamsi per Baptismum deletum sit; potest enim juxta probabilem sententiam circa debitum jam extinctum dari iterata solutio, quæ sit actus justitiæ: ergo etiam exhiberi potest circa peccatum jam dimissum nova satisfactio, quæ sit actus justitiæ vindicativæ, & ad virtutem etiam Pœnitentiæ spectans.

Nam etiam transmisso, quod iterata solutio debiti possit esse actus justitiæ commutativæ, nemo tamen dixerit, quod iterata inflictio pœnæ debitæ possit esse actus justitiæ vindicativæ; cum jus habeat reus, ne iterum puniatur, extincto reatu: ergo pro originali per Baptismum deleto nulla potest exhiberi satisfactio, quæ aut ad justitiam vindicativam, aut ad virtutem Pœnitentiæ spectet, nisi forte ratione reatus putati, eo modo quo eleemosyna data pauperi putato spectat ad virtutem misericordiæ: Ut omittam inquirere, Num pro originali non deleto per Baptismum possit vera satisfactio poni? quod dependet ab ea quæstione, An peccatum originale sit vera Dei offensa? quod infra explicabimus, inquirentes, in quonam sensu peccatum originale sit proprie peccatum, in quonam improprie. Constat itaque, per Baptismum ita originale deleri, ut nulla pro eo satisfactio exhibenda sit, perinde quasi ex meritis Christi nobis per Sacramentum applicatis non fuerit omnino erasum.

XIV. Ad primam rationem in contrarium adductam: Falsum omnino est ex Trid. sess. 5. can. 5., quod concupiscentia, seu fomes in baptizatis manens sit vere, & proprie peccatum. Neque enim in alio sensu ab Apostolo vocatur peccatum, ut definit idem Trid., nisi quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat, relinquiturque nobis ad agonem, & ad meritum. Aug. l. c. dicens, Concupiscentiam esse peccatum, loquitur de motibus non omnino indeliberatis, sed aliquo modo voluntariis, saltem in causa, nempe in negligentia illos reprimendi; vel loquitur de peccato materialiter tantum, & objective malo, sicut homicidium patratum ab ebrio dicitur materialiter malum, quatenus si libere patraretur, esset formaliter peccaminosum, ut idem Aug. l. 6. contra Jul. cap. 16. explicat, dicens, *Concupiscentiam omni peccato carere, sed non omni malo*. Hinc fit, hujusmodi concupiscentiam non esse laude, & amore dignam, ex hoc quod sit pœna peccati: non enim quicquid infligitur ut pœna, amari potest, cum possit Deus sæpe juste punire peccata præcedentia permissione sequentium, ut in obduratis; quare Deus in renatis fomitem peccati odit, non quia est peccatum, sed quatenus a peccato est, & ad peccatum inclinat, ac proinde odit odio non redundante in personam: Ad eum modum, quo Deus amat in peccatoribus actus supernaturales fidei, & spei, quatenus disponunt ad justificationem, quin tamen hujusmodi actus supernaturales amet amore in personam ipsam redundante; cum potius illam ob peccatum odio habeat odio inimicitiæ, esto illam amet amore solum benevolentiæ, dum confert illi auxilia ad tales actus eliciendos.

XV. Ad secundam: Quamvis ex Trid. sess. 5. can. 2. per Adæ prævaricationem transfusa sit in genus humanum non solum mors animæ, seu peccatum, sed etiam mors, & pœna corporis, dicente Apost. ad Rom. 5., *Per unum hominem peccatum intravit in mundum; & per peccatum mors*; Nihilominus ex eodem Trid. can. 5. concupiscentia, mors, & reliquæ pœnalitates hujus vitæ post Baptismum remanent in renatis non tam in pœnam, quam in agonem, & meritum, ut scilicet conferant ad triumphum; nec ullatenus de se Cœli ingressum remorantur, sed potius conferunt ad intensiorem gloriam acquirendam, si debito modo sustineantur. Propterea non est exhibenda Deo ulla satisfactio ad delendum harum pœnalitatum reatum relictum post Baptismum; Sic enim delet quicquid habet rationem peccati: esto exhibenda sit post Sacramentum Pœnitentiæ satisfactio ad delendum reatum pœnæ temporalis in vindictam infligendæ, relictum post remissionem reatus odii Divini, ac pœnæ æternæ, qui perseverat, donec congrua satisfactio exhibeatur.

XVI. Ad tertiam: Satisfactiones Christi, utpote infinitæ, longo, ac infinito excessu superant nostrorum delictorum gravitatem, idque etiam in sententia valde probabili, quod peccatum mortale sit gravitatis infinitæ; dicitur enim Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio*: & 1. Cor. 6. *Empti estis magno pretio*. Hinc nulla satisfactio nostra esset ponenda post Sacramentum Pœnitentiæ, si Divina justitia non exigeret, quod reatus pœnæ temporalis a nobis luendæ superesset; sicut ex Divina misericordia nullus superest reatus post Baptismum. Verum quidem est, quod si applicentur nobis Christi satisfactiones per plenariam Indulgentiam, nulla supersit satisfactio a nobis ponenda; quia tamen multis de causis incertum est, an plenariam Indulgentiam lucrati simus, ideo consultum est pro culpis remissis novas semper satisfactiones exhibere; nec non etiam, quia non sumus omnino certi, quod dispositionem ad Sacramentum Pœnitentiæ requisitam adhibuerimus; Unde dicitur Eccl. 5. *De propitiato peccato noli esse sine metu*: Contra vero, quia imprudenter dubitamus, an Baptismum susceperimus, ideo injuriam Sacramento Baptismi irrogamus, si pœnitentiam agamus pro peccato originali, perinde quasi incerta sit vis Baptismi ad illud plene tollendum.

Præterquamquod cum Sacramentum Pœnitentiæ institutum sit per modum judicii, & in judicio super eodem delicto possit iterata ferri sententia absolutoria, consultum etiam est de iisdem peccatis remissis iteratam Sacramentalem absolutionem petere, & iteratam ponere satisfactionem, dicendo cum Davide Psal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me*: At nequit Baptismus iterari; & dum primo suscipitur, nullam requirit satisfactionem nostram ad omnia peccata delenda præter dolorem prævium in adultis: ergo a fortiori nulla superet deinde pœnitentia ponenda post Baptismum.

XVII. Ad Confirmationem; Pœnitentia de peccatis personalibus post Baptismum commissis condistincta a pœnitentia imposita a Confessario solum cadit sub consilium, non sub præceptum; pro peccatis vero ante Baptismum commissis, & pro originali pœnitentia rigorose dicta exhiberi non debet, cum ex Florentino laudato Ecclesia ipsa non consueverit pro iis pœnitentiam ullam imponere, eo

quod

quod per Baptismum omnis omnino reatus deleatur. Expedit tamen, ut licitis abstineat, qui usus fuit illicitis, ad præcavendas novas culpas, ad quas habitus pravi olim acquisiti voluntatem reddunt proclivem, necnon ad Divinam gratiam conservandam, & ad meritum augendum.

XVIII. Ad id quod additur: Certum est apud DD. supra peccatum originale cadere non posse actum præcipuum virtutis Pœnitentiæ, nempe dolorem trahentem retractationem, & vindicationem, cum non sit propria voluntate commissum; & idcirco nulla est vindicatio, seu pœnitentia pro illo ponenda: Habet quidem ex Tridentino l. c. originale veram, ac propriam rationem peccati, si nomine peccati veniat id, quod consequitur actum voluntatis transgredientis Divinam legem, nempe macula illa habitualis, quæ reddit hominem Deo odibilem, & filium iræ; at non est proprie peccatum, si nomine peccati veniat macula facti, seu id, quod est primarium in peccato, nempe actus nostræ voluntatis transgressivus Divinæ legis, trahens maculam illam habitualem juris, seu reatus odii Divini. In hoc sensu Aug. l. 3. de Lib. Arbit. cap. 19. dicit originale non esse proprie peccatum; & l. 1. de Civ. cap. 27. ait: *Parvuli, quod vera Fides habet, nascuntur non proprie, sed originaliter peccatores.* Et in hoc etiam sensu per originale non irrogatur proprie ac stricte Deo injuria; unde nec exhiberi debet pro illo stricta, ac propria satisfactio, etiam ante susceptum Baptismum.

XIX. Hinc Lugo disp. 5. de Pœnit. n. 64. impugnat Concionatorem illum celebrem, qui, ut ostenderet, B. Virginem fuisse immunem ab originali, contendebat, quod cum fuerit a veniali immunis, a fortiori fuisse immunem ab originali, quod est mortale; quod debuisset potius præeligere immunitatem ab originali, quam a veniali. Docetque Lugo, quod debuisset B. Virgo potius pati maculam originalem, quam venialiter Deum offendere; quia contrahere originale non est actu ullo proprio Deum offendere, nec averti a Deo, sed potius est pati aversionem Divinam, odium, indignationem, ac inimicitiam propter peccatum solum interpretative proprium, ob inclusionem voluntatis propriæ in voluntate Adæ, tamquam Tutoris humani generis; Quod tamen Deiparæ competere non potuit; ut proinde non solum originali caruerit, sed etiam debito proximo illud contrahendi: Ejus quippe voluntas, utpote prædita virtutibus longe præstantioribus, quam fuerit prædita voluntas Adami, non debuit in hujus voluntate includi, & ideo neque fuit obnoxia originali, neque debito proximo contrahendi illud, sed solum debito remoto, quatenus erat una ex descendentibus Adæ, quæ si non fuisset prædita virtutibus, & gratia pene immensa, ut esset digna Christi mater, debuisset in voluntate Adæ includi, & contrahere originale: Ubi Christus Dom. etiam debito remoto contrahendi originale caruit, eo quod non descenderit ex Adamo via ordinaria, ut loquitur ex Aug. D. Th. 3. p. q. 13. art. 1. *Non fuit in Adam secundum seminalem rationem, sed secundum corpulentam substantiam*, unde non debuit originale contrahere, etiamsi caruisset Unione hypostatica. Nihilominus si Deipara in alterutrum scopulum debuisset impingere, vid. aut contrahendi originale ob peccatum Adæ, si in ejus voluntate fuisset inclusa, vel proprio actu venialiter Deum offendendi, illud esset præeligendum; eo quod macula originalis non sit proprie injuria, nec offensa Dei, quamvis habeat propriam rationem peccati mortalis, reddens hominem filium iræ, Dei inimicum, & reum pœnæ æternæ saltem damni. Hinc fit, quod cum originale non sit proprie Dei offensa, nulla sit exhibenda pro originali satisfactio proprie dicta, & a fortiori post maculam per Baptismum omnino deletam.

Ex hactenus dictis infertur, mortem, aliasque pœnalitates B. Virginis non fuisse in pœnam originalis ab ea contracti; meritoque proscripta fuit propositio illa 73. Michaelis Baji, dicens: *Nemo præter Christum est absque peccato originali. Hinc Beata Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis:* immensæ enim Deiparæ pœnalitates fuerunt in agonem, & meritum, non vero in ultionem: sicut non omnes Justorum afflictiones sunt in ultionem pro culpis præteritis, & idcirco proscripta pariter fuit illa 71. ejusdem Baji propositio dicens: *Omnes omnino afflictiones Justorum sunt ultiones peccatorum ipsorum: Unde Job, & Martyres, quæ passi sunt, ob sua peccata passi sunt*; ostendimus quippe, quod non solum caruerit Deipara originali, sed etiam debito proximo illud contrahendi, propter immensum gratiarum cumulum, quo prædita fuit in primo instanti Conceptionis, ut esset digna Christi Parens; ut proinde illi injuria irrogata fuisset, si in voluntate Adæ fuisset inclusa, non secus ac si Resp. voluntatem pupilli omni virtute, ac sapientia præditi includeret in voluntate Tutoris, qui ab iis dotibus longe distaret; quæ omnia fuse prosequuntur, ac erudite Salazar., Gran., Lezana apud Lugo d. 7. de Incarn. sect. 3.

PROPOSITIO XX.

Confessiones apud Religiosos factæ pleræque vel sacrilegæ sunt, vel invalidæ.

PROPOSITIO XXI.

Parochianus potest suspicari de Mendicantibus, qui Eleemosynis communibus vivunt, de imponenda nimis levi, & incongrua pœnitentia, seu satisfactione, ob quæstum, seu lucrum subsidii temporalis.

SYNOPSIS.

I. Proscripta olim fuit sententia docens invalide Sacramentum Pœnitentiæ a Regularibus administrari, necnon quæ docebat præcepto Confessionis annuæ non satisfieri per Confessionem apud Regulares factam.

II. Novatores nunc docent, hujusmodi confessiones plerumque esse sacrilegas, vel invalidas ob leves pœnitentias, quæ a Regularibus injunguntur.

III. Verum consuetudo Ecclesiæ moderna in injungendis pœnis non differt substantialiter ab antiqua. Rigor autem antiquus ante adventum Mendicantium exolevit. Mendicantes vero videntur maxime idonei ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum.

IV. Canones Pœnitentiales non erant leges, sed instructiones, & fere nunquam pœnæ illæ imponebantur in foro Sacramentali. V. Sicut diversa ratio temporum præsentium postulat, ut aliter nunc administretur

stretur Sacramentum Eucharistiæ, ac olim; ita dicendum de imponendis pœnis in Sacramento Pœnitentiæ. VI. Circa annum salutis millesimum ante adventum Mendicantium benignitas Ecclesiæ ingentes progressus habuit. VII. Antesignani Mendicantium acri calamo confixerunt sententias valde benignas, quæ olim vigebant. VIII. Multis de causis Regulares secundum se magis videntur idonei ad Sacramentum Pœnitentiæ rite administrandum. IX. Hinc Monarchæ passim nonnisi Regulares volunt sibi esse a Confessionibus, & Pontifices innumera iis Privilegia relate ad administrandum hoc Sacramentum concesserunt. X. Suspicio de levibus pœnis imponendis ob spem lucri minime omnium cadere potest in Regulares: Concilia proinde aliorum cupiditatem hac in re coercuerunt, nunquam tamen Regularium. XI. Præstetne benignum se cum Pœnitentibus ostendere in delectu opinionum, & in pœnis imponendis, an rigidum? XII. Doctor Angelicus miram in opinando induit benignitatem.

I. EXponitur. Sæculo septimo non pauci docebant, invalide a Regularibus Sacramentum Pœnitentiæ administrari. Illos Bonifacius IV. sua Constitutione anathemate percussit his verbis: *Sunt nonnulli fulti nullo dogmate, audacissime quidem, zelo magis amaritudinis afferentes, Monachos, qui mundo mortui sunt, & Deo vivunt, Sacerdotalis Officii potentia indignos, neque Pœnitentiam, neque Christianitatem largiri, neque absolvere posse per divinitus injunctam Sacerdotali officio potestatem. Sed omnino labuntur*, &c. Fuit deinde opinio Henrici de Gandavo, Hostiensis, Archidiaconi, & aliorum apud Adrianum in 4. q. 5., & apud Dian. p. 4. tr. 8. ref. 102., putantium, Confessiones apud Religiosos ab Episcopo approbatos factas non sufficere ad implendum præceptum Confessionis annuæ latum ab Innoc. III. in cap. *Omnis utriusque sexus*, eo quod deberent oves a Pastoribus suis, nempe a Parochis, in hoc Sacramento quotannis recognosci. Cum autem Joan. de Pollaco pertinacius hanc opinionem defenderet; a Joanne XXII. anno 1322. compulsus est canere palinodiam. Et Sixtus IV., ut advertit Jo: de la Cruz de statu Relig. lib. 2. c. 6., voluit, ut Inquisitores hæreticæ pravitatis adversus hanc sententiam, tamquam sapientem hæresim, animadverterent, perinde quasi non sufficeret, quod oves a supremo Pastore Christi Vicario per Religiosos a se delegatos recognoscerentur.

II. Nunc autem Novatores, veluti deplorantes amissam antiquam Ecclesiæ severitatem in pœnis infligendis juxta Canones pœnitentiales, ac zelum simulantes, invehuntur adversus Religiosos, & præsertim Mendicantes, a quibus eorum doctrina quam maxime impetitur; ac docent, laxitatem in Sacramento Pœnitentiæ a Religiosis inductam esse, ut proinde Confessiones apud ipsos factæ ut plurimum vel sacrilegæ sint, vel saltem invalidæ, eo quod ob facilem aditum, quem pœnitentes habent ad Religiosos, a quibus leves pœnitentiæ imponuntur, sæpe deficiat propositum non peccandi de cætero ad validitatem Sacramenti, & ad veniam a Deo obtinendam prærequisitum. Docent præterea, nimiam in pœnitentia imponenda Mendicantium benignitatem oriri ex spe subsidii temporalis a pœnitentibus obtinendi; ut idcirco possit Parochus suspicari, quod ab iis nimis leves, & peccatis longe impares pœnitentiæ hac de causa imponantur. Hinc etiam docuere, ut constat ex antecedenti thesi proscripta, quod consuetudo moderna quoad administrationem Sacramenti longe diversa sit ab antiqua, quando juxta Canones pœnitentiales acerrima, ac diuturna pro quolibet mortali infligebatur pœna ante absolutionem luenda; ac proinde quamvis ista consuetudo jam invaluerit, plurimorum hominum auctoritate sustentetur, contendunt ab Ecclesia eam non haberi pro usu, sed pro abusu.

III. Evincitur omnium horum falsitas, si ostendatur, Primo, Consuetudinem Ecclesiæ præsentem in administrando Pœnitentiæ Sacramento, etsi benigniorem, non differre substantialiter ab antiqua, licet severiori.

Secundo, Rigorem antiquum in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium Ecclesiam remisisse: atque adeo si quis doleat, quod rigidior illa disciplina exoleverit, non debet id Mendicantibus adscribere.

Tertio, Religiosos, ac præsertim Mendicantes esse maxime omnium idoneos ad hoc Sacramentum administrandum, & suspicionem de levibus pœnis imponendis ob spem lucri minime omnium in illos cadere.

IV. Circa primum. Verum quidem est, quod pœnæ, quas Canones Pœnitentiales statuunt imponendas pro culpis, sint rigidæ, diuturnæ, pudore, ac labore refertæ; nam perjuro v. g. imponitur, quod per 40. dies in pane, & aqua jejunet, ac deinde per septem annos pœniteat, seu publicam agat pœnitentiam; cognoscenti Monialem, seu devotam pœnæ decennales statuuntur; & mensuranti falsa mensura jejunium triginta dierum in pane, & aqua; & sic de aliis. Verum, ut adnotavimus in expositione thesis 18. ex Suar. disp. 38. de Pœnit. sect. 3., Canones isti pœnitentiales non erant leges, sed meræ instructiones, ac regulæ Confessario deservientes, ut juxta contritionem, vires, ac dispositionem pœnitentis posset eas ad libitum moderari: Et ibidem notavimus, quod etiam quando pro foro externo pœnæ illæ publicæ ab Ecclesia imponebantur, fere semper magna ex parte remittebantur, adeo ut perrari essent, qui per annum pœnas publicas exequerentur; ergo a fortiori in foro secreto Sacramentali fere nunquam pœnæ illæ imponebantur. Diximus etiam, rigorem illum iis temporibus, quando persecutiones Tyrannorum vigebant, fuisse congruum, ne spe facilis veniæ Christifideles descisceret. Præterquamquod introducenda tunc erat in Ecclesia primitiva duplex classis Innocentium, ac Pœnitentium; ac proinde congruum erat, ut pœnæ in aliorum exemplum ponendæ non essent leves; Sicut pœnæ, quas Christus D. subiit, ut nobis esset exemplo, congruum fuit, quod essent acerbissimæ.

V. Adde, quod ex Fidelium fervore tempore illo persecutionis sperabatur ex gravitate pœnarum fructus, non desperatio, ac fuga; Nunc autem his, aliisque motivis cessantibus, ratio temporum postulat, ut Ecclesia benignius agat in pœnis infligendis, advertens adversus hæreticos, Christum Dom. noluisse Sacramentum Pœnitentiæ esse carnificinam, sed medicinam, ut habet Trident. sess. 14. cap. 5. Quod autem absolutionem Sacramentalem juxta consuetudinem modernam consueverit olim Ecclesia impertiri ante executionem pœnæ a Confessario impositæ, fuse ostendimus loc. laud. Ex quibus fit, consuetudinem præsentem in administrando Sacramento Pœnitentiæ non longe differre ab antiqua, nisi quantum

tum ratio temporum diversa specialem postulat hac tempestate benignitatem: eo pacto quo, ut advertit ibidem Tridentinum, diversa temporum præsertim ratio postulat, ut aliter nunc Sacramentum Eucharistiæ administretur, quam olim; ut proinde nec pueris detur nunc ante usum rationis, imo nec statim post usum rationis, donec norint apte distinguere inter panem, & Eucharistiam; nec detur hoc Sacramentum sub utraque specie non Sacerdotibus. Similiter Anacletus Papa, ut advertit D. Thom. 3. p. quæst. 80. art. 10., quando magna vigebat in Ecclesia Dei devotio Fidei, ita decrevit. *Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim & Apostoli statuerunt, & Sacra Romana tenet Ecclesia*, (esto hanc Anacleti sanctionem alii aliter interpretentur, ut dicemus in expositione thesis 23. num. 15.) ac deinde diminuto fidei fervore, ut habet idem Angelicus, Fabianus Papa indulsit, ut saltem ter in anno, ac demum Innocent. III., ut saltem semel in anno communicent. Ecce quomodo in Sacramentorum administratione apte pro temporum varietate consuetudo Ecclesiæ variatur. Non est itaque cur præsens Ecclesiæ benignitas in pœnis injungendis carpatur, cum ea benignitati Christi, & ipsius Ecclesiæ, ac rationi temporis præsentis sit accommodata, nec substantialiter differat a veteri Ecclesiæ consuetudine, sive spectetur pœnitentia Sacramentalis, sive extrasacramentalis.

VI. Circa secundum, quod rigor antiquus in pœnis infligendis ante adventum Mendicantium exoleverit, hoc est ante sæculum decimumtertium, quo Religiosi Mendicantes duxerunt initium, ostendit Morinus lib. 10. c. 16. ubi loquens de antiqua pœnitentiæ disciplina, ait: *Et sæculo undecimo terminatur: Statim enim post illud sæculum Pœnitentiæ exterioris severitas decrescere, minui, & obsolescere cœpit*; Additque circa millesimum humanæ salutis annum benignitatem Ecclesiæ ingentes progressus habuisse, quando pœnæ cœperunt pecunia redimi; ut proinde divitibus, qui maxime indigent Pœnitentia, in eleemosynas commutarentur, ut constat ex Conciliis Anglicanis celebratis anno 958. 982., & 1034., & ex Concilio Lillebone habito anno 1080., quod ab Oderico Vitali refertur: Eaque consuetudo commutandi pœnitentias in eleemosynam, vel in aliquot solidos pro Templis, vel pontibus construendis adeo in Galliis invaluerat, ut Mauritius Episcopus Parisiensis ingentem illam Cathedralem Parisiorum hac ratione a fundamentis extruxerit, & quatuor Abbatias in agro Parisiensi fundaverit, ac dotaverit, quem multi Episcopi, teste eodem Morino c. 20., in hac benigna Pœnitentiæ remissione imitati sunt. Præterea Petrus Pictaviensis Canonicus Abbatiæ S. Victoris, & in audiendis Confessionibus perassiduus in suo libro Pœnitentiali circa annum 1220. edito fol. 3. hæc habet: *Non videtur, quod pro peccatis occultis debeat Pœnitens aliquis arctari præcise ad aliquod genus satisfactionis nolens, sed redimere posset, vel aliter compensare*. Et Urbanus II. anno 1095. iis, qui Sacræ Militiæ nomen dabant, Indulgentias largiebatur, quibus ab omni pœnarum debito exsolvebantur: unde inolevit deinde in Ecclesia usus permutandi pœnitentias peccatis consentaneas in aliquas leviores, ac medicinales, ac in lucrationem Indulgentiarum, quæ passim obtineri possunt. Constat itaque, benignitatem in pœnis infligendis ante ortum Mendicantium in Ecclesia usui fuisse.

VII. Adde, quod Albertus Magnus, & Alexander Alensis inter Theologos Mendicantes Antesignani, & eorum exemplo, ac doctrina communiter deinde Theologi Regulares benignas hac in re sententias, quæ tunc vigebant, acri calamo confixerunt. Guilielmus enim Episcopus Parisiensis cap. ult. de Sacramento Ordinis fusissime docuerat, validam esse relaxationem pœnarum ab Episcopo factam, si earum loco aliqua pecunia a pœnitentibus in ædificium Ecclesiarum, vel in alia publicæ utilitatis opera impenderetur. Docuerat etiam, pœnas in Sacramento Pœnitentiæ ad merum arbitrium Confessariorum esse imponendas, idque ab omnibus pro certo haberi. Albertus tamen in 4. dist. 10. art. 11. de valore relaxationum ostendit, pœnas non debere in Sacramento injungi tantum in satisfactionem, sed in medicinam, atque adeo pœnas medicinales non posse pecunia ulla, aut Indulgentiis redimi. Quod etiam docuit Alexander Alensis memb. 6. q. 23. Et uterque etiam propugnavit, non ad merum arbitrium Confessarii pœnitentiam esse injungendam, sed spectata peccati qualitate, contritionis quantitate, & Pœnitentis statu. Hæc est itaque doctrina, hæc secundum se praxis Mendicantium, benignitati quidem consona, sed laxitati adversa.

VIII. Circa tertium, quod scilicet Regulares magis idonei sint ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum, & minime omnium suspecti, ne aliorum culpis conniveant ob spem lucri, constare videtur; Primo, quia Regulares præ cæteris sedulam operam studiis navant, ac doctrina pollent ad id muneris pernecessaria; Tum etiam quia ex proprii status professione ad perfectionem tendunt, ut proinde speciali modo ad præcavendas proprias, & proximi culpas incumbant. Præterea Regulares, sive reditibus communibus, sive eleemosynis vivant, Superiore, & Procuratore dempto, de bonis temporalibus non sunt solliciti, cum singuli suo muneri vacantes certam exspectent a Divina largitate annonam, & voto paupertatis inhibeantur divitiis inhiare; quæ omnia in reliquis non militant. Verum quidem est quod de nonnullis Regularibus non laxitates modo, sed etiam scandala audiantur; & verissimum pariter est, quod de Regularibus multi falsi spargantur rumores: & sæpe quod leve omnino est, tamquam atrox facinus pervulgetur tum ab invidis, tum ab iis, qui ad sui excusationem cupiunt habere Regulares socios delictorum: Et sicuti de Sole dicitur, quod spectatores non habeat, nisi cum deficit, & Eclipsim patitur: ita Religiosorum defectus plurimos habent spectatores, & præcones. Præterquamquod hoc ipsum, quod atrox aliquod scelus ab iis aliquando patratum non sine horrore audiatur, indicat purissimam esse in communitate Regularium vitam, adeo ut dedeceat aliquem illorum exorbitantem videri. Quod ex eo fit perspicuum, quia consimile scelus, si ab aliis patratum audiatur, non consimili cum horrore auditur; propterea non possunt Regulares secundum se minus idonei censeri præ aliis ad administrandum Pœnitentiæ Sacramentum, si doctrina, & morum probitate cæteris debent præfulgere.

IX. Deinde Regulares cum in audiendis Confessionibus sint magis assidui, experientia speciali maxime adjuvantur ad rite obeundum hoc munus, ad detegendas dæmonis technas, ad pœnitentes adjuvandos; & cum sæpe in Communitatibus Religiosorum agatur de profectu in via spirituali, & de mediis ad profi-

proficiendum, præ manibus habent, quæ pœnitentibus suggerere possint ad viam salutis illis ostendendam; Et si quando dubitent, an in scopulum aliquem impingant, obvios habent aut Auctores, aut peritos, quos consulant. His de causis videmus fere semper Monarchas, & Pontifices ipsos nonnisi Regulares voluisse sibi a Confessionibus; Quinimo Pontifices passim innumera Regularibus Confessariis privilegia concesserunt, etiam relate ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, ut sic homines allicerentur ad absolutionem Sacramentalem ab iis potius, quam ab aliis exposcendam.

X. Ad id, quod objicitur de cupiditate Mendicantium, qui communibus eleemosynis vivunt, quæ dat ansam suspicandi, quod leves pœnitentias imponant ob spem lucri; præter hactenus dicta, addi potest, plurimos Parochos angustiis rei familiaris premi, & non paucos esse cupidos ditescendi; unde longe major suspicio de iis deberet esse, ne pœnitentium culpis conniveant, ut eorum gratiam ineant, vel eorum largitionibus, aut commendatione apud Principes juventur: Quod si hæc de Parochis suspicari culpa non vacat, a fortiori non liceat suspicari de Mendicantibus, qui ex proprio instituto perfectioni sedulam navant operam, & Christi vestigia sequuntur, qui *cum dives esset, pauper pro nobis factus est, ut illius inopia nos divites essemus*, ut habet Apostolus 2. ad Cor. 8. Hinc nusquam legimus Concilia redarguisse, aut coercuisse Regularium cupiditatem, prout coercuerunt aliorum Sacerdotum. Etenim in Concilio Londin. ann. 1220. habetur: *Adjicimus ad Sacerdotum cupiditatem resecandam, ut Missæ non injungantur in pœnitentiam iis, qui non fuerint Sacerdotes*; & Concilium Anglicanum ann. 1283. mandat, ut Sacerdotes pecuniam in Confessionibus extorquentes a tali munere submoveantur. Quinimo Simonia, quæ cupiditatis est proles, & quæ circa decimum sæculum non paucos Ecclesiæ Ministros verterat in sacrilegos Nundinatores, non solum non fuit labes Regularium, sed etiam Regulares habuit hostes præcipuos, qui cum Norberto, Jo. Gualberto, Petro Ignes, Petro Damiano, aliisque Cœnobitis toto impetu illam insecuti fuerunt, quousque suus nitor Sacerdotio redderetur, & repurgaretur Sanctuarium.

XI. Illud hic inquiri potest: Num præstet benignum se pœnitentibus præbere tum in delectu opinionum solide probabilium, tum in pœnis imponendis, an vero severum? Certum quidem est ex Tridentino sess. 14. cap. 8. debere *Sacerdotes Domini, quantum spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate convenientes satisfactiones injungere; ne si forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, levissima quidem opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur*. Constat etiam ex Concilio Lateran. c. 6. *Per indiscretas, & superfluas indulgentias claves Ecclesiæ contemni, & pœnitentialem satisfactionem enervari*. Certum pariter est, quod Confessarius teneatur in iis, quæ ad Pœnitentem spectant, ejus opinionem sequi, dummodo ea sufficienti, ac solida probabilitate non careat, etiamsi ipse oppositam sententiam putet probabiliorem. Et ratio est, quia pœnitens tunc est dispositus sufficienter, unde nequit illi absolutio denegari; propterea non potest ad restitutionem obligari pœnitens, qui probabiliter putat ad illam non teneri. Solum dubium est, An in iis, quæ spectant ad Confessarium, v. gr. ad absolvendum cum hac, vel illa Jurisdictione, consultum sit benignam potius, an rigidam sequi sententiam, esto possit ille utramque ad libitum sequi? (ut docent communiter apud Tamb. lib. 3. de Confess. c. 9.) Sicut etiam, Utrum in pœnitentia injungenda culpis, contritioni, & dispositioni pœnitentis consona, rigorem potius induere debeat, an benignitatem? Qua in re communissime docent contra Rigidioristas, Confessarium induere debere Christi principaliter absolventis, & Ecclesiæ Parentis pientissimæ lenitatem, quantum prudentia suggesserit expedire. Nazianzenus Or. 26. hæc habet: *Hanc rationem tene, ut partim eum corrigas, idque leniter, & humane, non ut hostis, neque ut durus, & rigidus Medicus: Habes medicinæ regulam, Christi discipulus es mitis, & benigni, qui nostras infirmitates portavit*. Idem docuere Illustrissimorum Ordinum Mendicantium Institutores Div. Dominicus, & Div. Franciscus. In Glossa enim explicante Prologum Constitutionum Ordinis Prædicatorum dicitur impedire salutem animarum nimia austeritas in consiliis, & opinionibus. Et in Regula Ordinis Seraphici c. 7. præcipitur, ut cum misericordia pœnitentiæ imponantur. Hic fuit etiam usus primitivæ Ecclesiæ, teste Morino c. 9. l. 4.; ubi habet: *Pœnas sceleribus impositas a nascente Ecclesia usque ad hæresim Montani breves admodum fuisse*; Hoc etiam postulat Dei pronitas ad ignoscendum potius, quam ad irascendum: dicitur enim Isaiæ 55. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, quoniam multus est ad ignoscendum*. Et quamvis Deus sæpe in Scripturis justus simul, & misericors appelletur, nusquam tamen dicitur esse multum justus, sicut dicitur esse multum misericors, ut habetur Psalm. 102. *Misericors, & miserator Dominus, longanimis, & multum misericors*. Sic in textu Isaiæ laudato dicitur esse *multus ad ignoscendum*, nunquam tamen, quod sit multus ad irascendum. Dicitur etiam Deus 2. Corinth. 1. *Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis*; nusquam vero dicitur esse Pater justitiarum, & Deus totius afflictionis. Non est itaque, cur de Mendicantium cupiditate perverse judicetur, si in Sacramenti Pœnitentiæ administratione benignitatem potius induant, quam severitatem, dummodo culpis non conniveant, nec levissimas pœnitentias pro gravissimis culpis imponant, aut solum Plenariæ Indulgentiæ lucrationem; quæ quamvis satisfactioni debitæ sit satis, non est tamen satis medicinæ, quam Confessarius tamquam Medicus injungere debet pœnitenti.

XII. Quod attinet ad benignas opiniones sequendas, dummodo sint solidæ, & non tenuiter tantum probabiles, iisdem rationibus evincitur, Confessariis communius id esse consulendum; ut proinde Mendicantes redargui non possit, quod in spem lucri communem hunc ductum sequatur. Doctor Angelicus, qui non in Scholastica duntaxat, sed in Morali etiam Theologia facem omnibus præfert lucidissimam, & a cupiditatis labe omnino erat immunis, eam in opinando induit benignitatem, ut nihil magis. Matthæus Moya tr. 1. qu. 5. §. 3. ad viginti opiniones recenset, in quibus D. Thom. sequitur partem faventem libertati, omissa tutiore favente legi: Cardenas 3. p. Crisis disp. 76. c. 8. & 9. recenset novem & viginti, ac innumeras alias omittit, ne fastidium legentibus creet. Quare commen-

dandi potius, quam damnandi Mendicantes, si Angelici Præceptoris vestigia in Sacramentorum administratione sectantes, viscera benigni Judicis, ac Medici induunt, dummodo ab opinionum laxitate longe absint. Quamvis autem a quolibet Confessario uterque hic scopulus declinandus sit, Laxitatis, & Rigoris, facilius tamen uterque a Mendicantibus declinatur, ut ostendimus, præsertim ob diuturnum eorum studium, ob longam experientiam, ob continuam inter doctos his de rebus agentes consuetudinem, & ob specialem vitæ immaculatæ professionem, ut idcirco innumeris privilegiis ad rite hoc munus obeundum a Summis Pontificibus, ut diximus, sint locupletati; a quibus recensendis, ne longum faciam, supersedeo.

PROPOSITIO XXII.

Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.

SYNOPSIS.

I. Nusquam reperitur hoc præceptum abstinendi a Communione ante pœnitentiam expletam. II. Videtur tamen hæc obligatio oriri ex reverentia tanto Sacramento debita. III. Hinc qui recordatur mortalis in confessione obliti, debet ad Confessarium redire ante Communionem. IV. Perseverat aliquatenus peccatum habituale in reatu pœnæ. V. Potest aliquis indecenter ad Eucharistiam accedere, etiamsi nullus præsupponatur reatus culpæ. VI. Quod ostenditur in multis casibus. VII. At nequit dici sacrilegus, qui ante pœnitentiam expletam vult communicare, per hoc, quod non condigne pro culpa hactenus satisfecerit.

VIII. Neque per hoc, quod nondum posuerit partem integralem Sacramenti Pœnitentiæ. IX. Neque ob ullam indecentiam graviter culpabilem. X. Non est indecentia, quod Reus alicujus pœnæ ad fontem Misericordiæ accedat. XI. Præcipitur quidem, quod ante communionem præmittatur confessio ab eo, qui conscientiam habet mortalis; at non quod præmittatur satisfactio Sacramentalis. XII. Assignatur congrua ratio, cur debeat ad Confessarium redire ante Communionem, qui recordatur mortalis in prima confessione obliti. XIII. Reatus pœnæ temporalis relictus a mortali remisso nequit dici peccatum habituale.

XIV. Cum non sit mortalis indecentia ad Eucharistiam accedere cum aliquo veniali, a fortiori cum solo reatu penæ temporalis. XV. Dicendusne indigne accedere ad Eucharistiam indignitate levi, qui ad illam accedit cum veniali?

I. Exponitur. Hæc thesis vel nititur in eo errore, quod scilicet rite dispositus ad Sacramentum Pœnitentiæ suscipiendum nunquam possit absolvi, & consequenter non habeat jus ad Communionem, antequam debitam pœnitentiam expleverit; Vel in eo, quod peccatum non remittatur per absolutionem Sacramentalem, nisi antecedenter sit peracta pœnitentia Sacramentalis; Unde fieret, neminem posse citra sacrilegium aut ad Sacram Synaxim accedere, aut jus ad illam percipiendam prætendere, pœnitentia condigna nondum peracta. De utroque hoc errore fuse diximus in expositione propositionum 16., 17., & 18., ubi ostendimus, quod licet sæpe debeat absolutio differri, & sæpe pœnitenti imponi, ut etiam post absolutionem abstineat per aliquod tempus a Sacra Mensa ob reverentiam tanto Sacramento debitam, falsum tamen sit dari præceptum universale obligans omnes ad non communicandum, nondum peracta pœnitentia condigna. Ex Apostolo enim solum requiritur, quod peccator *probet seipsum*, (vid. per confessionem Sacramentalem, ut explicat Trid. sess. 13. cap. 7.) *& sic de pane illo edat*, atque adeo secundum se jus habet ad Communionem post Sacramentum Pœnitentiæ susceptum, antequam pœnitentiam expleverit.

II. Sunt tamen nonnullæ rationes, quæ possent in speciem hanc proscriptam thesim suadere. Primo, quia reverentia Eucharistiæ Sacramento debita postulat, ut conscius mortalis non solum conteratur, sed etiam Sacramentum Pœnitentiæ Communioni præmittat; Satisfactio autem est pars Sacramenti Pœnitentiæ, licet non essentialis, sed integralis: ergo Satisfactionem etiam præmittere debet; adeo ut sicut sacrilege accederet ad Eucharistiam, qui conscius mortalis citra physicam, aut moralem impotentiam omitteret Confessionem, ita qui satisfactionem omitteret.

III. Secundo, quia qui post præmissam confessionem recordatur alicujus mortalis obliti, quamvis præmiserit contritionem, & Sacramentum Pœnitentiæ, adhuc debet iterum ad Confessarium redire; ut docent communiter contra nonnullos, juxta fusius hac de re dicta in expositione propositionis 11. Alexan. VII.: nec alia videtur posse congrua hujus obligationis ratio afferri, nisi quia quamvis peccatum illud oblitum fuerit indirecte in prima Confessione absolutum, debet tamen directe absolvi, ut congrua pœnitentia imponatur, & executioni mandetur ante susceptionem Eucharistiæ; ergo sacrilege ad Eucharistiam accedit, qui nondum condignam de peccatis pœnitentiam peregit. Quod confirmatur auctoritate Cypriani l. 3. epist. 14. ubi explicans, quid sit Eucharistiam indigne sumere, ait, *idest nondum pœnitentia acta, nondum facta exomologesi*, quod etiam dicit c. 15., & 16. lib. de lapsis.

IV. Tertio, quia peccatum habituale consistit in peccato actuali præterito, & in reatu odii Divini, & vindictæ, adeo ut in utroque hoc reatu moraliter perseveret juxta sententiam communiorem; atqui si nondum sit præstita condigna satisfactio pro peccatis, adhuc perseverat aliquis reatus vindictæ, quamvis post absolutionem non remaneat amplius reatus odii, & pœnæ æternæ: ergo adhuc perseverat aliqualiter peccatum habituale: accedere autem ad Eucharistiam cum peccato habituali est Sacrilegium: ergo etiam accedere nondum præstita condigna satisfactione.

V. Quarto demum, quia peccat mortaliter contra reverentiam huic Sacramento debitam; atque adeo sacrilege ad illud accedit, qui cum sordibus physicis accedere præsumit: ergo a fortiori qui accedit cum reatu pœnæ ex culpa relicto. Antecedens constat in eo, qui adeo sordidus vellet Ecclesiam ingredi, ut ab omnibus sperneretur, si ita in aliorum conspectum se daret, & deinde vellet etiam coopertus capite, confabulans, ac distractus communicare. Similiter contra reverentiam Sacramento debitam peccaret, qui post pollutionem mortalem, aut post fornicationem vellet statim, præmissa Confessione,

ne, communicare, ut docent nonnulli apud Lugo disp. 15. sect. 1. Sicuti etiam cum magna indecentia, & scandalo quis post patratum publice homicidium statim eodem die post Confessionem ad Eucharistiam accederet.

VI. Ratio a priori est; quia indecentia haberi potest etiam præcisa culpa; non secus ac irregularitas ex defectu, quæ citra quamcumque culpam reddit hominem indignum Ordinibus Sacris, aut eorum administratione. Propterea communiter apud Sanc. l. 9. d. 13. docent, indecenter ad Eucharistiam accedere, qui conspurcationem involuntariam in somnis habuit, aut actum habuit conjugalem, etiamsi licitum, nisi justa aliqua causa indecentiam resarciat: (qualis esset magna festivitas, magna devotio, nota aliqua, si Communio omittatur, & similes). Hieron. relatus in cap. *Sciat*, quæst. 4. hæc habet: *Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec de carnibus Agni comedere debet; Si panes propositionis ab iis, qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant, quanto magis panis, qui de cælo descendit?* Hebræi apud eumdem Sanch. eam dant rationem, cur Oza 2. Reg. 6. percussus sit, quod Arcam tetigerit; quia scil. nocte illa ad uxorem accesserat: ergo a fortiori abstinendum ab Eucharistia post actum conjugalem, qui mentem hebetat ad spiritualia, quocumque fine exerceatur. Quamvis autem multi cum Sanch. doceant, solum esse consilium, non præceptum a Communione abstinere, quando non voluptatis causa, sed ad satisfaciendum obligationi ex justitia, vel ad vitandam incontinentiam, aut causa prolis actus conjugalis præcessit; communiter tamen docent esse saltem venialem culpam sine justa causa ad Eucharistiam accedere, quando voluptatis causa exercetur; & multo magis si quis vellet post copulam illicitam eodem die post confessionem communicare; adeo ut Lugo l. c. dicat opinionem oppositam Jo. Sancii in selectis qq. disp. 23. n. 30. esse singularem. Quinimo etiam cum indecentia censetur accedere ad Eucharistiam Judex, si eodem die homicidam suspenderit, quamvis actum justitiæ debitum, ac meritorium exercuerit; ut notat idem Thomas Sanch. n. 2. Ex quibus omnibus infertur, posse propter indecentiam sacrilege peccare, qui post absolutionem, ac peccatorum remissionem, nondum peracta condigna pœnitentia, accedit ad Eucharistiam: non secus ac sacrilege accederet, qui cum excommunicatione minore vellet communicare.

VII. Ostenditur falsitas. Qui jus ad Communionem percipiendam prætendit nondum pœnitentia peracta, Primo, non potest dici sacrilegus per hoc, quod cum sit rite dispositus per contritionem ad absolutionem Sacramentalem obtinendam, illam prætendat, ut ea præmissa possit communicare, ac cibo Eucharistico nutriri, & confortari: Nam, ut diximus in expositione propositionis 16., quamvis possit aliquando Confessarius differre absolutionem pœnitenti, ut ejus constantiam experiatur, & aliquando etiam imponere dilationem susceptionis Eucharistiæ; falsum tamen est, quod aut teneatur, aut possit semper absolutionem differre, & abstinentiam a cibo Eucharistico indicere, donec pœnitentia peragatur; idque tamquam error refertur a Sixto IV. in Bulla contra Petrum de Osma apud Lugo disp. 11. de Pœn. n. 42.

VIII. Neque secundo potest dici Sacrilegus, aut ad mentem eorum, qui volunt satisfactionem esse partem essentialem Sacramenti Pœnitentiæ, prout docuit Paludanus dist. 16. apud Suar. disp. 38. sect. 1., aut ad mentem eorum, qui volunt esse necessariam, ut culpa tollatur; (quod tamen nemo Theologorum docuit) ut proinde sicut est sacrilegus, qui vellet communicare ante susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, quo peccatum remittatur; ita etiam qui vellet communicare ante peractam pœnitentiam Sacramentalem, si non posset remissio peccati obtineri, antequam pœnitentia peragatur. Ratio est, quia antecedenter ad satisfactionem culpa remittitur per absolutionem Sacramentalem; Docet quippe Tridentinum sess. 14. can. 12., non semper culpam simul cum omni pœna remitti, atque adeo satisfactiones pœnitentium deservire ad delendum reatum pœnæ post jam remissum reatum culpæ per absolutionem; Unde sequitur, peccatorum remissionem, atque adeo Sacramentum Pœnitentiæ essentialiter constitutum haberi posse absque ulla satisfactione: quod accidit, vel si Pœnitens statim post absolutionem amittat usum rationis, ut dicitur in cap. *Ab infirmis* 27. qu. 6.; vel si Confessarius obliviscatur illam imponere; Ac propterea qui nondum peracta pœnitentia ad Eucharistiam accedit, non potest dici Sacrilegus ex hoc capite, quod nondum obtinuerit remissionem culparum, unde ad illam accedat cum mortali.

IX. Denique neque potest dici Sacrilegus ob ullam indecentiam graviter culpabilem: quod est pariter sensus omnium Theologorum, & constat ex Trid. sess. 13. c. 7. ubi dicitur, *Ex Ecclesiastica consuetudine declarari, illam tantum probationem esse necessariam, ut nullus sibi conscius peccati mortalis, quamvis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali Confessione ad Sacram Eucharistiam accedere debeat.* Quare ille tantum dicendus est Sacrilegus, qui cum mortali accedit; & consequenter qui propositum habet non adimplendi pœnitentiam gravem sibi a Confessario impositam, non vero qui nondum illam implevit: Præsertim quia sæpe non potest illa statim impleri, & necessitas Communionis urget. Hinc in cap. *Si non*, de consecr. dicitur: *Si non sunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non se debet a medicina Corporis, & Sanguinis Christi separare.*

X. Ratio a priori est, quia nulla apparet in hoc indecentia, quod ad fontem misericordiæ accedat Reus alicujus pœnæ: aliter fere nunquam possemus ad Eucharistiam accedere, cum fere nunquam possit nobis innotescere, quod condignam de peccatis pœnitentiam egerimus, quamvis pœnitentiam Sacramentalem executi simus. Potest quidem aliquis aliquando sacrilege ad Eucharistiam accedere, etiamsi nullius culpæ mortalis antecedenter sibi sit conscius; ut si irreverenter accedat, aut non jejunus, aut cum excommunicatione minore, aut cum sola contritione, non præmissa etiam Confessione mortalis commissi: Et ratio est, quia ex lege naturali, aut positiva graviter prohibetur hujusmodi accessus: nulla autem lex universim obligat, ne quis ad Eucharistiam accedat non peracta pœnitentia condigna; immo sæpe obligatur homo vel ad Communionem Paschalem, vel ad Sacrum Viaticum, etiamsi non integre satisfecerit: ergo nullum Sacrilegium in eo, qui nondum peracta pœnitentia condigna communicat: Quamvis possit aliquando etiam graviter peccare, qui pœnitentiam a Confessario impositam diu differt ex oscitantia, puta per annum, quousque

Fer-

Fernandez apud Dian. p. 5. tr. 5. ref. 15. aut si nolit illam sine causa acceptare, ut communissime docent post Trid. Siquidem declaratur sess. 14. c. 8. *Claves Sacerdotum non solum ad solvendum, sed etiam ad ligandum esse concessas*; Unde corruit doctrina Navarri in Manuali cap. 26. num. 20. quod possit Pęnitens licite, omissa pęnitentia sibi imposita, velle pęnam omnem sibi debitam luere in Purgatorio: quicquid sit, an possit per Indulgentiam Plenariam ab onere pęnitentiæ mere satisfactoriæ, non medicinalis liberari?

XI. Ad primam rationem in contrarium: Peccat graviter, qui conscius mortalis cum sola contritione, non suscepto prius Pęnitentiæ Sacramento, communicat; cum ad id ex Trid. l. c. detur obligatio ex Ecclesiæ consuetudine orta ex præcepto non Ecclesiastico, sed ipsius Christi D., ut docent communiter contra Med., & Nav. apud Lugo d. 13. sect. 4.: Quamvis autem Satisfactio sit pars Sacramenti Pęnitentiæ ad Communionem prævii; est tamen solum pars integralis; ita ut ante illam habeatur præcipuus Sacramenti Pęnitentiæ fructus, nempe culpæ remissio; & ideo non datur gravis obligatio præmittendi illam Communioni; immo sæpe ne levis quidem, ob rationes adductas.

XII. Ad secundam; Ratio cur peccatum in Confessione oblitum, si memoriæ occurrat ante susceptionem Eucharistiæ, debeat prius subjici clavibus ad obtinendam de illo directam absolutionem, non est, quia debet Communioni præmitti pęnitentia pro illo imponenda; sed quia præceptum de suscipiendo Sacramento Pęnitentiæ ante Communionem est juxta naturam talis Sacramenti, atque adeo obligat ad Confessionem materialiter integram, ut diximus in expositione propositionis 11. Alex. VII. Potest etiam alia dari congrua ratio, quia scilicet potest aliquando peccatum illud esse ejus rationis, ut inducat Confessarium ad injungendam pęnitenti dilationem Communionis, præsertim si oblivio peccatorum fuerit culpabilis. D. Cyprianus intelligendus est de pęnitentia publica, quæ imponebatur peragenda ante sumptionem Eucharistiæ.

XIII. Ad tertiam: Quamvis reatus pęnæ temporalis, qui post absolutionem Sacramentalem remanere potest, sit effectus peccati præteriti; falsum tamen est, quod ille dici possit peccatum habituale; hoc enim essentialiter involvit reatum odii Divini, ac pęnæ æternæ: ergo non est, cur a susceptione Eucharistiæ hujusmodi reatus impediat.

XIV. Ad ultimam: Verum est in iis casibus adductis indecentiam contineri, adeo ut reverentia tanto Sacramento debita exigat, susceptionem Eucharistiæ differri, ut recta ratio, & communis DD. sensus docet; at nec recta ratio, nec sensus DD. docet indecenter ad Sacram Mensam accedere, qui nondum pœnitentiam Sacramentalem implevit. Quinimo cum communis sententia apud Lugo disp. 14. n. 33. ferat, non esse mortale accedere cum venialibus, etiam actualibus, ad Eucharistiam, a fortiori non erit gravis indecentia accedere ad illam cum solo reatu pœnæ ex culpis dimissis.

XV. Dubitatur, An saltem sit indecentia venialis cum aliquo veniali communicare? Vasq. d. 207. c. 26. apud Lugo l. c. negat committi novum veniale ab eo, qui cum aliquo veniali, aut cum multitudine venialium habitualium communicat, quia in neutro casu impeditur præcipuus effectus Eucharistiæ, nempe augmentum gratiæ; nec tenetur homo ad procurandum omnem effectum, qui possit ab Eucharistia provenire. Suar. tamen disp. 66. sect. 1. cum aliis verius docet oppositum; cum non possit excusari ab irreverentia, qui v. g. ad Eucharistiam accedit cogitans de leviter mentiendo; sicut non excusatur, quia a ludo surgit immediate, ut Eucharistiam suscipiat, & statim ad ludum redeat. Neque dicas; quod in his casibus, si Eucharistia sumeretur indigne, committeretur mortale; si vero non sumitur indigne, ne veniale quidem committitur. Nam dicendum cum Lugo disp. 15. n. 5. Eucharistiam in his casibus sumi indigne indignitate levi, quæ non pertingit ad mortale: reverentia quippe debita exigit, ut per Contritionem, vel Confessionem etiam munditiem a culpis venialibus habitualibus procuremus; ad quod significandum Christus D. antequam porrigeret Apostolis Eucharistiam, voluit eorum pedes lavare; & Trid. iis gravibus verbis hoc indicat sess. 13. c. 7. *Si non decet ad Sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis Sanctitas, & Divinitas Cœlestis hujus Sacramenti Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne sine magna reverentia, & Sanctitate ad id percipiendum accedat.* Hinc D. Romualdus apud Lugo disp. 14. n. 32. Monachos, quos inter orandum dormientes reperiebat, eo die tanquam indignos Communione privabat. Hæc tamen mundities, reverentia, ac dispositio aliter ab aliis procuranda est, major enim debet esse in iis, qui vitam spiritualem profitentur, quam in Sæcularibus, qui innumeris curis distinentur; Sicut in humano convivio major mundities, & nitor in vestibus requiritur ab homine nobili, & ingenuo, quam ab Agricola, & rustico: quo collineant verba illa Apoc. 22. *Qui justus est, justificetur adhuc, & Sanctus sanctificetur adhuc.*

PROPOSITIO XXIII.

Similiter arcendi sunt a Sacra Communione, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis expers.

S Y N O P S I S.

I. Ad Eucharistiam sumendam non sufficit contritio prævia in eo, qui habet conscientiam mortalis, ut in aliis Sacramentis, sed requiritur etiam Confessio. II. Venialia non impediunt augmentum gratiæ, sed solum dulcedinem spiritualem. III. Novatores prærequirunt amorem Dei purissimum omnis mixtionis expertem, eo quod putent omnem deliberatam actionem, quæ non sit Charitas Patris, esse peccaminosam.

IV. Ex eo etiam videtur hic amor prærequiri, quia Eucharistia est Sacramentum dilectionis. V. Exigitque ex Tridentino reverentiam, ac Sanctitatem specialem. VI. Institutum est per modum cibi, qui calorem exigit, ut concoquatur. VII. Nisi hujusmodi amor prærequireretur, Sacerdotes quotidie communicantes præstare deberent aliis viris Sanctitate conspicuis. VIII. Et Communio quotidiana esset consulenda.

IX. Sed Tridentinum loquens de dispositione ad hoc Sacramentum requisita mentionem non facit hujus amoris purissimi. X. Olim dabatur Eucharistia parvulis carentibus hoc amore; & in quibusdam casibus danda est in articulo mortis amentibus. XI. Necnon Indis illis adeo hebetibus, ut nesciant inter panem, & Eucharistiam rite discernere: atque etiam pueris post u-

post usum rationis. *XII. Sicut Eucharistia in ratione Sacrificii non requirit amorem purissimum in eo, pro quo offertur, ita neque in ratione Sacramenti in eo, a quo suscipitur. XIII. Omnia Sacramenta, atque adeo etiam Eucharistia, gratiam causant non ponentibus obicem; nec est obex gratiæ, nisi mortale, non vero carentia amoris. XIV. Hinc non cadit sub præceptum actualis devotio. XV. Congruum est, ut nemo ad Sacramentum dilectionis sine dilectione accedat; qui tamen ea caret, non est arcendus.*

XVI. Tridentinum solum hortatur ad præparationem unicuique possibilem. XVII. Cibus Eucharisticus non debet transmutari, sed potius transmutare in se comedentem; & ideo non est necessarius calor charitatis. XVIII. Multis de causis Sacerdotes quotidie communicantes non sunt ferventiores, quam alii.

XIX. Sicut ob reverentiam non permittitur, quod quilibet pluries quotidie communicet, ita non est omnibus permittenda Communio quotidiana. XX. Sed juxta Patris Spiritualis consilium. XXI. Esto illa Sacerdotibus indevotis permitti possit.

I. EXponitur. Hæretici apud Suar. disp. 73. sess. 2., & Bellar. lib. 4. c. 17. nullam aliam requirebant dispositionem in accedente ad Sacram Synaxim præter fidem. Immo Lutherus non solum non requirebat carentiam mortalis, sed etiam contendebat neminem esse magis dispositum, quam qui cum pluribus peccatis ad illam accederet, dummodo per actum fidei crederet, ea peccata sibi non imputari per Christum: quandoquidem pluribus innodatus culpis plus tribuit Divinæ Misericordiæ remittendum. Catholici tamen omnes non solum requirunt carentiam mortalis, sed etiam quod conscius mortalis ad Sacramentum Pœnitentiæ prius accedat; adeo ut, ubi ad reliqua Sacramenta vivorum sufficit, quod habens conscientiam mortalis conteratur, ut illa digne suscipiat; in hoc tamen Sacramento hoc non sufficiat, sed debeat ex præcepto, ut communius docent, Divino, præmitti Confessio.

II. Difficultas est inter Catholicos, An pariter requiratur non solum carentia peccati venialis, sed etiam actualis devotio, ut possit fructus ab hoc Sacramento obtineri? Cajet., Bonav., Alensis, Durand., Palud., Sylv. apud Gonet. d. 8. art. 3. illam requirunt; Communissime tamen cum Angelico art. 8. docent, venialia, & defectum devotionis impedire quidem actualem illam refectionem, quæ consistit in spirituali dulcedine, non tamen augmentum habitualis gratiæ, & charitatis: At nemo unus ex Catholicis damnat peccati mortalis illum, qui cum aliquo veniali, aut cum carentia devotionis actualis ad hoc Sacramentum accedit; nisi forte, ut advertit Nuno, accederet ex formali intentione, cum tepore, ac distractione involvente contemptum tanti Sacramenti.

III. Novatores nunc Bajanis erroribus adhærentes non solum docent esse sacrilegos, qui ad Sacram Synaxim accedunt, nondum peracta condigna de peccatis patratis pœnitentia, ut diximus in thesi antecedenti, sed etiam arcendos esse similiter ut sacrilegos eos, quibus nondum inest amor Dei purissimus, & omnis mixtionis amoris creaturarum expers. Cum enim putent omnem amorem, qui non sit Dei propter se, & supernaturalis, esse vitiosam cupiditatem, & peccatum, ut habetur in propositione 38. Baji; & omnem humanam actionem deliberatam, quæ non est Dei dilectio, & Charitas Patris, esse dilectionem mundi, & carnis concupiscentiam; atque adeo malam, ut habetur in propositione 7. Alex. VIII. supra exposita, docent consequenter amorem Dei non purissimum, & mixtionis non expertem involvere culpam, quæ reddat sacrilegam manducationem Cibi Eucharistici. Quia tamen hujusmodi fundamentum Pontificio ariete pluries est eversum, ut diximus non semel in superioribus propositionibus, idcirco examinandum, an aliunde possit isthæc dispositio ad hoc Sacramentum exigi.

IV. Et primo quidem videtur amor Dei purissimus prærequiri, quia Sacramentum hoc est directionis, & unionis inter Christum, & animam: Dilectionis quidem ob maximam Christi dilectionem erga homines in ejus institutione; dicitur enim Jo. 13. *Cum dilexisset suos, in finem dilexit eos*: & Trid. sess. 13. c. 2. *Salvator noster discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias Divini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum*: Est etiam Sacramentum Conjunctionis, ac Unionis, ut constat ex verbis Christi Dom. *Qui manducat meam carnem, in me manet, & ego in eo*: ergo videtur ex parte etiam nostra dilectio, ac unio affectiva requiri purissima, & omnium maxima. Propterea dicitur Cant. 5. *Comedite amici, & bibite, & inebriamini charissimi*; & juxta aliam versionem *inebriamini amoribus*; ut denotetur non sufficere amicitiam, & gratiam, sed requiri etiam amorem ardentissimum, ac purissimum, non secus ac præter gratiam habitualem acquisitam a peccatore vi contritionis, ex præcepto Divino requiritur etiam Confessio, ut cum majori puritate illud sumamus.

V. Secundo, quia Christus Dom., ut puritatem, & munditiem in hoc Sacramento requisitam ostenderet, voluit, ut notat Angelicus 3. p. q. 83. a. 5. pedes discipulorum ante sumptionem lavare, dicens, Jo. 13. *Qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus*: & quia Petrus renuebat, dixit illi, *Si non lavero te, non habebis partem mecum*; quasi diceret, reum culpæ mortalis esse, qui munditiem e quocumque terreno affectu, ac amorem Dei purissimum negligit, antequam ad hoc Sacramentum accedat. Hinc Trid. sess. 13. cap. 7. dixit, cavendum esse, *Ne quis sine magna reverentia, ac sanctitate ad illud accedat*, eo quod magis Sanctitas, & Divinitas Cœlestis in eo reperiatur, quam in aliis Sacris Mysteriis; atque adeo si ad reliqua Sacramenta suscipienda requiritur gratia, ad hoc suscipiendum ea non sufficit, sed requiritur etiam reverentia magna, ac Sanctitas, seu amor purissimus.

VI. Tertio, quia Sacramentum hoc institutum est instar cibi; cum ergo cibus naturalis non nutriat, nisi calor viventis in illum agat, & concoquat; ita cibus Eucharisticus non nutrit, nisi charitatis supernaturalis calor in illum agat.

VII. Quarto, quia si fructus Sacramenti percipi posset ab iis, qui carent hoc amore purissimo, & devotione fervida, sequeretur, quod Sacerdotes quotidie sine continentia peccati mortalis communicantes, plus gratiæ sanctificantis, & Sacramentalis reciperent ex opere operato, quam alii Sanctissimi viri, qui quotidie exercitiis spiritualibus vacant: hoc autem videtur falsum, & contra experientiam, cum videamus illos non esse in operando ferventiores, nec in virtutibus magis præcellere, ut deberent: Charitas enim non est otiosa in eo, ubi est, juxta illud

August.

August. in Psal. 31. *Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem*. Et Gregor. Hom. 50. in Evang. *Nunquam est amor Dei otiosus: operatur enim magna, si est: si vero operare renuit, amor non est*; Et D. Th. opusc. 16. *Amor operatur magna, & reputat parva; operatur diu, & reputat breve*.

VIII. Quinto, quia, si sufficeret sola carentia culpæ mortalis ad suscipiendum fructum hujus Sacramenti, atque adeo ad non indigne illud suscipiendum, sequeretur, quod communio quotidiana esset consulenda omnibus, qui non habeant conscientiam mortalis; cum sanum consilium sit ejus fructu non privari: Sequela tamen est falsa; siquidem ex Decreto Inn. XI. edito 12. Feb. 1679. juxta præscriptum Confessarii poterit quilibet frequentius, vel frequenter, aut etiam quotidie communicare; & de Monialibus speciatim dicit Pontifex, quod si quæ puritate mentis eniteant, & fervore spiritus ita incaluerint, ut dignæ frequentiori, aut etiam quotidiana Sanctissimi Sacramenti perceptione videri possint, id illis a Superioribus permittatur: unde amor purissimus videtur ex mente Pontificis ad digne communicandum requiri. Similiter, nisi amor purissimus requireretur, non deberet pueris Communio denegari, cum non debeant privari ejus fructu: atqui juxta Ecclesiæ consuetudinem non conceditur pueris Communio, nisi quando aperte discernere possunt inter panem naturalem, & Eucharisticum, hoc est post aliquos annos ab usu rationis: ergo dicendum hujusmodi amorem purissimum requiri.

IX. Ostenditur tamen falsitas: Primo, quia Trid. sess. 13. c. 7. explicans illud Pauli 1. ad Cor. 11. *Probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat*, nullam aliam dispositionem exigit, quam quod probet se homo, ac inveniat peccati mortalis immunem; si illud repererit, doleat, non contritione duntaxat, sed etiam confessione Sacramentali; quæ doctrina esset certe manca, & mutila, si requireretur etiam amor purissimus, aut alia dispositio jure naturæ non requisita: atqui jure naturæ amor purissimus non exigitur sub gravi præcepto; ergo non sunt a Communione arcendi illi, quibus hujusmodi amor deest.

X. Secundo ex Conc. Tolet. 11. can. 11. apud Lugo disp. 13. sect. 2. constat, olim in Ecclesia moris fuisse dari Eucharistiam pueris, qui hujusmodi amoris purissimi non erant capaces; ergo non est necessarius neque ad valorem, neque ad fructum. Quamvis Dominicus Soto dist. 8. a. 3. dixerit fuisse introductam illam consuetudinem ex errore, quo olim putabatur Eucharistia parvulis esse necessaria; hoc tamen falsum esse ostendit Trid. apud eundem Lugo, dicens: *Ut enim Sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerint, ita certe eos nulla necessitate id fecisse, sine controversia credendum est*. Hinc fit, etiam perpetuo amentes, qui nullum amoris actum habere possunt, capaces esse hujus Sacramenti, ac posse ex illo augmentum gratiæ recipere, ut communiter docent Theologi cum Suar. Vasq. contra Cajet. Soto Palud. apud eundem Lugo: Sicut enim sunt capaces Sacramenti Baptismi, ita etiam Eucharistiæ, Confirmationis, & Ordinis, in quibus sufficit intentio interpretativa; Extremam unctionem non possunt recipere, quia nondum potuerunt peccata committere; ad quorum reliquias tollendas illud Sacramentum ordinatur; nec possunt suscipere Sacramentum Matrimonii, cum non possint contrahere destituti rationis usu. His adde, amentibus, qui habuerunt usum rationis, & voluntatem implendi præcepta, non solum posse, sed etiam debere Eucharistiam conferri in mortis articulo, si absit periculum irreverentiæ; cum inter præcepta Divina detur illud suscipiendi Sacrum Viaticum; & tamen carent tunc amore isto purissimo, qui a Novatoribus istis dicitur prærequisitus.

XI. Neque obstat, quod in India Occidentalia, Indis aliquarum regionum adeo hebeti ingenio præditis, ut nesciant inter panem, & Eucharistiam discernere, non solum in Paschate, sed etiam in articulo mortis Communio denegetur.

Nam, ut refert P. Acosta l. 6. c. 8. apud Lugo, Concilium Provinciale Limense Constit. 58. concessit quidem, quod Eucharistia iis differretur, quousque idonei ad illam suscipiendam reperirentur, (sicut in tota Ecclesia moris est pueris illam differri per tres, vel quatuor circiter annos post usum rationis) sed in articulo mortis, ut advertit Lugo, rudibus illis non debuit denegari, eo quod Divino præcepto ad Sacrum Viaticum obligentur: Ad eum modum quo pueri post usum rationis, quamvis nondum obligentur ad Communionem Paschalem præcepto Ecclesiastico, obligantur tamen præcepto Divino ad Sacrum Viaticum suscipiendum, ut communius docent cum Suar. contra Vasq. Pueris tamen ante rationis usum, sicut etiam perpetuo amentibus Sacrum Viaticum non est dandum juxta Ecclesiæ consuetudinem, ut habetur in Rubricis Ritualis Romani Pauli V. Quod nonnulli apud Lugo colligunt ex Conc. Carthagin. IV. c. 76. ubi præcipitur dari Sacrum Viaticum phreneticis, qui ante phrenesim illud petierunt; unde videtur colligi, quod iis, qui nunquam petierunt, non sit dandum.

XII. Confirmatur; quia Eucharistia in ratione Sacrificii non requirit nisi statum gratiæ, non vero amorem purissimum in eo, pro quo offertur, ut possit suum effectum causare; ergo pariter Eucharistia in ratione Sacramenti non requirit nisi statum gratiæ in eo, a quo sumitur. Neque dicas, in ratione Sacrificii offerri a Christo D. in quo nunquam deest amor purissimus, ac intensissimus, & ideo semper habere suum effectum. Nam etiam in ratione Sacramenti suam efficaciam habet a Christo Domino, qui per Sacramenta operatur, & applicat sua merita: Quinimmo, ut advertit Lugo, magis videtur in ratione Sacramenti pendere a solo Christo, quam in ratione Sacrificii; quia Sacrificium ita offertur a Christo, ut etiam a nobis vere, & proprie offeratur: At in ratione Sacramenti solus Christus significat per illud, & causat gratiam: ergo si ad effectum Sacrificii sufficit status gratiæ in eo, pro quo offertur, ut percipiat Sacrificii fructum, a fortiori in suscipiente Sacramentum sufficiet status gratiæ sine ullo amore actuali ad percipiendum fructum Sacramentalem.

XIII. Confirmatur etiam; quia ex Tridentino sess. 7. can. 6. Sacramenta novæ legis gratiam conferunt non ponentibus obicem; obex autem gratiæ non est nisi mortale, non vero carentia amoris actualis: ergo hic non est necessarius, ita ut sit sacrilegus, qui omiserit. Neque dicas, carentiam Amoris esse obicem negativum, (sicut est omissio Confessionis Sacramentalis, quando habetur contritio de peccato omisso) eo quod ex præcepto amor purissimus prærequiratur, non secus ac confessio Sacramentalis prævia. Nam hoc est arbitrarie dictum, & contra sensum fidelium; & si ita esset, sequeretur, quod a paucis

paucis omnino sumi posset hujusmodi panis, qui in Oratione Dominica Luc. 11. dicitur *Quotidianus*, & Matth. 6. dicitur *Supersubstantialis;* perpauci enim sunt perfecto Dei amore purgati, qui omni prorsus affectu careant vel leviter inordinato.

XIV. Ex quibus omnibus rejiciendam puto sententiam Cajet., & aliorum apud Gonet. l. c. requirentium actualem devotionem ad fructum ex Sacra mensa percipiendum. Quamvis enim mentis evagatio, & modica præparatio impediat dulcedinem spiritualem propriam hujus Sacramenti, juxta illud Cant. 2. *Sub umbra illius quem desideraveram, sedi; & fructus ejus dulcis gutturi meo*; non impedit tamen præcipuum fructum, nempe gratiæ augmentum, nisi indevotio sit formalis, & ex ejus intentione, adeo ut ferat tanti Sacramenti contemptum pertingentem ad mortale.

XV. Ad primam rationem in contrarium respondeo, iis auctoritatibus ostendi, convenientissimum esse, quod intensissimis actibus, præsertim Charitatis, animus ad tantum Hospitem præparetur: *Non enim homini præparatur habitatio, sed Deo*, ut dicitur 1. Paral. 19., non tamen arcendus a Communione, qui ad eum amoris gradum non pertingit, ut ostendimus.

XVI. Ad secundam: Christus Dom. non solum voluit ostendere munditiem requisitam ad Eucharistiam suscipiendam, lavando pedes Discipulorum, sed etiam exemplum præbere voluit humilitatis, cum dixerit: *Exemplum dedi vobis, ut, quemadmodum Ego feci vobis, ita & vos faciatis;* & ideo comminatus est Petro exhæredationem, si non obtemperaret. Tridentinum jure merito majorem reverentiam, ac sanctitatem requirit in susceptione hujus Sacramenti, quam aliorum. Et idcirco ex præcepto requiritur præter Contritionem de peccatis commissis Confessio Sacramentalis; ex consilio vero præparatio unicuique moraliter possibilis, spectata ratione proprii status, occupationum, ac donorum Dei; Si tamen nulla præmittatur præparatio, peccatur quidem contra legem naturalem Sancta Sancte tractandi, ut peccatum sit grave, si ex formali intentione id fiat involvente contemptum tanti Sacramenti, ut diximus ex Nuno; sit vero veniale, si id proveniat ex oscitantia: sed non peccatur per hoc, quod amor purissimus omnis mixtionis expers omittatur.

XVII. Ad tertiam: Cibus Eucharisticus non requirit actionem viventis, ut spiritualiter nutriat: quia non debet converti in sumentem, sed debet sumentem ad se convertere, juxta illud, quod Christus Dominus dixit Augustino: *Tu mutaberis in me, non ego in te:* propterea ipse debet agere in nos causando augmentum gratiæ, non vero nos in ipsum.

XVIII. Ad quartam. Qui frequenter sine amore actuali communicant, & sine devotione, quamvis augmentum gratiæ recipiant: sæpe tamen non apparent ferventiores; tum quia habitus infusi non mortificant passiones, nec tollunt difficultates ex habitibus vitiorum relictas, sicut habitus acquisiti; tum etiam quia habitus gratiæ, & Charitatis proxime operantur per auxilia actualia, quæ indevote communicantibus denegantur; & idcirco in exercitiis spiritualibus apparent tepidi, & languidi; & quia tepiditates, ac defectus auxiliorum negative disponunt ad gravem lapsum, juxta illud Apoc. 3. *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo*, idcirco oscitantia in hac re est graviter periculosa, disponens ad culpas graves, ac sæpe advocat ad se Divinam maledictionem; de hoc enim opere Domini apte intelligi potest, quod dicitur Jer. 38. *Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.* Adde, quod in iis, qui diu absque mortali perseverant, non exiguus sit hic ipse frequentis Communionis, licet non fervidissimæ, fructus ut fatetur Bernar. serm. in Cęna Dom. de Bapt. & Sacram. Altaris dicens: *Si quis vestrum non tam sæpe, nec tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, ac cæterorum hujusmodi, gratias agat Corpori, & Sanguini Domini, quoniam virtus Sacramenti operatur in eo.* Prætterquamquod auxilia, quæ virtute hujus Sacramenti conceduntur, non conceduntur in longum tempus, idque, ut sic ad illud frequentandum incitemur: quod constat ex verbis illis Psal. 101. *Aruit cor meum; quia oblitus sum comedere panem meum.*

XIX. Ad ultimam: Argumentum probat, quod deberet permitti pluries singulis diebus usus hujus Cibi; & quod etiam a non jejunis sumatur, ne fraudentur tanto gratiæ augmento. Sicut ergo ex reverentia Eucharistiæ debita non debet id permitti, ita nec passim omnibus permittenda Communio quotidiana. Et rationabiliter Ecclesia denegat pueris Communionem, quamvis ea olim, spectata illorum temporum ratione, ac majori, quam nunc temporis sit, in omnibus reverentia, etiam pueris permitteretur: prout usum Calicis olim permissum omnibus, ob reverentiam Ecclesia Laicis denegat: esto probabile sit, quod specialis gratia ex eo conferatur. Sicut enim Eucharistia sub specie panis dicitur conferre vires, ac robur; ita sub specie vini dicitur conferre lætitiam spiritualem, juxta illud Psal. 103. *Vinum lætificat cor hominis, & panis cor hominis confirmat.* Unde Ecclesia canit: *Dedit fragilibus Corporis ferculum, Dedit & tristibus Sanguinis poculum.* Augustinus laudatus ab Angelico 3. p. q. 80. ar. 10. vel quicumque fuit Auctor libri de Ecclesiast. dogmat. l. 53. t. 3. circa frequentiam hujus Sacramenti hæc habet: *Quotidie Eucharistiæ Communionem percipere nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen Dominicis diebus communicandum suadeo, & hortor; si tamen mens sine affectu peccandi sit.* Angelicus vero in resp. ad 5. dixit: *In primitiva Ecclesia, quando magna vigebat devotio Fidei Christianæ, statutum fuit, ut quotidie Fideles communicarent; unde Anacletus Papa dicit: Peracta consecratione omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere liminibus; sic enim Apostoli statuerunt, & Sancta Romana tenet Ecclesia. Postmodum vero, diminuto Fidei fervore, Fabianus Papa indulsit, ut si non frequentiur, saltem ter in anno omnes communicent, scilicet in Pascha, Pentecoste, & Natali Domini: Soter etiam Papa dicit, in Cęna Domini esse communicandum; ut habetur in Decret. de Consecr. dist. 2. Postmodum propter iniquitatis abundantiam, refrigescente Charitate multorum, statuit Innocentius Tertius, ut saltem semel in anno in Pascha Fideles communicent.*

XX. Verum Turrecremata, Petavius, Balsamon, & alii acriter contendunt, Sanctionem illam Anacleti, quod Fideles, peracta consecratione, communicent, intelligendam esse non de omnibus Fidelibus, sed de solis Clericis, qui Altari ministrabant, ut supra adnotavimus. Et Jo. de Avila vir pietate, ac doctrina insignis apud Lugo disp. 17. n. 43. advertit, non esse credibile, quod in primitiva Ecclesia Conjugati etiam post copulam quotidie ad Euchari-

stiam

ſtiam accederent; cum ex decretis illius temporis conſtet, eos ab Euchariſtia poſt copulam gravibus verbis removeri; Propterea licet frequentiam Communionis omnibus commendet tom. 1. 3. p. tr. 27. invehitur tamen in eos, qui conjugatis Communionem quotidianam permittunt. Quia tamen dari poteſt caſus, in quo poſſit ob ſpecialem pietatem Laicis, & conjugatis ea permitti; ideo Inn. XI. noluit univerſim quotidianam Communionem prohiberi, nec ſumendi illam dies generaliter conſtitui, ſed juxta Patris Spiritualis conſilium poſſe quemlibet crebrius, aut rarius pro devotionis, & præparationis modo Dominici Corporis ſuavitatem deguſtare; ut olim docuerant Suar. Salmeron. Henr. & alii apud Lugo n. 28. qui advertit, idcirco Chriſtum Dom. noluiſſe hunc cibum haberi, niſi per manus Sacerdotis, ut ſcilicet ſciret Sacerdos, quibus, & quando dari expediret, inſpiciendo non ſolum reverentiam Sacramento debitam, ſed etiam profectum ſuſcipientis; ſæpe enim contingit, ut magis proſit Communio rarior, quam frequentior, ut docuit D. Bonav. in 4. d. 12. dicens: *Majorem effectum recipit homo in una Miſſa, vel manducatione cum bona præparatione, quam in multis, ſi non ſe præparet diligenter*; nimia enim frequentia paulatim diligentiam adimit præparationis, atque adeo fructus ubertatem, qui pro menſura diſpoſitionis confertur, juxta doctrinam Trid. ſeſſ. 6. c. 7.

XXI. Neque dicas, poſſe Laicis non indevotis univerſim permitti Communionem quotidianam, poſito quod omnibus Sacerdotibus etiam indevotis permittatur; cum ſola carentia culpæ mortalis non impediat ejus fructum, ut proinde Hilarius in cap. *Si non*, de Conſec. diſt. 2. dixerit: *Si non ſunt tanta peccata, ut excommunicetur quis, non ſe debet a medicina Corporis, & Sanguinis Domini ſeparare.*

Nam primo D. Bonav. l. 2. de profectu Religioſ. c. 77. conſilium dat Sacerdotibus non rite ſe præparantibus, ut abſtineant aliquando, ad hoc ut reverentius accedant. Deinde ſtatus Sacerdotalis de ſe fert majorem diſpoſitionem ob elongationem a curis ſæcularibus. Tertio, defectus diſpoſitionis in iis compenſatur per obligationem, quam habent ex proprio munere offerendi Sacrificium, cum ſint Nuncii, ac Miniſtri publici ab Eccleſia deputati ad Deum placandum; unde Eccleſiæ puritas, cujus nomine accedunt, reddit eos Deo magis acceptos. Hilarius ibi ſolum vult, Communionem præceptam non eſſe omittendam intuitu delictorum præcedentium; non vero quod ea ſine debita præparatione, ac reverentia ſuſcipiatur, prout monet Trid. Imo Inn. XI. in eodem Decreto de Communione quotidiana (quod, ut præ manibus haberetur, in calce Propoſitionis XLVI. ab eodem Inn. XI. proſcriptæ appoſuimus) plura advertit; vid. Quod Euchariſtia non deferatur ad infirmos, niſi cum forma decenti; Quod in feria VI. Paraſceves uſus Eccleſiæ hac in re ſervetur; Quod nemini plures, aut grandiores ſolito particulæ tradantur; & Quod Ordinarii non permittant Confeſſionem venialium fieri ſimplici Sacerdoti; quinimmo rigoroſe animadvertant in contrafacientes, etiam Regulares.

PROPOSITIO XXIV.

Oblatio in Templo, quæ fiebat a Beata Virgine MARIA in die Purificationis ſuæ per duos pullos Columbarum, unum in holocauſtum, & alterum pro peccatis, ſufficienter teſtatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus eſſet, ſecundum verba legis.

SYNOPSIS.

I. Contendit hæc theſis, quod B.V. juxta verba legis indiguerit purificatione ob immunditiem aliquam legalem contractam ex ſordibus puerperii, quæ Filium etiam maculaſſet. II. Duplici legi Moſaicæ Deipara obtemperavit die Purificationis, quamvis neutra teneretur. III. In quonam ſenſu par turturum offerebatur pro peccato?

IV. Videtur B.V. indiguiſſe hac Purificatione, quia ſordes puerperii connaturaliter ad partum conſequuntur. V. Poterat Deipara ſecundum ſe maculam legalem contrahere, puta tangendo mortuum, & ſic indigere purificatione. VI. Etiamſi nullatenus fuerit obnoxia ſordibus phyſicis in partu, adhuc potuit indigere purificatione ex præſumptione legis, quod eas ſordes paſſa ſit.

VII. Verum Purificatione B.V. non indiguit ob maculam ullam realem. VIII. Neque ob legalem. IX. Neque ob ſordes in puerperio. X. Ea quippe in hoc partu interfuerunt miracula, quæ excellentiæ myſterii, & dignitati Matris erant conſona. XI. Neque demum ob præſumptionem alicujus maculæ legalis.

XII. Licet ſordes phyſicæ connaturaliter partum ſequantur, ab iis tamen Deipara fuit omnino immunis.

XIII. Potuit B. V. indigere purificatione ob maculam legalem, puta ob ingreſſum in domum, ubi eſſet mortuus; at non ob ſordes puerperii, quæ tantam Matrem dedecebant. XIV. Etiamſi ſordes iſtæ præſumerentur ab ignaris hujus myſterii, non per hoc ulla macula legalis contrahebatur ex hac præſumptione.

XV. Quandonam lex Purificationis, & aliæ cæremoniales veteris legis ceſſarunt? & an liceat eas nunc ſervare? XVI. Num poſſint citra mortale omitti a ſponſis benedictiones nuptiales.

I. EXponitur. Ex duplici capite fingi poſſet, quod B. Virgo Purificatione indiguerit: Primo, quia aut ante partum virginitatem amiſerat, ut delirabant Arriani, aut in partu, ut Jovinianiſtæ apud Suar. t. 2. in 3. p. diſput. 5. Secundo, quia quamvis virginitatem non amiſerit, contraxit tamen aliquam immunditiam legalem ex ſordibus puerperii; ut docuerunt Eraſmus, & Abulenſis Levit. 12. q. 2. Primo modo immunditiam non contraxiſſe eſt inconcuſſum; dicitur enim Iſajæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet.* Quare ſolum difficultas eſſe poterit, An hoc ſecundo modo immunditiam contraxerit tum B. Virgo, tum Chriſtus Dominus, ex ſordibus ſcilicet, quæ naturaliter partum conſequuntur, adeo ut ex eo quod obtulerint duos pullos Columbarum, alterum in holocauſtum, alterum pro peccatis, hoc eſt pro immunditie iſta, quæ ortum ducit a peccato Adæ, inferri poſſit ſecundum verba legis, Beatam Virginem indiguiſſe purificatione, & Chriſtum eadem macula Matris, hoc eſt iis ſordibus tinctum, ac maculatum fuiſſe.

Videtur id colligi ex verbis illis Legis Levit. 12. ubi dicitur: *Cum expleti fuerint dies Purificationis suæ, pro filio, sive pro filia deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ, sive turturem pro peccato ad ostium tabernaculi, & tradet Sacerdoti, qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profluvio sanguinis sui:* Ecce quomodo verba legis videntur indicare puerperam die purificationis a profluvio sanguinis esse emundandam, atque adeo ab aliqua immunditie tantum legali, cujus capax videtur fuisse B. Virgo: Sicut enim poterat tangere mortuum, & sic contrahere immunditiem legalem, adeo ut indigeret purificatione ad id instituta, ut notat idem Abulensis; ita poterat contrahere hanc immunditiem legalem ortam ex physicis sordibus partus, quæ non derogat ejus Virginitati; atque adeo videtur, quod secundum verba legis potuerit B. Virgo purificatione indigere; & cum revera in die Purificationis suæ obtulerit duos pullos Columbarum, videtur de facto indiguisse hujusmodi purificatione.

II. Ut altius hæc intelligantur, adverto, duplicem a B. V. legem Mosaicam observatam fuisse die Purificationis, quamvis neutra teneretur. Prior pertinebat ad Genitrices primogeniti; dicitur enim Exod. 13. *Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulvam in filiis Israel*; & infra dicitur, quod Primogenitus quinque siclis redimatur; ex ipsis autem verbis legis constat, hac lege Deiparam non fuisse obligatam, cum ejus primogenitus vulvam non aperuerit. Altera lex pertinebat ad Genitrices cujuscumque masculinæ prolis, prout habetur Levit. 12. *Mulier, si suscepto semine peperit masculum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ & die octavo circumcidetur infantulus; ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ;* Et deinde subditur, quod expletis diebus purificationis deferat agnum anniculum in holocaustum, aut pullum columbæ, sive turturem pro peccato; vel si non potuerit agnum offerre, offeret duos turtures, vel duos pullos Columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. Utriusque hujus legis meminit Lucas dicens cap. 2. *Postquam impleti sunt dies purgationis ejus secundum legem Moysis, tulerunt illum in Jerusalem, ut sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini.* Quamvis autem, Christus utpote Homodeus, iis legibus non teneretur, nec B. Virgo, utpote in ipsis verbis legis exempta; conveniens tamen fuit, ut utraque lex ab iisdem observaretur, ut advertit Angelicus 3. p. q. 37. ar. 4. (non secus ac voluit Christus legem Circumcisionis observare, necnon legem de solvendo tributo Cæsari) tum ut obedientiæ, & humilitatis exemplum præberent; tum ut ansam calumniæ Judæis tollerent: Quod etiam docuit Bernard. Serm. 3. de Purificatione, dicens, quod sicut decuit, ut Filius, etiamsi impurus, ac peccator esset existimandus, legem servaret, ut humilitatem, ac obedientiam profiteretur, omnemque scandali occasionem vitaret; ita ob easdem causas oportuit Virginem purificari; *Esto itaque* (subdit Mellifluus) *o Beata Virgo inter mulieres tanquam una earum: nam & Filius tuus sic est in numero puerorum.*

III. Dubitatur tamen, An fuerit etiam necessarium, quod B. Virgo legi purificationis obtemperaret, ut ab aliqua legali macula, cujus secundum se erat capax, mundaretur? Turtur enim, vel pullus Columbarum, qui pro peccato a parentibus offerendus erat, non erat offerendus pro peccato aliquo libidinis, quod forte interfuit in fœtu concipiendo, ut vult Liranus: quia non semper hujusmodi peccatum intererat. Neque offerendus erat pro peccatis in communi ipsius Genitricis, ut docent Abulensis, & Cajet. quia, ut notat Suar., specialia sacrificia semper ad specialem aliquam maculam delendam instituebantur; Neque pro peccato originali infantis; quia jam supponebatur per circumcisionem antecedenter deletum: Propterea probabile est, quod docet Origenes Hom. 14. in Lucam, avem illam offerendam fuisse pro peccato, hoc est ob immunditiam contractam a Genitrice, & ab infante, tum ex vi conceptionis impuræ, tum etiam ex vi nativitatis sordidæ; & quia tota hæc corruptio ex infectione peccati oritur, idcirco sacrificium illud dicebatur offerri pro peccato. His positis, si verum esset, quod B. Virgo Christum pepererit cum iis sordibus, quæ naturaliter partum consequuntur, quamvis citra detrimentum Virginitatis, sequitur, quod eo sacrificio, ac purificatione indiguerit; & quod eadem macula legali Christus D. fuerit maculatus; An autem cum his physicis sordibus Christum pepererit: Affirmant aliqui apud Abulensem loc. laud.; & hoc videtur inniti in hac proscripta propositione: ejusque fundamentum esse posset.

IV. Primo, quia connaturaliter ad partum consequuntur sordes puerperii: quamvis autem constet Deiparam in partu Virginitatem servasse, non videtur tamen, quod a sordibus naturalibus fuerit immunis; ergo purificatione indiguit. Neque obstat, quod lex purificationis obligaret solum Genitricem, quæ suscepto semine peperisset. Nam juxta phrasim Hebraicam idem sonat, Suscepto semine, ac Concepta prole; cum autem B. Virgo vere prolem susceperit, lege illa Purificationis obligabatur, ut contendunt Oleaster in Levit., & Jansenius cap. 10. Concordiæ apud Suar. disp. 16. sect. 2.

V. Secundo, quia non dubitatur, B. Virginem potuisse immunditiam aliquam legalem contrahere: Cum enim Levit. 5., & 11. immundus esset, etiam qui tangeret aut reptile, aut morticinum, (videlicet animal sive a bestia occisum, sive ex se mortuum) quid mirum, si aliqua hujusmodi immunditia legali B. Virgo macularetur? potuit ergo hanc legalem immunditiam puerperarum contrahere ortam ex naturalibus sordibus puerperii. Etenim Levit. 12. dicitur, quod *Mulier, quæ suscepto semine masculum pepererit, sit immunda septem diebus juxta dies separationis menstruæ*, hoc est juxta legem menstruatæ; Cum autem B. V. potuerit has sordes naturales egerere instar aliarum fœminarum, quippe quæ sunt immunditiæ naturæ, non peccati, nil mirum, quod potuerit purificatione indigere post puerperium.

VI. Denique addit Abulensis, quamvis negetur, ut est omnino neganda isthæc nonnullorum opinio valde dissona, quod scil. B. V. sordes aliquas naturales passa sit in puerperio; etenim ex Nazianzeno Orat. 10. *Filius sine ulla spurcitia ex Virgine progressus est; nihil enim est spurcum, ubi Deus est:* Nihilominus adhuc potuit indigere purificatione ex præsumptione legis, quod eas passa sit: multæ enim immunditiæ olim contrahebantur ex sola legis præsumptione. Sic Num. 19. erat immundus non solum qui mortuum tangebat, sed etiam qui exibat ad plangendum mortuum, aut introibat in domum, ubi esset aliquis mortuus; quia lex præsumit in utroque hoc casu, quod mortuum teti-

tetigerit: ergo cum lex præsumat, quod communissime contingit, vid. quod puerpera sordes emiserit; ex præsumptione harum sordium B. Virgo potuit esse indigens purificatione, quamvis revera illarum fuerit immunis.

VII. Ostenditur tamen falsitas. B. V. nulla indiguit Purificatione neque ob maculam ullam realem, nec ob maculam legalem, neque ob præsumptionem maculæ: sed purificationis legem, qua non tenebatur, implevit ad præbendum aliis obedientiæ exemplum, & ad scandalum vitandum; non secus ac Christus Dom. voluit legi Circumcisionis, & tributi obtemperare, quin iis legibus teneretur.

Et primo quidem, quod B. Virgo nullam maculam realem contraxerit, ita ut purificatione indigeret, constat, tum ex eo quod cujusvis culpæ fuit immunis; tum etiam quia ad Christum concipiendum Spiritus S. supervenit, & virtus Altissimi obumbravit illam; unde nulli libidinis maculæ fuit obnoxia. De B. V. dicitur Isa. 19. *Ascendet Dominus super nubem levem*, hoc est, ut exponunt Cyrill. & Hieron. *nullo humano semine prægravatam*. Quare cum lex Purificationis solum obligaret mulieres, quæ suscepto semine masculum parerent, ut a libidinis maculis mundarentur, purissima Virgo ipsis verbis legis a purificatione eximebatur. Unde S. Eligius dixit: *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & sanctitatis auctorem genuisse probatur.*

VIII. Deinde, quod nec indiguerit purificatione ob maculam ullam legalem, constat; siquidem in partu virginitatem non amisit, ut fides Catholica docet adversus Jovinianum, Gualterum, Bucerum, Molinæum, & Protestantes hujus temporis apud Suar. t. 2. in 3. p. disp. 5. sect. 2. cum dicatur Isa. 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet*; & Matth. 1. *Ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet Filium.* Neque audiendus est Jansen. in Concordia Evang. cap. 5. dicens, ex his verbis non erui, quod Deipara etiam in partu permanserit Virgo: eo quod possint intelligi in sensu diviso, & ampliativo, ut dicitur Luc. 7. *Cœci vident, claudi ambulant*. Nam cum Isajas dicat, hoc dari signum, & prodigium magnum, quod Virgo concipiet, & pariet, intelligendum est in sensu composito, non in sensu diviso. Quod autem dicitur ab Epiph. Hæresi 78. *Hic est, qui vere aperuit uterum matris*, intelligendum juxta phrasim Scripturæ, ut notat idem Suarius, quod matri dederit fœcunditatem; eo modo, quo Genes. 29. claudere vulvam sonat conferre sterilitatem. Nec mirum, quod id factum fuerit per penetrationem Corporis Christi cum utero Deiparæ. Nam ut August. l. 22. de Civ. c. 8. habet: *Illi soli hoc non credunt, qui etiam Dominum JESUM per integra virginalia matris enixum, & ad Discipulos ostiis clausis ingressum non credunt.*

IX. Præterea sine ullo dolore, sine secundinis, ac sine ullis sordibus B. Virgo Christum peperit, ut constat tum ex Conc. Trullensi can. 79. apud eundem Suar. disp. 13. sect. 3. ubi dicitur, *Absque ullis secundinis ex Virgine partum esse confitentes*, &c. Tum ex verbis Ecclesiæ canentis: *Nesciens Virgo virum peperit sine dolore Salvatorem sæculorum*; Tum ex communi sensu Patrum. Quod etiam colligitur ex dignitate Filii, ac Matris; necnon ex illis verbis Luc. 2. *Peperit Filium suum primogenitum, & pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Ubi D. Th. hic ar. 6. ad 3. ex Hieron. contra Helvidium advertit, his verbis insinuari, quod nulla alia actio, aut mundatio in eo negotio intercesserit, aut fuerit necessaria. Proinde Aug. l. 5. de Hæresib. cap. 5. contra Manichæos ait: *Stulte, unde sordes ex Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine patre? Unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem?* Suar. l. c. huc accommodat verba illa Isajæ 35. *Germinans germinabit sicut lilium*: & Cyprianus eleganter dixit, *Christum ex Virgine prodiisse, sicut fructum ex arbore, aut sicut radium ex Sole.* Quibus, aliisque exemplis Patres explicant munditiam illius partus. Verum quidem est, quod naturaliter novem illis mensibus, quibus puer alitur in utero Matris, aliqua excrementa, & sanguinis copia congregentur, quæ in partu necessitate quadam naturali expelluntur: At sicut docuit, quod miraculose Christus conciperetur, & quod miraculose nullius esset doloris causa Parenti nascendo; ita etiam quod nullam eidem immunditiam corporalem, & indecentiam afferret: Id exigebat dignitas, ac puritas tantæ Matris; id a fortiori dignitas infinita Filii, qui aliter ab iis sordibus etiam debuisset coinquinari. Propterea Conc. Trullense laudatum subdit, *Non licere ex communibus, & iis, quæ in nobis fiunt, inenarrabilem Virginis partum, quæ supra mentem, & sermonem Verbum peperit, definire, metiri, ac describere.*

X. Quænam autem, & quot miracula in hoc partu intercesserint? Varii varia apud Suar. l. c. Illud ab omnibus cum Cajet. asserendum, ea miracula interfuisse, quæ excellentiæ mysterii magis essent accommodata, & magis essent consona dignitati Matris, ut suavius omnia disponerentur, & citius expedirentur. Quinimo non solum ab omni dolore, & immunditia debuit Virgineus Deiparæ partus esse alienus, sed etiam plenus exultatione, ac lætitia inenarrabili: Quod prædixit Isajas l. c. dicens: *Florebit quasi lilium, germinans germinabit, & exultabit lætabunda, & laudans*; Ex quibus Bernardus serm. 1. de Circumcisione in persona Virginis concludit: *Nihil in hoc conceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum, nihil purgandum; nimirum cum proles ista fons puritatis sit, & purgationem venerit facere delictorum. Quid in me legalis purificet observatio, quæ purissima facta sum in ipso partu immaculato? Vere, o Beata Virgo, vere non habes causam, nec Tibi opus est Purificatione.* Caruit itaque B. Virgo macula etiam legali, nedum morali.

XI. Denique quod nec Purificatione Deipara indiguerit ob præsumptionem alicujus maculæ legalis, prout explicatum est ex Abulensi, ex eo constat, quia in iis duntaxat casibus immunditia legalis contrahebatur, & opus erat purificatione, in quibus id lex exprimebat; non secus ac de facto in iis duntaxat casibus irregularitas aut ex defectu, aut ex delicto incurritur, in quibus id exprimitur in jure Canonico. Hinc idcirco immundus olim erat non solum qui mortuum tangebat, sed etiam qui domum ingrediebatur, ubi esset aliquis mortuus, quia hæc omnia Num. 19. exprimebantur; (esto lex ista solum præsumeret contactum mortui) aliter nulla esset hujusmodi irregularitas, seu legalis immunditia. At non exprimitur in casu nostro, quod non solum mulier, quæ suscepto semine, sed quod etiam quæcumque pepererit, sit immunda ex præsumptione sordium: ergo B. Virgo nulli Purificationis legi

fuit obnoxia. Quinimo idcirco Spiritus S., ut advertunt Patres, & Theologi, voluit in Scriptura id exprimi, vid. quod purificanda esset mulier, quæ suscepto semine peperisset, ut intelligeremus, futuram aliquando mulierem, cujus generatio, ut loquitur Leo Papa ad Flavianum, *esset singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis;* quæ scil. legislatorem esset paritura, ut proinde his legibus non esset obnoxia.

XII. Ad primam rationem in contrarium ostendimus ex Scriptura, ex Concil. Trullensi, ex communi sensu PP. & Theologorum, miraculose Deiparam sordibus puerperii caruisse, atque adeo non indiguisse purificatione. Ad id, quod additur ex Oleastro, & Jansenio, quod sc. juxta phrasim Hebraicam idem sit dicere, Mulier, quæ suscepto semine, ac Mulier, quæ concepta prole peperit: (unde colligunt, a verbis legis Deiparam non fuisse exemptam) Contra est; quia communissime Patres, & præsertim Chrysostomus Hom. de Occursu Domini, docent, Deiparam ex ipsis verbis legis fuisse deobligatam; siquidem etiam juxta phrasim Hebraicam idem sonat, Mulierem concepto semine peperisse, ac Mulierem ex concepto semine prolem emisisse, ut proinde vulgata editio non sine speciali Dei providentia id expresserit verbis apertissimis ad indicandum hoc mysterium, quod Deipara, jam tunc prædefinita ut fons puritatis, non debuerat lege Purificationis includi.

XIII. Ad secundam. Admittunt communissime, quod B. Virgo aliquam ex iis legalibus immunditiis contrahere posset, v. g. tangendo reptile, vel ingrediendo domum, ubi esset mortuus; imo verisimillimum est, quod Corpus ipsum B. Joseph defuncti tetigerit. Et ratio est, quia istæ legales immunditiæ poterant non solum culpa vacare, sed etiam meritorie exerceri; sicut meritorie potest a Judice damnante Reum morti contrahi irregularitas ex defectu. At immunditia illa legalis orta ex sordibus puerperii, quamvis culpa vacaret, ex communi tamen sensu dedecebat tantæ Matris, & tanti Filii dignitatem: ergo non debuit legi isti Purificationis esse obnoxia. Certe hujusmodi immunditia in partu Christi D. horrorem ingerit; atque adeo Deipara ab ea fuit prorsus immunis. Hinc Nazianz. Orat. 16. de Serm. pauperum dicit, voluisse Deum non tantum naturam, sed etiam nativitatem nostram honorare, & ideo utramque assumpsisse cum omni proprietate, absque macula tamen, vel indecentia, prout Deum decebat. Et sane si primus Adam de terra Virgine natus, ut loquitur Ambr. Serm. 37. de Quadrag., nulla indiguit mundatione, quomodo poterat ea indigere secundus Adam a Matre Virgine procreatus?

XIV. Ad tertiam recurrit responsio data, quod licet communiter omnes ignari hujus mysterii crederent, B. Virginem sordes partus contraxisse; non proinde lege purificationis, tanquam præsumente hujusmodi sordes, fuerit obligata; Cum lex noluerit obligare omnes parientes, in quibus sordes præsumuntur, sed solum mulieres, quæ suscepto semine parerent; atque adeo quamvis potuerit obligari lege aliqua, quæ lata fuisset relate ad omnes quomodocumque parientes, de facto tamen ob id purificatione non indiguit. Quod expressit Eusebius Emissenus Ser. de Purific. dicens: *Quamvis purgationis dies ad B. Virginem Matrem non pertineat, exspectavit tamen ipsa, donec omnes purgationis dies complerentur, quos non sibi, sed aliis mulieribus lex constituerat. Non enim de ea dictum fuerat, Sanctum non tanget, quæ ipsum Sanctum Sanctorum in gremio tenebat, in sinu fovebat, & virgineo lacte lactabat.*

XV. Illud hic animadvertendum ex Suario, legem istam Purificationis, sicut & alias Cæremoniales veteris legis, post Christi adventum cessasse: quidquid sit, utrum cessaverint in ejus Nativitate, an in morte? qua in re dissensio est apud DD. etenim, ut dicitur Joan. 9. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per JESUM Christum facta est.* Atque adeo ubi evangelii veritas illuxit, evanuit umbra legis antiquæ. Et quamvis olim canonica aliqua lege, aut universali, aut Synodica præsertim Ecclesiæ Orientalis statutum fuerit, aut saltem ex consuetudine introductum, ne mulieres post partum per aliquot dies Ecclesiam ingrederentur, sicut in Lege Moysi erat præceptum, ut advertit Vasquez in 3. p. disp. 210. ar. 7. n. 26., quod etiam colligitur ex Dionysio Alexandrino, & aliis apud Gonzalez, Telles in Comment. cap. unic. de Purificatione post partum n. 7. nihilominus ex eodem Cap. unico constat, Innocentium III. obligationem hanc sustulisse, ac declarasse, permitti puerperis, quod, si velint, aliquandiu ab ingressu Ecclesiæ abstineant, & postea prolem deferant, ut pro ea preces ad Dominum fundant, dummodo omnis superstitio servandi veterem legem absit, solumque fiat causa religionis, & ob Sacri loci reverentiam.

XVI. Benedictiones tamen nuptiales a proprio Parocho impertiendæ juxta Ecclesiæ consuetudinem a sponsis omitti non possunt, ex cap. *Nostrates* 30. q. 5.; Illæ enim ordinantur ad rite peragendos actus Matrimonii appetitui carnis valde consonos. Verum licet Valdensis, & alii apud Sanch. l. 7. de Matr. disp. 82. censeant mortale esse illas omittere; imo multi etiam apud eundem Sanch. l. 3. disp. 12. putent esse mortale, ante receptas has benedictiones Matrimonium consummare; Probabilius tamen est, solam venialem culpam in earum omissione inveniri; cum non sint Sacramentum, sed quoddam Sacramentale, nec tanti momenti, quanti Sacramentalia, quæ præmittuntur Baptismo, ut docent Sotus, Ledesma, Sà apud eundem Sanch. Imo probabile est, vacare etiam veniali culpa differre benedictiones istas post Matrimonii consummationem, præsertim si ex aliqua causa diu differendæ sint, cum Trid. sess. 24. c. 1. de iis loquens solum hortando loquatur, non præcipiendo.

PROPOSITIO XXV.

Dei Patris sedentis simulacrum nefas est Christiano in Templo collocare.

SYNOPSIS.

I. Definitum est in Conciliis habendas, ac venerandas esse imagines Christi D., Deiparæ, Sanctorum, necnon Angelorum; nihil tamen de imaginibus Dei est expresse definitum. Hinc dicitur in hac thesi nefas esse in Templo Simulacrum Dei Patris sedentis collocare.

II. Videtur in Scripturis Dei simulacrum prohiberi.

III. Necnon a SS. Patribus.

IV. Dissonum quippe videtur per simulacrum corporeum Deum adumbrare.

V. Nec videtur coli posse citra idololatriam.

VI. Concilium Eliberitanum docet, non debere in Ecclesia esse picturas ejus, qui adoretur.

VII. Verum Danielis 7. Deus sub figura corporea Se- nis

nis sedentis dignatus est apparere. VIII. Sicut Angeli adumbrari possunt simulacro corporeo, ita & Deus.
IX. Id est consonum imbecilli hominum captui.
X. Hinc Spiritus Sanctus apparuit etiam sub figura Columbæ, Matth. 3.
XI. Et Scriptura Deo tribuit etiam membra ad ejus perfectiones adumbrandas.
XII. Ipsa Trinitas sub specie visibili conspiciendam se dedit Abrahamo Genes. 18. Unde collocari potest in templo imago Dei Patris, Christi D. ac Spiritus S. necnon Trinitatis, sub iis tamen figuris, sub quibus Deus apparere dignatus est, & juxta morem in Ecclesia receptum.
XIII. Judæis tamen, utpote ad idololatriam propensis, prohibuit Deus sculptilia.
XIV. Multum pietati conducit Dei simulacrum.
XV. Solum simulacra Deorum ab Augustino reprobantur.
XVI. Imago Dei in uno sensu dicitur Doctrina vanitatis, in altero Doctrina veritatis, & Liber idiotarum. XVII. Non est idololatricus cultus simulacri, si illud adoretur adoratione respectiva.
XVIII. Varie errabant Ethnici adorantes idola.
XIX. Concilium Eliberitanum solum prohibuit, ne in parietibus imagines sacræ tunc temporis pingerentur, eo quod non possent tempore persecutionis facile amoveri, unde ludibrio exponerentur.
XX. Imagines eodem cultu cum Prototypo coadorantur. XXI. Cultus Corporum Sanctorum primario, & absolute respicit Sanctos, respective vero sacras eorum exuvias. XXII. Cur Deus Corpus Moysis absconderit, ne a Judæis adoraretur? XXIII. Cur Concilia prohibuerint, ut in cœmeteriis cerei accendantur?
XXIV. Occurritur objectis a Calvino.

I. EXponitur. Idololatricum esse cultum Sacrarum Imaginum contendebant olim Iconomachi omnes, seu Iconoclastæ damnati in VII. Synodo Generali ad annum 787. sub Adriano Papa: Lutherani deinde, quamvis hujusmodi cultum detestati sint, permittebant tamen Sacras Imagines in Templis ad ornatum; Calvinistæ vero, ut notat Platelius t. 4. num. 416., Sacras Imagines solum in domibus profanis ad ornatum, non tamen in Templis admittebant, ne viderentur expositæ ad sacrum cultum. Cum autem in variis Conciliis, & præsertim in Trident. sess. 25. definitum sit, *Imagines Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum in Templis præsertim habendas, & retinendas, eisque debitum honorem, ac venerationem impertiendam*: Et cum in VII. Synodo act. 7. contra quosdam hæreticos definitum sit, etiam Angelorum imagines habendas, ac venerandas, nihil vero hactenus definitum sit expresse in Conciliis de imaginibus Dei, ut notat Arriaga tom. 6. disp. 55., idcirco in præsenti propositione solum asseritur, nefas esse Dei Patris sedentis Simulacrum in Templis habere, prout scilicet passim in antiquis Templis videtur depictum. Quod etiam Calvinus lib. 5. Instit. cap. 11. apud Vasq. t. 1. in 3. p. disp. 103. cap. 3. effutiebat de Imagine Trinitatis dicens, nefas esse illam depingere; & Vviclephus apud Valden. t. 3. cap. 155. Imaginem Trinitatis vocabat abominabilem. Imo inter Scholasticos Durandus in 3. dist. 9.q. 2.ad 4. apud Suar. d. 54. de Incarn. sect. 2. fatuum esse dixit, Imagines Trinitatis facere, aut venerari; quod etiam docuit Abulensis, & Ayala apud eundem Suarium.

II. Fundamentum videtur esse: Primo, quia in Scripturis passim Imago, aut Simulacrum Dei prohibetur. Isajæ 40. *Cui similem facietis Deum, aut quam imaginem ponetis ei?* Exodi 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum.* Levit. 26. *Non facietis vobis idolum, ut adoretis*, &c. Act. 17. *Genus ergo cum simus Dei, non debemus æstimare auro, vel argento, aut lapidi artis sculpturæ, & cogitationis hominis Divinum esse simile.*

III. Secundo, quia Patres complures cum Clem. Alex., Damasc. Theodor., Origene, & aliis apud Vasq. c. 4. aperte docent, nefas esse Simulacrum, & Imaginem Dei collocare. Imo August. l. 4 de Civ. c. 21. apud Suar. loc. cit. dicit, *Naturali lumine cognosci, quod Deus sine simulacro colendus sit.* Damasc. lib. 3. c. 11. dixit, *Extremæ dementiæ esse, velle Deum depingere*: Et Theodorus Patriarcha Hierosolymitanus: *Invisibilis est Divinitas, nec depingi, nec figurari se permittit*: Et Lactantius lib. 2. de Origine erroris cap. 2. habet: *Imaginum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut possit memoria eorum retineri, qui fuerunt vel morte subtracti, vel absentia separati; sed Deus non moritur, & ejus spiritus, ac lumen ubique diffusum abesse numquam potest.* Unde nefas videtur Deum Simulacro adumbrare, & multo magis illud in templo collocare; perinde ac si desideraretur ejus Essentia, Præsentia, ac Potentia, quæ ubique inexistit, & in templo speciali modo, ut ibi specialiter adoretur, & nostras preces exaudiat.

IV. Tertio, quia videtur Divinæ Majestati incorporeæ, & invisibili dissonare, quod per Simulacrum corporeum ea exprimatur, perinde ac esset illi simile: Propterea Hieron. imaginem ligneam vocat *Doctrinam vanitatis*; & Gregor. imagines appellat *Libros ignorantium, & idiotarum.*

V. Quarto, quia sicut non vacat idololatria, lapides, aut ligna adorare cultu latriæ, ita nec vacat idololatria Simulacrum Dei Patris ex lapide, aut ligno extructum adorare cultu latriæ, qui uni Deo debetur. Neque obstat, quod a Catholicis non adoretur cultu latriæ ipsum Simulacrum, sed Deus in illo adumbratus. Nam instat Calvinus lib. 5. Instit. cap. 12. dicendo, Ethnicos, præsertim doctiores, nunquam putasse lapides esse Deos; sed solum in Statuis lapideis Deum colebant, & tamen damnantur ut idololatræ: ergo non vacat idololatria in Templo Christiano Simulacrum Dei Patris sedentis adorationi exponere.

VI. Confirmatur; quia Concilium Eliberitanum can. 36. docet, in Ecclesia non debere esse picturas, nec in parietibus depingendum quodcumque adoratur, & colitur. Unde Epiphanius ingressus Ecclesiam, ut ipse scribit ad Joannem Hierosolymitanum, & videns velum imagine cujusdam hominis insignitum, illud discerpsit: *Quia*, inquit, *videbam contra auctoritatem Scripturæ in Ecclesia pendere imaginem hominis*: ergo nefas est in Ecclesia Simulacrum Dei Patris instar hominis sedentis collocare.

VII. Ostenditur falsitas: Primo, quia Deus frequenter sub figura corporea apparuit. Sic Genes. 3. visus est *Deambulans ad auram*, & Exod. 33. loquens cum Moyse. Similiter Pater Æternus in figura Senis sedentis apparuit Dan. 7. ubi dicitur; *Aspiciebam, donec throni positi sunt, & Antiquus dierum sedit*: ergo Simulacrum Dei Patris sedentis exprimens hanc Dei apparitionem non est indignum Deo; atque adeo potest in Templo Christiano col-

locari ad Deum in ea figura colendum, quia ejus Æternitas, Majestas, & Immutabilitas adumbratur.

VIII. Neque obstat primo, quod Deus, utpote incorporeus, Simulacro corporeo non exprimatur ad vivum. Nam constat, ex Dei imperio, Exod. 25., Angelos sculpta similitudine expressos fuisse; & in VII. Synodo definitum est, imagines Angelorum posse depingi; ergo ex hoc præcise quod Deus sit incorporeus, non sequitur, non posse Dei Imaginem depingi, quæ non deserviat ad figuram Dei exprimendam, & rememorandam; sed solum ut per illam manuducamur ad Dei perfectiones cognoscendas, non secus ac per Creaturas visibiles Deum invisibilem agnoscimus, juxta illud Rom. 1. *Invisibilia ipsius a creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.*

IX. Neque obstat secundo, quod inquit Calvinus, Deum in veteri testamento in figura humana se exhibuisse videndum, & Angelos sculpta similitudine expressisse ad pædagogiam rudis illius populi; nunc vero cum sæculum illud puerile transierit, non videtur licitum in Templo Christiano Deum per Simulacrum corporeum adumbrare. Nam primo si hoc esset nefas secundum se, nec licuisset tunc ad pædagogiam illius rudis populi. Deinde, sicut rudis ille populus per figuras corporeas apte instituebatur, ut inde Dei, & Angelorum naturam, & proprietates agnosceret; potest similiter ita Christianus nunc instrui, qui circa Dei notitiam adhuc rudis est, & commode visibili, & corporea imagine de Divinis perfectionibus instruitur.

X. Demonstratur id ipsum, quia Matth. 3. Spiritus S. apparuit sub specie Columbæ; dicitur enim: *Ecce aperti sunt ei Cęli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut Columbam, & venientem super se*: ut significaretur, quod sicut Columba rediens in arcam nunciavit aquas diluvii jam cessasse, ita Spiritus S. veniens super Christum Divinam nobis attulit reconciliationem. Hinc etiam in Christiano templo sub figura Columbæ passim Spiritus S. adumbratur; Et in VII. Synodo Act. 5. apud Suar. l. c. hujusmodi imago Spiritus S. sub specie Columbæ approbata fuit: ergo poterit etiam Deus in Christiano templo sub simulacro Senis sedentis adumbrari, prout dignatus est sese visibilem ostendere Dan. 7.

XI. Confirmatur ex Turriano; quia cum Scriptura tribuat Deo membra ad ejus varias perfectiones exprimendas, ut quando dicitur Ps. 109. *Dixit Dominus Domino meo, Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, eo quod humanum ingenium tale sit, ut ex rebus corporalibus ad corporeas naturas, & perfectiones agnoscendas assurgat; poterit etiam pictura, & simulacro Corporeo Deus adumbrari; Sicut enim quod in Scriptura dicitur de membris Dei, sumendum est metaphorice, ita etiam quando per simulacrum Deus Pater exprimitur. Poterit ergo in Christiano templo simulacrum Dei Patris sedentis collocari, sicut potest etiam Christus sub figura Agnum exprimi juxta antiquissimam Ecclesiæ praxim habentis hujusmodi Christi imaginem in veneratione, ut advertit idem Suarius, ac illum sub hac forma in Agnis cereis exprimentis.

XII. Potest etiam Trinitatis imago juxta morem in Ecclesia receptum etiam in Templis collocari; quandoquidem etiam Trinitas, ut notat Aug. l. 2. de Trinit. cap. 11. sub specie visibili se dedit cönspiciendam Abrahamo Gen. 18., quando *Tres vidit, & unum adoravit*: Sicut enim quatuor Evangelistæ sub speciebus quatuor animalium adumbrantur, & sicut Virtutes metaphorice depingi solent, ita potest metaphorice Divinitas adumbrari: sic enim Dei memoria, fides, & devotio excitatur; unde honestus simul, & utilis est usus imaginum Deum representantium, non secus ac usus imaginum Christi, B. Virg., & Sanctorum.

Verum quidem est, quod in Trid. solum dicatur de imaginibus, Christi, Deiparæ, & aliorum Sanctorum, eas in Templis præsertim habendas, ac retinendas, non vero de imaginibus Dei, aut Trinitatis; nihilominus eas non reprobat, imo permittit *Historias, ac narrationes Sacræ Scripturæ figuris exprimere, quando id indoctæ plebi expediet, dummodo populus doceatur, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, aut figuris exprimi possit.* Cum autem jam usus invaluerit, ut ubique in Ecclesiis, etiam Romæ, imago Dei Patris sedentis, imago Spiritus S. sub specie Columbæ, vel sub specie linguarum dispertitarum, prout Apostolis apparuit die Pentecostes, ac imago Trinitatis sub figura Senis, Christi D., & Columbæ exprimatur, nonnisi temere damnantur: multæ enim inde utilitates proveniunt, & debitus cultus Deo, & Trinitati in iis exhibetur. Optime tamen advertit Cajetanus, Dei imagines non posse ad arbitrium depingi, sed solum juxta morem in Ecclesia receptum, & in formis, sub quibus Deus dignatus est apparere: Unde Trident. l. c. statuit, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere, vel proponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit.

XIII. Ad primam rationem in contrarium respondetur primo cum Angelico, & aliis communiter, in iis Scripturæ locis solum prohiberi, ne fierent simulacra, aut imagines, quæ cultu latriæ instar deorum adorarentur, ut cæteræ Nationes faciebant, non vero omnes prorsus imagines, aut sculptilia prohiberi. Quod ex eo patet, quia Moyses ex Dei præcepto duos Cherubim fecit ex utraque parte Arcæ, & deinde erexit Serpentem æneum, qui permansit usque ad tempus Ezechiæ; a quo confractus est, ut subtraheretur ansa idololatriæ Judæis, qui, ut dicitur 4. Reg. 18. thus illi adolebant. Deinde responderi potest cum Vasq., quod licet Deus omnia prorsus sculptilia, & imagines Judæis ad idololatriam valde propensis prohibuisset, præceptum tamen illud non fuit naturale, sed solum per accidens impositum ob periculum idololatriæ: propterea in lege nova, cessante hoc periculo, præceptum illud cessavit: Quis enim e Christifidelibus putet, aut Deum esse similem simulacro, aut simulacrum instar Numinis adorandum cultu absoluto, & non duntaxat respectivo? ut mox explicabimus in responsione ad quartum.

XIV. Ad secundam: Trifariam, ut notat Cajet., potest Dei simulacrum effingi: Primo, ad exprimendam ad vivum Dei naturam, & formam, prout fiunt simulacra Regum, parentum, amicorum, & ad excitandam memoriam ejus, qui aut vita functus est, aut abest. Et in hoc sensu summæ dementię est, Deum velle figura corporea exprimere, & nefas est Dei simulacrum in templo collocare: Secundo, potest Dei similitudo affingi ad repræsentandam figuram illam corpoream, in qua dignatus est apparere: Tertio, ut ex sensibili figura ad invisibilem Dei formam intelligendam assurgamus; sicut ex cogni-

tione

tione Creaturarum ad intelligendum Creatorem assurgimus; Et in utroque hoc sensu licitum est Dei simulacrum effingere, ac repræsentare Deum Patrem in forma Senis, prout apparuit Dan. 7., & Spiritum S. in forma Columbæ, prout apparuit Jo. 1., ac Dei Filium in forma hominis, quam induere dignatus est, *formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, ut dicitur ad Philipp. 2., atque adeo totum Trinitatis Mysterium ita repræsentare, ad excitandam in nobis memoriam per hujusmodi similitudines visibiles de ejus invisibili præsentia, qua in omnibus rebus realiter inexistit, vid. per essentiam omnia præcontinendo, per præsentiam intellectualem omnia comprehendendo, ac per potentiam omnia conservando; quamvis speciali modo inexistat in Cœlo, ubi dicitur habitare manifestando se Beatis; specialiter etiam in justis, in quibus dicitur venire, ac mansionem facere, communicando se illis tanquam amicis, juxta illud Cant. 1. *Dilectus meus mihi, & ego illi*; specialissime vero in Christo D. tanquam in Filio proprio, ac naturali; & specialiter etiam in Templo, quod Domum suam vocat, & Domum orationis; cum ibi specialiter adoretur, & specialiter nostras orationes exaudiat. Proinde in templo Christiano simulacrum Dei Patris sedentis, ac Trinitatis imaginem pietati consonum est collocare.

XV. Neque dicas, Aug. l. 4. de Civ. c. 19., & 31. commendasse sententiam Varronis, qui dicebat, puriorem fuisse Romæ cultum deorum sine simulacris, ducentis fere annis, quam deinde cum simulacris: ergo etiam saltem purius a nobis Deus colitur sine his corporeis simulacris. Nam Augustinus solum vult simulacra deorum inventa esse ad hominum perniciem, & ad incrementum superstitionis: At imagine veri Dei verus cultus, & religio incrementum suscepit; & idcirco Simulacrum veri Dei ad perfectionem, & intensionem cultus plurimum confert, atque adeo ad hominum salutem.

XVI. Ad tertiam: Solum dissonat Divinæ Majestati illam per simulacra adumbrare, si credatur iis ad vivum exprimi, ac figurari, qua in re ex præcepto Trident. sess. 25. populus est edocendus: At summe conveniens est, & humanæ menti maxime consentateum, quod per simulacra corporea ad cogitationem Divinæ Majestatis incorporeæ deveniamus. In primo sensu imago lignea dicitur Doctrina vanitatis: in secundo est Doctrina veritatis: Quælibet etiam Dei imago apte dicitur a Gregorio *Liber idiotarum*, quia *Scrutator Majestatis opprimetur a Gloria*, ut dicitur Prov. 25.: & ideo sicut Solem in aquis inspicimus ad vitandam oculorum caliginem, ita ad ignorantiæ nostræ tenebras depellendas Deum in Creaturis, & in simulacris contemplamur, & veneramur.

XVII. Ad quartam: Esset idololatricus cultus, si simulacrum Dei adoraretur ratione sui, & adoratione absoluta, perinde ac si in eo esset divinitas, vel virtus, propter quam esset colendum, ut loquitur Trid. l. c. secus vero si adoretur adoratione respectiva ad prototypum terminata. Verum quidem est, quod cum prototypo ipsum etiam simulacrum adoretur, & colatur cultu latriæ, non secus ac in Christo D. non solum ipsa Divinitas, sed etiam Humanitas cultu latriæ coadoratur; hujusmodi tamen cultus primario, & absolute ad Deum terminatur; secundario vero, & respective ad simulacrum; non secus ac ad Christi Humanitatem; Sicut enim quando quis præstat homagium Legato Regis, solius Regis se vassallum agnoscit, honorem tamen utrique defert per modum unius, Regi quidem absolute, ac Legato respective; ita quando cultu latriæ simulacrum Dei, aut Christus, seu Christi imago, aut Crux adoratur, in solo Deo supremum Dominum, & virtutem increatam agnoscimus, utrique tamen latriæ cultum per modum unius præstamus, Deo quidem absolute, & ratione sui, simulacro vero, aut Humanitati, ac imagini Christi, aut Cruci propter aliud, & per accidens, idest per respectum ad Deum, quem repræsentant: Esto nonnulli putent, simulacrum, & imaginem esse meram conditionem requisitam, ut excitemur ad prototypum adorandum: Alii vero cum Vasq. doceant, cultum externum deferri imagini; cultum vero internum ad solum exemplar.

XVIII. Ad id, quod objicitur ex Calvino: falsum est Ethnicos sua idola pro diis non habuisse; dicitur enim Isa. 42. *Qui dicunt conflatili, vos Dii estis*; & Dian. 5. *Bibebant vinum, & laudabant Deos suos aureos, & argenteos*. Et quamvis aliqui doctiores dixerint, statuas illas non esse Deos; adhuc varie errabant, vel quia per illas repræsentabant falsos Deos; vel quia sentiebant in iis Divinum aliquod numen inhabitare, ut animam in corpore; vel quia putabant non posse aliter adiri Deos, nec quicquam ab iis impetrari, nisi per ea simulacra; & ideo tanquam idololatræ damnantur. Ab his tamen erroribus, atque adeo ab Idololatria longe absunt Christifideles profitentes juxta doctrinam Trident. l. cit., nullam inesse in simulacris, & imaginibus virtutem intrinsecam, & ab iis nihil petendum, aut sperandum, sed a prototypo, quod repræsentant.

XIX. Ad confirmationem: Concilium Eliberitanum, præterquamquod non fuit Generale, nec a Pontifice approbatum, non prohibuit usum imaginum in Templis, sed solum, ne in parietibus pingerentur; tum quia parietum decrustatione sæpe deformabantur; tum etiam quia tempore persecutionis non poterant amoveri, & ideo exponebantur ludibrio. Ubi advertendum, quod cum initio quarti sæculi celebratum fuerit hoc Concilium, liquido constat, impudenter mentiri Calvinum dicentem, quod per prima quinque Ecclesiæ sæcula nunquam fuerit usus Sacrarum imaginum in Templis.

Ad id, quod additur de Epiphanio, Bellarminus putat Epistolam illam quoad hoc censeri suppositiam. Verius tamen dicendum cum Vasq. in 3. p. dist. 105. c. 4. Petavio, & aliis, imaginem illam non fuisse Dei Patris, aut Christi D., vel alicujus Sancti, sed aut hominis ignoti, qui a populo per errorem colebatur, aut profani alicujus hominis, quæ honoris gratia ante fores Templi penderet; quod Epiphanius auctoritati Scripturarum putavit adversari; eo quod facile facer, & non civilis tantum cultus ei deferretur, juxta morem id temporis consuetum.

XX. Ex quibus colligitur, juxta communiorem sententiam, imagines, ac Simulacra eodem cultu adorari, ac prototyptum, & cum prototypo simul coadorari; ita ut adoratio absolute, & ratione sui feratur ad prototypum, & solum respective ad imaginem. Propterea Imago Sanctorum adoratur adoratione Duliæ propria servorum Dei; Imago B. V. adoratione Hyperduliæ, quia B. V. servis Dei longissime præstat; Imago Christi adoratione latriæ debita Divinitati, cum in Christo idem sit utriusque naturæ, Divinæ, & humanæ Suppositum, ad quod invi-

invisibiliter dirigitur adoratio; Humanitas tamen Christi ut præcisa a Supposito Verbi nonnisi adoratione hyperduliæ adorari posset propter gratiam ejus habitualem in gradu omnium supremo, ut advertit Angelicus 3. p. q. 25. a. 2.: non expedit tamen in praxi Humanitatem mentaliter a Subsistentia Verbi præscindere, ne videamur convenire cum Nestorianis damnatis a Conciliis, & Patribus, qui duas adorationes Christo exhibebant, Hyperduliæ, ut homini, & Latriæ ut Deo, somniantes in Christo duas Personalitates. Et eodem pacto non est adoranda in praxi adoratione Latriæ B. Virgo, sicut adoratur Crux, quamvis utraque Christum tetigerit, ne videamur Deiparam tanquam Deum adorare; Nec in praxi adoranda est terra, quæ Christum tetigit, aut asina, super quam sedit, aut alia ad communem usum deputata, eo quod in iis non videatur specialiter Christus repræsentari, sicut repræsentatur in Cruce, quę proinde tanquam Imago Crucifixi adoratione Latrię adoratur: Et hac de causa non solum Crux, quę Christum tetigit, sed quælibet Crux eadem adoratione adoratur; lancea tamen, spinæ, & alia hujusmodi non adorantur, nisi illæ tantum, quæ Christum tetigerunt; quia scil. sola Crux nullum amplius habet usum profanum post edictum Constantini vetantis in posterum reos crucifigi; & ideo sola Crux, quæcumque illa sit, Crucifixum exprimit tanquam signum Divini sui erga homines amoris, ac triumphi de peccato, ac morte reportati.

XXI. Colligitur etiam, quod dictum est de Imaginibus, & Simulacris, dicendum pariter esse de Sacris Reliquiis, quæ pariter venerandæ, & colendæ sunt cultu consono Personæ, quam repræsentant, ut constat ex Conc. Gangrensi can. ult., Carthag. V., Nicæno II., & Trid. sess. 23. c. 3.; Corpora enim Sanctorum fuerunt Spiritus S. templa, organa Sanctarum animarum, & instrumenta virtutum; & honor, qui illis exhibetur, primario redundat in ipsos Sanctos, quorum sunt pretiosæ exuviæ: ergo una cum Sanctis coadorari debent eodem cultu, qui primario, absolute, & ratione sui Sanctos respiciat, & Sacra Lipsana respective, ac ratione alterius.

XXII. Neque obstat, quod Christus D. Lucæ 11. reprehenderit Judæos excitantes magnifica sepulchra Prophetarum; & quod Deus Deuter. ult. absconderit corpus Moysis, ne Judæi illud adorarent. Nam Christus reprehendit illos, eo quod id facerent per hypocrisim, ut se pios in eos Prophetas ostendendo, securius possent ipsum Christum persequi; Sic etiam Aug. l. de Moribus Ecclesiæ c. 34. reprehendit sepulchrorum adoratores, qui scil. sacrificium panis, & vini, aliarumque epularum defunctis offerebant, & deinde iis cibis, & vino se ingurgitabant. Deus vero noluit Moysen adorari, ne tanquam Deus adoraretur a Judæis valde ad idololatriam propensis.

XXIII. Neque pariter obstat Concilium Eliberitanum, quod cap. 34. prohibet, ne Cerei in cæmeteriis accendantur. *Quia*, inquit, *Spiritus Sanctorum non sunt inquietandi*. Nam Concilium prohibet superstitiones Gentilium, qui cereis accensis defunctorum animas evocabant; talis enim evocatio videtur esse quædam inquietatio. Sic anima Samuelis evocata a Pythonissa 1. Reg. 28. dixit: *Quare inquietasti me?* Alii vero putant superstitionem in eo consistere, quod Gentiles putarent defunctos tali luce recreari; ut habet Hier. in Epist. ad Vigilantium.

XXIV. Neque demum obstat, quod Calvinus objicit cultum Reliquiarum esse expositum falso cultui; cum sæpe ossa latronum, vel canum pro reliquiis Sanctorum adorentur. Nam ad hoc præcavendum in Conc. Lateran. præcipitur, ut nullæ reliquiæ publice exponantur sine sufficienti examine, & approbatione. Cæterum sicut eleemosyna pauperi putato erogata perinde est meritoria, ac pauperi vero; quia voluntas in hoc differt ab intellectu, quod voluntas in suis operationibus bene, vel male se habeat ab eo tantum, quod apparet, non ab eo, quod est; intellectus vero ab eo quod est, non ab eo, quod apparet: ita adoratio perinde est meritoria, & Sanctis honorifica, sive terminetur ad veras, sive ad putatas reliquias, dummodo sufficiens diligentia præmittatur.

PROPOSITIO XXVI.

Laus, quę defertur Marię ut Marię, vana est.

S Y N O P S I S.

I. Wiclephi error fuit, quod Mariæ solum ut Christiferæ sacer cultus deberetur, Mariæ vero ut Mariæ nonnisi cultus civilis. II. In quonam differant Laus, Honor, Adoratio? Et quare laus Mariæ ut Mariæ dicatur in hac thesi vana, ejusdemque cultus inutilis ad salutem, si minus sacrilegus. III. Videtur Epiphanius Mariæ ut Mariæ cultum reprehendisse.

IV. Ex Scripturis, & Patribus videtur solus Creator esse adorandus. V. Honor adorationis Sanctis exhibitus videtur esse civilis, non sacer. VI. Videtur non dari medium inter cultum Religiosum latriæ uni Deo debitum, & politicum. VII. Verum ex usu Ecclesiæ, & traditionibus constat, Sanctis, & a fortiori Mariæ ut Mariæ ratione propriæ sanctitatis, & excellentiæ deberi non solum laudem, honorem, gloriam, sed etiam adorationem stricte dictam, eosque utiliter a fidelibus invocari. VIII. Hujusmodi adoratio non est mere civilis, sed sacra, & religiosa. IX. Est quippe actus virtutis supernaturalis.

X. Deipara gratias egit Patri Guttierez, cujus opera Mariæ laudes in bono lumine collocatæ fuerunt. XI. Quid non retribuit P. Suario easdem in immensum extollenti? XII. Quid evulganti, quod de condigno Maternitatem meruerit? Quod paucis dilucide exponitur. XIII. Quid contendenti eam non ab originali duntaxat, sed etiam a debito proximo illud contrahendi fuisse immunem? XIV. In quonam sensu ab Ecclesia tribuuntur Deiparæ, quæ uni Deo competunt? XV. Sancti Patres cum Epiphanio reprehendunt Latriæ cultum, qui Deiparæ exhibebatur a Collyridianis, non Hyperduliæ. XVI. In quonam differat Latriæ, Hyperduliæ, ac Duliæ cultus? XVII. Quæ in Scriptura narrantur, non evincunt adorationem Sanctorum non esse sacram. XVIII. Nec quod dicitur ex Adriano Pontifice. XIX. Ad quam virtutem pertineat cultus Mariæ ut Mariæ? XX. Num possit Deipara adoratione latriæ adorari per hoc, quod Christum tetigerit? XXI. Major cultus Deiparæ debetur ob ejus Sanctitatem, quam ob sanguinis cum Christo conjunctionem.

I. Exponitur. Leo Isauricus omnium primus inter hæreticos post Gentiles antiquos, & Maumethanos, at deinde Constantinus Copronymus B. Virginis, & Sanctorum cultum tanquam sacrilegum detestati sunt, adeo ut publico edicto illum interdicerent,

dicerent; ac docerent, ut refert Niceph. lib. 18. apud Vasquez. t. 1. in 3. p. disp. 97. B. Virginem honore ac sacro cultu dignam fuisse solum, quandiu in utero Christum gestabat; postea vero nullatenus aliis fœminis in hoc præstitisse: ac proinde Mariæ ut Christiferæ, hoc est tanquam Dei Templo, & Christi habitaculo laudem, honorem, cultum, & adorationem deberi, utpote ad ipsum Christum terminatam: Mariæ vero ut Mariæ non item. Eundem errorem iterum in medium potulerunt Vviclephistę, teste Valdensi t.3.c.118., qui cum Vviclepho Pseudo-preceptore nullam aliam Deiparæ salutationem concedebant, quam civilem: Quibus deinde accessit Calvinus l. 1. Inst. c. 11. §. 11., & Centuriatores Centuria 1. l. 2. c. 4. apud eundem Vasq. qui sacram adorationem, & honorem, quem Deiparæ, ac Sanctis ob eorum Sanctitatem deferimus, idololatricum appellarunt.

His auctoribus ex errorum, ac vitiorum cęno emersis originem acceptam refert suam præsens thesis, quæ licet permittat adorationem, etiam latrię, Mariæ ut Deiparæ, tamquam Christi Templo, non secus ac adorationem latriæ etiam Christi imagini deferunt: laudem tamen Mariæ ut Mariæ vult esse omnino vanam, & inutilem ad salutem: Sicut vana, seu inutilis ad salutem est laus, & adoratio, quæ Regibus, & Magnatibus defertur; quippe qui civilis dumtaxat honoris, & cultus sunt capaces, non vero Sacri, & Religiosi: Idemque a fortiori docent de laude, & honore, cultu, & adoratione, quæ Sanctis exhibetur.

II. Differt quidem Laus ab Adoratione, quod Laus sit quędam prędicatio dignitatis alterius, unde ad illam sequitur Gloria, quę ex Aug. lib. 83. QQ. q. 31. importat Claram cum laude notitiam; Adoratio vero importat notam aliquam submissionis attendendo ad excellentiam Personę adoratę; ut proinde laus deferatur lingua, adoratio vero gestu, vel actione alia. Nihilominus, ut advertit Suar. disp. 53. de Incarn. sect. 3., sępe ipsa laus adoratio est; potest quippe laus ipsa esse nota submissionis erga alienam excellentiam, ita ut lingua proferatur illud ipsum, quod exprimit gestu Adoratio.

Differunt etiam Laus, & Adoratio ab Honore, quia Laus in solis verbis consistit, Adoratio in quibuscumque signis externis submissivis, Honor vero in signis externis testantibus alicujus excellentiam, & bonitatem: Propterea Adoratio honorationem includit, ut constat ex Damasc. Orat. 1. de Imaginibus, ubi dicit, Adorationem esse *timoris, & desiderii, & honoris signum, & animi submissi, atque humilis argumentum*; & ex Anastasio in 7. Synodo act. 4., ubi vult Adorationem esse *Honoris alicujus exhibiti emphasim*; hoc est expressionem: Cum autem Laus possit etiam esse Adoratio, ut diximus, poterit consequenter Laus etiam esse Honor: ut proinde qui Divinam excellentiam laudibus extollit animo se illi submittendi, & quasi exhibendi illi cultum debitum, tunc simul Deum laudet, glorificet, & adoret. Hinc fit, quod si vana esset laus, quæ Marię ut Marię defertur, vanus pariter esset, & inutilis ad salutem, si minus sacrilegus, honor adoratio, & cultus exhibitus.

III. Rationes ad ostendendum, quod laus Marię ut Marię, aut Sanctis exhibita sit vana seu inutilis ad salutem; & quod adoratio sit sacrilega, si non sit pure civilis, ita ut coincidat cum reverentia, quę etiam hominibus exhibetur, videntur esse

Primo, quia (ut objicit Philippus Melancton in responsione contra Clerum Coloniensem) D. Epiphanius hæresi 78. acriter reprehendit mulieres illas, quæ in Syria Deiparæ Statuam circumducebant, & ei munera offerebant; *Nunc vero*, inquit Melancton, *magna pietas dicitur invocare Mariam, & donaria liberaliter cumulare*: ergo cultus Mariæ ut Marię non est pius, sed sacrilegus, & laus illis ad summum est civilis, atque adeo vana, seu inutilis ad salutem ex mente Epiphanii.

IV. Secundo, quia 1. ad Timoth. 9. dicitur, *Soli Deo honor, & gloria*: cum autem Gloria ex Augustino sit *Clara cum laude notitia*, fit, quod soli Deo pie deferatur laus, honor, gloria, & adoratio. Proinde Christus D. Matth. 4. diabolo dixit illud Deuteron. 6. *Dominum Deum tuum adorabis; illi soli servies*. Neque dicas adorationem Latriæ esse debitam uni Deo, adorationem vero Duliæ posse pie Sanctis exhiberi, & Hyperduliæ B. Virgini: ita ut laus, ac adoratio ista iis exhibita sit Sacra, & salutaris. Nam Sancti PP. omnem omnino adorationem, & cultum erga creaturas prohibent, qui non sit cultus mere civilis. Epiphanius enim hæresi 79. absolute dixit, B. Virginem non esse adorandam: Aug., Athan., Amb., Leo apud Vasq. l. c. passim docent; *Non creaturam, sed creatorem esse adorandum*. Imo Damascenus lib. 5. de Fide cap. 3. docet, ipsam Christi humanitatem, si cogitatione a Verbo separetur, esse inadorabilem. Et ratio a priori videtur esse, quia adorare in stricta significatione, prout pertinet ad virtutem Religionis, ut notat Vasqu. disp. 93., fert, *In id, quod est reverendum, laudandum, adorandum, & glorificandum propter eminentiam suæ Sanctitatis, & virtutis, totam spem, & fiduciam, subjiciendo se illi, projicere*: atqui totum hoc uni Deo præstari potest: ergo solus Deus potest sacro cultu adorari.

Confirmatur; quia cum Cornelius vellet Petrum adorare Act. 10., hic recusavit, dicens: *Surge & ego ipse homo sum*. Similiter Angelus Joanni ipsum adoranti Apoc. 19. *Vide, ne feceris*, inquit, *conservus enim tuus sum, & Fratrum tuorum; Ipsum adora*. Paulus etiam, & Barnabas Act. 54. recusarunt a Lycaonibus adorari. Neque hujusmodi adorationes ab his rejectæ erant latriæ; cum nec Cornelius Petrum ut Deum haberet, nec Joannes Angelum, &c.; ergo nulla adoratio creaturæ exhibita potest esse sacra, sed solum civilis.

V. Tertio idipsum suadetur verbis illis Adriani in Epist. ad Constantium, & Irenem, ubi loquens de Sanctorum adoratione ait: *Qualis vero iste est adorationis honor? profecto non alius, quam is, quo nos peccatores quoque invicem prosequimur, salutantes nos per honorationem, & dilectionem*: atqui solum civili nos salutatione, & honore invicem prosequimur: ergo Sanctis, atque adeo Mariæ ut Mariæ nonnisi civilis adoratio, & cultus exhiberi potest; qui proinde omnino vanus est, & inutilis ad salutem.

VI. Demum ratione; quia inter cultum Religiosum, seu procedentem ex virtute Religionis erga Deum, & Civilem, qui habetur aut ex virtute observantiæ erga Majores in dignitate constitutos, aut ex virtute Duliæ, qua servi Dominis suis debitum honorem deferunt, non datur alius cultus medius: atqui B. Virgini, & Sanctis non convenit cultus Religiosus, qui cum sit latriæ, uni Deo debetur: ergo solum illis competere potest cultus civilis,

qui inutilis est ad salutem; ac proinde laus Mariæ ut Mariæ exhibita vana est, & adoratio stricte dicta sacrilega.

VII. Ostenditur falsitas: quia perpetuo Ecclesię usu, & traditione constat, Sanctis omnibus, & a fortiori Mariæ inquantum Mariæ ratione propriæ sanctitatis, & excellentiæ deferri, ac deberi non solum laudem, honorem, & gloriam, sed etiam adorationem, & cultum, eosque utiliter a fidelibus invocari: ergo laus, honor, gloria, & adoratio stricte dicta Sanctis, & a fortiori Mariæ ut Mariæ delata, necnon eorum invocatio non est vana, sed pia, utilis ad eorum patrocinium obtinendum, & ad salutem consequendam. Antecedens fusissime, ac summa cum eruditione ostenditur a Canisio lib. 5. de B. Virgine adversus hæreticos: Quod constat etiam ex Scripturis, & Conciliis. Nam Num. 22. Balaam pronus in terram Angelum adoravit; 3. Reg. 18. Saul animam Samuelis; 3. Reg. 18. Abdias Eliam, quamvis ipse in majori dignitate civili esset constitutus: 4. Reg. 2. Filii Prophetarum Elisæum. Præterea in 7. Synodo definitum est, Sanctos esse invocandos, & adorandos: Hoc etiam in Trident. sess. 25. definitum est; ubi etiam Deiparæ, ac Sanctorum imaginibus debitum honorem, ac venerationem impertiendam esse decernitur; & damnantur, qui asserunt, Reliquias Sanctorum inutiliter honorari, & Sanctorum invocationem honori Christi Salvatoris adversari.

VIII. Ratio, cur honor iste, & adoratio Sanctis, Deiparæ, eorumque imaginibus, ac reliquiis debita non sit mere civilis, sed sacra, & consequenter laus etiam, quæ Mariæ ut Mariæ ratione propriæ sanctitatis defertur, sit pariter religiosa, & non vana, ex Vasq. num. 11. est, quia adoratio, seu submissionis nota universim exhibetur ratione excellentiæ, ita ut si excellentia personæ, quæ adoratur, proveviat ratione alicujus civilis dignitatis, adoratio sit mere civilis; si vero proveniat ratione dignitatis, & excellentiæ superioris ordinis ad quamcunque civilem, videlicet ratione Sanctitatis filiorum Dei, & hæredum Regni cœlestis, tunc adoratio ista non sit mere civilis, sed sacra, & religiosa, exhibita personis ob summam earum cum Deo conjunctionem; Atqui hujusmodi est adoratio, honor, cultus, & laus, quæ Sanctis defertur, ac Mariæ, non solum ut Christiferæ, sed etiam ut Mariæ, seu ratione propriæ sanctitatis: ergo hujusmodi adoratio, honor, & cultus est sacer, & utilis, non sacrilegus, aut vanus. Hinc Guilielmus Parisiensis apud eundem Canisium ait: *An falso, & inutiliter vocat Te omnis Ecclesia Sanctorum Advocatam suam, & miserorum Refugium?* Et Bernardus lib. 4. de Assumptione Virginis: *Sileat misericordiam tuam, Virgo, si quis est, qui te invocatam in necessitatibus meminit sibi defuisse.* In eo duntaxat sensu potest dici vana omnis laus Mariæ, quatenus nunquam poterimus illam pro dignitate commendare, juxta illud Augustini; *Quid nos tantilli, quid actione pusilli ejus laudibus referemus; cum etiamsi omnium nostrum ora verterentur in linguas, eam tamen laudare nullus sufficeret?*

IX. Confirmatur; quia nullus actus virtutis supernaturalis potest esse vanus, & inutilis ad salutem: sed laudare, honorare, invocare, & adorare Mariam ut Mariam, sicut etiam Angelos, & Sanctos, est actus virtutis supernaturalis: ergo non inaniter Maria ut Maria laudatur. Minor patet, quia actus conformis voluntati Divinæ, & dictamini rationis est actus virtutis, qui si procedat ex comprincipio supernaturali, habeatque pro motivo formali objectum cognitum lumine supernaturali, est procul dubio actus virtutis supernaturalis: Mariam autem, aut Sanctos laudare, & colere ratione propriæ sanctitatis, est voluntati Divinæ, & dictamini rationis consonum; ac hujusmodi objectum, nempe eorum Sanctitas, lumine supernaturali cognoscitur, ut patet: ergo est actus virtutis supernaturalis.

Quod autem sit id rationi consonum, constat, tum ex solutione difficultatum, quas hæretici congerunt, tum ex illo Bernardi: *Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, & votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui totum nos habere voluit per Mariam*; Tum demum, quia sicut in humanis consonum rationis dictamini est, quod Magnates in dignitate civili constituti laudentur, & honorentur, immo etiam adorentur cultu civili, seu politico, prout 3. Reg. 1. dicitur Bersabee Regem adorasse, & Estheris 3. dicitur, quod servi Regis flectebant genua, & adorabant Aman; & Judith 10. quod Judith Holofernem adoraverit; quæ intelligi non possunt nisi de adoratione civili, quæ ob aliquam naturalem excellentiam, aut dignitatem alteri defertur: ita consonum rationi est, quod Filii Dei adoptivi, & Regni Cœlestis hęredes propter eorum Sanctitatem laudentur, honorentur, & adorentur cultu sacro, utpote terminato non ad eorum civilem dignitatem, sed ad eorum sacras dotes: Ut proinde sicut adoratio civilis inter homines non est civiliter vana, sed expectat in terris suam recompensationem; ita adoratio isthæc ad Mariam, & Sanctos terminata, ob excellentiam eorum supernaturalem creatam, non sit inutilis ad salutem, expectetque in cœlis mercedem suam. Quomodo enim non pateat ingressus in patriam illi, qui Mariæ laudes, quæ janua cœli est, ad cœlos extulerit, cum dicatur Eccl. 24. *Qui elucidant me, vitam æternam habebunt?*

X. Compertum est, P. Martino Guttierez Societatis Jesu B. Virginem gratias egisse, quod solide, ac luculenter ejus opera Facultati Theologicæ innotuerit, gratiæ plenitudinem uni Virgini concessam longe superasse cumulum omnem gratiarum omnibus simul Angelorum Choris, ac Sanctis concessum, quos inter nitet Virgo, velut inter ignes Luna minores; ita ut sicut in mari sunt aquarum, ut loquitur Bonaventura, sic in Maria sint congregationes Gratiarum. Quomodo ergo vana, & inutilis dicetur laus, quæ Mariæ ut Mariæ defertur?

XI. Quid non credimus retribuisse P. Francisco Suario, qui omnium primus tom. 2. in 3. p. c. 4. eruditissime, ac dilucide ostendit, non solum collatam fuisse abyssum hanc gratiarum Deiparæ, adeo ut omnes simul aliorum omnium gratias longe excelleret, sed etiam immensum illum gratiarum cumulum in primo Immaculatæ Conceptionis instanti acceptum singulis instantibus toto vitæ decursu, diu noctuque duplicasse, ita ut laboret Arithmetica ipsa in tanto calculo supputando. Quod enim B. Virgo, etiam dum somnum caperet, actibus liberis meritoriis gratiam præhabitam duplicaret, eo quod secundum se totam in illos influeret, ex eo videtur reddi probabilissimum, si supponatur B. Virgini ob ejus dignitatem collatas fuisse species impressas independentes a phantasmatibus, prout sunt in anima separata, ut proinde etiam dormiens posset libere operari,

operari, juxta illud Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.*

XII. Quid non gratiarum rependit gratissima Virgo iis, qui ad ejus laudes exaltandas conati sunt ostendere cum Gabriele in 3. dist. 4. Almaino, Abulensi, Bernal, Gabrera, Martino Perez de Incarn. disp. 10. sect. 12., & aliis apud Vegam Palæst. 28. num. 1695. quod Maternitatem, qua ad solium Divinitatis evecta est, non de congruo duntaxat meruerit, sed etiam de condigno? Qua in re in obsequium Deiparæ liceat tantisper immorari. Certum est ad meritum de condigno duo requiri, & proportionem Geometricam meriti cum præmio, velut seminis cum fructu uberrimo in sinu munificentissimi Remuneratoris, & promissionem onerosam de tali præmio conferendo sub conditione illius meriti; Neutrum autem videtur defuisse in casu nostro; nec Proportio, ut ostendit Suar. 1. 2. in 3. p. disp. 11. sect. 7., nec Promissio, ut advertit Vasquez in 3. p. disp. 23. cap. 3. (esto hic non admittat proportionem, & ille promissionem non agnoscat) atque adeo valde probabile videtur, quod Deipara de condigno meruerit Maternitatem.

Et sane, quod non defuerit ea Geometrica proportio inter merita Virginis, & hujusmodi præmium, nempe Maternitatem, ex eo fit perspicuum, quia quamvis Divina Maternitas sit donum excellentissimum, quo majus infra Unionem hypostaticam excogitari non potest, cum sit radix omnium aliorum donorum, quæ puræ creaturæ conferri possunt; nihilominus non est donum simpliciter infinitum: (quicquid in oppositum ex pietate erga Deiparam conentur ostendere Cardenas in Opusc. de Maternitate, & Gratia Virginis, & Rhodes tr. 8. qu. 2.) nec reponitur in ordine supremo, ac Divino, in quo reponitur Unio hypostatica, cum sola hæc Unio faciat Hominem Deum; Maternitas vero habeat solum quandam infinitatem per merum respectum ad Deum, reddendo Virginem Dei Matrem; non secus ac filiatio adoptiva Dei, & visio Dei infinitatem quandam habent, ita ut in sua linea crescere non possint, per hoc quod illa reddat hominem Dei filium adoptivum, ista vero perfecte possidentem ipsum Deum. Hæc tamen omnia sunt perfectionis simpliciter limitatæ; unde non requiritur meritum infinitum, ut possint conferri in præmium condignum, sicut requiritur meritum infinitum Theandricum, ut possit Unio hypostatica in præmium condignum conferri. Immo si solum spectetur Maternitas secundum se, non præstat gratiæ habituali. August. tract. 10. in Joan. dixit. *Beatior fuit Maria Deum concipiendo mente, quam ventre:* & ideo Christus Dominus Luc. 11. dicenti sibi: *Beatus venter, qui te portavit*, subdidit: *Quinimmo beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Quare Maternitas Divina ex eo dicitur donum præstantissimum, quo majus est sola Unio hypostatica, quia est radix, & origo aliorum omnium donorum supernaturalium, quæ puræ Creaturæ possunt competere. Ex hoc autem quod sic considerata longissime, ac pene infinito intervallo superet præstantiam gratiæ, seu Filiationis adoptivæ Dei, & Visionis beatificæ, ac omnium aliorum supernaturalium donorum, solum loquitur, quod ut possit sub meritum condignum cadere, requiratur meritum longissime præstantius, ac pene infinito excessu superans meritum justi, quod condigne solum meretur augmentum gratiæ, ac visionem beatam: Hujusmodi autem meritum quod sit possibile in pura Creatura affecta immenso cumulo gratiæ sanctificantis, negari non potest, posito quod non debeat illud esse simpliciter infinitum, ac Theandricum. Neque enim ex eo poterit repugnare, ut nonnemo docuit, quod meritum justi solum exigat de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ. Nam sicut in alia providentia potest justus, præter augmentum gratiæ, & gloriæ sibi conferendum, mereri de condigno alteri innocenti gratiam, eo quod non consistat in divisibili præmium, quod potest a Deo condigne conferri meritis justorum: ita potest a Deo in præmium condignum meriti intensissimi Deiparæ conferri præter augmentum gratiæ, & gloriæ, ipsa Divina Maternitas.

Quod autem hujusmodi meritum de facto fuerit in Deipara, ille solum dubitare poterit, qui dubitaret de plenitudine gratiæ Deiparæ concessæ, qua ad tantam dignitatem se disponeret. Div. Bernardinus Senensis serm. 61. habet: *Excepto Christo, tanta gratia Virgini a Domino data est, quanta uni puræ Creaturæ possibilis esset.* Beda lib. 1. in Luc. verba illa Angeli, *Gratia plena*, sic exponit: *Plenam gratia dixit, ut quantum Spiritus Sanctus valeret, ostenderet.* D. Bernardus in Serm. super *Missus est* habet: *Maria plena fuit sibi, & superplena nobis*: ac Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, *Bene plena, quia cæteris per partes præstatur, Mariæ vero se tota infudit plenitudo gratiæ*: Quare cum ad Gratiæ augmentum crescat meriti valor, sequitur, quodcumque meritum Deiparæ fuisse longe præstantius omnibus aliarum omnium Creaturarum meritis, non secus ac ejus Gratia longe præstabat gratiis omnibus, quæ in aliis creaturis reperiuntur; cum de illa dici possit: *Quæ divisa beatos efficiunt, collecta tenes.* Cum autem Deipara tota vita, die, noctuque, etiam dormiens, ut modo diximus, intensissimos virtutum omnium actus exercuerit; cum perpetua innocentia, cum immunitate ab omni labe, etiam originali, cum carentia fomitis, & cum aliis innumeris Divinis donis, negari non poterit, quod inter Deiparæ merita, ac Maternitatem daretur Geometrica proportio, spectata etiam Divina munificentia, ita ut posset hæc condigne dari in præmium illorum: non secus ac condigne datur vita æterna in præmium operationum justi supernaturalium.

Solum itaque ostendendum est, quod nec defuerit Divina promissio de dando Deiparæ hoc præmio sub conditione onerosa actus Fidei, & consensus præstiti Angelo annunciandi mysterium Incarnationis simul cum meritis omnibus præcedentibus. Id autem valde probabiliter videtur colligi ex verbis Gabrielis dicentis: *Ne timeas Maria, invenisti gratiam apud Dominum: Ecce concipies, & paries*: ubi Doctores laudati docent subintelligi, *Si fidem, & consensum præbeas*; atque adeo promitti Maternitatem sub conditione onerosa meritorum, ut proinde Div. Bernardinus Senensis tom. 2. serm. 5. dixerit; *Beata Virgo in Conceptionis Filii sui consensu plus meruit, quam omnis creatura, tam Angeli, quam homines in cunctis actionibus.* Eadem Divina promissio, ac ordinatio ad tale præmium videtur non obscure pariter erui ex verbis illis Elisabeth, *Beata, quæ credidisti, perficientur in Te, quæ dicta sunt Tibi a Domino.* Propterea Bonavent. in 4. dist. 4. art. 2. dixit: *Postquam consensit, & Spiritus Sanctus in copiositate gratiæ in eam descendit, non solum congruitatem, sed & condignitatem habuit.* Et Ecclesia his verbis Deum alloquitur: *Ut dignum*

Filii

Filii tui habitaculum effici mereretur, Spiritu Sancto cooperante præparasti; & B. Virgini gratulatur, dicens, *Regina cœli lætare, alleluja, Quia quem meruisti portare, alleluja*; &c. Quæ omnia, ut optime Perez advertit, non possunt apte intelligi de merito solum congruo; cum ad merendam de congruo Maternitatem non requiratur immensus gratiarum cumulus Deiparæ collatus; nam Incarnationem ipsam etiam Sancti Patres meruerunt de congruo.

Denique id potissimum confirmatur ex maxima illa communiter a Theologis admissa, quod sicut universim nihil supernaturale est admittendum, nisi de eo constet positive; ita ubi agitur de Deipara, (non secus ac de Christo Dom., ac de Sacramento Eucharistiæ) nulla prærogativa est illis deneganda, de qua positive non constat, quod Deus voluerit illis denegare; cum ratione propriæ dignitatis exigant quamcumque iis non dissonam. Negari autem non potest, quod speciali prærogativa careret Deipara, si Maternitatem habuisset mere gratuito, & non ex exigentia morali intrinseca, seu ex merito de condigno; cum citra controversiam sit sublimius possidere, quod ex intrinseca exigentia habetur, quam quod gratuito; ergo cum non constet ex revelatis, hanc prærogativam Deiparæ non dissonam esse denegatam, dicendum eam illi fuisse concessam, atque adeo non defuisse promissionem ad id requisitam.

XIII. Quid denique dicam de iis, qui solo cordis affectu B. Virginem non solum a macula originali, sed etiam a debito proximo illam contrahendi immunem fuisse propugnarunt, prout in expositione 19. propositionis innuimus? Non dies, sed annus, sed sæcula me deficerent, si Mariæ etiam ut Mariæ prærogativas omnes vellem recensere, quas summa cum pietate, & utilitate Christianus orbis recolit, ac veneratur. Dicam duntaxat cum Honorio Anachoreta l. 3. c. ultimo: *Mariæ nomen plenum omni dulcedine, ac suavitate Divina, omni ore simul, & corde celebrandum, & invocandum est*. Dicam etiam cum Ecclesia humiliter: *Dignare me laudare te Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos*.

XIV. Offendit tamen teneras Novatorum aures cum Luca Osiandro apud Canisium l. 5. c. 13., quod ab Ecclesia laudes Mariæ usque adeo extollantur, ut de ea dicamus, quæ uni Deo competunt: dicimus enim in Cantico *Salve Regina*, quod sit *Vita, dulcedo, & spes nostra*; a Bernardo vocatur *Restauratrix nostra*; ab Ephrem *Nostra salus, & gaudium*: & ab Ecclesia ex Hieronymo, & Anselmo dicitur: *Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses interemisti*: propterea idem Lucas Catholicos insimulat idololatriæ, quod Virgini titulos Deo duntaxat dignos deferant.

Sed, ut advertit Vasq., longe hæc ab idololatria distant, quia non aliter laudes istæ Virgini deferuntur, nisi ad explicandam eximiam ipsius apud Filium intercessionem. Nec aliter dicitur nostra spes, & salus, nisi quia in deprecatione Virginis apud Filium spem consequendi salutem reponimus. Dicitur hæreses omnes interemisse tum sua intercessione, tum per Filium, quem genuit; sicut per eumdem dicitur serpentis caput contrivisse. Laudes itaque Virginis nec vanæ sunt, nec idololatricæ.

XV. Ad primam rationem in contrarium ex Melanctonio adductam dicendum, ab Epiphanio solum reprehendi mulieres illas, quia Deiparam tanquam Deum habebant, illique Latriæ cultum, & Sacrificia offerebant, prout habet de Collyridianis circa ann. salutis 373., ut constat ex ejus verbis apud Vasq. loc. c. dicentis: *Revera sanctum erat Corpus Mariæ, non tamen Deus; revera Virgo erat ipsa honorata, sed non ad adorationem nobis data*: ubi dum dicit B. Virginem esse honoratam, dignam honore fatetur, non tamen adoratione, vid. latriæ, debita uni Deo. Nec improbat Epiphanius donaria, quæ in honorem B. Virginis, aut Sanctorum in Templo suspenduntur, quicquid Herbrandus ignoranter dixerit apud Canisium. Ad hæresim 79. de Collyridianis in principio, & ad hæresim 78. circa finem advertit Div. Epiphanius, quod Collyridiani *pro Deo Deiparam introducere studuerint*, & quod *in nomine semper Virginis Collyridem sacrificarent*; & idcirco hanc oblationem Sacrificii in nomine B. Virginis oblati merito reprehendit iis verbis: *Sit in honore Maria; Pater, ac Filius, & Spiritus Sanctus adoretur*: *Mariam nemo adoret, non dico mulierum, immo neque virorum*; *Deo debetur hoc mysterium*. Ubi etiam advertit, consuevisse hujusmodi Sacrificium etiam mulieres, tanquam Sacerdotes, offerre Deiparæ contra morem Ecclesiæ, & contra præceptum Apostoli, qui mulieribus ne docere quidem in Ecclesia permittit verbis illis 1. ad Cor. 14. *Mulieres in Ecclesiis taceant*: & ideo dicit Epiphanius: *Mariam nemo adoret: non dico mulierum, immo neque virorum, Deo debetur hoc mysterium*.

XVI. Ad secundam: Apostolus, ut quidam interpretantur, ibi loquitur de gloria, & cultu Divino, qui soli Deo exhibendus; non negat autem aliis suam gloriam, & honorem, cum ad Rom. 2. dixerit: *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum, Judæo primum, & Græco*. Alii docent, ibi Apostolum loqui de misericordia, quam consecutus fuerat ob Christi Redemptionem, & quia soli Deo, non meritis hominum ea tribuenda, ideo addidit, *Regi sæculorum immortali, & invisibili, soli Deo honor, & gloria*. Præterea soli Deo adoratio Latriæ exhibenda: adoratio vero Duliæ Sanctis, & Hyperduliæ B. Virgini a Sanctis Patribus, ac Theologis omnibus non denegatur: In eo enim istæ adorationes differunt, quod cultus Latriæ deferatur ob excellentiam summam, & increatam, atque adeo uni Deo competat; Duliæ vero ob excellentiam creatam, sed supernaturalem, nimirum ob sanctitatem, qua Sancti sunt filii Dei adoptivi, & in præsenti providentia sunt Christi viva membra, ac ejusdem fratres; Hyperdulia demum ob excellentiam eamdem supernaturalem creatam non qualemcumque, sed valde sublimem, sicut tribuitur B. V. ob Divinam ejus Maternitatem, quæ procul dubio donum creatum est, licet terminatum ad Divinitatem; & nonnulli eandem Hyperduliæ adorationem tribuunt Deiparæ mere ob eximiam ejus Sanctitatem, quæ omnem omnium simul creaturarum sanctitatem superavit, juxta illud Ps. 86. *Diligit Dominus portas Sion super omnia tabernacula Jacob*; Sicut eumdem Hyperduliæ cultum tribuunt Humanitati Christi, si in ea solum abyssus gratiæ accidentalis, seu Sanctitatis creatæ consideretur, & mente præscindatur ab Unione hypostatica, vi cujus sanctificatur formaliter infinite ab infinita Verbi sanctitate substantiali, & Christus sit Homodeus adoratione Latriæ adorandus, ut communiter Theologi docent ex Angelico 3. p. qu. 25. art. 2. ad primum. Quia tamen antonomastice Adoratio sumitur sæpe pro adoratione Latriæ, ideo passim Patres docent, non creaturam,

sed

sed Deum esse adorandum: Sanctis tamen, ac eorum imaginibus, & Reliquiis adorationem exhibendam esse, non civilem duntaxat ob eorum sapientiam, potentiam, excellentiam, aliasque dotes naturales, sed etiam Sacram, seu Duliæ ob eorum excellentiam supernaturalem creatam, passim etiam DD. & Concilia docent, & rationi consonum est, ut ostendimus.

Neque obstat, quod adoratio sacra ferat submissionem simul, & fiduciam, ac spem obtinendi salutem ab ea persona, quæ adoratur. Nam, ut notat D. Th., fiducia ista potest etiam in Sanctis, & Deipara reponi; ita ut ab eis, non tanquam ab Agente primario, ut a Deo, sed tanquam a secundario speretur salus, & quæcumque ad beatitudinem consequendam ordinantur, quatenus eorum precibus possumus hæc omnia obtinere.

XVII. Ad Confirmationem: Chrysost. explicans locum illum Act. 10. dicit Petrum ex sua modestia adorationem recusasse; ut quotidie fit inter homines; cum quo bene cohæret, quod illi ratione propriæ sanctitatis adoratio sacra posset tribui. Deinde Angelus noluit a Joan. adorari, non quia non esset illi debita adoratio sacra spectans ad virtutem Duliæ, (quæ a D. Th. 2. 2. qu. 103., & aliis apud Vasq. sub virtute Observantiæ reponitur, & distinguitur a Latria, hoc est a virtute Religionis) sed quia, ut optime tradunt Anselmus, Beda, Rupertus, & Richardus a Sancto Victore, voluit Angelus indicare Joanni, quanti ab Angelis fiat natura humana ob conjunctionem in Christo cum Divina, & quanti fiant Apostoli Christi, Principes Ecclesiæ, quos inter erat Joannes; unde in hoc casu attendenda quam maxime est Angeli modestia, & dignitas Apostolatus. Denique Lycaones, ut notat Hieron., detinere volebant Paulum, & Barnabam, ut illis tanquam Mercurio, & Jovi immolarent, ac proinde adorationem isti recusarunt.

XVIII. Ad tertiam respondeo cum Vasq. eadem disp. 97., Adrianum solum velle, quod Sanctis deferenda non sit adoratio latriæ Deo debita; proinde comparat cultum Sanctorum cum civili, quo cives se mutuo prosequuntur, ut ostendat Sanctos, non ut Deos, sed ut domesticos Dei esse colendos cultu sacro; Sicut non honoramus cives cultu politico tanquam Reges, sed ut concives, & fratres.

XIX. Ad ultimam; diximus præter cultum religiosum ortum ex virtute religionis erga Deum, & cultum civilem ortum ex virtute observantiæ, qua majores honoramus, aut Duliæ, qua servi Dominos honorant, dari cultum medium, qui sacer simul sit, & non sit Latriæ, quo scilic. Sanctos ob eorum sanctitatem, & conjunctionem cum Deo honoramus; Sive hujusmodi cultus pertineat ad virtutem religionis, qua simul Deum propter se, & Sanctos propter Deum adoramus, eo pacto quo per eandem virtutem Charitatis & Deum amamus propter se, & proximum propter Deum; sive pertineat ad virtutem Duliæ distinctam a virtute Religionis, qua Deum solum colimus, ita ut per eandem virtutem Duliæ tam homines in civili dignitate constitutos, quam Sanctos propter eorum dignitatem supernaturalem colamus; sive demum spectet ad tertiam virtutem distinctam tum a virtute Religionis, quæ Deum duntaxat respicit, tum a virtute Duliæ, seu Reverentiæ, qua alios ob naturales duntaxat eorum dotes veneramur, ita ut virtus Duliæ secundum se, & antonomastice solum respiciat cultum sacrum Sanctorum ob eorum supernaturalem excellentiam, ac sanctitatem. Variant enim DD. apud Vasq. loc. cit. in statuenda harum virtutum distinctione; sicut etiam, Utrum virtus Duliæ a virtute Hyperduliæ distinguatur realiter, an solum ratione connotati diversi? Ex qua opinionum diversitate fit, aliquos cum Fill., Laym., Hurtado apud Dian. p. 1. tract. 7. resol. 50., & p. 5. tract. 13. res. 21. putare, quod blasphemia in Deum specie differat a blasphemia in Deiparam, & hæc a blasphemia in Sanctos: quia prima est contra virtutem Religionis; secunda contra virtutem Hyperduliæ; tertia contra virtutem Duliæ: Alios vero cum Sanchez, Fausto, ac eodem Diana putare, esse ejusdem speciei, nec esse in confessione explicandas hujusmodi circumstantias, atque adeo solum in confessione esse explicandum, num blasphemia fuerit hæreticalis, (quia tunc oppositionem habet cum fidei confessione) aut si a formali odio Dei processerit.

XX. Quod autem B. Virgo non sit adoranda adoratione Latriæ, per hoc quod Christum tetigerit, sicut potest Crux adorari, diximus in expositione propositionis antecedentis. Neque etiam ratione Maternitatis, & consanguinitatis cum Christo latriæ adorationem meretur; quia quamvis hujusmodi dignitas ad Filium referatur, non est tamen ejusdem ordinis, ac dignitatis cum Filio; eo quod Verbum non descendat secundum se totum ad dignificandam Deiparam, sicut descendit ad dignificandam Humanitatem assumptam; ita ut solum de Christo Deus in recto prædicetur, non vero de Deipara; sicut nec de Filio Dei adoptivo, quamvis pariter ad Deum referatur, & ab eo formaliter dignificetur: Ab eadem quippe forma potest diversimode subjectum dignificari juxta variam cum illa conjunctionem; sicut in humanis a dignitate Regia diversimode dignificatur moraliter ipse Rex, & Regis Filius, Amicus, Orator, Servus.

XXI. Adde, B. Virgini majorem cultum deberi ob vitæ sanctitatem, quam ob sanguinis cum Christo conjunctionem, ut diximus ex August. tr. 10. in Joan. quicquid sit, Utrum ipsa Maternitas Dei formaliter justificet: Quod probabiliter multi Theologi docent verum esse in præsenti providentia, non tamen secundum se: Sicut etiam ratiocinantur de Unione hypostatica, quæ licet sanctificet Humanitatem assumptam infinite ut quo, quæstio tamen est, utrum etiam illam sanctificet ut quod. Ex quibus omnibus fit, non inaniter, sed valde utiliter Mariam, ut Maria est, laudari, honorari, adorari, ac invocari; cum ipsa sit Gratiarum Aquæductus; & sæpe a Christifidelibus dici possit illud Jerem. 44., quod ibi de luna dicebatur a Judæis Idololatris: *Ex eo tempore, quo cessavimus sacrificare Reginæ Cœli, & offerre ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame consumpti sumus.*

PRO-

PROPOSITIO XXVII.

Valuit aliquando Baptiſmus ſub hac forma collatus: In nomine Patris, &c. prætermiſſis illis, Ego te baptizo.

SYNOPSIS.

I. Si hæc forma, In nomine Patris, &c. *prætermiſſis illis*, Ego te baptizo, *olim valuiſſet, etiamnum valeret. II. Quomodo olim valide baptizabatur in nomine Chriſti, nunc vero non item? III. Quomodo matrimonium clandeſtinum redditum ſit invalidum a Tridentino? IV. In eo nititur hæc theſis, quod Chriſtus D. præcepit ſolum, quid agendum eſſet in collatione Baptiſmi, non quid eſſet dicendum. V. Sicut quando dixit:* Euntes docete omnes Gentes. *VI. Quod ex Apoſtolo videtur evinci.*

VII. Undenam requiritur ad Baptiſmi validitatem, quod actio Miniſtri exprimatur? VIII. Verum ex ſacris Canonibus conſtat, non conferri baptiſmum valide per meram invocationem Trium Perſonarum, non expreſſa actione Miniſtri. IX. Necnon ex Florentino, & ex Eccleſiæ traditionibus. X. De facto materia, & forma Sacramentorum eſt ſymbolica, ſignificans quod cauſat, & cauſans quod ſignificat; unde exprimenda eſt per formam baptiſmi emundatio, quæ cauſatur. XI. Præcepit itaque Chriſtus D. non ſolum quid agendum, ſed etiam quid dicendum eſſet in collatione Baptiſmi. XII. Diſparitas inter hoc præceptum, & illud, quo præcipitur, ut omnes Gentes doceantur, oritur ex libera Chriſti D. voluntate, quæ nobis innoteſcit per traditiones. XIII. Nec aliud evincit, quod dicitur ex Apoſtolo. XIV. Non ſufficit hæc forma, Baptizet te Chriſtus; *neque hæc alia*, Abſolvat te Deus. *XV. Licet ſufficiat illa*, Indulgeat tibi Deus, &c. *XVI. Quid de Sacramento Confirmationis collato Imperatori Conſtantino illis verbis*, Signet te Deus &c. *XVII. Quid de forma illa Græcorum*, Baptizetur ſervus Chriſti?

I. Exponitur. Quod hæc forma non ſufficiat nunc ad validitatem Baptiſmi, conſtat ex cap. *Si quis* de Baptiſm. ubi Alexander III. hæc habet: *Si quis puerum in aqua immerſerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & non dixerit, Ego te baptizo, non eſt baptizatus:* docent proinde hujus propoſitionis Aſſertores olim hanc formam valuiſſe. Verum, quamvis in hac theſi ſolum dicatur, quod olim hæc forma valuerit, implicite tamen, & exercite dicitur, quod etiamnum ſit valida, non obſtante illa definitione Alexandri III. in contrarium. Ratio eſt, quia univerſim materia, & forma Sacramentorum omnium, quæ ſemel, & in aliquo loco valuit, ſemper, & ubique valebit, ut paſſim Doctores docent de Sacramentis contra nonnullos Canoniſtas apud Vaſq. diſp. 129. cap. 5.; eo quod materia, ac forma Sacramentorum fuerit a Chriſto D. inſtituta, ac determinata; (quamvis non eodem modo pro ſingulis Sacramentis, ſed pro aliquibus determinata fuerit uſque ad ſpeciem atomam, pro aliis tantum in genere) atque adeo ſi ea forma Baptiſmi, *In nomine Patris*, &c. omiſſo, *Ego te baptizo*, aliquando valuit, etiam nunc valeret; ſicuti quia forma Baptiſmi, quæ apud Græcos habet, *Baptizetur ſervus Chriſti in nomine Patris*, &c. eſt valida, etiam apud Latinos eſt valida, quamvis illicita: non ſecus ac valide, & illicite conſecrat Latinus in fermentato, & Græcus in azymo. Et ratio a priori eſt, quia ſicut una eſt Eccleſia, ita una & eadem pro tota Eccleſia eſt materia, & forma Sacramentorum a Chriſto Dom. inſtituta. Quod ſignificavit Apoſtolus ad Eph. 5. dicens: *Unus Dominus, una Fides, unum Baptiſma.*

II. Neque obſtat, quod olim valide baptizabatur *In nomine Chriſti*, juxta illud Act. 8. *In nomine Jeſu Chriſti baptizabantur viri, & mulieres*; quæ forma nunc non eſt valida: Sicut neque eſt materia idonea ad Sacramentum Matrimonii contractus clandeſtinus, qui olim ante Tridentinum erat materia idonea. Nam D. Cyprianus epiſt. 73. expreſſe negat, Apoſtolos unquam baptizaſſe in ſolo Chriſti nomine; ſed baptizabant interponendo in forma illud venerandum Nomen, quod tunc temporis *Judæis erant ſcandalum, Gentibus ſtultitia*; ut dicitur 1. ad Cor. 1.; atque adeo baptizabant *In nomine Patris, & Filii Jeſu Chriſti, & Spiritus Sancti*; Quicquid ſit, an ex ſpeciali diſpenſatione aliquando in ſolo nomine Chriſti baptizarent, ut putat Angel. q. *66.* art. *6.*; Sicut nonnulli Canoniſtæ putant apud Dicaſtillum, propter ſpecialem diſpenſationem Apoſtolos Sacramentum Confirmationis miniſtraſſe ſola manuum impoſitione; cum de hac tantum fiat mentio in Scriptura, non vero de Unctione Chriſmatis ex oleo, & balſamo confecti; quod forte tunc non erat ad manus pro tot Fidelibus confirmandis.

III. Quod attinet vero ad Sacramentum matrimonii, eadem ſemper, & ubique fuit materia a Chriſto Dom. inſtituta, nempe contractus validus. Tridentinum ſolum voluit, quod contractus clandeſtinus non eſſet validus, (quod etiam facere poteſt Reſp.) quin proinde mutaverit materiam a Chriſto inſtitutam; ſicut forma a Chriſto inſtituta ad validitatem Baptiſmi ſunt verba ſignificantia ablutionem; Si tamen Reſpublica inſtitueret, quod verbum *Baptizo*, ſignificet verb. gr. verberationem, & verbum *Verbero* ablutionem, tunc valide baptiſmus conferretur per hæc verba, Ego te verbero, & non per hæc verba, Ego te baptizo, quin proinde Reſp. diceretur mutaſſe materiam Baptiſmi a Chriſto inſtitutam, quia ſolum variaret ea, quæ per accidens ſpectant ad formam a Chriſto præſcriptam. Firmum itaque eſt, quod ſi olim valuiſſet ante definitionem Alex. III. forma Baptiſmi, in qua verba illa, *Ego te baptizo*, omitterentur, etiam nunc deberet valere: eſto eſſet illicita. Unde fieret, Pontificem ex cathedra loquentem in ea definitione erraſſe: quod ſubdole, ac primario Aſſertores hujus propoſitionis intendunt.

IV. Fundamentum ad dicendum olim valuiſſe hanc Baptiſmi formam apud Suar. diſp. 21. ſect. 2. eſt, quia Chriſtus Dom. per ea verba, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. non præcepit quid dicendum ſit, ſed quid agendum, dum confertur Baptiſmus: ergo præceptum hoc ſufficienter implent Chriſti Dom. Miniſtri opere, ſeu in actu exercito, abluendo in nomine Patris &c. eos, quos baptizant: quamvis non dicant ſignate ſe eos baptizare, nec exprimant verbis actionem abluendi, quam exercent.

V. Confirmatur primo; quia dum Chriſtus Dom. Matth. 28. dixit, *Docete omnes Gentes baptizantes eos*, non præcepit ut ſignate dicerent ſe docere, ſed tantum ut exercite docerent. Et cum dixit Lu-

cæ 22.

cæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, non præcepit, ut in consecrando dicerent, *Hoc facio in commemorationem Christi*; ergo pariter quando dixit, *Baptizantes eos*, non præcepit, ut dicerent, *Ego te baptizo*; sed solum quod lavarent baptizandos, dicendo, *In nomine Patris*, &c.

VI. Confirmatur secundo ex illo ad Ephes. 5. *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*; ubi Apostolus diserte significat Christum lavasse, ac mundasse Ecclesiam per Baptismum in verbo vitæ; hoc est, ut interpretantur Chrysostomus, & alii apud Vasq. l. c. In nomine Patris, &c. quia scil. his verbis vita, seu gratia confertur in Baptismo: ergo ad valorem Baptismi non requiruntur verba, *Ego te baptizo*, sed sufficiunt verba ista, *In nomine Patris*, &c.

VII. Confirmatur demum; quia juxta sententiam Soti apud Dicastil. disp. 1. de Bapt. n. 86. ad validitatem Baptismi non requiritur, quod exprimatur actio Ministri, sed sufficit, si dicatur, *Baptizet te Christus*; sicut Imperator Constantinus, ut habetur in ejus Edicto ante Concilium Nicænum primum, confirmatus fuit iis verbis; *Signet te Deus signo Fidei suæ, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus S. in consignatione Fidei*; Et sicut sufficit apud Græcos, si dicatur, *Baptizetur servus Christi*; Ergo verba illa, *Ego te baptizo*, quibus actio ministri significatur, non spectant ad valorem Sacramenti. Immo nonnulli Græci, ut colligitur ex c. ultimo de Bapt. apud Suar. d. 21. sect. 1. somniarunt nullatenus debere actionem ministri a forma Baptismi exprimi, ne videatur Sacramentum tribui Ministro, & non Christo.

VIII. Ostenditur falsitas. Primo ex Canone laudato *Si quis puerum* de Baptismo, ubi definitur, Baptismum non conferri per ablutionem, & invocationem Trium Personarum, non expressa actione Ministri per illa verba, *Ego te baptizo*, aut saltem per æquivalentia, qualia sunt verba illa Græcorum, *Baptizetur servus Christi*: His enim non significatur, Baptizetur servus Christi a Deo, vel ab ipso Christo, sed a me, ut notat Vasq. p. 2. disput. 143. num. 19. quia eo ipso ac additur, *In nomine Patris*, tota actio non refertur ad solum Deum, sed instrumentaliter etiam ad Ministrum: Sicuti quando in ea oratione Ecclesiæ de communi Martyr. non Pontif. dicitur, *Ejus nobis fiat supplicatione salutaris, pro cujus solemnitate defertur*, per illam particulam, *defertur*, significatur persona Sacerdotis, & assistentium oblationem illam deferentium.

IX. Constat hoc etiam ex Florentino apud Suar. loc. cit. ubi dicitur: *Si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur Ministrum, cum Sanctæ Trinitatis invocatione præficitur Sacramentum*; ubi significatur utrumque esse exprimendum, & actionem Ministri, & mysterium ineffabile Trinitatis. Quamvis autem, ut notat Armacanus l. 8. de quæst. Armen. c. 8. ex Scripturis id aperte non colligitur, quod verba illa, *Baptizantes eos in nomine Patris*, &c. intelligi possent in eo sensu, in quo intelliguntur verba illa Marci 14. *In nomine meo dæmonia ejicient*; ita ut non aliud denotent, quam in Virtute, ac fide Trinitatis conferendum esse Baptisma; sicut in virtute, ac Fide Christi, circumscripta hujus nominis invocatione, Apostoli Dæmonia ejiciebant, & Act. 9. Petrus excitavit Tabitham, & Act. 14. Paulus sanavit claudum: Nihilominus traditio Ecclesiæ, & Concilia docent, atque adeo de Fide est, ad validitatem baptismi formam esse necessariam, qua actio abluendi exprimatur invocando simul, ac profitendo Fidem Trinitatis.

X. Confirmatur: quia quamvis Christus Dominus potuisset Sacramenta instituere absque ullis verbis, aut solum proferendo, Blitri, vel quid simile; nihilominus voluit de facto, ut advertit D. Th. op. 22. c. 1. materiam, & formam symbolicam in omnibus Sacramentis instituere, quæ scilicet significarent effectum spiritualem, quem causant, & causarent effectum, quem significant, ita ut expressius per formam verborum, quam per materiam id significaretur, ut inductione constat; cum autem ablutione significetur emundatio spiritualis a maculis culpæ per Baptismum, debuit consequenter hæc eadem a forma expressius significari; atqui sublatis verbis illis, *Ego te baptizo*, id non significaretur: sicut sublatis verbis illis, *Ego te absolvo*, non significatur in Sacramento Pœnitentiæ a forma liberatio a culpis: ergo sicut spectant ad Sacramentum Pœnitentiæ verba illa, *Ego te absolvo*, ita spectant ad Sacramentum Baptismi verba illa, *Ego te baptizo*; Quamvis expressa Trinitatis invocatio solum sit necessaria in Sacramento baptismi, quippe quod Sacramentum Fidei a Tridentino sess. 6. cap. 7. nuncupatur.

XI. Ad rationes in contrarium respondetur, Christum Dom. iis verbis, *Baptizantes eos*, non solum præcepisse quid agendum esset, sed etiam quomodo agendum esset, atque adeo quid dicendum esset in collatione Baptismi, ut constat ex Ecclesiæ traditionibus, quas Hæretici conantur evertere: quibus accedunt definitiones Conciliorum, necnon communis sensus, ac praxis Ecclesiæ. Adde, quod si solis Scripturis standum esset, neque esset necessaria ad validitatem Baptismi Trinitatis invocatio; quandoquidem, ut diximus ex Armacano, verba illa, *Baptizantes eos in nomine Patris* &c. bene possent explicari, quod Baptismus conferendus esset in Virtute, ac Fide Trinitatis citra ejus invocationem. Quare sicut ex traditionibus Sacris constat, requiri Trinitatis invocationem; ita etiam expressionem actionis Ministri, atque adeo verba illa, *Ego te baptizo*.

XII Hinc patet responsio ad primam confirmationem, quare scilicet præceptum illud, *Docete omnes gentes*, impleatur, quin docens dicat se docere, & præceptum illud, *Hoc facite in meam commemorationem*, non requirat, quod consecrans dicat, hoc facit in commemorationem Christi; præceptum vero baptizandi non impleatur, nisi Minister dicat signate se baptizare. Ratio diversitatis est, tum ipsa Christi Dom. voluntas per Ecclesiæ traditiones, & Concilia nobis explicata; tum etiam quia forma Baptismi, cum sit symbolica, id exigit, ut ostendimus; quod tamen in iis aliis præceptis non exigitur.

XIII. Ad secundam: Patres explicant illud Apostoli, *Mundans eam lavacro aquæ in verbo vitæ*, hoc est in verbis illis formæ, qua & exponitur actio emundativa nomine Christi a Ministro posita, & simul invocatur, & creditur ineffabile Mysterium.

XIV. Ad tertiam: Vasq. disp. 14. c. 2. putat, sententiam Soti non subsistere, & doctrinæ communi adversari; cum ex verbis illis, *Baptizantes eos*, ex Conciliis laudatis, & ex praxi, & usu Ecclesiæ debeat in forma Baptismi exprimi actio ipsius Ministri, ita ut ipse profiteatur se esse baptizantem: quod

quod non habetur in illa forma, *Baptizet te Christus*. Ratio hujus communis doctrinæ est, quia nisi exprimeretur actio Ministri, totus effectus Sacramenti tribueretur Deo, & nihil relinqueretur Ministro; unde denotaretur, quod Minister mere accidentarie se haberet, si ejus potestas delegata, & causalitas non exprimeretur, quod est contra efficacitatem, & institutionem Sacramentorum, & potestatem Ministri. Quare sicut non sufficit in Sacramento Pęnitentiæ hæc forma, *Absolvat te Deus*, ita neque sufficit in Baptismo, *Baptizet te Deus*.

Unde infert Vasq. num. 19. nec valere istam Baptismi formam, Baptizat te Deus, seu Christus; quia sicut non valet forma per modum deprecantis, Baptizet te Deus, eo quod non exprimatur per illam actio Ministri: ita ob eandem rationem nec valet forma per modum Indicativi. Putat tamen Vasq. l. cit. cum Dicastillo disp. 1. de Bapt. num. 91. valere hanc formam; *Baptizaris in nomine Patris*, &c., quia significatur, Baptizaris a me &c.

XV. Neque obstat, quod in Sacramento Unctionis dicatur, *Indulgeat tibi Deus*, quibus verbis non videtur actio Ministri significari. Nam cum præmittantur illa verba, *Per istam sanctam Unctionem*, sufficienter denotatur actio Ministri. Unde pariformiter valide, quamvis illicite, Baptismus conferretur dicendo, *Per istam ablutionem remittat tibi Deus peccata, In nomine Patris*, &c. Quidquid sit, an in Sacramento Pœnitentiæ sufficeret dicere, *Per istam absolutionem remittat tibi Deus peccata*, &c. quod Vasq. q. 84. art. 3. dub. 3. negat ob specialem rationem; quia videlicet cum absolutio debeat habere vim sententiæ, non videtur sufficere, quod exprimatur actio Ministri quomodocumque, nisi etiam exprimatur actio Ministri ut judicis, qui in sententia ferenda non utitur verbis deprecativis.

XVI. Quod attinet ad Sacramentum Confirmationis ministratum Constantino Imperatori, non est certum ex Vasq., quod sub ea forma *Signet te Deus*, &c. illud Sacramentum collatum fuerit: Edictum enim illud, in quo talis forma recitatur, communiter censetur suppostitium, aut saltem adulteratum, ut advertit P. Labbeus in additione ad Bellarm. de Scriptoribus Ecclesiasticis V. *Constantinus*; & propterea in Magna Collatione Conciliorum Parisiensi edictum illud ante Concilium Nicænum fuit prætermissum. Sed hoc dissimulato, tunc etiam denotabatur actio Ministri per ea verba illius formæ, *Signet te Deus signo Fidei suæ*, hoc est eo signo Crucis, quo tunc signabatur Constantinus in fronte a Sylvestro Papa, quando chrismate ungebatur, ut fuse explicat idem Vasquez.

XVII. Quod demum attinet ad formam Baptismi, qua Græci utuntur, *Baptizetur servus Christi*, dubitaverunt olim multi, an valide sic conferretur, ut notat D. Thom. in 4. dist. 3. q. 2. art. 2. ad 1.: adeo ut Sylvester V. *Baptismus* dixerit talem Baptismum esse sub conditione iterandum. Sed, ut advertit Suar. l. c. post Florentinum, certum est, eam formam esse sufficientem; cum usus illius formæ fuerit antiquissimus, ut proinde dicendus sit ab Episcopis, & Patribus Ecclesiæ Catholicæ emanatus; In ea autem forma, quamvis non explicetur persona Ministri, adhuc tamen actio Ministri abluentis nomine Christi exprimitur, quando etiam dicitur, *Baptizetur servus Christi*, cum Minister jubeat, ut ille baptizetur, eo ipso denotat suam actionem, & potestatem illum emundandi; aliter inepte imperaret, cum imperare sit habentis potestatem; hic autem modus imperandi usque adeo efficax est, ut Vasq. putet, etiam formæ absolutoriæ convenire posse in Sacramento Pęnitentiæ.

Ad id, quod postremo loco dicitur, ex hoc ipso quod exprimatur, effectum Sacramenti tribui Ministro, exprimitur etiam principaliter tribui Christo; præsertim in hoc Sacramento, ubi Minister dicit, se baptizare in nomine, hoc est auctoritate Patris &c., unde non derogat virtuti, & auctoritati Dei, quod actio Ministri exprimatur per ea verba, *Ego te baptizo*.

PROPOSITIO XXVIII.

Valet Baptismus collatus a Ministro, qui omnem ritum externum, formamque baptizandi observat, intus vero in corde suo apud se resolvit, Non intendo facere, quod facit Ecclesia.

SYNOPSIS.

I. Videtur sufficere in Baptismo intentio faciendi materialiter, quod facit Ecclesia, hoc est adhibendi ritus externos ab Ecclesia præscriptos, non quidem jocose, quod a Tridentino damnatur, sed serio, etiamsi desit intentio faciendi, quod facit Ecclesia formaliter, seu operandi in nomine Christi. II. Multis hic error in speciem suaderi potest.

III. Ea tamen nihil evincunt; siquidem ut quis operetur tanquam Minister, requiritur intentio operandi nomine Principalis. IV. Aliter absolutio non esset actus judicialis; & plura alia incommoda traherentur in aliis Sacramentis, præsertim Eucharistiæ, & Baptismi.

V. Augustinus dicit, esse verum Baptismum fallaciter datum, hoc est in schismate. VI. Puer Athanasius cum debita intentione pueros baptizabat. Et S. Genesius mimus, deinde Martyr, vel fuit baptizatus cum debita intentione, vel justificatus fuit per contritionem, aut per martyrium. VII. In Ministro Baptismi qua tali non requiritur probitas, sed requiritur intentio operandi nomine Christi principaliter operantis. VIII. Episcopus dicens in Collatione Ordinum se nolle carentes requisitis ordinare, adhuc valide eos ordinat per hoc, quod deinde velit absolute singulos ordinare. IX. Sicut est fictus idololatra, qui tantum exterius thura adolet idolo; ita est fictus Minister, qui tantum exterius Sacramenta ministrat. X. Si duæ intentiones in Ministro baptismi sint oppositæ, prævalet illa, quæ est magis absoluta, & quæ præeligeretur deprehensa earum incompossibilitate.

XI. Deficiente intentione Ministri, non secus ac si deficiat aqua, non suppletur a Deo defectus Baptismi. XII. Hujusmodi intentio saltem debet esse virtualis: variant tamen Doctores in ea explicanda. XIII. Esto ad Sacramenta suscipienda sufficiat habitualis. XIV. Ad valide applicandum Sacrificium sufficit intentio habitualis, non tamen ad valide consecrandum.

I. Exponitur. De Fide est contra hæreticos, ad valorem Sacramentorum requiri intentionem faciendi, quod Christus instituit, seu quod facit Ecclesia; Trident. enim sess. 7. Can. 11. habet: *Si quis dixerit, in Ministris, dum Sacramenta conficiunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia, anathema sit*; Quod etiam definitum

tum fuerat in Florent. in Decreto Fidei ab Eugenio IV., & Leo X. contrarium errorem damnaverat in Bulla contra Lutherum. Catharinus tamen in opusc. de Intentione Ministri, Sylvester, Paludanus, (*a*) & alii Catholici non ignobiles ex antiquis apud Lugo dis. 8. de Sacr. n. 14. putarunt, requiri quidem intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, sed faciendi materialiter, non formaliter, hoc est requiri intentionem adhibendi ritus, ac cæremonias externas ab Ecclesia præscriptas, non tamen intentionem conferendi Sacramentum, & gratiam Sacramentalem nomine Christi principaliter operantis, prout fit in Ecclesia. Hanc opinionem abolitam jam, & sepultam excitavit deinde Jo. Maria Scribonius Gallus apud eundem Lugo, plurima congerendo ad hanc sententiam confirmandam in sua Panthalitia, seu Summa Theolog. disp. 1. de Sacramentis qu. 6., ubi conatur ostendere, a Conciliis hanc opinionem non damnari; quia Concilia solum damnant Lutherum, & alios hæreticos nullam prorsus requirentes ad valorem Sacramenti intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, putantes validum esse baptismum, etiamsi jocose, & irrisorie conferatur, quod in hac sententia non admittitur, cum requiratur intentio ponendi serio ritum externum, prout fit in Ecclesia, etiamsi interius habeatur intentio illudendi, & non conficiendi verum Sacramentum, dummodo hæc intentio non prodeat exterius. Hic itaque est error, qui in hac propositione ab Alexand. VIII. proscribitur, quod scilicet sufficiat sola intentio adhibendi ritum externum ab Ecclesia præscriptum, & a Christo institutum, etiamsi non solum desit intentio faciendi, quod facit Ecclesia formaliter, sed etiam adsit intentio opposita. (*b*)

„ (*a*) Duo heic peccat Viva, si Patuzzium audimus *T. IV. p.* 38. 1. quod Paludanum pro hac sententia citet. 2. quod Catharino, cujus mens incerta admodum est, eamdem aperte adjudicarit. Hæc duo peccavit etiam Benedictus XIV. in libro *de Syn. Diœces.* ipso illo loco, quem (*p.39.*) appellat ipse Patuzzius. Et audet Vivæ exprobrare duo hæc peccata, quin sit Benedicti XIV. reverentia perculsus?

„ (*b*) Aliter alii hanc propositionem interpretantur, ut scilicet Catharini sententiam ab anathemate vindicent. Confer Benedictum XIV. *de Syn. Diœces.* lib. 7. c. 4. n. 8.

II. Videtur suaderi primo auctoritate Augustini dicentis lib. 7. de Bapt. c. 53. Illos, qui fallaciter datum baptismum fallaciter acceperunt, verum nihilominus habere Baptismum: Et auctoritate D. Thom. in 4. dist. 6. ar. 2. q. p. ad 2., & 3. p. q. 64. a. 8. ad 2., ubi approbat opinionem dicentium non requiri intentionem mentalem.

Secundo opponitur, quod dicitur in Cap. *Spiritus S.* p. qu. 2. de Baptismo dato a puero Athanasio ludente cum aliis pueris, qui ab Alexandro Patriarcha Alexandrino fuit declaratus validus: Et quod dicitur in Martyrol. Romano 25. Augusti de S. Genesio Martyre, qui cum esset mimus, & vellet coram Diocletiano Christianorum mysteriis illudere, Baptismum ab alio mimo postulavit, sed statim a Deo inspiratus habuit veram intentionem suscipiendi Baptismum, & Angelus ei apparens promisit illi media illa aqua peccatorum remissionem: & sic baptizatus mimice, atque adeo sine intentione in baptizante, Martyr occubuit.

Tertio, quia ex Trid. sess. 7. contra Donatistas, etiam per malos Ministros possunt vera Sacramenta administrari: ergo a fortiori sine intentione in Ministro faciendi formaliter, quod facit Ecclesia; Magis enim videtur requirenda esse probitas in Ministro, quam intentio.

Quarto, quia Episcopi in conferendis Ordinibus sæpe protestantur, se nolle ordinare excommunicatos, ac non habentes requisita; & tamen si quis deinde occulte sit talis, ordinatur valide.

Quinto, quia est verus Idololatra, qui solum exterius adorat Idolum: ergo est verus Christi Minister, qui exterius tantum ministrat Sacramenta a Christo instituta.

Demum, Minister intendens facere quod Christus instituit, sed non intendens facere, quod facit Ecclesia, adhuc valide Sacramentum ministrat: ergo intentio ista faciendi quod facit Ecclesia non requiritur.

III. Ostenditur tamen falsitas. Ut Minister operetur nomine Principalis, debet habere intentionem internam operandi nomine illius: e. g. ut quis eroget pauperi stipem nomine alterius, non satis est, quod exterius dicat serio, se stipem nomine illius erogare, sed requiritur, quod etiam interius ita dicat; aliter donabit illam ex pecuniis propriis, si intendat nomine suo illam donare: Minister autem Sacramentorum in conficiendis Sacramentis operatur nomine Christi; cum in nomine Christi dicat, *Ego te absolvo: Hoc est corpus meum;* Unde Apostolus dicit: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei*; ergo non solum requiritur ad Sacramentorum valorem intentio ponendi serio ritum externum ab Ecclesia præscriptum, sed etiam intentio operandi nomine Christi; atque adeo sine intentione faciendi formaliter, quod facit Ecclesia, nullum Sacramentum valide confertur, & a fortiori, si habeatur intentio opposita dicendo, Non intendo facere, quod facit Ecclesia.

IV. Confirmatur; quia ex Trid. sess. 14. can. 9. Absolutio non est nudum Ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata Pœnitentis, Sacerdote non joco, sed serio absolvente, sed est actus judicialis, cum ad Sacerdotes tanquam ad Judices peccata deferantur; ergo sine actu interno Sacerdotis volentis Christi nomine peccata remittere, Sacramentum Pœnitentiæ non conficitur: ergo nec Sacramentum Baptismi, aut aliud quodcumque, cum in omnibus nomine Christi principaliter operantis Minister operetur. Adde, ex opposita sententia sequi, quod volens e. g. consecrare has decem tantum particulas ex præsentibus, non vero illas alias pariter præsentes, adhuc omnes consecraret; & si historice proferret verba consecrationis, dum est panis præsens, illum consecraret: & vice versa qui volens serio baptizare puerum moribundum non manifestando se esse Christianum, fingeret exterius se joco abluere puerum, & proferret formam baptismi dicendo, Sic baptizant Christiani, Sacramentum non conferret, quod nemo dixerit.

V. Ad rationes in contrarium facile respondetur. Ad primam: Augustinus ibi loquitur de baptismo dato, & accepto fallaciter, hoc est in schismate, cum hæresis, schisma, & iniquitas Ministri non obstet valori baptismi. D. Th. ibi solum docet non requiri intentionem exterius manifestatam, ut interpretatur Gonetus ex contextu: expresse enim ar. 10. Angelicus requirit intentionem internam ad validitatem Sacramenti.

VI. Ad secundam: Athanasius erat grandiusculus plusquam duodecim annorum, & cum debita inten-

tione alios pueros baptizavit; interrogatus enim a Patriarcha, respondit se voluisse facere, quod viderat Episcopum Alexandrinum fecisse. S. Genesius justificatus fuit, vel quia ex speciali Dei providentia non defuit intentio sufficiens in Baptizante, vel per contritionem, vel per martyrium.

VII. Ad tertiam: Argumentum probat nimis, quod scil. nulla intentio interna in Ministro requiratur; quod est aperte contra Tridentinum. Directe dico, voluisse Christum D. per malos Ministros Sacramenta valide administrari, ne omnia essent plena scrupulis, cum facile sit, Ministrum esse improbum; quia tamen non facile caret intentione debita, ideo voluit eam intentionem ad validitatem Sacramenti requiri, prout spectat ad actionem ministerialem.

VIII. Ad quartam: Quamvis Episcopus prius dixerit se nolle ordinare carentes debitis requisitis, adhuc deinde absolute vult singulos ordinare: vult enim absolute facere quantum potest; idcirco valide ordinantur, etiam qui debitis requisitis carent, quamvis remaneant ipso jure suspensi.

IX. Ad quintam retorquetur paritas: Qui exterius tantum idolum adorat, est fictus idololatra, quamvis vere peccet contra præceptum fidei: ergo pariter est fictus Minister, qui tantum exterius Sacramenta ministrat.

X. Ad ultimam: Ubi dantur intentiones contrariæ, illa prævalet, seu sortitur effectum suum, quæ est magis absoluta, seu quæ præeligeretur deprehensa earum incompossibilitate; In casu, si magis absoluta est intentio faciendi quod instituit Christus, quam intentio non faciendi quod facit Ecclesia, illa reddit istam invalidam; immo cum idem sit quod Christus instituit, & quod facit Ecclesia, volens efficaciter, & absolute, quod Christus instituit, implicite etiam vult, quod facit Ecclesia: atque adeo sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, nunquam habetur Sacramentum valide constitutum.

XI. Utrum autem deficiente hac intentione faciendi, quod facit Ecclesia in Baptizante, Deus conferat puero ex sua infinita benignitate gratiam sine vero baptismo? Affirmant Alensis, D. Bonav. Sylvester, Paludanus, & alii apud Gonetum disp. 6. de Sacramentis a. 2. §. 5. Negandum tamen cum Angelico q. 68. a. p. & aliis communissime, adeo ut opposita sententia putetur omnino improbabilis: sicut enim non suppletur defectus baptismi, nec confertur gratia, quando deest aqua; aut quando aqua est putata tantum naturalis; ita neque quando deficit intentio necessario requisita ad valorem Baptismi; cum obstet lex illa Divina Jo: 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*: aliter nullus infans ex misericordia Divina decederet cum originali sine gratia justificante.

XII. Difficultas demum est, Num ob valorem Sacramenti intentio ista faciendi quod facit Ecclesia, debeat esse saltem virtualis, an possit etiam esse habitualis, vel interpretativa? & in quo consistat intentio virtualis? Ad quod dicendum, intentionem hanc virtualem esse, quæ licet non sit, sed fuerit, perseverat tamen in aliquo suo effectu, seu virtute: sic qui laborat ex intentione mercedis, quamvis actu non habeat eam intentionem, sed habuerit, experitur tamen in se virtutem aliquam ex ea intentione relictam, qua movetur ad laborandum. Ad virtutem autem hanc explicandam Theologi desudant: Scotus, Suar. Vasq. docent, potentias externas ab ea intentione præterita esse applicatas ad agendum per qualitatem aliquam, quæ in ipsis resideat, ac perseveret; Coninch. putat eam perseverare in imaginatione quadam, vel in actu appetitus sensitivi, ex quo reliquæ actiones ponuntur; Lugo, & Dicastil. docent, in voluntate perseverare aliquam intentionem actualem valde tenuem, quam non possumus advertere in se, sed advertimur in suo effectu; aliter si Sacerdos post auditam confessionem diceret dormiens, *Ego te absolvo* cum intentione virtuali, prout in aliis sententiis explicatur, conficeret Sacramentum, quod nemo dixerit. Quænam ex his opinionibus amplectenda sit, mitto Theologis discutiendum. Intentio autem habitualis importat intentionem præteritam non retractatam, nec in sua virtute perseverantem; ut accidit, quando quis post varias actiones disparatas, ut post somnum aggreditur opus, quod prius intendebat. Intentio demum interpretativa, seu præsumpta est, quæ non existit, sed existeret, si bonitas objecti præsentaretur; unde dicimus, infantem cum voluntate, seu intentione interpretativa baptismum suscipere.

XIII. His obiter præjactis, communissime docent, in Sacramentis conferendis non requiri intentionem actualem, utpote perdifficilem, & mori humano contrariam; quis enim audiens per multas horas Confessiones possit in absolvendo nunquam distrahi? Etenim si Augustinum audiamus lib. 3. de lib. arb. *Non est in nostra potestate, ut non tangamur a visis*, hoc est, ut non distrahamur ab iis, quæ nobis objiciuntur. Requiritur tamen intentio saltem virtualis, quin sufficiat habitualis, quippe quæ nec existit in se, nec in sua virtute, unde non potest influere in actiones Sacramentales, prout debet: Aliter etiam dormiens, amens, ebrius, qui cum hac intentione proferret verba Consecrationis, valide consecraret: Sicut valide dormiens, amens, ebrius suscipit Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ, si illud petierit, & intentionem non retractaverit; quia ad suscipiendum Sacramentum sufficit intentio habitualis. Et ratio disparitatis est, quia in Sacramentis suscipiendis homo se habet tantum passive, in administrandis vero active; magis autem requiritur ad dandum, & agendum, quam ad recipiendum. Ratio autem a priori est, quia actio Sacramentalis debet poni humano modo, hoc est cum deliberatione, non casu: non diceretur autem humano modo se gerere in collatione baptismi ver. grat. qui habuit hanc intentionem baptizandi puerum, & hodie post tot actiones disparatas illum baptizat: sicut non dicitur humano modo curari, qui habuit desiderium sanitatis, & deinde nihil de sanitate cogitans applicat se ludo, vi cujus per accidens curatur: ergo non sufficit intentio habitualis ad Sacramentum valide conferendum; quamvis sufficiat ad illud suscipiendum. Excipiendum tamen existimat Mendo in Epitome, V. *Intentio*, ex Dicastillo, & Gobat, Sacramentum Matrimonii, quia hoc sequitur naturam contractus; ad quam satis est habitualis intentio: Unde sicut valide contrahit, qui hodie vult conferre jus ad corpus suum conjugi pro crastina, adeo ut crastina etiamsi dormiat, evadat conjux, ita valide videtur crastina suscipere, ac suo modo ministrare Sacramentum matrimonii, etiamsi dormiat: & in contractu matrimoniali per Procuratorem celebrato sufficit pariter intentio habitualis, seu intentio præterita non retractata, esto in Procuratore intentio deberet esse saltem virtualis.

XIV. Dices: Ad valide applicandum Sacrificium suffi-

sufficit habitualis intentio, ut docent communius; quare non etiam ad consecrandum? Si quis hodie v. g. applicet omnia Sacrificia facienda per mensem pro Petro, sufficit, quod hanc intentionem non retractet: ergo etiam sufficit, ut valide per totum mensem consecret; præsertim quia Aug. tract. in Jo. dixit, Baptismum ab ebrio collatum esse validum, & D. Thom. 3. p. q. 64. a. 8. ad 3. dicit intentionem habitualem sufficere ad perfectionem Sacramenti.

Ad hæc respondetur, concedendo, quod intentio habitualis ad applicandum Sacrificium sufficiat, licet hoc negetur a Vasq. 3. p. d. 138. n. 77.: Disparitas tamen est, quia applicatio Sacramenti est donatio fructuum Sacrificii, quæ non debet existere, nec influere, ut sortiatur effectum suum: Consecratio vero est confectio Sacramenti: propterea debet agere, atque adeo saltem in sua virtute debet existere intentio illud ponendi. Certe si quis donet Petro librum sub conditione v. g., quod imprimatur, purificata conditione, donatio ista conditionata transit in absolutam, & effectum suum sortitur; ita qui donat fructus Sacrificii sub conditione, quod crastina illud ponatur; & pari ratione probabiliter ad Sacramentum matrimonii sufficit intentio habitualis, quæ sufficit ad rationem contractus, non tamen in reliquis. Augustinus non dixit, esse validum baptismum collatum ab ebrio, sed ab ebrioso, qui consuevit inebriari, dummodo dum confert, non sit ebrius. D. Th., ut notat Gonetus, ibi sumit intentionem habitualem pro virtuali, quia id temporis etiam intentio virtualis vocabatur habitualis.

PROPOSITIO XXIX.

Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate.

SYNOPSIS.

I. Quamvis sit Fidei proxima ex Suar., & Bellarm. assertio de Pontificis auctoritate supra Concilium, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate; in hac thesi tamen dicitur esse futilis, & toties convulsa. II. Multis ostenditur hujusmodi infallibilitas.

III. Multis etiam Primatus Pontificis supra Concilium Oecumenicum.

IV. Quæ opponuntur, negotium non facessunt.

V. Dilucide evacuatur, quod dicitur de Concilio Constantiensi definiente oppositum. VI. Quonam pacto corripiendus est Pontifex, si peccaverit?

VII. In quonam sensu liceat appellatio impropriè dicta a Pontifice ad Concilium?

VIII. Quandonam, & quomodo Pontifex a Concilio deponi possit? IX. Quomodo dicatur Concilium Constantiense tres illos Pontifices deposuisse, & Martinum V. inaugurasse? X. Quid de historia Marcellini, qui dicitur a Concilio Sinvessano depositus?

XI. Utrum infallibilitas, & assistentia Spiritus Sancti promissa Petro competat etiam Concilio Oecumenico, dum est Acephalum?

XII. Hujusmodi Concilium dicit Anathema, habetque suffragium decisivum dependenter a Pontificis approbatione. XIII. Christus D. omnibus Apostolis, eorumque successoribus contulit facultatem prædicandi, baptizandi, absolvendi, Ecclesias fundandi, subditam tamen Petro, cui uni dedit hanc facultatem ordinariam, & supremam. XIV. Ecclesia nunquam fuit biceps. D. Paulus fuit subditus D. Petro.

XV. Recensentur octodecim Concilia Oecumenica hactenus celebrata, in quibus semper, vel fere semper Romanus Pontifex per se, aut per suos Legatos præfuit, quin fuerit unquam in controversiam revocatus ejus Primatus supra Concilium.

I. Exponitur. Duo hic maximi momenti tanguntur. Primum est, Num solide ostendatur Primatus Pontificis supra Concilium Oecumenicum, seu Generale, adeo ut non liceat a Pontificis decretis ad Concilium appellare, prout in Bulla Cœnæ vetatur sub interminatione Excommunicationis? Alterum est, An Pontifici extra Concilium competat in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitas? Quamvis utrumque communiter affirmetur, ut notat Arsdekin, & utrumque teste Suar. & Bellar. sit fidei proximum; olim tamen oppositum docuerunt nonnulli etiam Catholici cum Gersone, Cameracensi, Almaino, Adriano: Et his etiamnum nonnulli astipulantur, putantes Pontificem extra Concilium carere assistentia Spiritus S. Ecclesiæ promissa, atque adeo carere infallibilitate in decernendis quæstionibus ad fidem, aut ad mores spectantibus. Qui pariter opinantur Pontificem ad Concilium Oecumenicum, & ad Ecclesiam se habere, sicut se habet e. g. Generalis Societatis ad Congregationem Generalem, ita ut relate ad singulos sit Superior, sit tamen inferior relate ad totam Communitatem; cum possit ab illa justis de causis etiam a munere deponi; non secus ac potest a Concilio Generali deponi Pontifex, si incidat in hæresim, ut docent communiter apud Suar. disp. 10. de Fide sect. 6. ex Clemente I. Epist. p., ubi ait, *Petrum docuisse, hæreticum Papam esse deponendum.*

II. Quod attinet ad infallibilitatem Pontificis extra Concilium in decernendis Fidei, & Morum quæstionibus, abunde diximus in quæstione prodroma, quam præmisimus ad expositionem thesium ab Alexand. VII. confixarum; ubi ostendimus, Petro, ejusque successoribus independenter a Concilio, & Ecclesia competere assistentiam Spiritus S. & infallibilitatem; Tum quia Christus Dom. coram aliis Apostolis, qui Concilium, & Ecclesiam repræsentabant, dixit Petro Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, ut propterea in definitionibus solius Petri, & Pontificum successorum, independenter ab omni Concilio, stet Ecclesiæ firmitas, & fundamentum, & immunitas ab erroribus; Tum etiam quia ad Ecclesiæ bonum regimen, ac conservationem promitti debuit uni Pontifici independenter a Concilio assistentia Spiritus S., & infallibilitas in iis quæstionibus dirimendis; cum sæpe suboriantur controversiæ in materia Fidei, & Morum, quarum decisio absque Ecclesiæ errore, dissensione, aliisque incommodis differri nequit usque ad convocationem Concilii Oecumenici; quod raro admodum convocari potest ob expensas, ob bella, aliasque gravissimas difficultates; Tum pariter quia infallibilitatem istam Pontifici extra Concilium competere, aperte colligitur ex Conciliis Generalibus Viennensi, & Florentino ibidem laudatis; ex Patribus etiam, & ex ipsis Sanctissimis Pontificibus antiquioribus, videl. ex Lucio martyre, Leone, Agathone, Nicolao I., Innoc. III. apud Bellarm. lib. 4. cap. 3. necnon ex antiquissima Ecclesiæ consuetudine. Siquidem a Pontifice extra Concilium damnata fuit, teste Prospero in Chronico anno 420. hæresis Pelagii: Sicut et-

etiam, ut notat Bellar. loc. cit., hæresis Priscilliani, Vigilantii, Joviniani, & aliorum; & nuper propositiones hæreticales Jansenii; ut proinde ne ipsi quidem Jansenistæ ausi sint, saltem aperte, inficiari, quod propositiones Jansenii hæresim contineant, sed solum dixerint, Jansenium non docuisse illas in sensu hæreticali. Qua de causa Alex. VII. ann. 1656. definivit, eas damnatas esse ut hæreticas in sensu intento a Jansenio; & deinde Innoc. XII. declaravit, illas damnari in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt. Et quia nonulli nuper contendebant, Constitutionibus Apostolicis solum præcipi, ne propositiones Jansenii exterius admittantur, non vero quod interius ut hæreticæ damnentur, atque adeo sufficere, si ea de re obsequiosum silentium teneatur; idcirco Clemens XI. anno 1705. errorem hunc telo Apostolico confixit. Præterquamquod ipsa Concilia Provincialia, eo ipso ac a Pontifice extra Concilium Oecumenicum confirmantur, habentur ut Regula Fidei, ut omnes docent apud Bellar., Suar., Tanner. de Concilio Provinciali Arausicano, Milevitano, aliisque non paucis: ergo indubitatum videtur, Pontifici extra Concilium competere infallibilitatem in quæstionibus Fidei, ac Morum.

Nec valet, quod nonnulli effutiunt, id esse verum, quando definitiones Pontificis ex Cathedra loquentis a tota Ecclesia acceptantur. Nam sicut nemo dixerit, decreta Concilii Oecumenici tunc esse infallibilia, quando acceptantur: cum acceptatio confirmet solum, non tribuat infallibilitatem; ita dicendum de Decretis Pontificis extra Concilium, ut ex rationibus hactenus adductis, & ex fusius in quæstione illa prodroma dictis plenissime evincitur. Et ex eo non leviter confirmatur; quia anno 1653. juxta antiquissimam Ecclesiæ praxim octogintaquinque Galliæ Episcopi pro decisione controversiæ de quinque thesibus Jansenii recursum habuerunt ad Pontificem Inn. X. tanquam ad infallibilem controversiarum Fidei Judicem, ut videre est apud Platelium tom. 3. n. 124.

III. Quod vero attinet ad Pontificis primatum, & auctoritatem supra Concilium Oecumenicum, id pariter ex hactenus dictis luculenter evincitur; Et ex eo etiam constat, quia Christus Dom. voluit Ecclesiam supra Petrum, ejusque successores fundare, prout ad bonum Ecclesiæ regimen expediebat; atque adeo voluit Petrum toti Ecclesiæ præesse, ac totum ejus ædificium sustentare, non vero Ecclesiam præesse Petro; dicitur enim Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Constat id etiam ex illis verbis Jo: ultimo, *Pasce oves meas*, quibus Christus Dom. Petro coram sex aliis discipulis demandavit curam pascendi non agnos tantum, qui scil. non pariunt, sed etiam oves, hoc est Episcopos, atque adeo totam Ecclesiam. Constat pariter, quia hanc potestatem supremam exercuit Petrus in electione Matthiæ Act. 1., & in definitione controversiæ de legalibus Act. 15.: Siquidem sua auctoritate Apostolos convocavit, & in eo Concilio primus omnium, tanquam eorum caput, sententiam dixit. Neque obstat, quod Act. 8. Apostoli Petrum simul cum Jo: miserint in Samariam. Nam non miserunt illum imperio, sed consilio tantum, & suasione; sicut Rex a suis Consiliariis dicitur ad bellum mitti.

Idipsum constat etiam ex Lateranensi V. sub Leone X. cujus hæc sunt verba: *Solum Romanum Pontificem super omnia Concilia auctoritatem habere, & Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac dissolvendorum plenum jus, ac potestatem habere, nedum ex sacræ Scripturæ testimonio, ex dictis Sanctorum Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, sed propria eorundem confessione manifeste constat*. Colligitur etiam ex Conc. Chalcedon. in Epist. ad Leonem Papam, & ex Florent. p. 2. Collat. 22. definiente, *Pontificem esse totius Ecclesiæ Caput, & omnium Christianorum Patrem, & Doctorem, & ipsi B. Petro pascendi, regendi, & gubernandi universalem Ecclesiam a Christo D. plenam potestatem traditam esse*.

Neque dici potest, potestatem hanc habere Pontificem relate ad singulos Christifideles, non vero relate ad totam Ecclesiam. Nam hæc interpretatio non est consona verbis Conciliorum, nec rationibus adductis. Propterea si Pontifex non esset supra Concilium Oecumenicum, non potuisset Concilium Constantiense damnare propositionem illam Jo: Vvicle-phi dicentis, *Papa non est immediatus Christi Vicarius*; etenim si Papa subordinaretur Concilio, hoc deberet dici Vicarius Christi immediatus, & Papa solum mediatus. Adde, quod si Concilia Oecumenica essent supra Pontificem, non deberent ista a Pontifice petere confirmationem, prout passim postularunt, præsertim Tridentinum sess. 25.; Possentque etiam sine auctoritate Pontificis ea convocari, approbari, reprobari; Quæ tamen sunt contra perpetuum usum Ecclesiæ apud Bellarmin. t. 2. Concil. c. 12. & 19.; necnon contra Sacros Canones in Cap. *Multis* dist. 17. ubi habetur: *Multis denuo Apostolicis & Canonicis, atque Ecclesiasticis instruimur regulis, non debere absque sententia Romani Pontificis Concilia celebrari*; & Cap. *Significasti*, ubi Paschalis Papa ait: *Omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur accepisse*. Denique denegata Pontifici hac supremitate, non liceret a Concilio Generali ad Pontificem appellare, quod tamen est contra praxim Ecclesiæ, ut constat ex Cap. *Ipsi sunt*, q. 3. ubi Gelasius habet: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluerint deferri; Ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt; ac per hoc illam de tota Ecclesia judicare; ipsam ad nullius commeare judicium*. Ex quibus omnibus perspicuum fit, Assertionem de auctoritate Pontificis supra Concilia, etiam Oecumenica, jure merito a Suar., & Bell. dici proximam Fidei, & citra omnem dubitationis aleam positam: Unde non potest ea dici futilis, ac toties convulsa; sicut nec assertio de infallibilitate Pontificis in Fidei quæstionibus decernendis.

IV. Plurima tamen opponuntur ad hanc veritatem labefactandam. Primo quidem, quia Concilium Constantiense sess. 4., & 5. definivit oppositum. Secundo, quia ex præcepto Christi etiam Pontifex denunciandus Ecclesiæ, si peccaverit, cum etiam Pontifex sit frater, juxta illud Matth. 18. S*i peccaverit in te frater tuus, dic Ecclesiæ*. Tertio, quia a Pontifice ad Concilium datur appellatio, ex Aug. Ep. 162.: quod constat etiam variis exemplis adductis a Vigorio apud Duvallium. Quarto, quia Ecclesia habet jus citandi, examinandi, ac deponendi Pontificem, saltem in causa hæresis, ex Cap. S*i Papa* dist. 40.

Confirmatur primo, quia extra casum hæresis Concilium Constantiense tribus Pontificibus depositis, nempe Greg. XII., Benedicto XIII. alias Petro de Lu-

na, & Jo. XXIII., qui erat verus Pontifex, quartum inauguravit, nempe Martinum V.

Confirmatur secundo; quia Marcellinus Papa depositus fuit a Concilio Sinvessano: ergo Concilium est supra Pontificem, non e converso.

V. Sed hæc non sunt tanti momenti, ut a sententia communiter recepta, & solidissimis rationibus suffulta cogant ne latum quidem unguem recedere. Ad primam respondet Bellarm. lib. de Concil., Emmanuel a Schelstrate, & alii, Concilium Constantiense solum decrevisse, quod tempore Schismatis Pontifex debeat Concilio Oecumenico obtemperare, eo quod non possit aliter Ecclesia uni capiti subordinari. Vel dicas cum iisdem, & aliis communius, quod Concilium Constantiense Decretum illud de Superioritate Concilii supra Pontificem ediderit, quando nondum erat Concilium Oecumenicum, eo quod sola tertia pars Ecclesiæ in eo erat tunc congregata; & quando erat destitutum auctoritate veri, & indubitati Pontificis, quod inficiari nemo poterit; cum ipse D. Vincentius Ferrerius invincibiliter pluribus annis fuerit a Confessionibus Petri de Luna, seu Benedicti XIII. Antipapæ: unde nil mirum, quod Concilium Constantiense in eo decreto erraverit; ut proinde illud a Martino V. non fuerit confirmatum. Verum quidem est, quod fuse conatur ostendere P. Natalis Alexander in Historia Ecclesiastica XV. & XVI. Sæculi tom. 8. differ. 4., Concilium Constantiense fuisse a Martino V. approbatum, & inter Concilia Oecumenica recenseri. At non est verum, quod fuerit approbatum relate ad ea decreta, quæ edidit, antequam esset Concilium Generale, cujusmodi fuit præsens decretum. Quod autem impugnationes, quæ adversus has communes responsiones fusissime congeruntur ab eodem P. Natali Alexandro l. c. sint nullius momenti, a posteriori fit perspicuum: tum quia si decretum illud fuisset editum a Concilio Oecumenico, esset de Fide; unde non possent consistere, quæ hactenus diximus ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & quæ fuse passim a Doctoribus congeruntur ad ostendendum Primatum Pontificis supra Concilium; tum etiam quia non potuisset Alex. VIII. ex Cathedra damnare hanc thesim, quod scilicet futilis, ac toties convulsa sit assertio de Pontificis supra Concilium Oecumenicum auctoritate: præsertim si supponatur, quod jam ostendimus, assertionem de Pontificis loquentis ex Cathedra extra Concilium in decretis Fidei, ac morum infallibilitate, non solum non esse futilem, sed etiam esse Fidei proximam, (ut Suarius, & Bellarm. habent) & inconcussam.

VI. Ad secundum respondet Suar. lib. 4. de Fidei defensione cap. 6. ex Augustino, & Gregor. fraternam correctionem erga Pontificem esse actum Charitatis, non Jurisdictionis; nec esse inconveniens, quod subditus aliquando humiliter Superiorem corrigat. Sic Paulus erga Principem Apostolorum se gessit ad Galat. 2., ubi dicitur; *Cum venisset Petrus Antiochiam, in faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat.* Si tamen Pontifex noluerit admonentem audire, non idcirco denunciandus est Concilio. Nam in eo textu Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus*, &c. *dic Ecclesiæ*, nomine Ecclesiæ venit Prælatus Ecclesiasticus, non Concilium; cum autem Pontifex sit Pastor universalis, non est alteri ab ipso denunciandus, nisi forte ejus Confessario, qui in foro Sacramentali potest illum admonere, & obligare. Hinc qui Ecclesiam non audierit, habendus est ut Ethnicus, & publicanus, hoc est excommunicari debet; quod tamen supra Pontificem cadere non potest, cum non possit excommunicari, qui non habet vim coercitivam sibi superiorem.

Neque hinc sequitur, quod bono Ecclesiæ non sit satis consultum. Nam sicut dignitas Regia, & Imperatoria non debet habere superiorem in temporalibus, ita nec Pontificia in spiritualibus; cum unius corporis unum debeat esse caput. Specialiter autem providit Christus D., quomodo erroribus Pontificis occurratur, quando fraterna correctio, & Confessarii admonitio non est satis; vid. quod a Pontificia dignitate statim decidat, si incidat in hæresim; si vero in alia crimina dilabatur, præsto sit oratio universalis Ecclesiæ, speciale Spiritus S. auxilium, admonitio etiam publica cum debita modestia facta per Reges, & Principes temporales, si crimina sint scandalosa: ac demum justa defensio, resistendo cum moderamine inculpatæ tutelæ, si manifestam violentiam, & vim injustam inferat; quod tamen rarissime accidit.

VII. Ad tertium: Appellatio proprie dicta a Pontifice ad Concilium, tanquam ad Superiorem, nunquam licuit, appellatio vero improprie, hoc est a Pontifice male informato ad Pontificem melius informandum per Patres Concilii in quæstionibus facti non derogat Auctoritati Pontificis in Concilium Oecumenicum; & hanc tantum permittit Aug. l. c., & probant exempla Vigorii.

VIII. Ad quartum: Non est certum, quod Pontifex ut persona privata possit in hæresim incidere; multi id negant ex illis verbis Christi D. Lucæ 22. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat Fides tua*, quibus videtur Petro, ejusque successoribus promissa indefectibilitas in Fide non tantum in definiendo, sed etiam in credendo. Propterea Petrus ore tantum, non corde Christum negavit; & aliæ historiæ de Pontificibus in hæresim lapsis explicari etiam possunt de sola hæresi externa, ut ostendit Bellarm. Sed transmisso, quod possit Pontifex in hæresim pertinaciter labi, Concilium Oecumenicum habet jus illum citandi, examinandi, & deponendi, non quidem fundatum in vera jurisdictione, vel superioritate, sed in justa defensione sui ipsius adversus Pastorem in Lupum degenerantem. Propterea sicut Pontifex a Cardinalibus eligitur, non tamen Jurisdictionem habet a Cardinalibus, sed immediate a Christo, posita ea electione; ita a Concilio deponitur, non tamen a Concilio sua jurisdictione privatur, sed immediate a Christo, præsupposita sententia Concilii, tanquam mera conditione ad id requisita, ut omnia legitime fiant, & ad Schismata vitanda. Quod autem sententia ista Concilii non debeat dici sententia Judicis, aut Superioris, constat ex eo, quod dicitur in Cap. *Nunc autem* dist. 21. quando collecto universorum Concilio Episcoporum, & inquisitione facta adversus Marcellinum Pontificem, qui tormentorum metu Diis thura dederat, postquam errorem suum fassus est, omnes Patres unanimiter dixerunt: *Tuo ore judica causam tuam, non nostro judicio: Prima Sedes non judicabitur a quoquam.*

Ratio autem cur Pontifex, si sit hæreticus, deponendus sit, est, quia Ecclesiæ fundamentum est Fides, juxta illud ad Coloss. 1. *in Fide fundati*; ergo Fides est fundamentum Pontificatus, & Hierarchici ordinis ipsius Ecclesiæ, atque adeo Fide deficiente in Pontifice, deficit & Pontificatus. Adde, quod si hæreticus ne salutari quidem potest, sed omnino vitari,

tari, ut dicitur ad Tit. 3. eo quod hæresis, *ut cancer serpit*, ut habetur 2. ad Tim. 2., a fortiori non debet illi obediri. At extra casum hæresis Papa indubitatus, quantumvis iniquissimus, nequit sua dignitate privari, ut docent communissime cum Angelico in 4. dist. 19. qu. 2. art. 2. quæst. 3. Obediendum enim est etiam iniquis Superioribus, juxta illud 1. Petri 2. *Non tantum bonis, & modestis, sed etiam dyscolis*. Verum quidem est ex Bulla Julii II., quod Pontifex, qui per Simoniam Tiaram Sacram adeptus fuit, quocumque tempore id constiterit, deponi debeat; non quia Pontifex puniri, aut deponi possit extra casum hæreseos, sed quia simonia antecedenter contracta reddit illum incapacem electionis, posito quod Cardinales jurarint se nunquam electuros Simoniacum, illumque semper habituros ut Apostaticum, non ut Apostolicum, ut videre est apud Less. de Simonia nu. 145. Esto legitime jurisdictionem exercuerit, quousque de Simonia fuerit convictus, juxta legem *Barbarius* de Off. Præt.

Præterea nequit Pontifex deponi ob quamcumque ægritudinem, ob captivitatem, aut aliam impotentiam ad gubernandum, nisi forte incidat in perpetuam amentiam, quippe quæ morti æquiparatur: Quicquid sit, an teneatur ipse Pontificatum renunciare, quando Ecclesiam aut ob senectutem, aut ob aliam causam regere non potest, & interim magnum patitur Ecclesia detrimentum ex defectu Pastoris, quod communius affirmant cum Suar. disp. 10. de Fide sect. 6.

IX. Ad primam confirmationem: Idcirco Concilium Constantiense tres illos Pontifices deposuit, non quia Concilium jurisdictionem exercere potest in verum Pontificem, sed quia nemo illorum erat Pontifex indubitatus: propterea poterat Concilium, tanquam Acephalum, vel aliquem ex iis, vel alium ab iis Pontificem inaugurare. Neque dicas, Joannem XXIII. fuisse Pontificem satis certum, & ad quietem Ecclesiæ fuisse depositum; Nam usque adeo dubiæ tunc temporis fuerunt Pontificum electiones, ut D. Vincentius Ferrerius pluribus annis fuerit bona fide a Confessionibus Benedicti XIII. Antipapæ, ut supra diximus, ejusdemque fuerit Magister S. Palatii. Verum transmisso, quod ab Ecclesia de legitima electione Joannis XXIII. non dubitaretur, dicendum ex historiis apud Suar. l. 3. de Fidei defensione c. 18., quod iste indubitatus Pontifex sponte Pontificatum abdicaverit ob Ecclesiæ pacem.

X. Ad secundam: Nonnulli ex Scriptoribus Catholicis de historia Marcellini Papæ valde dubitant apud Baron. ann. 302. n. 95., & ann. 303. nu. 89. Alii putant, quod de ea non sit dubitandum; cum illam in cap. laudato *Nunc autem* dist. 21. referat Nicolaus Papa, eaque utatur ad Apostolicæ Sedis auctoritatem confirmandam. Quare hoc transmisso, dicendum, a Concilio Sinvessano non fuisse depositum, cum dixerint illi Patres, *Tuo te ore judica, nam Prima Sedes a nemine judicatur*; sed illum sponte Pontificatui renunciasse; ut constat ex illis verbis coram Concilio prolatis: *Peccavi coram vobis, & non possum in ordine esse Sacerdotum*; qua renunciatione facta, subscripserunt in ejus damnationem, & damnaverunt eum, non quidem vi jurisdictionis in illum, sed vi spontaneæ renunciationis. Præterquamquod nonnulli apud Baronium an. 304. putant, Marcellinum non deposuisse dignitatem Pontificiam, sed solum ab officio abstinuisse in sui peccati vindictam, & cum Pontificia dignitate passum fuisse martyrium. Ex quibus fit, peccatum Marcellini non fuisse peccatum hæresis, sed fuisse solum peccatum contra Fidei confessionem, quod propterea a Concilio examinandum erat tum propter publicum scandalum in materia Fidei, tum ob Ecclesiæ securitatem.

XI. Dubitatur hic, An Concilium Oecumenicum legitime congregatum aut tempore schismatis, aut tempore Sedis vacantis, aut absentibus Legatis Pontificis, vel præsentibus quidem, sed absque speciali ejus commissione, aut instructione circa res definiendas, habeat in decernendis Fidei quæstionibus infallibilitatem, prout diximus illam habere Pontificem extra Concilium. Affirmant Soto, Castro, Aragonius, & alii ex illis verbis Christi Dom. *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Sed negandum verius ex D. Thom., Cajet., Bellar., Valent., Tanner., & aliis communissime apud Platelium num. 162. tum ex Cap. *Significasti* de Electione, ubi Paschalis Papa docet, omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem robur acceptisse; tum ex perpetua praxi Ecclesiæ, qua Concilia Oecumenica approbationem petere consueverunt a Pontifice; tum demum, quia promissa est infallibilitas, & assistentia Spiritus S. a Christo D. immediate uni Petro, & per illum Ecclesiæ: Quapropter Ecclesia sub Pontifice errare non potest; Ecclesia vero, quando est Acephala, tanquam corpus sine capite, Ecclesiam Christi perfecte non repræsentat; unde nil mirum, si careat infallibilitate.

Dicendum tamen, esse moraliter impossibile, quod erret; tum quia Concilium Generale sine Pontifice est longe majoris auctoritatis, quam Concilium Provinciale, aut Nationale, cum ferat consensum omnium Orbis Episcoporum; tum etiam quia Christus nunquam permittet, quod Concilium Oecumenicum legitime congregatum, absente Pontifice, aut ejus Legatis, erret; quia quamvis Concilium illud non sit tota Ecclesia, cui mediate, hoc est per Petrum, promissa est immunitas ab errore in materia Fidei; moraliter tamen censetur tota Ecclesia, tanquam præcipua ejus pars; unde est moraliter impossibile, quod in iis quæstionibus a veritate aberret: sicut est pariter impossibile, quod fere tota Ecclesia aliter a Pontifice sentiat; quippe quæ ab Apostolo vocatur 1. ad Tim. 3. *Columna, & firmamentum veritatis*.

XII. Neque dicas primo, quod Concilium Generale ante Pontificis confirmationem dicat Anathema: Nam illud non dicit absolute, sed conditionate, hoc est dependenter a Pontificis approbatione, & in eodem sensu Episcopi dicuntur, habere tunc suffragium decisivum, hoc est dependenter a Supremi Judicis sententia.

XIII. Neque dicas secundo, Christum D. omnibus Apostolis, atque adeo omnibus Episcopis dedisse clavium potestatem, & curam pascendi oves suas, cum dixerit omnibus Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata*, &c.: Ergo Episcopis in Concilio Oecumenico independenter a Pontifice competit etiam infallibilitas. Nam licet omnibus Apostolis, eorumque successoribus dederit Christus D. facultatem prædicandi, baptizandi, absolvendi, ac Ecclesias fundandi; dedit tamen iis illam veluti delegatam, & subditam Petro; cui uni dedit facultatem hanc ordinariam, & supremam, eique tantum immediate assistentiam Spiritus S. promisit in rebus Fidei, & morum decernendis: ac ratione talis Capitis Portæ

Infe-

Inferi nunquam adversus Ecclesiam prævalebunt.

XIV. Contenderunt Sancyranistæ, & Jansenistæ cum Antonio Arnaldo, quod etiam Paulus cum Petro conflaverit unum totius Ecclesiæ caput; ex quo fieret, quod sicut Petro, & Paulo seorsim competeret infallibilitas, ita Pontifici, & Concilio seorsim. Sed Innoc. X. an. 1647. errorem Arnaldi tanquam hæreticum damnavit: cum ex traditione omnium ætatum, ex verbis Christi D. supra relatis, ex Conciliis, & Patribus uni Petro Primatus competat, & Paulus ei fuerit omnino subditus: non secus ac quodvis Concilium subditur Pontifici: Propterea quando ad Galat. 1. dicitur Paulus in faciem restitisse Petro, tunc solum sermo est de correptione fraterna, non de judicaria requirente Jurisdictionem.

XV. Hactenus dictis in præcipuam confirmationem addatur, octodecim Conciliis Oecum. approbatis, quæ a Christi Reparatoris ortu enumerantur, semper, aut fere semper Roman. Pont. per se, aut per suos Legatos præfuisse, quin unquam auctoritas hæc Pontificis supra Concilium in dubium revocata fuerit; quod luculentissimum indicium est hujus inconcussæ veritatis. Isthæc autem Concilia Generalia post Concilium Apostolorum approbata fuerunt, Nicænum I. anno 325., Constantinopolitanum I. an. 383., Ephesinum I. an. 430., Chalcedonense 452. (quæ tanquam quatuor Evangelia Gregor. Magnus, & alii Patres venerati sunt) Constantinopolitanum II. 553. Constantinopolitanum III. 680. Nicænum II. 787. Constantinopolitanum IV. 870. (omniaque his octo Conciliis definita Pontifices, statim a sua creatione, profitentur se acceptare, ac tueri) Lateranense I. 1123. II. 1139. III. 1180., & IV. 1215. Lugdunense I. 1245. Lugdunense II. 1275. Viennense 1311. Florentinum 1438. Lateranense V. 1512. ac Tridentinum 1545. absolutum deinde 1563. Dixi semper, aut fere semper in iis Conciliis Oecumenicis Romanum Pontificem per se, aut per suos Legatos præfuisse: dubitatur enim de Concilio Constantinopolitano I. sub Damaso Papa, ac de II. sub Vigilio. Quod attinet ad primum, permisit Damasus, quod Nectarius Episcopus Constantinopolitanus illi præsideret ob rationem adductam a Bellar. lib. 1. de Conciliis cap. 19. Præterquamquod Concilium illud Episcoporum Orientis ad confirmandos Canones Nicænæ Synodi contra Arrianam hæresim celebratum, fuit moraliter unum cum Concilio Episcoporum Occidentis, quod eodem tempore a Damaso Romano Pontifice celebratum fuit contra hæresim Macedonii, ut explicat Cabassutius ad idem Concilium. Quod vero spectat ad secundum; quamvis nec Pontifex Vigilius, nec ejus Legati illi præsiderent, eo quod Vigilius volebat illud in Italia celebrari; nihilominus habuit vim Concilii Oecumenici propter Romanorum Pontificum approbationem; illud enim & Vigilius, licet non statim, & deinde alii Pontifices approbarunt, ac ratum habuerunt, præsertim B. Gregorius l. 1. Ep. 24. ad finem.

PROPOSITIO XXX.

Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

SYNOPSIS.

I. Plurimi fit ab omnibus Doctrina Augustini, qui jure merito Lingua Ecclesiæ *appellatur. II. Verum ejus auctoritas non est dicenda irrefragabilis, nisi relate ad ea, quæ a Pontificibus, & Conciliis approbata sunt, & quæ habentur in Epistola Cęlestini Primi. III. Temeritatis tamen notam non effugit, qui in dubium revocat quicquid contra hæreticos indubitate affirmat Augustinus. IV. Jansenius præfert Doctrinam Augustini Definitionibus Sedis Apostolicæ: & in hac thesi Jansenistæ volunt, Augustini Doctrinam sustineri posse in conflictu Bullæ Pontificiæ; unde docent, theses Bajanas sustineri posse in proprio verborum sensu, eo quod pro iis videtur stare Auctoritas Augustini, quam insipienter interpretantur.*

V. Nituntur in eo, quod D. Prosper Augustini Doctrinam vocat Apostolicam. VI. Ac Pontifices passim illam summis laudibus extollunt. VII. At assistentia Spiritus Sancti non Augustino, sed Pontifici ex Cathedra loquenti promissa fuit immediate, ac mediate Ecclesiæ a Christo D. VIII. Hinc Doctores in interpretatione Scripturarum recedunt ab Augustini sententia, si ea communiori sensui adversetur.

IX. In quonam sensu verum est, quod Augustinus scripserit Apostolice? X. Cęlestinus Papa Augustini Doctrinam approbavit solum relate ad articulos de Gratia. XI. Ecclesia in definiendis quæstionibus ad Fidem spectantibus secuta est ductum Doctrinæ Augustinianæ, sicut sequi solet ductum, & judicium Theologorum, in quibus certe non est infallibilitas. XII. Pontifices approbarunt August. Doctr. generaliter, non secus ac Cypriani opera, in quibus tamen continetur error de rebaptizandis ab hęretico baptizatis. XIII. Sic etiam Doctrina Angelici passim a Pontificibus commendata est, quin proinde ea sit irrefragabilis, ut teneri, ac doceri possit absque respectu ad Bullas Pontificias.

I. EXponitur. Quanti fiat ab omnibus Augustini Doctrina, præsertim ubi de Gratia locutus est, nemo est, qui ignoret. Suar. Proleg. 6. c. 6. dicit, *Tanta sapientia Augustinum scripsisse, ut ejus sententia semper sit præferenda, nisi cum major Patrum, aut Ecclesię auctoritas obstare videtur; quod raro, vel nunquam continget.* Vasq. p. 1. disp. 89. ait: *Unus pro multis semper erit Augustinus, qui in materia de Gratia, & Prædestinatione inter cæteros Ecclesię Patres, non aliter quam Sol inter minora sidera, pręfulget.* Et olim D. Hier in Epist. ad S. August. ita illum affatus est. *Macte virtute, in orbe celebraris; Catholici Te conditorem antiquæ rursum fidei venerantur, atque suscipiunt; & quod signum majoris gloriæ est, omnes hæretici detestantur.* Et Petrus Damianus ser. de S. Steph. qui est 61., appellavit Augustinum *Linguam Ecclesiæ;* aliaque innumera Augustini elogia reperies apud de Champs lib. 3. disp. 1.

II. Quamvis autem plurimi fiat Augustini auctoritas, ea tamen non censetur irrefragabilis, nisi tantum quoad ea, quæ a Conciliis, & Pontificibus approbata sunt ut vera, & quæ habentur in Epistola Cęlestini Primi ad Episcopos Galliæ apud Prosperum in fine ejus operum; videl. Quod in prævaricatione Adæ omnes amiserimus facultatem expeditam ad salutaria; Quod nemo sit per se bonus, nec possit sine gratia perseverare; Quod nemo bene utatur libero arbitrio, nisi per Christum; Quod omnes motus bonæ voluntatis sint a Deo; Quod gratia non solum valeat ad peccatorum remissionem, sed etiam ad ea vitanda: Ac demum quod gratia Christi non solum illuminet intellectum, sed etiam moveat immediate voluntatem, nec solum det facile, sed etiam simpliciter posse. Quoad alia ab his punctis, Augustini Doctrina non censetur irrefragabilis,

gabilis, ut constat ex eodem Cęlestino I. qui in eadem Epist. cap. 12. apud Suar. loc. cit. ait: *Profundiores partes quæstionum, quas pertractarunt Augustinus & alii, qui hæreticis restiterunt, sicut non audemus contemnere, ita non necesse habemus astruere.* Quinimo ipsemet Augustinus de se loquens lib. de Dono perseverantiæ cap. 21. hæc habet: *Neminem velim sic amplecti omnia mea, ut me sequatur, nisi in iis, in quibus me non errare perspexerit; nam propterea nunc facio libros, in quibus opuscula mea retractanda suscepi, ut nec me ipsum in omnibus me secutum fuisse demonstrem.* Propterea Tostatus Defensorii p. 2. c. 18. dixit: *Non ergo necesse est nobis, quæcumque dixerit Augustinus, concedere.* Et Melchior Canus cap. 3. de locis Theologicis, *Stultum esse, libris Canonicis Augustini opuscula æquare.* Quod ex eo etiam fit perspicuum, quia Leo Papa ad Episcopos Arausicani Concilii aliquas tantum regulas, seu Capitula, ex libris Augustini decerpta misit, ostendens se nolle totam Augustini doctrinam de Gratia indiscriminatim definire, seu tanquam de Fide probare, sed ea tantum, quæ in iis Canonibus digesta transmisit.

III. Verum quia doctrina Augustini de Gratia admirationi fuit semper omnibus, & Ecclesia illam secuta est in confutandis hæreticorum erroribus idcirco, ut notat Suarez, temeritatis notam non effugeret, qui in dubium revocaret, quicquid in hac materia indubitate Augustinus affirmat; quamvis ab Ecclesia non sit hactenus definitum. Immo non solum in rebus, quas Augustinus certas existimat, sed etiam in iis omnibus, quæ tanquam vera, & probabiliora ubique amplectitur, ex mente Suarii sententia Augustini semper est præferenda, nisi communis Patrum, vel Ecclesiæ auctoritas obsistat, quod vix est ut eveniat; Et si forte evenerit, explicandus potius erit Augustinus, si commode poterit, quam reprobandus.

IV. Jansenius tamen Iprensis, ut suos errores e Bajo haustos tueretur, usque adeo Augustini auctoritatem extulit, ut to. 2. l. 1. Proęm. c. 13. & seq. ejus assertionibus tribuerit irrefragabilitatem: & similiter eodem l. Proęm. c. 24. dixit: *Augustinus est instar omnium; loco omnium, supra omnes, Pater Patrum, Doctor Doctorum, primus post Scriptores Canonicos, inter omnes vere solidus, subtilis, irrefragabilis, Angelicus, Seraphicus.* Et lib. 3. de statu puræ naturæ c. 22. apud Annatum lib. 3. cap. 4. ad interrogationem illam, *Quid ad propositiones, quas proscripsit Sedes Apostolica?* respondet audacter: *Sed quid ad Doctrinam Augustini clarissimam, constantissimamque, qua toties probavit, & sequitur, sequendamque monet Sedes Apostolica? Nam si fundamentales illæ contra Pelagianam hæresim doctrinæ proscribendæ sunt, non inter Magistros optimos semper haberi August. a summis Pontificibus, sed inter ignarissimos haberi debuit.* Ecce quomodo Jansenius contendit, Pontificum Bullas ab Augustini verbis infringi.

Hinc ortum habet error præsentis propositionis Jansenistarum, quod ubi quis in Augustino repererit Doctrinam aliquam clare fundatam, possit illam tenere, & docere, quicquid in contrarium Pontificis Bullis definitum sit; ut proinde velint Pontificum Bullas ad mentem Augustini esse interpretandas, & non e converso. Contenderunt quippe Bajani apud Rinald. to. 3. in Proęmio sect. 2. multas Baji propositiones in Bullis Pii V. & Greg. XIII. damnatas indubitanter ab Augustino doceri; & idcirco eorum Asseclæ etiamnum contendunt, propositiones illas Baji, quæ indubitanter ab Augustino traduntur, teneri, ac sustineri posse, non respiciendo ad Bullas Pontificum, quibus eædem propositiones damnantur; perinde quasi magis attendenda sit mens Augustini illas docentis, quam mens Pontificum illas ex Cathedra proscribentium.

Sic Augustin. ex. grat. de Spiritu, & Lit. c. 3. aperte habet: *Liberum arbitrium non nisi ad peccandum valet, si lateat via veritatis*: & in Enchir. cap. 107. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas:* & l. 5. de Civit. cap. 12. *Sine fide, & cultu Dei non posse haberi actus virtutis*: Ex adverso vero in Bulla Pii V., & Greg. XIII. contra Bajum damnantur istæ consimiles propositiones: nempe 28. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*: & 38. *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*: & 25. *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* Catholici docent, verba Bullarum has propositiones damnantium in rigore, & proprio verborum sensu sumenda esse, & verba Augustini ita interpretanda esse, ut verbis Bullarum non contradicant: Volunt proinde, ut supra diximus in expositione propositionis 7., in eo sensu ab Augustino doceri, quod liberum arbitrium nonnisi ad peccandum valeat, quatenus solum peccatum ita est proprium liberi arbitrii creati, ut nullo modo sit Dei auctoris: Et in eo sensu doceri, quod regnet carnalis cupiditas, ubi non est charitas, quatenus præscindendo ab actibus moralibus indifferentibus, actus morales vel ad virtutem spectant, hoc est ad charitatem, quæ omnium virtutum est radix, vel ad vitium, hoc est ad carnalem cupiditatem, quæ est radix omnium malorum: Diximus etiam in expositione propositionis 8., in eo sensu opera infidelium non esse actus virtutum, quia passim vitiantur ob finem extrinsecum vanæ gloriæ, & quia sunt sterilia, non salutaria.

At Baji, & Jansenii asseclæ, quia volunt Augustini verba sumenda semper esse in proprio sensu, nullo habito respectu ad verba Bullarum, quæ iis opponuntur, putant eas Augustini propositiones in proprio sensu etiamnum teneri, ac doceri posse, atque adeo veram esse propositionem septimam ab Alexand. VIII. proscriptam: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, charitas Patris est; si mundi, concupiscentia carnis, hoc est, mala est.* Et proposit. 8. *Necesse est infidelem in omni opere peccare.* Adversus hos Assertores dicimus advertenda esse ea verba Bullæ Pii V., & Gregorii XIII., ubi habetur: *Quamvis nonnullæ Baji propositiones aliquo pacto sustineri possent; in rigore tamen, & proprio verborum sensu, ut hæreticas, erroneas, &c. respective damnamus*; & omnino commentitium esse, (ut ostendit Ripal. l. cit.) quod in Bulla dicatur, *Nonnullas Baji propositiones sustineri posse in rigore, & proprio verborum sensu*, ut ex contextu etiam colligitur. Unde fit, propositiones damnatas in proprio verborum sensu damnari; atque adeo verba Augustini, quæ videntur oppositum docere, non esse in proprio verborum sensu explicanda; cum irrefragabilitas non competat verbis Augustini, sed verbis Pontificis ex cathedra loquentis. Quapropter Augustini doctrina, quamvis clare fundata, teneri, ac doceri non potest, non respiciendo ad Pontificum Bullas.

V. Fun-

V. Fundamentum Bajanorum in hoc enormiter errantium illud videtur esse, Primo, quia D. Prosper doctrinam Augustini vocat Apostolicam; unde fit esse irrefragabilem; hæc enim habet in Ep. ad Rufinum apud Suar. Prolegom. 6. c. 6 *Sanctæ memoriæ Augustinus contra Pelagianos inimicos gratiæ Christi, & liberi arbitrii decomtores per multos annos Apostolice asseruit, literisque mandavit.*

VI. Secundo, quia Cœlestinus Papa in Ep. 1. ad Episcopos Galliæ usque adeo doctrinam Augustini commendat, ut dixerit, *Quem nullus unquam sinistræ suspicionis saltem rumor aspersit;* & ideo in ea Epistola annectuntur Capitula ex Augustino desumpta, quæ tanquam veram, & certam, ac necessariam de Gratia doctrinam continentia omnibus proponuntur; Sicut etiam Canones Concilii Arausicani auctoritate Apostolica consummati omnes e sublimi Augustini penu deprompti fuerunt.

Tertio, quia ut habetur apud Baronium anno 534. n. 24. Jo. II. in Epist. ad Illustres quosdam Senatores allegaturus Augustinum ait: *Item S. Augustinus, cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia.*

Quarto demum, quia Gelasius Papa dist. 13. c. 3. omnia Augustini opera generaliter approbat: cum ergo tanti fiat ab Ecclesia, & a Pontificibus Augustini doctrina, videmur posse illam inoffenso pede sequi, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam.

VII. Ostenditur tamen falsitas: quia, ut diximus in expositione propositionis antecedentis, infallibilitas, & assistentia Spiritus S. uni Pontifici ex Cathedra loquenti promissa est immediate, & solum mediate toti Ecclesiæ: ergo Augustini auctoritas non est coæquanda Bullis Pontificum ex Cathedra loquentium, adeo ut Augustini doctrina clare fundata sustineri, ac doceri possit etiam in conflictu Bullarum oppositum definientium. Verum quidem est, quod dixit Suar. l. c., Augustini doctrinam aut nunquam, aut raro admodum majori Patrum, aut Ecclesiæ Auctoritati opponi; Si tamen aliquando contingat saltem in speciem iis adversari, tunc Augustini verba menti Bullarum accommodanda quoad ejus fieri potest; atque adeo mens Bullæ menti Augustini præferenda.

VIII. Confirmatur; quia DD. passim in interpretatione Scripturarum recedunt ab Augustini sententia, quæ communiori sensui adversatur; v. g. de creatione mundi unico instanti. Et ratio est, quia doctrina Augustini non est, ut docet Jansenius l. c. irrefragabilis, quamvis maximi ponderis habeatur. Hinc Cœlestinus Primus, ut diximus, in Epist. ad Episcopos Galliæ solum quoad ea sex puncta ad Gratiam spectantia doctrinam Augustini approbavit ut veram, quoad alias vero profundiores quæstiones, præsertim de Prædestinatione, nihil prorsus voluit definire. Unde fit, ut notat Suar. loc. cit. quoad ea quæstionum genera in materia de Prædestinatione, quæ cum punctis de Gratia definitis connectuntur, e. g. An prædestinatio fundetur in bono usu solius liberi arbitrii? An primum gratiæ auxilium sit ex gratuita prædestinatione? & similes, Doctrinam Augustini esse irrefragabilem propter connexionem cum articulis ab Ecclesia definitis; quoad alia vero quæstionum genera, quæ cum iis articulis non connectuntur; e. g. An electio ad gloriam sit ex meritis prævisis? An præscientia conditionata boni usus liberi arbitrii ad prædestinationem præsupponatur; & similes, maximi quidem fieri ab omnibus Augustini sententiam, eam tamen non esse irrefragabilem, adeo ut teneri, ac doceri possit absque ullo respectu ab Pontificum Bullas; quod ex hactenus dictis luculentissime demonstratum est.

IX. Ad primam rationem in contrarium; D. Prosper non vult Augustinum scripsisse Apostolice, hoc est vel tanquam Scriptorem Canonicum, vel tanquam habentem in scribendo assistentiam Spiritus S., sicut Apostoli habuerunt; cum hoc alienissimum sit a mente Prosperi, & totius Ecclesiæ; sed dicitur Apostolice scripsisse, vel quia suam de Gratia Doctrinam in triginta libris digestam ex Apostolo Paulo præcipue desumsit, ejusque dictis validissime confirmavit: vel quia tam vere, ac fideliter de Gratia scripsit, ut Sedes Apostolica ejus Doctrinam, quæ ad Fidei dogmata spectat, suam effecerit, ac approbaverit; ut constat tum ex iis articulis a Cœlestino Primo approbatis, tum etiam ex Canonibus Concilii Arausicani a Leone Papa (ut fertur) missis, & authoritate Apostolica confirmatis; qui omnes ex Augustino deprompti sunt. Et de his locutus est Hormisda Papa in Epist. 67. ad Possessorem, dicens: *In scriniis Ecclesiasticis contineri expressa capitula, in quibus expresse continetur, quid Romana, hoc est Catholica Ecclesia de Gratia, & Libero arbitrio sentiat*; addens, eandem Doctrinam dignosci posse ex variis Augustini libris, & maxime ad Prosperum, & Hilarium de prædestinatione Sanctorum, & dono perseverantiæ.

X. Ad secundam: Cœlestinus Papa in ea Epistola solum Augustini doctrinam approbat relate ad eos articulos de Gratia, ut diximus, non universim; Immo in ea Epistola diserte vult Pontifex, Augustinum solum inter optimos Magistros recenseri; hæc enim habet de Augustino: *Quem tantæ scientiæ olim meminimus, ut inter Magistros optimos etiam a meis decessoribus haberetur*; ecce non vocat illum Patrem Patrum, Doctorem Doctorum, irrefragabilem, Angelicum, Seraphicum, ut vocatur a Jansenio t. 2. l. 1. proœm. c. 24., sed solum vocatur unum ex optimis Patribus, ac Magistris, ut proinde si forte ab aliis dissentiret, esset deserendus. Idem dicendum quod attinet ad Canones Arausican.

XI. Ad tertiam: Jo. II., ut advertit Suar., ibi non loquitur de doctrina Augustini universim, sed solum de dogmatica, seu quæ ad fidei mysteria explicanda, & confirmanda pertinet; illius enim ductum secuta est Ecclesia adversus hæreticos gratiæ Christi eversores; non secus ac Pontifex in definiendis quæstionibus ad fidem spectantibus sequi solet ductum, & Judicium Theologorum. Quare sicut infallibilitas, & assistentia Spiritus S. solum inest Pontifici ex Cathedra loquenti, non vero judicio prævio Theologorum, adeo ut post præmissam Theologorum consultationem Pontifex utatur verbis Act. 15. *Visum est Spiritui Sancto, & nobis*, non vero, Visum est Theologis; ita pariter solum definitionibus Ecclesiæ inest irrefragabilitas, non vero doctrinæ præviæ Augustini, aut aliorum simul Patrum, quæ solum deservit ad facem præferendam, ut humano, non cœco modo res Fidei decernantur.

XII. Ad quartam: Gelasius Papa in Cap. laudato non solum approbat opuscula Augustini, sed etiam Cypriani, Athanasii, Nazianzeni, Chrysostomi, Cyrilli, Hilarii, Hieronymi, & aliorum, unde sicut ex hac approbatione non infertur irrefragabilitas in doctrina istorum Patrum, ita nec in doctrina Augustini. Et ratio est, quia ibi opera Augustini approbantur solum generaliter, non secus ac approbantur ope-

ra Cypriani, in quibus tamen continetur error de rebaptizandis baptizatis ab hæretico: quare hujusmodi approbatio, ut advertit Tostatus, est solum commendatio doctrinæ horum Patrum ut eruditæ, piæ, & catholicæ, in eo tamen sensu, quod non repugnet iis, quæ ab Ecclesia definita erant, quando ab iis scribebatur.

XIII. Adde, sæpe etiam a Pontificibus commendatam esse doctrinam Angelici; nec proinde quisquam dixerit etiam esse irrefragabilem, ita ut teneri, ac doceri possit absque respectu ad ullam Pontificis Bullam. Urbanus V. apud Jo. a S. Thoma in p. p. disp. 1. art. 2. dixit, S. Thomæ doctrinam esse *sequendam, tanquam veridicam, & Catholicam:* Clem. VIII. fidem facit divini illius Testimonii, *Bene scripsisti de me Thoma*. Innoc. IV. *Neminem unquam inventum, qui cum teneret doctrinam D. Thomæ, de tramite veritatis deviarit; & qui illam impugnavit, semper fuit de veritate suspectus*. His, alisque id generis encomiis non pauci Pontifices Angelici doctrinam extulerunt, quin ulli in mentem venerit, quod ea sit irrefragabilis. Idem itaque dicendum de sublimissimis Augustini assertionibus, præsertim ubi disputat de Gratia; quamvis enim ejus doctrina velut Sol inter minora Sidera præfulgeat, ut loquitur Vasq., stultum tamen est, eam cum veritatibus Catholicis coæquare, adeo ut possit propugnari, ac doceri, non respiciendo ad Bullas Pontificias.

PROPOSITIO XXXI.

Bulla Urbani Octavi *In Eminenti* est subreptitia.

SYNOPSSI

I. Bulla isthæc confirmat constitutiones adversus illas 79. Baji theses a Pio V., & Gregorio XIII. proscriptas, ac de novo prohibet Jansenii librum, utpote continentem plures ex iis damnatis thesibus. II. Jansenistæ in hac thesi asserunt, Bullam illam fuisse subreptitiam, seu dolo extortam a Jesuitis per expositionem falsi. III. Contendunt enim Jansenium fuisse Sanctæ Sedi obsequentissimum. IV. Nec docuisse theses Bajanas, nisi in eo sensu, in quo eas docet Augustinus. V. Nituntur in eo, quod Pontifex noluerit damnare theses, quæ indubitanter in Augustino continentur; & falsum sit, theses Bajanas in libro Jansenii contineri in sensu proscribendo. VI. Cum autem quæstio hæc sit facti, videtur potuisse in ea Pontifex decipi. VII. Verum in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris ad Fidem spectantibus, prout est præsens quæstio, Pontifex errare non potest. VIII. Potest quippe de fide definiri Conclusio Theologica descendens ex una præmissa de Fide, & altera moraliter certa. IX. Temere etiam dicitur Bulla isthæc edita esse ab Urbano VIII. veritatis ignaro. X. Sicubi in Augustino reperiatur thesis aliqua, quæ videatur cum thesibus Bajanis coincidere, illam interpretari debemus in sensu accommodo; cum præferenda sit Auctoritas irrefragabilis Bullæ Pontificiæ auctoritati Augustini. XI. Vafre Jansenius solum dicit, theses Bajanas indubitanter in Augustino contineri; ut inde inferatur, Pontificem in iis damnandis esse deceptum. XII. Jansenistæ erga Sedem Apostolicam sunt irreverentissimi, dum audent asserere, Pontificem importunis sollicitationibus cessisse in condenda Bulla illa, quam sine Spiritus S. assistentia condere non poterat. Idcirco autem solum Jesuitas criminantur reos falsitatis Urbano propositæ, quia ab eorum calamo acerrime feriuntur. Cœterum causa ista adversus Jansenistas est in Ecclesia communissima.

XIII. Comma quoddam in Bulla prætermissum ansam dedit tot Jansenistarum cavillationibus.

XIV. Non est amplius dubitandum de legitimo Bullæ sensu.

I. Exponitur. Bulla isthæc Urbani in lucem edita anno 1641. post relatam Constitutionem Pii V. editam anno 1567., & Constitutionem Gregorii XIII. anno 1579., quibus damnantur illæ 79. Baji propositiones; post relatum etiam decretum Pauli V. anno 1611. ne quid imprimeretur in materia de auxiliis ad scandala, & dissensiones vitandas, antequam hujusmodi tractatus a S. Universali Inquisit. recognoscerentur; necnon decretum ejusdem Urbani an. 1643. quo decretum Pauli V. confirmatur, & simul prohibetur liber Cornelii Jansenii olim Episcopi Iprensis, cui titulus *Augustinus*, ac nonnullæ Theses, Orationes, Scripturæ, & Epistolæ de Divinis auxiliis, seu de gratia, & libero arbitrio tractantes; Bulla, inquam, isthæc subdit, *Ex diligenti, ac matura ejusdem libri, cui titulus, Augustinus, lectione* postmodum compertum fuisse, in eodem libro multas Baji propositiones a dictis Pontificibus proscriptas contineri, & magno cum Catholicorum scandalo, & auctoritatis Sedis Apostolicæ contemptu eas defendi. Propterea iterum Apostolica auctoritate in ea Bulla Urbanus VIII. easdem Constitutiones Pii V., & Greg. XIII. confirmat; iterumque prohibet librum Jansenii continentem (ut ipse Pontifex a semet compertum esse testatur) articulos, opiniones, & sententias in dictis Constitutionibus reprobatas, ac damnatas.

II. Bajani, & Jansenistæ post hanc Urbani Constitutionem curarunt, teste Annato lib. 3. cap. 5. ut ejus publicatio pluribus in locis aliquandiu suspenderetur, donec a Pontifice vel retractationem, vel certe moderationem aliquam obtinerent, itaut in alienum sensum possent verba Bullæ interpretari. Cum autem fieri nequeat, quod ea, quæ Spiritu S. dictante a Pontificibus ex Cathedra loquentibus, vel a Conciliis decreta sunt, aut retractentur, aut in proprio verborum sensu a veritate aberrent, veriti idcirco, ne cum hæreticis adscriberentur, si negarent Pontificis infallibilitatem, & Spiritus Sancti assistentiam in quæstionibus Fidei decernendis, solum perfricta fronte contenderunt, Bullam illam esse subreptitiam, hoc est dolo extortam a Jesuitis per expositionem falsi; falsum enim omnino dixerunt, quod in Jansenii libro, cui titulus *Augustinus*, multæ ex damnatis propositionibus continerentur, & renovarentur; quamvis Urbanus dicat compertum id esse ex matura ejus lectione, & quamvis in calce Bullæ addatur, id ipsimet Pontifici compertum esse. Eundem Bajanorum errorem exsuscitarunt nunc nonnulli in Belgio, asserentes Bullam illam Urbani esse subreptitiam, eo quod nec Bajus propositiones damnatas in sensu damnando docuerit, nec in libro Jansenii propositiones illæ Baji in sensu damnato contineantur; quod cum pertineat ad quæstionem facti, in qua Pontifex errare potest, nihil videtur detrahi infallibilitati Pontificis in quæstionibus Fidei dirimendis.

III. Volunt etiam, Jansenium fuisse semper Sedi Apostolicæ obsequentissimum, eo quod in suo Testamento apud Annatum lib. 3. cap. 5. dixerit: *Si Romana Sedes aliquid mutari velit, sum obediens filius, & illius Ecclesiæ, in qua semper vixi, usque ad hunc lectum* mor-

mortis obediens sum. Ista mea postrema voluntas est. Adduntque nunquam Jansenium in eo libro propositiones Baji damnatas docuisse, sed duntaxat dixisse, eas luculenter, & indubitanter in Augustino contineri; hæc enim habet to. 2. l. p. Proęm. c. 29. *Sicubi hallucinatus fuerim, hoc scio, me non in Catholica veritate, sed in Augustini sententia asserenda cecidisse: nec etiam ego quid verum, aut falsum, quid tenendum, aut non tenendum in Catholicæ Ecclesiæ doctrina tradidi, sed quid Augustinus tenendum asseruerit, ac docuerit.* Ecce quomodo Jansenius, ut Anathematismum declinet, solum contendit directe propositiones Baji damnatas esse juxta mentem Augustini; Bajani vero, ac Jansenii recentes Asseclæ directe solum contendunt; quod Urbanus per expositionem falsi Bullam illam subreptitie ediderit, in qua propositiones Baji iterum damnavit, ac librum Jansenii prohibuit tanquam continentem, ac renovantem eas propositiones.

IV. Certe in hoc Bajani hæreticos imitantur. Sicuti enim fere omnes hæretici nolunt Deum loqui falsum, cum lumine naturæ innotescat, Deum esse Primam Veritatem, sed solum negant hoc, vel illud locutum esse, quamvis dentur signa omnia credibilitatis, quæ obligant ad revelationem admittendam ut veram: ita Bajani non asserunt, Pontificem errare, ac falsum docere ex Cathedra; sed solum negant, Bullam illam, in qua Baji theses damnantur, scienter, & libere editam esse, ac verba Bullæ ad improprium sensum detorquent, ut errores suos tueantur, exquirendo ad id patrocinium validum ab Augustini doctrina, quam, ut diximus in expositione propositionis antecedentis, docent esse irrefragabilem.

V. Fundamentum itaque ad dicendum, quod Bulla Urbani sit subreptitia, videtur esse: tum quia fieri nequit, quod Pontifex damnet propositiones, quas indubitanter Augustinus docet, quales sunt, quæ in ea Bulla damnantur: cum doctrinam Augustini Ecclesia tanquam propriam habeat, adeo ut illam consecrarit, & reddiderit Ecclesiasticam: Tum etiam quia revera in libro Jansenii illæ propositiones Baji proscriptæ in sensu, quo debent proscribi, nec continentur, nec renovantur, sed solom ibi asseritur, eas ab Augustino doceri; atque adeo solum continentur propositiones illæ in sensu, quo eas Augustinus usurpat, qui certe ab Ecclesia non proscribitur.

VI. Neque obstat, quod Pontifex in his Bullis, in quibus ex Cathedra loquitur, habeat assistentiam Spiritus S., & infallibilitatem; Nam eam habet duntaxat in quæstionibus juris ad Fidem, & Mores pertinentibus, non in quæstionibus facti, qualis hæc est, Num scil. istæ propositiones juxta sensum damnatum in eo Jansenii libro contineantur? Et quia Bajani Jesuitas semper earum propositionum acerrimos impugnatores experti sunt, idcirco reos illos faciunt falsitatis Urbano expositæ, unde subreptitie Bulla illa emanarit.

VII. Ostenditur falsitas. Et primo quidem, quod Pontifex loquens ex Cathedra errare non possit in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris ad Fidem, vel ad Mores spectantibus, sicut sunt quæstiones Facti in casu nostro, fuse ostendimus in quæstione prodroma ad expositionem propositionum ab Alex. VII. confixarum. Et ratio breviter est, quia quando quæstiones facti sunt connexæ cum quæstionibus juris, si falsa est quæstio facti, consequenter erit falsa quæstio juris; atque adeo si posset Pontifex in iis errare, posset etiam in istis, quod a Jansenistis non admittitur: v. g. si definiat Pontifex, libros Calvini, & Lutheri continere propositiones hæreticales, (quod pertinet ad quæstionem facti) & in hoc errare posset, sequeretur, quod posset etiam errare in hac quæstione juris, cum qua illa connectitur, v. g. quod sit hæretica hæc propositio, *Corpus Christi non est in Eucharistia*; si enim falsum esse posset, quod ii libri contineant propositiones hæreticales, & evidens sit, hanc propositionem, quod Christus non sit in Eucharistia, in iis contineri, posset esse falsum, quod ista propositio sit hæreticalis; atque adeo posset etiam in quæstionibus juris Pontifex errare. Ita prorsus in casu nostro: Spectat ad quæstionem facti, num in libro Jansenii contineantur hæreticales propositiones; cum autem compertum sit & ipsi Pontifici id in Bulla fatenti, & omnibus, qui librum illum perlegerunt, ibi contineri quinque illas propositiones, quæ damnatæ sunt ab Innoc. X., & Alexand. VII. ut hæreticæ, necnon alias Baji damnatas; inde fit, quod si posset errare Pontifex in ea quæstione facti connexa cum quæstionibus Juris, sicut posset esse falsum, quod in libro Jansenii contineantur propositiones hæreticales, ita posset esset falsum, quod sint hæreticales illæ quinque propositiones, & aliæ Baji, quæ evidenter in eo libro continentur; atque adeo posset Pontifex errare in quæstionibus juris ad Fidem, vel Mores spectantibus, quod nemo profecto dixerit.

VIII. Ratio a priori, cur possit a Pontifice definiri de Fide id, quod pertinet ad quæstionem facti connexam cum quæstione juris, est, quia potest de Fide definiri Conclusio aliqua Theologica descendens ex una præmissa revelata, & altera moraliter certa. V. g. potest de Fide declarari, quod Tridentinum habuerit assistentiam Spiritus Sancti, quia de Fide est, omne Concilium Generale legitime congregatum habere assistentiam Spiritus Sancti, & est moraliter certum hujusmodi fuisse Tridentinum: ergo pariter definiri potest de Fide, quod liber Jansenii, vel Lutheri contineat propositiones hæreticales; quia de Fide est, esse hæreticales propositiones ab Ecclesia damnatas ut hæreticas, & est moraliter certum, multas huiusmodi in iis libris contineri in sensu obvio, quem verba propositionum exhibent, & in sensu ab iis auctoribus intento. Propter eandem rationem potuit de Fide declarari v. g. in Conc. Constantiensi Joannem Vviclephum, Jo. Hus, & Hieronymum de Praga esse hæreticos, eorumque libros, & doctrinas esse perversas, quamvis id spectet aliquatenus ad quæstionem facti. In casu tamen nostro de Fide solum est, in libro Jansenii contineri multas ex propositionibus Baji damnatis, & hæreticas esse quinque illas ab Innoc. X. damnatas in sensu ab Auctore intento, & in sensu obvio: quin per hoc definitum sit hæreticum fuisse Jansenium, & Bajum; cum de hac quæstione facti noluerit Ecclesia quicquam definire, nihil morando, num ex animo, an solum ore tenus ad Censuras declinandas Jansenius in suo Testamento, ut diximus, judicium suum Ecclesiæ judicio submiserit, ita ut defuerit pertinacia, quæ essentialiter ad hæresim spectat; & cum ore tenus etiam Bajus post sententiam Pontificiam errores retractaverit, prout refert Rip. disp. 1. nu. 80. Utrumque autem callide in speciem id præstitisse hæresiarcharum more, donec asseclarum animos sibi conciliarent, verosimillimum est; cum perfricta fronte ad-

te adversus Ecclesiam, & luculentam Tridentini Doctrinam tamdiu pugnassent.

Ex quibus omnibus fit, Bullam Urbani VIII. *In eminenti* non posse dici falsum continere quoad quæstiones facti, de quibus Baji, ac Jansenii asseclæ loquuntur: cum istæ connectantur cum quæstionibus juris ad materiam Fidei pertinentibus, in quibus Pontifex ex Cathedra loquens errare nullatenus potest, cum non possit Portæ Inferi adversus Ecclesiam in Petro fundatam prævalere.

IX. Ostendo deinde, omnino temere asseri Bullam Urbani esse subreptitiam, nempe editam a Pontifice veritatis ignaro. Nam præscindendo ab assistentia Spiritus S. in decidendis iis quæstionibus facti connexis cum quæstionibus Juris ad Fidem spectantibus, Pontifex in ea Bulla anno 1641. edita asserit, ex matura, ac diligenti lectione illius libri, cui titulus *Augustinus*, compertum esse, in eo multas Propositiones Baji a duobus Pontificibus antecedenter damnatas contineri, ac renovari. Deinde auditis Bajanorum querelis obtendentibus eam Bullam in falsi expositione fundari, idem Urbanus anno 1643.ut videre est apud Annatum l. 3. c. 5. scripsit ad Archiepiscopum Cameracensem in hæc verba, *esse verissimum diploma, & Sanctæ Sedis Oraculum, quod aliquorum audacia levissimis prætextibus falsitatis insimulare præsumit*, &c. Et ad Archiepiscopum Antuerpiensem, *Constitutionem etiam impudenter, atque inanibus prorsus rationibus oppugnari;* & ad Academiam Duacensem, *Impudentem aliquorum temeritatem satis improbari non posse, qui Constitutionem illam falsitatis insimulare vanissimis rationibus non sunt veriti, esse hanc apertam contumaciam, perniciosumque exemplum; & salutis discrimen adiri ea præsumptione, atque inconsultis opinionibus*. Ecquis ergo audeat post tot, aliasque ejusdem Pontificis attestationes, Bullam illam dicere subreptitiam, ac in falsi expositione niti?

X. Venio nunc ad ea, quæ objiciuntur a Jansenianis: & primo quidem ita ratiocinantur. Multæ ex Propositionibus in ea Bulla damnatis indubitanter in Augustino continentur: v. g. *Omnia infidelium opera esse peccata: Virtutes Philosophorum esse vitia*, & similes; cum ergo plurimi Pontifices Doctrinam Augustini commendaverint, ut diximus in expositione propositionis antecedentis, vel sunt decepti Pontifices in commendanda Augustini Doctrina, vel in damnandis propositionibus hujus Bullæ.

Sed jam in antecedentis thesis expositione ostendimus, Doctrinam Augustini solum generaliter esse commendatam, nec esse irrefragabilem, nisi in articulis approbatis a Pontificibus, vel Conciliis. Unde fit, quod sicubi in Augustino legatur propositio aliqua ex damnatis, illa interpretanda sit in sensu accommodo,ita ut irrefragabili Pontificum definitioni consonet;quod si id fieri non posset,(quod aut nunquam, aut raro admodum contingit,Suario teste)tunc auctoritas irrefragabilis Bullæ Pontificiæ auctoritati Augustini esset præferenda. Cæterum sicut omnes hæretici suas hæreses auctoritatibus Scripturarum fulciunt, male illas interpretando; ita Bajani, & Jansenistæ suos errores fulcire contendunt Augustini mira auctoritate, illum tamen pessime interpretando: ut proinde non sit opus asserere, quod Augustinus erraverit, sed quod ejus sensum non assequantur Bajani contendentes in Augustino multas ex propositionibus damnatis contineri.

XI. Addunt, Jansenium in eo libro solum asserere, quod multæ Baji damnatæ propositiones indubitanter in Augustino reperiantur, non vero quod illæ sint veræ; unde non debeat Jansenii liber prohiberi tanquam continens, ac renovans illas propositiones.

Sed quamvis explicite hoc duntaxat asserat Jansenius ad effugiendum anathematismum, re tamen vera contendit, immerito eas fuisse damnatas, dum propugnat acerrime eas fuisse Augustini. Quare illud quidem explicite duntaxat contendit, sed dolose, ac vafre. Præterquamquod idipsum & Augustino injuriosum, & Ecclesiæ auctoritati perniciosum est, velle multas ex damnatis propositionibus indubitanter in Augustino contineri, in eo ipso proprio sensu, in quo damnantur; quod procul dubio falsissimum, & ea tantum de causa non sine fuco, & fallacia a Jansenio inculcatur, ut Bullas arguat falsitatis. Ceterum Jansenistæ duas has præmissas contendunt inconcussas, ex quibus evidenter sequitur veras esse propositiones a tribus Pontificibus damnatas. Docent enim veram esse Doctrinam Augustini, quippe quæ Ecclesiæ nomine est tradita, & ab ea consecrata, & facta Ecclesiastica: Rursus doctrinam, quæ a tribus Pontificibus damnatur, esse Augustini, & pro utraque hac præmissa pugnacissime certant; ac deinde dicunt præscindere a necessario illo, & luculentissimo consequente, quod scil. doctrina, quæ a tribus Pontificibus damnatur, sit vera. Ecquis erit adeo hebes, ut dolum non introspiciat?

XII. Quod attinet ad Jesuitas, quos criminantur quasi suppositæ, vel subreptæ Bullæ reos; primo quidem in hoc ipso Bajani sunt erga Sedem Apostolicam irreverentissimi, cum audeant asserere, Bullam Doctrinalem a Pontificibus editam de plenitudine potestatis judicandi de vera, ac sana Doctrina, importunis sollicitationibus fuisse extortam: Nemo e Catholicis credit, posse Pontificem hac in re importunitati cedere; cum ejus definitiones nonnisi a Spiritus Sancti inspiratione prodire possint. Neque unquam Spiritus Sancti assistentia permisit, ut Pontifex ad definitiones in materia Fidei, aut morum procederet, non præmissis diu consultationibus, & orationibus; & in re præsenti Pius V. in ea Bulla habet: *Quas quidem Sententias stricto coram nobis examine ponderatas damnamus*. Quinimo ipse Bajus scribens ad Cardinalem Simonetam dicit, *Judicium sub Pio IV. inchoatum, sub Pio V. diu pependisse*.

Deinde quamvis Jesuitis ex proprio instituto maxime incumbat Fidei Catholicæ puritatem tueri; in hac tamen causa plurimos habuere & socios, & anteambulones, & pedissequos, qui ad avertendum ab Ecclesia hujusmodi virus omni conatu contenderunt; unde non est cur in Jesuitas tantum illa suspicio derivetur. Propositiones Baji, quas in novo Augustino Jansenii Urbanus damnat, olim Doctores Sorbonici damnaverant, non ut offensivas duntaxat, sed etiam ut hæreticas, ut constat ex censura 27. Junii 1560. apud Annatum. Ipsa Facultas Theologica Lovaniensis Gregorium XIII. instanter exoravit post annos duodecim, ut Bullam Pii V. confirmaret, ut videre est apud Ripaldam t. 3. disp. 1. sect. 2. Fere omnes Galliæ Antistites tortuosi hujus colubri caput confringere conati sunt, & literis ab Inn. X. datis (in quibus octogintaquinque Episcopi subscripserunt) Pontificem postularunt, ut quælibet ex damnatis Jansenii propositionibus propria censura inureretur ad intercludenda Jansenistarum effugia. Rex ipse Christianissimus zelo Religionis ductus Alexandrum VII. efflagitavit (ut in hujus Bulla habetur anno 1664.) de remedio opportuno ad extirpandas fibritus Bajanorum,

norum, & Jansenistarum reliquias. Quapropter non Jesuitæ duntaxat, sed quotquot Fidei puritatem ardenter exoptant, hanc Hydram averruncari curarunt, ac de Cœlo Apostolico tangi. Quod iterum iterumque Pontifices præstiterunt, ac demum Clemens XI. definiendo in celebri Bulla anno 1705. post publice indictas preces, ac re mature discussa, non ore duntaxat, sed etiam corde quinque illas Jansenii theses rejciendas esse, quin sufficiat ea de re obsequiosum, ut Jansenistæ loquuntur, silentium; dum enim interius judicant in libro hæreticalia dogmata non contineri, quamvis illa non approbent exterius, errorem tamen non deponunt, sed abscondunt; ut proinde iis congruat illud 1. Reg. 2. *Impii in tenebris conticescent.*

Verum quia Professores Societatis Jesu in Academia Lovaniensi Jansenii errores, ac techas in primo ortu detexerunt, & eorundem calamo passim feriuntur Jansenistæ, idcirco Jesuitas præsertim subreptitiæ hujus Bullæ reos criminantur, & in eosdem calamum veneno intinctum non semel acuerunt, præsertim Montaltius in libro, cui titulus, *Literæ Provinciales*, Wendrokius in notis annexis, & Paulus Irenæus in adjunctis disquisitionibus, necnon Auctores Moralis Jesuitarum: qui omnes codices tanquam continentes Jansenianas hæreses, & maledicentiæ virus evomentes, post censuram Episcoporum, Doctorum. & Professorum Sacræ Facultatis Parisiensis (quæ habetur apud Platelium t. 2. n. 497.) decreto Consilii status Regii Parisii manu carnificis flammis addicti sunt, & Romæ Apostolico telo confixi.

XIII. Quod valde mirandum est, ansam tot Jansenistarum querelis, & cavillationibus dedisse comma quoddam in Bullis prætermissum. Ut res acciderit, perstringam paucis. In Bulla Pii Quinti, quam deinde Gregorius Decimustertius confirmavit post damnatas Baji propositiones, hæc habentur: *Quas quidem sententias stricto coram nobis examine ponderatas, quanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possent* (hic comma prætermissum fuit) *in rigore, & proprio verborum sensu ab Assertoribus intento, erroneas, hæreticas*, &c. *damnamus*. Revera in bulla manuscripta, ad Michaelem Bajum missa, comma ibi non habetur, sicut nec alia interpunctio, quia moris est in Curia Romana, cum aliquid manu describitur, omnes interpunctionum notas omittere. Quis tamen adeo hebes, ut non intelligat ibi comma desiderari? Quis non videat, mentem Pontificis non fuisse, quod nonnullæ damnatarum propositionum sustineri possint in proprio verborum sensu, sed voluisse illas omnes in proprio verborum sensu damnare, tanquam nonnullæ aliquo pacto sustineri possint in sensu extorto, & improprio, ut possunt omnes hæreses explicatæ in sensu improprio propugnari? Et ratio perspicua est, tum quia immerito Pontifex propositiones Bajanas damnasset, si in proprio verborum sensu veritatem continerent; tum etiam, quia sic possent omnes omnino propositiones Baji post damnationem defendi; quia de nulla determinate definitur, quod non possit in proprio verborum sensu ab Assertoribus intento sustineri.

XIV. Bulla isthæc Lovanii impressa fuit anno 1641. a discipulis Baji, prout Roma venerat, omissis interpunctionibus, atque adeo omisso illo commate; & ideo jactitabant adhuc post Bullam posse Bajanas sententias in proprio sensu propugnari: Romæ tamen tunc temporis impressa fuit cum debitis interpunctionibus, ita ut comma suo loco appositum Pontificis mentem disertissime exponeret, ut testantur Suarius, Vasquez, Possevinus apud Ripald. loc. cit. Hinc Bajanorum querelæ, quod Bulla Pontificis per adjectionem illius commatis fuerit adulterata. Propterea Cornelius Jansenius l. 4. de statu naturæ lapsæ c. 27. hæc habet: *Jacobus Jansenius* (Theologus Baji discipulus) *palam contestatus est, Pontificis Bullam adulteratam esse ab iis, qui distinctionem ponerent inter illa verba, sustineri possent, & in proprio verborum sensu. Nullius enim distinctionis in originali Bulla, quam tenebat manibus, & legebat, vestigium esse asserebat: & revera nullum esse distinctionis vestigium ego ipse sæpe meis oculis vidi*. Hæc Jansenius in sui erroris præsidium, cum tamen prout se res habebat, non ignoraret.

Verum post tot tragœdias super hoc commate excitatas, accidit casus, quod dum Urbanus VIII. Bullam hanc Pii V. & Gregorii XIII. confirmaret, & in sua Constitutione illam insereret per extensum, comma illud tanti momenti a Typographo per oscitantiam omissum fuerit; & quamvis in exemplaribus in Belgio impressis restitutum fuisset, orta iterum fuit ea de re contentio; adeo ut Bajani, nomine totius Academiæ Lovaniensis, Commissarios mitterent Romam, qui de vitiata Bulla apud Urbanum conquererentur. Sed jussu Urbani, & Officii S. Inquisitionis exemplar Bullæ transcriptum cum eo commate, prout in Archivio Congregationis Sancti Officii continetur, consignatum fuit, cum mandato Apostolico, quod ei exemplari fides adhiberetur; ut proinde dubitari amplius non possit de sensu Bullæ, ac de mente Pontificis, ut suse ostendit Theodorus Eleutherus in Historia Controversiarum de Auxiliis lib. 6. cap. 35. nec nisi temere, ac impie dici possit, Bullam istam Urbani esse subreptitiam.

DE JANSENII PROPOSITIONIBUS UNIVERSIM.

SYNOPSIS.

I. Theses fere omnes ab Alex. VII. confixæ in hoc Opusculo expositæ originem trahunt ex erroribus Jansenii haustis a Bajo, Calvino, Luthero, Pelagio. Hinc celebres Jansenii proscriptæ theses hic exponuntur. II. Recensentur præcipui errores circa Gratiam Pelagii. III. Necnon Semipelagianorum. IV. Ac Calvini, & Lutheri.
V. Præcipui etiam errores Baji, cujus vestigiis alte impressis semper adhæsit Jansenius. VI. Bulla Urbani VIII. vetantis librum Jansenii, utpote recoquentis Bajanos errores, a Jansenistis dicitur esse subreptitia.
VII. Inn. X. & Alex. VII. suis Constitutionibus occurrunt cavillationibus, ac subterfugiis Jansenistarum; necnon Clemens IX. Innoc. XII. ac Clemens XI. VIII. Non suffragatur Jansenistis, quod quæstio isthæc (num scilicet in libro Jansenii contineantur theses Baji proscriptæ?) sit quæstio facti. Neque quod consimiles theses in Augustino reperiantur. IX. Hinc quinque illæ Jansenianæ theses sunt indubitanter hæreticæ in sensu ab Auctore intento, & in sensu obvio, quem ipsa verba præseferunt.
Annectitur Bulla Clementis XI. quæ hactenus dicta sub oculos ponit.

I. CUm theses fere omnes ab Alexand. VIII. confixæ in Jansenii Doctrina, ac propositionibus nitantur, operæ pretium me facturum arbitror quinque illas celebres Jansenianas propositiones, hæreseos nota inustas ab Innoc. X. & Alexand. VII. paucis singillatim exponere. Quod ut luculentius præstem, præmitto celebres Pelagii, Semipelagianorum, Lutheri, & Calvini errores in materia de Gratia, & Libero Arbitrio, ut innotescat, Baji, & Jansenii errores ex iis originem ducere: Deinde ostendam Jansenistarum cavillationes, quibus conati sunt fulmen Apostolicum declinare, adeo ut oportuerit novis, ac novis Constitutionibus Pontificiis usque ad ultimam Clementis XI. tot Hydræ capita obtruncare.

II. Pelagii Monachi Angli errores circa Gratiam præcipui fuerunt: primo, non ex Gratiæ beneficio, sed ex conditione naturæ Protoparentem obtinuisse primum illum statum, in quo conditus fuit; atque adeo in eo ante peccatum obnoxium fuisse morti, morbis, concupiscentiæ, ac reliquis miseriis, non secus ac post peccatum. Secundo, Adamum peccando sibi soli nocuisse, non posteris, in quibus non agnoscit originale. Tertio, nullam aliam gratiam dari, quam creationis, Doctrinæ Bibliorum, Prædicationum, & exemplorum Christi. Quarto, per Dei adjutorium conferri nobis non simpliciter posse, sed solum facilius posse bona agere, & e malo declinare. Quinto, nullam dari gratiam internam supernaturalem, nec actualem, nec habitualem; gratiam vero, quæ nobis datur, ordinis naturalis, conferri ex meritis. Sexto, Parvulorum electionem ad Gloriam, aut reprobationem fieri ex meritis conditionate prævisis. Denique ex Hieron. ad Ctesiphontem, cooperationem Dei, quamvis ordinis naturalis, Libero Arbitrio necessariam non esse. Pelagio in his erroribus propugnandis adhæserunt Cœlestius Hibernus, & Julianus Episcopus Capuæ: Augustinus tamen eos acerrime confutavit, damnavitque inter alios Pontifices Zosimus cum Conciliis Africanis, teste Prospero cap. 41.

III. Semipelagianorum, seu Massiliensium cum Gennadio, Cassiano, Fausto, & aliis, præcipui errores fuerunt: Primo, quod initium salutis sit in nobis per vires naturales liberi arbitrii, quibus deinde gratia ordinis supernaturalis annectatur; adeo ut gratiam facerent naturæ pedissequam: propterea volebant illam non esse necessariam ad incipiendum bonum, sed ad prosequendum. Secundo, Parvulis, qui baptizantur, & ante usum rationis decedunt, dari gratiam baptismi propter merita conditionate prævisa. Tertio, adultis etiam quibusdam gratiam prædicationis Evangelii conferri propter merita conditionate prævisa; sicut etiam perseverantiam, ac electionem ad Gloriam. Hos, aliosque errores confutavere Augustinus, Prosper, Hilarius, ut videre est apud Annatum lib. 7. cap. 5. ubi ostenditur, Massilienses cum Bajanis, & Jansenistis in non paucis erroribus concordare.

IV. Calvinus, & Lutherus inter alia præcipue contendebant, primo, naturam humanam peccato originali usque adeo esse corruptam, ut ab ea prodire nihil possit præter peccatum. Secundo, Liberum arbitrium in natura lapsa esse extinctum. Hominem ex necessitate, non libere agi vel a gratia ad bonum, vel a concupiscentia ad peccatum. Tertio, hominem non potuisse creari absque justitia originali: Atque his affinia.

V. Denique inter Catholicos varie in materia de Gratia, & Libero Arbitrio erroribus Lutheri, & Calvini adhæserunt Michael Bajus Doctor Lovaniensis Sacræ Theologiæ Professor Regius, & Cornelius Jansenius Episcopus Iprensis, ut videre est in tot Bullis Pontificum eos proscribentium. In hoc tamen sapientissimi, ac laudandi, quod ille post sententiam Pontificum tandem errores retractarit, ut notat Ripal. disp. 1. num. 89. Hic vero in suo testamento omnia Ecclesiæ judicio submiserit tanquam filius obsequentissimus; Esto credantur juxta sapientiam hujus mundi inimicam Deo non ex animo, sed solum ore tenus ad censuras declinandas ea præstitisse: cum errores disertissime ab Ecclesia damnatos recoquere ausi sint; & passim Hæresiarchis consuetum fuerit, virulentam, quam evomunt doctrinam, Ecclesiæ judicio callide in speciem subjicere, quousque possint Asseclarum numero muniti in Ecclesiam aperta fronte pugnare.

Inter alias Baji proscriptas theses leguntur istæ; nempe 27. *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*. 39. *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit*. 66. *Sola violentia repugnat libertati naturali*. 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*. 51. *Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt veræ le-*

gis inobedientiæ. 76. *Quamdiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo.* 25. *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* 54. *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil præcepisse impossibile, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit:* & 23. *Absurda est eorum sententia, qui dicunt hominem ab initio quodam supernaturali, & gratuito dono super naturæ suæ conditionem fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret,* & similes. Jansenii vero errores celebres sunt quinque illæ propositiones, quas mox expendemus, & cum erroribus Baji, Calvini, ac Lutheri, Pelagianorum, & Semipelagianorum conferemus.

VI. Quod attinet ad cavillationes, & subterfugia Jansenistarum, quibus conati sunt Bullas Pontificias eludere, sciendum, Urbanum VIII. ann. 1641. condidisse, & ann. 1644. publicasse Constitutionem de vitando Cornelii Jansenii libro (cui titulus *Augustinus*), eo quod in eo continerentur, ac renovarentur nonnullæ Baji damnatæ propositiones. Quia tamen a Bajanis, & Jansenistis ea Constitutio dicebatur subreptitia, idcirco idem Pontifex ad plures Episcopos, & ad Academiam Duacensem scripsit in hæc verba: *Impudentem aliquorum temeritatem satis improbari non posse, qui Constitutionem illam falsitatis insimulare vanissimis rationibus non sunt veriti.*

VII. Innocentius X. deinde ad instantiam Episcoporum Galliæ anno 1653. quinque propositiones Jansenii propria censura notavit, omnesque ut hæreticas declaravit. Postea Alex. VII. anno 1656. accipiens, quod nonnulli iniquitatis filii quinque illas propositiones vel in Jansenii libro non reperiri, sed ficte, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere non reformidarent, magno cum Christifidelium scandalo, ut omnes in posterum tolleret dubitationes, declaravit, eam causam olim se præsente omni diligentia, qua major desiderari non possit, fuisse discussam; ac propterea Constitutionem Innoc. X. confirmavit, ac innovavit, illasque propositiones ex libro Jansenii excerptas, ac in sensu ab eodem Auctore intento damnatas fuisse testatus est; iterumque easdem singulis censuras inussit; ut videre est in ejus Constitutione, quam ipsissimis Alex. VII. verbis refert Clemens XI. in Bulla, quam mox subjicemus.

Verum quia Jansenistæ variis cavillationibus definitiones Pontificias eludere conabantur, perinde quasi posset Pontifex in definiendis quæstionibus facti, etiam connexis cum quæstionibus juris ad Fidem pertinentibus errare; & jam virus illarum propositionum varie evomebant, in Galliæ præsertim perniciem: idcirco Rex Christianissimus zelo religionis ductus per suum Oratorem Pontificem eumdem exoravit, ut remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis adhiberet, nec aliud videri opportunius, quam si ab omnibus Ecclesiasticis certa quædam formula subscriberetur, quæ in hæc verba fuit concepta.

Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innoc. X. datæ die 31. Maji 1653. & Constitutioni Alex. VII. datæ 16. Octob. 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen Augustinus, *excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.* Jussit Pontifex ann. 1664. id præstari, Et Rex Christianissimus 26. April. 1665. speciali diplomate edixit mandatum Pontificium executioni mandari. Sed non defuere deinde, qui variis distinctionibus ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam turbare, & quasdam literas Clementis IX. ad quatuor Galliæ Episcopos, & alias Innocent. XII. ad Episcopos Belgii in forma Brevis datas ad redarguendas hujusmodi distinctiones, & effugia, in sui erroris patrocinium temerario plane ausu convertere non erubuerint, ut habet Clem. XI. in sua ultima Constitutione anno 1705.; perinde quasi dum Innoc. XII. sapienter, ac provide declaravit, propositiones illas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnari, non locutus fuerit de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu: Ac propterea iidem inquieti homines non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria docere non sunt veriti, Non requiri ad obedientiam debitam præfatis Apostolicis Constitutionibus, ut propositiones Jansenii interius tanquam hæreticæ damnentur, sed sufficere, si ea de re obsequiosum, ut ipsi vocant, silentium teneatur; quod viam sternit ad fovendam silentio hæresim: Quinimmo eo impudentiæ nonnulli devenere, ut vellent formulæ illi ab Alexandro Septimo constitutæ subscribi licite posse, etiam ab iis, qui interius non judicant in prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri; quasi vero liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Ecclesiæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quin tamen sentiant, quod sentit Ecclesia. Propterea Clemens XI. iterum confirmando Innocentii X., & Alexandri VII. Constitutiones definivit, *Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri, sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illa verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse.*

VIII. Ex quibus liquido constat, umbratile, ac ruinosum esse Jansenistarum fundamentum, quo nituntur ad tot cavillationes, & subterfugia ineunda, videlicet, quia quæstio isthæc, utpote facti (An in libro Jansenii propositiones in sensu a Jansenio intento falsæ, & hæreticales contineantur?) est quæstio, in qua potest errare Pontifex. Etenim ut ostendimus in quæstione prodroma, necnon in expositione propositionis ultimæ ab Alexandro VIII. confixæ, etiam in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores spectantibus competit Pontifici ex Cathedra loquenti infallibilitas, & assistentia Spiritus Sancti, non minus quam in omnium sententia competit ejusmodi infallibilitas Conciliis Oecumenicis in iisdem quæstionibus juris. Nec ullatenus Jansenistis suffragatur, quod in libro Jansenii solum asseritur, eas propositiones in Augustino indubitanter reperiri, quin asseratur eas veritatem continere; Nam eo animo id asseritur, ut inferatur apertissime eas esse veras; cum præmittatur ab iisdem Jansenistis, Augustini doctrinam esse irrefragabilem, & Apostolicam, quam quilibet absolute tenere, ac docere possit, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam; quæ omnia in expositione trigesimæ, ac trigesimæprimæ propo-

propositionis ab Alexand. VIII. proscriptarum fusius prosecuti sumus.

IX. Ex quibus fit, quinque illas propositiones esse indubitanter hæreticas in sensu ab Authore intento, & in sensu obvio, quem ipsa verba præseferunt; atque adeo de fide esse, primo, nullum Dei præceptum esse impossibile justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires; ita scil. ut desit illis gratia, qua præcepta sint possibilia. Secundo, in statu naturæ lapsæ resisti posse, & de facto sæpe resisti gratiæ interiori. Tertio, Ad merendum, & demerendum non sufficere in statu naturæ lapsæ meram libertatem a coactione sine libertate indifferentiæ. Quarto, Semipelagianos non fuisse hæreticos per hoc, quod vellent gratiam prævenientem necessariam ad singulos actus, etiam ad initium salutis, talem esse, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare: hoc enim tantum abest ab hæresi, ut debeat ab omnibus Catholicis admitti. Quinto, Christum Dominum pro omnibus omnino hominibus, etiam pro reprobis, mortuum esse, & pretiosissimum sanguinem fudisse. De singulis autem his quinque thesibus seorsim paucis agemus, cum de iis fusissime egerint Annatus, de Champs, Moraines, & alii; & quia præcipuum Jansenii fundamentum est auctoritas Augustini, explicabimus, in quonam sensu accipiendus sit Augustinus, ubi de iis loquitur. Præmittimus tamen postremam Clementis XI. Bullam adversus Jansenistas editam, in qua oculis subjicitur, quod Pontifices ad pestiferam hanc luem extinguendam hactenus moliti sunt.

SS. D. N.

C L E M E N T I S

Divina Providentia Papæ XI.

Confirmatio, & innovatio Constitutionum Innocentii Papæ X. & Alexandri Papæ VII. adversus Jansenianam hæresim editarum, cum nonnullis declarantibus pro debita illarum observantia adjectis.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

Universis Christifidelibus Salutem, & Apostolicam Benedictionem.

Vineam Domini Sabaoth, quæ est Catholica Ecclesia, pro commisso Nobis divinitus Apostolicæ servitutis munere custodire, atque excolere omni studio, atque industria jugiter satagentes, ea quæ a Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris ad succrescentes in illa perniciosarum novitatum vepres radicitus evellendos prudenti, salubrique consilio constituta esse noscuntur, ut quibuscumque Inimici Hominis molitionibus dejectis, firmius semper, atque exactius observentur, Apostolici muniminis nostri præsidio libenter roboramus, atque alias desuper solicitudinis, & providentiæ nostræ partes interponimus, sicut omnibus maturæ considerationis trutina perpensis, ad fidelem, ac tutam orthodoxæ veritatis custodiam, necnon Animarum pretioso Unigeniti Dei Filii Domini Nostri Jesu Christi Sanguine redemptarum salutem expedire in Domino arbitramur. Sane postquam fel. rec. Innocentius Papa X. Prædecessor Noster per quandam suam desuper editam Constitutionem quinque famosas Propositiones ex libro Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus, *Augustinus*, excerpta, Apostolici censura judicii rite confixerat, rec. mem. Alexander Papa VII. etiam Prædecessor noster ad ejusmodi jam damnatos errores e Christifidelium mentibus prorsus abolendos, publicæque tranquillitatis perturbatorum subtili tectas calliditate machinationes penitus evertendas, prædictam Innocentii Prædecessoris Constitutionem, toto illius inserto tenore, confirmavit, novarumque declarationum accessione constabilivit, sua in id pariter edita Constitutione tenoris, qui sequitur: videlicet:

ALEXANDER Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem. Ad Sanctam B. Petri Sedem, & Universalis Ecclesiæ regimen, inscrutabili Divinæ Providentiæ dispositione, nullis nostris suffragantibus meritis evecti, nihil Nobis antiquius ex muneris nostri debito esse duximus, quam ut sanctæ Fidei nostræ, ac Sacrorum Dogmatum integritati tradita Nobis a Deo potestate opportune consuleremus. Ac licet ea, quæ Apostolicis Constitutionibus abunde fuerunt definita, novæ decisionis, sive declarationis accessione nequaquam indigeant; quia tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores illa in dubium revocare, vel subdolis interpretationibus labefactare non verentur; ne morbus iste latius divagetur, promptum Apostolicæ authoritatis remedium censuimus non esse differendum. Emanavit siquidem alias a fel. recor. Innocentio Papa X. Prædecessore nostro Constitutio, Declaratio, & Definitio tenoris, qui sequitur: videl.

INNOCENTIUS Episcopus Servus Servorum Dei Universis Christifidelibus salutem, & Apostolicam Benedictionem. Cum occasione impressionis libri, cui titulus, *Augustinus*, Cornelii Jansenii Episcopi Iprensis, inter alias ejus opiniones, orta fuerit, præsertim in Galliis, controversia super quinque ex illis, complures Galliarum Episcopi apud Nos institerunt, ut easdem Propositiones Nobis oblatas expenderemus, ac de unaquaque earum certam, & perspicuam ferremus sententiam. Tenor vero præfatarum propositionum est, prout sequitur.

Prima. Aliqua Dei præcepta hominibus justis volenti-

lentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant.

Secunda. Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

Tertia. Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

Quarta. Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam Gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

Quinta. Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

Nos, quibus inter multiplices curas, quæ animum nostrum assidue pulsant, illa in primis cordi est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto militare, & tanquam navis in tranquillo mari, sedatis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis, secure navigare, & ad optatum salutis portum pervenire possit; pro rei gravitate coram aliquibus S. R. E. Cardinalibus, ad id specialiter sæpius congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia Magistris, easdem quinque Propositiones, ut supra nobis oblatas fecimus sigillatim diligenter examinari, eorumque suffragia, tum voce, tum scripto relata, mature consideravimus, eosdemque Magistros, variis coram Nobis actis Congregationibus, prolixe super eisdem, ac super earum qualibet differentes, audivimus. Cum autem ab initio hujuscemodi discussionis, ad Divinum implorandum auxilium, multorum Christifidelium preces tum privatim, tum publice indixissemus; postmodum iteratis eisdem ferventius, ac per Nos solicite implorata Sancti Spiritus assistentia, tandem Divino Numine favente, ad infrascriptam devenimus declarationem, & definitionem.

Primam prædictarum propositionum: Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis Gratia, qua possibilia fiant: Temerariam, impiam, blasphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus; & uti talem damnamus.

Secundam: Interiori Gratiæ in statu naturæ lapsæ numquam resistitur: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Tertiam: Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione: Hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quartam: Semipelagiani admittebant prævenientis Gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent, eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare: Falsam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Quintam: Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse: Falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, Impiam, blasphemam, contumeliosam, Divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.

Mandamus igitur omnibus Christifidelibus utriusque sexus, ne de dictis propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac præsenti nostra declaratione, & definitione continetur, sub censuris, & pœnis contra hæreticos, & eorum fautores in jure expressis. Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas prædictas, cæteraque juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, omnino coerceant, & compescant. Non intendentes tamen per hanc declarationem, & definitionem super prædictis quinque propositionibus factam, approbare ullatenus alias opiniones, quæ continentur in prædicto libro Cornelii Jansenii. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio, pridie Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno IX.

Cum autem, sicut accepimus, nonnulli iniquitatis Filii prædictas quinque Propositiones vel in libro prædicto ejusdem Cornelii Jansenii non reperiri, sed ficte, & pro arbitrio compositas esse, vel non in sensu ab eodem intento damnatas fuisse, asserere magno cum Christifidelium scandalo non reformident; Nos, qui omnia, quæ hac in re gesta sunt, sufficienter, & attente perspeximus, utpote qui ejusdem Innocentii Prædecessoris jussu, dum adhuc in minoribus constituti, Cardinalis munere fungeremur, omnibus illis Congressibus interfuimus, in quibus Apostolica authoritate eadem causa discussa est, ea profecto diligentia, qua major desiderari non posset, quamcumque dubitationem super præmissis in posterum auferre volentes, ut omnes Christifideles in ejusdem Fidei unitate sese contineant, ex debito nostri Pastoralis officii, ac matura deliberatione, præinsertam Innocentii Prædecessoris nostri Constitutionem, Declarationem, & Definitionem harum serie confirmamus, approbamus, & innovamus; & quinque illas propositiones ex libro præmemorati Corn. Jansenii Episcopi Iprensis, cui titulus est *Augustinus*, excerptas, ac in sensu ab eodem Cornelio Jansenio intento damnatas fuisse, declaramus, & definimus, ac uti tales, inusta scilicet eadem singulis nota, quæ in prædicta declaratione, & definitione unicuique illarum sigillatim inuritur, iterum damnamus, ac eumdem librum sæpe dicti Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*, omnesque alios, tam manuscriptos, quam typis editos, & si quos forsan in posterum edi contigerit, in quibus prædicta ejusdem Cornelii Jansenii Doctrina, ut supra damnata defenditur, vel astruitur, aut defendetur, vel astruetur, damnamus itidem, atque prohibemus, Mandantes omnibus Christifidelibus, ne prædictam Doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo, vel scripto exponant, vel interpretentur, publice, vel privatim, palam, vel occulte imprimant, sub pœnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis ipso facto absque alia declaratione incurrendis. Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque locorum Ordinariis, ac hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ac Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, ut præinsertam ejusdem Innocentii Prædecessoris Constitutionem, Declarationem, ac Definitio-

nem, juxta præsentem nostram determinationem, ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pœnis, aliisque juris, & facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kal. Novembris, Pontificatus Nostri Anno secundo.

Subinde vero, quo omnis Apostolicarum definitionum eludendarum aditus intercluderetur, memoratus Alexander Prædecessor, priscum Ecclesiæ morem sequutus, certam edidit Formulam ab omnibus Ecclesiastici Ordinis, tam sæcularibus, quam Regularibus personis subscribendam, per aliam suam hac in re promulgatam Constitutionem tenoris sequentis: videlicet.

ALEXANDER Episcopus servus servorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apostolici Divina providentia Nobis, quamvis immeritis, commissi ratio postulat, ut ad ea potissimum, quæ Catholicæ Religionis integritati, & propagationi, animarumque saluti, & Fidelium tranquillitati consulere apta, & idonea esse judicantur, animum, & curam omnem, quantum licet in Domino, applicemus. Quamobrem Cornelii Jansenii hæresim in Galliis præsertim serpentem, ab Innocentio X. fel. record. Prædecessore nostro fere oppressam, ad instar colubri tortuosi, cujus caput attritum est, in varios gyros, & cavillationum deflexus euntem singulari Constitutione ad hunc finem edita, altero assumptionis nostræ anno extinguere conati fuimus: sed ut multiplices hostis hominum generis artes adhibet, nondum plene consequi potuimus, ut omnes errantes in viam salutis redirent, qui tamen unicus erat votorum, & curarum nostrarum scopus, quibus operam, & industriam suam egregio sane studio Venerabiles Fratres nostri Archiepiscopi, & Episcopi Regni Galliæ, earumdem Constitutionum Apostolicarum exequutioni præcipue intenti contulerunt, & Charissimus in Christo Filius noster Rex Christianissimus singulari pietate auxiliarem dexteram strenuo, ac constantissimo animo porrexit. Cum autem præfatus Rex Christianissimus eodem Religionis zelo ductus per suum in Urbe Oratorem Nobis significari, exponique curaverit, nullum aliud opportunius remedium pestiferæ hujus contagionis reliquiis extirpandis adhiberi posse, quam si omnes certam Formulam subscriberent nostra authoritate firmatam, in qua quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui titulus, *Augustinus*, excerptas sincere damnarent, ac proinde illam a Nobis quantocyus expediri, ad quælibet effugia præcludenda, omnesque removendos obtentus, flagitaverit; Nos tam piis dicti Regis Christianissimi votis benigne annuendum esse ducentes, Formulam infrascriptam ab omnibus Ecclesiasticis, etiam Venerabilibus Fratribus nostris Archiepiscopis, & Episcopis, necnon aliis quibuscumque Ecclesiastici Ordinis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, etiam Monialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus; idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis præsentium; alias contra eos, qui intra terminum prædictum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus, juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta. Formula a supradictis subscribenda. Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653., & Constitutioni Alexandri VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum, me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem authore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia. Decernentes insuper præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore; suosque plenos, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ac irritum, & inane, si secus super his a quocumque quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis committimus, & mandamus, ut singuli in suis Diœcesibus, ac locis suæ jurisdictioni subjectis præsentes literas, & in eis contenta quæcumque exequantur, & exequutioni mandari, ac observari ab omnibus curent, & inobedientes quoscumque per sententias, censuras, & pœnas, aliasque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino compellant. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc nostram Constitutionem, & ordinationem infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo sexagesimo quarto, quintodecimo Kalendas Martii, Pontificatus nostri Anno decimo.

Sic quidem Causa finita est: non tamen sic, ut par erat, finitus est error Apostolico toties mucrone percussus. Neque enim defuere, nec adhuc desunt homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam ipsam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere, & implicare conantur; quodque deterius est, ipsamet Apostolicæ Sedis decreta redarguendis eorum pravis sensibus condita, ac præsertim quasdam piæ mem. Clementis Papæ IX. die 19. Januarii 1669. ad quatuor Galliæ Episcopos, necnon binas similis memoriæ Innocentii Papæ XII. etiam Prædecessorum nostrorum die 6. Februarii 1695., & die 24. Novembris 1696. ad Episcopos Belgii in forma Brevis respective datas literas in erroris sui patrocinium advocare, temerario plane ausu, non erubescunt; perinde ac si memoratus Clemens Prædecessor, qui eisdem suis literis, se Innocentii X., & Alexandri VII. Prædecessorum Constitutionibus supradictis firmissime inhærere, ac a dictis quatuor Episcopis veram, & totalem obedientiam, adeoque Formulæ a præfato Alexandro Prædecessore, sicut præmittitur, editæ sincere per eos subscribi voluisse declaravit, aliquam in tam gravi negotio exceptionem, seu restrictionem, quam nullam prorsus se un-

quam

quam admissurum fuisse protestatus fuit, re ipsa admisisset; dictus vero Innoc. XII. prædecessor, dum sapienter, ac provide prædictas quinque propositiones ex memorato libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba exhibent, ac præseferunt, damnatas esse pronuntiavit, non de ipsomet obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, quive ab eodem Jansenio intentus, ac a præfatis Inn. X., & Alex. VII. Prædecessoribus damnatus fuit, sed de alio quopiam diverso sensu cogitasset; dictasque Inn. X., & Alex. VII. Prædecessorum Constitutiones temperare, restringere, aut alio quovis modo immutare voluisset iisdem ipsis literis, quibus eas in suo robore fuisse, & esse, seque illis firmiter inhærere verbis apertissimis asserebat. Præterea iidem inquieti homines, sparsis undequaque scriptionibus, ac libellis exquisita ad fallendum arte compositis, non sine gravi Apostolicæ Sedis injuria, maximoque totius Ecclesiæ scandalo docere non sunt veriti, Ad obedientiam præfatis Apostolicis Constitutionibus debitam non requiri, ut quis prædicti Janseniani libri sensum in antedictis quinque Propositionibus, sicut præmittitur, damnatum, interius ut hæreticum damnet; sed satis esse, si ea de re obsequiosum (ut ipsi vocant) silentium teneatur. Quę quidem assertio quam absurda sit, & animabus Fidelium perniciosa, satis apparet, dum fallacis hujus doctrinæ pallio non deponitur error, sed absconditur; vulnus tegitur, non curatur; Ecclesiæ illuditur, non paretur; & lata demum filiis inobedientię via sternitur ad fovendam silentio hæresim: dum ipsam Jansenii doctrinam, quam ab Apostolica Sede damnatam Ecclesia Universalis exhorruit, adhuc interius abjicere, & corde improbare detrectant. Quin etiam eo impudentiæ nonnullos devenisse compertum est, ut veluti naturalis honestatis, nedum Christianæ sinceritatis obliti, asserere non dubitaverint, præfatæ Formulæ a memorato Alexandro Prædecessore præscriptæ subscribi licite posse etiam ab iis, qui interius non judicant prædicto Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri: quasi vero, contra quam scriptum est: *Qui loquitur veritatem in corde suo*: Et: *Qui jurat proximo suo, & non decipit*; hujusmodi erroris sectatoribus liceat Ecclesiam ipsam jurejurando decipere, simulque Apostolicæ Sedis providentiam fallere, dum ejusdem Formulæ conceptis verbis loquuntur, quod Ecclesia loquitur, quod tamen sentit ipsa, non sentiunt; seque parere Constitutionibus Apostolicis profitentur, quibus animo contradicunt.

Hinc est, quod Nos ad opportunum, & efficax tam exitiali morbo, qui ut cancer serpit, & quotidie in deterius vergit, remedium adhibendum, non minus demandatæ Nobis omnium Ecclesiarum sollicitudinis debito, quam plurimorum Venerabilium Fratrum nostrorum diversarum partium, ac præsertim Regni Galliarum Episcoporum zelo, ac precibus excitati, ne hujusmodi pravi homines Catholicæ Ecclesiæ pacem subvertere impune pergant, & simplicium, ac pusillorum mentibus imponere, docentes quæ non oportet, neve ullus apud eos quoque, qui bona, ut ajunt, fide, ac falsis rumoribus decipi se fortasse patiuntur, de mente, ac sententia Apostolicæ Sedis amplius ambigendi supersit locus; Divino prius, tam privatis nostris, quam publice indictis precibus, implorato præsidio, ac re mature discussa, de nonnullorum Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auditisque complurium in Sacra Theologia Magistrorum suffragiis: Primo quidem præinsertas Inn. X. & Alexand. VII. Prædecessorum Constitutiones, omniaque, & singula in eis contenta authoritate Apostolica, tenore præsentium, confirmamus, & approbamus, & innovamus. Ac insuper, ut quævis in posterum erroris occasio penitus præcidatur, atque omnes Catholicæ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam audire, non tacendo solum (nam & impii in tenebris conticescunt) sed & interius obsequendo, quæ vera est Orthodoxi hominis obedientia, condiscant; hac nostra perpetuo valitura Constitutione, Obedientiæ, quæ præinsertis Apostolicis Constitutionibus debetur, obsequioso illo silentio minime satisfieri; sed damnatum in quinque præfatis Propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ut præfertur, ab omnibus Christifidelibus ut hæreticum, non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere, nec alia mente, animo, aut credulitate supradictæ formulæ subscribi licite posse; ita ut qui secus, aut contra quoad hæc omnia, & singula senserint, tenuerint, prædicaverint, verbo, vel scripto docuerint, aut asseruerint, tanquam præfatarum Apostolicarum Constitutionum transgressores, omnibus, & singulis illarum censuris, & pœnis omnino subjaceant, eadem authoritate Apostolica decernimus, declaramus, statuimus, & ordinamus. Decernentes pariter easdem præsentes, & præinsertas literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere: Sicque per quoscunque Judices Ordinarios, & Delegatos ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & authoritate; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos pertinet, committimus, & mandamus, ut singuli in suis respective Diœcesibus, ac locis suæ jujurisdictioni subjectis, ipsas præsentes literas, & in eis contenta quæcunque exequantur, & exequutioni mandari, & observari ab omnibus curent, & inobedientes, & rebelles quoscunque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque juris, & facti remedia, appellatione postposita, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant. Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis Originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostræ Confirmationis, Approbationis, Innovationis, Decreti, Declarationis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimoquinto, decimoseptimo Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno Quinto (*a*).

(*a*) ,, Un-

(*a*) ,, Ut autem quæ ad Jansenianam causam ,, pertinent , penitius dignoscantur , operæ pretium ,, duximus in medium afferre ex appendice Monu- ,, mentorum Ecclesiasticorum , quam Cl. P. Johan- ,, nes Baptista Faure adtexuit Romanæ suæ editioni ,, an. 1750. Martini Becani Theologiæ dogmaticæ, ,, ceteras Bullas Pontificum, atque Episcoporum lit- ,, teras , quæ occasione hujus hæresis editæ sunt .

I.

Damnatio Errorum Jansenii per Urban. VIII.

,, URbanus Episcopus &c. In Eminenti Ecclesiæ ,, militantis Sede, meritis licet imparibus con- ,, stituti , sedulo meditamur , ut quæ ad Fidei Ca- ,, tholicæ conservationem a Prædecessoribus nostris ,, provide statum , & ordinata sunt , firmiter per- ,, petuo observentur , & cum opus sit , nostræ au- ,, thoritatis munimine confirmentur.

,, Dudum siquidem a fel. record. Pio Papa V. Præ- ,, decessore Nostro emanavit Constitutio tenoris sub- ,, sequentis , videlicet Pius Episcopus Servus Servo- ,, rum Dei . Ad futuram rei memoriam . Ex omni- ,, bus afflictionibus (*Sequitur tenor Bullæ S. Pii V.*).

,, Deindeque piæ mem. Gregorius Papa XIII. et- ,, iam Prædecessor Noster, intellecto per eum, non ,, sine animi sui dolore , non defuisse tunc tempo- ,, ris aliquos Theologos , tum Studiosos , tum Pro- ,, fessores , qui articulos in prædicta Constitutione ,, damnatos asserere , & pertinaciter defendere per- ,, gerent, pro officii sui munere eorumdem temeri- ,, tatem, atque audaciam ad totius Ecclesiæ pericu- ,, lum pertinentem minime contemnendam, & dis- ,, simulandam censuit ; sed ad coercenda hujusmodi ,, ingenia per aliam suam Constitutionem sub da- ,, tum quarto Kalendas Februarii Anno Incarnatio- ,, nis Dominicæ millesimo quingentesimo septuage- ,, simo nono , Pontificatus sui Anno VIII. editam , ,, Pii Prædecessoris Constitutionem prædictam sua ,, quoque auctoritate confirmavit , articulosque ibi- ,, dem comprehensos iterato damnavit ; & ne quis ,, hac in re constantem Sedis Apostolicæ volunta- ,, tem , ac sententiam ignorare possit , suam hujus- ,, modi confirmationis Constitutionem , altera Pii ,, V. comprehensa, publicavit, & promulgavit.

,, Postea recolendæ memoriæ Paulus Papa V. si- ,, militer Prædecessor Noster ad tollenda scandala , ,, & dissensiones , quæ in Ecclesia Catholica orie- ,, bantur occasione editionis Librorum , & Operum ,, de Auxiliis tractantium , in Generali Congrega- ,, tione Sanctæ Romanæ , & Universalis Inquisitio- ,, nis sub die 1. Decembris Anni Domini 1611. co- ,, ram ipso habita, decrevit , ut scriberetur Nuntiis ,, Apostolicis quod notificarent, & ordinarent Supe- ,, rioribus Religionum , & Universitatibus Studio- ,, rum, & Ordinariis eorum Nuntiaturæ, ne finerent ,, imprimi in materia de Auxiliis , etiam sub præ- ,, textu commentandi S. Thomam, aut alio modo, ,, & qui vellent de hac materia scribere, & impri- ,, mere , prius mitterent Tractatus & Compositio- ,, nes ad dictam sanctam & Universalem Inquisitio- ,, nem , & in executionem mentis dicti Pauli Præ- ,, decessoris , ejusdem Decreti tenor omnibus præ- ,, dictis per Nuntios respective fuit legitime inti- ,, matus , successiveque ne contra prædictum Decre- ,, tum aliquid attentari contingeret, sed scandala , ,, & dissensiones omnino cessarent, Nos in alia Ge- ,, nerali Congregatione dictæ S. Romanæ & Uni- ,, versalis Inquisitionis, feria quinta die 22. Maji ,, Ann. Domini 1625. per aliud Decretum nostrum, ,, ipsum Pauli Prædecessoris Decretum confirmavi- ,, mus & innovavimus.

,, Novissime tandem accepto per nos in oppido ,, (civitate nuncupato) Lovaniensi, quosdam as- ,, sertos Cornelii Jansenii olim Episcopi Yprensis ,, executores ex testamento in lucem edi curasse Li- ,, brum , cui titulus *Augustinus* , ex professo conti- ,, nentem , & tractantem materiam de Auxiliis , ,, nulla penitus petita vel obtenta a dicta Congre- ,, gatione licentia illum imprimendi ; ejusque operis ,, occasione Patres Societatis Jesu , nonnullas in Ci- ,, vitate Antuerpiensi de eadem materia tractantes ,, Theses pariter absque licentia ejusdem Congrega- ,, tionis imprimi curasse . . . . Per aliud Decretum ,, in alia plena, & Generali Congregatione ejusdem ,, Sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis coram ,, nobis die prima Augusti proxime præteriti habi- ,, ta , inhærendo prioribus Decretis a Paulo Præde- ,, cessore & a Nobis , ut supra , editis, pro tunc ,, dictum Librum Jansenii, cui titulus, *Augustinus*, ,, Lovanii impressum , nec non Theses a Patribus ,, Societatis JESU Antuerpiæ in lucem editas, aliasque Scripturas in calce posterioris nostri Decreti ,, hujusmodi registratas, jam vigore anteriorum su- ,, pradictorum Decretorum prohibitas , de novo ,, prohibuimus , ac pro prohibitis omnino haberi ,, voluimus . . . . .

,, Cum autem ex diligenti , & matura ejusdem ,, Libri , cui titulus , *Augustinus* , lectione postmo- ,, dum compertum fuerit , in eodem Libro mul- ,, tas ex Propositionibus a Prædecessoribus nostris ,, olim, ut præfertur, damnatas contineri , & ma- ,, gno cum Catholicorum scandalo , & auctoritatis ,, dictæ Sedis contemptu, contra præfatas damnationes ,, & prohibitiones defendi ; Nos huic malo in scanda- ,, lum totius Reipublicę Christianę, & Fidei Catholicę ,, perniciem vertenti, opportunum remedium adhi- ,, bere volentes , Constitutionis Gregorii , ac Pauli ,, Prędecessorum prędictorum nostrorum , nec non ,, Decretorum hujusmodi totos, & integros tenores, ,, ac datas etiam veriores pręsentibus pro totaliter ,, expressis , & insertis habentes , motu proprio & ,, excerta scientia nostra , ac de Apostolicę pote- ,, statis plenitudine , hac perpetuo valitura Consti- ,, tutione ejusdem Pii & Gregorii Prędecessorum hu- ,, jusmodi Constitutiones prędictas , omniaque , & ,, singula in eis contenta, Apostolica auctoritate te- ,, nore pręsentium , perpetuo confirmamus , & ap- ,, probamus ; Librumque prędictum, cui titulus est, ,, *Augustinus*, articulos, opiniones, & sententias in ,, dictis Constitutionibus reprobatas atque damna- ,, tas, ut a nobis compertum est , continentem, & ,, renovantem, aliaque omnia Opera pręsentibus no- ,, stris Litteris subinserta , quę aliis sub posteriori ,, Decreto nostro prędicto registratis , per pręsentes ,, addimus , atque adjungimus eadem auctoritate , ,, per pręsentes omnino prohibemus, ac pro vetitis, ,, & prohibitis habere volumus , & mandamus. Ju- ,, bentes insuper sub omnibus pœnis , & censuris in ,, prędicta Constitutione Pii Prędecessoris, contentis ,, (a quibus nullus Romano Pontifice inferior, ex- ,, cepto mortis articulo absolvere contrafacientes ,, possit) ne quis cujuscumque conditionis, & qua- ,, litatis sit, etiam speciali, & specialissima nota , ,, & expressione dignus , de prędictis , ut supra ,

,, damna-

„ damnatis, & in prędicto Libro contentis, aliisque „ (ut infra) subinsertis articulis, opinionibus, sententiis, libellis, orationibus, scripturis, epistolis, thesibus, quoquo pacto loqui, scribere, & disputare audeat, Librumque, & alia prędicta penes se retinere, vel legere pręsumat &c.

„ Nulli ergo &c. Dat. Romę Ann. 1641. pridie nonas Martii Pontificatus Nostri Ann. XIX.

„ ARchiepiscopo Mechliniensi Urbanus VIII. &c. Vincula Christianę charitatis, quę animos mutuo obstringunt, non sine ingenti damno disrumpi perspectum est, dum ob acriter concitatas in rebus ad Catholicam fidem pertinentibus controversias, ingenia traducuntur in partes. Ac proinde ad tollendas dissensiones, quę ob editum Cornelii Jansenii Librum, qui inscribitur, *Augustinus*, exortę fuerant jampridem, super nonnullis conclusionibus in disputationem vocatis scribendi, atque disputandi facultatem interdiximus, & deinde peculiari Constitutione, ipsum Jansenii Librum, quippe qui opiniones a Pio V. & Gregorio XIII. Prædecessoribus nostris damnatas continere, & tueri deprehensus fuit, omnino reprobavimus pridie nonas Martii Ann. 1641. Quę Constitutio 19. Junii 1643. publicata in Urbe fuit. Pontificię tamen sollicitudinis zelum contra quam sperabamus, parum apud quosdam profecisse audivimus, & quemadmodum par est, vehementer doluimus. Aliqua enim ad falsitatem diplomatis indicandam non minus leviter, quam impudenter objiciunt, de protractu illius publicationis, de anno in Colonię exemplaribus immutato, ac erroribus incuria Typographi subortis; quę omnia quanti ponderis sint unusquisque perspicit. In tam aperta ipsorum contumacia, tuę vigilantię officia elucere cupimus, & quam in eximia, qua polles, pietate spem posuimus, illam primo quoque tempore, in optatum gaudium convertas. Quamobrem enixe flagitamus ut intolerabilem eorum arrogantiam coerceas, ipsosque ad parendum Apostolicę sanctioni quoquo pacto compellas. Non exiguus erga te nostrę benevolentię cumulus accedet, si diligenter operam adhibueris, ut tam justi voti compotes efficiamur, qui Fraternitati tuę a bonorum omnium largitore jugem precamur felicitatem, & Pontificiam benedictionem ex animo impertimur.

„ Datum Romę 24. Oct. Ann. 1643.

„ FEria v. die 26. Junii 1644. In Generali Inquisitione &c. Cum post publicatam Bullam Sanctissimi Domini Nostri contra Librum Cornelii Jansenii, olim Episcopi Yprensis, cui Titulus, *Augustinus*; excitatę fuerint varię difficultates occasione diversitatis exemplarium Bullę pręfatę, & aliorum, de quibus in nonnullis libellis divulgatis: cumque per Joannem Sinnichium, & Cornelium Papium Doctores Universitatis Lovaniensis fuerint pręsentatę litterę ejusdem Universitatis, nec non porrectus supplex libellus Sanctissimo D. N. pro dictę Bullę veritate, & intentione Sanctitatis Suę circa illam indaganda: Idem Santissimus litteras, & libellum pręfatum Sacrę Congregationi Supremę, & Universalis Inquisitionis remisit, ut per eam de contentis in illis informaretur, prout successive informatus mandavit per Emin., ac Reverend. D. D. Card. Bernardinum Spadam, Joannem Baptistam Pamphilium, & Lelium Falconerium, tres ex Supremis Inquisitoribus, antedictos Sinnichium, & Papium audiri, & deinde Sanctitati Suæ ab eis deducta referri. Qui quidem Domini Cardinales in executionem dicti mandati, præfatos Doctores verbo, & scripto, multa deducentes, tum congregatim, tum privatim audiverunt, eaque omnia in præfata suprema, & universali Congregatione prius communicata, ac ibi pluries discussa, una cum voto ipsius Congregationis Sanctissimo D. N. diligentissime retulerunt. Sanctitas vero Sua, audita relatione, & voto pręfatis, nec non omnibus mature perpensis, & consideratis; mandavit ex Archivio ejusdem Congregationis, & ex Matrice actorum, quæ in eodem Archivio conservantur, extrahi sive transcribi, & diligenter collationari, ac imprimi exemplar Bullæ præfatæ, illudque sic extractum, collationatum & impressum eisdem Sinnichio, & Papio per supradictos Dominos Cardinalem Spadam, Pamphilium & Falconerium consignari, ipsisque insuper Sinnichio & Papio intimari, & significari S. Sanctitatis mentem, & voluntatem esse, ut eidem exemplari sic consignato fides adhibeatur, & ab omnibus Christi fidelibus Bullæ hujusmodi omnino pareatur sub pœnis, & censuris in ea contentis: & demum super dubitationibus, difficultatibus, ac querelis occasione præfatæ Bullæ quoquo modo excitatis, vel excitandis, perpetuum silentium imponi prout imposuit, & ita &c. Non obstantibus omnibus, & quibuscumque in contrarium adductis, & deductis &c. Insuper Sanctitas Sua mandavit juxta sensum præfatum scribi per eandem S. Congregationem Nuntiis Apostolicis, ac locorum Ordinariis, & expediri etiam litteras ad Gubernatorem Flandriæ, & Universitatem Lovaniensem, & ad alios &c.

„ COmparuere hic ab hinc dies aliquot Doctor Joannes Sinnich & Cornelius de Papio afferentes litteras Universitatis Lovan. Prælatorum, Nobilium, ac Urbium Brabantiæ ad Sanctiss. D. Nostrum. Præcipuum negotium, quod ipsi agunt, est, ut conserventur privilegia dictę Universitatis, prætenduntque actam in hac Curia Rotæ causam nonnullam aliter atque ipsi disposuerint. Post modum Doctor Sinnich quasi per transennam egit de Bulla publicata contra doctrinam Jansenii; & quantum colligi potest, optaret etiam aut revocari, aut saltem mitigari: Verum intellexit ex Sanctiss. D. Nostro, velle ut huic accurate pareatur, atque ipsi idem a me significatum est, & declaratum eam esse veram, & attendendum ad exemplar, quod Romæ excusum est, non vero ad illa quæ aut Coloniæ, aut Parisiis, sunt impressa. Volui de his vestram Dominationem certiorem facere, ut si forsan Doctorem Sinnich ad fovendas contentiones, alendamque refractariorum, & huic Constitutioni inobedientium contumaciam, aliter aut ad Universitatem Lovaniensem, aut ad alios scribere contingat, ac spem faciat, fore ut Bulla revocetur, aut mitigetur, Dominatio vestra unumquemque de veritate rei edocere, deque ea Universitates Belgii, illiusque Prælatos securos reddere possit, nunquam, ne per minimam quidem cogitationem, Sanctiss. D. venturum in mentem, ut Bullam hanc quacumque demum sui parte immutet; verum fore, ut invigilet,

„ gilet, ut ei obtemperetur, atque ea servetur, 5. „ Decembr. 1644.

„ FEria v. die 14. Jan. 1647. &c. Editus est an. 1645. „ liber Gallico idiomate impressus, cui titulus: „ *De l'autoritè de S. Pierre & de S. Paul qui reside* „ *dans le Pape, successeur de ces deux Apotres*, abs- „ que nomine Authoris, & impressionis loco. Hu- „ jus libri evulgationem subsecuta est editio alte- „ rius libri anonimi eodem idiomate impressi, cui „ titulus: *La Grandeur de l'Eglise Romaine etablie* „ *sur l'autorité de S. Pierre & de S. Paul*, nec non „ Epistolæ ejusdem argumenti latino idiomate con- „ scriptæ, ac typis excusæ, plurimis adductis atque „ congestis Sanctorum Patrum, Summorum Pontifi- „ cum, Sacrorum Conciliorum & Doctorum locis.

„ Quocirca, ne in re tanti ponderis error aliquis „ mentibus Christi fidelium irreperet, libris prædictis „ de mandato Sanctissimi mature examinatis, locis- „ que adductis diligenter inspectis, ac ponderatis, „ Sanctissimus relata unanimi Theologorum ad „ hoc specialiter deputatorum censura, & auditis „ votis Eminentiss. & Reverendiss. DD. Cardinal. „ Generalium Inquisitorum, propositionem hanc: „ S. Petrus, & S. Paulus sunt duo Ecclesiæ Princi- „ pes, qui unicum efficiunt. Vel: sunt duo Eccle- „ siæ Catholicæ Coriphæi, ac supremi Duces sum- „ ma inter se unitate conjuncti. Vel: sunt geminus „ universalis Ecclesiæ vertex, qui in unum divi- „ nissime coaluerunt. Vel: sunt duo Ecclesiæ Sum- „ mi Pastores, ac Præsides, qui unicum caput con- „ stituunt: ita explicatam, ut ponat omnimodam „ æqualitatem inter S. Petrum, & S. Paulum sine „ subordinatione, & subjectione S. Pauli ad S. Pe- „ trum in potestate suprema, & regimine universalis „ Ecclesiæ, hæreticam censuit, & declaravit.

„ Epistolam vero, ac libros prædictos, aliosque in „ quibus propositio ut supra explicata, & damnata „ asseritur, & defenditur tam impressos, quam im- „ primendos quocumque idiomate, aut quomodoli- „ bet etiam in scriptis evulgatos, vel in posterum „ evulgandos, Sanctitas Sua omnino damnatos, & „ prohibitos esse voluit, prout præsenti Decreto „ damnat, & prohibet.

„ Mandamus, ut nemo cujuscumque gradus, & „ conditionis existat, etiam speciali, seu specialissi- „ ma nota dignus libros prædictos, aut aliquem ex „ illis apud se retineat, aut legat, nec imprimere, „ aut imprimi curare audeat, sub censuris, & pœ- „ nis contra hujusmodi delinquentes statutis, sed „ statim a præsentis Decreti notitia, quicumque il- „ los habuerit, locorum Ordinariis, seu Inquisitori- „ bus consignare teneatur. Anno a Nativitate D.N. „ Jesu Christi 1647.

I I.

Quinque Jansenii Propositionum Proscriptio per Innoc. X. cum Monumentis ad eam spectantibus.

Epistola LXXXV. Episcoporum Galliæ (quibus alii tres accessere) contra Doctrinam Jansenii ad Innoc. X. Ann. 1650.

* „ BEatissime Pater. Majores causas ad Sedem „ Apostolicam referre solemnis Ecclesiæ mos „ est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo „ retineri pro jure suo postulat. Æquissimæ huic „ legi obsequentes de gravissimo circa Religionem „ negotio Sanctitati Tuæ scribendum esse censui- „ mus. Decennium est, ex quo vehementissimis „ turbis Gallia magno nostro mœrore commovetur, „ ob Librum posthumum, & Doctrinam Reverend. „ Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi. Tales quidem „ motus sedari oportebat tum Concilii Tridentini „ auctoritate, tum Bullæ illius, qua Urb. VIII. fel. „ mem. adversus Jansenii dogmata pronunciavit, & „ Decreta Pii V. ac Gregorii XIII. in Bajum edita „ confirmavit. Atque hujus quidem Bullæ verita- „ tem, ac robur novo diplomate vindicasti: sed „ quia nulli sigillatim propositioni certa censuræ „ nota inusta fuit, locus etiamnum aliquis quorum- „ dam cavillis, & effugio relictus est. Intercluden- „ dum autem penitus speramus: si, ut precamur, „ S. T. quid hac in re sentiendum sit clare distin- „ cteque definiat. Obtestamur ergo, ut has præser- „ tim propositiones, de quibus disceptatio periculo- „ sior, ac contentio ardentior est, S. V. expendat, „ & perspicuam, ac certam de unaquaque senten- „ tiam ferat &c. *Has Propositiones V. infra dabi-* „ *mus: Sequitur tenor Epistolæ.*

„ Experta est nuper B. T., quantum Apostolicæ „ Sedis in geminis Ecclesiæ Capitis errore profligan- „ do valuerit auctoritas: continuo sedata est tem- „ pestas, atque ad Christi vocem, & imperium ven- „ ti & mare obedierunt. Quamobrem flagitamus, „ B. P., ut clara, firmaque de propositionum ista- „ rum sensu prolata sententia, cui Reverendiss. ipse „ Jansenius morti proximus opus suum subjecit, ca- „ liginem omnem discutias, animos fluctuantes com- „ ponas, diffidia prohibeas, Ecclesiæ tranquillita- „ tem, splendoremque restituas. Dum hæc spes „ mentibus nostris affulget, Sanctitati Tuæ multos, „ & prosperos annos, sæculoque beatissimam æter- „ nitatem Rex sæculorum immortalis adjiciat, opta- „ mus, ac vovemus.

Epistola XI. Episcoporum Galliæ ad Innoc. X. pro Jansenii Doctrina, quam gallice damus ex ipso Diario Sanctamorei, ne qua suscipio mutationis sit: Vid. Hist. V. Propositionum T. I. p. 18.

„ TRes-Saint Pere &c. Nous avons apris, que „ quelquesuns de M. nos Confreres ont écrit a „ votre Sainteté touchant une afaire trés-importante „ & très-dificile, & qu' ils la suplient par leur let- „ tre de vouloir decider clairement & nettement „ quelques Propositions, qui exciterent l'année dernie- „ re un grand trouble sans aucun fruit dans la Facul- „ té de Theologie de Paris: ce qui ne pouvoit reussir „ d'une autre sorte; puis qu'aiant été faites a plai- „ sir, & composées en des termes ambigus; elles ne „ pouvoient produire d'elles-mêmes, que des dis- „ putes pleines de chaleur, dans la diversité des „ interpretations qu'on y peut donner, comme il „ arrive toujours dans le Propositions equivoques. „ Ainsi M. nos Confreres nous permettront, s'il leur „ plait, de dire, que nous ne sçaurions aprouver „ leur dessein en cette rencontre. Car outre que „ les questions de la Grace, & de la Predestination „ Divine sont pleines de dificultés, & qu'elles ne s' „ agitent de ordinaire qu'avec de violentes conte- „ stations;

(*) Vide Recueil des Bulles &c. pag. 71.

„ stations ; il y a encore d'autres raisons très-con„ sidérables, qui nous donnent suiet de croire, que „ le tems, où nous sommes, n'est pas propre pour „ terminer un different de cette importance: si ce „ n'est que votre Sainteté veuille, pour en porter „ un jugement solemnel (ce qui ne semble pas être „ leur intention) y proceder selon les formes pra„ tiquées par nos Peres, reprendre l'affaire dès son „ origine, & l'examiner toute entiere, & de nou„ veau: en appellant & entendant les parties, com„ me le firent il n'y a pas long temps les Papes „ Clement VIII. & Paul V. de sainte memoire. „ Car si votre Sainteté n'en usoit pas de la sorte, „ ceux qui seroient condamnés se plaindroient avec „ justice de l'avoir été par les calomnies, & les „ artifices de leurs adversaires, sans avoir été „ entendus dans leurs raisons. A quoi ils ajou„ teroient peut-être, que cette cause auroit été „ portée à votre Sainteté avant que d'avoir été ju„ gée dans un Concile d'Evéques. Et pour forti„ fier la justice de leurs plaintes par des exemples „ de l'ancienne discipline de l'Eglise, ils allegue„ roient le Concile d'Alexandrie contre Arius, ce„ lui de Constantinople contre Eutichés, ceux de „ Carthage & de Mileve contre Pelage, ceux de „ Valence, & de Langres tenus en notre France „ pour la même matiere dont il s'agit, & d'autres „ Conciles contre d'autres heretiques. Et certes, „ tres Saint-Pere, s'il étoit à propos d'examiner & „ de décider les Propositions, l'ordre legitime des „ jugemens de l'Eglise universelle, joint à la Cou„ tume observée dans l'Eglise Gallicane, veut que „ les plus grandes, & les plus difficiles questions „ qui naissent en ce Roiaume, soient d'abord exa„ minées par nous: ce qui étant, l'équité nous „ obligeroit de considerer meurement, si ces Pro„ positions, dont on se plaint à Votre Sainteté, „ ont eté faites à plaisir, pour rendre odieuses quel„ ques personnes, & our exciter quelque trou„ ble: en quels lieux, par quels Auteurs, & en quel „ sens elles ont été avancées, & soutenuës ; d'en„ tendre sur cela de part, & d'autre ceux qui con„ testent ; de voir tous les ouvrages faits de deça „ touchant ces Propositions: d'en distinguer le sens „ veritables d'avec les faux, & ambigus ; de nous „ informer avec soin de tout ce qui s'est passé sur „ ce suiet depuis que l'on commence d'en disputer: „ & aprés cela de faire entendre au S. Siége tout „ ce que nous aurions fait & ordonné dans cette „ affaire, où il s'agit de la Foi ; afin que tout ce „ que nous aurions prononcé avec justice sur cette „ matiere, fut confirmé par votre autorité Aposto„ lique. Mais en s'adressant directement, comme „ l'on fait à votre S. Siege, sans que nous aions „ auparavant examiné, & jugé la cause, par com„ bien d'artifices la verité ne peut-elle point étre „ oprimée? par combien de calomnies la reputation „ des Prelats & des Docteurs ne peut-elle point etre „ noircie? Et par combien de tromperies Votre Sain„ teté ne peut-elle point étre surprise dans cette „ grande affaire, qui regarde des points de Foi ! „ Car d'un coté l'on voit ceux en faveur desquels „ M. nos Confreres ont écrit à Votre Sainteté, sou„ tenir fermement & opiniatrement, que le plus „ grand nombre des nouveaux Scolastiques est de „ leur opinion, & que leur doctrine est la plus con„ forme à la bonté de Dieu, & à l'equite de la rai„ son naturelle. D'autre part ceux qui s'attachent „ entierement à S. Augustin declarent, non en se„ cret, mais en public, que les questions dont il „ s'agit, ne sont plus douteuses & problematiques; „ mais que c'est une affaire finie, & terminée il y „ a long tems: que ce sont les decisions constantes „ des anciens Conciles, & des Papes, que leurs „ Decrets sur cette matiere sont trés-évidens, & „ principalement ceux du Concile de Trente, qu' „ ils soutiennent être presque entierement compo„ sez des paroles, & des maximes de S. Augustin, „ comme le sont ceux du Concile d'Orange. Ainsi „ ils temoignent qu'au lieu d'aprehender notre ju„ gement, & le votre, ils ont plutot raison de le „ desirer ; aiant tout sujet de se promettre de Vo„ tre Sainteté, qu'étant assistée de l'inspiration du „ S. Esprit, qui daigne la conduire lorsqu'elle le „ prie, elle ne se départira point en la moindre cho„ se de ce qui a été ordonné par les Saints Peres ; „ afin qu'il n'arrive pas, ce que Dieu ne veuille „ pas permettre, que la réputation du Saint Siege „ Apostolique & de l'Eglise Romaine tombe dans „ le mepris des heretiques, qui observent de prés „ jusqu'aux moindres de ses actions & des paroles. „ Mais nous avons sujet d'esperer que cela n'arri„ vera jamais; principalement si, pour retrancher „ a l'avenir toute contestation, il plait à Votre „ Sainteté, en marchant par les mêmes traces des „ vos Predecesseurs, d'examiner à fond cette affai„ re, & d'entendre selon la coutume les defenses, „ & les raisons des parties. Aiez donc agreable, „ très Saint Pere, ou de permettre que cette dis„ pute si importante, qui dure depuis plusieurs sié„ cles sans que l'unité Catholique en ait été alte„ rée, continue encore un peu de tems; ou de dé„ cider toutes ces questions en y observant les for„ mes légitimes des jugemens Ecclesiastiques. Et „ que Votre Sainteté emploie, s'il lui plait, tous „ ses soins, & tout son zele, pour faire que les „ interets de l'Eglise, qui a été confiée à sa con„ duite, ne soient blessez en aucune sorte dans cet„ te rencontre. Dieu veuille durant plusieurs an„ nées combler Votre Sainteté de toute prosperité, „ & de tout bonheur. Nous sommes &c.

Cette lettre est signée, Louis H. DE GONDRIN *Arch. de Sens:* B. D'ELBENE, *Ev. de Agen:* GILBERT *Ev. de Cominge*: LE BERON, *Ev. de Valence & de Die*. A. DELBENE, *Ev. de Orleans*. BERNARD, *Ev. de S. Papoul*, J. HENRY DE SALETTE, *Ev. de Lescar en Bearn.* FELIX. *Ev. & C. de Chalons.* FRANCOIS, *Ev. d'Amiens.* HENRY, *Ev. d'Angers*, NICOLAS, *Ev. & C. de Beauvais.*

Scriptum Trium Columnarum,

QUOD

QUINQUE DEPUTATI JANSENIANI

EXHIBUERUNT, ET LEGERUNT

INNOCENTIO X.

Paucis diebus ante Bullam condemnationis V. Propositionum, & deinde Typis vulgarunt in Diario Sanctamorei Par. VI. Cap. XXII.

PRIMA PROPOSITIO

A loco suo dolose avulsa, & exhibita.

ALIQUA DEI PRÆCEPTA HOMINIBUS JUSTIS VOLENTIBUS, ET CONANTIBUS SECUNDUM PRÆSENTES, QUAS HABENT VIRES, SUNT IMPOSSIBILIA. DEEST QUOQUE IIS GRATIA, QUA POSSIBILIA FIANT.

SENSUS HÆRETICUS, *qui primæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

„ Justis omnibus quantumlibet volentibus, & conantibus secundum præsentes quantascumque vires, quæ a gratia magna, & efficace habentur, mandata Dei sunt impossibilia. Deest quoque illis semper, & quamdiu vivunt, gratia qua possint vel unum ex mandatis Dei sine peccato adimplere.

„ *Hæc propositio est hæretica, Calviniana aut Lutherana, & a Concilio Tridentino damnata.*

PRIMA PROPOSITIO ut a nobis intelligitur, ac defenditur.

*Aliqua Dei præcepta aliquibus justis volentibus, & conantibus invalide, & imperfecte secundum præsentes quas habent vires, parvas scilicet, & infirmas, seu auxilio efficaci, quod * ad plene volendum, & operandum necessarium est, destitutis impossibilia sunt proxime & complete, seu ab iis adimpleri proxime non possunt. Deest quoque illis gratia efficax, qua præcepta illis proxime possibilia fiant, seu deest illis speciale illud auxilium sine quo justificatus, ut ait Concilium Tridentinum, in accepta justitia, id est in observatione mandatorum Dei perseverare non potest.*

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere: & in S. Augustini doctrina indubitatam esse, atque a Concilio Tridentino definitam.

PROPOSITIO *Primæ contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Omnia Dei præcepta justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires sunt semper possibilia per gratiam eorum libero arbitrio subjectam. Nec unquam ipsis deest gratia ad operandum vel saltem ad orandum proxime necessaria, qua possibilia fiant.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ, & adversariorum, esse Pelagianam, vel Semipelagianam, quia gratiæ ex se efficacis ad singulos actus necessitatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de auxilius *sub Clem. VIII. & Paulo V.*

SECUN-

---

* Scriptum latinum p. 470. Diarii habet in Columna secunda: *auxilio efficaci ad plene volendum, & operandum necessario destitutis*, sed corrigitur, ut hic, ex Scripto Gallico ibid. p. 474. *c' est a dire, qu' estant destituez de secours efficace, qui est necessaire pour voloir &c.*

SECUNDA PROPOSITIO

Fabricata, & exhibita.

INTERIORI GRATIÆ IN STATU NATURÆ LAPSÆ NUNQUAM RESISTITUR.

SENSUS HÆRETICUS, *qui secundæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

„ Interiori gratiæ efficaci in statu na-„ turæ lapsæ eatenus nunquam resisti-„ tur, quatenus voluntas hominis respe-„ ctu gratiæ efficacis mere passive se ha-„ bet, & velut inanime quoddam nihil „ omnino agit, nec cooperatur, nec li-„ bere assentitur.

„ *Hæc Propositio est hæretica, Calvi-„ niana, Lutherana, & a Concilio Tri-„ dentino damnata.*

ALIUS SENSUS ERRONEUS

„ Interiori Gratiæ sumptæ pro simpli-„ ci quadam illuminatione intellectus, „ & suasione voluntatis in statu naturæ „ lapsæ nunquam resistitur.

„ *Hæc Propositio est falsa, & erronea, „ quia talis gratia non est vera gratia „ Christi, ut docet Sanctus August. in „ lib.* de Gratia Christi.

ALIUS SENSUS ERRONEUS

„ Interiori gratiæ Christi, cum adhuc „ parva est, & dat tantum voluntatem „ inchoatam, in statu naturæ lapsæ nun-„ quam resistitur, quantum ad effectum „ interiorem, ad quem disponit.

„ *Hæc Propositio est falsa, & erronea.*

SECUNDA PROPOSITIO, ut a nobis intelligitur, ac defenditur.

Gratiæ Christi ad singulos pietatis actus proxime necessariæ nunquam resistitur, hoc est, nunquam illa frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in Sancti Augustini doctrina indubitatam esse.

PROPOSITIO *Secundæ contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Gratiæ Christi ad singulos pietatis actus, seu operandi, seu saltem orandi necessariæ, in statu naturæ lapsæ, aliquando resistitur, hoc est, illa aliquando frustratur eo effectu, ad quem a Deo proxime datur.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem, quæ est Molinæ, & adversariorum esse Pelagianam, vel Semipelagianam, quia gratiæ Christi ad singulos actus necessariæ vim, & efficaciam destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.

TER-

ANIMADVERSIONES

In Scriptum Trium Columnarum.

I. *Scias huic scripto præfixa, & Pontifici prælecta fuisse loco Præfationis ea, quæ sequuntur, & in eodem Diario leguntur, omnino scitu dignissima.*

B. P. Innocentio Papæ X.: *Brevissima V. Propositionum in varios sensus distinctio, apertaque de iis, tum Calvinistarum, ac Lutheranorum, tum Pelagianorum, ac Molinistarum, tum S. Augustini, ejusque Discipulorum Sententia.*

„ BEATISSIME PATER. Episcopi Galliarum, „ quorum votis, atque expectationi V. S. satis-„ facere se velle testatur, circa quinque Propositio-„ nes controversas judicium ab ipsa postulant, quod „ & veritatem dilucidare, ac confirmare, & con-„ troversias componere, & pacem Ecclesiæ resti-„ tuere idoneum sit. Petunt ergo, ut de iis, quæ „ in controversiam inter nos, & adversarios voca-„ ta sunt, expressam Sententiam ferat, non de iis, „ de quibus nulla contentio, nulla quæstio, nulla „ difficultas exorta est. Hoc ex variis omnium E-„ piscoporum, qui ad Vestram Sanctitatem scripse-„ runt, litteris manifestum est. Quapropter primum „ Officii nostri est S. V. oculis id aperte exponere, „ de quo hinc & inde contendimus, ut de re, quæ „ inter nos, & adversarios in controversiam verti-„ tur, ipsi constet. De propositionibus autem non „ in sensu alieno ad quem trahi possent, quique „ a nobis respuitur, sed in sensu legitimo, qui a „ nobis defenditur, atque adeo de Fide Catholica „ in iis contenta controversia est, deque iis sic „ sumptis distinctum, ac perspicuum judicium ex-„ pectatur.

„ Ne igitur in toto hoc negotio ullus pateat æ-„ qui-

TERTIA PROPOSITIO

Fabricata, & exhibita.

AD MERENDUM, ET DEMERENDUM IN STATU NATURÆ LAPSÆ NON REQUIRITUR IN HOMINE LIBERTAS A NECESSITATE, SED SUFFICIT LIBERTAS A COACTIONE.

SENSUS HÆRETICUS, *qui tertiæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet*

„ Ad merendum & de-
„ merendum in statu natu-
„ ræ lapsæ non requiritur in
„ homine libertas a necessi-
„ tate naturali, qualis etiam
„ reperitur in motibus in-
„ deliberatis, sed sufficit
„ mera libertas a coactione.
„ *Hæc Propositio hæretica*
„ *est, Calviniana, aut Lu-*
„ *therana.*

TERTIA PROPOSITIO, ut a nobis intelligitur, ac defenditur.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, sed sufficit libertas a coactione cum judicio rationis, si consideretur præcise essentia libertatis, & meriti, quamquam ex ratione status semper reperiatur indifferentia potentiæ, qua voluntas etiam sub gratia proxime necessaria, & ex se efficace potest non velle, non tamen, ut umquam simul cum eadem gratia non velit.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem esse Catholicam, & Augustinianam.

PROPOSITIO TERTIÆ *contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ requiritur in homine libertas a necessitate infallibilitatis, seu necessaria est indifferentia proxima agendi, & non agendi, qua voluntas instructa omnibus ad agendum prærequisitis pro suo nutu modo se flectit in unam partem, modo in oppositum.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc propositionem, quæ est Molinæ, & adversariorum, Pelagianam esse, quia gratiæ ex se efficacis ad singulos pietatis actus necessariæ possibilitatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.

QUAR-

„ quivocationi, calumniæ, malignitati, dubitatio-
„ ni locus, veros & germanos Propositionum sen-
„ sus, quos sustinemus, quosque impugnant adver-
„ sarii, si aliquid agunt, ante omnia Vestræ San-
„ ctitati, quam brevissime, ac dilucidissime fieri
„ potest, exponimus, atque ex una parte errores
„ illis contrarios, quos adversarii tuentur, & ex
„ alia hæreses illis similiter contrarias, quas im-
„ pugnare se jactitant, cum Propositiones impu-
„ gnant, subjicimus. Ut Sanctitati Vestræ innote-
„ scat nos, neque ad dexteram, neque ad sinistram,
„ sed doctrinæ Ecclesiæ unice adhærere, & inde
„ Calvinistarum, eorumque sequacium, hinc Pela-
„ gianorum, eorumque reliquiarum hæreses, ac er-
„ rores ex æquo detestari.
„ De utrorumque Sententia circa has quinque
„ Propositiones, & de nostra, quæ inter hanc, &
„ illam est media, aperte, & sincere id quod pro-
„ fitemur, Sanctitati Vestræ aperimus, prætermissis
„ atque in suum tempus, ac ordinem dilatis eorum
„ omnium, quæ asserimus, invictis, ut putamus,
„ probationibus, nunc nihil aliud intendentes,
„ quam ut primo aspectu, ac veluti in compendio
„ exhibeamus, tum id de quo judicium fieri po-
„ stulent, expectentque universi Galliæ Episcopi,
„ tum etiam, quam Catholice sentiamus.
Prima propositio &c. Ut supra.

II. *Scias post Scriptum Trium Columnarum addita fuisse, & lecta Pontifici, quæ sequuntur, & habentur in eodem Diario, seu Journal de M. de Saint Amour l. c.*

„ Hæc sunt, *Beatissime Pater*, ad quorum omnium
„ plenam explanationem, probationem, confirma-
„ tionem a Vestra Sanctitate, & verbo, & scripto
„ audiri postulavimus, & ad quorum discussionem
„ pergere parati sumus, quam brevissime feret rei
„ gravitas, & amplitudo, & quam diligentissime
„ patientur S. V. curæ, & occupationes. Interea
„ jam videt ex supra expositis, nullam de Calvi-
„ nianis Lutheranisve hæresibus inter nos, atque
„ adversarios esse, aut fuisse quæstionem. Si illas
„ ipsi anathematizant, ex animo eas pariter ipsi
„ anathematizamus, semperque anathematizavimus,
„ neque cum de his hodie quæstio non sit, eorum
„ impugnationem contra nos suscipere possunt, nisi
„ ut nos calumnientur, atque sub illorum prætex-
„ tu, & involucris, sensum Catholicum, quem su-
„ stinemus, condemnationis periculo exponant,
„ suumque nostro contrarium, Pelagianum scilicet,
„ aut Semipelagianum, & cum eo sexaginta, & am-
„ plius nefandos errores ex illo, ut ostendemus, ne-
„ cessario consequentes pro Fide Catholica obtrudant.
„ Iterum, atque iterum, *Beatissime Pater*, Sanctitati
„ Vestræ cum omnibus Galliæ Episcopis humillime
„ supplicamus, ut de re proposita, & controversa
claram,

QUARTA PROPOSITIO

Fabricata, & exhibita.

SEMIPELAGIANI ADMITTEBANT PRÆVENIENTIS GRATIÆ INTERIORIS NECESSITATEM AD SINGULOS ACTUS ETIAM AD INITIUM FIDEI, ET IN HOC ERANT HÆRETICI, QUOD VELLENT EAM GRATIAM TALEM ESSE CUI POSSET HUMANA VOLUNTAS RESISTERE VEL OBTEMPERARE.

SENSUS HÆRETICUS, *qui quartæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*

„ Gratia Christi præveniens
„ talis est, ut liberum arbi-
„ trium hominis ab ea mo-
„ tum, & excitatum non pos-
„ sit dissentire, si velit. Ali-
„ ter dicere Semipelagianum
„ est.
„ *Hæc Propositio est hæreti-*
„ *ca, Calviniana, aut Luthe-*
„ *rana, & a Concilio Triden-*
„ *tino damnata.*

QUARTA PROPOSITIO, ut a nobis intelligitur, ac defenditur.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, etiam ad initium fidei; & in hoc hæretice sentiebant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut voluntas illi pro nutu suo obtemperaret, vel eam respueret, seu ut ex se efficax non esset.

Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem, quoad primam partem, quæ spectat quæstionem facti, esse veram: quoad secundam vero ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in Sancti Augustini doctrina indubitatam esse.

PROPOSITIO QUARTÆ *contraria, ut ab adversariis defenditur.*

Semipelagiani non admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus imperfectos, nec ad initium fidei; nec in hoc errabant, quod vellent eam gratiam talem esse, ut ex se efficax non esset.

Sustinemus, ac demostrare parati sumus hanc Propositionem, quæ est Molinæ, & adversariorum, Pelagianam aut Semipelagianam esse, quia gratiæ efficacis ad singulos actus necessariæ Catholicam Fidem, & simul omnem S. Augustini auctoritatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregatione Romana de Auxiliis.

QUIN-

„ claram, firmamque proferat Sententiam, profite-
„ murque coram ipsa, nos, & universos S. Augu-
„ stini discipulos ac defensores (qui, ut olim aje-
„ bat Sanctus Prosper ad Ruffinum cap. 2., " *nunc*
„ *etiam in ipsis his locis, in quibus adversus eum*
„ *querimonia concitatur, propitio Deo, ad perce-*
„ *ptionem Evangelicæ, Apostolicæque doctrinæ salu-*
„ *berrimis ejus disputationibus imbuuntur, & quo-*
„ *tidie in membris Corporis Christi, in quantum ea*
„ *ipse multiplicat, dilatantur*) „ pro indubitata
„ tanti Doctoris, atque adeo Ecclesiæ doctrina præ-
„ dictas Propositiones, ut a nobis superius exposi-
„ tæ sunt, perpetuo defensuros, quandiu de illis ex-
„ presse ut supra expositæ sunt, intellectis prolatum
„ non erit (quod a Sanctitate Vestra postulamus)
„ solemne, definitivumque judicium, quo nobis
„ aperte constet, eas in sensu, quem asserimus Ca-
„ tholicum, esse damnatas.
„ Quod quidem nunquam fore Deo adjuvante
„ confidimus; ut vel ex eo conjicere licet, quod
„ jam pridem omnium sermonibus percrebuerit,
„ Vestram Sanctitatem ita sibi proposuisse de præ-
„ dictis Propositionibus agere, ut ante omnia sta-
„ tuerit suo loco stare, & illibatam servari debere
„ Sancti Augustini auctoritatem, cujus doctrinæ po-
„ tissima pars, & quasi summa est gratia ex se ef-
„ ficax, cum qua prædictæ Propositiones, inviola-
„ bili, insolubilique nexu conjunctæ sunt. Quemad-
„ modum videre est in ipso limine scripti sequen-
„ tis, in quo ejusdem gratiæ ex se efficacis ad sin-
„ gulos actus necessitas solidissimis, apertissimisque
„ demonstrationibus comprobatur. (*de hoc Scripto*
„ *vid. Diar. l. c.*)
Quæ omnia Sanctitatis Vestræ correctioni, ac ju-
„ dicio subjicimus.

Subscriptum Romæ die Lunæ 19. Maji Anno 1653.

Sic Subscriptum, Natalis de la Lane &c. Tussanus Desmares &c. Ludovicus de Saint Amour &c. Nicolaus Manessier &c. Ludovicus Angran &c.

„ III. *Scias hoc scriptum esse insigne monumentum*
„ *ad detegendum malas artes Jansenistarum, &*
„ *quantum ab ipsis variatum in Doctrina sit. De*
„ *hoc argumento edita fuit Romæ* 1745. Breve Isto-
„ ria delle variazioni del Giansenismo dalla sua
„ origine sino al presente. =
„ Satis modo sit hoc breviter adnotasse: Omnes
„ Jansenistæ post damnationem V. Propositionum
„ ab Innocent. X. dixere, & dicunt eas V. Propo-
„ sitiones Hæreticas esse, & quidem prout jacent,
„ & in obvio sensu: Hæc major propositio vulga-
„ tissima est in eorum libris, & idcirco dicunt Jan-
„ senismum esse *Phantasma*: cum omnes omnino
„ damnent ut Hæreticas V. Propositiones prout ja-
„ cent, & in obvio sensu: Atqui illud non dicebant,
„ imo

QUINTA PROPOSITIO

Fabricata, & exhibita.

SEMIPELAGIANUM EST DICERE, CHRISTUM PRO OMNIBUS OMNINO HOMINIBUS MORTUUM ESSE, AUT SANGUINEM FUDISSE.

SENSUS HÆRETICUS, *qui quintæ Propositioni maligne affingi posset, quem tamen legitime sumpta non habet.*	QUINTA PROPOSITIO, ut a nobis intelligitur, ac defenditur.	PROPOSITIO QUINTÆ *contraria, ut ab adversariis defenditur.*
,, Christus mortuus est ,, tantummodo pro prædestinatis, ita ut ii soli per ,, meritum mortis Christi ,, veram fidem, ac justitiam ,, accipiant. ,, *Hæc Propositio est hære-* ,, *tica, Calviniana, aut* ,, *Lutherana, & a Concilio* ,, *Tridentino damnata.*	*Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, mortuum esse, eo sensu, ut omnibus nemine excepto per mortem ejus oblata sit gratia ad salutem necessaria, quam consequi in nutu arbitrii sit positum sine gratiæ ex se efficacis adjutorio.* Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem ad fidem Ecclesiæ pertinere, & in S. Augustini doctrina indubitatam esse.	Non est Semipelagianum, sed Catholicum dicere Christum morte sua omnibus omnino hominibus, seu nemine excepto, communicasse gratiam proxime necessariam ad operandum, aut saltem ad incipiendum, & ad orandum. *Sustinemus, ac demonstrare parati sumus hanc Propositionem quæ est Molinæ, & adversariorum, continere doctrinam Concilio Tridentino contrariam, atque etiam esse Pelagianam, aut Semipelagianam, quia gratiæ Christi ex se efficacis ad singulos actus necessitatem destruit. Atque ita declaratum est in Congregat. Rom.* de Auxiliis.

,, imo contrarium ante damnationem; ergo ab ip- ,, sis variatum est: Hæc minor propositio constat ,, ex Scripto trium columnarum, in quo Propo- ,, sitiones illas agnoscunt Hæreticas, sed in sensu ,, *iis maligne affi#cto, & quem legitime sumptæ non* ,, *habent.*

,, Verum quidem est sub variis vocibus eumdem ,, errorem tenuisse, ac tenere. Nam ante Bullam ,, Innoc. X. damnabant eas Propositiones in sensu ,, primæ columnæ, quem dicebant *maligne affictum* ,, *&c.* Modo damnant etiam in eodem sensu primæ ,, columnæ: quem tamen non amplius vocant *ma-* ,, *ligne affictum, & illegitimum;* Si enim ita lo- ,, querentur, nimis clare essent inobedientes, & ,, illuderent Bullæ Innocentii: Non enim Ecclesia ,, damnat Propositiones *in sensu affi#cto, & illegiti-* ,, *mo*: Igitur ut ab his se expediant, & ostendant ,, sese Bullæ conformes, sensum primę columnæ vo- ,, cant *obvium, ac naturalem.*

Bulla Innocentii X. contra V. Propositiones.

,, INnocentius Episcopus, Servus Servorum Dei, ,, universis Christifidelibus Salutem & Aposto- ,, licam Benedictionem. Cum occasione impressio- ,, nis Libri, cui titulus, *Augustinus Cornelii Jan-* ,, *senii, Episcopi Yprensis*, inter alias ejus opinio- ,, nes orta fuerit, præsertim in Galliis, controver- ,, sia super quinque ex illis: complures Galliarum ,, Episcopi apud nos institerunt, ut easdem propo- ,, sitiones nobis oblatas expenderemus, ac de una- ,, quaque earum certam, & perspicuam ferremus ,, sententiam. Tenor vero præfatarum propositio- ,, num est prout sequitur.

,, I. *Aliqua Dei præcepta hominibus justis volen-* ,, *tibus, & conantibus, secundum præsentes quas ha-* ,, *bent vires, sunt impossibilia: deest quoque illis* ,, *gratia, qua possibilia fiant.*

,, II. *Interiori gratiæ, in statu naturæ lapsæ,* ,, *numquam resistitur.*

,, III. *Ad merendum, & demerendum in statu na-* ,, *turæ lapsæ, non requiritur in homine libertas a* ,, *necessitate, sed sufficit libertas a coactione.*

,, IV. *Semipelagiani admittebant prævenientis gra-* ,, *tiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam* ,, *ad initium fidei: & in hoc erant hæretici, quod* ,, *vellent eam gratiam talem esse, cui posset huma-* ,, *na voluntas resistere, vel obtemperare.*

,, V. *Semipelagianum est dicere, Christum pro o-* ,, *mnibus omnino hominibus mortuum esse, aut san-* ,, *guinem fudisse.*

,, Nos quibus inter multiplices curas, quæ ani- ,, mum nostrum assidue pulsant, illa in primis cor- ,, di est, ut Ecclesia Dei nobis ex alto commissa, ,, purgatis pravarum opinionum erroribus, tuto mi- ,, litare, & tanquam navis in tranquillo mari, se- ,, datis omnium tempestatum fluctibus, ac procellis ,, secure navigare, & ad optatum salutis portum ,, pervenire possit.

,, Pro rei gravitate, coram aliquibus Sanctæ Ro- ,, manæ Ecclesiæ Cardinalibus ad id specialiter sæ- ,, pius congregatis, ac pluribus in Sacra Theologia ,, Magistris, easdem quinque propositiones, ut su- ,, pra, nobis oblatas, fecimus singillatim diligen- ,, ter examinari: eorumque suffragia, tum voce, ,, tum scripto relata, mature consideravimus: eos- ,, demque Magistros, variis coram Nobis actis Con- ,, gregationibus, prolixe super eisdem, ac super ea- ,, rum qualibet differentes audivimus.

,, Cum

„ Cum autem ab initio hujuſcemodi diſcuſſionis „ ad divinum implorandum auxilium, multorum „ Chriſtifidelium preces, tum privatim, tum pu- „ blice indixiſſemus, poſtmodum iteratis eiſdem „ ferventius, ac per nos ſollicite implorata Sancti „ Spiritus aſſiſtentia, tandem Divino numine fa- „ vente, ad infraſcriptam devenimus declaratio- „ nem, & definitionem.

„ Primam prædictarum propoſitionum, *aliqua Dei „ præcepta hominibus juſtis volentibus, & conanti- „ bus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt „ impoſſibilia: deeſt quoque illis gratia, qua poſſibi- „ lia fiant;* temerariam, impiam, blaſphemam, „ anathemate damnatam, & hæreticam declara- „ mus, & uti talem damnamus.

„ Secundam, *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ la- „ pſæ nunquam reſiſtitur:* hæreticam declaramus, „ & uti talem damnamus.

„ Tertiam, *Ad merendum, & demerendum in „ ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine li- „ bertas a neceſſitate, ſed ſufficit libertas a coactio- „ ne,* hæreticam declaramus, & uti talem damna- „ mus.

„ Quartam, *Semipelagiani admittebant præve- „ nientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos „ actus, etiam ad initium fidei: & in hoc erant hæ- „ retici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui „ poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare:* „ falſam, & hæreticam declaramus, & uti talem „ damnamus.

„ Quintam, *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum „ pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut „ ſanguinem fudiſſe:* falſam, temerariam, ſcanda- „ loſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro „ ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, im- „ piam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pie- „ tati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti „ talem damnamus.

„ Mandamus igitur omnibus Chriſtifidelibus u- „ triuſque ſexus, ne de dictis propoſitionibus ſenti- „ re, docere, prædicare aliter præſumant, quam in „ hac præſenti noſtra declaratione, & definitione „ continetur, ſub cenſuris, & pœnis contra hære- „ ticos, & eorum fautores in jure expreſſis.

„ Præcipimus pariter omnibus Patriarchis, Ar- „ chiepiſcopis, Epiſcopis, aliiſque locorum Ordi- „ nariis, nec non hæreticæ pravitatis Inquiſitori- „ bus, ut contradictores, & rebelles quoſcumque „ per cenſuras, & pœnas prædictas cæteraque ju- „ ris, & facti remedia opportuna, invocato et- „ iam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii „ ſæcularis, omnino coerceant, & compeſcant.

„ Non intendentes tamen per hanc declaratio- „ nem, & definitionem ſuper prædictis quinque „ propoſitionibus factam, approbare ullatenus alias „ opiniones, quæ continentur in prædicto Libro „ Cornelii Janſenii.

„ Datum Romæ, apud Sanctam Mariam Majo- „ rem, Anno Incarnationis Dominicæ 1653. pri- „ die Kalend. Junii, Pontificatus Noſtri Anno „ nono.

Deſignatio *quorundam locorum, e quibus deſum- ptæ ſunt quinque illæ Janſenii Propoſitiones, ab Ec- cleſia damnatæ.*

Docet Primam Propoſitionem.

„ Janſenius in ſuo Auguſtino Tom. 3. l. 3. c. 13. „ ſic habet. *Ex hac indubitata doctrina, quædam „ non parvi momenti ad hanc rem ſpectanda infe- „ runtur, & clareſcunt. 1. Quidem eſſe quædam „ homini præcepta ſecundum ſtatum, & vires in „ quibus conſtitutus eſt, impoſſibilia. 2. Non adeſ- „ ſe ſemper gratiam, qua poſſimus, hoc eſt, qua „ illa eadem præcepta implere ſufficiamus. 3. Hanc „ impotentiam reperiri non ſolum in excæcatis, ob- „ duratis, & infidelibus, ſed etiam fidelibus, & „ juſtis, qui & fidem Chriſti, & charitatem juſti- „ tiæ ſuſceperunt. 4. Hanc impoſſibilitatem fidelibus „ accidere, non tantum quando nolunt præcepta fa- „ cere, ſed etiam quando volunt .·. hæc igitur „ omnia pleniſſime, planiſſimeque demonſtrant nihil „ eſſe in S. Auguſt. doctrina certius, ac fundatius, „ quam eſſe præcepta quædam, quæ hominibus non „ tantum infidelibus, excæcatis, & obduratis, ſed „ fidelibus quoque, & juſtis volentibus, conanti- „ bus, ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt „ impoſſibilia, deeſſe quoque gratiam, qua fiant „ poſſibilia.* Hanc eandem propoſitionem inculcat „ toto illo Libro, exceptis duobus ultimis capi- „ tibus.

Docet Secundam Propoſitionem.

„ Janſenius Tom. 3. lib. 2. cap. 24. ait. *Gratiam „ Dei Auguſtinus ita victricem ſtatuit, ut non raro „ dicat hominem operanti Deo per gratiam non poſ- „ ſe reſiſtere.* Cap. 25. *Quod eſt perinde, ac ſi aper- „ tiſſime diceret, nunquam illa caret effectu ſuo.* „ Cap. 29. *Docent ipſimet* Recentiores *cum omni- „ bus iſtis gratiis optime conſiſtere poſſe, ut volun- „ tas iis excitata, & ſuaſa, atque provecta nolit, „ quod certiſſimum eſt illi gratiæ medicinali repu- „ gnare, quam Auguſtinus lapſis hominibus dari „ tradit.* Tom. 3. lib. 3. cap. 3. pro titulo habet, „ *Nullum dari poſt lapſum Adami adjutorium ſuffi- „ ciens, quin ſimul ſit efficax.* Et totus ſecundus „ Liber fuit pro ea propoſitione firmanda.

Docet Tertiam Propoſitionem.

„ Janſenius Tom. 3. l. 6. c. 6. ait. *Quod ſola neceſ- „ ſitas coactionis adimat libertatem .·. demonſtra- „ ri poteſt.* Lib. 8. cap. 19. ait, *Nulla neceſſitas „ actibus voluntatis liberis formidanda eſt, ſed ſo- „ la vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.* Toti „ lib. 6. 7., & 8. non continent niſi unam illam „ propoſitionem, prout etiam tituli oſtendunt ma- „ nifeſte.

Docet Quartam Propoſitionem.

„ Janſenius Tom. 1. lib. 8. cap. 6. ubi ait. *Cer- „ tum eſſe, & indubitatum eſſe debere ſentio, quod*

„ *Maſſi-*

„ *Massilienses præter prædicationem atque naturam*, „ *veram etiam*, *atque internam*, *& actualem gratiam*, *ad ipsam etiam fidem*, *quam humanæ voluntatis*, *ac libertatis adscribunt viribus*, *necessariam esse fateantur*. Idem docet c. 7. 8., & seq. „ Eod. c. 6. ait, *In hoc ergo proprie Massiliensium* „ *error situs est*, *quod aliquid primævæ libertatis reliquum putant*, *quo sicut Adam*, *si voluisset*, *poterat perseveranter operari bonum*, *ita lapsus homo saltem credere posset*, *si vellet*, *neuter tamen* „ *absque interioris gratiæ adjutorio*, *cujus usus vel* „ *abusus relictus esset in uniuscujusque arbitrio*, *&* „ *potestate*. Cap. 15. dicit errorem Massiliensium „ fuisse, *quod initium fidei*, *orationem*, *gemitus*, *&* „ *desideria*, *& hujusmodi ex nobis*, *hoc est ex libero* „ *arbitrio prodire senserunt*, *& tamen gratiam etiam actualem in eorum opinione fuisse ad istos actus* „ *necessariam*, *cujus influxus in eorum libero relinqueretur arbitrio*. Et hic est scopus omnium Librorum de Hæresi Pelagiana.

Docet Quintam Propositionem.

„ Jansenius Tom. 3. lib. 3. cap. 21. *Respondetur*, „ *& ad hoc argumentum*, quod Christus sit Redemptor omnium, pro omnibus Crucifixus, & mortuus: *Sicut alia præcedentia jam olim ad nauseam usque a Pelagianis*, *præsertimque Massiliensibus inculcatum fuit*, *ut mirum sit* Recentiores „ *tanto studio trita hæreticorum arma colligere*, *&* „ *obsoleta recudere*. *Nec enim*, *juxta doctrinam antiquorum pro omnibus omnino Christus passus*, *aut* „ *mortuus est*, *aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit*, *cum hoc potius tamquam* „ *errorem a Fide Catholica abhorrentem*, *doceant esse respuendum* .·.·. *Vanum est*, *& stultum pro* „ *eo irritando vel avertendo rogare Deum*, *quod immutabili decreto sancitum*, *& prædeterminatum* „ *esse jam nosti*: *vanum etiam pro talibus salvandis seria voluntate pati*, *ac mori*; *vanum pro talibus a perditione decreta liberandis offerre Patri* „ *vota*, *preces*, *mortem & sanguinem suum* .·.·. „ *Quæ sane cum in August. doctrina perspicua*, *certaque sint*, *nullo modo principiis ejus consentaneum est*, *ut Christus Dominus pro infidelium in* „ *infidelitate morientium*, *vel pro justorum non perseverantium æterna salute mortuus esse*, *sanguinem fudisse*, *semetipsum redemptionem dedisse*, „ *Patrem orasse sentiatur* ,·.·. *ex quo factum est*; „ *ut juxta Sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum*, *quam pro diaboli deprecatus fuerit*. Postrema capita hujus libri 3. non sunt nisi hæc 5. propositio repetita.

QUINQUE ARTICULI, *quos in quæstione Juris DD. de la Lane*, *& Giraud Jansenistarum Deputati subsignarunt die 23. Januar. 1663.*, *& iterum die 7. Junii*, *& exhibuere Alexandro VII. An: eodem*, *& iterum Alexandro VIII. an. 1669.*, *cum declaratione*, *cujus sese auctorem dicit Quesnellus in Explicatione Apologetica pag. 69.*

„ * NOvelle declaration des Disciples de S. Augustin, contenant l'Exposition sincere de „ leur Doctrine sur la matiere des cinq Propositions „ en cinq Articles presentés en 1663. au Pape Alexandre VII., & soumis de nouveau au jugement „ du Pape Alexandre VIII. en 1689. *Au nom de Dieu* „ *notre Sauveur*, *& a la gloire de sa Grace*. *Ainsi* „ *soit-il*. Les Disciples de S. Augustin, que l'on „ affecte depuis si long-tems de décrier sous le nom „ odieux de Jansenistes, desirant faire cesser, autant qu' il est en eux, tous lex faux bruits que „ l'on publie contre leur foi, & fermer la bouche „ à la calomnie, declarent hautement, & protestent par cet acte public à la face du S. Siége „ Apostolique, & devant N. S. P. le Pape Alexandre VIII. Supreme Vicaire de Jesus-Christ en terre; devant tous les Evéques de l'Eglise Catholique, devant tous le Princes, & les Magistrats „ Chrétiens; devant tous les Theologiens de toutes „ les Eglises, de tous les Ordres Religieux & de „ toutes les Universitez; & enfin à la face de l'Eglise Universelle; Qu' ILS ont toujours condanné, & qu'ils condanneront toujours trés sincerement toutes les erreurs, que nos SS. PP. les Papes Innocent X., & Alexandre VII. ont condannées dans le cinq fameuses Propositions, en quelque Livre, & par quelque Auteur, que ces erreurs se trouvent enseignées, & defendues: Qu' ILS tiennent prour constantes, & ont toujours tenues pour telles, toutes les veritez de la foi, „ que ces Papes ont autorisées, & confirmées par „ ces mêmes Constitutions; Enfin que tous leur „ sentimens sur la matiere de ces cinq Propositions „ se réduisent uniquement à la doctrine de S. Augustin, & de S. Thomas touchant la Predestination de Saints gratuite, & absolue, & touchant „ le secours de la Grace efficace par elle-même, „ necessaire pour tous les devoirs, & toutes les „ actions de la piété Chretienne, en la maniere „ que ces deux points ont esté jugez dans la Congregation *de Auxiliis* tenue à Rome sous les Papes d'heureuse memoire Clement VIII., & Paul V., & comme ils sont exposez dans l'Explication qui suit, reçue & approuvée par le S. Siége Apostolique il y a plus de vingt cinq ans. „ Outre cette consideration, qui les a portez à s'approprier certe Explication, ils y ont encore esté „ poussez par ces deux raisons: l'une, qu'elle exprime d'une maniére fort claire, & sans equivoque leurs vrais sentimens; l'autre, qu'en s'y „ attachant, & en suivant ses principes on réfute „ plus aisément, & plus efficacement cette calomnie „ ridicule, dont les Calvinistes ont taché dés le commencement, & tàchent encore aujourd' hui de „ noircir la sainte Eglise Romaine, osant dire que les „ deux Constitutions des Papes Innocent X. & Alexandre VII. favorisent le Pelagianisme, & que la doctrine de S. Augustin, & de S. Thomas, & celle „ même de l'Apotre S. Paul, s'y trouve condannée.

De his quinque Articulis, *hæc habet P. le Fontaine in Constit. Unigenitus Theologice Propugnata in Proleg. c. 8.*

„ Curavit Pontifex (Alexander VII.) a Qualificatoribus S. Officii examinari Jansenistarum declarationem, & quinque Articulos. Dein die 21. Julii in Palatio Cardinalis Ginnetti habita jussu Sanctissimi fuit Congregatio, cui interfuere Cardinales Corrado, Borromæo, Albizzi, Rospigliosi, „ Bagni, cum Illustrissimo Varesio S. Officii Assessore. Totius Congregationis Judicium refert *Historia quinque* Propositionum Jansenii edita Gallice 1699. pag. 253. quod nihil respondendum esset „ circa quinque Articulos Jansenistarum, utpote

„ ambi-

* *Ex lib. cui Titulus la Paix de Clem. IX. p. 14. Recueil I.*, quæ Gallice damus, ne subsit suspicio mutationis

„ ambiguos sic, ut quod una parte concedere viderentur, negarent altera, quodque Authorum Consilium appareret, elicere a Sede Apostolica responsum aliquod, quo contra Constitutiones abuterentur. Idem judicium fuerat Qualificatorum, in quo confirmari Sedes Apostolica potuit literis Illustrissimi D. Henrici de la Motte Hodencourt, Rhedonensis Episcopi, dein Archiepiscopi Auscitani datis 12. Julii ad Eminentissimum Rospigliosi; Quibus sollicite monet, ut Roma caveat a Jansenistarum insidiis, quas forte parant, transmissis Articulis, & explicationibus, sperantes alteram a Sede Apostolica Sententiam, qua elidatur prior, & a suis cervicibus avertant ictum a Regis justitia imminentem. *Hactenus P. La Fontaine*, apud quem alia plura vide. *Sequuntur Articuli.*

ARTICULUS I.

„ Cum ex Sancti Augustini sententia, quam tota S. Thomæ Schola defendit, gratia efficax voluntatem indeclinabiliter, & infallibiliter, citra tamen necessitatem, vi divinæ motionis flectens, & determinans, ad singulos Christianæ pietatis actus necessaria sit, nunquam contingit, ut oremus, sicut oportet, nisi cum ea operatur, ut oremus, nobisque interpellandi, & gemendi inspiret affectum; ut nec Dei mandata servemus, nisi cum illa facit, ut in præceptis ejus ambulemus; nec denique inimici tentationes superemus, nisi cum nobis victoriam largitur.

„ Et tamen, cum nonnunquam justi tentationibus succumbant, & in varia peccata prolabantur, etiam cum illa vitare imperfecte, ac remisse volunt, atque conantur, manifestum est justis istis in illo imperfectæ, ac remissæ voluntatis statu, vitio suo mandatum violantibus, efficacem illam, & victricem, qua præsente nunquam vincimur, gratiam non adesse.

„ De his ergo justis, quibus illa magna non adest gratia, licet parva, & imperfecta non desit, vere utrumque dici potest, & potuisse illos Dei mandata servare, tentationique resistere, eosdemque alio sensu non potuisse. Potuerunt enim prorsus; quia non solum liberi arbitrii virtutem, & gratiam habitualem habuerunt; sed etiam gratiam actualem, quæ sufficiens dici potest Thomistarum sensu, qui gratiæ per se efficacis necessitatem supponit.

„ At quia, absente gratia efficaci, nunquam contingit, ut voluntas, sicut oportet, tentationi resistat, constansque est apud Thomistas dogma, gratiam sufficientem ab efficaci separatam non complecti omnia ad pie agendum necessaria, ideo usitatissima Scripturis, Patribusque locutione, & Thomistis omnibus probata, hoc sensu dici potest, justos illos ejusmodi sufficienti gratia instructos, tentationi, cui succubuerunt, resistere non potuisse; quia nimirum ejusmodi potestatem non habuerunt, quæ complecteretur omnia ad agendum necessaria, cum gratiam efficacem ad agendum utique necessariam non habuerint.

„ Quare cum dicimus nos sine gratia per se efficaci non posse agere, id hoc uno sensu intelligimus, eum cui deest gratia illa per se efficax, non habere omia, quæ requiruntur ad actu agendum.

ARTICULUS II.

„ Gratia interior duplex est: alia efficax, quæ semper producit illum effectum, ad quem impellit voluntatem; alia inefficax, quæ voluntatem excitat ad effectum, quem non producit. Prior gratia ea est, quam simpliciter, proprie, & absolute efficacem Thomistæ vocant. Huic resisti quidem semper potest, ut iidem docent; at nunquam ita resistitur, ut effectu illo privetur, ad quem impellit voluntatem: quod aliis verbis sic exprimunt, ut resisti posse dicant in sensu diviso: non autem in sensu composito.

„ Secunda autem ea est, quam tum excitantem, tum inefficacem, tum sufficientem, idem significantibus verbis vocant. Huic vere resistit, ac renititur voluntas, eamque eo effectu privat, ad quem excitat, & ad quem potestatem largitur, superius explicato Thomistarum sensu sufficientem. Potest quidem illi voluntas consentire; nec tamen, si absit gratia efficax, unquam consentit, non defectu antecedentis potestatis, sed libera sui ipsius in oppositum determinatione. Sed quamvis illa gratia per se spectata, effectu illo careat, ad quem tendit, ad quem voluntatem excitat, & ad quem per antecedentem Dei voluntatem destinatur, adeoque falsum sit hoc sensu omnem Christi gratiam semper habere eum effectum, quem Deus vult; si tamen spectetur, ut cum absoluta Dei voluntate conjuncta; merito hoc sensu efficax dici potest, quia semper id in corde hominis operatur, quod Deus absoluta voluntate intendit; Certum est enim apud Thomistas, auxilium sufficiens respectu unius actus, semper esse efficax respectu alterius, ad quem efficiendum Decreto absoluto Divinæ voluntatis destinatur, adeoque apud illos omnis gratia est efficax alicujus effectus; ejus nimirum ad quem proxime ordinatur, & quem Deus absoluta voluntate intendit, juxta illud Isaiæ; *Verbum, quod egreditur de ore meo, non revertetur ad me vacuum; sed faciet quæcunque volui.*

ARTICULUS III.

„ Ad merendum, & demerendum in statu Naturæ lapsæ non sufficit libertas a coactione, sed requiritur libertas a necessitate. Quamvis enim gratia per se efficax infallibiliter, & insuperabiliter voluntatem ad agendum determinet, atque ita nunquam voluntas illi actu dissentiat: non tamen inducit necessitatem, quia non tollit dissentiendi potestatem. Est ergo perpetuo in homine lapso illud, quod Thomistæ statuunt, activæ indifferentiæ genus, quam proximam dicere nihil vetat, dummodo ab hoc verbo semoveas illum sensum, ut voluntas per efficacem gratiam mota credatur nunc consentire, nunc dissentire: Sive quod idem est, nunc actualem consensum, nunc vero actualem dissensum cum ejusmodi gratia componere.

ARTICULUS IV.

„ Tantum abest, ut Semipelagiani ideo hæretici fuerint, quod dicerent gratiæ nos consentire, & dissentire posse, ut potius certum, & minime dubium sit, cuncu-

„ que gratiæ efficaci resisti posse, id est cum quacunque gratia simul remanere activam, atque, ut supra dictum est, proximam dissentiendi potestatem, licet actu, ut etiam supra dictum est, nunquam efficaci gratiæ dissentiatur.

ARTICULUS V.

„ GRatuitæ prædestinationis doctrina maximam jure merito apud omnes Scholas Catholicas authoritatem obtinet.

„ Hujus autem hæc summa est, ab omnibus ejus defensoribus recepta: solis electis, si spectetur non antecedens, sed absoluta, & efficax Dei voluntas, salutem æternam absoluto Dei Decreto destinatam esse cum ea gratiarum, ac beneficiorum serie, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur; quorum beneficiorum utique præcipuum est perseverantiæ donum, quod nemo proprium esse prædestinatorum inficiatur. Hinc sequitur, Christum, cujus absoluta voluntas paternæ semper conformis extitit, hoc Decretum nec precibus, nec morte sua simpliciter, & absolute mutare voluisse. Itaque solis illis absolute, & efficaciter promereri voluit salutem æternam, & perseverantiæ donum, quos sibi a Patre datos, & de manu sua a nemine raptum iri in Evangelio dicit. De his capitibus apud omnes gratuitæ prædestinationis defensores convenit; quibus ea tantum Christi mortis omnibus impensæ generalitas excluditur, qua collatæ omnibus hominibus asseruntur gratiæ, ita sufficientes, ut præterea efficacem ad volendum, seu operandum non requirant.

„ Sed hac opinione dempta, nihil obstat, imo prorsus veritati consentaneum est, dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, ac sanguinem fudisse: tum quia antecedenti voluntate salutem omnium voluit; tum quia sufficiens pro omnibus pretium obtulit. Falsum autem est, & Hæreticum dicere, Christum pro salute duntaxat prædestinatorum mortuum esse, cum multis reprobis, omnibusque adeo justificatis gratias, tradita a Thomistis notione sufficientes meruerit, quibus ad salutem pervenire possent; quamvis nemo iis bene utatur, & in accepta justitia perseveret; nisi uberioribus illis, & efficacibus auxiliis adjuvetur. *

III.

Plura Monumenta spectantia ad Jansenistarum distinctionem Facti a Jure, reprobatam per Formularium Alexandri VII.

„ P*Ostquam Innoc. X. damnavit V. Propositiones asseruere Jansenistæ, eas quidem esse Hæreticas: At Librum Jansenii has Hæreses non continere*: Utrum eæ Hæreses in Jansenii libro contineantur? *esse quæstionem Facti, de qua nihil pronunciaverat Ecclesia, neque pronunciare certa auctoritate possit, sed solum de quæstione Juris*, utrum, nempe eæ quinque Propositiones essent Hæreses? *Quam quæstionem sua Bulla definiverat Innoc. X. Hæc est celebris distinctio Facti a Jure, ad cujus, & Historiam, & Reprobationem intelligendam faciunt Monumenta, quæ sequuntur.*

Epistola Encyclica Conventus Cleri Gallicani anni 1654. ad Episcopos Galliæ.

„ REverendissimis, ac Religiosissimis DD. Archiepiscopis, & Episcopis per Gallias Fratribus observantissimis, Cardinales, Archiepiscopi, & Episcopi Parisiis agentes, salutem in Christo, & felicitatem. Quod B. quondam Augustino, & aliis Concilii Carthaginensis, & Milevitani Patribus, magnis illis Divinæ gratiæ defensoribus, assertoribusque contigit, idem nunc prorsus evenisse nobis videtur. Sperabant illi, sed frustra, post librum quemdam, cujus auctor, scriptorque fuerat Pelagius, ab Innocentio I. Papa anathematizatum, & damnatum, Pelagianos non ausuros ulterius, de gratia illa perversa, & perniciosa sentiendo, loquendoque, pectora fidelia, & simpliciter Christiana turbare, sed tanti Præsulis auctoritati cessuros. Et spes quoque nobis erat homines eos, qui se Cornelii Jansenii Episcopi Yprensis amatores, sectatoresque profitentur, post ejus ab Innocentio X. anathematizatas, & damnatas quinque opiniones, desituros tandem ab omni motu, atque cum suo illo Decreto imperasset ventis, futuram in Ecclesia tranquillitatem magnam. Sed contra plane, quam expectatum a nobis fuerat, accidit: mirarique satis non possumus post æquissimam, sanctissimamque Constitutionem illam, qua Beatissimus Pater Innocentius X. prædictas quinque Propositiones damnavit, & iis quidem verbis, quibus nihil dici potest expressius, nihil clarius, homines illos affirmare, imo & persuadere aliis velle, res duas vanas omnino, & inanes: alteram quinque illas propositiones non esse Jansenii; alteram, damnatas esse eo in sensu, qui ad Jansenium nihil pertineat. Potest enim quicquam esse absurdius, quam tueri id velle, cui refellendo, revicendoque nihil opus sit rationibus, nihil disquisitione etiam mediocri, aut levi, sed sola Pontificiæ Constitutionis, quæ per se ipsam rem totam aperte dirimit, lectione? Et quidem cum ejusmodi sint duæ res illæ, ut multis videri possint ipsæ per se, & sponte sua ruituræ; atque adeo spernendæ prorsus, & negligendæ: Nobis tamen, quibus compertum est eas ignorantibus, infirmisque non paucis esse offendiculo, quibusque pro muneris nostri ratione id præsertim incumbit, ut tollamus omnia scandala de Regno Dei, visum fuit occurrendum esse huic malo, comprimendumque mature hoc virus, quod jam aliquos occupavit. Quod ut fieret accuratius, & pro ea, qua par erat, gravitate dignitateque, quotquot in hac Urbe Regni primaria negotiorum Ecclesiasticorum causa sumus Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, collecti in unum „ cen-

* „ Parallelum Doctrinæ Jans. & V. Art. habes ap. Cl. P. la Fontaine Prol. *ad Const. Unig. c.* 8. Monet, de fallacia Novatorum Thomisticas voces adhibentium conqueri P. Salmat. tr. 14. de Gr. p. 108. Hieronymi verbis in Ep. ad Pam. & Oc. *Sic verba temperant, sic ordinem vertunt, & ambigua quæque concinnant, ut & nostram, & adversariorum confessionem teneant, ut aliter Hæreticus, aliter Catholicus audiat*: Mens Jansenistarum apparet ex aliis Libris, aut Thesibus. Hinc in Thesibus *falsi Arnaldi* Jansenistarum encomio approbatis Thesi 3. *At quid de gratia sufficiente sensu Thomistico? Minus displicet: Quia nisi hallucinari velis, particulam includit alienantem, & nebuloso tempore occulendis gratiæ Mysteriis est peridonea.*

,, censuimus, hoc quidquid est rei, committendum esse curæ, ac diligentiæ Illustrissimorum Reverendissimorum Fratrum nostrorum Archiepiscoporum Turonensis, Ebrodunensis, Rothomagensis, Tolosani, & Episcoporum Eduensis, Montalbanensis, Rhedonensis, Carnotensis: sic tamen, ut quicquid inter se ipsi legissent, observassent, sensissent, referrent ad nos. Iis vero ex ipsa Constitutionis lectione, atque insuper ex opere Janseniano, quod etiam quantum ad quinque illas Propositiones attinet, studiose legerunt, expenderuntque (quamquam sola per se ad id sufficiat Constitutio) manifestum & perspectum fuit quinque Propositiones vere esse Jansenii, & damnatas esse in vero, ac proprio verborum sensu, & eo plane, quo a Jansenio traduntur, & explicantur. Atque cum id ipsi ad nos, scilicet in unum rursus congregatos, retulissent, & a nobis quoque idem cognitum, & exploratum fuisset, declaravimus, & hoc nostro judicio declaramus rem plane ita se habere, & nullum dubitandi esse locum. Quare & eos, qui quinque illas Propositiones tuentur aut probant, vere esse ex eorum numero, quos Innocentius X. sua illa in Constitutione vocat contradictores, & rebelles: & quos vult a Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis per censuras, & pœnas, contra hæreticos, & eorum Fautores in jure expressas, cæteraquæ juris, & facti remedia opportuna, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis omnino coerceri, & compesci. Id vero nos omnes, quantum in nobis quidem erit, effecturi sumus: rogamusque quotquot hinc absunt, Gallicani Cleri dilectissimos Fratres nostros, ut idem quoque pro virili præstent: ut sic idem omnes sentiamus secundum Jesum Christum; & unanimes atque uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini Nostri Jesu Christi; ædificemus Ecclesiam Dei: atque adeo nos ipsos, & eos, qui nos audiunt, curæque nostræ sunt ab ipso commissi, salvos faciamus.

Subscriptum huic Epistolæ fuit a Card. Mazarino, & 36. Episcopis.

Epistola ejusdem Gallicani Conventus ad Innocentium X. *ann.* 1654. *die* 28. *Martii.*

,, SAnctissimo Patri Innocentio X. Pontifici Maximo. *Beatissime Pater*: Post promulgatam ab universis Galliarum Episcopis Sanctitatis Vestræ Constitutionem, qua quinque Propositiones e libris Cornelii Jansenii Yprensis Episcopi excerptæ damnantur, nihil aliud expectandum videbatur, præcipue a Gallis, qui in Sede Apostolica colenda semper potiores fuerunt, quam ut pura, & non fucata concordia, in vera fidei unitate omnium animi conspirarent. Sed dissidiorum auctor tam singulare, & piis omnibus summopere expetendum bonum Galliis invidit: quodque palam obtinere non poterat, nempe ut a debita Sedi Apostolicæ reverentia, per apertum Constitutionis editæ contemptum recederetur, callidis molitionibus ad simplicium, & incautorum mentes subvertendas aggredi tentavit. Quare ad munus Episcopale pertinere putavimus, recens excitatas a Clericis numero paucis contentiones, definitione nostra compescere: qua Constitutionis Apostolicæ integra executio, quæ nobis commissa est, adversus alienas a vero illius sensu expositiones sanciatur. E vetere fidei deposito, cujus custodia Cathedræ Petri a Christo concredita est, partem adimere tentant; Decreti Apostolici Majestatem ad fictas controversias dirimendas turpiter dejiciendo. Quinque etenim Propositiones Decreto illo proscriptas damnare se quoque profitentur: sed alio plane sensu, quam qui a Jansenio traditus, & explicatus est: ad quem Propositiones illas nullatenus pertinere constantissime asserunt. Hac arte, restaurandis disputationibus iisdem sibi locum apertum relinquere parant, & redivivæ litis prolixam materiam. Quare ut his incommodis prævertereretur, & Constitutioni auctoritas sua constaret, atque sincera ejus executio sequeretur, Nos in hac Urbe Parisiensi congregati censuimus, & per Epistolam Encyclicam his litteris adjunctam declaravimus: Propositiones illas, & opiniones esse Cornelii Jansenii, & in sensu ejusdem Jansenii, a Sanctitate Vestra damnatas disertis, & manifestis verbis. Quam enim auctor ille usurpatione privata, novam Doctrinam sub specie veteris inducebat, necessum fuit ut Apostolica Sedes, judicio lato, ex publica, & antiqua Ecclesiæ traditione refelleret, ne Christiana fidei doctrina, pravis ab illo Scriptore ad testimonia veterum Patrum, quos laudat, adhibitis interpretationibus obrueretur. Nihil quippe aliud egit Constitutione sua Innocentius X. quam ut auctoritatis suæ præsidio antiquam fidem muniret, non dicendo nova, sed dicendo nove, juxta receptas in Sholis Theologiæ locutiones, quibus Jansenius quoque utitur. Eo pacto Beatitudo Vestra liquido explicuit, atque confirmavit regulam fidei de gratia, & libero arbitrio, quam ex parte prius assertam adversus Manichæos, quod attinet ad arbitrii libertatem, postea Decessores vestri Innoc. I. & Zosimus, cooperantibus Africanorum Conciliorum literis, contra Pelagianos plene constabiliverant: Quamque deinde Cælestinus I. ac Concilium Arausicanum, juxta Capitula a Sede Apostolica transmissa, & superiori sæculo Tridentinum, sollicite atque diligenter enucleatam definierant. Quapropter, & Constitutionem ordine Canonico latam, atque genuino in sensu intellectam, quem litteræ istæ patefaciunt, devotissimo obsequio nos suscipere testamur: præterea vero daturos operam profitemur, ne quis curæ nostræ subditus, impune contraria vestris definitionibus docere, scribere, aut loqui præsumat, pœnis in Hæreticos a jure decretis, alioquin a nobis statim puniendus. Ex qua concordi omnium sententia, subscriptionibus nostris firmata, Beatitudo vestra facile intelliget, nulli e Collegio nostro propositum fuisse, ut aliquid dignitati Constitutionis adversum proferret, aut scriberet; Quinimo designatum esse nobis, plenissima veneratione sacram B. Petri Sedem, & Sanctitatem Vestram colere; cui prosperos, & felices annos vovent, qui sunt cum ea, qua par est observantia &c.

Responsum Innocentii X. *an.* 1654.

,, INnocentius Papa X. Dilecti Filii nostri, ac venerabiles Fratres, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex litteris, quas a vobis die 28. Martii proxime elapsi ad nos datas a venerabili Fratre Episcopo Lodevensi accepimus, jucundum

,, ſane accidit, probari nobis luculentius Veſtræ ,, pietatis zelum in iis partibus obeundis, quas nos ,, omnibus Paſtoralis officii Adminiſtris injunximus, ,, ut qua par eſt obedientia, ubique ſervari curent ,, Conſtitutionem noſtram, qua die 31. Maji anni ,, 1653. damnavimus in quinque Propoſitionibus ,, Cornelii Janſenii doctrinam ejus libro contentam, ,, cui titulus *Auguſtinus*. Atque ideo placet auctam ,, exinde in vos benevolentiam noſtram hoc itidem ,, locupletiſſimo litterarum noſtrarum teſtimonio ,, palam fieri, majoribus etiam in dies argumentis ,, vobis præclarius conſtitutam; ac ſimul vos dile- ,, cti Filii noſtri, & venerabiles Fratres, ac cæte- ,, ros quoſcumque regni iſtius Epiſcopos hortamur ,, quam vehementer in viſceribus Chriſti Jeſu, ut ,, ſtudio, & conatu prorſus unanimi conſpirantes in ,, Domino in id ſedulo operam detis, quod oppor- ,, tunius, validiuſque contulerit ad executionem ,, ſtabiliendam, ac firmandum penitus uſum ejuſ- ,, dem noſtræ Conſtitutionis, noſtri itidem Decre- ,, ti, quo ſanctionem ipſam neceſſario conſequen- ,, te, die 23. Aprilis anni 1654. libri quoque de ea ,, re editi damnantur. Id vero ſi vos una, & con- ,, ſtanter exequimini, piæ ſollicitudinis zelum, quo ,, ſanctæ huic Sedi, ac Nobis egregie obſecuti ha- ,, ctenus eſtis, inſigni profecto meritorum incre- ,, mento cumulabitis; ac ſponte propenſam in vos ,, Pontificiam voluntatem excitabitis majorem in ,, modum ad benevolentiſſimos erga vos ſenſus A- ,, poſtolicæ charitatis, qua interim vobis ex animo ,, benedicimus. Datum Romæ apud Sanctam Ma- ,, riam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die 29. Se- ,, ptembris 1654. Pontificatus Noſtri Anno decimo.

Epiſtola Epiſcoporum Galliæ ad Alexandrum VII., *cui ſubſcripſere fere* LXX. *ex Primo*, *&* *Secundo Ordine, data die* 2. *Septemb.* 1656.

,, SAnctiſſime Pater. Non obſcura ſunt &c. Pro- ,, mulgatum a Gallicanis Epiſcopis Decretum ,, ſtudioſe amplexi ſunt fideles populi demptis pau- ,, ci., *qui de Janſenii doctrina nihil conſtitutum* ,, *fuiſſe palam cum ſimularent*, internis animorum ,, ſenſibus ex illius damnatione urebantur. Horum ,, cavillationes ſine mora comprimendas rati, judi- ,, cio ſuo decreverunt Religioſiſſimi Epiſcopi, quin- ,, que Propoſitiones illas ad Janſenium pertinere, ,, ejuſque opiniones fuiſſe proſcriptas. Quam ſuam ,, Sententiam cum retuliſſent ad eundem Pontific. ,, Max. illam humaniſſimi verbis non ſolum proba- ,, vit, ſed auctoritatis Apoſtolicæ pondere de inte- ,, gro confirmavit &c. Novæ Sectæ Diſcipuli.... ut a ,, capitibus ſuis fulminis Apoſtolici amoliantur ictum ,, (licet obfirmato animo V. Propoſitiones Janſe- ,, nio iterum abjudicent) *ad facti quæſtionem in* ,, *qua Eccleſiam falli poſſe docent*, controverſiam ,, deducere nituntur. Quas ingeniorum verſutias ,, vera prudentique verborum complexione infregit ,, Breve Apoſtolicum; quod tricis illis ſyllabarum ,, ad umbratiles ſcholarum diſputationes relegatis, ,, deciſioniſque auctoritate ad Juris quæſtionem re- ,, ſtricta, doctrinam Janſenii, quam opere ſuo illo ,, explicuit, in Propoſitionum confixarum materia, ,, Pontificia Conſtitutione damnatam fuiſſe decla- ,, rat. At enim ut ſe damnationi ſubducant cele- ,, berrimum B. Auguſtini nomen obtendunt, ejus ,, doctrinæ ſe profitentur eſſe ſectatores, repudiato ,, etiam, ſi res eorum ita ferant, ipſo Janſenio. ,, Hujus tamen pravas, & detortas, quas ad Do- ,, ctoris egregii locos adhibent, interpretationes ,, amplectuntur &c.

Reſponſum Alexandri VII. *fuit Bulla*, *quæ ſequitur data* 1656.

Alexander Epiſcopus Univerſis Chriſtifidelibus.

,, AD ſacram Beati Petri ſedem, & univerſalis ,, Eccleſiæ regimen inſcrutabili Divinæ Provi- ,, dentiæ diſpoſitione nullis noſtris ſuffragantibus ,, meritis evecti, nihil nobis antiquius ex muneris ,, noſtri debito eſſe duximus, quam ut ſanctæ fidei ,, noſtræ, ac ſacrorum dogmatum integritati, tra- ,, dita nobis a Deo poteſtate opportune conſulere- ,, mus.

,, Ac licet ea, quæ Apoſtolicis Conſtitutionibus ,, abunde fuerunt definita, novæ deciſionis, ſeu de- ,, clarationis acceſſione nequaquam indigeant, quia ,, tamen aliqui publicæ tranquillitatis perturbatores ,, illa in dubium revocare, vel ſubdolis interpreta- ,, tionibus labefactare non verentur, ne morbus iſte ,, latius divagetur, promptum Apoſtolicæ auctori- ,, tatis remedium cenſuimus non eſſe differendum. ,, Emanavit ſiquidem alias a fel. recordationis In- ,, nocentio PP. X. Prædeceſſore Noſtro Conſtitutio, ,, declaratio & definitio, tenoris qui ſequitur, vi- ,, delicet. *Sequitur Bulla Innocenti* X. *ſuperius rela-* ,, *ta: Iterum Alexander* VII.

,, CUm autem, ſicut accepimus, nonnulli ini- ,, quitatis Filii prædictas quinque Propoſitiones, ,, vel in libro prædicto ejuſdem Cornelii Janſenii ,, non reperiri, ſed fictas, & pro arbitrio compoſi- ,, tas eſſe, vel non in ſenſu ab eodem intento da- ,, mnatas fuiſſe aſſerere magno cum Chriſti Fide- ,, lium ſcandalo non reformident: Nos qui omnia, ,, quæ hac in re geſta ſunt ſufficienter, & attente ,, perſpeximus, utpote, qui ejuſdem Innocentii ,, Prædeceſſoris juſſu, dum adhuc in minoribus con- ,, ſtituti Cardinalatus munere fungeremur, omnibus ,, illis congreſſibus interfuimus, in quibus Apoſto- ,, lica auctoritate eadem cauſa diſcuſſa eſt, ea pro- ,, fecto diligentia, qua major deſiderari non poſſit, ,, quamcumque dubitationem ſuper præmiſſis in po- ,, ſterum auferre volentes, ut omnes Chriſti Fide- ,, les in ejuſdem fidei unitate ſeſe contineant, ex ,, debito noſtri Paſtoralis officii, ac matura delibe- ,, ratione præinſertam Innocentii Prædeceſſoris no- ,, ſtri Conſtitutionem, declarationem & definitio- ,, nem harum ſerie confirmamus, approbamus & ,, innovamus; & quinque illas Propoſitiones ex li- ,, bro præmemorati Cornelii Janſenii Epiſcopi Y- ,, prenſis, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas, ac in ,, ſenſu ab eodem Cornelio intento damnatas fuiſſe ,, declaramus, & definimus; & uti tales, inuſta ſci- ,, licet eadem ſingulis nota, quæ in prædicta decla- ,, ratione, & definitione, unicuique illarum ſigil- ,, latim inuritur, iterum damnamus.

,, Ac eundem librum ſæpedicti Cornelii Janſenii, ,, cui titulus *Auguſtinus*, omneſque alios tam ma- ,, nuſcriptos, quam typis editos, & ſi quos forſan in ,, poſterum edi contigerit, in quibus prædicta Cor- ,, nelii Janſenii doctrina, ut ſupra damnata defen- ,, ditur, vel aſtruitur, aut defendetur, vel aſtrue- ,, tur, damnamus itidem atque prohibemus. Man- ,, dantes omnibus Chriſti Fidelibus, ne prædictam ,, doctrinam teneant, prædicent, doceant, verbo vel

,, ſcri-

„ scripto exponant, vel interpretentur publice vel „ privatim, palam vel occulte imprimant, sub pęnis, & censuris contra Hæreticos in jure expressis „ ipso facto, absque alia declaratione incurrendis. „ Præcipimus igitur omnibus Venerabilibus Fratribus nostris, Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis, Episcopis, cæterisque „ locorum Ordinariis, ac Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, & Judicibus Ecclesiasticis, ad quos „ pertinet, ut præinsertam Innocentii Prædecessoris „ Constitutionem, declarationem, & definitionem, „ juxta præsentem nostram determinationem ab omnibus observari faciant, ac inobedientes, & rebelles prædictis pęnis, aliisque Juris, & Facti remediis, invocato etiam, si opus fuerit, brachii „ Sæcularis auxilio, omnino coerceant. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo sexto, decimo septimo Kal. Nov. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Formularium, quod Episcopi Galliæ ab anno 1657. præcepere, ut ab Ecclesiasticis Sæcularibus, ac Regularibus subscriberetur, de quo idem præcepit Rex Christianissimus 29. Apr. 1664.

„ EGo me subjicio sincero animo Constit. PP. Innocentii X. die 31. Maji 1653. juxta verum „ sensum, qui determinatus est per Constitutionem „ Nostri S. Patris Alexandri Papæ VII. die 16. Octob. 1656. Agnosco me in conscientia obligari ad „ obediendum his Constitutionibus: * Et corde, & „ ore damno doctrinam V. Propositionum Cornelii „ Jansenii contentas in Libro, cui titulus *Augustinus*, quas hi duo Pontifices, & Episcopi damnarunt: Quæ doctrina non est Sancti Augustini quem „ Jansenius male explicavit contra verum sensum „ Sancti hujus Doctoris.

„ AT VERO MAGNI VICARII *Archiepiscopi Parisiensis literis datis ad Archi-Diœcesim 8. Jun. 1661. hæc inseruerant*. Et quamvis non aliud ageretur tempore Innocentii X., quam ut sciretur, num dictæ (quinque) Propositiones essent „ verę, & Catholicę, an falsę, & Hęreticę, iis autem damnatis ab eo Pontifice, ut Hęreticis, nihil aliude optandum superesset, nihilominus excitata est alia quęstio Facti, assertumque est eas „ Propositiones non esse Cornelii Jansenii Episcopi „ Yprensis, neque damnatas in sensu hujus auctoris .... quod rationem prębuit Alexandro VII. „ pronunciandi super hac quęstione sua Bulla 16. „ Octob. 1656.: *Deinde mentione facta Formularii per Episcopos Galliæ constituti, quod supra dedimus Nos*, inquiunt, jubemus, & injungimus, ut, „ quod attinet ad ea, quę Facti sunt, & per eas „ Constitutiones sunt definita, & continentur in dicto Formulario, omnes utantur obsequio integro, „ & sincero, quod debetur iis Constitutionibus, quin „ concionentur, scribant, & disputent in contrarium &c.

Contra quod OBSEQUIOSUM SILENTIUM *emanavit in Magnos Vicarios Parisienses Breve Alexandri* VII. 1. *Aug.* 1661., *ut sequitur*.

„ DIlecti Filii, Salutem & Apostolicam benedictionem. Non sine magna profecto admiratione, justo animi dolore; quo paterna viscera „ commoveantur, publicatum vestro nomine die 5. „ Junii anni hujus, Edictum perlegimus. In quo „ sane in primis *non minus temeraria, quam mendaci narratione*, profertur tempore felicis recordat. Innocentii X. non aliud actum fuisse, quam inquisitum, an Propositiones illæ „ quinque de gratia veræ, & Catholicæ, an potius falsæ, & Hæreticæ censendæ forent. Cum eo „ plane tempore nedum de Propositionibus ipsis cognitio habita fuerit, verum quod e Jansenii libro „ *Augustinus* nuncupato extractæ essent, & ita in „ sensu ab eodem Jansenio intellectæ damnatæ: ut „ nos ipsi Constitutione nostra 17. Kal. Nov. 1656. „ luculenter expresse declaravimus, quod cum *adeo falsum patensque mendacium in re tali asserere minime veritis sitis*, ubique malorum zizaniorum „ in agro Dominico seminatores, Ecclesiæ Catholicæ Perturbatores, & quod in vobis est Authores „ turpissimi Schismatis esse deprehendimini. Porro „ autem etsi protervia in vobis dignoscitur, cavillationibus subdolis, & circuitibus obviam eundi „ Ecclesiæ definitionibus, quibus etiam totius Franciæ Episcoporum, & Prælatorum obsequium, & „ zelus, & Christianissimi Regis pietas tam anxie „ præsto est; Nos tamen Pontificiæ charitatis mansuetudine, nondum sæva via procedere, sed paterna clementia potius uti volumus, sperantes nimirum fore, ut universalis Pastoris vocem audituri „ saltem sitis; & suis litteris acceptis Edictum statim abrogaturi, ne S. hujus Sedis indignationem, „ & auctoritatis vim experiamini; memores verborum Dei: *omnis qui ceciderit supra illum lapidem conquassabitur, supra quem ceciderit comminuet illum*. „ Cęterum vobis, ut bene agere velitis intellectum, „ & resipiscentiæ Spiritum a Domino precamur. „ Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris 1. Augusti 1661. Pontificatus Nostri „ Anno septimo.

„ * QUINQUE ARTICULI, *quos in quæstione Facti DD. de la Lane, & Girard Jansenistarum Deputati subsignarunt die 24. Sept. 1663., & Conventui Episcoporum Galliæ exhibuere, qui eos Articulos improbarunt die 2. Octob. 1663.*

„ ARTICULUS I. Declaramus nos damnare, & rejicere sincero animo quinque Propositiones damnatas a Summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII.

„ ARTICULUS II. Nos nolle ullo unquam tempore propugnare easdem Propositiones, sub prætextu „ cujuscumque sensus, & interpretationis.

„ ARTICULUS III. Nos nihil aliud sentire in materia quinque Propositionum, quam quæ continentur in iis quinque Articulis (*Doctrinalibus supra recensitis*) qui transmissi sunt ad Pontificem nostro „ nomine, quosque nos subjecimus ipsius Judicio, „ eosdemque placuisse Summo Pontifici ostendere „ videntur nonnulla verba postremi Brevis Apostolici. *Sed æquivocationem Jansenistarum præclare detegit P. la Fontaine in Prolegomenis Constit. Unigen. Theolog. Propug. cap.* 8.

„ ARTICULUS IV. Quod spectat ad Decisiones facti, quæ continetur in Constitutione Alexandri VII., quibus definitum est quinque „ Propositiones ex Jansenii libros exceptas esse, & in

---

* Vide Recueil des Bulles &c. p. 71., & p. 107. ** Vide Recueil des Bulles &c. pag. 203.

„ & in ſenſu ab eodem Authore intento damnatas, „ declaramus Nos eas definitiones omni cultu, obſe- „ quio, & obſervantia, quam exigit a Fidelibus Ec- „ cleſia in ſimilibus cauſis, & in hujuſmodi naturæ „ rebus, proſequi, & ſemper eſſe proſequuturos, ar- „ bitrati ad privatos Theologos non pertinere in „ Sanctæ Sedis Deciſiones inſurgere, eas oppugnare, „ vel eis reſiſtere.

„ ARTICULUS V. Nos omnino decreviſſe abſtinere „ ab iis, quæ denuo excitare hujuſmodi diſſidia poſ- „ ſint, a quibus plurimum dolemus Eccleſiæ pacem „ tot ab hinc annos turbari.

„ *Epiſtola Epiſcoporum Pariſiis Congregatorum die* „ 2. *Octobr.* 1663. *ad Alexandrum* VII.

„ ALexandro VII. Pontifice Maximo. *Beatiſſime* „ *Pater*: Ubi primum &c. ſubinde Rex Chri- „ ſtianiſſimus juſſit convenire Cardinales Archiepiſco- „ pos, & Epiſcopos, qui tunc aderant in Aula Re- „ gia, coram queis Sanctitatis Veſtræ Breve, ac Jan- „ ſeniſtarum illud ſcriptum legeretur, ut eo diligen- „ ter perpenſo, & excuſſo, conſtaret an id proban- „ dæ eorum Fidei ſufficeret. Iis itaque 2. hujus men- „ ſis die Lutetiæ congregatis primum Sanctitatis Ve- „ ſtræ Breve perlectum, ac ſummo honore ſuſceptum „ eſt &c. Deinde vero productum eſt Janſeniſtarum „ illud ſcriptum, in quinque diviſum Articulos (*Fa-* „ *cti nimirum Articulos, quos ſecernere oportet ab Ar-* „ *ticulis Juris*) cujus tenorem integrum ad Sancti- „ tatem Veſtram mittimus. Quartum hic dumtaxat „ Articulum referimus, utpote quo præcipuam offen- „ ſionis cauſam contineri Nos arbitramur, illi cumulate „ ſuo, tum officio, tum erga Sanctitatem Veſtram ob- „ ſequio ſe ſatisfacere afferant. An res ita ſe habeat „ judicet Sanctitas Veſtra ex his eorum verbis e „ Gallico idiomate in latinum ſermonem converſis. „ *Sequitur Artic.* 4., *cujus tenor paulo ſupra relatus* „ *eſt pag.* 141.

„ Mirifica noſtrum omnium, quotquot aderamus, „ in his verbis reprehendendis extitit conſenſio. Viſa „ ſunt enim ſubdola, ſimulatum duntaxat obſequium „ præſeferentia, mente verſipelli, & callida concin- „ nata, eoque perículoſiora, quod Formulæ, ideo in „ conventibus noſtris inſtitutæ, ut V. S. Conſtitu- „ tioni debita reverentia magis, ac magis ſancire- „ tur, uniformitatem diſſolvant, & evertant. Iſtud „ itaque Scriptum rejiciendum cenſuimus tanquam „ fictum, & nullatenus Catholicum, neceſſumque „ eſſe duximus, ut mentem apertius exponant, ex- „ primantque luculentius implicatas animi cogitatio- „ nes, cum ex eorum ſcriptis, & ſermonibus li- „ quido conſtet eos in id juxta incumbere, ut ob- „ ſequium ſilentio duntaxat, non vero mutata ſen- „ tentia, & doctrina ſignificent. His ita S. V. expo- „ ſitis, prout poſtulat noſtra communis erga eam „ officii ratio, ſupereſt ut ei confirmemus nihil quid- „ quam in omni vita nobis antiquius, neque tam fi- „ xum unquam fore, quam ut ſedulo cure- „ mus, ut Conſtitutiones Apoſtolicas, & Beatitudi- „ nis Veſtræ Breve recens ad nos datum; omnes ſe- „ rio exequantur; præſertim cum in eo toti ſint Jan- „ ſeniſtæ, ne quinque Propoſitiones e Cornelii Jan- „ ſenii libris excerptas, & in ſenſu ab eodem Au- „ thore intento damnatas, ſincero animo rejiciant, „ & damnent, parati alias ad omne obſequium er- „ ga Sanctam Sedem Apoſtolicam, dummodo illius „ Authoris doctrinam, ut orthodoxam non anathe- „ matizent. Porro eorum pertinaciam nos facilius „ fracturos confidimus, quod & S. V. ſua Auctori- „ tate deliberationis noſtræ, quæ tota quanta eſt in „ Apoſtolica fundatur Conſtitutione, executioni ſem- „ per præſto ſit futura, & regem etiam Chriſtianiſ- „ ſimum habemus ejus rei non modo adjutorem, ſed „ & authorem, & acerrimum defenſorem; cujus ſa- „ ne pietas S. V. manifeſta, & in nuperrimo ejus „ Brevi honorifice teſtata, ea eſt, ut in Religionis, „ & Sanctæ Sedis tuendæ ſtudio numquam pares illi „ Principes habitura ſit Eccleſia. Quæ cum ita ſint, „ Beatiſſime Pater, nihil nobis reliquum eſt, quam „ ut Benedictionem Apoſtolicam ſupplices flagitemus, „ & annos Beatitudini Veſtræ longævos enixe prece- „ mur, ut Petri navis Janſenianæ Hæreſeos procel- „ lis jactata vehementius, in portu tandem ejus du- „ ctu feliciter conquieſcat. Ita ex animo vovent &c.

At quoniam Janſeniſtæ conquerebantur ſecum vio-lenter agi, ac neque Epiſcoporum, neque Regia aucto-ritate ſibi hujuſmodi Formularium præſcribi poſſe, ab Epiſcopis rogatus Alexander VII. edidit Bullam, quæ ſequitur, cum Formulario Alexandrino.

„ ALexander Epiſcopus Servus Servorum Dei, „ ad perpetuam rei memoriam. Regiminis Apo- „ ſtolici Divina Providentia nobis quamvis immeri- „ tis commiſſi ratio poſtulat, ut ad ea potiſſimum, „ quæ Catholicæ Religionis integritati, & propaga- „ tioni animarumque ſaluti, & Fidelium tranquil- „ litati conſulere apta, & idonea eſſe judicantur, „ animum, & curam omnem quantamlibet in Do- „ mino applicemus. Quamobrem Cornelii Janſenii „ Hæreſim, in Galliis præſertim ſerpentem, ab In- „ nocentio X. felicis recordationis Prædeceſſore no- „ ſtro fere oppreſſam, adinſtar colubri tortuoſi, „ cujus caput attritum eſt, in varios gyros, & ca- „ villationum deflexus euntem, ſingulari Conſtitu- „ tione ad hunc finem edita, altero aſſumptionis „ noſtræ anno extinguere conati fuimus. Sed ut ho- „ ſtis hominum multiplicis generis artes adhibet, „ nondum plene conſequi potuimus, ut omnes er- „ rantes in viam ſalutis redirent; qui tamen unicus „ erat votorum, & curarum noſtrarum ſcopus, qui- „ bus operam, & induſtriam ſuam egregio ſane ſtu- „ dio Venerabiles Fratres noſtri Archiepiſcopi Gal- „ liæ earumdem Conſtitutionum Apoſtolicarum exe- „ cutioni præcipue intenti contulerunt, & cariſſi- „ mus in Chriſto Filius Noſter Rex Chriſtianiſſimus, „ ſingulari pietate auxiliarem dexteram ſtrenue, ac „ conſtantiſſimo animo porrexit. Cum autem præ- „ fatus Rex Chriſtianiſſimus eodem Religionis ze- „ lo ductus, per ſuum in Urbe Oratorem nobis ſi- „ gnificari exponique curaverit, nullum aliud re- „ medium opportunius peſtiferæ hujus contagionis „ reliquiis extirpandis adhiberi poſſe, quam ſi omnes „ certam formulam ſubſcriberent noſtra auctoritate „ firmatam, in qua quinque Propoſitiones ex Cornelii „ Janſenii libro, cui titulus *Auguſtinus*, excerptas „ ſincere damnarent, ac proinde illam a nobis quanto „ citius expediri, ad quælibet effugia præcludenda, „ omneſque removendos obtentus flagitaverit. Nos „ tam piis dicti Regis Chriſtianiſſimi votis benigne „ annuendum eſſe ducentes, Formulam infraſcri- „ ptam ab omnibus Eccleſiaſticis etiam Venerabili- „ bus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, „ nec non aliis quibuſcumque Eccleſiaſtici ordinis, „ tam Regularibus, quam Sæcularibus, etiam Mo-

„ nia-

" nialibus, Doctoribus, & Licentiatis, aliisque Collegiorum Rectoribus, atque Magistris subscribi districte mandamus, idque intra tres menses a die publicationis, seu notificationis præsentium; Alias contra eos, qui intra terminum præfatum non paruerint, irremissibiliter procedi volumus juxta Canonicas Constitutiones, & Conciliorum Decreta.

Formula a supradictis subscribenda.

" EGo N. Constitutioni Apostolicæ Innocentii X. datæ die 31. Maji 1653., & Constitutioni Alexandri VII. datæ 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen *Augustinus*, excerptas, & in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

" Decernentes insuper &c. Datum Romæ &c. 1665. 15. Kal. Mart. Pontif. Anno decimo. *Huic Bullæ* Rex Galliarum Edictum suum addidit mense Aprilis 1665., quod habes Recueil Historiq. &c. pag. 227.

IV.

Monumenta, quæ spectant ad Jansenistarum Doctrinam DE SILENTIO OBSEQUIOSO præstando Bullis Pontificiis, in quantum damnant quinque Propositiones in sensu Jansenii: Ad dolosam subscriptionem Formularii Alexandrini per 4. Galliarum Episcopos, Arnaldum, & alios, qua subscriptione extorsere eam, quam vocant Pacem Clementis IX., *quamque falso ajunt confirmatam duobus Brevibus Innocentii XII.*

" P*Ostquam Ecclesia declaravit non modo damnatas fuisse quinque Jansenii Propositiones, sed etiam damnatas* in sensu Jansenii, *sive non solum eas Propositiones esse Hæreticas, sed Jansenii librum eas Hæreses continere, quod secundum Jansenistæ negabant, docuere illi, satisfieri Bullis Pontificiis externo* obsequioso silentio, *absque interno assensu.*

" Hoc docuerunt jam Magni Vicarii Parisienses in suo, ut ajunt, *Mandement* an. 1661., quos redarguit *Alexander VII., & ad Palinodiam adegit, favente Rege Christianissimo* (Vide Recueil Historique des Bulles &c. p. 174., & seq.) *Hanc Doctrinam majori pervicacia propugnarunt post præscriptum Formularium Alexandrinum.*

" *Ad hæc, aliaque adnexa faciunt Monumenta, quæ sequuntur.*

Decretum *Sacræ Congregationis &c. ubique publicandum.*

" SAcræ Indicis Congregationis Decreto damnati, & prohibiti, ac respective suspensi fuerunt infra scripti omnes libri, ubicumque, & quocumque idiomate impressi, imprimendive. Nemo cujuscumque gradus, & conditionis, eos imposterum vel imprimat, vel legat, vel retineat. Si quis interim habuerit, Inquisitoribus, seu locorum Ordinariis, a præsentis Decreti notitia tradat; sub pœnis in Indice librorum prohibitorum contentis.

" Mandement de Monseigneur l'Evesque Comte d'Aleth sur la signature du Formulaire.

" Mandement de Monseigneur l'Evesque Comte de Beauvais sur la signature du Formulaire.

" Mandement de Monseigneur l'Evesque d'Angers, sur la signature du Formulaire.

" Mandement de Monseigneur l'Evesque de Pamiers, sur la signature du Formulaire.

" Memoire sur la Cause des quatre Evesques, qui ont distingué le Fait du Droit.

" Second Memoire contenant la Réponse aux raisons politiques, que le P. Annat allegue, pour porter à poursuivre les Evêques, qui ont distingué le Droit, & le Fait.

" Troisiéme Memoire contenant les Reflexions sur le Memoire presenté de la part de Sa Majesté à ceux, qu'elle a fait consulter touchant l'affaire des Mandemens.

" Quatriéme Memoire sur l'iniquité, & les pernicieuses Consequences de la conduite, que les Jesuites inspirent au Pape, pour tourmenter les Evêques, qui ont distingué le Fait, & le Droit.

" Cinquiéme Memoire sur le Droit, qu'ont les Evêques de n'être jugez, que par 12. Evêques de leur Province, maintenu par l'Assemblée Generale du Clergé de France dès l'annee 1650., & confirmeé par la Declaration du Roy de 1663. sur les Articles de Sorbonne verifiés dans tous les Parlemens.

" In quarum fidem &c. Romæ in Palatio Apostolico Quirinali 18. Jan. 1667.

" *Siquidem, cum Jansenistæ se declarassent contra Formularii subscriptionem, aliqui Episcopi, ac præcipue memorati Alethensis, Bellovacensis, Andegavensis, & Apamiensis in suis Pastoralibus literis apposuerant quasdam restrictiones subscriptioni Formularii, prætextu explicandi intentionem Summi Pontificis; hoc Alexandro VII. valde displicuit; ut testatur Decretum, quod recitatum est.*

" *Displicuit etiam Regi Galliarum, quæ cum aliis multis ad hoc negotium intelligendum apprime utilibus ostendit subsequens Monumentum.*

Excerptum ex Relatione Card. Jacobi *Rospigliosi in dissidio Jansenistico.*

" * POrro Christianissimus Rex quatuor Episcoporum obstinatione animadversa supplicibus literis a Pontifice petiit, ut eorum contumaciæ causam delectis duodecim Episcopis committeret. In hac propositione nihil non probatur Pontifici præter duodenarium numerum. Eo nempe Decreto videbatur privilegium sanciri, quod illius Regni Antistites vendicabant, ne quisquam eorum apud minorem judicum numerum causam dicere cogatur. Quod tametsi veterum quorumdam Canonum auctoritate nitatur, ita tamen vim obtinet, si Episcopus ad Metropolitanum deferatur, non autem si apud Pontificem nullis hujusmodi legibus subditum accusetur.

" Ne

* Vide Recueil Histor. des Bulles &c. p. 255.

„ Ne tamen nihil Regi videretur concedere, novem Regni Episcopis propositæ causæ cognitionem libenter se permissurum respondit. Sed dum difficultates ratione numeri exortæ expediuntur, dumque judicium delectus habetur (multi quippe in suspicionem sive Jansenianorum, sive Jansenianis faventium vocabantur) has inter dilationes, & moras, quæ perpetuum triennium tenuerunt, nacti sunt quatuor Episcopi commoditatem, & locum suas partes firmandi

„ Interim vita functo Alexandro VII. interpellata est delegatio, donec sublectus in D. Petri Sedem Clementis IX. nomine Card. *Julius* Rospigliosus eam confirmavit, Nuntiumque destinavit in Galliam Illustrissimum D. Bargellinum Thebarum Archiepiscopum, qui egregie gnavum, & strenuum in formulæ subscriptione promovenda se præbuit, necnon a Christianissimo Rege certa quædam impetravit decreta, quæ speciem quidem præseferent irrogatæ Episcopis contumacibus pœnæ: revera tamen eo unice tenderent, ut salubri iidem terrore ad debitam Pontifici obedientiam præstandam adigerentur.

Ratio autem supersedendi Episcoporum damnationi ea erat, ne turbæ inde majores existerent. „ Neque Romæ non cognitum est, quot quamque perplexæ difficultates ei consilio se opponerent: Cum contumacium factio maximis aucta, & subnixa viribus esset, Regiorum Ministrorum favore, & Principum ex Regnatrice Domo fœminarum patrocinio sibi conciliato, adductisque in suas partes plerisque Sorbonæ Doctoribus, Regni Curiis, necnon etiam Religiosis hominibus. Adeo ut illius suasu impulsuque, unde viginti Episcopi tacita cum aliis viginti conspiratione inita, ad Clementem IX. Epistolam dederint, quæ incipit. *Cum exordio Pontificatus vestri*, qua quatuor Episcoporum sententiæ se adhærere his verbis professi sunt: *ita sentire si criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrum, imo totius Ecclesiæ crimen fuerit*.

„ Perspectis hisce difficultatibus Nuntius, observataque præterea minus prompta Delegatorum voluntate atque opera, de omnibus Romam ad Secretioris Concilii Senatum litteras dedit, innuens iisdem, si remissa Episcopis Mandatorum retractatione, ad subscribendum solummodo Formulæ ab Alexandro VII. propositæ adigerentur, a Domino Lyoneo spem ostendi rei e sententia componendæ.

„ Jussus propterea, posthabito retractationis Consilio, in hanc curam duntaxat nervos omnes ingenii, industriæque contendere, rem, quo decebat studio, est aggressus, Laudunensis Episcopi, nunc Cardinalis Estræi opera adhibita; qui quod nihil commercii cum contumacibus habuisset, Catalaunensi Episcopo suas partes commendavit. Nec diu morati sunt contumaces dare, concepto ex formula jurejurando, adnisique, ut a Diœcesium suarum Ecclesiasticis conciperetur: cujus submissionis suæ testes ad Pontificem Literas dederunt VI. Kal. Octobr. 1668.

„ Vix dum hac a quatuor Episcopis significatione exhibita, fuere in Gallia, qui eam non bona fide, sinceroque animo editam arguerent. Quo rumore permotus Pontifex, petiit expressitque ab iisdem novam testificationem eorum autographo, signoque firmatam, & publici præterea Libellionis scripto munitam, qua fidem facerent sincere se prorsus, & ad sensum in Constitutionibus Innocentii X., & Alexandri VII. expressum Formulæ subscripsisse, utque eidem subscriberetur, curasse.

„ Sed ab hac etiam nova sinceri obsequii declaratione rumor ferebat verbalibus Diœcesanæ Synodi actis nonnullas ab iisdem sententias insertas fuisse cum sinceritate prædicta pugnantes, & constitutioni nominatim Alexandri VII. contrarias, cui ipsi nunquam reclamare destitissent (*erano stati sempre pertinacissimi*).

„ Galliam primo, tum Romam quoque pervasit opinio variis scriptis vulgata, quatuor Episcopos in verbalibus Synodi actis, asseruisse a Summo Pontifice Hæresis notam inuri non posse quinque propositionibus in sensu Jansenii.

„ Accepto hujusmodi rumore retardatus est Pontifex, ne statim quatuor Episcopis rescriberet, deque eorum sibi obsequio constare profiteretur; sed Nuntium interim jussit in rei veritatem non acriter magis, quam dissimulanter inquirere. Occurrebant hinc siquidem gravissima discrimina, quæ tum Sedis Apostolicæ auctoritati, tum Ecclesiæ quieti, & fidei unitati impenderent, nisi juramento ab Episcopis in Formulæ verba (optima ut ipsi prædicabant fide), concepto acquiesceret; ex alia vero parte, cum jactatam ab eis in hac parte sinceritatem tam publica & constans fama oppugnaret, exploranda certius veritas videbatur.

„ Quocirca arcani Consilii sui litteris admoneri Nuntium curavit; ut tanquam aliud agens omnibus rem vestigiis indagaret: quæquæ vera comperisset distinctam eorum, accuratamque notitiam pari dissimulatione transmitteret.

„ Curæ erat in summa Pontifici rite cognoscere, quid tandem continerent declarationes illæ Actis verbalibus additæ. Si enim nihil ibi affirmatum fuisset præter quam posse Pontificem falli in Quæstionibus de facto, prout supra n. 153. explicavimus, prudenti rem dissimulatione supprimendam existimabat; sin vero asseruissent Episcopi, nolle se pro Hæreticis agnoscere quinque Propositiones in sensu Jansenii, quemadmodum ab Apostolica Sede fuerant damanatæ; id sane nullatenus ferre, neque in re tanti momenti quidquam connivere, quinimmo acerrime obviam ire statuerat.

„ Hæc mandata Pontificis, pro eo ac par erat, accurate, & fideliter exequenda Nuntius suscepit; quidque Actis illis verbalibus contineretur, ex Episcopi Catalaunensis relatu cognovit. Summa porro testificationis illius hæc erat: Quod ad Pontificiam de Facto sententiam pertineret, videri eam Episcopis cum reverentia excipiendam, sed intra eos fines, quos in ejusmodi causis Cardinales Baronius, Bellarminus, Richelius, Palavicinus, & PP. Sirmundus, & Petavius determinant, nimirum ne quid pronuncietur, scribatur, doceaturve ipsi contrarium. De Formula vero eosdem profiteri, sinceritate & fide, quę esse maxima posset ei se subscripsisse; & quinque Propositiones tum damnavisse, tum damnandas curasse sine ulla exceptione aut limitatione, in quolibet sensu, in quo ab Ecclesia damnatę fuissent.

„ His igitur, quæ de Formula, deque Propositionibus Episcopi testabantur, permotus Pontifex aliam sibi partem dissimulandam putavit, in qua tametsi Pontificias de facto sententias pro fidei Divinæ Articulis recipere abnuerent, obsequium iis tamen, venerationemque deferebant ex forma a

„ sex

„ sex supra nominatis Doctoribus præscripta, quæ „ nihil de Apostolicæ Sedis authoritate decerperet.

„ Jussit itaque Sanctissimus Pater a Secretioris Con- „ silii sui Curia ad Nuntium literas dari XIII. Kal. „ Feb. 1669. in hanc sententiam conceptas: Videri „ Pontifici, ex declaratione Episcopi Catalaunensis, „ dicti etiam Arnaldi nomine adscripto, necnon Se- „ nonensis Archiepiscopi authoritate firmata, ex le- „ gitima fide, quam quatuor Episcopi fecerant Nun- „ tio, suæ in sancienda adjectis nominibus Formula „ sinceritatis; æque luculentis D. Lyonæi, Archie- „ piscopi Rothomagensis, aliorumque testimoniis „ argumentum conflari longe usquequaque validius „ contrario quovis rumore, quem de verbalibus A- „ ctis incerti libelli, & privatæ dissipaveram literæ. „ Quapropter tum Regiæ vocis pondere subnixum, „ tum prædictorum auctorum perquam gravibus, & „ repetitis testificationibus inductum non potuisse „ jam diutius ambigere de plena Episcoporum obe- „ dientia, & sincero in admittenda Formula animo, „ eosque ideo in suam gratiam restituendos duxisse.

In hac Relatione plura indicantur Monumenta, quæ subjiciemus.

„ I. Epistola XIX. Episcoporum ad Clem. IX. in „ favorem IV. Contumacium Episcoporum, quas de- „ dere *tacita cum aliis* XX. *conspiratione*, ut ait Re- „ latio.

„ II. Epistola IV. Episcoporum ad Clementem IX., „ qua se sincere subscripsisse Formulario Alexandrino „ asserunt itemque.

„ III. Alia Epistola Episcopi Laudunensis, deinde „ Cardinalis d'Estrée, qua a IV. Episcopis dece- „ ptus, de sincera subscriptione apud Pontificem te- „ statur.

„ IV. Acta verbalia, seu Processus, ut Galli ajunt, „ Verbalis, eorumdemmet IV. Episcoporum subscri- „ bentium, in quo subscripsere, sed subscriptione *re- „ stricta, & limitata* juxta Jansenistarum distinctio- „ nem Facti a Jure, quamvis in literis ad Clem. IX. „ Pontificem circumvenirent, de sua sincera subscri- „ ptione testarentur, quod insigne exemplum est frau- „ dis, ac fallaciæ Jansenianę.

„ *Quoniam vero Quesnellus Libro, quem inscripsit* „ La Paix de Clem. IX. p. 142. II. Recueil, *ait quod* „ IV. Episcopi optima fide egerunt, & si qua in re „ defecere, id fuit nimio amore erga veritatem Chri- „ stianam, Pontificem optime cognovisse contenta in „ Processu verbali, *ut tam gravis in S. Sedem ca- „ lumnia magno Jansenistarum plausu excepta dilua- „ tur, idcirco dabimus*:

V. „ *Breve Clementis IX. ad Regem Galliarum de* „ *subscriptione* IV. *Episcoporum*.

„ VI. *Aliud Breve ad nonnullos Episcopos*.

VII. „ *Aliud ad eosdem* IV. *Subscribentes, ut inde* „ *ex Brevium Apostolicorum lectione constet Clementem* „ IX. *non aliam acceptasse subscriptionem, quam eam,* „ *quam credebat* puram, ac simplicem, & sinceram; „ His Brevibus Apostolicis acceptis tum IV. Epi- „ scopi, tum Arnaldus, tum reliqui Jansenistę, *qui* „ *eodem modo, nempe* non puro, ac simplici *subscripsere,* „ *sese* Pacem cum Clemente IX. *composuisse jactarunt*.

Novendecim Galliæ Antistitum, tacita conspiratione cum aliis XX. Gallicanis Episcopis ad Summum Pontificem Clementem IX. Literæ, quibus defendunt IV. *Contumaces Episcopos detrectantes subscriptionem Formularii Alexandrini, & propugnant distinctionem Jansenistarum Facti a Jure in damnatione Jansenii.*

„ BEATISSIME PATER. Cum exordia Vestri Pon- „ tificatus, quibuscumque possint pręsentis lę- „ titię signis & faustis in futurum votis pro- „ sequi certatim omnes allaborent; Nos quibus satis „ perspectum est, B. V. fastigii sui amplitudinem „ non fluxis honoribus, sed salutaribus pro commis- „ sæ sibi Ecclesiæ utilitate curis, laboribusque meti- „ ri, faciendum duximus, ut præter solemnia gra- „ tulationis officia, & sinceram venerationis nostræ „ significationem, S. V. uberem statim laudum, & „ meritorum materiam ostenderemus. Notissimæ il- „ læ Decessorum vestrorum de quinque Propositio- „ nibus Constitutiones, perinde ab omnibus Galliæ „ Episcopis acceptæ, pari ab ipsis reverentia pro- „ mulgatæ sunt, nec ullis unquam Gallicani Præsu- „ les concedent, ut in Apostolicam Sedem Reli- „ giosiores, quam ipsi sint, & ejus Decretorum ser- „ vantiores. Quod si qui ex Ordine nostro in invi- „ diam vocati sunt, quod eas minime reverenter ha- „ buerint, id facile S. V. postquam totam hanc cau- „ sam penitus cognoverit, præter verum, & æquum „ in illos conferri perspiciet. Impetrabit vel ab ini- „ micis excellens horum quatuor Episcoporum virtus „ hoc testimonium, non alios esse, qui Ordinem „ nostrum magis exornent, & Ecclesiam magis ædi- „ ficent, qui populorum saluti, & commissi sibi gre- „ gis curæ vigilantius incumbant, & qui omnes de- „ nique Episcoporum partes cumulatius expleant. „ At nos illud præterea, & spondere, & confirma- „ re possumus, non minimam ab eis pietatis suæ „ partem in eo poni, ut Apostolicę Sedi ea qua par „ est demissione subsint, ejusque dignitatem debi- „ ta veneratione prosequantur. Quod ergo ab ea „ quidam ipsos in suis de subscriptione Mandatis di- „ scessisse criminantur, alienissima ab ipsis, B. P., „ & inanis suspicio est. Quid enim in illis Manda- „ tis, quod vel a Catholicæ doctrinæ norma, vel a „ Romanæ Sedis reverentia tantillum deflectat? Novum, „ & inauditum apud nos nonnulli dogma protulerunt; „ Ecclesiæ nempe Decretis, quibus quotidiana, nec „ revelata divinitus facta deciduntur, certam, & „ infallibilem constare veritatem, adeoque ipsa non „ minus, quam revelata in Scripturis, & traditione „ dogmata, fide esse tenenda. Hoc vero dogma B. „ P., quod ab omnibus antiquis, recentibusque Theo- „ logis, peræque damnatum est, ex Decessoris Vestri „ Constitutionibus, iidem, qui illud invexerunt, „ temere stabilire nitebantur. Huic malo, ut oc- „ currerent prædicti Episcopi, simul ut quorumdam „ scrupulis mederentur, oppositam huic manifessi- „ mo errori doctrinam, communissimam simul, ac „ certissimam in Mandatis suis exposuerunt, huma- „ na nimirum, nec divinitus revelata facta non o- „ mnimoda, & infallibili certitudine ab Ecclesia de- „ finiri, adeoque in ejusmodi rebus nihil aliud ipsam „ a fidelibus exigere, quam ut sua decreta reveren- „ ter, ut par est, habeant. Quid in hac doctrina; „ B. P., in Romanam Sedem irreligiosum, & inju- rium?

,, rium? imo quid non Religiosum, & Pium? cum ,, non modo a Summis Apostolicæ Sedis Veneratoribus, ejusque acerrimis vindicibus Baronio, Bellarmino, Pallavicino asserta, & tradita sit; sed eo ,, nomine potissimum constabilita, quod eam ad vindicandam Ecclesiæ authoritatem in sanciendis Fidei dogmatibus, & ad Hæreticorum criminationes ,, repellendas pernecessariam judicarint. *Ita sentire, si criminosum existimetur, non hoc proprium ipsorum, sed omnium nostrum, imo totius Ecclesiæ crimen fuerit*. Quin imo non defuerunt, nec pauci, ,, nec postremi nominis Episcopi, qui idem prorsus, ,, quod illi præstiterunt, vel publicis Mandatis tametsi non prælo excusis; vel quod non minus ponderis habet, in publicis Actis, sive Tabulis, in ,, quibus eamdem late doctrinam explicarunt: ,, Plerique alii faciles se Clericis præbuerunt, ,, si quibus fortasse aliquid addere in subscriptione libuit, dummodo rectum, & orthodoxum: Absit igitur B. P., ut credamus Sanctit. Vestram ab Episcopis tanta morum integritate, & ,, tam illibata fidei conspicuis alienam esse, absit, ,, ut eis fides adhibeatur, qui minus caute dissemi- ,, nant Sanctit. Vestram novo, & inusitato modo ,, in eos acturam: remota est hæc suspicio ab Episcopis Gallicanis, quibus solemne est nonnisi canonice judicari, & a Summis Pontificibus semper benignius excipi. Nec dubium nobis est, quin ceteri ,, Fratres nostri idem nobiscum a Sanctitate Vestra ,, cum omni reverentia, & fiducia postulassent, nisi ,, id ipsum ab illa sapienti, quam in te omnes mirantur, providentia expectarent. Hoc illud est B. ,, P., quod Ecclesia Gallicana, tamquam Apostolatui Vestro servatum sperat; hanc perfectam concordiam a Vestra Sapientia omnes deprecantur: ,, ipsa sua sponte coalescere potest: sine labore, sine ,, cujusquam offensione rixæ conticescent; Constitutionum honos apud omnes vigebit; & sub Summo ,, Pastore omnia Ecclesiæ membra idem sapere, idem prædicare conspicies. Hoc vero, cum nec utilius quicquam Ecclesiæ, nec Sanctitati Vestræ gloriosius esse possit, non desistemus, & id ab ejus ,, prudentia sperare, & supplicibus a Deo votis deposcere, ut ad tantum opus perficiendum longam ,, Sanctitati Vestræ Supremi Pontificatus usuram largiatur, ipsamque diutissime ad Ecclesiæ commoda ,, servet incolumen.

SANCTITATIS VESTRÆ B. P.

Datum die I. *Decemb. Anno* 1667.

Humillimi, & Obsequentissimi Filii: *Ludovicus Henricus de Gondrin Archiepiscopus Senonensis. Felix Episcopus, & comes Cabtalaunensis. Franciscus Episcopus Bellonensis. Dominicus Episcopus Meldensis. Franciscus Episcopus Engolismensis. Henricus de Loval Episcopus Rupellensis. Gilbertus Episcopus Convenarum. Bernardus Episcopus Conseranensis. Petrus Joannes Franciscus Episcopus Sancti Pontii Domeriarum. Rogerius Episcopus Lodovensis. Antonius Episcopus Venciensis. Ludovicus Episcopus Mirapicensis. Claudius Episcopus, & comes Aginnensis. Ludovicus Episcopus Santonensis. Carolus Franciscus Episcopus Rhedonensis. Carolus Episcopus Suessionensis. Franciscus Episcopus Ambianensis. Ludovicus Episcopus Tutullensis. Franciscus Episcopus Trecensis.*

Epistola IV. *Episcoporum ad Clem. IX., qua Pontificem circumveniunt, testantes se sincere subscripsisse.*

,, BEATISSIME PATER. Cum non minus ad officium Episcoporum pertineat charitatis unitatem servare, quam ipsius Fidei tenere veritatem; ,, id nobis in instituenda vita sequi propositum fuisse norunt omnes, quibus interius, familiariusque ,, noti sumus. Sed ut illius propositi in hoc subscriptionum negotio illustre toti Ecclesiæ daremus argumentum, eo præcipue sumus adducti, quod consilium in hoc nostrum cum Apostolicæ Sedis honore, & reverentia conjunctum esse putavimus. ,, Nam cum in exequenda Decessoris Vestri de subscribenda fidei formula Constitutione, Gallicani, ,, Episcopi nobiscum sensibus conjunctissimi eam disciplinæ formam amplexi sint, quam Sanctitati ,, Vestræ acceptiorem fuisse intelleximus: Nos quibus nihil est antiquius, quam paci, & unitati consulere, & nostram erga Sedem Apostolicam reverentiam testificari, non piguit eorum institutum ,, imitari. Quamobrem congregata, sicut illi, Dioecesana Synodo, & imperata nova subscriptione, ,, nos etiam subscripsimus: quæ suis ipsi Clericis ,, tradiderunt, nostris tradidimus; quod in Apost. ,, Constit. obsequium injunxerunt, injunximus; prorsusque nos ipsis, ut pridem doctrina, ita nunc in ,, hac disciplinæ forma conjunximus. Arduum id ,, nobis, ac perdifficile fuisse non diffitemur; non ,, ignaris quot malevalorum voculas excitare posset hæc disciplinæ mutatio. Sed cum Collegæ quidam nostri Ecclesiasticæ concordiæ studiosissimi, ,, hoc & ad Ecclesiæ pacem opportunum, & in Sanctit. Vestram honorificum, atque ipsi gratius fore ,, significassent: quid non illi a nobis his rationum ,, momentis impetrassent, quibus & humana omnia, ,, & ipsam vitam libenter impendere parati sumus? ,, Enim vero, B. Pater, quoscumque demum de nobis rumores æmuli sparserint, illud tamen conscientia, ac Deo teste confirmare possumus, eam ,, nobis semper in Romanam Ecclesiam mentem fuisse, quam a primis, temporibus Galliarum Episcopi semper professi sunt; quæque semper Apostolicæ Sedi acceptissima fuit. Novimus enim, ut ,, fluxam sine charitate fidem, sic vanam esse charitatem, quæ constitutos in Ecclesia honorum gradus servare renuat: quæ collatum divinitus B. Petro Ecclesiæ Primatum in ejus successoribus non ,, agnoscat; nec hoc fateatur universis per orbem ,, Ecclesiis necessarium, ut cum Romana tanquam ,, cum unitatis fonte, indiviso vinculo cohæreant. ,, Hanc fidem B. Pater, ad ipsum Christi Tribunal ,, perferemus, hanc dum in vivis agemus, palam ,, semper apud homines profitebimur; nec ullis unquam deerimus officiis, quæ a Catholicis Episcopis hæc professio possit exigere.

,, Atque hæc Beatiss. Pater, in omnes Apostolicæ ,, Sedis summos Præsules in ipsa fide fundata religio nostris penitus animis impressa est. Vestræ ,, autem privatim Sanctitati, quam temporalis, & ,, Ecclesiasticæ pacis singulare studium toti Ecclesiæ ,, præcipue commendat, singularem quemdam, ac ,, præcipuum amorem, & obsequium hoc nomine ,, debere nos fatemur, debitumque præstabimus: ac ,, vicissim quoque fore speramus, ut discussis suspicionum nebulis Apostolica in nos Charitas vestra,

nova

„ nova quadam luce resplendeat. Ita compositis „ undique cum summa ipsius laude dissensionum seminibus, quæ vel Regnorum, vel Ecclesiæ tranquillitatem sollicitare possent, licebit Sanctitati Vestræ ad alia commissæ sibi totius Ecclesiæ vulnera curas suas, laboresque conferre. Quod ut diutius possit, fructuosiusque præstare, longam ipsi Summi Pontificatus usuram, & Divinorum donorum abundantiam precibus, ac sacrificiis nostris assidue flagitabimus.

BEATISSIME PATER.

Sanctitatis Vestræ Humillimi, & Obsequentissimi Filii: *Nicolaus Episcopus Alethensis. Franciscus Episcopus Apamiensis. Henricus Episcopus Andegavensis. Nicolaus Episcopus Bellovacensis.* 1. Septembris 1668.

Processus verbalis Synodi Alethensis occasione subscripti Formularii Alexandrini (ad extorquendam Pacem a Clemente IX.)

„ ANno 1668., 18. die Septembris. Nos Nicolaus Dei misericordia Episcopus Alethensis notum facimus, quod convocato Clero nostræ Diœceseos ingressi sumus mane hor. 9. Cathedralem nostram Ecclesiam, in qua celebrato Missæ Sacrificio &c. præsentem Clerum allocuti sumus in hæc verba.

„ Carissimi Fratres: Diu est, quod dolemus turbatam Ecclesiæ pacem intuentes, propter diffidia excitata de iis Constitutionibus, quas Summi Pontifices Innoc. X., & Alex. VII. evulgarunt occasione Libri Cornelii Jansenii, cui titulus *Augustinus*. Cum autem nos semper sincerissimam intentionem habuerimus juvandi, quantum per nos fieri posset, Ecclesiæ Pacem, publicavimus Pastoralem Epistolam 1. Jun. 1665., qua notum fecimus debere vos detestari ore, & corde omnes errores V. Propositionum, quos duo Rom. Pontifices condemnarunt, quique jamdudum damnati fuerant ab Universa Ecclesia, in quo *Jus* consistit Constitutionum duorum, quos diximus, Rom. Pontificum. De his autem V. Propositionibus tribuendis Jansenio, in quo *Factum* consistit (quod Factum solummodo occasionem præstitit turbandæ Ecclesiæ) declaravimus ad nihil aliud teneri, quam ut hac in re subjiciatis vos obedientia obsequii, ac disciplinæ, quæ in hoc sita est, ut ne contra insurgatis, sed sileatis potius, quantuncunque contingat a vobis obfirmato animo contrarium judicari, cum maximopere referat in omnibus oblatis occasionibus specimen vos præbere ejus obsequii, quod Apostolicæ Sedi Catholici quique debent.

„ At quoniam nostra Pastoralis Epistola non eum omnem fructum produxit, quem nos jure expectare debuimus, etiamsi nihil contineat, quam veros Ecclesiæ sensus, illi quam efficacem admodum putaveramus, superaddendam censuimus novam Formularii subscriptionem, eamdem nempe, quam plures egregii Fratres nostri in ipsorum Synodis imperarunt, quæque magnam approbationem consecuta est. Eo libentius hæc exempla sequimur, quod Episcopi hujus subscriptionis Auctores in plena Synodo easdemmet Clero suo instructiones dedere, quæ in nostra Epistola continentur, quasque inseruerunt verbalibus Processibus.

„ Idcirco vos convocavimus ad hanc subscriptionis formam imperandam, quam eo libentius amplecti debetis, quod per nonnullos Episcopos magnæ auctoritatis, ac præcipui meriti, pluresque alios eminentis virtutis certiores facti sumus eam acceptissimam fore Sanctiss. P. N. Rom. Pontifici, pacemque integram ejus ope reddendam Ecclesiæ, quam pacem boni omnes desiderant, cujusque assequendæ gratia nihil est Episcopis negligendum.

„ Ut autem vos rite instructi sitis, quid oneris imponat vobis Ecclesia subscriptione per Constit. Alex. VII. fel. rec. die 15. Febr. 1665. præscripta, in qua Formularium continetur condemnationis V. Propositionum, Nos declaramus, quemadmodum præstitere iidem met Prælati in ipsorum Synodis.

I. Quod hac subscriptione vos damnare debetis sincere, plene, & absque ulla reservatione, ac exceptione omnes pravos sensus, quos Pontifices, & Ecclesia damnarunt, & damnant in V. Propositionibus, ita ut profiteamini non aliam vos hac super re habere doctrinam, quam Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ.

II. Declaramus injuriosum Ecclesiæ fore, si quis in damnatis sensibus harum Propositionum comprehenderet Doctrinam S. Augustini, & S. Thomæ de Gratia per se ipsam efficaci, necessaria ad omnes Christianæ Pietatis actiones; cui doctrinæ omnes consentiunt nihil præjudicji illatum fuisse per Rom. Pontifices, quemadmodum sæpe ipsimet declararunt, ac præcipue Papa Alexander VII. in suo Brevi ad Lovanienses 7. Aug. 1660., quo eos hortatur ad perpetuo propugnanda inconcussa, tutissimaque S. August., & S. Thom. dogmata: De reliquo *non dubitamus, quin pro singulari scientiæ, pietatisque studio sanam, & incorruptam, qualem tot Apostolicæ Sedis declarationes, & SS. PP. traditiones requirunt, doctrinam semper amplexuri, & adversus orthodoxæ Religionis hostes defensuri sitis, nec non præclarissimorum Eccl. Cath. DD. August., & Thomæ Aquinatis inconcussa, tutissimaque dogmata sequi semper, ut asseritis, & impense revereri velitis: quorum profecto Sanctissimorum Virorum penes Catholicos universos ingentia, & omnem laudem supergressa nomina novi præconii commendatione plane non egent.*

„ III. Declaramus, quod attinet ad Factum in Formulario contentum, ut dictum est, vos solummodo ex debito teneri ad obedientiam obsequii, & disciplinæ, quæ in hoc sita est, ut nullo modo insurgatis contra latam definitionem, & in silentio quiescatis, ut ordo servetur, quo in his rebus inferiores debent Ecclesiasticis Superioribus subjici: Quoniam cum Ecclesia infallibilis non sit in iis factis definiendis, qui sensus Auctorum respiciunt, aut librorum per eos editorum, non ipsa intendit sola suæ auctoritatis definitione filios suos adigere ad fidem hujusmodi Decretis præstandam.

„ Quod si quis suo debito, quod vobis declaravimus, desit tum quod ad punctum Juris attinet, tum quod attinet ad aliud Facti, quod nunquam fore speramus post hanc nostram vobis traditam instructionem, declaramus Juris ordine servato Nos in eos animadversuros fore, ex rigore Pontificiarum Constit. Innoc. X., & Alex. VII.

„ His expletis D. Ragot, Presbyter, Canonicus Ca-

„ Cathedralis Ecclesiæ, & Promotor nos requisivit, „ ut hujus instructionis, ac declarationis Processum „ verbalem confici juberemus, ad quem, si quan- „ do opus sit, haberi recursus possit.

„ Id ut fieret jussimus, ac præterea, ut Formu- „ larium transcriberetur; quod factum est ut se- „ quitur.

„ Ego N. Constitutioni &c., *ut supra in Formu-* „ *lario Alexandrino.*

„ Post hæc præfatus Promotor requisivit, ut jus- „ su nostro Ecclesiastici omnes præsentes subscribe- „ rent, & absentes intra unius mensis spatium eam- „ dem subscriptionem præstarent præfato Formula- „ rio ad calcem hujus Processus verbalis, juxta in- „ structiones, & declarationes inibi contentas sub „ Juris pęnis. Quod nos, ut fieret, imperavimus. „ Actum in Synodo habita uti, & die superius &c.

„ *Vincentius Ragot Promotor. Subsignatum* Nico- „ laus Episcopus Alethensis. *Ad calcem hujus ver-* „ *balis Processus sunt nomina, Decani, Archidiaco-* „ *ni, Theologi, ac plurium Canonicorum Alethen-* „ *sium, & Parochorum, & aliorum Ecclesiasticorum,* „ *& Regularium supra* 130.

„ *Consimiles ex condicto fuere verbales Processus* „ *aliorum trium Episcoporum Andegavensis, Apa-* „ *miensis, Bellovacensis, ac eodem modo subdolæ* „ *subscriptiones cum exceptione multiplici contra men-* „ *tem Pontificis.*

„ Testificatio *eorumdem* IV. *Episc. Alethen., An-* „ *degaven., Apamien., Bellovacen., quæ se Formu-* „ *lario subscripsisse sincera Fide testantur, licet id* „ *fallacissime fecerint.*

„ Nos &c. omnibus ad quos pertinet notum fa- „ cimus, quod convocata Synodo &c. subsignavi- „ mus sincere, & subsignari fecimus per Ecclesia- „ sticos a nobis convocatos Formularium Fidei con- „ tentum in Constit. N. S. P. Alex. VII. fel. rec. „ juxta Epistolam Sanctiss. P. Rom. Pontifici per „ nos conscriptam. In quorum fidem nos subscri- „ psimus præsentem testificationem &c. *Eadem fuit* „ *singulorum* IV. *Episcoporum testificandi Formula.* „ *Epistolam, quam de sua sincera subscriptione,* „ *scripserunt ad Clem. IX. habes ante Processum ver-* „ *balem, ex quorum collatione mala Fides apparet.*

Brevia Clementis IX. ad Regem Galliarum, ad non-nullos Episcopos, & ad ipsos IV. *Episcopos, ut pu-tabat, sincere subscribentes.*

„ CAriſſimo in Christo Filio Nostro Ludovico „ Regi Christianissimo: Carissime in Christo „ Fili Noster, salutem & Apostolicam benedictio- „ nem. Quam infixa est æque cordi, ac officio de- „ bitoque nostro, de conservanda Catholicæ Reli- „ gionis per Universam Ecclesiam unitate, impen- „ sa cura, & sollicitudo; tanta sane cum lætitia „ cognovimus *in simplici, ac pura subscriptione* „ *Formularii* quatuor illorum Episcoporum obe- „ dientiam, & obsequium: a quo profecto magis „ nos juvat ad clementiam invitari, quam ad se- „ veritatem rigoris a contumacia compelli. Quare „ Majestatis tuæ in ea re statim nuntianda, & in- „ signi gratulatione prosequenda, studium & amo- „ rem incomparabili cum gaudio, animique grati „ mutua responsione pervidimus. Libenter quoque „ ex ejusdem Majestatis tuæ litteris, & expositione „ dilecti Filii Magistri de Bourlemont, intelleximus „ Venerabilem Fratrem Archiepiscopum Thebanum „ Nuntium Apostolicum, in executionem manda- „ torum nostrorum accersitum operam impendisse. „ Sed imprimis, & ante omnia admirabilem zeli „ tui præstantiam, & sanctæ Religionis ardorem in „ præsenti quoque negotio, vel maxime cognosci- „ mus, & unice amplectimur. Tum adeo, etsi mi- „ nime opus esse videmus, tamen pro rei gravita- „ te, & muneris nostri partibus exigentibus, sum- „ mopere petimus, ut authoritate regia effici ve- „ lis, ut rei tantæ, & non minus ad publicas Re- „ gni rationes, quam ad ipsius Religionis incolu- „ mitatem attinenti, si quid remaneat, suprema „ manus imponatur; & omnibus Sanctæ Fidei ra- „ tionibus extendendis quoque, ac propagandis, pio „ ac potenti Majestatis tuæ brachio consulatur; uti „ plenius idem Nuntius coram edisseret.

„ Cæterum Consiliis inclytis, ac religiosis tuis „ præclaras, & assiduas novæ gloriæ accessiones, & „ omnis felicitatis jugia incrementa a retributore „ Divino precamur, Apostolica benedictione ex o- „ mni animo paterno amantissime impartita. Da- „ tum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub „ annulo Piscatoris die 28. Septembr. 1668. Ponti- „ ficatus Nostri Anno Secundo.

Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Senonensi, & Episcopis Catalaunensi, & Laudunensi: Clemens Papa IX. Ven. Fratres, salutem &c.

„ NOn sine lætitiæ sensu pervidimus etiam ex „ litteris Fraternitatum Vestrarum id quod a „ vobis prius ample significatum, ac deinde itera- „ tis, ac gravibus documentis confirmatum fuit, *de* „ *perfecta, ac integra obedientia* Nobis, & Aposto- „ licæ Sedi præstita per Episcopos Andegavensem, „ Bellovacensem, Apamiensem, & Alethensem, sub- „ scriptione Formularii *sincero animo, & juxta præ-* „ *scriptum* litterarum Apostolicarum ab eis facta; „ Utque charitatis Apostolicæ fervore succensi, po- „ tius erga obedientes clementia, quam justitia in „ contumaces uti gaudemus, voluimus iis paterna „ benevolentiæ nostræ argumenta præbere. Quæ „ profecto speciali mentis affectu cumulata vobis, „ Venerabiles Fratres, benevolentissime tribuimus: „ sperantes utique fore, ut doctrina, & probitas „ vestra, quæ nunc optime merita est de Ecclesia „ universa, cooperando huic debitæ submissioni ab „ illis Vicario in terris Jesu Christi, ac ejusdem „ visibili Capiti redditæ, cum *plena, & sincera* e- „ xecutione Constitutionum Apostolicarum, etiam „ imposterum eumdem prompti studii zelum adibi- „ bitura usque sit in exequendo quidquid quavis ra- „ tione conferat ad extirpanda ab agro Dominico „ zizania omnium novitatum, veritati Catholicæ, „ & perfectæ Fidelium unioni contrarium. Tales a- „ nimi vere pii, ac religiosi in vobis laudes, ut „ perpetuo, ac in dies etiam clariores eniteant ex „ animo precamur, Fraternitatibus Vestris Aposto- „ licam Benedictionem impertientes. Datum Romæ „ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pis- „ catoris die 19. Januarii 1669. Pontificatus nostri „ Anno Secundo.

Venerabilibus Fratribus Henrico Arnaldo Andegaven-si, Nicolao Chovart Bellovacensi, Francisco Stepha-no Apamiensi, & Nicolao Pavillon Alethensi Epi-scopis: Clemens Papa IX. Ven. Fratres, salutem &c.

„ VEnerabilis Frater Archiepiscopus Thebarum „ Nuntius isthic noster, misit ad nos elapsis

„ die-

„ diebus Fraternitatum Vestrarum Epistolam, in „ qua cum ingenti obsequii nobis, & huic Sanctæ „ Sedi per vos debiti testatione significabatis, vos „ juxta præscriptum Litterarum Apostolicarum a „ felicis recordationis Prædecessoribus nostris Inno- „ centio X., & Alexandro VII. emanatarum, sin- „ cere subscripsisse, & subscribi fecisse Formulario „ in ejusdem Alexandri VII. litteris edito. Etsi au- „ tem quædam de hac re secus circumlata, occa- „ sionem nobis præbuerant in tam gravi negotio se- „ rius procedendi: nam dictorum Prædecessorum no- „ strorum Constitutionibus firmissime inhærentes, „ nullam circa illud exceptionem, aut restrictio- „ nem admissuri unquam fuissemus; in præsens ta- „ men, cum nova, & gravia isthinc acceperimus „ documenta veræ, & totalis obedientiæ vestræ, „ qua & Formulario sincere subscripsistis, & da- „ mnatis absque ulla exceptione, aut restrictione „ quinque Propositionibus in omnibus sensibus, in „ quibus a Sede Apostolica damnatæ fuerunt, alie- „ ni prorsus estis a renovandis in hac re erroribus „ illis, qui ab eadem damnati sunt, tribuere vobis „ voluimus hoc paternæ benevolentiæ nostræ argu- „ mentum; fidentes plane Divinæ gratiæ, ac vir- „ tuti, & pietati vestræ, quod omni conatu factu- „ ri sitis imposterum, ut sinceræ obedientiæ, ac „ submissionis a vobis in hoc actu nobis præstitæ „ plenitudo semper magis appareat, doctrinam, ac „ probitatem Vestram in id potissimum adhibentes, „ ut una cum obsequio nobis, & huic Sanctæ Sedi „ per vos debito Catholicam veritatem firmiter tuea- „ mini, zelo curæque Pontificis sedulo cooperantes, „ in extirpando ab Ecclesia Dei novitates omnes, „ ac perturbationes fidelium animarum. Vobis, „ Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem „ peramanter impertimur. Datum Romæ apud S. „ Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die 19. „ Jan. 1669. Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Pace Clementis IX. *per subreptionem, & obreptionem obtenta mirifice abusi sunt Jansenistæ. Putantes enim satis esse, si Catholici damnarent V. Propositiones, (quod omnes ajebant se præstare) non autem jam opus esse in iisdem damnare Jansenii sensum, sive Libri Janseniani doctrinam, (quod ipsi facere detrectabant, librum illum, ut Catholicum deprædicantes) hinc nullum esse Jansenistam jactabant, Jansenismum non nisi Phantasma esse. Accipe Epistolam unius* * *ex iisdem* IV. *Episcopis nempe Alethensis ad Innoc. XI. die* 30. *Junii* 1677., *seu potius fragmentum ejus Epistolæ, quam laudat maxime Quesnellus, ac recitat in Libro:* La Paix de Clem. IX. *par.* 2. *p.* 265. *Plura vero in ea per se ipsum observabit prudens, & Catholicus Lector.*

„ ITaque, *Beatissime Pater*, ad corrupta morum „ dogmata redeo, quod malum latius patet, & „ plerisque animabus adhuc nocentius est. Huic cu- „ rando quantum ab initio Pontificatus studium „ Sanctitas Vestra adhibuerit, universi norunt: quod „ ut ipsa brevi assequeretur, nihil demum utilius „ aut promtius occurrit, quam ut præcipua laxio- „ ris doctrinæ capita, jamdudum a plerisque Eccle- „ siæ Gallicanæ Præsulibus in famoso Casuistarum „ Apologista damnata, iterum ad eorundem Epi- „ scoporum Relationem, a Sede Apostolica solemni „ Decreto damnarentur. Id autem, ut ad optatum „ exitum, obsistentibus licet Casuisticæ corruptelæ „ patronis, perducatur, optamus vovemusque. Ve- „ rum, *Beatissime Pater*, rerum nostrarum experi- „ mentis edoctus, & paterna Vestra benignitate „ fretus ausim dicere, nihil pene in damnandis „ Casuistarum erroribus operæ pretii fore, nisi ea- „ dem Vestra authoritate Jansenianæ hæreseos phan- „ thasma, quo jamdiu plurimi in his partibus lu- „ dificantur, evanescat. Confidentius fortasse quis „ hoc dictum existimaverit: verissimum tamen est, „ *Beatissime Pater*, & nobis res cominus intuentibus „ quotidiana experientia certissimum. Apostolicas „ Constitutiones Prædecessorum Vestrorum Innocen- „ tii X., & Alexandri VII. submissa omnes mente „ excipiunt: nec ullus est, qui cum Ecclesia Ro- „ mana, & Catholica perversos atque hæreticos sen- „ sus in quinque Propositionibus damnatis conten- „ tos non ex animo damnet, quod prædictarum „ Constitutionum præcipuum est caput: & in cæte- „ ris etiam nemo est, qui illis perpetuo Ecclesiæ „ usu debitam reverentiam non præstet. Id quod „ probe intellexit Clemens IX. Alexandri VII. Suc- „ cessor, dum Galliæ Episcopis, ac Theologis jam- „ diu vexatis pacem tandem pro Apostolica sapien- „ tia, & æquitate concessit. Verum, *Beatissime Pa- „ ter*, hujus tam optatæ pacis fructum hactenus „ nobis invidit, & vanis artibus subripuit pertinax „ adversariorum factio, & imperitus, ac præposte- „ rus nonnullorum zelus. Jansenianæ siquidem hę- „ reseos nomen, prorsus jam vanum, & inane, „ summo studio retinuerunt: nec illis præsentius, „ aut validius telum, quo se tueantur, & cujusli- „ bet ordinis homines sibi adversantes disturbent. „ Hac futili accusatione sanctiorem quamque de „ moribus doctrinam exsufflant; viros pietate, & „ doctrina pręstantes traducunt, atque Ecclesię mi- „ nisteriis submovent; non Theologos modo, sed „ Episcopos populis suspectos efficiunt; pios eorum „ labores, & saluberrima instaurandę disciplinę con- „ silia intervertunt: libros informandis moribus a- „ ptissimos fidelium manibus excutiunt; omnem „ denique instituendæ Christianorum vitę, & ad „ normam Evangelii componendæ viam occludunt. „ Illud vero, *Beatissime Pater*, summopere animad- „ vertendum est, non solum hujus fictitię heręseos „ pretextu grassantem ubique morum corruptelam „ foveri, sed fidei quoque solidissima dogmata con- „ velli. Quis enim non doleat castissimam, & sa- „ luberrimam Sanctorum Augustini, & Thomę de „ gratuita Dei prędestinatione, & gratia Christi ad „ singulos pietatis actus necessaria doctrinam sub „ invidioso Jansenii nomine a plerisque repudiari, „ & tanquam erroneam, & heręseos nota dignam „ in cathedris, in pulpitis, in colloquiis traduci? „ Ita doctrina, quam a multis Pontificibus acriter „ assertam, ac vindicatam hereditario quasi jure „ Ecclesia possidet, ut ajebat doctissimus Clemens „ Papa VIII., passim hodie conculcatur. Ita dog- „ mata, quę inconcussa tutissimaque nuncupavit „ Alexander VII. temerario ausu a multis impe- „ tuntur &c.

Sub

* M. Nicolas Pavillon Eveque d'Alet.

Sub Innocentio XII. emanavit Decretum S. Officii, ac deinde duo ejusdem Pontificiis Brevia ad Episcopos Belgii, quæ falsis interpretationibus excepta ad confirmandam falso ab iis jactatam pacem Clementis IX. detorsere. Decretum, & utrumque Breve subjicimus.

„ FEria v. die 28. Jan. 1694. Sanctissimus D. N. D. Innocentius XII. auditis votis D. D. Cardinalium, ad præcavendas omnes dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant tam verbis, quam scriptis super interpretatione, seu declaratione Formularii Alexandri VII. in condemnationem V. Propositionum ex Libro Cornelii Jansenii, cui titulus est, *Augustinus*, excerptarum, & damnatarum, quoscumque alios sensus Formularii prædicti præter eum, quem in sensu obvio ipsius verba exhibent, afferri, usurpari, aut de his disputari interdixit, & prohibuit, ac super ejusdem Formularii interpretatione sicut, & prædictarum Propositionum in alios sensus, præter eum, quem ipsa verba per se exhibent, omnibus, & singulis cujusvis Religionis, Ordinis, Congregationis, Instituti, & Societatis etiam de necessitate exprimendæ, Regularibus, & aliis quibuscumque tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus personis, cujuscumque status, & conditionis, gradus, ordinis, & dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam Sæcularis perpetuum silentium imposuit. Omnes vero Libros, tractatus, theses, compositiones, scripta, ex professo, vel incidenter, sub quovis prætextu, & occasione in lucem editos, vel edita super hujusmodi materia prohibuit, & pro prohibitis haberi voluit, & mandavit; iisdemque personis supra enumeratis districte injungit, ne in posterum audeant imprimere, vel imprimi facere, seu quoquomodo in lucem edere Libros, tractatus, theses, compositiones, & scripta de supradicta materia tractantes, seu tractantia. Et ut hujusmodi Decretum inviolabiliter super omnibus in eo contentis observetur, præcepit, & declaravit contravenientes pęnas privationis Dignitatum, & Officiorum suorum, vocis activæ, & passivæ, facultatis concionandi, publice legendi, docendi, & interpretandi ipso facto, absque alia declaratione, incurrere, & aliis etiam pœnis Sanctitatis Suæ, & Successorum suorum Roman. Pontificum arbitrio subjacere: Librosque omnes, tractatus, theses, compositiones, & scripta, quos, seu quæ contra dicti Decreti tenorem edi contingeret, absque alia declaratione tanquam expresse prohibitos, vel prohibita haberi, & impressores, præter amissionem Librorum, pecuniariis, aliisque corporalibus pœnis teneri, præcepit, & mandavit.

„ INnocentius Papa XII. Ven. Fratres. Nuper ex literis Fraternitatum Vestrarum primum accepimus orta esse inter Theologos Belgii dissidia, dum alii alios incusant tanquam novarum opinionum sectatores, qui cum verbo, tum scriptis, Constitutiones fel. recordat. Innocentii X. & Alexandri VII. Prædecessorum nostrorum, in quibus V. Propositiones ex libro Cornelii Jansenii, cui titulus est *Augustinus*, excerptæ & damnatæ, una cum Formulario juramenti in earumdem condemnationem præstandi continentur, variis interpretationibus inutiles, & inefficaces quodammodo reddere, non sine gravi animarum detrimento conantur. Cumque maxime nobis curæ esse debeat pro debito Pastoralis Regiminis nobis ex alto commissi, ut semper firmæ Prædecessorum nostrorum Constitutiones permaneant, in rebus, quæ ad orthodoxæ Fidei integritatem conducunt: ad dissidia omnia, quæ Ecclesiæ, & Fidelium pacem perturbant compescenda, in primis prædictis Constitutionibus Innocentii X. & Alex. VII. exemplo Prædecessorum nostrorum firmiter inhærentes, easque in suo robore fuisse, & esse declarantes, Fraternitatibus vestris, de quarum zelo, & pietate plurimum in Domino confidimus, mandamus, ut contra omnes, & quoscumque cujuslibet status, gradus, & conditionis existant, qui ausu temerario prædictas V. Propositiones sic damnatas in Constitutionibus Innocentii X. & Alexandri VII. publice, vel privatim, tam in scholis, quam in concionibus, verbo, vel scriptis defendere præsumpserint (servato tamen juris ordine) procedatis, eosque debitis pœnis in eisdem Constitutionibus contentis, puniri curetis: cum ad comprimendum tam grave malum, quod jamdiu Catholicam Ecclesiam vexat, efficacius remedium adhiberi non posse videatur.

„ Præterea Fraternitatibus Vestris injungendum duximus, prout per præsentes injungimus, ut pro Vestra pietate, & prudentia, facultate ista, qua per Constitutionem Apostolicam muniti estis, ita Formularii subscriptionem, seu juramentum ad praxim reducatis, ut in exigendo juramento prædicto zelus, & charitas Vestra, quam maxime eluceat, ne alicujus fama indebite lædatur, aut detractionibus, & murmurationibus locus detur. Quare præcipimus, ut quemadmodum ii, qui ad juramentum adigendi sunt, illud præstare debeant sincere, absque ulla distinctione, restrictione, seu expositione damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet propositionum verba præseferunt, prout sensum illum damnarunt SS. Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi Fidelibus, ita per Fraternitates Vestras, ab iis, qui Formulario prædicto subscribent, ac juramentum præstabunt, præter Formulam ipsam traditam, verbaque in Constitutione Apostolica præscripta, aliquid aliud, vel minimum declarationis, interpretationis, aut explicationis, verbo, vel scripto, non exigatur, etiam sub prætextu, quod additiones ad nos transmissæ comprehendantur, seu contineantur in Formulario Alexandri VII.

„ Cæterum ad præcavendas omnes Dissidiorum causas, quæ Christianam pacem dilacerant, nos quoscumque alios sensus Formularii, præter eum quem ipsius verba exhibent, afferri, vel usurpari, aut de his disputari interdiximus, & prohibuimus, ac super ejusdem Formularii interpretatione, sicut & prædictarum Propositionum in alios sensus præter eum quem ipsa verba per se exhibent, perpetuum silentium imposuimus, ut ex nostris Decretis, tam super ipso silentio, quam super prohibitione omnium librorum editorum, & edendorum in hac materia plenius innotescet: cum ad Summum Pontificem duntaxat pertineat sensum, quem in his Propositionibus damnaverit,

,, rit, & ut damnatum a Fidelibus credi censuerit, declarare.

,, Demum ad extinguenda Theologorum jam pridem inter se diffidia, Fraternitatibus Vestris, quantum in Domino possimus, præsentibus nostris mandatis injungimus, ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, at nuncupari sinatis, nisi prius suspectum esse constiterit aliquam ex his propositionibus docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc prætextu repelli ab officiis, muniis, beneficiis, gradibus, & concionibus habendis, vel alia quacumque functione Ecclesiastica permittatis, nisi servato juris ordine, eam pœnam, quæ viris alioquin Catholicis gravissima est, commeruisse probatum fuerit.

,, Hæc ad Fraternitates Vestras rescribenda decrevimus, non de Vestra voluntate, & studii erga Ecclesias fidei Vestræ creditas diffidentes, sed animi nostri affectum, & omnium Ecclesiarum sollicitudinem testificantes: ut tandem, qui Pastor Pastorum est vigilasse nos in gregis nostri custodiam Divino suo judicio comprobare dignetur, Datum Romæ &c. die 6. Februarii 1694.

,, *Quam abusus Quesnellus fuerit Brevi Innoc. XII. 6. Febr. 1694. constat ex ejus Scripto, cui titulus* Ecclesiæ pax ex mutuo Alexandrini Formularii, & Innocentiani Brevis amplexu orta: *Ex quo Scripto* Causæ Quesnellianæ Processus Artic. VII. *hæc describit.*

,, *Tota Formularii difficultas, quæ tot tamque diuturna inter Theologos dissidia peperit, in his verbis unice vertatur* in sensu a *Jansenio* intento. *Hunc nodum Apostolico mucrone resecuit Innocentius Papa XII. cum in illorum verborum locum hæc alia explicationis vice substituit in suo ad Belgii Episcopos Rescripto*; in sensu obvio. *Ut hoc unico intuitu conspiciatur, utriusque verba sub oculos ponenda sunt, ut mutua collatione sese illustrent.*

Formularii verba.	*Brevis Apostolici verba.*
,, *Sincero animo rejicio, ac damno quinque Propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen* Augustinus, *excerptas in sensu ab eodem Auctore intento, prout illas per prædictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit.*	,, Sincere damnando eas Propositiones ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba ræseferunt, prout psensum illum damnarunt Summi Pontifices Prædecessores nostri, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus.

,, *Altera illa columna primam explicat: & quemadmodum in secunda ne umbra quidem difficultatis est, quę a subscribendo possit avertere, ita nec ulla in priori remanet, postquam per alterius explicationem omnis ex ea exemptus est scrupulus.*

,, Ex *subjecto syllogismo res adhuc magis elucescet.*

,, *Per subscriptionem Formularii ad nihil aliud adiguntur subscribentes, quam ut quinque Propositiones damnent in eo sensu, quem damnarunt Summi Pontifices, damnatumque haberi voluerunt a Christi fidelibus*s

,, *Atqui ex Brevi hodierni Pontificis quinque Propositiones non in alio sensu damnavit, damnatasque haberi a Christi fidelibus voluit Sedes Apostolica, quam* in sensu obvio, quem ipsamet Propositionum verba præseferunt.

,, *Ego ex Brevi hodierni Pontificis per subscriptionem Formularii ad nihil aliud adiguntur subscribentes, quam ut quinque Propositiones damnent in sensu obvio, quem ipsa Propositionum verba præseferunt.*

,, *Inde patet, quod* sensus obvius Formularii, *ex quo novos sibi scrupulos fingunt nonnulli, nihil distinctum sit a sensu obvio Propositionum. Quid enim aliud est* sensus obvius Formularii, *quam sensus, in quo damnandæ sunt quinque Propositiones? Sensus vero, in quo damnandæ sunt,* quid nisi sensus obvius Propositionum? *Rem iterum uno syllogismo conficiam.*

,, *Sensus, in quo damnandæ sunt quinque Propositiones, est* sensus obvius quinque Propositionum.

,, *Atqui* sensus obvius Formularii *aliud nihil, est, quam sensus, in quo damnandæ sunt quinque Propositiones.*

,, *Ergo* sensus obvius Formularii *nihil aliud est, quam* sensus obvius quinque Propositionum. *Huc usque verba Quesnelli.*

Hinc ad reprobandos cavillos Quesnellianos, qui magnas turbas in Belgio ciebant, ut Episcoporum frequentes Epistolæ ad Pontificem testabantur, emanavit aliud Breve, quod sequitur.

,, INnocentius PP. XII. Ven. Fratres, Salutem &c. Litteras quas decima nona Julii ad nos dedistis libenti animo accepimus; cum in illis Vestras ad hanc Sedem preces intellexerimus, quibus nostrum judicium pro sana doctrina Vestris in Diœcesibus regulandæ postuletis. Ex iisdem autem litteris aperte deprehendimus mala, quæ quoad Jansenismum exponitis, non procedere ex eo, quod Brevi a nobis 6. Feb. Anni millesimi sexcentesimi nonagesimi quarti ad vos dato satis ipsis non sit consultum, sed potius quia idem Breve executioni fortasse, uti par esset, non mandetur; cum illud nulla prorsus indigeat explicatione, aptumque sit, si in ipso præscripta adimpleantur, efficax atque opportunum afferre remedium. Quod si prætensi Jansenistæ interne, & absque eo quod deveniant ad ullum actum externum; dum jurant Formularium, non aliter damnent quinque Propositiones, quam in sensu obvio, non habito respectu obvii sensus dicti Formularii, suoque arbitrio effingant ejusmodi sensum obvium, Ecclesia non judicat de occultis: quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt. Sin vero iidem prætensi Jansenistæ voce, aut scriptis edant proprios sensus Apostolicarum Constitutionum, prædictique Brevis sensui dissentaneos, debent Episcopi, prout de jure contra eos procedere non tantum auctoritate ordinaria, sed etiam speciali facultate ipsis indulta a Constitutionibus Prædecessorum nostrorum felicis recordationis Innocentii X. & Alexandri VII. quas nos quoque confirmavimus, ita ut servatis servandis congrue puniantur, cum ea omnia facile probari possint, quia agitur de actibus externis.

,, Non sine admiratione intelleximus nonnullos istis in Diœcesibus reperiri, qui verbis, & cala-

,, mo

„ mo ausi fuerint affirmare supradicto nostro Brevi alteratam, seu reformatam esse Constitutionem Alexandri VII. decima sexta Octobris anni millesimi sexcentesimi quinquagesimi sexti editam, necnon Formularium ab ipsomet pronunciatum, cum dicto Brevi utrumque specifice confirmetur, & omnino intenderimus, & intendamus iisdem adhærere, & nequaquam sinere, ut aliquid addatur, vel dematur a prædicto Formulario, illud quovis modo alterando in aliqua ejus minima parte, sed quod in omnibus, & singulis ejusdem partibus, uti mandavimus, mandamus etiam adamussim observari. Quod attinet ad libros Sacræ Scripturæ idiomate vulgari traductos, & alios prohibitos, patent Constitutiones Prædecessorum nostrorum, & potissimum felicis recordationis Pii IV. a quibus satis superque abusibus providetur, uti etiam confugia ad alia Tribunalia a consimilibus Constitutionibus inhibentur, quarum Episcopi suis in Diœcesibus observantissimi executores esse debent.

„ Quod pertinet ad pendentes controversias circa administrationem Sacramentorum; donec aliquid specialius decernatur, ab iisdem Episcopis advigilandum est, ut juxta Sanctiones Canonicas, statuta Conciliorum, & praxim Ecclesiæ administrentur, habita casuum atque eorum circumstantiarum ratione. Etenim in præsens magna sollicitudine discussioni Propositionum, quæ inter alias abunde delatas ad hoc argumentum spectant, adlaboratur a Consultoribus, & Qualificatoribus supremæ hujusce Inquisitionis, qui omnes sunt Prælati, ac doctrina præstantes. De vestra autem in hanc Sedem observantia adeo præclare sentimus, ut plane confidamus non omissuros vos ejusdem mandata debita charitate, & prudentia exequi, firmam in spem venientes restituendam tandem isti Provinciæ tranquillitatem, qua cæteræ omnes fruuntur. Fraternitatibus interim Vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 24. Novembris *1696.* Pontificatus Nostri ann. VI.

„ *Superscriptio erat*. Venerabilibus Fratribus Archiepiscopo Mechliniensi, Episcopis Antuerpiensi, Ruremundensi, Brugensi, Gandavensi.

V.

Monumenta de Famoso Conscientiæ Casu *proscripto per Clementem XI. & data in Bulla* Vineam Domini Sabaoth, & *nonnulla huc spectantia.*

„ RElatio CASUS CONSCIENTIÆ, uti habetur IN CAUSA QUESNELLIANA ad normam Juris per Archiepiscopum Mechliniensem absoluta, & evulgata, Articulo XVIII. pag. 419. Edit. Braxell. 1709.

„ *Introducitur, inquit, in illo casu Confessarius, quærens, an Ecclesiasticum animo substinentem, quod Jansenius male condemnatus fuisset, & doctrina libri ejus esset orthodoxa, absolvere posset; utque clarius casum exponeret, sic adjungit Confessarius: Accipe suspiciones, quæ moventur contra hunc Ecclesiasticum, & responsa, quæ dat in sui defensionem.*

„ *Ego edixi, illum Ecclesiasticis istis suspectum esse de errore circa quinque Propositiones condemnatas per Innocentium X. & Alexandrum VII. Ille autem mihi professus est: Se eas condemnare, semperque condemnasse nude, & sine restrictione in omnibus sensibus, quos Ecclesia condemnavit, imo etiam in sensu Jansenii, prout S. P. N. Innocentius XII. eas explicuit in suo Brevi ad Episcopos Belgii. Eodem modo subscripsit Formulario, dum rogatus fuit, cujus rei exhibet testimonium datum a Magno Vicario Illustrissimi Episcopi N.*

„ *Ad* Factum Jansenii *quod attinet, cum secundum* D. de Perefixe *ignorantiæ sit, aut malitiæ contendere, Ecclesiam exigere eandem fidem circa hoc* Factum, *quam circa* Jus, *ait se in condemnatione Propositionum non eodem modo credere* Facti *Decisionem, quo Decisionem* Juris, *sed credit sibi sufficere submissionem venerationis, & silentii, circa id, quod Ecclesia de* Facto *decidit; & quamdiu non poterit juridice convinci aliquam ex damnatis Propositionibus docuisse, non debere se affici ulla molestia, neque suam fidem suspectam haberi, quoniam hoc vetat Papa defunctus Innocentius XII. in quodam Brevi, quod Clerus Galliæ in novissima Congregatione comprobavit*". Resolutio autem casus hæc erat.

„ *Doctores subsignati, qui expositionem casus legerunt, censent, quod sensus Ecclesiastici, de quo agitur, neque novi sunt, neque singulares, neque damnati ab Ecclesia, neque demum tales sunt, quos Confessarius relinquendos jubere debeat ad illi impertiendam absolutionem. Deliberatum in Sorbona hac die 20. Julii* 1701. Subsignaverant xl. Doctores.

„ *Qui tamen omnes, exceptis tantum* DD. *de Petit Pied, & Hyacintho de Lan, post Pontificiam* casus *condemnationem retractarunt subscriptionem, egregio obedientiæ exemplo, etiam ii, quorum suffragium Quesnellus reliquis præponebat, propter insignem eruditionem, nempe P. Natalis ab Alexandro, & D. Dupin*; Vide Causam Quesnell. pag. 427.

„ *Eadem Causa Quesnelliana pag.* 418. *Art.* XVIII. *monet multiplicem expositionem, ac Editionem bujus* casus conscientiæ *factam; Primam quidem per DD. Rouland, & Agnetille Leodii impressam; Sed ait in sua Epistol. D. Theodoricus de Viaixnes Jansenista celebris*, quoniam in materia de Gratia admittebat Gratiam sufficientem Thomistarum, id pluribus Doctoribus displicuit: Ad hoc obstaculum amovendum D. Petitpied Junior aliam confecit magis simplicem, ac piam (un autre plus net, & plus Spirituel), quæ subsignata fuit a XL. DD. evulgata Parisiis, quarum tres editiones jam habemus. *Ita scribebat* 29. *Jan.* 1703.

Decreto Clementis XI. *in forma brevis die* 12. *Februar.* 1703. *confixus est ille* conscientiæ casus: *Scripsit etiam Brevia, quæ sequuntur, ex quibus* dolos, *ac fraudes Jansenistarum certius intelliges.*

„ DIlecto Fr. &c. Card. de Noailles nuncupato. Dilecte Fr. Noster salutem. Non sine magna paterni cordis nostri amaritudine nuper accepimus, editum Parisiis, ac promulgatum fuisse libellum quemdam, cui titulus: *Cas de Conscience proposse par un Confesseur de Province touchant un Ecclesiastique, qui est sous sa*

„ *con-*

„ *conduite, & resolu par plusieurs Docteurs de la faculté de Theologie de Paris* ... Mole quidem perexiguum, sed multiplici noxiæ doctrinæ veneno abunde refertum, quo scilicet plures damnati errores, perniciosæque novitates astruuntur, ac ipsæ etiam, felicis recordationis, Alexandri VII. Prædecessoris Nostri, ad Jansenianam hæresim non modo iterum damnandam, sed & præclusis omnibus callidorum hominum effugiis, ac tergiversationibus radicitus evellendam, tanta maturitate editæ Constitutiones, quibus & Nos firmissime inhæremus, indirecte quidem, ac veluti per cuniculos impetuntur. Quid enim aliud esse dixerimus, libelli hujuscemodi authores tam splendendo verborum apparatu erga Pontificias Constitutiones internam semper observantiam polliceri, quam interim exterius violant, & ut silentium pollicentur, quotidie silentium rumpere? Quid inanibus quæstionibus, quæ ad nihil proficiunt, præterquam ad subversionem audientium, Ecclesiasticarum Sanctionum perspicuitati tenebras velle offundere; nisi malum, quod corde fovent, per quamdam dissimulationem aperire, ita ut illud jure usurpari possit: *Sermo eorum, ut cancer serpit*, & aliud, *acuerunt linguas suas, sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum*. Ingemuimus plane videntes, homines, qui se Catholicos profitentur, eo temeritatis, ac pervicaciæ devenisse, ut præfatis Apostolicis Constitutionibus, cæterisque hujus Sanctæ Sedis Decretis adhuc obviam ire, eorumque vim emendicatis undique captiosis subtilitatibus eludere se posse confidant; verum cum subdolis eorum artibus non modo, ut par esset, minime obsistere, sed potius patrocinari, ac veluti manum porrigere comperimus Parisiensis Scholæ Doctores, qui libellum ipsum palam ausi sunt suo calculo comprobare, obstupuimus plane, & magna simul perturbatione pro Domo Dei exarsimus, statimque, ne commisso Nobis cælitus muneri deesse videremur, de valido adhibendo remedio cogitavimus. Quapropter libellum Apostolica authoritate damnavimus, ac prohibuimus, ne ejus lectione fidelium mentes inficerentur: at vero quoniam ut S. Prosper præclare admonet, hujusmodi hominum pravitati non tam disputationum studio, quam, authoritatis privilegio est resistendum: circumspectionem tuam serio admonemus, ut zelum, quo maxime ferves, pro sana doctrina, Ecclesiæque pace tuenda excites, exeras, atque intendas investigandis omni studio, diligentiaque libelli hujus authoribus, ac præcipuis Promotoribus, atque Evulgatoribus: neque enim clam fieri potuit, quod nonnisi a multis valuit perpetrari; ac in eos postmodum gravibus (ut tantæ debetur audaciæ) pœnis animadvertas. Porro Doctores illos, quos sane decebat magis expugnandis Ecclesiæ teterrimis hostibus, quam convellendis Apostolicæ Sedis Constitutionibus nomen inscribere, omnino volumus severam adeo, te puniente, districtionem subire, ut cæteri imposterum a similibus absterreantur &c. Datum Romæ die 13. Febr. 1703.

„ CArissimo in Christo Filio Nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo Clem. Papa XI. Carissime in Christo Fili Noster salutem. Audivimus nuper audaci plane, ac subdola nonnullorum hominum opera, qui in id nati esse videntur, ut Ecclesiæ, ac Reipublicæ pacem perturbare non cessent, libellum quemdam prodisse, cui titulus, *Cas de conscience proposé par un Confesseur de Province touchant un Ecclesiastique qui est sous sa conduite, resolu par plusieurs Docteurs de la facultéde Theologie de Paris*. Quo sane plura perniciosæ doctrinæ capita, erroresque damnati revocantur in lucem, & ipsa etiam hæretica Jansenii dogmata non obscure foventur, dum editæ olim pro iis omnibus abolendis Constitutiones Apostolicæ captiosis subtilitatibus eluduntur. Id porro in quantum Christi fidelium scandalum, atque utriusque Regiminis perturbationem vergat, Majestas Tua, cujus mentem tanta in gubernandis populis sapientia illustravit Altissimus, ex se satis ipsa deprehendet. Quoniam vero contra istiusmodi homines continua novitatum prurigine laborantes non amplius legibus, ac sanctionibus, quæ satis multæ hactenus promulgatæ fuerunt, sed gravium potius adhibitione pœnarum agendum videtur, ne malum toties compressum, & quotidie reviviscens ulterius serpat; opportunum existimavimus, damnato prius juxta Sedis Apostolicæ morem libello, dilecti Fratris Nostri Ludovici Antonii S. R. E. Cardinalis de Noailles Ecclesiæ Parisiensis Præsulis zelum, ac pietatem per Apostolica scripta excitare, ut in ejusdem libelli authores, evulgatoresque præcipuos summo studio conquisitos severius animadvertat, Doctoresque non paucos, qui Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum Constitutiones, & Regia etiam Majestatis Tuæ decreta contemnentes, eidem libello palam subscribere non sunt veriti, debitis pœnis afficiat. Ea autem in re, qua non Ecclesiæ solum, quæ Majestati Tuæ maxime curæ est, sed ipsius Regni utilitas quæritur, summopere decet Regalis brachii Tui in præfati Cardinalis auxilium exerceri potestatem; atque ita paucorum hominum temeritatem compesci, ut palam fiat omnibus eam hodie inter Sacerdotium, & Imperium, miserante Domino, vigere concordiam, ut impune non liceat turbulentis ingeniis, & nunquam cavillandi finem facientibus, Ecclesiasticas simul, ac Regias leges infringere &c. Datum Romæ 13. Febr. 1703.

„ *Tandem emanavit celeberrima Bulla* Vineam Domini Sabaoth, *Gallicanæ Ecclesiæ, & Catholicis reliquis acceptissima, impetita autem conviciis Jansenistarum adeo, ut Theodoricus de Viaixnes in suo Libello*: Acte de denunciation a l'Eglise Universelle, & au futur Concile General, *audeat* eam appellare opus tenebrarum, dignumque, quod ab Anti-Cristo adoptaretur: audeat Dei nomine postulare, ut Formularium Alexandri VII., & Bulla *Veniam Domini Sabaoth* damnentur, & in nihilum redigantur, quia hæc Bulla *Realizaverit* vanum Jansenismi Phantasma, & silentium obsequiosum reprobaverit, *Bullæ tenorem habet supra relatum a P. Viva. pag.* 122.

„ *Eam vero misit Clem.* XI *ad Lud.*XIV.*Reg.Gall.per* Breve, *quod incip.* Eximio tuendæ &c. Cum, *inquit* intellexerimus, quam ardenti jampridem Majestas tua desiderio flagraret, ut sublatis penitus inquietorum hominum Catholicæ Religioni caginem offundentium effugiis, orthodoxæ Fidei sinceritati, & omnimodæ Ecclesiæ tranquillitati hac in re consuleretur, quod nonnisi supremo B. Petri Cathedræ, in qua immeriti residemus, judicio, more majorum præstare satis posse cognoveras &c. Datum Romæ 17. Julii 1705.

„ *Ut hujus celeberrimæ Bullæ nexus cum præcedentibus appareat hæc sunt animadvertenda de ratione, qua Jansenistæ Ecclesiæ discordiam foverunt* I. *Propugnarunt subscriptionem Formularii ad Fidem* in quæstione Juris, *ad silentium obsequiosum* in quæstione, *ut ajebant* Facti, *quia Clemens IX. admiserat ad Ecclesiæ pacem* IV. *Episcopos, qui hac distinctione subscripserant*. II. *Propugnarunt, quod Innocentius XII. declarans in Brevi ad Episcopos Belgii damnandas V. Propositiones* in sensu obvio *distinxerit hunc* a sensu Jansenii, *qua distinctione asserebant Apostolica auctoritate confirmatam fuisse distinctionem* Juris, & Facti *in subscriptione Formularii*. III. *Libris magno numero scriptis propugnarunt speciem quandam Hæreseos, atque Idololatriæ esse, si præter obsequiosum silentium requiratur erga Ecclesiæ Judicia de Librorum sensu, de quo lis sit, & controversia; quæ vocant Judicia* in quæstione Facti. *Huc collineavit Decisio* Casus conscientiæ *per* XL. *Doctores. Hac agendi ratione homines Severioris Moralis Zelatores licitas propugnarunt, ac Religiosas esse occultas restrictiones, & perjuria in subscriptione Formularii, Fideique professione, immo tecte* P. le Tellier *Recueil Historique des Bulles &c. p.* 354. numerantur volumnia supra 40., in quibus ordinationes Episcoporum pro sincera Formularii, & integra suscriptione passim a Jansenistis traducuntur, uti temerariæ, impiæ, hæreticæ, & Idololatræ; quæ Catholici sine horrore non audient.

„ *Cum ea* XL. *Doctorum decisio suos Defensores habuerit etiam post condemnationem latam a Clem. XI. in Brevi Apost. sub annulo Piscatoris* 12. *Feb.* 1703., *& a Card. de Noailles Arch. Paris.* 22. *Febr.* 1703., *plurimaque etiam Apologetica scripta fuissent Romæ distributa per Agentes Jansenistarum, post maturum examen prodiit Bulla* Vineam Domini Sabaoth, *In qua ea, quæ diximus, singula reprobantur*.

„ *Bulla hæc summopere accepta fuit, tum Regi Galliarum, tum Clero Gallicano*.

„ *Ac Rex quidem Galliarum accepta ex Pontificio Nuncio Bulla Apostolica una cum Epistola Pontificia, illam ad Episcopos Parisiis congregatos transmisit per Epistolam datam die* 2. *Aug.* 1705., *in qua inter alia hæc dicebantur*.

„ Ac quandoquidem maximopere cupio, ut mei Regni Ecclesiæ cito fruantur ea tranquillitate, quæ esse debet fructus Constitutionis, nihilominus observando formam statutam per SS. Canones, & consuetudinem Gallicanæ Ecclesiæ, utendum censui convocatione Gallicani Cleri jussu meo Parisiis indicta, ad exemplar Constitutionis vobis transmittendum, ut eam recipere possitis eo obsequio, quod Sanctiss. Patri Pontifici debetur, & zelo, quo fervetis in omnibus, quæ bonum, & utilitatem Ecclesiæ respiciunt, vos exhortans ad deliberandum statim de acceptatione hujus Constitutionis, & ratione, quam vos judicabitis utiliorem, ut uniformiter recipiatur in omnibus Regni Diœcesibus, ut cum certior factus fuero de acceptatione a Vobis facta, vestrique cetus Decretis jubeam Patentes literas expediri ad publicationem, & executionem prædictæ Constitutionis per Regnum Universum &c.

„ *Die Lunæ* 3. *Aug.* 1705. *D. Card. de Noailles, qui cœtui præerat, Regiam Epistolam cum Constitutione D. Secretario Conventus Cleri Gallicani palam legendam tradidit, qua Epistola perlecta, ut juxta consuetam formam ageretur, Commissarios delegit, qui de Constitutione ad cœtum referrent,* VII. *Episcopos, aliosque* VI. *ex secundo Ordine. Post plures autem horum privatas Congregationes, post horum relationes in publicis, ac iteratis Cleri Gallicani sessionibus die* 22. *Augusti Decretum unanimiter fuit de recipienda Constitutione debito obsequio, atque obedientia, de Gratiis agendis Pontifici, de Epistola ad Universos Regni Episcopos conscribenda super Constitutionis acceptatione, & publicatione, de Gratiis agendis Regi Christianissimo, de postulandis ab ejus Regia Majestate Litteris, ut ajunt, Patentibus* pro registranda, & publicanda *Constitutione*.

„ *Patentes Literæ expeditæ a Rege fuerunt, in quibus inter alia hæc dicebantur*.

„ Nos recepimus (Constitutionem Vineam Domini Sabaoth) eo obsequio, quo nos sumus in S. Sedem: Censuimus transmittendam ad Conventum Gallicani Cleri, ut is deliberare possit de acceptatione hujus Constitutionis forma consueta, & Episcoporum suffragiis conjunctis cum auctoritate Judicii Pontificii, consensus hic unanimis membrorum cum capite extinguere discordiam possit. Deliberationes Cleri votis nostris responderunt: gavisi sumus, quod Episcopi Regni Nostri agnoscentes in Constitutione Romani Pont. Spiritum, & Doctrinam Ecclesiæ, acceptaverint eo obsequio, quod visibili Ecclesiæ Capiti debetur &c. His de causis dicimus, ac declaramus, volumus &c., quod Const. Papalis in forma Bullæ, acceptata per Archiepiscopos, & Episcopos Nostri Regni Parisiis congregatos recipiatur, & publicetur in nostro Regno &c. Jubemus nostris amicis, & Fidelibus Consiliariis, ex quibus Parisiense Parlamentum consurgit, ut si ipsis constiterit, quod præfata Constitutio in forma Bullæ nihil habeat contrarium Sacris Decretis, Constitutionibus Canonicis, juribus, ac præeminentiis Coronæ nostræ, & Libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ, legi faciant, publicari, & registrari nostras præsentes Litteras una cum prædicta Constitutione &c. Hæ Literæ Patentes registratæ fuere 4. Septembr. 1705.

„ *Notat D. Lafiteau Episcop. Sistericensis L.* I. *Hist. Const. Unig. primas Patentes literas ad Universos Galliæ Episc. a Regibus Galliarum datas ad propugnandam Bullam Dogmaticam eas fuisse, quæ datæ sunt* 4. *Julii* 1653. *pro Bulla Innoc. X. contra V. Proposit. Jansenii*.

„ *Sciendum vero, quod Arch. Rothomagensis, qui primus fuerat ex Commissariis Deputatis ad Relationem de Constitutione* Vineam Domini Sabaoth, *in ea Relatione ad Conventum Cleri tria hæc veluti fundamenta statuerat.* I. *Quod Episcopi jus habeant ex Divina Institutione judicandi de Articulis Doctrinalibus.* II. *Quod Constitutiones Pontificiæ Universam Ecclesiam obligent, cum acceptatæ sunt* a Corpore Pastorum. III. *Quod hæc acceptatio, ex parte Episcoporum sit semper per viam judicii: Quæ tria, & unanimi reliquorum*

„ *ap-*

approbatione firmata, & in actis Conventus inserta, ac publicata Clementem XI. excitarunt, ut de sua Pontificia Constitutione ad examen revocata conquereretur in Brevi, quod sequitur.

VEnerabilibus Fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis Filiis aliis Ecclesiasticis viris in Comitiis Generalibus Cleri Gallicani Parisiis congregatis: *Clemens Papa XI.* Venerabiles Fratres, ac Dilecti Filii salutem &c. Gratulationes Vestras, quibus editam nuper a Nobis pro comprimenda inquietorum hominum contumacia Constitutionem excepistis, ex datis ad Nos Literis vestris, magna quidem animi voluptate cognovimus: novam inde fiduciam concipientes non inanem fuisse laborem nostrum, vosque pro Pastoralis vestri muneris debito curaturos, ut extinctis prorsus, supremo Apostolicæ Sedis judicio, Janseniani erroris reliquiis, idipsum tandem sapiant omnes, sintque perfecti in eodem sensu, & in eadem sententia. Verum uberem adeo gaudii nostri materiam turbavit admodum nonnullarum Epistolarum, aliarumque scriptionum palam editarum delata ad Apostolatum nostrum notitia, quibus nihil magis obtendi, atque adstrui videtur, quam ut summa dictæ Sedis authoritas multifariam impetatur, perinde ac si nullum hodie Episcopali zelo argumentum dignius occurrat, quam B. Petri potestatem attenuare, unde ipse Episcopatus, & tota authoritas nominis hujus emersit. Quodque mirandum magis, quin & deplorandum acerbius nobis fuit, tentari hæc vidimus eo ipso tempore, quo extirpandis errorum radicibus, quibus Ecclesias vestras infici sentiebatis, imploratum a vobis, potestatem Vestram plane imparem expertis, & ab ipso Christianissimo, ac Religiosissimo Rege vestro instantius expetitum ejusdem primæ Sedis brachium, & auxilium, paterna, qua vos, Ecclesiasque Vestras charitate complectimur, libentissime impendebamus. " *Agnovimus in hoc sane consuetas nequissimorum quorumdam hominum molitiones, qui dum Jansenianum virus, quod corde retinent, pœnarum metu proferre non audent, Romanæ Sedi, a qua comprimi se maxime sentiunt, occultum veluti libellum indicere conantur, ac per importunas quæstiones in Catholicæ unitatis perniciem dissensionum semina spargere. Vos autem, Venerabiles Fratres, quorum muneris erat corripere inquietos, nimis dolendum est eorumdem potius suggestionibus cedere, Ecclesiæque turbatoribus non satis advertentes, manum præstare.* " Quis enim Vos constituit judices super Nos? Numquid inferiorum est de superioris authoritate decernere, ejusque judicia examinare? Pace vestra dictum sit, Venerabiles Fratres: intoleranda plane res est, paucos Episcopos, & illarum potissimum Ecclesiarum, quarum privilegia, & decora, nonnisi Romani Pontificis favore, ac beneficio constant, adversus sui nominis, & honoris authorem caput attollere, ac primæ sedis jura corradere, quæ non humana, sed Divina authoritate nituntur. Interrogate Majores vestros, & dicent Vobis non esse particularium Antistitum Apostolicæ Sedis Decreta discutere, sed implere; & quandoquidem Episcoporum Galliæ S. Leoni Magno de confensione fidei gratulantium verba producitis, ab iisdem utique discere poteratis, quæ vestri similium, quos propterea imitari non pudeat, Antistitum in recipiendis Apostolicæ Sedis definitionibus partes revera sint: *Apostolatus vestri*, inquiunt, *scripta ita, ut Symbolum Fidei, quisqui redemptionis Sacramenta non negligit, tabulis cordis adscripsit, & tenaci, quoad confundendos Hæreticorum errores paratior sit, memoriæ commendavit*: Longe ergo olim aberant præstantissimi Galliarum Episcopi ab arrogando sibi jure discutiendi Apostolicæ Sedis Constitutiones, quas, ut ipsum Fidei Symbolum recipiebant, nec multum temporis, aut sedulitatis impendendum censebant, ut de illarum executione deliberarent; sed satis sibi esse arbitrabantur, si earum tenorem ad confundendos Hæreticos memoriæ commendarent; docebantque insuper, (quod vos maxime advertere oportet) Romani Pontificis definitiones non ex ipsorum fide dijudicandas, sed Fidem potius suam ideo firmam, ratamque agnoscebant, quod definitioni Romani Pontificis consentiret. Audite illos S. Leoni ista subdentes: *Doctrinæ post Deum vestræ debet quisque Fidelis, ut constanter teneat, quod credebat: debet etiam Infidelis, ut a perfidia sua, agnita veritate, discedat, & Apostolicæ Institutionis luce perfusus erroris sui tenebras derelinquat*: Hæc Patrum fides, hæc majorum traditio, hæc constans veterum Gallicarum, sicut, & cæterarum totius Christiani Orbis Ecclesiarum regula: quæ quorumlibet demum novis humanorum ingeniorum adinventionibus oppugnari potest, labefactari omnino non potest. Neque vos ipsos, Venerabiles Fratres, præclara vestra, aut sacrarum litterarum peritia, aut in evolvendis priscis Ecclesiæ monumentis studium, ac diligentia ignorare patitur, quod cuncta per Mundum novit Ecclesia: quod nimirum Sedes B. Petri Apostoli de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio. Profecto, si vel ipsam Apostolicæ Constitutionis nostræ formam, & quidem non a Nobis recens adinventam, sed a Prædecessoribus nostris longa sæculorum serie usurpatam observare placuisset, qua omnibus Archiepiscopis, & Episcopis Constitutionis ejusdem exequutionem, & observantiam integram auctoritate Apostolica præcipimus, committimus, & mandamus: edoceri, vel ex ea satis poteratis Nos in hac causa non vestrum consilium exposcere, non rogare suffragia, non expectare sententiam, sed obedientiam injungere, obedientiam scilicet illam, quam B. Petro Apostolorum Principi, Sanctæque Romanæ Ecclesiæ, ac Nobis, nostrisque Apostolicis Decretis, atque Mandatis in ipso sacræ vestræ inaugurationis limine solemni jure jurando polliciti estis. Ægre quidem, Venerabiles Fratres, in hoc inviso argumento versamur: memores enim tenuitatis nostræ non, ut Dominantes in Cleris apparere affectamus, sed subditi omni humanæ creaturæ propter Deum esse cuperemus: atque utinam datum Nobis esset humiliori loco consistere. At vero, cum neutiquam privatam Nostram, sed Apostolicæ B. Petri Sedis, in qua non immeriti solum, sed & inviti Divino sic disponente judicio præsidemus, causam agamus, postquam diu, multumque studio pacis, & unitatis amore tacuimus, pluraque perperam adversus ejusdem Apostolicæ Sedis jura, dignitatemque gesta charitate Christi, quæ patiens est, & pater-

„ paterna prorſus indulgentia toleravimus, dum inordinato, pravoque proceſſu impunitarum tranſgreſſionum quotidie augentur exceſſus, & crebreſcunt culpæ, quæ toleratæ ſunt ſtudio Fidei ræparandæ, & amore concordiæ, amplius diſſimulare Nobis, aut ſilere non licet: locum nempe Unigeniti Filii Dei, ac Salvatoris Noſtri Jeſu Chriſti, quem indigni tenemus in terris, ultra negligere, nec poſſumus, nec debemus. Videmur enim Venerabiles Fratres (quod non ſine intimo paterni cordis noſtri mœrore loqui compellimur) plurima in dies ab iis, qui ſe Catholicos profitentur, palam ſcribi minuendis, convellendiſque hujus Sanctæ Sedis juribus ea profecto, ut minimum dicamus, libertate, ac licentia, quæ nonniſi heterodoxis Eccleſiæ hoſtibus gaudio, orthodoxis vero, piiſque ſcandalo, ac luctui, nemini certe fructui, ac utilitati eſſe poſſint. Iis porro, vel ipſa quandoque nonnullorum Epiſcoporum ſcripta conſentire, nimis deploranda, Nobiſque minime ferenda res eſt, quaſi vero eadem Apoſtolica judicia pro ſancienda regula Fidei a Summis Pontificibus lata, quæ paucos ante annos Divina æque, ac ſumma per univerſam Eccleſiam authoritate niti, omnis Gallicana Eccleſia datis ad Prædeceſſores noſtros literis, palam profeſſa eſt: modo fere infirma debeant, ac veluti nutantia reputari, niſi ſuperveniente veſtro, paucorum ſcilicet Epiſcoporum judicio fulciantur. Currebatis bene, Venerabiles Fratres, & præclara Majorum veſtrorum ſequuti veſtigia, ad Apoſtolicam Sedem, tanquam ad Fidei Arcem, totius diſciplinæ Metropolim, & unitatis Catholicæ centrum deducere, ſed ipſum potius centrum ad lineas veſtras exigere velle videamini, ac demum B. Petri Fidem, nunquam deficientem agnoſcere erubeſcatis? Videte quæſo, & in conſpectu Superni Paſtoris, qui nos omnes in veritate ſua judicaturus eſt, ſollicita mente perpendite, num iſtud ſit, quod veſtri muneris, quin & honoris eſſe profitemini, & in quo Gallos ſemper potiores fuiſſe gloriamini: Sedem, ſcilicet, Apoſtolicam colere, an potius lædere: nam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ jura, honores, privilegia, & authoritatem conſervare, defendere, augere, ac promovere, quod prævio conſecrationi veſtræ juramento pariter ſpopondiſtis, an potius eadem jura convellere, honores imminuere, privilegia, & authoritatem velut in dubium revocare. Et quidem cum, ut Magnus olim fidenter ajebat Leo, præter illam Petram, quam Dominus in fundamento poſuit, ſtabilis eſſe nequeat ulla conſtructio; videte, Venerabiles Fratres, ne iſta porro cauſa ſit, cur poſt tot annorum curricula nunquam in Eccleſiis veſtris pax vera fuerit, nec unquam futura ſit, niſi, ut vos ipſi non ita pridem loquebamini, profligandis erroribus Romanæ Sedis invaleſcat authoritas, & clara, firmaque de rebus ad Catholicam Fidem pertinentibus prolata ſententia, caliginem omnem diſcutiat, animos fluctuantes componat, diſſidia prohibeat, Eccleſiæ tranquillitatem, ſplendoremque reſtituat. Tum demum unanimes id ipſum ſentietis, & non erunt in Vobis ſchiſmata, cum primæ Sedi, unde Sacerdotalis unitas exorta eſt, humili adhæſione conſentietis: tunc a ſubditis vobis ovibus integram obedientiam exigetis, cum eam Romanæ Eccleſiæ, cui ſubjectos vos eſſe cognoſcitis, pleno animo præſtiteritis: Maneat ergo, Venerabiles Fratres, ſuus Epiſcopali Ordini honor, ac dignitas, ſed quos poſuerunt Patres noſtri, terminos non excedat. Romanam Eccleſiam Eccleſiarum omnium Matrem, atque Magiſtram nulli inferiores Antiſtites judicare, aut docere præſumant, atque poſt ejus judicare judicium; Sed, quæ Romanus Pontifex (veteres vobis Gallicanos Canones recitamus) ſecundum ſacrum ſuum Miniſterium, authoritate Apoſtolica, decreverit, in ſumma veneratione ab omnibus ſuſcipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conſervetur, & maxime ab his, (ut olim Gallus Antiſtes, & quidem non ignavus Epiſcopalis amplificator juris admonuit), qui in illis regionibus habitant, in quibus Divina gratia per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrivit. Non ut confundamus vos, hæc ſcribimus, ſed pro paſtorali noſtra ſollicitudine, quam vobis etiam debemus impendere, ut Fratres, filioſque chariſſimos admonemus, rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu, ne effuſa nimis de Apoſtolica Sede amantiſſima Parente veſtra, unde vobis Religionis, propitio Criſto, fons, & origo manavit, ejuſque Conſtitutionibus, & Decretis ſcribendi, judicandique licentiam cæteris per univerſam Dei Eccleſiam offendiculo ſitis; diſpenſatio enim Nobis credita eſt, & ad noſtrum tendit reatum, ſi contra paternarum regulas Sanctionum B. Petri, ejuſque Sedis cauſam deferamus: Quoniam, ſi negligenter ea, quæ male uſurpantur omittimus, exceſſus viam aliis aperimus. Nemo ergo vos ſeducat inanibus verbis, aut falſa vobis protendendæ magis authoritatis veſtra promiſſione blandiatur. Diſcamus omnes non altum ſapere, ſed timere, cum ſcriptam ſit: *Rectiorem te poſuerunt, noli extolli*: cumque, admonente Domino ſtudere debeamus, ut, qui major eſt in nobis, fiat ſicut minor, pudeat, quod qui minores ſunt, Majori ſe æquare, quin & præferre quodammodo velle videantur. Charitatem ſectemur, ſine qua nihil ſumus, quæ non inflatur, non eſt ambitioſa, non quærit, quæ ſua ſunt, & multo minus, quæ ſua non ſunt, tentare præſumit. Maneat diſpoſitio veritatis ipſo Chriſti verbo firmata, quod etiamſi Cœlum, & Terra tranſierint, præterire non poteſt, ut ſcilicet B. Apoſtolus Petrus, cujus adhuc in Sede ſua vivit poteſtas, & excellit authoritas, & cujus etiam Dignitas in indigno Hærede non deficit, confirmare debet Fratres ſuos, non ipſe a Fratribus confirmari. Unitatem demum Catholicæ Eccleſiæ, rejectis vanis, & inutilibus contentionibus, quæ magis quæſtionem præſtant, quam ædificationem Dei, firmiter cuſtodiamus: Unitatem ſcilicet illam, quæ ut a Majoribus noſtris accepimus, in eo potiſſimum ſita eſſe dignoſcitur, ut quamvis in Populo Dei multi Sacerdotes ſint, multique Paſtores, omnes tamen proprie regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus. Et Apoſtolicam Benedictionem vobis omnibus, Venerabiles Fratres, quos ſincere in Chriſto charitate diligimus, quare & vobis liberius ad utilitatem veſtram loquimur, peramanter impertimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die

de-

„ decimaquinta Januarii 1706. Pontificatus Nostri Anno VI.

Aliud Breve Clem. XI. ad Regem Galliarum scripsit de Actis Cleri Gallicani vehementer expostulans, & ad eorum emendationem curandam Regis zelum excitans.

„ CHristianissimo in Christo Filio nostro Ludovico Francorum Regi Christianissimo: *Clemens Papa XI.* Charissime in Christo Fili noster salutem &c. Quæ sub nomine postremi Conventus Cleri Gallicani Typis vulgata sunt, si nihil addidissent ad ea, quæ aliquot ante annos in hujus Apostolicæ Sedis offensionem acta fuere, rem forte hanc, etsi satis per se odiosam, & sane parum excusabilem, dissimulare tamen potuissemus, illius exemplum imitati, qui ajebat, cum his, qui oderant pacem, eram pacificus. Verum, cum in negotio editæ a Nobis, Majestate etiam tua rogante, ad eliminandas Janseniani erroris reliquias Constitutionis ita egerimus, ut nihil in ea occureret, quod vel delicatioribus Gallicanorum usuum zelatoribus displicere merito posset, nihil æquius profecto expectare nos posse putabamus, quam ut in Cleri Comitiis pari saltem cautione, ac moderatione erga hanc Sanctam Sedem ageretur, eo præsertim tempore, quo majore opus erat tum inter Caput, & membra, tum inter Sacerdotium, & Imperium concordia. Quamvis autem minime dubitemus eam revera fuisse omnium, aut plerorumque saltem, qui aderant, Episcoporum mentem, Majestate tua idipsum certe intendente, tamen necesse est obreptum illis quorumdam callidorum hominum molitionibus, qui hanc utriusque potestatis concordiam exitio sibi esse dudum experti, ad eam quoquo modo labefactandam zizaniorum semina de more spargere clanculum studuerunt. Quod utique nimium illis e sententia cessit; nam, quæ hactenus ex hujusce Conventus actis prodiere, perinde constructa esse videntur, ac si non tam de recipienda præfata Constitutione nostra, quam de Sedis Apostolicæ authoritate conscribenda, vel potius elidenda cogitatum esset. Neque vero hic de ea solum causa agimus, quam nonnulli propriam, ac veluti privatam hujus S. Sedis esse volunt (quamquam vix ulla Romanæ Sedis causa peculiaris esse possit, quæ non statim ad universam Ecclesiam cujus illa Caput, Mater, & Magistra est, pertinere dicanda sit) sed usurpatam nuper doctrinarum novitatem insectamur, brevi, nisi reprimatur, processuram usque ad integram Constitutionum Apostolicarum, ipsius adeo Catholicæ Fidei subversionem, ad Regiarum Majestatis Tuæ Sanctionum elusionem, ad Jansenismi pariter, & Quietismi, imo & cujuscumque posthac hæresis impunitatem, atque triumphum; quæ quidem omnia, quoniam Majestati Tuæ dissimulata fuisse intelligimus, ne a nobis per quamdam exagerationem dicta esse videantur, ea dilecto Filio nostro Tussano S. R. E. Cardinali Jansonio Nobis hac de re, paucis ante ejus ab Urbe discessum diebus, disserenti pluribus confirmavimus, & per Venerabilem Fr. Augustinum Archiepiscopum Amasiensem Nuncium apud te nostrum Majestati Tuæ tum voce, tum etiam scripto pro rei gravitate uberius modo explicari mandavimus, ut plane intelligas, quam longe a veteri, probataque Gallicanæ Ecclesiæ doctrina, atque ab ipsa agendi ratione, quam in excipiendis, debitaque obedientia exequendis Innocentii Decimi, & Alexandri Septimi Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, ipsimet Galliæ Antistites iniere, postremus Cœtus iste discesserit. Quamobrem absque Pastoralis Muneris nostri negligentia omittere diutius non potuimus, quin eas, quas dudum de perperam in eodem Cœtu assertis, actisque conceperamus, querelas ad Venerabiles Fratres Archiepiscopos, Episcopos, & alios Ecclesiasticos Viros, qui inibi tunc congregati fuerunt, deferri curaremus, eosdem Apostolica authoritate, quam Deo authore, licet indigni, gerimus, & eo adjuvante ad ultimum usque vitæ spiritum constantissime sustinebimus, sedulo admonentes, ut tradita sibi in Ecclesia sollicitudinis parte contenti, plenitudinem potestatis huic B. petri Cathedræ divinitus attributam usurpare non audeant, & ejusdem de Catholica Fide Decreta venerari, & exequi discant, non discutere, aut judidare præsumant. Cæterum in hac expostulandi necessitate, cui nos nonnisi coactos cedere debuisse facile ex ipsa diuturni temporis mora intelliget Majestas Tua, hoc nobis solatio est, quod sciamus hujusmodi querelas nostras in aliquos dumtaxat, nequaquam vero in universum Gallicani Cleri corpus decidere, Nam præterquamquod plures Regni Provinciæ, sicut Nobis innotuit, suis ad Comitia Delegatis nullam de rebus Dogmaticis decernendi potestatem fecerant, nullumque Procuratores absentium Episcoporum, qui magno satis numero erant, super hisce rebus suffragium tulerant, publica insuper, constantique fama percepimus, clari nominis Episcopos non defuisse, qui magnopere obstiterunt, ne in Acta referrentur ea, quæ perniciosam novitatem continere, adeoque merito nobis ingrata fore satis, superque dignoscebant. Quemadmodum igitur illa omnia, quæ minus legitime, & contra veterem, sanamque, atque etiam in Gallia custoditam Majorum doctrinam gesta sunt, & nonnisi Jansenianæ, cæterarumque hæresum novitatibus in tuto ponendis proficere possunt, datis ad eosdem Episcopos literis reprobavimus, ita ea meliori illorum consilio, & Majestatis Tuæ potissimum, quæ tantam in insectandis erroribus, Ecclesiæque pace restituenda sibi laudem promeruit, zelo emendanda prorsus fore confidimus; neque enim Nostram, dum antiquos custodiri terminos volumus, sed Fidei, & Ecclesiæ, quin & ipsius Regni Tui causam agimus. Reliqua super hoc argumento accipies a præfato Nuncio nostro, tibique Charissime in Christo Fili noster Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur. Datum Romæ &c. die 25. Februarii 1706. &c.

„ De hoc argumento D. Lafiteau Episc. Sistericensis L. 1. Hist. Constitut. *Unigenitus*: Certum est, inquit, quod sufficiat tacita acceptatio corporis Episcopalis, ut Bulla habeat vim legis in universa Ecclesia, quare falsum fuisset asserere explicitam, & solemnem acceptationem Episcoporum necessariam esse (siquidem hæc fuisset Cleri Gallicani Sententia). Certum est etiam, quod Episcopi Conventus Gallicani nullum habebant Jus judicandi

candi

„ candi de definitione Pontificis, qui ipsis procul „ dubio superior est: Quare ipsi Episcopi non recusarunt, quominus dicta retractarent, ubi primum „ intellexere displicuisse Pontifici, quod fuerat per „ eos gestum. Ex alia autem parte, inquit idem „ Sistericensis, timuerunt Episcopi, ne Brevia Apo„stolica ad Regem, & Clerum hac in controver„sia nimium coarctarent limites auctoritatis Epi„scopalis: Nimirum iis verbis, quæ de Episcopis „ Gallicani Conventus a Pontifice dicebantur, *pa„rere discant, & exequi, & judicare non præsu„mant*. Ex quibus verbis colligere quis poterat „ Episcopos non esse nisi tantummodo executores „ Decretorum Pontificiorum. His nihil obstantibus, „ licet cœtus Episcoporum etiam Nationalium ne„queat judicare de Bullis Rom. Pontificis, omnis „ tamen Episcopus, inquit idem D. Lafiteau, Ju„dex est Articulorum Doctrinalium, de quibus Pa„pa pronunciaverit in Bulla, cumque Episcopus „ acceptat Dogmaticam S. Sedis Bullam idem judi„cium simul cum Papa pronunciat de Articulis in „ Bulla contentis. His principiis, a quibus nun„quam Clerus Gallicanus discesserat, Prælati asse„ruere sese libenter declaraturos; quod in Conven„tu Cleri pronunciaverant, jure tamen retento ju„dicandi de Articulis in Bulla contentis, quod jus „ neque controverti, neque alienari poterat, neque „ sese unquam passuros, ut huic juri aliquid detri„menti irrogaretur.

„ Declaravit Pontifex datis a se Brevibus Aposto„licis nullum habuisse animum violandi quidquam „ ex Juribus Episcopalibus: quare mutuo inter Pon„tificem, & Episcopos convenit, ut hi per Epi„stolam obsequiosam dicta declararent. Ejus qui„dem Epistolæ exemplar Romæ confectum per Card. „ Fabronum, cum Regi, atque Episcopis placuis„set, traditum Card. de Noailles fuit, ut nomine „ Conventus Gallicani, cui ipse præfuerat, ad Pon„tificem transmitteretur. Id nimium distulit Car„dinalis: anno autem 1708. interrogatus a Rege, „ num Epistolam ad Pontificem misisset, omnino „ affirmavit: post ait, sibi videri eam transmisisse: „ tandem fassus est, nondum quidem missam, sed „ illico mittendam: Atque ille quidem transmisit, „ sed immutatam in multis: Cum autem Rex no„mine Pontificis de hoc dolo quereretur, Cardi„nalis Regi respondit, se nihil immutasse de exem„plari autographo, quod Roma Parisios perlatum „ fuerat. At exemplari Autographo producto coram „ Rege, ac Cardinali, eoque cum Epistola per Car„dinalem scripta collato, compertum fuit Episto„lam in quinque locis gravissime immutatam ma„gno sane Testimonio, quid fraus Janseniana mo„liri possit". Hæc prolixe exponit D. Lafiteau „ L. 1. Hist. Constit. *Unigenitus* locis ipsis produ„ctis, qui per fraudem fuerant immutati. Quare „ alia Epistola ad normam exemplaris a Cardinali „ de Noailles missa Romam fuit mense Junio 1711. „ nomine reliquorum Episcoporum continens Sen„tentiam supra expositam, & controversiæ per se„xennium agitatæ finis impositum.

PROPOSITIO I. JANSENII.

Aliqua Dei præcepta hominibus justis volentibus, & conantibus secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.

SYNOPSIS.

I. Contendit Jansenius esse Augustini Doctrinam, quod aliqua præcepta impleri non possint, & quod desit gratia, qua possibilia fiant. II. Imo quod universim peccans careat viribus ad peccatum declinandum ob delectationem mundanam victricem.

III. Docet enim, peccatum bene consistere cum sola potentia ad non peccandum radicali, & remota, quam peccans habuit in causa, seu in libertate Adæ peccantis. IV. Hæc tamen doctrina repugnat definitionibus Tridentini adversus Lutherum, & Calvinum; fuitque proscripta in thesibus Baji. Repugnat etiam Scripturis luculentissimis. V. Augustinus etiam aperte illam negat: & ubi videtur illam admittere, multiplicem habet legitimum sensum ab hoc errore abhorrentem. VI. Justos posse implere præcepta solum remote citra gratiam sufficientem, idem est per Jansenium, ac posse conditionate, sicut cæcus potest videre remote, hoc est si haberet potentiam visivam.

VII. Nequit justo denegari auxilium sufficiens ad perseverandum in gratia ob defectum orationis sibi non liberum. VIII. Nec sufficit sola libertas in causa, seu in peccato Adæ ad contrahendum hic & nunc peccatum formale. IX. Incassum Jansenistæ præsidium aliquod in suis erroribus quærunt a Doctrina Prædeterminantium, quorum placita omnino coincidunt cum doctrina Catholica, & solum inter Scholasticos, non inter Polemicos disputatur, quomodo salvent libertatem, quam tuentur. X. In singulis quinque thesibus damnatis ut hæreticis Doctrina Jansenistarum longissime abest ab assertis Prædeterminantium.

I. EXponitur, referendo verba ipsius Jansenii tom. 3. lib. 3. de Gratia Salvatoris, c. 13. ubi præmissa quadam Augustini Doctrina, hæc habet. *Ex hac indubitata doctrina quædam non parvi momenti ad hanc rem spectantia inferuntur, & clarescunt. Primum quidem, esse quædam homini præcepta secundum statum, & vires, in quibus constitutus est, impossibilia. Secundum, non adesse semper gratiam, qua possimus, hoc est, qua illa eadem præcepta implere sufficiamus. Tertium, hanc impotentiam reperiri non solum in obcæcatis, & obduratis, & infidelibus, de quibus nunquam Augustinus, vel Ecclesia, sed solum Scholastici nonnulli ex humanis rationibus dubitarunt, sed etiam fidelibus, & justis. Quartum, hanc impossibilitatem fidelibus accedire, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.* Et infra addit: *Nihil in Sancti Augustini doctrina certius, ac fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus non tantum infidelibus excæcatis, & obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, & conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant; hoc enim Sancti Petri exemplo, aliisque multis quotidie manifestum esse, qui tentantur ultra quam possint sustinere.*

II. Quare ex Jansenio etiam justi, qui præcepta transgrediuntur, carent potentia ad ea observanda. Quamvis autem videatur id docere de aliquibus

tantum præceptis, at ex ejusdem Jansenii principiis quicumque præcepta transgreditur, caret gratia sufficiente ad ea servanda: Docet enim delectationem esse id, quod voluntatem reddit suo modo liberam, & potentem sive ad bonum, sive ad malum; ita ut si delectatio ad bonum prævaleat, desit in voluntate potentia ad male operandum: contra vero ubi delectatio ad malum sit major, desit potentia ad bene operandum; atque adeo qui ob delectationem erga malum victricem præcepta transgreditur, caret potentia ad eorum observantiam. Hæc sunt verba Jansenii l. 7. c. 2. *Dico igitur S. Augustini principiis insistendo, aliquid omnino esse præter nudam voluntatis facultatem, quod eam faciat velle, vel nolle, quo omnino absente, fit impotens, præsente potens sive ad bonum, sive ad malum*. Et cap. 34. dicit; id esse *Delectationem victricem*. Hinc quia in omni peccante deest delectatio victrix trahens ad bonum, ideo in omni peccante juxta doctrinam Jansenii deest potentia, seu sufficientia ad observantiam præceptorum; ac proinde quicumque caret gratia efficaci, caret etiam gratia sufficienti, sine qua vires non suppetunt ad bene operandum. Errores autem hosce Jansenium hausisse e fœcibus Lutheri, Calvini, Melanctonis, Chemnitii, & aliorum Heterodoxorum, fuse ostendit Ripalda t. 3. disp. 23. sect. 2.

III. Sed quomodo peccant homines violando præcepta, si carent viribus necessariis ad illa servanda? Respondet Jans. l. 3. c. 17. peccare, quia vires desunt ex defectu orationis; si enim orarent, vires impetrarent; ac proinde dum peccant, sunt saltem remote potentes ad non peccandum. At si secundum præsentes, quas habent, vires non possunt orare, eo quod delectatio victrix ad malum necessitet, quonam pacto dici possunt remote potentes ad non peccandum? Ad hæc Jansenius putat facere satis dicendo, peccatum tunc haberi in causa, nempe in peccato Adæ; cum enim in Adamo nos peccaverimus, & contraxerimus peccati fomitem, & carnalem concupiscentiam, qua determinamur ad malum, & cum potuerimus in Adamo non peccare, potuimus consequenter in causa peccatum tunc declinare, quamvis nunc vires deficiant ad illud declinandum.

IV. Ostenditur falsitas: Primo, quia doctrina hæc de impossibili legis observantia est ipsissima doctrina Lutheri, & Calvini, (ut fuse ostendit P. Annatus) contra quam Trident. sess. 6. cap. 11. habet: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub Anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia: nam Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis*. Et Canone 18. *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit*. Idemque docuit Arausicanum can. 25. dicens: *Hoc etiam secundum Fidem Catholicam credimus, quod accepta per Baptismum gratia omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint, & debeant, si fideliter laborare velint, adimplere*. Et Moguntinum cap. 9. docet, *Mandatorum Dei observantiam renatis, ac justificatis esse possibilem, non secundum infirmitatem, quam habent cum aliis hominibus communem, sed secundum gratiam Christi, qua imbuti sunt, & secundum opem Spiritus Sancti*.

Secundo, quia hæc eadem fuit Doctrina Baji a Pontificibus damanata, tum in ejus propositione 54. quæ habet: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*: tum in 67. quæ habet: *Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit*.

Tertio, quia repugnat Scripturis; dicitur enim 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patitur vos tentari supra id, quod potestis*. Lucæ 19. *Regnum Dei intra vos est*. Io. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*; essent autem gravissima Dei præcepta, si non esset eorum observantia in nostra potestate; nec vires, nec gratia adesset, quibus implendo mandata peccatum vitare possemus. Præterquamquod objurgationes, quæ passim in Scripturis habentur adversus Legis transgressores, essent deridendæ; non secus ac derideretur, qui cæcum objurgaret per hoc, quod non videat, cum videre non possit.

V. Denique, quia nihil apertius in Augustino hac veritate: L. 3. de Lib. Arb. c. 18. habet: *Quæcumque illa causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem? caveri igitur potest*. Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus a Deo*. Et serm. 191. de Tempore: *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari*. Doctrinam hanc, quam Augustinus putat execrandam, Basilius in Homilia, quæ incipit, *Attende tibi*, vocat impiam; & Trid. loc. cit. *Temerariam, & a Patribus sub anathemate prohibitam*; Jansenius tamen summa confidentia, ac fronte perfricta dicit esse Doctrinam Augustini, perinde quasi unus ipse potuisset mentem Augustini expiscari in aliis textibus, quos perperam pro sua sententia adducit, ut videre est apud eumdem Annatum erudite illos explicantem.

Aliquando enim Augustinus loquens de impotentia, quæ in natura lapsa peccatoribus obduratis sæpe inest, intelligendus est de impotentia morali, quæ ob pravos habitus, & ob subtractionem auxiliorum non raro specialiter inest voluntati in pœnam peccatorum; non vero de impotentia physica, quam propugnat Jansenius: Sicuti quando ad Hebr. 6. dicitur: *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam donum cœleste, & participes facti sunt Spiritus Sancti &c., & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*, ibi solum sermo est de impossibilitate morali, hoc est de summa arduitate. Aliquando vero dum loquitur Augustinus de impotentia, quæ aliquando inest justis, solum vult eos esse impotentes ad servanda Dei mandata citra Dei adjutorium, & gratiam, prout Trident. docuit, dicens: *Deus impossibilia non præcipit, sed præcipiendo monet, facere quod possis, petere quod non possis, & adjuvat ut possis*: quod innuit Apostolus verbis illis ad Rom. 7. *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum*. Aliquando etiam significatur impotentia consequens, non antecedens. Sic August. tr. 53. in Jo. interpretatur illud Jo. 12. ubi dicitur, quod Judæi *non poterant credere*, impotentia videl. præsupponente præscientiam malæ voluntatis ipsorum,

rum, qua suppofita certe nec poterant credere, nec Deus illos salvare volebat, eo quod ipsi credere nolebant.

VI. Ad id, quod respondet Jansenius, Deum impossibilia præcipere, etiamsi desint vires, & gratia ad ea implenda, quia scil. possumus ea implere remote, nimirum orando, ut nobis gratia conferatur, dicendum, quod in sententia Jansenii posse præcepta servare remote, non sit posse proxime ponere orationem, ad quam gratia consequatur ad implenda præcepta; cum hæc sit doctrina Tridentini; sed in sententia Jansenii, non secus ac in sententia Calvini, posse remote, est idem ac posse conditionate, quatenus si daretur gratia ad orandum, & Deus exaudiret orationes, darentur voluntati vires ad implenda præcepta, cum tamen absolute, ac de facto voluntas neque habeat vires ad implenda præcepta, neque vires ad orandum: atque adeo in sententia Jansenii ita homo dicitur posse implere præcepta remote, sicut cæcus, vel inclusus in tenebris dicitur posse remote videre, quatenus si haberet potentiam visivam, vel si lux irradiaret, posset legere, cum tamen neutrum sit in manu sua. Quare sicut cæcus injuste puniretur, & immerito objurgaretur, per hoc quod non legeret, prout illi præcipitur; ita injuste in sententia Jansenii puniretur, & immerito objurgaretur a Deo justus, qui nec vires, nec gratiam habet de præsenti ad implenda præcepta; nec vires habet ad ea per orationem impetranda.

VII. Instat Jansenius juxta Baji afferta, gratiam ad orandum denegari aliquando ob peccata præterita, saltem ob peccatum in Adamo contractum; his enim culpis homo redditus est positive indignus tali gratia, ut proinde sit illi imputabilis defectus gratiæ necessariæ ad orandum, & ad implenda præcepta; unde ipsa etiam transgressio præceptorum est illi imputabilis; atque adeo damnabiliter peccat in eo, quod necessario facit.

Sed contra est primo, quia justificatus non potest dici positive indignus ob peccata præterita, cum in eo post acceptam justificationem nihil damnationis maneat, ut loquitur Tridentinum: Quod etiam Scripturæ passim docent, cum dicunt, Deum post pœnitentiam pecatoris omnium peccatorum omnino oblivisci: quomodo autem oblivisceretur Deus peccatorum, si propter illa denegaret auxilia gratiæ ad orandum, & ad præcepta servanda, atque adeo ad salutem necessaria? denegat quidem sæpe Deus ob culpas præteritas auxilia specialia, quæ liberaliter collaturus esset, si culpæ non præcessissent: nunquam tamen Deus ob peccata præterita denegat justis gratias ad perseverandum in accepta justitia necessarias. Deinde si ob culpas præteritas homo esset positive indignus auxiliis ad orandum, & ad servanda præcepta necessariis, solum puniri posset, & objurgari ob ea peccata, quibus redditus est iis indignus, non vero ob omissionem orationis, & ob transgressionem præceptorum sibi non liberam. Hæc est apertissima Conciliorum, & Augustini mens, cui Jansenius, & Bajus obluctantur, conantes veluti per machinam Augustini verba vel invita ad suam sententiam confirmandam trahere, & non se menti Augustini, Conciliorum, & Ecclesiæ accommodare.

VIII. Ad id, quod reponit Jansenius, & cum illo Novatores, videlicet, nos in causa, nempe in peccato Adæ, contraxisse debitum carendi gratia ad observantiam præceptorum necessaria, & ideo eorum transgressionem esse nobis imputabilem in sua causa, quamvis desint de facto nobis vires, & gratia ad orandum, & obediendum; Dicendum id non subsistere, ut proinde proscripta sit ab Alexandro VIII. prima illa propositio, dicens: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas qua voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Quare quæ fuse diximus in expositione hujus thesis ab Alexandro VIII. confixæ, militant adversus hanc Jansenii invalidam responsionem. Constat enim libertatem in causa non efficere quod actus subsequens necessarius capax sit proprii meriti, aut demeriti; ut proinde qui prævidet se in ebrietate patraturum homicidium, si inebrietur, contrahat quidem utramque malitiam, & adversus temperantiam, & adversus justitiam; at quando citra formalem libertatem patrat homicidium, nullatenus peccat, nec novum demeritum contrahit: Sicut actus externus, utpote non liber formaliter, sed necessarius, non habet speciale meritum, ut demeritum supra meritum, aut demeritum actus interni, ut docent communissime contra Rubion. apud Granad. p. 2. contr. 2. tr. 14. d. 6. ,! esto superaddat specialem aliquam bonitatem, aut malitiam, juxta doctrinam Angelici p. 2. q. 20. ar. 4.

Adde, quod si peccata haberent solum libertatem in causa, seu in peccato Protoparentis a nobis originaliter contracto, cum illud per baptismum sit omnino sublatum, non possent amplius actus nostri ab eo peccato malitiam contrahere, ac demeritum.

IX. Somniant Jansenistæ præsidium aliquod in suis erroribus habere a doctrina Prædeterminantium, quatenus sicut prædeterminatus ad consensum in hac sententia videtur habere potentia ad dissensum solum remote, & conditionate, si scilicet careret ea prædeterminatione sibi non libera, & simul prædeterminaretur ad dissensum; ita in sententia Jansenii necessitatus ad trangressionem præcepti habet potentiam ad illud servandum, remote pariter & conditionate, si scil. careret ista fatali necessitate orta ex peccato Adami, & haberet simul gratiam ad orandum, & Deus huic orationi annueret.

Sed, ut optime Annatus in Prefatione, Jansenistæ toto cœlo discrepant a Prædeterminantibus, adeo ut Jansenistarum doctrina coincidat cum hæresi Calviniana contendente gratiam necessitare; doctrina vero Prædeterminantium spectatis assertis omnino cohæreat cum doctrina Catholica; (esto inter Scholasticos, non inter Polemicos disputetur, quomodo salvent libertatem arbitrii, quam tuentur) Jansenistæ enim cum Bajanis negant gratiam pure sufficientem, ac libertatem indifferentiæ, seu libertatem a necessitate in voluntate, putantes solam libertatem a coactione sufficere ad meritum, ac demeritum: Docentque peccantem habere potentiam ad obtemperandum præceptis, atque adeo ad non peccandum, per hoc quod id posset, si haberet gratiam ad orandum. Unde solum admittunt sufficientiam conditionatam, non absolutam; sicut quando dicimus, quod cæcus posset videre, si haberet potentiam visivam. Contra vero Prædeterminantes admittunt tum gratiam sufficientem, tum indifferentiam arbitrii; ac proinde docent, dissentientem absolute posse consentire in sensu diviso: quamvis enim nequeat cum consensu componi prædeterminatio ad dissensum, quippe quæ se tenet ex parte actus secundi, sive ut applicatio causæ secundæ ad agendum facta a Primo libero: potest tamen voluntas, & judicium indifferens, quæ spectant ad actum primum,

cum

cum utroque actu componi: atque adeo datur absolute potentia expedita ad observantiam præcepti in eo, qui peccat, cum prædeterminatio non spectet ad posse, sed ad agere: ubi per Jansenistas, & Calvinum gratia necessitans spectat ad posse, & non ad agere, adeo ut carens gratia efficaci, careat etiam sufficienti, nec possit absolute consensum ponere, sed solum conditionate modo explicato. Idemque Jansenius l. 1. de Gratia Christi c. 2. disertissime ostendit, se a Prædeterminantibus diffidere dicens: *Qui medicinalem Christi gratiam sic defendere conantur, ut eam in Prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium ex vi primæ causæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta non solum nullo testimonio ejus probari potest, sed potius universam ejus doctrinam innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat: tollit enim differentiam integræ, lapsæque voluntatis, necnon duplicis adjutorii Quo, & sine quo non; cum quorum altero Adamus velle, stareque potuit, & Angeli reipsa voluerunt, steteruntque, lapsi homines velle, aut stare non possunt: tollit, obscuratque veram radicem necessitatis gratiæ medicinalis, nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam.* Et infra addit, *Prædeterminationem physicam tanquam gratiam ab Augustini sensibus esse remotissimam, & potius vi humanæ philosophiæ, quam Augustinianæ Theologiæ expressam, & inventam esse.*

X. Ex quibus fit primo, in sententia Jansenii observantiam mandatorum esse impossibilem in eo, qui caret gratia efficaci, eo quod careat etiam gratia sufficienti, quæ Jansenio est incognita; quod non militat in sententia Prædeterminantium, qui docent peccantem carere quidem gratia efficaci, non tamen sufficienti ad non peccandum; atque adeo possibilem esse præceptorum omnium observantiam.

Fit secundo, in sententia Jansenii humanum arbitrium in statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistere, quod Prædeterminantes admittentes gratiam sufficientem non tolerant: Quicquid sit, utrum in hac sententia explicari possit in proprio sensu, quod voluntas possit gratiæ efficaci resistere, per hoc scilicet, quod possit dissentire in sensu diviso ab illa, seu si illa abesset. Qua de re plura a Patribus Societatis contra Prædeterminantes in disputationibus coram Pontifice, ut videre est apud Eleutherium in Historia controversiarum de Auxiliis lib. 6. c. 17.

Fit tertio, juxta doctrinam Jansenii non dari in natura lapsa libertatem a necessitate, ac proinde solam libertatem a coactione ad meritum, & demeritum sufficere; Prædeterminantes autem admittentes indifferentiam arbitrii, omnino abhorrent ab hoc errore.

Fit quarto, Jansenistas docere, gratiam esse talem, cui non possit humana voluntas reluctari, aut obtemperare; quod alienum est a doctrina Prædeterminantium.

Fit denique, Jansenium consequenter docere, quod Christus Dominus non sit mortuus pro omnibus, sed pro Electis duntaxat: cum reprobis nulla detur gratia per Christum; non efficax, quia salvarentur; neque sufficiens, cum non detur in sententia Jansenii gratia sufficiens, cui possit humana voluntas resistere: Ubi Prædeterminantes contendunt, pro omnibus omnino, etiam pro reprobis, Christum fudisse Sanguinem pretiosissimum, & mortuum esse; cum velint omnibus conferri ex meritis Christi gratiam sufficientem ad salutem. Ecce quantum Prædeterminantes a Jansenistis diffident, ut proinde nullum possint isti ab illorum assertis habere patrocinium in ulla ex quinque proscriptis Propositionibus: quod fusius de Champs, ac Ripalda tom. 3. disp. 14. prosequuntur.

PROPOSITIO II. JANSENII.

Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.

SYNOPSIS.

I. *Admittit Jansenius, posse hominem in natura lapsa resistere gratiæ exteriori Prædicationis, non tamen gratiæ interiori Illuminationis, putans omnem gratiam per Christum medicinalem esse efficacem.*

II. *Passim docuit cum Calvino, Petro Molinæo, & aliis gratiam interiorem pure sufficientem esse monstrum gratiæ, Augustino, & aliis Patribus, nec non Conciliis, & Ecclesiæ incognitum.* III. *In eo autem nititur, quia ex Tridentino petere debemus a Deo id, quod non possumus; unde videtur deficere nobis sufficientia.* IV. *Necnon quia sicut obduratis, & obcæcatis denegatur sufficientia ad bene operandum in penam peccatorum præteritorum, ita omnibus præcepta violantibus in penam peccati originalis.*

V. *Sed passim Scripturæ docent, dari gratiam pure sufficientem, atque adeo nos gratiæ interiori obluctari.*

VI. *Idque etiam in natura lapsa ex Tridentino, & Augustino, aliisque Conciliis, & Patribus.* VII. *Qui præcepta transgreditur, vel vires habet sufficientes ad obtemperandum, & jam gratiæ interiori resistit; vel non habet, & obligatur ad impossibile.*

VIII. *Hinc negari nequit etiam in natura lapsa gratia pure sufficiens, quam Jansenius vocat* Adjutorum sine quo non, *condistincta ab efficaci, quam vocat* Adjutorium quo. IX. *Hujusmodi gratia pure sufficiens debet esse simpliciter sufficiens; non vero sufficiens, si non præsocaretur a cupiditate. Aliter non posset homini exprobrari, quod Spiritui Sancto resistat, & quod lumini sit rebellis. Illud Christi Domini*, Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me, *intelligendum est ex Augustino de eo, qui vocatur congruenter, & efficaciter, non vero duntaxat sufficienter.*

X. *Petendum quidem, ut habet Tridentinum, id quod non possumus, sed dari debet gratia sufficiens ad orandum, ut defectus orationis sit culpabilis; & dari debet sufficientia, saltem physica ad obtemperandum præceptis, ut eorum transgressio culpæ adscribatur.* XI. *Obduratis, & obcæcatis solum potentia moralis denegatur, non vero physica ad resipiscendum, nec Infidelibus denegatur gratia sufficiens ad impetrandum actum Fidei supernaturalem.*

XII. *Sine gratia efficaci potest quidem actus bonus poni, quamvis sine illa impossibile sit, quod ponatur; non secus ac impossibile est, ut ponatur bona operatio Antichristi absque ejus præscientia ab æterno; potest tamen ea poni absque tali præscientia; ea siquidem impotentia est consequens, non vero antecedens, quæ unice est libertatis eversiva.*

I. Exponitur. Duplicem gratiam distinguit Jansenius in natura lapsa, alteram exteriorem, seu prædicationis: alteram interiorem, seu illuminationis. Concedit quidem, quod Infidelis gratiæ prædicationis possit resistere, non acceptando Evangelium, quod illi prædicetur; negat tamen, quod possit aliquis reluctari internæ suggestioni Spiritus Sancti: nititurque in erronea illa Baji sententia apud Ripaldam t. 3. disp. 23. quod scilicet post Adæ lapsum nulla detur gratia pure sufficiens, quæ scilicet non sit simul efficax, & reipsa operans; eo quod gratia pure sufficiens sit prorsus inutilis, & perniciosa, ac monstrum quoddam gratiæ, antiquis Scholasticis, Augustino, Patribus, Conciliis, & Ecclesiæ incognitum, & a solis recentioribus, & Pelagianis excogitatum; quandoquidem natura lapsa tanta laborat infirmitate, ut solum gratia efficaci adjuvari possit; unde omnis gratia per Christum medicinalis esse debet efficax. Ex qua doctrina promanavit sexta illa thesis ab Alexand. VIII. confixa: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A Gratia sufficienti libera nos Domine.*

Hinc Janseniani inferunt primo, quod qui peccant, & tentationibus succumbunt, careant sufficientia ad illas superandas. Secundo, præcepta, quæ in natura lapsa homines transgrediuntur, esse impossibilia quæ observentur, ex defectu gratiæ, qua possibilia fiant, juxta erroneam doctrinam primæ propositionis Jansenianæ. Tertio, non posse post lapsum Protoparentis statui in Deo voluntatem, qua omnibus hominibus vel generalia, vel specialia adjutoria ad salutem necessaria præparavit, sed solum velleitatem quandam, damnatis etiam in statu damnationis communem; atque adeo Deum post Adæ lapsum non habere voluntatem salvandi omnes, quantum est in se, sed solos Electos, quibus solis auxilia efficacia disposuit. Quarto demum, Christum D. non fuisse pro omnibus mortuum, sed pro solis Electis.

II. Docuit hoc Jansenius pluribus in locis apud Annatum, præsertim t. 3. lib. 2. de Gratia Salvat. cap. 25. ubi dicit, *Medicinalem Christi gratiam semper effectum suum inferre voluntati*. Et cap. 31. habet, *Veram Christi gratiam semper agere, & peragere effectum suum, & quæ hoc non facit, ab Augustino relegari ad legem, atque doctrinam*. In hoc autem principio convenit Jansenius cum Calvino, qui in Antidoto Conc. Trid. cap. 6. sess. 6. dicit, *Motum Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut Fidem semper gignat*; & 2. Instit. cap. 3. agnoscit *perpetuum* effectum gratiæ: Unde cap. 7. infert: *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum*. Convenit pariter cum Petro Molinæo Calvinista in Anatome Arminianismi cap. 36. apud eundem Annatum, & apud Ripaldam disp. 23. sect. 2. qui habet: *Pessimum, quod in opinionibus istis negatis reperio, est gratia sufficiens, quam dicitur dare Deus omnibus hominibus*. Et Samuel Maresius in additionibus ad Catechismum Jansenianum pag. 25. ex illius Catechismi doctrina infert: *Sic corruit inepta, & importunæ Jesuitarum, & aliorum gratiæ distinctio in sufficientem, & efficacem, circa quam hærent mille difficultatibus impliciti*; Et mox subdit: *Nec gratia Christi dici debebit, nisi victrix, & liberatrix fuerit*. Quæ si ita se haberent, procul dubio interiori gratiæ in natura lapsa nunquam resisteretur.

III. Fundamentum hujus erroris videtur esse, Primo, quia ex Trid. sess. 6. cap. 11. & Augustino passim, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis*: ergo in natura lapsa non datur sufficientia ad implenda præcepta; si enim ea daretur, frustra Trid. diceret, quod ea sit petenda a Deo. *Quid enim stultius*, inquit Augustinus apud Ripalp. disp. 23. n. 142. *quam orare, ut possis id, quod jam habes in tua potestate?*

IV. Secundo, quia excæcatis, & obduratis denegatur gratia sufficiens ad implenda præcepta, cum in hoc consistat obduratio, quod gratia sufficiens subtrahatur: Infideles etiam destituuntur omnia gratia; siquidem Infidelibus omnis gratia denegatur ante Fidem; hæc enim omnis boni operis est initium, juxta illud Trident. sess. 6. c. 7. dicentis, Fidem esse *Humanæ salutis initium, fundamentum, & radicem omnis justificationis*: ergo potuit pariter omnibus in natura lapsa denegari gratia sufficiens: immo de facto denegatur, posita Augustini auctoritate passim admonentis, gratiam sufficientem a Deo petendam, eo quod desit nobis. Sicut enim in obduratis defectus gratiæ sufficientis ad legem implendam non excusat eos a culpa in transgressione præceptotum, quin propter peccata antecedentia iis subtrahitur: ita in natura lapsa defectus gratiæ sufficientis non excusat a culpa in transgressione præceptorum, eo quod pariter ea subtrahatur in pœnam peccati originalis; & consequenter licet in utroque casu transgressio præceptorum tantum habeat libertatem a coactione, non excusat tamen a culpa, quia in utroque casu fuit libertas indifferentiæ in causa. Ex quibus aperte sequitur, quod si nunquam in natura lapsa datur gratia pure sufficiens ad implenda præcepta, nunquam in natura lapsa resistitur gratiæ interiori.

V. Ostenditur falsitas. Primo ex Scripturis, quæ passim docent hominem vocationi Divinæ reluctari; monentque, ne quis desit gratiæ. Prov. 1. *Vocavi, & renuistis*. Actor. 7. *Vos semper Spiritui S. resistitis*. Matth. 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Job. 24. *Ipsi fuerunt rebelles lumini*. 2. ad Cor. 7. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Non possunt autem hæc apte explicari, nisi detur gratia interior, cui resistatur. Quomodo enim poterit cuipiam exprobrari, quod vocatus non responderit, si vox, qua vocatur, sit adeo debilis, ac tenuis, ut non pertingat ad auditum interiorem, quo solum excitari potest is, qui vocatur? Quomodo poterit dici, quod peccator noluerit congregari sub alas Dei vocantis, & invitantis, si voluntati humanæ nulla facta sit intimatio Divinæ voluntatis, ac interna monitio, a qua solum moveri potest? Quomodo potest dici rebellis lumini, qui nulla interna illustratione illuminatur? ac frustra esset monitio illa, Ne in vacuum Dei gratia recipiatur, si alia nobis interior gratia non detur, nisi quæ sit efficax.

Respondent Jansenistæ, dari nobis gratiam interiorem, quæ in vacuum recipiatur; illam tamen non esse sufficientem ad bene operandum, eo quod inferior sit cupiditate, qua opprimitur, & solum nata sit gignere desiderium inefficax. Solum in statu naturæ integræ agnoscunt Jansenistæ gratiam sufficientem, quam vocant *Adjutorium sine quo non*; in statu vero naturæ lapsæ solum admittunt gratiam efficacem, quam vocant *Adjutorium quo*: hæc enim habet

habet Jansenius l. 2. de Grat. Salvat. c. 4. *Nullum adjutorium gratiæ, cujus usus ita ponitur in arbitrio voluntatis, ut illo utatur, aut non utatur, ut illud amplectatur, aut deserat, ut illi consentiat, aut non consentiat, si voluerit, quantumvis sine ipso non velit, aut velle non possit, esse adjutorium quo fit, ut velit, sed tantum sine quo non, & proinde ad medicinale adjutorium Christi nullo modo posse pertinere.* Et c. 27. *Quisquis jam alia Divinæ gratiæ adjutoria infirmis hominibus asserere nititur, quæ deserant, si velint, & in quibus permaneant, si velint, cum quibus tanquam sufficientibus permaneant, si velint, nihil aliud imprudens facit, nisi ut originali peccati virus evacuet, illæsas liberi arbitrii vires esse, Christum frustra venisse, & gratis mortuum esse persuadeat.* Additque passim nec Augustinum, nec alios Patres agnovisse in natura lapsa gratiam sufficientem, quæ effectu suo careat; eo quod dicatur Jo. 6. a Christo D. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.*

Verum quantum hæc omnia a vero aberrent, ex eo manifeste constat, quod ipso Calvino teste adversantur doctrinæ Tridentini. Hæc enim habet Calvinus, a quo hæc hæresis promanavit, in Antid. c. 6. sess. 6. Conc. Trid. *Aperte repugnat, quod hic pronunciant Tridentini Patres cum illa Christi sententia, Quisquis audivit a Patre, &c. Nam, ut prudenter advertit Augustinus, inde sequitur, nullum a Deo audire, & discere, quin simul in Christum credat; motumque Spiritus Sancti sic esse efficacem, ut Fidem semper gignat: constituere autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet, hoc nullo modo conciliari posse.*

VI. Probatur autem hujus erroris falsitas ex Conciliis, & Patribus, præsertim Augustino, & ratione. Trid. sess. 6. c. 5. habet: *Tangente Deo cor hominis, &c. inspirationem illam recipiens abjicere potest.* Et in Conc. Senonensi 1528. Decr. Fidei 15. dicitur; *Non est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit.* Idemque docet Arausicanum II. Valentinum III. & alia Concilia, & Patres apud Moraines disp. 23. ac præsertim Augustinus, qui in Ps. 91. dicit; *Satanas non cogit invitum; in tua potestate est consentire, aut non consentire.* Et Hom. 32. ex 50. habet: *Per Dei adjutorium, cum sit in potestate tua, utrum consentias diabolo, quare non magis Deo, quam ipsi obtemperare desideras?*

VII. Ratio demum est, quia dum quis in natura lapsa obligatur ad exercitium virtutum supernaturalium Fidei, Spei, & Charitatis, & huic obligationi non satisfacit, vel habet vires supernaturales ad satisfaciendum, vel non: Si primum: ergo resistit gratiæ interiori præbenti vires illas: Si secundum; obligaretur ad impossibile; quod ut ostendimus in expositione propositionis antecedentis, sustineri non potest. Similiter quando homo obligatur ad vincendas tentationes contra easdem virtutes, ne obligetur ad impossibile, debet habere gratiam interiorem ad eas superandas; quod si non superet, idcirco peccat, quia gratiæ illi interiori resistit; atque adeo falsum est, Gratiæ interiori in natura lapsa nunquam resisti. Idem etiam ostenditur ex eo, quod Trident. dicit ex Aug. de natura, & gratia c. 26. *Justificatos Deum non deserere, nisi prius ipse deseratur;* quid enim est Deum deserere, nisi gratiæ interiori obluctari? Et Osee 13. *Perditio tua, Israel; tantummodo in me auxilium tuum.* Quomodo autem potest perditio esse ex nostra culpa, & a Deo tantummodo auxilium, nisi gratiæ sufficienti, & interiori resisteremus? Mitto alia, quæ ne fastidium pariant, si hic coarcerventur, dicemus in expositione propositionis quartæ, quæ cum hac secunda coincidit, ubi ostendemus ex Angelico, quomodo intelligendum sit illud Christi Dom. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.*

VIII. Ex quibus sequitur primo, gratiam pure internam sufficientem, ut distinctam ab efficaci, in natura lapsa negari non posse, ut fuse ostendit Ripald. t. 3. disp. 23. necnon Didacus Alvares disp. 71. ex Scriptura, CC. PP. Scholasticis, præsertim D. Th. adeo ut nemo Catholicorum ea de re possit dubitare. Et Jo. a S. Th. in disp. 20. ostendit, inter errores, quibus doctrina Calvini distinguitur a doctrina Thomistarum, esse, quod Calvinus gratiam sufficientem negaverit, secus vero Prædeterminantes: Quod etiam ostendit P. Lemos coram Pontifice in disp. de Auxiliis: Negata enim gratia sufficienti, nemo peccaret succumbendo tentationibus, & violando præcepta; cum ex Augustino nemo peccet in eo, quod vitare non potest.

IX. Sequitur secundo, admittendam esse in natura lapsa gratiam interiorem, non quidem tenuem insufficientem ad bene operandum, utpote præfocatam a cupiditate victrice (quam solum admittunt Jansenistæ dicentes, quod huic possimus tantum resistere quoad effectum, quem illa posset producere, si non præfocaretur a cupiditate, & quem Deus non vult produci) sed admittendam esse cum Catholicis gratiam interiorem sufficientem de se ad bonam operationem, & cui possimus resistere per hoc, quod libere possimus illi non consentire, atque adeo possimus impedire effectum, quem de facto potest illa producere, & quem Deus intendit produci. Ratio est, tum quia locutiones Scripturæ, Conciliorum, & Patrum non possunt aliter nisi ineptissime explicari; tum etiam quia non posset homini rationabiliter a Deo exprobrari, quod gratiæ resistat, quod in vacuum gratiam Dei recipiat, quod sit lumini rebellis, si nullatenus posset de facto gratiæ interiori consentire. Quomodo enim posset exprobrari v. g. ægroto, quod non curetur, si non detur illi pharmacum sufficiens ad curationem, & solum propinetur illi potus aquæ frigidæ, qui sufficeret ad curationem, si vis morbi de facto non prævaleret? Quomodo posset exprobrari v. g. captivo, quod non se redimat, si solum dentur illi tres oboli, qui de facto non sufficiunt ad redemptionem? Et quomodo dici posset, quod homo desit gratiæ, si hæc præfocata a cupiditate victrice habet de facto totum effectum, quem habere potest, & quem Deus vult ut habeat, & intantum non conjungitur cum bona operatione, inquantum non potest de facto cum illa conjungi, nec Deus vult, quod cum illa conjungatur? Sicut enim non potest adscribi culpæ, quod non fugiat, qui a compedibus præpeditur, quamvis posset fugere, si compedibus careret; ita non potest culpæ adscribi, quod non consentiat gratiæ voluntas, quæ a cupiditate victrice impeditur, quamvis posset illi consentire, si non impediretur. Hinc August. ser. 17. de Verbis Apost. c. 4. loquens de peccatore hinc a concupiscentia, inde a gratia allecto dicit: *Habet concupiscentiam, cum qua pugnet, eamque Deo adjuvante superet, si non in vacuum gratiam ejus susceperit, si reprobus esse noluerit.* Et l. 1. de peccat. meritis c. 39. *Cor eorum congelascit adversus Deum, & fit durum adversus im-*

 brem

trem gratiæ ipsius, ne fructum ferat. Constat itaque, gratiam interiorem in nobis dari sufficientem ad salutariter operandum, cui reluctari possimus, & non raro reluctemur. Quare id quod dicitur Jo. 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*, Intelligendum est de eo, qui vocatur vocatione congrua, & gratia efficaci, non vero gratia duntaxat sufficienti. Quod expressit Augustin. lib. 1. q. 2. ad Simplician. dicens: *Illi Electi, qui congruenter vocati; illi autem qui non congruebant, nec contemperabantur vocationi, non Electi, quia non secuti, quamvis vocati*. Et infra: *Etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis aptum erat, ut sequantur*.

X. Ad primam rationem in contrarium dicendum, a Tridentino, & Augustino nos moneri, ut petamus id, quod non possumus relate ad præcepta implenda: ergo ex Trid. datur in nobis sufficentia ad orandum, unde mediis auxiliis per orationem impetrandis sufficientiam habemus ad præcepta servanda; atque adeo ex his ipsis Tridentini, & Augustini verbis evincitur, dari auxilium sufficiens. Adde, sufficientiam, quam orationibus debemus petere, non esse sufficientiam physicam, sed moralem; (cum præceptum supponat physicam sufficientiam, atque adeo auxilia ad obediendum requisita in eo, cui imponitur (unde quando dicitur, a Deo petendum id, quod non possumus relate ad observantiam præceptorum, intelligendum est, quod a Deo petenda sit sufficientia moralis, sine qua dicitur communiter esse impossibilis observantia præceptorum, ob difficultatem, & arduitatem, non ob veram, & physicam impotentiam. Quare si vere essemus physice impotentes ad observantiam præceptorum sine gratia, quam Deus paratus est orationibus dare, peccaremus tantum non orando, non vero præcepta transgrediendo: Sicuti quia physice non potest legere Horas, qui projicit Breviarium, si illud projiciat, tunc solum quando illud projicit, peccat contra præceptum recitandi Horas, quod etiam obligat ad non ponenda impedimenta ad eas recitandas, atque adeo ad non projiciendum Breviarium; post projectionem vero Breviarii nullum aliud peccatum committit Horas non recitando; cum nemo teneatur ad impossibile.

XI. Ad secundam retorquetur pariter argumentum: Obdurati, & obcæcati non peccant transgrediendo præcepta, quæ physice non possunt implere, cum non sufficiat libertas in causa, ut diximus in expositione propositionis antecedentis: ergo nec peccat in natura lapsa, qui caret sufficientia physica ad ponendum opus præceptum; unde si interiori gratiæ nunquam resistitur, nunquam peccatur. Communis itaque Catholicorum doctrina est, obduratis, & obcæcatis, sicut etiam Infidelibus non negari a Deo potentiam physicam, atque adeo sufficientiam ad implenda præcepta, ad quæ obligantur; quamvis in pœnam denegetur aliquando obcæcatis, & obduratis sufficientia moralis, hoc est subtrahatur specialis aliqua gratia, qua moraliter, seu citra difficultatem operari possent, & forte operarentur. Hinc Aug. tr. 53. in Joan. loquens de Judæis, de quibus dicitur Jo. 12., quod *non poterant credere*, dicit: *Quare autem non poterant, si a me quæratur, cito respondeo, quia nolebant*. Et lib. de Gratia, & Liber. Arbit. c. 12. *Gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant*. Et D. Tho. in 1. dist. 40. q. 4. a. 2. explicans causam obdurationis habet: *Dicunt Sancti communiter, Dionysius, Augustinus, & Anselmus, quod causa, quare iste non habet gratiam, est, quia ipse noluit accipere, & non quia Deus noluit dare; quia lumen suum omnibus offert, quod tamen non ab omnibus percipitur*.

Neque obstat id quod dicitur, videl. ante Fidem, quæ est initium omnis boni operis supernaturalis, nullam dari in Infidelibus gratiam. Quamvis enim ante Fidem nulla detur operatio supernaturalis meritoria vitæ æternæ, negari tamen non potest, quod ante actum Fidei, & ante piam affectionem ad fidem, seu ante actum supernaturalem liberum, quo Fides imperatur, præcedat gratia sufficiens, qua possit homo illum actum liberum elicere: aliter quomodo peccaret respuendo Fidem, si careret sufficientia ad Fidem amplectendam? Quicquid sit, utrum ante hunc ipsum actum liberum supernaturalem, quo Fides imperatur, præcedat etiam sæpe Oratio supernaturalis de congruo meritoria, qua petatur a Deo illustratio ad veram Fidem amplectendam: Quod Lugo disp. 13. de Fide num. 24. cum aliis admittit, eo quod hujusmodi Oratio ad ipsam Fidem pertinere videatur, ut habet Gregorius Homil. 9. in Ezech. dicens, *Opera sine Fide non adjuvare, nisi fortasse pro Fide perficienda fiant: sicut Cornelius ante pro bonis operibus meruit audiri, quam Fidelis existeret*. Alii tamen id negant, dicente Arausicano II. c. ult. *Hoc salubriter confitemur, quod in omni opere bono nos non incipimus, sed ipse nullis nostris præcedentibus meritis prius Fidem inspirat*.

XII. Illud in speciem hic posset objici, quod juxta omnes Catholicos citra cogitationem congruam, & gratiam efficacem impossibile sit actum præceptum poni; ea tamen omnino caret, qui præceptum transgreditur: ergo carens gratia efficaci non potest actum præceptum ponere, atque adeo caret sufficientia ad illum ponendum; unde bene potest intelligi, quod præceptum violetur culpabiliter ab eo, qui caret sufficientia ad illud observandum.

Argumentum tamen nimis probat, atque adeo nihil; probat enim, quod etiam in natura integra desit sufficientia ad ponendum actum præceptum in peccantibus, cum desit cogitatio congrua, seu gratia efficax, sine qua observantia legis impossibile est ut ponatur.

Dicimus itaque, prout etiam explicavimus in expositione propositionis 6. Alex. VIII., quod sicut sine præscientia de actu bono absolute futuro Antichristi impossibile est, quod ponatur talis actus, quin per hoc de facto citra hanc præscientiam Antichristus careat potentia, & sufficientia ad actum bonum ponendum; ita sine gratia efficaci involvente ipsum concursum Dei in actu secundo ad bonam operationem, & sine gratia efficaci in actu primo involvente præter gratiam sufficientem scientiam mediam de actu bono sub tali auxilio, seu futuritionem conditionatam talis actus, impossibile est, quod actus bonus ponatur a voluntate creata, quin per hoc citra gratiam efficacem desinat in peccantibus potentia, & sufficientia ad actum præceptum ponendum. Et eodem modo per Prædeterminatores, licet sine prædeterminatione ad actum bonum impossibile sit, quod actus bonus ponatur; potest tamen sine illa poni: quandoquidem sicut in sententia Societatis scientia media de consensu conditionate futuro prærequisita ad actum bonum absolute futurum non spectat ad posse creaturæ, sed prærequiritur tantum ex parte intellectus Divini; ita in sententia Prædeterminantium

tium non spectat prædeterminatio ad posse voluntatis, sed prærequiritur ex parte primæ causæ, & primi liberi, quod debet applicare potentiam creatam ad agere: Quicquid sit, Utrum eodem modo cohæreat cum libertate actus illa scientia media prærequisita a DD. Societatis, quæ logice ad ipsum actum consequitur, quamvis tempore antecedat, ac prædeterminatio ista, quæ omnino antecedit natura ipsum actum liberum, unde est aliquod antecedens inimpedibile, & incompossibile cum omissione actus.

Hinc fit, quod sine gratia efficaci impossibile sit actum præceptum poni impotentia tantum consequente, non vero impotentia antecedente; non secus ac sine præscientia Dei ab æterno de actu bono Petri impossibile est, quod Petrus ponat actum bonum, impotentia solum consequente, non antecedente. Quod autem sola necessitas antecedens evertat libertatem, non vero necessitas consequens, est doctrina Divi Anselmi, & Angelici communissime recepta, prout explicabimus in thesi sequenti.

PROPOSITIO III. JANSENII.

Ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiritur in homine libertas a necessitate, sed sufficit libertas a coactione.

S Y N O P S I S.

I. Jansenius docuit, humanam naturam post Adæ peccatum in suis actibus a victrice delectatione sive ad bonum, sive ad malum agi necessario. II. Nec aliam libertatem indifferentiæ habere, nisi in causa, seu in Adæ peccato.

III. Quod ad demeritum contrahendum sufficiat sola libertas a coactione cum libertate indifferentiæ in causa conatur ostendere ex eo, quod actus spontanei, quamvis citra libertatem indifferentiæ ponantur, adhuc sunt in nostra potestate, atque adeo sunt liberi libertate sufficiente ad merendum, vel demerendum. IV. Sic in Deo stat perfectissima libertas etiam relate ad actus non liberos libertate indifferentiæ. V. Deus libere semetipsum amat, & Beati Deum: ac Spiritus Sanctus libere, quatenus non coacte, a Patre, Filioque procedit. VI. Diabolus, ac damnati vere peccant, dum odio habent Deum, quamvis necessario. VII. Ac Christus D. libere obtemperavit præcepto mortis, quamvis non posset præceptum transgredi.

VIII. Verum Scripturæ passim docent, dari in natura lapsa libertatem indifferentiæ, seu a necessitate in ordine ad bene, vel male operandum. IX. Necnon Tridentinum, & Augustinus illud brevissimum inculcat: Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? *X. Inepte Jansenius interpretatur Tridentinum, ubi docet, posse liberum arbitrium dissentire Deo vocanti, si velit, in eo sensu, quo Beati possent Deum odisse, si vellent, esto non possint id velle. XI. Inepte etiam Jansenistæ admittunt in voluntate solam indifferentiam potentiæ, non actionis, quatenus voluntas, utpote flexibilis, potest modo bonum, modo malum amplecti, quamvis neutrum amplectatur cum libertate a necessitate. XII. Inepte demum docent, in voluntate dari solum libertatem indifferentiæ radicalem, & remotam, nempe in causa, seu in peccato Adæ, non vero formalem, & proximam. XIII. Libertas quippe ad meritum, vel demeritum requisita debet esse electiva.*

XIV. Actus tunc dicuntur esse in nostra potestate, quando sumus illorum domini, atque adeo quando immunes sunt a necessitate. XV. Conciliatur præscientia Dei infallibilis cum libertate nostrorum actuum per hoc, quod ex illa solum inferatur necessitas consequens, non antecedens. XVI. Deus libere decernit in instanti suæ æternitatis, quamvis non possit decreta mutare. XVII. Ad exercendam justitiam Deus solum habet libertatem contradictionis, non contrarietatis. XVIII. Quæstio est de voce, num possit dici Deus libere semetipsum amare, ac Beati Deum, & Spiritus Sanctus libere procedere, per hoc quod ad hæc omnia solum detur libertas a coactione. Certe ad meritum, vel demeritum hujusmodi libertas non est satis. XIX. Diabolus, ac damnati, si peccant odio habendo Deum, habent ad id libertatem saltem physicam, si minus moralem: Quod si ea carerent, odium Dei esset peccatum mere materiale, & actus pœnalis potius, quam peccaminosus. XX. Ipse Christus D. sine libertate indifferentiæ mereri non poterat in acceptatione mortis: esto varie impeccabilitas Christi cum libertate ad non acceptandam mortem præceptam a DD. concilietur.

XXI. Nonnemo multis conatus est ostendere, quod Christus Dominus mereri potuerit cum sola libertate a coactione, per hoc quod Humana Christi natura non fuerit lapsa, sed integra. XXII. At si in statu naturæ lapsæ non sufficit sola libertas a coactione, cum libertate indifferentiæ in causa, seu in peccato Adæ, a fortiori ea libertas non sufficit in statu naturæ integræ, in quo non datur libertas indifferentiæ in causa. Immo ex Scripturis, & PP. constat, Christum Dominum habuisse libertatem indifferentiæ in acceptatione mortis. Libertas a coactione sufficit solum ad laudem, vel vituperium, non vero ad meritum, vel demeritum. Nec oppositum docent Patres, & Angelicus, si alte perpendantur.

I. Exponitur. Jansen. l. 4. de Gratia Christi c. 9. docet, voluntatem humanam per peccatum Adæ ita ruisse in libidinum imperium, ut in omnibus necessario sequatur vel delectationem terrenam concupiscentiæ ad malum, vel cælestem a Deo infusam ad bonum, prout altera alteram vincit; adeo ut si delectatio cęlestis, in qua reponit gratiam Christi medicinalem, sit intensa v. g. ut quinque, & terrena ut quatuor, voluntas necessario amplectatur bonum; sin contra, necessario amplectatur malum ob victricem delectationem.

II. Ex qua doctrina sequitur, voluntatem humanam non habere aliam libertatem a necessitate, nisi in causa, seu in libertate Adæ, atque adeo omnem operationem moralem habere solam libertatem a coactione, hoc est esse spontaneam, ac voluntariam, quatenus ex cognitione, ac plena deliberatione procedit, sed a delectatione victrici ad bonum aut malum esse determinatam: Unde fieret, ad meritum, ac demeritum actionis sufficere in natura lapsa solam libertatem hanc a coactione: juxta quam sententiam Beati, nisi essent in termino, mererentur per amorem beatificum propter libertatem, quam habent a coactione, quamvis careant libertate a necessitate, seu libertate indifferentiæ. Propterea lib. 7. hæc habet Jansenius; *Libertati arbitrii solam necessitatem coactionis, seu quæ, etsi nolumus, efficit id, quod potest, esse contrariam; omnemque actum voluntarium, seu spontaneum esse liberum.* Sufficit ergo per Jansenium ad libertatem voluntatis, quam vocat essentialem, quod volitionem præcedat plena cognitio, & advertentia, esto desit indiffe-

rentia; & ideo negat ad meritum, vel demeritum, indifferentiam voluntatis requiri. Consonat huic errori Bajus, qui in suis damnatis propositionibus habet: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali: Homo peccat, etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

III. Fundamentum hujus erroris videtur esse primo, quia juxta Doctrinam Augustini, & aliorum Patrum, præsertim Græcorum, in eo consistit libertas actuum, quæ est meriti, ac demeriti fundamentum, quod actus nostros habeamus in nostra potestate; atqui actus spontanei, & a coactione immunes, quamvis citra indifferentiam ponantur, sunt in nostra potestate; ergo sunt plene liberi, atque adeo meriti, ac demeriti capaces. Major patet: impossibile enim est habere actus in nostra potestate, seu nos esse dominos actuum, & illos non esse liberos. Minor probatur; quia passim August., præsertim lib. 2. de Lib. Arb. cap. 3. dicit, *Illud esse in nostra potestate, quod cum volumus, facimus, vel quod facimus, si volumus;* hujusmodi autem sunt actus spontanei, & a sola coactione immunes; ergo &c.

Confirmat id Jansenius ex Doctrina Augustini 5. de Civ. 9., ubi disputans cum Evodio, & Cicerone, quo pacto præscientia Dei infallibilis non avertat actuum libertatem, dicit, volitiones nostras idcirco esse liberas, quia fiunt a nobis, si volumus, & sunt perfecte voluntariæ; ergo ex Augustino sola immunitas a coactione sufficit ad plenam libertatem.

IV. Secundo: Deus est perfectissime liber, ac omnis libertatis fons, & origo, & tamen caret indifferentia agendi, & non agendi, cum nequeat retractare, quod semel voluit: ergo ad libertatem non requiritur indifferentia.

Confirmatur; quia ex Augustino lib. de Nat. & Grat. cap. 43. Deus libere justus est, esto non possit agere injuste: ergo ad libertatem sufficit immunitas a coactione, quæ in creatura est fundamentum meriti, ac demeriti, quamvis non sit hujusmodi in Deo, qui caret superiore, a quo præmium habere possit.

V. Tertio, quia subinde Augustinus, Bernardus, D. Thomas, Schotus, aliique DD. docent, Spiritum Sanctum procedere libere a Patre, & Filio, Deum libere seipsum, & Beatos libere Deum amare: cum tamen non aliam libertatem ad id habeant, quam a coactione.

VI. Quarto, quia diabolus necessario semper male agit, & tamen vere peccat; ergo ad culpam contrahendam, quæ in via est radix demeriti, non requiritur libertas a necessitate, seu libertas indifferentię, sed sufficit libertas a coactione.

VII. Denique, quia Christus libere præcepto mortis obtemperavit, ac per obedientiam istam meruit, juxta illud Apostoli: *Factus obediens usque ad mortem: propter quod Deus exaltavit illum*; libere etiam præceptis naturalibus, v. g. amandi Deum, obtemperavit, cum tamen ratione impeccabilitatis careret indifferentia ad oppositum. Quamvis autem difficile sit conciliare in Christo impeccabilitatem, & libertatem ad meritum requisitam, non per hoc libertas est illi deneganda, juxta illud Augustini de Bono persev. c. 14. *Numquid ideo negandum est, quod apertum est, quia comprehendi non potest?* Quod si poterat in Christo D. haberi meritum in actu obedientiæ per solam libertatem a coactione, a fortiori poterit id haberi in natura lapsa, in qua homines habent libertatem indifferentiæ in causa, seu in peccato, & libertate Adæ, quamvis hujusmodi libertas, non sit formalis, & proxima, sed radicalis, & remota.

VIII. Ostenditur tamen falsitas: Primo ex Sacris literis, in quibus passim luculenter significatur inesse nobis libertatem indifferentiæ ad bene, aut male operandum; unde corruit Jansenii fundamentum. 1. ad Cor. 7. dicitur: *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis.* Eccl. 31. *Qui potuit transgredi & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Eccl. 15. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata, si volueris ea servare, conservabunt te.* Et ibid. *Ante hominem vita, & mors, ad quodcumque voluerit, extendit manum suam.*

IX. Secundo ex Tridentino, quod sess. 6. can. 4. anathematizat, qui dixerit, *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti non posse dissentire, si velit.* Necnon ex Augustino passim idipsum docente, præsertim de Spir. & lit. cap. 34., ubi habet: *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire, propriæ voluntatis est:* Et lib. 3. de Lib. arb. cap. 18. post multa concludit: *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: Quæcumque ista causa est voluntatis, si non ei potest resisti, sine peccato ei ceditur; quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Et lib. de duabus animab. c. 12. *Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ est iniquitatis, & insaniæ.*

X. Respondet primo Jansenius lib. 6. de Gratia Salvatoris c. 35. apud de Champs l. 2. dip. 3. c. 4. in hęc verba: *Scholastici, quando audiunt Synodum Tridentinam dicentem, voluntatem posse dissentire, si velit, putant, & recte putant, significari humani arbitrii libertatem. Sic etiam intelligunt eadem prorsus ratione libertatem indicari, si diceretur voluntas posse velle, si velit, posse non velle, si nolit.* Quare Jansenius putat eodem modo juxta Tridentinum hominem esse liberum, seu posse dissentire, si velit; sicut diceretur de Beato, qui necessitatur ad Deum amandum, quod posset non amare Deum, si velit, esto non possit id velle. Et hanc interpretationem in verba illa Tridenti amplectuntur Janseniani, & præsertim ille, qui Abbatis nomine apud eundem de Champs hæc habet: *Eo sensu rejici posse gratiam, quatenus eam abjiceremus, si vellemus; non posse vero rejici, quoniam velle hoc non possumus.*

Sed quis non videat, hujusmodi libertatem toto cœlo aberrare a libertate, quam Tridentinum, Patres, & ratio ipsa docet nobis inesse? Illud repeto ex August. loc. cit. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Si Tridentinum explicaretur in hoc sensu Jansenii, nullo modo caveri posset operatio mala, unde nullum esset in mundo peccatum, eo quod nulla libertas ad peccandum requisita. Hinc Gabriel Pennotus lib. 9. c. 15. habet: *Quando Concilium docet, liberum arbitrium Divinæ gratiæ posse dissentire, si velit, supponit illud posse velle dissentire; alioquin nihil contra hæreticos definivisset: quia & Calvinus, & ipse Vvicleph, & quivis alius Fati assertor sine ulla contradictione admitteret hanc conditionalem, Voluntas a Deo mota per gratiam potest Divinæ motioni dissentire, si velit; Sed*

nega-

negabunt illam posse velle. Quare debet Catholicus ab istis Glossis frigidis cavere: Quod pariter monet Bellarm. lib. 6. de Gratia Christi, & Lib. Arbit. cap. 15.

XI. Respondent secundo Jansenistæ, dari in voluntate solum indifferentiam potentiæ, non actionis, quatenus humana voluntas est potentia mutabilis, & flexibilis, ita ut modo ad volendum, modo ad nolendum facile flectatur, quamvis quod in particulari vult in natura lapsa, illud necessario velit.

Hæc tamen non est nisi larva etiam libertatis, quam pariter nec Assertores Fati, nec Calvinus ab Ecclesia damnatus negarunt, quippe quæ importat, tantum concatenatam mutationem unius necessitatis in aliam, cum in quavis actione voluntas subeat necessitatem: prout etiam concedebat Vviclephus in ea sua 27. propositione a Concilio Constantiensi, & Martino V. censura notata, quæ dicebat, *Omnia de necessitate absoluta venire*. Ratio autem, cur ea sola indifferentia potentiæ, seu mutabilitas voluntatis citra indifferentiam actionis non sufficiat, est, quia ad libertatem, quæ est meriti, aut demeriti fundamentum, requiritur indifferentia activa ad agendum, vel non agendum, ut mox ostendemus, non vero passiva ad hæc, vel illa vincula recipienda; non enim est præmio dignus, qui aurea catena ad bonum amplexandum a Deo astringitur, nec pœna dignus, qui catena ferrea adigitur ad malum, sed qui sponte alterutrum eligit; atque adeo sine libertate, saltem contradictionis, meritum, aut demeritum non consistit.

XII. Respondent tertio, dari in voluntate indifferentiam remotam, & radicalem, non vero formalem, & proximam; tum quia habuit voluntas indifferentiam formalem in causa, seu in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis; tum etiam quia posset voluntas, sublata necessitate, qua bonum hic & nunc amplectitur, amplecti malum, & e contra.

Sed hoc etiam a Calvini, & Vviclephi asseclis non negabatur: Quod autem non sufficiat libertas in causa ad transfundendum meritum, aut demeritum in actionem hic & nunc necessariam, satis diximus in expositione primæ propositionis damnatæ ab Alexan. VIII. Quod vero neque sufficiat ista indifferentia remota, seu in sensu diviso, prout a Jansenistis explicatur, patet etiam: quia voluntas intantum necessitata ad bonum diceretur posse amplecti malum, inquantum si solveretur ea catena, qua ad bonum adigitur, posset aliam catenam subire, qua ad malum adigatur, aut e contra; in quo sensu etiam Beati, etiam Humanitas Christi est indifferens ad peccandum: hoc autem non est habere indifferentiam activam, sed passivam, quæ meriti, aut demeriti est incapax.

XIII. Ratio itaque horum omnium a priori est, quia ex consensu Scripturarum, Conciliorum, Patrum, Scholasticorum, & ipsorum Philosophorum, ut videre est apud Ripald. t. 3. disp. 15. libertas ad meritum, vel demeritum requisita est illa, quæ, positis omnibus requisitis ad agendum, potest agere, & potest non agere, seu quæ est electiva: unde mera libertas a coactione non sufficit. Cyrillus Alex. lib. 9. in Jo. c. 10. diserte habet: *Rationali creaturæ liberam potestatem Creator largitus est, & suæ voluntatis habenas cuique commisit, ut in eo sit quicquid probaverit, eligere*. Quod pariter expresse habet Basil. in illa verba Isaiæ 7. *Ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*; denique Patres communiter passim docent, indicantes nobis inesse vim ad præeligendum bonum præ malo, & sic posse mereri, aut malum præ bono, & sic demereri.

Sicut enim qui in vincula conjectus die festo non audit Sacrum, non dicitur inobediens, aut ullius pœnæ reus: neque cæcus, aut in tenebris positus dicitur modestus, & præmio dignus per hoc, quod mulierem non aspiciat; idque non alia de causa, nisi quia ad hoc actus non habetur indifferentia formalis, esto habeatur radicalis, remota, & conditionata, quam admittunt Jansenistæ: ita neque habetur meritum, aut demeritum per actus spontaneos a coactione immunes, si careant formali indifferentia, & libertate. Hæc omnia expressit Angelicus qu. 6. de Malo art. unico his verbis: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum: nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur: Hæc autem opinio est hæretica; tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actionibus; non enim videtur esse meritorium, vel demeritorium; quod aliquis sic ex necessitate agit, quod vitare non possit*.

XIV. Ad primam rationem in contrarium; Ex Augustino, & aliis communissime illud dicitur esse in nostra potestate, quod dum volumus, facimus ex propriæ voluntatis determinatione citra ullam necessitatem antecedentem; quod explicavit Augustinus pluribus in locis apud Ripald. t. 3. d. 14. sect. 13., & præsertim de spir., & lit. c. 31 dicens: *Hoc quisque in potestate habere dicitur, quod si vult, facit, si non vult, non facit*; quæ verba non possunt apte explicari per solam libertatem a coactione; Sicut nec illa verba Tridentini dicentis posse liberum arbitrium dissentire Deo vocanti, si velit, ut ostendimus. Addit inferius Augustinus: *Cum potestas datur, non necessitas imponitur*: ergo ex August. nisi detur libertas indifferentiæ seu a necessitate, actio non dicitur esse in nostra potestate, nec antonomastice libera, esto sit libera a coactione.

XV. Ad confirmationem; Augustinus, & omnes Catholici bene conciliant præscientiam Dei infallibilem cum libertate voluntatis excludente necessitatem antecedentem, quæ unice libertati est inimica, videlicet admittendo solum necessitatem consequentem, quæ cohæret cum contingentia effectus. Hanc duplicem necessitatem explicavit Anselmus l. 2. *Cur Deus homo*, cap. 18. dicens; *Est autem necessitas præcedens, quæ causa est, ut res sit; & est necessitas consequens, quam res facit: Præcedens, & efficiens necessitas est, Cœlum volvi, quia necessarium est, ut volvatur: consequens vero, & quæ nihil efficit, est, te ex necessitate loqui, quia loqueris*. Et D. Thom. q. 16. de Malo art. 7. ad 15. id explicat in casu nostro, dicens: *Sicut se habet Divina scientia ad futura contingentia, sic se habet oculus noster ad contingentia, quæ in præsenti sunt; Unde sicut certissime videmus Sortem sedere, dum sedet, neque tamen propter hoc sequitur, quod sit simpliciter necessarium; ita etiam ex hoc, quod Deus videt omnia, quæ eveniunt in seipsis, non tollitur contingentia rerum*. Quod autem necessitas Jansenistica, & Calvinistica sit antecedens, non consequens, est evidens; quia ex D. Anselm. necessitas antecedens est, quæ facit rem esse, & necessitas consequens est, quam facit ipsa res; necessitas autem in casu nostro facit actum esse, non vero consequitur ad actum, ut consequitur præscientia Dei ab æterno: ergo est necessitas ante-

antecedens eversiva libertatis. Jansenistæ dicunt, actum esse necessarium necessitate consequente ad peccatum Adæ, & sic cohærere cum libertate. Sed hanc libertatem actus in causa diximus non sufficere ad meritum, vel demeritum in actu formaliter necessario: non potest enim voluntas hominis lapsi peccare peccato personali, nisi prout distincta a libertate Adæ excludat necessitatem antecedentem, & inevitabilem peccandi; cum ad libertatem necessaria sit, ut ostendimus, exclusio necessitatis antecedentis, & inevitabilis.

XVI. Ad secundam rationem in contrarium: Deus cum omnimoda indifferentia decrevit ab æterno, quodcumque libere pro singulis instantibus decrevit, & solum ratione suæ immutabilitatis, & constantiæ nequit decreta retractare, quæ tamen non dicuntur nunc necessaria, nisi tantum ex suppositione; quia cum Æternitas ex Boetio sit *Interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio*, Deus in sua æternitate indivisibili non potest dici prius habere indifferentiam, deinde necessitatem consequentem ad suos actus; eo pacto quo Angeli pro primo instanti suæ viæ habuerunt libertatem ad amorem Dei, & deinde ob visionem supervenientem habuerunt necessitatem: sed pro tota sua æternitate Deus dicitur libere decernere, ejusque decreta esse necessaria ex suppositione, non secus ac Petrus pro instanti A libere sedet, & pro eodem instanti habet simul necessitatem sedendi ex suppositione.

XVII. Ad confirmationem: Deus relate ad exercendam justitiam solum habet libertatem quoad exercitium, seu contradictionis, non vero quoad specificationem, seu contrarietatis; & ideo indifferentiam habet ad ponendum, vel non ponendum actum justitiæ, non tamen ad ponendum actum injustitiæ, quia ad perfectionem libertatis non spectat posse peccare. Quare, sicut optime Augustinus dixit, *Deus multa non potest, quia est omnipotens*; cum ad perfectionem potentiæ spectet non posse ponere chimæram, peccatum, &c. ita quia Deus est perfectissime liber, multa vult necessario, nempe amorem sui, & negationem peccati, quia hoc spectat ad perfectionem libertatis.

XVIII. Ad tertiam: Quæstio est de voce, num voluntas solum libera a coactione dicenda sit absolute libera; Multi affirmant; & in hac acceptione D. Thomas dicit q. 10. de potentia ar. 2. ad 5. *Deus sua voluntate libere amat seipsum, licet de necessitate amet seipsum*; & Scotus quodlib. 6. *Voluntas Divina necessario vult bonitatem suam, & tamen in volendo est libera*; & in eodem sensu docent passim, Spiritum Sanctum libere procedere a Patre, & Filio, ac Beatos Deum amare. Quicquid autem sit de hac quæstione de mera voce, quæstio de re est, an hujusmodi libertas a coactione, quæ ad summum est libertas physica, possit etiam esse libertas moralis, seu requisita ad meritum, vel demeritum; quod a Catholicis negatur, & solum a Calvinistis, & Jansenistis admittitur.

XIX. Ad quartum: Argumentum de diabolo necessario male operante, ac simul peccante est Calvini, ut videre est apud Bellarm. l. 5. de Gratia, ac libero arbit. c. 14. cui nos abunde satisfecimus in expositione primæ thesis ab Alex. VIII. proscriptæ: ubi diximus, Diabolum, ac damnatos solum habere necessitatem moralem peccandi, non physicam, ut docent communius cum Scoto, Valen. Durando, & aliis. Quod si ad peccandum necessitarentur physice, ut nonnulli docent apud Suar. lib. 8. de Ang. c. 10. hujusmodi peccatum non esset formale, sed mere materiale, & actus pœnalis potius, quam peccaminosus; cujusmodi sunt in nobis actus mali orti ab ignorantia invincibili, & actus concupiscentiæ, qui sunt effectus, & pœna peccati; nec aliter a Tridentino sess. 5. dicuntur esse peccatum, nisi quia ex peccato sunt, & ad peccatum inclinant.

XX. Ad ultimam: Quamvis Theologi desudent in concilianda Christi impeccabilitate cum obedientia libera, & meritoria in subeunda morte præcepta; conveniunt tamen, quod Christus Dominus non solum habuerit libertatem a coactione, sed libertatem etiam indifferentiæ. Thomistæ docent, habuisse potentiam ad mortem non acceptandam in sensu diviso, eo prorsus pacto, quo prædeterminatus ad amorem potest in eorum sententia ponere odium in sensu diviso, ita ut hujusmodi potentia non sit solum remota, & conditionata juxta sensum Calvinisticum, & Jansenianum, sed proxima, & absoluta, juxta sensum Catholicum. Schotistæ docent, præceptum mortis fuisse voluntati Christi extrinsecum, & idcirco non esse eversivum libertatis, ut nec decretum Dei condeterminativum, quippe quod extrinsecum. Suario adscribitur, quod Christus habuerit indifferentiam, spectato tantum principio proximo, non tamen spectato principio remoto, nempe Unione hypostatica, quæ est essentialiter exigitiva auxilii efficacis. Vasquez docet, Christum fuisse solum liberum ad mortis circumstantias. Lugo, & Hurtado, quod habuerit libertatem ad petendam dispensationem, aut ad acceptandum præceptum. Recentiores cum Esparsa, & Haunoldo, præceptum non fuisse rigorosum, sed instar consilii onerosi; prout explicavimus in expositione primæ propositionis ab Alexand. VIII. proscriptæ. Quare conveniunt communissime in hoc, quod per actum obedientiæ non meruisset, si caruisset libertate indifferentiæ ad meritum essentialiter requisita. Relate tamen ad præcepta naturalia, quamvis non habuerit Christus libertatem contrarietatis, habuit tamen libertatem contradictionis, quatenus poterat libere hic & nunc ponere, vel non ponere actum dilectionis Dei exempli gratia, poteratque præcepta naturalia implere pluribus, vel paucioribus actibus, hoc, vel illo tempore, ex hoc, aut illo motivo, cum minore, aut majore intensione, ac duratione actus. Hæc enim omnia non erant Christo Domino a Deo præcepta, eo quod liberalius, ac honorificentius cum illo egerit Deus, sicut tantæ Personæ Majestatem decebat, cum ne nobis quidem servis suis Deus ita præcipiat, omnia determinando, sed plurima nostræ libertati morali relinquat, ut fuse ostendit Martinonius. Quod etiam verum est de Beatis, teste August. lib. 13. Confess. cap. 15. ubi habet: *Vident faciem tuam semper, & ibi legunt sine syllabo temporum, quid velit æterna voluntas tua, legunt, eligunt, & diligunt*. Neque obstat, quod Christus, & Beati semper operentur optimo modo. Nam sicut Deus semper facit, quæ meliora sunt, ut habet Conc. Francofordiense, cum libertate tamen ad non ponendum effectum optimum, (quicquid sit, an moraliter ad optimum nes cessitetur? in quo variant Theologi) ita Christus Dominus, & Beati semper ponunt actus præstantissimos, cum libertate tamen, saltem physica, si minus morali, ad eos non ponendos. Nisi enim, exempli gratia, Angelus tutelaris aliquam libertatem exerceret in provincia sibi a Deo demandata custodiendi

nos,

nos, frustra illum exoraremus, & nullæ a nobis essent illi grates agendæ: quod nemo dixerit.

XXI. Recentior quidam, etiam post damnatas Jansenii propositiones, putavit quod licet in natura lapsa non sufficeret ad meritum sola libertas a coactione, sufficeret tamen in Christo Domino, cujus natura non erat lapsa, sed integra. Quod ostendere conabatur, Primo, pluribus auctoritatibus; etenim D. Th. in 3. dist. 18. n. 2. ad 5. hæc habet: *Dicendum, quod si esset arbitrium Christi determinatum ad unum numero actum, sicut ad diligendum Deum, quod non facere non potest, tamen ex hoc non amittit libertatem, aut rationem laudis, sive meriti; quia in illud non coacte, sed sponte tendit, & ita est actus sui Dominus*. Suar. disp. 37. de Incarn. sect. 2. quamvis hanc sententiam putet falsam, & improbabilem, dicit tamen, D. Thomam his verbis reliquisse illam ut probabilem, & juxta illam sensisse Gabrielem, & Marsilium, necnon aliquos Neotericos: quod etiam videtur docuisse Albertus Magnus in 3. dist. 12. n. 5. dicens: *Bonitas Christi laudabilissima fuit ex hoc, quod peccare non potuit; quod hoc non posse nobilissimum posse est; unde non sonat coactionem, sed potius immobilitatem voluntatis ex perfecta affectione circa summum bonum, quam habet Christus ex Unione*. Et D. Bonav. eadem dist. art. 2. q. 1. loquens de Christi necessitate habet: *Ad illud quod objicitur, quod nullus laudetur in his, quæ necessario facit, dicendum, quod est necessitas, quæ repugnat voluntati, sicut necessitas coactionis, quæ venit ab extrinseco, & est necessitas, quæ subest voluntati, & ista est necessitas, quæ venit ex voluntatis immutabilitate; cum ergo dicitur, quod laus non est in operibus necessitatis, dicendum, quod verum est de necessitate primo modo dicta, non secundo*.

Secundo ratione: quia omne meritum fundatur in imputabilitate actus, ut docet D. Th. p. 2. qu. 21. art. 2., & Scotus q. 28. quodlibetica, dicens: *Laudabile, & vituperabile, immo generalius præmiabile, & punibile continetur sub hoc communi, quod est immutabile*: imputabilitas autem habetur ex hoc, quod initium operationis sit in nobis, seu per hoc, quod nos sumus principium, & causa operationis, ut fuse Philosophus 3. Ethic. 7. atqui observantia præceptorum (ad quam Christus D. nullam omnino habet indifferentiam, sed solum libertatem a coactione) erat ipsi Christo imputabilis, quippe qui ab ipso Supposito Verbi operante ut quod, & non ab extrinseco ad illam determinabatur; cum nihil assignari possit extrinsecum Christo, quod posset dici principium, & causa talis observantiæ: ergo hujusmodi observantia, quamvis necessaria, & solum libera a coactione, poterat esse laudis, & meriti capax. Idcirco enim ex Philosopho l. c. per actiones naturales non meremur laudem, nec vituperium, quia non sunt imputabiles nobis, sed danti naturam: cui enim tribuitur esse, tribuuntur consequentia ad esse; ut proinde communiter motus elementorum tribuantur generanti. Quare solum libera inclinatio tribuitur nobis, ut notat Palud. in 3. dist. 11. q. 1. quia illa solum non consequitur ad naturam humanam necessario; & idcirco solum actus liberi juxta sententiam Catholicorum sunt capaces meriti, ac demeriti, eo quod illorum duntaxat nos sumus initium, & causa.

Ex quo fit, quod cum Deus sit initium, & causa suæ operationis, etiam necessariæ, idcirco etiam operatio Dei necessaria, qualis est amor suimet, sit ipsi imputabilis; non secus ac operatio libera: atque adeo etiam per operationem necessariam Deus est laudabilis, ut advertit Perez ex D. Dionysio, qui operationem Dei necessariam vocat Superliberam; eo quod eminenter præstet quidquid præstat in nobis indifferentia, & libertas; unde non solum est Deo imputabilis, sed etiam Superimputabilis. Cum enim solus Deus sit fons, & origo sui esse, soli Deo competit esse initium, & originem eorum, quæ ad esse Divinum naturaliter consequuntur, ut sunt Dei operationes necessariæ; ergo etiam operationes Dei naturales, & necessariæ habent perfectissimo modo quicquid requiritur ad imputabilitatem, atque adeo ad laudem propriam operationis liberæ: Esto nulla Dei operatio nec libera, nec necessaria sit capax meriti, eo quod non cognoscat Deus superiorem, in cujus obsequium operetur.

Confirmatur ex eo, quod Philosophus 2. ad Eudem. 6. habet, dicens: *Cum earum rerum, quarum quisque causa est, laudem habeat, & vituperium, apparet virtutem, & malitiam circa ea esse, quorum ipse causa, & initium est*: propterea quia Deus initium, & causa est etiam propriæ operationis necessariæ, sequitur, quod etiam per illam sit laudabilis. Ex quo fit etiam Christum laudabilem esse, necnon præmio dignum per operationes a coactione immunes, quamvis necessarias; quia etiam Christus est fons, & causa talium operationum ratione propriæ Personalitatis. Neque obstat, quod Suppositum Christi realiter distinguatur ab ejus voluntate creata. Nam ad hoc ut Christus sit fons, & origo operationis voluntariæ, ac necessariæ Humanitatis, satis est, quod Christi Supposito illa tribuatur; atque adeo sufficit, quod Suppositum Christi non distinguatur a Volente, quamvis a voluntate Humanitatis distinguatur: cum enim operationes sint Suppositorum, etiam operationes voluntatis creatæ in Christo tribuuntur Verbo volenti per illas ut quod, adeo ut ab illo hauriant dignitatem infinitam, quod contingere non posset, si Suppositum esset extraneum. Quare Christus impeccabilitatem, & præceptorum observantiam totam debet sibi: atque adeo ea est ipsi imputabilis; adeo ut per illam, quamvis necessariam, laudem, & præmium mereri possit.

XXII. Hæc tamen doctrina nullatenus est admittenda; quia, ut notat Platelius t. 4., n. 311. verba Pontificis damnantis hanc Jansenii thesim, *Ad merendum sufficit libertas a coactione in statu naturæ lapsæ*, non habent vim restrictivæ, sed ampliativæ; & sit sensus, quod etiam in statu naturæ lapsæ, nedum in statu naturæ integræ, ea libertas non sufficiat. Intantum enim per Jansenium ea sufficit in statu naturæ lapsæ, quia in hoc statu habetur libertas indifferentiæ in causa, nempe in libertate Adami: cum autem in statu naturæ integræ habens libertatem solum a coactione nullam prorsus habeat libertatem indifferentiæ, nec formalem, & proximam, nec radicalem, & remotam, ideo a fortiori in statu naturæ integræ non datur fundamentum meriti per solam libertatem a coactione. Unde universim damnatur propositio 38. Baji: *Quod voluntarie fit, libere fit, quamvis necessario fiat*.

Præterea, esto salvari posset ob auctoritates, & rationes adductas, quod Christus mereri potuerit etiam per actus immunes tantum a coactione citra libertatem quamcumque indifferentiæ, puta per actum amoris Dei, aut per observantiam præceptorum naturalium, relate ad quos actus carebat libertate indifferentiæ ob ejus impeccabilitatem, dici tamen non potest, quod relate ad observantiam præ-

cepti de morte subeunda solum habuerit libertatem a coactione, & non indifferentiæ: hanc enim libertatem indifferentiæ, seu a necessitate manifeste indicant verba illa Jo. 10. *Nemo tollit animam meam a me, sed ego pono eam a me ipso, potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi a Patre meo.* Hinc Hieronymus, & alii Patres communiter apud Suar. l. c. dicunt: *Non necessitate, sed voluntate crucem subiit.* Præterea merito damnatur Wiclephus apud eundem Suar. eo quod dixerit, *Christum necessitate mortuum esse.* Reijcienda itaque doctrina Jansenii, & Vincentii de Lenis apud Platelium l.c. n. 317. dicentium, meritum obedientiæ in Christo Domino salvari per meram libertatem a coactione citra libertatem indifferentiæ. Quomodo autem libertas indifferentiæ relate ad observantiam præcepti de morte subeunda concilietur cum Christi impeccabilitate, disputatur a Theologis: Videturque non carere sua probabilitate via illa expeditissima, quæ docet, mandatum de morte subeunda fuisse solum instar consilii onerosi; necnon alia, quod præceptum fuerit impositum Humanitati assumptæ specificative sumptæ, quæ in sensu diviso ab unione erat capax præcepti rigorosi, non vero ipsi Christo Domino, ut innuimus in expositione primæ thesis ab Alexandro VIII. confixæ.

Ad auctoritatem adductam Divi Thomæ, varii varie apud eundem Platelium. Nonnulli volunt Angelicum non ex propria, sed ex aliorum sententia ibi locutum esse: Alii, quod deinde palinodiam cecinerit q. 18. a. 4. ad 3., & q. 26. de Verit. art. 6. ubi habet: *Poterat Christus hoc, vel illud facere, vel non facere, & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meritum.* Verius de Champs l. 3. disp. 2. c. 31. docet, D. Thom. intelligendum esse in eo sensu, quod Christus determinatus ad unum, nempe ad speciem actus, puta ad amorem Dei, habuerit libertatem quoad exercitium, vel quoad circumstantias; & ob hanc indifferentiam meruerit diligendo Deum. Quod videtur colligi ex iis verbis Angelici loco laudato: *Et ita est actus sui dominus*: quomodo enim esset dominus actus, si ad illum omnino necessitaretur? Et quamvis dicat, quod ad eum actum *Non coacte, sed sponte tendat*, sensus tamen est, quod non tendat necessario, sed libere: passim enim apud D. Th., & alios coactum sumitur late pro necessario, & spontaneum, ac voluntarium pro libero, ut videre est apud Platel. t. 2. n. 48. Hæc expressit D. Th. qu. 26. de Verit. art. 6. ad 1. ubi habet: *Dicendum, quod licet anima Christi esset determinata ad unum simpliciter, poterat tamen hoc, vel illud facere, vel non facere; & ideo libertas in eo remanebat, quæ requiritur ad meritum*, idemque docuit 3. p. q. 18. ar. 4. ad 3.

Ad id, quod additur ex Alberto, & Bonaventura, Sicut Beati laudari, & commendari possunt ex hoc, quod Deum diligant, quamvis necessario; & damnati vituperari ex hoc, quod Deum oderint, licet necessario; cum ad laudem, & vituperium sufficiat honestas, vel inhonestas operis voliti, quin requiratur formalis libertas, & imputabilitas, prout requiritur ad meritum, & demeritum: ita dicendum de actibus Christi D. honestis, solum a coactione, non a necessitate immunibus.

Ad rationem in contrarium: Quamvis ad laudem, & commendationem sufficiat, ut diximus, honestas operis voluntarii citra libertatem, non sufficit tamen ad meritum ex communi omnium sensu: Sicut enim nemo est reus pœnæ ob actum non liberum, ita nec dignus præmio. Cum enim præmium sit compensativum alicujus molestiæ, quam homo subit, dum honeste operatur, ut ostendit Esparsa de Act. human. qu. 31., ut proinde Beati in patria, nullam molestiam subeuntes in Deo diligendo, præmium non exigant; idcirco non potest Christus Dom. esse capax meriti per actus honestos, immunes tantum a coactione, in quibus eliciendis nulla suberat molestia, & difficultas. *Meritum enim*, ut habet D. Thomas in 4. dist. 25. qu. 1. a. 4. ad 4. *in difficultate consistit, sicut & virtus*. Unde Apost. 1. ad Cor. 15. dicit: *Abundate in omni opere bono, scientes, quia labor vester non est inanis in Domino*; non dixit autem, quia honestas boni operis, sed quia labor vester, ut innueret præmium deberi labori, & contemptui commodi alicujus temporalis propter Deum, non vero honestati operis. Quare esto verum sit, quod Christo sit imputabilis etiam actus honestus immunis tantum a coactione, hæc tamen sola libertas a coactione ne ipsi quidem Christo D. erit sufficiens ad meritum, si desit libertas a necessitate. Et sane quamvis unice voluntati damnatorum sint imputabiles in causa actus inhonesti, quos citra libertatem eliciunt in inferno, propter illos tamen sunt tantum vituperio, & exprobratione digni, nullatenus vero pœna: & similiter Beati, dum Deum amant in patria amore necessario, & solum in causa libero, & imputabili, sunt quidem laudandi, sed non præmiandi ob talem actum, ex defectu libertatis formalis; (ut ostendimus in expositione primæ thesis ab Alexand. VIII. confixæ, ubi innuimus in quibusnam actibus tam damnati, quam Beati sint liberi tantum libertate a coactione, in quibusnam vero sint liberi etiam libertate a necessitate, saltem physica, si minus morali) ergo pariter in Christo D. actus honesti, si careant libertate formali, erunt quidem laudabiles, utpote imputabiles ipsi Christo, non tamen præmiabiles: ubi enim nulla libertas, nulla pariter molestia, & difficultas habetur in actu præferente honestum bono delectabili, & idcirco nulla exigentia recompensationis, & præmii, quod præsupponit victoriam, & triumphum.

Adde, quod licet humana Christi voluntas sub Unione hypostatica, & Subsistentia Verbi exigat operationem honestam ineluctabiliter, ipsam tamen unionem hypostaticam suapte natura voluntas humana Christi de se non exigit; atque adeo licet operatio honesta, immunis tantum a coactione, dici possit imputabilis ipsi Christo, quatenus ratione Subsistentiæ Verbi est initium, & causa illius; non potest tamen dici imputabilis voluntati creatæ Christi D., quæ de se non est initium, & causa operationis necessariæ: atqui si non est imputabilis voluntati operatio honesta, non potest esse meritoria, & exigitiva præmii: ergo operatio Christi D. honesta immunis tantum a coactione, si careat indifferentia, seu libertate a necessitate, non erit capax meriti; atque adeo non solum in natura lapsa, sed etiam in statu naturæ integræ ad merendum, vel demerendum requiritur in homine libertas a necessitate, quin sufficiat libertas tantum a coactione.

PRO-

PROPOSITIO IV. JANSENII.

Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei, & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem esse, cui posset humana voluntas resistere, vel obtemperare.

S Y N O P S I S.

I. Ad quæstionem facti spectat, Num Semipelagiani admiserint gratiæ necessitatem etiam ad initium Fidei; Ad quæstionem vero juris, Num hæc assertio hæresim contineat. II. Quod Semipelagiani negarint esse necessariam gratiam ad libere credendum, est in comperto apud omnes. III. Quod vero in hoc erant hæretici, quod vellent posse arbitrium gratiæ resistere, aut obtemperare, docuit Jansenius, & olim Calvinus. IV. Videtur Augustinus ipse ex Scripturis docere, quod non possit voluntas gratiæ interiori resistere. V. Deus dat nobis posse, & ipsum velle: quomodo autem possumus Divinæ huic voluntati resistere. VI. Diversa est gratia in statu naturæ integræ, & in statu naturæ lapsæ; in eo duntaxat statu poterat voluntas libere ponere operationem salutarem. VII. Frustra peteremus a Deo bonam operationem, si ea esset in manu voluntatis. VIII. Sed negari non potest conferri a Deo in statu naturæ lapsæ tam gratiam efficacem, quam gratiam pure sufficientem, quæ vitio voluntatis careat effectu suo, & in vacuum recipiatur. IX. Deficiente libertate ad resistendum gratiæ, deficeret requisitum essentiale ad merendum, vel demerendum. X. Augustinus ex Scripturis solum docet, Nullius frustra Deum misereri, si vocetur vocatione congrua, & efficaci, supponens dari incongruam, cui possit voluntas reluctari. XI. Et in hoc sensu intelligendum est illud Christi Domini: Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me. *XII. Optime conciliatur infrustrabilitas Divinæ voluntatis cum libertate voluntatis humanæ. XIII. Diversitas auxiliorum in statu naturæ integræ, & lapsæ est solum accidentalis; quatenus nunc cæteris paribus auxilium medicinale ex meritis Christi est uberius ob majorem difficultatem ad bene operandum ortam ex concupiscentia effræni. XIV. Petimus a Deo auxilia congrua, quamvis in nostra potestate sit bona operatio, quia hæc principalius debetur Deo, juxta illud Apostoli:* Non ego, sed gratia Dei mecum.

I. Exponitur. Duas continet partes hæc propositio. Altera spectat ad quæstionem facti, Num scilicet Semipelagiani admiserint gratiæ interioris necessitatem, etiam ad initium Fidei? Altera ad quæstionem juris, Num scilicet hæc assertio, quæ supponitur esse Semipelagianorum, hæresim contineat, videlicet, quod gratia talis sit, cui possit humana voluntas resistere?

II. Quod attinet ad primam partem, quam tradit Jansenius lib. 8. de Hæresi Pelag. cap. 8. nil tritius iis etiam, qui vix a limine Theologiam salutarunt, quam Semipelagianos inde nomen hoc comparasse, quod non omnem gratiæ interioris supernaturalis necessitatem excluderent; ut Pelagiani; (qui solum admittebant gratiam Creationis, Doctrinæ Bibliorum, exhortationum, & exemplorum Christi) sed solum illam excluderent relate ad initium Fidei, quatenus posset initium salutis a nobis haberi independenter a gratia supernaturali per volitionem credendi, & pie vivendi solis liberi arbitrii viribus elicitam, & per orationem, ac petitionem auxilii ad id necessarii pure naturalem, ac proinde nos non præveniri gratia, sed anteire illam, tanquam naturæ pedissequam, atque adeo non esse necessariam ad incipiendum, sed ad prosequendum. Et sane Augustinus diserte pluribus in locis apud Annatum, præsertim lib. de Prædestinat. Sanctorum cap. 2. habet. Semipelagianos gratiam interiorem ad singulos actus necessariam non admisisse; sed censuisse, *Fidei initium esse ex nobis; Fidem non esse donum Dei: Naturam sufficere ad credendum; Gratiam Dei dari secundum merita fidei*, atque adeo gratiam non præcedere Fidem, sed subsequi: Idem etiam docet de Massiliensibus D. Prosper apud eundem Annatum, ut dubitari nullatenus possit, Semipelagianos non admisisse prævenientis gratiæ interioris necessitatem ad singulos actus, etiam ad initium Fidei.

III. Quod attinet ad secundam partem, quod scilicet Semipelagiani non essent hæretici in hoc, quod negarent ad initium Fidei, & salutis esse necessariam gratiam interiorem prævenientem, sed in hoc, quod vellent illam esse talem, cui posset voluntas resistere, docet illam Jansenius cohærenter ad secundam illam propositionem, qua dicebat: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur;* ac proinde dicit, hæreticam esse doctrinam illorum, qui vellent, gratiam ad actus supernaturales, & ad initium Fidei necessariam non necessitare voluntatem, sed esse talem, cui possit resisti: Quod etiam docuerat Calvinus l. 2. Inst. c. 5. §. 11. Addit Jansenius l. 2. de Gratia Salvat. c. 27., nec Augustinum, nec ullum Patrum Latinorum, nec Ecclesiam in Conciliis a Sancta Sede approbatis hoc genus gratiæ agnovisse in natura lapsa. Et cap. 28. adversus Lessium docentem posse nos gratiæ resistere, vel obtemperare, invehitur dicens: *Quanta audacia post condemnatos jam a tot sæculis Massilienses, asserere, quod, quia in statu innocentiæ sufficiebat homini ad salutem gratia, qua poterat perseverare, si vellet, etiam nunc sufficiat?*

IV. Fundamentum hujus erroris, præter ea, quæ diximus in expositione secundæ propositionis, videtur esse, Primo auctoritas Augustini; hoc enim habet Jansenius loc. cit. cap. 14. *Ita quidem Augustini Divinam gratiam patrocinantis, & hæreticorum adversantium principia manifeste ostendunt, nihil capitalius medicinali Christi adjutorio fingi posse adversum, quam illud gratiæ genus, cujus actio, vel cessatio, ut utilis, vel inutilis homini sit, in libero relinquitur voluntatis arbitrio.* Præterea hoc videtur aperte docuisse Augustinus, tum lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2. dicens: *Si Deus miseretur, jam volumus, nullius Deus frustra miseretur*: Tum lib. de Prædest. Sanct. cap. 8. ubi, *Quid est*, inquit, *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me? nisi, Nullus est, qui audiat, & discat a Patre, & non veniat ad me? Absit, ut quisque non veniat, qui a Patre audivit, & didicit.* Quare ex Augustino nequit voluntas interiori gratiæ resistere, vel obtemperare; atque adeo Semipelagiani non erant in hoc hæretici, quod hujusmodi gratiam admitterent.

V. Secundo: quia Deus dat nobis ipsum velle, & facere ut velimus, & consentiamus, juxta illud ad

Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in vobis velle, & perficere in bona voluntate*: ergo non dat gratiam, cui possimus obluctari, & dissentire, si velimus; cum nequeat Divina voluntas frustrari effectu suo.

VI. Tertio, quia aliud auxilii genus requiritur in statu naturæ integræ, ac in statu lapsæ: sicut aliud genus alimenti exposcit corpus sanum, & ægrum: ergo in natura lapsa gratia medicinalis debet esse suapte natura efficax, quæ non solum tribuat posse, sed etiam velle, & cui voluntas refragari non possit; ad differentiam gratiæ, quæ in natura integra collata fuit, relinquentis voluntati potestatem ad resistendum, & obtemperandum: aliter non differrent vires utriusque naturæ, si tam natura infirma, & ægrota, quam natura robusta, & sana valeret ad bene operandum ex propria libertate.

VII. Quarto, quia petimus a Deo non solum auxilia ad operandum, sed etiam ipsam bonam operationem: atqui si in manu voluntatis esset gratiæ resistere, aut obtemperare, frustra a Deo bonam operationem, & victoriam tentationum peteremus, nam, ut habet Aug. lib. de Nat. & Grat. cap. 18. *Quid stultius, quam orare, ut facias, quod in potestate habes?* ergo gratia, quæ datur ad actus salutares, & ad initium Fidei, non potest esse talis, cui voluntas resistere possit, aut obtemperare, atque adeo Semipelagiani id asserentes in hoc non erant hæretici.

VIII. Ostenditur falsitas, tum ex dictis in expositione secundæ propositionis Jansenii, ubi ostendimus, dari nobis in natura lapsa misericorditer a Deo præter gratiam efficacem, qua possimus salutariter operari, & simul operemur, etiam gratiam sufficientem qua possimus quidem salutariter operari, sed vitio voluntatis non operemur, resistendo Spiritui Sancto, & in vacuum gratiam Dei recipiendo; Tum etiam quia ex verbis Trid. sess. *6.* can. *6.* anathematizantis, *Qui dixerit, liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum non posse dissentire, si velit*, aperte colligitur, gratiam excitantem ejus esse indolis, ut possimus illi dissentire, & obsistere: atque adeo hæc assertio non est semipelagiana, & hæretica, sed Catholica.

Nec satis est dicere cum Jansenistis, voluntatem posse dissentire, si velit, potentia remota, & in sensu diviso, hoc est si talis gratia deesset. Nam id Calvinus a Tridentino damnatus non negabat: propterea Concilium intelligendum de potentia proxima, & absoluta, non de remota, ac conditionata; in quo sensu etiam cęcus potest videre, & ligatus potest ambulare, si velit, potentia tamen remota, & conditionata, hoc est si careat cęcitate, & compedibus. Quare sicut inepte quis dixerit, cæcum posse videre, si velit, cum deficiat illi potentia proxima ad videndum, nec illam habeat in manu suę voluntatis; ita inepte Tridentinum dixisset, posse voluntatem dissentire gratiæ, si velit, si supponatur, quod deficiat illi potentia proxima ad dissentiendum, nec illam habeat in manu sua.

IX. Ratio radicalis est, quia deficiente libertate ad resistendum gratiæ, vel obtemperandum deficeret requisitum essentiale ad meritum, vel demeritum, juxta dicta in expositione antecedentis propositionis.

X. Ad primam rationem in contrarium: Nil tritius apud Augustinum, quam liberum arbitrium Gratiæ ad Fidem, & pie vivendum invitanti posse annuere, vel abnuere pro libito: Lib. de bono perseverantiæ cap. 5. habet: *Credere, vel non credere positum est in arbitrio voluntatis humanæ*: Cap. 34. de Spir., & lit. supposita Divina gratia, dicit: *Sed consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est*. Quinimmo lib. de lib. arb. c. 2. indifferentiam voluntatis ostendit ex verbis illis Ecclesiastici 15. *Ante hominem vita, & mors, ad quodcunque voluerit, extendit manuum suam.* Ad ea verba August. allata, *Si Deus miseretur, jam volumus*, dicendum cum Ripal. tom. 3. d. 23. n. 314. ibi sermonem esse de gratia efficaci, ut constat ex contextu. Similiter loquitur de Divina misericordia vocante congrua, & non de omni misericordia, quando dicit, *Nullius frustra Deus miseretur*. Addit enim, *Item verum est: Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia etiamsi multos vocet, eorum tamen miseretur, quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est, ut sequantur*. Ecce quomodo solum ibi loquatur de vocatione, & misericordia congrua, supponens dari vocationem non congruam, cui voluntas resistat, quæ pariter Dei misericordia est.

XI. Ad alium Augustini textum respondetur, sensum Christi D. (ut exponit D. Th. in Jo. lect. 5.) esse quod quicunque a Patre interius illustrante, inspirante, & vocante audierit, & simul libere consentiendo didicerit, veniet ad me, credendo, sperando, ac diligendo: Propterea Augustinus dicit, impossibile esse, quin veniat, qui audivit, & simul libere consentiendo didicit; quin tamen neget multos vocari, & audire, absque eo quod discant, & veniant, eo quod vocationi resistant.

XII. Ad secundam: Gratiam efficacem aptissime cohærere cum infrustrabilitate Divinæ voluntatis, & libertate voluntatis humanæ, Catholici omnes docent, quamvis varient in eo explicando: cum Thomistæ id tribuant præmotioni physicæ essentialiter connexæ cum actu efficaciter a Deo intento, & quam noluit esse libertatis eversivam? Doctores vero Societatis id tribuant prædefinitioni Divinę scientiam mediam consequenti, ratione cujus infallibiliter ponetur actus per scientiam mediam prævisus & a Deo efficaciter volitus absque lesione libertatis; non secus ac infallibiliter erit peccatum Antichristi a Deo prævisum, citra læsionem libertatis: Quando autem Deus dat nobis velle, & perficere, tunc non dat gratiam, cui resistere non possimus, ut Jansenistæ contendunt, sed dat auxilium prę visum efficax, cui voluntas resistere potest; infallibiliter tamen non resistet, cum prævisa fuerit per scientiam mediam non restituta; non secus ac Antichristus cum potentia ad non peccandum infallibiliter peccabit, supposita prævisione absoluta, ac revelatio ne facta de ejus peccato futuro.

XIII. Ad tertiam: Diversitas auxilii in statu naturæ integrę, & lapsæ non est essentialis, consistens in eo, quod alterum componatur cum potentia ad reluctandum, alterum non, cum in utroque statu debeat salvari libertas; sed est accidentalis consistens in eo, quod auxilium Adamo collatnm in statu naturæ integræ, cæteris paribus, erat remissius ob minorem difficultatem ad bene operandum ex defectu concupiscentiæ rebellis: in statu vero naturæ lapsæ auxilium medicinale ex meritis Christi collatum est uberius, ac intensius, ob majorem difficultatem ad bene operandum ortam ex concupiscentia effręni: caro enim adversus spiritum concupiscit, & sentimus in membris nostris legem repugnantem legi mentis; unde vires gratię debent esse uberiores, ne succumbamus.

XIV. Ad ultimam: Argumentum probat, quod neque in statu naturæ integræ gratia cohęrebat cum liber-

libertate; cum etiam in eo statu daretur locus orationibus, quibus Adam sibi, Evæ, & Filiis auxilium a Deo peteret ad perseverandum, necnon ipsam perseverantiam: quare dicendum nos rationabiliter a Deo petere, præter auxilia, ipsam bonam operationem; quia quamvis ea pendeat a nobis, & in nostra sit potestate; principalius tamen pendet a Deo, qui animo specialiter benevolo præparat auxilia efficacia præ inefficacibus, dando liberaliter, præter posse, ipsum agere; ut proinde Apostolus loquens de operationibus supernaturalibus dixerit, *Non ego, sed gratia Dei mecum*; quasi dicat, eas esse partes gratiæ, ut præ illis partes voluntatis sint pene nullę, atque adeo ac si non essent; usque adeo Deus in elargiendis bonis operibus est nobis beneficus: quamvis illa a nobis determinentur libere, atque adeo cum potestate dissentiendi.

PROPOSITIO V. JANSENII.

Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse.

SYNOPSIS.

I. *Docuit Jansenius a Semipelagianis, non a Catholicis doceri, quod Christus etiam pro Reprobis Sanguinem fuderit pretiosissimum.* II. *Deinde Novatores dixerunt, pro omnibus, & solis Fidelibus mortuum esse.* III. *Jansenii error descendit ex illa ejus maxima, quod non detur in natura lapsa gratia per Christum, quæ non sit efficax.* IV. *Explicatur, cur Doctrinam Catholicam de Christo pro omnibus mortuo Jansenius tribuat Semipelagianis.* V. *Videtur Christus non fudisse pro Reprobis Sanguinem, quia pro illis Christus non oravit; ut nec Ecclesia orat pro damnatis, aut pro diabolo.* VI. *Si Christus pro reprobis orasset, exauditus fuisset.* VII. *Sanguis novi testamenti dicitur effundendus pro multis, atque adeo non pro omnibus.* VIII. *Quod videntur August., & Anselmus aperte docere.* IX. *Scripturæ tamen passim docent, Christum pro nobis omnibus traditum esse.* X. *Debet autem ly* Pro multis *intelligi pro singulis generum, non vero pro generibus singulorum.* XI. *Nec potest dici, quod pro omnibus Christus mortuus sit quoad sufficientiam in actu primo remoto. Nam sic etiam pro diabolo, & pro omnibus creaturis rationabilibus possibilibus mortuus esset.* XII. *Tridentinum aperte docet, pro omnibus Christum mortuum esse, quamvis non omnes salventur.* XIII. *Nec valet cum Jansenistis dicere, quod sit mortuus pro omnibus, quatenus suscepit causam omnibus communem.* XIV. *Augustinus id insinuari docet ex iis etiam verbis Psal.* 18. Non est qui se abscondat a calore ejus. XV. *Nisi Christus pro omnibus omnino sanguinem fudisset, plures actus Theologales Fidei, Spei, & Charitatis ab omnibus eliciendi, a Reprobis exerceri non possent.*

XVI. *Christus pro Reprobis oravit, sicut oravit in Horto, ut transiret a se calix, oratione scilicet conditionata, si id ad gloriam Patris conferret, & ipsi placitum esset. Ecclesia tamen non orat pro damnatis, eo quod non sit amplius illis locus pœnitentiæ.*

XVII. *Ex Augustino in Cruce Christus pro Reprobis oravit, eorumque salutem quærebat, cum dixit*, Sitio. XVIII. *Quando dicitur quod Sanguis novi Testamenti pro multis effundetur, juxta Scripturæ phrasim sit sensus, quod effundetur pro omnibus, qui sunt multi.* XIX. *Quamvis quoad sufficientiam duntaxat effusus sit pro omnibus, & pro multis solum quoad efficaciam.*

I. Exponitur. Innocentius X. in sua Constitutione propositionem hanc damnavit ut *falsam*, *temerariam*, *scandalosam*, & *intellectam in eo sensu*, *ut Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit*, *ut impiam*, *blasphemam*, *contumeliosam*, *Divinæ pietati derogantem*, & *hæreticam*. Quam censuram confirmavit deinde Alex. VIII. Illam autem docuit Jans. l. 3. de Gratia Salv. c. 21. dicens: *Nullo modo principiis Augustini consentaneum est, ut Christus Dominus vel pro Infidelium in infidelitate morientium, vel pro justorum non perseverantium salute mortuus esse, sanguinem fudisse, semetipsum redemptionem dedisse, Patrem orasse sentiatur. Scivit enim quomodo quisque ab æterno prædestinatus erat, scivit hoc decretum nullius pretii oblatione mutandum esse. Ex quo factum est, ut juxta Sanctissimum Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipsorum, quam pro diaboli deprecatus fuerit: sed si quid pro ipsis Patrem rogavit, pro temporalibus quidem justitiæ effectibus rogavit, fuditque sanguinem suum.* Et deinde subdit, sententiam oppositam esse *Machinam a Semipelagianis erectam*, & *ab Ecclesia repudiatam*. Hoc idem docuerat olim Calvinus 3. Inst. in c. 17. Jo. dicens, *Christum proprii gregis solummodo sollicitum fuisse*, & *pro Electis suis duntaxat orasse*. Et quamvis, ut notat Platel. tom. 4. n. 360. discreparet Calvinus a Jansenio in hoc, quod ille vellet reprobis ob merita Christi concessa solum fuisse bona aliqua temporalia, hic vero etiam bona aliqua supernaturalia; neuter tamen voluit pro æterna reproborum salute Christum fudisse sanguinem pretiosissimum.

II. Nonnulli deinde Jansenii asseclæ post hanc confixam thesim adhuc docere ausi sunt quartam illam ab Alex. VIII. proscriptam, quæ dicit: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo, non pro solis Electis, sed pro omnibus, & solis Fidelibus*. In cujus expositione plura diximus huc pertinentia.

III. Hinc Jansenii error descendit ex illa ejus maxima, quod scil. præter gratiam efficacem nulla detur gratia sufficiens, cui possit voluntas in natura lapsa resistere. Unde fit, quod cum Reprobi careant gratia efficaci, qua salventur, careant etiam gratia sufficiente; ac proinde Christus Dominus non fuderit sanguinem ad hanc gratiam sufficientem obtinendam, qua Reprobi salvari possent, si vellent.

IV. Ratio autem, cur audacter dicatur a Jansenio, a Semipelagianis doceri, quod Christus pro omnibus mortuus sit, innuitur a de Champs lib. 3. disput. 7. cap. 15. quia scil. triplex fuit in hac re Semipelagianorum error. Primus quidem, quod contenderent Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint; ita ut hanc salutis voluntatem, quam Deus a nobis exigit, solis naturæ viribus adscriberent. In eo autem Pelagiani a Semipelagianis discrepabant, quod illi contenderent, Deum velle omnes homines salvos fieri, dummodo naturæ viribus quicquid ad salutem est necessarium efficiant; Isti vero, errorem hunc moderati, contenderent, Deum velle omnes homines salvos fieri; dummodo primam salutis voluntatem naturæ viribus concipiant. Adversus autem hanc hæresim docet Catholica Fides, Deum velle quidem omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, quin tamen

possint

possint id velle naturæ viribus, sed prævenientis gratiæ auxilio; Quod Augustinus 1. Retractat. cap. 10. his verbis expressit: *Verum est omnino, omnes homines hoc posse, si velint; sed præparatur voluntas a Domino, & tantum augetur munere charitatis, ut possint.*

Alter error Semipelagianorum fuit, quod contenderent, Deum velle omnes homines salvos fieri, si ipsi velint, ita ut hujusmodi conditio etiam in parvulis ante baptismum extinctis locum habeat; & quia præsentem voluntatem in iis non inveniebant, ad futuram confugiebant, quam Deus habituros illos prævideat, si ad maturam ætatem pervenissent; quare dicebant, parvulos sine baptismo decedentes ideo non salvari, quia, si diutius vixissent, salvari noluissent. Hanc istorum hæresim expressit Augustinus Epist. 105. dicens: *Deus, inquiunt, in parvulis, quos hinc aufert, prævidet quemadmodum victurus esset quisque, si viveret; & ideo quem nequiter novit esse victurum, sine Baptismo facit, & mori, sic in eo puniens opera mala, non quæ fecit, sed quæ facturus fuit.* Catholici tamen docent, de adultis tantum verum esse, quod Deus velit omnes salvos fieri sub ea conditione, quod ipsi velint: quod vero spectat ad infantes, falsissimum esse, quod ob merita, vel demerita ulla conditionate futura baptismus iis concedatur, aut negetur; cum merita, ac demerita conditionate futura, sicut etiam mere possibilia, nullum præmium, aut pœnam exigant; aliter posset Deus quemlibet ad arbitrium damnare ante quodcumque peccatum ab eo patratum, præcise ob peccata conditionata, quæ in unoquoque prævidet sub aliqua conditione; quod citra deliramentum asseri non potest. Admittit quidem Div. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23., & cum eo plurimi DD. defendunt, *istos paucorum dierum homines ad istam pertinere gratiæ partem, quæ semper universis est impensa nationibus, qua utique si bene eorum uterentur Parentes, etiam ipsi per eosdem juvarentur.* At hæc conditio, *Si bene eorum uterentur Parentes*, longe discrepat ab ea conditione Pelagiana, quam Augustinus refellit. Utrum autem revera Deus providerit his infantibus de remedio ad salutem in institutione Sacramentorum, quæ dependenter a causis secundis applicentur, an vero dependenter ab orationibus, ac bonis operationibus Parentum, an autem voluerit eos directe in pœnam originalis e Cœlorum Regno excludere; Disputant Theologi, & nonnulla de hoc supra innuimus in expositione propositionis 4. ab Alex. VIII. proscriptæ.

Tertius Semipelagianorum error fuit, quod contenderent, Deum velle æqualiter (sive, ut loquitur Faustus, *indiscrete*) omnes homines salvos fieri, & Christum æqualiter pro omnibus esse mortuum; ut proinde non dicantur majoribus beneficiis a Deo & a Christo D. affecti esse Electi, quam Reprobi. Hanc hæresim expressit D. Prosper in Carmine de Ingratis cap. 8. dicens:

Cum sine delectu, seu lex, seu gratia Christi
Omnem hominem salvare velit, Dominique vocantis
Sic sit propositum, ut nullus non possit ad illud
Libertate sua, proprioque vigore venire;
Sitque salus dignis salvare ex fonte volendi.

Dum dicunt Semipelagiani, quod voluntas Dei, & gratia Christi *sine delectu* ad omnes homines æqualiter pertineant, contendunt discretionem Electorum a Reprobis *ex solo fonte volendi* provenire, non ex speciali Divina Misericordia. Quod refellit Div. Fulgentius lib. de Incarn. & Grat. c. 29. ubi habet: *Illud Apostolicum, ubi dicitur de Deo, Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, non sicut oportet, intelligunt, qui hanc Dei voluntatem sicut in vasis misericordiæ, sic & in vasis iræ accipiendam existimant.* Fides quippe Catholica docet, Deum generali quadam voluntate velle omnes homines salvos fieri, & ex ea omnibus omnino gratiam sufficientem præparare, cum hoc tamen, quod peculiari quodam affectu Prædestinatos diligat, & congrua ad salutem illis auxilia destinet. Quod dilucide expressit D. Prosper lib. 2. de Vocat. Gentium c. 31. dicens, *Gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura: Quoniam sive occulte, sive manifeste, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime Fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam, de qua agimus, controversiam dirimit. Dicendo enim, Qui est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super omnes homines esse generalem; Adjiciendo autem, Maxime Fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito Fidei Divinitus inspiratæ ad summam, atque perfectam salutem specialibus beneficiis provehatur.* Propterea Trid. sess. 6. c. 3. docet, Christum D. pro omnibus mortuum esse, & sanguinem fudisse, quatenus omnibus omnino obtinuit gratiam sufficientem ad salutem, quamvis non omnibus obtinuerit efficacem, ut proinde non omnes salventur. Hæc sunt Tridentini verba: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur:* Non quasi vero meritum passionis non communicetur Reprobis quoad obtinendam iis gratiam sufficientem; aliter non diceret Concilium, quod Christus pro omnibus sit mortuus; sed quod non communicetur quoad obtinendam efficaciter, & in actu secundo salutem. Hinc Hugo Victorinus, qui *S. Augustini lingua* solet appellari, quæst. 15. in cap. 5. Epist. 2. ad Cor. habet: *Secundum Augustinum mortuus est pro omnibus Christus, quia hoc ejus mors promeruit, ut per ipsum omnes salvarentur, nisi in ipsis remaneret; sufficiens enim erat ad omnium salutem.* Et ipse August. apud de Champs loc. cit. *Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te: si nolueris, non est datus pro te. Hoc est magnum, quia semel dedit, & pro omnibus dedit: Sanguis Christi volenti salus est, & nolenti supplicium.*

His explicatis perspicuum fit, qua ratione Jansenius contendat, Semipelagianum esse, quod Christus pro omnibus mortuus sit, ac sanguinem effuderit pertiosissimum; quia scil. Semipelagianus error fuit, quod Deus indiscrete, hoc est, ut interpretatur D. Prosper, sine delectu, & indifferenter universos velit salvos fieri, ac Christus eodem modo pro omnibus sanguinem fuderit; perinde quasi non possit esse verum, quod sanguinem pro omnibus fuderit, quin tamen eodem modo Passionis fructus Electis, ac Reprobis communicetur.

V. Rationes autem potissimæ, quibus nititur hæresis hæc Janseniana, quod scil. Christus non sit mortuus pro omnibus, sunt: Primo, quia Christus non oravit pro Reprobis: ergo nec pro illis sanguinem fudit. Antecedens probatur, quia ex Augustino lib. 21. de Civit. cap. 24. Ecclesia pro damnatis non

orat;

orat; ut nec pro diabolo: ergo neque Christus præscius damnationis Reproborum oravit pro illis; utriusque enim oratio esset frustranea. Imo si Ecclesia prænosceret damnationem futuram alicujus, neque pro illo oraret, ut habet Augustin. loc. cit. dicens: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso*. Et ratio a priori videtur esse, quia orationi annectitur spes obtinendi id, quod petitur, aliter esset frustra; spes autem non potest dari de bono certe non futuro; ergo cum salus reproborum Christo D. appareret certe non futura, non poterat illam sperare, atque adeo nec pro illa orare, & Sanguinem fundere.

VI. Confirmatur ex Scripturis, ex quibus colligitur Christum de facto non orasse pro Reprobis: dicitur enim Jo. 17. *Non pro Mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi*, idest ut habet August. tract. 107. in Joan. *Non pro Reprobis, sed pro Prædestinatis*. Quod si pro Reprobis aliquando orasset, certe exauditus fuisset, & salutem iis obtinuisset; nam Jo. 11. habetur: *Ego sciebam, quia semper me audis*.

VII. Secundo, quia Matth. 15. dicitur: *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt Domus Israel*: ergo non pro omnibus mortuus est: & ideo Matth. 20. dicitur: *Filius hominis venit dare animam suam redemptionem pro multis*: & 26. *Hic est Sanguis meus novi Testamenti, qui pro multis effundetur*; Quibus verbis videtur innui, Christum non fudisse sanguinem pro omnibus.

VIII. Tertio, quia Augustinus Epist. 102. aperte dicit: *non perit unus ex illis, pro quibus Christus mortuus est*; Et lib. 1. de adulterinis conjugiis c. 15. *Omnis, qui Christi Sanguine redemptus est, homo est, non tamen omnis, qui homo est, Sanguine Christi redemptus est*. Quod etiam docuit Anselm. in Elucidario, dicens: *Christus pro solis Electis mortuus est*: & infra: *Nihil contulit Reprobis ob sua demerita mors Christi*.

IX. Ostenditur falsitas: Primo ex innumeris Scripturis, quas retulimus in expositione proposit. quartæ Alex. VIII.; præsertim 1. ad Tim. 2. *Dedit semetipsum redemptionem pro omnibus*; & ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum*. Quod etiam deducitur ex verbis Apostoli dicentis, posse perire, ac de facto perire nonnullos, pro quibus Christus mortuus est, atque adeo etiam pro Reprobis Christum fudisse Sanguinem suum. Ad Rom. 14. ita loquitur: *Noli cibo tuo illum perdere pro quo Christus mortuus est*. Et 1. ad Cor. 8. *Peribit infirmus in tua scientia frater, propter quem Christus mortuus est*. Evincitur etiam ex eo, quod comparet Apostolus ad Rom. 5. fructum mortis Christi cum damno secuto ex peccato Adæ, dicens: *Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ*; atque adeo, quantum est ex parte Christi, redemptio in omnes homines pertransiit, cum pro omnibus mortuus sit.

X. Neque ullatenus his Scripturis satisfit a Jansenianis dicendo, quod ly *pro omnibus* intelligatur pro generibus singulorum, hoc est pro Judæis, Gentilibus, ignobilibus, &c. non pro singulis generum. Nam licet verum sit, quod non raro in Scripturis vox *Omnis* non sumatur nisi pro generibus singulorum, ut cum dicitur Matth. 9. *Christus sanabat omnem morbum*, & Luc. 11. *Decimatis mentam, & rutam, & omne olus*: nihilominus vox ista, *Omnis*, secundum se debet sumi in proprio significatu, atque adeo pro singulis generum, nisi aliunde constet, quod debeat sumi pro generibus singulorum, ut in textibus adductis. Universim enim ex Augustino verba Scripturæ non possunt gratis restringi, aut in sensu minus proprio accipi; aliter rueret omnis auctoritas Scripturarum. Præterquamquod Patres communiter has Scripturas illimitate accipiunt pro singulis generum, ut mox dicemus, & expresse docent, etiam pro reprobis Christum esse mortuum.

XI. Multo minus Scripturis adductis satisfit dicendo, quod Christi Sanguis pro omnibus effusus sit quoad sufficientiam in actu primo remote, quatenus poterat pro omnibus offerri, & acceptari ad salutem promerendam, non vero in actu primo proximo; ita ut de facto pro omnibus oblatus, & acceptatus sit; adeo ut per voluntatem Christi, & Dei non stet, quominus omnes salventur, prout possunt, si velint. Nam, juxta hanc explicationem, etiam pro dæmonibus, & pro Angelis, ac pro hominibus possibilibus Christi Sanguis effusus esset; cum tamen homines tantum extituros Christus redemerit; ergo mortuus est pro omnibus quoad sufficientiam in actu primo proximo.

XII. Idipsum docuit Trid. verbis supra laudatis: *Etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt: sed ii duntaxat, quibus meritum ipsius communicatur*. Sufficientiam itaque ad salutem omnes habent, cum pro omnibus Christus mortuus sit; efficaciam tamen non habent omnes, eo quod ex propria culpa non communicetur omnibus adultis meritum passionis Christi per Sacramenta aut in re, aut in voto: Quicquid sit, Utrum infantibus, qui ante baptismum decedunt, ex culpa Parentum, aut aliunde meritum Passionis Christi non applicetur? qua de re nonnulla diximus in expositione propositionis quartæ Alexandri VIII.

XIII. Neque dicant Jansenistæ, Christum pro omnibus mortuum esse, quatenus suscepit causam omnibus communem. Nam Tridentinum loquitur adversus Lutherum, & Calvinum, qui id non negabant; unde interpretatio hæc, utpote aliena a mente Concilii, & valde impropria, solum in patrocinium erroris adhibetur.

XIV. Accedit auctoritas apertissima Augustini pluribus locis apud Platelium tom. 4. n. 362. & Annatum, ut mirum sit, quod pro sententia opposita laudetur. In illud Psal. 18. *Nec est, qui se abscondat a calore ejus*, hæc habet: *Cum autem Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, non permisit ullum mortalium excusare se de umbra mortis: ipsum enim penetravit Verbi calor*. Et in Psal. 95. *Judicabit orbem terræ in æquitate*, addit: *Non partem, quia non partem emit, totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit*. Cum autem tam Electos, quam Reprobos sit judicaturus, sequitur, quod pro utrisque ex Augustino pretium dederit. Quod apertius expressit S. Doctor lib. 2. de Symbolo ad Catechum. cap. 8. dicens: *Inimicis suis vulnera sua demonstraturus est; propter quod dictum est per Prophetam: Videbunt, in quem pupugerunt: Non ut eis dicat, sicut Thomæ: Quia vidisti, credidisti: sed ut convincens eos Veritas dicat: Ecce hominem, quem crucifixistis: ecce Deum, & hominem, in quem credere noluistis: Videtis vulnera, quæ infixistis: Agnoscitis latus, quod pupugistis, quoniam & per vos, &*

pro-

propter vos apertum est, nec tamen intrare voluistis. Idemque docent Prosper, Hieronymus, Nazianzenus, Ambrosius, Chrysostomus, & unanimi consensu Patres omnes; ut proinde merito sententia Jansenii a Pontificibus notetur ut hæretica, impia, blasphema, contumeliosa, & derogans Divinæ pietati.

XV. Confirmatur, quia nisi Christus D. etiam pro Reprobis mortuus esset, actus Theologales a Reprobis exerceri non possent, cum tamen certum sit, omnibus eorum exercitium præcipi. Non possent siquidem Reprobi Symboli Nicæni in Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi Concilio comprobati formulam illam usurpare: *Credo in unum Dominum JESUM Christum*, &c. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis*. Quod autem a quocumque id sit credendum, docuit Augustinus serm. 123. de Tempore dicens: *Qui pro tua Redemptione, & salute, & in Humanitate, quam accepit, Crucis pertulit passionem*, ostendens, quod quilibet dicere possit, *Qui pro mea Redemptione, ac salute Crucis pertulit passionem*. Unde in libro Soliloquiorum cap. 32. hæc veræ Fidei confessio præscribitur: *Confiteor te Deum Patrem Ingenitum, Te Filium Dei Unigenitum, Creatorem, Salvatorem, & Redemptorem meum, & totius generis humani*. Nec possent Reprobi Spem Theologicam exercere, cum spes nostræ salutis in Christi sanguine pro nobis effuso nitatur. Unde Augustinus lib. Medit. c. 14. habet: *Omnis spes, & totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso Sanguine ejus, qui effusus est propter nos, & propter nostram salutem*. Præterquamquod, ut advertit de Camps lib. 3. disput. 7. sect. 8., ne ipsis quidem Prædestinatis mors Christi bene sperandi rationem præberet, si solum pro iis mortuus esset: quia cum nemo sciat, an sit ex numero Prædestinatorum, nemo certam salutis spem ex Christi morte posset concipere; Nec ullus posset usurpare verba laudata Augustini, dicendo: *Totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso Sanguine ejus, qui effusus est propter me, & propter meam salutem*; incertum enim esset hoc Spei fundamentum; si incertum esset, an pro mea salute Christus Sanguinem pretiosum effuderit. Denique Charitati etiam Theologicæ præcipuum fomentum deesset, nisi pro singulis Christus Dominus crudelissimam mortem oppetiisset, ita ut quilibet usurpare posset illud Apostoli ad Gal. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum propter me*. Constat enim ex eo præcipue inflammari Charitatem, quod ad se pertinere quilibet credat, quod dicitur Jo. 3. *Sic Deus dilexit Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret*. Unde August. tr. 2. in Epist. 1. Jo. omnes hortatur, dicens: *Omnes illius simus, qui pro nobis mortuus est, qui pro nobis crucifixus est*. Et Div. Bernardus serm. 11. in Cant. *Memento jam, te etsi de nihilo factum, non tamen de nihilo redemptum. Sex diebus condidit omnia; at vero per totos triginta annos operatus est salutem tuam in medio terræ*. Et D. Anselmus in Stimulo Amoris c. 16. *Ab imo pedis usque ad summum verticis totum in aquas passionum Te demersisti, ut me totum de illis extraheres. Diligendus mihi es toto corde, tota anima*. Ex quibus omnibus fit, Christum D. pro omnibus omnino, etiam pro Reprobis, mortuum esse, ac Sanguinem fudisse. Unde Laurentius Justinianus serm. de Passione Domini advertit, Christum D. in Cruce Reproborum salutem sitisse, ubi dixit: *Numquid sitit satietas? sititne, qui sitientium ardoribus refrigerium præstat? An vitæ Fons sitire valet? Potest, inquam, quia vult; Sitit utique pereuntium salutem animarum*.

XVI. Ad primam rationem in contrarium: Argumentum probat, quod nec potuerit Christus orare, quod transiret a se calix; eo quod certe non erat transiturus. Augustinus l. c. (ut notat de Champs l. 3. d. 7. c. 17.) disputat contra eos, qui volebant damnatos omnes liberandos in die judicii a damnatione per orationes Sanctorum, & refutat dicendo, quod si Sancti, & Ecclesia orare posset pro damnatis, orare etiam deberet pro dæmonibus; pro neutris autem orat, quia non est amplius eis locus pœnitentiæ. Et similiter si nossent aliquem esse a Deo prædestinatum ob sua delicta ire in gehennam cum diabolo, tam pro illo non orarent, quam non pro diabolo: quia non debemus a Deo petere, ne fiat justissima sua voluntas; possumus solum orare, ne ponatur decretum damnationis adversus impios, non vero ne decretum absolute latum executioni mandetur: Quando autem Christus oravit pro reprobis, & ut transiret Calix, solum oravit, ne decretum poneretur; & quamvis reluceret Christo decretum illud esse ponendum, oratio tamen non dirigebatur ab hac præscientia: Sicut quando Christus D. ponebat actus liberos, isti actus non dirigebantur a præscientia de eorum futuritione, aliter non essent liberi, si eos antecederet hujusmodi scientia infallibilis; & idcirco oratio Christi annectebatur spei de obtinendo id, quod petebat. Alii tamen docent, Christum Dom. orando pro reprobis, & ut transiret Calix, obtulisse Deo simplex quoddam desiderium de tali effectu, quod non pertingeret ad Spem, quod desiderium erat conditionatum, non secus ac oratio, si scilicet ita gratum esset Patri, & ad ejus gloriam conferret; ut proinde nunquam Christi humana voluntas Divinæ voluntati fuerit contraria, ut communiter Doctores docent cum Angelico.

XVII. Ad Confirmationem: Etiamsi tunc Christus non orasset, nisi pro Apostolis tantum, oravit tamen alias etiam pro reprobis, cum sit *Salvator omnium, maxime fidelium*, ut dicitur 1. Tim. 2. In Cruce præsertim oravit etiam pro iis, qui in ipsum non crediderunt, ut habet August. in Psal. 68. dicens: *In Cruce dixit, Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater, ignosce illis, quia nesciunt, quid faciunt: Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum: Acetum enim vinum vetus dicitur: merito de vetere homine propinarunt, qui novi esse voluerunt*. Oravit itaque Christus pro reprobis absolute, ut gratiam sufficientem haberent, illamque obtinuit; non oravit autem absolute, ut salutem efficaciter consequerentur, sed solum id postulavit conditionate modo explicato, si scilicet id gratum foret Deo Patri, & ad ejus gloriam conduceret; & quia conditio ista non fuit purificata, idcirco salutem reprobi non consequuntur. Cum quo stat, quod Christus Dominus pro sua reverentia semper exauditus sit a Patre in iis, quæ petiit absolute, necnon in iis etiam, quæ petiit conditionate, purificata tamen conditione.

XVIII. Ad secundam: Illud, quod dicitur Matth. 15. *Non sum missus* &c. intelligendum est, quod non fuerit missus Christus ad annunciandum immediate omnibus Regnum Dei verbis, & miraculis, quamvis missus sit ad omnes redimendos, & salvandos, quantum ex parte sua: & licet dicatur venisse ad redimendos multos, non eatenus non venit ad redimendos omnes, cum sæpe in Scripturis ly *multi* idem sonet ac omnes, qui sunt multi: ut cum dicitur

citur ad Rom. 5. *Si enim unius delicto multis mortui sunt*, quod notavit Aug. lib. 20. de Civ. c. 32.

XIX. Ad tertiam: Augustinus dicens, neminem eorum perire, pro quibus Christus mortuus est, intelligendus, pro quibus Christus suum Sanguinem obtulit ad obtinendam non solum sufficienter, sed etiam efficaciter, eorum salutem; in quo sensu passim etiam alii Patres, & Scripturæ ipsæ loquuntur. Sic etiam quando dicitur Sanguis Christi pro multis effundendus, intelligi debet pro multis quoad efficaciam, quamvis pro omnibus quoad sufficientiam: Et quando Anselmus dicit, nihil contulisse reprobis mortem Christi, intelligendus, quod salutem in actu secundo non contulerit ob defectum humanæ cooperationis, quamvis contulerit sufficientiam: Universim enim SS. Patres ita interpretandi, ut non discrepent a sensu Scripturarum, Ecclesiæ, & ipsorummet Patrum, qui alias aperte mentem suam exposuerunt: in casu autem nostro suam mentem passim, ut ostendimus, explicarunt luculentissime, adeo ut in Sole cæcutiat, qui de illa dubitet.

THESES OMNES CONFIXÆ

Ab Alexandro VII. ab Innocentio XI. Ab Alexandro VIII.

NECNON JANSENII

Juxta methodum Theologicam hic ad sua capita rediguntur.

DE *Conscientia Probabili*. 26. Alexandri VII. De Judice, quando utrinque sunt opiniones æque probabiles. 27. De Probabilitate ex uno Neoterico. 1. Innoc. XI. De Probabilitate in Sacramentis conferendis. 2. De Judice relate ad opinionem minus probabilem. 3. De tenui probabilitate. 4. De Infideli ducto ad non credendum ex opinione minus probabili. 3. Alexandri VIII. De opinione inter probabiles probabilissima.

De Peccatis. 24. Alexandri VII. De specifica diversitate Mollitiei, Sodomiæ, & Bestialitatis. 2. De copula cum soluta, prout distincta a tactibus, & osculis. 40. De gravitate osculi ob delectationem carnalem. 8. & *9*. Innocentii XI. De cibo, & potu ad satietatem, ac de opere conjugii ob solam voluptatem. 13. De gaudio, ac desiderio inefficaci mortis alienæ ob temporale emolumentum. 14. De absoluto desiderio mortis Patris ob hæreditatem. 15. De gaudio super Parricidio in ebrietate perpetrato ob divitias ex hæreditate consecutas. 48. & *49*. De Fornicatione, ac Mollitie jure naturæ interdictis. 50. De copula cum conjugata, marito consentiente. 51. De famulis cooperantibus ad peccatum domini ob metum. *62*. & *63*. De proxima occasione peccandi ob causam utilem. Prima ex duabus Alexandri VIII. De peccato Philosophico. 1. ex 31. ejusdem Alexandri VIII. De libertate in causa sufficiente ad peccatum formale. 2. De ignorantia invincibili juris naturæ non excusante a peccato formali. 7. De actione humana deliberata, quod quælibet sit vel Dei dilectio, vel mundi. 8. De Infideli in quovis opere peccante. *9*. De odio peccati ob ejus turpitudinem peccaminoso. 10. De detestatione peccati ad obtinendam cęlestem gloriam non recta. 11. De operibus, quæ non sunt ex Fide, quæ per dilectionem operatur. 15. De Attritione non bona sine dilectione Dei. *19*. De Pœnitentia propter originale, quæ tota vita peragatur.

De Legibus. 28. Alexandri VII. De lege citra causam ullam a populo non acceptata.

De Præceptis Ecclesiæ. 23. Alexandri VII. De frangente jejunium citra comtemptum. 27. De comestiunculis modicis die jejunii iteratis. 30. De jejunio quoad laborantes. 31. De jejunio quoad itinerantes. 32. De ovis, & lacticiniis in Quadragesima. 52. Innocentii XI. De præcepto servandi festa, si absit contemptus. 53. De auditione plurium partium Missæ simul.

De Gratia. 5. Alexandri VIII. De Gratiæ sufficientis defectu in Infidelibus. *6*. De Gratia sufficiente perniciosa. 1. Jans. De Gratiæ defectu in justis ad observanda aliqua Dei præcepta requisitæ. 2. De Gratia interiori, cui nunquam resistitur. 4. De Gratia evertente libertatem ad resistendum, vel obtemperandum.

De Merito. 1. Alexandri VII. De libertate in causa sufficiente ad demeritum. 2. De ignorantia invincibili non excusante a peccato, nec impediente demeritum. 3. Jans. De libertate a coactione sufficiente ad merendum, vel demerendum.

De Virtutibus Theologicis. 1. Alexandri VIII. De iterandis actibus virtutum Theologalium.

De Fide. 3. Alexandri VII. De absolutione ab hæresi occulta, & aliis casibus Bullæ Cœnæ per Episcopos. 4. De absolutione ab hæresi occulta per Prælatos Regulares. 5. De denunciando hæretico, etiamsi probare non possis. *6*. De denunciatione sollicitantis in confessione per traditionem chartæ. 45. De libris prohibitis non retinendis, donec corrigantur. 5. Innoc. XI. De Infideli non credente ob opinionem minus probabilem de secta sua. *16*. De præcepto speciali Fidei. 17. De iterandis in decursu vitæ actibus Fidei. 18. De Fide confitenda. *19*. De voluntate firmante Fidei assensum. 20. De prudenti repudio Fidei supernaturalis. 21. De Fide formidolosa. 22. De Fide Dei Remuneratoris. 23. De Fide lata. *64*. De ignorante mysteria Trinitatis, & Incarnationis. *65*. De Fide horum mysteriorum. 12. Alexand. VIII. De Fide Divina deficiente ad defectum omnis amoris Dei. *29*. De Auctoritate Pontificis supra Concilium, & de ejus infallibilitate in quæstionibus Fidei decernendis. 30. De Augustini doctrina spectata absque respectu ad Bullas Pontificias. 31. De Bulla *In Eminenti* Urbani VIII. quam Bajani, & Jansenistæ dicunt subreptitiam.

De Spe. 13. Alex. VIII. De vitioso famulatu erga Deum intuitu mercedis æternæ, si desit Charitas. Sicut proscribitur etiam decima thesis antecedens de prosecutione Boni, ac detestatione Mali non recta ad obtinendam cœlestem gloriam: & 14. de timore gehennæ non supernaturali.

De Charitate. 5. Innoc. XI. De diligente Deum semel in vita. 6. De præcepto Charitatis singulis quinquenniis obligante. 7. De eodem obligante solum, quando tenemur justificari. pr. ex duabus Alex. VIII. De fine ultimo neque in principio, neque in decursu vitæ moralis amando. 12. ex aliis 31. Alex. VIII. De defectu Amoris Dei trahente defectum Fidei Divinæ. 13. De defectu Charitatis trahente Spem vitiosam. 15. De motu non bono, nec supernaturali Attritionis sine dilectione benevolentiæ Dei.

De dilectione proximi. 10. Innoc. XI. De obligatione diligendi proximum actu interno, & formali. 11. De hoc præcepto ad solos actus externos obligante. 12. De eleemosyna eroganda ex superfluis statui. 51. De famulo, qui ob metum adjuvat herum ascendentem per fenestras ad peccandum.

De injustitia. 8. Alex. VII. De duplicato Missæ stipendio ob applicationem partis ejus specialissimæ. 9. De parte pinguis stipendii, quæ retinetur. 10. De multiplici stipendio pro eodem Sacro. 22. De vendente arbitrium in Collatione Beneficiorum. 26. De Judice vendente sua arbitria. 42. De annuo legato pro anima relicto non durante nisi per decennium.

De Homicidio. 2. Alex. VII. De provocato ad duellum. 8. De occisione Calumniatoris ab Ecclesiastico. 18. De occisione Accusatoris, Testium, & Judicis. 19. De occisione adulteræ a marito. 30. Innoc. XI. De occisione Calumniatoris, necnon fugientis post impactam alapam. 31. De Homicidio pro conservatione unius aurei. 32. De occisiva defensione bonorum, ad quæ habemus tantum jus inchoatum. 33. De Homicidio impedientis assecutionem hæreditatis, aut legatorum, aut possessionem Cathedræ, vel Præbendæ.

De Abortu. 34. Innoc. XI. De Procuratione abortus ante fœtus animationem, ne puella infametur. 35. De animatione fœtus, antequam in lucem edatur, trahente homicidium in abortu.

De Detractione. 43. Innoc. XI. De imponente falsum crimen ad elidendam detrahentis auctoritatem. 44. De eodem ad suum honorem, & justitiam defendendam.

De Furto. 36. Innoc. VI. De furante in gravi necessitate. 37. De famulis occulte compensantibus. 38. De furtulis, quando ad magnam summam perveniunt.

De Usura. 42. Alex. VII. De lucro usurario propter obligationem non repetendi sortem ad certum tempus. 40. Innoc. XI. De contractu Mohatra usurario. 41. De auctario fœneraticio ob pecuniam numeratam, & præsentem pro numeranda, & futura. 42. De usura ob pactum dandi aliquid ex gratitudine, non tanquam debitum ex justitia.

De Simonia. 22. Alex. VII. De injusta simul, & Simoniaca collatione Beneficiorum, si pecunia accipiatur pro emolumento temporali, quod cum Beneficio confertur. 45. Innoc. XI. De collatione temporali, quod sit duntaxat motivum conferendi Spirituale, vel sit solum gratuita compensatio pro Spirituali, aut e contra, 46. Idque etiam si temporale sit principale motivum, immo etiam finis ipsius rei Spiritualis.

De Beneficiis. 47. Innoc. XI. De eligendis dignioribus ad Beneficia Curata, sumpto comparativo pro positivo; vel minus proprie, vel in concursu.

De Horis Canonicis. 20. Alex. VII. De restitutione facienda a non recitantibus ante sententiam. 21. De recitante Horas per alium. 33. De restitutione per eleemosynas antecedenter erogatas. 34. De officio Paschali die Palmarum. 35. De unico officio pro duplici die. 54. Innoc. XI. De eo, qui solum potest recitare Matutinum, & Laudes.

De Juramento. 24. Innoc. XI. De perjurio in re levi. 25. De Juramento sine animo jurandi. 26. De juramento addito restrictionibus mentalibus. 28. De promoto ad officium publicum mediante munere, qui juramentum quod exigitur, præstat cum restrictione mentali.

De Incarnatione. 64. Innoc. XI. De ignorantia culpabili hujus mysterii, & SS. Trinitatis. 65. De Fide mysteriorum. 4. Alex. VIII. De morte Christi pro solis Fidelibus. 5. De Influxu Christi capitis in Infideles. 5. Jans. De Christo non mortuo pro omnibus.

De Adoratione Sacrarum Imaginum. 25. Alex. VIII. De simulacro Dei Patris sedentis, quod in templo Christiano collocetur.

De Deipara. 24. Alex. VIII. De oblatione facta a B. V. die Purificationis, testante Matris, & Filii maculam. 26. De laude vana Mariæ ut Mariæ.

De Sacramentis. 1. Innoc. XI. De opinione probabili in collatione Sacramentorum. 29. De metu juste causante simulationem in Sacramentis.

De Baptismo. 27. Alex. VIII. De Baptismo sub forma, *In nomine Patris*, &c. 28. De ritu externo in collatione Baptismi citra intentionem faciendi, quod facit Ecclesia.

De Eucharistia. 55. Innoc. XI. De Communione sacrilega tempore Paschali. 56. De frequenti Confessione, & Communione, quæ sit nota prædestinationis. 22. Alex. VIII. De jure ad Communionem percipiendam, pœnitentia nondum expleta. 23. De volentibus communicare sine amore purissimo.

De Sacrificio Missæ. 7. 8. 9. Alexan. VII. De Missæ stipendio. 43. De annuo legato pro anima ultra decennium. 53. Innoc. XI. De simultanea auditione plurium Missæ partium.

De Pœnitentia. 6. Alex. VII. De Confessario per traditionem chartæ sollicitante. 7. De modo evadendi onus denunciandi hujusmodi Confessarium. 13. De Confessione facta Regulari injuste reprobato. 14. De Confessione voluntarie nulla, qua præcepto Ecclesiæ satisfiat. 15. De Pœnitentia imposita per alium impleta. 16. De Parochis eligentibus simplicem Sacerdotem in Confessarium. 24. De non explicandis in confessione peccatis contra naturam, Mollitie, Sodomia, & Bestialitate, eo quod sint ejusdem speciei infimæ. 25. De copula cum soluta, quæ explicetur tanquam peccatum cum soluta contra castitatem, reticendo copulam. 38. De Mandato imposito a Tridentino confitendi quamprimum, quod sit consilium, non præceptum. 39. De significato hujus particulæ *Quamprimum*. 41. De non obligando concubinario ad ejiciendam concubinam, quando sit multum utilis. 57. Innoc. XI. De Attritione naturali sufficiente ad hoc Sacramentum. 54. De obligatione fatendi consuetudinem peccati. 59. De Confessione dimidiata ob concursum pœniten-

tentium. *60.* De Absolutione consuetudinarii, in quo nulla affulget spes emendationis. *61.* De absolutione ejus, qui est in proxima occasione peccandi. *62.* De causa non fugiendi hujusmodi occasionem. *63.* De causa quærendi illam directe. *64.* De absolutione relate ad ignorantes mysteria Trinitatis, & Incarnationis. 15. Alex. VIII. De Attritione sine dilectione Dei. *16.* De præmittenda Satisfactione Absolutioni. 17. De ordine Pœnitentiæ inverso per praxim mox absolvendi. 18. De consuetudine moderna in administrando hoc Sacramento, quæ ab Ecclesia habetur pro abusu.

De Censuris. 3. Alex. VIII. De casibus occultis Bullæ Cœnæ relate ad Episcopos. 4. De hæresi occulta relate ad Prælatos regulares. 12. De casibus Episcopalibus relate ad Mendicantes. 44. De cessatione censuræ per correctionem Rei.

De Matrimonio. *9.* Innoc. XI. De opere conjugii ob solam voluptatem.

Denique, Quæ spectant ad Regulares sunt. 4. Alex. VII. De Prælatis Regularibus in ordine ad absolvendum ab hæresi occulta, 12. De Mendicantibus in ordine ad absolvendum a casibus Episcopalibus. 13. De Regulari injuste reprobato in ordine ad Confessionem excipiendam, qua præcepto Confessionis satisfiat. *36.* De Privilegiis Regularium per Tridentinum revocatis. 37. De Regularium indulgentiis revocatis a Paulo V. 20. Alex. VIII. De Confessionibus apud Regulares factis, quod pleræque sint invalidæ, aut sacrilegæ. 21. De Parochis suspicantibus, quod Mendicantes nimis leves, & incongruas pęnitentias imponant.

INDICULUS
THESIUM CONFIXARUM
AB ALEXANDRO VIII.

Prior ex duabus prius proscriptis, De præcepto Deum amandi.
Altera De Peccato Philosophico.
Prima ex una & triginta deinde proscriptis. De libertate in causa.
2 De ignorantia juris naturæ.
3 De opinione probabilissima.
4 & 5 De Christo pro solis Fidelibus mortuo.
6 De Gratia sufficienti perniciosa.
7 De Humana actione deliberata.
8 De Infideli peccante in quovis opere.
9 De odio peccati ob ejus turpitudinem.
10 De operante propter Cœlestem Gloriam.
11 De operibus, quæ non sunt ex Fide.
12 De Fide absque Dei dilectione.
13 De inserviente Deo ob beatitudinem.
14 De timore gehennæ.
15 De Attritione sine dilectione Dei.
16 & 17 De Absolutione ante Satisfactionem.
18 De moderna praxi in Sacramento Pœnitentiæ.
19 De Pęnitentia pro Peccato Originali.
20 & 21 De Confessionibus apud Regulares.
22 De Communione ante Pęnitentiam expletam.
23 De Amore purissimo ante Communionem.
24 De oblatione B. V. in Templo.
25 De Simulacro Dei Patris sedentis.
26 De laude Mariæ ut Mariæ.
27 De forma Baptismi.
28 De intentione requisita in Baptizante.
29 De Pontificis Auctoritate, & Infallibilitate.
30 De Doctrina D. Augustini.
31 De Bulla Urbani VIII. *In Eminenti*.

DE JANSENII PROPOSITIONIBUS.

1 De Impotentia ad observantiam præceptorum.
2 De Gratiæ irresistibilitate.
3 De Libertate a coactione.
4 De Gratia ineluctabili.
5 De Christo pro omnibus mortuo.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in Tertia hujus Operis Parte continentur.

Prior numerus designat Thesim ab Alexandro VIII. proscriptam : & ubi designantur duæ primæ Theses proscriptæ ante proscriptionem aliarum unius & triginta, additur (*ex* 2.) Ubi vero designantur Theses Jansenii, additur *Jan.* Secundus vero Numerus designat Numerum ejusdem Thesis. Ac tertius paginam hujus voluminis.

A

ABsolutioni Canonicæ duntaxat, non Sacramentali præmittendæ olim erant pœnitentiæ publicæ, quas Canones Pœnitentiales indicunt. prop. 16. n. 10. pag. 72 V. etiam Pœnitentiæ Ordo, *& V.* Satisfactio.

Actio humana deliberata dari potest, quæ nec sit Dei dilectio, seu charitas Patris, nec dilectio Mundi, seu actio peccaminosa. 7. 6. 41

Actus, qui apparet naturæ rationali, seu dictamini rationis dissonus, non solum est malus Philosophice, sed etiam Theologice. prop. 1. (ex 2.) 21. 15 Qui vero apparet naturæ rationali conveniens, est pariter Theologice bonus, aut saltem non malus. ib. Actuum humanorum quænam sit prima regula objectiva, Divina ne voluntas, an natura rationalis? ib. n. 20.

Actus externus, esto adderet novam malitiam, aut bonitatem actui interno, non tamen novum demeritum, aut meritum. 1. 11. 13 Nec actus imperatus habet speciale meritum, aut demeritum, si non sit formaliter liber, ib. n. 12.

Actus morales indifferentes in individuo num sint possibiles? 8. 12. 45

Adoratio civilis, ac politica in quonam differat a Sacra, & Religiosa. 26. 8. 100 Quomodo differant Laus, Honor, Gloria ab Adoratione? ib. n. 2.

Amor Dei naturalis num sit possibilis in statu naturæ lapsæ. 7. 13. 42 & 8. 8. 44

Amore Dei purissimo omnis mixtionis experte qui caret, non eatenus est arcendus a Sacra Communione. 23. 10. 89

Amor concupiscentiæ quandonam est inordinatus? 10. 12. 50 Si per illum nobismet bonum Increatum desideremus, erit usquequaque honestus. ib.

Anacleti Papæ Sanctio circa communionem quotidianam quomodo sit intelligenda? 23. 15. 90

Attritio ex quonam motivo procedere debeat, ut sit supernaturalis? 9. 2. 49. 50 Attritio non est peccaminosa, si odio habeat peccatum ob ejus turpitudinem absque ullo respectu ad Deum offensum. 9. 6. 47 Nec si detestetur peccatum ad cælestem gloriam obtinendam. 10. 9. 49 Aut ob metum gehennæ. 14. 5. 59 & 15. 27 66

Attritio ex metu gehennæ concepta absque dilectione benevolentiæ Dei propter se est bonus motus, & supernaturalis. 15. 7. 62 Pariter si concipiatur ex metu pœnarum temporalium ut a Deo ultore infligendarum. ib. n. 12. Aut ex amissione beatitudinis propter peccatum. ib. n. 13. Aut ex turpitudinis peccati consideratione, dummodo fœditas ista attingatur lumine fidei, vel cum aliquo respectu ad Deum offensum, vel ex oppositione cum virtute supernaturali. ib. n. 14.

Attritionem supernaturalem ex puro gehennæ metu conceptam absque ulla dilectione benevolentiæ Dei propter se in Sacramento pœnitentiæ sufficere, videtur moraliter certum. 15. 20. 64 Hinc licite adhibetur, omissa Contritione *tutiori. ib. n. 30. Esto nequeat opposita sententia censurari. ib. n. 33. Auctores non pauci, qui pro sententia opposita laudantur, fere omnes verbis duntaxat a nobis discrepant. ib. n. 34. Cardinalis Toletus requirebat olim in Sacramento contritionem putatam; sed post Tridentinum cecinit palinodiam. ib. n. 35.*

Augustini doctrinam sublimissimam Ecclesia secuta est in confutandis Hæreticis Gratiæ Christi eversoribus: Ea tamen non est absolute tenenda, & docenda non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam; nec est coæquanda definitioni Pontificis ex Cathedra loquentis. 30. 7. 115 Bullarum verba sumendæ sunt in sensu proprio, & deinde verba Augustini verbis Bullarum accommodanda sunt, non e converso. ib. n. 4. In quonam sensu a D. Prospero dicitur Augustinus scripsisse Apostolice? ib. n. 9.

B

BAji, & Jansenii principia virulenta, eorumque pestifera consectaria. 10. 1. & seq. 49

Baptismus collatus sub hac forma, In nomine Patris, &c. *prætermissis illis,* Ego te baptizo, *nunquam fuit validus. 27. 8. 105 Quomodo olim valide Baptismus conferebatur* In nomine Christi? *ib. n. 2. Forma Baptismi exprimere debet Ministri actionem. ib. n. 8. Actio Ministri exprimitur etiam ab hac forma,* Baptizetur servus Christi. *ib. n. 17.*

Baptismus collatus sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, est invalidus. 28. 3. 107. Quid de Historia celebri pueri Athanasii, ac Sancti Genesii martyris? ib. n. 6. Ubi dentur in Baptizante intentiones oppositæ, illa prævalet, quæ est magis absoluta. ib. n. 10. Sufficitne in Ministro Sacramenti intentio habitualis, sicut ea sufficit in suscipiente Baptismum, an vero requiritur saltem virtualis? Et in quo ista consistat? ib. n. 12.

Beati respectu ultimi finis habent solam libertatem a coactione: at respectu mediorum habent etiam libertatem a necessitate. 1. 13. 19 Amor necessarius ortus a Visione beatifica dicitur potius naturaliter, quam moraliter bonus. ib.

Bulla Urbani VIII. In eminenti, *non fuit subreptitia, seu dolo extorta per expositionem falsi. 31. 9. 118 Quid in ea contineatur? ib. n. 1.*

Cal-

C

CAlvinus, & Vviclephus libertatem ad actus morales cum summa necessitate conjunxerunt. 1. 13.

Canones Pœnitentiales non erant Leges, sed Instructiones. 16. 11. 72 Pœnæ in iis impositæ erant valde rigidæ, ac diuturnæ. 20. 5. 82

Charitas a Bajanis inepte reciprocatur cum Spe Theologica. 10. 8. & 16. 49 & 51 V. etiam Virtutes.

Christo Domino non fuit impositum mortis præceptum presse dictum, sed mandatum instar legis pœnalis, seu consilii onerosi. Quamvis Christus fuerit incapax præcepti rigorosi, potuit tamen illud imponi Humanitati assumptæ pro signo priori ad ejus assumptionem. 1. 14. 19 & 20

Christus Dominus non est mortuus pro solis Electis. 5. 9. 32 Nec pro omnibus, & solis Fidelibus, sed pro omnibus omnino hominibus. 4. 6. 32 A Jesu Christo influxum accipiunt etiam Pagani, Judæi, & Hæretici. 5. 12. 109 Obtulit semetipsum etiam ad redimendos Infantes in utero Matris decedentes. ib. 19. Quonam pacto meruit salutem SS. Patribus, qui illum præcesserunt? ib. n. 21.

In Christo etiam, quamvis habente naturam integram, non lapsam, requirebatur ad meritum libertas indifferentiæ, nec erat satis libertas a coactione. pr. 3. Jans. 22. 169. Quomodo potuit Christus orare, ut a se calix transiret, si prævidebat illum non transiturum? pr. 5. Jans. 16. 176 Oravit etiam pro Reprobis, quos sciebat non esse salvandos. ib. n. 7. Quomodo tamen non salvantur Reprobi, si oratio Christi semper fuit exaudita? ib.

Comma prætermissum in Bulla proscribente Theses Bajanas dedit ansam querelis, & tot cavillationibus Bajanorum, & Jansenistarum. 21. 13. 119

Communionem qui prætendunt, nondum peracta penitentia, non sunt sacrilegi. 22. 7. 86 Nec sunt arcendi a Communione illi, in quibus nondum adest amor Dei purissimus. 27. 5. 104. 105 V. etiam Eucharistia, & V. Confessio.

Concilium Oecumenicum, si sit Acephalum, habetne infallibilitatem in quæstionibus Fidei decernendis, ut habet Pontifex? 29. 11. 112 Enumerantur octodecim Oecumenica Concilia hactenus celebrata. ib. n. 15. V. etiam Pontificis auctoritas supra Concilium.

Concupiscentia, seu peccati fomes, in baptizatis manens, non est peccatum proprie, quamvis a peccato sit, & ad peccatum inclinet. 19. 15. 80 Remanet in renatis ad agonem, & meritum. ib.

Confessio, & Communio quotidiana num sit consulenda. 18. 20. 76

Confessiones apud Regulares factæ non sunt pleræque sacrilegæ, aut invalidæ. 20. 4. 82 Nec potest Parochianus de Mendicantibus suspicari, quod incongruas penitentias ob quæstum imponant. 21. 11. 84

Confessarius induere debet potius benignitatem, quam rigorem tum in delectu opinionum, tum etiam in pœnis imponendis. 20. 12. pag. ib.

Consuetudo Moderna quoad administrationem Sacramenti Penitentiæ ab Ecclesia non habetur pro abusu; sive per hoc, quod Absolutio præmittatur Satisfactioni; sive per hoc, quod passim detur Absolutio pro solis venialibus. 18. 3. 73 & 18. 75 V. etiam Pœnitentiæ ordo.

Consuetudo Ecclesiæ præsens in imponendis penis in Sacramento Penitentiæ non est substantialiter diversa ab antiqua; sed quantum diversa præsentium temporum ratio postulat. 20. 5. 82. 83 Rigor Ecclesiæ antiquus in penis imponendis ante adventum Mendicantium exolevit, & quare? ib. n. 7.

D

DEi ignorantia invincibilis est impossibilis moraliter. pr. 1. (ex 2.) 12. 13

Dei Patris simulacrum congruenter in Templo Christiano collocatur. 25. 7. 17 Sicut etiam imago Trinitatis juxta morem in Ecclesia receptum. Ibid. 12. Et imago Christi Domini sub figura Agni, vel Hominis; Aut imago Spiritus Sancti sub forma Columbæ, aut linguarum dispertitarum. ib. n. 24.

Deo famulari intuitu mercedis non vertitur vitio. 1. 13. 19

Diabolus, & damnati non peccarent formaliter, si non moraliter tantum, sed physice ad malum necessitarentur; Et eorum peccatum tunc esset mere materiale, & actus penalis potius, quam peccaminosus 1. 3. 17 & 3. Jans. 19. p. 168 V. etiam Beati.

Dictamen rationis est veluti præco divinæ voluntatis; illud obligat ut quo, hæc ut quod. prop. 1. (ex 2.) 8. & 13. 12. & 14

Dispositio major in susceptione Sacramentorum confert ad majorem fructum percipiendum ex opere operato. 18. 15. 75

E

EUcharistiam indecenter sumeret, qui valde sordidus ad illam accederet, aut qui statim post fornicationem, aut homicidium, præmissa Confessione, vellet illam sumere; non tamen qui ad illam accedit penitentia nondum peracta. 22. 14. 87 Num sit indecentia venialis cum aliquo veniali communicare? ib. 15. Peccatum in Confessione oblitum debet ante sumptionem Eucharistiæ subjici clavibus, si deinde memoriæ occurrat. ib. 12. Requiriturne actualis devotio ad principalem Eucharistiæ fructum percipiendum? 23. 14. 90 Oscitantia in devotione id temporis excitanda est graviter periculosa. ib. n. 18. Anacleti sanctio circa Communionem quotidianam quomodo intelligenda? ib. 20. ib. Pueris post usum rationis dandum est Sacrum Viaticum, etiamsi nondum tunc obligentur ad Communionem Paschalem; sicut etiam semifatuis, & phreneticis, ubi citra irreverentiam sumant; non tamen perpetuo amentibus, nec pueris ante usum rationis. ib. 11. 89

Episcopus quamvis in collatione Ordinum dicat, se nolle carentes requisitis ordinare, adhuc tamen illos valide ordinat, per hoc quod velit deinde absolute singulis ordines conferre. 28. 8. 108

F

FIdes Christiana supernaturalis, quæ per dilectionem operatur, ubi desit, non idcirco actio humana erit peccaminosa. 11. 3. 52

Fides divina non deficit in magnis peccatoribus, per hoc præcise, quod deficiat omnis Dei amor. 12. 5. 53. & 56

Fides infusa deperditur per actum infidelitatis. Nec eam retinent aut Beati in Patria, aut Damnati in Gehenna. 12. 10. 57 V. etiam Hæreticus.

Fides supernaturalis non est necessaria ad quodcunque opus moraliter bonum. 8. 7. & 9. 44. & 45

Fides habitualis infusa in rigore neque est virtus intellectualis, neque moralis, sed Theologica. 12. 9.

G

GRatia efficax duntaxat admittitur a Jansenio in statu naturæ lapsæ, quæ sit Adjutorium quo, gratia

vero

vero sufficiens, quæ sit Adjutorium sine quo non, solum erat possibilis per Jansenium in statu naturæ integræ. 6. 1. 400. *Hinc errores hæreticales Jansenii p.* 2. *Jans.* 1. 52

Gratia pure sufficiens in natura lapsa negari non potest. 2. *Jans.* 8. 163 *Interiori quippe gratiæ non raro resistitur. ib. n.* 6. & 4. *Jans.* 8. 172 *Gratia sufficiens statui nostro non est perniciosa, sed valde utilis.* 6. 7. 37 *Quomodo habere poterit rationem Beneficii, si cum culpa conjungitur? ib.* 16.

Gratia efficax quomodo dici potest necessaria ad bene operandum, si absque illa cum sola gratia sufficiente potest dari bona operatio? 6. 17. 39 & 2. *Jans.* 12. 164

Gratia per Christum poteritne esse ordinis naturalis? 7. 10. 42

H

Hæreticus culpabiliter discredens unum mysterium revelatum, poteritne aliud credere fide Divina? 12. 12. 57

Humanitas Christi Domini quonam cultu adoranda, Hyperduliæne, an Latriæ? 25. 20. 98

I

Jansenii, ac Baji principia virulenta, ac lethifera ex iis consectaria. 10. 1. & *seq.* 48 *Jansenius jactat se filium Ecclesiæ obsequentissimum.* 31. 3. 116 117 *Vafre tamen, ac dolose; cum contendat doctrinam Augustini esse irrefragabilem, & multas ex Baji thesibus ab Ecclesia proscriptis disertis verbis ab Augustino doceri ibid. n.* 11.

Jansenistarum cavillationibus, & querelis ansam dedit comma quoddam in Bulla proscribente Baji theses prætermissum. 31. 13. 119

Ignorantia Dei invincibilis non datur in præsenti providentia in hominibus ratione utentibus. 1. (*ex* 2.) 12. 13

Ignorantia invincibilis juris naturæ excusat a peccato formali operantem ex ipsa in statu naturæ lapsæ, prop. 2. 7. 22 *Possibilis est ignorantia isthæc invincibilis juris naturæ saltem quoad Conclusiones mediate, & non aperte deductas ex primis & universalissimis principiis moralibus. ib. n.* 2. *In quo sensu Omnis peccans est ignorans? ib. nu.* 12. *Et in quo sensu ignorantia facti excusat, non ignorantia juris? ib. n.* 11. *V. etiam* Peccans.

Imagines Sacræ habendæ, ac venerandæ sunt. 25. 1. 95 *Quonam cultu adorandæ sint Imagines Sanctorum, Beatæ Virginis, Christi Domini, & simil. ibid. n.* 20.

Infantibus in utero Matris decedentibus providit Deus de remedio ad salutem. 4. 15. 33 *Et ad illos redimendos obtulit Christus Dominus Sanguinem suum pretiosissimum. ib. n.* 19.

Infideles non peccant in quovis opere. 8. 5. 44 & 7. 12. 42

L

Laudabilitas, & vituperabilitas, ac imputabilitas formalis undenam habeatur in humanis actibus? 1. 9. 18. 19

Laus Mariæ ut Mariæ non est vana. 26. 7. 100 *In quonam differat laus ab Honore, a Gloria, & ab Adoratione? ibid. n.* 2. *Et in quo adoratio Civilis, & Politica, a Sacra & Religiosa? ibid. n.* 8.

Libertas in causa, hoc est in libertate Adami peccantis, non sufficit in statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & ad demeritum contrahendum. 1. 6. 18 *Aliter etiam peccata puerorum, amentium, ac dormientium essent imputabilia, ib. n.* 10.

Libertas a coactione sine libertate indifferentiæ ad merendum, vel demerendum non est satis. 3. *Jans.* 8. 166. *Libertas nostrorum actuum conciliatur cum infallibilitate Divinæ Præscientiæ per hoc, quod ex ista solum inferatur necessitas consequens, non antecedens. ibid. n.* 15.

Libertas tantum a servitute peccati datur in patria ex Augustino. 1. 13. 19 *V. etiam* Beati.

M

Maria Virgo die Purificationis non obtulit duos pullos Columbarum ex indigentia purificationis ob ullam maculam aut moralem, aut legalem. 24. 4. 92 *Immo nec ob præsumptionem ullius maculæ legalis. ib. n.* 8. *Quamvis Deipara capax fuisset alicujus legalis maculæ, indecens tamen fuisset, quod contraheret maculam legalem ortam ex sordibus physicis puerperii. ib. n.* 10.

Maria Virgo præelegisset maculam originalem contrahere, quam peccare venialiter, si alterutrum esset sibi eligendum. 19. 19. 81 *Mariæ ut Mariæ laus, & adoratio non est vana, nec sacrilega, sed valde utilis ad salutem, & sacra.* 26. 7. 99. & 100 *Gratias egit Deipara P. Martino Guttierez, quod docuerit, plenitudinem gratiæ sibi concessam longe superasse cumulum gratiarum Angelis omnibus, ac Sanctis concessum. ib.* 10. *Maria probabiliter etiam dormiens libere, ac meritorie operabatur. ib.* 11. *Suarius omnium primus docuit, Deiparam singulis instantibus duplicasse immensum illum gratiarum cumulum in primo instanti conceptionis acceptum. ib. Maternitatem Dei probabiliter meruit etiam de condigno. ib. n.* 12.

Mendicantes videntur præ aliis idonei ad Sacramentum Pœnitentiæ administrandum: Et minime omnium suspecti, ne aliorum culpis conniveant in spem lucri. 20. 9. 83. 84 *Ante adventum Mendicantium exolevit in Ecclesia rigor antiquus Canonum Pœnitentialium. ib.* 7. *ib.*

Meritum, ac demeritum haberi non potest per solam libertatem in causa, seu in libertate Adami. 1. 8. & 9. 7 *Nec per solam libertatem a coactione citra libertatem a necessitate.* 3. *Jans.* 8. 166

N

Naturæ rationali dissona operatio prohibetur a lege Superiore, videlicet a Divina voluntate: operatio vero dissona naturæ Divinæ non debet a lege superiore illi vetari, cum sit physice, & metaphysice impossibilis. 1. (*ex* 2.) 11. 13

Necessitas moralis ad peccandum, quamvis involvat sufficientiam physicam ad bene operandum, adhuc est pœna, non intenta, sed permissa a Deo. 6. 15. 38. 39

O

Obduratio cordis in præsenti providentia non habetur per hoc, quod peccator post culpam non possit amplius physice, sed per hoc, quod non possit

sit amplius moraliter resipiscere. 4. 41. 35 & 2. *Jans.* 11. 164
Opinio probabilis. V. Probabilissima opinio.
Originale per Baptismum omnino eraditur, ac proinde non est pro illo peragenda pœnitentia per totam vitam. 19. 9. 78 *Quinam actus virtutis Pœnitentiæ cadere possint super originale? ib. n.* 11. & 14.

P

PEccans in quonam sensu dicitur esse ignorans? 2. 12. 23 *Quænam sint peccata ignorantiæ? ib. n.* 9. *Utrum peccata commissa ex ignorantia vincibili sint ejusdem speciei cum peccatis scienter perpetratis? ib. n.* 13. *quid de ignorantia vincibili affectata? Quid de concomitante? ib. n.* 14. *V. etiam* Ignorantia.
Peccatum formale, ac demeritum non habetur per solam libertatem in causa. 1. 6. 18 *Nec per libertatem a coactione citra libertatem indifferentiæ.* 3. *Jans.* 8. 166
Peccatum Philosophicum in quonam differat a Theologico? 1. (*ex* 2.) 3. 8 & 9 *Peccatum pure Philosophicum vel est impossibile metaphysice, vel saltem moraliter in præsenti Providentia. ib. n.* 8. & 12. *Si supponatur possibilis pro aliquo casu rarissimo in peccante invincibilis Dei ignorantia sub conceptu Legislatoris prohibentis actionem naturæ rationali dissonam, tunc peccatum erit pure Philosophicum. ib. n.* 19.
Peccatorem Deus in præsenti providentia nunquam deserit post quamcumque peccatorum multitudinem. 4. 21. 35
Pœnitentia per totam vitam non est pro originali peragenda. 19. 9. 78 *Virtutis Pœnitentiæ actus quinam sint? ib. n.* 10.
Pœnitentiæ ordo non est inversus per praxim mox absolvendi, videl. ante Satisfactionem Sacramentalem. 17. 5. 70 *Pœnæ publicæ Canonum Pœnitentialium præmittendæ olim erant absolutioni Canonicæ, non Sacramentali. ib. n.* 10. & 18. 8. 73 & 74 *Nec semper.* 10. 11. 71 *V. etiam* Consuetudo Moderna, & *V.* Satisfactio.
Pœnitentiales Canones. V. Canones Pœnitentiales.
Pontificis auctoritas supra Concilium Oecumenicum, & ejusdem infallibilitas in quæstionibus Fidei decernendis non asseritur futiliter, sed validissime ostenditur. 29. 2. 109 *Quomodo possit Pontifex fraterne corrigi juxta legem Evangelicam? ib. n.* 6. *Poteritne Pontifex in hæresim pertinaciter labi? ib.* 8. *Quomodo id constare debet, ut Pontifex e Pontificatu decidat? ib. Pontifex simoniacus non est Apostolicus, sed Apostaticus, ac deponendus. ib. Quomodo potuerit Concilium Constantiense tres illos Pontifices deponere citra Superioritatem erga Pontificem legitimum? ib. n.* 9. *Quid de historia Marcellini Papæ? ib. n.* 10. *V. etiam* Concilium.
Præcepta homini justo sub gratia constituto non sunt impossibilia, quæ observentur. 1. *Jans.* 4. 159 *Inepte a Jansenistis dicitur sufficere, quod possint ea impleri remote, seu conditionate, eo scilicet pacto, quo cæcus potest videre conditionate. ib. n.* 6. *Nec sufficit libertas in causa, ut præceptorum transgressio sit imputabilis transgressori.* 1. 8. 18
Prædeterminantium doctrina, ut pote Catholica, toto cælo differt quoad asserta a deliramentis Jansenii circa libertatem requisitam ad meritum, vel demeritum. 1. *Jans.* 9. 160
Probabilissimam opinionem licite sequimur in conflictu tutioris. 3. 4. 26 *In quonam differat opinio probabilissima a moraliter certa? ib. n.* 2. *Licite etiam in humanis actionibus sequimur opinionem minus probabilem, omissa probabiliori, ubi specialis ratio non obstat. ib. n.* 11.
Sufficitne ad operandum prudenter opinio, quæ non sit certo, sed probabiliter tantum probabilis? ib. n. 13.
Puerperis permittitur ob Sacri loci reverentiam, ut post partum aliquandiu abstineant ab ingressu Ecclesiæ, dummodo absit omnis superstitio servandi legem Mosaicam, quæ post Christi adventum quoad ceremonialia cessavit. 24. 15. 94

R

REgula ad dignoscendum sensum dubium thesis confixæ indefinitæ, num scilicet ea proscribatur in sensu universali, an in particulari? 1. (*ex* 2.) 25. 16
Reliquiæ Sanctorum quonam cultu adorandæ? 25. 21. 95 & 26. 16. 103
Regulares. V. Mendicantes.

S

SAcramentorum materia, & forma, quæ semel, & alicubi valuit, semper, & ubique valebit, esto non semper, & ubique sit licita. 27. 1. 104
Satisfactio Sacramentalis non est præmittenda Absolutioni ex Christi præscripto consono naturis rerum. 16. 5. 46. *V. etiam* Pœnitentiæ ordo, & *V.* Consuetudo Moderna.
Satisfactio Sacramentalis num causet ex opere operato solum remissionem pœnæ temporalis, an etiam gratiæ augmentum? 18. 11. 74 *Quid si ponatur in statu peccati mortalis? ib. Num satisfiat Pœnitentiæ impositæ ponendo opus injunctum cum intentione non satisfaciendi per illud? ib. n.* 16.
Scientiæ mediæ fautores quomodo explicent gratiam efficacem, & pure sufficientem? 6. 10. 42. *Quomodo libertatem humanorum actuum cum infallibilitate Divinæ præscientiæ, & cum infrustrabilitate Divinorum decretorum concilient?* 5. *Jans.* 15. 176
Semipelagiani negabant Gratiæ necessitatem solum relate ad initium fidei, & salutis. 4. *Jans.* 2. 171. *Nec erant hæretici per hoc, quod docerent, posse voluntatem gratiæ supernaturali resistere, aut obtemperare. ib. n.* 3.
Semipelagianorum errores relate ad Christum D. pro omnibus mortuum quinam fuerint? 5. *Jans.* 2. 173. *Quod Christus D. pro omnibus omnino hominibus Sanguinem pretiosissimum fuderit, non est error Semipelagianorum, sed veritas Catholica. ib. n.* 9.
Spei Theologicæ actus non est amor benevolentiæ erga Deum elicitus a charitate, sed est amor concupiscentiæ. 10. 16. 51
Sponsi nuptiales benedictiones non debent omittere; esto probabiliter ad id non teneantur sub mortali. 24. 16. 94
Studium SS. Patrum sine studio Scholasticorum, & Moralistarum ad dirigendas conscientias non sufficit. 3. 16. 29
Suarez omnium primus disertissime docuit, Deiparam singulis suæ vitæ instantibus semper duplicasse immensum illum gratiarum cumulum, quas in primo Immaculatæ Conceptionis instanti accepit. 26. 11. 100.

T

D. *Thomas plurimas docuit opiniones benignas libertati faventes, posthabitis rigidioribus legi faventibus*. 20. 12. 84 D. *Thomæ doctrina Angelica a Summis Pontificibus mire commendatur; Et Clemens VIII. fidem facit divini illius testimonii*, Bene scripsisti de me, Thoma. 30. 13. 115. 116

Timor gehennæ est supernaturalis. 14. 5. 59

Timoris quadruplex datur genus, vid. Timor Mundanus, Servilis, Filialis, & Initialis: Hic inter Servilem, & Filialem mediat. 14. 1. 59

Timor Servilis alter dicitur Servilis materialiter, & est peccaminosus; Alter Servilis formaliter, & est castus. 14. 12. 60

Tutiorismum docent, vel enormem laxitatem, qui jactant se esse Sanctorum Patrum Fautores, per hoc, quod doceant, unice Sanctis Patribus studendum, neglecto studio Scholasticorum, & Moralistarum. 3. 16. 29

V

Virtutes morales Bajani distinguunt ex objectis materialibus, non ex objectis formalibus, cum solam virtutem Charitatis agnoscant. 11. 9. 53

Virtutes impiorum non sunt vitia, quamvis passim ob pravum finem ab iis actus virtutum exerceantur. 8. 5. 44 & 11. 7. 52 *Ut opus sit studiosum, & sit actus virtutis, quid requiratur?* 8. n. 7. & 11. 44. & 45

Virtutum actus distincti ab actibus charitatis supernaturalis sunt possibiles in statu naturæ lapsæ. 7. 6. 41 & 11. 53. & 54 *Infideles, & peccatores non peccant in quovis opere, in quo Deum non diligunt*. 7. 12. 42 & 8. 5. 44

Virtutes Duliæ, Hyperduliæ, Observantiæ, & Religionis num realiter distinguantur? 26. 19. 103

A. M. D. G.

APPENDIX,

In qua nonnulla annotantur ad elucidationem aliarum Thesium sæculo superiore confixarum.

POst revocatas ad Theologicam trutinam juxta pondus Sanctuarii seorsim 45. confixas theses ab Alexandro VII. 65. ab Innocentio XI. 33. ab Alexand. VIII. necnon quinque illas famosas Jansenii, ad operis complementum aliæ præterito sæculo proscriptæ, ac prohibitæ theses in hac Appendice recensentur; videlicet 79. Michaelis Baji, quas olim Pius V. & Gregorius XIII. deinde Urbanus VIII. confixere; 68. Michaelis de Molinos ab Innocentio XI. profligatæ; tres & viginti prætextu Amoris erga Deum purissimi in libro illo Archiepiscopi Cameracensis contentæ, ab Innocentio XII. damnatæ; duæ etiam illæ de Omnipotentia donata, ac subjecta Creaturæ libere operanti, quas etiam Innocentius XI. ad minimum ut temerarias, ac novas confixit; necnon thesis de usu scientiæ ex Confessione acquisitæ, quam Sacra Congregatio anno 1682. prohibuit duntaxat, ne doceatur, defendatur, aut in praxim deducatur. Ad demum thesis anno 1602. a Clemente VIII. damnata de Sacramentali absolutione data absenti per Literas, aut per Internuncium.

De singulis autem istis habere sermonem, easque singillatim discutere, ac enucleare longum esset, nec multum exoptabile; luce enim sua maligna affatim se produnt. Quamobrem satis erit Constitutiones Pontificias, ac Decreta, quibus damnantur, ac prohibentur, referre, ac universim advertere, Bajanarum thesium falsitatem constare facile posse, tum ex iis, quæ in hoc opere habentur adversus quinque Jansenii Propositiones, & adversus theses ab Alexandro VIII. confixas: tum etiam ex iis, quæ fuse congerit adversus Bajum Joannes Martinez de Ripalda Societatis Jesu tomo tertio, aliique Scriptores: Falsitatem vero thesium Michaelis de Molinos constare ex opusculis passim obviis Patrum Societatis Jesu, qui acriter Orationem Quietis, velut contemplationem illam Beguardorum, & Illuminatorum insectati sunt, & technas omnes hujus Auctoris in primo ortu detexerunt. Quod autem spectat ad theses de Amore Dei purissimo, facili negotio earum falsitas ostendi potest ex iis, quæ diximus in expositione thesium plurimarum Alexandri VIII. quibus de medio tolluntur virtutes omnes a Charitate distinctæ. Quatuor tamen ultimas, duas videlicet de Omnipotentia donata, ac subjecta Creaturæ, tertiam de usu scientiæ ex Confessione acquisitæ, & quartam de Absolutione data absenti per epistolam in calce hujus Appendicis, prout materia postulat, expendemus, ut præ manibus haberi possit in uno, eodemque volumine decimum septimum sæculum a tanta lue expurgatum.

RECENSENTUR

NOVEM AC SEPTUAGINTA THESES

MICHAELIS BAJI,

Olim a PIO V. & GREGORIO XIII., ac deinde ab URBANO VIII. Anno 1664. confixæ in Bulla, *In Eminenti*.

§. I.

1. NEc Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia.

2. Sicut opus malum ex natura sua est mortis æternæ meritorium, sic bonum opus ex natura sua est vitæ æternæ meritorium.

3. Et bonis Angelis, & primo Homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia.

4. Vita æterna Homini integro, & Angelo promissa fuit intuitu bonorum operum, & bona opera ex lege naturæ ad illam consequendam per se sufficiunt.

5. In promissione facta & Angelo, & primo Homini continetur naturalis justitiæ constitutio, qua pro bonis operibus, sine alio respectu, vita æterna justis promittitur.

6. Naturali lege constitutum fuit homini, ut si in obedientia perseveraret, ad eam vitam pertransiret, in qua mori non posset.

7. Primi Hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera; sed juxta modum loquendi Scripturę sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non etiam gratia debeant nuncupari.

8. In redemptis per gratiam Christi nullum inveniri potest bonum meritum, quod non sit gratis indigno collatum.

9. Dona concessa Homini integro, & Angelo, forsitan, non improbanda ratione, possunt dici gratia; sed quia secundum usum sacræ Scripturæ nomine gratiæ ea tantum munera intelliguntur, quæ per Jesum Christum male meritis, & indignis conferuntur, ideo neque merces, quæ illis redditur, gratia dici debet.

10. Solutio pœnæ temporalis, quæ peccato dimisso sæpe remanet, & corporis resurrectio, proprie nonnisi meritis Christi adscribenda est.

11. Quod pie, & juste in hac vita mortali usque in finem conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ, justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.

12. Pelagii sententia est; Opus bonum, citra gratiam adoptionis factum, non est Regni cęlestis meritorum.

13. Opera bona a filiis adoptionis facta non accipiunt rationem meriti ex eo, quod fiunt per Spiritum adoptionis inhabitantem corda filiorum Dei, sed tantum ex eo, quod sunt conformia legi, quodque per ea præstatur obedientia legi.

14. Opera bona Justorum non accipiunt in die judicii extremi ampliorem mercedem, quam justo Dei judicio mereantur accipere.

15. Ratio meriti non consistit in eo, quod qui bene operatur, habeat gratiam, & inhabitantem Spiritum Sanctum, sed in eo solum, quod obedit divinæ legi.

16. Non est vera legis obedientia, quæ fit sine Charitate.

17. Sentiunt cum Pelagio, qui dicunt esse necessarium ad rationem meriti, ut homo per gratiam adoptionis sublimetur ad statum Deificum.

18. Opera Cathecumenorum, ut fides, & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam vitam ipsi non consequentur, nisi prius præcedentium delictorum impedimenta tollantur.

19. Opera Justitiæ, & temperantiæ, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non contraxerunt majorem valorem.

20. Nullum est peccatum ex natura sua veniale, sed omne peccatum meretur pęnam æternam.

21. Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis.

22. Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Rom. 2. *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*, intelligunt de gentibus fidei gratiam non habentibus.

23. Absurda est eorum sententia, qui dicunt, hominem ab initio dono quodam supernaturali, & gratuito supra conditionem naturæ suæ fuisse exaltatum, ut Fide, Spe, & Charitate Deum supernaturaliter coleret.

24. A vanis, & otiosis hominibus, secundum insipientiam Philosophorum, excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, Hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & ad Dei filium adoptatus.

25. Omnia opera infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.

26. Integritas primæ creationis non fuit indebita humanę naturę exaltatio, sed naturalis ejus conditio.

27. Liberum arbitrium, sine gratiæ Dei adjutorio, nonnisi ad peccandum valet.

28. Pelagianus est error, dicere, quod Liberum Arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum.

29. Non soli fures ii sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis, & vitæ negant; sed etiam quicunque aliunde, quam per ipsum, in viam justitiæ (hoc est ad aliquam justitiam) conscendi posse docent.

30. Aut tentationi ulli, sine gratiæ ipsius adjutorio, resistere hominem posse, sic ut in eam non inducatur, ac ab ea non superetur.

31. Charitas perfecta, & sincera, quæ est de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in

Ca-

Cathecumenis, quam in pęnitentibus potest esse sine remissione peccatorum.

32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum.

33. Cathecumenus juste, recte, & sancte vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem, ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demum percipitur.

34. Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videl., quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut beatificator, vana est, & commentitia, & ad illudendum sacris Litteris, & plurimis veterum testimoniis excogitata.

35. Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est.

36. Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia, per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.

37. Cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est quod ex naturæ solis viribus ortum ducit, agnoscit.

38. Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur.

39. Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit.

40. In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati.

41. Is libertatis modus, qui est a necessitate, sub libertatis nomine non reperitur in Scripturis, sed solum nomen libertatis a peccato.

42. Justitia, qua justificatur per fidem impius, consistit formaliter in obedientia mandatorum, quæ est operum justitia, non autem in gratia aliqua animę infusa, qua adoptatur homo in filium Dei, & secundum interiorem hominem renovatur, ac Divinæ naturæ consors efficitur, ut sic per Spiritum sanctum renovatus, deinceps bene vivere, & Dei mandatis obedire possit.

43. In hominibus pęnitentibus, ante Sacramentum absolutionis, & in Cathecumenis ante Baptismum est vera justificatio, separata tamen a remissione peccatorum.

44. Operibus plerisque, quæ a fidelibus fiunt, solum ut Dei mandatis pareant, cujusmodi sunt obedire parentibus, depositum reddere, ab homicidio, a furto, a fornicatione abstinere, justificantur quidem homines, quia sunt legis obedientia, & vera legis justitia, non tamen iis obtinent incrementa virtutum.

45. Sacrificium Missæ non alia ratione est Sacrificium, quam generali illa, qua omne opus quod fit, ut sancta societate Deo homo inhæreat.

46. Ad rationem, & definitionem peccati non pertinet voluntarium; nec definitionis quæstio est, sed causæ, & originis, utrum omne peccatum debeat esse voluntarium.

47. Unde peccatum originis vere habet rationem peccati sine ulla relatioue, an respectu ad voluntatem, a qua originem babuit.

48. Peccatum originis est habituali parvuli voluntate voluntarium, & habitualiter dominatur parvulos, eo quod non gerit contrarium voluntatis arbitrium.

49. Et ex habituali voluntate dominante fit, ut parvulus decedens sine regenerationis Sacramento, quando usum rationis consecutus erit, actualiter Deum odio habeat, Deum blasphemet, & lege Dei repugnet.

50. Prava desideria, quibus ratio non consentit, & quæ homo invitus patitur, sunt prohibita præcepto, *Non concupisces*.

51. Concupiscentia, sive lex membrorum, & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.

52. Omne scelus est ejus conditionis, ut suum authorem, & omnes posteros eo modo inficere possit, quo infecit prima transgressio.

53. Quantum est ex vi transgressionis, tantum meritorum malorum a generante contrahunt, qui cum minoribus nascuntur vitiis, quam qui cum majoribus.

54. Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit.

55. Deus non potuisset ab initio talem creare hominem, qualis nunc nascitur.

56. In peccato duo sunt, actus, & reatus: transeunte autem actu, nihil manet; nisi reatus, sive obligatio ad pęnam.

57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione proprie reatus peccati duntaxat tollitur; & ministerium Sacerdotum solum liberat a reatu.

58. Peccator Pęnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans vivificat eum, & resuscitat; ministerio autem Sacerdotis solum reatus tollitur.

59. Quando per eleemosynas, aliaque pęnitentiæ opera Deo satisfacimus pro pęnis temporalibus, non dignum pretium Deo pro peccatis nostris offerimus, sicut quidam errantes autumant (nam alioqui essemus saltem aliqua ex parte redemptores) sed aliquid facimus, cujus intuitu Christi satisfactio nobis applicatur, & communicatur.

60. Per passiones Sanctorum in indulgentiis communicatas non proprie redimuntur nostra delicta, sed per communionem charitatis nobis eorum passiones impartiuntur; & ut digni simus, qui pretio Sanguinis Christi a pęnis pro peccatis debitis liberemur.

61. Celebris illa Doctorum distinctio, Divinæ legis mandata bifariam impleri, altero modo quantum ad præceptorum operum substantiam tantum, altero quantum ad certum quemdam modum, videlicet secundum quem valeant operantem perducere ad regnum (hoc est ad modum meritorum) commentitia est, & explodenda.

62. Illa quoque distinctio, qua opus dicitur bifariam bonum, vel quia ex objecto, & omnibus circumstantiis rectum est, & bonum (quod moraliter bonum appellare consueverunt) vel quia est meritorium Regni æterni, eo quod fit a vivo Christi membro per Spiritum charitatis, rejicienda est.

63. Sed & illa distinctio duplicis justitiæ, alterius, quæ fit per Spiritum charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor ad pęnitentiam excitantis, sed nondum cor inhabitantis, & in eo charitatem diffundentis, qua divinæ Legis justificatio impleatur, similiter rejicitur.

64. Item & illa distinctio duplicis vivificationis, alterius, qua vivificatur peccator, dum ei pęnitentiæ, & vitæ novæ propositum, & inchoatio per Dei gratiam inspiratur, alterius, qua vivificatur, qui vere justificatur, & palmes vivus in vite Christo efficitur, pariter commentitia est, & Scripturis minime congruens.

65. Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus

quis liberi arbitrii bonus, sive non malus, & gratię Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.

66. Sola violentia repugnat libertati hominis naturali.

67. Homo peccat, etiam damnabiliter, in eo, quod necessario facit.

68. Infidelitas pure negativa in his, in quibus Christus non est prædicatus, peccatum est.

69. Justificatio impii fit formaliter per obedientiam Legis, non autem per occultam communicationem, & inspirationem gratiæ, quæ per eam justificates faciat implere legem.

70. Homo existens in peccato mortali, sive in reatu æternæ damnationis, potest habere veram charitatem; & charitas, etiam perfecta, potest consistere cum reatu æternæ damnationis.

71. Per contritionem, etiam cum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam, non remittitur crimen, extra casum necessitatis, aut Martyrii, sine actuali susceptione Sacramenti.

72. Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum; unde & Job, & Martyres, quæ passi sunt, propter peccata sua passi sunt.

73. Nemo, præter Christum, est absque peccato originali: hinc B. Virgo mortua est propter peccatum ex Adam contractum, omnesque ejus afflictiones in hac vita, sicut & aliorum Justorum, fuerunt ultiones peccati actualis, vel originalis.

74. Concupiscentia in renatis relapsis in peccatum mortale, in quibus jam dominatur, peccatum est, sicut & alii habitus pravi.

75. Motus pravi concupiscentiæ sunt pro statu hominis vitiati, prohibiti præcepto, *Non concupisces*; Unde homo eos sentiens, & non consentiens, transgreditur præceptum, *Non concupisces*; quamvis transgressio in peccatum non deputetur.

76. Quandiu aliquid concupiscentiæ carnalis in diligente est, non facit præceptum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

77. Satisfactiones laboriosæ Justificatorum non valent expiare de condigno pęnam temporalem restantem post culpam conditionatam.

78. Immortalitas primi Hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis conditio.

79. Falsa est Doctorum sententia, primum Hominem potuisse a Deo creari, & institui sine Justitia naturali.

CONSTITUTIO INNOCENTII XI.

Proscribentis octo & sexaginta Theses, quæ pretextu Orationis Quietis a Michaele de Molinos decebantur.

§. II.

INNOCENTIUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
Ad perpetuam Rei memoriam.

Cœlestis Pastor Christus Dom., ut jacentem in tenebris mundum, variisque Gentium erroribus involutum a potestate Diaboli, sub qua misere post lapsum primi Parentis tenebatur, sua ineffabili miseratione liberaret, Carnem sumere, & in ligno Crucis Chirographo Redemptionis nostræ affixo, in testimonium suæ in nos charitatis, sese Hostiam viventem Deo pro nobis offerre dignatus est, mox rediturus in Cęlum Ecclesiam Catholicam Sponsam suam tanquam novam Civitatem Sanctam Hierusalem descendentem de Cęlo non habentem rugam, neque maculam, unam, sanctamque in Terris relinquens, armis potentiæ suæ contra Portas inferi circumvallatam, Petro Apostolorum Principi, & successoribus ejus regendam tradidit, ut doctrinam ab ipsius ore haustam sartam tectamque custodirent, ne oves pretioso suo sanguine redemptæ pravarum opinionum pabulo in antiquos errores reciderent, quod præcipue Beato Petro mandasse sacræ literæ docent. Cui enim Apostolorum, nisi Petro dixit, *Pasce oves meas*: & rursus: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*? Quare nobis, qui non nostris meritis, sed inscrutabili Dei Omnipotentis consilio in ejusdem Petri Cathedra pari potestate sedemus, semper fixum in animo fuit, ut Populus Christianus eam sectaretur fidem, quæ a Christo Dom. per Apostolos suos perpetua, & nunquam interrupta traditione prædicata fuit, quamque ipse usque ad seculi consummationem permansuram esse promisit.

Cum igitur ad Apostolatum nostrum relatum fuisset, quemdam Michaelem de Molinos prava dogmata tum verbo, tum scripto docuisse, & in praxim deduxisse, quæ prætextu Orationis quietis, contra doctrinam, & usum a sanctis Patribus ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis receptum, Fideles a vera Religione, & a Christianæ pietatis puritate in maximos errores, & turpissima quæque inducebant: Nos, cui cordi semper fuit, ut fidelium animæ nobis ex alto commissæ, purgatis pravarum opionionum erroribus, ad optatum salutis portum tuto pervenire possint, legitimis præcedentibus indiciis, prædictum *Michaelem de Molinos* Carceribus mancipari mandavimus, deinde coram Nobis, & Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus Apostolica auctoritate specialiter Deputatis, auditis pluribus in Sacra Theologia Magistris, eorumque suffragiis tum voce, tum scripto susceptis, matureque perpensis, implorata etiam Sancti Spiritus assistentia, cum prædictorum Fratrum nostrorum unanimi voto, ad damnationem infrascriptarum Propositionum ejusdem Michaelis de Molinos, a quo fuerunt pro suis recognitæ, & de quibus Propositionibus tanquam a se dictatis, scriptis, communicatis, & creditis ipse convictus, & non respective confessus fuerat, ut latius in processu, & Decreto de Mandato Nostro lato die 28. Augusti præsentis Anni 1687. devenire, ut infra, decrevimus:

PRO-

PROPOSITIONES.

1. Oportet Hominem suas potentias annihilare ; Et hæc est Via Interna.

2. Velle operari active, est Deum offendere, qui vult esse ipse solus Agens; & ideo opus est, seipsum in Deo totum, & totaliter derelinquere, & postea permanere velut corpus exanime.

3. Vota de aliquo faciendo sunt Perfectionis impeditiva.

4. Activitas naturalis est Gratiæ inimica, impeditque Dei operationes, & veram Perfectionem, quia Deus operari vult in nobis sine nobis.

5. Nihil operando Anima se annihilat, & ad ipsum principium redit, & ad suam originem, quæ est essentia Dei, in qua transformata remanet, ac divinizata, & Deus tunc in seipso remanet ; quia tunc non sunt amplius duæ res unitæ, sed una tantum: & hac ratione Deus vivit, & regnat in nobis, & Anima seipsam annihilat in esse operativo.

6. Via Interna est illa, qua non cognoscitur nec lumen, nec amor, nec resignatio ; & non oportet Deum cognoscere; & hoc modo recte proceditur.

7. Non debet Anima cogitare nec de præmio, nec de punitione, nec de Paradiso, nec de Inferno, nec de Morte, nec de Æternitate.

8. Non debet velle scire, an gradiatur cum voluntate Dei, an cum eadem voluntate resignata maneat, necne; nec opus est, ut velit cognoscere suum statum, nec proprium nihil, sed debet ut corpus exanime manere.

9. Non debet Anima reminisci nec sui, nec Dei, nec cujuscunque rei ; & in Via Interna omnis reflexio est nociva, etiam reflexio ad suas humanas actiones, & ad proprios defectus.

10. Si propriis defectibus alios scandalizet, non est necessarium reflectere, dummodo non adsit voluntas scandalizandi, & ad proprios defectus non posse reflectere, gratia Dei est.

11. Ad dubia, quæ occurrunt, an recte procedatur, necne, non est opus reflectere.

12. Qui suum liberum arbitrium Deo donavit, de nulla re debet curam habere, nec de Inferno, nec de Paradiso, nec debet desiderium habere propriæ perfectionis, nec virtutum, nec propriæ sanctitatis, nec propriæ salutis, cujus spem expurgare debet.

13. Resignato Deo Libero arbitrio, eidem Deo relinquenda est cogitatio, & cura de omni re nostra, & relinquere, ut faciat in nobis suam Divinam voluntatem.

14. Qui Divinæ voluntati resignatus est, non convenit, ut a Deo rem aliquam petat, quia petere est imperfectio, cum sit actus propriæ voluntatis, & electionis, & est velle, quod divina voluntas nostræ conformetur, & non quod nostra Divinæ. Et illud Evangelii, *Petite, & accipictis*, non est dictum a Christo pro animabus internis, quæ nolunt habere voluntatem. Immo hujusmodi Animæ eo perveniunt, ut non possint a Deo rem aliquam petere.

15. Sicut non debent a Deo rem aliquam petere, ita nec illi ob rem aliquam gratias agere debent, quia utrumque est actus propriæ voluntatis.

16. Non convenit Indulgentias quærere pro pœna propriis peccatis debita; quia melius est Divinæ Justitiæ satisfacere, quam Divinam misericordiam quærere, quoniam illud ex puro Dei amore procedit, & istud ab amore nostri interessato, nec est res Deo grata, nec meritoria, quia est velle Crucem fugere.

17. Tradito Deo Libero Arbitrio, & eidem relicta cura, & cogitatione Animæ nostræ, non est amplius habenda ratio tentationum, nec eis alia resistentia fieri debet, nisi negativa, nulla adhibita industria : & si natura commovetur, oportet sinere, ut commoveatur. quia est natura.

18. Qui in Oratione utitur imaginibus, figuris, speciebus, & propriis conceptibus, non adorat Deum in spiritu, & veritate.

19. Qui amat Deum eo modo, quo ratio argumentatur, aut intellectus comprehendit, non amat verum Deum.

20. Asserere, quod in oratione opus est sibi per discursum auxilium ferre, & per cogitationes, quando Deus animam non alloquitur, ignorantia est. Deus nunquam loquitur; ejus locutio est operatio : & semper in anima operatur, quando hæc suis discursibus, cogitationibus, & operantibus eum non impedit.

21. In oratione opus est manere in fide obscura, & universali, cum quiete, & oblivione cujuscumque cogitationis particularis, ac distinctæ attributorum Dei, ac Trinitatis, & sic in Dei præsentia manere ad illum adorandum, & amandum, eique inserviendum, sed absque productione actuum, quia Deus in his sibi non complacet.

22. Cognitio hæc per fidem non est actus a creatura productus, sed est cognitio a Deo creaturæ tradita, quam creatura se habere non cognoscit, nec postea cognoscit illam se habuisse; & idem dicitur de amore.

23. Mystici cum S. Bernardo in Scala Claustralium distinguunt quatuor gradus, Lectionem, Meditationem, Orationem, & Contemplationem infusam. Qui semper in primo sistit, nunquam ad secundum pertransit: Qui semper in secundo persistit, nunquam ad tertium pervenit, qui est nostra contemplatio acquisita, in qua per totam vitam persistendum est, dummodo Deus Animam non trahat, absque eo quod id expectet, ad contemplationem infusam, & hac cessante, Anima regredi debet ad tertium gradum, & in ipso permanere, absque eo quod amplius redeat ad secundum, aut primum.

24. Qualescumque cogitationes in oratione occurrant, etiam impuræ, etiam contra Deum, Sanctos, Fidem, & Sacramenta, si voluntarie non nutriantur, nec voluntarie expellantur, sed cum indifferentia, & resignatione tolerentur, non impediunt Orationem Fidei : imo eam perfectiorem efficiunt, quia anima tunc magis Divinæ voluntati resignata remanet.

25. Etiamsi superveniat somnus, & dormiatur, nihilominus fit Oratio, & Contemplatio actualis ; quia oratio, & resignatio, resignatio, & oratio idem sunt, & dum resignatio perdurat, perdurat & oratio.

26. Tres illæ viæ, Purgativa, Illuminativa, & Unitiva, sunt absurdum maximum, quod dictum fuerit in Mystica : cum non sit nisi unica via, scilicet via interna.

27. Qui desiderat, & amplectitur devotionem sensibilem, non desiderat, nec quærit Deum, sed seipsum ; & male agit, cum eam desiderat, & eam habe-

habere conatur, qui per viam internam incedit tam in locis sacris, quam in diebus solemnibus.

28. Tædium rerum spiritualium bonum est; siquidem per illud purgatur amor proprius.

29. Dum Anima interna fastidit discursus de Deo, & virtutes, & frigida remanet, nullum in se ipsa sentiens fervorem, bonum signum est.

30. Totum sensibile, quod experimur in vita spirituali, est abominabile, spurcum, & immundum.

31. Nullus Meditativus veras virtutes exercet internas, quæ non debent a sensibus cognosci. Opus est amittere virtutes.

32. Nec ante, nec post Communionem alia requiritur præparatio, aut gratiarum actio (pro istis animabus internis) quam permanentia in solita resignatione passiva, quia modo perfectiore supplet omnes actus virtutum, qui possunt, & fiunt in via ordinaria. Et si hac occasione Communionis insurgunt motus humiliationis, petitionis, aut gratiarum actionis, reprimendi sunt, quoties non dignoscatur, eos esse ex impulsu speciali Dei; alias sunt impulsus naturæ nondum mortuæ.

33. Male agit Anima, quæ procedit per hanc viam internam, si in diebus solemnibus vult aliquo conatu particulari excitari in se devotum aliquem sensum; quoniam Animæ internæ omnes dies sunt æquales, omnes festivi. Et idem dicitur de locis sacris, quia hujusmodi animabus omnia loca æqualia sunt.

34. Verbis, & lingua gratias agere Deo non est pro animabus internis, quæ in silentio manere debent, nullum Deo impedimentum apponendo, quod operetur in illis; & quo magis Deo se resignant, experiuntur se non posse orationem Dominicam, seu Pater noster recitare.

35. Non convenit animabus hujus viæ internæ, quod faciant operationes, etiam virtuosas, ex propria electione, & activitate, alias non essent mortuæ; nec debent elicere actus amoris erga B. V. Sanctos, aut Humanitatem Christi; quia cum ista objecta sensibilia sint, talis est amor erga illa.

36. Nulla creatura, nec B. V. nec sancti sedere debent in nostro corde; quia solus Deus vult illud occupare, & possidere.

37. In occasione tentationum, etiam furiosarum, non debet anima elicere actus explicitos virtutum oppositarum, sed debet in supradicto amore, & resignatione permanere.

38. Crux voluntaria mortificationum pondus grave est, & infructuosum, ideoque dimittenda.

39. Sanctiora opera, & pœnitentiæ, quas peregerunt Sancti, non sufficiunt ad removendam ab anima vel unicam adhæsionem.

40. B. V. nullum unquam opus exterius peregit, & tamen fuit Sanctis omnibus sanctior. Igitur ad sanctitatem perveniri potest absque opere exteriori.

41. Deus permittit, & vult ad nos humiliandos, & ad veram transformationem perducendos, quod in aliquibus animabus perfectis, etiam non arreptitiis, Dæmon violentiam inferat earum corporibus, easque actus carnales committere faciat, etiam in vigilia, & sine mentis offuscatione, movendo physice illarum manus, & alia membra contra earum voluntatem. Et idem dicitur quoad alios actus per se peccaminosos, in quo casu non sunt peccata, quia his non adest consensus.

42. Potest dari casus, quod hujusmodi violentiæ ad actus carnales contingant eodem tempore ex parte duarum personarum, scilicet maris, & fœminæ, & ex parte utriusque sequatur actus.

43. Deus præteritis sæculis Sanctos efficiebat Tyrannorum ministerio, nunc vero eos efficit Sanctos ministerio dæmonis, qui causando in eis prædictas violentias, facit, ut illi se ipsos magis despiciant, atque annihilent, & se Deo resignent.

44. Job blasphemavit, & tamen non peccavit labiis suis, quia fuit ex dæmonis violentia.

45. Sanctus Paulus hujusmodi dæmonis violentias in suo corpore passus est: unde scripsit: *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio.*

46. Hujusmodi violentiæ sunt medium magis proportionatum ad annihilandam animam, & eam ad veram transformationem, & unionem perducendam, nec alia supereſt via: Et hæc est via facilior, & tutior.

47. Cum hujusmodi violentiæ occurrunt, sinere oportet, ut Satanas operetur, nullam adhibendo industriam, nullumque proprium conatum, sed permanere debet homo in suo nihilo; & etiamsi sequantur pollutiones, & actus obsceni propriis manibus, & etiam pejora, non opus est seipsum inquietari, sed foras emittendi sunt scrupuli, dubia, & timores; quia anima fit magis illuminata, magis roborata, magisque candida, & acquiritur sancta libertas. Et præ omnibus non opus est hæc confiteri, & sanctissime fit non confitendo, quia hoc pacto superatur dæmon, & acquiritur thesaurus pacis.

48. Satanas, qui hujusmodi violentias infert, suadet deinde, gravia esse delicta, ut anima se inquietet, ne in via interna ulterius progrediatur; unde ad ejus vires enervandas, melius est ea non confiteri, quia non sunt peccata, nec etiam venialia.

49. Job ex violentia dæmonis se propriis manibus polluebat, eodem tempore quo mundas habebat ad Deum preces (sic interpretando locum ex cap. 16. Job.)

50. David, Hieremias, & multi ex Sanctis Prophetis hujusmodi violentias patiebantur harum impurarum operationum externarum.

51. In Sacra Scriptura multa sunt exempla violentiarum ad actus externos peccaminosos: uti illud de Sansone, qui per violentiam seipsum occidit cum Philistæis, conjugium iniit cum alienigena, & cum Dalila meretrice fornicatus est, quæ alias erant prohibita, & peccata fuissent: De Juditha, quæ Holopherni mentita fuit: De Eliseo, qui pueris maledixit: De Elia, qui combussit Duces cum turmis Regis Achab. An vero fuerit violentia immediate a Deo peracta, vel Dæmonum ministerio, ut in aliis animabus contingit, in dubio relinquitur.

52. Cum hujusmodi volentiæ etiam impuræ absque mentis offuscatione accidunt, tunc anima Deo potest uniri, & de facto semper magis unitur.

53. Ad cognoscendum in praxi, an aliqua operatio in aliis personis fuerit violenta; regula, quam de hoc habeo, nedum sunt protestationes animarum illarum, quæ protestantur se dictis violentiis non consensisse, aut jurare non posse, quod in iis consenserint, & videre, quod sint Animæ, quæ proficiunt in via interna; sed regulam sumerem a lumine quodam actuali cognitione humana, ac Theologica superiore, quod me certo cognoscere facit cum interna certitudine, quod talis operatio est violenta, & certus sum, quod hoc lumen a Deo procedit, quia ad me pervenit conjunctum cum certitudine, quod a Deo proveniat, & mihi nec umbram dubii

dubii relinquit in contrarium: eo modo quo interdum contingit, quod Deus aliquid revelando, eodem tempore animam certam reddit, quod ipse sit, qui revelat, & anima in contrarium non potest dubitare.

54. Spirituales vitæ ordinariæ in hora mortis se delusos invenient, & confusos, & cum omnibus passionibus in alio mundo purgandis.

55. Per hanc viam internam pervenitur, etsi multa cum sufferentia, ad purgandas, & extinguendas omnes passiones; ita quod nihil amplius sentitur, nihil, nihil; nec ulla sentitur inquietudo, sicut corpus mortuum, nec anima se amplius commoveri sinit.

56. Duæ leges, duæ cupiditates; animæ una, & amoris proprii altera, tandiu perdurant, quamdiu perdurat amor proprius; unde quando hic purgatus est, & mortuus, ut fit per viam internam, non adsunt amplius illæ duæ leges, & cupiditates, nec ulterius lapsus aliquis incurritur, nec aliquid sentitur amplius, nequidem veniale peccatum.

57. Per contemplationem acquisitam pervenitur ad statum non faciendi amplius peccata nec mortalia, nec venialia.

58. Ad hujusmodi statum pervenitur, non reflectendo amplius ad proprias operationes; quia defectus ex reflexione oriuntur.

59. Via interna sejuncta est a Confessione, a Confessariis, & a casibus conscientiæ, a Theologia, & Philosophia.

60. Animabus provectis, quæ reflexionibus mori incipiunt, & eo etiam perveniunt, ut sint mortuæ, Deus Confessionem aliquando efficit impossibilem; & supplet ipse tanta gratia præservante, quantam in Sacramento reciperent; & ideo hujusmodi animabus non est bonum in tali casu ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, quia id est in illis impossibile.

61. Anima cum ad mortem mysticam pervenit, non potest amplius aliud velle, quam quod Deus vult, quia non habet amplius voluntatem, & Deus illi eam abstulit.

62. Per viam internam pervenitur ad continuum statum immobilem in pace imperturbabili.

63. Per viam internam pervenitur etiam ad mortem sensuum; quinimo signum quod quis in statu nihilitatis maneat, idest mortis mysticæ, est, si sensus exteriores non repræsentent amplius res sensibiles; unde sint, ac si non essent, quia non perveniunt ad faciendum, quod intellectus se ad eas applicet.

64. Theologus minorem dispositionem habet, quam homo rudis, ad statum contemplativi: Primo, quia non habet fidem adeo puram; Secundo, quia non est adeo humilis; Tertio, quia non adeo curat propriam salutem; Quarto, quia caput refertum habet phantasmatibus, speciebus, opinionibus, & speculationibus, & non potest in illum ingredi verum lumen.

65. Præpositis obediendum est in exteriore, & latitudo voti obedientiæ Religiosorum tantummodo ad exterius pertingit. In interiore vero aliter res se habet, quo solus Deus, & Director intrant.

66. Risu digna est nova quædam doctrina in Ecclesia Dei, quod anima quoad internum gubernari debeat ab Episcopo: quod si Episcopus non sit capax, anima ipsum cum suo Directore adeat: Novam dico doctrinam, quia nec Sacra Scriptura, nec Concilia, nec Canones, nec Bullæ, nec Sancti, nec Auctores eam unquam tradiderunt, nec tradere possunt, quia Ecclesia non judicat de occultis, & anima jus habet eligendi quemcumque sibi bene visum.

67. Dicere, quod internum manifestandum est exteriori Tribunali Præpositorum, & quod peccatum sit id non facere, est manifesta deceptio: quia Ecclesia non judicat de occultis, & propriis animabus præjudicant his deceptionibus, & simulationibus.

68. In mundo non est facultas, nec jurisdictio ad præcipiendum, ut manifestentur Epistolæ Directoris quoad internum animæ; & ideo opus est animadvertere, quod hoc est insultus Satanæ, &c.

QUas quidem Propositiones tanquam Hæreticas, suspectas, erroneas, scandalosas, blasphemas, piarum aurium offensivas, temerarias, Christianæ disciplinæ relaxativas, & eversivas, & seditiosas respective; ac quæcumque super iis verbo, scripto, vel typis emissa, pariter cum voto eorumdem Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & Inquisitorum Generalium damnavimus, circumscripsimus, & abolevimus: deque eisdem, & similibus omnibus, & singulis posthac quoquo modo loquendi, scribendi, disputandi, easque credendi, tenendi, docendi, aut in praxim reducendi facultatem quibuscunque interdiximus, & contrafacientes omnibus Dignitatibus, Gradibus, Honoribus, Beneficiis, & Officiis ipso facto perpetuo privavimus, & inhabiles ad quæcumque decrevimus, vinculoque etiam anathematis eo ipso innodavimus, a quo nisi a Nobis, & a Romanis Pontificibus successoribus nostris valeant absolvi. Præterea eodem nostro Decreto prohibuimus, & damnavimus omnes libros, omniaque opera quocumque loco, & idiomate impressa, necnon omnia manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos*; vetuimusque, ne quis cujuscunque gradus, conditionis, vel status, etiam speciali nota dignus, audeat sub quovis prætextu, quolibet pariter idiomate, sive sub eisdem verbis, sive sub æqualibus, aut æquipollentibus, sive absque nomine, seu ficto, aut alieno nomine ea imprimi facere, neque impressa, seu manuscripta legere, vel apud se retinere, sed Ordinariis locorum, aut hæreticæ pravitatis Inquisitoribus statim tradere, & consignare teneantur sub eisdem pœnis superius inflictis; qui Ordinarii, & Inquisitores statim ea igni comburi faciant. Tandem ut prædictus *Michael de Molinos* ob hæreses, errores, & turpia facta prædicta debitis pœnis in aliorum exemplum, & ipsius emendationem plecteretur, lecto in eadem nostra Congregatione toto processu, auditis dilectis filiis Consultoribus nostræ Sanctæ Inquisitionis Officii, in Sacra Theologia, & in Jure Pontificio Magistris, cum eorundem Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium unanimi voto, dictum *Michaelem de Molinos*, tanquam reum convictum, & confessum respective, & uti hæreticum formalem, licet pœnitentem, in pœnam arcti, & perpetui carceris, & peragendas alias pœnitentias salutares, prævia tamen abjuratione de formali per ipsum emittenda, servato juris ordine, damnavimus: mandantes, ut die, & hora præfigendis in Ecclesia Sanctæ Mariæ supra Minervam hujus almæ Urbis, præsentibus omnibus Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Romanæ Curiæ nostræ Prælatis, universoque populo ad id etiam per concessionem Indulgentiarum convocando, ex alto tenor processus, stante in suggestu eodem *Michaele de Molinos*, una cum sententia inde

inde sequuta legeretur: & postquam idem *de Molinos* habitu pœnitentiæ indutus prædictos errores, & hæreses publice abjurasset, facultatem dedimus dilecto filio nostri Sancti Officii Commissario, ut eum a Censuris, quibus innodatus erat, in forma Ecclesiæ consueta absolveret; quæ omnia in executionem dictæ nostræ ordinationis die 3. Septembris labentis anni solemniter adimpleta sunt.

Et licet supranarratum Decretum de Mandato nostro latum ad majorem fidelium cautelam typis editum publicis locis affixum, & divulgatum fuerit: nihilominus ne hujus Apostolicæ damnationis memoria futuris temporibus deleri possit, utque populus Christianus Catholica veritate instructior per viam salutis incedere valeat, Prædecessorum nostrorum Summorum Pontificum vestigiis inhærentes, hac nostra perpetuo valitura Constitutione supradictum Decretum denuo approbamus, confirmamus, & debitæ executioni tradi mandamus, iterum supradictas propositiones definitive damnantes, & reprobantes, librosque, & manuscripta ejusdem *Michaelis de Molinos* prohibentes, & interdicentes sub eisdem pœnis, & censuris contra transgressores latis, & inflictis.

Decernentes insuper, præsentes literas semper, & perpetuo validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, quavis auctoritate fungentes, & functuros ubique judicari, & definiri debere, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ac irritum, & inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem, ut præsentium transumptis, etiam impressis, manu Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, confirmationis, damnationis, reprobationis, punitionis, Decreti, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo octogesimo septimo, duodecimo Kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno duodecimo.

BREVE INNOCENTII XII.

Proscribentis tres & viginti Theses, quæ prætextu Amoris erga Deum purissimi in Galliis docebantur. §. III.

INNOCENTIUS PAPA XII.

SERVUS SERVORUM DEI

Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CUm alias ad Apostolatus nostri notitiam pervenerit, in lucem prodiisse librum quendam Gallico idiomate editum, cui titulus, Explication des Maximes des Saints sur la vie interieure, par Messire Francois de Salignac Fexelon, Archevèque Duc de Cambray, Precepteur de Messigneur le Duc de Bourgogne, d'Anjou, & de Berry: A Paris chez Pierre Anbouin, Pieree Emirii, Charles Clousier *1697*. Ingens vero subinde de non sana libri hujusmodi doctrina excitatus in Galliis rumor adeo percrebuerit, ut opportuuam Pastoralis vigilantiæ nostræ opem efflagitaverit; Nos eundem librum nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris mature, ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Porro hi mandatis nostris obsequentes, postquam in quamplurimis Congregationibus varias Propositiones ex eodem libro excerptas diuturno, accuratoque examine discusserant, quid super earum singulis sibi videretur, tam voce, quam scripto nobis exposuerunt. Auditis igitur in pluribus itidem coram Nobis desuper actis Congregationibus memoratorum Cardinalium, & in Sacra Theologia Magistrorum sententiis, Dominici gregis Nobis ab Æterno Pastore crediti periculis, quantum nobis ex alto conceditur, occurrere cupientes, motu proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostra, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, librum prædictum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hucusque impressum, aut in posterum imprimendum, quippe ex cujus lectione, & usu fideles sensim in errores ab Ecclesia Catholica jam damnatos induci possent, ac insuper tanquam continentem propositiones, sive in obvio earum verborum sensu, sive attenta sententiarum connexione, temerarias, scandalosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, in praxi perniciosas, ac etiam erroneas respective, tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis, sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda, interdicimus, & prohibemus. Volentes, & Apostolica auctoritate mandantes, ut quicunque supradictum librum penes se habuerint, illum, statim atque præsentes litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere, ac consignare omnino teneantur. In contrarium facientibus, non obstantibus quibuscunque, &c. Cæterum Propositiones in dicto libro contentæ, quas Apostolici censura judicii, sicut præmittitur, configendas duximus, ex Gallico idiomate in latinum versæ, sunt tenoris, qui sequitur: videl.

1. Datur habitualis status amoris Dei, qui est Charitas pura, & sine ulla mixtione motivi proprii interesse. Ne-

Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando.

2. In statu vitæ contemplativæ, seu unitivæ omittitur omne motivum interessatum timoris, & spei.

3. Id, quod est essentiale in directione animæ, est non aliud facere, quam sequi pedetentim gratiam cum infinita patientia, præcautione, & subtilitate: Oportet se intra hos limites continere, ut sinatur Deus agere, & nunquam ad purum amorem ducere, nisi quando Deus per unctionem interiorem incipit aperire cor huic verbo, quod adeo durum est animabus adhuc sibimet affixis, & adeo potest illas scandalizare, aut in perturbationem conjicere.

4. In statu sanctæ indifferentiæ anima non habet amplius desideria voluntaria, & deliberata propter suum interesse, exceptis iis occasionibus, in quibus toti suæ gratiæ fideliter non cooperatur.

5. In eodem statu sanctæ indifferentiæ nihil nobis, omnia Deo volumus. Nihil volumus, ut simus perfecti, & beati propter interesse proprium, sed omnem perfectionem, ac beatitudinem volumus, in quantum Deo placet efficere, ut velimus res istas impressione suæ gratiæ.

6. In hoc sanctæ indifferentiæ statu nolumus amplius salutem, ut salutem propriam, ut liberationem æternam, ut mercedem nostrorum meritorum, ut nostrorum interesse omnium maximum; sed eam volumus voluntate plena, ut gloriam, & beneplacitum Dei, ut rem, quam ipse vult, quam nos vult velle propter ipsum.

7. Derelictio non est nisi abnegatio, seu sui ipsius renunciatio, quam Jesus Christus a nobis in Evangelio requirit, postquam externa omnia reliquerimus. Ista nostri ipsorum abnegatio non est, nisi quoad interesse proprium. Extremæ probationes, in quibus hæc abnegatio, seu sui ipsius derelictio exerceri debet, sunt tentationes, quibus Deus æmulator vult purgare amorem, nullum ei ostendendo perfugium, neque ullam spem quoad suum interesse proprium, etiam æternum.

8. Omnia sacrificia, quæ fieri solent ab Animabus quam maxime disinteressatis circa earum æternam beatitudinem, sunt conditionalia. Sed hoc sacrificium non potest esse absolutum in statu ordinario. In uno extremarum probationum casu hoc sacrificium fit aliquo modo absolutum.

9. In extremis probationibus potest animæ invincibiliter persuasum esse persuasione reflexa, quæ non est intimus conscientiæ fundus, se juste reprobatam esse a Deo.

10. Tunc anima divisa a semetipsa expirat cum Christo in Cruce, dicens, *Deus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* In hac involuntaria impressione desperationis conficit sacrificium absolutum sui interesse proprii quoad æternitatem.

11. In hoc statu anima amittit omnem spem sui proprii interesse, sed nunquam amittit in parte superiori, idest in suis actibus directis, & intimis spem perfectam, quæ est desiderium disinteressatum promissionum.

12. Director tunc potest huic animæ permittere, ut simpliciter acquiescat jacturæ sui proprii interesse, & justæ condemnationi, quam sibi a Deo indictam credit.

13. Inferior Christi pars in Cruce non communicavit superiori suas involuntarias perturbationes.

14. In extremis probationibus pro purificatione amoris fit quædam separatio partis superioris animæ ab inferiori. In ista separatione actus partis inferioris manant ex omnino cæca, & involuntaria perturbatione; Nam totum, quod est involuntarium, & intellectuale, est partis superioris.

15. Meditatio constat discursivis actibus, qui a se invicem facile distinguuntur. Ista compositio actuum discursivorum, & reflexorum est propria exercitatio amoris interessati.

16. Datur status contemplationis adeo sublimis, adeoque perfectæ, ut fiat habitualis, ita ut quoties anima actu orat, sua oratio sit contemplativa, non discursiva. Tunc non amplius indiget redire ad meditationem, ejusque actus methodicos.

17. Animæ contemplativæ privantur intuitu distincto, sensibili, & reflexo JESU Christi duobus temporibus diversis; Primo in fervore nascente earum contemplationis; Secundo Anima amittit intuitum JESU Christi in extremis probationibus.

18. In statu passivo exercentur omnes virtutes distinctæ, non cogitando, quod sint virtutes. In quolibet momento aliud non cogitatur, quam facere id, quod Deus vult; & amor zelotypus simul efficit, ne quis amplius sibi virtutem velit, nec unquam sit adeo virtute præditus, quam cum virtuti amplius affixus non est.

19. Potest dici in hoc sensu, quod anima passiva, & disinteressata nec ipsum amorem vult amplius, quatenus est sua perfectio, & sua felicitas, sed solum quatenus est id, quod Deus a nobis vult.

20. In confitendo debent animæ transformatæ sua peccata detestari, & condemnare se, & desiderare remissionem suorum peccatorum, non ut propriam purificationem, & liberationem, sed ut rem, quam Deus vult, & vult nos velle propter suam gloriam.

21. Sancti mystici excluserunt a statu animarum transformatarum exercitationes virtutum.

22. Quamvis hæc doctrina (de puro amore) esset pura, & simplex perfectio Evangelica in universa traditione designata, antiqui Pastores non proponebant passim multitudini justorum nisi exercitationem amoris interessati, eorum gratiæ proportionatam.

23. Purus amor ipse solus constituit totam vitam interiorem, & tunc evadit unicum principium, & unicum motivum omnium actuum, qui deliberati, & meritorii sunt.

Non intendimus tamen per expressam propositionum hujusmodi reprobationem alia in eodem libro contenta ullatenus approbare. Ut autem eædem præsentes literæ omnibus facilius innotescant, nec quisquam illarum ignorantiam valeat allegare, volumus pariter, & auctoritate præfata decernimus, ut illæ ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, necnon Curiæ Generalis in Monte Citatorio, & in Acie Campi Floræ de Urbe per aliquem ex Cursoribus nostris, ut moris est, publicentur, illarumque exempla ibidem affixa relinquantur; ita ut sic publicatæ, omnes, & singulos, quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent: Utque ipsarum præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem

eadem prorsus fides tam in judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 12. Martii MDCXCIX. Pontificatus nostri Anno 8.

Condemnatio duarum thesium de Omnipotentia donata, & subjecta Creaturæ. §. IV.

Feria 5. die 23. Novembris 1679.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ, & universalis Inquisitionis habita in Valesio Apostol. Montis Quirinalis coram SS. D. N. Innoc. Div. Prov. PP. XI. ac Emin. & Rev. Dominis S. R. E. Cardinalibus in tota Rep. Christiana contra hæreticam pravitatem generalibus Inquisitoribus a S. Sede Apostolica specialiter deputatis.

Cum supradictis Eminentiss. ac Reverend. DD. delatæ fuerint hæ duæ propositiones:

1. Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

2. Deus subjicit nobis suam Omnipotentiam.

Eorumdem jussu per Theologos ad id specialiter deputatos SS. D. N. relatæ, & coram sua Sanctitate propositæ, una cum votis Eminent., & Rev. S. R. E. Cardinalium, Sanctitas sua decrevit, & mandavit, ut ambæ propositiones prohiberentur, sicut eas præsenti decreto damnat, & prohibet ut temerarias ad minimum, & novas; mandatque, ne quis deinceps, cujuscumque sit gradus, ordinis, aut conditionis, illas, vel illarum alterutram audeat imprimere, vel imprimi facere, sive scriptis, sive etiam ore tenus docere, vel asserere sub pœnis, & censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, aliisque Sanctitati suæ bene visis.

Utraque isthæc thesis exponitur. §. V.

JUre merito utrique huic thesi nigrum theta præfixum fuit ab Innoc. XI.; sonant quippe temeritatem, ac novitatem: Et quamvis earum Auctores innuere solum velint, quod creatura pro suo arbitrio utatur Omnipotentiæ concursu sive ad actum bonum, sive ad malum, non secus ac ad arbitrium quis utitur villa, aut libro sibi donatis, & ad arbitrium utitur rebus sibi subjectis; nihilominus locutiones istæ, quibus explicatur plena Creaturæ libertas ad bene, vel male operandum, dissonant supremo Dei dominio, & minus reverentes sunt erga Deum. Et ratio est, quia licet Deus ex munere primæ Causæ offerat voluntati creatæ concursum omnipotentiæ in actu primo indifferentem, quatenus paratus est ad concurrendum in actu secundo sive ad operationem Creaturæ bonam, sive ad malam, prout voluntas libere maluerit ad alterutrum se determinare; quia tamen concursus iste omnipotentiæ non est concursus subjectionis, sed dignationis, ac dominii, cum sit concursus Dei plenissime domini voluntatis creatæ, & actuum liberorum; idcirco minus apte, ac irreverenter erga perfectissimum Dei dominium in prima harum thesium dicitur, quod Omnipotentia Creaturæ donetur, ut ea utatur, sicut homo utitur villa, vel libro sibi donato; Siquidem quod donatur, quodammodo alienatur, & subjicitur dominio donatarii adversus donantem, quod nullatenus de Omnipotentia oblata quoad usum voluntati creatæ dici, aut fingi potest. Præsertim quia donatarius habet facultatem utendi re sibi donata ad arbitrium, independenter ab ulla dispositione donantis. At voluntas creata non potest Omnipotentia, ejusque concursu sibi oblato uti independenter ab ullo actu voluntatis Divinæ sive prædefiniente, sive permittente operationes liberas creatas. Quamobrem Omnipotentia ita exhibetur voluntati creatæ, ut nequeat apte dici, quod donetur nobis, aut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum.

Hinc multo apertius dissonat perfectissimo Dei dominio thesis altera, quod scilicet Deus subjiciat nobis Omnipotentiam suam, dum præparat concursum in actu primo indifferentem. Cum enim creatura in omnibus suis actionibus, etiam liberis, sit summe Deo subjecta, quatenus nihil operari potest citra divinam aut prædefinitionem, aut permissionem: idcirco ad explicandam libertatem creaturæ ineptissime usurpatur illa locutio, quod Divina Omnipotentia nobis subjiciatur. Si enim ea subjiceretur voluntati creatæ, non posset esse in manu Omnipotentiæ creata libertas: sicut non potest esse in manu subditorum voluntas Principis. Quod autem in manu Omnipotentiæ sit creata libertas, manifestius est ipsa luce meridiana. Hinc Proverb. 21. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*; & ad Rom. 3. *Cujus vult miseretur, & quem vult, indurat*; & Jeremiæ 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu Dei.* Unde August. de Spir. c. 14. ait: *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem; magis enim habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*: Et in Enchir. cap. 88. *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deum non posse malas hominum voluntates, quando voluerit, in bonum inclinare?* Et horum omnium ratio est, quia tribuendum est Deo dominium, quo majus excogitari non potest citra repugnantiam: Creaturæ vero ex opposito tribuenda est summa subjectio, & dependentia; atqui dominium in Creaturas liberas qua liberas nullam præsefert implicantiam; quod apud Theologos est inconcussum, quamvis alii aliter explicent, quonam pacto Deus in Creaturas liberas qua liberas dominetur: ergo competit de facto Deo hæc vis dominativa; ut proinde exhibendo omnipotentiam paratam ad utrumlibet nequeat dici, quod omnipotentia voluntati creatæ subjiciatur. Et sane lumine naturæ notum est, unumquemque posse, ac debere a Deo petere operationes suas liberas meritorias, ac victoriam tentationum: ergo lumine naturæ notum est, posse Deum voluntatem creatam in bonum convertere, illæsa ejus libertate. Unde fit, quod omnipotentia per hoc, quod ponatur in manu voluntatis, ut ea utatur vel ad ponendam operationem bonam, vel ad ponendam pravam, non per hoc subjiciatur creaturæ. Quibus adde, quod Deus exhibendo creaturæ concursum Omnipotentiæ paratum ad utrumlibet, potest simul actum liberum ejusdem creaturæ præcipere, aut prohibere, quod certe spectat ad potestatem dominativam; atque adeo quamvis Omnipotentia ponatur in manu creaturæ, nullatenus dici potest, quod illi subjiciatur.

Prohibitio thesis de Usu scientiæ ex Confessione acquisitæ. §. VI.

Feria 4. die 18. Novembris 1682.

IN Generali Congregatione S. Romanæ, & Universalis Inquisitionis habita in Conventu S. Mariæ super

ſuper Minervam coram Eminentiſs. D. D. S. R. E. Cardinalibus in tota Republ. Chriſtiana contra hæreticam pravitatem Generalibus Inquiſitoribus a S. Sede Apoſtolica ſpecialiter deputatis.

Prævia matura conſultatione dominorum Conſultorum, facta fuit diſcuſſio ſequentis propoſitionis.

Scientia ex Confeſſione acquiſita uti licet, modo fiat ſine directa, aut indirecta revelatione, & gravamine pœnitentis, niſi aliud multo majus ex non uſu ſequatur, in cujus comparatione prius merito contemnatur.

Addita deinde explicatione, ſive limitatione, quod ſit intelligenda de uſu ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ cum gravamine pœnitentis, ſecluſa quacumque revelatione, atque in caſu quo multo majus gravamen ejuſdem pœnitentis ex non uſu ſequeretur: Statuerunt, dictam propoſitionem, quatenus admittit uſum dictæ ſcientiæ cum gravamine pœnitentis, omnino prohibendam eſſe, etiam cum dicta explicatione, ſive limitatione: Et præſenti decreto prohibent, ne quis ultra audeat talem doctrinam publice, aut privatim docere, aut defendere, ſub pœnis arbitrio Sacræ Congregationis infligendis; Mandantes etiam univerſis Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtris, ut ab ea in praxim deducenda prorſus abſtineant.

De Uſu ſcientiæ ex Confeſſione acquiſitæ univerſim. §. VII.

GRavitas materiæ poſtulat, ut ea plene, & non curſim diſcutiatur. Quare quod attinet ad hanc Theſim de uſu ſcientiæ ex Sacramento Pœnitentiæ acquiſitæ (quod ſcilicet licitum ſit ea uti citra revelationem confeſſionis ſive directam, ſive indirectam, & citra pœnitentis gravamen, niſi quando ex non uſu talis ſcientiæ gravamen multo majus illi eveniret, adeo ut in hujus comparatione illud prius merito contemnatur) ſciendum, fuiſſe olim plurimorum, & gravium DD. ſententiam apud Sanch. de Matr. lib. 3. diſp. 16. quod poſſit Confeſſarius, & Superior uti ſcientia iſta Sacramentali ad externam gubernationem, dummodo ne indirecte quidem ſigillum violetur, nec detur anſa ſuſpicandi prudenter, quod aliquid fiat ob hujuſmodi notitiam: quod facile videtur evenire poſſe in collatione gratuitorum, in quibus nulla requiritur cauſa, cur denegentur. Hinc docuerunt, poſſe ex. g. Confeſſarium, ac Superiorem negare ſuffragium, ſeu non eligere ad Prælaturam, quem ex confeſſione conſtat eſſe indignum, aut illum amovere ab officio ad nutum amovibili, nolle illi Ordines conferre, nolle Euchariſtiam miniſtrare, ſi ad id aliunde non teneatur, atque id generis alia indebita denegare.

Fundamentum hujus ſententiæ eſt, Primo, quia confeſſio non aufert Confeſſario jus, quod præhabebat; ſed, antequam confeſſionem exciperet a Pœnitente, poterat illum non eligere ad Prælaturam, necnon amovere ab officio ad nutum amovibili; ergo etiam poterit id efficere poſt auditam confeſſionem: Aliter confeſſio audita libertatem priſtinam a Confeſſario adimeret, & ne gravetur pœnitens, gravaretur Confeſſarius.

Confirmatur primo; quia idcirco licitum eſt Confeſſario detegere peccatum in confeſſione auditum, quando illud alia via eſſet ſibi cognitum, quia confeſſio non adimit Confeſſario libertatem, quam præhabebat detegendi peccatum illud ex vi notitiæ extraſacramentalis præhabitæ; ergo ſimiliter in caſu.

Confirmatur ſecundo; quia ſi Confeſſarius non excepiſſet confeſſionem, irrationabiliter pœnitens quereretur, quod ab officio ad nutum amovibili amoveatur: ergo poſt auditam confeſſionem irrationabilis pariter erit querela, & ſuſpicio, quod id fiat ob crimen clavibus ſubjectum.

Confirmatur tertio, quia aliter indignus, qui ad Prælaturam eligatur, poſſet hac induſtria uti, ut eligatur, videlicet fatendo Sacramentaliter ſuam indignitatem, quod nemo admiſerit; ergo &c.

Secunda principalis ratio eſt, quia Confeſſarius ſolum tenetur ſigillum non violare; atqui dum utitur notitia Sacramentali citra revelationem etiam indirectam, nec præbendo rationabilem anſam ſuſpicandi, quod aliquid gratuitum denegetur ob crimen confeſſum, tunc ſigillum non violatur: Aliter ſicut in omnium ſententia ſigillum violatur per quamcumque revelationem peccati clavibus ſubjecti, ita violaretur per quemcumque uſum ſcientiæ ex confeſſione acquiſitæ, quod eſt inopinabile; Inconcuſſum enim eſt apud omnes, quod poſſit v. gr. Confeſſarius ex vi notitiæ in audiendis confeſſionibus habitæ reddi magis cautus, & prudens ad devitanda ſimilia pericula, in quibus pœnitentes lapſi ſunt, vel ad vitandum talem cibum, ne ſibi etiam noceat, vel ad declinandam familiaritatem cum iis, a quibus paſſi ſunt injuriam pœnitentes. Immo videtur negari non poſſe, quod Confeſſarius habens penes ſe depoſitum enſem pœnitentis licite renuat illum reſtituere, ſi ex ejuſdem confeſſione ſciat, quod enſis petatur ad interficiendum ipſum Confeſſarium, vel alios; qua in re, ut advertit Suar. diſp. 67. de Euch. ſect. 3. nullus fere Auctor dubitat. Sic pariter videtur licite poſſe Confeſſarius nolle amplius confiteri illi, quem ſub ſigillo Sacramentali novit Confeſſiones audire, quin ſit Sacerdos: ergo uſus notitiæ ex Confeſſione acquiſitæ citra ſigilli violationem univerſim non eſt illicitus, quoties pœnitentis gravamen eſt irrationabile.

Tertio, quia caſuum reſervatio idcirco videtur introducta in Eccleſia, ut Superiores ex notitia per Confeſſionem habita prudentiores fiant in externa ſubditorum gubernatione citra violationem ſigilli: ergo ut prius.

Quarto, quia intantum non liceret amovere v. g. ab officio ad nutum amovibili, aut nolle ad Ordines, vel ad Prælaturam promovere illum, qui ex notitia Sacramentali cognoſcitur indignus, etiamſi non quia pœnitenti irrogaretur injuria, cum non denegetur illi quicquam debitum, ſed inquantum pœnitens aliquo pudore ſuffunderetur, & hinc retraheretur a ſincera peccatorum confeſſione, ſi videret præteritam confeſſionem ſibi præjudicium attuliſſe: hoc tamen non videtur obſtare; quia poteſt Superior alias cauſas allegare. Et quamvis pœnitens credat id ſibi fieri ob peccata ſubjecta clavibus; id tamen oritur magis ex pœnitentis diſcurſu, quam ex Sacerdotis actione: Et tranſmiſſo, quod aliqua confuſio, & rubor pœnitentis inde ſequatur; non debent ea tribui Sacerdoti utenti jure ſuo, ſed iniquitati ipſius pœnitentis, qui Prælaturam, aut Ordines petit, quorum ſe cognovit indignum.

Hinc D. Thom. quodlib. 5. art. 13. habet: *Si per amotionem ab adminiſtratione peccatum nullatenus manifeſtaretur, tunc alia occaſione accepta poſſet Superior ſubditum ſibi confeſſum ab adminiſtratione removere; & deberet hoc facere, cum debita tamen*

cautela, si talis administratio esset subdito periculosa in posterum: quamvis in hoc casu melius esset, quod eum induceret ad cessionem petendam. Et in 4. dist. 21. art. 1. qu. 1. ad 3. similiter docet Angelicus; *Potest ex aliqua alia occasione absolvere a cura Prioratus; ita tamen, quod omnis suspicio vitetur de Confessionis revelatione*. Et Sylvester etiam Magister S. Palatii V. *Confessio* 3. q. 14. n. 9. adhærens doctrinæ laudatæ Angelici addit: *Nec obstat, quod pœnitens redderetur pronior ad celanda peccata, quia melius est cavere, ne peccata fiant, quam ne facta celentur: quia si non fiunt, nec celantur, nec e converso*. Quod pariter docent Sotus, Bonav., Alensis, Gabriel, Victoria, aliique ad triginta graves Auctores relati a Sanch. loc. laud. Immo Suar. disp. 67. de Euch. sect. 3. referens Alensem, Ledesmam, Tabienam, & alios docentes non solum posse, sed etiam debere Sacerdotem ob peccatum in confessione cognitum negare Eucharistiam peccatori occulto occulte illam petenti, putat, speculative rem considerando, sententiam hanc esse probabilem; quia negare Communionem peccatori in eo casu videtur esse actus consentaneus potestati clavium, ad quam spectat non solum negare absolutionem peccatori indisposito, sed etiam indignos a Communione repellere, dummodo id fiat citra infamiam, ac citra sigilli violationem.

His tamen non obstantibus, ne doctrina isthæc odiosam, & gravem redderet Confessionem, si in praxim deduceretur, Claudius Aquaviva Præpositus Generalis Soc. JESU an. 1590. Superioribus, & Confessariis omnibus, ne illam sequantur graviter interdixit, dicens: *Tametsi non desint Doctores, qui notitia per Confessionem habita, salvo sigillo, Confessariis uti nonnunquam licere sentiant, Nostros tamen eam doctrinam sequi non judicamus. Quare caveant diligenter Superiores, ne vel ipsi, vel nostrorum aliqui eam uspiam introducant, privatimve, aut publice doceant; nec ea, nisi forte de pœnitentis licentia, utantur: sed ita se gerant in omnibus casibus Confessarii, ac si in Confessione nihil penitus audivissent; sibique persuadeant, sicut humanarum rerum regimen ab hoc Sacramento longissime distat, ita debere nullatenus ab eo pendere*. Idipsum deinde Clemens VIII. 1594. omnibus omnino Superioribus Regularibus interdixit his verbis: *Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissime, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur. Atque ita per quoscumque Regularium Superiores, quicumque illi sint, observari mandamus*. Ubi aperte decidere videtur, ut notat Sanchez loco laudato, sententiam illam, quæ hujusmodi usum permittit, non subsistere; ut proinde Lugo disp. 23. de Pœnit. num. 93. dicat, se nescire quo pacto post hoc Decretum Clementis VIII. sententia illa possit sustineri. Quod pariter docent communiter Recentiores apud Dicastillum disp. 12. de Pœnit. n. 140., ubi dicit satis multos a se consultos ita respondisse; quicquid in contrarium doceat Thomas Hurtado l. 2. resf. moral. tr. 6. c. 11. resf. 32., & iterum tr. 12. c. 1. resf. 23. dicens, satis probabile esse Episcopos, & alios Sacerdotes non Regulares licite posse uti scientia habita in Confessione in ordine ad regimen externum, quia id est licitum secundum se, & Summi Pontificis præceptum solum datum est pro Regularibus.

Ratio autem quare ex hoc Decreto Pontificio inferatur, nulli prorsus id licere, est, ut advertunt Lugo, & Dicastillo, quia motivum talis Decreti fuit, ipso Hurtado favente, ne ex usu scientiæ habitæ in Confessione redderetur odiosa, & formidabilis Confessio; atqui hoc ipsum est motivum præcepti naturalis, & Divini de sigillo custodiendo: ergo Pontifex eo Decreto non induxit novam obligationem, sed antiquam præcepti naturalis, & divini in memoriam revocavit ad exterminandas opiniones, quæ usum licitum notitiæ Confessionis pœnitentibus molestum concedebant: atque adeo ex hoc Decreto, pro solis Regularibus Superioribus lato, infertur, præceptum naturale, ac Divinum de sigillo custodiendo se extendere ad prohibendum hujusmodi usum, & idcirco omnibus omnino Confessariis id vetari. Et ratio ulterior est, quia si hujusmodi usus aliquando alicui Confessario esset licitus, non apparet, quomodo potuisset Pontifex illum pro quolibet casu Prælatis Regularibus prohibere: etenim in aliquibus casibus, in quibus esset de se licitus, in iis esset etiam præceptus jure naturali; atque adeo non posset pro eo etiam casu lege Ecclesiastica Prælatis Regularibus vetari. E. g. si Superior ex notitia Confessionis nosceret, aliquem non esse Sacerdotem, jure naturali non posset illum in Confessarium domus designare, ne fierent irritæ suarum ovium Confessiones cum magno illarum detrimento, & Sacramenti irreverentia; Nec posset indignum ad Prælaturam eligere; cum hujusmodi electio sit intrinsece mala, quippe quæ affert gravissima incommoda, quæ tenetur Prælatus jure naturali impedire. Cum autem etiam in his casibus a Clemente VIII. prohibeatur Regularibus usus scientiæ ex Confessione acquisitæ, infertur, talem usum esse antecedenter ad Pontificiam prohibitionem illicitum, atque adeo esse prohibitum, quia malum, non vero malum, quia prohibitum; alioquin non posset lex ista Ecclesiastica contra naturale præceptum Charitatis, & Religionis obligare; immo nec obligaret cum solo gravi incommodo.

Hinc Lugo l. c. rejicit doctrinam Suarii putantis disp. 33. de Pœnit. sect. 7. n. 4. sententiam permittentem in ordine ad regimen externum usum scientiæ Sacramentalis, ex natura rei, seu sola ratione spectatam improbari non posse; esto potuerit ob periculum mali a Pontifice ea prohiberi. Sicut enim communiter dicimus, Confessionem, & absolutionem per epistolam, & in absentia esse irritam, & invalidam; quia alioquin non potuisset idem Pontifex prohibere, ne ullo unquam casu sententia opposita in praxim reduceretur; etenim si ea absolutio esset valida jure naturali, teneremur absolvere in casu extremæ necessitatis moribundum absentem, eo quod non posset lex Ecclesiastica præcepto Charitatis prævalere: Ita pariter dicendum, usum scientiæ Sacramentalis in ordine ad externam gubernationem esse jure naturali, & divino vetitum, quia alioquin non potuisset Clemens VIII. verbis universalibus, atque adeo citra ullam limitationem, & pro quovis casu illum Prælatis Regularibus prohibere; deberet quippe in casibus adductis præceptum Charitatis, & Religionis prævalere.

Verum quicquid sit de hac ratiocinatione Cardinalis de Lugo; in quo posset esse aliqua difficultas, quia propositio illa, *Licet per literas, seu per internuncium Confessario peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, non fuit duntaxat prohibita, ne doceatur, aut in praxim dedu-

deducatur, sed fuit damnata anno 1602. ut falsa, temeraria, & scandalosa; ex quo fit, certum omnino esse, quod Sacramentum per hujusmodi Confessionem, & absolutionem non conficiatur; unde nil mirum, quod non liceat in extrema necessitate sequi illam sententiam, quam Pontifex ex Cathedra loquens declaravit erroneam: At in casu nostro opinio ista de licito usu scientiæ Sacramentalis in ordine ad gubernationem non damnatur a Pontifice, sed solum prohibetur, ne in praxim deducatur a Regularibus Prælatis, qui facile, nimio zelo observantiæ ducti, ea opinione apud Antiquos communi abutebantur; ex quo non sequitur, quod lex ista Ecclesiastica obligare debeat etiam, quando concurrit cum lege naturali, ex. gr. de non danda Eucharistia, vel Prælatura ei, qui ex Confessione cognoscitur esse indignus. Aliunde itaque ostendendum, quod sicut Christus obligavit ad sigillum custodiendum pro quocumque casu, ut proinde potius debeat ministrari Eucharistia indigno, quam revelari Confessio; ita obligaverit ad non utendum scientia ex Confessione acquisita pro quolibet omnino casu cum gravamine pœnitentis, etiamsi nulla daretur Confessionis revelatio: ut proinde potius debeat Eucharistia, ac Prælatura conferri indigno, quam ea denegari cum solo gravamine pœnitentis; eo quod per hujusmodi usum, quamvis non habeatur sigilli violatio, seu revelatio presse dicta, habetur tamen gravis offensa sigilli Sacramentalis; non secus ac habetur offensa gravis, & non violatio sigilli, seu Confessionis revelatio, si Confessarius cum eodem pœnitente de auditis in Confessione loquatur non obtenta prius ab eodem facultate.

Prima itaque ratio, qua id suadetur, est, quia Christus Dominus instituendo Sacramentum Pœnitentiæ, & præcipiendo custodiam sigilli, non solum vetuit, ne aliis revelentur peccata clavibus subjecta, sed etiam ne Confessarius cum eodem pœnitente de iis loquatur; quandoquidem hoc etiam redderet Confessionem gravem, & odiosam: ergo eodem modo vetuit utrumque; atqui vetuit Christus D. ne peccata revelentur aliis etiam indirecte, seu faciendo aliquid, ex quo alii suspicari possent, quod id fiat ob notitiam Sacramentalem: ergo pariter vetuit, ne extra Confessionem exprobretur pœnitenti a Confessario, vel Superiore suum peccatum etiam indirecte, seu faciendo aliquid, unde ille suspicari posset, quod fiat ob peccatum clavibus subjectum, puta removendo illum ab officio ad nutum amovibili, negando illi suffragium ad Prælaturam, aut negando alia indebita; per hoc enim quod licitus esset Confessario, ac Superiori usus scientiæ Sacramentalis in ordine ad regimen, haberet pœnitens sufficientem rationem dubitandi, quod hic & nunc sibi denegetur indebitum ob suam indignitatem ex sola Confessione cognitam; unde indirecte illi peccata exprobrarentur, & sic redderetur onerosa Confessio: ergo id non licet.

Ratio ulterior a posteriori est, quia Christus D. obligando Confessarium ad sigillum, obligavit ad omne illud, quod redderet pœnitenti Confessionem odiosam; & idcirco noluit, quod cum eodem pœnitente de auditis in Confessione Confessarius loqueretur citra gravem sigilli offensam, etiamsi nulla detur tunc revelatio presse dicta: atqui Confessionem redderet odiosam hæc ipsa persuasio, quod possit Confessarius uti scientia Sacramentali cum gravamine pœnitentis, negando illi gratuita, quæ cæteroqui non negarentur, etiamsi hic & nunc suspicari prudenter non possit ne ipse quidem pœnitens, quod aliquid sibi indebitum denegetur ob peccata clavibus subjecta: ergo usus talis scientiæ cum solo gravamine pœnitentis etiam citra revelationem peccati sive directam, sive indirectam jure divino est illicitus pro quocumque casu; non secus ac pro quocumque casu est illicita jure Divino revelatio Confessionis. Quinimo, ut advertit Lugo, magis redderetur odiosa Confessio, si posset Confessarius uti notitia Confessionis cum gravamine pœnitentis, negando illi indebita, quando id Pœnitens non potest advertere, aut prudenter suspicari, quam si posset Confessarius, quando potest pœnitens id aliquatenus advertere; quia in hoc secundo casu posset remedium aliquod adhibere ad præcavendum sibi hoc gravamen; secus vero in primo.

Confirmatur primo ex Soto; quia idcirco non licet extra Confessionem revocare pœnitenti in memoriam peccata clavibus subjecta, ne ad ipsum quidem consolandum, quia pudore suffunderetur: sed majorem verecundiam pateretur pœnitens, & magis a Confessione retraheretur, si dubitaret, quod ab officio removeatur præcise ob peccatum in Confessione manifestatum; ergo neutrum licet.

Confirmatur secundo, quia ne Confessio esset onerosa, usque adeo Christus Dominus voluit sigillum custodiri, ut ne pro vita quidem æterna proximi liceret illud resignare: quam ob rem si Confessarius ex Confessione scit, Bertam v. gr. mortuam habere in utero fœtum animatum: potius permittere debet, quod infans ille decedat sine baptismo, æternum privandus visione Dei, quam cum violatione sigilli efficere, quod ex dissecto matris utero fœtus extrahatur, & baptizetur. Quinimo neque licitum est sigillum violare etiam in casu, quo quis crederet sibi periculum imminere mortis etiam æternæ; ut si Confessarius advertat, se esse in statu peccati mortalis, nec posse ad Contritionem conari; & si Confessionem non revelet, fit occidendus (in quo tamen casu, ut alias diximus, revera hic non damnaretur, si occideretur; quia actus ille, quo vult mortem etiam æternam subire potius, quam Deum offendere in violatione sigilli, esset actus dilectionis Dei super omnia, atque adeo justificativus, & sufficiens ad salutem æternam consequendam); ergo a fortiori dicendum, quod ne Confessio esset onerosa, Christus D. noluerit, Confessarium posse uti notitia Sacramentali cum gravamine pœnitentis. Unde sicut potest Confessarius, ne Confessionem revelet, dare Eucharistiam peccatori occulto, & eligere indignum ad Prælaturam, conferre indigno Sacros Ordines, & his similia, quæ cæteroqui essent intrinsece mala; ita poterit hæc eadem præstare, quando nequit ea denegare, nisi utatur scientia ex Confessione acquisita cum gravamine pœnitentis; Si enim potuit Deus velle, ut potius detur Sanctum canibus, seu ministretur Eucharistia peccatori occulto publice illam petenti, quam quod denegetur cum ejus infamia (prout præstitit Christus Dominus communicando Judam, ne illum proderet) quamvis de se sit intrinsece malum porrigere hujusmodi margaritas ante porcos; ita a fortiori velle potuit, & de facto voluit, ut potius detur Eucharistia, Ordo Sacer, & suffragium ad Prælaturam ei, qui ex sola Confessione cognoscitur indignus, quamvis hæc de se sint intrinsece mala, quam quod ea denegentur, aut cum revelatio-

ne

ne etiam indirecta Confessionis, aut pariter per usum notitiæ Sacramentalis cum gravamine pœnitentis. Dixi, a fortiori, quia quando ministratur Eucharistia peccatori occulto, ne infametur, tunc solum concurrit fama proximi cum reverentia debita Christo Domino; quando vero ministratur Eucharistia indigno, ne sigillum violetur, tunc concurrit cum eadem reverentia debita Christo Dom. dignitas Sacramenti Pœnitentiæ, & bonum commune animarum, quod longe præstat famæ proximi; atque adeo si licitum est ex divina benignitate id præcipiente Eucharistiam peccatori occulto porrigere, ne infametur, a fortiori erit licitum illam porrigere indigno ad præcavendam sigilli resignationem, aut offensam.

Ad rationes in contrarium pro priori sententia adductas facilis est responsio. Ad primam advertit Lugo latere in argumento æquivocationem; verum enim est, quod Confessio nullum adimat Confessario jus, quod præhabebat; sed falsum est, quod antecedenter ad Confessionem præhabebat jus amovendi pœnitentem ab officio; aut negandi illi indebita vi notitiæ Sacramentalis; esto poterat aliis de causis, aut pro suo arbitrio negare indebita: propterea etiam post Confessionem auditam liberum est Confessario negare pœnitenti indebita, dummodo non moveatur a notitia in confessione acquisita, nec det ansam rationabilem suspicandi, quod ea deneget ob peccata clavibus subjecta.

Ad primam Confirmationem paritas retorquetur: Sicut enim qui peccatum pœnitentis ante confessionem noverat, post auditam confessionem non amittit jus pristinum manifestandi illud, quatenus cognitum notitia extra-Sacramentali, sed sigillo solum arctatur, ne manifestet illud ob notitiam Sacramentalem, & ne det ansam suspicandi prudenter, quod sigillum violet: ita Superior post confessionem auditam non amittit jus pristinum amovendi ad nutum ab officio pœnitentem; arctatur tamen sigillo, ne removeat illum ob notitiam Sacramentalem, & ne det ansam suspicandi prudenter, quod ea notitia utatur.

Ad secundam: Si Superior non excepisset confessionem, immerito quereretur subditus, quod ab officio removeatur: at post confessionem ægre fert, & quidem rationabiliter, pęnitens, quod ob peccata clavibus subjecta eo privetur. Quinimo si ob notitiam Sacramentalem removeatur, etiamsi nullam det ansam suspicandi, quod utatur ea notitia, adhuc pœnitenti injuria irrogatur, & Sacramento Pœnitentiæ irreverentia; quia hæc ipsa persuasio, quod possit Superior uti notitia Sacramentali in præjudicium pœnitentis, reddit confessionem odiosam, & retardat homines a sincera peccatorum manifestatione; unde sigillum Sacramentale si minus resignatur, certe graviter offenditur.

Ad ultimam: Hæc industria, quod scilicet confiteantur Superiori, non prodest subditis, ne ab officio removeantur, quia Superior post auditam Confessionem adhuc retinet jus pristinum removendi illos ob alias causas, aut pro suo arbitrio, esto non possit ad id moveri ex scientia Confessionis, nec possit ansam præbere suspicandi prudenter, quod ex ea moveatur.

Ad secundam principalem rationem: falsum est, quod Confessarius teneatur solum ad sigillum non resignandum, seu ad non revelandam Confessionem. Certum enim est, quod etiam teneatur ad non loquendum cum pœnitente de auditis in Confessione, in quo casu sigillum non reseraret, sed graviter offenderet, eo quod odiosam redderet Confessionem. Cum autem odiosa pariter reddatur Confessio, si Confessarius utatur notitia Sacramentali cum gravamine pœnitentis, idcirco hic pariter usus sigillum graviter offendit, & hac de causa Confessarius tenetur etiam ab eo abstinere. Ad id, quod additur, dicendum, posse Confessarium uti scientia ista Sacramentali in bonum proprium; in eo tamen casu, in quo nullum inde eveniret damnum, aut gravamen pœnitenti; & ratio est, quia id, quod reddit odiosam Confessionem, non est usus notitiæ Sacramentalis quomodocumque, sed usus illius cum gravamine pœnitentis. Quare poterit Superior, auditis in Confessione subditorum querelis, benignius cum iis agere, & ea omnia in ordine ad externam gubernationem præstare, quæ nullatenus sunt onerosa pœnitenti, nec reddunt difficilem Confessionem. Duo illi casus, qui postremo loco in argumento adducuntur (vid. de Confessario habente ensem pœnitentis petentis illum ad ipsum Confessarium interficiendum, & de assueto confiteri illi, quem ex Confessione cognoscit non esse Sacerdotem) revera, ut notat Sanchez, sunt casus metaphysici, qui moraliter nunquam accidunt: proinde esto esset verum, quod pro iis casibus posset Sacerdos sibi consulere, ut videntur communiter Doctores sentire, non proinde gravaretur pœnitens; non enim ejus honori præjudicium inferretur, ut supponimus; nec ullo bono temporali privaretur, quod ab hominibus æstimetur, sed solum ejus peccatum declinaretur; unde non redderetur onerosa Confessio ex tali usu notitię Sacramentalis, sicut redderetur onerosa, si posset pœnitens ob hujusmodi notitiam removeri ab officio, aut privari suffragio ad Prælaturam, aut aliis bonis indebitis, quæ solum voluit Clemens VIII. suo Decreto avertere.

Ad tertiam: Reservatio casuum ex Tridentino sess. 14. c. 7. est convenientissima, non quidem ut possint Superiores uti notitia illa Sacramentali ad externam gubernationem; hoc enim esset onus gravissimum, & attenta humana fragilitate importabile: sed est summe conveniens, tum quia peccatores videndo difficiliorem absolutionem, difficilius in ea peccata relabuntur: tum etiam quia a Prælatis, utpote secundum se prudentioribus, efficacius remedium iis vulneribus adhibetur.

Ad quartam; Quamvis nulli fieri possit injuria per hoc præcise, quod illi denegetur indebitum, nihilominus injuria fit pœnitenti, si denegetur illi aliquid indebitum ob notitiam Sacramentalem; cum jus habeat a Christo Domino, ne ob id aliquid sibi denegetur, quamvis cæteroquin indebitum; & idcirco Christus Dom. hujusmodi jus contulit pœnitenti, ne confessio redderetur onerosa, & formidabilis. Nec suffragatur, quod Confessarius nullam det ansam suspicandi, quod ob notitiam Sacramentalem deneget indebita. Siquidem hæc ipsa persuasio, quod licite possit ea de causa pœnitenti negare indebitum, ac removere ab officio, satis est, ut peccatores a sincera peccatorum manifestatione retrahantur.

Auctoritates in favorem sententiæ oppositæ adductæ Angelici, & aliorum intelligendæ sunt, quod possit Confessarius uti scientia ex confessione acquisita pro eo duntaxat casu, quo nullum redundet gravamen pœnitenti: Auctores vero, qui aliud expresse docuerint, non sunt audiendi.

Thesis

Thesis hæc a Sacra Congregatione prohibita exponitur, & expungitur.

§. VIII.

VEnio nunc ad thesim præsentem, quæ a Sacra Congregatione prohibetur, ne doceatur, defendatur, aut in praxim reducatur. Nonnulli enim post laudatum Clementis VIII. Decretum opinati sunt cum Leandro a Sacramento tr.5.disp.20.q.67., & aliis apud Fagundez. 2.Pr.lib.6.c.3. licitum esse usum notitiæ ex confessione acquisitæ cum aliquali pœnitentis gravamine, quando scilicet ex non usu talis scientiæ gravamen multo majus illi eveniret, in cujus comparatione illud merito contemnatur. E. gr. Si Episcopus ex confessione acceperit, Petrum esse indignum, qui suscipiat Ordines Sacros, Eucharistiam, vel Beneficium Curatum, poterit hæc illi negare cum solo ejus gravamine eo quod multo majus gravamen illi eveniret, si non uteretur Episcopus ea notitia Sacramentali, & illi ea omnia conferret. Similiter si Superior ex confessione noverit, subditum egredi noctu e fenestra, poterit, cum ejus aliquali gravamine illam claudere, si sciat illum egredi ad peccandum, poterit illi negare facultatem; & eodem pacto si sciat illum non habere Ordines Sacros, poterit conquisita externa causa illum ab officio Confessarii removere, quamvis enim aliquod inde subeat gravamen; at multo majus subiret gravamen, si noctu egrederetur per fenestram, aut si egrederetur ad peccandum, aut si confessiones audiret, cum non sit Sacerdos, ob periculum gravis damni etiam temporalis, quod ex his actionibus posset reportare, ut proinde prius illud gravamen in hujus comparatione merito contemnatur. Esto autem ab his Doctoribus consultius judicetur, quod a pœnitente consensus in talem hujus scientiæ usum petatur (quem certe tenetur dare, ut possit absolvi) ad vitandum omne periculum; non censetur tamen id esse necessarium.

Porro rationes hujus thesis videntur esse; Primo, quia quoties gravamen est nullius momenti, & jure merito negligendum, tunc usus notitiæ ex confessione acquisitæ cum tali gravamine non reddit Confessionem odiosam; quoties autem usus notitiæ confessionis non reddit confessionem odiosam, tunc in omnium sententia hujusmodi usus est licitus: ergo usus notitię confessionis cum tali gravamine nullius momenti est licitus: Prędertim quia in his casibus nullum notabile commodum, quod sit a peccato distinctum, adimitur pœnitenti, nec ejus honori ullum præjudicium infertur, ut supponitur, nec ullus rationabiliter deterreri potest a confitendo, si habeat animum se emendandi, per hoc quod possit Superior uti notitia Sacramentali præcise ad impediendum relapsum, aut aliud gravissimum damnum etiamsi aliquod inde gravamen ipse sit reportaturus.

Secundo, quia gravamen minus, quod deservit ad impediendum gravamen majus, revera non est gravamen, sed levamen: ergo usus notitiæ confessionis cum tali gravamine revera non est cum gravamine; unde nullatenus reddit confessionem arduam, & formidabilem; imo potius ad illam allicit ex levamine isto, quod ex ea poterit haberi.

Confirmatur: Si Petrus sit paratus inferre Paulo malum maximum, puta mortem, & ego dem Petro consilium, ut potius inferat illi malum minus, puta vulnus, non censeor esse injurius Paulo, nec pecco, nec teneor ad restitutionem, ut docent communius; immo potius censeor esse beneficus erga Paulum, qui certe vulnus præ morte præeligeret: malum quippe minus, quod deservit ad impediendum majus, habet rationem boni negativi, & lucro apponitur. Ob eandem rationem Chirurgus abscindens alicui brachium ulcerosum, ne intereat, est illi beneficus, & dignus remuneratione: ergo pariter gravamen minus, quod deservit ad impediendum gravamen majus, habet rationem levaminis, & beneficii, atque adeo non redditur odiosa Confessio per usum scientiæ sacramentalis cum solo hujusmodi gravamine pœnitentis.

Confirmatur ulterius; quia quoties irrationabiliter gravatur pœnitens ex usu Scientiæ Sacramentalis, non habenda est ratio talis gravaminis; ac proinde licite potest Confessarius ex notitia Confessionis reddi v.gr. cautus ad non comedendum talem cibum noxium, esto pœnitens ægre ferat, quod confessarius abstineat a tali cibo, & immunis evadat a damno, quod ex illo reportaret; hujusmodi enim gravamen est irrationabile, & peccaminosum, nec præsumendum in pœnitente: atqui irrationabiliter etiam gravaretur pœnitens, si gravamen minus, quod reportat ex usu notitiæ Sacramentalis, deservit ad impediendum gravamen longe majus; ergo non est habenda ratio talis gravaminis; atque adeo licite Confessarius utitur notitia Confessionis cum solo gravamine pęnitentis, quando hoc impedit gravamen multo majus, quod illi eveniret ex non usu talis notitiæ.

Ostenditur nunc falsitas hujus Thesis, & Doctrinæ: quia si hæc via aperiretur ad utendum notitia Confessionis cum gravamine pœnitentis, dicendo quod deserviat ad impediendum illi majus damnum & gravamen, eo ipso Confessio redderetur odiosa, per hoc quod facile passim Superior, & Confessarius persuaderet sibi gravamen pœnitentis hic & nunc esse levissimum, & contemnendum in comparatione gravaminis, quod ex non usu talis scientiæ reportaret: ergo debuit esse illicitus pro quocunque casu usus notitię Confessionis cum gravamine pœnitentis: Ad eum modum quo, ut advertit Lugon. 110. pro quocunque casu debuit a natura vetari pollutio, & fornicatio, quia si aperiretur via ad eas permittendas pro aliquo casu urgentissimo, ad vitam v.g. conservandam, facile homines prę passione persuaderent sibi, hic & nunc id sibi licere. Sic in expositione decimæ septimæ thesis ab Alex. VII. proscriptę diximus, in nullo casu licitum esse calumniatorem, falsos testes, ac Judicem, a quo iniqua certo imminet sententia, interficere; quia si aperiretur via ad hoc permittendum pro eo casu, quo quis putet evidens esse, quod non possit alia via damnum gravissimum declinari, facile quilibet persuaderet sibi, hic & nunc id sibi licere: quod certe ingentem ferret Reipublicę perturbationem. Idemque dicas de iis omnibus, in quibus facile homo potest prę passione hallucinari: satius enim est, quod in his casibus privatus patiatur quodcunque damnum, quam viam illam aperire, quæ ingens damnum afferret Reipublicæ. In casu nostro, si licitum esset uti notitia confessionis cum aliquali pœnitentis gravami-

vamine, quando hoc deservit ad impediendum gravamen majus, facile Superiores præ zelo observantiæ persuaderent sibi, esse hic & nunc licitum talem usum: & idcirco debuit jure naturali, & Divino talis usus pro quolibet casu interdici; quia si hæc via aperiretur, ingens damnum bono publico eveniret, & magna Sacramento Pœnitentiæ irreverentia. Idemque dicas, si pro aliquo casu rarissimo (puta ad declinandam mortem, aut urbis proditionem) liceret confessionis revelatio. Quod advertit etiam Richardus in 4. dist. 21. n. 4. q. 2. ad 4. dicens: *Prælatus removendo ab officio subditum suum, etiamsi faciat utilitatem illius, faceret tamen contra utilitatem communitatis; quia illi, qui removentur ab officiis ex notitia confessionis, proniores redduntur, ut non confiteantur secundum veritatem.*

Ad primam rationem in contrarium adductam dicendum; quod licet pœnitentis gravamen de se sit levissimum, est tamen magni momenti gravamen publicum, quod in omnes redundaret, per hoc, quod sibi persuadeant, posse licite Confessarium uti scientia confessionis cum aliquali gravamine pœnitentis, & simul posse facile Confessarium ex nimio zelo, aut ex proprio affectu induci ad dicendum, quod gravamen hic & nunc sit nullius momenti; unde confessio ex hac persuasione redderetur odiosa, & quilibet rationabiliter deterreri posset a confitendo.

Ad secundam: Esto secundum se verum sit, quod gravamen minus, quando confert ad arcendum gravamen majus, habeat rationem levaminis, seu boni negativi; at non in casu nostro, in quo pœnitens & Respublica subiret gravamen maximum, si sciret, posse facile Confessarium sibi persuadere, quod hic & nunc usus scientiæ confessionis cum pœnitentis gravamine, deserviat ad arcendum gravamen longe majus, quod ex non usu talis scientię sequeretur.

Ad primam confirmationem negatur consequentia. Disparitas est, quia non datur naturalis propensio ad inferendum alteri damnum, & ideo nullum sequitur inconveniens, si liceat dare consilium de inferendo Paulo malo minori ad avertendum ab illo malum majus, ita ut consilium saltem implicite sit conditionatum, dicendo v. g. Si vis Paulum interficere, potius illum verbera; nec ullum sequitur inconveniens, si liceat Chirurgo abscindere brachium ægroto ad avertendam mortem. Contra vero quoties datur naturalis propensio ad aliquas actiones Reipublicæ noxias (sicut datur ad fornicationem, ad interficiendum calumniatorem, & in casu nostro ad usum scientiæ confessionis etiam cum aliquali gravamine pœnitentis ad impediendum gravamen publicum majus) tunc ingens esset Reipublicę damnum, si pro aliquo casu hujusmodi actiones licerent, ut ostendimus; & ideo sicut pro nullo casu licita est fornicatio; ita pro nullo casu licitum est aut confessionem revelare, aut uti notitia Sacramentali cum quocunque vel minimo pœnitentis gravamine.

Ad secundam: Verum est, quod nulla habenda sit ratio gravaminis irrationabilis ipsius pœnitentis; falsum tamen est, quod irrationabiliter pœnitens & Respublica gravarentur, si liceret Confessario uti scientia confessionis cum gravamine quantumcumque minimo pœnitentis, sub prætextu, quod sic impediatur gravamen majus, quod ex non usu talis scientiæ sequeretur. Et idcirco non potest Superior negare Ordines Sacros, vel Eucharistiam], vel Prælaturam ei, quem ex sola confessione cognoscit indignum: nec potest negare facultatem egrediendi subdito, quem ex confessione cognoscit illam petere ad peccandum. Hæc enim communiter homines ægre ferunt quod sibi denegentur; & ideo hujusmodi gravamen nequit dici irrationabile; nec definit esse rationabile per hoc, quod deserviat ad impediendum gravamen majus, ut hactenus ostendimus.

Quamplures difficultates ex præjacta doctrina enodantur §. IX.

Ex hactenus dictis fit primo, quod licet thesis hactenus exposita non sit a Pontifice ex Cathedra loquente damnata, nec ulla censura notetur, sed solum prohibeatur a Sacra Congregatione, ne in praxim deducatur, doceatur, aut propugnetur; nihilominus ne ad vitam quidem tuendam licitum est illam in praxim deducere, non quidem ex eo, quod lex Ecclesiastica obliget cum tanto onere, sed quia jure naturali, & Divino prohibetur usus notitiæ Sacramentalis cum gravamine pœnitentis qualicumque; quod constat rationibus adductis, & confirmat lex ista Ecclesiastica, quæ cum prohibeat absque ulla limitatione, atque adeo pro quolibet casu hanc thesim, indicat hujusmodi usum esse intrinsece malum; aliter non potuisse illum prohibere etiam pro casu, in quo talis usus, si non esset intrinsece malus, esset jure naturali præceptus, puta quando aliter conferrenda esset Prælatura, Ordo Sacer, aut Eucharistia indigno.

Fit secundo, revelationem confessionis esse pro quovis casu illicitam; contra vero usum notitiæ Sacramentalis non esse illicitum, si non redundet in gravamen pœnitentis. Propterea potest Confessarius ob notitiam confessionis orare v. g. pro pœnitente, consulere virum doctum, custodire diligentius res proprias, & ex confessione unius dirigi ad faciendam in confessione alterius interrogationem aliquam necessariam, vel utilem, cum debita tamen cautela, ne prior confessio reveletur.

Fit tertio, posse Superiorem in ordine ad munus suum rite adimplendum uti notitia confessionis, quoties id non cedit in gravamen pœnitentis, ut communiter docent cum Lugo disp. 23. sect. 5., Palao tr. 23. disp. unica, p. 19. & aliis. Hinc potest ex. grat. benignius se gerere erga pœnitentem, illique favorem aliquem impertiri, qui non sit tacita objurgatio culpæ clavibus subjectæ; potest pariter audiendo subditorum querelas rigorem temperare, sicut etiam socordiam excutere, si ea esset causa culparum, ac attentius ad regularem observantiam invigilare, non tamen modo extraordinario, & a prædecessoribus inusitato, unde alii possint aliquid suspicari; nec eo pacto, quo possit pęnitens gravari, & implicite de suo debito redargui; & a fortiori nequit parare insidias ad deprehendendum delictum pęnitentis, si forte relabatur; nec potest ei severiorem vultum ostendere, aut illum minus grate alloqui; hæc enim omnia difficilem redderent confessionem. Tunc autem poterit specialem aliquam diligentiam adhibere ad vitandas aliorum, præsertim complicis, culpas, quando pęnitens in confessione in id sponte consenserit; quod enim de licentia pęnitentis spontanea fit, sigillum non offendit. Nihilominus advertendum, quod licentia ista non sit de facili petenda, quoties ad illam concedendam pęnitens non tenetur, & ægre fert, quod

chez, odiosam redderet confessionem: quapropter hac facultate circumscripta ita se gerere debet Superior, ac si nihil in confessione audivisset.

Fit quarto, Superiorem teneri potius eligere ad Prælaturam, Officium, aut Beneficium pœnitentem, quem ex sola confessione cognoscit indignum, si illum aliunde electurus esset, quam eligere alium dignum; nisi forte in confessione consenserit pœnitens modo nuper explicato, ut ipse non eligatur. Ubi pariter notandum, quod sicut non de facili in confessione petenda est a pœnitente facultas, quod possit uti Confessarius notitia confessionis cum aliquo ipsius pœnitentis gravamine, etiam quando usus talis notitiæ deservit ad præcavendas aliorum culpas, ita a fortiori non est petenda de facili eadem facultas extra confessionem, quando pœnitens non tenetur illam concedere, & ægre fert, quod petatur. Et ratio est, quia hæc ipsa petitio licentiæ magis reddit confessionem odiosam, si fiat extra confessionem, quam si fiat in actu confessionis. Quando autem eligeretur hujusmodi indignus, cum nulla intercedat eligentis culpa, nulla pariter incurritur pœna imposita eligentibus scienter indignum in cap. *cum in cunctis*, §. finali, ut communiter docent contra Nav. apud Lug. n. 104. ea quippe Sacramentalis notitia perinde se habet in hoc casu, ac si non daretur.

Fit quinto, quod in casu illo, quem diximus ex Sanch. metaphysico (si vid. ille, cui solitus sum confiteri, fateatur mihi in confessione, se non esse Sacerdotem) tenear deinde exterius confiteri eidem, ut prius, si aliter vitari non posset, ne dedecus aliquod, aut gravamen in illum redundaret; sicut in omnium sententia ad id tenerer, si non possem aliter vitare Confessionis revelationem indirectam. Est tamen moraliter impossibile, & quod hujusmodi pœnitens non consentiat sponte, quod ego non amplius invalide, & cum ejus sacrilegio confitear, & quod non possim ipse alia conquisita causa citra ejus dedecus ab hujusmodi Confessionibus abstinere.

Fit sexto, idem dicendum in illo alio casu metaphysico, quod Sacerdos celebrans ex Confessione cognoscat in Calice esse venenum, nec possit abstinere ab eo sumendo citra revelationem indirectam Confessionis, aut citra gravamen aliquod pœnitentis: tenetur enim potius illud propinare, quam sigillum resignare, aut offendere. Neque dicas cum Leandro a Sacramento, Pallavicino, & aliis apud Dian. p. 11. tr. 8. ref. 50. quod Confessio non redderetur odiosa, atque adeo sigillum non offenderetur, per hoc quod Sacerdos possit in aliquo casu rarissimo, & metaphysico consulere sibi cum aliquo pœnitentis gravamine, quod non sit notabile. Nam si hæc via aperiretur, facile quilibet persuadere sibi posset, hic & nunc id sibi licere: unde Confessio redderetur odiosa; atque adeo pro nullo unquam casu id licet: sicut pro nullo casu licita est pollutio, aut fornicatio, etiamsi credatur necessaria ad vitam conservandam; quia, ut advertit Lugo n. 110. majus est malum, quod in Repub. sequeretur, si aliquando hujusmodi actiones licerent, quam sit malum, quod aliquis privatus in aliquo rarissimo casu pati possit per hoc, quod ab iis abstineat. Et sane, cum licitum sit Carthusiano vovere abstinentiam a carnibus etiam cum evidenti periculo, idque propter commune bonum Regularis observantiæ, quæ facile relaxaretur, si pro aliquo hujusmodi casu esus carnium ipsi liceret; eo quod ab ipsis etiam Medicis ex affectu erga ægrotum facile crederetur adesse casus, in quo vita Carthusiani in discrimen vocaretur, si a carnibus abstineret: a fortiori propter bonum commune Sacramenti Pœnitentiæ adeo necessarii dari debuit obligatio in Confessario non utendi notitia Sacramentali cum gravamine pœnitentis, etiam in casu, quo ea deserviret ad mortem evadendam; præsertim quia hic casus in Confessario est multo rarior, quam sit in Carthusiano periculum vitæ, si a carnibus abstineat.

Fit septimo, similiter discurrendum in casu etiam urgentiori, quem discutit Dian. p. 11. tr. 5. ref. 15. videlicet, quod nisi confessarius uteretur notitia Sacramentali cum solo gravamine aliquo pœnitentis, immineret sibi periculum ruinæ spiritualis; puta si ex Confessione sciat, parari sibi gravissimam peccandi occasionem, in qua putat certo moraliter se esse lapsurum, nisi fugiat, nec tamen possit fugere, & illam declinare citra revelationem indirectam Confessionis, aut citra gravamen pœnitentis; qui casus pariter est metaphysicus, cum possit facile a pœnitente, qui de suis peccatis doleat, obtinere Sacerdos, quod arrepta occasione possit fugere. Cæterum, sicut in omnium sententia nequit in hoc casu confessionem revelare, sed debet orationibus se munire, & in divino auxilio sperare, quod non sit lapsurus; ita nequit ad illam occasionem declinandam fugere cum solo gravamine pœnitentis; dummodo gravamen pœnitentis non consistat in hoc, quod vellet ruinam spiritualem Confessarii, ut habeat illum socium suarum culparum; siquidem usus notitiæ Sacramentalis in tali casu ad vitandum peccandi periculum citra præjudicium pœnitentis nullatenus redderet Confessionem odiosam. Eademque Doctrina procedit in casu consimili, quod Confessarius in audiendis Confessionibus alicujus pœnitentis scandalum patiatur, vel quia ad peccatum a pœnitente incitetur, vel quia ipse facile labatur ex propria fragilitate. Vix tamen eveniet, quod non possit Sacerdos arrepta occasione citra gravamen pœnitentis ab audiendis Confessionibus abstinere.

Fit octavo, In casu passim obvio, quod Confessarius nolit amplius alicujus pœnitentis Confessionem excipere, vel quia solet accedere indispositus, vel quia est morosus, balbutiens, aut scrupulosus, facile posse ab eo repelli citra gravamen injustum, quia scilicet in utroque casu gravamen oritur ex ipsa Sacramenti institutione: nam si repellitur, quia solet accedere indispositus, sicut potest Confessarius illum sine absolutione dimittere, quando audit ejus Confessionem, ut a contumacia resipiscat; ita potest ob eandem causam nolle hic & nunc ejus Confessionem audire, dummodo ne indirecte quidem Confessionem revelet: si vero repellitur ob defectus illos physicos, qui Confessario molestiam exhibent, cum isti aliunde soleant esse omnibus noti, non utitur Confessarius notitia Sacramentali, dum illum repellit: Si tamen aliquando accideret, quod ex sola notitia Sacramentali cum indebito gravamine repelleretur, procul dubio repelli non posset.

Fit ultimo, Confessarium nec teneri, nec posse illum vitare, quem ex sola Confessione scit esse excommunicatum vitandum; idque non solum verum est, quando ipse pœnitens id adverteret (in quo casu vitatio communicationis cum illo esset tacita exprobratio peccati clavibus subjecti) sed etiam si ipse ad id non advertat; quia, ut notat Lugo n. 122. hoc ipsum reddit Confessionem odiosam, posse scilicet aliquem privari ea communicatione cum aliis, qua non privaretur si peccatum non detexisset: qua de cau-

de causa nullum potest illi Sacramentum denegari ob notitiam excommunicationis ex confessione acquisitam. Utrum autem Confessarius sciens ex confessione, Ecclesiam esse pollutam, teneatur abstinere a celebrando in illa, si cæteroqui possit absque ullo gravamine pęnitentis? Affirmat Lugo; quia usus hujus scientiæ non redderet confessionem odiosam. Communius vero cum Bonacina disp. *6.* de pęn. q. *6.* sect. 5. p. 4. n. 23. Sylvestro, & Dicastil. negant: quia non præsumitur, quod velit Pontifex obligare Sacerdotem ad non celebrandum, si ex sola confessione sciat Ecclesiam esse pollutam; cum semper Pontifex, & Ecclesia velint favere sigillo, quoad ejus fieri potest.

Dubitatur hic primo, An peccet mortaliter, qui transgreditur hanc Sacræ Congregationis prohibitionem de non reducendo in praxim hanc thesim, nixus in opinione gravissimorum Doctorum docentium, non prohiberi ex natura rei usum notitiæ confessionis cum aliquali gravamine pęnitentis, puta negando illi suffragium ad Prælaturam, aut removendo ab officio ad nutum amovibili, nullam præbendo ansam suspicandi prudenter, quod id fiat ob notitiam in confessione acceptam.

Primo aspectu videtur non peccare mortaliter, neque adversus legem Ecclesiasticam, quia multi Doctores apud Merollam dis. 4. num. 257. docent, non induci obligationem gravem legibus Ecclesiæ, nisi quando hujusmodi leges indicuntur verbis clare præceptivis sub gravi, puta præcipiendo in virtute sanctæ obedientiæ, sub obtestatione divini judicii, & similibus, aut comminantur pęnam gravem, puta excommunicationem latæ sententiæ; adeo ut putent, comminationem Suspensionis, Interdicti, Irregularitatis, & Excommunicationis sententiæ ferendæ non esse sufficiens signum obligationis gravis: lex autem in casu nostro hujus thesis prohibitiva non comminatur pęnam excommunicationis, sed solum pęnas arbitrio Sacræ Congregationis infligendas, unde non videtur sub gravi obligare. Neque videtur hujusmodi Confessarius peccare mortaliter adversus legem naturalem, aut divinam obligantem ad sigillum; quia dum nititur opinione tot Doctorum, quam Sanchez l. 3. disp. *16.* nu. 4. dixit esse probabilissimam, tum ob validas rationes, quibus fulcitur, tum ob gravissimam Doctorum auctoritatem putantium non violari in tali casu sigillum Sacramentale; nequit dici, quod adversus legem naturalem, & divinam obligantem ad sigillum graviter peccet.

Equidem tamen censeo, peccare primo graviter contra hanc legem Ecclesiasticam; quia communiter DD. docent cum Suar., Soto, Vasquez p. 2. disp. 158. c. 2., & aliis apud Bonac. t. 2. disp. 1. q. 3. punct. 7. §. 4. legem Ecclesiasticam obligare sub gravi, si materia sit gravis, & feratur tantum imperativo modo, quamvis nullam clausulam contineat, quæ explicet obligationem gravem, & quamvis nullam imponat pœnam transgressoribus, ut diximus in expositione thesis 13. ab Alex. VII. proscriptæ, necnon 38. ostendentes sub gravi obligare mandatum illud Tridentini, quod Sacerdotes, si celebraverint post mortale ob inopiam Sacerdotis cum sola contritione in casu necessitatis, deinde quamprimum confiteantur. Et hac ratione communiter docent, quod sub gravi obligarit decretum laudatum Clementis VIII. ubi solum dicitur: Caveant diligentissime Superiores, ne notitia confessionis utantur ad exteriorem gubernationem. Quod etiam constat ex iis, quæ habentur in Clementina, *Exivi*, de verb. signif. §. *Item quia*, vers. *Nos itaque*, ubi Pontifex decernit Regulas D. Francisci obligare sub mortali, si utantur verbo Præcepti, aut æquipollente præcepto. Et ex eo fit perspicuum, quod communicatio in Divinis cum excommunicato vitando solum sub pœna levi excommunicationis minoris ab Ecclesia prohibetur; tamen, attenta materiæ gravitate, ea culpa est gravis. Quare cum in casu nostro materia sit gravissima, nequit dici, quod lex ista Ecclesiastica solum obliget sub levi.

Censeo deinde, hujus legis transgressores peccare etiam adversus legem naturalem, & Divinam sigilli, cum ostenderimus, graviter sigillum offendi per usum notitiæ confessionis cum gravamine Pęnitentis. Quamvis autem sententia opposita fuerit olim probabilis, diximus tamen ex Lugo, Dicastillo, & aliis Recentioribus non apparere, quomodo post Decretum illud Clementis VIII. latum pro solis Prælatis Regularibus possit amplius sustineri, & a fortiori post universalem hujus thesis prohibitionem. Si enim thesis ista solidam haberet ex natura sua probabilitatem, non posset ab Ecclesia usus notitiæ ex confessione acquisitæ cum aliquo gravamine pęnitentis pro quolibet casu prohiberi, ut ostendimus in prima illatione.

Dubitatur secundo, num possit in hac re excusare a mortali materiæ parvitas, si videlicet Confessarius utatur scientia confessionis cum levissimo pœnitentis gravamine, & in re levissima?

Certum est, quod non detur materiæ parvitas excusans a mortali, dum agitur de revelatione confessionis, si videlicet aliquod veniale detegatur, ut communiter docent contra Acatium de Velasco, Ledesmam, Corradum p. 1. qu. 331. Et ratio est, quia per quamcumque sigilli violationem gravis irrogatur injuria Sacramento, per hoc quod valde a confessione homines retardarentur, si scirent posse etiam veniale citra gravem culpam Confessarii detegi; Sicut in materia simoniæ juris divini non datur materiæ parvitas; quia per quamcumque modicam pretii oblationem pro re sacra gravis illi injuria irrogatur. At quod nec etiam detur materiæ parvitas in usu scientiæ confessionis cum modicissimo pęnitentis gravamine, mihi non est liquidum; hinc nihil decerno memor doctrinæ Angelici quodl. *9.* a. 5. ubi habet: *Omnis quæstio, in qua de peccato mortali agitur, nisi expresse veritas habeatur, periculose determinatur:* Videri autem posset, quod ex tali usu non valde retraherentur homines a confessione, unde levis tantum injuria Sacramento irrogaretur: Sicut probabiliter DD. cum Merolla disp. 2. c. 4. n. 113. docent, dari materiæ parvitatem excusantem a mortali in simonia juris Ecclesiastici, in qua non permutatur temporale cum spirituali (quod jure naturæ est vetitum) sed permutatur temporale cum temporali permutatione tamen prohibita ab Ecclesia intuitu religionis; qua de causa peccatur peccato simoniæ juris Ecclesiastici. Hinc docent peccari solum venialiter, si detur res modica, puta Carolenus, pro consequendo Officio Oeconomi, vel Sacristæ alicujus Ecclesiæ, aut Rectoris, vel Gubernatoris Hospitalis, aut si liberaliter omnino detur pomum Examinatoribus synodalibus occasione examinis ad concursum Parochialium; quæ omnia intuitu Religionis ab Ecclesia prohibentur; siquidem non videtur erga res sacras gravis irreverentia in his casibus irrogari. Idem dici posset in casu nostro. Neque enim eodem prorsus pacto prohibetur a sigillo sacramentali revelatio, & usus notitiæ

titiæ Confessionis: Nam illa est semper illicita, etiamsi fieret in bonum pœnitentis; usus vero notitiæ Confessionis solum est illicitus, quando cedit in gravamen pęnitentis; poterit itaque gravamen esse adeo leve, ut non irroget injuriam Sacramento gravem. Ex eo autem quod in nullo prorsus casu liceat usus notitiæ Confessionis cum pęnitentis gravamine, & quod jure divino id prohibeatur, non infertur, quod non possit in eo dari materiæ parvitas. Nam ex cap. *Super eo* de usuris, ne pro vita quidem defendenda nobis licitum est mentiri, quod jure naturæ prohibetur; & tamen mendacium ex levitate materiæ sæpe est veniale; eo quod non irroget grave damnum humano commercio; ex quibus omnibus probabile videri posset, quod detur hac in re materiæ parvitas. Verum quia facile aliquis hallucinari posset ad credendum hic & nunc materiam esse levem, quod certe valde homines a Confessione retraheret, idcirco negandum potius videtur, in usu hujus scientiæ cum gravamine pęnitentis (non secus ac in revelatione Confessionis) dari materiæ parvitatem; sicut non datur materiæ parvitas in delectatione venerea deliberate quæsita; quia in ea facilis est hallucinatio, & proclivitas ad ulteriora.

Dubitatur ultimo, Num liceat uti scientia Confessionis, quando non est certum, sed est probabile, quod ea non redundet in gravamen pœnitentis?

Ad quod dicendum, si communiter homines non graventur ex aliquo usu talis notitiæ, tunc gravamen ex tali usu non oriri, non solum esse probabile, sed moraliter certum; ex communiter enim contingentibus habetur præsumptio, & moralis certitudo; quare in eo casu hujusmodi usus erit licitus. At si revera esset duntaxat probabile, quod citra gravamen pœnitentis possit haberi aliquis usus talis scientiæ, poterit videri ex una parte illicitus hujusmodi usus, quia cum stet in possessione obligatio sigilli, non videtur posse ab ea deturbari per solam probabilitatem, quod usus notitiæ Confessionis non credat in gravamen pœnitentis: Sicut possidens bona fide rem aliquam, non potest ea spoliari per solam rationem probabilem, quod ea non sit sua: aliter cum magna Reipublicæ perturbatione nihil firmitatis haberent res, quæ a propriis dominis possidentur, cum vix deficere possit aliqua probabilis ratio, quod illæ ad alium pertineant: ex altera parte, sicut in aliis præceptis a justitia sola probabilitas sufficit, quod iis non obligemur; v. g. sola probabilitas, quod ars pictoria non sit servilis, sufficit, quod non teneamur ab ejus exercitio abstinere, quando prohibetur opus servile; ita videri posset in casu nostro. Ratio autem, quare non sufficiat ad deturbandum aliquem a possessione alicujus rei sola probabilitas, quod res illa non sit sua, est illa eadem, ob quam sola probabilitas, quod satisfecerimus debito ex justitia, non sufficit ad extinguendum tale debitum: sufficit vero in aliis virtutibus sola hujusmodi probabilitas, ut proinde non teneatur v. g. iterum recitare Horas Canonicas, qui probabiliter jam satisfecit huic obligationi. Justitia enim, utpote respiciens medium rei, requirit æqualitatem omnimodam inter jus activum, & passivum, seu inter creditum, & operationem debiti extinctivam. Cum autem inter creditum certum, & solutionem probabilem non detur in morali æstimatione æqualitas, idcirco non extinguitur debitum certum ex justitia per solutionem probabilem: at in aliis virtutibus non respicientibus medium rei, sed medium rationis sufficit, quod probabiliter debito fecerimus satis, ut illud omnino extinguatur. Similiter in casu nostro ob eandem rationem non sufficit sola probabilitas, quod res a Petro bona fide possessa non sit sua, ut possit ab ea possessione deturbari; quia inter possessionem dantem jus certum, & probabilitatem, quod ea res sit mea, non habetur æqualitas in morali æstimatione: At in aliis præceptis respicientibus medium rationis sola probabilitas, quod hic & nunc non obligent, sufficit, quod iis non obligemur; Hinc solida probabilitas, quod usus notitiæ Confessionis non sit cum gravamine pęnitentis, videri potest sufficiens, quod non obligemur ad non utendum tali notitia; sicut etiam probabilitas, quod aliqua operatio non ferat revelationem indirectam Confessionis, videri posset sufficiens, quod non obligemur ab illa abstinere.

His tamen utrinque perpensis, in re aleæ plena favendum, quoad ejus fieri potest, sigillo Sacramentali, dicendumque, neminem posse uti scientia ex Confessione hausta, nisi moraliter constet, quod ex tali usu nullum gravamen Pęnitenti eveniat, nulla Confessionis revelatio. Et recurrit eadem ratio sæpius adducta; quia scilicet aliter facile homines a sincera peccatorum manifestatione retraherentur, ac redderetur odiosa Confessio. Quare sicut ob reverentiam Sacramentis debitam, & ne exponantur periculo frustrationis, non licet in iis conferendis sequi opinionem probabilem de illorum valore, omissa tutiore; ita pariter ob reverentiam Sacramento Pęnitentiæ debitam, & ne exponatur periculo violationis sigillum, neque licebit uti notitia sacramentali ob meram probabilitatem, quod talis usus non cedat in gravamen pęnitentis, nec ferat confessionis revelationem; sed requiritur, quod id moraliter constet, aut certe sit probabilissimum.

De Confessione, & Absolutione in absentia per literas, aut per internuncium. §. X.

SÆculo pariter superiore, vid. 20. Junii 1602. Clemens VIII. in quadam Bulla, quæ est 87. ex Clementinis, proscripsit thesim permittentem Confessionem, & Absolutionem per epistolam, aut per internuncium, his verbis: *SS. D. N.* &c. *Re mature, ac diligenter considerata, hanc propositionem* (*scilicet licere per literas, seu internuncium Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*) *ad minus uti falsam, temerariam, & scandalosam damnavit, ac prohibuit: præcepitque, ne deinceps ista propositio publicis, privatisque lectionibus, concionibus, & congressibus doceatur, neve unquam tanquam aliquo casu probabilis defendatur, imprimatur, aut ad praxim quovis modo deducatur.* Addendo excommunicationem ipso facto incurrendam, & sibi reservatam contra violantes hoc decretum, præter alias pœnas a Judicibus injungendas.

Quamvis nunquam in Ecclesia fuerit praxis ista conferendi Sacramentum Pęnitentiæ in absentia, nihilominus plurimi docebant id licere in casu aliquo necessitatis, cum Paludano, Antonino, Sylvestro, Margarita Confessorum, Tabiena, Petro Soto, Joanne Medina, Dominico Soto, Navarro, Palatios, Adriano, aliisque relatis a Martino Perez disp. 18. de pęnit. sect. 9. Et sane, quod absolutio Sacramentalis conferri possit absenti, ita ut verba formæ abso-

solutoriæ verificentur etiam circa personam absentem, ex eo videtur posse suaderi.

Primo, quia in judicio forensi rite fertur sententia absolutoria in absentem; rite etiam confertur absenti absolutio a Censuris: ergo etiam in judicio Sacramentali rite fertur absolutio a peccatis: Siquidem ex Trid. sess. 14. cap. 6. absolutio est actus judicialis, & Sacramentum Pœnitentiæ institutum est instar judicii. Quamvis autem non in omnibus conveniat judicium forense cum judicio Sacramentali, cum in hoc idem debeat esse reus, & accusator, secus in illo; nihilominus in iis, in quibus non constat Christnm D. ea voluisse differre, dicendum, quod conveniant; non constat autem, quod Christus D. voluerit in hoc etiam ea disconvenire, cum ex nullo textu id colligatur: Et quamvis praxis Ecclesiæ fuerit, quod absolutio detur pœnitenti in ejus præsentia, hinc solum colligi potest, id non licere extra casum necessitatis; sicuti extra casum necessitatis confessio non potest fieri nutibus, & per interpretem: ergo potest in casu necessitatis conferri absolutio Sacramentalis absenti per literas, aut per internuncium.

Secundo, quia certum est potuisse Christum D. ita instituere Sacramentum Pœnitentiæ, ut possit absolutio conferri per literas, aut per internuncium: sicut potest conferri hoc Sacramentum, quando confessio aliter fieri non potest a pœnitente præsente, quam per scripturam, aut per nutus, aut per interpretem; ergo præsumendum etiam est, illud instituisse, cum non constet de opposito; præsumendum quippe est de Divina Misericordia, quod voluerit hoc Sacramento opitulari extreme indigentibus, qui non possunt aliquando aliter, quam per internuncium, adire Confessarium, ut absolvantur.

Tertio, potest Sacramentum Matrimonii suscipi, dum contractus Matrimonialis fit in absentia per Procuratorem: ergo potest etiam Sacramentum Pœnitentiæ suscipi, dum absolutio datur per Internuncium: sicut enim Sacramentum Matrimonii accommodat se contractui civili, qui etiam per Procuratorem solet celebrari: ita Sacramentum Pœnitentiæ accommodat se judicio forensi, in quo etiam per internuncium, & per scripturam absolutio confertur.

Quarto, quia fertur Thomas Cantuariensis misisse internuncium ad Pontificem pro absolutione a culpa, si quam contraxisset ob aliquam cum Rege conniventiam circa violationem immunitatis Ecclesiasticæ, ut colligitur ex rescripto Alex. III. monentis illum, ut Confessario discreto confiteatur, si forte conscientiæ remorsibus tangeretur, ut videre est apud Baronium anno 1164. Similiter C. Cyprianus Ep. 13. per scripturam suam præcepit aliquibus in periculo existentibus pacem dari, quam per Epistolam ab eo petierunt. Et in c. *Qualis* 30. q. 5. dicitur pœnitentia adulteræ per scripturam esse recipienda.

Ultimo, quia in casu necessitatis fieri potest confessio per internuncium, ita ut si superveniat Confessarius, & reperiat moribundum sensibus destitutum, possit illum absolvere præcise per confessionem, quam fecit in absentia per illum: ergo pariter potest absolutio per internuncium conferri, saltem in casu, quo post confessionem factam in præsentia Sacerdotis, hic pœnitentem dimisit sine absolutione, ut ejus propositum experiretur, ac deinde sciens illum esse in discrimine vitæ, cum non possit adire personaliter, mittit absolutionem per epistolam, vel internuncium. Sicut enim in primo casu habetur sola confessio in absentia, ita in secundo casu habetur in absentia sola absolutio; decretum autem Clementis VIII. negat utrumque complexim esse licitum in absentia, non vero utrumque seorsim, cum utatur particula conjunctiva *Et*, non vero particula disjunctiva *Vel*: ergo videntur hæc licite fieri posse etiam post Decretum Clementinum, ne moribundus destituatur absolutione Sacramentali.

Ostenditur tamen falsitas proscriptæ thesis, tum quoad Absolutionem in absentia, tum quoad Confessionem, tum quoad utramque, non solum in sensu copulativo, sed etiam divisivo, ita ut nec simul, nec seorsim liceant; immo nec sufficiant ad Sacramenti valorem, etiamsi bona fide vel sola absolutio, vel sola confessio per epistolam, aut per internuncium adhibeatur in absentia. Et quod attinet ad absolutionem, eam non sufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, si conferatur absenti, constat primo ex sensu communissimo DD. apud Suar. disp. 19. de pœnit. sect. 3. Deinde ex ipsa Ecclesiæ praxi, quæ indicat hanc fuisse Christi D. institutionem: nunquam enim Ecclesia consuevit dare absolutionem Sacramentalem absenti: ergo Christus D. noluit instituere pro forma hujus Sacramenti, nisi absolutionem, quæ præsenti conferatur; sicuti quia non consuevit Ecclesia absolvere nutibus, sed verbis, dicimus id ita a Christo D. institutum, ut proinde ne in casu quidem necessitatis possit valide Sacerdos mutus absolvere nutibus moribundum. Universim enim constans Ecclesiæ praxis in materia Sacramentorum indicat Christi Dom. institutionem. Tertio id suadet ipsa forma absolutoria, quæ voce humana proferri debet; de ratione quippe locutionis est, ut ea ad præsentem dirigatur. Pronomen etiam illud *Te*, quod in ea forma habetur, cum sit demonstrativum, videtur non posse apte dirigi ad personam absentem. Quarto, quia Minister in hoc Sacramento debet ut exactus Judex ante absolutionem examinare, & cognoscere statum pœnitentis, quantum ipse pœnitens manifestare potest; ad quod necessaria est, per se loquendo, pœnitentis præsentia; præsertim quia aliter posset facile absolutio conferri indisposito, si videl. antequam absolveretur, novum peccatum committeret. Quinto, id ostendit etiam paritas reliquorum Sacramentorum (Matrimonio duntaxat excepto propter specialem rationem indicandam in responsione ad tertium) omnia quippe Sacramenta ex vi suæ institutionis confici debent in præsentia subjecti, cui conferuntur, juxta usum Ecclesiæ; eorumque forma sunt verba presse dicta, ita ut non possint confici nutibus, aut scripto: ergo idem dicendum de Sacramento Pœnitentiæ, in quo eadem omnino, ac in aliis Sacramentis est Ecclesiæ praxis, & traditio, quæ est optima interpres institutionis Divinæ.

Quod attinet vero ad confessionem, quamvis ex institutione Christi Dom. possit ea nutibus, aut scripto suppleri, quando desunt voces pœnitenti, immo etiam fieri possit per interpretem, ut ostendit Ecclesiæ praxis; at quod fieri ea non possit in absentia Sacerdotis aut per scripturam, aut per internuncium, constat tum ex eadem consuetudine Ecclesiæ, tum etiam ex eadem ratione, qua abso-

lutio non poteſt conferri abſenti, cum non poſſit pœnitens abſens apte ſtatum ſuæ conſcientiæ Sacerdoti diſtanti manifeſtare: pœnitens quippe in hoc tribunali debet eſſe ſimul reus, accuſator, & teſtis, ſeipſum accuſare ſimul, & aliquo pacto defendere, ut oſtendat diſpoſitionem ad abſolutionem obtinendam: quæ omnia ſecundum ſe rite fieri non poſſunt in abſentia; & idcirco congruenter Chriſtus D. inſtituit, ut Confeſſio voce humana fieret quoad poſſet, infallibiliter tamen ea fieret in præſentia Sacerdotis. Ratio autem cur in caſu neceſſitatis confeſſio fieri poſſit in præſentia Sacerdotis aut nutu, aut per ſcripturam, aut per intepretem, non poſſit autem in caſu neceſſitatis fieri per epiſtolam, aut per iuternuncium in abſentia, eſt, quia paſſim accidunt caſus, in quibus pœnitens voce deſtituitur: idcirco ne multi carerent hoc Sacramento adeo neceſſario, voluit Chriſtus D., ut poſſit ſuppleri confeſſio alia via, quam per voces: rariſſime tamen contingit, quod abſit præſentia Confeſſarii, qui non ſit mutus; & ideo noluit pro hoc rariſſimo caſu providere pœnitenti aliter, quam per ejus contritionem, ne abuterentur homines Sacramento Pœnitentiæ, ſi illud ſuſcipi aliquando poſſet per epiſtolam. Sicut nec aliter providit Catechumenis adultis, quam per contritionem, pro caſu illo rariſſimo, quo deeſſet aqua naturalis, aut præſentia alterius, a quo baptizarentur. Immo pro his rariſſimis caſibus nec providit ullatenus pro infantibus morti proximis; qui proinde ſine baptiſmo decedentes æternum ſunt privandi viſione beata, juxta illud Jo. 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cœlorum*. Quæ omnia paritate reliquorum Sacramentorum pariter confirmantur, cum illa requirant eſſentialiter præſentiam non ſolum Miniſtri, ſed etiam ſuſcipientis Sacramentum excepto Matrimonio, de quo infra, & excepta Euchariſtia, quæ cum ſit Sacramentum permanens, non requirit præſentiam Miniſtri illud conficientis, ut valide ſuſcipiatur.

Præterea, quod non ſolum in ſenſu copulativo Abſolutio, & Confeſſio in abſentia non liceant, ſed neque in ſenſu diviſo, ita ut neque liceat Abſolutio in abſentia, quamvis Confeſſio fuerit facta in præſentia Sacerdotis, neque liceat Confeſſio in abſentia, quamvis deinde Abſolutio conferatur in præſentia pœnitentis, conſtat ex dictis; quia neutra poteſt Sacramentum Pœnitentiæ conſtituere; ergo Sacramentum neque ponitur per utramque ſimul in abſentia, neque ponitur per alterutram tantum in abſentia, & alteram in præſentia. Quinimmo quod utrumque Clemens VIII. in ſuo Decreto damnaverit, etiam in ſenſu diviſo, docent communiter DD. contra nonnullos apud Dianam p. 3. tr. 3. reſ. 7. & apud Martinum Perez diſp. 38. de pœnit. ſect. 5.: & conſtat ex declaratione de hoc facta a Paulo V. die 14. Julii 1605. in Congregatione Sancti Officii. Quamvis enim Clemens VIII. in ſuo Decreto uſus ſit particula *Et*, non vero particula *Vel*, cum dixerit falſum eſſe, quod confeſſio, & abſolutio in abſentia liceant; nihilominus etiam particula iſta *Et* ſæpe facit ſenſum diviſum; & in hoc ſenſu de facto uſurpatam fuiſſe a Pontifice conſtat, tum ex eo, quod in hoc ſenſu communiter illam interpretati ſunt; tum etiam, quia in eodem ſenſu debuit ea ſententia prohiberi; tum demum, quia ita Paulus V. deinde declaravit.

Denique quod non ſolum ſit illicita, ſed etiam invalida tam confeſſio, quam abſolutio in abſentia per literas, aut per internuncium (ut docent communiter contra nonnullos apud Dia. p. 5. tr. 4. reſ. 60. & apud Cardenas in diſp. ſelectis diſp. 2. c. 8. n. 134.) conſtat tum ex rationibus hactenus adductis; tum ex ipſo Decreto Clementis VIII., quod definit illam pro quolibet caſu illicitam: non poſſet autem definiri illicita pro quolibet caſu, ſi ea non eſſet ſimul invalida, ut ratiocinantur DD. communiter cum Lugo, Platelio, & aliis: nam ſi eſſet de ſe valida pro eo caſu, quo non poſſet aliter moribundo miniſtrari Sacramentum Pœnitentiæ, quam per epiſtolam, vel per internuncium, hujuſmodi Abſolutio, aut Confeſſio deberet etiam eſſe licita, quia jure naturæ propter periculum æternæ damnationis tenemur adhibere omnia media ad juſtificationem pœnitentis moribundi; unde non poſſet pro eo caſu talis abſolutio, vel Confeſſio reddi illicita jure Eccleſiaſtico. Neque poſſet dici illicita jure Divino, ſi ea eſſet valida. Nam Chriſtus D. fruſtra voluiſſet illam validam pro eo duntaxat caſu, ſi pro eo etiam caſu ipſe noluiſſet licitam, ut eſt perſpicuum. Præterquamquod, ut docet Vaſq. p. 2. diſp. 161. c. 2. ea, quæ ſunt de jure divino circa Sacramenta, ut ſunt integritas materialis Confeſſionis, & ſimilia, non obligant cum vitæ diſcrimine; unde a fortiori non obligant cum periculo æternæ damnationis; atque adeo ſi eſſet valida pro tali caſu, eſſet etiam licita.

Nonnulli per injuriam hanc ſententiam de uſu licito Confeſſionis, aut abſolutionis in abſentia in ſenſu diviſo auſi ſunt appingere eximio Doctori. Verum quam longe a vero aberrent, oſtenditur ex iis, quæ tantus Doctor habet diſp. de Pœnit. ſect. 3., & diſp. 21. ſect. 4., ubi oſtendit oppoſitum, prout olim ſemper docuerat, ſolumque aſſerit, quod Pontifex in condemnatione hujus theſis non præſumatur velle damnare ſententiam celeberrimam, quod poſſit Sacerdos abſolvere moribundum ſenſibus deſtitutum, ſi aſtantes teſtentur, quod antequam ſenſibus deſtitueretur, abſolutionem petierit: quæ ſententia, ſi Card. Toletum audiamus, eſt expreſſa Sacrorum Canonum, illamque præſtantiſſimi DD. docent, ut videre eſt apud Coninch. diſp. 7. de Pœnit. & in vita ipſius Suarii non minus pietate, quam doctrina præſtantiſſimi, quæ habetur initio primi ex tribus tomis de Gratia, ubi oſtenditur, nullum Auctorum veterum fuiſſe, nullum recentiorum, qui poſteritatem tam numeroſo voluminum fœtu locupletarit, ſicut Doct. eximium, ac ſemper in ſententiis eligendis prudentiſſimum, ac in opinando conſultiſſimum fuiſſe; nec aliud contendiſſe, dum locis laudatis dixit theſim a Clemente VIII. confixam intelligi poſſe in ſenſu tantum copulativo, quam quod in ea proſcriptione non comprehenderetur confeſſio explicata moribundi. Circa quam interrogatus Clemens VIII., Num moribundus in tali eventu abſolvi deberet; Reſpondit his verbis: *Debere, neque aliter ſe facturum, neque id unquam ſuo voluiſſe decreto*. Cujus oraculi teſtes acciti fuere Cardinalis Bellarminus, & Archiepiſcopus Armacanus apud Lugo diſp. 17. ſect. 4. qui addit: *Puniendum eſſe Parochum, qui in ſimili eventu pœnitentem cunctaretur abſolvere*. Et ratio eſt, quia quamvis hic moribundus ſenſibus deſtitutus videatur veluti in abſentia Sacerdotis præmiſiſſe confeſſionem, & deſiderium abſolutionis, revera tamen

tamen in Sacerdotis etiam præsentia exprimit quantum potest, saltem per astantes, tanquam per interpretes, idem desiderium, ut mox clarius explicabimus; & idcirco bene cohærent, quod quælibet confessio in absentia Sacerdotis facta per literas, aut per internuncium sit illicita simul, & invalida, & quod possit licite huic moribundo absolutio Sacramentalis conferri.

Ad rationes in contrarium pro sententia opposita adductas responsio est dilucida. Et quidem ad primam, satis superque ostendimus ex ipsa praxi, ac traditione Ecclesiæ Christum Dominum voluisse, quod judicium forense in hoc etiam differat a Sacramentali ob congruentias adductas. Quod si quis de hac ipsa Christi institutione potuisset olim esse aliqualiter dubius, putans Christum Dominum in casu necessitatis validam voluisse absolutionem per internuncium, si aliter moribundo Sacramentum ministrari non posset, certe post decretum Clementis ex Cathedra loquentis evanescit quæcumque dubietas; & inconcussum apud omnes Christifideles est, noluisse Christum Dominum alio pacto hujusmodi moribundum justificari posse, quam per contritionem; sicut neque aliter, quam per contritionem justificari potest, qui nec per literas, nec per internuncium adire potest Confessarium absentem. Casibus quidem passim occurrentibus, quod quis voce destituatur, providit Christus Dominus, quod possit nutibus, aut scripto, aut per interpretem confiteri; non providit vero, quod possit Confessarius absolvere nutibus, aut scripto, aut per interpretem; quia perraro accidit, quod alius Confessarius non mutus desit. Ad id, quod dicitur de absolutione a censuris, sicut illa conferri potest invito, ita pariter conferri potest absenti, eo quod pendeat ab institutione humana; Absolutio vero Sacramentalis unice pendens ab institutione Divina, sicut nequit invito conferri, ita nec absenti, & quidem utrumque rationabiliter.

Ad secundam: Ostendimus, quare licet potuerit Christus D. instituere hoc Sacramentum, ut valide, ac licite ministraretur per epistolam, de facto tamen id noluerit, ne pro casu quidem necessitatis extremæ; sicut ne pro casu quidem necessitatis extremæ voluit, quod a laico conferri possit absolutio Sacramentalis; esto benignissime voluerit, quod baptismus infanti periclitanti a quocunque posset valide conferri, quæ omnia sapientissime esse constituta juxta ordinem Divinæ providentiæ, Theologi, & Patres ostendunt dilucide, esto in alio, & alio ordine Providentiæ potuisset ea aliter, ac aliter Deus pariter sapientissime constituere.

Ad tertiam: Nulla est paritas de Sacramento matrimonii: quæ si esset efficax, evinceret, quod possit passim per scripturam, per nutus, per internuncium Sacramentum Pœnitentiæ confici, sicut potest passim confici Sacramentum Matrimonii per nutus, per scripturam, per procuratorem. cum tamen constet, nullum in antiquitate extare vestigium de Sacramento Pœnitentiæ sic aliquando administrato. Quare disparitas est, quia in Sacramento Matrimonii id habetur speciale, quod nullum ejus ritum Christus Dominus instituerit, sed solum ipsam actionem humani contractus, qualis in se erat, & juxta illos ritus, qui apud quamcumque nationem reperiebantur, elevavit ad rationem Sacramenti in hominibus baptizatis; unde non alia est materia hujus Sacramenti, nisi ipse humanus contractus juxta leges suas profanas, ac Civiles. Contra vero Sacramentum Pœnitentiæ, sicut & reliqua Sacramenta sunt a Christo Domino instituta juxta ritus peculiares, qui essent materia, & forma. Unde ex institutione Christi Domini analogiam solum habet judicium Sacramentale cum forensi, non vero perfectam univocationem: & sicut a forensi differt per hoc, quod idem debeat esse reus, accusator, & testis; ita ab eodem differt per hoc etiam, quod solum in præsentia possit absolutio conferri.

Ad quartam: Falsum omnino est, aliquando Sacerdotem absolvisse absentem Sacramentaliter. Thomas Cantuariensis petiit a Romano Pontifice, ut absolveretur a Suspensione, quia ipsemet se suspenderat a Missa celebranda propter quandam conniventiam cum Rege, cui bona fide, & ex recto fine promiserat aliquid, ex quo periculum poterat imminere libertati Ecclesiasticæ: etenim, ut habet Bernardus, *Bonæ mentis est ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est*, & obtenta a Pontifice solum ad cautelam absolutione, postea absque ullo remorsu celebravit. D. Cyprianus etiam præcepit per epistolam pacem dari iis, qui eam petierant; non tamen per epistolam contulit absolutionem sacramentalem, sed solum voluit publicam aliquam pœnitentiam iis impdni pro reconciliatione cum Ecclesia, quam ipse vocat pacem; qua de re diximus ex expositione decimæ sextæ thæsis ab Alexandro VIII. confixæ. Denique in cap. *Qualis* laudato non est sermo de absolutione danda adulteræ absenti per scripturam, sed de scriptura, seu testimonio ei dando, ut certius constaret de resipiscentia, & scandalo fidelium satisfieret.

Ad ultimam jam fecimus satis, ostendendo, quod in nullo casu neque confessio in absentia, nec absolutio sit valida. Ex Decreto quippe Pontificis nequit tanquam aliquo casu probabilis defendi, aut in praxim deduci sententia docens, hujusmodi confessionem, & absolutionem licere. Quamvis autem Pontifex utatur particula conjunctiva *Et*, non fit, quod ea thesis sit falsa solum in sensu cnpulativo & non etiam in sensu diviso, ut diximus. Et quamvis Pontifex dicat tantum, hujusmodi confessionem, & absolutionem in absentia non licere, neque fit, quod possit esse in aliquo casu necessitatis valida: ostendimus enim, quod ex hoc ipso, quod in nullo casu necessitatis sit licita, sequatur, eam esse semper invalidam. Quomodo autem moribundus absolvi possit, quando non potest in præsentia Sacerdotis peccatum ullum confiteri, mox discutiemus.

DIGRESSIO
CRITICO-HISTORICA
ADVERSUS DANIELEM CONCINAM, ET EUSEBIUM ERANISTEM

De Mente Eximii Doctoris Franciſci Suarez circa abſolutionem in abſentia per Litteras ex Epiſtola VI. CL. P. Philiberti Ballæ Societatis Jeſu.

,, QUum poſt Danielem Concinam nihil molitus non ſit Euſebius Eraniſtes, ut ab Eximio Doctore Franciſco Suarez ſaltem ut probabilem traditam fuiſſe ſuaderet ſententiam de licita abſolutione in abſentia per Litteras, operæ pretium eſſet heic in Suarii mentem diligentius inquirere. Verum ornarunt hanc ſpartam Auctor hiſtoriæ litterariæ præſertim in parte II. Tomi VIII. & P. Philibertus Balla in Epiſtola VI. Itaque miſſis iis, quæ Litterariæ hiſtoriæ auctor potius ut ſe ab Eraniſtis calumniis quod ad Suarii mentem ſpectat, vindicaret, quam ut in Suarii ſententiam inquireret, abunde diſſeruit, ex P. Ballæ ſexta Epiſtola ea ſeligo, quæ ad hanc rem faciunt. Ita igitur Eraniſten adloquitur Balla.

,, I. CHe non fate Voi, M. R. P., che non adoperate per promovere ad onta de' Geſuiti l'acccuſa dal P. Concina (*a*) data al Suarez d'*aver ſoſtenuta la confeſſione fatta in lontananza per via di lettere condannata da Clemente VIII.*? Or quando pur vera foſſe l'accuſa; come non avvedervi, che Voi con eſſa intaccare non potevate la riputazione di queſt'eſimio Teologo ſenza prima e più della ſua quella intaccare di parecchi Teologi voſtri rinomatiſſima? L'opinione della *confeſſione fatta in lontananza per via di lettere* non era ella nelle ſcuole voſtre già ben radicata innanzi ancora che al mondo veniſſe il P. Suarez? Non fu egli tra primi ad inſegnarla, e darle corſo il voſtro celebre Paludano? Dopo di lui non l'hanno chiaramente inſegnata S. Antonino, Silveſtro, Domenico Soto, ed altri aſſai Autori Domenicani? Non ha egli detto francamente il voſtro P. Pietro Soto (*b*) *Hanc ſententiam ſecure teneri poſſe quam tenent PLURES NOSTRUM*? Se dunque diſdoro ſarà del Suarez l'avere dietro la ſcorta di grand' Uomini tal' opinion ſoſtenuta; non ſarà il diſdoro maggiore di loro, che preceduto lo hanno? Se col diſcredito, in cui per queſta dottrina cercate di mettere uno de' ſuoi Teologi, vienvi fatto d'offendere la Compagnia; non offendete nel tempo ſteſſo più gravemente l'Ordine voſtro col diſcredito di tanti Dottori Domenicani, i quali hanno la ſteſſa dottrina inſegnata prima? Per la qual coſa potete vedere, Padre mio Riveritiſſimo, che Voi quì più fate di quello che a figurarci il maggiore traſporto d'un animo appaſſionato ſiaſi voluto col noto apologo di colui, che non curò di perdere Egli un occhio per il crudo piacere di vederne due perdere al ſuo nimico; mentre Voi maggior danno facendo ai voſtri Fratelli, che non ai Geſuiti, due a Voi ne traete per trarne lor uno. Ma il peggio è che queſt'uno, perdendone due Voi, rimane voſtro mal grado agli Avverſarj intero. Voglio dire, che quanto è vero che *la confeſſione fatta in lontananza per via di lettere condannata da Clemente VIII.* ſoſtenuta fu dai mentovati Teologi Domenicani, altrettanto è falſo, che l'abbia ſoſtenuta mai il Suarez. Ed eccoci pur finalmente all' argomento venuti, che ſolo reſtami a trattare per intera confutazione di quanto nel voſtro primo tomo ſcritto avete contro al P. Gagna. Poſta l' evidenza con cui nelle ſue lettere ha queſto Padre moſtrata la falſità narrataci dal P. Concina, che il Suarez prima della condanna fattane da Clemente VIII. ſoſtenuta aveſſe la confeſſione fatta in lontananza per via di lettere, io credeva ſu tale punto la quiſtione finita, nè parevami dover poter eſſere, che niuno più veniſſe a dir in contrario parola. Ma perciocchè quando la verità non piace, ſia pur ella chiara quanto ſi voglia, artificj non mancano mai per offuſcarla, il P. Concina e Voi trovata avete maniera di rimettere la quiſtione in piedi. Vero è, che Voi nel primo tomo (*c*) non parendovi di poter meglio ingarbugliare le coſe di quello che già fatto avea il voſtro Cliente; vi diſpenſate dal dirne Voi nulla: e ſenza più ci rimettete (*d*) al nono tomo della ſua *Teologia Criſtiana*. Ma poſcia nel terzo tomo mutato conſiglio entrate anche Voi in conteſa, ed in lingua italiana ci ricantate ciò, ch'Egli ha ſcritto nella latina. Dovendo io dunque ad amendue riſpondere, per farlo con chiarezza ed ordine verrò primieramente con ſomma ſincerità eſponendo ciò che della confeſſione fatta per via di lettere ha inſegnato il P. Suarez: indi paſſerò a diſaminare ſenza traſandarne pur uno tutti gli argomenti e antichi e nuovi da Voi addotti per ſoſtenere l'ingiuſta accuſa, che date a queſt'inſigne Teologo.

,, II. E per farmi da capo ſtraniſſima coſa è, che trattandoſi quì d'un' accuſa di puro fatto, che non può meglio deciderſi, che con in mano i libri dell'Accuſato, Voi queſti laſciati da parte, tutt' altra via tenete per dimoſtrarcelo. A che tanti argomenti, e conghietture, e autorità che recate? Perchè non anzi più alle corte alcun teſto produrre del P. Suarez, in cui veggaſi chiaramente da lui ſoſtenuta, almen quanto al ſenſo, la propoſizione da Clemente VIII. dannata: *Licere per litteras, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata ſacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſo-*

(*a*) *St. T. I. p. 146.* (*b*) *Inſtit. Sacer. de Conf. lect. II.* (*c*) *Pag. 261.* (*d*) *Pag. 273.*

,, *absolutionem obtinere?* Perchè se non altro non dirci in quale sezione, il quale disputa, in quale di tanti suoi tomi questa dottrina contengasi, onde possa ognuno, cercandola, vederlavi cogli occhi suoi? Io vi ho detto di sopra, che la dannata dottrina ha sostenuta il P. Pietro Paludano: ed eccovi, se le volete chiare e lampanti le sue parole: (*a*) *Quod si non possit* (Pœnitens) *ire*, *nec accersere Sacerdotem*, *non tenetur quidem scribere & mandare peccata*; *sed tamen si ipse vult licet ei scribere & mandare: & ille rescribere & remandare absolutionem*, *& valet absolutio*. Vi ho detto, che l' ha sostenuta il vostro S. Antonino: ed ecco com' egli dal Paludano traendola ce la presenta. (*b*) *Dicit tamen Petrus de Palude*, *quod cum est claudus*, *vel clausus Pœnitens*, *& ire non potest*, *nec Sacerdos ad eum venire quia forte infirmus*, *licet ei scribere*, *peccata sua*, *si vult*, *& numerum dare*, *& Sacerdos illi rescribere*, *& mandare absolutionem*. Vi ho detto, che l' ha sostenuta il vostro Silvestro, ed ecco l' istruzione, ch' egli dà ad un Confessore, il quale avveggasi d' avere mal' assoluto un penitente. Deve, dice, (*c*) *sic absolutum de proprio errore avvisare*, *si commode potest*; quando no: *si inde magnum scandalum timeretur ABSOLVAT ABSENTEM*. Vi ho detto, che l' ha sostenuta almen come probabile il vostro P. Domenico Soto: ed ecco se può essere il testo più netto. (*d*) *Forsan posset Pœnitens absenti Sacerdoti mittere confessionem scriptam*, *& Sacerdos rescribere absolutionem*, *ut ait Paludanus*. Ben è vero, ch' egli avvisa non doversi il penitente assolvere in lontananza, se prima non siane avvertito: *Nullo modo licet absolvere absentem saltem ignorantem*, *an absolvatur*: e uditene ragione da gran Teologo: *quia forsan tunc ille*, *qui absolveretur esset in peccato*, *& est sacrilegium absolvere eum*, *qui non præsumitur esse in gratia*. Affè ch' io questa non la sapeva ancora, ed ho fin quì buonamente creduto, che la Penitenza così come il Battesimo Sacramento fosse, secondochè dicesi, de' Morti, in quanto virtù avesse per sua instituzione a conferire la prima grazia, e ravvivare le anime morte per lo peccato. Ma ora dal P. M. Domenico Soto ho imparato, che la cosa sta altrimenti, e che il Sacramento della Penitenza, quantunque rimedio sia da Gesù Cristo lasciatoci a guarir dalla colpa, mortal veleno diventa, se porgasi a chi non sia del male suo già prima guarito. *Est sacrilegium absolvere eum*, *qui non præsumitur esse in gratia*. Che dite Voi, Padre mio Riveritissimo, di cotale dottrina? Sarebbe egli mai che questo vostro Teologo tenesse per vera la riprovata sentenza, che il Confessore non assolva il penitente, nè propriamente rimetta i peccati, ma solamente quello dichiari assoluto, e questi rimessi? O a quale declamazione fortissima sarebbe quì luogo, se l' esempio seguendo del P. Concina, volessi, com' egli fa, abusare d' una inconsiderata espressione ad un Autore sfuggita per imporgli una rea dottrina, a cui non ha egli per avventura pensato mai? Ma guardimi Dio dal far a niuno un simile aggravio. Per pura istruzione del P. Concina e Vostra ho io prese nel cattivo senso, che mostrano le parole del P. Soto. Del resto tengo per fermo, che questo valente Teologo, quantunque siasi malamente spiegato, altro non intendesse se non che sia sacrilegio assolver uno, che trovisi in peccato, senz' esserne pentito prima: come potrebbe avvenir facilmente, se di lontano senza farnelo consapevole si assolvesse il penitente. Rimettendoci dunque in istrada dico, che la dannata sentenza della Confessione fatta in lontananza, oltre ai già mentovati, hanno tra vostri Autori sostenuta il P. M. Fumo, e Tabiena, e il Turrecremata con altri ancora: e benchè possa per tutti insieme bastare il testo di sopra addotto di Pietro Soto, che dice: *Hanc sententiam secure teneri posse*, *quam tenent PLURES NOSTRUM*; pur di tutti distintamente, quando il vogliate, le precise parole procurerò di recarvi, ed il luogo, dove possiate nell' Opere loro trovarlevi. Perchè dunque non fare lo stesso anche Voi? Perchè non avvisarci dove nell' Opere del Suarez ritrovisi la dannata sentenza della Confessione fatta per lettere in lontananza? Perchè le sue parole non metterci sotto degli occhi, e dirci eccola quì? Era pur questa la più certa strada, e la più breve a finir la contesa, e confondere i vostri Avversarj, e Voi purgare dell' accusa, che vi si dà d' aver voluto impor ad altrui una dannata dottrina, che certamente è Vostra. Poichè dunque nè Voi, nè il P. Concina tuttochè provocati dal (*e*) P. Gagna a farlo, prodotto non avete mai del Suarez nè testo, nè parola, nè sillaba, ove contengasi la sentenza, che dite; non è egli già questo solo un gran pregiudizio contro di Voi, ed una prova convincentissima, che nell' Opere del Suarez questa sentenza non c' è: e che però glie l' avete al maggior torto del mondo attribuita?

,, III. Or che diremo poi noi se nell' Opere del Suarez non solamente questa sentenza non sia, ma siavi la contraria espressamente? E pur senza niun dubbio sta il fatto così. Nel tomo 4. sopra la 3. parte di S. Tommaso alla sezione 3. della disputa 19. cerca il Suarez se possa a niuno, che sia assente darsi mai la Sacramentale assoluzione: *Utrum absolutio Sacramentalis possit dari personæ absenti*. Entrato nella quistione espone primieramente secondo suo costume le due contrarie sentenze e dice così. (*f*) *Prima ergo opinio fuit in aliquo casu necessitatis posse confessionem fieri Sacerdoti absenti*, *& ab eodem absente posse absolutionem dari*. Tra i principali sostenitori di quest' opinione molti cita de' vostri Dottori: e di quanti mi son io preso la briga di consultare, tutti gli ho veduti fedelmente citati. *Præcipui defensores hujus opinionis fuerunt ex Thomistis Paludanus*, *S. Antoninus &c.*: e prosegue citandone fino a undeci, i quali sono, per alzar anch' io a vostro esempio alcuna volta lo stile, *astri più luminosi che campeggiano nel vasto Cielo Domenicano*. Agli Autori che tale sentenza sostennero aggiugne (*g*) di più que' fondamenti che sembrano favoreggiarla: indi all' altra sentenza opposta passando dice (*h*): *Nihilominus est alia sententia negans Sacramentum hoc consumari inter absentes*, *etiamsi extrema necessitas interveniat*: e di questa pure gli Autori ci reca e gli argomenti, che stanno per essa. Fatto questo entra il Suarez a dir suo parere: e udite, Padre mio Riveritissimo, a qual delle due sentenze s' appiglia: se alla prima che afferma, o pure alla seconda che nega. *Sacramentum hoc consumari in-*

ter

(*a*) *In* 4. *dist*. 17. *q*. 2. *ar*. 1. (*b*) 3. *p*. *tit*. 14. *c*. 19. §. 9. (*c*) *v*. *Conf*. 111. *n*. 1. (*d*) *De Secr*. *mem*. 3. *q*. 4. *dub*. 4.
(*e*) *Pag*. 146. (*f*) *Num*. 2. (*g*) *N*. 4. (*h*) *N*. 5.

,, *ter absentes*. *Hanc igitur*, dic'egli (*a*), *posteriorem* ,, *sententiam veram censeo*, *quam anno* 1588. (cioè ,, circa 14. anni prima del decreto di Clemente ,, uscito nel 1602.) *Compluti publice docui & ite-* ,, *rum in primaria lectione hujus insignis Acade-* ,, *miæ Conimbricensis anno* 1598.: e dopo averne ,, per più argomenti la verità confermata, e rispo- ,, sto ai fondamenti dianzi recati per la prima sen- ,, tenza ricerca quale censura questa si meriti (*b*): ,, *Quæri potest quam censuram contraria opinio me-* ,, *reatur*? E risponde ch'Egli prima del decreto di ,, Clemente, avuto singolarmente riguardo agli an- ,, tichi Tommisti, che l'insegnarono, osato non ,, aveva darle maggior censura che quella d'essere ,, falsa. *Hactenus ego non audebam aliam* (censu- ,, ram) *inferre præter eam quæ sequitur ex assertio-* ,, *ne scilicet esse falsam; idque præcipue propter au-* ,, *ctoritatem Thomistarum antiquorum*: Ma che ora ,, quella de' darsele, che portano le parole del de- ,, creto. *Nunc autem verbis S. D. N. Clementis* ,, *VIII. respondendum est*, *Ille enim auctoritate sua* ,, *illi opinioni sequentem censuram apposuit*. E quì ,, per disteso riporta il Pontificio decreto, con cui ,, è questa opinione dannata siccome *falsa*, *temera-* ,, *ria*, *e scandalosa per lo meno*. Finalmente; per- ,, ciocchè il santo Pontefice (*c*) espressamente nol ,, dice, cerca s'egli intendesse col suo Decreto di- ,, chiarare la confessione fatta in lontananza non ,, solamente illecita, proibendone l'uso, ma inva- ,, lida eziandio per se medesima: e preso nel più ,, stretto senso il decreto prova e conchiude che sì: ,, *Credo mentem ejus fuisse hoc etiam declarare*. ,, Questa è, Padre mio, tutta da capo a fondo la ,, Dottrina del P. Suarez su la quistione di cui ,, trattiamo: e la semplice esposizion sincerissima, ,, ch'io ne ho quì fatta ad evidenza dimostra la ,, falsità dell'accusa datagli e da Voi sostenuta, ,, ch'egli abbia difesa mai la sentenza da Cle- ,, mente VIII. dannata. Il Suarez dice chiaro, ,, e tondo, che la sentenza alla dannata contraria ,, giudica vera, e che già da 14. anni in Al- ,, calà, e da 4. in Coimbra prima del Pontificio ,, decreto avevala pubblicamente insegnata, e Voi ,, col P. Concina avete ciò non ostante potuto la ,, dannata sentenza attribuirgli? Il Suarez espressa- ,, mente afferma, che a questa sentenza, sebben ,, prima della condanna per rispetto ai vostri Auto- ,, ri dar non osava più grave nota, che di sempli- ,, ce falsità; pur dopo la condanna conviene del ,, tutto star al decreto, e notarla come in esso di ,, falsa, di temeraria, di scandalosa: e Voi col P. ,, Concina avete ciò non ostante potuto accusarlo, ,, che avendo egli tale sentenza sostenuta prima, ,, seguita poi la condanna, quasi volessela sostener ,, tuttavia, abbia a favor d'essa il decreto inter- ,, pretato? Dove troverete mai nè falsità più pale- ,, se, nè più ingiusta accusa, nè Autore, che a più ,, chiaro torto si calunniasse da niuno?

,, IV. Quì già mi pare, M. R. P., vedervi pren- ,, der collera meco, e perduta la contenenza ve- ,, nirmi, siccome al P. Gagna, addosso chiedendo- ,, mi, s'io mi *pensi di parlare con balochi insensati* ,, *o scempj*: *ond' abbia ancor l' ardimento* di negare ,, l'interpretazione data al Clementino decreto dal ,, P. Suarez dopo ch'ella in cinque decreti ritro- ,, vasi, co' quali da Clemente VIII., e di nuovo ,, da Paolo V. fu condannata. Ma di grazia soste- ,, netevi, Padre mio, per qualche momento: e ad ,, animo riposato udendomi, spero che a poco a po- ,, co s'a Dio piace, c'intenderemo. No dunque ,, non v'allarmate prima di tempo, io non voglio ,, negare per niente l'interpretazione data al de- ,, creto dal P. Suarez. Ciò che negar voglio, e ne- ,, go di fatto, si è, che l'interpretazione abbia Egli ,, data per ciò che prima del decreto sostenuta ,, avesse la sentenza, che fu poi in esso dannata, ,, e volessela favorir anche dopo. Intendete sana- ,, mente. Il P. Concina nella sua storia (*d*) scrive ,, così. *Prima di questa condanna il Suarez ave-* ,, *va sostenuta tale sentenza* (cioè la dannata da ,, Clemente VIII.): *seguita la condanna mentr' egli* ,, *viveva*, *si fece ad interpretare il decreto Pontifi-* ,, *cio*: e nella *Teologia Cristiana* (*e*) rispondendo al ,, P. Gagna dice: *P. Suarez ante decretum Clementis* ,, *VIII. docuit probabilem esse* (questo *probabilem* s' ,, aggiunge ora quì destramente per una coperta ri- ,, tirata da quello ch'erasi assolutamente detto nel- ,, la Storia, che *il Suarez avea sostenuta tale sen-* ,, *tenza*: ma di ciò più sotto ragioneremo) *proba-* ,, *bilem esse opinionem postea proscriptam*; *IDCIR-* ,, *CO interpretatus est decretum Pontificium in favo-* ,, *rem opinionis a se probabilis prius existimatæ*. ,, Voi pure di questa dannata sentenza ragionando ,, dietro la scorta del P. Concina ci dite (*f*), che ,, *l' Esimio Dottore la sostenne almeno come probabi-* ,, *le*: e narrata la proibizione fattane dopo da Cle- ,, mente soggiugnete: *Che fece allora il P. Suarez?* ,, *Credette di potere interpretare benignamente il De-* ,, *creto Pontificio*. Da un tal modo di favellare al- ,, tro non può il Leggitore comprendere, se non ,, che il Suarez non contento d'aver prima del de- ,, creto sostenuta la dannata sentenza, ritenne an- ,, che dopo per essa il sentimento primiero: e che ,, per questo s'inducesse ad interpretar il Decreto in ,, maniera, ch'ella non comparisse dannata, e an- ,, cor fosse luogo a sostenerla. Questo è il senso na- ,, turale ed ovvio, che le parole vostre pese- ,, no: e così per appunto volete, che prendasi il ,, racconto che fate. Quindi della interpretazione ,, valendovi a prova dell'accusa, che date al Sua- ,, rez, argomentate, che s'egli sostenuta non aves- ,, se l'opinione dannata, non avrebbe mai in gra- ,, zia di questa, nè a favore di essa interpretato il ,, Decreto che la dannava. Or questo inviluppo di ,, cose quello è, che il P. Gagna chiama una *mar-* ,, *cia calunnia*, ed io, perciocchè Voi niente men ,, dilicato a patire le punture degli altrui detti, ,, che animoso a punger altri coi vostri, per tali ,, formole vi risentite, più semplicemente dirò fal- ,, sità manifesta. Imperciocchè già non vi si nega, ,, che il Suarez interpretasse il Pontificio Decreto; ,, ma dove trovate Voi, che a ciò fare il movesse ,, la ragione che dite? E' vero, ch'egli l'interpre- ,, tò; ma non perchè nè prima nè dopo, nè come ,, certa, nè come probabile sostenesse mai la dan- ,, nata sentenza. L'interpretò per tutt'altra cagio- ,, ne, e a tutt'altro proposito, e per una tutt'al- ,, tra dottrina verissima. Diffatto se il Suarez mi- rato

(*a*) N. 7. (*b*) N. 15. (*c*) N. 16. (*d*) T. 1. p. 346. (*e*) T. 9. p. 603. (*f*) T. 3. p. 273.

„ rato aveſſe a favorire colla ſua interpretazione „ la dannata ſentenza, e a farle anche dopo la „ condannagione alcun luogo, data l' avrebbe là, „ dove queſta ſentenza eſamina di propoſito, e „ tutto per diſteſo produce il Clementino Decre- „ to, cioè nella ſezione 3. della diſputa 19., di „ cui abbiamo poc' anzi parlato. Ma v' ha egli „ quivi pur una ſillaba, con cui moſtriſi di vo- „ ler temperare il Decreto, e come che ſia ſpie- „ garlo a favore dell' opinione proſcritta? Anzi, „ come già è veduto, non dic' egli l' Eſimio Dot- „ tore eſpreſſamente d' aver anche prima della „ condanna inſegnata pubblicamente l' opinione „ contraria? Non afferma egli, che ſebben prima „ per riguardo ai Tommiſti non dava all' opinione „ proſcritta ſe non la taccia di falſa; conviene „ dopo il Decreto tacciarla, come in eſſo, di te- „ meraria, e di ſcandaloſa? Non prende egli nel „ più rigoroſo ſenſo, che far ſi poſſa, il Decre- „ to, inſegnando doverſi intendere dichiarata per „ eſſo non ſolamente illecita perchè proibita, ma „ di più per ſua natura invalida la confeſſione „ fatta in lontananza? Come dunque volete far „ credere, che il Suarez, perciocchè prima ſoſte- „ nuta aveſſe le dannata ſentenza, e per amore di „ eſſa, e per volerla ſoſtener tuttavia indotto ſiaſi „ a mitigare colla ſua interpretazione il Decreto? „ Come oſate affermare, che in queſto *di buon* „ *grado convengono i Geſuiti Avverſarj*? Com' ha „ il P. Concina avuto coraggio di ſcrivere, che „ *P. Suarez ante Decretum Clementis VIII. docuit* „ *probabilem eſſe opinionem poſtea proſcriptam*: *ID-* „ *CIRCO interpretatus eſt Decretum Pontificium in* „ *favorem opinionis a ſe probabilis prius exiſti-* „ *matæ*?

„ V. Poichè dunque quella non è che dite; qual' „ altra può eſſere la vera ragione, e la dottrina, „ per cui giudicò il Suarez poterſi il Pontificio „ Decreto interpretare? Uditela, Padre mio Rive- „ ritiſſimo, e negate poi ſe potete, che chiara „ chiariſſima non ſia la falſità che Voi col P. Con- „ cina apponete a queſto famoſo Teologo. Dopo d' „ avere il Suarez, ſecondocchè ho di ſopra moſtra- „ to, nella ſezione 3. della diſputa 19. apertamen- „ te rigettata ſiccome *falſa*, *e temeraria*, *e ſcan-* „ *daloſa* la dannata ſentenza de' voſtri più inſigni „ Tommiſti, che la confeſſione preſa per tutt' in- „ tero il Sacramento fare ſi poſſa mai per via di „ lettere in lontananza; paſſa a ricercare nella „ diſputa 21. ſeſs. 4. ſe almeno la confeſſione pre- „ ſa non più per tutto il Sacramento, ma per la „ ſola dichiarazione de' peccati dal Penitente fat- „ ta in aſſenza del Confeſſore poſſa valere, onde „ poi tenga l' aſſoluzione data dal Confeſſore ſo- „ pravvenuto e fatto preſente. *An ſit neceſſarium* „ *ut Sacerdos in præſentia Pœnitentis confeſſionem* „ *audiat*. Prima del ſuo riporta il ſentimento d' „ alcuni Teologi, e nominatamente di Soto e di „ Cano, i quali moſtrano di riputare generalmen- „ te e ſenza niuna eccezione che ſia neceſſario, „ che il Confeſſore preſente aſcolti egli ſteſſo la „ confeſſione del Penitente, che ſi accuſa (*a*). „ *Nonnulli ergo Auctores præſertim Soto & Cano ſi-* „ *gnificant neceſſarium eſſe ut Sacerdos audiat con-* „ *feſſionem in præſentia Pœnitentis*. A queſta ſen- „ tenza l' altra poi contrappone tra Dottori comu- „ ne, la quale conviene bensì, che preſa per ſe „ la coſa deve il Penitente in preſenza del Confeſ- „ ſor accuſarſi (*b*). *Communis ſententia aſſerit in* „ *primis per ſe loquendo neceſſarium eſſe ut Sacerdos* „ *in præſentia Pœnitentis ejus confeſſionem audiat*: „ *immo & immediate ab ipſo ſi fieri poteſt*: *eſſeque* „ *grave peccatum hunc modum confitendi voluntarie* „ *mutare*. Pur la ſteſſa comune ſentenza aggiugne „ non eſſere queſto al valore del Sacramento ne- „ ceſſario, intanto che un Sacerdote in queſto ſin- „ golar caſo, che venuto ad udire la confeſſione „ d' un moribondo trovilo privo affatto dell' uſo „ de' ſentimenti ſenza poterne o per parole o per „ cenni aver alcun ſegno di colpa e di pentimen- „ to, nol poſſa aſſolvere ſulla relazione degli a- „ ſtanti, i quali affermano aver egli tal ſegno po- „ co prima moſtrato chiedendo di confeſſarſi (*c*). „ *Secundo vero aſſerit hæc ſententia non eſſe hoc ita* „ *eſſentiale Sacramento quin in eo caſu in quo Sa-* „ *cerdos veniens ad abſolvendum Pœnitentem morti* „ *vicinum*, *& inveniens illum ita privatum uſu* „ *omnium ſenſuum*, *ut nullum ſignum peccati aut* „ *doloris ab eo poſſit obtinere*, *non poſſit eſſe conten-* „ *tus aliorum relatione ad abſolvendum illum*. A „ favore di queſta ſentenza oltre il comun ſenti- „ mento de' Teologi reca il Suarez, e Padri e Ca- „ noni e Decreti di più Pontefici, e finalmente l' „ uſata pratica della Chieſa; indi conchiude aver- „ la egli per queſto ſempre creduta vera (*d*). „ *Propter hæc Decreta*, *& propter uſum Eccleſiæ* „ *cenſui ſemper hanc opinionem eſſe veram*, *& piam* „ *& conformem Chriſti inſtitutioni*. Fin quì non „ credo, M. R. P., che nè Voi nè il P. Concina „ ſiate per aver nulla contro il Suarez, e contro „ la comune ſentenza, ch' Egli ſoſtiene: cioè che „ ſebben la confeſſion de' peccati debbaſi comune- „ mente far in preſenza del Confeſſore, pure nel „ caſo poſto può il Confeſſore aſſolvere il mori- „ bondo tuttochè non abbia egli da lui ſentita ma „ ſol inteſa dagli aſtanti quella qualunque confuſa „ confeſſione conſiſtente ne' ſegni di penitenza che „ dianzi diede l' infermo. Imperocchè laſciato ogn' „ altro argomento da parte, così appunto preſcrive „ che facciaſi il Rituale Romano: e Clemente „ VIII. all' Arciveſcovo Armacano Pietro Lombar- „ do Primate d' Ibernia, che di ciò il richieſe, „ riſpoſe non aver Egli mai col ſuo Decreto con „ cui proibì la confeſſione fatta in lontananza, in- „ teſo di proibire tal pratica: come appariſce dall' „ autentica atteſtazione fattane dall' Arciveſcovo „ e per diſteſo riferita dal P. Gagna (*e*). Anzi „ il P. Concina ſteſſo nella ſua *Teologia Criſtia-*

„ *na*

(*a*) Numero 3.
(*b*) Numero 4.
(*c*) Numero 5.
(*d*) Numero 9.
(*e*) Pagina 166.

„ *na* (*a*) riferisce il Decreto, in cui la Sacra „ Congregazione dall' Inquisizione di Portogallo interrogata, se posto il Decreto di Clemente potesse il moribondo, di cui si tratta, assolversi, „ risponde, che l' assoluzione data in tale caso, „ non ha col Clementino Decreto che fare: *Quoad quæsitum respondendum . . . . . . quod ex casu illius ægroti, cui jam jam morituro super petitione confessionis, & signis datis pœnitentiæ, relatisque Sacerdoti advenienti datur absolutio, cum diversam contineat rationem, non potest oriri aliqua controversia circa Clementis VIII. Decretum.* „ Sicchè, Padre mio Riveritissimo, (tenetelo ben „ a mente di grazia) la dottrina fin quì esposta „ dal P. Suarez che possa, anzi pur debba il nostro moribondo assolversi, non è dottrina dannata, ma si è dottrina sodissima, e tra Dottori „ comune; e so d'alcun Vescovo, il quale ne ha, „ non è gran tempo, nel Diocesano suo Sinodo espressamente ordinata la pratica.

„ VI. Or questa, M. R. P., è pur dessa la dottrina, per cui sostenere e difendere riputò il „ Suarez aver luogo la spiegazione, che diede al „ Decreto di Clemente VIII. Imperocchè dopo di „ essersi Egli dichiarato per essa soggiugne potersi „ per avventura temere che non le sia contrario il „ Clementino Decreto, di cui avea di sopra nella „ disputa 19. parlato (*b*). *Timeri autem potest, ne prædicta declaratio Pontificia huic opinioni* „ (che possa il moribondo assolversi) *in aliquo derogare videatur, quia damnat hanc opinionem: Licere per litteras, seu internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri: & ab eodem absente absolutionem obtinere.* Il timore „ può nascere per ciò, che avendo la dannata proposizione due parti, cioè che possa la confession „ de' peccati farsi in lontananza, e che in lontananza pure possa darsi l'assoluzione; sembra che „ il Decreto sì l' una che l' altra parte condanni. „ *Utrumque membrum videtur damnare*, e che però dannata sia l' opinione che dà per buona l' „ assoluzione del moribondo, perchè sebben questa „ facciasi dal Confessore presente; pur è fatta in „ lontananza almeno la confessione, e il Confessore non l'ha che per altrui relazione sentita. Che „ risponde al mosso dubbio l' esimio Dottore? Dice primieramente non parergli che il Santo Pontefice s'intendesse nel suo Decreto parlare del caso del moribondo: *Existimo tamen non fuisse mentem Sanctissimi de hac opinione tractare*: e fin „ quì dice bene: poichè così appunto, secondocch' „ è poc' anzi veduto, ha poscia la sacra Congregazione, e lo stesso Pontefice dichiarato. Ma poi „ alle parole del Decreto venendo soggiugne, che „ le due parti della dannata proposizione non voglionsi prendere di per se ciascheduna separatamente onde sia l'una dannata tuttochè dall'altra disgiunta, ma bensì unite insieme in quanto come „ la confession de' peccati, così anche l'assoluzione „ facciasi in lontananza. *Existimo . . . illam particulam & non esse divisive, sed complexive sumendam*: e recati i fondamenti di questa sua „ spiegazione conchiude: *Nihilominus declarationem hanc ejusdem Pontificis censuræ subjicio sicut cætera, quæ tam in hoc quam in cæteris operibus meis continentur.* Questa è la famosa interpretazione, per cui si è fatto, e tutt' ora si fa tanto „ rumore. E vuolsi quì avertire, che già non „ prendesi dal Suarez l'interpretazione generalmente per ogni caso, in cui o la confessione sola, o „ la sola assoluzione facciasi in lontananza: onde „ la Pontificia proibizione abbia soltanto luogo „ quando in lontananza si faccia sì l' una che l' „ altra. No questa non è la mente del Suarez. „ Imperocchè quanto all' assoluzione Egli ha già „ nella disputa 19. (*c*) coll' autorità del Clementino Decreto stabilito non poter ella per niun „ caso che fingasi, valere mai, se non se data dal „ Confessore presente. *Neque licet illam opinionem* „ (de' vostri antichi Tommisti circa l' assoluzione „ in lontananza) *in praxi uti, etiamsi fingatur quicumque casus necessitatis maxime propter hanc proibitionem Pontificis.* Quanto poi alla confessione quì medesimo (*d*) dove interpreta il Decreto ha già premesso *per se loquendo necessarium esse, ut Sacerdos in præsentia Pœnitentis ejus confessionem audiat*: Nè da questa generale dottrina „ altro caso eccettua, che il singolar del moribondo, cui non crede compreso, come realmente „ non è nel Pontificio Decreto. Egli è dunque manifesto che il Suarez l' interpretazione sua ristringe a questo sol caso che la confessione del „ moribondo tuttochè fatta in assenza possa bastare perchè il Confessore sopravvenuto validamente l' assolva.

VII. Per le cose dette fin quì, delle quali può „ ogn'uno ch' il voglia da se medesimo accertarsi „ con niente più che leggere il Suarez, è fuor d' „ ogni dubbio, che questo Teologo non per altro „ motivo ha il Decreto di Clemente interpretato, „ che per sostenere l' opinione tra Dottori comune, che debbasi il moribondo nel narrato caso „ assolvere. Nè Voi potete, Padre mio, negare, „ che questa non sia l' unica dottrina, in grazia „ di cui, e per difenderla ha Egli recata la sua „ interpretazione senza nè altrove parlarne, nè „ ad altro proposito valersene mai. E stando la „ cosa così non è solenne impostura il dire che il „ Suarez perciocchè prima del Decreto sostenuta „ avesse *la dannata sentenza* abbia poi dopo spiegato a favor d' essa il Decreto? A che dunque „ le fanatiche interrogazioni, con cui Voi in italiano, ed in latino il P. Concina venite agli „ Avversarj vostri chiedendo perchè mai il Suarez „ interpretasse il Decreto, se falsa riputava la sentenza in esso dannata? Non è ella piana la risposta, e chiarissima, che l' ha egli fatto perchè „ riputava vera la comune, e dal Decreto non mai „ dannata sentenza, che dà per valida l' assoluzione del moribondo? A che tante declamazioni e „ chiacchere, per dimostrarci essere un incredibile „ paradosso, che il Suarez interpretasse il Decreto „ a favore d'una sentenza, cui egli prima, e dopo „ il Decreto medesimo rigettata avesse? *Credat vel Judæus Apella, non ego*, conchiude eruditamente il P. Concina. Ma non vedete Voi, che l' incredibile paradosso nasce dall' impostura vostra, „ che il Suarez coll' interpretazione mirasse a favo-

 „ rire

(*a*) Tomo 9. pagina 609. (*b*) Ibidem.
(*c*) Sess. 3. numero 16. (*d*) Disp. 21. Sess. 4. numero 4.

rire l'opinione *dannata*, ch' Ei rigettava? Del resto non incredibile paradosso, ma fatto certissimo è, che il Suarez ha rigettata sempre la sentenza dannata: e tutt'insieme ha interpretato il Decreto a favore d'altra sentenza sodissima da lui insegnata, che il desiderio di confessarsi dal moribondo mostrato con segni di penitenza prima della venuta del Confessore, non potendosi altra confessione avere, basta perchè il Confessore venuto e saputolo dagli astanti, l'assolva. Ma vuolsene ancor udir una tutta singolare, e propria del Padre Concina, nè da Voi ricopiata, forse perchè paruta a Voi medesimo troppo fuori di squadra. Essendo pur manifesto, che il Suarez il Decreto interpretò a questo solo proposito di risolvere il caso del moribondo, e unicamente per sostener la Dottrina, che sia in esso valida l'assoluzione, afferma ciò non ostante il P. Concina, che il caso del moribondo non ha che fare colla difesa del Suarez, e che ve l'hanno i Gesuiti artifiziosamente intruso per confondere, ed offuscare la verità, e ricoprire l'errore di questo loro Teologo (*a*). *Vertit vero quadra rotundis, & Cœlum Terræ miscet P. Gormaz* (lo stesso altrove più volte, e con più cariche formole ripete del Fabri, del Viva, del La Croix del P. Gagna, e d'altri Difenditori del Suarez) *dum quæstionem de absolutione moribundi huc intrudit*. Ma in quale Mondo siamo noi mai? Deh, Padre mio Riveritissimo, rispondetemi, se far si può una volta di buona fede. Non è egli vero, che l'interpretazione del Suarez non trovasi se non là, dov'Egli tratta la quistione del moribondo? Non è egli vero, che l'interpretazione del Suarez non è da lui data che per sciorre un dubbio mosso contro l'assoluzione del moribondo? Non è egli vero, che l'interpretazione del Suarez, riguardando tutta la sua dottrina restrignesi al solo solissimo caso del moribondo, poichè secondo lui toltone questo sol caso deve la confessione regolarmente farsi in presenza: e l'assoluzione nè in questo, nè in altro caso che sia, può mai se non che in presenza valere? E dopo questo il sincerissimo P. Concina ha pur coraggio di dire che la quistione del moribondo non c'entra, che ve l'hanno i Gesuiti cacciata (*b*): *ut controversiam implicarent, & punctum difficultatis obscurarent, & Lectorum oculis subducerent*? Il punto della difficoltà è pur questo: se il Suarez interpretasse il Decreto per ciò che volesse far luogo alla *dannata sentenza* cui avesse già prima insegnata? Or per mettere questo punto in chiaro, v'ha egli nulla di più opportuno, di più proprio, di più spedito, che venir con in mano il Suarez, e le precise parole di lui recando mostrare ch' egli non per aver insegnata la *dannata sentenza*, nè per volerle far luogo, ma unicamente per difendere l'assoluzione del moribondo interpretò il Decreto? Come dunque hanno quì i Gesuiti cacciata la *quistione del moribondo*, e coll' *interpretazione* mischiatala per *confonder le cose*, se anzi la prima è l'unico fondamento, su cui ha il Suarez la seconda appoggiata? Il Padre Concina sì, che quì come suole, cerca d'offuscare la verità: poichè togliendo via il caso del moribondo, non vuol che veggasi la ragion vera, e la sentenza, in grazia di cui prese il Suarez a dichiarare il Decreto, per così dar ad intendere, che l' abbia Egli fatto in grazia della sentenza dannata. E volete poi Voi persuaderci, che senza passione, e per puro amore di verità si muova quest' Uomo a scrivere, e faccialo con buona fede? Io per me non so che mi dire: ma temo assai, che più d' uno non v' abbia, il quale, prese da lui le parole, rispondavi francamente. *Credat vel Judæus Apella, non ego*.

VIII. Ma ripigliando il filo, grave difficoltà sembra nascere da ciò che è detto. Imperocchè nel caso del moribondo altra confessione non è, su cui cader possa l' assoluzione Sacramentale, che il desiderio di confessarsi con segni di penitenza mostrato prima, che il Confessore venisse, e però se deve o può ciò non ostante il moribondo assolversi, convien pur dire, che questa qualunque confessione tuttochè fatta in assenza del Sacerdote sia buona, e valga per materia del Sacramento. Dunque almeno per questo caso la confessione fatta in lontananza, se prendesi di per se *divisive*, non è nel Decreto di Clemente dannata: come appunto interpretò il Suarez. Perchè dunque fu mai con tanti Decreti da due Pontefici l'interpretazione rigettata? Non può negarsi, che grave non sia il dubbio: e gli Autori, che preso hanno a rischiararlo per darci la ragion vera del mal' incontro dall' interpretazione avuto variamente rispondono. Lasciate tutte l' altre da parte, due sole risposte quì recherò l'una del vostro Padre Barone, e l' altra del P. Gagna: Il Barone adunque nella sua Teologia morale (*c*) avuto riguardo alla confessione del moribondo, la quale, benchè fatta in lontananza non osa negare che basti, perchè il Confessore lecitamente l' assolva, espressamente confessa, che l'interpretazion del Suarez aliena non è dalla mente nè di Clemente VIII. nè di Paolo V. *Mens Suaris Decretum Pontificium interpretantis de absolutione & confessione junctim, non vero divisim, non est aliena a Pontificum mente*. Anzi dice più sotto averla lo stesso Clemente riconosciuta (*d*) *Non omnino malam, & aliquo casu aut sensu tolerandam*. O lodato sia Dio che la *benedetta interpretazione* tanto derisa dal P. Concina trova nel P. Barone miglior fortuna. Ma intanto se così è, prosiegue Egli a dire, se l'interpretazione ha pur qualche cosa di vero; se può nel caso del moribondo aver luogo; se contraria non è alla mente de' due Pontefici, perchè dunque fu ella da essi riprovata e dal libro del Suarez voluta via: *Cur ergo damnata? Cur jussa est eradi?* Questo è il nodo da sciorsi; ma recatosi il Barone a farlo, vi ci si trova avviluppato così e stretto, che gli bisogna per isbrigarsene una patentissima falsità. Risponde Egli, che fu l' interpretazione dannata, perciocchè il Suarez volea con essa sostenere, che la confessione del moribondo fatta in assenza del Confessore fosse materia certa del Sacramento; dov' ella non è che materia dubbiosa, e come tale tenevanla Clemente VIII. e Paolo V. (*d*) *Clemens VIII. & Paulus V. damnant sententiam Suaris, quæ materiam incertam, pro certa ponit*. E' vero, soggiugne, che lo stesso Clemente dichiarò doversi il moribondo assolvere; ma

(*a*) P. 595. (*b*) P. 608. (*c*) T. 1. disp. 1. sess. 4. (*d*) §. 3. (*e*) Ibid.

„ ma ciò soltanto affine di provvedere a quell'estrema „ necessità dell' infermo come meglio si può: del „ resto se poi l'assoluzione realmente valesse o no, „ avealo per assai dubbio. Per l'opposto voleva il „ Suarez che valida senza alcun dubbio fosse l'as„ soluzione, e certamente assoluto rimanesse il mo„ ribondo. Questo è l'errore, cui il Santo Pontefi„ ce dannando l'interpretazione intese di riprovare. „ (*a*) *Suarez vero defendebat ut certo validam, quod* „ *merito improbat Pontifex*. Ma chi sa dire donde „ mai si traesse questo scrittore, che l'interpreta„ zione del Suarez fu riprovata per la ragione ch' „ Egli quì con tanta franchezza afferma? Lasciamo „ stare, che in niuno de' varj Decreti contro l'in„ terpretazione emanati, nè nella dichiarazione di „ Clemente da Monsignor Armacano riferita non v' „ ha pur ombra di ciò ch' Egli dice. Dove inse„ gna mai il Suarez che nel caso del moribondo „ quella qualunque di lui confessione sia *materia* „ *certa* del Sacramento, e però *certamente valida* „ l'assoluzione? Insegna Egli bene, che supposta „ quella confessione, nè potendosi ottener altra, „ deve il moribondo assolversi: ciò che Clemente „ VIII. ha pur accordato, e ne conviene il Baro„ ne medesimo. Ma che nè *certa materia* sia tal „ confessione, nè di quella assoluzione certo il va„ lore, tanto nol dice mai, che dice anzi espres„ samente il contrario. Sentite di grazia com' Egli „ parla (*b*). *Colligo in casu, in quo infirmus petit* „ *confessionem, & exhibet signa contritionis in absen*„ *tia Confessoris, si postea Confessor adveniens, ni*„ *hil aliud a Pœnitente intelligere possit, quia v. g.* „ *jam nihil sentit, si de signis exhibitis, & peti*„ *tione confessionis habeat sufficiens testimonium;* „ *posse, immo & practice debere Sacerdotem illum* „ *absolvere* CONCEPTA CONDITIONE, *quæ sem*„ *per subintelligitur* QUANTUM POSSUM *vel* SI „ MATERIA EST SUFFICIENS. Parvi egli que„ sto *materiam incertam pro certa ponere*? Se vuo„ le il Suarez, che non altrimenti assolvasi il mo„ ribondo, se non appostavi la condizione *si ma*„ *teriam est sufficiens*; è pur manifesto, ch' Egli „ non ha per certo, che quella confessione sia ma„ teria che basti al valore del Sacramento. Più va „ innanzi il Suarez e per dimostrare che il mo„ rimondo non può solamente, ma deve assolver„ si, dice, che per una parte il Confessor assol„ vendolo non pecca, nè fa ingiura al Sacramen„ to: e per l'altra non assolvendolo l'espone a „ pericolo di dannazione eterna. Ma come prova, „ che il Confessore non pecchi? Forse perchè la suf„ ficienza di tal confessione sia certa? No; ma sol „ perchè ella è probabile assai. (*c*) *Sacerdos absol*„ *vendo in dicto casu nulli periculo conscientiæ suæ* „ *se exponit, cum operetur ex sententia valde* PRO„ BABILI. Come prova che non facciasi ingiu„ ria al Sacramento? Forse perchè siane certo il „ valore? No; ma perchè quantunque sia il va„ lore incerto, come negli altri CASI DUBBJ; „ così anche in questo l'irriverenza è tolta via „ dalla condizione che si aggiugne (*d*). *Nec etiam* „ *est periculum injuriæ Sacramenti .... quia per* „ *adjunctam conditionem omnino tollitur, sicut in* „ *aliis* CASIBUS DUBIIS *fieri solet*. Come prova „ finalmente, che il Confessore non assolvendo il „ moribondo possa esser cagione, ch' egli si danni? „ Forse perchè *certamente valida* fosse per esserne „ l'assoluzione, e posta per essa la salute in sicu„ ro? No; ma perchè l'assoluzione, benchè di cer„ to nol sia, potrebbe per avventura esser buona, „ e con quella rimanere assoluto, e salvarsi il Pe„ nitente, che senza quella si dannerà (*e*). *Non ab*„ *solvendo exponit proximum periculo æternæ damna*„ *tionis, qui* FORTASSE *absolutus salvabitur. Er*„ *go saltem ex charitate debet eum absolvere*. Or „ con tante, e sì chiare formole del Suarez sotto „ dell'occhio diremo noi ch' egli nel caso del mo„ ribondo insegni essere la di lui confessione mate„ ria certa contro la mente di Clemente VIII. e „ di Paolo V., i quali dubbia la riputavano? Non „ è anzi chiarissimo, che la mente del Suarez è „ per appunto quella, che lo stesso Barone attri„ buisce a questi due Pontefici: cioè doversi il mo„ ribondo assolvere, non perchè l'assoluzione debba „ certamente valere, ma perchè potendo pur esser „ che valga; non deve nel punto estremo questo „ probabile ajuto, poichè altro più sicuro non c'è „ al moribondo negarsi? Come dunque ha potuto „ il vostro P. Barone sognarsi che il Suarez *defen*„ *debat ut certo validam* l'assoluzione del moribon„ do, e che per questo la di lui interpretazione me„ ritamente fu riprovata: *Quod merito improbat* „ *Pontifex*? Ma cotali sogni quantunque stranissi„ mi hanno in questo Scrittore perduta per la „ grande frequenza la maraviglia, ed è assai no„ to l'antico detto del Padre Moja: *O Baronianam* „ *fidem*.

„ IX. Veduta l'evidente falsità della risposta del „ P. Barone passiamo all' altra troppo più soda del „ P. Gagna. Quantunque, così egli discorre, la „ confessione fatta dal moribondo prima che venga „ il Sacerdote, possa bastare perchè il Sacerdote „ venuto l'assolva: e però per questo singolar caso „ vera sia l'interpretazion del Suarez, che la con„ fessione in lontananza non è di per se sola dan„ nata; fu ciò non ostante l'interpretazione esclusa „ per il senso indefinito e generale, che rende. „ Imperocchè stando noi alle parole del Suarez, che „ i due membri della proposizione *Licitum est &c.* „ debbansi intender dannati non ciaschedun di per „ se *divisive*, ma solamente *complexive* tutti e due „ insieme; sembra che qualunque s'è de' due mem„ bri niuno d'essi mancando l'altro debba dirsi dan„ nato. Quindi anche dopo il Decreto di Clemente „ potrebbe difendersi l'assoluzione in lontananza, „ purchè di presenza sia fatta la confessione: e vi„ cendevolmente anche fuori del caso del moribon„ do in lontananza la confessione, purchè di pre„ senza ne segua l'assoluzione; ciò che è grand'as„ surdo. Egli è vero, che, come abbiamo di so„ pra mostrato, il Suarez a prevenir quest' assurdo „ aveva già prima espressamente insegnato, che „ l'assoluzione non può valer mai altrimenti che „ di presenza, e che di presenza de' farsi anch' es„ sa la confessione regolarmente senz' altra ecce„ zione, che quella del moribondo: ond' è mani„ festo, ch' egli in sua mente a questo sol caso ri„ stretta volea l'interpretazione. Questo è verissi„ mo. Ma qual che si fosse la mente del Suarez, „ e la dottrina da lui data prima, non può ne-garsi,

(*a*) §. ult. (*b*) Disp. 23. sess. 1. n. 12.
(*c*) Num. 15. (*d*) Ibid. (*e*) Ibid.

„ garsi, che presa l'interpretazione qual' è in se „ stessa, non seguane, che possa per ogni caso impunemente difendersi tanto la confessione fatta „ in assenza del Sacerdote, se poi questi faccia in „ presenza l'assoluzione, quanto l'assoluzione fatta „ in assenza del Penitente, se questi siasi prima in „ presenza confessato. Per la qual cosa ad un Sacerdote, il quale udita la confessione d'un Penitente l'avesse senza facoltà assoluto, qualunque scolaro del vostro P. Silvestro potrebbe anche a' dì „ nostri dar il consiglio, che chiesta, ed ottenuta „ la facoltà *Absolvat absentem*: ed a chi gli opponesse il Decreto di Clemente VIII. rispondere: „ doversi quello intendere *complexive* d' amendue „ insieme le parti della proposizione dannata: e però dannata non essere nel suo caso l'assoluzione in lontananza, poichè di presenza fu fatta la „ confessione. A togliere adunque principalmente „ l'errore del vostro P. Silvestro, e d' ogn' altro, „ che a lui fidato fosse potuto cader in inganno; „ troppo era necessario, che l' interpretazione del „ Suarez per il senso illimitato, che rendono le parole ond' è concepita, si riprovasse: e fu verisimilmente per questo riprovata di fatto. Questa è „ in ristretto la risposta, che dà il P. Gagna (*a*), „ nè parmi, che senza buona ragione. Imperocchè osservate, Padre mio Riveritissimo, che anche dopo riprovata l'interpretazione del Suarez, „ la sentenza di lui, che la confessione del moribondo, benchè fatta in lontananza, sia bastevole „ a doversegli dare l'assoluzione, seguita ad insegnarsi liberamente, ed è tra Teologi eziandio a' „ tempi nostri assai comune. De' moltissimi, che „ la sostengono, due soli vi recherò da Voi tenuti „ in molto pregio. Il Primo è quella non più veduta *Fenice*, di cui v' ho parlato nella prima mia „ Lettera, cioè il vostro famoso P. Larraga Spagnuolo. Questi nel suo *Promptuario de la Teologia Moral* (*b*) domanda se *quando el moribondo pidiò confession, o mostrò sennales de penitenzia en ausencia de Confessor, & nihil aliud potest jam, podrà ser absueito despues por el Confessor que ya està presente?* E che risponde? Risponde francamente „ che sì: *R. que sì*: e dopo recatane l'autorità di „ S. Tommaso in prova aggiugne bastar per assolvere il moribondo, che un testimonio anche solo „ affermi aver egli richiesto di confessarsi: *y advierto, que para lo dicho basta un testigo, que diga, que pidiò confession*. Vedete Voi, come „ questo grand' Uomo, di cui a parere de' due vostri Padri Priori, che n' approvarono il libro, „ *Non est examinanda, sed veneranda sententia*, la „ sentenza sostiene del P. Suarez, che dà per buona e sufficiente la confessione del moribondo fatta „ in lontananza. L'altro moderno Teologo, il quale insegna la sentenza medesima, è il P. Antoine „ assai dal P. Concina commendato, e posto da Voi „ tra gli *astri più luminosi, che campeggiano nel vasto cielo della Compagnia*, la di cui Morale „ Teologia ornata di molte lodi, e da' Pontificj „ Revisori approvata si è, non ha molto, ristampata in Roma, ed al Regnante Pontefice Benedetto XIV. intitolata. In questa sì accreditata „ Teologia nel trattato *de Pœnitentia* (*c*) cerca „ egli: *An confessio Sacerdoti præsenti necessario fieri debeat?* E appunto colle parole del Suarez risponde che sì *per se loquendo*: e provata per più argomenti la sua risposta, colla dottrina dello stesso Suarez soggiugne così: *Dico per se loquendo, quia per accidens nempe in articulo mortis confessio facta Sacerdoti absenti est LICITA ET VALIDA, quando aliter fieri non potest. Nam Sacerdos potest, & debet absolvere moribundum sensibus destitutum, qui ipso absente absolutionem petiit*. „ Poichè dunque, come vedete, la confessione del „ moribondo in assenza del Confessore sostiensi ancor a' dì nostri da rinomati Teologi per sufficiente; conviene pur dire, che questa non sia nel „ Decreto di Clemente compresa, nè da esso dannata: e che però non possa l'interpretazion del „ Suarez in riguardo a questo singolar caso essere „ dispiaciuta. Rimane adunque, che dispiacesse in „ riguardo ad altri casi, ai quali potesse per avventura estendersi: onde per il senso indefinito, „ che le parole presentano siasi rigettata così, come l'intende il P. Gagna.

„ X. Sì, parmi sentirvi dire, ma non l'intende „ così il P. Concina, il quale cotesta risposta deride, e confuta non so qual più. Appunto. La „ confutazione è maravigliosa: Fermianci però per „ poco a disaminarla. Primieramente ritrova egli „ nel P. Gagna non poche contraddizioni. (*d*) *Plura, & quidem mutuo pugnantia hic infarcit P. Gagna*. E' vero, che le molte contraddizioni riduconsi finalmente ad una sola; ma questa sola è „ sì importante, che ben può valere per molte; „ udianla. Da una parte il P. Gagna, della interpretazion del Suarez parlando, con certo usato „ modo di favellare chiamala *quella benedetta spiegazione*; e per l'altra parte dice, ch'ella *è riprovata, e voluta soppressa*. La contraddizione „ non può essere più chiara, nè più rilevante. Se „ la *spiegazione è benedetta*, com' è riprovata? E „ se è riprovata, come è *benedetta*? *Quid prodit to benedetta spiegazione? Quomodo benedicta explicatio, si improbata?* La confutazione per certo incomincia con forza: e vogliasi o no, convien tor „ via quel *benedetta*. Or via tolgasi alla buon'ora, „ che la risposta del P. Gagna ancor non va per „ questo a terra. Ma già viene ad abbatterla altra „ scossa più formidabile, e contr' essa il P. Concina declamando argomenta così. Se è vera l'interpretazione del Suarez; dunque falsi sono, ed „ ingiusti i Decreti, che la riprovarono: se dice „ vero ed è innocente il Suarez, dunque debbonsi „ d'ingiustizia riprendere Clemente VIII., e Paolo „ V. *Si vera est interpretatio Suaresiana, falsa ergo sunt & injusta Decreta Pontificia, quæ declarant benedictam interpretationem non subsistere. Si veridicus & insons Suarez est, injustitiæ arguendi forent Pontifices Summi Clemens VIII., & Paulus V. quod vel suspicari scelus est*. Eh capperi! Lo „ so anch' io. Guardici Dio di tal sospetto. Ma „ l' argomentazione, per terribile ch' ella sia, tutta è fuor di luogo, nè tocca la risposta del P. „ Gagna per niente. Egli non ha detto mai, nè „ che vera sia assolutamente l'interpretazione del „ Suarez, nè che questi errato non abbia in alcun „ modo nel darla: onde inferire si debba, che dunque *falsi sono i Decreti, ed ingiusti i Pontefici*.

„ che

(*a*) Pag. 168. (*b*) Tract. IV. §. IV.
(*c*) Quæst. XVIII. (*d*) Th. Ch. T. 9. pag. 602.

„ che rigettaronla. Dice egli bene, ed è così, che „ vera è la dottrina della confessione del moribondo, per cui sostenere diede l'interpretazione il „ Suarez, e che questa per riguardo a tal dottrina „ dirsi non può riprovata. Ma quanto all' interpretazione presa in se medesima tanto non la reputa innocente, che anzi colla sua risposta ne discopre il difetto, e la ragion vera, per cui meritamente fu esclusa, il qual difetto è che quella, „ benchè contro la mente del Suarez, pur riguardando le parole sottraeva dalla condanna l' assoluzione in lontananza almeno in caso, che preceduta fosse in presenza la confessione. Quindi „ conchiude il P. Gagna, che sebbene l' interpretazione siasi da Clemente VIII. e da Paolo V. „ con giusta ragione voluta soppressa, la ragion di „ sopprimerla non fu la dottrina del Suarez circa „ la confessione del moribondo, per cui avevala „ egli data: ma si fu la dottrina di Paludano, di „ Soto, di Silvestro, e d' altri Autori vostri circa „ l' assoluzione in lontananza, cui il Suarez, quantunque stato sempre di sentimento contrario, colla sua interpretazione disavvedutamente facea luogo a potersi ancora difendere. O questa poi è da „ ridere, ripiglia il P. Concina. Se l' interpretazione proibita si fosse, come vuole il P. Gagna, per „ l' abuso che altri potesse farne a sostenere l' assoluzione in lontananza, dovrebbesi la Scrittura „ Santa proibire anch' essa, perchè ne abusano gli „ Eretici a difesa de' loro errori. *Ipsam Scripturam „ Sanctam in pravos sensus detorquent Hæretici. Ergone prohibenda?* Anche questo nuovo colpo, Padre mio Riveritissimo, ferisce l' aria. Lasciamo „ stare, che tra la Scrittura Santa, e lo Scritto d' „ un Autore privato il paragone non corre: nè l' „ abuso, che basterebbe a doversi questo tuttochè „ sano in se stesso sopprimere può mai bastare a „ doversi sopprimer quella: lasciamo, dico, star „ questo, che per il P. Concina è cosa troppo sottile. Il P. Gagna dice l' interpretazion proibita „ non per ciò, che potessero alcuni, come gli Eretici fanno delle Scritture, depravarne il senso, e „ torcerlo a sostenere l' errore degli antichi Tommisti; ma bensì per ciò, che all' errore degli antichi Tommisti, tuttochè contro l' intendimento „ del Suarez, porta l' interpretazione stessa presa da „ se, e secondo il senso generale, che le parole „ realmente presentano, ciò, che della Scrittura „ Santa non è, la quale avendo il suo vero senso „ dalla Chiesa determinato non può che per ignoranza, o per malizia volgersi mai all' errore. „ Questa; che veduta abbiamo, è tutta la confutazione, che della risposta del P. Gagna ha fatto il P. Concina. Or dite Voi, M. R. P., se può „ ella essere nè più inetta, nè più fuor di proposito, nè da quello che dice il P. Gagna più disparata. Non mostra egli questo valoroso Confutatore di neppur cogliere il punto di cui si tratta „ confermando quì più che mai l' opinione, che „ corre di lui che nelle scolastiche precisioni non „ ci riesce? E pure di se piacendosi canta con maravigliosa franchezza il trionfo, e al P. Gagna „ insultando conchiude: *Hæc lepidula paradoxa digna sunt tanto scriptore.* Ma io con più di ragione rispondo. Questa ridicolosa confutazione degna è di un tanto *Lettore di Sacra Teologia* com' „ egli s' intitola, quantunque insegnata non abbia „ mai *nè Teologia, nè alcuna Scienza*, senza di „ che a parere di lui (*a*) non può uno essere *addestrato nelle sottigliezze scolastiche*, nè riuscir buon „ Teologo. Intanto, poichè la risposta del P. Gagna non gli piaceva; perchè non darcene il P. „ Concina una migliore, e lasciate le solite sue „ declamazioni, non dirci chiaramente qual fosse „ il vero difetto della interpretazione del Suarez, „ per cui ella dispiacque cotanto? Deh fatelo di „ grazia almen ora Voi: ed acciocchè più netta „ riesca la vostra risposta; vorrei che prima di „ darcela, con un preciso sì o no rispondeste alle „ due interrogazioni, che quì vi fo: I. La confessione fatta dal moribondo in assenza del Sacerdote basta ella sì o no, perchè il Sacerdote fatto presente l' assolva? Credo direte di sì, o converrete almeno, che la sentenza del Suarez, che „ questo afferma, non è dannata. II. L' interpretazione del Suarez fu ella rigettata per questo, „ che desse per buona la confessione in lontananza „ nel caso particolare del moribondo? Dovete quì „ risponder di no, se tal confessione non è dannata, come non è certamente. Sbrigato di queste „ due interrogazioni diteci poscia, ma in poche „ parole e chiare: Posto che la dottrina, che basti la confessione in lontananza nel caso del moribondo non è riprovata: nè può però per questa essere dispiaciuta l' interpretazion del Suarez; „ per qual' altra ragione dispiacque ella mai? Io „ non so cosa quì siate per dirvi: Ma due cose „ tengo per fermo, cioè, che niuna ragione darete nè più giusta, nè più verisimile di quella del „ P. Gagna: e che di niuna dottrina sostenuta dal „ Suarez potrete dire con verità, ch' ella rendesse „ l' interpretazione dannevole, e però con questa „ siasi voluta dannare.

XI. Ma sia qual ch' esser voglia la ragione per „ cui l' interpretazione incontrò male, questo non „ fa: che di ciò non cerchiamo noi ora. Posto „ ch' ella fu riprovata, cert' è, che o per una o „ per altra ragione qual che si fosse, il fu giustamente: nè di tal punto si è fatta quistione mai. „ La quistion nostra è, se il Suarez prima del Decreto di Clemente sostenuta abbia circa la confessione la sentenza stata poscia dannata: e se „ dopo per amore di questa interpretasse il Decreto, che la dannò. Questo è il punto, che si dibatte. A qual proposito venite Voi dunque ad „ ogni tratto recando i Decreti contro l' interpretazione usciti, e mille volte li ricantate, e ne menate sì gran rumore? Chi non vede, che cotali „ vostri schiamazzi sono fuor di quistione: e che „ tutti questi Decreti, fosser ben cento, altro di „ più non provano, se non che l' interpretazione „ non s' è voluta, che non fu buona, che sbagliò „ il Suarez a darla? Ma questo non vi si nega. „ Ciò che vi si nega è che il Suarez nè prima nè „ dopo il Decreto sostenesse mai la dannata sentenza, e che a questa colla sua interpretazione „ mirasse. Questa è la *calunnia*, che vi si rimprovera d' avere Voi data al Suarez: nè potrete giustificarvene mai con ciò, ch' egli abbia il Pontificio Decreto interpretato, essendo certissimo, „ come già è veduto, che non ad altro fine, nè „ con altro intendimento, nè per altra dottrina l' inter-

(*a*) St. T. 1. pag. 484.

„ interpretò fuor solamente per sostenere, e difendere la dottrina sanissima, che la confessione del moribondo benchè fatta in assenza del Sacerdote basti per doversegli fare l'assoluzione: onde quantunque abbia Egli nel dare l'interpretazione errato, non errò certamente nella dottrina, per cui sola la diede. Per la qual cosa, M. R. P., l'argomento tanto dal Padre Concina, e da Voi rimenato, con cui dall' aver il Suarez interpretato il Decreto volete conchiudere, ch' Egli dunque sostenesse la sentenza nel Decreto dannata, è anch' esso uno di que' moltissimi, i quali non possono in altra *Logica* che nella *Conciniana* valere. E quantunque per le cose già dette sia questo manifestissimo; raccogliendo ora le molte in poche, con argomento di miglior forma, che il vostro non è, il dimostro nuovamente così. Egli è evidente che il Suarez non interpretò il Decreto che per sostenere la sentenza, la quale difende la confessione in lontananza nel caso del moribondo. Questo si fa certo col leggere semplicemente il luogo del Suarez di sopra recato, dove ha Egli data l'interpretazione: Or evidente pur è che tale sentenza non è dannata nel Decreto di Clemente: come dal sentimento di gravi Teologi, che ancor la sostengono e dal Rituale Romano, che ne prescrive la pratica, e dalla dichiarazione dello stesso Clemente, che afferma non essere stato mai suo intendimento di proibirla, si fa palese. E' adunque evidente, che il Suarez non interpretò il Decreto nè per aver sostenuta, nè per sostenere la sentenza nel Decreto stesso dannata; e però come con evidente falsità affermate col P. Concina, che questo Teologo per aver insegnata la dannata sentenza *IDCIRCO interpretatus est Decretum Pontificium* a favore di essa; così ch' Ei l'insegnasse con evidente paralogismo dalla interpretazione di lui raccogliete. Ed ecco, M. R. P., mandato all' aria e dissipato del tutto l'argomento primo, con cui pretendete, che l'interpretazione fatta del Pontificio Decreto valgavi a prova dell' ingiusta accusa, che data avete al P. Suarez. Vediam ora se miglior argomento sia l'altro che dal MS. traete, trovatosi ultimamente nella *Biblioteca Angelica*.

„ XII. Vedutosi il P. Concina ridotto dal P. Gagna alle strette sul punto dell' accusa, che data avea al Suarez; quello, che far dovea prima di darla, incominciò a far dopo per sostenerla, cercando quà e là documenti affine di trarne pur qualche risposta, e come meglio potesse, difendersi. In questa sua premurosa ricerca vennegli fatto, com' Egli dice di *ripescare* nella *Biblioteca Angelica* de' Molto RR. PP. Agostiniani di Roma un MS. anonimo, per la scoperta del quale mena Egli la sì gran festa, ch' io credo, che il Colombo tanta non ne facesse per quella del nuovo Mondo. Al trionfo del P. Concina Voi pur il vostro aggiugnete, e pretendete amendue, che per tal documento pongasi del tutto in chiaro il fatto del Suarez: e levato via ogni dubbio la contesa rimanga a favor vostro decisa. Per vedere se stia la cosa così, come dite: convien prima sentire ciò che l'incognito Autore nel suo MS. racconta. Narra Egli adunque, che il Suarez, non uscito ancora il Decreto di Clemente *Censuit esse probabilem sententiam, quæ asserit Sacramentum Pœnitentiæ perfici posse inter absentes.* Benchè l'opposta tenesse per più probabile. In prova di questo reca le parole dello stesso Suarez, e dice, che essendosi il di lui quarto Tomo *de Pœnitentia* incominciato a spargere pochi giorni innanzi alla pubblicazion del Decreto, in esso alla disputa XIX. sez. 3. dopo esposta la sentenza: che afferma essere valida l'assoluzione in lontananza, e l'altra, che il nega; di questa seconda diceva al num. 7. così. *Nihilominus tamen hanc posteriorem sententiam existimo PROBABILIOREM*: e della prima cercando più sotto se la si meriti niuna censura; rispondeva al n. 15. che no: poichè posta l'autorità di tanti, e sì gravi Dottori, e de' Tommisti principalmente, che l'insegnavano; la riputava probabile: *quapropter ego censeo esse PROBABILEM*. Ma uscito appena il Decreto di Clemente, vedendo i Gesuiti in quello dannata la dottrina difesa dal Suarez come probabile, s' adoperarono a raccogliere gli esemplari del quarto Tomo già sparsi, ed il Suarez mutatovi un foglio corresse l'errore, e al num. 7. invece delle parole: *Nihilominus tamen hanc posteriorem sententiam existimo probabiliorem*, pose quest' altre, che ora si leggono: *Hanc igitur posteriorem sententiam veram censeo, quam anno* 1588. *Compluti publice docui, & iterum in primaria lectione hujus insignis Academiæ Conimbricensis anno* 1598.: e più giù al num. 15. levando la probabilità, che dava alla dottrina dell' assoluzione in lontananza, corresse, come nell' edizione rimastaci presentemente si legge: *Hactenus ego non audebam aliam* (censuram) *inferre præter eam, quæ ex assertione sumitur scilicet esse falsam, idque præcipue in gratiam Thomistarum antiquorum*; *nunc autem verbis SS. D. N. Clementis VIII. respondendum est &c.* Da questo fatto dice l'Autore del MS. farsi palese, che il Suarez *ante prædictum Decretum sententiam contrariam* (cioè quella, che l'assoluzione in lontanza sostiene) *non falsam absolute, sed probabilem reputavit*: E aggiugne potersi lo stesso di più raccogliere da certa lettera del Suarez scritta di Salamanca al Nunzio Apostolico fin dall' anno 1594. Questo è tutto ciò, che nel MS. ritrovasi, o almeno tutto quello, che per se ne riporta il P. Concina, al quale due cose siccome evidentissime quindi conchiude. La prima è ch' Egli ha vinta certamente la causa, non essendo più luogo a poter negare, che il Suarez prima del Decreto insegnata non abbia la dannata sentenza almeno come probabile. *Ecce terminatam celebrem controversiam* (*a*). L'altra cosa, ch' Egli conchiude, questa è, che si è pur finalmente trovata la vera risposta all' argomento, con cui i Gesuiti a dimostrare, che il Suarez difesa non ha la *dannata sentenza* i libri di lui producono, nei quali trovasi ella rigettata espressamente. Tal' argomento, dic' Egli, è paruto fin quì senza replica (*b*). *Quod ineluctabile*

(*a*) Pag. 609. (*b*) Pag. 591.

„ *bile hactenus apparuit*: perchè veramente ne' libri del Suarez la *dannata sentenza* non è difesa: (a)*Exemplaria, quæ nunc habemus Operum Doctoris Eximii perhibent P. Suarez non defendisse opinionem damnatam, & hoc verum est*. Ma ora mercè l'avventuroso ritrovamento del MS. il mistero è svelato, e sciolto il nodo. *Arcanum tandem manifestatur, & nodus Gordianus dissolvitur*. Quantunque sia vero che nell' Opere, che del Suarez abbiamo la dannata sentenza rigettisi; vero pur è ciò non ostante, che l' ha il Suarez insegnata, e colle stampe pubblicata eziandio: *Nihilo secius P. Suarez docuerat talem opinionem illamque typis consignaverat*: e se questa ne' libri di lui non apparisce, sappiamo dal MS. esserne la ragione, perchè i Gesuiti raccolti que' pochi esemplari, che già erano esitati, *folium mutaverunt correctione adjecta*. Io non credo, M. R. P., che possiate di me dolervi, che non abbia qui messo nell' aspetto migliore, che far si potesse, tutto il vantaggio, che il Padre Concina e Voi con lui dal MS. traete per chiuder con esso ai Gesuiti la bocca. Vediam ora però se a questi più nulla rimanga a poter replicare di sodo.

„ XIII. Prima di entrare nel merito del MS. a disaminarne l' autorità, accordandovi per alcun poco, ch'ella sia grandissima, onde prestar gli si debba tutta la fede; dico, che dove ogni altra prova mancasse, a convincere il P. Concina d' infedeltà nello scrivere contro i Gesuiti, e dimostrare *l' enorme aggravio* da lui fatto al Suarez, sarebbemi d'avanzo la sola verità del racconto ch' Egli dal MS. produce per sua difesa. Io non dubito punto, che Voi qui riderete di me, e fors' anche per me nuovamente *v' arrossirete udendomi parlare in questa foggia*. Ma trattenete, Padre mio, per breve tempo la maraviglia o confusione che sia: e a me badando vedrete che questa non è una baja; ma la cosa sta pur così, che dal MS. troppo più di danno torna al P. Concina, che non di vantaggio. Primieramente allorchè Egli scrisse la *Storia* veduto non avea per anco il MS. scoperto sol dopo per occasion di rispondere al P. Gagna, e però nulla sapeva nè del cambiamento del foglio fatto nel quarto Tomo, nè della correzione seguitavi: nè altra Dottrina del Suarez eragli nota diversa da quella che leggesi ne' libri di lui rimastici. Non è così? Or bene: Era dunque il P. Concina persuaso, che l' unica Dottrina del Suarez circa l' assoluzione in lontananza quella fosse, che nel quarto suo Tomo *de Pœnitentia* ritrovasi, cioè che tale assoluzione non può valer mai: e il vedere, che *Exemplaria quæ nunc habemus Operum Doctoris Eximii perhibent P Suarez non defendisse opinionem damnatam*, ancor era per lui *argumentum ineluctabile* a convincerlo, che il Suarez non ha difesa *la sentenza dannata*. E pure, ch'il crederebbe? Persuaso così com'era e convinto del contrario afferma ciò non ostante nella sua Storia, che il Suarez prima del Decreto di Clemente ha sostenuta *la dannata sentenza*. E che diremo noi mai della sincerità, e della buona fede di questo Scrittore? Avesse ben egli a caso indovinato, e detta cosa scopertasi poscia dal MS. per vera; non lascia per ciò d'aver Egli affermata cosa, che non sapeva, e contro la propria coscienza data in discredito del Suarez un accusa, che per *argomento ineluttabile* ancor pareagli non poter esser vera. Quale credito però volete Voi, ch' Egli più s'abbia in tante cose che de' Gesuiti racconta, se quelle, di cui non che aver prova ha in contrario ragione, che sembragli senza replica, francamente le afferma nè più nè meno che se gli fossero evidentissime? Nè qui a scusa del P. Concina varrebbevi, Padre mio, il dire, ch' Egli nella Storia scrivesse aver il Suarez difesa *la dannata sentenza* sulla fede de' vostri Autori, che hanno ciò asserito. No questo non basta a difenderne la sincerità, e a sostenerne la buona fede. Imperocchè sapendo pur Egli, che a suoi Autori opposti s' erano di forza i Gesuiti producendo i testi chiarissimi del Suarez nei quali vedesi di proposito impugnata *la dannata sentenza*; ed ignorando che questa si contenesse nel foglio levato via, doveva senza dubbio prima di rinnovarla esaminar Egli stesso l' accusa, e trovando, che veramente *Exemplaria Operum Doctoris eximii perhibent P. Suarez non defendisse opinionem damnatam*: e parendogli questo *argumentum ineluctabile*; conveniva sospendere il giudizio, e su tal punto tacersi del tutto o dirne almeno quel solo, che allor ne sapeva, cioè che il Suarez era dai Domenicani accusato d' aver difesa *la dannata sentenza*, ma che questo dai libri di lui non appariva. Così certamente l' equità richiedeva, e la buona fede. Ma tante cautele, e riserbi trattandosi di screditar un Gesuita alla stretta Morale del P. Concina sono scrupoli: e con tutto l'*argomento ineluttabile* in contrario Egli francamente afferma, che il Suarez *ha sostenuta la dannata sentenza*. E sì che dicendo questo non può avere voluto dir altro se non che sostenuta l' abbia ne' libri che di lui corrono, i quali confessa Egli ora, che *perhibent P. Suarez non defendisse opinionem damnatam*. Questo è manifesto sì perchè non potendo intendere del foglio mutato, che ignorava; rimane che s' intendesse dei libri quai gli abbiamo: sì perchè dice il P. Concina, e cel ridite Voi pure, ch' egli ha tratta fuori questa sentenza del Suarez *per confutare la perniciosa proposizione del preteso P. Segneri, che in tuono risoluto, e franco asseriva, che il Suarez* con altri, che qui non fanno, *non hanno mai insegnate dottrine larghe*. Or è fuor di dubbio che la proposizione del Segneri s' intende di dottrine, che trovinsi ne' libri degli Autori, che nomina: poichè queste sole potevano a lui esser note: dunque il P. Concina per confutarlo ha preteso d' opporgli una *larga dottrina*, che nell' Opere del Suarez si ritrovasse; E' dunque manifestissimo, ch' Egli nella sua Storia ha voluto dire, e far credere, che ne' libri lasciatici dal Suarez sia *la dannata sentenza* da lui insegnata, non ostante che in questi libri vedessela „ aper-

(*a*) Pag. *604*.

„ apertamente negata: della qual falsità lo convince ora senza replica il MS. medesimo, da cui apparisce, che *la dannata sentenza* non era se non nel foglio, che fu tosto levato. Ed eccovi già un gran pregiudizio, Padre mio Riveritissimo, che colla scoperta del MS. si è fatto il Padre Concina: poichè producendolo si è palesato per uno Scrittore, che senza nulla saperne scrive de' Gesuiti ciò, che gli pare, anzi pur il contrario di ciò che gli pare.

„ XIV. Sarebbe però manco male, se dopo d' avere il P. Concina nella sua Storia contro la propria persuasione accusato il Suarez; potesse almen ora mostrare col MS., che fu vera l' accusa. Ma per sua disgrazia il MS. ne mostra anzi ad evidenza la falsità. Imperocchè qual' è l' accusa data dal P. Concina nella Storia? Questa appunto, che il Suarez prima del Decreto di Clemente *ha sostenuta la sentenza*, *che fu poscia dannata*. Chiunque legge questa proposizione assoluta e franca non può intenderla se non così, che il Suarez delle due opposte sentenze, negando l' altra quella prendesse a sostenere, la quale *fu poscia dannata*: Che questa a preferenza della contraria riputasse vera, e promovesse credendola a migliori argomenti appoggiata: così come s' intende dicendosi, che i Tommisti sostengono *la grazia predeterminante*, che i Scotisti sostengono l' *Immacolata Concezion di Maria*, che i Gesuiti sostengono *la scienza media ec.* Questo è il diritto senso di quella proposizione: nè il P. Concina, che nulla sapeva del MS., può scrivendola averla intesa d' altra maniera. Or dov' è mai che nel MS. si vegga una tale accusa? In questo raccontasi, che il Suarez prima del Decreto tenne per più probabile, & *multis rationibus confirmavit* la sentenza che nega esser valida l' assoluzione in lontananza: ma pur accordò, che anche l' opposta, che ne afferma il valore, ed è *la dannata*; in grazia degli antichi Tommisti, che l' insegnavano, fosse probabile. Poniamo per ora, che sia vero il racconto. Dunque è falsissima l' accusa data dal P. Concina, che il Suarez sostenesse *la sentenza dannata*, ed è manifesto, che sostenne anzi l' opposta. Imperocchè se di due sentenze vogliasi una assolutamente dire sostenuta dal Suarez; quella certamente de' dirsi, ch' Egli ha preferita, e presa con molte ragioni a provare diffusamente: piuttosto che l' altra da lui proposta, cui non tanto per suo sentimento, quanto per l' autorità di quelli, che l' hanno difesa chiama semplicemente probabile. E per verità, Padre mio Riveritissimo, parvi egli, che l' accordare ad una sentenza da gravissimi Dottori insegnata, pur qualche probabilità debba bastare perchè chi lo fa dicasi francamente sostenitore di quella: non ostante ch' egli siasi dichiarato, che per più probabili argomenti la giudica falsa? E che? Vorreste Voi dunque, che il Suarez per non lasciar luogo all' accusa *d' aver sostenuta la dannata sentenza*, si scagliasse contro gli Autori che la sostennero, rimproverando loro d' aver insegnata una dottrina temeraria, scandalosa, perniciosissima? Che contro un Paludano, un Silvestro, un Turrecremata, l' uno e l' altro Soto, e oltre agli altri un S. Antonino medesimo rivolgendosi, e declamando forte li traducesse siccome rilassati Probabilisti, Corrompitori della sana Morale, Profanatori dei Sacramenti di Gesù Cristo, Rovinatori di tante anime, che dalla dottrina loro ingannate vanno per invalide confessioni all' inferno? Vorreste, dico, che dovesse il Suarez riscaldarsi così per non poter essere accusato d' aver insegnata *la dannata sentenza*? Ma che ci volete Voi fare? Al naturale dolcissimo, e molto più alla religiosa umiltà, e singolare modestia del Suarez non confacevasi un cotal zelo riserbato a' tempi nostri per certi Scrittori di *Cristiane Teologie*. A lui più che le focose declamazioni piaceva dire semplicemente il parer suo, e ritenuto il dovuto rispetto per quello d' altri, non prevenire arditamente il giudizio della Chiesa con censurarlo. Io non so cosa a Voi possa parere di questa moderazione; ma ditemi per fede vostra: osereste Voi di negare apertamente, che tutta insieme l' autorità di Paludano, di S. Antonino, e degli altri Dottori pur or nominati con quelli ancora, che possono aggiugnersi, bastasse a dare qualche probabilità almeno estrinseca ad una non ancor dalla Chiesa riprovata sentenza? Appena ch' io possa creder tanto di Voi: e però dico, che non avrebbe dunque gran torto il Suarez, quando pur egli, come racconta il MS., alla sentenza dell assoluzione in lontananza in grazia de' rispettabili Autori vostri, di cui ella è, avesse prima della condanna alcuna probabilità conceduta: e potrebbe questo non che a niun disdoro dell' esimia sua dottrina, a molta lode recarsi della rara sua modestia. Comunque sia, certo è, che la deferenza avuta dal Suarez a' Dottori di tanta probità e dottrina in accordare, che la loro sentenza fosse probabile dopo d' aver egli come più probabile insegnata l' opposta, non basterà mai perchè con verità possa dirsi assolutamente, ch' egli *ha sostenuta la dannata sentenza*. Io non credo, che sarà tra' Gesuiti niuno tanto indiscreto Teologo, il quale non accordi, che la vostra sentenza della *grazia predeterminante* sia probabile almeno in quanto non è dalla Chiesa riprovata, e può tra' Cattolici senza taccia difendersi. Così ha di fatto risposto il P. Annato ai Giansenisti: Lo stesso dico de' Teologi Domenicani più temperanti del P. Concina in riguardo alla *scienza media*: come appunto ha risposto il dottissimo vostro Cardinal Gotti all' Eretico Picenino. Or non parrebbevi sonora falsità di chi per questo assolutamente dicesse, che il P. Annato con i Gesuiti sostengono la *grazia predeterminante*, e il Cardinale Gotti con i Domenicani la *scienza media*? Di simile falsità rimane dunque convinto il P. Concina, il quale senza ristringimento, o spiegazione che sia, assolutamente afferma, che il Suarez *ha sostenuta la dannata sentenza*, mentre il MS. assicura, ch' egli ha sostenuta come più probabile l' altra, nè a questa ha conceduto di più, che l' essere semplicemente probabile. Osservate di fatti, che il P. Concina riconoscendo anch' esso d' avere nella Storia errato, e veduto dal MS. scoperto l' errore ha poi nella Teologia Cristiana cercato di correggerlo, o ricoprirlo in alcun modo: e mutata la sua prima proposizione assoluta ritirandosi alcun poco si è ristretto a dire, che il Suarez *ante Decretum*

„ *cretum*

,, *cretum Clementis VIII. docuit probabilem esse opi-*
,, *nionem postea proscriptam.* Colle quali parole,
,, come vedete, egli tacitamente confessa, e ritrat-
,, ta la sua prima falsità, la quale però in grazia
,, di questa quantunque non del tutto bastevole ri-
,, trattazione gli si potrebbe or perdonare, se rivo-
,, cando una, altra subito troppo peggiore, ed al
,, Suarez più ingiuriosa non le sostituisse, di cui pu-
,, re non voglio altrimenti, che col Manoscritto
,, suo convincerlo.

,, XV. Volendo noi stare al racconto del MS. è
,, certo che quella qualunque probabilità, che il
,, Suarez prima del Decreto concedeva alla senten-
,, za dell' assoluzione in lontananza; uscito appena
,, il Decreto che la dannava, espressamente gliela
,, negò, e cambiato il foglio ha insegnato come ora
,, nel quarto Tomo si legge, che tale sentenza de'
,, riputarsi non che assolutamente falsa, ma, se-
,, condocchè nel Decreto è tacciata, temeraria, e
,, scandalosa. Non è ella dunque calunnia manife-
,, stissima quella che il P. Concina non ostante,
,, che già letto avesse il MS. da nella *Teologia*
,, *Cristiana* al Suarez accusandolo d' aver anche
,, dopo il Decreto seguitato a tener per probabile
,, la dannata sentenza? E no, dite Voi, il P. Con-
,, cina (*a*) non dice questo: ed è il P. San Vi-
,, tale, che *con troppa arditezza lo avvanza.* E
,, sì, Padre mio Riveritissimo, il P. Concina lo dice
,, benissimo, e siete Voi che *con troppa arditezza* il
,, contraddite dopo d' averlo detto Voi stesso nien-
,, te meno del vostro Cliente. Non affermate amen-
,, due, anzi nol ripetete ad ogni tratto, che il
,, Suarez per questo che prima avea sostenuta come
,, probabile la dannata sentenza s' inducesse poi dopo
,, ad interpretare a favor d' essa il Decreto? Sono
,, pur queste parole del P. Concina: *P. Suarez an-*
,, *te Decretum Clementis VIII. docuit probabilem esse*
,, *opinionem postea proscriptam: IDCIRCO interpre-*
,, *tatus est Decretum Pontificium in favorem opinio-*
,, *nis a se probabilis prius existimatæ?* Poichè dun-
,, que volete che per amore della dannata sentenza
,, creduta prima probabile, e a vantaggio di essa
,, abbia il Suarez interpretato il Decreto, è mani-
,, festo, che tutt' insieme volete ch' Egli anche do-
,, po il Decreto seguitasse a riputarla probabile,
,, perchè dove tale più non la credesse, non se-
,, rebbesi in grazia di quella mosso a cercare l'
,, interpretazione per favorirla. Oltre di che
,, sentite un poco ciò che dice il P. Concina del
,, cambiamento fatto nel Tomo quarto del fo-
,, glio, in cui a detta del MS. la *dannata sen-*
,, *tenza* sostenevasi come probabile. Ma per me-
,, glio intenderne il sentimento richiamate prima
,, in mente, che la sentenza sostenuta nel foglio
,, levato via, secondo le parole, che ne riporta
,, il MS. era precisamente quella, che tien per
,, *valida l' assoluzione in lontananza.* Or ascol-
,, tiamo il P. Concina. Uscito che fu, dic' Egli,
,, il Decreto di Clemente, il P. Suarez mutò il
,, foglio; ma tuttavia ritenne l' affetto primiero
,, alla probabilità della sentenza, che avea nel fo-
,, glio insegnata. (*b*) *Mutatum folium est: sed*
,, *mutata non fuit animi affectio erga PROBABI-*
,, *LITATEM talis opinionis.* Io non so, come più
,, chiaramente potesse il P. Concina affermare,
,, che il Suarez anche dopo il Decreto così come
,, prima credesse probabile la dannata sentenza
,, dell' assoluzione in lontananza. Come però
,, essendo la cosa sì chiara, avete avuto coraggio
,, di tacciare il P. San Vitale *di troppa arditezza*,
,, per aver Egli scritto, che *il P. Concina infama*
,, *il Suarez con apporgli, che dopo il Decreto di*
,, *Clemente VIII. sostenesse tuttavia per probabile l'*
,, *opinione proscritta dal Pontefice?* Qual verità più
,, certa e più palese di questa, che dice il P. San-
,, Vitale troveremo noi mai? E quì, M. R. P. po-
,, tete eziandio vedere, che niente meno a torto
,, vi siete dello stesso Padre doluto reo facendolo
,, d' *una patente calunnia* per aver Egli detto che
,, *il P. Suarez trattato venga da mentitore sfronta-*
,, *to. Dove mai*, soggiugnete (*c*), *o l' Autore del MS.*
,, *o il P. Concina hanno così trattato quell' Esimio*
,, *Teologo?* Dove fatto se l' abbia l' *Autore del*
,, *MS.* di quì a poco il vedremo: benchè non pare,
,, che di lui s' intendesse il P. San-Vitale: Ve-
,, dianlo frattanto del *P. Concina.* Narra, sicco-
,, me poc' anzi dicea, il MS., che il Suarez dopo
,, il Decreto di Clemente mutato il foglio, in cui
,, davasi per probabile l' assoluzione in lontanan-
,, za; altro sostituì, in cui corresse, come ora in
,, tutte le edizioni si legge, cioè che la sentenza
,, dell' assoluzione in lontananza è *falsa*, e devesi
,, come nel Decreto tacciare di *temeraria*, *e di*
,, *scandalosa*, nè può per niun caso, che fingasi,
,, mettersi lecitamente in pratica, per ciò ch' ella
,, è dal Pontefice proibita. *Nec licet illa opinione*
,, *in praxi uti etiamsi fingatur quicumque casus ne-*
,, *cessitatis, maxime propter hanc prohibitionem Pon-*
,, *tificis.* Di questo fatto conviene il P. Concina;
,, ma vuole, come pur or è detto, che fosse que-
,, sto un artificio del Suarez, per dissimulare,
,, non per emendare l' errore. Pretende, che mu-
,, tando il foglio egli ben abbia colle parole affer-
,, mato, che la sentenza dell' assoluzione in lon-
,, tananza è temeraria, e scandalosa, e proibita,
,, nè può per niun modo usarsi, ma tutto l' op-
,, posto credesse in cuor suo seguendo a giudicare
,, probabile tale sentenza, per cui riteneva inte-
,, ro tutto l' affetto. *Mutatum folium est; sed*
,, *mutata non fuit animi affectio erga probabilita-*
,, *tem talis opinionis.* Nel nuovo foglio sostituito
,, le parole erano contrarie a quelle del primo;
,, ma lo stesso di prima era l' interno sentimento
,, dell' animo. Or non è egli questo, stimatissimo
,, Padre mio, trattare in cosa rilevantissima l'
,, *Esimio Teologo da mentitore sfrontato*, che una
,, cosa dice, e altra pensa? Che mostra esterna-
,, mente tutta la sommessione, e la deferenza al
,, Pontificio Decreto; ma internamente non ne
,, ha punto? Nè mi venite a dire, che il P. Con-
,, cina dopo narrato il cambiamento del foglio lo-
,, da di ciò il Suarez, come d' un' azione pru-
,, dente e saggia: *Prudentiæ plenum factum est.*
,, Questi sono i soliti sutterfugi, ch' ei si prepara

(*a*) Tom. 3. p. 282. (*b*) Pag. 609.
(*c*) Tom. 3. p. 278.

„ per ogni caso, che gli si rinfaccino le sue calunnie. Del resto che fa questa lode; s' egli poi dopo tutta la correzione riduce a infingimento, e vuol, che siasi l' errore bensì corretto nel foglio, ma non nella mente: *Mutatum folium est: sed non animi affectio?* Egli è dunque fuor d'ogni dubbio, che il P. Concina attribuisce al Suarez d' aver seguitato anche dopo il Decreto a giudicare probabile la dannata sentenza, e nella sola apparenza ha mostrato di riprovarla: e di questa falsità sua gravissima è ad evidenza convinto dal MS., il quale afferma, che il Suarez dopo il Decreto mutato di presente il foglio apertamente negò la probabilità, che alla dannata sentenza avea prima concessa: e per quanto ne riferisce il P. Concina non dice sillaba, onde mostri di credere, nè che la probabilità della dannata sentenza nel nuovo foglio levata ritenesse tuttavia nell' animo, nè che per essa abbia voluto interpretar il Decreto. Ecco dunque se è vero, come più addietro ho detto, che dal gran documento del MS. troppo più di danno ne torna al *Christiano Teologo*, che non di vantaggio. Il danno è, che quindi si è fatto palese, ch' egli ha da principio francamente accusato il Suarez di cosa, che non sapeva, anzi di cosa, la quale per *argomento ineluttabile* parevagli falsa: che nella *Storia* dicendo assolutamente aver il Suarez *sostenuta la sentenza, che fu poscia dannata*, ha scritta un' apertissima falsità: e che finalmente falsità più solenne e grave ha poi aggiunta nella *Teologia Christiana*, dicendo, che il Suarez dopo il Decreto seguitò a giudicare probabile la *dannata sentenza*, e in grazia di questa, e per favorirla interpretò il Decreto. Se tutto ciò non sia al P. Concina danno gravissimo, lascio a Voi il deciderlo. Ma quanto al vantaggio altro non può egli trarne, se non che veramente il Suarez prima della condanna sostenendo egli come più probabile la sentenza, che nega esser valida l' assoluzione in lontananza, abbia per rispetto agli antichi Tommisti, che l' insegnarono, conceduto, che fosse la contraria probabile. Il che, dove pur vera fosse la cosa, leggier male sarebbe per il Suarez, e però al P. Concina piccol vantaggio, che certo non basterebbe a potersi nè da lui, nè da Voi cantar il trionfo. Ma fatto è, che neppur così poco può bastevolmente provarsi col MS., ch' il dice: poichè non è questo di tanta autorità, che il dirlo semplicemente debba valere a doverglielo credere senza più, come spero di farvi chiaramente vedere.

„ XVI. Vedendo io, che per rispondere all' argomento del MS. era d' avvanzo quello, che il P. Concina, e Voi ne riferite, pensava in su le prime di non volerne cercare di più. Ma poi sovvenutomi del grave *mal d' occhi* per cui nelle cose de' Gesuiti suole assai volte il P. Concina travvedere: e parendomi cosa simile a miracolo, ch' egli nel riportare il testo longhissimo del MS. sentito non avesse di questa sua infirmità alcun tocco; mutai consiglio, e volli del preso sospetto per certa informazione chiarirmi. Scrissi per tanto a Roma ad un Amico, il quale per cortesia del Padre, che tiene cura della *Biblioteca Angelica* avuto tutto l' agio di visitare il MS. ha potuto, siccome graziosamente ha fatto, favorirmi della notizia da me richiestagli: e il credereste Voi, ch' io l' abbia indovinata? E pur è così; il P. Concina mal grado la sua *grande sincerità* riportando nella *Teologia Cristiana* il testo lo ha certamente per *debolezza di vista* notabilmente alterato sul bel principio, e badate quanto l' alterazione rilevi. Nell' incominciarsi il racconto fa Egli dire al MS. così; *Nunc refert scire quæ* (P. Suarez) *typis mandaverat &c.* Queste parole ci formano subito in capo l' idea d' uno Scrittore che prende in guisa d' Istorico a narrare semplicemente le cose del Suarez, senza che trasparisca pur ombra di passione, che possa renderne in alcun modo sospetta la buona fede. Ma tutt' altra, e ben diversa idea ne formano le vere parole del MS. Sentitele, Padre mio; e *dove l' Autore del MS. ha trattato da mentitore l' Esimio Teologo* potrete in esse vedere *Non refert sincere* (P. Suarez) *quæ typis mandaverat &c.* Quì vede subito ogn' uno, che lo Scrittore non è un Istorico disappassionato, che narri un fatto: ma un dichiarato Avversario, che impugna il Suarez e dagli apertamente una mentita tacciandolo d' infedeltà ne' suoi racconti. Se questa alterazione del testo siasi dal P. Concina fatta a malizia per tenerne l' Autore in credito, altri sel vegga. Forse ch' ella innocentemente seguì per puro caso. Ma un gran caso è questo, che di tante volte che il buon Padre prende com' egli si scusa, per *debolezza di vista* abbaglio; mai non avvengagli di sbagliar altrimenti, che in aggravio de' suoi Avversarj. Intanto dalle parole o per malizia, o per caso scambiate, e da tutto il seguito del MS. chiaramente apparisce, che l' Autore non è persona, che fosse nell' affar del Suarez indifferente, ma persona ch' avea briga con lui, che ha preso a scrivergli contro direttamente; che di proposito lo confuta: nè vuol dargli fede neppur in quello, ch' egli di se stesso racconta. E volete Voi, che tale persona abbia contro il Suarez autorità così grande, che quanto ne dice, tanto debbasi senza più, che la semplice sua parola tener per certo? Se a provare che il P. Concina ha calunniato il Suarez, l' autorità vi recassi del P. Gagna, che lo afferma: che direste Voi mai di me? Il meno sarebbe *compatirmi della mia grande inavvedutezza*, che a testimonio prendessi lo stesso accusatore: permettetemi dunque, ch' io pur Voi *compatisca della grande inavvedutezza* vostra, che credete dovere la semplice testimonianza di un Incognito valere per argomento irrefragabile contro il Suarez; di cui Egli apertamente dichiarasi confutatore, ed è per avventura alcuno di que' vostri Padri nell' affar del Suarez riscaldatissimi, comunque poi sia lo scritto con altri di materie diverse raccolto nell' *Angelica Biblioteca* passato. Tanto più che il racconto del MS. rendesi anche per altri capi sospetto. Come mai essendo vera la cosa, di tanti antichi e moderni Scrittori, i quali hanno di questa nostra contesa trattato, niuno, ch' io abbia veduto, ne dice parola? E sebben io non gli abbia tutti potuto vedere, con-

„ vien

„ vien pur dire, che niuno ne parli, neppur di que' „ vostri Padri stati i primi, e credo gli unici Accusatori del Suarez, poichè lo stesso P. Concina „ mostra di non avere altrove, che nel MS. trovata notizia di questo fatto. Possibile, che tutti, e gli Avversarj principalmente più inferiti „ abbiano taciuto un fatto, che a parere del P. „ Concina e vostro è *affatto decisivo*: e ad evidenza dimostra la verità dell' accusa data al Suarez d' aver Egli *sostenuta la dannata sentenza*? „ Oltre di che perchè non dice l' Autore del MS. „ dove ritrovisi la prima edizione del quarto Tomo „ del Suarez col foglio primiero, in cui veggasi „ sostenuta, come probabile l' assoluzione in lontananza? Imperocchè o ne hanno i Gesuiti raccolti „ subito tutti affatto gli esemplari; e come ha „ potuto questo Scrittore dopo qualch' anno copiare le parole, che ne riporta, le quali non sono „ sì brevi, che per averle di passaggio lette una „ volta, potesse passato già alcun tempo ancor tenersele in mente? O mal grado la diligente ricerca fattane, fuor delle mani de' Gesuiti è pur qualche esemplare rimasto, in cui però non siasi potuto mutare il foglio; e come non avvisare, dove questo esemplare per la rarità sì pregievole si „ ritrovasse, e dove abbia Egli avuto agio di leggerlo, e le parole fedelmente copiarne per così „ autenticare il suo racconto, e non comparire un „ calunnioso favoleggiatore?

„ XVII. Ma Voi, M. R. P. tutti gli antidetti caratteri di falsità, i quali presso qualunque Critico sarebbero almeno per un grave sospetto bastevolissimi, avete per niente: nè potete persuadervi, (*a*) che *sia alcuno sì prevenuto dallo Spirito di* „ *fazione, che non vegga, quanto credito si meriti* „ *un MS. fatto al tempo stesso, che la cosa addivenne, esistente in celebre Libreria non già de' PP.* „ *Domenicani ma de' PP. Agostiniani, che narra* „ *un fatto recentissimo, e sotto gli occhi dell' Autore* „ *succeduto con ischiettezza e semplicità che ovunque* „ *apparisce evidente, e fiancheggiato inoltre dall'* „ *autorità di altri gravi Scrittori di que' tempi,* „ *senza che contraddetto venga da alcun' altro contemporaneo Scrittore*. Prima di rispondere a questi fondamenti, che dalle qualità del MS. traete „ a stabilirne il credito; devo tor via tutto quello, „ che senza niuna prova, anzi con certa falsità aggiugnete del vostro. Primieramente dov' è, che nel „ MS. si legga, ovver da esso raccolgasi, che sotto gli „ occhi dell' Autore avvenisse il fatto? Non pare anzi il contrario poichè è assai verissimile, che il „ MS. sia composto in Roma, mentre il fatto non „ può essere avvenuto che nella Spagna? Inoltre dare sul bel principio una mentita al Suarez non „ certo, come dite, scrivere *con ischiettezza, e* „ *semplicità che ovunque apparisca evidente*. Ultimamente chi son' eglino *i gravi Scrittori di que'* „ *tempi, che colla loro autorità fiancheggino* il fatto „ narrato dal MS. cioè che prima del Decreto di Clemente il Suarez sostenesse nel suo libro per probabile l' assoluzione in lontananza: e che poi dopo siasi levato il foglio, in cui era questa dottrina? Io non so di niuno che ciò racconti: nè „ credo che Voi il sappiate: poichè tutto solo ci „ presentate l' Autore del MS. senza porgli a lato „ compagni, che lo *fiancheggino*. Levate dunque „ le frasche da Voi per ornamento aggiuntevi di „ cortesia; le massiccie colonne, con cui sostenere „ volete il rovinoso credito del MS., sono queste „ tre senza più. 1. Ch' esso sia *esistente in celebre* „ *Libreria*. 2. Che *sia fatto al tempo stesso, che la* „ *cosa addivenne*. 3. Che *contraddetto non venga* „ *da alcun altro contemporaneo Scrittore*. Vediamo „ però quanta sia la sodezza di queste maravigliose colonne vostre. Quanto alla prima, „ qual' è mai quella Libreria la quale per la sua „ *celebrità* abbia il privilegio di rendere autentica „ e sicura ogni cosa, ch' entro vi si ritrovi? Quanti apocrifi MSS., e favolosi racconti di libri „ stampati si trovano ancor nelle più famose Librerie del Mondo? Io tengo per fermo, che „ dopo la morte del P. Concina i MSS. e suoi, „ e d' altrui, che non può a meno di non avere moltissimi in camera, tutti siccome preziosi avanzi, o gloriosi trofei di tante sue battaglie riposti saranno, e custoditi con gelosia nella *celebre Biblioteca Casanatense*. Or fate, che di „ qui a cinquant' anni, o cento alcuno tra Voi „ per tenere in piedi il costume antico nuova guerra riaccenda contro i Gesuiti. Sarebbero ben questi malconci, se tutte le favole, che di tai MSS. „ traesse il novello Combattitore, dovessero riputarsi fatti sicuri ed autentici per la *Celebre Libreria*, in cui allora saranno. Ma in che mi „ trattengo, se Voi stesso sentita la fievolezza di „ questa vostra prima colonna, appena alzatala, „ l' abbattete Voi subito confessando *di non pretendere, che tutto quello, che si rinviene nell' Angelica Biblioteca faccia autentica testimonianza*. Or „ lodato sia Dio, che dite bene: ma anzi che subito rivocarla, meglio era non farne uso, e tacere del tutto una ragione sì frivola. Veniamo „ dunque all' altro appoggio. Egli è verissimo, che „ il MS. narra un fatto de' tempi suoi, ma neppur questo è bastevole a doverglisi prestar fede. „ Anche il P. Concina nel suo *Esame Teologico* narra un fatto de' tempi suoi spacciando per „ Autore dell' Avviso premesso ai Dialogi del P. „ Ghezzi il P. Mansi dell' inclita Congregazione „ della Madre di Dio: ma non per questo il fatto „ lascia d' essere una calunnia certissima presa a pretesto di malmenare quel Religioso e Letterato di „ grandissima stima. Un fatto de' nostri tempi narrate Voi pure francamente scrivendo(*b*), come cosa „ per pubblica fama notissima, essersi dai Gesuiti „ *certo congresso formato in Città principale d' Italia* „ *per far la scelta di varj valorosi Campioni, che si* „ *pigliassero l' assunto di venir con Voi alle mani:* ma „ non per questo il fatto lascia d' essere una solennissima falsità avvanzata per far comparire formidabili le vostre Lettere. Lo stesso dite di altri „ fatti de' nostri tempi dal P. Concina, e da „ Voi raccontati, i quali pur sono falsissimi. „ L' essere lo Scrittore contemporaneo al fatto „ che narra, allora è argomento di verità, „ quando egli non sia per altra parte sospetto, „ nè v'

(*a*) Tom. 3. p. 278.
(*b*) Tom. 3. pref. p. XII.

,, nè v' abbia ragione, per cui dovesse premergli più ,, l' essere, che il non essere ciò che racconta, ma ,, non già quando lo Scrittore, come appunto l'Autore del MS. ha interesse nel fatto, il quale tornagli a vantaggio contro l' Avversario, con cui è ,, in contesa. Bene sta, direte; ma in tal caso il ,, fatto essendo falso vedrebbesi da qualche *contemporaneo Scrittor contraddetto*: ciò che del MS. non ,, è. Questo è il terzo pontello, che Voi ponete ,, niente più de' due primi acconcio. Imperocchè cosa sapete Voi, se il MS. siasi mai pubblicato, e ,, sparso: onde veder si potesse, e *contraddire* da ,, chi avuta n'avesse la voglia? Questo stesso, che ,, di tanti Scrittori Domenicani, e Gesuiti, ai quali stato sarebbe opportunissimo il favellarne *o pro* ,, *o contra*, non ne abbiano fatta parola, è argomento, ch' esso non siasi divulgato mai: ma dalle mani del suo Autore per poche altre privatamente passato alla Libreria, dov' è, vi ci sia rimasto sepolto finchè il P. Concina e Voi venuti ,, non siete a trarnelo ultimamente a luce aperta. ,, E come dunque volete Voi, che il MS. venisse ,, *contraddetto* da niuno, se non sapevasi pure che ,, fosse al Mondo? Poichè dunque le ragioni da Voi ,, addotte certamente non bastano a conciliare autorità a questo documento vostro; ben posso con ,, più ragione di Voi conchiudere: *Chi è mai sì prevenuto dallo spirito di fazione*, che voglia dar credito ad un MS. d' incognito Autore per più capi ,, giustamente sospetto senza niun carattere di verità, che l' autorizzi?

,, XVIII. Benchè io v'abbia, M. R. P., buonamente passato, che il Vostro MS. *contraddetto non venga da alcuno Scrittore contemporaneo*, non vi ,, crediate però che stia la cosa così. Ve l' ho passato soltanto per farvi sentire la debolezza degli ,, argomenti vostri, i quali per qualunque verso vogliansi prendere, sempre sono inefficaci. Per altro ,, dico, che non ostante la grande franchezza, con ,, cui niente sapendone, l' affermate, la cosa è falsissima, essendo certo, che il MS. è da *Scrittore contemporaneo* di molta autorità *contraddetto*. Ella ,, è cosa di gran maraviglia, e di poco onor vostro, ,, Padre mio Riveritissimo, che trattandosi nella nostra contesa della dottrina del Suarez circa l' assoluzione in lontananza, Voi questa cercata abbiate tutt'altrove, che dove più conveniva, cioè ,, nei libri dello stesso Suarez, i quali curato non ,, vi siete d'aprire per vedere cogli occhi vostri ,, ciò ch'Egli insegni là dove tratta di questa materia. Io dico così, perchè lasciati altri argomenti, che ho di così credere, se letta aveste la quistione, che fa il Suarez sull' assoluzione in lontananza avreste sul bel principio veduto il vostro ,, MS. *contraddetto* da lui medesimo; non in quanto ,, Egli prenda di proposito ad impugnarlo, che verisimilmente non seppe mai nulla di questo oscuro suo Avversario: ma in quanto fa il racconto ,, di tutt' altra maniera, ciò che pur è contraddirgli. Sentite di grazia com' egli parla nel luogo ,, dal MS. citato cioè nel Tomo 4. de Pœn. alla ,, disp. 19. sess. 3., dove cerca. *Utrum absolutio Sacramentalis possit dari personæ absenti*. Incomincia ,, a dire num. 1., che quando gli fu recato il Decreto di Clemente di poco uscito già era questa sua sessione stampata, e che però siccome su ,, tal quistione, in cui erano prima i Dottori divisi, il Santo Pontefice ha fatta una nuova dichia-,, razione; così a lui conveniva di fare alcuna ,, aggiunta a quello ch' aveva dianzi stampato. Dal ,, che vediamo esser verissimo il cambiamento del ,, foglio, che dice quì fatto il MS. Ma nel nuovo ,, foglio che deve sostituirsi al primo, assicura il ,, Suarez di non far altro, che sinceramente ridire ,, tutto quello ch' aveva già detto prima, e poscia ,, aggiugnere il Decreto con ciò, che in virtù di ,, questo deve ora dirsi di più. Ecco le precise parole del Suarez: *Nunc autem Apostolica Sedes aliquid de novo circa illam* (quæstionem) *declaravit*: *& ideo breviter, ac SINCERE referam, quæ jam scripseram & typis mandaveram priusquam* ,, *Decretum Apostolicum editum & ad me perlatum* ,, *fuisset*. *Deinde ipsum Decretum referam, ut juxta* ,, *illud omnibus sentiendum, & loquendum esse pro* ,, *certo constituam*; ed entra senz' altro nella quistione. Per queste parole del Suarez noi abbiamo, ,, che dal num. 1. fino al num. 15., dove riportasi ,, il Decreto, col cambiamento del foglio non si è ,, fatta nelle cose mutazione alcuna: e ciò che ora ,, vi si legge è quello stesso, che prima del Decreto ,, già era stampato: *sincere referam quæ jam scripseram & typis mandaveram*. Eccovi dunque *contraddetto* il MS., il quale racconta, che al n. 7. il ,, Suarez parlando della sentenza, che nega esser ,, valida l' assoluzione in lontananza avea prima ,, scritto così: *Hanc posteriorem sententiam existimo* ,, *probabiliorem*: con che faceva luogo alla probabilità della contraria. Veduto poscia il Decreto ,, corresse come ora leggiamo: *Hanc igitur posteriorem sententiam veram censeo, quam anno* 1588. ,, *Compluti publice docui*, *& iterum in primaria lectione hujus insignis Academiæ Conimbricensis anno* 1598. Questo racconto del MS. non può esser ,, vero: e se il Suarez prima di venire a riportar il ,, Decreto *sincere refert quæ jam typis mandaverat*; convien dire che nel primo foglio stesse come ,, nell' altro ch' ora abbiamo. *Hanc igitur posteriorem sententiam &c.*: Onde alla probabilità dell' ,, opposta sentenza non si facesse prima del Decreto più luogo che dopo. Passiam ora al num. 15., ,, nel quale è veramente la mutazione, e la giunta, che il Suarez in virtù del nuovo Pontificio ,, Decreto, ha giudicato di dover fare. Avendo Egli ,, ne' precedenti numeri provata e difesa la sua sentenza, che nega il valore dell' assoluzione in lontananza; cerca ivi, se alla contraria, che pur era ,, di Dottori gravissimi, fosse da darsi niuna censura: *Quam censuram mereatur contraria opinio*? A ,, questa domanda in un modo avea risposto nel foglio ,, stampato prima del Decreto: e in altro conveniagli ,, di rispondere in quello, che dovevasi dopo sostituire. E qual fu la diversità della risposta? Se ,, crediam al MS. fu questa, che nel foglio primiero il Suarez rispondeva non potersi dare a quell' ,, opinione censura alcuna, poichè per l' autorità ,, de' gravi Dottori, che l'hanno insegnata ella era ,, probabile: e nel nuovo foglio risponde doversele ,, dare quelle censure, che date le ha il S. Pontefice nel suo Decreto. Ma quì di nuovo è il MS. ,, *contraddetto* dal P. Suarez, il quale dice, che prima del Decreto avuto riguardo a vostri Dottori ,, non osava di censurare la loro sentenza, e contentavasi di tenerla per falsa. *Hactenus ego non audebam* (o ch' egli era ben lungi dal coraggio ,, del P. Concina) *aliam censuram inferre præter* ,, *eam quæ ex assertione sumitur, scilicet esse falsam,*

idque

„ *idque præcipue propter auctoritatem Thomistarum* „ *antiquorum* : ma che dopo il Decreto conviene „ ſiccome in eſſo cenſurarla: *Nunc autem verbis S.* „ *D. N. Clementis VIII. respondendum est*: e quì ri- „ porta tutto per diſteſo il Decreto, e moſtra di- „ chiarata per eſſo invalida l'aſſoluzione in lonta- „ nanza, e la ſentenza de' voſtri Dottori, che l'ave- „ van per buona, tacciata di temeraria e di ſcanda- „ loſa. Sicchè ſtando noi al Suarez tutta la muta- „ zione della dottrina, ch' Egli col cambiamento „ del foglio ha fatta, non è quella, che dice il „ MS. ma sì queſta, che alla domanda ſe la ſen- „ tenza degli antichi Tommiſti meritaſſe cenſura, „ nel foglio ſtampato prima del Decreto: Egli riſ- „ pondeva contenendoſi a negar la ſentenza ſempli- „ cemente ſenz'aver animo d' attribuirle maggior „ cenſura che d'eſſere falſa: e nel foglio ſtampato „ dopo riſponde, che ſenza più riguardare l'autori- „ rità di chi l'ha inſegnata, deveſi ſtar al Decreto, „ e colle cenſure dalle parole di queſto portate tac- „ ciarla. Che dite ora Voi, Padre mio Riveritiſſi- „ mo, del voſtro MS. non *contraddetto da alcuno* „ *Scrittore contemporaneo*?

„ XIX. Veggo ben'io ciò, che ſia per venirvi in „ mente da poter dire. Vi verrà voglia di correg- „ gere Voi ſteſſo l'alterazione dal P. Concina fatta „ nel teſto del MS., e preſene le vere parole: *Non* „ *refert ſincere quæ typis mandaverat*, *& docuerat* „ *&c.* con eſſe riſpondermi, che il Suarez non ri- „ feriſce ſinceramente ciò, che prima del Decreto „ avea già egli ſtampato, ed inſegnato nel foglio „ levato via. A prevenire però queſta voſtra riſpo- „ ſta, laſciata ſtare la falſità niente per ciò meno „ certa, che dite affermando non eſſere ſtato il MS. „ *contraddetto* da niuno, dico io ora così: Da una „ parte dice il Suarez *ſincere referam quæ typis man-* „ *daveram &c.*: dice dall' altra parte il MS. *non re-* „ *fert ſincere quæ typis mandaverat &c.* A qual de' „ due è più ſecondo ragione, che noi preſtiam fe- „ de? Chi foſſe il Suarez, di qual probità, di qual „ credito, che che ne paja a Voi, è aſſai noto al „ Mondo. L'ingenuità ed il candore dell'animo „ traſpira fin dal ſuo modo di ſcrivere ſchietto, e „ ſemplice, ch' il moſtra Uom' incapace di ſimula- „ zioni, ed artificj, non che di aperte menzogne. „ In un Libro, che deve andare per le mani di tutti „ egli aſſicura di riferire ſinceramente la dottrina, „ che prima del Decreto ha publicamente inſegnata „ nella ſteſſa Città di Coimbra, dove ſcriveva: e ſe „ vero non foſſe ciò, ch' egli dice d'avere nelle „ ſue lezioni in quell'inſigne Accademia ſoſtenuta „ ſempre per vera la ſentenza, che nega vali- „ da l' aſſoluzione in lontananza, ſarebbeſi la „ falſità e per gli ſcritti da lui nella ſcuola dettati, „ e per gli ſcolari medeſimi, che ſulla cattedra „ niente più di quattr'anni prima udito l'aveano, „ fatta paleſe: onde la ſteſſa impoſſibilità d'impor- „ re non laſcia luogo a dubitar d' impoſtura. Per „ l'oppoſito chi foſſe l' Autore del MS., ſe di mol- „ ta, o di poca levatura, ſe di buona o di mala „ fede, noi nol ſappiamo. E' veriſimile, ch' egli „ ſcriveſſe in Roma: e ciò, che narra, è nella „ Spagna avvenuto, ſicchè ſembra non averlo egli „ potuto ſapere, che per altrui relazione. Del „ MS. medeſimo non ſi ſa, che ſiaſi divulgato „ mai, nè reſo pubblico, anzi pare dover eſſer'ope- „ ra ſcritta privatamente, e rimaſta poi ſempre „ occulta, in cui però poteſſe dirſi impunemente „ ciò che voleaſi. Or con tanta diſparità di coſe „ nelle due parti *chi è mai sì prevenuto dallo ſpi-* „ *rito di fazione, che non vegga* ſubito doverſi nel „ confronto ſenza niun dubbio all'Autore del MS. „ antipor il Suarez, e a queſto più toſto credere „ che non a quello? Che ſe a Voi, M. R. P., ſem- „ bra tal preferenza ancor troppo onorevole ad un „ Suarez; negherete Voi eziandio di metterli al- „ meno tutti e due di paro, tal che ſoſpendendo „ il giudicio non più all'uno che all'altro ſi cre- „ da? Queſto è poi il meno, che poſſa pretenderſi: „ nè penſo poter eſſere giudice così ingiuſto, che „ negar voglia la ragionevolezza di una tal pre- „ tenſione. E poſto anche ſol queſto ecco ſenza „ niuna forza rimaſto il MS. voſtro, e ſenza fede „ la teſtimonianza, che n' adducete. Che è dun- „ que a penſare dello ſtrepito, della feſta, del „ trionfo, che ne menate? Che diremo noi della „ chiave fortunatamente trovata, che *apre il gran* „ *miſtero*, della ſpada avventuroſa, che *il nodo* „ *Gordiano diſcioglie*, del *documento deciſivo*, che „ *pon fine alla conteſa*? ſe al fin del giuoco tutto „ trovaſi eſſere una veſcica; e il MS. non ha au- „ torità, che baſti a far prova, e quando pure l' „ aveſſe, come abbiamo dianzi moſtrato, aſſai pro- „ verebbe contro il P. Concina, ma poco o niente „ a favore di lui.

„ XX. Quanto poi alla lettera ſcritta dal Suarez „ al Nunzio, di cui fa menzione il MS.; poichè „ nè queſto, nè il P. Concina, nè Voi la produ- „ cete, allora riſponderò, quando farete ch'io „ poſſa vederla: e ſe avverrà, che vi ci ſcorga „ non dico chiariſſima dimoſtrazione, ma pur il „ minimo fondamento a poterſi ragionevolmente „ credere; vi prometto fin d'ora di accordarvi „ ſenza contraſto, che come dice il MS., il Sua- „ rez ſoſtenendo per altro egli l'oppoſta abbia pri- „ ma del Decreto creduta per l' autorità de' voſtri „ Dottori probabile la ſentenza dell'aſſoluzione in „ lontananza: che finalmente non ſarebbe queſto „ tal fallo, ond' io gran briga doveſſi prendermi „ per volerne purgare queſto Teologo. Forſe che „ con qualche ragion mi dorrebbe, ſe vedeſſi, che „ a favore della ſentenza ſtata poſcia da Clemente „ VIII. dannata quello aveſſe fatto il Suarez, che „ i voſtri PP. Vincenzo Candido Maeſtro del Sacro „ Palazzo, e Vincenzo de' Preti Commiſſario del „ S. Officio fecero a favore delle cinque propoſi- „ zioni di Gianſenio, ſtate poſcia dannate come „ eretiche da Innocenzo X. O queſti sì, che come „ dottrina propria le ſoſtennero veramente, e le „ difeſero; poichè non ſi contennero già ad accor- „ dare loro per altrui ſentimento qualche proba- „ bilità, ma di ſentimento ſuo credeanle veriſſi- „ me, e ſane, e cattoliche, e alcuna d'eſſe an- „ cor di fede. Quindi a loro difeſa oltre gli „ Scritti preſentati al Cardinale Roma, e ben „ undici Memoriali dal Reverendiſſimo voſtro P. „ Generale preparati da preſentarſi al Papa, nelle „ Romane Congregazioni diſputarono caldamente „ fino a proſtrarſi di tutta la perſona per terra „ dinanzi al Pontefice affin di diſtorlo dal con- „ dannarle, e a volere, benchè avviſati d'alzarſi, „ tutto inginocchioni recitare un ſermone diretto „ a provare *Eandem Janſenii & Dominicanorum* „ *doctrinam*. E sì Padre mio, che queſt' opera de' „ voſtri Padri a favore delle cinque propoſizioni „ fu in tempo, che ſebben quelle ancor non era-

„ no

„ no tutte dannate, la prima però già lo era: „ come lo ha Innocenzo X. dichiarato nella sua Co- „ stituzione. Se altrettanto, diceva, avesse fatto il „ Suarez a favore della sentenza da Clemente VIII. „ dannata, io per avventura dovrei contristarmene: „ e Voi potreste colle vostre declamazioni non sen- „ za ragione rimproverarnelo, e ad onta di lui, e „ de' Gesuiti recare il fatto. Ma ch' egli tenutosi al- „ la vera sentenza sol concedesse all' altra non ancor „ dannata alcuna probabilità in grazia di quelli, „ che sostenuta l aveano, credetemi, Padre mio, „ è cosa che, come già vi ho detto, de' prendersi „ non già per macchia della sua dottrina, ma per „ commendazione della modestia, e del rispetto, „ ch' egli avea per tutti i Dottori Cattolici, e per „ i vostri singolarmente. Di nuovo però vi ripeto, „ che dove io vegga di questo pur alcun fondamento „ subito l' accorderò volentieri. Ma dopo accordato- „ lo seguiterò a dir come prima, che il P. Conci- „ na ha contro coscienza accusato il Suarez di cosa, „ che per *argomento ineluttabile* credeva falsa: che „ lo ha nella *Storia* calunniato attribuendogli *d'aver* „ *sostenuta la dannata sentenza*, ciò, che stando e- „ ziandio al MS. è falsissimo: che ancor più grave- „ mente lo ha calunniato nella *Teologia Cristiana*, „ dicendo, ch' egli per l' animo, che dopo la con- „ danna così come prima riteneva alla probabilità „ della dannata sentenza interpretò a favore di lei „ il Pontificio Decreto, nel che lo stesso MS. con- „ dannalo. Questo seguirò io a dir francamente „ sicuro, che il P. Concina siccome non ha fin' ora „ nè poco nè punto potuto, così non potrà in av- „ venire nè per se stesso, nè per Voi, nè per chi che „ sia, nè col MS., nè con qualsivoglia autentico „ documento giustificarsene mai.

„ XXI. Ma oimè, che ancor si rimane ad esami- „ nare un argomento, che Voi col P. Concina pro- „ ducete: ed è la triplice autorità dell' *Illustriss. e* „ *Reverendiss. Vescovo Carlo Duplessi d' Argentré*, e „ del *celebre P. Chardon*, *che non è nè Domenicano* „ *nè favoleggiatore;* e finalmente del *P. Dufay Do-* „ *menicano* bensì, ma non *favoleggiatore*. Su via „ dunqne esaminiamo anche questo argomento: ch' „ io non credo di dovere per esso deporre la sicu- „ rezza, che ho detto di avere. Incominciando dal „ Duplessis, egli nell' Opera sua intitolata *Collectio* „ *Judiciorum &c.* dopo narrato il Decreto, con cui „ Clemente VIII. ha dannata la sentenza della Con- „ fessione, e dell' Assoluzione in lontananza soggiu- „ gne (*a*): *Cui judicio Franciscus Suarez occasionem* „ *dit*: *quia in disput.* 21. §. 3. (voleva forse dire „ sect. 4. poichè la disputa 21. non è divisa per §., „ ma per sessioni, e non nella 3. ma nella 4. sessio- „ ne trattasi di cosa, che può avere alla dannata „ sentenza alcun rapporto) *de Sacramento Pœnitentiæ* „ *illam opinionem disciplinæ Ecclesiæ contrariam tra-* „ *didit*. Per dare forza alla testimonianza di que- „ sto Autore, Voi dite, che lo stesso P. Richelmi „ contro certa sentenza del vostro P. Holkot se n' „ è valuto chiamando la di lui Opera *insigne*, *e di* „ *grande autorità*. Benchè il P. Richelmi dica sola- „ mente *di grande utilità*, io di buon grado con- „ vengo, che molto sia il credito di Monsig. Du- „ plessis: ma per questo stesso suo gran credito di- „ co, che la testimonianza di lui è gagliardissima „ contro il P. Holkot, ma non ha forza contro il „ Suarez; e v' ha tra l' uno e l' altro caso grandis- „ sima diversità, Del P. Holkot è manifesto, che il „ Vescovo deve averne egli stesso veduto gli scritti, „ poichè ne riporta il testo longhissimo, in cui si „ vede chiara e netta la strana dottrina del vostro „ Teologo, cioè che quando Davide, e S. Pietro „ peccarono, perciocchè il fecero per trasporto di „ passione, non fu in loro estinta la carità, ma „ raffreddata soltanto e sospita. Non potendo noi „ dunque per il suo credito dubitare, che il Prela- „ to n' abbia alterato il testo; convien confessare, „ che la bella dottrina del P. Holkot fosse appunto „ qual' è riferita. Ma del Suarez per l' opposito il „ medesimo suo credito ci costrigne a dover dire „ che il Duplessis non di sua notizia propria, ma „ unicamente sull' altrui fede, e verisimilmente su „ quella de' vostri Autori, quello scrivessene, che „ ne ha scritto. Imperocchè non ne riferisce nè te- „ sto nè parola, e sbaglia nel modo della citazione, „ e che più è, due falsità racconta evidentissime, „ le quali un Uom di credito non può se non in- „ gannato da altri aver raccontate. E primieramen- „ te, se pur non è che il Duplessis fosse anch' egli „ di sentimento, che i libri de' vostri Autori siano „ per le ree dottrine luoghi di sicurezza, come i „ paesi di *Caccia riservata* alle fiere; non veggo „ con qual fondamento abbia scritto, che il Suarez „ desse occasione al Decreto di Clemente con aver „ insegnata una dottrina, che già da sì gran tempo „ correva liberamente ne' libri di Paludano, di S. „ Antonino, e d' altri assai Domenicani Scrittori. „ Se la dottrina meritava condanna, che certo la me- „ ritava, non era forse occasione bastevole ad argliela l' „ averla già tanti altri insegnata, senza aspettare che „ venisse ad insegnarla il Suarez? Ma lasciando ora „ questo da parte: egli è certissimo, che quando il „ Decreto nella Spagna pervenne, il Tomo *de Sa-* „ *cramento Pœnitentiæ* ancor non era del tutto stam- „ pato, come dice lo stesso Suarez: e se star vole- „ te al vostro MS., appena se n' erano incominciati „ a spargere alcuni esemplari stati poi subito dai „ Gesuiti raccolti. Anzi nella disputa 21. citata dal „ Duplessis è appunto dove il Suarez ha preso ad in- „ terpretar il Decreto, il quale per conseguenza do- „ vea già prima essere uscito. Come dunque può sta- „ re, che il Suarez con ciò, che in questo Tomo, „ e in questa disputa insegna, desse occasione al „ Decreto? Non vi par ella chiarissima questa falsi- „ tà prima? Udite ora l' altra, che non lo è meno. „ Dove è mai, che in tutta la disputa 21. trovisi, „ come narra il Duplessis, la sentenza stata da Cle- „ mente dannata? *Nel* §. 3. dice egli. Ma poichè *pa-* „ *ragrafi* non ci sono, o intendasi la sessione ter- „ za, o com' io penso la quarta, certo è, che nè „ l' una nè l' altra ha pur ombra della dannata sen- „ tenza. Sostiene ben il Suarez nella sess. 4. la „ sentenza tra' Dottori commune, che debbasi il „ moribondo assolvere nel caso, di cui abbiamo di „ sopra assai ragionato: ma la dannata sentenza, „ questa non è certamente. Che più? Il P. Conci- „ na stesso conviene, che nella disputa 21., anzi in „ niun de' tanti Tomi lasciatici dal Suarez non ap- pari-

(*a*) Tom. 3. p. 2. pag. 171.

„ parisce, ch'egli insegnasse la dannata sentenza: *Exemplaria quæ nunc habemus Operum Doctoris Eximii perhibent P. Suarez non defendisse opinionem damnatam*. Solamente pretende, che insegnata l'avesse nel foglio levato via, il quale apparteneva alla disputa 19. Egli è dunque ad evidenza falsissimo, che *Franscifcus Suarez in disputatione* 21. *de Sacramento Pœnitentiæ illam opinionem* (la dannata) *disciplinæ Ecclesiæ contrariam traddidit*. Poichè però delle due falsità dimostrate non può credersi Autore il Duplessis Uomo *di grande autorità*; è forza dire, che senza aver egli neppur aperto il Suarez, dagli Scrittori vostri, dei quali si è troppo fidato, le raccogliesse: e non sospettando d'inganno le abbia sulla fede loro narrate. Per questo nella testimonianza, ch'egli qui fa della dottrina del Suarez, non può, come vedete, aver parte il molto credito giustamente dovutogli nelle cose, che narra di sua saputa.

„ XXII. Tanto è diritta questa mia risposta, e chiara e giusta, che l'ha il P. Concina assai ben preveduta: mentre se la fa dar egli stesso, e senza trovar nulla da replicarvi rinuncia per essa alla testimonianza del Duplessis, e tiensi forte a quella del P. Chardon (*a*), parendogli di starne meglio. *Scilicet. Carolus Duplessis Thomistarum lectione deceptus est. Mittamus itaque & hunc testem. Sed hoc idem testatur P. Chardon in sua Historia de Sacramentis t.* 3. *pag.* 4. (Voi dite invece *part.* 4., ma sbagliate tutti e due, e de' correggersi *pag.* 44.) *his verbis &c.* Ma forse che del P. Chardon dir non si può similmente, che *Thomistarum lectione deceptus est?* Or io il dico di fatto per la stessa ragione, per cui abbiamo veduto doversi dire del Duplessis. Sentiamne il testo, che Voi in italiano traddotto non so se dal francese dell'Autore, o dal latino del P. Concina ci presentate (*b*). *Più Dottori Scolastici posero in quistione, se fosse permessa la confessione, e assoluzione per via di lettere, o almeno fosse valida*, (Voi qui, acciocchè tanti sostenitori della dannata sentenza, dei quali i più sono vostri non comparissero, fate un piccol salto senza neppur lasciarne cogli usati puntini il segno, e però tradurrò io per supplirlo le poche parole da Voi tralasciate, che sono queste: *Un gran numero d' essi hanno sostenuta la parte affermativa*) *annovera questi Teologi il P. Suarez, ed abbracciò la loro sentenza. Ma Papa Clemente VIII. la condannò*. Ma dov'è, che il Suarez questi Teologi annovera, e la loro sentenza abbracciò? Tanto il P. Concina quanto Voi tacete la citazione, forse perchè non si vegga un luogo prodursi dal Duplessis, e tutt'altro dal P. Chardon. Comunque sia il Secondo cita *disput.* 19. *de forma Sacram. Pœn. s.* 3. dove il Primo, come si è pur ora veduto, cita *disput.* 21. §. 3. *de Sacram. Pœnit.* Ma variando la citazione, non ha per questo detto più vero. Fin sul primo entrare nella nostra quistione v'ho io di sopra esposta da capo a fondo la sessione 3. della disputa 19.: e come veduto abbiamo è ben vero, che in questa il Suarez *annovera que' Teologi, che hanno sostenuta la confessione e assoluzione per via di lettere*, cioè Paludano, S. Antonino, Silvestro ec.: ma ben lungi dall' abbracciarla espressamente la nega, e la confuta. Imperocchè dopo d'averla semplicemente riferita, subito espone l'altra: *Nihilominus est alia sententia negans:* e di questa dice così: *Hanc igitur posteriorem sententiam veram censeo &c.*, e per più argomenti diffusamente la prova. Non dovendo noi dunque presumere, che il P. Chardon abbia voluto mentire, scrivendo il contrario di quello, che nel Suarez avesse egli veduto, anche di lui convien dire, che veduto non l'abbia, ma che *Thomistarum lectione deceptus est*. Nè mi stette a voler di nuovo ricorrere al foglio in questa terza sessione mutato. Imperocchè essendo il P. Chardon Scrittore affatto moderno non potè nella sua citazione intendersi se non della *disput.* 19. *sect.* 3., qual si ritrova in tutti gli esemplari del Suarez: e se inteso avesse del foglio levato, di cui fosse consapevole, dovea senza dubbio informarne il Lettore non meno per debito d'esattezza nella sua Storia, che per sicurezza di fedeltà ne' suoi racconti. Oltre di che ammesso eziandio il fatto, quale nel vostro MS. si narra, neppur nel foglio levato il Suarez *abbracciò la sentenza* di que' vostri Teologi: mentre accordava bensì, che per la loro autorità ella fosse probabile, ma quanto a se, e di suo proprio sentimento la contraria antiponeva. E qui permettetemi, M. R. P., che di passaggio osservare vi faccia la vostra grande inconsideratezza, che badando unicamente a screditar il Suarez, non v'accorgete, che i testimonj da Voi prodotti a sostenere l'accusa datagli, colla contrarietà delle loro testimonianze si combattono a vicenda, e tolgonsi l'uno all'altro la fede. Incomincia l'Autore del MS., e sì dice, il Suarez *ha insegnata benissimo la dannata sentenza*, perchè sebben questa nell'Opere di lui più non ci sia, ella era però in un foglio, che fu subito dopo uscito il Decreto di Clemente scambiato, nel quale questo Teologo benchè preferisse l'opposta, pur voleva, che la *sentenza dannata* fosse probabile. Sottentra ora per secondo testimonio il Duplessis, e così è ripiglia, il Suarez ha *insegnata la dannata sentenza*, ma l'Autore del MS. s'inganna. Egli l'ha insegnata non solamente come probabile, e in un foglio levato via, ma bensì assolutamente e nel Tomo, che ne abbiamo *de Sacramento Pœnitentiæ* alla *disput.* 21. §. 3.: con che ha data occasione allo stesso Decreto di Clemente. Eh no, salta in mezzo per terzo a dire il P. Chardon, la cosa non è così: e ben si vede, che questi due non sono al fatto. Che foglio levato via, che disputa 21.? Il Suarez *ha insegnata la dannata sentenza* nella *disput.* 19. *de forma Sacr. Pœnit. sect.* 3., dove annoverando i Teologi, che l'hanno sostenuta, con loro s'accorda a sostenerla anch'egli. Che dite Voi, Padre mio, di questi testimonj, e delle loro attestazioni? Se tal fosse, che accusando alcuno d'un reo fatto presentasse al Giudice tre testimonj, i quali fossero così come i vostri tra se d'accordo, e l'uno dicesse in Città, e l'altro in Villa, questo d'una, e quello d'altra maniera avvenuto il fatto; cosa pensate Voi, che fosse per fare il Giudice? „ Il me-

(*a*) Pag. 604. (*b*) Tomo 3. p. 277.

„ Il meno a mi parere sarebbe levarsi bruscamente
„ d'intorno e accusatore, e testimonj, e tutti da
„ se cacciargli colla mala ventura. Non intendo già
„ io di far altrettanto: ma dico, che tanta contrad-
„ dizione nel racconto, che fanno l'Autore del MS.,
„ il Dupleſſis, e il P. Chardon mostra ad evidenza
„ la falsità dell'accusa, che date al Suarez, e delle
„ testimonianze, che ne recate a prova.
„ XXIII. Ora che dobbiamo noi fare dell'autorità
„ del vostro P. Dufay, che sola ci rimane ad esa-
„ minare? S'io non avessi la gran voglia che ho di
„ por omai fine a questa mia Lettera, vi mostrerei,
„ che il Dufay con tutti que' vostri Religiosi, che
„ mossero la fiera persecuzione al Suarez, per tutt'
„ altro capo lo accusarono, che per quello, per cui
„ altri poi dopo, e ora Voi l'accusate. Imperocchè
„ que' Padri negavano col Melchior Cano, che un
„ moribondo posto nel caso già ricordato più volte,
„ possa assolversi per verun modo: e uscito che fu
„ il Decreto di Clemente pretendevano che fosse per
„ esso dannata la contraria benchè comune senten-
„ za, la quale sostiene, che i segni di penitenza
„ col desiderio di confessarsi mostrati prima della
„ venuta del Confessore, e poscia da lui sopraggiun-
„ to per altrui testimonianza saputi, non potendosi
„ aver di più, bastino a doversi il moribondo almen
„ sotto condizione assolvere. Or perciocchè il Sua-
„ rez nel Tomo quarto *de Pœnitent. disput.* 21. *sect.*
„ 4. l'assoluzione del moribondo difende, e spiega
„ a favor d'essa il Clementino Decreto, quelli con-
„ tro di lui sollevaronsi accusandolo d'aver *sostenuta*
„ *la dannata sentenza*, e interpretato per amore di
„ essa il Decreto: e la detta disput. 21. ne citava-
„ no in prova, donde è avvenuto, che il Dupleſſis
„ *Thomistarum lectione deceptus* abbia la stessa dis-
„ puta citata. Intanto riscaldatasi la contesa e con-
„ vinti i vostri Padri, che la sentenza dell'assolu-
„ zione del moribondo certamente non era danna-
„ ta, lasciarono bensì d'accusar il Suarez per que-
„ sto capo: ma per non parere d'aver errato, tenu-
„ tisi alla sola interpretazione da lui data al De-
„ creto, seguitarono a gridar come prima, ch'egli
„ *ha sostenuta la dannata sentenza*. E perchè in
„ tutte le di lui Opere non trovavano sillaba da
„ produrne, in cui questo apparisse, altra prova non
„ ne hanno recata mai, che alcuni argomenti con-
„ tro l'interpretazione promossi e poscia i Decreti,
„ coi quali ella fu rigettata: ciò che poi altri di ma-
„ no in mano sono venuti facendo, e Voi col P.
„ Concina seguitate a fare, nè mancherà chi sel
„ faccia anche dopo di Voi, senza che niuno abbia
„ fin qui potuto, nè sia per poter dopo addurre nè
„ luogo, nè testo, dove il Suarez *la dannata sen-*
„ *tenza* sostenea. Ma per quanto rumore siasi fat-
„ to, o vogliasi fare in avvenire; il certo è, che
„ la prima origine dell'accusa data al Suarez altra
„ non fu, che l'aver egli sostenuta la sentenza dell'
„ assoluzione del moribondo, e l'errore de' vostri
„ Padri, che riputavano essere questa dannata. Il
„ fatto fin quì esposto e certissimo: ed io potrei ad
„ evidenza mostrarlo per più documenti, e singo-
„ larmente per ciò, che nelle risposte manuscritte,
„ date dal Suarez agli argomenti de' suoi Avversarj,
„ delle quali io tengo autentica copia, ogni cosa
„ è diretta a difendere la sentenza che tiene valida
„ l'assoluzione del moribondo, e l'interpretazione,
„ che a questo sol caso ristretta ha egli data al De-
„ creto: onde apertamente si vede, che a questi
„ due capi senza più era la quistione ridotta, ben-
„ chè ora il P. Concina voglia darci ad intendere,
„ che l'assoluzione del moribondo non c'entra, e
„ che vel'abbiano i Gesuiti tirata. Ma perchè l'en-
„ trare in questo punto troppo mi porterebbe a lun-
„ go, ed io non voglio allungarmi di più, lo pon-
„ go da parte, e dall'Autorità di que' primi vostri
„ Eccitatori della contesa con più spicciata e breve
„ risposta sbrigandomi, dico, che ad essi in questa
„ parte niuna fede è dovuta, sì perchè l'Accusato-
„ re non può valer mai a testimonio, sì e molto
„ più perchè di fede indegni li dichiara il P. Con-
„ cina stesso. Sentite se dico vero. Vedendosi i Ge-
„ suiti dai Domenicani ingiustamente tradotti sic-
„ come Inventori della sentenza, che dà per buo-
„ na la confessione e assoluzione per via di lettere,
„ risposero esser questa bensì sentenza di moltissimi
„ Domenicani, ma de' Gesuiti non già. A tale ris-
„ posta, che replicarono gli Avversarj? Udiamolo
„ dal P. Concina (*a*): *Contra Domenicani Theologi*
„ *contendunt Thomistarum neminem præfatum do-*
„ *cuisse sententiam*. E più sotto: *Narrationem P. Du-*
„ *Fay fuso calamo propugnat P. Vincentius Baronius*,
„ *& post ipsum P. Gonnet*, *contenduntque ex anti-*
„ *quis Thomistis neminem defendisse absolutionem*
„ *epistolarem: sed iisdem affictam fuisse ejusmodi opi-*
„ *nionem a PP. Fagundez, Suarez, Raynaudo, Mo-*
„ *ya, Fabri, aliisque Jesuitis*. Or per questo che
„ con tanta franchezza abbiano costoro negato es-
„ sersi mai da niun Domenicano insegnata la dannata
„ sentenza; muovesi egli forse il P. Concina a negarlo
„ anch'esso? No certamente: che per animoso che
„ sia, non ha avuto coraggio di negare un fatto
„ tanto palese certo. Ma e l'autorità di que' buoni
„ Religiosi, che l'hanno pubblicamente negato, dov'
„ è? Eh poverini sono da compatire: *domestico af-*
„ *fectui aliquid indulserunt*. L'amor che aveano
„ verso de' suoi Autori, li ha portati a volerne con
„ tutta l'evidenza contraria ricoprire gli errori.
„ Ma malgrado *l'affetto domestico* convien pur dirla
„ una volta come sta: *ut misso partium studio ea*
„ *quam initio spopondi sinceritate loquar*, *dico ali-*
„ *quos* (oimè qui la sincerità non c'è tutta, era da
„ dire con Pietro Soto *Plures*) *Domenicanos anti-*
„ *quos nempe Petrum de Palude*, *S. Antoninum*, *Pe-*
„ *trum Soto* (o quanti altri che abbiamo di sopra
„ veduti, doveansi quì aggiugnere) *propugnasse li-*
„ *citum usum absolutionis epistolaris absenti datæ*.
„ Così con atto per lui eroico di sincerità ragiona
„ il P. Concina. Bene sta. Non era dunque tutto
„ zelo e amore di verità ciò, che ha tanto riscal-
„ dati i vostri Padri in quella contesa. Molta parte
„ v'avea ancor la passione: e per questa sostennero
„ *Thomistarum neminem præfatum docuisse senten-*
„ *tiam*, ed essere i Gesuiti calunniatori, che a loro
„ l'attribuivano: *Sed iisdem affictam fuisse a Jesui-*
„ *tis*. Posto ciò siccome per la passione ch'aveano
„ di troppo affetto a' suoi Tommisti non hanno o po-
„ tuto o voluto vedere ciò, ch'era nelle opere lo-
„ lo chiarissimo: onde non sono da esser creduti
„ quando negano, che *niuno de' Tommisti abbia in-*
„ *segnata la dannata sentenza*; così neppur sono da
„ esser

(*a*) Pag. 586.

" esser creduti quando negano, che *niuno de' Tommisti abbia insegnata la dannata sentenza*; così " neppur sono da esser creduti quando affermano, " che *l' ha insegnata il Suarez*: perchè la passione " contraria, che aveano ai Gesuiti, ha loro fatto " vedere, o fingere di vedere nell' Opere di questo " Teologo quello, che certamente non era.

" XXIV. Or per conchiudere, e finir la disputa " dico, che dalla sincera esposizion, che ho fatta, " della dottrina del Suarez, e dalle risposte che ho " date agli argomenti vostri senza dissimularne " niuno, è manifesto, che l' esimio Dottore e prima, e dopo il Decreto di Clemente ha sempre " negata la dannata sentenza della confessione e " assoluzione per via di lettere sostenuta e difesa " da' vostri più insigni Teologi, e ciò eziandio che " star volessimo al MS. vostro, e concedere aver " egli a tale sentenza prima della condanna per l' " autorità degli antichi Tommisti alcuna probabilità accordata. Egli è il vero, che il Suarez ha " insegnato, che la sola confession de' peccati quantunque regolarmente debbasi fare in presenza del " Confessore; pur nel caso singolare del moribondo quella qualunque confessione riposta nei segni " di penitenza dati prima, che il Confessore venisse, e da lui già venuto intesi, può bastare perchè " gli si faccia l' assoluzione. Ma tale sentenza tanto non è dannata, che è verissima, ed anche a' " dì nostri assai comune. Per sostenere questa sua " dottrina senza più ha egli interpretato il Decreto di Clemente: e benchè l' interpretazione ristretta al solo caso del moribondo come intendeva il Suarez fosse vera; ella fu riprovata o com' " è verisimile per il senso indefinito incautamente " lasciato, o per altra a noi ignota ragione, ma " certamente per niuna rea dottrina di questo " Teologo. Più di così nè il P. Concina, nè Voi, " nè altri, che voglia venir di nuovo in campo " nol proverete giammai, e non altro del Suarez " potete dire con verità, fuor solamente, ch' egli " per sostenere una sentenza sodissima ha data senza bisogno una interpretazione, che a Roma non " piacque, quantunque la sentenza non dispiacesse. " Tutto il dì più, che siate per dire non può essere che un effetto della premura grande, che " avete di screditare in odio de' Gesuiti questo loro sì degno e rinomato Teologo. *Et ecce*, dirò " con più ragione del P. Concina, *terminatam celebrem controversiam: Utinam desinant & dissidia.*

De Absolutione moribundo impertienda. §. XI

Difficultas acerrima est apud Theologos Scholasticos simul, & Morales, an, & quando liceat moribundo sensibus destituto absolutionem Sacramentalem impertiri, si solum illam petierit, antequam Sacerdos adveniret; in quo casu videtur confessio facta esse in absentia a Sacerdote, præsertim si nemo deinde ibi reperiatur, qui Sacerdoti testetur desiderium antecedenter expressum moribundi suscipiendi Sacramentum Pœnitentiæ, quia scilicet qui hoc audivit a moribundo, illud testatus fuit Sacerdoti, quando illum advocavit, & deinde discessit. Et major difficultas est, an, & quomodo eidem moribundo possit absolutio Sacramentalis conferri, si nullum det aut dederit sensibile signum, quo Sacerdos prudenter judicare possit, quod desiderium absolutionis, & confessio aliqua sensibilis præcesserit, præter vitam Christiano ritu ante actam? quæ videtur esse quædam confessio sensibilis, quatenus ex illa præsumitur, quod velit in articulo mortis Sacramentis Ecclesiæ muniri, & Sacramentaliter absolvi. Et difficultas in eo sita est, quod licet hæc vita Christiano ritu instituta dici possit aliqua sensibilis confessio; at non apparet, quomodo ea dici possit confessio, quæ fiat in præsentia Sacerdotis, prout requiritur juxta Decretum hoc Clement. VIII. Profecto, si antiquorum, & neotericorum codices evolvantur, Auctorum mentes valde implexæ in re tam gravi, & in praxi obvia deprehendentur: ex una enim parte verentur rei esse animarum, si audacter doceant non posse hujusmodi moribundum absolvi; ex altera parte verentur esse erga Sacramentum irreverentes, & damnationis Pontificiæ contemptores, si audeant illam permittere, eo quod videatur hujusmodi confessio peccatorum præcessisse in absentia Sacerdotis. Hinc plerique Doctores, ut securitati doctrinæ consulant, & reverentiæ debitæ Sacramento, parum solliciti sunt de ruina æterna moribundi, docentque nullatenus hunc esse absolvendum, etiamsi Confessionem in absentia Sacerdotis petierit, ubi illam non petat iterum saltem per circumstantes in præsentia Sacerdotis: & a fortiori si illam non petierit, nisi per vitam Christiano ritu institutam. Alii ex opposito audaciam in opinando præseferunt, ut benignitatem induant erga moribundum; permittuntque, quod absolvi possit, etiamsi nullum prudens signum dederit Contritionis, ita ut Sacerdos prudenter putare possit præcessisse aliquam sensibilem Confessionem. Ut uterque scopulus hac in re declinetur & nimiæ laxitatis, & nimii rigoris, operæ pretium est Auctorum sententias seorsim enucleare, & rationum momentis librare, ut quoad ejus fieri potest saluti moribundi consulatur, & sarta tecta servetur Pontificia condemnatio de illicito, immo etiam invalido usu Confessionis, & absolutionis Sacramentalis in absentia, sive per literas, sive per internuncium.

Dicendum itaque primo, nullatenus absolutionem Sacramentalem conferri posse, ubi nulla præcessit sensibilis Confessio, quæ sit etiam absolutionis petitio. Ita communiter contra Jacobum Bay Lovaniensem, & alios apud Lugo disp. 17. de Pœnit. sect. 3. num. 42. Et ratio est perspicua; tum quia nequit forma Sacramentalis proferri, ubi non habetur ejus materia proxima; tum etiam quia ex Trident. sess. 14. c. 6. & c. 9. Absolutio Sacramentalis est actus judicialis, atque adeo illam præcedere debet accusatio & imploratio officii Judicis, qui non potest ex seipso hoc judicium inchoare, sed ad instantiam partis. Et sane cum certum sit ex decreto laudato Clementis VIII. non sufficere Confessionem per literas, aut per internuncium in absentia Sacerdotis, ut possit deinde absolutio Sacramentalis a Sacerdote præsente conferri, a fortiori non poterit hæc conferri, si nulla simpliciter sensibilis confessio, ne in absentia quidem Sacerdotis, præcessit. Dixi, Confessionem istam debere esse sensibilem, quippe quæ constituere debet Sacramentum, quod ex ratione sua est signum sensibile; intantum enim potest contritio, quamvis sit actus internus, constituere Sacramentum Pœnitentiæ, quia fit sensibilis per Confessionem externam; Confessio autem peccatorum, nisi sit externa, & ratione sui sensibilis, non potest fieri sensibilis per aliam actionem externam; & idcirco ad abso-

absolutionem Sacramentalem præire semper debet aliqua peccatorum confessio de se sensibilis. (*a*)

„ (*a*) Tamen post Joannem Marinum *de Sacram. Pœnit. lib.* 10. *c.* 10. oppositam sententiam magna recentiorum turba propugnat ex iis etiam, qui rigorem maxime præseferunt: Illud in praxi tutius videtur, quod Benedictus XIV. *de Synodo Diœcesana lib. VII. cap. XV. num. XIII.* refert a Synodis Montis Falisci a. 1710. & Isclana a.1716. statutum, ut ejusmodi moribundus *faltem sub conditione absolvatur, modo in actuali peccato non decedat.*

Dicendum secundo. Ut possit Sacramentaliter moribundus absolvi, non requiritur, quod numerum, & species peccatorum exprimat, si non possit; sed sufficit quodcunque signum sensibile, quo prudenter Sacerdos judicare possit, quod ille velit, quantum est in se, peccata confiteri, & absolvi. Ita etiam communiter contra Sotum, Conradum, Canum, Alvarez, Navar., & alios apud Dian. p. 3. tra. 3. ref. 1. Ratio est, quia ex institutione Christi Domini sufficit integritas formalis confessionis, quando non potest haberi integritas materialis; ergo sufficit etiam quod nutibus exprimatur confessio peccatorum in genere, quando non possunt peccata quoad speciem, & numerum manifestari. Et sane si quis recordetur se peccasse mortaliter, & ignoret speciem peccati, debet hujusmodi peccatum in genere, prout illius meminit, confiteri, & ab eo sacramentaliter absolvi; ergo cum non possit moribundus aliter, quam nutibus, sua peccata confiteri solum in genere, non est cur non possit, ac debeat absolvi. Quod Canones decernunt, & Rituale Rom. Pauli V. jussu editum apud eundem Dian. Neque dicas, quod nullum peccatum remitti possit indirecte vi absolutionis sacramentalis, si nullum peccatum remittatur directe, ut accidit, quando nullum peccatum manifestatur secundum speciem suam. Nam in tali casu directe remitteretur Dei offensa, & indirecte remitterentur singula peccata secundum proprias species, quæ remanerent subjicienda clavibus: quod ab omnibus dicendum in casu adducto, quo quis recordetur tantum se peccasse mortaliter, quin recordetur peccati speciem.

Dicendum tertio: Ut possit moribundus absolvi absolute, non solum requiritur, quod præcesserit in præsentia Sacerdotis aliqua sensibilis confessio, juxta dicta in prima Conclusione; sed etiam requiritur, quod signum hoc sensibile moribundi sit prudens, ita ut probabiliter, ac prudenter judicare possit Sacerdos, quod ille petat absolvi: Ut vero possit absolvi sub conditione, requiritur, quod signum illud sit prudenter dubium. Ita communiter apud Lugo disp. 27. sect. 5. Dian. p. 3. tr. 3. ref. 10. Platelium num. 771. & alios. Conclusio constat ex reverentia debita Sacramento: universim enim irreverenter erga Sacramenta se gerit, qui adhibet absolute formam Sacramentalem, ubi non datur saltem probabilitas, quod materia sufficiens præcesserit, quando ea non potest haberi certa; sicut etiam si quis adhibeat formam Sacramentalem volendo conficere Sacramentum sub conditione, quando materia non est prudenter dubia. Exem. grat. peccaret contra reverentiam Sacramento Baptismi debitam, qui vellet in casu necessitatis absolute proferre formam Baptismi ad baptizandum infantem, quando nulla datur probabilitas, quod aqua, quam præ manibus habet, sit aqua naturalis; & peccaret etiam, si vellet baptizare infantem sub conditione, quando non datur prudens dubium, quod ea aqua sit sufficiens. Hinc diximus in expositione Thes. 35. ab Innoc. XI. proscriptæ, non esse baptizandum, ne sub conditione quidem, fœtum paucorum dierum, donec prudenter de ejus animatione dubitetur: quia sicut ad baptizandum fœtum absolute requiritur, quod probabiliter sit animatus; ita ad baptizandum illum conditionate, requiritur, quod prudenter de ejus animatione dubitetur. Nec sufficit ad prudenter dubitandum, an fetus paucorum dierum sit animatus per hoc, quod nonnulli cum Gaspare Bravo t. 3. pr. 4. contra torrentem Doctorum, & Medicorum docuerint, fætum animari anima rationali statim in eo instanti, quo concipitur. Hinc fit gentilem adultum moribundum non posse baptizari ne sub conditione quidem, si non dubitetur prudenter, quod petat pro eo articulo Baptismum, nec potest absolute baptizari non adhibendo explicitam (saltem interius conceptam) conditionem, ut notat Lugo num. 91. si non habeatur probabilitas, sed solum habeatur prudens dubium, quod petat baptismum; Si tamen detur vera probabilitas, quod velit baptizari, tunc nullatenus est adhibenda conditio in collatione Baptismi, ut advertunt Doctores laudati. Hoc idem dicendum in casu nostro; Si enim moribundus sensibus destitutus adhibeat ea signa sensibilia, quibus prudenter Sacerdos judicare possit, quod petat absolutionem, puta tundendo pectus ad ejus præsentiam, vel comprimendo manum Sacerdotis interrogantis illum, an petat absolvi, tunc absolvendus est absolute; si vero dederit signa prudenter dubia, de quibus mox erit sermo, tunc absolutio danda est sub conditione explicita, saltem interius concepta, ob reverentiam debitam Sacramento. Idemque dicas, si dubitetur, an fuerit sui compos, dum petiit absolutionem, vel an pervenerit ad usum rationis, ita ut peccare potuerit, & esse capax hujus Sacramenti. Quod si hujusmodi dubium sit imprudens, ne sub conditione quidem debet absolvi: Ac proinde ne sub conditione quidem absolvendum censeo Christifidelem, qui tota vita instar Athei se habuit, & dum actu in peccato versatur, vel blasphemat, sensibus destituitur, cum in hoc casu non possit prudenter dubitari, quod ille petat Sacramentaliter absolvi. Idemque dicas de concubinario, usurario, & similibus, quando non potest prudenter dubitari, quod petant absolvi, ut docet D. Antoninus, & alii communiter apud Lugo loc. laud. n. 37. esto Tamb. l. 2. Conf. c. 10. n. 10. cum aliis doceat, vix posse alicui absolutionem sub conditione denegari, quia putat rarissime accidere, quod aliquis Fidelis ita sensibus destituatur, dum actu peccat, ut non possit, ac velit morti vicinus suæ saluti consulere per aliquam attritionem, etiamsi semper pessime vixerit. Cæterum quicquid sit, an hoc sit verum, nemo tamen in dubium revocat, quod non possit sub conditione absolutio moribundo impendi, quando non potest prudenter dubitari, quod iste absolutionem petat, & illius sit capax: Aliter posset etiam Gentilis moribundus sub conditione baptizari, quamvis non detur prudens dubium, quod velit Baptismum, si solum sufficeret, quod morti vicinus possit illum petere, ut saluti suæ consulat. Posset etiam sub conditione baptizari fetus paucorum dierum, etiamsi nec probabilis sit, nec prudenter dubia sententia illa, quod fœtus in primo instanti suæ conceptio-

nis

nis animetur anima rationali: Denique posset quilibet Sacerdos quolibet instanti absolvere sub conditione moribundos absentes, juxta sententiam improbabilissimam Pęnnæ, & aliorum apud Henriq. lib. 5. cap. 2. num. 7., quod scilicet absolutio data absenti in necessitate, etiam post Decretum Clementis VIII. sit valida, si ea non detur absolute, sed sub conditione; quæ omnia sunt apertissime absona. Propterea exulat a Libris, & a Scholis nostræ Societatis hæc propositio: *Moribundus, etsi nullum signum det, aut dederit Contritionis, adeo ut Sacerdos nec sciat, nec prudenter putare possit, præcessisse sensibilem aliquam Confessionem, absolvi potest.* Noluit quippe Christus Dominus, ut supra diximus, providere de Sacramentorum remedio pro casibus, qui rarissime accidunt. Quare sicut moribundus solum per contritionem potest saluti suæ consulere, quando abest Sacerdos, a quo absolvatur; ita pariter quando Sacerdos adest, ille tamen non præbet signa saltem prudenter dubia, ratione quorum possit absolutio sub conditione conferri, prout postulat reverentia Sacramentis debita.

Dicendum quarto, moribundum sensibus destitutum absolvi posse a Sacerdote præsente, si astantes testentur ante Sacerdotis adventum dedisse signa Pœnitentiæ, esto coram Sacerdote non det amplius ea signa. Ita communiter apud Platelium n. 761., Coninch. disp. 17., Lugo, contra Dominicum Sotum, Canum, Alvarez, aliosque Thomistas, sive quia putant non sufficere ad valorem Sacramenti generalia signa pœnitentiæ, sive quia putant hujusmodi confessionem esse in absentia Sacerdotis; atque adeo ex Decreto Clementis VIII. esse illicitam, & invalidam. Verum quod hæc generalia signa pœnitentiæ sufficiant, ostendimus in prima Conclusione: quod vero hæc sententia non sit contra Decretum Clementis VIII. constat, tum quia ipse Pontifex testatus est, ut diximus, noluisse suo Decreto comprehendere hunc casum moribundi; tum etiam quia confessio ista non potest dici facta in absentia Sacerdotis, sicut illa, quæ fit per literas, aut per internuncium, sed dici debet facta in Sacerdotis præsentia; vel quia per astantes præsentes, tanquam per interpretes, manifestat moribundus desiderium, quod habet absolutionis; vel quia in præsentia Sacerdotis, dum anxie respirat, ponit signum illud externum, quod probabiliter procedit a voluntate interna suscipiendi Sacramentum, posito quod illud petierit, antequam sensibus destitueretur. Quod si aliquando non posset id judicari prudenter, saltem posset prudenter hoc dubitari, unde saltem tunc posset sub conditione absolvi. Ceterum quod absolute hic moribundus absolvi possit, docent Concilia apud eundem Platelium, præsertim Arausicanum I. can. 11. ubi dicitur: *Subito obmutescens Baptizari, aut Pęnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat, aut præsentis in suo nutu.* Idem docet S. Leo Epist. 91. cap. 5. necnon Rituale Romanum jussu Pauli V. editum de Sacr. Pęnit. §. penult. ubi dicitur: *Si desiderium Pęnitentię sive per se, sive per alios ostenderit, absolvendus est* (a). Et ratio a priori est, quia quamvis in tali casu non ponatur a moribundo confessio perfecta de peccatis secundum eorum speciem, & numerum, ponitur tamen confessio inchoata de peccatis in confuso, quantum ab ægro fieri potest; idque Sacerdoti per astantes, & interpretes, ac in ordine ad absolutionem manifestat ægrotus; ut proinde detur sufficiens confessio sensibilis in præsentia Sacerdotis.

„ (a) Confer Benedictum XIV. *de Synodo Diœcesana* „ Lib. X. c. X. num. VIII. ubi etiam refert, Urba- „ num VIII. die 24. Februarii a. 1632. quæstioni huic „ a Majore Lusitaniæ Inquisitore Supremis Roma- „ nis Fidei Quæsitoribus propositæ; *an censuram, & quam mereatur hæc propositio:* „ Valide impedi- „ tur absolutio, quando ægrotus coram uno, „ vel altero teste signa contritionis exhibet, deinde „ superveniente Confessore nullo externo signo con- „ fitendi voluntatem extendit; constat tamen ex re- „ latu internuncii, ægrotum ostendisse signa contri- „ tionis, & confitendi voluntatem 11; Urbanum, „ inquam, VIII. in Congregatione coram ipso ha- „ bita respondisse, *huic ægroto posse impertiri abso-* „ *lutionem; nec id repugnare decreto Clementis* VIII. „ *cum diversam contineat rationem.*

Difficultas major est, utrum possit hic moribundus a Sacerdote superveniente absolvi, si antequam hic adveniret, audivisset a fide dignis, quod ille dederit pœnitentiæ signa, quin ullus deinde ex astantibus detur, qui id testetur coram infirmo? Negant a fortiori plures Thomistarum, necnon Turrianus, Fagundez, & alii cum Diana p. 3. tr. 3. resol. 7. putantes hujusmodi confessionem esse revera per nuncium in absentia a Confessario, atque adeo ex decreto Clementis VIII. illicitam, & invalidam. Verum communiter cum Bonacina, Filliucio, & aliis apud eundem Dianam affirmant, quia Concilia laudata, & S. Leo, ac Rituale Romanum docent, infirmum esse absolvendum a Sacerdote adveniente, si desiderium pęnitentiæ sive per se, sive per alios ostenderit; quin exigant, quod hujusmodi desiderium per alios ostendatur coram ipso infirmo; tum etiam quia Clemens VIII. in suo Decreto, ut diximus, noluit hunc casum moribundi comprehendere; tum demum quia etiam in hoc casu confessio moribundi dici potest quod fiat in præsentia Sacerdotis, quatenus anxia illa respiratio sub iis circumstantiis, quod præcesserit petitio absolutionis, prout nuncius testatus fuit Sacerdoti, sufficienter indicat voluntatem internam ægroti suscipiendi Sacramentum Pęnitentiæ; esto nullus ex astantibus, tanquam interpres illius, possit iterum testari antecedentem illam petitionem absolutionis. Et sane cum fere semper Sacerdos absolvere possit, ac debeat morti proximum, saltem sub conditione mente concepta, ex hoc præcise, quod vita ejus anteacta christiano ritu instituta det prudens motivum ad judicandum, quod velit in eo mortis articulo suscipere Sacramentum Pœnitentiæ, & quod anxiam respirationem, & alia signa sensibilia dirigat, quantum potest, ad ostendendum hoc desiderium, etiamsi neque in præsentia, neque in absentia Sacerdotis potuerit expresse petere absolutionem Sacramentalem, ut mox ostendemus; a fortiori poterit, ac debebit eundem Sacerdos absolvere, saltem sub conditione, si ad hæc omnia adjungatur testis, qui deponat, moribundum, antequam sensibus destitueretur, absolutionem petiisse, esto hujus testis depositio non fiat coram infirmo; præsertim quia de materiali omnino videtur se habere, quod id a testibus deponatur Sacerdoti in præsentia, aut in absentia infirmi.

Dicendum quinto: Universim potest Confessarius Sacramentaliter absolvere sub conditione morti proximum, qui nullum aliud det signum, quo abso-

absolutionem credatur petere, præter anxiam respirationem moribundis omnibus consuetam, dummodo Christiane vixerit, & non destituatur sensibus, dum actu peccat, ita ut moraliter certum sit illum nolle, atque adeo non petere Sacramentalem absolutionem pro eo articulo signis illis externis de se dubiis. Ita plurimi recentiores apud Dian. p. 3. tr. 3. res. 8.; & p. 11. tr. 7. res. 31., necnon apud Cardenas p. 2. Crisis disp. 48.; ubi octo & triginta DD. pro hac sententia adducuntur, inter quos Molfesius, Homobonus, P. Salmeron, Bauny, Marchantius, Bartholomæus a S. Fausto, Baldellus, Naldus, Pontius, Machado, Aversa, Teophilus, Raynaudus, Lezana, Torreblanca, Leander, Velascus, Zanardus, aliique plurimi; esto Antiquiores omnes, & plures alii recentiores stent pro sententia opposita. Cum autem isti fere omnes loquantur de absolutione, quæ detur absolute, non de ea, quæ detur sub conditione, posito, quod prudenter dubitari possit, quod hujusmodi signa sensibilia procedant, aut processerint a desiderio absolutionis pro illo articulo, prout communiter Christifideles cupere, ac petere solent; idcirco torrens DD., qui pro opposita sententia laudantur, non refragatur huic benignæ opinioni, permittenti solum absolutionem conditionatam; prout fertur illam contulisse idem Clemens VIII. cuidam decidenti e fabrica D. Petri jamjam morituro, dicendo: Si es capax, absolvo te a peccatis tuis.

Ratio potissima doctrinæ nititur in hoc principio communissime admisso: Citra ullam irreverentiam erga Sacramentum conferri potest absolutio Sacramentalis moribundo, quoties prudenter dubitari potest, quod illam signis externis postulet quantum potest; ita ut ad hanc absolutionem sub conditione impertienda sufficiat quælibet tenuis probabilitas, quod ea a moribundo petatur, nec sit omnino improbabilis in talibus circumstantiis talis petitio: sed in casu conclusionis prudenter dubitari potest, quod moribundus pro tali articulo velit absolvi, petatque absolutionem, quantum potest, signis illis de se indifferentibus ad indicandas morbi molestias potius quam hujusmodi voluntatem ægroti: ergo in tali casu potest moribundus absolvi sacramentaliter sub conditione. Minor ex eo suadetur, quia passim homines, qui catholice vixerunt, dum instat mortis periculum, petunt absolutionem sacramentalem: passim etiam qui sensibus inopinato destituuntur, partim ex ipsa naturæ humanæ constitutione, partim ex speciali Dei misericordia, ad mortem imminentem advertunt, ita ut possint de peccatis dolere, Deum invocare, & sacramenta exoptare; non raro etiam accidit, quod dum moribundus in aliquo lucido intervallo ad hæc advertit, conetur absolutionem petere, nec tamen possit signis externis certis id exprimere: quod sibi accidisse testatur Marchantius in Dub. n. 2. tr. 4. tit. 4. q. 3. dub. 7.: Ex quibus omnibus fit, non imprudenter omnino dubitari, quod hic & nunc moribundus, qui catholice vixit, & solum anxie respirat, velit hoc signo exprimere desiderium, quod habet absolutionis sacramentalis, unde possit ea sub conditione conferri. Saltem probabile est, aut prudenter dubitabile, quod in principio, vel in decursu morbi infirmus conatus fuerit absolutionem petere, prout passim accidit, esto Sacerdos superveniens reperiat illum non valentem exprimere illam petitionem: in quo casu ipsa anxia respiratio, & agon ægroti sunt signum dubium sufficiens illius voluntatis præteritæ, quæ reperiri solet in iis, qui christiane vixerunt, dum morbo inopinato opprimuntur. Quare sicut potest absolute conferri absolutio, quando circumstantes testantur infirmum petiisse Confessarium, ut supra ostendimus, quia decretum Clementis VIII. non loquitur de hoc casu moribundi; ita poterit conferri absolutio sub conditione, quando angor ægroti sufficienter testatur probabiliter præfuisse in illo petitionem absolutionis.

Confirmatur primo auctoritate Augustini l. 1. de adulter. conjug. c. 26., ubi docens dandum esse Catechumeno moribundo baptismum sub conditione, si solum pie vixerit, hæc habet: *Catechumenis ergo in hujus vitæ ultimo constitutis, si morbo, seu casu aliquo sic oppressi sint, ut quamvis adhuc vivant, petere sibi Baptismum, vel ad interrogata respondere non possint, prosit eis, quorum in fide Christiani jam nota voluntas est.* Et infra: *Non solum incredibile est, nec in fine vitæ hujus baptizari Catechumenum velle, verum etiam, si voluntas ejus incerta est, multo satius est nolenti dare, quam volenti negare, ubi velit, an nolit, sic non appareat, ut tamen credibilius sit, eum, si posset, velle se dicturum.* Et cap. 28. ait: *Quæ autem baptismatis, eadem reconciliationis est causa, si forte pœnitentes finiendæ vitæ periculum præoccupaverit. Nec ipsos enim ex hac vita sine arrha suæ pacis exire velle debet Mater Ecclesia.* Quare ex August. sicut baptizandus est Catechumenus sensibus destitutus, quando ejus voluntas est incerta, sed credibilius est, quod baptismum peteret, si posset; ita absolvendus est in simili casu Christifidelis. Confirmatur secundo: quia ad baptizandum embryonem sub conditione sufficit quæcunque modica probabilitas, seu prudens dubietas, quod sit animatus; immo sufficit, quod non sit moraliter certum, illum carere anima rationali. Sicut etiam sufficit quæcunque modica probabilitas, quod hæc aqua, quæ unice haberi potest, sit elementaris, ut possit infans sub conditione baptizari in casu necessitatis, unde ad id sufficit etiam aqua rosacea, vel aqua ex sale expressa, aut jusculum, & alii liquores dubii: ergo pariter ad absolvendum moribundum sufficit quæcunque modica probabilitas, seu prudens dubietas, quod pro eo articulo absolutionem petierit, quantum potuit: ita ut non sit moraliter certum, illam non petiisse. Qua de causa Tamb. l. 2. Conf. c. 10. §. 1. n. 12. Joannes Pontius in Cursu Theologico decis. 4., Cardenas loco laudato n. 60., & alii docent, vix esse negandam absolutionem sub conditione etiam illi, qui in ipso duello, aut in actu adulterii sensibus destituitur; quia non raro, antequam usu rationis priventur hujusmodi peccatores, advertunt ad imminens periculum æternæ damnationis, & atteruntur, petuntque absolutionem quantum possunt; ut proinde detur sufficiens motivum dubitandi, quod absolutionis sint capaces, unde possit ea sub conditione conferri. Augustinus enim lib. 1. de adulter. conjug. cap. 28. loquens de Catechumenis, qui sensibus destituuntur, dum retinent adulterina consortia, hæc habet: *Ego non solum Catechumenos, verum etiam ipsos, qui viventium conjugiis copulati retinent adulterina consortia, cum salvo corpore in his permanentes non admittamus ad baptismum; tamen si desperati, & intra se pœnitentes jacuerint, nec pro se respondere potuerint, baptizandos puto.* Non videtur

detur autem quomodo deprehendi possit, quod intra se poenitentes jaceant, si pro se respondere non possunt, nisi vel quia astantes deponunt de signis poenitentiæ antea datis; vel quia prudenter dubitari potest, quod Catechumenus in articulo mortis doleat de peccatis, ac de adulterinis consortiis, petatque baptismo æternæ suæ saluti consulere; quod similiter videtur dicendum de Christifideli moribundo relate ad Sacramentum Pœnitentiæ. Equidem tamen illud hac in re assero, quod si aliquando ex circumstantiis dubitari prudenter possit, quod absolutionem petat, qui dum peccat, morbo inopinato opprimitur, tunc possit illi absolutio sub conditione conferri; secus vero nullatenus possit, sed consulat saluti suæ per contritionem, si vere de peccatis dolet, non secus ac si deesset Sacerdos; cum non providerit Christus Dominus pro his casibus de remedio Sacramentorum.

Confirmatur tertio: quia quamvis tenuis probabilitas non sufficiat ad operandum prudenter; nihilominus juxta doctrinam Thom. Sanch. l. 1. cap. 9. Lessii, & aliorum (de qua diximus in expositione thesis tertiæ ab Innoc. XI. proscriptæ num. 13.) in casu urgentis necessitatis ipsa necessitas addit pondus rationi ab intrinseco, & auctoritati extrinsecæ; ita ut opinio, quæ seclusa circumstantia illa necessitatis gravis, esset parum probabilis, in ea circumstantia dici possit probabilis sufficienter: v. g. si debeat revalidari matrimonium nulliter contractum, communiter Doctores docent, quod requiratur novus consensus utriusque conjugis; quando tamen sine periculo infamiæ, scandali, vitæ, rixarum manifestari non potest alteri conjugum ista necessitas revalidandi matrimonium, tunc paucissimi Doctores putant, novum consensum expressum unius tantum conjugis sufficere, prout ibidem explicavimus; quæ opinio licet parum probabilis, in casu necessitatis urgentis admitti potest; quia magna illa necessitas addit pondus modicæ illi probabilitati, facitque licere, quod seclusa ea circumstantia, esset illicitum. Ex qua doctrina sequitur, quod in casu nostro ratione urgentis necessitatis quæcunque modica probabilitas sufficiat ad prudenter dubitandum, num moribundus petierit absolutionem, atque adeo ad ministrandam illam sub conditione. Ea siquidem prodesse potest ægroto, & nullatenus obest Sacramento; vitatur enim sacrilegii periculum tum ratione sufficientis dubietatis, quod eam moribundus petat, aut saltem petierit, tum etiam ratione conditionis appositæ.

Ubi cum immensa erga benignissimum Redemptorem gratiarum actione illud est recolendum, videlicet in institutione Sacramentorum Christum Dominum attendisse potissimum saluti animarum; adeo ut voluerit bonum nostrum præferri reverentiæ illis debitæ; quod ex eo fit perspicuum, quia voluit potius dari Eucharistiam peccatori, quam ut peccator etiam per modicum tempus infametur; idcirco suis manibus communicavit Judam proditorem, ne illum infamaret, antequam ipse suam proditionem detegeret; quod si voluit præferri modici temporis famam hominis scelestissimi reverentiæ debitæ suo corpori, a fortiori voluit præferri salutem æternam animarum reverentiæ debitæ Sacramento Pœnitentiæ, ut Doctores advertunt apud Dian. p. 3. tr. 3. res. 9. atque adeo ubi aliquantulum appareat, quod possit prodesse saluti æternæ moribundi, Divina Redemptoris misericordia postulat, ut illud sub conditione ministretur; dummodo non ministretur omnino imprudenter, & in iis circumstantiis, in quibus moraliter certum est, quod prodesse non possit; ut esset, quando quis morbo correptus blasphemans, ac desperans de Divina Misericordia, sensibus, & rationis usu privatur; imprudenter enim in hoc casu absolutio sub conditione impenderetur; sicut imprudenter conferretur baptismus sub conditione Gentili sensibus destituto; quia quamvis non sit impossibile physice, quod tunc velit baptizari; nec possit aliter exprimere hoc desiderium, quam anxie respirando; nihilominus, quod ita de facto accidat, non est prudenter dubitabile.

Neque obstat hactenus dictis, quod passim a Doctoribus contrariis opponitur apud Illsung tr. 6. disp. 6. n. 134. quod si sufficeret vita anteacta ritu Catholico instituta, ut possit moribundus sensibus destitutus absolvi Sacramentaliter, frustra Concilium Arausicanum. I. frustra S. Leo, frustra Rituale Romanum locis supra laudatis requirerent, quod moribundus sive per se, sive per circumstantes ostenderit desiderium poenitentiæ, ut possit absolvi. Nam, ut advertit Cardenas n. 80. ibi loquuntur de absolutione Sacramentali danda absolute; ad eam quippe conferendam non sufficiunt signa dubia, sed requiruntur signa probabilia contritionis, quæ vel ipse Sacerdos deprehendat in moribundo, vel deprehenderint circumstantes, qui illa deinde Sacerdoti testentur. At ad absolutionem sub conditione conferendam moribundo sufficere signa pœnitentiæ prudenter dubia, nemo est, qui inficias eat: Solum dubitari posset, utrum sit signum prudenter dubium ipsa anxia ægroti respiratio? & jam ostendimus, ex vita anteacta hominis Christiani, & ex eo, quod facile, ac passim accidit in Christianis moribus, ipsam anxiam respirationem præbere hic & nunc sufficientem dubietatem, ut possit absolutio sub conditione impendi. Quod Greg. XV. dum esset Archiepiscopus Bononiensis, in Memor. Confess. apud Dian. p. 3. tract. 3. res. 9. approbavit dicens, ex Doctrina Divi Antonini posse etiam absolvi moribundum assuetum frequentare confessionem, quamvis repentino casu oppressus Sacramentum non petierit; videlicet, ita ut astantes de hac petitione testentur.

Dicendum ultimo; Sacerdos in casu antecedentis Conclusionis non solum potest, sed etiam sub gravi tenetur absolutionem sacramentalem sub conditione impendere moribundo. Ita communiter cum Suar. Vasquez, Coninch, Sylvio apud Dian. p. 3. tr. 3. res. 9. contra Alvar. & Coqueriurn apud Lugo disp. 18. num. 87. Ratio est perspicua, quia quoties citra grave incommodum sequendo opinionem probabilem subvenire possumus proximo periclitanti circa æternam salutem, ad id sub gravi ex lege charitatis obligamur: in casu autem nostro opinio benigna stabilita in Conclusione antecedenti est probabilissima, tum ob rationes adductas, tum ob auctoritatem tot, tantorumque Doctorum: ergo Sacerdos tenetur illi se accommodare, & absolutionem conferre sub conditione illi moribundo, etiamsi ipse speculative loquendo stet pro opinione opposita rigidiore. Quod si quis putaret, opinionem nostram benignam esse improbabilem, aut tenuis probabilitatis, consulendum illi, ut attentius ad rationes adductas, & ad Doctorum auctoritates avertat; aliter si in hac sua sen-

sententia obstinetur, non erit, ut ait Lugo, cum hoc contendendum. Caveat tamen, ne sit animarum reus, nolens acquiescere communi Doctorum sensui cum periculo æternæ damnationis illarum, negligens Spiritus Sancti consilium Eccl. 6. *In multitudine Presbyterorum sta, & sapientiæ eorum ex corde conjungere*. Quamvis enim plerique Doctorum doceant, non esse absolvendum ægrotum sensibus destitutum, nisi saltem astantes testentur, quod absolutionem petierit; hi tamen loquuntur de absolutione, quæ conferatur absolute, quin negent dari posse, ac debere sacramentalem absolutionem sub conditione, (sive expressa ob reverentiam Sacramenti, ut docet Dicastil. hic num. 850. sive saltem mente concepta, ut docent Lugo) ubi dubitari prudenter possit, quod illam petierit ægrotus signis illis externis de se indifferentibus, sed prudenter dubiis sub circumstantia vitæ anteactæ ritu Catholico traductæ, & cum Sacramentorum frequentia.

Nonnullæ difficultates huc pertinentes enodantur. §. Ult.

DUbitatur hic primo, Num possit pariter conferri absolutio Sacramentalis sub conditione per literas, aut per internuncium moribundo absenti in extrema necessitate, quando scilicet nec potest Sacerdos illum adire personaliter, nec datur alius, a quo possit in præsentia absolvi? Et ratio dubitandi ex eo oritur, quia olim ante Decretum Clementis VIII. plurimi, & graves Doctores apud Perez, & apud Amicum, & alios docuerunt, licitam esse hujusmodi absolutionem in casu necessitatis. Rursus post Decretum Clementis Philippus Gamachæus apud Dian. par. 5. tract. 14. resolut. 60. & alii docent illam esse validam, eo quod a Pontifice solum declaretur illicita. Item alii docuerunt apud Coninch, Pontificem damnasse licitum usum confessionis, & absolutionis Sacramentalis in absentia solum in sensu copulativo, non vero in sensu diviso; seu particulam illam, *Et*, sumi complexive, non divisive, ut loquitur Suarez disp. 21. de pęnit. sect. 4. & alii apud Dian. 3. p. tra. 3. resol. 7. atque adeo videri posset licere tam confessionem in absentia, ubi absolutio datur in præsenti, quam absolutionem in absentia, saltem quando confessio facta fuit Sacerdoti præsenti: ex quibus omnibus videtur, quod liceat in casu extremæ necessitatis conferre absolutionem per literas, aut per internuncium sub conditione; cum possit ea prodesse ægroto in hypothesi, quod hujusmodi opiniones sint veræ, & sic valida sit absolutio: adhibendo enim hanc explicitam conditionem, nulla irrogatur injuria Sacramento, & forte consulitur æternæ saluti moribundi: præsertim quia Decretum Clementis VIII. prohibens pro quolibet casu absolutionem sacramentalem per literas, intelligi potest de absolutione, quæ conferatur absolute, non de ea, quæ conferatur conditionate, cum odia sint restringenda.

Dicendum tamen, nullatenus licere hujusmodi absolutionem sub conditione; quia conferre absolutionem, & quodvis aliud Sacramentum sub conditione, quando non datur prudens dubium, quod possit illud prodesse, est contra reverentiam Sacramentis debitam: & ideo diximus in expositione thesis 35. Innoc. XI. non esse baptizandum sub conditione fętum aliquorum dierum, quamvis nonnemo doceat, quod fętus in primo instanti conceptionis animetur anima rationali; quia scilicet hujusmodi opinio censetur improbabilis; cum communissime doceant, illum non animari, nisi circa quadragesimum diem, si sit mas, & circa octogesimum, si sit fęmina. In casu nostro est omnino improbabile, imo etiam censura dignum, quod post Decretum Clementis VIII. liceat in aliquo casu sacramentaliter absolvere per literas, aut per internuncium: ergo hujusmodi absolutionem sub conditione conferre nullatenus licet; præsertim quia illam conferens videtur dubitare de falsitate doctrinæ a Clemente VIII. loquente ex Cathedra damnatæ ut falsæ, temerariæ, ac scandalosæ. Neque obstat primo, quod Pontifex hujusmodi absolutionem solum damnet ut illicitam, non ut invalidam; unde videtur posse esse licita, si sub conditione adhibeatur, & solum esse pro quolibet casu illicita, si conferatur absolute, eo quod odia sint restringenda. Nam eo ipso ac Pontifex damnat licitum ejus usum pro quolibet casu, eo ipso indirecte docet, illam esse invalidam, ut ostendimus ex Lugo, Dicastillo, & aliis; unde sicut nunquam licet illam conferre absolute; ita nec conditionate. Neque obstat secundo, quod nonnulli docuerint, Confessionem, & Absolutionem simul esse illicitam inter absentes, non vero seorsim. Nam idem Clemens VIII. & deinde Paulus V. declararunt, illas tam simul, quam seorsim esse illicitas pro quolibet casu. Quod attinet ad Suarium, hoc solum docuit, in eo Decreto Clementis non comprehendi casum moribundi, quando scilicet astantes testantur quod ille, antequam sensibus destitueretur, absolutionem petierit; Et ipse Clem. VIII. declaravit, hunc casum non comprehendi; ostendimus enim in hoc casu non haberi in rigore confessionem in absentia per literas, aut per internuncium. Cæterum ne interpretatio illa Suarii aliis præberet ansam ad dicendum, quod universim liceat confessio in absentia; dummodo absolutio non detur absenti, aut viceversa, idcirco, ut notat Moya tract. 3. disp. 6. quæst. 2. num. 13. Pontifex decrevit, ut ea interpretatio a P. Suario expungeretur; ubi tamen Pontifici innotuit, quod ea interpretatio solum deserviebat ad explicandum, quo pacto casus moribundi eo Decreto non comprehenderetur, & quod disertis verbis id solum doceretur a Suario, permisit, ut ad communem utilitatem ea operibus Suarii restitueretur, prout legitur loco laudato.

Dubitatur secundo, Utrum amentibus conferri possit in articulo mortis absolutio sacramentalis sub conditione, quod sint capaces? Ad quod dicendum, quod sicut amentibus, qui post usum rationis in amentiam inciderunt, aut sunt semifatui, non est deneganda in articulo mortis Eucharistia, si possint illam citra irreverentiam sumere, ut docet Angelicus 3. p. q. 80. art. 9. ita nec est iis deneganda absolutio sub conditione ob rationes supra adductas; præsertim quia passim Deus hujusmodi amentibus concedere solet in eo articulo aliquod lucis rationis intervallum, ut possint conteri, velle, & aliquatenus petere Sacramenta. Et sane ex Concilio Carthaginiensi, & ex Decretali *Is qui*, 26. quæst. 2. apud eundem Ange-

Angelicum, si hujusmodi amentes, ac phrenetici in infirmitate pœnitentiam petierint, & astantes id testentur deinde Sacerdoti, hic debet absolute eos in articulo mortis absolvere, nec non sacro viatico munire; ergo ubi desit hujusmodi testimonium astantium, sed detur prudens dubium, quod absolutionem petierint in aliquo lucis rationis intervallo, poterit iis absolutio Sacramentalis impendi sub conditione. Imo ex Laym. cap. 4. n. 4. contra nonnullos apud Lugo disp. 13. de Euch. n. 40. danda est etiam iis Eucharistia, non solum si absolutionem per astantes petierint juxta doctrinam D. Thom. loco laudato ex Concilio Carthaginiensi, sed etiam in casu nostro, dummodo non constet, eos in amentiam incidisse in statu peccati mortalis. Perpetuo tamen amentes, si constet nunquam habuisse rationis usum, æquiparantur infantibus; atque adeo nec Absolutio, nec Extrema Unctio est iis ministranda, immo nec Eucharistia: quamvis enim multis sæculis viguerit in Ecclesia Latina usus dandi parvulis Eucharistiam, prohibitum tamen id deinde fuit, ut colligitur ex verbis Trident. sess. 21. cap. 4. apud Lugo disp. 13. de Sacram. sect. 4. Quare tunc solum probabiliter dari iis potest etiam Eucharistia in articulo mortis, nedum absolutio sub conditione, quando dubitatur, an sint doli capaces, & an sufficienter hunc cibum ab aliis discernant. In hoc quippe dubio videtur stare in possessione jus ad Eucharistiam suscipiendam, non vero præceptum de illa non administranda pueris rationis usu carentibus, in quibus devotio erga illam non præcessit.

Dubitatur tertio, An possit excommunicato vitando conferri in articulo mortis absolutio a censuris sub conditione, si dederit signa pœnitentiæ dubia; & an etiam a laico hujusmodi absolutio impendi?

Certum quidem est ex Trid. sess. 14. cap. 7., in articulo mortis omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere posse. In Ecclesia quippe Dei pie admodum custoditum semper fuit, ut nulla sit pro eo articulo reservatio, ne hac ipsa occasione aliquis pereat: ex quo probabiliter multi Doctores docent apud Dian. p. 4. tr. 4. resol. 161., & apud Martinum Perez disp. 43. de Pœnit. sect. 4. posse pro eo articulo, necnon in periculo mortis quemlibet Sacerdotem, etiam præsente Parocho, aut alio jurisdictionem habente in reservata, absolvere a reservatis omnibus, eo quod Tridentinum loquatur indefinite, & absque ulla limitatione. Ratio enim a Tridentino adducta, cur id servetur in Ecclesia (videlicet ne hac occasione aliquis pereat) suadet, Ecclesiam velle pro eo articulo adjuvare moribundum, quantum potest, ut proinde, si erubescat Superiori peccata sua detegere, possit a quolibet Sacerdote absolvi, ne aliter pereat, si ob eam erubescentiam culpas occultet. Quamvis autem a reservatis sine censura conferatur absolutio in articulo mortis a quodlibet Sacerdote absque ullo onere, & juxta probabilem sententiam apud Dian. p. 5. tract. 3. resolut. 60., & p. 10. tract. 14. res. 63. cum Marchantio a Millardo, Januario, Texeda, etiam absolutio a censuris reservatis, quando non sunt notoriæ, nec deductæ ad forum contentiosum, eo quod ex Tridentino pro illo articulo cesset omnis reservatio; nihilominus quando excommunicatio est notoria, aut deducta ad forum contentiosum, absolvi debet ægrotus cum onere comparendi coram Superiore, si convalescat, non quidem ut iterum absolvatur, sed ut præstet ei debitum obsequium, & obedientiam, & simul constet apud Superiorem de satisfactione parti præstita, aliter in eandem censuram reincidet. Hoc posito, dicendum, quod quilibet Sacerdos sicut potest absolute moribundum absolvere a peccatis, si dederit signa probabilia pœnitentiæ, ita poterit consequenter eidem conferre absolutionem a censuris, quippe quæ præmittenda est absolutioni a peccatis; & sicut potest absolvere moribundum sub conditione, si dederit signa pœnitentiæ prudenter dubia, ita poterit eidem pro foro interno conferre sub eadem conditione absolutionem a censuris. At pro foro externo in ordine ad Ecclesiasticam sepulturam, & suffragia nequit dari absolutio a censuris, nisi præeant signa pœnitentiæ manifesta, ut decernitur in cap. *A nobis* 2. *de sent. excom.* Aliud enim est, quod requiritur ad salutem æternam animæ, & aliud, quod requiritur ad honorem sepulturæ, & ad minuendas Purgatorii pœnas. Ecclesia non vult privare moribundum absolutione sacramentali sive absoluta, si præeat saltem probabile signum pœnitentiæ, sive condionata, si præeat signum prudenter dubium; at privat ob justas causas excommunicatum sepultura, & suffragiis, ubi de ejus pœnitentia, & ablatione contumaciæ non constet; quod si constiterit, etiam defuncto beneficium absolutionis impendit.

Quod attinet ad laicum, Sanchez lib. 2. cap. 13. n. 13. Laym. lib. 1. tr. 5. p. 2. Avila 2. p. cap. 7. disp. 1. dub. 3. docent probabilius, quod non possit clericus, & multo minus laicus in defectu Sacerdotis absolvere ægrotum ab excommunicatione, quamvis det signa manifesta pœnitentiæ; quia quamvis Ecclesia potuerit talem potestatem conferre clerico, immo etiam cuicumque fideli laico, tamen re ipsa commisisse nullo jure, aut consuetudine Ecclesiastica ostendi potest. Nihilominus censeo probabile esse, quod Doctores non ignobiles apud Henriq. l. 13. de excommun. c. 9. & apud Suar. disp. 7. de cons. sect. 6. cum D. Antonino, Ledesma, & aliis docent; videlicet posse etiam laicum in tali casu ab excommunicatione absolvere, ut possit ægrotus frui deinde Ecclesiastica sepultura, ac pro illo possint offerri sacrificia: & ratio videtur esse, quia Ecclesia pientissima Mater præsumitur velle prodesse moribundo quantum potest; quare sicut facultatem absolvendi a peccatis concedit Ecclesia pro eo articulo cuilibet Sacerdoti, quia quilibet est illius capax; ita facultatem absolvendi a censuris præsumitur concedere cuilibet clerico, imo etiam cuilibet fideli laico, cum illius sit capax, ut possit anima defuncti gaudere Ecclesiæ suffragiis; & corpus Ecclesiastica sepultura. Advertit tamen Sanchez loco citato quod si absolutio a censuris in tali casu non sit collata a Sacerdote, sed a clerico, vel laico, expediens erit, quod post mortem conferatur ab eo, cui excommunicatio reservata erat; quia si opinio asserens, posse non Sacerdotem absolvere, vera non sit, non proderunt suffragia publica Ecclesiæ illi, qui a non Sacerdote absolutionem obtinuit.

Dubitatur quarto, Num liceat identidem iterare absolutionem sacramentalem sub conditione moribundo sensibus destituto? Ad quod dicendum, quod sicut nequit prima absolutio sub conditione illi conferri, nisi prudenter dubitetur, quod con-

confessionem sensibilem præmiserit, & petierit absolvi; ita a fortiori nequit absolutio sub conditione iterari, nisi prudenter dubitetur, quod iterarit confessionem sensibilem, & iterum absolutionem petierit. Dixi a fortiori, quia facilius contingit, quod prima absolutio sit simpliciter necessaria ad æternam salutem ægroti, quam quod sit necessaria iterata absolutio. Quamvis enim nonnulli putent apud Lugo disp. 14. de pœnit. sect. 3. Dicastil. disp. 6. sect. 12. Dian. 3. p. tract. 4. resol. 116. universim non requiri novum dolorem, ut possit dari nova absolutio; nemo tamen docuit, posse novam absolutionem conferri, nisi præeat nova confessio. Et ratio ex Lugo est, quia Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii: quare sicut in judicio forensi post sententiam a judice latam nequit iterum Judex jurisdictionem exercere, nisi de novo detur nova accusatio, & novus processus, cum jam sit functus munere suo; ita neque poterit in foro sacramentali sententia absolutoria iterari, nisi detur nova pœnitentis confessio, & petitio absolutionis. Quia tamen contingere facile potest, quod prior absolutio sub conditione fuerit invalida, eo quod revera non præcesserint tunc signa pœnitentiæ, ac deinde post aliquod temporis intervallum moribundus absolutionem petat, unde indigeat alia absolutione; idcirco quando id potest prudenter dubitari, tunc iteranda est absolutio conditionata; cum verissima sit ea maxima apud Illsung. t. 6. disp. 6. quæst. 4. num. 146.: Quandocumque datur saltem tenuis probabilitas, quod Sacramentum non ministretur invalide, & simul detur summa necessitas talis Sacramenti, tunc Sacramentum licite administratur; nulla enim tunc irrogatur Sacramento, seu potius institutori Sacramentorum irreverentia, eo quod non administretur temere, ac irrationabiliter, sed juxta voluntatem Institutoris. Imo in tali casu non solum administratur licite, sed etiam datur obligatio sub gravi illud administrandi: ut proinde Sacerdos doctus, ac prudens in hoc laborare debeat, ut advertat, an signa pœnitentiæ, quæ dantur a moribundo, sint prudenter dubia? Quod si de hoc ipso rationabiliter dubitet, favendum in tali dubio reflexo saluti moribundi.

Dubitatur ultimo, Utrum sit etiam illicita confessio facta per scripturam Sacerdoti præsenti, sicut est illicita, si fiat per scripturam Sacerdoti absenti?

Certum est, confessionem factam per scripturam Sacerdoti absenti pro quovis casu esse illicitam: Ex quo deduximus esse pariter invalidam; At confessio facta per scripturam, sive per nutus, aut alia signa, vel per interpretem Sacerdoti præsenti proculdubio est valida simul, & licita in casu necessitatis, quando non potest fieri per voces: Aliter mutus non posset sacramentaliter absolvi; sicut Sacerdos mutus non potest absolvere sacramentaliter, nec posset moribundus absolvi, quando voce destituitur, etiamsi det signa pœnitentiæ; quod tamen est contra Sacros Canones. Et ratio cur hujusmodi confessio valida simul sit, & licita, est, quia benignissimus Redemptor voluit pro casibus hisce passim occurrentibus subvenire nobis remedio Sacramenti Pœnitentiæ; proinde voluit, ut quæcumque confessio dolorosa ad Sacramenti validitatem sufficeret, dummodo fieret per signa sensibilia. Hinc Florentinum dicens materiam hujus Sacramenti esse *Oris Confessionem*, non sumit oris confessionem presse, sed in latiori significatione pro quacumque externa manifestatione peccatorum, ut docent communiter. In controversiam itaque solum vocatur, An peccet, qui citra casum necessitatis aliter, quam voce confitetur? Et communis sententia cum Suarez, Vasq., Filliuc., & aliis apud Dian. p. 3. tract. 4. resol. 127. fert id non vacare lethali culpa, quia praxis, & consuetudo Ecclesiæ mutaretur in re gravi; præsertim quia hic modus manifestandi humiliter vocis sermone proprias culpas est aptissimus, ut facilius, ac apertius, & cum debita verecundia, ac dolore species peccatorum, & numerus manifestetur. Propterea velle citra necessitatem more novo, & ex se minus apto peccata detegere, videtur esse quædam species contemptus, & irreverentiæ erga Ecclesiam, & Sacramentum, & ideo continet culpam gravem. Quod si censetur esse culpa gravis, ut notat Martinus Perez disp. 15. de Pœnit. sect. 6., velle mutare Ecclesiæ consuetudinem in absolvendo, & pro illis verbis, Ego te absolvo, adhibere hæc alia, Ego remitto tibi peccata tua: aut similiter formam Baptismi variare, dicendo ver. gr. Ego te baptizo In nomine Genitoris, Geniti, & Spirati; a fortiori non vacabit gravi culpa mutatio isthæc confessionis citra casum necessitatis. Villalobus apud eundem Dianam putat, in hac mutatione haberi solum venialem culpam. Sed non est audiendus, ut advertit Lugo disp. 15. de pœnit. num. 86., quia ob communem Doctorum auctoritatem non est neganda gravis obligatio in hac consuetudine, esto nullum assignari posset præceptum aut Divinum, aut humanum scriptum, quod ad id obliget. Quomodo autem universim constare possit, quod aliqua consuetudo introducta sit a populis animo se obligandi, & non ex mera devotione, explicavimus in expositione thesis 32. Alexand. VII. ostendentes consuetudinem abstinendi ab ovis, & lacticiniis in Quadragesima esse evidenter obligatoriam. Illud tamen advertendum, quod sicut licita est confessio facta Confessario præsenti per scripturam, aut per alia signa, quando non potest physice fieri vocibus; ita licita pariter est, quando non potest ea fieri moraliter, seu sine magna difficultate; quia quod est moraliter impossibile, absolute dicitur impossibile; sicut autem Deus suis præceptis positivis non obligat nos, ubi adest hujusmodi moralis impossibilitas; ita a fortiori non obligat ista consuetudo confitendi vocibus. Hinc, ut advertit Layman lib. 5. tract. 6. c. 6. ex Suar., Valent. Sà, & aliis, puella, quæ præ maxima verecundia peccata sua explicare non valet vocibus, poterit illa explicare scripto, dummodo voce dicat se de iis omnibus accusare, quæ in eo scripto continentur. Idemque dicas de ægroto, si ægre potest verba proferre, aut si Confessarius sit surdaster, nec possit pœnitens legere peccata, quæ scripsit, quin facile ab aliis audiatur.

Videntur nonnulli cum Soto, Lugo disput. 15. section. 5. numer. 84., Martin. Perez disput. 25. section. 6., & aliis admittere, quod possit pœnitens etiam extra casum necessitatis citra culpam exhibere chartam legendam confessario, ac dicere, De his omnibus me accuso; siquidem non est necesse, quod accusatio verbalis pœnitentis de se, & independenter a circumstantiis explicet distincte species, & numerum peccatorum, sed sufficit, si iis verbis pœnitens se accuset, ut ex præsupposita notitia

titia Confeſſarii compleatur ſufficiens accuſatio, & debita confeſſio; quod in ſimilibus caſibus communiter admittitur, teſte Suar. diſput. 22. de pœnit. ſect. 6. num. 5., videlicet ſi Confeſſarius prius vidit, aut audivit peccata pœnitentis, & hic ſolum dicat, Accuſo me de iis peccatis, quæ tu bene noſti; vel ſi repetendæ ſint eidem Confeſſario confeſſiones præteritæ ob earum nullitatem, & pœnitens dicat, De iis omnibus peccatis alias nulliter confeſſis, de quibus memoriam habes, iterum me accuſo. In quibus caſibus hæc pauca verba, ſuppoſita priori notitia Confeſſarii, æquivalent diſtinctæ confeſſioni; quia ſufficienter faciunt præſentia peccata omnia in notitia illius. Quare pariformiter videtur ſufficere, quod tribuatur Confeſſario præſenti charta legenda, ac deinde pœnitens dicat, De his omnibus, quæ legiſti, me accuſo. Et ratio a priori videtur eſſe, quia de ratione confeſſionis ſolum eſt ſe accuſare; at de ratione accuſationis non eſt dare Judici de novo notitiam delictorum, ſed ſufficit, quod ejus munus imploretur relate ad delicta rei, etiamſi prius illa cognoverit. Sic dæmon dicitur Apocal. 12. *Accuſator fratrum noſtrorum*, non quia dat Deo notitiam culparum non præhabitam, ſed quia implorat munus Dei vindicis in ordine ad ulciſcendas hominum culpas. Quare ſi Confeſſarius ex lectione chartæ præhabeat notitiam peccatorum pœnitentis, poterit hic ſufficienter voce ſe de iis accuſare, quamvis non det vocis ſermone iterum Confeſſario notitiam culparum. Verum, ut advertit Vaſq. t. 4. in 3. par. quæſt. 91. art. 4. dub. 4. ſolum admittit Sot., quod poſſit Confeſſarius legere coram pœnitente peccata, ita tamen, ut hic ſingulis annuat, & reſpondeat interroganti. Imo ne hoc quidem admittendum eſſe docet idem Vaſquez, ſed ſtandum communi conſuetudini in re tam gravi, quod ſcilicet pœnitens ipſe vel memoriter dicat, vel legat ſingula peccata, & Sacerdos ſolum interroget, ubi opus erit. Hic enim modus confitendi peccata, ex D. Thoma quodlib. 1. artic. 10.; quamvis non ſit neceſſarius neceſſitate Sacramenti (aliter non poſſet mutus valide abſolvi) eſt tamen ex inſtitutione, conſuetudine, & traditione Eccleſiæ neceſſarius, ut magis peccator erubeſcat, & ad veniam obtinendam diſponatur. Verum quidem eſt, quod in iis caſibus a Suario adductis ſufficiat paucis verbis ſe accuſare de peccatis, quæ Sacerdos aut vidit, aut audivit, aut in præteritis confeſſionibus ab eodem pœnitente accepit; cum hoc ferat communis ſenſus Doctorum, & Eccleſiæ praxis; & ratio eſt, quia in his caſibus per accidens præfuit in Confeſſario notitia peccatorum, unde ſufficit, quod eorum memoria excitetur. At in caſu noſtro data opera daretur Confeſſario charta legenda ad effugiendam erubeſcentiam, quæ haberetur in exprimendis diſtincte peccatis; quod eſt contra Eccleſiæ conſuetudinem, quæ, ut diximus, eſt graviter obligatoria, quoties non datur moralis impoſſibilitas, ſeu gravis difficultas excuſans. Et ſane vel idcirco a laudatis Doctoribus aſſeritur requiri, quod pœnitens porrigendo chartam legendam Confeſſario, dicat ſaltem voce, Accuſo me de his omnibus, quæ in hoc ſcripto continentur, quin ſufficiat, quod hoc ipſum dicat ſcripto, aut nutibus, quia ad validitatem Sacramenti ſpectat, quod confeſſio fiat vocibus, quando ſic fieri poteſt, prout nonnulli docuerunt apud Vaſquez loco laudato (ſicut ad validitatem Sacramenti ſpectat, quod abſolutio voce humana in quovis caſu proferatur) & hoc communiter cum Angelico quodlib. 1. art. 10. non admittitur; Vel quia Eccleſiæ conſuetudo fert, quod aliquatenus vocis ſermone fiat confeſſio, ubi ſic fieri poſſit: unde non vacat gravi culpa, gravem iſtam Eccleſiæ conſuetudinem, & ordinationem variare: ergo cum Eccleſiæ etiam conſuetudo ferat, quod ſingula peccata vocibus a pœnitente exprimantur per ſe loquendo, quando id fieri poteſt, & hujuſmodi conſuetudo ſit longe gravior, quam illa prior, ut patet; idcirco a fortiori non vacabit gravi culpa citra neceſſitatem, ſeu citra ſpecialem pœnitentis difficultatem hunc modum confitendi in Eccleſia conſuetum variare. Quod videtur docere Angelicus loco laudato in calce articuli, ubi dicit, peccare, & gratiam non conſequi, qui hac in re ordinationem Eccleſiæ prætermittit; non ſecus ac peccat, qui in Baptiſmo ſervat ea, quæ ſunt de neceſſitate Sacramenti, prætermittens ſtatuta Eccleſiæ. Exempli gratia peccat, qui in Baptiſmo aquæ elementari nonnihil admiſcet aquæ roſaceæ, ita ut non deroget valori Sacramenti; quia in ſacramentali ablutione adhibenda eſt ſolum aqua, qua homines communius utuntur ad abluendum. Peccat pariter, qui pani conſecrando nonnihil ſacchari admiſcet; quia panis conſecrandus debet eſſe ſolum panis communius uſitatus; ergo peccat etiam per ſe loquendo, qui ad explicandum diſtincte ſua peccata, utitur etiam ſcriptura a Confeſſario legenda; quia in manifeſtatione peccatorum convenit uti ſolum verbis, quibus homines communius, & expreſſius ſuos conceptus ſignificare conſueverunt.

Utrum autem teneatur per ſcripturam modo dicto, aut per interpretem confiteri, qui aliter non poteſt diſtincte ſua peccata detegere? Plures affirmant apud Suar. diſp. 36. ſect. 6. cum Cajetano, Ledeſma, Lugo diſp. 15. ſect. 5. & aliis; quia non videtur id eſſe grave onus, quod excuſet a præcepto Confeſsionis ſive Divino, ſive Eccleſiaſtico, quod eſt modificativum Divini. Plures alii apud Dianam p. 3. tract. 4. reſol. 129. cum Turriano, Fagundez, Layman, Filliucio negant, præſertim ſi confeſsio facienda ſit ad ſatisfaciendum præcepto Eccleſiaſtico Confeſsionis annuæ; quia præceptum Confeſsionis ſolum obligat ad Confeſsionem ſecretam, ita ut, licet poſsit aliquis publice confiteri, ad id tamen nunquam teneatur; modus autem confitendi per interpretem, aut per ſcripturam de ſe non eſt ſecretus, ex Navarro, Medina, Victoria, Soto, Ledeſma, Toleto, Henriquez, Valentia (quidquid in contrarium doceat Martinus Perez diſp. 25. de Pœnitentia ſect. 5. de Confeſsione per ſcripturam, dicens, poſſe facile impediri, ne publicetur, ſi caute cuſtodiatur, & ſtatim poſt Confeſsionem comburatur) ergo non datur obligatio confitendi per interpretem, aut ſcribendo peccata, ſi non poſſent ea aliter diſtincte manifeſtari, ſed ſatis erit tunc ponere Confeſsionem ſolum formaliter, licet non materialiter integram, confitendo peccata nutibus, quoad ejus fieri poteſt. Quod eſſe verum etiam in articulo mortis, etiamſi moribundus non habeat certitudinem moralem de ſua contritione, docent nonnulli apud Dianam p. 3. tract. 4. reſ. 128.; quia peccata ſcribere, & ſcriptum Confeſſario tradere, eſt modus confitendi inſuetus, & plerumque non vacat omni periculo publicationis. Propterea quam-

quamvis in articulo mortis obligetur moribundus ad ſuſcipiendum Sacramentum Pœnitentiæ, juxta hanc ſententiam, tamen non obligatur ad Confeſſionem materialiter integram, ſi non poſſit integre confiteri, quam per interpretem, vel per ſcripturam, ſed ſufficit, quod nutibus manifeſtet peccata, prout poteſt. Equidem vero probabilius cenſeo cum Coninch. diſp. 5. num. 77., & aliis, neminem in ullo caſu teneri ad Confeſſionem materialiter integram, ſi aliter ea fieri non poſſit, quam per interpretem; quia hic modus confitendi non eſt ſecretus, & ſubeſt infamiæ, ad quam ex præcepto Confeſſionis non obligamur; contra vero ad ſatisfaciendum præcepto Confeſſionis materialiter integræ dari obligationem ſcribendi peccata, ac tradendi chartam Confeſſario præſenti legendam, ſi aliter ea explicari non poſſunt, quoties nullum ſubeſt morale periculum, quod ſcriptura publicetur. Ratio eſt, quia hic modus confitendi non eſt publicus; unde ſicut tenetur pœnitens nutibus, aut aliis ſignis explicare diſtincte peccata, ſi nequit ea vocis ſermone explicare; ita tenetur ea explicare in ſcriptis, tanquam ſignis ad mentis conceptus explicandos inſtitutis, ſi facile caveri poteſt, ne ad aliorum manus deveniant. Atque hæc de theſibus ſæculo decimoſeptimo confixis dixiſſe ſit ſatis.

IN-

INDEX
AD HANC APPENDICEM SPECTANS.

APpendix, in qua nonnulla annotantur ad elucidationem aliarum Thesium sæculo superiore confixarum. *pag* 193

Recensentur septuagintanovem Michaelis Baji Theses, olim a Pio V., & Gregorio XIII., ac deinde ab Urbano VIII. confixæ anno 1644. in Bulla *In Eminenti*. §. I. 194.

Constitutio Innocentii XI. proscribentis sexaginta & octo Theses, quæ a Michaele de Molinos prætextu Orationis Quietis docebantur. §. II. 196

Breve Innocentii XII. proscribentis tres & viginti Theses, quæ prætextu Amoris erga Deum purissimi in Galliis docebantur. §. III. 192

Condemnatio duarum Thesium de Omnipotentia donata, & subjecta creaturæ. §. IV. 194

Utraque isthæc Thesis exponitur. §. V. *ibid.*

Prohibitio Thesis de usu Scientiæ ex Confessione acquisitæ. §. VI. *ibid.*

De Usu Scientiæ ex Confessione habitæ universim. §. VII. 195

Thesis hæc a Sacra Congregatione prohibita exponitur, & expungitur. §. VIII. 199

Quamplures difficultates ex præjacta doctrina enodantur. §. IX. 200

De Confessione, & Absolutione per Litteras, aut per Internuncium. §. X. 202

De Absolutione Moribundo impertienda. §. XI. 227

Nonnullæ difficultates huc pertinentes evacuantur. §. Ult. 232

INDEX ALPHABETICUS MATERIARUM,

Quæ in omnibus hujus Operis thesibus profligantur, aut discutiuntur.

Prior Numerus designat Partem Operis, alter Thesim in ea Parte expositam. Appendix designatur per has litteras, *App.* additurque numerus Paragraphorum.

A

ABortus procuratio. 2. 34.
Abortus ferens homicidium. 2. 35.
Absolutio moribundi sensibus destituti. *App.* §. 12.
Actio humana deliberata, quæ nec sit Dei dilectio, nec Mundi. 3. 7.
Actus Theologales iterandi. 1. 1.
Amore Dei deficiente fidem non deficere. 3. 13.
Augustini doctrina in conflictu Bullarum. 3. 30.
Arbitriorum venditio a Collatore Beneficiorum. 1. 22.
Arbitriorum venditio relate ad Judicem. 1. 26.
Attritio naturalis insufficiens in Sacramento. 2. 57.
Attritio sine aliquali Dei dilectione. 3. 15.

B

BAji Theses confixæ. *App.* §. 1.
Baptismus sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia. 3. 28.
Baptismus sub forma, In nomine Patris, *&c.* 3. 27.
Beneficia Curata Dignioribus, hoc est Dignis. 2. 47.
Bullæ Cœnæ casus occulti relate ad Episcopos. 1. 3.
Bulla Urbani VIII. In Eminenti *subreptitia*. 3. 31.

C

CAlumniatoris occisio. 1. 17.
Casus Episcopales relate ad Mendicantes. 1. 12.
Casus Bullæ Cœnæ occulti. 1. 3.
Censuræ cessantes per correctionem Rei. 1. 43.
Christi mors pro omnibus, & solis Fidelibus. 3. 4.
Christi mors pro omnibus omnino. 3. 5. *Jans.*
Christi capitis influxus in Infideles. 3. 5.
Comedere, & bibere ad satietatem. 2. 8.
Communio sacrilega ad satisfaciendum præcepto. 2. 55.
Communionis frequentia nota Prædestinationis. 2. 56.
Communicandi jus pœnitentia nondum expleta. 3. 22.
Communicare sine amore Dei purissimo. 3. 23.
Concubina, licet utilis, ejicienda. 1. 41.
Conjugii opus ob voluptatem. 2. 9.
Confessio nulla ad satisfaciendum præcepto. 1. 14.
Confessio facta Regulari reprobato. 1. 13.
Confessiones factæ apud Regulares invalidæ. 3. 2.
Confessio dimidiata ob concursum pœnitentium. 2. 59.
Confessio in absentia per literas. *App.* §. 10.
Confessionis scientia si quis utatur cum gravamine. *App.* §. 7.
Confiteatur quamprimum celebrans in necessitate. 1. 38.
Consuetudo moderna in Sacramento Pœnitentiæ. 3. 18.
Consuetudo abstinendi ab ovis in Quadragesima. 1. 32.
Consuetudinarius non absolvendus. 2. 60.
Copula cum soluta est explicanda. 1. 25.
Copula cum conjugata consentiente marito. 2. 50.

D

DEI Patris simulacrum in Templo. 3. 35.
Denunciatio Hæretici. 1. 5.
Denunciatio sollicitantis per chartam. 1. 6.
Denunciandi onus quomodo declinetur. 1. 7.
Desiderium inefficax mortis proximi. 2. 13.
Desiderium absolutum mortis Patris. 2. 14.
Detractori falsum crimen imponere. 2. 43.
Dilectio Dei iteranda. 2. 5. *An singulis quinquenniis?* 2. 6. *An quando tenemur justificari?* 2. 7.
Dilectio proximi per actus externos duntaxat. 2. 10. & 11.
Duelli acceptatio a Viro equestri. 1. 2.

E

ELeemosyna ex superfluis statui. 2. 12.
Eucharistia. *V.* Communio.

F

FAlsum crimen ad defensionem imponere. 2. 44.
Famuli cooperantes ad peccatum Heri. 2. 51.
Famuli occulte compensantes. 2. 37.
Festa, quæ citra contemptum non serventur. 2. 52.
Fidei actus iterandi. 2. 17.

Fidei

Fidei assensus firmior ex imperio voluntatis. 2. 19.
Fidei repudium imprudens. 2. 20.
Fidei præceptum speciale. 2. 19.
Fides confitenda coram interrogante. 2. 18.
Fides Dei Remuneratoris. 2. 22.
Fides formidolosa. 2. 21.
Fides late dicta insufficiens. 2. 23.
Fides mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. 2. 65.
Fides deficiens ad defectum amoris Dei. 3. 12.
Furtula iterata. 2. 38.
Furtum in necessitate gravi.

G

G*Audium de proximi morte.* 2. 13.
Gaudium de parricidio in ebrietate. 2. 15.
Gratia sufficiens relate ad Infideles. 3. 5.
Gratia sufficiens perniciosa. 3. 6.
Gratia interior, cui nunquam resistatur. 3. 2. *Jans.*
Gratia, cui voluntas non possit resistere. 3. 4. *Jans.*

H

H*Æreticus, qui probari non possit, denuntiandus.* 1. 5.
Hæresis occulta relate ad Episcopos. 1. 3.
Hæresis occulta relate ad Prælatos Regulares. 1. 4.
Homicidium pro conservatione aurei. 2. 51. *V. etiam* Occisiva defensio.
Horæ Canonicæ. V. Officium.

I

J*Ejunium quoad itinerantes.* 1. 31.
Jejunium quoad laborantes. 1. 30.
Jejunii violatio citra contemptum. 1. 23.
Ignorantia invincibilis juris naturæ. 3. 2.
Ignorantia mysteriorum Trinitatis, & Incarnationis. 2. 65.
In Jejunio modicæ comestiunculæ iteratæ. 5. 27.
Indulgentiæ Regularium a Paulo V. revocatæ. 37.
Infidelis non credens ex opinione probabili. 2. 4.
Infidelis in omni opere peccans. 3. 8.
Judex vendens arbitria. 2. 26.
Judex sequens opinionem minus probabilem. 2. 2.
Juramentum sine animo jurandi. 1. 25.
Juramentum addictum restrictioni mentali. 2. 26. & 27. *V. etiam* Perjurium.

L

L*Egis non acceptatio sine causa.*
Legatum annuum pro anima per decennium. 1. 42.
Libertas in causa insufficiens ad demeritum. 3. 1.
Libertas a coactione ad merendum insufficiens. 3. 3. *Jans.*
Librorum prohibitorum retentio, donec corrigantur. 1. 45.

M

M*ARIÆ Virginis oblatio die Purificationis.* 3. 24.
MARIÆ ut Mariæ laus non vana. 3. 26.
Mendicantes relate ad Casus Episcopales. 1. 12.
Mendicantes imponentes pœnitentias incongruas. 3. 21.
Metus cohonestans simulationem in Juramento. 2. 29.
Metus inducens famulos ad cooperandum peccato Heri. 2. 51.
Michaelis Baji theses. App. §. 1.
Michaelis de Molinos theses. App. §. 2.
Missæ Stipendium. V. Stipendium.
Missæ partes simul auditæ. 2. 53.
Mohatræ contractus usurarius. 2. 40.
Mollities jure naturæ interdicta. 2. 49.
Mollities, Sodomia, Bestialitas specie differunt. 1. 24.
Mutuator. V. Usura.

N

N*Ecessitas gravis excusat a furto.* 2. 36.

O

O*Blatio Deiparæ die Purificationis.* 3. 24.
Occasio proxima peccandi. V. Proxima Occasio.
Occisiva defensio. 2. 30. 31. 32. & 33.
Officium Paschale die Palmarum. 1. 34.
Officium unicum pro duplici die. 1. 35.
Officium recitatum per alios. 1. 21.
Officii horæ recitandæ ab eo, qui non potest Matutinum, & Laudes recitare. 2. 54. *V.* Restitutio.
Omnipotentia donata, & subjecta creaturæ. App. §. 5.
Opera, quæ non sunt ex fide per dilectionem operante. 3. 11.
Osculum ob delectationem carnalem. 1. 40.
Ova, & lacticinia in Quadragesima. 1. 32.

P

P*Arochi eligentes simplicem Sacerdotem in Confessarium.* 1. 16.
Parochianus suspicans de pœnitentiis incongruis impositis a Mendicantibus. 3. 21.
Peccati detestatio ob ejus turpitudinem. 3. 9.
Peccati detestatio ob gloriam cœlestem. 3. 18.
Peccati detestatio ob gehennam sine dilectione. 3. 15.
Peccatorum luxuriæ specifica diversitas. 1. 24.
Peccatum Philosophicum. 3. 1. (ex 2.)
Pœnitentia Sacramentalis per alium impleta. 1. 15.
Pœnitentiæ ob originale per totam vitam. 3. 19.
Pœnitentiæ ordo inversus mox absolvendi. 3. 17.
Pontificis auctoritas supra Concilium, & infallibilitas. 3. 19.
Perjurium in re levi. 2. 24. *V. etiam* Juramentum.
Privilegia Regularium a Tridentino revocata. 1. 36.
Probabilissima opinio. 3. 3.
Probabilitas tenuis. 2. 3.
Probabilitas in Sacramentis conferendis. 3. 1.

Pro-

Probabilitas in Judice ferente sententiam. 3. 2
Probabilitas in Infideli. 2. 4
Probabilitas ex uno Moderno. 1. 27
Proxima peccandi occasio impediens absolutionem. 2. 61 *Fugienda*. 2. 62
Non quærenda directe ob bonum spirituale. 2. 63

Q

QUamprimum *confiteatur Celebrans in necessitate*. 1. 38
Quamprimum *hic quid significet?* 1. 39

R

REgulares *Prælati relate ad absolvendum ab hæresi occulta*. 1. 4
Regularis injuste reprobatus in ordine ad absolvendum. 1. 13
Regularium Indulgentiæ a Paulo V. revocatæ. 1. 37
Regularium privilegia a Tridentino revocata. 1. 36
Regulares relate ad imponendas pœnitentias nimis leves. 3. 21
Regulares relate ad Confessiones. 3. 20
Restitutio a non recitantibus Horas *facienda ante sententiam Judicis*. 1. 20
Restitutio per eleemosynas antea factas. 1. 33
Restitutio facienda ab inducente ad damnificandum. 2. 39
Restituendum sub gravi, *quod per furtula*, &c. 2. 38

S

SAcramentorum *simulata administratio ob metum*. 2. 29.
In Sacramentis conferendis probabilitas. 2. 1
Simonia in Beneficiis pro emolumento temporali. 1. 22.
Simonia, si detur temporale tanquam motivum, vel in gratuitam compensationem pro spirituali. 2. 45
Simulacrum Dei Patris in Templo. 3. 25
Spes vitiosa ex defectu Charitatis. 3. 13
Stipendium Missæ multiplex. 1. 10
Stipendii pars retenta a celebrante per alium. 1. 9.
Specialissimi Missæ fructus novum stipendium. 1. 8

T

THeologales *actus iterandi*. 1. 1
Theses Baji. *App*. §. 2.
Theses Michaelis de Molinos. *App*. §. 3.
Theses 23. *de Amore Dei purissimo*. *App*. §. 4.
Timor gehennæ est supernaturalis. 3. 14

V

VIr *equestris acceptans duellum*. 1. 2
Vir honoratus occidens calumniatorem, aut conviciantem. 2. 30
Usurarium est lucrum ob obligationem non repetendi mutuum usque ad certum tempus 1. 42 *Et ob pecuniam numeratam pro numeranda*. 2. 41 *Et ob pactum dandi aliquid ex gratitudine*. 2. 41
Usura habetur in contractu Mohatra. 2. 40

Sit autem hic hujus Opusculi (sed ob ubi Æternitatis)

F I N I S.

Laus Deo, & B. Virgini sine labe Conceptæ.

A. M. D. G.

NONNULLA CAPITA VERITATIS VINDICATÆ A P. CAROLO NOCETI EDITÆ,

In quibus P. Viva vindicatur.

Ab XVII. Thesim inter damnatas ab Alexandro VII.

CAPUT XXIV.

Vindicatur ab injusta criminatione P. Viva.

P. CONCINA T. IV. p. 324.

P. *Viva exponens primam ex tribus relatis opinionibus* (Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei) *advertit eam defendi a Molina, si furto addatur contumelia, ita ut furtum evadat rapina, & committatur adversus virum nobilem, non plebejum. Et in hoc sensu eam defendit etiam Lugo, concludit P. Viva in propositionem 17. Alexandri VII. num. 10. Eam denique ADOPTARE VIDETUR idem P. Viva. Viden'? Furto unius aurei addatur VERBUM CONTUMELIOSUM, quo evadat rapina; & propositio damnata licita sit. Atque sic vita hominis minoris æstimatur, quam unicus aureus VERBO CONTUMELIOSO conjunctus.*

„ Mitto, non satis bona fide exhiberi sententiam Auctorum quos refert P. Viva, & „ multum extenuari id quod dicunt, ita ut multo „ absurdius ac deterius lectoribus videatur. Illi „ enim non dicunt satis esse ad defensionem occisivam furtum unius aurei VERBO CONTUMELIOSO conjunctum, ut ad majorem invidiam „ conflandam ait P. Concina; sed postulant INGENTEM ET MAGNAM CONTUMELIAM, „ AC VIOLENTIAM, ut patebit ex verbis Vivæ „ statim afferendis.

„ Hoc misso, falsissimum est P. Vivam ullum „ præbere indicium, quo præfatam sententiam adoptare videri possit. En ejus verba.

„ *Constat quarto falsitas Thesis 31. ab eodem Inn. XI. damnatæ, in qua dicitur* Regulariter occidere possum furem pro conservatione unius aurei. *Hæc propositio tribuitur Molinæ Tom. 4. tr. 3. disputatione 16. & Bonacinæ loc. cit. qui tamen hoc solum admittunt, si furto addatur MAGNA CONTUMELIA, ac VIOLENTIA, ita ut rapina sit, non furtum: in quo casu id etiam admittit Card. de Lugo, disput. 10. de Just. num. 178. propterea ut rapina ista inferat INGENTEM CONTUMELIAM, fieri debet adversus virum nobilem, non plebejum. Quod si raptor post rapinam fugiat, non poterit læsus insequi illum & occidere; quia injuria personæ irrogata non potest amplius impediri; unde talis occisio esset ultio, non defensio.*

„ Jam vero refert hic quidem P. Viva eorum opinionem, ut ostendat eos non penitus consentire „ cum propositione damnata. Sed ubi est verbum „ quo illam laudet, quo illam probet, quo illam „ adoptare videatur?

„ Quod ut evidentius pateat, diligenter consideranda hæc sunt quæ subdit Viva num. XI. immediate sequente.

„ *Constat*, inquit, *quinto, non subsistere sententiam Bonacinæ l. c., Nav. Rodr. Baldelli, & aliorum apud Dianam Resol. 12. quod possit tanquam invasor honoris interfici, qui virum NOBILEM signis, aut CONTUMELIIS ATROCIBUS afficit, nec vult desistere.*

„ Quibus positis, quæro: qui negat justam esse „ causam defensionis occisivæ ATROCES CONTUMELIAS in virum NOBILEM jactatas & obstinate jactandas; videri ne potest adoptare ut justam causam VERBUM CONTUMELIOSUM superadditum furto unius aurei? Lectores judicent.

„ Sed quoniam P. Concina hoc in loco, ubi agit „ de defensione occisiva, Lessium, Vivam, & La „ Croisium fere solos nominatim exagitat, & propositiones in catalogum damnabilium conjectas „ ab auctoribus solum sibi invisis excerpsit: placet „ ipsum docere quot alias recensere potuisset, quæ „ ab eo omittendæ non erant, qui desiderio reformandæ Moralis flagrare, non studio partium duci, videri vellet. Venio ad rem.

„ *Respondetur citra dubium licere furem, etiam diurnum, in defensionem bonorum temporalium interficere, si aliter illa eripi ab ipso nequeunt. Et ratio est, quia bona mea media sunt ad vitæ sustentationem & status, atque HONORIS.* Sotus „ Dominicanus de Just. l. 5. qu. 1. art. 8.

„ *De tempore defensæ quamdiu duret præterea forte dubitas. Nempe utrum tunc tantum liceat resistere quamdiu fur rem non arripuit; an vero etiam tunc dum tuis rebus onustus FUGIT, liceat tibi eum armis insequi; & si aliter deprehendi nequit, etiam jacto telo sternere? Respondetur; toto illo tempore flagrantis delicti licere vim vi repellere ETIAM DUM FUGIT.* Idem Sotus „ ibidem.

„ *Ex his supradictis fit, quod siquis quempiam aggrederetur, ut cum fuste LEVISSIME percuteret, posset id alter, etiam hostem interimendo, repellere.* Idem Sotus ibidem.

„ *Est ingenuus vir, aut illustris, qui videns hostem ad se gladio appropinquare, fugiendo posset liberare vitam: utrum fugere cum SUO DEDECORE teneatur, ne suam, vel hostis periculo mortis objiciat? Apparet enim secundum ea quæ dicta sunt, neutiquam expectare posse, quandoquidem moderamen inculpatæ tutelæ requirit hostis necem necessariam esse ad servandam vitam, quod in illo casu non est. Respondetur nihilominus non teneri se in pedes conferre; quia moderamen hoc adhibendum est citra HONORIS detrimentum, quod alicujus sit momenti.* Idem Sotus ibidem.

„ *Siquis invasus potest fugere: Quia fuga esset sibi injuriosa & magnum DEDECUS, non vult fugere, sed se tueri; & sic defendendo, invasorem interficit, non peccat mortaliter secundum aliquos. Et hoc mihi placet; quia si pro jactura rerum licet defendendo occidere, ut dictum est, multo magis pro HONORE.* Bartholomæus Fumus Dominicanus in Summa vulgo *Armilla*, V. *Homicidium*, num. 7.

„ *Et idem dicendum de eo, qui quando nisi armis se defenderet, injuriam magnam, aut HONORIS, aut persona pateretur. Quoniam si potest ob res suas occidere, cum HONOR æstimetur plu-*

„ *ris quam fortunæ bona*, *poterit ob illum occidere*. „ *Quapropter si aliquis non potest sine dedecore fuge-* „ *re*, *non tenetur fugere*. Ludovicus Lopez Domi- „ nicanus 1. p. Instructorii, cap. 62.

„ *Credo tamen quod per injuriam percussus possit* „ *statim repercutere*, *ETIAMSI INVASOR NON* „ *DEBERET ULTRA PROGREDI*. *Sed ad vitan-* „ *dam ignominiam & dedecus posset qui colaphum* „ *e. g. accepit*, *GLADIO statim repercutere*, *non ad* „ *sumendam vindictam*, *sed*, *ut dictum est*, *ad vi-* „ *tandam infamiam & ignominiam*. Victoria Do- „ minicanus in Relectione de Jure belli, n. 5.

„ *Postquam jam aggressor fecit aliquam actionem* „ *parando mihi insidias quas ego aliter effugere non* „ *possum*, *nisi occidendo illum*; *tunc licitum est mi-* „ *hi MEDIO TEMPORE*, *antequam instet meum* „ *damnum*, *occidere insidiantem*, *ETIAM SI PRO* „ *TUNC QUIETUS SIT*. *Ratio est; quia tunc pro-* „ *prie loquendo est defensio vitæ meæ*; *nam profecto* „ *MORALITER loquendo ille Est ACTUALIS ag-* „ *gressor*: *v. g. in casu posito potest mulier adulte-* „ *ra occidere maritum*, *de quo certa est quod jam* „ *habet vel venenum paratum*, *vel gladium*, *aut* „ *quid simile*; *tunc enim vim repellit MORALI-* „ *TER loquendo*, *quamvis PHYSICE pro tunc ma-* „ *ritus nihil agat*. M. Bannez Dominicanus 2. 2. „ qu. 64. art. 7.

„ *Similiter dico de secundo casu*, *quod si ille qui* „ *vadit ad Judicem*, *fuerit admonitus*, *& noluerit* „ *retrocedere*; *poterit is qui injuriam patitur*, *occi-* „ *dere illum defendendo se*, *vel SUA*, *si aliter non* „ *potest*. Idem Bannez ibidem.

„ *Sed rogat quis quid agam ego*, *si quis vadat ad* „ *me accusandum de crimine VERO*, *sed occulto*, „ *ex cujus accusatione mihi certum periculum crea-* „ *tur mortis*, *vel INFAMIÆ? Respondetur quod*, *si* „ *ille non habet jus ad me accusandum*, *neque pro-* „ *cedit secundum justitiam legalem*, *ita me possum* „ *defendere ab illo sicut ab imponente falsum cri-* „ *men*. (scilicet occidere, ut dixit supra) Idem „ Bannez ibidem.

„ *Cajetanus ait quod innocens tunc poterit provo-* „ *care accusatorem ad duellum*, *& occidere*; *quo-* „ *niam accusator jam invadit innocentem occisurus* „ *gladio Judicis*. Idem Bannez ibidem, qui Cajeta- „ ni sententiam non modo refert, sed ita adoptat, „ ut a contrariis argumentis eam liberet.

„ Sistamus hic parumper. En quo duce & Magi- „ stro Thomas Sanchez lib. 2. in Decalogum, cap. „ 39. numero SEPTIMO docuerit licitam esse ac- „ ceptationem & oblationem duelli, immo & ho- „ micidium proditorium in eo solum definito ac „ peculiari casu, quo innocens per fraudem iniqui „ calumniatoris apud Judicem in vita, honore, vel „ rebus familiaribus certo opprimendus sit. Ubi hæc „ quæ sequuntur, diligenter animadversa velim.

„ Primum est, Sanchezium id non docere inde- „ finite & universaliter, ut ipsi imposuit P. Con- „ cina, & a me in prima parte cap. XI. notatum „ est; sed in illo unico & definito casu.

„ Secundum est, Defensorem Concinianum non „ posse propter hanc absurdissimam sententiam im- „ petere Sanchezium, nisi per latus Bannezii sui. „ Nam Sanchez illam non docet, nisi quatenus „ laudat Bannezium illam docentem.

„ Tertium est, parum sincero artificio plenam „ esse quamdam parenthesim D. Eusebii Eranistæ. „ Qui contra me scribens, & locum Sanchezii refe- „ rens, cum ad citatum Bannezium pervenisset, „ ut Dominicanum suum quoquomodo defenderet, „ & Jesuitam suspectum redderet, ita subleste scri- „ psit (*Fides sit penes Sanchez*) Nunc pergamus.

„ *Ad tertium argumentum respondetur quod*, *mo-* „ *raliter loquendo*, *ille jam cœpit facere vim QUAN-* „ *DO APPOSUIT CAUSAM CERTAM PERICULI* „ *FUTURI*: *sicut qui parat laqueum pedibus meis* „ *in loco per quem mihi necesse est transire*; *neque* „ *enim debeo expectare ad repellendam vim*, *quan-* „ *do jam nullum erit remedium*. *Sed tunc vere me* „ *defendo QUANDO JAM POSITA EST ALIQUA* „ *ACTIO*, *PER QUAM PER BONAM CONSE-* „ *QUENTIAM SEQUITUR MEUM PERICULUM*; „ *alioquin postea nullus est locus defensioni relictus*. „ Idem Bannez ibidem.

„ *Si aliquis invadatur ab ipso qui vult ipsum oc-* „ *cidere*, *a quo tamen vitam defendere potest per* „ *fugam*, *amittit tamen MAGNUM HONOREM in* „ *tali fuga*; *tunc jam non in defensionem vitæ quam* „ *per fugam defendere poterat*, *sed in defensionem* „ *honoris quem amittere posset si fugeret*, *licitum est* „ *ei*, *ut non amittat ISTUM HONOREM*, *invaso-* „ *rem occidere*. Jo: a S. Thoma Dominicanus in „ 2. 2. Qu. 64. disp. 17. art. 5. n. 6.

„ *In uno tamen casu licitum mihi videtur acceptare* „ *duellum*, *quando scilicet accusator evidenter calumnia-* „ *tur*, *& prævalet contra me innocentem ad mor-* „ *tem*, *vel mutilationem*. *Tunc enim ex quo accu-* „ *sator impetit me Judicis gladio injustissime*, *sine* „ *dubio occidet*, *vel mutilabit me*: *ego non habens* „ *aliud refugium*, *habeo justum bellum defensivum* „ *contra eum*. *Et propterea*, *si ipse offert mihi duel-* „ *lum*, *ego possum acceptare de consensu Principis*; „ *& tueri me meliori modo quo possum*. Cajetanus „ Dominicanus 2. 2. qu. 95. a. 8.

„ *Tertio tamen dico quod duellum in quibusdam* „ *casibus licet*. *Primus casus est*, *quando quis in ju-* „ *dicio de crimine accusatur propter quod plectendus* „ *est*; *& nullum aliud medium habet ad se defen-* „ *dendum*, *nisi indicere duellum calumniatori falsum* „ *dicenti*. Zanardus Dominicanus 2. parte Instru- „ ctorii, de Homicidio cap. 5.

„ *Octavo dico quoad defensionem proprii honoris*, „ *quod licet proprium honorem defendere cum mode-* „ *ramine inculpatæ tutelæ*, *ut supra*. *Unde si non* „ *potest defendi nisi cum morte tentantis inferre in-* „ *famiam*, *talis poterit occidi*. *Hoc autem primo ve-* „ *rum est in nobilibus*, *in militibus*, *ac in ceteris*, „ *quibus magnum dedecus est sustinuisse colaphum*, „ *baculi ictum*, *& similia*; *nam in his honor vitæ* „ *æquiparatur*. *Secundo hoc etiam verum est in igno-* „ *bilibus*, *& CLERICIS*; *quia quilibet in suo statu* „ *curam habere debet de proprio honore*; *& quamvis* „ *hi possint dedecus patienter ferre*, *quando non est* „ *tale ut illis notabile damnum inferat*; *tamen cum* „ *non sint domini suæ famæ & honoris necessarii ad* „ *bene recteque vivendum*, *ad hoc ut aperta facie* „ *possint suggestus & cathedras ascendere*, *in altari-* „ *bus ministrare*, *& coram honestis personis compa-* „ *rere*, *si vellent se defendendo invadentem occidere*, „ *immunes essent a peccato*. Idem Zanardus ibid. c. 2.

„ Non absimilem doctrinam de Clericis tradidit „ etiam Amicus; diserte tamen declarans se illam „ solum proponere *disputationis gratia*. Declaratio- „ nem hujusmodi ab Amico fuisse unquam adje- „ ctam intrepide negavit P. Concina adversus Vi- „ vam, ut videre est in prima parte Veritatis Vin- „ dicatæ cap. 36. declarationem eamdem fuisse sal- „ tem ab Amico in editione Antuerpiensi abjectam „ contendit Defensor Concinianus. Sed ambo fru- „ stra. Ea enim declaratio legitur in omnibus e-

„ xemplis

„ xemplis editionis Duacenæ anni 1642. & in quamplurimis editionis Antuerpienſis anni 1650. quorum quinque Romæ exiſtentia in epiſtola ad Amicum vernacule ſcripta a me citata ſunt.

„ Jam vero in catalogo Conciniano invenient quidem lectores non paucas propoſitiones de defenſione occiſiva damnationi propoſitas. Sed ex ſupra recenſitis, quæ omnes Dominicanorum ſunt, nullam invenient. Magna vis inferenda eſt intellectui, ut quis credat in hoc Scriptore vacuitatem a ſtudio partium.

„ Præterea interrogat ille quidem hoc Tomo IV. p. 312. his verbis: *Undenam tam ſanguinaria, tam immanis & efferata erupit Theologia?* Sed poſthac, puto, non ignorabit UNDE.

Ad IV. Theſim inter Innocentianas.

CAPUT V.

Vindicatur ab injuſta criminatione P. Viva.

P. Concina T. I. p. 132.

P. Dominicus Viva in expoſitione Propoſitionis 4. Innoc. XI. poſtquam retulit P. Sanchez inclinantem in hanc proſcriptam propoſitionem VERITUS HAUD EST ASSERERE, quoque Thomam tali favere opinioni; quia 2. 2. quæſt. 1. art. 4. ait neminem credere, niſi vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi. Hæc D. Thomæ doctrina ab omnibus Theologis ſuſcipitur. Signa enim credibilitatis præcedere debere, ut prudens ſit fides noſtra, omnes Catholici docent. Ubi hic, aut alibi ſermonem habet Angelicus de minori probabili notitia in conſpectu probabilioris? PER SUMMAM ERGO INJURIAM P. Viva TRADUXIT tamquam fautorem proſcriptæ propoſitionis S. Thomam, ut tam inſignem ſocium ſuo adjungeret Sanchez, qui minus amitteret auctoritatis, ſi ſecum errantem D. Thomam Aquinatem haberet.

„ QUIS dum hæc adeo intrepida atque acerba legit, ſibi certo non perſuadeat Vivam locutum eſſe in propria perſona; & ex proprio ſenſu adfirmaſſe D. Thomam favere damnatæ propoſitioni? Atqui ſciant lectores Vivam locutum eſſe in perſona adverſariorum, & auctoritatem D. Thomæ attuliſſe ut quartam objectionem, cui deinde reſpondet in fine numeri XI. En ejus verba in prædicta objectione.

„ *IV. Videtur etiam favere D. Thomas 2. 2. qu. 1. art. 4. ubi ad obligationem credendi requirit evidentiam credibilitatis, non vero majorem probabilitatem.* „ Non enim crederet, *inquit*, niſi videret ea eſſe credenda, vel propter evidentiam ſignorum, vel propter aliquid hujuſmodi. *Unde Chriſtus Dominus, Jo. 15. dixit.* Si ſigna non feciſſem, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent; „ (Numquid etiam Chriſtus Dominus TRADUCITUR a P. Viva tamquam fautor propoſitionis damnatæ?) *atque adeo a peccato infidelitatis excuſandus videtur infidelis, ſi ductus opinione minus probabili non credat, donec habeat non probabilitatem ſolum majorem, ſed etiam evidentiam credibilitatis, quæ expugnet, illam, qua ducitur ad non credendum.*

„ Hanc vero objectionem ſolvit, ut dixi, in fine numeri XI. & oſtendit eam nihil conficere: quia, licet S. Thomas requirat ad obligationem credendi evidentiam credibilitatis; non tamen propterea excuſat prædictum infidelem a peccato infidelitatis, quia illum non excuſat ab obligatione inquirendi veritatem, quam ſi inquirere omittat, infidelitas erit ipſi volita in cauſa; ſi vero inquirat, Deus illum illuminabit, & perducet, ad evidentiam credibilitatis requiſitam a S. Thoma. En ejus verba citato num. XI.

„ *Ratio eſt, tum quia inquirenti veritatem, & facienti quod in ſe eſt, non denegat Deus ſuam gratiam, & illuſtrationem ſupernam, ut aſſequatur, vel retineat fidem veram; quæ unice poteſt eſſe ſupernaturalis; tum etiam quia facile dignoſci poteſt in his dubiis quid in tali articulo ſentiat Eccleſia Catholica, quæ, ut habet Apoſtolus 1. ad Timoth. 3.* columna eſt & firmamentum veritatis. *Poſita autem Eccleſiæ auctoritate, babetur evidentia moralis credibilitatis, quam requirit Angelicus loco laudato, unde evaneſcit probabilitas in oppoſitum.*

„ En SUMMA FIDES ET DILIGENTIA, qua P. Concina conatur ubicumque poteſt dehoneſtare Patrem Vivam.

„ Simillimam injuſtam criminationem objeceram P. Concinæ in primo meo libello c. 97. quia T. 10. Theologiæ pag. 89. ita ſcripſerat con tra Vivam. *P. Dominicus Viva in ſua Trutina in Propoſit. 45. & 46. Innoc. XI. n. 13. inquit:* VIDETUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI 2. 2. quæſt. 100. art. 3. ad 4. *Deinde ſubdit.* Montaltius in famoſo illo libello, &c. hanc doctrinam tribuit etiam Valentiæ. *Duo hic peccat P. Viva. Primo quod aſſerat VIDERI HANC DOCTRINAM ESSE ANGELICI: Secundo quod Montaltius talem doctrinam tribuat ETIAM Valentiæ, quaſi Montaltius hanc doctrinam adſcripſerit S. Thomæ, quod falſum evidenter eſt.*

„ Objeceram, inquam, hoc tamquam injuſtam criminationem. Quia illa verba VIDETUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI, quæ (notetur bene) ſola citantur a P. Concina, & ob quæ ſola culpat P. Vivam, non ſunt prolata a P. Viva nomine proprio, ſed ut quinta objectio adverſariorum, quam ibi ſolvit num. 23.

Dominus Euſebius Eraniſtes, qui hoc loco ſe quoque punctum ſenſit, ita contra me commovetur, vel potius ad implicandas lectorum mentes, & ad fidem ſibi ab incautis facilius conciliandam ita commoveri ſe fingit, ut dicat magna ſibi vi opus eſſe, ut intra fines juſtæ moderationis contineatur; meque rubore ſuffuſum in meo conclavi perpetuo latitare debere. Sed artificioſæ hujuſmodi ſimulationes, & intrepidæ ac triumphantes loquendi formulæ pueris, non autem mihi terrorem afferre poſſunt. Itaque a meo cubiculo aperta fronte prodeo, atque animo minime perturbato D. Euſebium ſic interrogo.

„ P. Concina attribuitne Vivæ ea verba *VIDETUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI* tamquam prolata ab ipſo nomine proprio? Negare non poteſt. Si enim ea attribueret Vivæ, ut prolata nomine alieno, non accuſaret Vivam de peccato. *Duo hic peccat P. Viva: Primo quod aſſerat videri hanc doctrinam Angelici.* Pergo.

„ P. Viva protulitne ea verba nomine alieno? Negare item non poteſt. Fatetur enim, & fateri compellitur ea adferri ut quintam objectionem ſolutam deinde a Viva ſuo num. 23. Infero.

„ Ergo P. Concina evidenter impoſuit. Evidenter enim attribuit Patri Vivæ ut prolata nomine proprio ea verba, quæ P. Viva evidenter protulit nomine alieno.

„ Hæc fuit, & etiamnum eſt mea accuſatio.

„ Rogo lectores, quænam hic esse potest contra „ me iracundiæ occasio, quæ causa commotionis?

„ En, inquit D. Eusebius. Quia P. Concina non „ aliud voluit dicere, nisi P. Vivam attribuere D. „ Thomæ sententiam Valentiæ. Et jacto hoc fun- „ damento, ita pergit ratiocinari. Tota igitur quæ- „ stio, ait, esse debet num P. Viva attribuerit D. „ Thomæ doctrinam Valentiæ. Atqui attribuit. „ Nam suo numero 23. ita scribit. *Quod attinet ad* „ *doctrinam Valentiæ . . . Solum ab eo docetur ....* „ *quod D. Thomas docet* 1. 2. *quæstione* 100. Ergo „ P. Concina nihil falsi dixit; & Auctor Veritatis „ Vindicatæ, qui prædicta verba numeri 23. non „ recitavit, insignis ipse impostor fuit.

„ Tranquillissimo animo duo prius diligenter ani- „ madvertenda præmitto.

„ Præmitto primo, P. Vivam in iis verbis VIDE- „ TUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI, evi- „ denter loqui non de doctrina Valentiæ, sed de „ doctrina damnata: Primo, quia nondum ullo mo- „ do nominaverat Valentiam, aut ejus doctrinam, „ ad quam referri posset illud pronomen HÆC; sed „ solum nominaverat doctrinam damnatam. Secun- „ do, quia affert (nomine alieno) auctoritatem „ Angelici ut faventem doctrinæ damnatæ, sive ut „ unam ex objectionibus illorum qui tuentur doctri- „ nam damnatam; & postea ostendit tali doctrinæ „ non favere. Tertio quia ibidem subdit, ut refert „ & carpit ipse P. Concina: *Montaltius HANC DO-* „ *CTRINAM tribuit etiam Valentiæ*. Quæ verba, „ si ibi sermo esset de doctrina Valentiæ, redde- „ rent hunc ineptissimum sensum. *Montaltius do-* „ *ctrinam Valentiæ tribuit etiam Valentiæ*.

„ Ex quo evidenter sequitur prædicta Verba *VI-* „ *DETUR HÆC ESSE DOCTRINA ANGELICI* „ non posse objici P. Vivæ, nisi ab eo qui velit „ dicere P. Vivam attribuere Angelico doctrinam „ damnatam.

„ Præmitto secundo, P. Concinam nusquam ci- „ tasse ea verba numeri 23. *Quod attinet ad doctri-* „ *nam Valentiæ*, *solum ab eo docetur*, *quod docet* „ *D. Thomas*, nusquam ea nominasse, nusquam „ propter illa culpasse P. Vivam; sed solum citas- „ se, objecisse, & culpasse ea verba objectionis nu- „ meri 13. *VIDETUR HÆC ESSE DOCTRINA* „ *ANGELICI*.

„ His præmissis, multipliciter diruo fundamen- „ tum D. Eusebii.

„ Ac primo quidem hoc pacto defendere poterit „ a quacumque justissima accusatione quemcumque „ auctorem, fatendo nimirum vere illum dixisse „ quod objicitur; contendendo tamen aliud diver- „ sum dicere voluisse.

„ Deinde si P. Concina non aliud voluit dicere „ & culpare in P. Viva, nisi ipsum attribuisse D. „ Thomæ doctrinam Valentiæ; cur se non explica- „ vit? Cur non citavit verba numeri 23. in quibus „ attribuitur D. Thomæ doctrina Valentiæ? Cur „ citavit & culpavit sola verba numeri 13. in qui- „ bus per modum objectionis attribuitur D. Tho- „ mæ doctrina proscripta? Mihi fraudi vertendum „ est, si non fuerim scrutator cordium, nec divi- „ naverim occultam quamdam intentionem quam „ P. Concina non manifestavit; immo manifestavit „ oppositam?

„ Præterea quilibet censendus est ea dicere vo- „ luisse, quæ re ipsa expressissime & disertissime „ dixit: non ea quæ non dixit. Atqui P. Concina „ non dixit P. Vivam attribuere D. Thomæ doctri- „ nam Valentiæ, sed doctrinam damnatam. Diser- „ tissime enim citavit solum, & culpavit verba ob- „ jectionis in quibus adscribitur D. Thomæ non do- „ ctrina Valentiæ, sed doctrina damnata. Ergo.

„ Demum (animum, quæso, advertat D. Eu- „ sebius) fabricatores Indicis Conciniani, inter quos „ Deus scit an non etiam fuerit Eusebius Eranistes, „ alludentes ad hunc locum, quo P. Concina cul- „ pat P. Vivam, ita scribunt. *Falso* (P. Viva) „ *PROPOSITIONEM XLV. AB INNOC. XI. DA-* „ *MNATAM adscribit S. Thomæ*. *Pag.* 89. Ergo „ censuerunt P. Concinam accusare Vivam, non „ quod adscripserit D. Thomæ doctrinam Valentiæ, „ sed propositionem damnatam. Quis me culpet, „ si P. Concinam intellexi, sicut illum intellexerunt „ fœderati Indicum fabricatores?

Sed insurgit D. Eusebius; & præjactum suum fun- „ damentum, seu potius somnium, ita confirmare „ conatur. P. Concina suo numero superiore locu- „ tus erat de doctrina Valentiæ. Ergo quando nu- „ mero sequenti culpavit hæc verba Vivæ *Videtur* „ *hæc esse doctrina Angelici*, voluit loqui de do- „ ctrina Valentiæ. Atque hæc ejus intentio a Vin- „ dice Veritatis ex numero superiore facile cogno- „ sci poterat. En Achilles D. Eusebii.

„ Primum hanc intentionem ex numero superio- „ re non dignoverunt fabricatores Indicis. Deinde „ hæc levis argumentatio petita a dictis numero su- „ periore, cedere debet opposito manifestissimo fa- „ cto. Porro oppositum manifestissimum factum est, „ P. Concinam adduxisse, & culpasse solum verba „ Vivæ, in quibus non est sermo de doctrina Va- „ lentiæ, de qua Concina locutus erat numero su- „ periore, sed de doctrina damnata. Demum hæc „ argumentatio retorquetur in D. Eusebium. Nam „ doctrina immediatius a P. Concina nominata, „ non est doctrina Valentiæ, de qua locutus erat „ numero superiore; sed est doctrina damnata. Ait „ enim *P. Dominicus Viva in sua Trutina IN PRO-* „ *POSIT. XLV. ET XLVI. Innoc. XI. num.* 13. *in-* „ *quit Videtur hæc esse doctrina Angelici*. Ergo si „ pronomen HÆC referendum est ad doctrinam im- „ mediatius nominatam: referendum est ad propo- „ sitiones damnatas, ad quas reipsa retulit P. Viva.

„ Vidit D. Eusebius difficultatem in eo sitam, „ quod P. Concina nusquam citaverit & culpaverit „ verba numeri 23. sed solum verba objectionis nu- „ meri 13. in quibus Viva evidenter loquitur de do- „ ctrina damnata. Et audite festivissimas solutiones.

„ Ait primo, se vere nescire cur P. Concina ci- „ taverit potius verba objectionis, quam verba nu- „ meri 23. suspicari tamen idcirco id factum esse; „ quia illa breviora erant. Sed ego impugno quod „ factum lego; non quæro causas cur factum sit.

„ Ait secundo frivolum esse attendere ad hoc, „ quod P. Concina citaverit verba objectionis num. „ 13. cum planum sit Vivam attribuisse D. Thomæ „ doctrinam Valentiæ numero 23. Hoc est festivius „ primo. Frivolum est impugnare in auctoribus ea „ quæ non dixerunt. Sed non est frivolum attende- „ re & impugnare ea quæ diserte dixerunt, & di- „ xerunt imponendo.

„ At ego tacui verba numeri 23. Ego illa tacui, „ quia de illis P. Concina nullam mentionem fe- „ cit, quia propter illa Patrem Vivam non culpa- „ vit; quia illa nihil attinebant ad quæstionem; „ quæ non debuit esse, ut nunc confingit D. Euse- „ bius, utrum Viva adscripserit S. Thomæ doctri- „ nam Valentiæ, sed utrum Viva peccaverit, ut af- „ firmat P. Concina, dicendo in quinta objectione „ num. 13. *Videtur hæc esse doctrina Angelici*.

Cæterum si P. Concina culpasset Vivam tanquam „ injurium D. Thomæ propter verba numeri 23. „ adhuc iniquissime culpasset. Quia Viva non adscribit ibi D. Thomæ sententiam Valentiæ supponendo illam eamdem esse cum damnata; sed contra Montaltium contendit non esse eamdem: & „ ut probet hoc ipsum, contendit non esse diversam a doctrina sanissima D. Thomæ. In quo nullum est peccatum adversus D. Thomam.

„ Paucis rem concludo. Ego accusavi P. Concinam propter ea, quæ in ejus libro manifestissima „ atque evidentissima sunt: videlicet quia affinxit „ Patri Vivæ tamquam prolata nomine proprio verba objectionis numeri 13. quæ Viva evidenter protulit nomine alieno.

„ Eusebius Eranistes defendit P. Concinam somniando contra manifestissimum factum occultam quamdam intentionem; & dicendo Patrem „ Concinam quamquam citaverit solum & culpaverit verba numeri 13; tamen voluisse solum culpare Vivam, propter ea quæ Viva dixit numero 23.

„ Uter majori vi opus habeat ne transiliantur fines justæ moderationis; uter rubore cooperiri debeat, & in proprio conclavi æternum latitare, „ Concinianusne Accusator, an Defensor, lectores „ judicent.

Ad X. & XI. Thesim inter Innocentianas.

CAPUT VIII.

Vindicatur ab injusta criminatione P. Viva.

P. Concina Tomo I. pag. 420. postquam productis textibus probavit S. Thomam non favere his Propositionibus damnatis:

Non tenemur proximum diligere actu interno & formali; Præcepto proximum diligendi satisfacere possumus per solos actus externos: ita subdit.

Quare mirari satis non subit, quod P. Viva inter argumenta quæ auctores damnatæ Thesis objiciunt, doctrinam referat D. Thomæ ex loco supra laudato a Patre Castropalao.

„ Et mihi mirari satis non subit Patris Concinæ admirationem. Theologi polemici inter argumenta quæ Hæretici objiciunt, referunt doctrinam Scripturæ, doctrinam Patrum, doctrinam „ Conciliorum: quam deinde ostendunt Hæresibus „ non favere. Quo jure culpatur hic P. Viva quod „ inter argumenta quæ auctores damnatæ Thesis „ objiciunt, referat doctrinam D. Thomæ, quem „ deinde num. 9. & 13. ostendit non favere Propositionibus damnatis?

„ Præterea P. Viva pro primo argumento adversariorum refert hanc doctrinam Christi D. Matt. „ I. *Omnia ergo quæcumque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis; hæc est enim Lex, & Prophetæ*. Et hanc objectionem confirmat auctoritate S. Bernardi Serm. 50. in Cantica. Pro „ secundo argumento refert hanc doctrinam 1. Jo. „ 3. *Filioli non diligamus verbo, neque lingua, sed opere & veritate*. Et in confirmatione secunda, „ quam criminatur P. Concina, conjungit simul S. „ Joannem, & S. Thomam his verbis. *Confirmatur 2. Quia ex verbis laudatis D. Joannis, & ex doctrina Divi Thomæ 2. 2. quæst. 25. art. 8. non tenemur proximum ex virtute caritatis affectu particulari diligere, nisi ratione occurrentis necessitatis; atqui potest huic occurri per* EXTERNAM „ *beneficentiam citra actum caritatis* INTERNUM: „ *ergo hic non est necessarius*.

„ P. Concina non miratur quod P. Viva inter argumenta, quæ auctores damnatæ Thesis objiciunt, „ referat doctrinam Christi Domini, doctrinam S. „ Joannis, doctrinam S. Bernardi; & mirari satis „ non potest quod referat doctrinam Sancti Thomæ. Num hæc sit justa criminatio, an impotens „ studium mordendi ubique P. Vivam, aliorum judicium esto.

Ad XXV. Thesim inter Innocentianas.

CAPUT XX.

Liberatur ab injusta suspicione P. Viva.

P. Concina Tomo III. p. 436. post relatam propositionem 25. damnatam ab Innoc. XI. eamque Tamburino attributam, ita pergit contra Patrem Vivam.

P. *Viva in expositione hujus propositionis num. 1. contendit non esse satis exploratum sensum in quo Tamburinus suam docuerit propositionem. Quia, inquit, desideratur locus ad quem Tamburinus lectorem remittit. Verum ad hoc quod attinet, locus habetur in eodem folio. Siquidem Tamburinus ait licitum esse jurare sine animo jurandi, vel jurare verbis æquivocis cum causa, juxta ea quæ dixit cap. 2. §. 2. Quid autem dicit hoc loco? En illius verba*: „ Quæstio est an liceat juranti accipere verba in alio sensu ab illo quem præ se „ ferunt. Juro e. g. per Deum me hac nocte non „ dormivisse, intelligendo vestitum . . . . Resp. „ licere . . . . . At estne saltem veniale sic per „ æquivocationem jurare? Resp. Si aliqua subsit „ causa, nullum est peccatum. Si nulla sit causa, veniale erit. „ *Iste est locus quem reperiri negat P. Viva.*

„ P. Concina superioribus verbis injicit lectoribus suspicionem, Vivam vel malitiose, vel „ imperite atque oscitanter negasse reperiri prædictum locum. Sed non est adeo culpandus Viva, „ ut P. Concina videri vult.

„ Prædictus locus neque reperitur in editionibus „ quæ vivo Tamburino prodierunt, neque in editione Lugdunensi anni *1679.* qui ab obitu Tamburini quartus fuit. Sed reperitur dumtaxat in „ editionibus Venetis quæ annum illum *1679.* consecutæ sunt. Jam vero quo argumento evincet P. „ Concina Vivam usum fuisse his editionibus Venetis in quibus locus ille reperitur, potius quam iis „ prioribus in quibus locus ille desideratur?

„ Dicet fortasse Concinianus Defensor: Ergo neque culpandus fuerat P. Concina in prima parte „ Veritatis Vindicatæ, quia non retulit Retractationem Tamburini, quæ legitur dumtaxat in editionibus Venetis annum *1679.* consecutis.

„ Latissimum est discrimen. Ego adversus P. „ Concinam, ejusque Defensorem probo ad evidentiam hæc duo: videlicet Retractationem fuisse relictam a Tamburino vivo; & P. Concinam usum esse „ editionibus Venetis in quibus legitur Retractatio.

„ Primum probo publicis tabulis Caltanisettensibus, quæ testantur reperiri Retractationem Tamburini charactere suorum opusculorum margini „ adscriptam. Quas tabulas typis edidi in Epistola „ ad amicum vernacule scripta, qui vere id a me „ postulaverat.

„ Secundum demonstro duplici evidenti argumento. „ Primo P. Concina in Historia Probabilismi Tom.

„ 1. pag.

„ 1. pag. 199. referens quemdam locum Tamburi- „ ni, citat Tamburini paginam 38. Ibidem pagina „ 200. referens alium locum , citat Tamburini pa- „ ginam 17. In hoc tertio Tomo Theologiæ , pa- „ gina 379. proponens damnationi quamdam Tam- „ burini opinionem , citat Tamburini paginam 78. „ Atqui ſciant lectores loca hæc Tamburini non re- „ ſpondere paginis a P. Concina citatis, niſi in edi- „ tionibus Venetis in quibus legitur Retractatio.

„ Secundo P. Concina recitat hic prædictum Tam- „ burini locum , & carpit P. Vivam quod negave- „ rit illud reperiri . Atqui item ſciant lectores lo- „ cum illum non legi, ut dictum eſt, niſi in poſt- „ humis editionibus Venetis, quæ continent Retra- „ ctationem . Evidens ergo eſt P. Concinam uſum „ eſſe his editionibus tum in pertexenda Hiſtoria Pro- „ babiliſmi, tum in ſcribenda Chriſtiana Theologia.

„ Probetur eodem pacto Vivam uſum fuiſſe editio- „ nibus Venetis ubi legitur locus quem reperiri nega- „ vit ; & tunc æque ac P. Concina culpandus erit.

Ad XXXVI. Theſim inter Innocentianas.

CAPUT XXX.

Defenditur ſinceritas P. Vivæ in citando M. Bannez.

P. CONCINA Tom. IV. pag. 553.

„ P. *Dominicus Viva in ſua Trutina refert ſequen-* „ *tem propoſitionem ab Innoc. XI. damnatam, quæ* „ *eſt in ordine 36.* „ Permiſſum eſt furari non ſo- „ lum in extrema neceſſitate , ſed etiam in gra- „ vi : „ *eamque ad nihilum redigere videtur. Ne* „ *vero quidquam per invidiam imponere illi vi-* „ *dear, illius verba transferenda huc ſunt. Inquit* „ *ergo num.* 3. „ Bannez 2. 2. quæſt. 32. art. 7. „ dub. ult. putat eſſe in extrema neceſſitate et- „ iam illum cui ratione ſui ſtatus eſſet graviſſi- „ mum dedecus mendicare, nec aliunde haberet „ alimenta. Quod videtur admittendum, ſi men- „ dicare illi eſſet moraliter impoſſibile. Sæpe e- „ nim nobilis morti potius ſe objiciet , quam „ huic ignominiæ. „ *Deſideratur hic ſinceritas P.* „ *Vivæ in referenda ſententia P. Bannez. Is enim* „ *hoc non docet; ſed narrat ſolum a quibuſdam id* „ *doceri. En illius verba* „ Si autem fuerit homo, „ cui pro ratione ſui ſtatus graviſſimum ſit men- „ dicare , neque alia via poſſit victum neceſſa- „ rium acquirere , non deſunt opinantes poſſe „ clanculum accipere, ubicumque invenerit , vi- „ ctum, aut veſtitum . „ *Nec verbum aliud ibi* „ *Bannez habet. Porro cuique compertum eſt, Ban-* „ *nez afferre dumtaxat aliquorum opinationem .* „ Non deſunt opinantes *licere furtum in gravi* „ *neceſſitate.*

Et in Indice V. *Viva .*

Sincerus non eſt in citando Bannez. pag. 553.

„ PRimum omnium animadvertant lectores quod „ a me ſæpius dictum eſt , P. Concinam pro ejus „ æquitate erga auctores cujuslibet Inſtituti, quando „ citatos reperit ſuos Dominicanos, ſtatim lectum „ adire, eoſque quoquo modo poteſt defendere.

„ Deinde immerito culpatur hic ſinceritas Patris „ Vivæ. Nam licet Bannez verbum aliud non ha- „ beat, quo *explicite* amplectatur illam ſententiam; „ tamen tum ex contextu , tum multo magis ex „ iis quæ alibi tradit, apertiſſime patet ipſum eam „ opinionem non modo referre , verum etiam am- „ plecti & ſuam facere . Ad contextum quod atti- „ net , en prius ejus verba.

„ *Circa ſolutionem ad tertium argumentum D.* „ *Thomæ, ubi aſſerit quod in caſu extremæ neceſſi-* „ *tatis omnia ſunt communia, & licitum eſſe talem* „ *neceſſitatem patienti accipere de alieno : dubitari* „ *poteſt an ſit judicanda extrema neceſſitas , quan-* „ *do aliquis mendicando poteſt illam ſupplere, vide-* „ *licet an teneatur homo mendicare potius quam a-* „ *liena accipere.*

„ *Ad hoc breviter reſpondetur, quod ſi homo fue-* „ *rit infimæ ſortis, qui abſque notabili honoris ſui* „ *detrimento mendicare poteſt & ſupplere hac via* „ *ſuam neceſſitatem, non cenſetur adhuc eſſe in ex-* „ *trema neceſſitate . Quemadmodum ſi per aliquam* „ *artem poſſet ſibi neceſſaria acquirere . Si autem* „ *fuerit homo, cui pro ratione ſui ſtatus graviſſi-* „ *mum ſit mendicare ...... non deſunt opinantes* „ *poſſe eum clanculum accipere, ubicunque invene-* „ *rit, victum, aut veſtitum.*

„ *An vero ſit licitum per vim arripere ab alio ſi-* „ *bi neceſſaria, poterat verti in dubium. Et quibuſ-* „ *dam videtur quod non liceat. Sed mihi pars af-* „ *firmativa multo probabilior eſt , ſi ille qui poſſi-* „ *det, non velit ultro ſuccurrere .*

„ Tum ſic. M. Bannez proponit dubium, an præ- „ dicta neceſſitas ſuppleri debeat mendicando. Pro- „ fitetur ſe velle tradere deciſionem; *ad hoc brevi-* „ *ter reſpondetur.* Pro deciſione affert laudatam a- „ liorum opinionem ; neque illam rejicit , aut a- „ liam ſuam diverſam in medium profert . Et per „ hæc omnia non ſatis oſtendit aliorum opinionem „ ſe non modo referre ; verum etiam amplecti ? „ Relinquit igitur indeciſum dubium , cujus deci- „ ſionem lectoribus promiſerat.

„ Sit Pœnitens, qui a Confeſſario quærat an ſi- „ bi liceat hoc, vel illud. Profiteatur Confeſſarius „ ſe velle dare reſponſionem, & dicat : *Non deſunt* „ *Theologi qui hoc , vel illud tibi licere putant*; & „ cum hac ſola reſponſione pœnitentem dimittat . „ Quis non capiat Confeſſarium non ſolum narra- „ re , ſed etiam approbare eam doctrinam pro tali „ pœnitente? Idem in re noſtra.

„ Præterea Bannez proponens immediate aliud „ dubium, an liceat per vim arripere ab alio ſibi „ neceſſaria; & negantem aliorum opinionem refe- „ rens, quia illam non probat, ſtatim ſubdit : *ſed* „ *mihi pars affirmativa multo probabilior eſt.* Ergo „ ſimile quid ſubderet, ſi relatam aliorum ad pri- „ mum dubium reſponſionem non adprobaret.

„ Sed miſſo contextu, quænam fuerit hoc in loco „ Bannezii mens, evidenter oſtendunt quæ docet „ inferius quæſt. 66. artic. 7. ubi hæc habet : *Ni-* „ *hilominus DICIMUS ſecundo, quod in tali caſu* „ *LICITUM erit homini, cui eſt valde inhoneſtum* „ *mendicare, occulte accipere aliena animo reſtituen-* „ *di, ſi tamen aliter non poteſt ſibi ſuccurrere.* Quæ- „ ro a P. Concina: narratne hic ſolum P. Bannez „ id a quibuſdam doceri , an docet ipſe?

„ Neque dicas Bannezium obligare illum homi- „ nem ad reſtitutionem , ſi ad meliorem fortunam „ pervenerit . Nam hæc eſt alia quæſtio agitata a „ Theologis etiam pro caſu extremæ neceſſitatis , „ de qua apud Vivam non erat ſermo. Neque Vi- „ va uſquam negavit hoc doceri a Bannezio . Sed „ tantum adfirmavit juxta Bannezium licitum eſſe „ homini cui valde inhoneſtum eſt mendicare, oc- „ culte accipere aliena, ſi alimenta aliunde habere „ non poteſt: quod , ut vidimus, certiſſime Ban- „ nezius docuit. Quamobrem non in P. Viva defe- „ ctus ſinceritatis, ſed in P. Concina nimium ſtu- „ dium mordendi immerito Vivam culpandum eſt .

„ Poſt

„ Post male adornatam Bannezii defensionem pronunciat hic intrepide P. Concina Lessium, Tamburinum, & Cardinalem de Lugo docuisse hanc 36. propositionem ab Innoc. XI. proscriptam: *Permissum est furari non solum in extrema necessitate, sed etiam in gravi*; atque acerrime insectatur Vivam ac La-Croixium, quod hos Theologos damnationi subducant. Propono quæ sunt de facto.

„ Lessius de Just. lib. 2. capite 12. num. 71. hæc habet. *Dico secundo. Probabile est non solum in extrema, sed etiam in gravi necessitate morbi, famis, nuditatis, posse te clanculum surripere ab opulentis, si aliter grave illud malum avertere nequeas ...... Per gravem intelligo, non quovis modo gravem, sed VALDE GRAVEM, etsi non extremam ...... Ex gravi necessitate facilis lapsus est in extremam. Ergo quod in extrema concessum est, extendendum est etiam quodammodo ad gravem ..... In divisione & attributione rerum, qua factum est ut nemini jus sit in rem alterius, semper debuit hæc conditio tacita intelligi: Nisi extrema, vel certe VALDE GRAVIS necessitas postulet.*

„ Tamburinus lib. 8. in Decalogum cap. 6. §. 1. n. 2. hæc habet: *Certum mihi est secundo, idem esse dicendum in VALDE GRAVI necessitate, quod in extrema ...... Ratio est, quia pari modo naturæ inditum est ut gravem necessitatem QUÆ FACILE VERGIT IN EXTREMAM, a se quisque, quoquomodo potest, avertat.*

Cardinalis de Lugo Tomo 1. de Just. disput. 16. sect. 7. num. 154. hæc habet: *Pro resolutione ergo distinguendum puto de necessitate gravi. Aliquando enim necessitas gravis est ex eo quod afferat periculum incidendi in necessitatem extremam: ut si sit morbus periculosus, qui affert periculum mortis probabile, vel saltem affert carentiam eorum bonorum, quæ natura voluit communia esse omnibus hominibus, v. g. si sis in periculo morali incidendi in captivitatem, libertate amissa quam natura omnibus hominibus dedit, vel incurrendi gravissimam infamiam positivam, amissa bona existimatione quam homines naturaliter habent. Quod idem videtur de morbo, qui licet lethalis non sit, affert tamen diuturnam, vel perpetuam carentiam sanitatis, quæ etiam videtur esse ex bonis quæ natura per se loquendo omnibus hominibus dedit. Aliquando vero necessitas gravis solum affert carentiam alicujus magni quidem boni, sed non ex iis quæ natura communia voluit esse per se loquendo omnibus hominibus, ut si sis in periculo morali cadendi a statu nobili & opulento quem fueras assecutus; vel amittendi famam & existimationem doctrinæ, vel nobilitatis, & similium; vel amitendi dignitatem, officium, magistratum quem possides: quæ bona non sunt communia omnibus hominibus, ut constat, nec a natura per se pro omnibus intenduntur. Loquendo igitur de primo genere neces[s]itatis gravis, amplector secundam sententiam, quod indigens possit sibi ex alienis providere, saltem quando non sunt media exquisita & extraordinaria, sed communia, quibus homines communiter ejusmodi necessitatibus occurrunt; & quæ ideo ille alius ex charitate dare tenebatur. In secundo autem genere gravis necessitatis placet magis prima sententia, quod non possit indigens propria auctoritate aliena sibi usurpare; & hoc, etiamsi ille alius aliquando ex charitate teneretur subvenire.*

„ Præterea Innoc. XI. in suo Decreto ita loquitur: *Quibus propositionibus sedulo & accurate sæpius discussis, eorumdem eminentissimorum Cardinalium & Theologorum votis per Sanctitatem suam auditis, idem Sanctissimus D. N. re postea mature considerata, statuit & decrevit pronunc sequentes propositiones, & unamquamque ipsarum, SICUT JACENT, ut minimum tanquam scandalosas & in praxi perniciosas, esse damnandas & prohibendas, sicuti eas damnat & prohibet.* Quæ verba SICUT JACENT, non sine gravissima & prudentissima causa, velit nolit P. Concina, de Cardinalium & Theologorum consilio sunt apposita.

„ His præmissis, propositio damnata docet licitum esse surripere aliena *generatim & indefinite* in qualibet gravi necessitate. Laudati Theologi docent id esse licitum *restricte & limitate* in necessitate VALDE GRAVI, ex qua FACILIS SIT LAPSUS IN EXTREMAM, ut ait Lessius, in necessitate VALDE GRAVI, QUÆ FACILE VERGIT IN EXTREMAM, ut ait Tamburinus; in necessitate gravi quæ privet hominem non quocumque magno bono, sed determinate iis bonis, quæ natura voluit per se OMNIBUS HOMINIBUS esse communia, ut ait Cardinalis de Lugo.

„ Num P. Concina æquum faciat, dum præfidenter ita scribit: *Ecclesia Thesim proscripsit EO IN SENSU in quo Lessius, Tamburinus, Navarrus, cæterique ejusdem auctores illam docuerunt ...... Lessius, Lugo, & alii docuerunt opinionem proscriptam ab Ecclesia ...... PP. Viva, & La-Croix, ne dicatur Lessium & Lugo docuisse Thesim proscriptam, illam vana distinctione eludunt.* Num, inquam, ita scribendo æquum faciat, lectorum volo esse judicium.

„ Certe Franciscus Larraga Dominicanus proscriptæ propositioni adhibet distinctiones. Hæc enim scribit in eam Propositionem in Summa Hispana, quæ summa fide latine verto: *Quid damnatur in hac propositione? Resp. Damnatur opinio quæ dicebat GENERATIM permissum esse furari in gravi necessitate. Et justissime condemnatur. Quia ea opinio sumpta cum hac GENERALITATE januam aperiebat plurimis furtis, quia multi sibi persuaderent, vel fingerent se esse in gravi necessitate ...... Neque damnatur sententia docens licitum esse accipere aliena in necessitate gravissima; QUAMQUAM NON SIT EXTREMA, v. g. in illa quæ secum trahit magnum & morale periculum incidendi in captivitatem, amittendæ libertatis, incurrendæ gravissimæ infamiæ positivæ perdendo bonam existimationem, qua quis fruebatur; contrahendæ perpetuæ infirmitatis, licet non mortalis, & similium. Ratio est, quia propositio damnata loquitur de necessitate GRAVI; hæc autem sententia loquitur de GRAVISSIMA.* Numquid iste Dominicanus vana distinctione eludit proscriptam Thesim, ne dicatur Lessium, Tamburinum, & de Lugo illam docuisse? P. Concina in extendendis damnationibus quæ arrident, liberalissimus est. In extendenda damnatione hujus propositionis: *non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam;* ut videbimus suo loco, non eamdem liberalitatem præ se fert.

„ At, inquit P. Concina, si Lessius, Tamburinus, & Lugo proscriptam Thesim non docuerunt, Chimæram a nemine productam proscripsit Ecclesia. Falsissimum. Eam produxit Sylvester Dominicanus. V. *Furtum* quæst. 5. his verbis: *Quamvis non sit in necessitate extrema, excusari tamen potest a toto furtive subripiendo, quando scilicet ille*

„ *sic*

„ *sic abundat, & iste sic necessitatur, quod de præ-*
„ *cepto sibi subvenire tenetur*; Eam produxit Petrus
„ Navarra lib. 3. cap. 1. num. 375. his verbis ;
„ *Melius docuit Medina quod potest in gravi, seu*
„ *magna necessitate surripere*. Eam produxit Malde-
„ rus Antuerpiensium Episcopus 2. 2. quæst. 32. art.
„ 6. dub. 6. his verbis: *In gravi necessitate, etiam*
„ *si ea non fuerit extrema, probabile est licere pau-*
„ *peri auferre illud quo indiget*. Qui omnes loquun-
„ tur de necessitate gravi, nulla adhibita distin-
„ ctione. Et demum, teste Sandæo in hanc propo-
„ sitionem, eam communissime defenderunt multi
„ Lovanienses Doctores in publicis actibus. Neque
„ opus est reperire omnes propositiones damnatas
„ in libris impressis. Decretum enim Innocentia-
„ num ita loquitur: *Propositiones partim ex diver-*
„ *sis vel libris, vel THESIBUS, SEU SCRIPTIS*
„ *excerptas, & partim noviter adinventas*.

„ At hoc est præbere ansam Jansenistis, ut ne-
„ gent reperiri in Jansenio quinque propositiones.
„ Falsissimum. Primum, quinque propositiones da-
„ mnatas esse IN SENSU a Jansenio intento defi-
„ nivit Ecclesia. Innoc. XI. profitetur se damnare
„ 65. propositiones SICUT JACENT. Deinde Ca-
„ tholici evidenter ostendunt illas reperiri in Jan-
„ senio. Probet P. Concina pari efficacia reperiri
„ in Jesuitis OMNES propositiones damnatas, quas
„ ipsis passim affingit: Dixi OMNES, quia de pau-
„ cis quibusdam non negamus.

Ad LXI. Thesim inter Innocentianas.

CAPUT XXIX.

Restituitur suæ integritati Sententia Vivæ.

P. CONCINA Tomo IV. pag. 360. in Catalogo Propositionum damnabilium.

Dubitatur hic an possit absolvi qui in occasione peccandi proxima versatus est, antequam illam tollat; præsertim si in alia confessione id promisit, & deinde non stetit promissis. Nonnulli putant absolvi non posse extra casum necessitatis . . . Communius tamen cum Suarez, Tabiena, & aliis censent posse hujusmodi pœnitentem absolvi semel ac iterum, SI APPARENT HIC ET NUNC VERA SIGNA DOLORIS, ET PROPOSITI EFFICACIS TOLLENDI STATIM OCCASIONEM PROXIMAM. Ratio cur videatur posse prima & secunda vice absolvi, est, quia potuit pœnitens aut immediate ante, aut audiendo Concionem, aut audiendo ipsius Confessarii admonitiones excitari ad verum & efficax propositum non peccandi, in quo casu est sufficienter dispositus. Sic passim absolvuntur pœnitentes per hoc quod proponant restituere, quamvis ante confessionem non restituerint, prout poterant . . . . . Neque ex propositione illa 61. Innocentii XI. eruitur quod absolvi non possit. Nam qui proponit OCCASIONEM STATIM TOLLERE, non potest dici quod illam velit de præsenti. P. Dominicus Viva in sua Trutina in proposit. 41. Alexandri VII. n. 16.

„ HAnc Vivæ propositionem eodem prorsus modo
„ recitat P. Concina inferius pag. 392. eam-
„ que pro ejus erga Decretum Innocentianum obe-
„ dientia appellat *perniciosam, omnium laxitatum*
„ *originem, invalidarum absolutionum radicem, pe-*
„ *riculi & laxitatis plenam*. Sed quamvis duplici
„ in loco eam retulerit, P. Viva ab ejus SUMMA
„ FIDE ET DILIGENTIA impetrare non potuit,
„ ut ea uspiam integre referretur. Semper enim
„ suppressum est temperamentum ab ipso apposi-
„ tum, quod eam reddit, non dico veram, de hoc
„ enim more meo non disputo; sed certe multo mi-
„ nus horridam, ac deformem.

„ Igitur P. Viva statim ita subdit, & numerum
„ illum 16. ita concludit. *Caute tamen in hoc pro-*
„ *cedendum, eo quod PASSIM hujusmodi propositum*
„ *non est efficax in eo qui potuit antecedenter occa-*
„ *sionem peccandi tollere, & nondum sustulit*.

„ Quibus verbis P. Viva cum moneat caute esse
„ procedendum & pro ratione cautionis afferat,
„ quod propositum illud in omni fere eventu est
„ inefficax; manifestissime ostendit se restringere su-
„ periorem doctrinam ad aliquem casum extraordi-
„ narium & rarissimum, in quo extent signa adeo
„ solida efficaciæ, ut Confessarius prudenter dubi-
„ tare non possit, quin Pœnitens STATIM ac re-
„ deat domum ejecturus sit occasionem proximam.
„ Quod quantum doctrinam mitiget, nemo non vi-
„ det. Referat fideliter & integre P. Concina Jesui-
„ tarum sententias, & valde diversam faciem sta-
„ tim præferent.

„ Addo primo. M. Hozes, & Lumbier, ut vide-
„ re est apud Cardenam dissert. 40. cap. 5. illud
„ ipsum docent, quod P. Viva, immo Lumbier
„ rem extendit usque ad tertiam vicem. Et dicunt
„ hoc non damnari in propositione 61. Innoc. XI.
„ quia propositio sic habet. *Potest aliquando absol-*
„ *vi, qui in proxima occasione peccandi versatur,*
„ *quam potest, & NON VULT omittere, quinimo*
„ *directe, & ex proposito quærit, aut ei se ingerit*.
„ Qui vero, ajunt, habet propositum efficax eam
„ STATIM ejiciendi, VULT omittere. Nihilomi-
„ nus de istis, quia Jesuitæ non sunt, tum in ca-
„ talogo, tum in corpore libri, tum in Indice ma-
„ gnum silentium. Solus Viva, quia Jesuita est,
„ exagitandus seligitur, & ubique lectorum oculis
„ objectatur.

„ Addo secundo. P. Concina hic pag. 393. acri-
„ ter invehitur in P. Vivam, tanquam si iste con-
„ tentus esset sola *possibilitate* præfati propositi ef-
„ ficacis. Sic enim disserit. P. *Viva inquit, potuit*
„ *pœnitens aut audiendo Concionem, aut Confessa-*
„ *rii admonitionem excitare in se efficax propositum*
„ *non peccandi, & dolorem de peccato præterito*.
„ *Nemo negat hoc possibile esse. At numquid POSSI-*
„ *BILITAS, ut sic loquar, regula est prudentis ju-*
„ *dicii?* Sed hæc omnia non satis bona fide. Ut
„ enim patet tum ex ipsa doctrina Vivæ a P. Con-
„ cina recitata, tum multo magis ex admonitione
„ suppressa, Viva non est contentus *possibilitate*;
„ sed postulat verum & efficax propositum non mo-
„ do non peccandi cum ea occasione proxima, sed
„ eam STATIM ejiciendi, & ut caute procedatur,
„ postulat non vulgaria signa hujus propositi effica-
„ cis, quoniam monet hoc propositum in omni fe-
„ re eventu esse inefficax.

Hactenus Nocetius. Nihil hisce vindicationibus subtilius, veriusque. Utinam malevolentissimi homines tandem ora compescant, calamumque cohibeant injuriarum convicti, calumniosarumque criminationum, quas in Dominicum nostrum illos effutire non puduit!

F I N I S.

Tom VII

DE JUBILÆO,

PRÆSERTIM ANNI SANCTI,

A C

DE INDULGENTIIS UNIVERSIM

ENCHIRIDION.

AUCTORE

P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS JESU

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE IN COLLEGIO NEAPOLITANO EJUSDEM SOCIETATIS.

A D. FABIO CARACCIOLO E DUCIBUS MONTIS SARDI

Ejus Auditore

EXCEPTUM,

Dicatumque

EMINENTISS. ac REVERENDISS. PRINCIPI

FR. VINCENTIO MARIÆ URSINO

S. R. E. Cardin. Tit. S. Sixti, Archiepisc. Beneventano.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Quæſtiones hic diſcuſſæ in Procemio Operis indicantur.
In calce exponitur Notificatio præ manibus habenda Gratiarum, ac Declarationum occaſione poſtremi Anni Sancti factarum de mandato Clementis X.
Subnectitur Appendix Indulgentiarum, quas facili negotio lucrari poſſunt Chriſtifideles, & præſertim Regulares, & Moniales.
Ac poſtremo Index locupletiſſimus omnium, quæ in Quæſtionibus continentur.

Opus apprime id temporis omnibus neceſſarium, ac præſertim Confeſſariis poſt Notificationem illam Gratiarum, & Declarationum de mandato Clementis X. editam 1. Februar. 1675.

EMINENTISSIME PRINCEPS.

UT tempori serviam, utque auspicatissimam Christianæ Reipublicæ Anni Sancti instaurationem, quo mihi integrum est, cultu præveniam, exceptas in Gymnasio Neapolitani Collegii Societatis Jesu Quæstiones de maximo Jubilæo ex Academiæ umbra in forum, ac lucem proferendas putavi; quo faciliorem iis, qui Romanum iter instituent, viam sternam, Duce iisdem addito,

cujus consiliis votorum metam attingant. Verum cum Dux ipse Auspice indigeat suo, cujus auctoritate sibi prospiciat, aliis prosit, ut summæ & Auctoris in Te observantiæ, & tuæ in eum benignitati morem geram, tuo Nomine, veluti laurea, frontem operis exornavi; tibique illud vel sistere, vel potius reddere statui. Quidni enim ubi reddam, quod tuum est, sive quod Auctor tuas inter res id numerandum voluit, cum primum se, suaque omnia tibi tradidit; sive quod Opus ipsum famam, atque adeo vitam tibi debet? Nam ubi de Anni Sancti apparatu instruendo consilium suscepisses, eo curas omnes, ac cogitationes contulisti, ut octo & viginti Xenodochiis erigendis, quibus Hospites Romam petentes exciperentur, Innocentii XII. Summi Pontificis qua Oraculum, qua exemplum sequereris. Cum autem tuum publicæ faustitatis augendæ studium unius Provinciæ finibus circumscribi non pateretur, Animum Orbi Terrarum regendo parem ad altiora molimina transferens, Auctorem te Auctori præbuisti, ut Opus hoc, quamvis pro Palæstra dumtaxat cursim elucubratum, prælo omnibus profuturum committi sineret vel invitus. Nescit enim magna mens angustis terminis contrahi, & eo altius assurgere se putat, quo plurium bono consulit. Quæ dum mecum reputo, Eminentissime Princeps, dumque vel Dignitatem tuam, vel rerum a Te gestarum amplitudinem animo complector, non sine aliquo fortasse Numinis afflatu sic statuendum censeo: Te, qui nunc Libros de Anni Sancti Jubilæo privatis auspiciis ad publicam utilitatem foro committi imperas, post quinque lustra Pontificia auctoritate Diploma de Anno Sancto indicendo promulgaturum. Augurem me Veri assertorem probant tum maxima tua in Christianam rem merita cum summa generis nobilitate conjuncta, (jamdiu enim Romanæ Tiaræ domestica sunt Ursinæ Gentis Bona) tum vitæ tuæ series vel a puero morum, ac Virtutum conatu acerrimo ad altissimum Gloriæ fastigium aspirantis. Quid enim in tuis rebus est non præclarum, non Vaticano dignum? Ea in Domo natus, quæ Capitolio invidiam creat, senili tamen prudentia puer aliam tibi Domum moliebaris, nullo temporum impetu diruendam. A lacte recens quocumque oculos conjiceres, occurrebant animo aviti fasces, laureæ, purpuræ, tergeminæ tiaræ, validissima generosæ indolis ad honores incitamenta: sed fumosa illa Aniciæ tuæ familiæ signa, mirum quos pectori tuo igniculos admovebant ad Majorum titulos novo victoriæ genere superandos! Licet enim sic esses vel a natura, vel a patritia educatione comparatus, ut magnam fortunam aut invenire, aut facere posses, tu tamen animum ad maxima inhiantem, ultra ætatem, ultra fortunam, ultra te ipsum erexisti; Et dum tibi buccinator Ursinæ famæ plausus hinc immensum explicaret Senatorum, Ducum, Consulum agmen, quorum quilibet magni agminis instar fuit; inde quadraginta Purpuratos Patres, quatuor Summos Pontifices, (*a*) Stephanum eo nomine Tertium, (*b*) Paulum Primum Stephani fratrem, (*c*) Cœle-

stinum

(a) *Stephanus Tertius ex Ursina Familia Summus Pontifex regnavit anno* 752.
(b) *S. Paulus successit Stephano Tertio germano fratri anno* 757.
(c) *Cœlestinus Tertius D. Petri Sedem obtinuit anno* 1191.

ſtinum Tertium, ac (*a*) Nicolaum Tertium; hinc decem Reginas e tua Domo ad præclariſſima Europæ Solia evocatas; inde duodecim Imperatorum, ac Regum filias nuptiali fœdere Urſino Nomini aſcitas, & Roſæ cultu, quam Sceptris clariores: Hæc, & ſexcenta alia laudum monimenta, quibus paſſim ſuperbiunt Hiſtoriæ, nec vincebant animum tuum, nec flectebant. Altius enim amores tuos efferebas, & auguſto in pectore auguſta verſabas vota; omniumque rerum, quæ a fortunæ arbitrio pendent, ſplendore poſthabito, te ipſum tibi potiorem ducebas, quam tua. Quare poſtquam reſciſſes, octodecim clariſſimos Sanctimonia Heroas ab Urſina Domo aris immiſſos, eorum gloriam, quæ ſupra humanas res aſſurgeret, jam tum tibi æmulandam decreviſti. Optabas enim, aut cum (1) Joanne, & Paulo fortiſſimis Fratribus, cum (2) Voluſiano, atque (3) Adalberto, qua ſudorem in Chriſtiana Religione amplificanda, qua ſanguinem in eadem confirmanda profundere; aut (4) Benedicti, Pauli, (5) Gaudentii veſtigia premens, ampliſſimum patrimonium cum virtutum cenſu permutare: aut (*6*) Scholaſticam, ac (7) Batildem Francorum Reginam Clodovei Secundi Conjugem oneroſo divinarum contemplationum otio imitari: aut ab aliis aliam Sanctioris vitæ rationem excerpere; cum probe noſſes, nullum eſſe in Chriſtiana Republica gradum, qui aliquem e tuis ab Anno Mundi Reparati ducenteſimo vigeſimo ſecundo Sanctorum Albo legitimis auſpiciis adſcriptum non jactitet. Etenim (8) Urſinus fuit Presbyter; (*9*) Joannes Caſſinenſis Monachus: Benedictus Supremus in Occidentali Eccleſia Monachorum Patriarcha; Adalbertus, Gaudentius, (10) Bernardus, (11) Joannes, (12) Valerius Epiſcopi: (13) Urſinus, ac (14) Voluſianus Archiepiſcopi; (15) Jordanus, (*16*) Matthæus, (17) Latinus Romanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinales; & duo quidem ultimi e Dominicanis Adytis ad Purpuram vocati; (18) Paulus Primus Summus Pontifex. Atque ut in eum Sanctimoniæ Verticem evaderes (noveras enim nihil tam conſtitutum, quo Urſina Virtus eniti non poſſit) utque omnium in Te unum ornamenta contraheres, Principatum Familiæ, ampliſſimæ

(a) *Nicolaus Tertius anno 1277.*
(1) *Joannes, & Paulus Urſini fratres martyrio coronati anno 362.*
(2) *Voluſianus infra videndus.*
(3) *Adalbertus Epiſcopus Pragenſis anno 997.*
(4) *Benedictus Monachorum Patriarcha anno 540.*
(5) *Gaudentius Epiſcopus Pragenſis ad annum 990*
(6) *Scholaſtica D. Benedicti ſoror anno 540.*
(7) *Batildes Clodovei Secundi Francorum Regis conjux anno 665.*
(8) *Urſinus Presbyter anno 500.*
(9) *Joannes Monachus Caſſinenſis anno 1330.*
(10) *Bernardus Epiſcopus Aprutinus anno 1122.*
(11) *Joannes Epiſcopus Traguerienſis anno 1100.*
(12) *Valerius Epiſcopus Nucerenſis anno 1228.*
(13) *Urſinus Epiſcopus Bituerienſis anno 1225.*
(14) *Voluſianus martyr, Archiepiſcopus Toloſanus anno 570.*
(15) *Jordanus S. R. E. Cardinalis Ciſtercienſis anno 1188.*
(16) *Matthæus Cardinalis Ordinis Prædicatorum anno 1294.*
(17) *Latinus Cardinalis ejuſdem Ordinis anno 1327.*
(18) *Paulus Primus Summus Pontifex anno 757.*
Ex Urſina familia in Sanctorum album adſcripti omnes enumerati duodeviginti.

mæ Ditionis gloriam, Divitias, h. e. ſplendida vitæ damna, Voluptatem, jucundam illam animorum luem, nondum libatam, Religioſæ Paupertatis ad pedes abjeciſti; ratus nihil eſſe tuum, quod tibi alieno arbitrio eripi poſſet; nihil in vita expetendum, quod iiſdem finibus quibus vita, terminaretur; nihil denique tam tuum quam quod pro Chriſto reſpueres, quodque ea tantum de cauſa a Majoribus acceppiſſes, ut Numinis ad nutum relinqueres. Cumque te hinc Mars in Campum, hinc Minerva Romanam in Aulam per laureata Majorum veſtigia ingreſſurum vocaret, quamvis utroque in Curriculo ultra eorum metam excurrere poſſes (animum enim & fortitudinis, & ſapientiæ laudibus inſtructum, & magnæ fortunæ parem gerebas) maluiſti tamen Minervam ſequi, ſed in Clauſtris latitantem. Verum, quemadmodum corporum umbra, ſic Gloria eodem, quo eam fugiebas, gradu Te eſt aſſecuta; & dum latere appetis, ſplendidius te prodidiſti, ab ipſius religioſæ vitæ umbris lucem mutuatus: Dum altiſſimum Patriciæ Familiæ culmen aſtris finitimum infra te ducis, tam alte es evectus, ut paucis poſt annis e Clauſtris in Aulam revocatus, mutatis auſpiciis, eam obtineres dignitatem, quæ par Regiæ dignitati eſt; & dum inter Sanctiſſimi Patriarchæ Dominici filios tanquam unum e multis te geris, honoris Eminentiam, quæ ad paucos pertinet, meruiſti. Qui tum omnium plauſus! quæ gratulationes non tam Tibi, quam Purpuræ! Nemo fuit, qui ſuis ſuffragiis ea Te dignum non cenſeret, vel quod Urſinus eſſes; vel quod Dominicanus, vel quod Tuus: utriuſque enim Familiæ decora, quæ in plures diviſa Purpuratorum Patrum Senatum expleſſent, in Te unum miro conſenſu confluebant. At quid ego Te tuum appellem? qui ita vivebas, ut poſt cæteras res abdicatas, magnanimus transfuga te ipſum ejurares, & tuum nomen, quod cæteri ſuſpiciebant, unus deſpiceres? Quæ vero laudum acceſſio Purpuræ facta eſt, ſive dum eam deſpicis, ſive dum eam, Majorum præcepto adactus, eminentiſſima demiſſione capiti tantum, non cordi inſidere tuo pateris! Candidis religioſæ vitæ inſignibus retentis; ut ipſo veſtium cultu pectoris, ac morum candorem teſtareris; & inter Purpuratos Candidatum gerens, neſcio quæ altioris dignitatis rudimenta poneres. Illud autem quam te dignum! quam ſupra expectationem omnem conſtitutum! quod poſtquam Purpura repulſæ impatiens te vicit tandem, ut injurias modeſtiæ tuæ illatas vindices, eandem ad omnia Chriſtianæ humilitatis argumenta abjicias. Nam modo de genu ſupplex a tui Ordinis Moderatoribus piaculare ſignum extorques, modo eam aut ad Peregrinorum pedes abluendos provolvis, aut ad ægrotos ex ima plebe inviſendos, aut ad ſtipem Mendicorum turmæ largius ſpargendam deducis; jam diſſimulata Majeſtate inter domeſticos communi menſæ aſſidentem oſtentas; jam erubeſcere cogis apud frequentem puerorum cœtum, quos in Templo maximo feſtis diebus Chriſtianæ Sapientiæ elementis non ſine liquidiſſimæ voluptatis ſenſu inſtituis. At enim ſic Purpuram deprimis, ut tam Te, quam Purpuram ſupra Regum apices attollas: & ſplendidioris ob contemptam Gloriam

laudis

laudis assertor , quam si quidquid eminet tuos ad pedes procumberet , spectatissimum de humano fastu triumphum agis . Nec tamen hoc uno e Campo , Princeps Eminentissime , uberrima tibi succrescit palmarum seges : ita enim Te , ita Purpuram vicisti , ut corda quoque hominum , quæ cedere cuiquam renuunt , specioso victoriæ genere sub jugum mittas , atque ad arbitrium flectas , qua exempli lenociniis , qua facundiæ robore ; sive annuis in comitiis , quas vita , atque ipso vultus tui aspectu Civibus recte vivendi leges dederis , easdem publica Patrum auctoritate confirmas ; seu e suggestu ad populum verba facis , ea victrice animorum eloquentia , ut fere nec Byzantio Chrysostomum , nec Ambrosium Mediolano , nec Gregorium Romæ Beneventum invideat . Quæ tua illa in dicendo vis ! quæ copia ! quæ gravitas ! quæ Pontificii pectoris fortitudo ! quam varia , quam culta eruditionis seges ! quam lyncea ! quam Angelicæ doctrinæ scientia ! quam acuta Theologicarum quæstionum explanatio ! sive in perditorum hominum scelera inveharis , sive Populi mores excolas , sive Summi Numinis , ad Cœlitum res præclare gestas exornes : cui muneri obeundo tam impense te totum tradidisti , ut vitæ tuæ ordo non tam diebus , quam Concionibus ad Populum habendis distingui posse videatur . Sane ad quingentas de Magna Dei Parente Orationes paucorum annorum spatio instituisti : præter eas , quibus Civium animos ex tui Ordinis Institutis ad Virginei Rosarii cultum sæpissime excitas . Nec defuit tantis in Cœlites meriti sua merces : nam quo die Beneventum terræ motu succussum , atque ingenti Civium clade eversum est , unus reliquorum nomine Divus Philippus Nerius te Palatii ruderibus obrutum , ac prope tumulatum cum familia universa ab interitu vindicavit . Exclamare hic licet , O te vel inter vitæ discrimina felicem ! cujus incolumitati excidia ipsa Urbium blandiuntur : cui damna ipsa in lucrum cedunt . Stantes profecto ædes Numinis in te amorem probare non poterant , at eædem innoxia ruina probarunt , quam te ferret in oculis , cujus tu honori vigilem impendebas curam . Usque adeone Providentia ad tuam vitam , ac gloriam amplificandam enititur , ut huic operi vel nobilissimæ Urbis excidio præludat ? Nunquam enim quam Deo charus esses nosceremus , nisi saxa ipsa insitam duritiem oblita teneros ejus in te amores facundo silentio testarentur . Quid vero sibi velit singulare Philippi in te tuendo studium , ille demum conjiciet , qui impensissimam ejus in Pontificia dignitate omnibus officiis prosequenda sollicitudinem animo recolat . Purpuram tanquam votivum trophæum ad ejus Aram suspendi voluisti , an servatæ per eum vitæ monimentum ? an præclarissimum tuæ Virtutis specimen , quo Posteritati demonstrares , te , quæ insignia alii votis omnibus exposcunt , ex Voto deposuisse ? Philippi Aris Purpuram , reliquis Cœlitibus ædes dicasti , tam magno ad eas substruendas censu erogato , ut quam Urbem lateritiam inveneris , eandem plane marmoream sis relicturus ; tam continenti laborum ductu , ut nondum expleto decimo ætatis lustro ad centum nonaginta Divorum Templa solemni ritu consecraveris :

Adeo non modo Templis Divos, verum etiam Divis Templa dare Urſinum eſt. Qua magnificentiæ laude tum cæteri tui Majores floruerunt, ex quibus nonnulli ad ducenta aureorum nummorum millia Societati Jeſu ſunt largiti: tum præſertim ii, quos ad Vaticani verticem ſummus honor extulit; quos inter Stephanus III. Urſinus, ubi ex gravi morbo Divi Dionyſii ope convaluiſſet, curas omnes, ac conſilia eo traduxit, ut Divorum Aras aut reſtitueret, aut excitaret, & eam gloriam ſortitus, in qua ſocium habet neminem, primus Divi Petri Patrimonium in Occidentali Eccleſia amplificavit, pluribus Urbibus, ac Provinciis a Pipino Galliæ Rege poſſeſſionis Jure receptis: Occidentalem autem Eccleſiam, ejuſque Aras, ac Templa jamjam lapſura adverſus Conſtantini Copronymi impie in Sacras Imagines, earumque cultum ſævientis audaciam ne dicam, an infamiam? Pontificia auctoritate, Urſina conſtantia ſuſtentavit. Quid ego hic de reſtituto Templorum ornatu loquar? Quid de Rei Divinæ Ritibus inſtauratis? Quid de animi excelſi prorſus, atque invicti magnitudine, & robore in Eccleſiæ immunitate defendenda? Quid de inventis coram Secunda Provinciali Synodo D. Bartholomæi Lipſanis? Tibi prius, an Eccleſiæ tuæ gratuler? quod Tu exortem tibi in re tam operoſa palmam promerueris, quodque victricem humanæ magnitudinis Vetuſtatem in tumulo, hoc eſt ſua in arce viceris, & vel invitam in triumpho duxeris: quod Eccleſia Beneventana nunquam amiſſum Sanctiſſimi Tutelaris ſui Corpus Te Auctore receperit, & famæ tandiu deferendo judicio dubiæ ſibi ſuffragia vindicarit. Illud ſane deerat Bartholomæi amplitudini, ut Urſinis Roſis ejus cineres ſpargerentur, utque poſt tot ſuperata maria, tempeſtates etiam in ipſo portu excitatas, tuæ Urſæ auſpiciis infringeret. Quid amplius dicam? Credibile eſt illum in ignoto tumuli ſitu per tot ſæcula deliteſcere voluiſſe, ut ſplendidius Te evocante in publicam lucem prodiret. Erit profecto dies, quo die vices alternante Numine, ut Tu Bartholomæum magno niſu ſibi ipſi reſtituiſti, ſic te Bartholomæus pro ſe ſibi reſtituto Romanis in arcibus ſtatuet, & ſine niſu in Vaticanum deducet. Augurium tam felix, ac fauſtum Chriſtiano Orbi ex tuo ipſo Nomine in Oraculum puriſſimi anagrammatis auſpiciis deducto ſumitur. En programma;

VINCENTIUS MARIA URSINUS DOMINICANUS,

En Oraculum;

VIR MIRUS SCANDO IN VATICANUM SINE NISU.

Atque hoc eſt, quo mea collimant auguria, quod tua in Vaticanum merita, quod res a Te geſtæ portendunt, quodque ut nunc nomine, ſic olim eventu probabis. Nec quiſquam tamen me carpat,

pat , quod Te ipſum de tuis laudibus loquentem induxerim ; Eam enim magnitudinem tibi vindicas, ut Oracula de Te ipſo ſine oſtentationis nota proferre poſſis, quæ ſi ipſe taceas, res a Te geſtæ prędicent . Verum enimvero ſi quis eſt hic error , idem non tibi tribuendus eſt, ſed arti. Quanquam quid ego erroris nomine appellem artis ſolertiam , quæ Te tam Magnum exprimit , ut a nemine laudari pro dignitate poſſis , niſi a Te ipſo ? Illud unum reliquum eſt , ut librum hunc , ut me , humaniſſimo, hoc eſt tuo vultu excipias, atque inter res tuas cenſeas: ſic enim & Auctoris labor in eo elucubrando , & mea de eodem publicæ Famæ committendo conſilia uberrimum bene geſtæ rei fructum aſſequentur . Vive interea, Princeps Eminentiſſime , ad nobilem tuæ Familiæ ſuperbiam , ad tui Ordinis decus , ad Europæ felicitatem ; atque, ut diu Chriſtiana res per Te valeat, diu Vale.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Obſequentiſs. & Addictiſs. Famulus
D. Fabius Caracciolus.

ANDREAS DE MARI
Præpositus Provincialis
SOCIETATIS JESU
In Regno Neapolitano.

CUm Librum, cui titulus, *De Jubilæo præsertim Anni Sancti, ac de Indulgentiis universim*, a P. Dominico Viva Societatis Jesu conscriptum, aliquot ejusdem Societatis Theologi, quibus id commissum fuit, recognoverint, & in lucem edi posse probaverint; nos potestate nobis facta ab Adm. Rever. P. nostro Tyrso Gonzalez Præposito Generali, typis mandari concedimus, si iis videbitur, ad quos editio Librorum spectat.

Datum Neapoli die 18. Augusti 1699.

Andreas de Mari.

DE JUBILÆO,

PRÆSERTIM ANNI SANCTI,

PROŒMIUM.

JAmdiu expectatus imminet Annus, quo Romana Ecclesia thesauros recludit suos, & effusissima liberalitate Cœlestes divitias unicuique exhibet aucupandas. Quapropter, ut tempori inserviam, præcipuas de Jubilæo, præsertim Anni Sancti, quæstiones aggredior, superis annuentibus discutiendas. Quod eo vobis gratius accidet, quia quotquot hactenus ea de re scripserunt, innumeris implexos legimus tricis, quas demum de medio sustulit Clemens X. cujus jussu primo Februarii 1675. postremo jam Jubilæo Romano decurrente, in lucem prodiit Notificatio Gratiarum, ac Declarationum occasione Anni Sancti factarum, ad dirimendas Doctorum lites, & ad sedandos scrupulos conscientiarum; quæ, ut præ manibus habeatur, in calce hujus Opellæ exponetur. Quamvis tamen magna ex parte corruerint Quæstiones post hujusmodi Notificationem, plurima tamen discutienda supersunt Morali, ac Scholastico Theologo digna, ad Indulgentias universim spectantia, ad Jubilæum non solum Anni Sancti, sed etiam duarum hebdomadarum, quod identidem occurrit, ad Censuras, ad Reservata, ad Vota, & id genus alia; quæ omnia paucis perstringenda hinc sunt.

Primo itaque inquiremus, Quid, & quotuplex sit Jubilæum? Quid contineat? exigat, conferat, auferat? Secundo, Stricte ne, an late ejus Bulla interpretanda sit? Unde innumerarum Quæstionum pendet Resolutio. Tertio, An probabilitas opinionis sufficiat ad Jubilæum, ejusque favores lucrandos? Quarto, Quænam Indulgentiæ suspendantur durante Jubilæo Anni Sancti? Quinto, Quænam, & quanta pœnæ remissio per Jubilæum, & alias Indulgentias conferatur? Ubi præcipuas Quæstiones de Indulgentiis enodabimus. Sexto agendum de Dispositione ad Jubilæum lucrandum requisita. Septimo de personis impeditis, quæ adhuc Jubilæum lucrari possunt. Octavo de Operibus in Jubilæo injunctis

Nono de Facultate eligendi Confessarium. Decimo de Potestate Confessarii relate ad Censuras. Undecimo de eadem relate ad Reservata. Duodecimo, relate ad Vota. Ac Demum Notificatio illa Clementis X. in medium proferetur; expendemusque Theologica trutina, quid habeat in ea vim Declarationis? quæ proculdubio in posterum vigeat? quid vero vim novæ Concessionis? de qua dubitari merito possit, an ad Jubileum imminens anni 1700. extendatur?

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit, & quid contineat Jubilæum?

INquirendum primo, quid veniat nomine Jubilæi, prout condistincti ab Indulgentia? Deinde quotupliciter concedatur? ac demum quos favores contineat, & quæ onera?

ARTICULUS I.

Quomodo describi possit Jubilæum.

I. Jubilæum Christifidelium respondet Jubilæo Hebræorum.
II. Etymologia Jubilæi a verbo Jobel.
III. Describitur Jubilæum.
IV. Indulgentia in forma Jubilæi.

I. LEvitici 25. hæc habentur: *Sanctificabis Annum quinquagesimum, & vocabis Remissionem cunctis habitatoribus Terræ; ipse est enim Jubilæus; revertetur homo ad possessionem suam, & unusquisque redibit ad familiam pristinam.* Hinc factum est, ut Annus Jubilæi dicatur apud Theologos *Annus, quo visitantibus certas Ecclesias, & certa pia opera facientibus Indulgentia plenaria conceditur, cum facultatibus circa absolutionem a Reservatis, & Censuris, & circa Votorum commutationem.* Etenim sicut Hebræis quinquagesimo illo anno concedebatur remissio, itaut cuivis restituerentur possessiones, quas per hypothecam, aut venditionem alienaverat, & Mancipia in pristinam libertatem citra pretium assererentur; ita pariter Christifidelibus Anno Jubilari pœnæ peccatis debitæ per Indulgentiam remittuntur, & peccati servus vi meritorum Christi Domini manumittitur. Ex quo factum est, ut etiam Indulgentiæ plenariæ cum similibus facultatibus identidem per quindecim dies a Pontificibus concessæ Jubilæi nomenclaturam vindicarint.

II. Putant Lyranus, & Turrecremata apud Navarrum, hoc nomen derivari ab Hebræa voce, *Jobel*, quæ Buccinam sonat; Buccinæ enim sonitu Jubilæus indicebatur; sicut Annus Sanctus buccinatur voce Pontificis: Unde potius dici deberet *Jobelæus*, quam Jubilæus. Sed cum Ribera lib. 5. de Templo, cap. 24. dicendum: Quoniam consuetudo obtinuit, ut *Jubilæus* dicatur, scientiam nobis reservemus (quod scilicet dici debeat Jobelæus) usum populo relinquamus. Et quamvis nonnemo cum de Leone dixerit, quod Annus Sanctus vocari debeat Jubilæus, Remissio vero, & Indulgentia Jubilæum; Sanchez tamen docet, indifferenter utrumque vocari, & *Jubilæus*, & *Jubilæum*.

III. Ex dictis definiri, seu potius describi potest Jubilæum cum Ausonio Noctinot in summa Dianæ, quod sit *Indultum Pontificis, Indulgentiam plenariam, & magna Privilegia tribuens certa opera in Brevi præscripta præstantibus.* Sic enim complectitur tam Jubilæum Ordinarium, quod vigesimoquinto quoque anno conceditur, quam Extraordinarium, quod sæpe per quindecim duntaxat dies concedi solet. Quando autem sola Indulgentia plenaria conceditur absque facultate in Reservata, & in Vota, ut in Portiuncula, tunc, ut notant Rodriquez, & Palâus tract. 24. puncto 12. contra Quintanadvenmas, non potest in rigore dici Jubilæum.

IV. Dubitatur tamen apud Gobat. t. 3. tr. 3. c. 7. An Indulgentia in forma Jubilæi concessa contineat favores omnes Jubilæi?

Affirmant Pasqualigus, Henriquez, Peyrinus, Escobar, Rodr., Vega, Filliuc. tract. 8. n. 245. Bossius sect. 1. cas. 12. & alii apud ipsum, & apud Dianam par. 10. tract. 16. res. 5. Unde docent, Indulgentiam in forma Jubilæi concessam a Paulo III. & Gregorio XIII. per proprias Bullas Sacra Synaxi refectis, qui visitaverint die Circumcisionis Ecclesiam Societatis JESU, & ubi sunt plures, quam Generalis destinaverit, recitando ibi quinquies Pater, & Ave, tribuere facultatem eligendi Confessarium, quo quilibet possit ab omnibus censuris, etiam in Bulla Cœnæ contentis, & a reservatis Episcopo absolvi, prout in Jubilæo.

Suarius tamen tom. 5. in 3. part. disp. 7. sect. 5. cum Navarro, & aliis apud eundem Dianam verius docet, Indulgentiam in forma Jubilæi concessam continere duntaxat plenariam Indulgentiam instar Jubilæi. Quod probatur tum ex praxi, quæ optima legum interpres est, tum quia Jubilæum concedi non solet, nisi præmissis jejuniis, & eleemosynis, &c. tum demum ex eo, quod re vera Jubilæum Anni Sancti non continet favorem hunc, quod possit quilibet Confessarium ab Ordinario approbatum sibi eligere, ut a reservatis absolvatur, quod infra dicemus qu. 3. art. ult. ex Notificatione Clementis X. ergo a fortiori hæc facultas non conceditur per Indulgentiam in forma Jubilæi concessam; Unde Gobat censet oppositam sententiam non esse in praxi tutam.

ARTICULUS II.

Quotuplex sit, quonam Ritu, & quanam de causa indicatur Jubilæum?

I. Triplex Jubilæum; Romanum, Compostellanum, Extraordinarium.
II. Pontifices, qui Jubilæum Romanum instituerunt, ac celebrarunt.
III. Ritus, qui servatur in Jubilæo indicendo.
IV. Causa finalis Jubilæi.

I. TRiplex a Palao loco laudato dicitur esse Jubilæum, videlicet *Romanum*, quod Romæ Anno Sancto celebratur; *Compostellanum*, quod habetur Compostellæ toto illo anno, quo Sancti Jacobi Festum incidit in diem Dominicum; & *Extraordinarium*, quod extra Annum Sanctum ob gravem causam indici solet.

II. Quamvis Bonifacius VIII. in Bulla *Antiquorum* anno 1300. dicatur a nonnullis Institutor Jubilæi Romani; at ante ea tempora Annum Sanctum celebratum fuisse ostendit Navarrus, & alii apud Palaum, & Amicum, qui principium Jubilæi ad tempora referunt Apostolorum. Clemens VI. in *Extrav. Unigenitus de Pœnit. & Remiss.* anno 1350. decrevit, ut quinquagesimo quoque anno, instar Mosai-

ei, celebraretur, quod Bonifacius VIII. centesimo quoque anno decreverat celebrari; & Urbanus VI. Pontifex anno 1379. (sive, ut alii putant, Gregorius IX. Prædecessor) voluit in memoriam annorum Christi Domini, ut trigesimo tertio anno solemniter perageretur, quamvis nunquam tale Statutum in praxim deductum fuerit, si res attente perspiciatur: Etenim Bonifacius IX. anno 1390. Annum Sanctum celebravit, eo quod celebratus non fuisset trigesimo tertio anno post Jubilæum Clementis VI. Deinde idem Bonifacius IX. ann. 1400. iterum concelebravit Jubilæum, quovis anno sæculari solemnissime peragendum. Postea Martinus V. voluit eundem celebrare anno 1423. videlicet trigesimo tertio anno post primum Bonifacii IX., sed vigesimo tertio post secundum. Nicolaus V. an. 1450. veluti rediens ad quinquagesimum, universali Jubilæo voluit Pontificatum suum illustrare; Sed Paulus Secundus in Bulla *Ineffabilis* anno 1470. decrevit, ut propter humanæ vitæ brevitatem vigesimo quinto quoque anno celebraretur; prout hactenus servatum fuit, tam a Sixto IV. anno 1475. (quo tempore, cum grassantium bellorum causa, Romam confluere non possent undequaque Peregrini, mense Majo usque ad Decembrem inclusive, Jubilæum Bononiæ positum fuit) quam ab Alexandro VI. anno 1500., & Clemente VII. 1525. a Julio III. 1550. a Gregorio XIII. 1575. a Clemente VIII. 1600. (cum ea nationum omnium frequentia, ut in uno Sanctissimæ Trinitatis Xenodochio ad quingenta Peregrinorum millia hospitarentur) & postmodum ab Urbano VIII. 1625. ab Innocentio X. 1650. & a Clemente pariter X. anno 1675.

III. Ritus, quo Romanum Jubilæum indicitur, est hujusmodi. Die Ascensionis Domini ante Annum Sanctum maximo apparatu in Divi Petri Æde post Evangelium recitatur publice Pontificis Diploma de proximi anni Jubilæo. In Pervigilio deinde Nativitatis Domini mane habetur solemnis Supplicatio; & post meridiem e Sacello Palatii ad Ecclesiam Sancti Petri se confert Pontifex: Hanc omnino occlusam reperit; Ipse vero Portam muratam, quæ Sancta dicitur, ter percutit argenteo malleo, & bis Summus Pœnitentiarius, dum certæ preces interim recitantur: Tum Fabri murarii Murum disjiciunt, ingrediturque Pontifex Ecclesiam, ac Vesperis interest: Tres alii Cardinales interim eodem Ritu tres alias Portas Sanctas reserant in tribus Basilicis Sancti Pauli, Sancti Joannis Lateranensis, & Sanctæ Mariæ Majoris; etenim istæ quatuor Ecclesiæ ex antiquissimo ritu visitari debent ab iis, qui Jubilæum sunt lucraturi; numerusque quaternarius significat, ex quatuor Orbis partibus omnes advocari, dum Deus misericordiæ suæ sinus largissime aperit.

Ratio, cur ea Porta dicatur *Sancta*, est, tum quia qui per illam ingrediuntur Indulgentiam consecuturi, Sanctitatem, seu Gratiam Divinam obtinent (quamvis, ut notant Filliucius, & Rodriquez, non sit opus, ut illam ingrediantur ad Indulgentiam lucrandam) tum etiam quia benedicuntur lapides, calx, aliaque id genus, quando post Annum Sanctum clauditur, videlicet in pervigilio Nativitatis post Vesperas: tunc enim præmissa solemni Supplicatione Pontifex, ac deinde summus Pœnitentiarius calcem jaciunt trulla, seu cochleari argenteo, ternosque lapides ponunt, ac deinde murus a Fabris erigitur, manetque integer, donec iterum Annus Sanctus recurrat.

IV. Denique causa, ut Jubilæus institueretur, potissima est ex Gregor. XIII., ut peccatorum pondere pressis conveniens pietatis remedium pia Mater Ecclesia afferret, per dispensationem Thesauri Cœlestis in pœnarum solutionem: a Clemente VI. vero dicitur institutus pro devotione Fidelium excitanda, & remuneranda; & a Bonifacio VIII. ut Beatissimi Petrus, & Paulus Apostolorum Principes eo amplius honorentur, quo ipsorum Basilicæ de Urbe devotius fuerint frequentatæ; & ut ea Urbs visitetur, quæ est Mater, Magistra, & Caput omnium Ecclesiarum, & quam Petrus, & Paulus, ac tot deinceps Martyres suo sanguine consecrarunt.

ARTICULUS III.

Quid contineat, conferat, exigat, auferat Jubilæum.

I. Continet Plenariam indulgentiam, & plurimos favores confert Jubilæum Romanum.
II. Suspendit indulgentias, & facultates intuitu indulgentiarum concessas.
III. Plurima exigit.
IV. Item Jubilæum extraordinarium.

I. QUodcumque Jubilæum continet Plenariam Indulgentiam, & præterea plurima confert, aufert, & exigit. Nam quod attinet ad Bullam Jubilæi Anni Sancti, Primo confert Confessariis (iis scil. quos quæstione 9. recensebimus) facultatem absolvendi a reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, & commutandi vota, exceptis Castitatis, & Religionis.

Palaus tract. 24. puncto 12. Boss. sect. 2. cas. 1. Zerola de Jub. lib. 2. c. 18. & alii censent, tribui etiam facultatem dispensandi in Votis, necnon componendi super male ablatis incertis, illicitoque contractu acquisitis; Quamvis enim hoc in Bulla non habeatur, colligi tamen videtur ex suspensione, quæ habetur in Extravag. *Quemadmodum de Pœnit. & Remiss.* ubi suspenduntur tempore Anni Sancti facultates commutandi, ac dispensandi in votis, sicut etiam super inique ablatis componendi, aut quomodolibet remittendi; quæ certe non suspenderentur, nisi per Jubilæum aliquatenus essent concessæ, & illius consecutioni obstarent: quod putant probare praxim, & usum Ecclesiæ Romanæ. Ex quibus rite infert Gobat cap. 4. hanc componendi facultatem super male ablatis incertis, seu quorum dominus incertus est, se extendere ad simoniacos, itaut quæ simoniace obtenta sunt, ac restitui debent, si dominus sit incertus, possit Confessarius, prout expedire judicaverit animæ pœnitentis, vel totaliter, vel partialiter relaxare. Ratio est, quia in ea Extravaganti *Quemadmodum*, ubi suspenditur facultas componendi super inique ablatis, additur clausula generalis, *Aut ex quocumque illicito modo acquisitis*. Unde idem docet de debitis certis, quæ restitui non possunt, vel ob distantiam domini, vel ob metum infamiæ gravis, &c. Nam ex *lege Idem, ff. ad legem Aquiliam*, ubi est eadem ratio, ibi debet etiam eadem esse legis dispositio, præsertim in materia favorabili, ac demum infert, facultatem hanc se extendere ad debita incerta provenientia ex contractu justo: quia probabilissimum est non adesse juris naturalis, aut positivi obligationem erogandi quidquam ratione eorum pauperibus, ut notat Laym. l. 3. tr. 2. c. 9. Verum, an probabiliter hæc omnia asserantur

penes

penes alios judicium sit; præsertim quia Clemens X. in sua Notificatione de his facultatibus non meminit, nec praxis videtur iis favere.

II. Deinde Jubilæum Anni Sancti aufert, ac suspendit Indulgentias omnes, ac facultates, quæ retardare possunt Jubilæi consecutionem (de quibus dicemus qu. 4.) Et hujusmodi sunt Indulgentiæ omnes plenariæ directe pro vivis concessæ, & facultates concessæ intuitu Indulgentiarum, v. g. eligendi Confessarium, &c.

III. Porro exigit, quod Romani, & Incolæ per triginta dies, saltem interpolatos; Exteri vero, & Advenæ per quindecim dies devote, ac reverenter visitent quatuor Basilicas, videlicet S. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, ac S. Mariæ Majoris, & in iis pro sua, totiusque Populi Christiani salute pias ad Deum preces fundant: Demum, quod dolorose confiteantur peccata sua. Utrum autem Communio exigatur, DD. dubitant; Bulla non exprimit: Sed Filliucius numer. 250. putat eam præsupponi.

IV. Quod attinet ad Bullam Jubilæi extraordinarii, quod per duas hebdomadas post Jubilæum Anni Sancti concedi solet, necnon post Coronationem Pontificis, ac sæpe gravibus de causis, non solum continet plenariam Indulgentiam instar Anni Sancti, sed etiam confert facultatem eligendi Confessarium ab Ordinario approbatum, qui a reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, absolvat, & vota commutet; exigitque jejunia, publicam Supplicationem, visitationem Ecclesiarum (ubi pro exaltatione Fidei, Hæresum extirpatione, Principumque Christianorum pace, ac concordia oretur) Eleemosynam, Confessionem, Communionem: Circa quæ non leves difficultates emergunt, quas ut Theologus facili negotio dirimat, sequens quæstio videtur præmittenda.

QUÆSTIO II.

Strictene, an late interpretanda sit Bulla Jubilæi.

PRænoto, aliud esse, quomodo interpretanda sit Bulla relate ad Indulgentiam, & ad facultates in ea concessas? aliud vero, quomodo interpretanda sit Potestas conferendi Indulgentias, & Jubilæi facultates? sicut aliud est quærere, stricte ne, an late interpretanda sit Dispensatio? aliud vero Potestas dispensandi? Hæc enim, utpote favorabilis, videtur cum Sanchez lib. 8. disp. 2. & aliis communius contra Suarium disp. 52. sect. 2. interpretanda esse ample; illa, utpote vulnus legis, & odiosa, interpretanda stricte. Etenim in Regula *Odia de Regulis juris in 6.* dicuntur Odia esse restringenda; favores ampliandi. Hinc v. g. dispensatus ad Ordines non dicitur esse dispensatus ad Ordines Sacros; & dispensatus ad Beneficia non censetur dispensatus ad Beneficia Curata, Dignitates, aut Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quia hujusmodi verba stricte interpretanda sunt: Et eadem de causa in odiosis, nomine Monachorum non venit Abbas, nec nomine Clericorum comprehenduntur Sacerdotes, aut Religiosi: Contra vero in favorabilibus, quia favores sunt ampliandi, verba extendenda sunt ultra significationem naturalem, etiam ad civilem, & juridicam; Unde nomine Filiorum veniunt etiam Nepotes, nomine Religiosorum veniunt non solum Abbates, sed etiam Novitii. His explicatis, sit

ARTICULUS I.

Stricte ne, an late interpretanda sit Bulla Jubilæi relate ad Indulgentiam?

I. Videtur Indulgentia, ut omnis dispensatio, stricte interpretanda; potestas vero concedendi Indulgentias, tanquam favorabilis, interpretanda ample.
II. Regulæ Cancellariæ id insinuant.
III. Sed tanquam Numinis Beneficium amplissime interpretanda.
IV. Valde interest inter Dispensationem, & Privilegium; & unde discrimen colligatur?
V. Potestas item concedendi Indulgentias est ample interpretanda.
VI. Occurritur objectis.

I. NAvarrus, Paludanus, & alii apud Suarium t. 4. in 3. p. disp. 56. sect. 2. putant, Indulgentiam stricte esse interpretandam, tanquam odiosam; solumque potestatem concedendi Indulgentias interpretandam esse ample, tanquam favorabilem. Ratio videtur esse, quia omnis dispensatio in jure communi est odiosa; ergo a fortiori si sit in jure Divino; Indulgentia autem est dispensatio in jure Divino, quod scilicet Deus habet ad culpam ulciscendam: ergo Indulgentia est odiosa, & stricte interpretanda. Antecedens patet, quia partem discordare a toto in communi legum observatione odiosum est.

Confirmatur. Ideo dispensatio in legibus universim est odiosa, quia per illam relaxantur jura, & paulatim remittitur rigor disciplinæ, quod de se odiosum est; atqui hoc etiam habetur per dispensationem Indulgentiæ, ratione cujus dispensatur veluti æs alienum, nimirum Merita Christi Domini, ad solvendum alterius debitum: Sic enim ex c. *Cum ex eo de Pœnit. & Remiss.* satisfactio pœnitentialis, & rigor disciplinæ Ecclesiasticæ facile enervatur. Ergo.

II. Confirmatur secundo ex usu Ecclesiæ; Nam, ut notat Navarrus ex Regulis Cancellariæ, Indulgentia concessa alicui Ecclesiæ pro tali festo quotannis restringitur ad 20. annos ex Regula 17.; vel etiam ad duos, tres, vel quatuor annos, juxta diversas formulas respondendi Pontificum, ex Regula 59. Et Indulgentia concessa alicui loco, qui aliam habebat, nulla est, si in petitione posterioris non sit facta mentio prioris, ex Regula 58. Quæ omnia pertinent ad restrictionem; ergo ex praxi Ecclesiæ, Indulgentia reputari debet tanquam odiosa, & restringenda.

III. Dico equidem primo cum Coninch. disp. 12. n. 32. Bon. disp. 6. Suario l. c. Navarro, & aliis: Quando verba Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ sunt dubia, quoad remissionem, Bulla, tanquam favorabilis, late interpretanda est; juxta regulas tamen, quas passim DD. tradunt, cum de legum interpretatione.

Probatur, quia remissio pœnæ, quæ per Indulgentiam confertur, est Gratia, & Beneficium Supremi

mi Numinis; Beneficium autem Principis late interpretandum eſt, ex *lege ultima*, *ff. de conſtitutionibus Principum*.

Neque dicas, Indulgentiam eſſe diſpenſationem in jure a Deo acquiſito ad injuriam vindicandam; diſpenſationem autem ſtricte interpretandam eſſe. Nam contra eſt, quia per Indulgentiam non habetur diſpenſatio in jure Divino, ſed pretio ſoluto per Theſaurum Eccleſiæ obtinetur remiſſio; Unde Indulgentia Privilegium potius eſt, quam Diſpenſatio.

IV. Ubi ſciendum, diſpenſationem, quæ ſtricte interpretanda eſt, diſcriminari a privilegio, quod latam habet interpretationem, in hoc, quod diſpenſatio ſit contra jus: ut ſi quis diſpenſetur in jejuniis Quadrageſimalibus, in votis, &c. Contra Privilegium eſt præter jus, ut Privilegium abſolvendi a reſervatis, celebrandi ante auroram, &c. Præterea diſpenſatio ſæpe reſpicit unicum actum; privilegium vero, tanquam privata lex, fert facultatem permanentem, & ſæpe univerſalem: Unde facultas v. gr. comedendi lacticinia data in caſu particulari, dicitur Diſpenſatio; data permanenter, præſertim alicui Communitati dicitur Privilegium; Quando enim Communitati datur, habet rationem novæ, ac privatæ legis, & ideo non cenſetur eſſe contra legem, ut bene advertit Leſſ. c. 42. n. 60. Ad rem noſtram Facultas lucrandi remiſſionem pœnæ per ſolutionem Deo exhibitam de Theſauro Eccleſiæ eſt præter jus potius, quam contra jus Divinum; Et ſi quo modo contra jus eſſet, ex beneficio Dei tale jus relaxatur relate ad Rempublicam totam Chriſtianam: Unde rationem Privilegii habet, quod late interpretandum eſt.

V. Dico ſecundo contra Suarium l. laud., Non ſolum Indulgentiam Jubilæi, ſed etiam facultatem concedendi Indulgentias late eſſe interpretandam. Probatur. Hujuſmodi Poteſtas a Chriſto D. conceſſa eſt Pontifici relate ad totam Eccleſiam, & ex delegatione Pontificis (ut probabilius Doctores docent apud Amicum de Jubilæo) conceditur Epiſcopis: atqui facultas in bonum totius Communitatis conceſſa habet rationem Privilegii, ut modo diximus: Ergo hujuſmodi Poteſtas, tanquam Privilegium, late interpretanda eſt.

Neque obſtant hactenus dictis rationes in contrarium initio Articuli adductæ. Diximus enim, Indulgentiam non habere rationem Diſpenſationis: quamvis rationabiliter diſpenſanda ſit, ne rigor Pœnitentialis ſatisfactionis enervetur. Quod attinet ad uſum Eccleſiæ, verum eſt, quod ſi detur Indulgentia ad tempus indeterminatum, ea intelligatur ad viginti duntaxat annos conceſſa, idque quia aliter non videretur conceſſa rationabiliter; Cæterum niſi poſitive hoc decretum fuiſſet, lata interpretatio facienda eſſet; atque adeo intelligeretur conceſſa in perpetuum; ſicut Indulgentia conceſſa viſitanti aliquam Eccleſiam intelligitur conceſſa toties, quoties ea inviſitur, niſi aliud ab Innocentio XI. fuiſſet expreſſum relate ad Plenariam; cum noluerit pluries eadem die hujuſmodi plenarias Indulgentias obtineri.

ARTICULUS II.

An Bulla Jubilæi quoad facultates in eâ contentas ſtricte interpretanda ſit?

I. Favores Jubilæi latam habent interpretationem.
II. An, & qualenam præjudicium afferant Epiſcopis?
III. Etiam privilegia paſſiva, ſi dentur Communitati, late interpretanda ſunt; ſecus vero ſi dentur particulari perſonæ.

I. Dico cum communi apud Suarium t. 2. de Religione lib. 2. de Voto, c. 15. & Sanchez l. 4. c. 54. Quando dubium eſt circa Favores, & Gratias in Jubilæo conceſſas, latam etiam fieri debere interpretationem. Ratio eſt, quia etiamſi dicta conceſſio ſit relaxatio Juris communis, tamen quia reſpicit Communitatem, & favorem Animarum, dici debet favorabilis, & tanquam Privilegium amplianda.

II. Dices primo: Beneficium Principis late interpretandum eſt, & quantum verba patiuntur, quando non eſt in præjudicium tertii, ex *l. ultima de Conſtitutionibus Principum*; In caſu autem noſtro lata interpretatio favorum Jubilæi eſſet in præjudicium tertii, videlicet Epiſcoporum, ſi ſcilicet late interpretemur facultatem eligendi Confeſſarium, qui abſolvat a reſervatis Epiſcopo: ergo favores Jubilæi latam interpretationem non patiuntur.

Reſpondetur: Quamvis afferatur aliquale præjudicium Epiſcopis, non per hoc ejuſmodi favores, tanquam odioſi, ſtricte ſunt interpretandi; tum quia Pontifex ſuo exemplo docet debere alios Superiores libenter cedere ſuo juri circa reſervata; tum etiam quia, ut notat Gobat c. 5. hujuſmodi præjudicium eſt admodum leve, & utilitas univerſalis, quæ ex ampla favorum explicatione dimanat, abunde illud compenſat.

III. Dices ſecundo cum nonnullis apud Merollam diſp. 4. c. 6. n. 90. Privilegia Jubilæi non ſunt Privilegia activa ipſius diſpenſantis, ſed paſſiva perſonæ particularis Jubilæum obtinentis, qui v. g. a reſervatis abſolvendus eſt: ergo habent rationem diſpenſationis, quæ ſtricte interpretanda eſt.

Sed contra eſt, quia quamvis facultas data particulari perſonæ, ut abſolvatur a reſervatis, diſpenſetur in votis, irregularitate, &c. ſtricte interpretanda ſit, utpote præſeferens diſpenſationem, ac vulnus legis; ſecus tamen facultas ejuſmodi data Communitati, & ordinata ad bonum totius Eccleſiæ; ut diximus de facultate comedendi lacticinia diebus vetitis: quæ ſi detur particulari perſonæ pro aliquo caſu, habet rationem diſpenſationis; Secus vero ſi detur Communitati, v. g. per Bullam Cruciatæ: ergo in caſu noſtro quamvis facultates Jubilæi reſpiciant eos, qui lucraturi ſunt Jubilæum, adhuc tamen habent rationem Privilegii, & tanquam favorabiles, late interpretandæ ſunt.

ARTICULUS ULT.

Ex Doctrina præjacta plurimæ difficultates reſolvuntur.

I. Vigore Jubilæi abſolvi poſſunt peccata commiſſa in confidentiam illius; ſicut commiſſa poſt Jubilæum ſuſceptum; & toties remitti poſſunt, quoties clavibus ſubjiciuntur.
II. In reſolvendis plurimis difficultatibus duplex regula juris præ oculis habenda.
III. Obtenta facultate eligendi Confeſſarium, an poſſint abſolvi peccata poſt illam commiſſa?
IV. An, & quando facultas diſpenſandi in Votis

& Ju-

& Juramentis se extendat ad commutandum, & e contra?

V. Facultas concessa a Tridentino sess. 14. c. 6. Episcopis competit Prælatis habentibus jurisdictionem quasi Episcopalem.

VI. Necnon Prælatis Religionum etiam localibus.

VII. Hęc facultas non se extendit ad hæresim, aut ad alios casus occultos Bullæ Cęnæ.

VIII. Bulla Jubilæi stricte interpretanda, quatenus odia continet, præcipiendo opera exequenda, & suspendendo indulgentias, excommunicando, &c.

IX. Quid in dubio de valida, ac licita concessione Indulgentiarum?

X. An Jubilæum expiret morte Pontificis?

I. SEquitur primo ex dictis, quid dicendum quæsitis illis: An possint v. g. vigore Jubilæi absolvi peccata commissa in confidentiam, seu in spem ipsius Jubilæi proxime indicendi? An peccata etiam commissa post Jubilæum susceptum, dummodo absolutio conferatur tempore Jubilæi? An possint ea toties absolvi, quoties clavibus subjiciuntur? Et idem quæritur de commutatione votorum.

His enim, aliisque quæsitis respondendum est affirmative, juxta ea, quæ fusius explicabimus q. 11. art. 3. quia hujusmodi favores late interpretandi sunt, ut communiter docent apud eundem Merollam loco laudato. Hinc etiam fit, quod facultate data ab Episcopo absolvendi ab omnibus reservatis, intelligatur etiam data facultas absolvendi ab iis, qui censuram habent annexam, ut dicemus quæstione laudata, artic. 1. ex Suario to. 5. in 3. p. disp. 7. sect. 4. n. 13. contra Navarrum, & alios; & data facultate absolvendi ab omnibus censuris, intelligatur data facultas absolvendi ab omnibus censuris etiam reservatis, ut communius docent contra Suarium loc. cit. sect. 5. num. 10.

II. Utrum autem facultas data ad absolvendum a reservatis Pontifici se extendat ad absolvendum a reservatis Episcopo? Et facultas data ad reservata se extendat ad reservata in Bulla Cœnæ? Sicut etiam facultas absolvendi a reservatis in Bulla Cœnæ se extendat ad absolvendum etiam ab hæresi? examinabimus quæstione undecima. Resolutio ènim dependet tum ex principio præjacto, quod Privilegia ista late interpretanda sint; tum ex alio præ oculis habendo, quod scilicet in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset verosimilius concessurus, ex cap. *In generali de Regulis juris in 6.* nec veniunt universim, quæ indigent mentione speciali. Ex quo colligi debet, quantum se extendat facultas a Superiore data, cum dicit, Meam omnem facultatem confero tibi: tunc enim solum communicatur ea facultas, quæ si in specie peteretur, probabilius aut concedi deberet, aut ex sua benignitate Superior esset concessurus.

III. Sequitur secundo resolutio illius quæstionis, An data alicui facultate eligendi Confessarium, a quo absolvatur a reservatis, possit hic absolvi etiam a peccatis commissis post facultatem obtentam: Affirmat Salas de leg. disp. 17. sect. 8. n. 51. cum Bonac. & aliis, putantibus concessionem hanc esse favorabilem. Nobis tamen ex dictis negandum est cum Paludan. Suar. Azor. Meroll. l. c. quia favor concessus particulari personæ derogans legi communi habet rationem dispensationis, quæ odiosa est, & stricte interpretanda.

IV. Sequitur tertio resolutio alterius quæstionis, An potestas ad dispensandum in votis, vel juramentis Deo factis extendatur ad ea commutanda? Ad quod dicendum, entendi, si detur hæc facultas pro tota Communitate; Tunc enim instar Privilegii late interpretanda. Si vero detur particulari personæ, quamvis Suarez, Lessius, Layman, Reginaldus, Sà Bonac. etiam affirment, quia cui conceditur dispensare, quod est plus, & continet remissionem debiti totalem, a fortiori conceditur commutare, quod est minus, & continet veluti remissionem debiti partialem; Verius tamen negandum cum Sanch. lib. 8. disp. 2. Azor. Valentia, Navarro; quia tanquam odiosa hujusmodi facultas stricte interpretanda. Regula autem illa juris, *Cui licet, quod est plus, licet, quod minus est*, tunc habet locum, quando quod est minus, continetur in eo, quod est majus, tanquam pars in toto, vel species in genere: quod non habetur in casu.

Sequitur quarto quid dicendum, Num potestas dispensandi in Votis, vel ea commutandi se extendet ad Juramenta soli Deo facta? Affirmant Suar. Sanch. l. 4. c. 53. Merolla n. 107. Sed juxta distinctionem, & doctrinam modo datam, negandum est cum Azorio, Navarro, Lessio c. 42. n. 60. quia scilicet obligatio Voti, & Juramenti sunt diversæ speciei: Juramentum enim Deo factum, præter rationem promissionis, & Voti, continet novum vinculum ortum ex invocatione Dei in testem: quamvis autem eadem sit Voti, & Juramenti obligatio passiva, ut dicemus quæstione duodecima; at non est eadem activa: Hinc facultas respiciens Vota, licet respiciat etiam Juramenta, quando datur pro tota Communitate, habet rationem Privilegii; Secus tamen, si detur pro persona particulari, ita ut habeat vim dispensationis.

Neque dicas, sublato Principali, nempe vinculo Voti, quod in casu includitur in Juramento, corruere universim Accessorium, videlicet vinculum ortum ab invocatione Numinis: ergo universim facultas ad dissolvendum vinculum Voti est etiam ad dissolvendum vinculum Juramenti. Nam contra est; quia sicut sublata obligatione Promissionis factæ usurario de solvendis usuris, remanet obligatio Juramenti præstiti ad promissionem confirmandam, ex cap. *debitores de Jurejurando;* Ita, quamvis posset quis liberari ab obligatione Voti in Juramento inclusi, non per hoc semper cessat adęquate obligatio Juramenti; cum non habeat de se rationem Accessorii ad Principale.

V. Sequitur quinto, Quid dicendum, An facultas concessa Episcopis in Trid. sess. 24. c. 6. ad absolvendum, & dispensandum circa omnes casus occultos, excepta Irregularitate ex homicidio voluntario, &c. se extendat ad Abbates, & alios Prælatos habentes Jurisdictionem quasi Episcopalem, & Dięcesim nulli Episcopo subjectam? nec non ad Capitulum, Sede vacante? Concedendum enim cum Sanch. Henriq. Merolla, Avila contra Suar. Filliuc. Ledes. quia scilicet decretum illud Tridendini, tanquam favorabile, extendendum est.

VI. Immo Sanch. lib. 7. disp. 2. contra Merollam, & alios extendit illam ad Religionum exemptarum Superiores, etiam locales, relate ad subditos suos; quia scilicet ii Superiores utuntur Jurisdictione quasi Episcopali relate ad suos Religiosos; Præsertim quia Pius V. in quodam motu proprio, anno 1571. expresse concessit hujusmodi facultatem Superioribus etiam localibus Ordinis Prædicatorum,

atque adeo omnibus Religiosis, qui cum iis in Privilegiis communicant, ut videre est apud Suarium de Pœnit. disp. 30. sect. 2.

VII. Notat hic Sanch. virtute hujus Privilegii non posse Prælatos Regulares absolvere subditos suos ab hæresi occulta; quia Potestas absolvendi ab hæresi in nulla generali Concessione videtur comprehensa, nisi specialis mentio de illa fiat. Oppositum tamen docent Sot. Cord. aliique cum Meroll. disp. 4. c. 6. Quod videtur approbasse Magister Sacri Palatii in Indice Librorum expurgandorum, ubi in Eman. Sà pag. 194. n. 20. sic correxit: *Concessis omnibus casibus Bullæ Cœnæ, intelligitur etiam concessus casus hæresis: Ita declaravit Sacra Congregatio*. Equidem dico cum Suar. l. c. ne Episcopos quidem posse ab hæresi, aut aliis criminibus in Bulla Cœnæ contentis, etiamsi occulta sint, absolvere, præsertim quia proscripta jam est ab Alexan. VII. Prop. 3. ubi habetur: *Sententia asserens, Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, an.* 1629. 18. *Julii in Consistorio Sacr. Congreg. Eminentissim. Cardin. visa, & tolerata est*. Ubi quamvis directe damnetur, quod sit visa, & tolerata; indirecte insinuari videtur, quod ea sententia non sit citra sedulam discussionem toleranda.

VIII. Sequitur sexto, quod sicut late interpretari debemus Bullam Jubilæi, quatenus Indulgentiam continet, & favores eligendi Confessarium, qui a peccatis absolvat, & Vota commutet; ita stricte eadem interpretanda sit, quatenus continet odia; videlicet quatenus præcipit opera exequenda; quatenus suspendit Indulgentias; quatenus aliquos excommunicat, &c. Ratio est, quia, sicut ex regula Juris, favores ampliandi, ita odia restringenda; quare in dubio, Num aliquod opus injunctum sit, aut aliqua circumstantia in opere injuncto? dicendum est non esse injunctum: & in dubio, Num aliqua Indulgentia suspensa sit Anno Sancto, dicendum pariter est, non esse suspensam.

IX. Sequitur septimo ex Suario disp. 56. de Pœnit. sect. 2. & aliis contra Navarrum; quando dubium est, Num aliqua Indulgentia valide, licite, & prudenter concessa videatur? oportere verba restringere ad sensum tali incommodo occurrentem, quia ex *l. Quoties, ff. de Rebus dubiis*, semper curandum est, ut actus potius valeat, quam pereat; atque adeo curandum est, ut licite, & prudenter fiat. Contra vero, si constat Indulgentiam in tali sensu, & casu posse esse validam, licitam, & prudentem, debemus latissime illam interpretari, & in sensu favorabiliori, quantum verborum proprietas permittit; Tum quia Beneficium Principis est; tum etiam, quia ex cap. *In his de Privilegiis* benigna interpretatio facienda est in iis, quæ ad Divinum Cultum facere dignoscuntur; qualis profecto est Indulgentia; unde ejus usus Populo Christiano est maxime salutaris; ex Trident. sess. 25. cap. 21.

X. Sequitur ultimo Decisio illius Quæstionis: An Jubilæum expiret morte Pontificis? Quæ quidem multorum fatigavit ingenia Theologorum cum Comitolo in Responsis Moralibus, lib. 5. qu. 108. quando vita functus est Anno 1592. Innocentius IX. post bimestre a sua Creatione, qui solum publicaverat Jubilæum extraordinarium. Et sane, si mortuo Pontifice perseverat causa concessionis, conveniunt DD. quod Iubilæum non expiret: Nam ex *Regula 16. in 6.* decet concessum Beneficium a Principe esse mansurum; Et ex c. *Si super gratia de Officio & potestate Legati*, Gratia facta non expirat morte concedentis: Hinc, quia semper subsit causa, ob quam conceditur Anni Sancti Jubilæum, quæ est publica Ecclesiæ utilitas, ideo nunquam hujusmodi Jubilæum morte Pontificis expirat. Si vero causa finalis concessionis primaria non subsistat, concessio, tanquam effectus talis causæ, cessare debet, ipsa cessante, ex cap. *Cum cessante de Appellatione*. Nihilominus, quando Jubilæum extraordinarium conceditur in creatione Pontificis, ut impetretur a Deo gratia ad recte Ecclesiam gubernandam, adhuc DD. dubitant, An cesset ejus causa finalis primaria, si Pontifex decedat? Comitolus docuit illam cessare, quia non potest amplius Pontifex recte Ecclesiam gubernare; Bossius autem sect. 1. casu 18. cum Pasqualigo qu. 10. verius docet non cessare, quia causa finalis primaria Jubilæi illius non videtur esse, quod Pontifex recte Ecclesiam gubernet; sed quod Ecclesia recte gubernetur a suo Pontifice, quicumque ille sit; atque adeo primaria causa est publica Ecclesiæ utilitas, quæ nunquam cessat.

QUÆSTIO III.

An Probabilitas Opinionis conferat ad realem Jubilæi acquisitionem?

DUbium procedere potest tum de ipsa Indulgentia, tum etiam de favoribus Indulgentiæ Jubilæi annexis; Primo scilicet, Num satis sit Opinionem probabilem, vel saltem probabiliorem sequi, tam circa Indulgentiæ concessionem, quam circa operum executionem, ut possimus Indulgentiam assequi? Deinde, Num sufficiat Opinionum probabilitas, ut frui possimus favoribus Jubilæi? Qua in re præscindimus omnino, utpote non hujus loci, a celeberrima id temporis quæstione, Num Opinio de se probabilis probabilitate destituatur sua in conflictu oppositæ probabilioris? Et solum supponimus, ad probabilitatem Opinionis requiri fundamentum validum; in quo tam Probabilistæ, quam Probabilioristæ conveniunt, nisi velint desipere. Demum examinare diligenter oportet; Sitne probabile in Jubilæo Anni Sancti, præter Indulgentiam Plenariam, alios etiam favores conferri? Quæ omnia ad Praxim apprime necessaria sunt, & utilia.

ARTICULUS I.

An satis sit Opinio probabilis ad Indulgentiam lucrandam?

I. Posita probabili opinione, quod aliqua Indulgentia sit concessa; non videtur posse illam lucrari, si opinio sit falsa.

II. Sed probabiliter illam lucrari nos posse dicendum est.

III. Sicut etiam si juxta probabilem opinionem ponantur opera injuncta.

IV. Satisfit rationibus in contrarium.

I. BOssius de Jubilæo, sect. 4. casu 8. ex Bonacina, & Bartholomæus a Sancto Fausto apud Dian. par. 5. tr. 12. res. 32. putant, opinionem etiam

iam probabiliorem non suffragari in ordine ad Indulgentiam lucrandam, si re vera Indulgentia non sit concessa, aut si præscriptum opus non præstetur. V. g. Si quis immunis a peccatis omittat Confessionem tempore Jubilæi, ex opinione probabili, quod ea non requiratur in eo, qui caret mortali, Indulgentiam non lucratur juxta hos Auctores, si re vera Confessio exigitur a Pontifice, tanquam opus injunctum, non tanquam mera dispositio ad Communionem. Et ratio videtur esse, quia in Indulgentiis obtinendis, sicut & in aliis omnibus, quæ pendent ex facto, non juvat error, aut opinio, nisi adsit veritas. Nec dici potest, Ecclesiam in hoc casu supplere defectum, si adsit, ut supplet defectum jurisdictionis, ex *l. Barbarius de Officio Prætoris*; Nam hic non agitur de bono publico, sed de privato, & quoad forum tantum interius.

Confirmatur ex Gobat. c. 44. quia Indulgentiæ tantum valent, quantum sonant, idest, ut loquitur D. Thomas, quantum prædicantur, seu quantum sonant conformiter menti, & arbitrio eas impertientis, & adstringentis ad conditiones, & circumstantias, quas ipse judicat rationabiles, non vero quas probabiliter putat attendendas, qui Indulgentiam lucratur: Quare opinionem probabilem sequi nullatenus videtur conferre ad Indulgentias assequendas, si ea opinio non concordet cum veritate.

II. Dico equidem primo cum Pasqualigo qu. 60. Leandro, Martino a Sancto Joseph, ac Dian. par. 10. tract. 11. ref. 34. Probabile est, ad lucrandas Indulgentias sufficere opinionem probabilem tam circa concessionem Indulgentiæ, quam circa opera injuncta. Probatur, quia communius Doctores docent cum Suario disp. 32. de Pęnitentia, sect. 5. Sanch. l. 3. disp. 20. Lessio c. 29. n. 68. Pontificem conferre in Sacramento Pœnitentiæ Jurisdictionem, non solum quando habetur error communis cum titulo colorato, juxta legem adductam *Barbarius*, sed etiam quando habetur opinio probabilis; quia sc. hoc spectat ad bonum Animarum, & præsumi debet de benigna mente Pontificis: ergo idem pariter in casu nostro dicendum; cum non minus hoc conferat ad universale bonum animarum; præsertim quia qui sequitur opinionem probabilem, & multo magis si sequatur probabiliorem, recte operatur; atque adeo juxta voluntatem Superioris, quæ eo tendit, ut quilibet operetur recte. Incredibile autem est Superiorem nolle sua voluntate, & jurisdictione assistere ei, qui recte operatur, & juxta suam voluntatem: ergo incredibile etiam est, quod nolit Indulgentiam impertiri ei, qui juxta probabilem opinionem operatur.

Confirmatur prima pars Conclusionis; quia voluntas Pontificis non operatur effectum Jubilæi, prout mente retenta est, ex *l. Repetendi*, *ff. de Conditionibus ob causam*, sed prout explicatur in Bullis concessionis; ergo omni modo, quo Bulla potest apte explicari, operatur effectum Jubilæi; ergo si apte, & rationabiliter Bulla explicari potest, juxta probabilem opinionem, dicendum est, Pontificem juxta probabilem Bullæ explanationem velle Indulgentiam impertiri; aliter delinqueret, si nollet Indulgentiam largiri, prout irrationabiliter sonant verba Bullæ, quod non est de Pontifice præsumęndum.

III. Confirmatur secunda pars Conclusionis, quia qui exequitur opera injuncta eo modo, quo præscribuntur a Pontifice largiente, iis positis, Indulgentiam, proculdubio Indulgentiam assequitur; Sed quoties aliquis ponit opera injuncta, juxta probabilem opinionem, re vera exequitur opera injuncta, prout Pontifex præcipit; ergo qui in operum executione sequitur opinionem probabilem, re vera assequitur Indulgentiam Jubilæi. Probatur minor, quia injunctio operum in Jubilæo est per modum legis; & eo modo obligat, quo obligat lex, ut docent communiter; Atqui lex omnis in præcipiendo mensuram sumit ab opinione probabili, & quilibet dicitur satisfacere legi, si ponat opus præceptum juxta probabilem opinionem; quod etiam communiter a Doctoribus conceditur; ergo injunctio operum in Jubilæo est, ut ponantur juxta probabilem opinionem; atque adeo qui juxta probabilem opinionem exequitur opera injuncta, exequitur quidquid intendit Pontifex, & fructum Jubilæi assequitur.

IV. Ad rationes in contrarium: Falsum est, in iis, quæ pendent ex facto, nihil juvare opinionem probabilem, si factum pendeat ex voluntate Superioris; ut patet in eo, qui absolvit cum Jurisdictione tantum probabili. Et ratio est, quia voluntas Superioris conferens Indulgentiam, vel Jurisdictionem, ut benigne, & rationabiliter procedat, debet se accommodare opinioni probabili subditorum; adeo ut quando subditi probabiliter putant Superiorem concessisse Indulgentiam, vel Jurisdictionem, juxta sensum rationabilem verborum, deceat Superiorem in tali casu eas concedere, ut constat ex ratione Conclusionis.

Ad confirmationem; Verum quidem est Indulgentias tantum valere, quantum sonant, seu quantum conformes sunt menti Pontificis illas largientis; consonum tamen est esse conformes menti Pontificis, quoties a lucraturo Indulgentiam ponuntur opera injuncta juxta probabilem opinionem; sicut etiam quoties hic prudenter, & rationabiliter mentem Pontificis interpretatur ex verbis in Bulla expressis: ergo ad assequendum Indulgentiæ fructum multum confert opinio probabilis, saltem si ea probabilitate sit prædita, quam Probabilioristæ docent ad licite, & prudenter operandum necessariam; quorum sententia in bono lumine solide, ac ingeniose jam collocata a Patre Thyrso Gonzales Præposito Generali Soc. JESU passim a DD. sua cum laude propugnatur.

ARTICULUS II.

An sufficiat Opinionum Probabilitas ad obtinendos favores Jubilæi?

I. Etiamsi Indulgentia non obtineatur, quando opinio probabilis de Jubilæi concessione, aut consecutione est falsa; adhuc tamen probabiliter favores Jubilæi obtinentur.

II. In bonum animarum supplet defectum, quem potest, Ecclesia Parens pientissima.

III. Etiam post proscriptam ab Innoc. XI. primam illam propositionem, videtur licitum uti opinione probabili in Sacramentis conferendis quoad ea, quæ spectant ad Jurisdictionem.

IV. Videtur tum ab intrinseco, tum ab extrinseco moraliter certum, quod Ecclesia suppleat Jurisdictionem, si forte desit.

V. Ecclesiæ praxis ostendit, certam esse Jurisdictionem reflexe, quotiescumque est probabilis directe.

VI. Saltem implicite, & per ratihabitionem de præ-

fenti conceditur a Pontifice Jurifdictio certa, quando ea eft probabilis.

I. Dico primo cum communiori: Probabiliffimum eft, Jubilæi favores obtineri poffe fequendo opinionem probabilem, etiamfi a parte rei hæc fit falfa: v. g. Demus falfo, fed probabiliter, afferi, quod quis lucretur Jubilæum extraordinarium ponendo in una Hebdomada jejunia, in alia Communionem; Vel quod lucretur Jubilæum, qui aliquod opus injunctum, dummodo non fit ultimum, pofuerit in mortali; quamvis in his cafibus is, qui probabilibus hifce opinionibus fe accommodat, re vera non lucrаretur Indulgentiam, feu relaxationem pœnæ peccatis debitæ, juxta fententiam Boffii Articulo fuperiore adductam; adhuc tamen favores Jubilæi probabiliffime affequitur, itaut valeant abfolutiones a refervatis, & commutationes votorum factæ ex fuppofitione alicujus probabilis fententiæ de Jubilæi confecutione.

II. Probatur ex Diana parte 5. tract. 12. ref. 32. & Gobat, quia quando ob rationem, Doctorumve auctoritatem probabile eft, quod alicui Sacerdoti competat Poteftas abfolvendi, valide abfolvit, efto opinio illa reapfe fit falfa. Quandoquidem ad præcavenda ingentia Animarum damna, Ecclefia in eo cafu fupplet defectum Jurifdictionis, tribuendo illam præcife, quia prudenter judicatur, quod fit conceffa; ut plerique DD. docent cum de Lugo tom. 3. difp. 19. fect. 2. §. 1. apud Cardenas tom. 4. Crifis differt. 2. cap. 6. art. 4. Ego etiam in cafu noftro probabiliffimum eft obtineri favores Jubilæi in ordine ad valide, ac licite abfolvendum a refervatis, & ad vota commutanda, quoties quis fequitur probabilem ea de re opinionem, etiamfi illa revera effet falfa.

III. Objicies. In facramentis conferendis non licet fequi opinionem probabilem de eorum valore, omiffa tutiore, ut conftat ex Propofitione prima ab Innoc. XI. damnata; Sed in cafu noftro Abfolutio a refervatis pertinet ad valorem Sacramentorum; ergo non licet a refervatis abfolvere, præcife ex opinione probabili, quod detur Jurifdictio requifita; & confequenter favores Jubilæi non obtinentur fequendo fententiam de illa probabilem.

Refpondeo, communius DD. ita propofitionem profcriptam interpretari, quod fenfus fit, illicitum effe in conferendis Sacramentis fequi opinionem probabilem omiffa tutiore, relate ad ea quæ pertinent ad materiam, & formam Sacramentorum, non vero relate ad ea, quæ pertinent ad Jurifdictionem: Unde in cafu noftro licite quis utitur favoribus Jubilæi fequendo opinionem probabilem, tutiore prætermiffa. Ratio doctrinæ eft, quia non pendet ab opinione probabili, quod hæc, aut illa fit materia, vel forma Sacramentorum, cum non poffit Pontifex fupplere defectum materiæ, aut formæ a Chrifto D. inftitutæ: contra vero pendet Jurifdictio ab opinione probabili, quatenus pofito, quod probabiliter detur hic, & nunc Jurifdictio, & re vera dici debet, quod Jurifdictio habeatur, fupplente tunc defectum, fi forte adfit, ipfa Ecclefia ex fua benignitate: eo prorfus modo, quo in omnium fententia fupplet defectum Jurifdictionis, quando ex errore communi cum titulo colorato putatur Jurifdictio adeffe. E. g. fi Cajus communiter cenfeatur Parochus, cum re vera non fit, fed folum fit fimplex Sacerdos ad confeffiones non approbatus, communiter Doctores docent ex *l. Barbarius*, quod valide abfolvat, fupplente tunc defectum jurifdictionis Ecclefia, parente fidelium benigniffima: contra vero, fi Cajus ex errore communi putetur Parochus, & ille non folum non fit approbatus, fed nec fit Sacerdos, non valide abfolveret; quia fcil. non poteft Ecclefia fupplere defectum Sacerdotii a Chrifto Dom. requifiti, ut poteft fupplere defectum Jurifdictionis. Idem nos dicimus in cafu. Si quis in Sacramentis conferendis opinionem probabilem fequatur omiffa tutiore, in iis, quæ ad materiam, & formam fpectant, proculdubio peccat, eo quod non poffit Ecclefia materiæ, aut formæ defectum fupplere; at fi cum Jurifdictione folum probabili abfolvat, valide, ac licite abfolvit; quia ejus defectum fupplet ex fua benignitate Ecclefia ad arcenda maxima Animarum incommoda; non aliter ac quando adeft error communis cum titulo colorato.

IV. Inftabis: Ideo non licet in conferendis Sacramentis fequi opinionem probabilem de eorum valore quoad ea, quæ pertinent ad materiam, & formam, quia fic facile exponi poffet Sacramentum periculo fruftrationis: quod non folum effet contra reverentiam Sacramento debitam, fed etiam in damnum vergeret Animarum: Atqui hoc etiam fequeretur, fi quis utatur opinione probabili quoad ea, quæ fpectant ad Jurifdictionem: ergo in neutro cafu favet probabilitas opinionis, & confequenter nec in ordine ad favores Jubilæi. Probatur minor: Nam quod Ecclefia fuppleat defectum Jurifdictionis, quando quis abfolvit ductus opinione probabili, eft folum opinio probabilis, non certa, cum pro contraria fententia ftent innumeri, & graves DD. docentes idcirco Ecclefiam fupplere defectum Jurifdictionis, quando adeft error communis cum titulo colorato, quia communis error facile evitari non poteft: contra vero poteft facile vitari defectus Jurifdictionis, quando adeft opinio probabilis, fi recurratur ad tutiorem; & ideo ad hanc recurrendum, ne exponatur periculo fruftrationis Sacramentum: Nam fi re vera Jurifdictio defit, & ab Ecclefia non fuppleatur, Sacramentum erit invalidum ex Tridentino, cum defit forma a Chrifto Dom. inftituta, quæ non eft abfolutio Sacerdotis quomodocumque, fed eft abfolutio Sacerdotis habentis Jurifdictionem.

Refpondeo, difficultatem hanc effe urgentiffimam; & quia plurimum ad praxim confert folutio: ideo tantifper in ea, præter morem, immorandum. Evacuatur itaque communiter difficultas dicendo, quod quamvis non pauci, & graves Doctores negent, Ecclefiam fupplere defectum Jurifdictionis, quando quis abfolveret ductus opinione probabili circa fuam Jurifdictionem; nihilominus tum ex auctoritate longe plurium Doctorum in contrarium apud Dianam p. 8. tract. 1. ref. 93. & Cardenas t. 4. Crifis difsert. 2. c. 6. tum ex ratione ab intrinfeco validiffima (quod fcil. ex Ecclefiæ benignitate præfumendum fit, velle Pontificem fupplere defectum, prout poteft, quando quis operatur prudenter, & rationabiliter juxta probabilem opinionem) moraliter certum videtur, quod Jurifdictio fuppleatur, tam quando eft error communis cum titulo colorato (imo etiam quando folum eft error communis fine colorato titulo, quod multi negant cum Platel. n. 695. & Lugo apud Dianam l. cit. ref. 94.) quam quando folum habetur opinio probabilis de Jurifdictione: Eadem enim incommoda in utroque cafu fequerentur, fi nollet

Pon-

Pontifex Jurisdictionem supplere, ut notat Bonac. disp. 5. de Pœnit. quæst. 7. par. 5. §. 4.

Hinc fit, Sacramentum non exponi periculo frustrationis: Sicuti quia moraliter certum est, Attritionem puram sufficere in Sacramento Pœnitentiæ; esto multi Catholici id negent, non per hoc dicitur exponi periculo frustrationis Sacramentum, adhibendo in eo Attritionem. Ex Tridentino enim rite intellecto, & ex auctoritate innumerorum Auctorum moraliter certum est, Attritionem etiam puram satis esse; esto non possit Censura Theologica affici ex Decreto Alexandri VII. expedito 5. Maji *1667*. opinio Lovaniensium, & aliorum requirentium in dolore ad Sacramentum requisito aliquam Dei dilectionem. Propositio autem ab Innoc. XI. damnata fert, illicitum esse in conferendis Sacramentis sequi opinionem probabilem, non vero opinionem moraliter certam (qualis est in casu) omissa tutiore. Etenim quando opinio est moraliter certa, seu probabilissima, universim licitum est ea uti, ut constat ex Propositione tertia ab Alexandro VIII. damnata, quæ habet: *Non licet sequi opinionem vel inter probabiles probabilissimam*. Quare etiam in materia Sacramentorum licitum est uti opinione moraliter certa, qualis est de sufficientia Attritionis in Sacramento Pœnitentiæ, omissa tutiore, qualis est de adhibenda Contritione: idem itaque dicas in casu nostro, dummodo probabilitas Jurisdictionis sit solida, & non futilis, præsertim si ea non sit in conflictu sententiæ oppositæ probabilioris; in quo saltem casu negandum non videtur.

Et sane ex Suario disput. 17. de Pœnit. sect. 1. n. 7. Lugo disp. *19*. n. 35. Palao, & aliis apud Tamburinum de Jure Divino l. 5. c. 4. §. 8. n. 3. praxis, & usus Ecclesiæ universalissimus fert, Sacerdotes secure uti Jurisdictione tantum probabili in administratione hujus Sacramenti, absque ullo periculo proximo frustrationis, supplente hunc defectum, si forte adsit, Ecclesia: quapropter tum spectata ratione ab intrinseco, tum etiam spectata hac Ecclesiæ consuetudine, dicenda hæc opinio est non solum probabilissima, sed etiam moraliter certa, etsi pro contraria multi, & graves adducantur Auctores, ut proinde ea dici possit aliquo modo probabilis; Potest enim bene conciliari, ut notat Platel. de Pænit. n. 714. quod opinio aliqua, v. g. de necessitate Contritionis, seu Attritionis includentis aliquam Dei dilectionem in Sacramento Pœnitentiæ sit probabilis; & opposita, videl. de sufficientia puræ Attritionis, sit moraliter certa. Et ratio est, quia probabilitas unius sententiæ, si sit longe minor probabilitate sententiæ oppositæ, non impedit moralem aliquam certitudinem alterius; quandoquidem moralis certitudo patitur latitudinem, nec semper est maxima: quidquid sit, Num probabilitas illa longe minor probabilitate sententiæ oppositæ dicenda sit (ut facile est) probabilitas tenuis, & infirma, de se insufficiens ad prudenter, & licite operandum, quando non stat pro Lege, sed pro libertate; quod est alterius instituti pervestigare.

V. Confirmatur primo, quia Doctores communissime docent, solam consuetudinem satis esse, ut conferatur ab Ecclesia certa Jurisdictio; atqui ex Suario, Lugo, Palao adductis, consuetudo est in Ecclesia absolvendi cum Jurisdictione solum probabili: ergo in tali casu habetur certa Jurisdictio. Major constat ex *cap. Cum contingat de foro competenti*, ubi Glossa hæc habet, *Nota, quod consuetudo dat Jurisdictionem*: quod etiam in aliis juribus passim habetur, ut videre est apud Cardenas loco laud. Hinc fit, Parochos, & confessarios expositos ex mera consuetudine habere Jurisdictionem in ordine ad excipiendas Peregrinorum confessiones; Cardinales etiam ex consuetudine habere Jurisdictionem excipiendi confessiones suorum Familiarium; ac Sacellanum Imperatoris ad excipiendam confessionem Imperatricis; & ex Tridentino sess. 14. c. *9*. omnes Sacerdotes Jurisdictionem habent relate ad absolvendum moribundos ab omnibus peccatis, & censuris, præcise ex consuetudine Ecclesiæ. Quod autem consuetudo sit in Ecclesia absolvendi cum Jurisdictione tantum probabili, indubitatum esse debet, tum ex testimonio tot, tantorumque Doctorum, qui de hac Ecclesiæ praxi non dubitant, tum etiam quia inficiari nemo poterit consuetudinem esse universalissimam absolvendi juxta opinionem, quam plurimi, ac primæ notæ Doctores censent practice probabilem; cujusmodi est hæc opinio, quod liceat cum Jurisdictione probabili absolvere.

VI. Confirmatur secundo, quia communissime etiam Doctores docent, habere Jurisdictionem omnino certam, & sufficientem ad valide, & licite absolvendum, qui solum habet Jurisdictionem implicitam, & per ratihabitionem de præsenti; atqui absolvens cum Jurisdictione solum probabili habet Jurisdictionem implicitam; ergo & certam. Minor probatur, quia is dicitur habere Jurisdictionem implicitam, qui absolvit vidente, & sciente Prælato, a quo facile impediri potest, & non impeditur; sed qui Jurisdictionem habent probabilem, consueverunt in Ecclesia absolvere, vidente, & sciente Pontifice, a quo facile impediri possunt, & non impediuntur; etenim Pontifex bene novit, consuevisse Confessarios absolvere juxta opinionem plurimorum, & gravium Doctorum, qualis est opinio docens licitum esse conferre Sacramentalem absolutionem cum Jurisdictione tantum probabili; & cum possit illam facile proscribere, non proscripsit, ut communius docent: ergo. Ex quibus omnibus colliges, valide, ac licite absolutionem a reservatis conferre, necnon reliquos Jubilæi favores assequi, qui juxta probabilem opinionem operatur, etiamsi hæc a veritate aliquando declinet.

ARTICULUS. III.
Sitne probabile in Jubilæo Anni Sancti præter Indulgentiam Plenariam alios etiam favores concedi?

I. Negant complures.
II. Probabilius est, eos concedi, circumscripta tamen electione Confessarii post Notificationem Clementis X.
III. Occurritur objectis.

I. CUm in Bulla Jubilæi Anni Sancti solum exprimatur tribui Plenariam Indulgentiam ponentibus opera injuncta, merito a Doctoribus quæritur, An etiam tribuantur eo anno favores annecti soliti Jubilæis extraordinariis, quales sunt Electio Confessarii, & facultas hujus ad absolvendum a reservatis, ad commutanda vota, & his similia? Non pauci enim Doctores negant eos concedi cum Gobat. num. 358. Moroner. *94*. Dia. par. 10. c. *16*. ref. 5. ubi dicit, se cum Cardinali de Lugo ita sensisse in quodam examine Episcoporum coram Innoc. X. Fundamen-

damentum autem est primo, quia cum in Bulla solum fiat mentio Indulgentiæ, non aliorum favorum, ea solum videtur concedi; si enim alii favores concederentur, utique Pontifex exprimeret.

Secundo, quia Pontifices in concessione Jubilæi extraordinarii expresse dicunt Indulgentiam largiri instar Anni Sancti; & deinde addunt: *Insuper cupientes, ut omnes fideles tanti thesauri participes fiant, facultatem concedimus eligendi sibi Confessarium, qui a reservatis absolvat*: Unde signum est hujusmodi facultatem in Jubilæo Anni Sancti contineri, cum ea dicatur in Jubilæis extraordinariis superaddi.

Tertio, quia P. Henricus Lamparter anno 1651. cum Romæ fuisset causa Comitiorum generalium, scripsit ad P. Gobat. in hæc verba: De Gratiis Indulgentiæ Anni Sancti annecti solitis S. D. N. rogatus expresse negavit se illas concedere: ut videre est apud eundem Gobat. n. 362.

Quarto, quia in Notificatione sua Clemens X. dicit, facultatem absolvendi a reservatis non tribui cuilibet Confessario: ergo revera vi Jubilæi non datur facultas eligendi Confessarium, qui a reservatis absolvat.

II. Equidem tamen censeo cum Boss. sect. 1. cas. 16. Henr. Lavorio, Palao tract. 24. puncto 11. Filliucio, Corduba, Rodriquez, Vega, Rhodes, probabiliter vi Bullæ Jubilæi Anni Sancti concedi Confessariis expressis in Notificatione Clementis X. potestatem absolvendi a reservatis etiam in Bulla Cœnæ, & commutandi vota: quidquid sit, An etiam dispensandi in illis, & componendi super male ablatis; de quo diximus quæst. 1. art. 3. Electio tamen Confessarii post hujusmodi Notificationem non conceditur.

Ratio est primo, quia ipsa Jubilæi natura, ac definitio videtur postulare, præter Indulgentiam, largitionem aliorum favorum, ex dictis quæst. 1. art. 1.

Secundo, quia Sixtus V. Constit. 91. contra male promotos & alii Pontifices adeo stricte nonnullos casus reservarunt, ut ne vigore quidem hujus Jubilæi reservatio cessaret; quod aperte ostendit, vi Jubilæi Anni Sancti posse absolutionem a reservatis impendi.

Tertio, quia Clemens VIII. anno 1601. Urbanus VIII. 1626. & Innocentius X. 1651. apud Gobat. c. 50. post Annum Sanctum extenderunt per aliud bimestre Jubilæum Anni Sancti ad varias Provincias, expresse concedendo enumeratos favores; ergo signum est, eos in Jubilæo Anni S. contineri. Cum enim hoc instar fontis fuerit, unde in varias Provincias derivatum fuit, quod in Jubilæo Anni Sancti concedebatur, incredibile est, hujusmodi favores fuisse in rivis, & in suo fonte non præextitisse.

Quarto, quia si tot favores in Jubilæis extraordinariis conceduntur, in quibus facillima opera injunguntur, a fortiori dicendum eos concedi in Jubilæo Anni Sancti, ad quod lucrandum & peregrinatio Romana, & visitatio per tot dies Basilicarum, & alia molestissima requiruntur.

Probatur demum, quia Bonifacius VIII. *in Extravag. Antiquorum de Pœnitentiis, & remissionib.* solum impertivit pro Anno Sancto plenissimam Indulgentiam: Glossa tamen versu, *dixit etiam*, asserit, eundem Papam declarasse, votorum non exemptorum posse commutationem obtineri vi Jubilæi. Et Sixtus IV. in *Extrav. Quemadmodum* suspendit Anno Jubilæi potestatem eligendi Confessarium, qui a reservatis absolvat, &c. & quidem idcirco, *Ne Annus Jubilæi intermittatur*: atqui non intermitteretur Annus Jubilæi, seu accursus ad lucrandam Romæ Indulgentiam Jubilæi, si suspenderentur extra Urbem hujusmodi facultates, & non concederentur Romæ: ergo Bonifacius VIII. & Sixtus IV. eas Romæ concesserunt, & communiter etiam Pontifices successores: tum quia in Bulla dicunt se suorum Antecessorum vestigiis inhærere; tum etiam, quia ex *L. Præcipimus*, *C. de Appellat.* quod in Lege posteriore omissum est, censetur esse relictum dispositioni prioris.

Adde, Clementem X. expresse in sua Notificatione concessisse potestatem absolvendi a reservatis, & commutandi vota. Utrum autem ea Notificatio vim habeat in Jubilæo sequentis anni 1700. examinabimus quæstione ultima, dicendumque probabiliter habere locum. Ex quo fit, quod electio Confessarii, quamvis probabiliter concederetur Anno Jubilæi ante hujusmodi Notificationem Clem. X. ob rationes hactenus adductas, in posterum tamen non concedatur; cum perseveret (saltem quatenus declarativa est) eadem dispositio Clementis, qui pro Anno Jubilæi declaravit, solum Pœnitentiariis, & Parochis tribui facultatem absolvendi a reservatis, etiam in Bulla Cœnæ contentis, & commutandi vota, exceptis Castitatis, & Religionis: quam facultatem concessit etiam Confessariis Regularibus a Vicesgerente approbatis, tam relate ad Sæculares, quam ad Regulares sui Ordinis; dummodo in suo Ordine sint etiam Confessarii.

III. Ad rationes pro contraria sententia adductas facile respondetur. Et quidem ad primam dico cum Pasqualigo quæst. 178., in Bulla Jubilæi, præter Indulgentiam non exprimi alios favores; quia ii veniunt in consequentiam ad concessionem illius, tanquam de jure annexi, & ex natura ejusdem Jubilæi; quod autem ex natura actus inest, & de jure, habetur pro expresso, ex *L. 1. C. de testamentis*, ut notat Tiraquell. in *L. Si unquam de revoc. donat.*

Ad secundam: Merito quidem in Jubilæis extraordinariis exprimuntur favores, qui Indulgentiæ superadduntur, quia aliter non censerentur concessi. Contra vero in Jubilæo Anni Sancti intelliguntur concessi, etiamsi non exprimantur. Et ratio disparitatis est, quia ex Extravaganti Bonifacii VIII. & Sixti IV., quorum vestigiis inhæret Pontifex in indicendo Jubilæo Romano, constat suspendi hujusmodi facultates extra Urbem, ut diximus, ne Annus Sanctus intermittatur; unde censentur concessæ Romæ; hoc autem in Jubilæis extraordinariis non habetur.

Ad tertiam: Esto Innocentius X. inhærendo sententiæ negativæ dixerit, se nihil aliud concedere anno Jubilæi, quam Indulgentiam, quæ sola in Bulla exprimitur; adhuc tamen ab ejusdem Pontificis, nedum reliquorum, benignitate præsumendum, quod voluerit eos favores impertiri, si probabiliter vi verborum Bullæ censentur concessi, juxta dicta Articulo primo hujus quæstionis: atqui probabiliter vi verborum Bullæ censentur concessi; cum Bulla dicat concedi Jubilæum inhærendo vestigiis Antecessorum, qui probabiliter hujusmodi favores concesserunt: ergo.

Hinc loco laudato diximus, voluntatem Pontificis non operari effectum Jubilæi, prout mente retenta est, sed prout explicatur in Bullis concessionis, ex *Leg. repetendi*, *ff. de condition. ob causam.* Et sane, sicut in administratione Sacramentorum docent passim Doctores, quod si Minister habeat intentiones contrarias (v. g. si quis Hæreticus velit baptizare, & nolit se conformare Ecclesiæ Romanæ) tunc ea intentio

tentio prævaleat, quæ est magis absoluta, & prædominans, seu quæ remaneret irrevocata deprehensa earum incompossibilitate: quod si dubitetur, utra prævaleat, dubius sit valor Sacramenti: ita in casu nostro, si Pontifex habet intentiones oppositas, videl. non concedendi Anno Sancto præter Indulgentiam alios favores, & simul concedendi Anno Sancto quæcumque largiti sunt Antecessores, qui probabilissime alios favores concesserunt, proculdubio hæc intentio posterior prævalere debet, utpote magis absoluta, in Bullis declarata, ac prædominans.

Ad quartam, Quoniam probabile duntaxat erat, electionem Confessarii, qui a reservatis absolveret, concedi tempore Jubilæi, jure merito Clemens X. ad tollendos scrupulos conscientiarum voluit id declarare, aliquid concedendo sententiæ affirmativæ, aliquid negativæ. Quare declaravit, posse a reservatis absolvere Pœnitentiarios, Parochos, & Confessarios Regulares a Vicesgerente approbatos, quoniam durum erat hujusmodi facultates extra Urbem suspendere, & eas non concedere Romæ; noluit tamen Confessarios Sæculares hac facultate pollere, prout pollent in Jubilæis extraordinariis; Nam cum hæc brevi temporis intervallo concludantur, uberius in iis favor hic extendendus fuerat: Contra vero, cum Jubilæum Anni sancti diuturnius duret, consultius fuit, facultatem ad certos Confessarios restringere quoad reservata, & vota.

QUÆSTIO IV.

De suspensione Indulgentiarum, & aliarum facultatum durante Jubilæo Anni Sancti.

NOn solum Indulgentiæ, durante hoc Jubilæo, suspenduntur; sed etiam sub excommunicatione latæ sententiæ prohibetur Prædicatio, & Annunciatio illarum. Verum aliter hoc sæculo, aliter præcedenti in Bullis Jubilæi Indulgentiæ sublatæ sunt: Olim enim suspendebantur solæ Plænariæ extra Urbem, & facultates quæ ratione Indulgentiarum erant impertitæ sive in vita, sive in mortis articulo; At hoc sæculo Pontifices suspenderunt omnes omnino Indulgentias sub quibuscumque tenoribus concessas tum singularibus Personis, tum Coronis, Granis, &c. quin exprimant Indulgentias Ecclesiarum Romanarum in suo robore permansuras tempore Jubilæi: sicut nec exprimunt suspendere etiam indulgentiam in articulo mortis concessam, ut olim exprimebatur. Adhuc tamen post ultimam Bullam Jubilæum Clementis X. innumeræ subortæ fuerunt difficultates circa harum Indulgentiarum suspensionem; unde in Notificatione illa Gratiarum, & Declarationum 1. Februarii 1675. ad scrupulos tollendos plurima Clemens X. voluit declarari, quæ pro imminente Jubilæo deserviunt quammaxime: cum Successor in dubiis præsumatur vestigiis Prædecessorum inhærere. Juxta hanc itaque Notificationem pervestigabimus hic, Quibusnam aliis Indulgentiis probabiliter frui possimus durante Jubilæo Anni Sancti?

ARTICULUS I.

Utrum Indulgentiæ non Plenariæ, & Stationum suspendantur?

I. Tantum Plenariæ suspenduntur.
II. Non tamen Indulgentiæ Stationum, & Ecclesiarum Romanarum.
III. Nec quæ Domui Lauretanæ concessæ sunt; Nec Compostellanæ; Nec Portiunculæ Assisiis.
IV. Quid de concessis, ubi habetur Comprecatio 40. horarum circularium?

I. DIco primo. Per Bullam Jubilæam, qua dicuntur suspendi omnes, & singulæ Indulgentiæ sub quacunque forma concessæ, suspenduntur universim Indulgentiæ Plenariæ. Ita communiter Doctores, & constat ex fine suspensionis, qui est, ne usu Indulgentiarum impediatur accessus ad Urbem, ut exprimitur in *Extravaganti Quemadmodum de Pœnit. & Remiss.*

Dico secundo: Probabile est, Indulgentias non Plenarias perseverare, quamvis in Bulla dicantur omnes, & singulæ Indulgentiæ suspendi. Ita Filliucius n. 251. Gobat n. 47. Faustus, Lezana, Peyrinus, Benzonius, Palaus §. 1. n. 7. contra Tannerum n. 108. & Rodr.

Probatur. Quamvis in Bullis Clementis VI. Sixti IV. Julii III. & Gregorii XIII. exprimeretur, suspendi solum Plenarias, & deinceps in Bullis Jubilæis aliorum Pontificum id non sit expressum; hoc non facit, quod de facto etiam non Plenariæ suspendantur: ergo non Plenariæ perseverant. Antecedens probatur, tum quia ex *l. Præcipimus, Cod. de Appellat.* quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, id veterum legum, Constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est; tum etiam quia Pontifices in Bullis exprimunt, se Indulgentias suspendere suorum Prædecessorum exemplo, atque adeo eo modo, quo ab illis suspensæ fuerunt: sed illi solum Plenarias suspenderunt: ergo etiam de facto solum Plenariæ suspenduntur. Quare quamvis dicantur omnes, & singulæ Indulgentiæ suspendi, hujusmodi formulæ cadunt tantum supra Plenarias.

Confirmatur: quia suspensio ista accipi debet juxta jus commune: de jure autem communi solum Plenariæ suspenduntur, ut constat ex *Extravaganti Quemadmodum* Sixti IV. quæ tanquam inserta in corpore Juris facit jus commune: ergo.

II. Dico tertio: Indulgentiæ Stationum, & aliæ concessæ Basilicis, & Ecclesiis Romanis non suspenduntur. Ita Filliucius, Lezana, Gobat contra Benzonium.

Probatur, tum quia in Notificatione Clem. X. dicuntur Indulgentiæ pro visitantibus septem Romanas Ecclesias, & Scalam Sanctam non suspendi; tum etiam quia Sixtus IV. & Greg. XIII. in suis Bullis dixerunt, Indulgentias Ecclesiarum Romanarum in suo robore permansuras tempore Jubilæi; & postremi Pontifices in suis Bullis expresse dicunt, se suorum prædecessorum vestigia sequi: ergo quamvis non exprimant has Indulgentias non suspendere, non suspenduntur. Nihilominus, ut notat Zerola in Praxi Episcoporum, verbo *Annus Sanctus*, suspenduntur omnes Indulgentiæ Stationum Ordinibus Religiosis, Sodalitatibus, & Confraternitatibus extra Romam existentibus concessæ per modum Communicationis. Ratio est, quia id expressit Greg. XIII. in sua Bulla Jubilæa; & certe id congruum fuit, ne usu

usu harum Indulgentiarum accessus ad limina Apostolorum impediretur; qui tamen non impeditur, si Indulgentiæ Ecclesiarum Urbis non suspendantur.

III. Præterea nec suspenduntur Indulgentię concessæ Domui Augustissimæ Lauretanæ; ut declaravit Gregor. XIII. teste Benzonio l. 4. c. 7. Et probabiliter ex Palao punct. 12. n. 8. contra Pasqualigum, nec suspenduntur Indulgentiæ Compostellanæ ex Declaratione Sixti V. Indulgentia vero Portiunculæ probabiliter ex Fausto, Pasqualigo, & aliis contra Quintanadvennam non est suspensa Assisiis, cum Bened. XII. in sua Bulla dicat esse ibi concessam a Christo Domino; prout autem a Pontifice ad alias Ecclesias Minorum est concessa, suspenditur Anno Jubilæi, ut notat Rodriquez.

IV. Denique in Quadraginta Horarum Circularium Expositione Clem. X. in sua Notificat. concessit Romæ Annorum septem, & totidem Quadragenarum Indulgentiam, toties lucrandam, quoties Ecclesia invisitur. Dubium tamen est, Utrum eandem Innocentius XII. pro imminenti Anno Sancto concessurus sit, etiamsi non exprimat. Ratio dubitandi est, quia concessio hæc Clementis X. habet rationem novæ Gratiæ, non Declarationis circa verba Bullæ: Gratia autem ab uno Pontifice concessa, non censetur ab alio concedi, nisi exprimat; quamvis Declaratio dubii circa verba Bullæ semper subsistat, quoties iisdem verbis nova Bulla concipitur. Sed quid hac in re dicendum sit, quæstione ultima resolvemus: quamvis putem Innocentium XII. Notificationem Clementis X. esse renovaturum. Et quia tam Neapoli, quam Lupiis comprecatio Quadraginta horarum Circularium recenter magna Civium frequentia, ac pietate instituta est, crediderim Innocentium XII. Neapolitanæ, ac Lupiensis Ecclesiæ Sponsum olim amantissimum, ad has etiam Urbes, & ad alias ejusdem obsequii erga Venerabile consortes præfatas Indulgentias esse extensurum. Quod si de iis nulla mentio fiat, probabile mihi est, posse Episcopum juxta facultatem sibi traditam in *cap. Ex eo de Pœnit. & Remiss.* quadraginta dierum Indulgentiam impertiri; etenim cum probabile sit Indulgentias non Plenarias non suspendi Anno Jubilæi, probabile pariter erit, posse Episcopum Indulgentias pro mensura suæ facultatis elargiri. (*a*)

„ (*a*) Benedictus XIV. in Constitutione *Cum Nos* „ *nuper* super Jubilæo anni 1750. expresse suspendit „ etiam *non plenarias*.

ARTICULUS II.

Quænam Indulgentiæ concedantur visitantibus Septem Urbis Ecclesias.

I. Visitantes septem Ecclesias Neapoli designatas lucrantur innumeras non Plenarias Indulgentias.

II. Undenam sumpsit initium visitatio septem Romanarum Ecclesiarum?

III. Ingens Indulgentiarum thesaurus illas visitantibus conceditur.

IV. Enumerantur præstantiores.

I. Opportune hic, & utiliter inquirimus, Quænam, & quantæ sint hujusmodi Indulgentiæ? ut ad illarum Ecclesiarum visitationem fideles excitentur. Quod etiam conferet, ut etiam Anno Sancto Neapoli Septem Ecclesiæ, ab Innocentio XII. summa erga suam Patriam benevolentia designatæ, frequenter visitentur; necnon aliis in locis, ubi pariter Indulgentiæ Septem Ecclesiarum Romanarum conceduntur visitantibus Septem Ecclesias destinatas. Quamvis enim Anno Jubilæi Romæ solum Indulgentiæ, etiam Plenariæ, obtineri possint a visitantibus Septem Ecclesias Romanas, ut diximus Articulo superiore ex Notificatione Clementis X. at Neapoli obtineri probabiliter poterunt Indulgentiæ non Plenariæ iisdem Romanis Ecclesiis concessæ, & per communicationem Septem Ecclesiis Neapolitanis; quæ quidem tot, ac tantæ sunt, ut possint Plenariis æquivalere.

II. Antequam hujusmodi Indulgentias recenseam, adverto cum Sanctarell. de Jubilæo, c. 16. Romanos consuevisse hac de causa Septem Urbis Ecclesias visitare, (videlicet Sancti Joannis Lateranensis, Sancti Pauli, Sanctæ Mariæ Majoris, Sancti Laurentii, Sancti Petri, SS. Fabiani, & Sebastiani, & Sanctæ Crucis in Hierusalem) quia scilicet cum Pontifices in Oriente ad Fidei puritatem custodiendam quatuor Patriarchatus instituissent, videlicet primum Alexandrinum, secundum Antiochenum, tertium Hierosolymitanum, quartum Constantinopolitanum, quatuor Ecclesias Romæ pro his quatuor Patriarchis designarunt, nempe pro primo Ecclesiam D. Pauli, pro secundo Sanctæ Marię Majoris, pro tertio Sancti Laurentii, pro quarto D. Petri; ut si forte Patriarchæ Conciliorum, vel aliorum negotiorum causa Romam ventitarent, sua in Ecclesia decenter degerent; Ecclesia vero Sancti Joannis Lateranensis addicta erat Supremo Urbis, & Orbis, Patriarchæ, videlicet Vicario Christi Domini, quia quatenus Romanus Episcopus est, suam ibi Cathedralem habet; unde ad mille annos ibidem Pontifices diversati sunt. Summa itaque a Romanis veneratione habitæ fuerunt hujusmodi quinque Patriarchales Ecclesiæ, eæque continenter magna pietate, ac frequentia invisebantur: quia vero in earum visitatione opus erat per duas alias celeberrimas transire, scil. per Ecclesiam SS. Fabiani, & Sebastiani, ubi Cœmeterium est innumerorum Martyrum, & per Ecclesiam Sanctæ Crucis, ubi bene magnum Crucis Domini frustum colitur, idcirco Septem istæ Ecclesiæ una omnes visitari consueverunt.

III. Porro, ut ad tantum pietatis opus fideles excitarentur, innumeræ hisce Ecclesiis Indulgentiæ concessæ fuerunt, quas hic recensere non vacat; præstantiores tantum innuo; quæ altius menti insidere poterunt, reliquæ videri poterunt apud Sanctarellum loco laudato, & apud Emmanuelem Rodriquez tom. 2. qq. Regularium, quæst. 89.

IV. Primo itaque in Ecclesia Sancti Joannis Lateranensis tot, ac tantas Pontifices concessere Indulgentias, ut teste Bonifacio Papa, non nisi a Deo numerari possint, illasque omnes idem Pontifex confirmavit ut constat ex antiqua Tabella ibidem affixa. Sanctus Sylvester ad Constantini Imperatoris preces, quotidie Indulgentiam Plenariam largitus est visitantibus illam; eademque confirmavit Divus Gregorius, qui æquatam solo ab Hæreticis Ecclesiam reædificavit. Præterea visitantibus singulas ex aliis enumeratis Ecclesiis quotidie octo, & quadraginta annorum Indulgentiæ, ac totidem quadragenarum conceduntur, necnon remissio tertiæ partis peccatorum; Et in Festis duplicibus hujusmodi Indulgentiæ duplicantur in

una

una D. Petri Ecclesia. In iisdem etiam Ecclesiis, diebus Stationum, ac pluribus in aliis Festis diebus Indulgentia etiam Plenaria conceditur. In Ecclesia Sanctæ Crucis visitantes Sanctæ Helenæ Sacellum quotidie Plenariam Indulgentiam lucrantur. In Ecclesia SS. Fabiani, & Sebastiani, Sylvester, Gregorius, Honorius, Pelagius, Nicolaus, & Joannes Pontifices singuli mille annorum Indulgentiam quotidie concesserunt, & in Ecclesia Sanctæ Mariæ Majoris duodecim millia annorum quotidie a Festo Assumptionis ad Festum Nativitatis Deiparæ. Atque hæc innuisse sit satis in hac digressiuncula non contemnenda.

ARTICULUS III.
An suspendantur Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ.

I. Probabile est, quod non suspendantur.
II. Utpote per modum contractus, citra Simoniam, erogatæ.
III. An Privilegia remunerativa Religiosis concessa in revocatione generali privilegiorum censeantur revocata?

I. Censeo probabiliter non suspendi vi Bullæ Anni Sancti. Ita Salas, Bonac., Henriquez, Rodriquez, qui asserit sic declarasse Clementem VIII. in Jubilæo Anni 1600. apud Dianam p. 1. tr. 11. ref. 97. contra Lopez, Navarrum, & alios.

II. Probatur, quia hujusmodi Indulgentiæ, & alia Privilegia Bullæ Cruciatæ conceduntur per modum contractus, cum oporteat erogare Eleemosynam duorum Regalium, ut notat Sanchez lib. 8. disput. 33. nu. 10. Privilegia autem per modum contractus concessa non revocantur per clausulam generalem; Immo nec revocari possunt, nisi causa publica intercedat, & fiat aliqua compensatio, ex Palao tr. 3. dis. 3. pun. 21. & Lezana in summa, verbo *Jubilæum*. Hinc, ut notat Gobat, & Palaus loc. cit., ex Suario lib. 8. de legibus, cap. 38. Bonacina, Salas, Azorio, quoties derogatur omnibus Indultis, etiam juramento firmatis, cum clausula illa, (quamvis illorum esset de verbo ad verbum facienda mentio expressa) non censetur derogatum hujusmodi Indultis per modum contractus concessis.

Hanc doctrinam communiter Doctores extendunt ad Privilegia remunerativa, sive remuneratio fuerit debita ex justitia, sive ex gratitudine; quia quomodocunque debita sit ea remuneratio, Privilegiatus jure suo cedit ob Privilegium sibi concessum; eaque de causa Privilegium transit in contractum onerosum; unde per clausulas generales hujusmodi Privilegia non revocantur.

Notandum tamen, quod si remuneratio sit debita ex gratitudine, & non ex justitia, tunc ex Suario, & Bonacina apud Palaum, non requiritur præter publicam causam aliqua compensatio, ut licite revocari possit; quia revocans Privilegium reducit rem in pristinum statum reddendo Privilegiatis merita sua, quæ ex justitia compensationem non requirebant. Notat etiam Palaus, Privilegium non dici remuneratorium, seu concessum in præmium, si merita non exprimantur in particulari, quia quando dicitur Privilegium conferri ob merita alicujus, nulla facta mentione de ullo merito in particulari, videtur hoc potius fieri pro honore Privilegiarii, quam pro veritate, ex *l. quod venditur, ff. de dolo.*

III. His rite perpensis apparet, quid dicendum ad celebrem Quæstionem, Utrum in Revocatione generali Privilegiorum censeantur revocata Privilegia Religiosis concessa? Basilius enim de Leone l. 8. de Dispensationibus, c. 29 apud Palaum probabiliter putat ea non revocari, nisi de iis fiat mentio specialis, quoties vel per modum contractus, vel in remunerationem meritorum concessa sunt. Id tamen intelligendum juxta doctrinam expositam: & consequenter per generalem Privilegiorum revocationem ea revocantur, si ob solam meritorum remunerationem concessa fuerunt, quando nullius meriti in particulari facta fuit mentio in eorum concessione; sicut etiam quando publica intercedit causa, etiamsi nulla fiat compensatio.

Dices cum Pasqualigo qu. 143. Si Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ venirent in contractum, committeretur simonia; hoc dici non debet: ergo non veniunt in contractum onerosum, quamvis pro iis solvantur regales; & consequenter Anno Jubilæi suspenduntur.

Respondetur negando sequelam. Etenim permutare spirituale cum spirituali non est simonia; quando autem pro duobus Regalibus datur Indulgentia, hæc non confertur pro re illa temporali, sed pro actu illo spirituali conferendi subsidium duorum Regalium pugnantibus pro Fide, & ideo contractus non est simoniacus. Sicut nec committitur simonia, quando debetur ex justitia Sacrificium Missæ offerenti Carolenum; quia quamvis e contractu debeatur, non tamen pro Missæ Sacrificio, sed pro sustentatione Celebrantis.

Adde, quod si hujusmodi Indulgentiæ non essent datæ per modum contractus, deberent Anno Sancto suspendi; utpote quæ impediunt accessum ad limina Apostolorum. Quod autem de facto non suspendantur, constat ex praxi bene nota Pontifici, quod scilicet Anno Sancto Bulla Cruciatæ, ejusque Indulgentia publicetur, ut notat Pasqualigus l. cit. ergo per modum contractus conferuntur.

ARTICULUS IV.
Utrum Indulgentiæ pro Mortuis, & pro Moribundis suspendantur.

I. Non suspenduntur Indulgentiæ immediate pro defunctis concessæ.
II. Sed quæ vivis conceduntur applicabiles pro Defunctis ex Clemente X. suspenduntur.
III. Adducitur congrua hujus ratio.
IV. Neque suspenduntur Indulgentiæ pro articulo mortis concessæ.
V. Idque tum ex Ecclesiæ benignitate, tum ex Notificatione Clementis X.

I. Dico primo. Indulgentiæ concessæ Altaribus Privilegiatis, ut scil. Anima e Purgatorio liberetur, Anno Jubilæi non suspenduntur. Ita Gavantus, Peyrinus, Lezana, & constat ex Notificatione Clem. X. ubi dicit, Indulgentias pro Defunctis non suspendi.

II. Hinc ortum fuit dubium, An suspensa esset Indulgentia Communionis generalis concessa iis, qui una ex Dominicis cujuscumque mensis a Patribus Societatis designata Sacram Synaxim acciperent, orantes pro Exaltatione Ecclesiæ, pro hæresum extirpatione,

tione, & concordia Principum Christianorum? Videbatur enim non suspendi, quia ex Bulla Innocentii X. potest pro Animabus Defunctorum applicari. Verum post Notificationem Clementis X. dicendum fuit suspendi, quia scil. hujusmodi Indulgentia non est immediate concessa pro Defunctis, sed pro Vivis; ita tamen, ut per modum suffragii applicari possit Defunctis: has autem Indulgentias ne pro Defunctis quidem prodesse tempore Jubilæi Romani, declaravit Clemens X. in ea Notificatione (*a*)

„ (*a*) Plures ejusmodi Notificationes citat Be„ nedictus XIV. in Italica Epistola Encyclica a. 1749. „ Romæ edita ad *Pœnitentiarios Minores*, *& ad* „ *Confessarios a Cardinali Vicario Romæ deputatos* „ *pro imminente* Anno Sancto (1750.) p. 31. Sed „ Benedictus XIII. itemque Benedictus XIV. permi„ serunt Indulgentias a vivis applicabiles pro de„ functis, ille quidem singulari Brevi 28. Aprilis „ a. 1725., hic vero in ipsa Constitutione *Cum nos* „ *Nuper*.

Dices. Finis suspensionis Indulgentiarum est, ne retrahantur homines ab accessu ad Urbem; hic autem finis non habet locum quoad Indulgentias istas, si pro Defunctis tantum possent applicari. Præterea intantum tolluntur aliæ Indulgentiæ viventibus concessæ, quia iis conceditur Jubilæum; at mortuis nihil conceditur; ergo non est, cur Jubilæi tempore cessent hujusmodi Indulgentiæ pro Defunctis.

Respondeo his rationibus probabiliter olim docuisse plures Doctores apud Dian. p. 9. tr. 2. res. 23. hujusmodi Indulgentias non suspendi. Cæterum post dictam Notificationem dicendum, eas etiam in posterum suspendi; etenim quamvis in Jubilæis sequentibus non haberent locum Gratiæ in Notificatione Clementis X. concessa, quod quæstione ultima examinabimus: habent tamen citra controversiam semper locum illæ Declarationes; spectat autem ad declarationem Bullæ, non ad concessionem novæ Gratiæ, quod suspendantur Indulgentiæ immediate concessæ pro Vivis, etiamsi possent applicari Defunctis.

III. Ratio vero hujus Declarationis esse potest, quia cessante Principali corruit Accessorium; quod autem hujusmodi Indulgentiæ possint applicari Defunctis, videtur accessorium; & ideo cum suspendantur omnes Indulgentiæ pro vivis, etiam illæ, quæ possent pro Defunctis applicari, suspenduntur. Præterquamquod restrictio istarum Indulgentiarum magis reddit homines sollicitos lucrandi Jubilæum, aliasque Indulgentias immediate pro Defunctis concessas.

Et ratio a priori videtur esse, quia, ut notat Suarius disp. 24. sect. 3. & Coninch. disp. 12. dub. 10. Pontifex non absolvit judicialiter Defunctum a pœna, utpote nullam habens erga illum jurisdictionem, ut communiter Doctores docent contra Medinam apud Dian. l. c. res. 21. sed solum vi Potestatis Clavium vel solvit Defuncti debitum, offerendo ex Thesauro Ecclesiæ pretium æquivalens, (quod præstat, quando concedit Indulgentiam immediate pro Defunctis) vel si concedat Indulgentiam pro Vivis applicabilem Defunctis, tunc, ut notat Lugo disp. 27. de Pœnit. n. 66. concedit viventibus, in quos habet jurisdictionem, Indulgentiam per modum absolutionis, elevando satisfactionem propriam debitoris ad totaliter satisfaciendum pro peccatis: ita ut simul det eidem facultatem transferendi propriam satisfactionem sic elevatam in Defunctum. Hinc fit, quod suspensa Indulgentia concessa immediate pro Vivis, tollatur consequenter iisdem facultas transferendi in Defunctos propriam satisfactionem, prout elevatam ad totaliter satisfaciendum, cum non habeatur ista elevatio, si deficit Indulgentia Vivis concessa.

IV. Dico secundo. Neque suspenduntur Indulgentiæ pro articulo mortis concessæ. Ita communius contra Layman lib. 5. tr. 7. c. 8. Tannerum, Palaum. Ratio est, tum quia ex Fausto, & Leone ita declaravit Urbanus VIII.; tum etiam quia in generali Dispositione non veniunt, quæ non esset quis in specie comprehensurus, ex *Lege in obligatione generali*, *ff. de Pignoribus*. Ex pietate autem Pontificum non præsumitur, quod voluerint Anno Jubilæi has Indulgentias suspendere: cum Ecclesia Agonizantibus velit omnibus modis succurrere; Præterquamquod articulus mortis est speciali nota dignus; & ideo non censetur comprehensus, nisi de eo fiat specialis mentio.

V. Objicies: Etiam in his Indulgentiis adest finis suspensionis. Nam si homines sibi persuadeant, posse in articulo mortis Indulgentiam Plenariam consequi, retrahuntur ab accessu ad Urbem ad consequendum Jubilæum: ergo suspenduntur.

Confirmatur, quia Sixtus IV. in *Extravag. Quemadmodum* expresse dicit, Indulgentias suspendere, tam in perpetuum, quam ad certum tempus, sive in vita, sive in mortis articulo quovis modo concessas, & concedendas.

Respondeo, viros prudentes, incertos an ex improviso morituri sint, non retardari a consecutione Jubilæi ob spem talis Indulgentiæ; Et, si aliquatenus retardarentur, non esse hoc satis, ut Ecclesia nolit moribundis opitulari.

Ad confirmationem patet ex contextu apud Pasqualigum quæst. 147. illam clausulam, *Sive in vita*, *sive in mortis articulo concessas*, non referri ad Indulgentias, sed ad Facultates, Concessiones, & Indulta, videlicet eligendi Confessarium, qui possit non solum a reservatis absolvere, sed etiam Vota commutare, &c. sublata enim hac facultate etiam pro articulo mortis, remanet facultas sufficiens, quæ ex universali Ecclesiæ consuetudine cuilibet Sacerdoti pro eo articulo convenit. Adde, ex Notificatione Clem. X. Conclusionem hanc non posse amplius in dubium revocari; cum expresse ibi declaretur, Indulgentias pro articulo mortis concessas non intelligi suspensas.

ARTICULUS V.

Quænam aliæ Indulgentiæ probabiliter non suspendantur.

I. Non suspenditur Plenaria Indulgentia pro iis, qui Vota Religiosa emittunt; aut etiam qui Novitiatum ingrediuntur.

II. Immo ex duplici titulo relaxationem pœnæ pro peccatis debitæ totaliter obtinent.

III. Nec suspenduntur indulgentiæ personales pro iis, qui Jubilæum lucrati sunt.

IV. Secus dicendum de localibus.

V. Indulgentia ad septennium concessa durat per octennium, occurrente Anno Jubilæi, qui excluditur.

I. Di-

I. DIco primo. Indulgentia Plenaria, quatenus significat remissionem totius pœnæ debitæ pro peccatis, obtinetur etiam Anno Sancto a Profitentibus in Religione. Ita Sanch. l. 5. Summ. c. 5. ex Navar. & aliis. Ratio est, quia, ut colligitur ex Sanctorum Patrum Doctrina, hujusmodi Professio æquivalet Baptismo, quatenus virtute maximæ satisfactionis in eo opere contentæ, dum quis sibi, ac sæculo moritur, obtinet ex opere operantis omnem omnino remissionem, ut docet D. Th. 2. 2. q. 189. ar. 3. ad 3. Unde suo modo Plenariam Indulgentiam assequitur; quamvis non eam, quam Pontifex de Thesauro Ecclesiæ concedit ad pleniorem securitatem. Idemque dicendum est de eo, qui post biennium Novitiatus emittit tria Vota simplicia in Societate; quippe hic etiam in vero statu Religioso constituitur, & ex parte sua in perpetuum moritur secluso, se, suaque Deo mancipans sub obedientia Prælati. Et Rodriquez tom. 2. Quæstionum Regularium, qu. 48. hanc doctrinam rationabiliter extendit etiam ad eos, qui Novitiatum ingrediuntur, ut videre est apud Gobat cap. 10.

II. Adde, probabile etiam videri posse alicui, ut notat Gobat, quamvis ipse non subscribat, quod Indulgentia Plenaria a Pontifice concessa obtineatur Anno Jubilæi ab emittentibus Professionem Religiosam; quia sicut in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset concessurus, ex *Regula 81. Juris in 6.* ita nec in generali prohibitione (atque adeo in suspensione Indulgentiarum) veniunt, quas Pontifex in specie non esset suspensurus: talis autem videtur esse hujusmodi Indulgentia; tum quia non obstat fini, ob quem aliæ suspenduntur; tum etiam quia videtur speciali nota digna.

III. Dico secundo: Probabiliter non suspenduntur Indulgentiæ quoad eos, qui Jubilæum semel lucrati sunt; loquendo tamen de Indulgentiis personalibus, quæ sc. conceduntur singularibus personis, ut sunt Indulgentiæ concessæ Numismatibus, Granis benedictis, &c. non vero de Indulgentiis localibus, quæ scil. conceduntur per se primo locis, puta Ecclesiis, vel Altaribus. Ita Pasqualigus quæst. 146. & alii.

Ratio est, quia cessante adæquate fine legis in particulari, etiam negative, nedum contrarie, cessat lex, ut probabiliter plurimi Doctores docent cum Henriquez, Navarro, Granado, Sà: Atqui finis suspensionis Indulgentiarum est, ut quilibet conetur accedere ad Urbem ad Jubilæum lucrandum: ergo, cum cesset hic finis, cessat suspensio relate ad eos, qui lucrati sunt Jubilæum. Major desumitur ex *Lege*, *Quod dictum*, *de Jure patronatus*; Nam tota vis, & efficacia legis consistit in ratione, quæ est anima illius, ex *Lege*, *Cum oratio ff. de bonis damnatorum*: ergo quando lex sua ratione, seu fine destituitur, mortua est, nec vim habet obligandi.

Et confirmatur, quia communiter Doctores docent, quod quando finis legis cessat in totum, & relate ad omnes, cessat omnino vis, & obligatio legis: ergo etiam quando cessat in casu particulari finis legis, cessat lex relate ad talem casum. Probatur consequentia, quia sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita secundum quid ad secundum quid. Unde ex *Lege*, *Quæ de tota*, *ff. de rei vindicatione*, valet argumentum a toto ad partem, quando eadem ratio militat, ut notat Abb. conf. 58.

IV. Ratio vero, cur Indulgentiarum localium suspensio perseveret, etiam relate ad eos, qui Jubilæum lucrati sunt, est, quia, sicut Indulgentiæ per se primo conceduntur loco, seu communitati, & secundario personis particularibus; ita per se primo suspenduntur relate ad loca, seu communitatem, & secundario relate ad personas particulares: ergo, ut reviviscant, cessare debet finis suspensionis relate ad loca, seu communitatem, nec satis est, quod cesset relate ad personas particulares.

V. Dubitatur hic, Utrum quando alicui Ecclesiæ conceduntur Indulgentiæ ad septennium *Citra Annum Jubilæi*, septennium debeat ita accipi, ut sit integrum, & Gratia concedatur per septem annos, unde duret per octennium, an vero concedatur per sex tantum, excluso Anno Jubilæi?

Pasqualigus qu. 316. putat, per sex tantum annos Gratiam concedi, quia in Brevi non dicitur, quod Gratia valeat per septem annos, sed ad septennium. Illud autem interest inter septennium, & septem annos, quod septennium significat septem annos continuatos; septem anni vero significant illos etiam interpolatos. Equidem tamen cum Gobat c. 10. censeo, per septem annos Gratiam valere: Nam quamvis verum sit, ly *ad septennium* importare septem annos continuatos; at quando eximitur a Pontifice Annus Jubilæi, tunc habetur in septennio illa continuatio, quæ est possibilis. Sic cum conceditur locis piis, quod possint per triennium sua prædia locare, communius Doctores docent, qnod annus ex natura sua sterilis non computetur in triennio, quamvis trennium significet tres annos continuatos; Unde oliveta, quæ alternis sunt sterilia, per sex annos locari solent a locis piis.

ARTICULUS ULT.

Quænam facultates Anno Jubilæi pariter suspendantur.

I. Solum facultates concessæ intuitu Indulgentiarum suspenduntur.

II. Hinc non suspenduntur Privilegia Regularibus concessa absolvendi prout in jure a reservatis Papæ, & commutandi vota.

III. Nec facultas concessa Episcopis eligendi sibi Confessarium.

IV. Nec facultas concessa Episcopis a Tridentino Sess. 24. cap. 6. circa casus occultos.

V. Litteræ filiationis suspenduntur quoad effectum indulgentiarum duntaxat, non vero quoad effectum Operum satisfactoriorum, aut impetratoriorum.

I. DIcendum cum *Laym.*, Palao, Tannero, Sà apud Gobat loco laudato, præter Indulgentias, Anno Jubilæi suspendi illas duntaxat facultates, quæ concessæ sunt intuitu Indulgentiarum, hoc est ad eum finem, ut possit quis Indulgentiam aliquam lucrari; qualis est facultas eligendi Confessarium, qui a reservatis absolvat, commutet Vota, componat super male ablatis incertis, &c. Ratio est, quia ita habetur in *Extravag. Quemadmodum* Sixti IV. ad cujus normam censentur suspensæ hujusmodi facultates a sequentibus Pontificibus; quamvis in Bullis diversimode locuti sint, suspendendo indefinite facultates, & Indulta absolvendi a reservatis. Quod autem intelligendi sint de hujusmodi duntaxat facultatibus concessis intuitu Indulgentiarum, declaravit etiam Clemens, & Urbanus VIII. teste Lugo

tom. 3. disp. 20. n. 145. notantque Navarrus, & Faustus lib. 3. q. 93. Pontifices non loqui de facultatibus, & Indultis concessis personis privatis, sed de facultatibus concessis Ecclesiis, Ordinibus, Hospitalibus, & cæteris personis fictis, quando scilicet iis conceditur Indulgentia cum facultate v. gr. absolvendi a reservatis. (*a*)

„ (*a*) Benedictus tamen XIV. in Constit. *Cum Nos* „ *nuper*, & in alia *convocatis* omnes hujusmodi fa„ cultates sive intuitu Indulgentiarum, sive alio „ concessa suspendit. Vide etiam ejus Encyclicam ubi „ fuse hanc quæstionem tractat a *n.* 26.

II. Hinc sequitur primo, Anno Jubilæi non suspendi Privilegia Regularium in ordine ad absolvendum poenitentes a reservatis Sedi Apostolicæ, prout de jure. Ita communiter cum Bossio, Leandro, Henriq., Fausto, Filliuc. tr. 8. c. 10. qu. 4. contra Sorbum, & Rodriquez. Ratio est, quia Anno Jubilæi suspenduntur tantum Facultates concessæ occasione Indulgentiarum, ut diximus; Facultates autem, & Privilegia Regularium non sunt concessa occasione Indulgentiarum; ergo non suspenduntur.

III. Sequitur secundo, Non suspendi facultatem, quam habent Episcopi, & alii Prælati eligendi sibi Confessarium, a quo absolvantur; quia ista facultas non est concessa intuitu Indulgentiarum, nec est concessa Universitati.

IV. Sequitur tertio, Nec suspendi facultatem, quam habent Episcopi ex Trident. sess. 24. c. 6. absolvendi ab occultis Papæ reservatis, & dispensandi in irregularitatibus ex delicto occulto provenientibus, & non deductis in forum contentiosum, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, aut absolvendi impeditos adire Romanam Sedem. Ratio est eadem, quia hujusmodi facultates competunt Episcopis ratione officii, & de jure communi. Idemque dicas de facultatibus, quas Prælati Regulares habent ratione proprii muneris in ordine ad absolvendum subditos. (*b*).

„ (*b*) Quare Benedictus XIV. in Constit. *Cum Nos* „ *Nuper* expresse a suspensione excepit facultates *Su*„ *periorum Ordinum Regularium*, *quacumque ipsis* „ *in Regulares pariter sibi subjectos a Sede Apostoli*„ *ca prædicta tributæ fuerunt*.

V. Sequitur ultimo, quid dicendum ad quæstionem a Fausto, & Pasqualigo discussam, Num suspendantur litteræ filiationis a Prælatis Regularibus concessæ iis, quos ad communicationem bonorum spiritualium suæ Religionis admittunt, applicando iis satisfactionem, & impetrationem talium bonorum, juxta Privilegium Urbani V. iisdem Prælatis concessum? Dicendum enim, hujusmodi litteras suspendi Anno Jubilæi quoad effectum Indulgentiarum, non vero quoad effectum aliorum operum satisfactoriorum, & impetratoriorum, nempe Orationum, Sacrificiorum, Vigiliarum, &c. Ratio est, quia si Indulgentiæ suspenduntur quoad ipsos Religiosos, a fortiori quoad alios, qui cum iis communicant. Notandum tamen cum Leone p. 1. de Jubilæo n. 232. aliquando hujusmodi litteras plus prodesse quoad aliquem effectum, quam Indulgentiam Plenariam; quia ista communicatio non est solum quoad satisfactionem, sed etiam quoad impetrationem. Quare si aliquando communicatio in satisfactionibus Religiosorum satis est ad remissionem totius poenæ peccatis debitæ, præter hunc effectum, in quo consummatur Indulgentia Plenaria, habetur etiam communicatio in impetrationibus eorumdem: atque adeo plus prosunt aliquando hujus litteræ quoad aliquem effectum, quam plenaria Indulgentia.

QUÆSTIO V.

De Indulgentia Jubilæi: Ubi plurima de Indulgentiis universim.

INquirendum primo ad quam pęnam condonandam se extendat Jubilæum, & quæcunque plenissima Indulgentia? Etenim duplex pęna pro peccatis est debita; Altera in foro Dei, luenda in Purgatorio; altera in foro Sacramentali, ex præcepto Confessarii subeunda; Et dubium procedit, Num Indulgentia remittat solum poenam debitam pro peccatis, pro quibus est injuncta satisfactio Sacramentalis, ut tenent Sotus, Cajetanus, Adrianus, & alii apud Pasqualigum quæst. 4. An vero omnem omnino pęnam peccatis quomodocunque debitam in hac, & alia vita, ut communiter docent cum D. Thom. in 4. dist. 20. q. 1. ar. 3. Deinde quærendum, an immunis sit a Pęnitentia Sacramentali, qui Indulgentiam Plenariam lucratus est? Tertio, Utrum Indulgentia sit Solutio, an Absolutio? Ac demum plurima de potestate concedendi Indulgentias; & de causa ad illas concedendas requisita.

ARTICULUS I.

Quænam Pœna per Indulgentiam remittatur.

I. Datur Ecclesiæ thesaurus per Indulgentias dispensandus.

II. Definitur Indulgentia.

III. Dividitur in totalem, & partialem: Plenam, Pleniorem, & Plenissimam.

IV. Per Plenariam Indulgentiam omnis omnino remittitur pęna, tam in foro Dei, luenda in Purgatorio, quam in foro Sacramentali, ex præcepto Confessarii subeunda.

V. Hinc non sequitur, Sacramentum Pęnitentiæ mutilari.

I. AD intelligentiam sciendum primo, dari in Ecclesia Thesaurum, seu Cumulum satisfactionum Christi D., Beatiss. Virginis, & aliorum Sanctorum, qui possit a Pontificibus rationabiliter distribui fidelibus per Indulgentias, ut tradunt tanquam de Fide DD. Catholici apud Bellarm., Suar., Palaum; & habetur ex Trid. sess. 25. c. 9. Etenim, ne dicamus satisfactiones Christi D. infinitas frustra esse in Ecclesia relictas, & satisfactones Beatiss. Virginis, ac Sanctorum, quibus ipsi sæpe non indiguerunt, omnino perire, dicendum reponi ex benignitate Dei in Ecclesiæ Thesauro nobis prudenter per Indulgentias dispensando. Quamvis enim satisfactio Christi D. in Ara Crucis oblata, utpote infinita, sufficiens fuerit in actu primo ad remissionem cujuscunque culpæ, & poenæ, nihilominus ad nostram utilitatem applicatione indiget, quæ fit Sacramentis, Sacrificiis,

ciis, ac distributione Indulgentiarum, ut Doctores colligunt ex illo Matt. 8. *Tibi dabo claves*, &c. Nam cum etiam pęna peccatis debita ingressum in Regnum Cœlorum impediat, idcirco Christus D. non solum contulit Petro potestatem solvendi a reatu culpæ per Sacramentum Pęnitentiæ, sed etiam a reatu poenæ per Indulgentias.

II. Hinc eruitur Definitio Indulgentiæ, quod scil. sit *Relaxatio pęnæ temporalis pro peccatis actualibus remissis debitæ*: Cujus usum jam ab Apostolorum tempore fuisse in Ecclesia, colligunt Doctores ex illo Pauli 2. ad Cor. 2. ubi incestuoso excommunicato partem pęnæ pro peccatis debitæ remisit, dicens: *Nam & quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*; Nisi autem ibi sermo esset de remissione pęnæ facta vi indulgentiarum, non dixisset Apostolus se donasse in persona Christi.

III. Sciendum deinde, Indulgentiam dividi in totalem, & partialem, *ex Extravaganti Unigenitus de Remiss. & Pęnit.* Partialis vel est indeterminata, ut si remittatur tertia, vel quarta pars pęnæ, vel determinata, puta centum annorum; Nam olim pro gravibus delictis publicæ, ac diuturnæ pęnitentiæ imponebantur, v. gr. pro Adulterio septem anni, ex can. *Hoc ipsum causa* 33. *q.* 2. Pro aliis levioribus criminibus quadraginta dies jejuniorum, quibus tantum pane, & aqua vesci liceret: hoc jejunium dicebatur *Carena* a carendo cibo, & potu, hominumque commercio; Unde Indulgentia *Carena* erat, qua tale jejunium remittebatur, sicuti Indulgentia *Septena*, qua remittebatur pęna septem annorum.

Totalis Indulgentia dicitur, per quam omnis pęna remittitur; quia tamen hæc aliquando vocari solet plena, aliquando plenior, quandoque plenissima, ideo Navarrus, D. Antoninus, Major, & alii apud Palaum punct. 14. putarunt, per Indulgentiam plenam remitti pęnam mortalibus confessis debitam; per pleniorem remitti pęnas etiam venialibus debitas, necnon eas, quæ pro mortalibus confessis injungendæ essent; ac per plenissimam omnem omnino pęnam remitti, tam debitam pro peccatis confessis, quam pro oblitis, vel alia de causa non confessis. Suarius tamen disp. 59. sect. 4. cum Henriquez, Corduba, Soto putat pro eodem venire Indulgentiam plenam, pleniorem, & plenissimam, spectato præsenti usu Ecclesiæ, vocarique aliquando plenissimam solum ad exaggerationem, & commendationem majorem. His explicatis,

IV. Ad quæstionem propositam dicendum cum communiori, per Jubilæum, & quamcumque plenariam Indulgentiam omnes omnino remitti pœnas debitas pro peccatis tam confessis, quam justa de causa non confessis; tam injunctas, quam injungendas in foro Sacramentali; omnemque etiam poenam in Purgatorio luendam.

Probatur, quia Pontifex ex potestate Clavium habet potestatem remittendi omnem quamcumque pęnam: & non est cur dicamus in concessione Indulgentiarum eam restringi ad pęnas duntaxat debitas in foro Sacramentali: ergo per Indulgentiam plenariam omnis omnino pœna remittitur.

Confirmatur, quia aliquando conceditur Indulgentia plenaria solum contritis, ut constat *in Extravag. Antiquorum Bonifacii VIII. de Pęnit. & Remiss.* Atqui contritis non potest remitti pęna debita in foro Sacramentali, cum non sint adhuc confessi; sed solum pęna debita in foro Dei: ergo utraque per Indulgentiam remittitur.

V. Dices. Si per Indulgentiam remitteretur pęna in foro Sacramentali debita, mutilaretur Sacramentum pęnitentiæ, quandoquidem ei deficeret satisfactio, quæ est pars integralis Sacramenti: ergo non omnis pęna peccatis debita per Indulgentiam remittitur.

Confirmatur, quia Satisfactio Sacramentalis est de jure Divino in Sacramento Pęnitentiæ; ergo nequit a Pontifice relaxari.

Respondeo cum Suario disp. 50. de Pęnitent. sect. 3. & Præposito qu. 14. dub. 5. pœnas in Sacramento injunctas indirecte relaxari, quatenus iis subtrahitur fundamentum, & materia, nempe reatus pęnæ apud Deum debitæ. Dum enim huic satisfit plene per satisfactiones de Thesauro Ecclesiæ applicatas, extinguitur debitum satisfaciendi; Unde Sacramentum non mutilatur; quia satisfactio in tantum est necessaria ad Sacramentum integrandum, in quantum est debita; quando vero non est debita, Sacramentum sine satisfactione est integrum.

Ad Confirmationem dico, Jure divino requiri satisfactionem Sacramentalem, quoties est debita pro peccatis pœna; Cæterum jus etiam divinum concessit Pontifici potestatem remittendi pęnas debitas; & ideo mediate ex jure divino fit, quod non requiratur satisfactio post Indulgentiam obtentam. Vel dicas, imponi pęnitentias satisfactorias Pęnitenti sub ea implicita conditione, nisi velit Indulgentiam lucrari; & sic voluntas illa lucrandi Indulgentias est pars integralis Sacramenti jure divino requisita. Adde, ad medicinales, ac salutares pęnitentias semper obligari Pęnitentes, ut mox propugnabimus.

ARTICULUS II.

An immunis sit a Pœnitentia Sacramentali, qui Indulgentiam Plenariam lucratus est?

I. Certum est, ad illam, quatenus satisfactoriam, non teneri.

II. Probabilius est, ad eandem, quatenus medicinalem, obligari.

III. Pharmacum ex institutione Christi Dom. in Sacramento Pęnitentiæ sub præceptum cadit, non sub consilium.

IV. Omnis quidem pœna, sed nulla culpa, ne venialis quidem, per Indulgentiam remittitur.

I. DUbitatur, An plenariam indulgentiam assecutus teneatur ad pęnitentias a Confessario in Sacramento Pœnitentiæ impositas, si minus in quantum satisfactorias, certe in quantum medicinales? Lugo disp. 24. sect. 2. ex D. Th. Vasquez, Coninch. & alii putant, tunc solum teneri ad Pęnitentias medicinales, quando jure naturæ ad illas obligatur; Ut si Confessarius præcipiat Adolescenti, ne transeat per viam, ubi illi est occasio proxima peccandi. Quod probant, tum quia Bonifacius VIII. ut refert *Glossa in Extravag. Antiquorum*, nolebat Confessarios ullam Pęnitentiam imponere Pęnitentibus, qui Jubilæum Anni Sancti lucrabantur; tum etiam, quia ex duplici titulo potest Confessarius Pęnitentiam injungere, & tanquam Judex ad satisfaciendum, & tanquam Medicus ad cavendum, ne iterum pęnitens labatur: Quatenus Judex, quamvis possit ad Pęnitentiam obligare posita culpa, non potest tamen

ad

ad illam obligare cessante per Indulgentiam reatu ; quatenus Medicus vero potest solum de Pęnitentia consilium dare, non præceptum ; quia non spectat ad Medicum obligare ad pharmacum. Quare si alia via præcaveat Pęnitens periculo relabendi, non tenetur adhibere medicinam impositam a Confessario.

II. Equidem probabilius censeo cum Rodriquez, Filliucio tr. 8. c. 10. Valentia, & aliis apud Pasqualigum, & Dian. p. 5. tr. 12. res. 3. ad pœnitentias salutares, & medicinales obligari etiam illum, qui lucratus est Jubilæum.

Probatur primo ex praxi Ecclesiæ. Nam in Bullis Jubilæorum post facultatem Confessariis concessam absolvendi a reservatis, additur, *Injuncta eis pœnitentia salutari*. Secundo, ab inconvenienti: quia aliter fere nemo teneretur ad Sacramentales pęnitentias, cum sæpe suppetant Indulgentiæ plenariæ lucrandæ; quod non reputare absurdum, mihi videtur, ait Valentia, absurdissimum. Tertio, quia pęnitentia etiam medicinalis, & salutaris imponitur a Sacerdote virtute Clavium, ex Trid. sess. 14. c. 8. atque adeo obligatur pęnitens ad ipsam tanquam ad medicinam præservativam a peccatis, si minus quatenus satisfactivam, extincto reatu pęnæ per Indulgentias.

III. Neque obstat, quod docet Lugo, Medicum qua talem non præcipere medicinam, sed consulere. Nam ex usu Ecclesiæ, & communi sensu fidelium, & Doctorum Christus Dom. Sacerdoti absolventi a peccatis contulit potestatem præcipiendi non solum pęnam, quatenus est judex, sed etiam pharmacum, quatenus medicus; cum sic satius consultum videatur bono pęnitentis. Sicut enim judex, qua talis, in foro externo debet reum confessum damnare; in foro tamen Sacramentali debet ex institutione Christi Dom. illum absolvere: ita medicus, qua talis, pharmacum consulit; in Sacramento tamen Pœnitentiæ pharmacum præcipit ex institutione propria talis Sacramenti. Hinc Hieronymus Gratianus apud Sanctarel. de Jubil. cap. 3. dub. 13. docet esse omnium sententiam, quod pęnitens teneatur medicinalem pœnitentiam a Confessario impositam perficere, dicente Tridentino sess. 14. c. 8. *Claves Sacerdotum non ad solvendum duntaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres credunt, & docent*, quin tamen aut Tridentinum, aut Patres distinxerint inter potestatem ad obligandum circa pœnitentias satisfactivas, & circa medicinales; & consequenter ad utrasque ligare possunt (*a*).

„ (*a*) Confer Benedicti XIV. Encyclicam n. 64.

Ad id quod objicitur de Bonifacio VIII. dicendum, noluisse a Confessariis imponi pęnitentiam ullam satisfactoriam lucrantibus Jubilæum Anni Sancti, non vero medicinalem.

IV. Ex dictis infertur, vi Jubilæi remitti pęnam omnem peccatis debitam, nullatenus vero remitti culpam, non solum mortalem, cum certum de fide sit, hanc unice remitti per Sacramenta mortuorum sive in re, sive saltem in voto suscepta; sed nec etiam venialem, ut communiter docent contra Palud. & Henriq. l. 7. c. 9. Quod colligitur tum ex Decretali Leonis IV. apud Cajet. 3. p. qu. 48. ar. 5. tum quia culpa venialis, quæ proprio actu committitur, absque proprio actu non remittitur, ut reordinetur homo conformiter ad deordinationem: & ideo Indulgentia, quanta quanta est, habetur per modum satisfactionis per applicationem meritorum Christi ut satisfactivorum, unde supponit peccata jam dimissa. Quare dum dicitur aliquando vi Jubilæi obtineri remissio omnium peccatorum, nomine peccatorum intelligi debet pęna peccatis debita: in quo sensu dicitur 2. Machab. 12. *Sancta, & salubris est cogitatio pro Defunctis exorare, ut a peccatis solvantur*; vel est sermo de culpa, quatenus vi Jubilæi datur facultas absolvendi ab omnibus peccatis, etiam reservatis.

Non me latet, P. Fabricium Pignatelli Societatis Jesu, Innocentii XII. id temporis, & ad plurimos annos regnantis germanum fratrem, in suo eruditissimo Monte Propitiationis fuse, ac ingeniose propugnasse l. 5. quæst. 6. n. 17. opinionem de remissione culpæ venialis in Purgatorio facienda, existimando animas in Purgatorio non solum pro pœna peccatis debita satis pati, sed etiam lapsu temporis a culpis venialibus purgari, & earum remissionem obtinere, contra Suar. disp. 11. sect. 4. & alios communiter docentes, statim, ac simul in ipso instanti separationis animæ a corpore omnia venialia remitti vi actus amoris Dei ad ea eliciti. Data tamen tanto Viro hujus sententiæ veritate, non proinde sequitur, vi Plenariæ Indulgentiæ omnem omnino pęnam in Purgatorio luendam delentis, tolli etiam culpam venialem; cum hæc sine aliquo peccatoris actu in præsenti providentia non deleatur.

ARTICULUS III.

Utrum Indulgentia sit Solutio, an Absolutio?

I. Quid sit Indulgentiam ferri per modum solutionis, quid per modum absolutionis?
II. Defunctis conceditur per modum solutionis, vivis vero per modum solutionis simul, & absolutionis.
III. Quid sit Indulgentiam prodesse defunctis per modum suffragii, non per modum absolutionis?
IV. Tam vivis, quam defunctis indulgentia prodest infallibiliter.
V. Indulgentia pro defunctis nunquam conceditur absque ullo opere præstando; pro vivis vero conceditur etiam ob sola merita præterita.
VI. Indulgentiis lucrandis concurrunt tam satisfactiones, quam merita Christi Domini, prout ab illis distincta.

I. AD intelligentiam hujus celebris quæstionis, Utrum scilicet conferatur Indulgentia per modum Solutionis, an per Modum Absolutionis? Sciendum, conferri per modum solutionis esse, Pontificem, tanquam Thesauri Ecclesiæ dispensatorem, solvere pro debitore, applicando illi de thesauro satisfactionum Christi Dom. Beatissimæ Virginis, & Sanctorum partem ad id necessariam: Conferri vero per modum Absolutionis, esse, Pontificem, tanquam Judicem absolvere, & liberare debitorem a reatu pęnæ, eo modo quo per Sacramentum Pęnitentiæ absolvitur pęnitens a reatu culpæ. Durandus, & Sylvester putant, concessionem Indulgentiæ esse solutionem; Cajetanus, Soto, Angelus apud Lugo disp. 27. sect. 1. esse absolutionem.

II. Dico equidem cum Suario q. 4. sect. 3. Bellarmino, & aliis, Indulgentiam concedi vivis per modum solutionis simul, & absolutionis; Defunctis vero per modum solius solutionis.

Ratio est, quia dum concedit vivis Indulgentiam Pontifex, non solum quatenus Dispensator Thesauri solvit eorum debitum, applicando iis satisfactiones in Thesauro repositas, sed etiam ex potestate li-

te ligandi, atque solvendi, absolvit eosdem a reatu pœnæ debitæ. Quare non solum absolvit, sed etiam solvit; quia simul compensat debitum, offerendo pretium de Thesauro Ecclesiæ; Nec solum solvit, sed etiam absolvit, quia aliter privatus, etiam offerendo pro alio suas satisfactiones, diceretur Indulgentias concedere, quod nemo dixerit: Utrumque ergo præstat, solvit, & absolvit. Quatenus dispensator solvit, & quatenus Vicarius Dei acceptat ejus nomine talem solutionem, & absolvit: Contra vero, cum relate ad defunctos nullam habeat potestatem judiciariam ligandi, & solvendi, nullatenus illos absolvit, sed solum pro illis solvit, offerendo pretium de Thesauro pro eorum debitis; quin possit quatenus Vicarius Dei ita acceptare talem solutionem pro illis, ut absolvat, cum non possit judicium exerceri erga non subditos.

III. Hinc habes, quid significet Indulgentiam Defunctis prodesse duntaxat per modum suffragii, non per modum absolutionis; quod varie a Doctoribus explicatur. Cajet., Cord. apud Lugo putarunt, prodesse per modum suffragii importare fallibilitatem effectus, quia Deus non tenetur acceptare solutionem a Pontifice oblatam pro Defunctis; contra vero prodesse per modum absolutionis importare effectus infallibilitatem, quia idem Pontifex, quatenus Vicarius Dei, acceptat solutionem oblatam de thesauro pro illis, & juridice absolvit.

IV. Verum, quia communius cum D. Th. in 4. dist. 45. quæst. 2. a. 3. apud Palaum punct. 1. §. 2. & Dian. par. 5. tr. 12. resol. 8. docent Indulgentias æque infallibiliter prodesse vivis, ac defunctis, cum utrisque concedantur ex auctoritate Apostolica, & earum effectus fundetur in promissione Christi D. dicentis, *Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis:* ideo dicendum cum Suario sect. 3. num. 12. & Coninch, effectum Indulgentiæ esse infallibilem, tam pro defunctis, quam pro vivis, sed defunctis prodesse per modum suffragii tantum, quia tantum pro iis solvitur pretium æquivalens debito, quin absolvantur a Pontifice, utpote carente erga illos judiciaria potestate.

Dices. Si Indulgentia esset compensatio integra pœnæ debitæ per applicationem satisfactionum Christi Dom. frustra esset absolutio illa judicialis: ergo Indulgentia non confertur vivis per modum absolutionis, sed solum per modum solutionis, ut pro Defunctis.

Respondeo negando anteced. Nam Pontifex Vicarius Christi nomine Dei admittit compensationem istam, & nomine ipsius Dei juridice absolvit; quia non tenetur Judex in debitis personalibus admittere solutionem ab alio præstitam nomine debitoris. Unde vivis Indulgentia conceditur a Pontifice per modum solutionis simul, & absolutionis; utrumque enim requiritur, ut notat Lugo n. 53. ex Trid. sess. 14. c. 6. ut Sacramentalis absolutio sit simul dispensatio beneficii Christi Dom. pro nobis solventis, & simul remissio peccati: Defunctis vero conceditur Indulgentia solum per modum suffragii, & solutionis: quia non Pontifex nomine Dei, sed Deus ipse ex promissione facta acceptat compensationem pro defunctis, collata iis Indulgentia, quin ullum erga illos judicium exerceatur.

V. Ubi notandum, esse quidem in Ecclesia consuetum, quod Pontifex vivis Indulgentiam concedat absque ullo novo opere præstando; sed mere ob merita præterita, ut concedit sæpe Legatis Principum Indulgentiam pro mortis articulo, intuitu obsequiorum præstitorum erga Ecclesiam; Et ratio est, quia potest vivos directe absolvere: At relate ad Defunctos nunquam Pontifex Indulgentiam concessit intuitu meritorum præcedentium, quia non potest eos absolvere. Quare solum, ut explicat Lugo, elevat opera viventium fidelium, itaut sint satisfactoria, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato, si pro Defunctis offerantur, vel, ut alii docent, concedit immediate, & directe Indulgentiam vivis, cum facultate tamen, quod possint propriam satisfactionem in Defunctos transferre.

VI. Ex quibus etiam deducitur, in Indulgentiis lucrandis concurrere non solum satisfactiones Christi Dom. sed etiam ejusdem merita, quatenus formaliter distincta a satisfactionibus. Nam quamvis merita Christi, utpote infiniti valoris, sufficerent ad condigne merendam nostram salutem, oportuit tamen, ut per applicationem satisfactionum ejusdem illam obtinerent; tum ne satisfactiones Christi essent otiosæ: tum ut melius Divinæ Justitiæ satisfieret; itaut Justitia, & Misericordia ad opus nostræ Redemptionis concurrerent. Quare per applicationem satisfactionum Christi obtinemus remissionem tum peccatorum in Sacramentis, tum pœnarum in Indulgentiis: Merita vero Christi deserviunt ad obtinendam nobis hujusmodi satisfactionum applicationem: Et quamvis ad id sufficerent solæ Christi Dom. satisfactiones, nihilominus, ut constat ex Ecclesiæ traditione, voluit Christus suam Matrem, & Sanctos honorare, & assumere eos tanquam socios ad nostram solutionem, & liberationem; quin proinde dici possint in rigore Corredemptores; quia Sancti non liberant nos a servitute peccati, sed tantum a reatu pœnæ, idque ex sola voluntate Dei tribuente Pontifici potestatem applicandi nobis per Indulgentias satisfactiones Sanctorum.

ARTICULUS IV.

Utrum Potestas concedendi Indulgentias sit Ordinis, an Jurisdictionis?

I. Concessio Indulgentiarum est solum actus potestatis Jurisdictionis, non Ordinis.
II. In multis Indulgentiæ conveniunt cum Censuris in multis discrepant.
III. Pontifex potest Indulgentias lucrari; non tamen delegando aliis potestatem ad Ecclesiæ thesaurum dispensandum sibi.
IV. Neque indirecte illas concedendo.
V. Sed exercendo directe erga seipsum Jurisdictionem gratiosam.
VI. Quin requiratur inter dantem, & accipientem distinctio personarum; sicut requiritur in foro Sacramentali inter absolventem, & absolutum.
VII. Quandonam possit idem vices plurium sustinere?

I. Dicendum cum communi, concessionem Indulgentiarum esse duntaxat actum potestatis Jurisdictionis, non Ordinis. Ratio est, quia Potestas Ordinis nec sufficit, nec requiritur ad Indulgentias concedendas. Non sufficit, quia simplex Sacerdos nequit Indulgentias concedere. Nec requiritur, quia etiam Cardinales non Presbyteri possunt ex commissione Papæ concedere Indulgentias. Quamvis autem Indulgentia viventibus concessa ferat absolutionem; at ad istam nullatenus requiritur Potestas Ordinis, ut nec

ut nec ad absolutionem a censuris: Immo potest ex Henr. Tol. Suar. disp. 55. sect. 6. apud Faustum q. 74. Pontifex etiam Laico delegare potestatem concedendi Indulgentias; Sicut potest Laico delegari potestas absolvendi a Censuris. Et de facto posse Laicum absolvere moribundum a censuris, docent Sancius, & Ledesma contra Fabrum, Suarium, & alios communius apud Dian. par. 5. tr. 9. res. 7.

II. In hoc tamen differunt Indulgentiæ a Censuris, quod possit absolutio a Censuris conferri invito, non tamen Indulgentiæ. Et ratio est, quia Indulgentia est instar pastus, quo Pontifex pascit Christi Oves; pastus autem debet esse voluntarius. Et hinc etiam est, quod possit Pontifex sibimet Indulgentias largiri; nemo vero possit erga semet censuras ferre; aut ab iis absolvere; quia scilicet concedendo sibi Indulgentias nullam exercet erga seipsum Jurisdictionem coercitivam, sed solum participat hunc pastum, quatenus Membrum Ovilis Christi.

III. Dices. Si concessio Indulgentiarum esset actus potestatis Jurisdictionis, non posset Pontifex sibimet Indulgentias concedere, cum nemo possit erga seipsum Jurisdictionem exercere: sequela non admittitur, ergo nec id, unde sequitur.

Respondeo, Certum esse, quod possit Pontifex Indulgentias lucrari, cum non sit deterioris conditionis, quam reliquæ Oves Christi Domini: dubitant tamen Doctores quomodo eas lucrari possit? Suarius disp. 52. de Pœnitentia, sect. 1. cum Bossio, & Cajetano apud Pasqualigum quæst. 19. putat, posse eas lucrari delegando alii facultatem; sicut potest Sacramentum Pœnitentiæ recipere delegando alii jurisdictionem, & subjiciendo se illi. Sed hoc merito rejicitur a Navarro, & aliis, quia deberet Pontifex posse alteri delegare Jurisdictionem non solum in seipsum, sicut in Sacramento Pœnitentiæ, sed etiam in Thesaurum Ecclesiæ ab eo dispensandum; quod tamen est contra praxim Ecclesiæ. In tantum potest in foro Sacramentali ab alio Sacerdote absolvi, quia Sacerdos ratione Ordinis potest absolvere; unde tantum requirit jurisdictionem, quam potest Pontifex erga seipsum concedere: at non habet Sacerdos ratione Ordinis potestatem conferendi Indulgentias: ergo non satis est, quod Pontifex alteri se subjiciat, ut possit ab illo Indulgentiam obtinere.

IV. Bellarminus cap. 6. de Indulgentiis, Laym. Fill. Cord. putant, Papam concedendo directe indulgentias aliis per modum absolutionis, concedere eas indirecte sibi per modum solutionis, ut pars communitatis est; eo modo, quo leges ferendo, obligat alios directe, seipsum indirecte. Sed neque hæc explicatio admittenda; tum quia eadem forma semper utitur Pontifex concedendo Jubilæum tam sibi, quam aliis, dicendo absolutionem, & remissionem concedere: ergo sibimet etiam per modum absolutionis Indulgentias concedit; tum etiam quia in tantum potest seipsum indirecte obligare per leges a se latas, quia jus naturale hoc dictat, debere caput membris se conformare; at jus naturale non se extendit ad concedendas ullo pacto Indulgentias: ergo paritas non est ad rem.

V. Quare potius dicendum cum Pasq. Pontificem posse sibi ipsi directe Indulgentias concedere, exercendo erga seipsum jurisdictionem istam gratiosam. Nam si potest Princeps in propria causa sibi jus dicere exercendo jurisdictionem contentiosam, ut communiter Doctores docent ex *l. si P. fam.* & ex *leg. & hoc Tiber. ff. de hæred. instit.* potestque etiam seipsum condemnare, vel absolvere in causa, an aliquod debitum habeat cum aliquo, quia non habet superiorem, a quo condemnetur; a fortiori poterit Pontifex Indulgentias sibimet concedere, cum uni Pontifici dederit Christus Dominus jurisdictionem in Ecclesiæ thesaurum.

VI. Neque hinc infertur, posse Pontificem etiam in foro Sacramentali seipsum absolvere. Nam Christus D. non contulit illi hujusmodi potestatem. Cum enim aliis Sacerdotibus dederit potestatem Ordinis, qua possent Sacramentaliter absolvere, accepta jurisdictione, rationabiliter voluit, ut Pontifex ab aliis absolveretur: contra vero jurisdictionem in Thesaurum Ecclesiæ non dedit Christus D. aliis Sacerdotibus, & ex usu Ecclesiæ constat, neque dedisse Pontifici potestatem delegandi jurisdictionem in Ecclesiæ Thesaurum: ergo non potest Pontifex Indulgentiam ab alio obtinere, quam a seipso. Etenim ex Jurisperitis jurisdictionem solum coactivam nemo potest in seipsum exercere, potest tamen gratiosam. Unde ex *l. Si Consul, ff. de Adoptione*, filiusfamilias factus Præses potest seipsum emancipare.

VII. Neque dicas, inter dantem, & accipientem requiri distinctionem personarum: ergo nequit Pontifex sibi ipsi Indulgentiam directe largiri:

Nam non semper inter dantem, & recipientem requiritur personarum distinctio, sed quando id requiritur ex speciali natura rei, quæ datur. Et ratio est, quia potest idem sustinere vices plurium personarum, ex *leg. Unica, ff. de Officio Consulis*, potestque idem esse dispensator, & pauper, & sic eleemosynas pauperibus dispensandas sibimet erogare; Quidni ergo poterit Pontifex esse dispensator Thesauri Ecclesiastici erga seipsum? Itaque actus jurisdictionis contentiosæ, quæ testium probationem requirit, stare nequit universim sine distinctione personarum; cum sit iniquum idem sibimet jus dicere contra jus ab Adversario intentum; ex *leg. Unica, Cod. Ne quis in propria causa*; idemque dicas de actu jurisdictionis coactivæ, seu punitivæ; hanc enim in semetipsum exercere repugnat: pariter in actu sententiæ jurisdictio universim distinctionem personarum exposcit, cum nemo debeat seipsum condemnare, aut absolvere; idque verum est etiam de absolutione Sacramentali ex institutione Christi Domini; at jurisdictio voluntaria, sicut exerceri potest a Pontifice erga seipsum in dispensatione votorum, ita etiam in concessione Indulgentiarum; præsumendum enim est, quod Deus commiserit suas vices Ecclesiæ Pastoribus in hoc, quod possint tam cum suis ovibus, quam secummet votorum vinculum, aut pœnas debitas relaxare, quando id expediens visum fuerit, ne ipsi deterioris conditionis sint, quam subditi.

ARTICULUS. V.

Quibusnam, & quo jure competat potestas concedendi Indulgentias?

I. Jure ordinario competit Pontifici.

II. Probabilius Episcopis competit jure humano, quam Divino.

III. Jure tamen ordinario, atque adeo delegabili.

IV. Cardinales, etiam non Episcopi, possunt de

jure

jure communi Indulgentias concedere ; nullatenus tamen Parochus , aut Prælati Regulares , nisi ex delegatione .

I. Ex dictis constat , uni Pontifici competere potestatem concedendi Indulgentias universim . Ratio est , quia solus Pontifex jurisdictionem habet in omnes Christifideles, ita ut possit eos ligare , & solvere ; Ad hanc autem Potestatem spectat Indulgentias largiri , solvendo homines a debito pœnarum , quæ ingressum in Cœlos retardant . Episcopi etiam concedere possunt nonnullas Indulgentias , nempe unius anni in dedicationibus Ecclesiarum , & quadraginta dierum ex alia justa causa , ex cap. *Ex eo de Pœnit. & Remiss.* Archiepiscopus vero Beneventanus 100. dierum ex concessione Clem. VI. 6. Octobris 1347. Sed dubitant Doctores , an id possit Jure Divino, an humano? & utrum de potestate ordinaria , an delegata?

II. Dicendum primo cum Fausto qu. 34. & Lugo contra Cajetanum, Cordubam , Medinam, probabilius esse, quod Episcopis competat concedere Indulgentias jure humano. Ratio est , tum quia in cap. *Unigenitus de Pœnit.* , *& Remiss.* dicitur Christus reliquisse Ecclesiæ suæ Thesaurum suorum meritorum dispensandum fidelibus per Beatum Petrum Cœli Clavigerum , ejusque Successores ; tum etiam , quia aliter non posset hujusmodi Potestatem Pontifex pro libito coarctare, aut ampliare; nequit enim inferior restringere , vel augere potestatem a Superiore alicui collatam.

III. Dicendum secundo , aliquos putare , hujusmodi potestatem in Episcopis esse ordinariam , atque adeo delegabilem . Ita Lugo , & Faustus q. 36. contra Nugnum . Ratio est , quia competit Episcopis ratione proprii muneris , non secus ac potestas jurisdictionis relate ad absolvendum a peccatis : ergo est potestas non delegata, sed ordinaria , quamvis a Summo Pontifice derivetur , & non immediate a Christo Domino.

IV. Cardinales , etiam non Episcopi , possunt de jure communi Indulgentiam concedere centum dierum in Ecclesiis suorum Titulorum; quia in iis habent omnem Episcopalem jurisdictionem, ex cap. *Is qui de Majoratu* , *& Obedientia* . Parochus denique nullatenus potest Indulgentias concedere , quia non est Prælatus , sed coadjutor Episcopi; dispensare autem bona communia Reipublicæ pertinet ad ejus Principes, & Gubernatores, qui in Ecclesia Dei sunt Episcopi : quod constat ex cap. *Accedentibus de Excessibus Prælatorum* , ubi dicitur, quod concedere Indulgentias pertinet ad dignitatem Episcopalem : Unde nec possunt Prælati Religionum Indulgentias concedere, nisi ex delegatione.

ARTICULUS ULT.

Quænam causa requiratur ad Indulgentias concedendas.

I. Debet esse rationabilis .
II. Quomodo pro paucis orationibus magnæ sæpe Indulgentiæ concedantur .
III. Causa de se insufficiens sufficit , si prudenter a Pontifice credatur sufficiens ad Indulgentiæ largitionem .
IV. Occurritur objectis .
V. Videtur id temporis non servari antiqua Ecclesiæ consuetudo in Indulgentiarum thesauro dispensando .
VI. Sed non longe ab antiqua distat Neoterica Ecclesiæ praxis .

I. Dicendum requiri rationabilem causam ad concessionem Indulgentiarum . Ratio est , quia Potestas a Christo Dom. data Ecclesiæ est in ædificationem, non in destructionem ; vergeret autem in Ecclesiæ damnum, si irrationabiliter superfluæ Indulgentiæ concederentur, ex cap. *Cum ex eo de Pœnit.* , *& Remiss.* & ideo 1. Petr. 4. dicitur de Pastoribus Ecclesiasticis: *Sicut boni dispensatores multiformis Gratiæ Dei* ; Dispensator autem non potest valide sine justa , & proportionata causa de rebus Domini dispensare . Unde est , ut nequeat etiam Pontifex sine justa causa valide, nedum licite , dispensare in votis .

II. Neque obstat, quod aliquando pro paucis orationibus magnæ Indulgentiæ concedantur . Nam vel dicendum, hujusmodi Indulgentias non concedi pro solis illis orationibus, sed etiam aut propter cultum alicujus Sancti, aut propter merita eorum , quibus illæ conceduntur, &c. Vel dicendum , tales Indulgentias sæpe carere effectu suo propter causæ proportionatæ defectum , ut proinde solliciti esse debeamus in lucrandis iis Indulgentiis , ad quarum concessionem causa videtur magis consentanea , uti est Romani Jubilæi Indulgentia.

Dices : Valida est collatio Beneficii Ecclesiastici facta indigno , etiamsi conferens non sit illius dominus, sed dispensator : ergo etiam valide Indulgentia dispensatur sine causa rationabili , ut nonnulli docuerunt apud Palud. in 4. dist. 12.

Respondeo , omisso antecedente , negatur consequentia : ideo enim hujusmodi collatio beneficii est valida , ne sequantur gravia incommoda , si habeatur v. g. pro Parocho, qui non est talis ; præsertim quia in conferente semper remanet obligatio irritandi factum . Contra vero vergeret in grave Ecclesiæ damnum, si irrationabiliter superfluæ Indulgentiæ concederentur valide , ut diximus . Adde , universim illum actum esse solum illicitum , sed non invalidum , qui solum est vetitus , non tamen destruit jus alterius ; & ideo donatio prodiga, ex Sanchez lib. 1. disp. 14. & Molina est valida, sicut collatio Beneficii sine rationabili causa : secus autem dispensatio Indulgentiarum , ut dispensatio in Votis sine causa est simul illicita, & invalida ; quia non solum prohibetur, sed etiam destruit jus Divinum.

III. Dubitatur , Utrum valida sit Indulgentia , quando ejus causa non est sufficiens , existimatur tamen prudenter a Pontifice , quod sit sufficiens ? Equidem probabiliter censeo, esse validam cum Suario disp. 54. sect. 3. & Lugo disp. 27. sect. 8. Ratio est, quia œconomus , ut licite , & valide bona domini dispenset, satis est, quod juxta regulas prudentiæ operetur : & ideo valide Pontifex dispensat in votis , Confessarius absolvit a peccatis , si putet dari ad id rationabilem causam , etiamsi aliquando non subsistat, ut notat Faustus q. 124.

IV. Neque dicas : Sacramentum non prodest suscipienti , si dispositio ad illud sit mere existimata: Nec Indulgentia prodest ei , qui prudenter putat se carere obice: ergo nec prodest , si probabiliter credatur dari causa sufficiens; nam concesso antecedente negatur conseq. Disparitas est , quia effectus Sacramentorum , sicut & Indulgentiarum , nempe Gratia , & Remissio pœnæ , immediate conceduntur a Deo , qui non est contentus dispositi-

ſpoſitione prudenter tantum exiſtimata: at conceſſio Indulgentiarum eſt immediate a Pontifice, inquantum poteſtatem habet regendi Eccleſiam; ac proinde expedit valorem Indulgentiæ pendere ex ſola prudenti Pontificis gubernatione.

V. Videri poſſet alicui, prodige id temporis Theſaurum Eccleſiaſticum diſpenſari; & iterum in Eccleſiam irrepſiſſe abuſus, de quibus doluit Tridentinum ſeſſione 25. de Indulgentiis, ubi hæc habet: *In his concedendis moderationem, juxta veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem, adhiberi cupit ſacroſancta Synodus, ne nimia facilitate Eccleſiaſtica diſciplina enervetur: Abuſus vero, qui in his irrepſerunt, quorum occaſione inſigne hoc Indulgentiarum nomen ab hæreticis blaſphematur, emendatos, & correctos cupiens*, &c. Certe abuſus de facto haberetur, ſi Indulgentiæ non diſpenſarentur juxta veterem, & probatam Eccleſiæ conſuetudinem; de facto autem non videntur ita diſpenſari: nam qualis fuerit vetus Eccleſiæ conſuetudo, colligi aperte poteſt ex c. *Cum ex eo, de Pœnit., & Remiſſ.*, ubi Innocentius III. hæc habet: *Quia per indiſcretas, & ſuperfluas Indulgentias, quas quidam Eccleſiarum Prælati facere non verentur, & Claves Eccleſiæ contemnuntur, & pœnitentialis ſatisfactio enervatur, decernimus, ut cum dedicatur Baſilica, non extendatur Indulgentia ultra annum, ac in Anniverſario Dedicationis tempore quadraginta dies de injunctis pœnitentiis indulta remiſſio non excedat: Hunc quoque numerum Indulgentiarum litteris præcipimus moderari; cum Romanus Pontifex, qui plenitudinem habet Poteſtatis, hoc in talibus moderamen conſueverit obſervare.* Hactenus Innocentius quinque ab hinc ſæculis in Concilio Lateranenſi de antiquo ipſiuſmet Pontificis moderamine in Theſauri Eccleſiaſtici diſpenſatione.

VI. Sed nullatenus credendum, Neotericum Eccleſiæ morem longe ab antiquo diſtare, ac Indulgentias ſuperfluas id temporis erogari: tum quia olim etiam innumeræ Indulgentiæ Plenariæ a Pontificibus concedebantur; ut conſtat ex Indulgentiis Eccleſiis Romanis conceſſis, juxta dicta art. 2. ſuperioris Quæſtionis; tum etiam quia in diſpenſando hoc Gazophylacio uti ſolent Pontifices conſilio plurium, & quidem primi ſubſellii Theologorum, quos in re tanti momenti facile decipi, nonniſi temere dici poteſt, ut notat Reginald. lib. 7. num. 134. & Gobat. tract. 4. cap. 7. num. 95. Et ſane ſi tam liberaliter conceditur nobis vi meritorum Chriſti Domini in præmium exiguarum operationum ſupernaturalium Beatitudo æterna, quid mirum, quod liberaliter etiam concedatur per Chriſti Domini Vicarium, ac Diſpenſatorem id, quod minus eſt, nempe pœnarum remiſſio per largitionem Indulgentiarum, cum Pſalm. 55. habeatur, *Pro nihilo ſalvos facies illos?* Adde, quod ſicut Canones Pœnitentiales ob Pœnitentium fragilitatem id temporis deſuevere, nec amplius imponuntur illæ tam rigidæ mulctæ delictis impoſitæ; ita ob eandem hominum fragilitatem potuere Pontifices in concedendis Indulgentiis eſſe id temporis aliquatenus benigniores. Etenim, ut Pelagius Papa in Decretalibus loquitur diſt. 34. cap. 7. *Defectus noſtrorum temporum, quibus non ſolum merita, ſed corpora quoque ipſa hominum defecerunt, diſtrictionis in omnibus non patitur habere cenſuram.*

QUÆSTIO VI.

De diſpoſitione ad Jubilæum lucrandum requiſita.

PRoſequimur nonnullas alias in materia Indulgentiarum Theologicas difficultates impræſentiarum enodare. Quapropter examinabimus Primo, Quinam ſint Jubilæi, aut Indulgentiarum capaces: Secundo, Num peccatum ſive mortale, ſive veniale impediat fructum Jubilæi, aut alterius Indulgentiæ? Tertio, Num recedente peccati obice, Indulgentia reviviſcat? Quarto, Quænam intentio ad Indulgentiam lucrandam requiratur? Quinto, an pro menſura diſpoſitionis ſubjecti Indulgentia conferat effectum ſuum? Ac demum, An poſſit pluries eadem Indulgentia, ac Jubilæum obtineri, ſi pluries repetantur opera injuncta.

ARTICULUS I.

Quinam ſint Jubilæi capaces?

I. *Solus baptizatus.*
II. *Non tamen excommunicatus.*
III. *Catechumenus eſt incapax indulgentiæ, etiam per modum ſolutionis, & ſuffragii.*
IV. *Eſt capax is, cui ſupervenit amentia; non tamen perpetuo amontes.*

I. CErtum eſt, ſolum Baptizatum eſſe capacem Jubilæi; tum quia Theſaurus Eccleſiæ nonniſi in ejus membra diſtribui debet; tum etiam, quia actus juriſdictionis, qui exercetur concedendo Indulgentias vivis per modum abſolutionis, nonniſi in ſubditum exerceri poteſt.

II. Certum etiam videtur innodatum excommunicatione majori incapacem eſſe Indulgentiarum; quia per excommunicationem privatur communibus Eccleſiæ ſuffragiis, & bonis inter membra Eccleſiæ unita dividendis, ut communius docent cum Suario, Bonacina, Laymann contra Henriquez, Boſſium, & Sà apud Dianam par. 5. tr. 12. reſol. 13.

Neque dicas aliquando accidere, quod excommunicatus petat, & non poſſit obtinere abſolutionem a cenſuris; unde ita eſt per contritionem in gratia, ut per ipſum non ſtet, quominus abſolvatur; in quo caſu non videtur Indulgentiis privandus. Nam contra eſt, quia hic in excommunicationem incidit propria culpa: ergo ſicut privatur Sacramento Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ante abſolutionem a cenſuris, etiam ſi ſit contritus, ita privari etiam debet Indulgentiis.

III. Dubitatur primo: An poſſit Catechumeno in gratia exiſtenti concedi Indulgentia per modum ſolutionis, & ſuffragii, eo modo quo concedi poteſt a Pontifice Animabus Purgatorii? Affirmant Navarr. & Sà apud Palaum puncto 8. quia ſicut poteſt quilibet applicare proprias ſatisfactiones pro Catechumeno, ita videtur poſſe Pontifex eidem applicare ſatisfactiones de Theſauro Eccleſiæ.

Sed communius negant cum Suario, Coninch, Bonacina, Filliucio: quod probatur a poſteriori, quia nunquam Eccleſia uſa eſt hac poteſtate: Unde

signum est ea carere. Quare sicut ante Baptismum nequit Sacramentum ullum conferri Catechumenis, utpote extra Ecclesiam existentibus, ita nec applicari potest effectus Indulgentiæ ex opere operato. Potest quidem quilibet satisfactiones suas pro Catechumeno offerre; non tamen potest Pontifex pro illo offerre satisfactiones Christi Domini, & Sanctorum. Et ratio est, quia cum quilibet sit suarum satisfactionum dominus, poterit ad arbitrium eas donare, cui maluerit. Contra Pontifex est dispensator satisfactionum communium, juxta præscriptum Christi Domini, qui non præsumitur velle eas dispensari iis, qui Ecclesiam visibilem nondum sunt ingressi.

IV. Dubitatur deinde, An sint capaces Indulgentiarum carentes usu rationis? Et sane, si careant ex defectu ætatis, certum est esse incapaces; quia cum nullam culpam commiserint, non sunt capaces remissionis pœnarum culpis debitarum, quæ per Indulgentiam confertur. Si vero careant usu rationis propter morbum, vel somnum, &c. certum etiam est, esse Indulgentiarum capaces. Nam si quis omnia opera in Jubilæo duarum hebdomadarum præscripta impleverit prima hebdomada, & dormiat media nocte Sabbati, qua jejunium expletur, dormiens Indulgentiam, ac remissionem pœnarum lucrabitur.

Ambigitur solum, An si quis careat usu rationis propter amentiam supervenientem, possit illi Pontifex, vel Episcopus Indulgentiam concedere? Negant Rodriquez, & Trullench. apud Lugo disp. 22. *sect. 6.* putantes, non lucrari Indulgentias eos, qui opera præscripta ponunt, ignorando iisdem eas esse annexas. Et ratio videtur esse, quia Indulgentia conceditur per modum Privilegii, quod non suffragatur ignoranti, & non acceptanti illud; Et quamvis Indulgentia detur per modum pastus, est tamen pastus voluntarius, qui voluntate percipi debet.

Sed Lugo, Portellus, & Molina cum aliis docent, Indulgentias prodesse etiam amentibus, quibus a Pontifice conferri possunt, etiamsi nullum opus injungat, juxta dicta Quæst. præcedenti. Sicut enim per Missæ Sacrificium potest amentibus, & ignorantibus applicari Satisfactio Christi D., ita & per Indulgentias: Et sicut potest quilibet proprias satisfactiones pro iisdem offerre, ita Pontifex communes.

Ad rationem in contrarium respondetur, Indulgentias non esse ex iis Privilegiis, quæ debent executioni mandari per ipsum Privilegiarium, sed esse potius solutionem pro illo, ad quam satis est, quod tantum passive se habeat. Nam sicut potest quis solvere pecuniam pro debito Petri, ipso id ignorante, unde a debito immunis evadat; ita potest Pontifex de Thesauro Ecclesiæ satisfacere pro debitis pœnarum, etiamsi debitor id ignoret; quia causa mere passiva non concurrit libere, aut voluntarie, ut constat. Quod si aliqua intentio requireretur in lucrante Indulgentias, ea satis est interpretativa, ut dicemus Art. 4. Etenim sicut ea sufficit ad hoc, ut possit amenti, qui aliquando habuit usum rationis, conferri Sacramentum Extremæ Unctionis, ita sufficit ad lucrandas Indulgentias; & sicut Extremæ Unctionis non sunt capaces, qui nunquam usi sunt usu rationis, atque adeo nunquam peccarunt; ita nec sunt capaces Indulgentiarum, quæ pariter culpam præsupponunt; ideo quæstio non procedit de perpetuo amentibus, sed de iis, quibus amentia supervenit.

ARTICULUS II.

An, & quando peccatum sive mortale, sive veniale impediat Indulgentiarum consecutionem?

I. Status gratiæ omnino requiritur ad Indulgentiam lucrandam sibi.

II. Peccatum veniale non impedit assecutionem Plenariæ Indulgentiæ relate ad aliqua peccata.

III. Conceditur Indulgentia divisibiliter pro capacitate subjecti; non tamen divisibiliter pro divisibilitate injuncti.

IV. Sufficit status gratiæ, dum ponitur ultimum opus injunctum.

V. Reliqua opera, etiamsi in statu peccati ponantur, adhuc cadunt in Dei obsequium; imo etiamsi ponantur peccaminose, seu ex fine extrinseco venialiter vitientur.

VI. Ad Indulgentiam lucrandam pro mortuis requiritur status Gratiæ.

I. PRænoto, ad lucrandum Jubilæum, aut quamcumque aliam Indulgentiam requiri statum Gratiæ, ut constat; tum quia Indulgentia nunquam conceditur a Pontifice nisi confessis, aut saltem contritis; tum etiam, quia indignus est hujusmodi beneficio, qui existit in mortali; remissioque pœnæ supponere debet remissionem culpæ. Ita communiter contra Rubionem, & Mayronum; quamvis enim Deus concedat sæpe peccatoribus majora beneficia, quam sint Indulgentiæ, ut sunt auxilia ad resurgendum; hinc non sequitur concedi etiam iis remissionem pœnarum, nondum remissa culpa; ea enim auxilia conceduntur ex Divina misericordia, ut possint justificari; hæc autem remissio pœnæ temporalis, congruum non videtur, quod peccatoribus concedatur, dum rei sunt pœnæ æternæ.

II. Certum est etiam apud Doctores, peccatum veniale impedire quidem, ne remittatur pœna eidem veniali non remisso debita; sed non impedire, quominus remittatur vi Indulgentiæ Plenariæ pœna debita aliis venialibus, & mortalibus remissis. Prima pars patet, quia remanente culpa non remittitur pœna, ut ait Glossa citans D. Augustinum in *Extravaganti Antiquorum, de Pœnit. & Remiss.* Secunda pars probatur, quia veniale non impedit, quominus remittatur mortale, aut aliud veniale: ergo a fortiori nec impedit, quominus remittatur pœna debita mortali, aut alii veniali remisso. Antecedens patet, quia si quis cum veniali, v. g. vanæ gloriæ, suscipiat sacramentum Baptismi, aut Pœnitentiæ, obtinebit quidem veniam mortalium, non tamen illius venialis, quod tunc committitur.

III. Neque dicas, Indulgentiam Plenariam dari sub ratione plenissimæ, & totalis: atqui si non tollit pœnam debitam veniali non remisso, non habet rationem Indulgentiæ totalis, & plenissimæ: ergo per illam nulla pœna remittitur; sicut quia Gratia est remissio omnium mortalium, uno mortali non retractato, ac remisso, Gratia non recipitur, nec aliud mortale remittitur, utcumque retractetur.

Respondeo enim disparem esse rationem inter Gratiam remissivam mortalium, & Indulgentiam remissivam pœnarum. Nam in præsenti Providentia nequit unum mortale remitti, alio non remisso. Contra vero potest remitti pœna uni peccato debi-

ta, non remissa pœna aliis debita ; & potest unum veniale remitti alio non remisso . Quare, dum conceditur Indulgentia Plenaria sub ratione totalis , & plenissimæ, sensus est , quod concedatur plenissima juxta capacitatem subjecti ; non est autem capax subjectum , ut ei remittatur pœna debita veniali non remisso: ergo Indulgentiam Plenariam non simpliciter, sed quoad ejus fieri potest juxta propriam dispositionem lucratur is, qui habet venialia ; quamvis per illam omnis omnino pœna non remittatur . Hinc consultum est, dum ultimum opus injunctum ponitur, conari unumquemque ad eos actus exercendos, quibus venialia omnia remittantur, ut simpliciter, & absolute Plenaria Indulgentia obtineatur .

Instabis. Si quis ponat medietatem operum injunctorum , non lucrabitur medietatem Indulgentiæ ; quia hæc conceditur indivisibiliter ; ergo pariter si non remittatur pœna alicujus venialis non remissi, nulla simpliciter pœna remittitur : quia aliter Indulgentia daretur divisibiliter.

Respondeo , concesso antecedente , nego consequentiam. Disparitas est , quia Indulgentia , licet non concedatur divisibiliter pro divisibilitate operis injuncti, ut fert communis sensus Doctorum ; conceditur tamen divisibiliter pro capacitate subjecti , ut ostendimus . Et ratio disparitatis ulterior est , quia opus injunctum est conditio, sub qua conceditur Jubilæum; Conditio autem est de genere indivisibilium, ita ut non possit scindi , sed solum possit in totum impleri, ex *L. Qui duobus*, & *L. Cum fundus*, *ff. de condition.* & *demonstrat.* Etenim conditio est forma, sub qua fit concessio, & forma consistit in indivisibili.

Neque replices, hinc sequi , quod si opus injunctum ex impotentia non ponatur , adhuc possit Indulgentia obtineri, quod nemo dixerit. Probatur sequela, quia conditio habetur pro impleta , quando per eum non stat , quin impleatur , per quem debet impleri , ex *L. Jure Civili de Regulis juris* . Unde servus , cui sub certa conditione fuit donata libertas, remanet liber, si per ipsum non stat , quominus impleatur conditio , ex *L. fin. Cod. de condit. infer.*

Negatur enim sequela , quippe dupliciter potest apponi conditio. Primo , ut respiciat factum ejus , qui debet illam ponere . Secundo , ut respiciat ad exitum conditionis: Si apponatur primo modo, tunc habetur pro impleta , quando ex impotentia non ponitur , ex *L. Legatum Cod. cit.* Secus vero , si apponatur secundo modo , ut accidit in casu nostro.

IV. Illud in dubium acriter revocatur, Utrum ad Jubilæum lucrandum requiratur status Gratiæ pro toto illo tempore , quo ponuntur opera injuncta , an satis sit status Gratiæ pro solo illo tempore, quo ultimum opus perficitur?

Cajetanus, Navarrus , Comitolus lib. 1. Responsorum Moralium, qu. 37. putant , omnia opera injuncta implenda esse in statu Gratiæ , ut effectus Jubilæi obtineatur ; tum quia Bulla dicit Jubilæum concedi iis, qui vere pœnitentes, & confessi visitaverint , oraverint , &c. unde videtur requiri, quod visitatio Ecclesiæ , & alia opera post confessionem , & in statu gratiæ ponantur; tum etiam, quia opera injunguntur in obsequium Dei; opera autem extra statum Gratiæ , cum sint opera inimici Dei , non possunt esse in Dei obsequium ; unde non sunt opera requisita ad obtinendum Jubilæum.

Sed communius cum Suar. disp. 52. sect. 5. Palao punct. 5. Layman, Bonacina, Bossio & aliis (*a*) docent , sufficere statum Gratiæ , dum ultimum opus injunctum perficitur . Ratio est , quia status Gratiæ non requiritur propter meritum , quasi vero vi operis meritorii de condigno tribui debeat Indulgentia. Etenim Indulgentia si esset ex meritis , jam non esset Indulgentia , ut notat Glossa in *Extravag. Antiquorum de Pœnit. & Remiss.* Quare solum requiritur status Gratiæ , ut subjectum sit capax talis effectus: ergo tunc solum requiritur status Gratiæ , quando effectus Indulgentiæ ponendus est , videl. quando ultimo perficiuntur opera injuncta . Utrum autem speciali ratione requiratur status Gratiæ , dum ponitur Communio ad Jubilæum lucrandum præscripta , ita ut neque sacrilega satis sit , neque informis , examinabimus qu. 8. art. 5.

Ad rationes in contrarium respondetur , in Bulla requiri quidem , quod confessi visitent , orent , &c. ut Indulgentiam obtineant , sed non requiri expresse , quod prius confiteantur , & ponantur in statu Gratiæ, & deinde visitent Ecclesiam, & orent. Quare solum ibi denotatur exigi confessionem, tanquam dispositionem necessariam ad effectum Indulgentiæ obtinendum.

„ (*a*) Iis favet Benedictus XIV. in Italica quam „ ad articulum IV. quæst. IV. memorabam , Ency- „ clica Epistola *num.* 75.

V. Ad id, quod additur, respondetur, opera peccatoris posse esse in Dei obsequium , non tanquam meritoria de condigno, sed tanquam meritoria de congruo, & impetratoria. Etenim cum sint ex auxilio supernaturali , sunt etiam propter ultimum finem supernaturalem, & in Dei obsequium; Unde licet sint opera inimici, sunt tamen opera inimici tendentis ad reconciliationem cum Deo, sicut est contritio peccatoris ultimo disponens ad justificationem ; & ideo placent Deo , quatenus sunt ex motione ipsius convertentis hominem ad se. Non subscribo itaque Bellarmino lib. 1. de Indulgentiis, cap. 13. putanti , tunc omnia opera ponenda esse in statu Gratiæ ad Indulgentiam obtinendam , quando ordinantur ad placandum Deum, non vero si ordinentur ad alium finem ; ut si concedatur Indulgentia ad Eleemosynam erogandam pro bello contra Infideles. Etenim; etiamsi opera injuncta ordinentur ad Deum placandum, non per hoc requiritur , quod ponantur in statu Gratiæ, quia licet ea non sint hominis justi , adhuc sunt meritoria de congruo , utpote ex auxilio supernaturali , & impetratoria , ac Deum placantia, ut patet in operibus Pœnitentiæ positis a Ninivitis.

Adde ex Lugo num. 35. Bossio , Fabro , & aliis apud Dian. par. 5. tract. 12. resolut. 5. prodesse ad Indulgentiam lucrandam non solum opera posita in statu peccati , sed etiam posita cum peccato aliquo actuali veniali ; ut si quis aliquando ex fine malo , puta vanæ gloriæ , jejunaret . Etenim ex sensu Fidelium videtur satis esse , quod hujusmodi opera ex se sint honesta , ut possint elevari ex opere operato ad satisfactionem ; quamvis per accidens ex fine extrinseco vitientur . Et ratio videtur esse , quia satis est , quod opera injuncta ex se sint honesta , & bona , ut ex iis redundet utilitas communis , & Dei gloria , etiamsi ex fine extrinseco sint mala : Utilitas autem publica , & Dei gloria satis sunt , ut ob eas concedatur Indulgentia , etiam iis, in quibus illud opus vitiatur:

requi-

requiritur tamen, quod hujusmodi opera sint de se satisfactoria, aliter elevari non possent ad satisfactionem ex opere operato.

VI. Confirmatur, quia ex Joanne Præposito, Trullench, Reginaldo, & aliis cum Divo Thom. apud Dianam loco laudato, res. 38. lucrari potest Indulgentiam pro mortuis, etiam qui omnia injuncta posuit in statu peccati; quia ratio satisfactionis, seu pretium pœnarum non est illud opus positum in statu peccati, sed Thesaurus meritorum Christi, qui applicatur ab Ecclesia posito tali opere. Sicut enim potest Peccator dispensare Eleemosynam pro suo Domino, adeo ut Domino ea prosit; ita potest peccator ponere opus injunctum ad Indulgentiam lucrandam, adeo ut illud prosit Mortuis ex opere operato.

ARTICULUS III.

An recedente fictione, seu peccati obice, Indulgentia reviviscat?

I. *Juxta præsentem Indulgentiarum concessionem non reviviscit.*

II. *Discrimen inter Baptismum reviviscentem, & Indulgentiam non reviviscentem.*

I. HEnriquez l. 2. c. 4. Quintanadvennas, Paludanus, Granado, Diana p. 4. tr. 12. res. 4., & alii apud Pasqualigum qu. 30. putant, eum, qui in statu peccati mortalis omnia opera injuncta posuit, deinde, recedente fictione per Contritionem, vel Confessionem, effectum Jubilæi consequi: eo modo quo suscipiens Baptismum in statu peccati mortalis, recedente fictione, effectum Baptismi, vid. Gratiam, consequitur: quia scil. effectus Indulgentię est infallibilis ex opere operato, & solum impediri potest a peccato per accidens. Quare sublato obice, hujusmodi effectus poni debet, non secus ac apertis fenestris, cubiculum illuminatur.

Sed communius cum Suario, Sà, Filliucio, Soto, Palao id negant; quia Indulgentiæ effectus pendet a voluntate concedentis; ergo si Pontifex velit tunc poni effectum Indulgentiæ, seu remissionem pœnarum, quando primo posita sunt omnia opera injuncta, interjecto obice effectui, iste nequit tunc poni, ut constat; nec potest poni recedente fictione, quia voluntas Pontificis, quæ est causa talis effectus, solum vult illum causari, quando primo sunt posita opera injuncta, non vero deinceps. Concedo equidem cum Lugo disp. 27. sect. 6. posse Pontificem velle, quod Indulgentiæ effectus ponatur, cum primum post opera injuncta succedit justificatio (quidquid in contrarium videantur nonnulli sentire apud Pasqualigum loco laudato) potest enim velle, tanquam opus injunctum, ipsam Contritionem, vel Confessionem ponendam post reliqua injuncta opera; in quo casu Indulgentia recedente fictione revivisceret. Sed non est dicendum ita de facto contingere. Cum enim tempori determinato, v. g. Anno Sancto, Indulgentiam Pontifex annectat, si quis post Annum Jubilæi per Contritionem, aut Confessionem justificaretur, deberet Indulgentiam lucrari post illud tempus: quod est contra mentem Pontificis, & contra verba Bullæ.

Adde ex Coninch disp. 11. de Sacram. c. 7. quod valde liberalis sic fieret remissio pœnarum peccatori, si ei conferretur hujusmodi remissio sub conditione, quod resipiscat, & justificetur, quandocumque id fecerit: hoc enim videtur decere prudentem dispensatorem Thesauri Ecclesiastici.

II. Confirmatur demum, quia ex *L. Pecuniam, ff. si certum petatur*, concessum sub una conditione censetur ademptum sub opposita: ergo cum Pontifex Indulgentiam concedat sub conditione status Gratiæ, sub privatione Gratiæ censeri debet hujusmodi beneficium adimere: & consequenter Indulgentia, sublato peccati obice, non reviviscit, sicut Baptismus: In tantum enim Baptismus reviviscit recedente actione, & Gratiam causat, quia cum talis effectus sit simpliciter necessarius ad salutem, & Baptismi Sacramentum sit irreiterabile, debuit ita institui, ut effectum causaret, vel quando primo sunt posita constitutiva Sacramenti, si non sit pro tunc impedimentum, vel quando post constitutiva posita impedimentum sublatum est per Contritionem, aut etiam Attritionem: At Indulgentia non debuit, nec censetur concessa a Pontifice hoc pacto, licet possit ita concedi: ergo Indulgentia sublato obice non reviviscit, licet ejus effectus sit infallibilis. Et per hæc patet ad rationes in contrarium.

ARTICULUS IV.

Quænam intentio ad Indulgentiam lucrandam requiratur?

I. *Satis est etiam habitualis, & interpretativa, nedum virtualis, aut actualis.*

II. *In quo differant hujusmodi intentiones?*

III. *Intentio actualis, vel virtualis requiritur, quando actus se habet practico modo.*

IV. *Lucratur Indulgentiam, qui ponit opera injuncta principalius ob alium finem.*

V. *Et probabiliter etiam qui visitat v. g. Ecclesiam præcise ob curiositatem, dummodo ibi oret, prout præscribitur.*

I. DUbitatur, Utrum requiratur intentio actualis, vel virtualis ad Indulgentiam lucrandam, an satis sit habitualis, & interpretativa? Corduba de Indulgentiis, q. 15. Leo, Vega apud Dianam p. 5. tr. 12., res. 6. putant, non lucrari Indulgentias, qui opera injuncta præstat, ignorans iis annexum esse tale donum; quia scilicet non videtur ea esse intentio Pontificis, quod Indulgentia concedatur ignoranti, habenti solum voluntatem habitualem, aut interpretativam lucrandi illam; Indulgentia enim est veluti donatio satisfactionum Christi Dom. quibus solvimus debita propria; donatio autem sine acceptatione est invalida: Ergo.

Nihilominus hac in re oppositum docent Sanctarellus de Jubilæo, c. 15. dub. 4. & Laym. l. 5. tr. 7. c. 6. Etenim nec natura Indulgentiarum, nec mens Pontificis videtur postulare, quod opera ponantur ex intentione Indulgentiam lucrandi: Non mens Pontificis, cum id nusquam expresserit; nec est ratio, cur ea mens de Pontificis benignitate pręsumatur: Neque id exigit natura Indulgentiarum; Nam, ut diximus Art. 1. eæ etiam amentibus concedi possunt, cum satis sit ad eas lucrandas passive se habere: Sicut enim, ut eximar ab aliquo debito, satis est, quod alius pro me solvat, etiamsi id ignorem, nec ullatenus hujusmodi veluti donatio-

nem

nem acceptem, immo licet renuam, adhuc immunis sum a debito, si creditor cessit jure suo, acceptando solutionem, quam alius fecit pro me: ita pariter ut eximar a debito pœnarum, satis est, quod Pontifex velit pro me satisfactiones Christi D. offerre, & Deus eas acceptet, quamvis me inscio; sicut accidit, quoties applicatur Sacrificium Missæ pro me id ignorante: Si tamen invitus essem, proculdubio Indulgentias non lucrarer; quia beneficia ista conferri non debent invitis. Pro praxi certe consultius est in Indulgentiis lucrandis intentionem habere actualem, vel virtualem, intendendo lucrari Indulgentias annexas operibus faciendis.

II. Juxta hanc opinionem docet Dian.p.4.t.4.res.24. Indulgentiam Plenariam ab Adriano VI., ut fertur, concessam recitantibus *Angelus Domini* ad Solis occasum, acquiri etiam ab ignorantibus concessionem talis Indulgentiæ, eo quod ad Indulgentias lucrandas satis sit intentio habitualis, & interpretativa. Ubi nota, intentiones istas in eo discriminari inter se, quod intentio Actualis sit illa, qua quis actu intendit aliquid facere: Habitualis sit intentio præterita non retractata; ut si quis heri intenderit aliquid facere, & hodie illud efficiat, quin intentionem retractarit: Virtualis sit intentio præterita non retractata, quæ tamen aliquatenus innuat in opus; ut quando quis ex intentione celebrandi induitur vestibus sacris, accedit ad Altare, & reliqua peragit, quamvis dum actu consecrat, involuntarie distrahatur: Interpretativa demum sit, qua quis aliquid vult in causa; ut quando quis inebriatur advertens se facile in ebrietate patraturum homicidium; sicut etiam ea, quam quilibet censetur communiter habere, saltem implicite, dum operatur.

Confirmatur Conclusio, quia ad valorem donationis magis requiritur voluntas donantis, quam acceptantis; cum possit aliquando esse valida donatio ante acceptationem, nunquam vero sit valida acceptatio ante donationem: Atqui ad donandum satis est aliquando intentio habitualis; Nam ut donem tibi v. g. Sacrificium crastinum, satis est, quod hodie illud pro te applicem, & hujusmodi voluntatem non retractem (quæ intentio pure habitualis non satis est v. g. ad consecrandum, vel aliud Sacramentum conficiendum) ergo pariter intentio habitualis, & interpretativa, quæ in unoquoque reperitur, satis erit ad Indulgentias lucrandas; quilibet enim, quando operatur, censetur eo modo, & titulo ponere actum, quo sibi utilior est, ex Lege *Cum ex pluribus*, *ff. de solutionib.*

III. Ratio a priori est, quia tunc intentio actualis, vel virtualis est necessaria in operante, quando actus se habet practico modo, ita scil., ut debeat aliquid operari; quandoquidem tunc debet effectus poni virtute intentionis, ut contingit in ministratione Sacramentorum. Quando vero intentio nihil debet operari, tunc satis est intentio habitualis; quia attenditur tantum ad substantiam actus, non ad effectum ab eo provenientem: atqui intentio lucrandi Indulgentias non se habet practico modo, cum nihil debeat operari: ergo satis erit intentio habitualis, & interpretativa, dummodo ponatur opus injunctum. Sic ratiocinantur Auctores adducti.

IV. Ex quibus inferunt primo nonnulli cum Suar. disp.52.sect.6.Granado, Bossio, Pasqualigo q.42. lucrari Indulgentiam, qui ponit opera injuncta principalius ob alium finem, quam ad Indulgentiam lucrandam v.g. qui visitat Ecclesiam principalius ob curiositatem, eam cæteroqui non visitaturus. Ratio est, quia finis ille principalior non excludit finem debitum, nec opus injunctum. Etenim Pontifex non præcipit, quod opus ponatur principalius ad Indulgentiam lucrandam, sed solum quod ponatur opus, sicut revera ponitur.

V. Inferunt secundo contra Suarium, & Bossium sect. 4. casu 12. videri probabile, quod lucretur Ingentiam etiam qui visitat Ecclesiam præcise ob curiositatem, nullatenus cogitans de Indulgentia, dummodo ibi oret, prout debet. Ratio est, quia hic etiam ponit opus injunctum, & conditionem a Pontifice requisitam ad Indulgentiæ assecutionem: Sicut passim docent, satisfacere præcepto audiendi Missam, qui illam audit nullatenus cogitans de præcepto, immo etiamsi positive nolit per talem Missæ auditionem præcepto satisfacere, ex Suarez, Valentia, Vasquez. Less. lib. 2. cap. 7. dub. 10. contra Navarrum, Azorium, & alios. Sed an probabiliter hæc omnia dicantur, alii judicent: non vacat enim ea hic ad trutinam revocare; videntur tamen destituti omni probabilitate saltem practica.

ARTICULUS V.

An pro mensura dispositionis subjecti Indulgentia conferat effectum suum?

I. Magis dispositus secundum se non acquirit fructum Indulgentiæ uberiorem.

II. Effectus Indulgentiæ unice mensuratur a voluntate concedentis; quia opera injuncta non sunt media, sed conditio ad finem intentum.

III. Causa ad concedendam aliquam Indulgentiam insufficiens non redditur sufficiens per hoc, quod in operum executione major labor assumatur.

IV. Solum per accidens qui devotius orat, efficacius Indulgentiam consequitur, ut dicitur in Extravag. Antiquorum.

V. Sacramenta magis dispositis uberiorem conferunt gratiam, quia sic sunt instituta; Secus Indulgentiæ; licet possint sic etiam concedi.

I. COninch. disp. 13. de Indulgentiis dub. 6. Layman, Corduba, Sot. putant, uberiorem pœnarum remissionem recipere melius dispositum ad Indulgentiam lucrandam: Nam in *Extravag. Antiquorum de Pœnit. & Remiss.* hæc habentur: *Unusquisque plus merebitur, & Indulgentiam efficacius consequetur, qui Basilicas amplius, & devotius frequentabit:* Ergo fructus correspondet devotioni; eo modo, quo in Sacramentis major confertur Gratia, prout est major devotio suscipientis.

Sed communius cum Divo Thoma 3. parte quæst. 25. Supplementi artic. 2. Suario disputat. 52. sect. 8. Filliucio, Bossio id negant: Ratio est, quia tam magis dispositus, quam minus dispositus, si ponant opera injuncta, ponunt conditionem requisitam ad Indulgentiam lucrandam: ergo uterque eodem modo eandem Indulgentiam lucrabitur. Quod habetur in *Decretali de Indulgentiis* apud Cajetanum 3. par. q. 48. art. 5. ubi dicitur: *Omnes a tanta temporali pœna liberantur, quanta concessæ, & acquisitæ indulgentiæ æquivalet*. Et ratio ulterior est, quia effectus Indulgentiæ unice mensurari debet a ratione

facta

facta ab applicante nobis satisfactiones de Thesauro Ecclesiæ pro pęna debita peccatis remissis ; quandoquidem hujusmodi Thesaurus est indeficiens , nec apponitur pro conditione devotio , aut mensura aliqua devotionis, sed solum opera injuncta .

II. Hinc sequitur primo , quod si quis sit plene dispositus ad lucrandam Indulgentiam unius dei , nonnisi unius diei Indulgenriam lucrabitur ; si vero careat speciali devotione, ponat tamen opera injuncta pro Plenaria Indulgentia , omnis huic pęna remittetur . Carentia enim specialis devotionis non potest prævalere contra efficacem voluntatem concedentis Plenariam Indulgentiam , cum non sit obex positivus, sed quid negativum .

Neque dicas , opera injuncta ; si cum majori devotione conjungantur , esse efficaciora ad finem obtinendum. Nam tunc hoc esset verum, quando opera essent media , non conditio ad finem : in conditione enim non attenditur modus , quo ponitur, sed sola substantia illius, qua posita effectus eodem modo semper consurgit .

Sequitur secundo, effectum Jubilæi esse æqualem in omnibus , sive plurimum, sive parum laboris impendant. Quare qui iter valde longum arripuit; pluries, ac diutius Ecclesiam visitat, nullatenus effectum Indulgentiæ majorem acquirit ; esto ex opere operantis magis mereatur . Ratio est eadem , quia scilicet illud plus , quod præstatur , per accidens se habet ad effectum Indulgentiæ; nec potest efficere , quod crescat id, quod a Pontifice concessum est.

III. Sequitur ultimo contra Suarium , Coninch. disput. 12. nu. 34. Layman tract. 7. cap. 5. Navarrum, quod si causa, ob quam concessa est a Pontifice Indulgentia (v. gr. centum annorum , vel Plenaria) non esset sufficiens , non per hoc assumens laborem majorem fructum majorem ex opere operato perciperet. Ratio est, quia quamvis major labor potuisset reddere causam sufficientem; at ista sufficientia non debet attendi secundum se , sed quatenus movet mentem Pontificis ad Indulgentiam largiendam. Si ergo nullatenus Pontifex ab illa movetur , non per hoc causa de se insufficiens redditur sufficiens ; & consequenter non percipit majorem fructum Indulgentiæ , qui majorem laborem impendit. Sicut enim qui ponit v. gr. Orationem ut quatuor intensam , quæ sufficeret , ut pro ea Pontifex largiatur Indulgentiam centum annorum , non idcirco hanc Indulgentiam lucratur , si de facto pro tali Oratione nulla sit concessa Indulgentia : ita qui ponit Orationem ut quatuor , non lucrabitur Indulgentiam centum annorum , si de facto Pontifex hanc Indulgentiam concesserit pro Oratione intensa ut duo, quæ supponatur insufficiens ad indulgentiam centum annorum . Quandoquidem Pontifex solum Orationem ut duo insufficientem ad tantam Indulgentiam intendit elevare ad effectum hunc ex opere operato ponendum ; non vero excessum alium Orationis ut quatuor , qui sufficeret ad Indulgentiam centum annorum elargiendam .

IV. Ad rationem in contrarium adductam respondetur, Pontificem *in Extravag. Antiquorum* optime quidem asserere, quod efficacius Indulgentiam consequetur , qui amplius , & devotius Basilicas frequentabit ; quia scilicet non solum consequetur remissionem pęnæ debitæ mortalibus, & venialibus jam remissis , verum etiam remissionem pęnæ debitæ venialibus , quæ nondum erant remissa , sed vi illius majoris devotionis remittuntur . Etenim cum sæpe in nostris actionibus aliquod veniale interveniat , quo non remisso , pęna illi respondens remitti non potest, qui diutius, & devotius orat , efficacius Jubilæum consequitur ; quia ad omnium venialium remissionem se disponit, & sic ad omnis omnino pęnæ remissionem obtinendam .

V. Ad id , quod additur , dico , Sacramenta conferre Gratiam juxta mensuram dispositionis; quia sic sunt a Christo Dom. instituta. Cum enim Gratia sit forma intrinsece perficiens subjectum , congruum fuit , ut uberius perficeret subjectum , quod melius ad illam esset dispositum . Contra Indulgentia , utpote forma importans tantum remissionem pęnæ, & consequenter extrinseca, non conceditur a Pontifice ita , ut juxta mensuram dispositionis obtineatur . Non negaverim tamen , posse Pontificem concedere Indulgentiam, puta centum annorum, ei, qui recitat v. g. Ave cum decem gradibus intensionis , aut qui recitat decem Ave cum uno intensionis gradu , ita ut ad mensuram istarum Orationum , vel graduum devotionis crescat, aut decrescat Indulgentia; de facto tamen non ita concedit .

ARTICULUS ULT.

Possit ne quis pluries idem Jubilæum lucrari ?

I. Probabilius potest secundum se .
II. Ex declaratione tamen Innoc. XI. non potest eadem Plenaria Indulgentia pluries eodem die acquiri ; quamvis probabiliter possit pro variis defunctis .

I. NOn posse nisi semel lucrari , etiamsi sexcenties repetantur opera injuncta , docent Sanchez lib. 4. cap. 54. Suarius disp. 57. sect. 1. Faustus. Layman Bonacina, & alii apud Bossium sectione 1. casu 40. Primo, quia *ex leg. Boves*, *ff. de verborum significatione*; Sermo simpliciter prolatus uno actu , & una vice consummatur ; ideo ex Panormitano in *Caput 2. de Tregua, & Pace*, Securitas data Bannito intelligitur de primo actu veniendi: ergo concessio Jubilæi , vel Indulgentiæ simpliciter prolata intelligitur pro unica tantum vice. Secundo, quia Indulgentiam concessam pro certo aliquo die non possumus sæpius eodem die lucrari, nisi expresse id concedatur; ergo etiam Jubilæum pro Anno Sancto, vel pro duabus hebdomadis concessum nonnisi semel lucrari possumus . Tertio , quia in Bulla Jubilæi extraordinarii expresse habetur , quod possit quilibet Confessarium eligere , a quo a reservatis absolvatur hac vice tantum, unde Sacra Congregatio apud Filliucium declaravit, semel tantum acquiri posse Indulgentiam per Jubilæum concessam , & semel tantum quempiam posse a reservatis absolvi.

II. Sed probabilior videtur opinio affirmativa Navarii , Rodriquez , Bossii, Lugo , & aliorum apud Dian. parte 5. tract. 12. res. 28. quia beneficium Principis non præjudiciale alteri ampliandum, & late interpretandum, ex *Leg. Benef. de constitut. Princip.* ergo quoties non limitatur ad unam tantum vicem expresse , potest quis Indulgentiam indefinite concessam toties quoties lucrari . Concessio enim æquivalet universali , ex *Leg. Si plurimum* ,

ff. de

ff. de leg. itaut æquipolleat distributivæ, non quidem ex natura propositionis indefinitæ, sed ex quadam æquitate in materia favorabili, ut notat Menoch. consil. 97. n. 155. (*a*)

„ (*a*) Confer Benedictum XIV. in citata Encyclica Epistola n. 84. ubi huic sententiæ adstipulatur.

Ad primam rationem in oppositum respondetur, sermonem absolute prolatum consummari unica vice in odiosis, in quibus stricta facienda est interpretatio; sicut etiam quando respicitur finis, & causa non iterabilis, ut est Salvusconductus concessus Bannito. Adde, Concessionem factam personæ particulari esse instar dispensationis stricte interpretandam: factam vero Communitati instar Privilegii interpretandam large, juxta dicta quæst. 2. a. 1. unde Salvusconductus pro una vice intelligitur concessus, secus Indulgentia.

Ad secundam, Rodriq. Angelus, Vega, Nav. Cord. & alii apud Boss. & Pasq. qu. 71. putarunt, Indulgentiam concessam visitanti certo die aliquam Ecclesiam posse sæpius eodem die comparari, si sæpius eadem Ecclesia visitetur. Hæc tamen sententia non amplius subsistit; quia Innocentius XI. declaravit, non posse Indulgentiam Plenariam pluries eodem die acquiri. Quare solum Indulgentia non Plenaria potest sæpius eodem die obtineri; & probabiliter etiam Plenaria, si ea pro variis Defunctis applicetur, quando a Pontifice conceditur, quod possit iis applicari; tum quia sic nullus pluries eodem die Indulgentiam Plenariam lucrabitur: tum etiam quia si in concessione Indulgentiarum non intelliguntur eæ concessæ pro defunctis per modum suffragii applicabiles, nisi id exprimatur, ut declararunt Sixtus IV. & Leo X. apud Raynaudum in Heterocl. spirituali p. 2. sect. 2. punct. 2. n. 7. a fortiori dicendum, quod in revocatione Indulgentiarum non intelligantur revocatæ pro defunctis, nisi fiat specialis mentio, cum revocatio sit odiosa, atque adeo restringenda. Doctores tamen advertunt, Ecclesiam debere humano modo visitari: Nam si quis continenter ingrederetur, & egrederetur sæpius, hic non diceretur pluries, sed semel ad summum Ecclesiam invisere; & derisionem potius, quam devotionem hujusmodi visitatione pareret: Ad quod vitandum Innoc. XI. voluit, Indulgentiam Plenariam non nisi semel eodem die obtineri posse: quod cum non militet in Jubilæo, ideo potest Jubilæum pluries acquiri.

Ad tertiam respondet Bossius, non esse idem, *hac vice tantum* & *semel*: dum Bulla dicit, posse Confessarium eligi hac vice tantum, sensus est, quod possit eligi occasione tantum hujus Jubilæi; quamvis tempore Jubilæi possit pluries eligi. Ad id, quod additur de declaratione S. Congregationis, respondet Diana, & Gobat. de ea non constare authentice. Unde possumus in praxi affirmativam sententiam tot Doctoribus, & rationibus munitam sequi.

QUÆSTIO VII.

De Personis impeditis, quæ adhuc possunt Jubilæum lucrari.

Quod attinet ad Jubilæum Extraordinarium, indulgetur impeditis ex navigatione, aut itinere, ut notat Henr. lib.7. c. 20. regulariter, ut cum primum ad sua sese domicilia receperint, etiamsi elapsum sit Jubilæi tempus, possint illud lucrari: sicut etiam erga Regulares, ac erga eos, qui carcere, infirmitate, aut alia de causa impediuntur, ne ponant opera injuncta, quod possit Confessarius ea commutare, vel in aliud proximum tempus prorogare Jubilæum, eaque injungere, quæ ipsi pœnitentes efficere poterunt. Præterea in Bulla Jubilæi Anni Sancti conceditur iis, qui iter ad Jubilæum lucrandum aggressi sunt, quod si in via, aut etiam in ipsa Urbe morbo, vel alia legitima causa impediti Basilicas visitare non possint, Jubilæum lucrentur, dummodo vere pęnitentes sint, & confessi. Concedi etiam consuevit ab Urbano VIII. 1625. ab Innoc. X. 1650. & a Clemen. X. 1675. nova quadam Bulla Jubilæum hoc Romanum omnibus Sanctimonialibus, Anachoretis, atque Eremitis, necnon carceribus, aut infirmitate detentis, qui hujusmodi impedimentis carceris, & infirmitatis cessantibus ad Urbem venturi fuissent, dummodo pia Christianæ pietatis, & charitatis opera ponant, ab Ordinariis locorum, seu Sanctimon. & Eremit. Superioribus, vel de eorum mandato a prudente Confessario, & in alma Urbe a Pontificis Vicario, seu ejus Vicesgerente præscribenda. Daturque pariter in eadem Bulla facultas tam Sanctimon. & Eremitis, quam Christifidelibus, ut supra, impeditis, eligendi Confessarium sive Sæcularem, sive cujusvis Ordinis Regular. ab Ordinariis locorum ad id probatum, a quo possint etiam a reservatis in Bulla Cœnæ absolvi. Circa quæ nonnullæ difficultates sunt enodandæ: ac deinde utiliter quærendum, An æque mereantur, qui ad Urbem accedunt ad Jubilæum lucrandum, ac impediti, si per ipsos non stet, quominus cum eadem devotione, ac defatigatione accedant?

ARTICULUS I.

Quinam veniant nomine Sanctimonialium, & Eremitarum?

I. Privilegium hoc concessum pro præteritis Jubilæis videtur habere locum pro futuris.

II. Nomine Monialium veniunt etiam non Religiosæ collegialiter viventes de licentia Episcopi, si servent clausuram perpetuam; sicut etiam Novitiæ; non tamen Educandæ.

III. Veniunt etiam Moniales quæstuariæ, quæ Civitatem circumeunt, si reliquum Monasterii corpus clausuram servet.

IV. Nomine Eremitarum non veniunt Monachi, veniunt tamen Camaldulenses, quippe qui Eremum incolunt, ut vacent contemplationi.

V. Probabiliter veniunt etiam Carthusiani nomine Anachoretarum.

I. Quamvis præter Bullam indictivam Jubilæi, atque adeo Concessivam Indulgentiæ pro imminente Anno Sancto, & Bullam suspensivam pro eodem tempore aliarum Indulgentiarum nondum emanarit ab Innocent. XII. Bulla, qua Prædecesso-

ceſſores conſuevere recenſitum privilegium concedere Sanctimonialibus, Eremitis, ac impeditis carcere, aut infirmitate ab acceſſu ad Urbem; nihilominus facile eſt hujuſmodi Bullam mox emanaturam; Quod ſi non emanaret, adhuc probabile mihi eſt, hujuſmodi conceſſionem locum habituram pro Jubilæis poſthac inſequentibus; ſicut favores Jubilæi olim conceſſi a Pontificibus pro Anno Sancto locum habent probabiliter in poſterum, quamvis in Bulla de iis non fiat mentio ſpecialis, ſed dicatur ſolum exemplo Prædeceſſorum Pontificum celebrari Jubilæum: quod enim eſt ad inſtar, & ad exemplum, eſt ejuſdem rationis, & formæ, ut notant Baldus *in l. omnia, C. de Epiſcop., & Cler.* Navar., Suar. l. 8. de leg. c. 15. quod latius proſequemur Quæſtione ultima art. 1., ubi oſtendemus, Notificationem pariter Clementis X. probabiliter locum habituram pro imminente Anno Sancto, etiamſi non inſtauraretur. Quare merito hic inquirimus, Quinam veniant nomine Sanctimonialium, & Eremitarum? quod etiam de carcere, aut infirmitate impeditis præſtabimus Articulo ſequenti. Ubi notandum, Sanctimonialibus, & Eremitis Jubilæum Anni Sancti ubique terrarum concedi abſolute; At carcere, & infirmitate impeditis concedi ſolum ſub ea conditione, quod ceſſante carceris, aut ægritudinis impedimento, ad Urbem venturi fuiſſent.

II. Dico primo; Nomine Sanctimonialium veniunt etiam quæ non emittunt tria Religionis Vota, dummodo Collegialiter vivant de licentia Epiſcopi intra aliquod Monaſterium cum obligatione ſervandi perpetuam Clauſuram. Ita Boſſius ſect. 4. caſ. 22. Fundamentum eſt, quia in his etiam habetur ratio finalis conceſſionis; conſtat autem ex *Leg. Illud, Cod. de Sacroſ. Eccleſ.* quod ubi eſt eadem ratio, ubi eſt etiam eadem diſpoſitio, præſertim in favorabilibus, ut notat Sanchez l. 7. c. 5. nu. 4. & Salas diſp. 21. de leg. ſect. 6. reg. 3. Contra vero nomine Sanctimonialium non veniunt Educandæ, quæ cum iis conveniunt: cum deficiat in iis ratio finalis conceſſionis: Veniunt tamen Novitiæ; quia univerſim Privilegia, quæ conceduntur Religioſis, extenduntur ad Novitios, ex Sanchez l. 4. c. 39. Meroll., Azor., Suar., Molin., & aliis communiter.

III. Difficultas eſt de Monialibus quæſtuariis, quæ nonnullis in locis Civitatem circumeunt ad Eleeſynas captandas, & conſequenter non ſervant Clauſuram, quamvis reliquum Monaſterii corpus Clauſuram ſervet.

Dicendum tamen, has etiam nomine Sanctimonialium in caſu noſtro venire; quia cum ipſæ etiam ſint incorporatæ toti Monialium Communitati, gaudere debent Privilegio Communitati conceſſo, ex *Cap. Per exemptum de Privileg. in 6.*

Neque obſtat, finem conceſſionis, qui eſt anima confeſſionis, non habere locum in his Monialibus, quæ non ſunt mancipatæ Clauſuræ perpetuæ. Nam Clauſura perpetua eſt finis conceſſionis, quatenus ea directe reſpicit totam Communitatem, relate ad quam vere finis ſubſiſtit: hoc autem ſatis eſt, ut Privilegium, utpote late interpretandum, extendat ſe ad hujuſmodi quæſtuarias Moniales, quamvis ad Clauſuram non obligentur.

IV. Dico ſecundo: Nomine Eremitarum, ſeu quod idem ſonat, Anachoretarum veniunt Eremum incolentes in Solitudine ſeorſum ab hominum conſortio, ut vacent contemplationi, etiamſi Religioſi ſint, ut Camaldulenſes. Ita communiter. Monachi tamen, cum non vivant ſeorſum ab hominum conſortio, non veniunt nomine Eremitarum; Unde Caſſianus collat. 18. cap. 4. diſtinguit Monachos Cœnobitas ab Eremitis.

V. Dubitatur de Carthuſianis, num veniant nomine Anachoretarum? Cenſeo cum Boſſio, & Gobat. venire; ſive in Conventibus intra Civitates degant, ſive extra. Ratio eſt, quia & ipſi ſeorſim in Cellulis vivunt, ut contemplationi vacent: & raro admodum inter ſe conveniunt, diſpenſato ſilentio, veluti in medicinale quoddam temperamentum ad ſuſtinendum tale vitæ genus.

Dices: Carthuſiani non ſervant perpetuam Clauſuram, cum ex uno in alterum locum transferantur, ut reliqui Clauſtrales: ergo non gaudent hoc Privilegio Eremitis conceſſo: nam idcirco Eremitis conceditur, quia (ut habetur in conceſſione) ſicut Moniales, perpetua vivunt Clauſura mancipati.

Reſpondeo cum Gobat. & Paſqualigo, etiam Carthuſianos perpetua Clauſura mancipari, ut Sanctimoniales; quamvis Clauſura Eremitarum aliquod habeat temperamentum congruum; quod non eſſet conſentaneum Clauſuræ Monialium. Certe Carthuſiani, ut vacent contemplationi, e propriis Cellulis non egrediuntur, niſi vel ad Eccleſiam ituri, aut gravi de cauſa. Præterea in propriam Eccleſiam non admittunt mulieres, niſi in neceſſitate inevitabili, ut notat Pater Theophilus Raynaudus in Brunone, punct. 6. & in Clauſtrum ne Reginas quidem; ut proinde ignoratum ſit, quinam alii Eremicolæ tam arcte Clauſuram obſervent in ſua Anachoreſi: unde non eſt cur hoc Privilegio non fruantur.

ARTICULUS II.

Quinam in Bulla veniant nomine Carceratorum, & Infirmorum?

I. Ad rationem carceris requiritur detentio contra propriam voluntatem: proinde Religioſi, ac Milites hoc privilegio non poſſunt uti.

II. Nomine infirmorum veniunt etiam valetudinarii, & Senes.

III. Hinc Religioſi ſenes, & ægroti poſſunt ea frui conceſſione.

IV. Poſſuntque opera præſtanda injungi probabiliter etiam ab eorum Superioribus.

I. Univerſim nomine Carceratorum veniunt quicumque ita detinentur, ut ſui juris non ſint, ut poſſint pergere quo libuerit, ex *Leg. Succurritur, ff. ex quibus cauſis.* Hinc qui habent pro carcere Civitatem, dicuntur in re noſtra carceribus detenti: Item Relaxati ſub fidejuſſione, quia tenentur ad comparendum ſtatim ac a Judice vocati fuerint: & a fortiori damnati ad triremes, &c. Milites tamen, qui non habent facultatem relinquendi arcem, aut ſigna, non veniunt nomine carceratorum, quia illa detentio eſt ipſis voluntaria in cauſa; voluntarie enim ſuſceperunt Militiam; unde valde improprie dicerentur carceribus detenti. Idemque dicas de Religioſis, qui licet in Clauſtris detineantur, nec poſſint ad libitum ab iis recedere, non veniunt hoc nomine carmine

mine carceratorum, nec possunt hoc Privilegio frui; Etenim nomen carceris, prout communiter usurpatur, fert detentionem contra propriam voluntatem. Quare si quis se contineret in aliquo loco, ut morem gereret suo Principi, incursurus cæteroqui ejus indignationem, posset frui præsenti Concessione, ex Pasqualig. q. 164. quia contra propriam voluntatem detineretur.

II. Præterea nomine Infirmorum veniunt hi, qui absque notabili valetudinis detrimento nequeunt ad Urbem accedere, aut Ecclesias visitare. Unde fit, etiam Valetudinarios nomine Infirmorum comprehendi; Immo etiam Senes, ex Boss. sect. 4. cas. 22. cum senectus ipsa morbus sit; & in jure sæpe senes, & infirmi æquiparentur, ut in *Cap. Quod de his, de sent. excomm.* & *Cap. Si quis Testium, de Testibus*. Ubi notandum, infirmitatem in Bulla requisitam debere esse diuturnam, (idemque dicas de carceris impedimento) eam scil., quæ sit v. g. per majorem anni partem duratura, aut quæ saltem diu duratura præsumatur.

III. Hinc sequitur, etiam Religiosos, si sint senes, aut infirmi, posse hoc Privilegio frui, dummodo moraliter iis certum sit, quod cessante infirmitate Romam essent adituri, cum non sint deterioris conditionis, quam alii: Secus vero si licentiam non essent obtenturi, & nullatenus ituri essent. Etenim quamvis Pontifex omnes invitet, etiam Regulares, ad lucrandum Romæ Jubilæum, non eatenus fas est Religiosis absque expressa Superiorum licentia iter arripere; quia hoc vergeret in magnum Religiosæ disciplinæ detrimentum. Benzonius lib. 5. cap. 15. dub. 14. putat, nulli Religioso eam facultatem petenti, & asserenti se ea indigere denegandam esse: Communiter tamen docent, posse rationabiliter negari, cum vix possit tanta necessitas occurrere, quæ ad concedendam hujusmodi facultatem adigat Superiores.

IV. Dubitari solum posset, Utrum Regularibus morbo diuturno impeditis, qui cæteroqui Urbem adituri essent, opera pia ad Jubilæum lucrandum injungenda sint ab Ordinariis locorum, an vero injungi etiam possint a Superioribus suis? Videtur quod ab Ordinariis sint injungenda; quia Bulla dicit, Sanctimonialibus, & Eremitis injungi a Superioribus suis, vel de eorum mandato a Confessario; infirmitate vero, aut carcere impeditis injungi ab Ordinariis locorum. Sed cum Pasqualig. q. 176. existimo, posse etiam a Superioribus Regularium ea opera injungi. Ratio est, quia cum Bulla velit posse ea injungi Monialibus, & Anachoretis a Superioribus suis, videtur Pontifex facultatem hanc concedere Superioribus uniuscujusque; quamvis enim exprimat solos Monialium, & Eremitarum Superiores, quia tamen eadem ratio militat de aliis Religiosis, videtur mentio illa facta exemplificative, juxta doctrinam Baldi in *Leg. de quibus ff. de Leg.* & Alexandri consil. 75. lib. 5. Præsertim quia cum præscriptio talium operum sit actus Jurisdictionis, non est præsumendum quod Pontifex velit subjicere Regulares Ordinariis, nisi exprimat. Huc facit, quod Pius V. anno 1571. in Constit. 132. Patribus Ordinis Prædicatorum concessit, eos posse in Fratres, & Moniales sui Ordinis sibi subditas, quod possunt Episcopi in Clericos, & Laicos sibi subjectos, tam in ordine ad absolvendum, ac dispensandum, quam in ordine ad alias quascumque facultates. Quod Privilegium extenditur ad omnes Regulares habentes Privilegiorum communicationem.

ARTICULUS ULT.

An æque mereantur accedentes ad Urbem ad Jubilæum lucrandum, ac impediti, si per ipsos non stet quominus accedant?

I. Æque utrique Plenariam Indulgentiam lucrantur, si præstent opera injuncta.
II. Videntur etiam, cæteris paribus, æque mereri, cum voluntas apud Deum reputetur pro facto.
III. Ex altera parte videtur majus esse meritum volentis, & implentis, quam volentis duntaxat.
IV. Sed dicendum, per se loquendo æquale esse meritum Romipetæ, ac impediti, si uterque in actibus interioribus sint pares.
V. Occurritur objectis.
VI. Occasionaliter tamen, & per accidens majus est Romipetæ meritum, quam impediti.
VII. Satisfit difficultatibus in contrarium.
VIII. Universim non æque meretur, nec totalis pœnæ remissionem obtinet, qui renovat Vota Religiosa, ac qui primo ea nuncupat.

I. CErtum est, æque Plenariam Indulgentiam lucrari tam Romipetam, quam Ægrotum v. g. qui cessante ægritudinis impedimento, Romam esset aditurus, dummodo præstentur opera injuncta. Quæritur solum, An sicut in utroque æqualis est Indulgentiæ fructus ex opere operato, ita pariter idem sit utriusque meritum ex opere operantis, posito, quod egrotus iste pari devotione, ac defatigatione esset iter arrepturus, nisi impediretur.

II. Affirmat Quartus c. 3. de Jub. pa. 3. dub. 3. Et ratio videtur esse, quia voluntas apud Deum reputatur pro facto: ergo posito æquali fervore in affectu, meritum est æquale. Antecedens constat; tum quia de Abraham dicitur Genes. 22. *Qui fecisti rem hanc, & non pepercisti filio tuo*, &c. cum tamen tantummodo voluerit facere, & non parcere; tum quia Apostoli, qui rete scissum reliquerunt, dicuntur Matt. 19. reliquisse omnia, quia scilicet, ut loquitur D. Gregorius, *In hac re affectum debemus potius considerare, quam censum*: unde Vidua illa, quæ duo minuta erogaverat, supra divites commendata est.

Confirmatur: quia aliter possent homines privare nos merito supernaturali, impediendo, ne ponamus opus externum, puta peregrinationem, quod videtur incoveniens. Hinc communiter Theologi apud Arriagam t. 3. disp. 6. de Act. Humanis, sect. 4. docent, actionem exteriorem non addere interiori novum meritum, aut demeritum, cum non competat illi libertas, nisi tantum denominative ab actione interiori, quæ una est formaliter libera, & formalis amor objecti consentanei, vel dissentanei naturæ rationali: unde una actio interior est meriti capax, aut demeriti; actio vero exterior (velut furtum) licet dissona naturæ rationali, cum non sit formaliter libera, habet solum malitiam moralem objective, quatenus scilicet est objectum actus interni habentis formaliter malitiam moralem.

III. Ex altera parte videtur, cæteris paribus, majus

majus esse meritum volentis ad Urbem accedere, & simul accedentis, quam volentis duntaxat accedere, qui impeditur; & consequenter majus esse meritum, aut demeritum in actione exteriore simul, & interiore, quam in sola interiore. Ratio est, quia etiam actiones exteriores per se prohibentur, & commendantur: ergo etiam istæ habent propriam bonitatem moralem, & meritum. Antecedens patet: nam in Decalogo non solum prohibetur desiderare rem, & uxorem alienam, sed etiam furari, & mœchari. Hinc necesse est in confessione aperire etiam actiones exteriores, tanquam per se malas.

Confirmatur: quia erogans eleemosynam infinitam videtur mereri infinite; cum tamen non habeat meritum infinitum, qui solum vult infinitam eleemosynam erogare. His pro utraque sententia propositis,

IV. Dico equidem primo. Per se loquendo actio exterior non addit novum meritum, aut demeritum interiori; & consequenter in casu proposito, qui Romam versus peregrinatur ad Jubilæum lucrandum, non magis meretur, quam impeditus, si uterque in actibus interioribus sint pares; seu si impeditus habeat actum voluntatis æquivalentem iis omnibus voluntatis actibus meritoriis, quos exerceret in tota peregrinatione Romipeta. Ita Doctores communiter apud Arriagam tom. 3. disp. 16. sect. 4.

V. Conclusio constat ex iis, quæ pro prima sententia adducta sunt. Neque obstant, quæ pro secunda sententia adducuntur. Nam actiones exteriores, puta furtum, adulterium, per se prohibentur, quia sunt contra naturam rationalem, non tamen moraliter, sed quasi physice, & mortuo modo; cum solum objective habeant in genere moris malitiam, tanquam objectum actus interni, cui tantum proprie, & formaliter convenit esse peccatum. Hinc in Decalogo, ubi prohibetur tam furti desiderium, quam furtum, significatur solum, utrumque esse malum, tam actum interiorem exteriori associatum, quam seorsim sumptum; quin hinc inferri possit, actionem exteriorem esse formaliter malam, & demeritoriam. Præterea in Sacramento Pœnitentiæ explicari debent actiones exteriores, etiamsi non sint peccata formaliter, sed solum denominative: tum quia per se loquendo melius a Confessario cognoscitur interna intentio ex opere externo; tum etiam quia ad satisfactionem, & pœnitentiam rite injungendam valde confert ea declaratio.

Ad Confirmationem varii varia apud Arriagam loco laudato; in hoc tamen conveniunt, quod æque mereatur qui erogat eleemosynam infinitam, ac qui solum vult illam erogare, si actibus interioribus sint pares.

VI. Dico secundo: Occasionaliter, & per accidens magis meretur, qui peregrinatur ad jubilæum lucrandum, quam qui impeditur involuntarie, etiamsi cum æquali fervore alter iter arripiat, alter vero solum velit arripere. Ita etiam communiter.

Ratio Conclusionis est, quia voluntas faciendi tunc adæquat factum, sed tunc habet æquale meritum, ac si opus poneretur, quando est perfecta, ut docet D. Th. p. 2. qu. 20. ar. 4. hoc est, quando est de se sufficiens ad operis positionem totalem absque ullo alio voluntatis actu; aliter non est perfecta, cum desit illi aliquid in ratione causæ voluntariæ quoad actum externum; atqui impeditus ab arripienda peregrinatione non habet de se voluntatem hujusmodi perfectam, quæ scilicet adæquet meritum illorum actuum internorum, quos exerceret in decursu peregrinationis: ergo qui peregrinatur, magis meretur occasionaliter tantum, & per accidens, quam impeditus.

Confirmatur. Qui solum habet voluntatem peregrinandi, & ob impedimentum non peregrinatur, habet solum unicum actum voluntatis meritorium, qui brevi tempore durat; Contra vero qui peregrinatur, præter voluntatem internam peregrinandi, (quæ supponitur æque intensa, & meritoria, ac in impedito) iterat novos actus meritorios internos in itinere, dum subit molestias peregrinationis, qui actus diu durant: ergo occasionaliter magis meretur. Communiter enim cum D. Thom. loco citato docent, voluntatem crescere in bono, & in merito, tum ex multiplicatione actuum, tum ex eorum diuturnitate majori. Hinc si Titius, & Cajus v. g. æque Martyrium exoptent, sed solum Titius illud subeat, certe hic occasionaliter magis meretur, quam Cajus; quia in executione operis consurgit illi occasio iterandi actus internos, quæ alteri non consurgit: ergo occasionaliter magis meretur Titius, quam Cajus.

Confirmatur secundo ex eo, quod duplex a Deo gratia concedatur facienti, una vero volenti tantum, ut notat Augustinus Serm. 2. de verb. Apost. cap. 10. ubi dicit: *Non sufficit, ne velis, adjuvandus es, ut bene velis, & impleas, quod velis*: ergo cum in executione operis sit necessarium speciale auxilium, est etiam necessarius specialis actus voluntatis ad specialem difficultatem superandam; atque adeo in executione operis crescit per accidens, & occasionaliter meritum, sicut crescit novus actus voluntatis, sine quo voluntas non est perfecta, juxta locutionem Angelici.

VII. Et per hæc patet ad rationes pro prima sententia adductas. Voluntas enim apud Deum reputatur pro facto, si sit perfecta, & consummata, ita ut ex parte ipsius nihil desit ad operis executionem: talis autem non est secundum se sola voluntas peregrinandi, si non adesset impedimentum. Abraham dicitur fecisse, quia habuit voluntatem perfectam; jam enim inceperat filium immolare. Apostoli omnia reliquerant affectu, ut ait D. Gregorius, & ideo præmium habuerunt correspondens executioni, & effectui. Vidua illa supra divites commendatur, quia, ut notat D. Thomas 2. 2. q. 32. ar. 4. ad 5. quod dedit, plus fuit spectata facultate ipsius, quam multum illud datum a divitibus; unde ratione executionis laudatur, non ratione propositi.

Ad Confirmationem. Qui impeditur ab executione, & habet voluntatem perfectam, & consummatam, habet etiam meritum plenum, perinde ac si opus exequeretur; Si vero habeat solum propositum habet solum meritum propositi. Unde nunquam possunt homines impedire meritum, ut non possunt impedire actum voluntatis.

VIII. Ex dictis resolvitur quæstio illa celebris, An æque mereatur, & æqualis pœnæ condonationem obtineat, qui renovat vota Religiosa, ac qui primo illa nuncupat? Ad quod respondendum affirmative, si utraque voluntas sit æque perfecta, & consummata, juxta explicationem traditam ex Angelico. Dicendum tamen cum Sanchez l. 5. c. 5. n. 5. Sà Verbo *Religio*, & Tabiena, de facto univer-

niversim non ita contingere. Nam qui primo nuncupat vota, redigit seipsum, ac propriam voluntatem in perfectam Dei servitutem; per renovationem vero votorum non traditur Deo aliquid, quod tunc sit sui juris, sed solum habetur complacentia de donatione jam facta; in qua complacentia minorem certe difficultatem experimur, ac in prima traditione, & sic minus meremur; sicut minor est difficultas in renovanda donatione jam facta, quam in nova donatione facienda.

QUÆSTIO VIII.

De Operibus pro Jubilæo injunctis.

ENnumeravimus Quæstione prima, Articulo tertio, Opera tam pro Jubilæo Ordinario, quam pro Extraordinario injuncta; nunc circa eadem difficultates celebriores examinandæ: prius quidem de Operibus injunctis in genere, deinde in specie. Quæremus itaque primo, An opera alias debita sufficiant pro Jubilæo assequendo? Secundo, Quandonam possint impleri opera injuncta? Num autem satis sint opera in statu peccati posita, quæst. *6.* art. 2. examinavimus: Tertio, Utrum Confessio ad Jubilæum lucrandum sit simpliciter necessaria? Quarto, agendum de Communione in Jubilæo requisita. Quinto, de Visitatione Ecclesiarum, & Oratione in iis facienda. Sexto, de Eleemosyna. Septimo de Jejuniis præscriptis.

ARTICULUS I.

An Opera alias debita sufficiant pro Jubilæo assequendo?

I. Potest requiri, & sæpe requiritur opus alias debitum.

II. Universim tamen requiritur opus supererogationis.

III. Tunc idem opus sufficit ad satisfaciendum pluribus obligationibus, quando nulla istarum est ex titulo oneroso.

IV. Quandonam possit eleemosyna debita ex charitate satis esse ad Jubilæum lucrandum?

V. Idem opus, si sit iterabile, non satis est ad plures indulgentias simul lucrandas.

VI. At satis est idem opus ad plures censuras simul contrahendas.

VII. Possunt tamen eodem tempore impleri plura opera ad plures indulgentias lucrandas injuncta.

I. COmmuniter Doctores contra Sylvestr. & Angelum apud Pasqualigum q. 43. docent, posse Pontificem Indulgentiam concedere intuitu operis alias debiti. Si enim potest concedere Indulgentiam nullo opere imposito, ut alias diximus, quidni possit pro ea requirere opus cæteroqui debitum vel ex præcepto, vel ex voto, vel ex pęnitentia Sacramentali? Et de facto, quando in Jubilæo Extraordinario injunguntur Jejunia, si incidant tunc Jejunia Quatuor Temporum, vel Quadragesimæ, iis contentus est Pontifex ad Indulgentiam largiendam. Difficultas tamen est, an universim satis sit opus alias debitum, v. gr. Jejunium debitum ex voto?

Henriquez, Comitolus, Layman, Bossius sect. 4. casu *9.* & alii putant, Bullas non exigere opera supererogationis: tum quia eodem opere potest quis satisfacere pluribus præceptis; tum etiam quia Pontifex nihil aliud exigit, quam opus pium: ergo nisi expresse dicat, quod non sit debitum ex alio titulo, intelligi potest benigne de opere etiam obligatorio.

II. Equidem tamen existimo, quod sicut Pœnitentiæ a Confessario injunctæ non satisfit universim per opus alias debitum, v. g. per Missam ex præcepto audiendam, nisi videatur Confessarius in id consentire, ut docet Sotus, Navarrus, Sayrus, Suarius de Pęnitentia, disp. 38. sect. *6.* & sicut obligatus ad eleemosynam dandam ex voto, aut ex pęnitentia injuncta, non satisfacit, si det iis, quibus ex alio capite tenetur subvenire, ut docent Palaus, Sanchez lib. 1. c. 14. Merolla, Pasqualigus, q. 43. ita in casu nostro.

Probatur: quia opus injunctum pro Indulgentia assequenda habet rationem oneris, ita ut interveniat pactum implicitum cum Pontifice de concedenda Indulgentia sub onere talis operis injuncti; Quodcumque autem debetur ex pacto oneroso, non potest esse alias debitum: Quis enim dixerit, posse me satisfacere uni debito, solvendo id, quod etiam ex alio debito solvendum esset? ergo nisi mens Pontificis ea sit, ut contentus videatur de opere alias debito, (sicut quando indicuntur Jejunia pro Jubilæo in Quadragesima) signum est exigi opus supererogationis.

III. Ad rationem in contrarium, concedo posse idem sufficere ad satisfaciendum pluribus obligationibus: v. g. potest quis satisfacere eadem auditione Missæ præcepto illam audiendi die Dominica, & die Sancti Matthiæ, si coincidant: id tamen verum est, quoties nulla obligatio sit ex titulo oneroso. Nemo enim somniavit, quod eadem pecunia possim solvere debitum justitiæ simul, & gratitudinis v. g. Et ratio a priori est, quia obligatio ex justitia obligat non solum ad modum, sed etiam ad ipsam substantiam actus; quia respicit æqualitatem rerum, & jurium. Quod autem opera pro Jubilæo injuncta debeantur ex titulo oneroso, ex eo patet, quia pro majoribus Indulgentiis plura, & præstantiora opera imponuntur; quod intervenire solet duntaxat in pactis onerosis.

Hinc est, non posse nos benigne mentem Pontificis interpretari, quod scilicet tantum exigat opus pium; etiamsi aliunde debitum, quia eo ipso quod imponit onus ponendi opera injuncta, non potest intelligi de operibus alias debitis, ut communius Doctores differentes de Pęnitentia a Confessario imposita; nisi tamen aliquando ex circumstantiis id significaretur. Nam si ver. gr. Confessarius præcipiat per mensem singulis diebus auditionem Missæ, probabiliter ex Sanchez, Palao, & aliis apud Dian. parte 5. tract. 14. resol. *61.* satisfit huic præcepto audiendo diebus festis unam tantum Missam; quia hujusmodi verba juxta hanc benignam interpretationem usurpari solent.

IV. Ex quibus sequitur primo, quod si Titius teneretur ad eleemosynam erogandam, vel ex justitia, quia v. g. esset injuncta a Testatore, vel ex charitate, quia v. g. proximus est in extrema necessitate, per

per illam non satisfaceret obligationi eleemosynæ injunctæ pro Jubilæo, ex Medina, Paludano, Sayro, Suario de Pœnitent. disp. 38. sect. 6. Quod tamen ita debet intelligi, ut si Titius per talem eleemosynam intenderet satisfacere operi injuncto pro Jubilæo assequendo, non teneretur amplius titulo charitatis eidem pauperi succurrere: quia per eleemosynam erogatam non remaneret ille amplius in extrema necessitate.

V. Sequitur secundo, quid dicendum ad Quæstionem, Num possimus uno, eodemque opere plures Indulgentias lucrari? v. g. si plures Indulgentiæ concessæ sint vel ab eodem, vel a diversis Pontificibus jejunanti eodem die. At sane si opus sit irreiterabile, ut Jejunium, vel Communio eodem die, censetur Pontifex velle, quod idem opus sufficiat; Aliter concessio plurium Indulgentiarum esset irrita. Si vero opus sit iterabile, ut auditio Missæ, censent Corduba, Sà, Henriquez, Filliucius tract. 8. cap. 6. q. 14. & alii, idem etiam opus sufficere: sicut enim potest quis uno, eodemque actu violare plura præcepta, aut pluribus præceptis satisfacere, & plures censuras contrahere; ita poterit plures Indulgentias lucrari.

Nobis tamen respondendum cum Suar. disp. 22. sect. 8. Con., Laym., Gran. negative, quia ut diximus, opus pro Indulgentia lucranda injungitur tanquam onus: ergo pro pluribus lucrandis Indulgentiis plura onera sunt solvenda. Quare sicuti nequit eodem opere satisfieri duplici Pœnitentiæ Sacramentali a duobus Confessariis impositæ, quia injunguntur tanquam onera: ita nec possumus eodem opere plures Indulgentias lucrari, quando non constat de mente Pontificis, quod uno opere contentus sit.

Ad ea, quæ objiciuntur; Possumus eodem opere violare plura præcepta; quia, ut præcepta violentur, sufficit, quod illis contrarietur idem actus: Et eodem modo possumus eodem actu plura bona, immo plures Indulgentias etiam lucrari, quando non exigitur novus actus secundum substantiam. Possumus etiam pluribus præceptis eodem opere satisfacere, quando præcepta non obligant ad opus ex titulo oneroso, ut supra diximus. Denique possumus eodem actu plures censuras contrahere; quia sicut idem actus potest plura præcepta violare, & pluribus virtutibus opponi: ita ratione diversæ contumaciæ per oppositionem ad plura præcepta potest pluribus pœnis, seu censuris subjacere.

VI. Neque dicas, posse eandem auditionem Missæ v. g. poni ex duplici motivo adæquato, videlicet lucrandi Indulgentiam A, & lucrandi Indulgentiam B; in quo casu non apparet, cur non utraque Indulgentia acquiratur; sicuti quando ponitur opus oppositum duplici præcepto comminanti censuram, utraque censura incurritur: Pontifex enim magis benignitatem exercet in miserendo, quam justitiam in puniendo: ergo sicut duplici censura, vel alia pœna afficit idem opus externum violativum duplicis præcepti; ita duplicem Indulgentiam largitur pro eodem opere elicito ex motivo lucrandi utramque.

Nam contra est: quia sicut non satis est, quod aliquis eadem solutione velit satisfacere duplici debito, ut utrumque extinguat, eo quod quæ debentur ex titulo oneroso, requirunt novam substantiam actus, ut habeatur justitia, & adæquatio jurium, & rerum: ita non satis est, quod eodem opere velit quis lucrari duplicem Indulgentiam, ut utramque lucretur, posito, quod requiratur opus ex titulo oneroso: Contra vero sicut potest eodem actu duplex præceptum violari; ita poterit duplex pœna, & censura contrahi.

VII. Sequitur ultimo, quid dicendum, An possint eodem tempore impleri plura opera injuncta ad lucrandas plures Indulgentias? v. g. audiendo Missam, & simul recitando preces, quæ opera sunt certe compossibilia. Respondendum enim cum Sanch. l. 1. c. 14. Suario loco citat. Navarro, Palao, Merolla, & aliis communiter affirmative; quia sic implentur opera injuncta, etiam secundum substantiam eorum; sicut eodem tempore potest idem satisfacere præcepto audiendi Missam, & recitandi Horas, aut duplici Pœnitentiæ Sacramentali a duobus Confessariis impositæ.

Neque dicas, detrahi de onere, si eodem tempore utrumque opus ponatur. Nam majoritas ista oneris est extrinseca operi, cum utrumque supponatur compossibile; a Pontifice autem nonnisi substantia utriusque operis imponitur, onusque illis intrinsecum: ergo quamvis majus esset onus, si utrumque successive poneretur; hoc non obstat, quominus ad utramque Indulgentiam satis sit, si utrumque simul ponatur.

ARTICULUS II.

Quandonam possint impleri Opera pro Jubilæo injuncta?

I. Poni debent intra tempus Jubilæi, aliter petenda est commutatio.

II. Opera injuncta probabiliter poni possunt etiam sequenti die Dominico, etiam post Communionem, in Jubilæo extraordinario: jejunia tantum statis diebus ponenda.

III. Probabilius tamen eadem Hebdomada omnia opera ponenda sunt.

IV. Expectanda publicatio Jubilæi ab Ordinario, a quo deputandæ sunt Ecclesiæ invisendæ.

V. Relate ad Regulares probabiliter satis est publicatio a superioribus suis facta.

I. Certum est, opera pro Jubilæo Anni Sancti injuncta debere eodem Anno poni, videlicet post aperitionem Portæ Sanctæ, quando incipit Jubilæum in primis Vesperis Nativitatis Domini. Quod si immineat anni Sancti finis, & non possint opera omnia amplius poni, poterunt ea a Confessario commutari, juxta facultatem, quæ datur in Bulla, sive quis ex ignorantia, sive voluntarie distulerit ea opera exequi, ut communiter docent apud Bossium sect. 1. casu 38. Idem dicas de Jubilæo Extraordinario, si quis v. g. in fine secundæ Hebdomadæ velit Jubilæum lucrari non præmissis jejuniis, poterunt ea commutari in alia opera pia tunc, vel post tempus Jubilæi ponenda, prout in Bulla concedi solet; aliter fructu carebit, cum conditionem requisitam non posuerit.

II. Sed circa Jubilæum Extraordinarium difficultas est primo, An possit quis die Dominico secundæ Hebdomadæ ponere non solum Communionem

nem (quod in Bulla permittitur) sed etiam alia opera injuncta, v. g. visitationem Ecclesiæ, aut Eleemosynam? aliqui id concedunt, si fiat ante Communionem; quia ita declaravit Gregorius XIII. apud Lavorium de Jubilæo, c. 22. Sed communius cum Henriq. Filliuc., Sà, Bossio sect. 4. casu 8. id permittunt etiam post Communionem. Ratio est, tum quia ita fert Praxis Fidelium, tum etiam quia opera injuncta impleri possunt, quousque durat tempus Jubilæo præfixum, si non sint certo diei addicta, ut sunt addicta jejunia; Atqui tempus Jubilæo præfixum est etiam ultimus dies Dominicus, quandoquidem juxta Bullam tunc poni potest Communio, qua posita acquiratur Jubilæi Indulgentia: ergo etiam die Dominico reliqua opera poni possunt.

III. Major est difficultas, An poni possint opera injuncta, partim una, partim altera Hebdomada, v. g. in prima Hebdomada jejunia, in secunda Eleemosyna, Confessio, &c. Concedunt Laym. Navarr. Bonac. Præpositus, Rodriq., Naldus, Bossius sect. 4. casu 5. quod probant; quia verba Bullæ, utpote favorabilia, large sunt interpretanda: Bulla autem hæc habet: *Qui prima, vel secunda hebdomada Ecclesias visitaverint, ac feria quarta, sexta, & Sabbato alterius hebdomadæ jejunaverint; pariterque confessi, & Sanctissima Communione refecti fuerint, & Eleemosynas*, &c. quibus verbis apparet, jejunia omnia debere fieri eadem Hebdomada, reliqua vero opera posse fieri prima, vel secunda Hebdomada.

Sed utut hæc opinio suadeatur, probabilior certe videtur opposita Ugolini, Fausti, Regin. Henriq. lib. 7. c. 11. Sanch. l. 4. c. 54. & aliorum. Ratio est, quia dum dicitur, *Qui prima, vel secunda hebdomada*, ponuntur a Pontifice duo tempora, quibus lucrari possimus Jubilæum positis operibus injunctis, non vero statuitur unum tempus quindecim dierum, quo possint opera præscripta poni: hoc enim videtur operari particula, *Vel*, aliter non diceretur, *Qui prima, vel secunda hebdomada*, sed diceretur; *Qui his quindecim diebus*: Ideo autem duæ hebdomadæ assignantur, ut qui nequit prima, possit Jubilæum lucrari secunda, non vero ut possint opera dividi; quia dictio illa alternativa, *Vel*, tribuit actum cuilibet in solidum, ut notat Glossa in cap. *Cum plures de officio delegati in 6.* & facit sensum disjunctivum explicatum. Et per hæc patet ad rationem in contrarium; Tenor enim Bullæ non permittit benignam illam interpretationem.

Dices: Conceditur in Bulla, ut qui Processioni interfuerit, vel Ecclesiam visitaverit, possit Indulgentiam lucrari: Atqui Processio semel fit prima hebdomada, & quilibet lucrari potest Jubilæum secunda, ut constat: ergo potest unum opus, nempe interesse Processioni, poni una hebdomada, & reliqua poni deinde altera, cum non teneatur Ecclesiam visitare, qui processioni interfuit.

Respondeo, sensum Bullæ esse, quod possit Jubilæum lucrari, tum qui prima Hebdomada Processioni interfuerit, & reliqua opera posuerit, quam qui secunda Hebdomada loco Processionis visitaverit Ecclesiam, & alia opera impleverit, ut bene interpretatur Pasqualigus qu. 59.

IV. Difficultas demum est, An, quando Jubilæum est commune omnibus Provinciis, satis sit publicatio facta Romæ in Curia, ut in omni loco impleri possint opera injuncta? Affirmant Henriq. Filliuc. Bossius sect. 4. cap. 3. & alii; tum quia sumus in materia favorabili, quæ ample accipienda est: tum etiam quia lex publicata in Curia obligat etiam absentes, statim ac ad ipsos notitia pervenerit, etiamsi non sit publicata in diœcesi: ergo a fortiori Jubilæum Romæ duntaxat publicatum sortietur ubique effectum suum: & licet Ecclesia visitanda præfigenda sit ab Ordinario, hinc solum sequitur, ut notat Henriq., posse instari, ut illam assignet.

Sed probabilius dicendum cum Nav. Ugol. Leone, Fausto, expectandam esse publicationem Ordinarii, ut possint opera injuncta poni; tum quia ita fert praxis; tum etiam quia Jubilæum, quamvis sit favor personalis, non conceditur tamen, nisi mediante publicatione, quæ fiat per Ordinarios. Nam tempus Jubilæi ex tenore Bullæ coarctatur ad duas Hebdomadas ab Ordinariis deputandas. Hæc enim haberi solent in Bulla: *Qui Ecclesias per Ordinarios designatas visitaverint, & Feria Quarta, Sexta, ac Sabbato alterius hebdomadæ ab iisdem deputandæ jejunaverint*, &c. Quare concessio Jubilæi ante publicationem Ordinarii non est perfecta; quia ex *Leg. 2. de Origine Juris*, actus non est perfectus, quando aliquid superest faciendum.

Ad id, quod objicitur, constat, Bullam non posse eam benignam interpretationem suscipere. Nec obstat paritas de Lege: Pontifex enim vult, quod lex obliget statim, ac Romæ publicata est: contra vero Jubilæum non concedit, nisi pro duabus Hebdomadis ab Ordinario deputandis; & consequenter non intendit illud elargiri, antequam in Diœcesibus publicetur. In iis vero locis, in quibus publicari non potest, ut apud Infideles, & hæreticos, communiter Doctores docent, posse a Fidelibus Jubilæum acquiri, statim ac ad illos pervenerit notitia de publicatione facta Romæ; ita ut possit visitatio Ecclesiæ deputandæ ab Ordinario commutari a Confessario; quia ibi publicatio, & designatio Ecclesiæ est impossibilis; nec videtur velle Pontifex privare hujusmodi Fideles hac universali Indulgentia. Si tamen Confessarii copia non haberetur, a quo fieret commutatio, videtur Indulgentia acquiri ab iis non posse: quia actus hic jurisdictionis commutandi opera injuncta iis tantum convenit, quibus in Bulla conceditur, non aliis.

V. Utrum autem Regulares exempti expectare debeant publicationem Ordinarii, an vero satis sit publicatio a Superioribus Regularibus facta? lis est apud Doctores. Expectandam esse Ordinarii publicationem, docent Ugolinus, Graff. Leo de Jubilæo, par. 2. n. 207. Alii tamen censent cum Henriqu. l. 7. c. 20. n. 3. Boss. de Jubil. sect. 4. cas. 3. & Pasqual. q. 54. posse Superiores Regulares publicare pro subditis suis Jubilæum, designando tempus, quo illud celebrent, & Ecclesias invisendas, quamvis putent, posse etiam expectare publicationem Ordinarii. Ratio istorum Doctorum est, quia nomine Ordinarii venit quicumque jurisdictionem habet Ordinariam, ut notat Glossa in cap. *Animarum de constitutionibus in 6.* Ergo commissio facta Ordinario dirigitur ad omnes habentes jurisdictionem ordinariam, si capaces sint talis commissionis, ut docet Sanch. lib. 3. de Matrimonio, disput. 24. Atqui in Bulla Ordinariis committitur, quod Jubilæum publicent: Ergo Superiores Regulares cum jurisdictionem habeant Ordinariam in suos subditos, utpote provenientem ratione muneris, & talis commissionis sint capaces, possunt illud publicare pro subditis suis.

Confirmant, quia hujusmodi publicatio est actus

jurisdi-

jurisdictionis a Pontifice commissus, cum habeat vim obligandi eos, qui lucrari voluerint Jubilæum: ergo non potest ad Episcopos pertinere publicatio Jubilæi relate ad Regulares exemptos, nisi quatenus voluntarie se ipsis submittant quoad hunc effectum: ergo &c.

Addunt, Publicationem Jubilæi, deficientibus Ordinariis, committi iis, qui curam gerunt animarum; ut possit innotescere etiam ubi desunt Ordinarii: cum autem Episcopi in Monasteriis desint, eo quod non possint in iis actus jurisdictionis exercere, & in hoc paria sint, Non esse, & Esse sine jurisdictione, *ex l. Non putavit, ff. de bonor. possess.* sequitur commissionem hanc ad Superiores Regularium pertinere.

Hæc tamen opinio sustinenda non est; Siquidem Episcopi publicant Jubilæum, tanquam delegati Sedis Apostolicæ; unde eorum publicatio necessaria est etiam quoad Exemptos; Episcopis enim dirigitur commissio; cum ipsi tantum sint Ordinarii locorum.

ARTICULUS III.

An Confessio ad Jubilæum assequendum sit simpliciter necessaria?

I. Videtur nonnullis, eam non esse necessariam etiam habenti mortalem, sed sufficere contritionem.

II. Censeo, confessionem non requiri per modum oneris, sed per modum dispositionis; & solum habenti mortale esse necessariam ad Indulgentiam lucrandam.

III. Qui post confessionem incidit in mortale, antequam posuerit reliqua opera injuncta, debet iterum confiteri.

IV. Secus tamen, si solum recordetur mortalis in confessione invincibiliter obliti.

V. Qui putans se carere mortali solum conteritur, etiam sine confessione Jubilæum lucratur.

VI. Sicut etiam qui confessionem ponit absque sua culpa invalidam.

I. Disputant acerrime Doctores, Sit ne Confessio ad Jubilæum lucrandum necessaria, eo modo quo reliqua opera injuncta, an vero requiratur solum, tanquam dispositio necessaria ad Gratiam, & Indulgentiam assequendam; unde si quis disponatur contritione, aut si careat mortali, possit absque Confessione Jubilæum lucrari?

Nullatenus esse necessariam Confessionem, si habens mortale conteratur, docent Filliucius, Coninch, Henriquez, Paludanus, Palaus, Suarez disp. 52. de Pœnitentia; licet oppositam sententiam hic putet securiorem. Ratio est, quia quamvis in Bulla soleat apponi clausula, quod Jubilæum conferatnr *Contritis, & Confessis*, seu *Vere pœnitentibus, & confessis*; at Confessio non requiritur tanquam opus injunctum, sed tanquam dispositio: cum ergo per solam Contritionem sit homo sufficienter dispositus ad Indulgentiam obtinendam, non exigitur a Pontifice necessario Confessio, & a fortiori si homo careat mortali.

Confirmatur primo, quia illa verba *Confessis, & Contritis* possunt ita intelligi, quod Jubilæum conferatur tam contritis contritione perfecta, quam iis, qui cum attritione confessi sunt peccata sua.

Confirmatur secundo, quia censetur Pontifex Thesaurum Ecclesiæ dispensare meliori modo, quo potest: sed potest dispensare tam contritis tantum, quam confessis cum attritione: ergo utrisque illum dispensat; atque adeo Confessio non est simpliciter necessaria.

Confirmatur ultimo, quia Clemens VI. in *Extravaganti de Pœnitentiis, & Remissionibus* tradens doctrinam circa eos, quibus concedi potest Indulgentia, dicit, Thesaurum Ecclesiæ commisisse Christum Dominum per Beatum Petrum, ejusque Successores Fidelibus dispensandum, & vere pœnitentibus, & confessis applicandum: Atqui applicari potest etiam duntaxat contritis nondum confessis, ut constat: ergo illa verba, *Vere Pœnitentibus, & confessis* non exigunt necessario Confessionem actualem.

Sed Corduba, Cajetanus, Rodriquez, Layman, Bonacina, Bellarminus, Sanctarellus de Jubilæo, cap. 10. dub. 3. putant, Confessionem esse necessariam habenti mortale. Ratio est, quia videtur Bulla illam exigere, non secus ac reliqua opera injuncta. Quod confirmatur tum ex Praxi Ecclesiæ; tum etiam quia Pontifex largiendo Indulgentias vult homines ad veram Pœnitentiam allicere, quæ tamen vividior est, si habeatur Confessio in re, quam si in voto tantum inclusa in contritione.

II. Dico equidem primo: In Bulla Jubilæi tam Anni Sancti, quam duarum Hebdomadarum non exigitur Confessio, tanquam opus injunctum per modum oneris; sed solum requiritur ex parte subjecti, tanquam dispositio ad lucrandam Indulgentiam. Ita Pasqualigus qu. 62. cum Doctoribus pro prima sententia laudatis.

Probatur ex tenore Bullæ, ubi dicitur Indulgentia concedi vere pœnitentibus, & confessis, qui Ecclesiam visitaverint, jejunaverint, &c. ergo Ecclesiæ visitatio, jejunium, &c. sunt opera injuncta; Confessio vero requiritur ex parte subjecti, ut disponatur ad indulgentiam; aliter debuisset Bulla dicere, quod Indulgentia concedatur iis, qui confessi fuerint, & Ecclesiam visitaverint.

Dico secundo cum secunda sententia: Etiamsi non requiratur Confessio per modum operis, & conditionis, adhuc est necessaria ad Indulgentiam lucrandam in eo, qui habet mortale, non secus ac reliqua opera injuncta.

Probatur, quia, ut subjectum sit capax Indulgentiæ concessæ, debent in eo præsupponi omnes conditiones, quas exigit concedens; atqui concedens Jubilæum exigit non solum contritionem, sed etiam Confessionem in eo, qui habet mortale: ergo utraque poni debet. Quando enim plures qualitates in subjecto requiruntur copulative, (ut in præsenti habetur) tunc omnes debent concurrere, ut dispositio habeat locum, ex *L. Si is, qui, ff. de rebus dubiis*; Sicut enim ad Eucharistiam sumendam requiritur a Christo Domino in eo, qui habet conscientiam mortalis, Confessio, quin satis sit sola contritio, utcumque perfectissima, quia non est apte ad illam dispositus non præmissa Confessione; ita in casu nostro. Quia tamen qui caret mortali, est sufficienter dispositus uti ad Eucharistiam, ita ad Indulgentiam, ideo Confessio, quæ in Bulla requiritur tanquam dispositio ad effectum Indulgentiæ recipiendum, non exigitur in eo, qui carens mortali est sufficienter dispositus.

Ad

Ad rationes in contrarium pro prima sententia respondeo, cum contritione posse esse hominem capacem Indulgentiæ, sed non habere dispositionem illam perfectam, quam requirit Pontifex ad ejus concessionem, ita scilicet, ut probet seipsum per Confessionem eo modo, ac cum ad Eucharistiam accedit.

Ad primam Confirmationem: Si sensus illorum verborum esset, quod conferatur Indulgentia tam contritis tantum, quam confessis, debuisset Bulla apponere formulam disjunctivam, non copulativam, dicendo, Indulgentiam concedi contritis, vel confessis; cum autem dicat, Contritis, & confessis, sensus est, utrumque requiri.

Ad secundam Confirmationem: Pontifex dispensat Ecclesiæ Thesaurum, non solum sicut potest, sed etiam sicut vult; aliter nullum opus exigeret, quia absque onere ullius operis potest Indulgentiam largiri: Quare cum velit confessis eam dispensare, non satis est, quod homo sit contritus, quamvis huic etiam dispensare potuisse.

Ad ultimam: Clemens VI. ibi præscribit modum, quo dispensari potest Ecclesiæ Thesaurus a Pontifice, & quia tam contritis, quam confessis dispensari potest, ideo illa verba *Vere pœnitentibus, & confessis* sumenda sunt in sensu accommodo; ita scilicet, ut requiratur Confessio, si non adsit contritio. Contra vero in Bulla Jubilæi non præscribit Pontifex capacitatem subjecti, sed qualitatem, & modum dispositionis ejusdem: ergo cum requirat pro dispositione ad Jubilæum non solum contritionem sive perfectam, sive imperfectam, sed etiam Confessionem, verba Bullæ sumenda sunt copulative, prout sonant, non disjunctive.

Dices: Ergo etiam si quis careat mortali, adhuc debet Confessionem venialium ponere; cum Pontifex non distinguat inter habentem mortalia, & non habentem, & cæteroqui possit pro dispositione ad Indulgentiam requirere Confessionem venialium.

Respondeo, in hac sententia esse Sanchez lib. 8. de Matrimonio disp. 15. Sotum, Sylvestrum, Rodriquez, & alios apud Pasqualigum quæst. *62.* Equidem tamen cum Suario disput. 52. de Pœnitentia, sect. 3. Layman, Bonacina, Leone, Filliucio, Henriquez lib. 7. cap. 12. ab iis dissentio. Nam sicut adest præceptum de præmittenda Confessione Eucharistiæ, quin sit sensus de Confessione venialium, ex Tridentino sessione 13. c. 7. quia confessio absolute dicta significat Confessionem mortalium, eo modo, quo peccatum absolute dictum significat mortale: ita quamvis Bulla requirat pro dispositione ad Jubilæum confessionem, non est sensus nisi de confessione mortalium. Et ratio a priori est, quia confessio, ut diximus in prima Conclusione, non exigitur tanquam opus injunctum per modum oneris, sed tanquam dispositio ad remissionem pœnarum obtinendam: ergo cum non requiratur talis dispositio in habente venialia, utpote qui capax est Indulgentiæ absque ulla dispositione, dicendum, confessionem in eo non requiri, nisi expresse a Pontifice exigatur tanquam opus injunctum (*a*).

„ (*a*) Quemadmodum factum a Benedicto XIV. „ qui de hac quæstione differit in Encyclica Itali- „ ca epistola alias citata *n.* 3. *ad* 8. *& n.* 77. *ad* „ *79.*

III. Ex dictis sequitur primo: quod si quis lucraturus Jubilæum confiteatur, & antequam impleat reliqua opera injuncta, incidat in mortale, teneatur iterum confiteri, ut dicitur de eo, qui suscepturus est Eucharistiam. Ratio est, quia aliter non haberetur dispositio a Pontifice requisita. Ita Suarez, Filliucius contra Nugnez, Præpositum, Bonacinam disp. *6.* de Sacramentis. q. 1. puncto 5. (*b*)

„ (*b*) Atque huic sententiæ adhæsit Benedictus „ XIV. in Constitutione *Convocatis*, & in Epistola „ Encyclica *num.* 71.

IV. Sequitur secundo: quid dicendum de eo, qui post confessionem recordatur mortalis obliti, antequam alia opera impleat? Nam si impleverit, jam Indulgentiam lucratus est; Unde si deinde recordetur mortalis, non proinde Indulgentiam amittet, si non confiteatur tunc; sed satis erit, quod debito tempore illud mortale clavibus subjiciat. Si vero nondum reliqua opera posuerit, Suarez, Filliucius, aliique putant debere iterum confiteri, ut dictum est de eo, qui suscepturus est Eucharistiam: quia scilicet confessio debet esse de omnibus peccatis commissis ante effectum Jubilæi.

Sed probabile censeo cum Fausto, Præposito, Palao, Vasquez quæst. *66.* non teneri confessionem iterare: quia jam peccata illa olim per confessionem Sacramentalem deleta sunt indirecte. Idcirco ad Eucharistiam præmittenda est iterum confessio de peccatis, quæ post confessionem in mentem veniunt, quia ex traditione constat, sic Christum Dominum præcepisse; at non constat, Pontificem voluisse consimilem omnino dispositionem ad Indulgentiam. Quando autem Adversarii dicunt, Confessionem debere esse de omnibus peccatis ante Jubilæi effectum commissis, si sensus est, quod debeant omnia simpliciter explicari in Confessione, hoc est aperte falsum: aliter qui inculpabiliter aliquod peccatum omitteret in Confessione vel ob oblivionem, vel ob aliam causam, non posset Jubilæum lucrari: si sensus est, quod debeant omnia explicari juxta exigentiam Confessionis; ita ut omnia sint remissa, saltem indirecte, per Sacramentum Pœnitentiæ, hoc jam habetur in casu nostro: quia Confessio non exigit, quod peccata oblita subjiciantur clavibus, sed solum exigit, ut suo tempore subjiciantur, quando in mentem veniunt.

V. Sequitur tertio: quid dicendum, si quis facta Confessione incidat in mortale, & non advertens ad illud conteratur de omnibus mortalibus, An scilicet Jubilæum lucretur? Et eadem est quæstio de eo, qui putans non habere mortale, omittit Confessionem, sed conteritur de peccatis omnibus, etiam oblitis, inter quæ est mortale. Dicendum enim cum Suario disp. 52. sect. 3. aliisque, Jubilæi effectum ab eo peccato non impediri. Ratio est, quia quando requiritur Confessio mortalium, ut dispositio ad Indulgentiam, requiritur Confessio eo modo, quo est possibilis; ad impossibile enim nemo tenetur; Sed non est possibile hunc confiteri peccata oblita, antequam veniant in mentem: ergo non potest ab eo requiri confessio, ut dispositio ad Indulgentiam lucrandam, sed satis erit contritio.

VI. Sequitur demum quarto: Confessionem invalidam absque culpa pœnitentis sufficere ad Jubilæum lucrandum, si adsit contritio. Ratio est,

quia Pontifex injungit confessionem, tanquam dispositionem; eò modo, quo est possibilis pœnitenti; ita ut si nequeat confiteri, non proinde careat Indulgentiæ fructu: Atqui in hoc casu per penitentem non stat quominus habeatur confessio valida: ergo sufficienter est dispositus ad effectum Jubilæi.

ARTICULUS IV.

De Communione in Jubilæo requisita.

I. Dubium est, an in Jubilæo Anni Sancti ea requiratur.

II. Quando injungitur, non satis est sacrilega Domini manducatio.

III. Et probabiliter nec Communio informis.

IV. Non est commutanda pueris, ut possint Jubilæum lucrari.

V. Opera injuncta commutanda sunt, quando impedimentum est accidentale, & fortuitum, non quando per se inest.

I. IN Bulla Jubilæi Anni Sancti non exigitur expresse Communio: & quamvis Filliucius nu. 250., & Julius Lavorius de Jubil. q. 1. c. 13. putent eam ex praxi supponi; negant tamen Pasqualig., & Bossius sect. 4. c. 1. quia finis hujus Jubilæi est honor Apostolorum Petri, & Pauli, ex *Extravaganti Antiquorum, de Remissionibus, & Pœnitentiis:* & ideo contentus est Summus Pontifex, quod eorum Basilicæ frequententur. In Jubilæo vero extraordinario solet exigi Communio tanquam opus injunctum. (*a*)

,, (*a*) Primus Benedictus XIV. Communionem ,, exegit in Bulla *Peregrinantes* pro Jubilæo Anni ,, Sancti, ut ipsemet etiam fatetur in Epistola Encyclica *n.* 2.

II. Ea tamen sufficiens erit ad fructum Jubilæi, si sit sufficiens ad Gratiam causandam, qualis juxta probabilem plurimorum Theologorum doctrinam est Communio ejus, qui oblitus mortalis, quod commisit, ad illam accedit attritus; in quo casu per accidens causat primam Gratiam. Si vero Communio scienter fiat in mortali, etiamsi olim plures Doctores cum Fausto, Filliucio, Suario disp. 52. sect. 6. Corduba, Henriquez, aliique putarint sufficere ad Jubilæum, nunc tamen non videtur posse id sustineri. Nam cum proscripta sit ab Innoc. XI. Prop. 53. dicens: *Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem*, paritate rationis, & a fortiori evincitur, Pontificem exigere Communionem dignam, & a sacrilegio omnino abhorrentem. Quis enim dixerit, velle Pontificem sacrilegis, qua talibus, Indulgentiam, & favores Jubilæi impertiri?

Neque dicas, Ecclesiam non judicantem de internis contentam esse duntaxat de Communione, & reverentia externa. Nam quoties exigitur aliquis actus, exigitur secundum propriam rationem, & exigentiam talis actus; Sic quando exigitur Confessio, exigitur actus doloris internus ad illam requisitus; quando exigitur celebratio Missæ, exigitur intentio consecrandi: ergo quoties præscribitur Communio, ea ponenda est juxta naturam, & exigentiam ejusdem; hæc autem petit digne fieri, atque adeo non solum requiritur reverentia externa, sed etiam devotio debita interna, excludens conscientiam peccati mortalis; Quamvis enim communio sacrilega sit materialiter Sacramentalis, non tamen formaliter, & prout exigit usus, & sumptio Sacramenti, quod petit digne sumi, ut possit animam reficere.

III. Utrum autem satis sit ad Jubilæum lucrandum Communio solum informis non sacrilega, quæ habetur, quando quis invincibiliter oblitus peccati mortalis, nulla prævia contritione, aut saltem attritione, sumit Eucharistiam? Affirmant Bottonus, & Bossius sect. 4. casu 20. n. 7. Sed probabilius videtur negandum cum Pasqualigo q. 76. cum talis Communio non sit digna Sacramenti sumptio, nec animi refectiva, prout videtur exigi a Pontifice; quare, esto reliqua opera in statu peccati etiam scienter posita probabiliter ad Jubilæum lucrandum satis sint, ultimo excepto, juxta dicta q. 6. a. 2. non tamen Communio. Et ratio disparitatis est, quia dum injungitur Communio, injungitur non solum operis substantia, sed etiam modus; passim enim in Sacris Canonibus apud Cardenas t. 3. dissert. 34. c. 2. art. 3. Fideles monentur, ut reverenter ad illam accedant; Et Trident. sess. 13. cap. 7. addit, cavendum, ne absque magna reverentia, & sanctitate ad illam percipiendam accedamus. Quare Communio in statu peccati mortalis, etiamsi bona fide, & non sacrilege posita; probabiliter non sufficit ad Jubilæum lucrandum; ut non sufficit ad refectionem animæ ab Ecclesia intentam. Nec mirum, quod peccatum invincibiliter ignoratum impediat Indulgentiæ factum; cum in omnium sententia illum impediat, si in executione ultimi operis habeatur.

IV. Dubitatur de Pueris, An scilicet Communio iis commutanda sit, ut possint Jubilæum lucrari? Affirmant Bossius sect. 4. casu 20. Sanctarellus, Faustus, Vega, Hurtadus lib. 9. cap. 10. Sed probabile putat Vasquez quæst. 78. non esse opus commutatione; quia cum a Jure, seu a Consuetudine prohibeantur Pueri Communionem sumere, idque norit Summus Pontifex, dicendum non exigi ab iis Communionem: quia ex c. *Tua de Testamentis*, Conditio de Jure impossibilis, etiamsi apponatur, habetur pro non apposita: ergo cum relate ad Pueros ista conditio, quod communicent, sit de jure impossibilis, relate ad illos habetur pro non apposita.

V. Neque dicas, Communionem in Jubilæo requisitam extendi ad Pueros, non quidem ut implendam, sed ut commutandam, cum concedatur Confessariis facultas commutandi opera injuncta ob rationabilem causam. Nam contra est, quia facultas commutandi Opera injuncta est relate ad eos, qui habent impedimentum aliquod accidentale, & fortuitum, non relate ad personas a jure impeditas. Nam Bulla recenset impedimentum Infirmitatis, Carceris, & subdit, aut *aliud quodcumque impedimentum;* ubi dictio illa *aliud*, refertur ad impedimenta consimilia, videlicet contingentia, & casualia: *Ex leg. Quidam relegatus, ff. de rebus dubiis*, ut notat *Surdus decisione* 265. *n.* 24. & *Rota decisione* 91. *n.* 5. (*a*)

,, (*a*) Confer Encyclicam Benedicti XIV. *n.* 80., ,, qui in sua Constitutione *Convocatis* expresse Con-,, fessariis facultatem dedit Communionis Pueris ,, commutandæ.

ARTICULUS V.

De Visitatione Ecclesiarum, & Oratione in iis facienda.

I. Eodem die quatuor illæ Basilicæ visitari debent in Jubilæo Romano, triginta diebus ab Incolis, & quindecim ab Advenis, sive interpolatis, sive continuis.

II. Etiam parvitas materiæ impedire potest Jubilæi assecutionem; ut si quis vicies novies visitet Ecclesias tricies visitandas.

III. Requiritur devotio consistens in hoc, quod ea Visitatio proveniat a voluntate præstandi, quæ ad Dei famulatum, & cultum pertinent.

IV. Non est necessaria talis devotio in itinere.

V. Non impedit devotionem debitam veniale, sed solum mortale, non habituale, sed actuale.

VI. Oratio facienda non est opus, quod expresse, & formaliter dirigatur ad finem a Pontifice intentum: Attentio etiam, & intentio satis est virtualis.

VII. Communius docent, sufficere Orationem pure mentalem.

I. Diximus, ad lucrandum Anni Sancti Jubilæum requiri præter Confessionem, quod Incolæ per triginta dies saltem interpolatos, Advenæ per quindecim dies visitent (*a*) quatuor Basilicas, Sancti Petri, Sancti Joannis Lateranensis, Sanctæ Mariæ Majoris, & Sancti Pauli, ibique orent pro sua, & totius Christiani Populi salute; In Jubilæo vero Extraordinario visitandæ sunt Ecclesiæ ab Ordinario designatæ.

„ (*a*) Omnes eodem die, ut optime in Summario „ articuli expositum est, & a Benedicto XIV. asseri„ tur in Encyclica Epistola *nu.* 11. qui etiam *nu.* „ *seq.* docet, unde dies sumi possit & debeat.

II. Dubitatur tamen primo, An habeat hic locum parvitas materiæ, itaut ex benignitate Pontificis adhuc Jubilæum lucretur, qui semel visitare omittat Ecclesias, solumque v. g. per vigintinovem dies illas visitet. Admittit Bossius sect. 4. casu 13. Sed communiter cum Leone puncto 3. de Jubilæo num. 114. Pasqualigo quæst. 84. negatur, quia conditio, cum inducat rationem formæ, debet stricte servari, ex c. *Dilectus*, *de Præbendis*. Præterea forma consistit in indivisibili, numerus etiam in indivisibili consistit: ergo cum conditio, sub qua Indulgentia conceditur, consistat in numero triginta dierum, isto numero deficiente, deficit conditio simpliciter, & forma a Pontifice requisita. Nec valet fundamentum oppositæ sententiæ, quod nititur in præsumpta voluntate Pontificis, & in ejus æquitate, & benignitate; quia cum expresse injungatur numerus triginta dierum, corruit omnis præsumptio in oppositum; non enim licet procedere a tacito, vel præsumpto ad expressum, ut notat Decius consilio 34. Idcirco non adhæreo doctrinæ Pasqualigi putantis quæ. 86. posse Ecclesias visitari pluries eodem die in ordine ad implendum numerum visitationum. Nam præscribitur, ut per triginta dies visitentur: non vero præscribuntur triginta visitationes. Facilius interpretari possemus Bullam, dum quæritur, An possint illæ quatuor Ecclesiæ visitari per triginta dies interpolatos; unde affirmant Filliucius tract. 1. c. 10. & Quintanadvenas; Sed verius cum Navarro, Bossio, Quarto, Fausto lib. 3. q. 20. hoc etiam negandum est. Obstare enim videtur praxis fidelium, qui eodem die omnes quatuor visitant, stricte in hoc Bullam interpretantes. Praxis autem, & observantia subsecuta declarant jus, & dispositiones omnes, ex cap. *Cum dilectus*, *de Consuetudine*, ut notant communiter Doctores cum Baldo cons. 1.

III. Dubitatur præterea, qualis devotio requiratur in visitatione Ecclesiæ? Suppono devotionem requisitam consistere in eo, quod visitatio ordinata sit in cultum Dei. Ita Suarez disp. 52. de pęnitentia sect. 2. Devotio enim ex D. Th. 2. 2. quæ. 182. art. 1. non est aliud, quam voluntas tradendi se ad ea, quæ ad Dei famulatum spectant, seu faciendi ea, quæ spectant ad Dei obsequium. Cum ergo in visitatione Ecclesiæ requiratur devotio, dicendum requiri tantum, quod ea visitatio proveniat a voluntate faciendi ea, quæ ad Dei famulatum, & cultum pertinent. (*a*)

„ (*a*) Confer Benedicti XIV. Encyclicam Episto„ lam *num.* 76.

IV. Hinc sequitur primo, quod si quis jocans ad Ecclesiam pergeret, visitaret tamen deinde cum hac devotione, adhuc Indulgentiam lucraretur; quia devotio non requiritur in itinere, sed in Ecclesia.

Sequitur secundo, quod si quis ad Ecclesiam accederet ob finem non pertinentem ad Dei cultum, puta ob curiositatem; deferret tamen postea Deo cultum, genuflectendo, aut alium actum reverentię exercendo, ac orando, adhuc Indulgentiam lucraretur: quia finis ille non impediret devotionem debitam, quæ consistit in illo reverenti ingressu, & delatione cultus provenientis a religiosa voluntate.

V. Sequitur tertio: Peccatum veniale in ipso actu visitationis non impedire debitam devotionem: Actus enim v. g. vanæ gloriæ non impedit, quominus visitatio proveniat ex Religiosa voluntate, & ordinetur ad Deum. Immo nec peccatum mortale habituale eandem impedit: possunt enim peccatores etiam devote Ecclesiam visitare. Nam ex Trident. sect. *6. c. 7.* anathematizatur, qui dixerit, omnia opera ante justificationem esse mala: possunt ergo peccatores actus bonos exercere, atque adeo actus religionis, & sic devote Ecclesiam visitare. Verum tamen est, in ultima visitatione requiri statum Gratiæ, ut Jubilæum Anni Sancti acquiratur; quia, ut supra ostendimus, requiritur status Gratiæ, quando exercetur opus ultimum, ut homo capax sit Indulgentiæ. In Jubilæo autem Anni Sancti visitatio Ecclesiæ necessario est ultimum opus injunctum; quia confessio non requiritur tanquam opus injunctum, ut dictum est, sed tanquam dispositio ad Indulgentiam: ergo nisi in ultima visitatione Ecclesiæ habeatur status Gratiæ, non acquiritur Jubilæum Anni Sancti; acquiritur vero Jubilæum extraordinarium, quia ultimum opus injunctum potest esse Eleemosyna, vel jejunium, vel Communio.

Sequitur quarto; Peccatum mortale actuale impedire devotionem debitam; ut si quis visitaret Ecclesiam animo inducendi alium ad peccatum; hæc enim voluntas, utpote aversativa ultimi finis, est incompossibilis cum voluntate faciendi ea, quæ ad Dei cultum spectant, ut notat Pasq. q. 89. contra Nav. de Indulgentiis not. 52. n. 46. & Leonem q. 1. n. 148.

VI. Circa Orationem in Ecclesiis faciendam, *pro sua, ac totius Populi Christiani salute*, *pace*, *& concordia*, juxta tenorem Bullæ, sciendum, non oportere expresse

presse pro fine a Pontifice intento orare, sed satis esse, quod quis oret in eum finem in genere, pro quo Summus Pontifex injungit orationem. Ita Bossius sect. 4. c. 16. Faustus, Quartus, Pasqualigus, Sanctarellus c. 6. quia Pontifex solum præscribit finem Orationis, & ad hoc non est opus, quod formaliter, & expresse ad illum Oratio dirigatur, sed satis est, quod virtualiter. Hinc sufficit in tali Oratione attentio etiam virtualis, ut notat Glos. *in Clement. de Reliquiis, & veneratione Sanctorum*; quia Oratio non injungitur, ut mentem spiritualiter reficiat, sed ut impetret intentum; Ut autem sit impetratoria, non requirit attentionem actualem aut ad Deum, aut ad verba, aut ad sensum verborum; sed sufficit, quod proveniat ex voluntate porrigendi preces ad Deum, ut notat D. Th. 2. 2. q. 83. art. 13. Immo hæc ipsa intentio, seu voluntas porrigendi preces Deo satis est, quod sit virtualis, & inclusa in voluntate orandi, prout injungitur: in ea quippe voluntate implicite, & virtualiter includitur voluntas dirigendi Orationem ad finem a Pontifice intentum juxta ejus præscriptum. Ratio hujus est, quia ut actus sit ordinatus ad finem, sufficit ordo virtualis, ut communiter docent Doctores.

VII. Dubitatur tamen, an satis sit Oratio mentalis ad Jubilæum lucrandum? Debere esse vocalem, putarunt Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 2., & Ludovicus a Cruce: quia Ecclesia visibilis imponens Orationem nomine suo faciendam imponit Orationem sensibilem; qua de causa non satis est Horas Canonicas solum mentaliter recitare. Sed satis esse mentalem communiter docent cum Navarro, Filliucio, & Trullench; quia imponitur absolute Oratio: ergo quæcumque Oratio proprie dicta satis est. Est autem proprie dicta Oratio mentalis, imo magis proprie, quam vocalis; quia vocalis in tantum est Oratio, in quantum conjungitur cum mentali; qui enim recitaret Horas Canonicas, præcise ut experiretur, an eas memoria teneat, revera non oraret.

Ad id, quod objicitur, respondetur, etiam Orationem mentalem posse nomine Ecclesiæ fieri: Ad hoc enim ut nomine Ecclesiæ sit, non requiritur, quod oratio publico modo fiat, sed solum quod sit publica, seu publica judicetur, & ad publicum Ecclesiæ finem ordinetur. Quare potest esse impetratoria relate ad talem finem, etiamsi fiat privato modo, & sit duntaxat mentalis. Verum quidem est, horas canonicas debere vocaliter recitari; etenim ibi præcipitur determinate Oratio vocalis. In Jubilæo autem præcipitur duntaxat Oratio; atque adeo utraque satis est, tam vocalis, quam mentalis (*a*). Censeo tamen cum Rodriq., & Coninch. disp. 12. de Indulgentiis dub. 6. contra Suar. dis. 52. de Pœnitentia s. 8. Henriquez, Bonacinam, Bossium, aliosque, non sufficere quamcumque Orationem, etiamsi sit notabiliter modica, sed debere eam esse congruam ad obtinendum finem a Pontifice intentum: quando enim præscribuntur media ex efficaci intentione finis, medium debet esse aptum, & proportionatum pro fine obtinendo; minima autem Oratio secundum prudentem æstimationem non videtur apta ad finem Jubilæi; tum quia raro fit devote, prout requiritur, si est minima; tum etiam quia minima non sunt in consideratione, *Ex leg. si Oleum ff. de dolo*.

„ (*a*) Benedictus XIV. vocalem sufficere voluit,
„ mentali vero addendam vocalem in Constitutione
„ *Convocatis*, & in Encyclica Epistola, quam vide
„ *num.* 83.

ARTICULUS VI.

De Eleemosyna.

I. Non satis est Eleemosyna modicissima, ut nec Oratio.
II. Ad illam etiam pauperes tenentur, etiam Religiosi: utrisque commutanda, si nequeant.
III. Probabilius impeditur Jubilæi acquisitio, si detur eleemosyna distribuenda pauperibus, & ea intra tempus Jubilæi non distribuatur.
IV. Eleemosyna spiritualis non sufficit.

I. IN Jubilæo Anni Sancti non injungitur eleemosyna, sed solum hortatur omnes Pontifex, ut eleemosynis abundent. In Jubilæis duarum hebdomadarum injungi solet. Puto tamen propter rationes modo adductas, cum de Oratione, non sufficere Eleemosynam modicissimam, ut contra communiorem tenet Pasqualig. q. 133. quia quando aliquid committitur arbitrio boni viri, debet provenire juxta regulas prudentiæ, quæ nunquam dictabit, præsertim divitibus, quod ad impetrandum finem Jubilæi modicissima stipes erogetur; quod etiam praxis declarat, cum opulentiores majorem Eleemosynam soleant dispensare.

II. Dubitatur ergo, an Pauperes etiam ad Eleemosynam teneantur? Negant Faustus, Navarrus, aliique; quia non est verisimile Pontificem velle obligare eum, qui impotens est; unde communiter laudati Doctores docent, non oportere, quod tale opus a Confessariis commutetur; sicut diximus de Pueris, quod non debeat Communio in aliud opus a Confessario commutari.

Sed probabilius dicendum cum Boss. sect. 4. c. 11. Gobat. c. 29. nu. 14., Pasqual. q. 127., etiam Pauperes teneri; tum quia nemo tam pauper est, quin possit obolum dare, vel ab alio petere, ut in eleemosynam detur pro Jubilæo comparando; tum etiam quia potest facile a Confessario in aliud opus commutari. Neque obstat, quod tale opus sæpe sit impossibile pauperibus. Nam, etiam dato quod non possint stipem erogare, adhuc talis impotentia est per accidens; sicuti per accidens est, quod ægrotus non possit jejunare ad Jubilæum lucrandum: Unde sicut Ægroto commutanda sunt a Confessario jejunia, ut possit esse particeps Jubilæi; ita pauperibus commutanda est eleemosyna.

Hinc sequitur, Religiosos etiam teneri ad eleemosynam vel per ipsos, vel per Superiores erogandam; quod etiam verum est de uxoribus, filiis familias, servis &c. Ratio universalis est, quia quando concessio facta est sub conditione, deficiente conditione, concessio habetur pro non facta, ex *Leg. Pecuniam ff. si certum petatur*. Quod si nolit Superior eleemosynam pro Subditis largiri, & hi impotentes sint ad illam, Bossius sect. 4. cap. 21., & Dian. part. 5. tr. 12. res. 31. putant posse Subditum aliquid de Monasterio accipere ex præsumpta voluntate Superioris rationabiliter procedentis. Equidem censeo petendam tunc esse a Confessario commutationem; sicut si Superior nollet Subditis facultatem dare egrediendi domo ad visitandas Ecclesias, puto cum Armilla Sanctarel. c. 4. dub. 5., & Boss. sect. 4. c. 16. quod non liceret illis absque facultate egredi, sed petenda esset commutatio.

Dices, non teneri Subditum obedire, nisi intra terminos Regulæ: quando autem præcipitur aliquid pri-

privans jure a Pontifice concesso lucrandi Jubilæum, præcipitur, quod est extra Regulæ cancellos; Quare ejusmodi esset abusus Potestatis in præjudicium Subditi, atque adeo Superior nulliter procederet; cum Potestas Superioris data in ædificationem, non in destructionem non se extendat ad ea, quæ illicita, & injusta sunt, ex *leg. Quæro*, *ff. locati*, & ex cap. *Cum dilectus de consuetudine*, ut notat Sanchez lib. 2. de Matrim. disp. 15.

Respondeo, illicite quidem id præcipere Superiorem: sed non quodcumque illicite præcipit Superior, est extra terminos Regulæ, ita ut non teneatur Subditus obedire. Ex hac doctrina probabant aliqui, Regularem Episcopo præsentatum, & ab eo injuste reprobatum posse Confessionem audire: itaut etiam præceptum Confessionis annuæ impleret, qui huic confiteretur; quia scilicet injusta reprobatio habetur pro nulla, cum tamen damnata sit ab Alex. VII. Prop. XIII. dicens: *Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato*. Illicite etiam Superior sine causa præciperet v. g. jejunium, sed non proinde subditus non teneretur obedire. Quod si ad lucrandum Jubilæum posset egredi domo subditus renuente Superiore, posset etiam egredi quotidie domo absque facultate egrediendi ad lucrandas Indulgentias, quæ sunt in Ecclesiis Civitatis, puta in Civitatibus, ubi exponitur Venerabile, & habetur comprecatio quadraginta horarum circularium; quod tamen nemo dixerit: præsertim quia tempore Jubilæi potest Subditus facile commutationem petere a Confessario. Quare non est facile præsumendum, esse extra terminos Regulæ istam prohibitionem egrediendi domo, etiamsi illicite fieret a Superiore, cum possit aliquando ea ordinari ad Religionis institutum; & in dubio semper pro Superiore præsumendum est.

III. Dubitatur secundo, An si eleemosyna detur distribuenda, & non distribuatur, vel si distribuatur, non tamen intra tempus Jubilæi, impediatur hujus acquisitio? Sà. V. Indulgentia, Vega, Lezana, Pasqual. quæst. 136., & alii putant non impediri; quia eleemosyna ex D. Th. 2. 2. q. 32. art. 1. est actus, quo datur aliquid indigenti propter Deum: Quando autem committitur Ministro, ut eleemosynam distribuat, tunc ea datur propter Deum, & quidem indigenti. Quamvis enim indigens illam non accipiat, & nondum secuta traditione non acquirat jus in re; at re vera illa datur, seu donatur indigenti, ita ut Dominus abjecerit a se dominium illius, quantum est ex se: ergo jam habetur, quod sufficit ad implendum opus injunctum; præsertim quia ex æquitate, & benignitate Summi Pontificis præsumendum est, contentum esse hujusmodi eleemosyna sive proprie, sive minus proprie dicta. Et ratio ulterior est, quia quod Minister retineat eleemosynam distribuendam, est per accidens, & præter intentionem dantis illam indigenti: Quæ autem per accidens eveniunt, non mutant rei substantiam, ex *leg. Naturalem ff. de Dominio rerum acquiren.* Hinc, sicuti si detur pauperi putato eleemosyna, hujus substantia non mutatur, quia per accidens est, quod sit putatus, & non verus pauper; ita pariformiter in casu. Hæc subtiliter, & ingeniose pro stabilienda hac sententia, quæ certe suam habet solidam probabilitatem.

Sed certe probabilior videtur sententia opposita, quod ab hac eleemosyna non distributa pauperibus, vel non distributa tempore Jubilæi, hujus acquisitio impediatur, ut docet de Lugo disp. 27. n. 212. Corduba, Rodriq., Bonac., Leo, Sanctar. cap. 7. dub. 1. Ratio est, quia si non stat conditio requisita pro Jubilæo assequendo, Jubilæum non acquiritur: Sed non distributa pauperibus eleemosyna, non stat conditio requisita: ergo. Probatur minor: Nam ad substantiam eleemosynæ spectat, quod detur aliquid indigenti propter Deum; ergo si nihil detur indigenti, sed solum tradatur erogandum, substantia eleemosynæ non habetur. Sicuti enim non contrahit Matrimonium, qui tantum committit alteri, ut nomine suo contrahat; ita non dat, qui tantum committit dandum aliquid indigenti. Et sane quousque detur talis eleemosyna pauperi, semper potest sibi dominus illam usurpare, cum nulla sit donatio valida ante acceptationem: ergo re vera nihil datum est indigenti; & consequenter Jubilæum non obtinetur. Verum quidem est, quod si detur eleemosyna pauperi putato, eleemosynæ substantia non mutetur, nec Jubilæi acquisitio impediatur. Et ratio est, quia ad objectum virtutis moralis satis est, quod illud appareat, non quod sit, prout requiritur; at ad eleemosynæ substantiam spectat, quod revera detur aliquid indigenti saltem putato: unde dispar ratio.

Confirmatur: quia sicuti universim non restituit, nec exercet complete actum justitiæ debitum, qui tradit pecuniam furtivam Ministro restituendam, nisi re vera ea perveniat ad dominum; ita non dat, nec exercet actum eleemosynæ complete, qui dat eleemosynam distribuendam indigenti, donec re vera ad indigentem perveniat.

IV. Neque obstat, quod benigne debeamus interpretari mentem Pontificis. Nam debemus juxta proprietatem verborum ejus mentem interpretari; & idcirco communius docent DD. cum Bossio sect. 4. cap. 21. contra Zanardum, non sufficere ad lucrandum Jubilæum eleemosynam spiritualem: quia eleemosyna proprie dicta significat temporalem, & verba Bullæ interpretanda sunt juxta communem significationem: atqui etiam eleemosyna proprie dicta fert, quod detur, non quod committatur aliquid dandum indigenti; atque adeo importat eleemosynam completam: ergo non possumus mentem Pontificis interpretari, quod satis sit eleemosyna incompleta, qua aliquid detur dandum pauperibus: Aliter posset etiam dici, quod sufficiat voluntas dandi eleemosynam; si quis ex. gr. proponat dare ante finem Jubilæi eleemosynam, & seorsim illam ponat, quam tamen deinde ex oblivione non det; quia etiam in hoc casu habetur actus aliquis eleemosynæ incompletus; quod tamen nemo dixerit sufficere.

ARTICULUS ULT.
De Jejuniis pro Jubilæo assequendo præscriptis.

I. Tempore Paschali jejunia non sunt commutanda, sed ponenda.

II. Si jejunium coincidat cum aliquo festo ex principalioribus, anticipandum, non commutandum in aliud opus.

III. Nec adolescentibus est commutandum per se.

IV. Major causa requiritur, ut commutentur jejunia Jubilæi, quam ut dispensetur quis in jejuniis Ecclesiasticis.

V. Ul-

Ultimo die Jubilæi commutari possunt jejunia etiam voluntarie, & mala fide prætermissa in jejunia postmodum ponenda, differendo Jubilæi consecutionem.

I. Quamvis in Jubilæo Anni Sancti nullum jejunium exigatur, sed solum ad assiduas orationes, eleemosynas, & jejunia Bulla adhortetur: exiguntur tamen in Jubilæo Extraordinario universim tria jejunia, Feria quarta, & sexta, & sabbato; & quidem omnia eadem hebdomada, & ritu jejunii Ecclesiastici præstanda, & diebus præfixis.

Dubitatur solum primo, An possint jejunia commutari v. g. in tres eleemosynas, si Jubilæum celebratur tempore Paschali?

Affirmat Gobat cap. 28. num. 202. quia Sixtus V. anno 585. indicens eo tempore Romanis Jubilæum, pro jejuniis imposuit triplicem eleemosynam. Sed hæc ratio est insufficiens. Nam Urbanus VIII. anno 1634. indicens eodem tempore Jubilæum imposuit consueta jejunia. Et ratio ulterior est, quia jejunium, tanquam exercitium virtutis voluntarie assumendum admittitur a Jure Canonico quocumque die, & tempore, ex c. *post Pascha*, & c. *Utinam* dist. 76. ut communiter docent cum D. Thom. 2. 2. quæst. 147. art. 5. Jejunium autem Jubilæi voluntarie assumitur a cupientibus illud lucrari: ergo potest quolibet die, ac tempore præscribi in Jubilæo, quin propter hoc detur causa sufficiens, ut ab Episcopo, vel Confessario commutetur.

II. Dices. Si hæc ratio valeret, neque posset commutari jejunium Jubilæi, si incidat in diem festum ex principalioribus, puta in diem Nativitatis: hoc tamen videtur absonum; ergo possunt in casu adducto jejunia commutari. Probatur minor, quia facultas commutandi opera injuncta in Jubilæo est pro casu, quo opus injunctum est moraliter impossibile, aut saltem difficile; etenim ex *leg. Si Fidejussor, ff. de Verborum significatione*, illud dicitur posse fieri, quod satis commode potest impleri; & consequenter quod est valde difficile, dicitur moraliter impossibile: Est autem valde difficile, quod die Nativitatis, vel Ascensionis, aut alio ex principalioribus tota urbs jejunet; ergo videtur sufficiens ratio, cur jejunium his diebus commutetur ab Episcopo.

Respondeo distinguo sequelam: Jejunium Jubilæi coincidens cum aliquo Festo ex Principalioribus neque posset commutari v. g. in eleemosynam, concedo, in jejunium alio die ponendum, nego sequelam. Nam ex c. *consilium de observantia jejuniorum* de jure communi solemnitas festi est causa anticipandi jejunium: Et Urbanus VIII. apud Pasqualigum q. 263. declaravit, quod quando Vigilia Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ coincidit cum Festo Corporis Christi, debeat jejunium anticipari, quia tale Festum est ex principalioribus, quod cum summa lætitia celebrandum est. Quare cum Episcopi habeant facultatem ex rationabili causa transferendi in alium diem jejunia juris communis, ut notat Panormitanus in Rubricam de observantia jejuniorum, Butrius, Cajetanus, Reginald. lib. 4. c. 17. Azorius, Layman, & alii; ideo si jejunium Jubilæi cum hujusmodi Festis coincidat, poterit Episcopus in alium diem transferre, non tamen in aliud pium opus commutare; cum non detur ad id causa sufficiens.

III. Dubitatur etiam, An detur sufficiens causa adolescentibus, ut jejunia illis commutentur?

Respondeo cum communi apud Bossium sect. 4. c. 7. & aliis negative; nisi per accidens ex debilitate complexionis, aut alio ex capite jejunare non possent absque notabili incommodo. Quamvis enim Ecclesia istos non obliget ad jejunia Ecclesiastica, quæ cum multa sint, essent valde onerosa adolescentiæ, nihilominus tria jejunia possunt universim ab adolescentibus facile impleri. Hinc si iis commutarentur a Confessario non existimante revera dari rationabilem causam, ut commutentur, Jubilæum non acquireretur; quia facultas commutandi opera injuncta est coarctata ad existentiam legitimæ causæ, qua deficiente, deficit facultas; quamvis sufficiat, si bona fide Confessarius procedat, hoc est si probabiliter credat dari causam sufficientem; ut de dispensatione in lege Superioris docent Henriquez lib. 7. cap. 14. Sanchez lib. 8. disp. 15. Et in casu præsenti Gobat cap. 15. de Jubilæo num. 103.

IV. Ubi adverte, majorem causam requiri, ut commutentur jejunia, & alia opera Jubilæi, quam ut quis dispensetur in jejuniis Ecclesiasticis: esto cæteris paribus major causa requiratur ad dispensandum, quam ad commutandum. Ratio est, quia lex Ecclesiastica de jejunio obligat etiam nolentes; Unde ne sit nimis gravis, cessat obligare, si adsit causa sufficiens, & proportionata: At ad jejunium Jubilæi non obligantur, nisi volentes, & veluti ex tacito pacto; quia solum obligantur, qui volunt Jubilæum lucrari: major autem causa requiritur, ut jejunium sit valde onerosum, & difficile volenti, quam nolenti: ergo major causa requiritur, ut possint jejunia Jubilæi commutari, quam ut quis a Superiore in jejuniis Ecclesiasticis dispensetur. Hinc, qui titulo senectutis a jejuniis Ecclesiasticis excusantur, non habent universim sufficientem causam, ut jejunia eis commutentur; Et qui excusantur a jejunio Ecclesiastico titulo laboris; non possunt commutationem in Jubilæo obtinere, si absque notabili incommodo possint vel jejunare, vel a laboribus cessare.

Rogabis: Quid si quis elapso jejuniorum tempore accedat ad Confessarium die Dominico, petatque commutationem jejuniorum, ut possit eo ultimo die Jubilæum lucrari?

Respondeo: Si inculpabiliter, & bona fide id fecit, videlicet ex ignorantia Jubilæi, procul dubio poterunt jejunia commutari vel in Eleemosynas, vel in alias preces eo die præstandas, ut eo die possit Indulgentiam lucrari: poteritque etiam eidem Jubilæum tantisper prorogari, in quo casu poterunt in opera pia mox ponenda commutari jejunia: Si vero culpabiliter, & mala fide id fecerit, poterit Confessarius punire illum commutando jejunia præterita in jejunia ponenda primis tribus diebus. Nam quamvis voluntarie redditus sit impotens, adhuc tamen est potens postmodum ponere injuncta jejunia; & in casu impotentiæ potest Confessarius tempore Jubilæi opera injuncta commutare etiam in opera post Jubilæum ponenda, quoties datur causa differendi Jubilæi consecutionem; ut videtur adesse in casu hujus culpabilis impotentiæ.

QUÆSTIO IX.

De facultate eligendi Confessarium tempore Jubilæi.

CErtum est, in extraordinariis Jubilæis duarum Hebdomadarum expresse tribui cuilibet facultatem eligendi Confessarium a locorum Ordinariis approbatum, qui possit etiam a reservatis absolvere, in foro tamen conscientiæ (excepto crimine hæresis) & qui valeat commutare tam vota, exceptis Castitatis, & Religionis, quam opera injuncta, si ea præstari non possint, ac Jubilæum ipsum in aliud proximum tempus prorogare, ea injungendo, quæ pęnitentes efficere possunt.

In Jubilæo vero Anni Sancti juxta notificationem Clementis X. datur Romæ facultas Pœnitentiariis, & Parochis absolvendi Fideles ab omnibus reservatis, etiam in Bulla Cęnæ, ac commutandi vota, exceptis etiam Castitatis, & Religionis; quæ facultas conceditur pariter Confessariis Regularibus a Vicesgerente approbatis, tam relate ad Sæculares, quam ad Regulares sui Ordinis, si sint in suo Ordine Confessarii.

Examinandum nunc primo, an hæc facultas concedatur in Jubilæo Extraordinario etiam Regularibus, ut scilicet possint eligere Confessarios quoscumque ab Ordinario loci approbatos? Secundo, An etiam Monialibus? Tertio, A quonam Episcopo debeat Confessarius eligibilis approbari? An ab Episcopo Confessarii? An ab Episcopo Pęnitentis? An ab Episcopo loci, in quo fit confessio? An a quocunque, cujuscunque loci sit Ordinarius.

ARTICULUS I.

An Regulares possint Jubilæi tempore Confessarium extra Religionem eligere.

I. Pro utraque parte complures, & graves Doctores militant.
II. Probabilius est non posse.
III. Confessarius a Regulari eligibilis vi Jubilęi debet esse ab Ordinario loci approbatus; quin sufficiat sola Pręlati Regularis approbatio.

I. PRo sententia negativa recensentur Homobonus, Rodriq. Reginald. l. 8. n. 36. Molfesius, Joannes a Cruce, Faustus l. 2. q. 47. Gobat c. 21. de Jubilæo n. 227. qui nituntur Privilegiis Regularium, præsertim Gregorii XIII. concessis Societati Jesu, quibus decernitur, ne Personæ Societatis absque Superiorum expressa licentia utantur facultatibus Jubilæorum. Nituntur etiam *Cap. Igitur cuncta de Privilegiis*; ubi Bened. XI. prohibet, ne quis Religiosos absolvat invitis eorum Superioribus.

Pro affirmativa tamen sunt Cardinalis de Lugo disp. 20. de Pœnitentia num. 187. Pelizzarius tr. 8. tom. 2. Filliucius, Navarrus, Ugolinus, Bossius, Leo, Tamburinus, Bottonus apud Pasqualigum de Jubilæo quæst. 206. Ratio est, quia Privilegia Regularium non obstant. Nam in Bulla Jubilæi Pontifex derogat Privilegiis omnibus cum amplissimis clausulis, videlicet, *Etiamsi de eorum tenoribus specialis, specifica, seu quævis alia mentio facienda esset, atque aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret*; quæ clausulæ operantur, ut derogatoriæ derogatoriarum in privilegiis positæ nullam habeant vim; atque adeo ut tollatur necessitas citationis, & intimationis, sine quibus cavetur, quod Privilegium non censeatur revocatum, ut docet Butrius consil. 2. Gonzalez, & alii.

Ubi notat Lugo, diversis formulis, & efficacioribus revocari Privilegia in Bulla Jubilæi, quam in Bulla Cruciatæ. Unde quamvis Regulares non possint vi Bullæ Cruciatæ eligere confessarium, possunt tamen vi Jubilæi: etenim Privilegium Cruciatæ est permanens, & ideo Religionibus obesset; Privilegium vero Jubilæi est transiens, favens omnibus, nulli nocens; ideoque sæpe Pontifices declararunt, vi Bullæ Cruciatæ se noluisse revocare Privilegia Religionum, secus vero vi Bullæ Jubilæi. Quod præsertim constat ex declaratione Gregorii XIII. apud Rodriquez relata a Pasqualigo loco citato his verbi: *Congregatio pro majori parte sensit pro negativa sententia (videlicet, quod non possint Confessarium extra Religionem Regulares eligere) dixit tamen, dubium esse referendum Sanctiss. Domino; qui postea die* 19. *Decembris* 1581. *in Concistorio respondit: Tempore Jubilęi posse omnes Regulares confiteri peccata Sacerdotibus, etiam Sęcularibus, approbatis ad confessiones; Nam in Bulla non fit mentio nisi de Ordinario eorum, qui audituri sunt confessiones, non de Ordinario Pœnitentis.*

Confirmatur: Sixtus V. in sua Bulla edita 1588. contra simoniace promoventes, & promotos, decrevit, neminem posse ab hoc peccato simoniæ absolvi, etiam Anno Sancto; & tamen, ut notat Bossius sect. 1. cap. 4. apud Pasqualigum quæst. 221. huic strictæ reservationi derogatur per ipsam Bullam Jubilæi: ergo etiam in casu nostro.

Addit Navarrus apud eundem Pasqualigum, Rodriquez, & alios, etiamsi in Bulla non adessent clausulæ illæ derogatoriæ, adhuc Regulares, non obstantibus Privilegiis, posse eligere Confessarium extra Religionem: quia scilicet Privilegium, quod non possint Regulares exteris confiteri, explicari potest, quod procedat in casu alicujus Indulti, aut Jubilæi specialis, quod alicui Ecclesiæ concedatur, non de Jubilæo universali; quia cum tale privilegium opponatur favori, & utilitati Animarum, debet restringi tanquam odiosum, itaut illi non præjudicet; & ideo D. Th. in 4. dist. 17. q. 3. a. 3. docet, Prælatos debere esse faciles ad concedendas Subditis licentias, ut aliis confiteantur, ne multis, & sibi ipsis damnationis laqueum injiciant.

Confirmatur demum, quia Privilegium hoc respicit immediate Religionem, & consequenter est Privilegium generale; Privilegium vero, quod conceditur in Jubilæo, respicit particulares personas per se primo, & ideo est speciale; Privilegium autem speciale posterius derogat generali priori, & illi pugnat, ut communiter docent cum Covarruvia, & Menochio consilio 42. His pro utraque sententia positis.

II. Dico cum Gobat c. 31. num. 226. probabilius esse, Religiosos non posse vi Jubilæi eligere Confessa-

fessarium extra Religionem a solo Ordinario loci approbatum: nec per Bullam Jubilæi derogari privilegio concesso Societati Jesu a Greg. XIII. (in quo aliæ etiam Religiones communicant) quod scilicet non possint Nostri absque Superiorum expressa licentia uti facultatibus in Jubilæis, in Bullis Cruciatæ, aliisque similibus indultis concessis, aut in posterum concedendis.

Probatur, quia idem Greg. XIII. die 24. Octobris Anno Dom. 1584. ut habetur in Compendio nostrorum Privilegiorum, verbo *Gratiarum usus*, vivæ vocis oraculo declaravit, mentis suæ non esse, ut per Bullas Cruciatæ, aut Jubilæorum, aut similes huic privilegio derogetur; etiamsi Bullis apponantur derogatoriæ Privilegiorum, & addatur clausula illa, *Quacumque prohibitione sublata*. Confirmatur, quia tam in Bulla Cruciatæ, quam in Bulla Jubilæi derogatur Privilegiis in contrarium (esto clausulis aliquatenus efficacioribus derogetur in Jubilæo) & tamen communiter cum eodem Lugo docent, non posse Regulares vi Bullæ Cruciatæ eligere Confessarium: Et Cong. 6. Generalis Decreto 5. vetat Nostris sub gravibus pęnis docere oppositum, dicens, Non esse tutum in conscientia, qui vi Bullæ Cruciatæ eligit Confessarium, a quo a reservatis absolvatur: ergo idem dicendum in Jubilæis; cum in neutro casu voluerit Gregor. XIII. Privilegio Societatis derogari.

Confirmatur secundo, quia, ut notat P. Bonagratia apud Gobat loco laudato, in jure communi, *Cap. Igitur de Privilegiis*, prohibetur, ne quis Religiosos invitis eorum Superioribus absolvat; Bullas autem & novas leges semper ita interpretari debemus, ut juri communi non derogent: ergo Bulla Jubilæi interpretanda est, itaut huic juri communi non opponatur: ergo ut supra.

Et per hæc patet, quare per Bullam Jubilæi derogetur reservationi Simoniæ, non vero huic Religionum Privilegio. Ad declarationem Sac. Congregationis in contrarium adductam, dicendum non esse authenticam: Vel dicas, Gregorium XIII. Anno 1581. voluisse, quod Regulares possent tempore Jubilæi Confessarium eligere, & deinde Anno 1584. declarasse standum concessioni Bullatæ factæ anno 1575. Societati, quod scilicet uti nequeant Nostri facultatibus Jubilæi absque Superiorum expressa licentia. Nec dici potest cum Pasqualigo, Gregorium XIII. locutum esse de Jubilæis specialibus, non de universalibus. Nam ubi lex non distinguit, nec nos distinguere debemus. Quod principium a fortiori tenet in favorabilibus, ut habetur in nostro casu, cum hujusmodi Privilegium censeatur favorabile Religioni. (*a*)

„ (*a*) Benedictus XIV. in Constitutione *Convo-*
„ *catis* facultatem hanc ad Regulares etiam exten-
„ dit. Vide & ejus Encyclicam, ubi de hac con-
„ troversia differit *n.* 35. & 36.

III. Quia tamen affirmativa sententia non caret aliqua probabilitate, ideo quæritur, A quonam debeat approbari Confessarius eligibilis vi Jubilæi a Regularibus? Certe si eligatur a Regulari in Confessarium Sacerdos Sęcularis, debet hic approbari ab Ordinario loci; quia Bulla requirit in Confessario approbationem ab Ordinario loci. Si vero a Regularibus eligatur pro Confessario Sacerdos Regularis, Sanctarellus, Coriolanus, Rodriq. Bonac. apud Pasqualigum q. 208. Dian. par. 5. tr. 12. ref. 37. putant sufficere, si hic Sacerdos sit approbatus a Prælato proprio Regulari, tum quia Prælatus Regularis est vere Ordinarius suorum Subditorum, habens in illos jurisdictionem Ordinariam; Tum etiam quia Greg. XIII., ut supra retulimus, approbationem requirit ab Ordinario eorum, qui audiunt Confessionem, non Pęnitentium.

Sed Filliucius tr. 8. cap. 1. n. 275. Lezana, Suarius disp. 28. de Pœnitentia sect. 6. Bossius sect. 3. cap. 3. Henriquez, Faustus, & alii verius docent, ly *ab Ordinario loci*, intelligi ab Ordinario, seu Episcopo Diœcesis, nec sufficere approbationem Regularium Prælatorum. Ratio est, tum quia, ut notat *Rota decis.* 798. *par.* 4. nomine Ordinarii locorum veniunt solum Episcopi, & habentes jura Episcopalia supra sæculares; tum etiam quia, dum Pontifex requirit approbationem Ordinarii, intelligi debet de approbatione secundum formam juris, atque adeo de ea, quæ præscribitur in Trident. sect. 23. c. 15. quia omnis dispositio intelligitur facta secundum jus commune, ad cujus sensum verba dispositionis reduci debent, ut notat Barbosa *in l.* 1. *p.* 1. *n.* 61. §. *soluto matrimonio*: ergo intelligi debet de approbatione ab Episcopis, cum de hac loquatur Trident. loco laudato. Utrum autem approbatio hæc facienda sit ab Episcopo loci, in quo fit confessio, an Episcopo pęnitentis, dicemus Art. 3.

Ex quibus sequitur contra Faustum lib. 4. q. 85. Leonem, Rodriquez, Bottonum, quorum sententiam probabilem putat Bonac. disp. 5. de Sacr. q. 7. punct. 4. n. 25. Regularem, ut Indulgentiam, & favores Jubilæi assequatur, non posse eligere approbatum tantum a proprio Prælato, nisi is sit etiam approbatus ab Episcopo: quia approbatus a proprio Prælato non dicitur approbatus ab Ordinario loci, sed ab Ordinario Communitatis.

ARTICULUS II.

An Moniales eligere possint quemcumque ab Ordinario approbatum?

I. Pluribus ostenditur, requiri specialem approbationem pro Monialibus.
II. Docent aliqui eam non requiri.
III. Non sunt tamen audiendi.
IV. Approbatus quippe limitate non est eligibilis universim.

I. Moniales etiam, ut Regulares, non possunt eligere Confessarium approbatum a solo Pręlato Regulari, sed debent eligere approbatum ab Episcopo, cum debeant eligere approbatum ab Ordinario locorum, & solus Episcopus, ut communius docent Doctores, dicatur Ordinarius loci. Ita Suarez loco citato, Reginaldus, Faustus, aliique.

Difficultas solum est, utrum possint eligere quemcumque Confessarium ab Episcopo approbatum; an vero solum quemcumque ex approbatis pro Monialibus?

Quod debent eligere approbatum pro Monialibus, tenet Faustus lib. 4. q. 78. Pelizarius de Monialibus cap. 4. quæsito 3. Molfesius, Polachus, Cespedes, aliique. Probant primo, quia Greg. XV. in sua Constitutione *Inscrutabil.* §. 4. decernit, non posse Confessarios audire Confessiones Monialium etiam ipsis Regularibus subjectarum, antequam ab Ordinariis approbentur.

Secundo, quia Sacra Congregatio Concilii resolvens quædam dubia circa hanc Constitutionem Gregorii

gorii XV. declaravit in responsione ad dubium nonum, & decimum, Regulares approbatos ab Episcopo ad confessiones sæcularium non censeri eatenus approbatos ad confessiones Monialium, & approbatum ad confessiones unius Monasterii, non esse eo ipso approbatum ad Confessiones alterius Monasterii, Confessoresque extraordinarios debere toties quoties approbari: ergo approbatus generaliter ab Episcopo se habet relate ad Moniales, perinde ac si non esset approbatus; Atqui non approbatus nequit eligi vi Jubilæi: ergo.

II. Contra vero Bonac. disp. 7. de Sacram. Bossius sect. 2. punct. 4. Peyrin. tr. 5. c. 4. Pasqualig. q. 210. & alii putant, posse Moniales quemcumque eligere. Ratio horum DD. est, quia Bulla permittit omnibus utriusque sexus fidelibus, etiam Regularibus, quod possint eligere Confessarium approbatum ab Ordinario locorum absolute: ergo non est ratio, cur requiratur approbatio specialis relate ad Moniales. Addunt, quod Urb. VIII. in Bulla *Pontificia sollicitudo*, §. 5. Tomo 4. Bullarii Constitut. XVI. expresse concessit Monialibus, quod possent in Jubilæo eligere quemcumque ex approbatis ab Ordinario. Quod etiam præstitit Innocentius X. in Jubilæo 1650. ut refert Pasqualigus. Unde colligunt eam esse universim Pontificum mentem in concessione Jubilæorum.

Ad primam rationem in contrarium adductam respondent, Gregorium voluisse solum, quod Confessarii non possent deputari ad audiendas Confessiones Monialium, etiam exemptarum, antequam approbarentur ab Ordinario pro Monialibus: non tamen voluit, ne possent Moniales eligere quemcumque approbatum ab Ordinario, quando id iis conceditur.

Ad 2. respondent, Declarationem Congregationis Concilii procedere juxta terminos constitutionis Gregorii XV., ubi sermo est de Confessariis, qui deputantur ad audiendas confessiones Monialium ab iis, qui habent facultatem deputandi; ut sunt Prælati regulares relate ad Moniales sibi subditas. Et de his Confessariis decernit, non sufficere approbationem ab Episcopo generalem pro Sæcularibus, & approbatum pro uno Monasterio non censeri approbatum pro alio. Non potest autem Congregatio declarare quod approbatus ad audiendas Confessiones ab Episcopo vi Jubilæi, non sit eligibilis a Monialibus, si id in Bulla Jubilæi concedatur. Quando dicitur, quod approbatus ad Confessiones Sæcularium se habet relate ad Moniales perinde, ac si non esset approbatus, distinguunt; idque extra Jubilæum concedunt, non vero vi Jubilæi.

III. His in utramque partem discussis, censeo equidem nullatenus posse a Monialibus eligi in Confessarium Jubilæi tempore quemcumque ab Episcopis approbatum, sed debere eas confiteri Confessariis ab Episcopo pro iisdem deputatis. Ratio est, quia non sufficit in Confessario quæcumque approbatio ab Episcopo facta ad confessiones audiendas, ut possit in Confessarium eligi tempore Jubilæi, sed requiritur approbatio relate ad Personam, a qua eligendus est: atqui approbatus ad audiendas Confessiones generaliter, non est eatenus approbatus ad audiendas Monialium confessiones, ut constat etiam ex Bulla Clementis X. 1670. ergo Moniales non possunt eligere quemcumque ab Episcopis approbatum, nisi sit etiam approbatus relate ad easdem, ut fert praxis.

Major, in qua est tota difficultas, probatur. Communiter DD. docent cum Boss. sect. 3. cas. 2. Suar. q. 2. 28. de Pœnit. sect. 7. Rodr., Lugo disp. 21. sect. 1. n. 16. approbatum ad Confessiones pro Viris tantum non posse eligi in Confessarium virtute Jubilæi a Mulieribus, quia scilicet non habet approbationem relate ad illas; ergo. Non inficior, Ledesmam, Nugnum, Fagund. tr. 2. de præceptis Eccl. c. 2. n. 45., aliosque apud Dian. p. 1. tr. 11. resol. 9. putare, quod si restrictio approbationis ad solos viros sit solum ratione ætatis, non ex defectu idoneitatis, possit etiam a mulieribus eligi: Communior tamen sententia apud Bardi in Bullam Cruc. p. 2 tr. 5. c. 1. id negat; & Trullench in Bullam l. p. §. 7. c. p. dub. 3. quamvis docuerit sententiam hanc non esse improbabilem, addit in praxi nullatenus esse admittendam.

IV. Confirmatur, quia approbatus limitate ad certum locum, tempus, aut Personas non est universim eligibilis in Confessarium vi Jubilæi: ergo pariter approbatus, & non relate ad Moniales, a Monialibus non est eligibilis. Antecedens communiter admittitur cum Filliuc. tr. 7. c. 9., Gobat c. 31. de Jub. n. 233., Boss. sect. 3. cas. 3., Guttierez, Nugno; esto nonnulli oppositum sentiant cum Fernan., Fag., Henriq. apud Dian. loc. laud. res. 10. & alii cum Ledes., Rodr., Pasqual. qu. 189. dicant id verum esse, si restrictio approbationis sit ex defectu scientiæ, aut idoneitatis, non ex arbitrio Episcopi. Sed non sunt audiendi; Nam quoties approbatur aliquis limitate relate ad has personas, eo ipso relate ad alias est reprobatus, saltem negative: ergo relate ad illas non habet conditionem a Pontifice requisitam, ut possit in Confessarium eligi: Nec obstat, quod limitatio approbationis sit ex arbitrio Episcopi, non ex defectu idoneitatis. Nam sicuti non est eligibilis in Confessarium simpliciter, qui ex solo Episcopi arbitrio non est approbatus simpliciter, quamvis cæteroqui sit idoneus; ita nec est eligibilis illimitate ab omnibus, qui ex solo arbitrio Episcopi non est approbatus limitate. Et sane Approbatio, quæ a Pontifice in Confessario requiritur, est Approbatio faciens ad rem, & non quæ se habet per accidens; atqui approbatio limitata relate ad personas exclusas se habet mere per accidens, cum relate ad illas se habeat Confessarius perinde, ac si esset reprobatus: ergo approbatio limitata non sufficit, ut possit quis eligi universim.

Ad ea, quæ pro secunda sententia adducta sunt, dico satis constare, quod requiratur specialis approbatio pro Monialibus. Nec possumus aliter de mente Pontificis sentire; Inde enim sequeretur, quod Jubilæi tempore possent omnes Confessarii reluctantibus Prælatis ad Monasteria Monialium accedere ad Confessiones audiendas: quod certe magnum aperiret ostium laxitati, & in destructionem potius cederet, quam in ædificationem.

Ad id, quod additur, negandum Urbanum VIII. in ea Constitutione Sanctimonialibus concessisse, quod possint Jubilæi tempore in Confessarium eligere quemcumque ab Ordinario approbatum: etenim expresse ibi dicitur, quod possint eligere Confessarium *Ad id probatum*, hoc est, ut Doctores explicant, Confessarium ad Confessiones Monialium audiendas approbatum; quod etiam habetur in Bulla Innocentii X. anno 1550. & Clementis X. anno 1675. qui pariter Jubilæum Romanum largiti sunt Sanctimonialibus, Anachoretis, & aliis personis ab accessu ad limina Apostolorum impeditis.

AR-

ARTICULUS III.

A quonam Episcopo approbari debeat Confessarius eligibilis vi Jubilæi.

I. *Sufficit approbatio ab Episcopo pœnitentis.*
II. *Sufficit etiam approbatio facta ab Ordinario loci, in quo fit confessio.*
III. *Approbationem ab Episcopo quocumque factam satis esse, non videtur esse probabile.*
IV. *Probabilius est approbationem Episcopi solius Confessarii non sufficere.*

I. DUbitatur, Utrum requiratur approbatio ab Episcopo Pœnitentis, vel Confessarii? An ab Episcopo loci, in quo fit Confessio? An vero ab aliquo Episcopo, cujuscumque loci sit Ordinarius?

Dico equidem primo: Approbationem factam ab Ordinario pœnitentis esse satis, ut possit sic approbatus eligi in quocumque loco ab eodem. Ita communius cum Suario disput. 28. sect. *6.* Sanch. lib. 3. disp. 33., Ledesma, Reginaldo, Sylvestro, Molfesio, & aliis contra Rodriquez, Guttierez, Laym. lib. 5. tract. *6.* c. 11. Ratio est, tum quia Approbatus ab Ordinario pœnitentis habet jurisdictionem in illum in quocumque loco; etenim inquantum Confessarius exercet vices Christi, ut habet Trid. sess. 13. cap. 5.; cujus jurisdictio non circumscribitur loco: tum etiam quia jurisdictio voluntaria etiam in foro externo exerceri potest extra Territorium, ut communiter docent: ergo a fortiori in foro Pœnitentiali: præsertim quia jurisdictio tempore Jubilæi confertur a Pontifice, etiamsi approbatio debeat esse ab Episcopo; & consequenter tanquam delegatus Pontificis potest ubilibet confessiones hujus pœnitentis audire, qui relate ad eumdem est approbatus.

Objicies: *In Clementina*, *Dudum*, *de Sepulturis* prohibetur Regularibus in una Diœcesi approbatis audire Confessiones in alia; ergo approbatio facta ab Episcopo pœnitentis non est satis, ut hic possit ubique Confessarium sic approbatum eligere. Neque responderi potest, sensum illius prohibitionis esse, quod non possint Regulares extra Diœcesim, in qua sunt approbati, audire Confessiones aliorum, qui non sunt subditi Episcopo approbanti, ut plurimi docuerunt apud Sanch. l. 3. disp. 34.; non vero eorum, qui eidem Episcopo sunt subditi. Nam Clem. X. in sua Bulla 2. Augusti *1670.* edita expresse decrevit, Regularem ab Episcopo approbatum ad audiendas sæcularium confessiones in una Diœcesi non posse in alia Diœcesi audire pœnitentes subditos eidem Episcopo, citra approbationem Episcopi Diœcesis, ubi est.

Respondeo primo: prohibitionem hanc esse solum Regularibus factam; unde Confessarii sæculares juxta communem Doctorum sententiam apud Suarium disp. 28. de pœnitent. sect. *6.* possunt ubique confessiones audire eorum, qui subditi sunt Episcopo approbanti. Cum enim jurisdictio in foro Sacramentali sit voluntaria, non contentiosa, ideo secundum se poterit citra jurium, ac Tribunalium perturbationem, etiam extra Territorium Approbantis, seu extra Diœcesim exerceri. Quare autem Clemens X. expresserit in ea Bulla solum Regulares, prohibendo iis duntaxat; non vero Confessariis Sæcularibus, ne Confessiones audiant extra Diœcesim Approbantis, ea videtur esse ratio, quia cum Regulares facile locum mutent, possent esse Episcopis offensioni, si ea amplissima jurisdictione uterentur.

Deinde hæc jurisdictionis coarctatio Regularibus facta ad terminos Diœcesis Episcopi approbantis non militat Jubilæi tempore; tum quia illud speciali mentione indigeret, utpote speciali nota dignum; tum etiam quia cessat finis talis coarctationis; tum demum quia in Bulla confertur a Pontifice amplissima jurisdictio omnibus tam Sæcularibus, quam Regularibus Confessariis a locorum Ordinario approbatis, derogando quibuscumque Apostolicis Ordinationibus in contrarium: unde fit æque Confessarios Sæculares, ac Regulares ubique posse confessiones audire pœnitentium Episcopo approbanti subditorum, tanquam Pontificis delegatos Jubilæi tempore, ut docent communissime.

II. Dico secundo. Sufficit etiam Approbatio facta ab Episcopo loci, in quo fit confessio. Ita communius cum Vasquez de Pœnitentia quæst. *93.* art. 3. dub. 4. Laym. Bonac. Barbosa, quidquid in contrarium videatur sentire Suarez disp. 28. de Pœnitentia, & Fagundez. Ratio est, quia intantum hæc non sufficeret, quia dum Ordinarius loci approbat, videtur talis approbatio, & jurisdictio limitari ad subditos, non ad exteros, qui ad hunc effectum convenirent; hoc tamen est falsum. Etenim ex Ecclesiæ consuetudine, & tacito Episcoporum consensu jurisdictio Confessarii se extendit etiam ad exteros advenientes, ut confiteantur ad Diœcesim Episcopi approbantis. Præterquamquod tempore Jubilæi approbatio Episcopi non requiritur, ut dans jurisdictionem, sed solum tanquam conditio requisita, ut a Pontifice jurisdictio conferatur; & consequenter non est coarctata ad terminos ullos sive loci, sive personarum.

Neque dicas, Confessarium debere esse proprium Pœnitentis Sacerdotem; relate vero ad exteros non esse hujusmodi. Nam contra est, quia in casu Confessarius fit proprius exterorum Sacerdos, tum per hoc quod isti ad Diœcesim Ordinarii approbantis adveniant; tum etiam quia Confessarius, posita Approbatione Episcopi, habet a Pontifice jurisdictionem delegatam. Ex quibus sequitur, quod Neapoli v. gr. possit eligi a Pœnitente Nolano Confessarius Surrentinus approbatus sive ab Ordinario Neapolitano, sive a Nolano.

III. Dico tertio: Non videtur probabile, quod docent Henriq. lib. 3. cap. 10. Portellus, Ledesma, & alii apud Bardi in Bullam Cruciatæ par. 2. tr. 5. cap. 1. sect. 3., sufficere Approbationem factam a quocumque Episcopo, cujuscumque loci sit.

Probatur, quia videtur rationi dissentaneum, quod pœnitentes eligere possint Confessarium non approbatum ab Episcopo, qui jurisdictionem habeat vel in ipsum Confessarium, vel in Pœnitentes. Sic enim posset Episcopus Indus omnes Sacerdotes per literas approbare; unde & omnes possent eligi, quo quid absurdius? Et ratio ulterior est, quia Approbatio debet fieri ab Episcopo, qui jurisdictionem habeat aliquam in Sacerdotem, ut sit approbatio juridica, qualis requiritur in casu; quandoquidem Approbatio est actus jurisdictionis, ut ostendit Bardi loco laud. sect. *9.* contra Fagundez. Potest quidem Episcopus relate ad oves suas dare jurisdictionem Regulari non subdito, aut alteri Sacerdoti, approbando illos ad Confessiones; sed tunc

tunc approbatio ista est valida, quatenus committit illis oves suas, relate ad quas habet directe jurisdictionem, unde indirecte Confessarius subjicitur Episcopo approbanti. Quod si vellet Episcopus Sacerdotem non subditum approbare relate ad oves non suas, certe approbatio ista non esset juridica; atque adeo non esset illa, quæ in Bulla requiritur, ut possit Confessarius eligi. Etenim ut approbatio sit juridica, & per modum sententiæ, debet esse ab Episcopo, quatenus habente aliquam jurisdictionem; Episcopus autem jurisdictionem habet solum relate ad subditum, aut relate ad eum, qui voluntarie suæ sententiæ vult se subjicere, qua de causa fiat subditus voluntarius; quando autem approbatio fit relate ad oves alienas, Sacerdos, ne indirecte quidem, subjicitur Episcopo approbanti; unde sententia approbativa non est juridica, sed nulla.

IV. Dico ultimo. Nullatenus etiam sufficit Approbatio facta ab Episcopo solius Confessarii. Ita Bon. disp. 5. de Sacr. q. 7. punct. 4. Ugolinus, Molfesius, Barbosa contra Suar. disp. 28. de Pœnit. sect. 6. Filliuc. Cord. Henr. Boss. Con. & alios.

Ratio est, quia universim Approbatio, quæ fit ab Episcopo, fit relate ad Subditos suos: ergo relate ad Pœnitentes non Subditos Episcopo approbanti Confessarius se habet perinde, ac si non esset Approbatus; unde Approbatio facta ab Episcopo solius Confessarii non sufficit, ut hic possit virtute Jubilæi a quocumque eligi. Præterquamquod Approbatio relate ad oves non pertinentes ad Approbantem, utpote secundum se non cognitas ab illo, non solum non esset juridica; sed nec apta. Idcirco enim requiritur Approbatio, ut constet Confessarium posse munus suum rite obire: ergo, ut approbatio rite fiat, debet esse relate ad pœnitentes ab Approbante cognitos: ergo Episcopus solius Confessarii non potest apte approbare Sacerdotem relate ad oves alienas.

Confirmatur: tum quia ad solum Pastorem spectat consulere ovibus suis; ergo approbatio non debet fieri nisi relate ad oves proprias, aut quæ ratione loci fiunt propriæ, & Episcopo subjectæ: tum etiam quia, ut notat Sylv. facultas eligendi Confessarium est odiosa Pastoribus; ergo debemus illam interpretari juxta jus commune, quod fert Approbationem ab Episcopo fieri relate ad oves suas duntaxat.

Dices. Sacerdos a suo Episcopo approbatus habet conditionem a Pontifice requisitam, ut possit tempore Jubilæi omnium Christifidelium confessiones audire, relate ad quos Pontifex Supremus omnium pastor jurisdictionem confert necessariam: ergo sufficit approbatio facta ab Episcopo solius Confessarii. Antecedens probatur; nam Approbatio a Pontifice requisita in hoc differt a concessione jurisdictionis, quod hæc nonnisi ad oves proprias potest tribui; Approbatio vero, cum sit quædam juridica sententia de idoneitate Sacerdotis ad Confessiones audiendas, præscindit a respectu ad proprias Oves approbantis, vel alienas; ergo approbatus a suo Episcopo habet conditionem requisitam, sive is sit Episcopus domicilii, sive originis, sive beneficii: quilibet enim istorum dicitur esse Ordinarius Confessarii.

Respondeo negando antecedens. Ad probationem: verum quidem est, quod approbatio, seu sententia de idoneitate Sacerdotis ad confessiones audiendas fit de se fieri sine respectu ad proprias oves approbantis, cum quis possit declarari idoneus ad omnium omnino Confessiones audiendas; At ut sit juridica, & prout a Tridentino requiritur, approbatio debet ab Episcopo fieri relate ad proprias oves, cum impertinenter se habeat approbatio facta ab Episcopo relate ad oves non sibi commissas: Pontifex autem requirens Jubilæi tempore approbationem factam ab Ordinariis locorum, exigit illam, prout in jure communi exigitur, atque adeo relate ad proprias oves approbantis: ergo non satis est approbatio facta ab Episcopo solius Confessarii.

Adversus hanc sententiam adducuntur plures Sacræ Congregationis Declarationes, præsertim ea, quam retulimus Articulo primo ex Rodriquez.

Verum, quia aliæ pro aliis hac in re opinionibus Declarationes hujusmodi passim hinc inde afferuntur, & nulla ex iis, ut notat Bardi in Bullam Cruciatæ par. 2. tr. 5. c. 1. est authentica, immo varias patiuntur interpretationes, idcirco nihil ex iis certi concludi potest. Etenim juxta Decretum Urbani VIII. die 11. Augusti 1632. Declarationibus Sacræ Congregationis nulla præstanda est fides sive in judicio, sive extra, nisi in forma authentica exhibeantur; standum itaque rationi adductæ, quæ videtur suo se pondere fulcire.

ARTICULUS IV.

Quinam alii præter approbatos ab Ordinario possint eligi in Confessarios?

I. Potest etiam eligi quicumque habet Beneficium Curatum, nempe Parochus, Episcopus, & Abbates habentes Beneficia cum jurisdictione in foro externo.

II. Non tamen qui habuit Beneficium Curatum, etiamsi eo privatus non sit ob insufficientiam.

III. Prælati Regulares, circumscripta approbatione facta ab Episcopo, eligi non possunt.

IV. Potest eligi Pœnitentiarius in Confessarium, etiamsi invito Episcopo electus sit a Capitulo; quia saltem a Pontifice supremo locorum Ordinario approbationem habet.

I. CUm Trid. sess. 23. cap. 14. exigat in Confessario vel Approbationem Ordinarii, vel Beneficium Parochiale, seu Curatum, ut possit valide confessiones sæcularium audire; idcirco difficultas est, An Parochus etiam eligi possit in Confessarium tempore Jubilæi; simile dubium procedit de Prælatis Regularibus, qui se habent veluti Parochi relate ad subditos suos.

Dico equidem: Tempore Jubilæi potest in Confessarium eligi, etiam qui habet Beneficium curatum; sub quo certe nomine veniunt non solum Parochi, sed etiam Episcopi, Archiepiscopi, & Abbates aliqui habentes Beneficia cum jurisdictione in foro externo. Ita communiter cum Suar. disp. 28. de pœn. sect. 4. Filliuc. Gobat, Henriq., Bossio, & aliis apud Dian. 1. part. tract. 11. ref. 8. contra Guttierez, Rodriquez, Nugnum, Faustum lib. 4. q. 77. Probatur, quia quilibet ad confessiones audiendas rite approbatus est eligibilis: sed habens beneficium curatum rite est approbatus ad audiendas confessiones: nam eo ipso ac habet quis Beneficium curatum, est judicatus idoneus ad curam animarum,

rum, atque adeo ad adminiſtranda illis Sacramenta, etiam Pœnitentiæ, unde pollet approbatione debita ad audiendas confeſſiones: ergo.

Neque dicas: Bullam Jubilæi requirere Approbationem ab Ordinario loci; Parochus autem, & alii habentes beneficium curatum non ſemper ſunt ab Ordinario loci approbati eo approbationis genere, quo alii Sacerdotes per examen approbantur: ergo non ſunt eligibiles.

Nam contra eſt, quia habens curam animarum eo ipſo eſt approbatus ad confeſſiones audiendas a jure communi, & conſequenter a Pontifice, ab Eccleſia, & univerſali conſuetudine: ergo eſt approbatus ſufficienter ab Ordinario loci; ſub hoc enim nomine non ſolum veniunt Epiſcopi, ſed etiam Capitulum Sede vacante, Legatus Summi Pontificis, Nuncius, & tandem ipſe Pontifex, ut probat Lugo diſp. 21. ſect. 2.

Neque replices; a Tridentino contradiſtingui duos illos approbationis modos, per Beneficium parochiale, & per examen, ac ſententiam Epiſcopi: ergo ſub approbatione facta ab Ordinario, prout requiritur in Bulla, non includitur approbatio per Beneficium parochiale.

Nam quamvis Tridentinum explicite duos iſtos approbationis modos diſtinguat; Bulla tamen uterque comprehenditur ſub approbatione facta ab Ordinario locorum, quia eo ipſo ac aliquis a ſuo Epiſcopo recipit Beneficium parochiale, eſt approbatus & ab illo, & a jure communi ad confeſsiones audiendas: unde talis Beneficii collatio eſt quædam approbatio virtualis. Idemque dicas, quando Beneficium confertur a Legato Pontificis, vel aliis, qui poſſunt canonice illud conferre; & multo magis ſi immediate conferatur a Pontifice, Supremo locorum omnium Ordinario.

II. Dubitatur tamen acrius, An qui habuit Beneficium Curatum, ſit in Confeſſarium eligibilis, ſi amplius illud non habeat? Affirmant Rodriquez, Villalobos, Lezana; quia approbatio, quæ fit Parocho, ſecundum ſe eſt perpetua. Negant Suarez loco citato, Henriquez lib. *6.* cap. *6.* Boſsius, Gobat, & alii; quia Concilium, ut quis reputetur idoneus ad confeſsiones Sæcularium audiendas, requirit, quod habeat Parochiale beneficium. Diſtinguit Paſqualigus quæſt. 185. putans, quod ſi careat Beneficio Curato, quia ratione inſufficientiæ eo privatus ſit, non poſsit eligi; nam ſic implicite retractatur approbatio; cum declaretur non poſſe amplius curam animarum exercere: Si vero eo careat ob renunciationem, permutationem, aut ſimili de cauſa, videatur approbatio perſeverare, & eſſe eligibilis; quia quando Tridentinum requirit Parochiale Beneficium, ut poſsit quis abſque alia approbatione confeſsiones audire, non reſpicit ad Beneficium, ſed ad approbationem, quæ præſupponitur, & quæ etiam poſt renunciationem Beneficii perſeverat.

Neque obſtat, quod qui Beneficium curatum renuntiavit, poſsit ſucceſſu temporis ob defectum exercitii evadere ineptus ad confeſsiones audiendas. Nam etiam qui habuit ab Epiſcopo per Examen Approbationem ad Confeſsiones audiendas, poteſt per defectum exercitii evadere ineptus, nec proinde non eſt eligibilis; quia ſcil. lex univerſalis attendit ad ea, quæ communiter contingunt; contingit autem communiter, quod ſemel approbatus ſemper ſit idoneus. Unde ſatis etiam erit, quod aliquis habuerit beneficium Curatum; hoc enim a Tridentino requiritur per modum conditionis qualificantis perſonam, quæ ſufficit, ſi ſemel ſit impleta, ex lege *conditionem, ff. de condit. & demon.*

Equidem tamen cenſeo, nullatenus recedendum a ſecunda ſententia, quæ videtur rationi conſona, & conformis tam verbis, quam menti Tridentini. Et ſane qui habuit Beneficium Curatum, ſi nunc non habeat, non videtur poſſe confeſsiones audire circumſcripta nova approbatione; ſicut nequit Superior Regularis poſt Superioratum audire Confeſſiones, quas prius poterat ratione muneris, quo fungebatur, cum ceſſet Juriſdictio; ergo nec poteſt in Confeſſarium eligi tempore Jubilæi, cum ceſſet Approbatio illa, quæ muneri erat annexa. Neque eſt verum, quod Approbatio ad Confeſsiones audiendas univerſim ſit perpetua; poteſt enim ex rationabili cauſa ad tempus determinatum coarctari, ut oſtendit praxis, & communiter Doctores docent; in caſu autem noſtro rationabiliter cenſetur conceſſa pro tempore duntaxat, quo Beneficium Curatum poſsidetur.

III. Sed, Utrum nomine habentis Beneficium Parochiale, qui poſsit in Confeſſarium eligi tempore Jubilæi, circumſcripta alia approbatione Ordinarii, veniant etiam Prælati Religionum, Guardiani, Abbates, Rectores, Provinciales, &c. dubitatur acerrime.

Negant communiter cum Suario diſp. 28. ſect. 8. Fagundez, Lugo diſp. 21. ſect. 1. & aliis apud Dian. p. 5. tr. 12. reſ. 51. Et ratio eſt, Primo quia, ut notat Bardi p. 2. in Bullam Cruciatæ tr. 5. cap. 2. Prælati Regulares non ſunt Parochi, cum non poſſint Subditos cogere, ut ſibi confiteantur, ſed debeant Juriſdictionem aliis delegare: Et eſto eſſent revera Parochi, non idcirco habent Beneficium Parochiale, (quod a Trid. ſeſſ. 13. cap. 15. requiritur, ut poſsit quis abſque alia approbatione Confeſsiones audire) Nam quamvis hujuſmodi Prælati habeant juriſdictionem ordinariam, non tamen habent jus percipiendi fructus, eoſque in ſuam utilitatem convertendi; Unde habent potius Officium, quam Beneficium Eccleſiaſticum: & ideo non tenentur ad Horas, ſi non ſint in Sacris. Secundo, quia Prælati Regulares ita poſſunt ratione muneris Confeſsiones audire ſuorum Subditorum, ut non habeant approbationem ab Ordinario loci, prout requiritur in Bulla, ne virtualiter quidem. Intantum enim Parochi dicuntur virtualiter approbati ab Ordinario loci, quia ab Epiſcopo, vel a Pontifice, quatenus omnium locorum Ordinario, habent approbationem ad Confeſsiones ſuarum Ovium audiendas, eo ipſo quod illis confertur cura illarum Animarum: At collatio Superioratus non habetur ab Ordinario loci, ſed a Generali, vel a Capitulo, aut alio, qui habet juriſdictionem in Communitatem tantum Regularem, non in loca; ut proinde non dicatur Ordinarius loci: ergo Prælati Regulares non habent approbationem ab Ordinario loci, ne virtualiter quidem, requiſitam in Bulla. Tertio, quia ſi nomine Parochi venirent Prælati Regulares, poſſent hi, etiam extra Jubilæum; abſque ulla approbatione Epiſcopi audire confeſsiones ſæcularium, quod videtur abſurdum, quippe contra praxim. Probatur ſequela, quia Tridentinum loc. cit., ut poſsit quis audire confeſsiones ſæcularium, ſolum requirit vel approbationem Epiſcopi, vel Beneficium

Parochiale: ergo si Prælati Regulares dicerentur Parochi, possent eo ipso sæcularium confessiones audire.

Bossius vero sect. 3. cas. 2. §. 2. plures viros doctos ait stetisse pro parte affirmativa, quos refert Henriquez lib. 6. cap. 6. §. 2., videlicet Bannez, Medinam, & alios hac de re Salmanticæ consultos, quos secuti sunt Valerus, & Salas apud Dian. loc. cit. putantes cum Ludovico a Cruce, & Rodriquez in Bullam Cruciatæ §. 9. hanc sententiam esse probabilem. Ratio istorum est, quia dum Trid. loc. cit. exigit Beneficium Parochiale, ut quis reputetur idoneus ad confessiones audiendas, nomine Beneficii Parochialis venit quodcumque munus, cui est annexa Animarum cura, & ratione cujus potest suarum ovium confessiones audire; & consequenter etiam Prælatura regularis. Nam non alia de causa exigitur Parochiale Beneficium, nisi quia eo ipso quod alicui demandatur cura Animarum, declaratur idoneus ad administrandum illis Sacramentum Pœnitentiæ: ergo cum Prælatis etiam Regularibus demandetur cura Animarum, veniunt sub nomine habentis Beneficium Parochiale; Unde isti Doctores inferunt, posse Prælatos Regulares, non secus ac Parochos, audire confessiones sæcularium in foro interno, circumscripta alia approbatione, quamvis communis praxis ea sit, quod Prælati Regulares non se exponant ad confessiones audiendas ante approbationem ab Episcopis locorum.

IV. Confirmant: quia Canonicus Pœnitentiarius absque ulla Episcopi approbatione est eligibilis per Bullam, præcise quia cum ille specialiter eligatur ratione sui muneris ad audiendas confessiones, videtur sufficienter habere approbationem Ordinarii in Bulla requisitam; Sed etiam Prælatis regularibus competit ratione muneris posse confessiones Subditorum audire, quamvis non possint eos cogere, ut sibi confiteantur: ergo habent sufficienter approbationem requisitam, ut possint eligi per Bollam Jubilæi.

Neque dicas Pœnitentiarium recipere approbationem ab Episcopo, eo ipso quod Episcopus illum eligit in tale munus. Nam contra est, quia sæpe Pœnitentiarius eligitur a Capitulo invito Episcopo, & consequenter est eligibilis vi Bullæ, non quia est approbatus ab Episcopo, sed quia ratione muneris potest confessiones audire, quod competit etiam Prælatis Regularibus.

Censeo equidem cum communissima, sententiam hanc a veritate omnino abhorrere. Ratio est, tum quia praxis nunc unice rationabilis, & quæ legum interpres est, fert, Prælatos Regulares non audire confessiones sæcularium ante approbationem Episcopi; & hoc jure Episcopi utuntur; ex quo a posteriori colligitur, non venire illos nomine habentis beneficium Parochiale: tum etiam quia Prælatus regularis, etiamsi posset venire nomine habentis Beneficium Parochiale, non potest tamen venire nomine Approbati ab Ordinario loci, prout requiritur in Bulla, quia non eligitur ab Episcopo, sed a Prælato Regulari, qui est Superior Communitatis, non loci.

Neque obstat, quod Pœnitentiarius invito Episcopo electus a Capitulo vi Bullæ Jubilæi eligi possit in Confessarium. Nam Pœnitentiarius, quamvis invito Episcopo sit electus, adhuc dicitur ab Episcopo approbatus, dum hic consentit, ut tale munus exerceat; Vel saltem dicitur approbatus a Pontifice, quatenus supremus Ordinarius ejus loci est. Contra vero Prælati Regulares, etiamsi a Pontifice per Breve eligantur, non eliguntur a Pontifice tanquam Ordinario locorum, sed tanquam supremo Prælato Communitatum Religiosorum.

Q U Æ S T I O X.

De Potestate Confessarii in ordine ad Censuras durante Jubilæo.

IN Jubilæis concedi solet facultas absolvendi a Censuris, etiam in Bulla Cœnæ contentis, pro foro conscientiæ tantum, non tamen dispensandi in Irregularitatibus: Nec absolutio a Censuris suffragari potest excommunicatis declaratis, aut publice denunciatis, nisi intra tempus Jubilæi satisfecerint, aut cum partibus concordaverint. Inquirendum nunc primo, An facultas absolvendi a Censuris se extendat ad irregularitates ex delicto, præsertim Homicidii? Secundo, An Absolutio a Censuris absque previa partis satisfactione sit invalida? Tertio, An pro foro externo standum sit testimonio Confessarii dicentis absolvisse excommunicatum; unde hujusmodi Absolutio possit etiam pro foro externo quadantenus prodesse?

ARTICULUS I.

An possit Jubilæi tempore tolli irregularitas ex delicto?

I. Videtur posse tolli, nisi ea etiam contrahatur ex defectu.
II. Communissime tamen id negant.
III. Irregularitas ex delicto non est Censura.
IV. Quamvis sit pœna Ecclesiastica, non proinde vi Jubilæi tolli potest.

I. AFfirmant Thomistæ putantes cum Soto in 4. dist. 22. q. 3. Medina, Bannez, Salonio, & aliis, Irregularitatem ex delicto esse Censuram. Idemque probabile censent Dian. part. 1. tract. 11. resol. 27., Bossius sect. 1. cas. 11. Henriquez lib. 7. c. 13., Salas de legibus, Rodriquez: Quamvis Sotus, & Medina cum aliis doceant, vi Jubilæi tolli posse Irregularitatem ex delicto, si ea tantum ex delicto contrahatur, quia tunc habet rationem censuræ; non vero si contrahatur etiam ex defectu, ut est Irregularitas ex homicidio injusto, quam contrahi putant etiam ex defectu lenitatis: quandoquidem certum est, vi Jubilæi non posse tolli Irregularitates ex defectu, cum expresse in Bulla dicatur, ne in foro quidem conscientiæ concedi posse dispensationem super ulla Irregularitate.

II. Communissime tamen DD. cum Suar. disp. 1. de Censur. sect. 3., Molina disp. 80., Trullench, Filliucio, Reginaldo apud Dianam l.c., & Moyam tract. 5. de Censuris qu. 5. negant, itaut censeant, oppositam sententiam carere quavis probabilitate. Primo, quia expresse dicitur in Jubilæi Bulla, quod nemini liceat super ulla Irregularitate dispensare:

Unde cum non distinguat Bulla inter Irregularitatem ex delicto, & Irregularitatem ex defectu, nec nos distinguere debemus; præsertim quia stylus Curiæ, qui in interpretandis literis Apostolicis vim habet legis, non admittit absolutiones ab Irregularitatibus vigore Jubilæi concessas.

III. Secundo, quia Irregularitas ex delicto non est Censura, quidquid in contrarium dicant Thomistæ; tum quia Censura tollitur per absolutionem, seu per actum judicialem, quo quis liberatur a suo reatu; Irregularitas vero tollitur per dispensationem, qua quis eximitur a legis obligatione; unde absolutio est juxta jus, quia ipsum jus, seu lex, & recta ratio dictat, conferri debere absolutionem Reo post exhibitam satisfactionem; Dispensatio vero est contra jus, & vulnus legis, quia eximit aliquem ab obligatione communi, quod nunquam a lege exigitur post quamcumque satisfactionem exhibitam: Tum etiam quia Innoc. III. c. *Quærenti, de verb. signif.* interrogatus, Quid veniat nomine Censuræ? Respondit, venire Interdictum, Suspensionem, Excommunicationem; Unde exclusit a ratione Censuræ Irregularitatem. Etenim in hisce doctrinalibus responsionibus præscindere est negare. Tum demum quia Censuræ sunt pœnæ medicinales, & temporaneæ, quæ correcto Reo cessare debent per absolutionem: Secus vero Irregularitas, quæ cum sit inhabilitas a jure posita, ex sua natura est perpetua.

Demum quia dispensatio ex irregularitate, præsertim ex homicidio, vix a Pontifice conceditur Optimatibus, & raro admodum, ac magna de causa. Et facultas in ea dispensandi non conceditur Commissariis Bullæ Cruciatæ: ergo non est verisimile, eam vi Jubilæi adeo facile concedi.

Objicies primo: In Bulla Jubilæi a Pio IV. concessi anno 1561. dicitur, quod Confessarius absolvere possit ab Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto, & aliis Sententiis, & Censuris Ecclesiasticis: ergo Irregularitas ex delicto est censura, & consequenter tolli potest per absolutionem vi Jubilæi. Consequentia probatur, quia nisi præter Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum darentur aliæ Censuræ, frustra diceretur in Bulla, quod possit Confessarius absolvere ab aliis censuris. Quare omnes hujusmodi pœnæ propter delictum irrogatæ dici debent censuræ, & pœnæ medicinales, quæ, correcto reo, cessent per absolutionem.

Respondeo cum Molina apud Bardi in Bullam Cruciatæ par. 2. tr. 6. c. 7. sect. 6. addi in Bulla ly *Ab aliis Censuris*, quia si quis v. gr. privaretur a Confessario, vel a Sacris Canonibus ad aliquod tempus usu Sacramentorum, hujusmodi partialis censura posset vi Jubilæi tolli, non vero quia Irregularitas ex delicto sit censura. Cum enim Irregularitas sit impedimentum Canonicum ex aliqua indecentia ortum, Sacrorum Ordinum susceptionem, & susceptorum usum impediens, est potius quædam inhabilitas, quam pœna proprie dicta; unde de se est perpetua, nec potest nisi per dispensationem auferri.

IV. Objicies secundo. In Bulla Jubilæi extraordinarii dicitur, quod possit Confessarius absolvere ab omnibus censuris, & aliis sententiis, ac pœnis Ecclesiasticis: Irregularitas autem ex delicto, quamvis non esset censura, est tamen pœna Ecclesiastica: ergo tolli potest vi Jubilæi.

Respondeo: Etiam dato, quod Irregularitas ex delicto sit pœna Ecclesiastica, habens rationem rigorosæ pœnæ, non per hoc potest vi Jubilæi tolli, cum aperte in Bulla prohibeatur, ne quis in ulla Irregularitate dispenset. Quare in Bulla nomine pœnarum ex Navarro, Henriq., Avila apud eundem Bardi, veniunt solum pœnæ personales, quæ sunt effectus jurisdictionis fori interni, ut v. gr. pœnæ nonnullæ a Confessario injunctæ, vel ab ipsomet pœnitente sibi impositæ, vel quæ inveniuntur in Sacris Canonibus pœnitentialibus, per quas fideles arcentur per aliquod tempus ab usu Sacramentorum. Hinc Magister Sacri Palatii jussit expungi in Patre Sa Propositionem illam, quod possit vi Bullæ Cruciatæ tolli Irregularitas ex delicto, sic corrigens: *Non est ullo pacto tenenda sententia quorundam affirmantium, quia in contrarium est praxis Romanæ Curiæ.*

ARTICULUS II.

An Absolutio a Censuris tempore Jubilæi absque prævia partis satisfactione sit invalida?

I. Nomine partis læsæ non venit Prælatus comminans censuram.
II. Si pars læsa sit Monachus, uxor, filius, satisfaciendumne etiam Abbati, Marito, Parentibus?
III. Censetur parti satisfactum, quoties ita res disponuntur, ut satisfactio sit indubitanter secutura.
IV. Valide, & licite a Censuris absolvitur, qui non est satisfaciendo.
V. Idque etiamsi præscribatur, quod in solo mortis articulo possit impendi absolutio, non præmissa satisfactione partis.
VI. Licite etiam absolvitur, qui dubitat de obligatione ad satisfaciendum: Ubi, an requiratur pro foro interno cautio, saltem juratoria?
VII. Non reincidit in Censuras, qui potens deinde satisfacere, non satisfacit.
VIII. Etiam Excommunicatus denunciatus potest pro foro interno absolvi, si non possit satisfacere.
IX. Probabilius invalida est, nedum illicita, absolutio a Censuris, si non præmittatur satisfactio, quando præmitti potest.

I. Difficultas procedit de iis censuris, quæ feruntur ob crimen illativum damni contra tertium; ut si quis contraxerit excommunicationem ob percussionem Clerici, & velit tempore Jubilæi absolvi.

Prænotandum tamen primo, Nomine partis læsæ ex Suario disp. 7. de Censuris sect. 5. non venire Prælatum præcipientem, sed aliam personam læsam. Nam quamvis etiam Prælatus offendatur, quoties peccatum injustitiæ adversus tertiam personam committitur, nihilominus talis offensio Prælati universim habetur, qualiscunque censura incurratur; qua de causa in absolutione a Censuris requiritur promissio parendi Ecclesiæ, & cautio; at Pontifex aliquid speciale exigit ab eo, qui absolvitur a censura propter injustitiam commissam; & ideo nomine partis læsæ tantum intelligi debet persona immediate offensa.

II. Utrum autem, si sit læsus Clericus v. g. debeat dari satisfactio Ecclesiæ ratione illius Clerici? Aut si Monachus, vel si filiusfamilias non emancipatus, aut uxor lædatur, debet etiam satisfieri Abbati, seu Monasterio, Parentibus, Marito? Affirmat Bonacina de

na de censuris disp. 3. q. 4. punct. 5. sed probabilius negandum cum Avila par. 2. c. 7. disp. 3. dub. 11. Nam sicut cum læditur subditus, indirecte læditur Superior; ita quando datur satisfactio subdito, indirecte datur etiam Superiori, nisi forte aliquando, v. g. ex percussione Monachi damnum aliquod secutum sit Monasterio in expensis faciendis; tunc enim Monasterio, tanquam parti læsæ, etiam satisfaciendum est, ut notat Bardi sect. 8. n. 83.

III. Prænotandum secundo, censeri satisfactum parti, quoties absolvendus ita res disponit, ut indubitanter sit secutura satisfactio, seu totum id, ad quod obligat justitia propter injuriam illatam: v. g. si quis det Confessario, quod restituere debeat, aut apud aliquem deponat. Ita Sanch. l. 2. c. 2. Bossius, Henr. & alii. Etenim satisfactio sic disposita habetur moraliter pro facta. Unde si quis concordet cum parte, a qua dilationem obtineat, potest absolvi; quia quoties pars remanet contenta, dicitur ei satisfactum, *ex leg. si rem, ff. de pignoratitia actione.*

IV. Dico nunc primo cum Suario, Layman, Bon. & aliis communius contra Sotum, Nav. Cord. apud Pasqualigum quæst. 253. Qui impotens est satisfacere, potest valide, ac licite absolvi a Censuris, etiamsi dicatur in Bulla, quod non absolvatur, nisi præmissa satisfactione partis. Probatur, quia etiam in foro externo, quando excommunicatus probat coram Judice se non esse satisfaciendo, debet absolvi, ex *cap. Qua fronte de appellationibus*: ergo a fortiori in foro interno. Et ratio a priori est, quia Censura est pœna medicinalis, quæ tolli debet, quoties censuratus paratus est satisfacere quantum possit.

Objicies. Facultas absolvendi datur sub conditione, quod parti sit satisfactum, & hæc conditio inducit formam, qua non servata actus corruit: ergo invalida est absolutio, non præmissa partis satisfactione.

Respondeo, etiam dato, quod talis clausula, *satisfacta parte*, inducat formam; at quando ex aliquo casu, vel necessitate fit, quod forma impleri non possit, ejus omissio non vitiat actum, ut docent Juristæ apud Pasqualigum l. c. Adde, posse etiam in rigore dici, quod satisfecerit parti, qui fecit quantum potuit; cum nemo teneatur ad impossibile; Dicitur autem impossibile in casu nostro, quod sine magna difficultate præstari non potest. Quare causa sufficiens ad excusandum debitorem a restitutione sufficit in casu nostro ad excusandum a satisfaciendo parti læsæ.

V. Dico secundo. Quamvis in quibusdam excommunicationibus præscribatur, quod nemo absolvatur, nisi in solo mortis articulo, non præmissa satisfactione partis, adhuc tamen impotentes absolvi possunt tempore Jubilæi. Ita Molina disp. 716. Henriquez, Sanchez lib. 2. cap. 20. contra Suarium disp. 23. de Censuris sect. 5.

Probatur, quia Excommunicatio, cum sit pœna medicinalis, non plus obligat ad satisfaciendum, quam obliget præceptum justitiæ. Etenim non inducit novam obligationem, sed solum compellit ad illam eandem justitiæ obligationem implendam; atqui præceptum justitiæ excusat impotentes, ita ut absolvi possint, etiamsi non restituerint: ergo etiam excommunicatio excusat impotentes; ita ut possint absolvi, etiamsi non satisfecerint. Quare quando dicitur, quod in solo mortis articulo possit dari absolutio ab aliquibus Excommunicationibus, intelligi debet relate ad potentes satisfacere: hi enim in solo mortis articulo absolvi possunt, quamvis non præmiserint realem satisfactionem, ne interim sine absolutione decedant; impotentes vero, tanquam ii, in quibus suspenditur obligatio satisfaciendi, non veniunt sub hac dispositione; Unde extra mortis articulum possunt absolvi vi Jubilæi.

Confirmatur, quia in Bulla Cęnæ expresse dicitur, quod nemo possit ab iis censuris absolvi, nisi in mortis articulo, & cautione præstita de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo; & tamen vi Jubilæi exprimentis dari facultatem absolvendi a censuris Bullæ Cęnæ, impendi potest absolutio ab iisdem impotenti satisfacere, ut ex prima conclusione deducitur: ergo a fortiori dari poterit absolutio ab aliis censuris, quæ non habent adeo strictam reservationem, ac censura in Bulla Cęnæ, etiamsi præscribatur, quod nemo absolvatur, nisi in solo mortis articulo, non præmissa partis satisfactione.

VI. Hinc fit, quod si quis habeat justum titulum, aut saltem probabilem non satisfaciendi, possit in foro interno absolvi, quamvis in foro externo non absolvatur, eo quod non possit talem justum titulum probare.

Fit secundo, quod possit absolvi non præmissa satisfactione partis, qui dubitat de obligatione ad satisfaciendum; etenim stante dubio nondum adest obligatio restituendi, ut passim Doctores docent.

Fit tertio, impotentes ad satisfaciendum posse in foro conscientiæ absolvi etiam invito Judice, & parte, ut communiter tenent contra Henr. l. 7. c. 10. Sylv., Cordub., quia talis facultas ad absolvendum datur a Pontifice, nec ullatenus præjudicat Judici, aut Patri; siquidem potest hæc adhuc in foro externo prosequi suum judicium.

Fit quarto, Impotentem ad satisfaciendum absolvi posse, nondum satisfacta parte, etiamsi non det cautionem ullam pignoratitiam, fidejussoriam, aut juratoriam. Etenim hujusmodi cautiones exiguuntur solum pro foro externo, ex Nav. Laym. Boss. Suar. disp. 7. de cens. sect. 10. n. 4. Henr. & aliis apud Pasqual. qu. 255. in foro autem interno, quod est forum veritatis, in quo Pęnitenti creditur tam pro se, quam contra se, satis est firmum propositum satisfaciendi. Consultius tamen est, & Sacrorum Canonum verbis, & communiori Doctorum sensui accommodatius, etiam pro foro interno cautionem, saltem juratoriam, a pœnitente ante absolutionem exigere, ut ad satisfaciendum fortius adigatur.

VII. Utrum autem reincidat in censuras, qui potens deinde satisfacere, non satisfacit? Affirmat Navar. Rodriq. Vega. Sed probabilius negandum cum Sà, Gobat, Bossio, Pasqual. q. 257. quia facultas absolvendi in Jubilæo non limitatur ad reincidentiam, sed est absoluta: ergo potest absolutio conferri absolute, præsertim quia ex *Cap. Ad reprimendam, de Officio Ordinarii*, reincidentia non habetur, nisi in jure exprimatur.

VIII. An autem absolvi possit virtute Jubilæi etiam excommunicatus denunciatus, & publicus Clerici percussor, si impotens sit ad satisfaciendum, aut vere satisfecerit parti quantum potuit? Dicendum posse cum Sanchez l. 6. cap. 17. n. 43. Henr. Sayro, Bardi, Lezana, & aliis apud Dianam part. 1. tract. 11. resol. 26. contra Vasquez, Avilam, Coninch, disp. 14. de Pœnitentia dubio 16. Ratio est, quia Pontifex concedit facultatem absolvendi pro foro interno omnes excommunicatos, si parti satisfecerint,

rint, quin excludat vitandos. Neque ullum scandalum ex tali absolutione sequitur, quia ea solum datur pro foro interno; & in ordine ad externum hujusmodi excommunicati se habent, ac si non essent absoluti. Et sane cum Censura quælibet sit imposita tanquam medicina ad curandam contumaciam, debet ea tolli, quoties finem suum est sortita: aliter non esset pharmacum, sed iniquum gravamen; præsertim si excommunicatus indigeat absolutione a mortali, quam nequit in Sacramento obtinere non præmissa absolutione a Censuris.

IX. Dico tertio. Si potens satisfacere absolvatur non præmissa satisfactione, non solum illicite confertur absolutio, sed probabilius etiam invalide. Ita Suarius disp. 7. de Censuris sect. 5. Vasquez, Gobat, Coninch, Filliucius, contra Avilam, Rodriquez, Bonacinam, Bardi, Dianam parte prima, tract. 11. resol. 22. Probatur, quia cum facultas absolvendi concedatur sub hac conditione, quod parti sit satisfactum, tali conditione non purificata, facultas non conceditur, & consequenter Absolutio est nulla.

Dices, per illam clausulam *satisfacta parte* non tradi formam servandam, sed solum monitionem de eo, quod est faciendum; perinde ac si dicat Episcopus Titio: Do tibi facultatem approbandi ad audiendas confessiones Sacerdotum, si inveneris idoneum; in quo casu monetur solum Titius de eo, quod faciendum est: ergo non confertur invalide.

Resp. Nego antecedens; quamvis enim de jure insit satisfactionem esse præmittendam absolutioni a Censuris; at dum exprimitur, quod satisfacta parte impendatur absolutio, sit sensus conditionatus, ita scilicet ut non detur facultas absolvendi, si non sit satisfactum parti, *ex lege A Testatore, ff. de condit., & demonstrat.* Adde, quod ly *Satisfacta parte* significat non dari facultatem absolvendi excommunicatum per hoc præcise, quod proponat satisfacere. Quamvis enim sæpe in confessione detur a peccatis absolutio debitori, per hoc tantum quod proponat restitutionem debitam; at Pontifex non vult Absolutionem conferri ab excommunicatione per hoc solum, quod excommunicatus potens satisfacere proponat satisfactionem: ergo clausula illa non habet solum vim monitionis, sed novæ formæ, qua non posita actus corruit.

ARTICULUS ULT.

An possit aliquando prodesse pro foro externo Absolutio a Censuris collata virtute Jubilæi?

I. Absolutus a Censura occulta potest se gerere tanquam non innodatum Censura; potest tamen pro foro externo puniri, quando censura innotescit.

II. Credendum videtur Confessario testanti de Absolutione præstita; Quidni & ipsi absoluto manifestanti absolutionem obtentam, cum non agatur hic de re temporali?

III. Prodest itaque multipliciter pro foro interno.

IV. Non potest Absolutio a Censuris extra Sacramentum conferri pro foro interno, si conferenda sit Auditis Confessionibus, *aut* Pro foro Pœnitentiali.

I. Certum est, Absolutum vi Jubilæi ab Excommunicatione posse se gerere tanquam non excommunicatum tam in privatis, quam in publicis actibus, si excommunicatio sit occulta; quandoquidem nullum inde scandalum sequitur, nec præjudicium infertur Jurisdictioni alterius. Quod si post Absolutionem obtinendam innotescat Excommunicatio, certe puniri poterit a Judice, donec sufficienter probet, se fuisse absolutum. Immo si sit Sacerdos, & post hujusmodi absolutionem celebret, poterit haberi in foro externo pro Irregulari, ut docent Henriquez l. 3. c. 13. Nav., Rodriqu. contra Suar. disp. 7. de Censuris sect. 1. eo quod pro foro externo illa Absolutio est nulla.

II. Dubitatur solum, An attestatio Confessarii de absolutione præstita satis sit ad illam probandam pro foro externo? Avila part. 2. cap. 7. disp. 3., & Acosta apud Dianam part. 1. tract. 11. resol. 26. putant, Judicem non teneri hujusmodi absolutionem pro foro interno collatam ullatenus acceptare. Sed Suarius loc. cit., Bossius sect. 1. casu 26., Pasqualigus, Peyrinus communius docent, credendum esse Confessario de licentia Pœnitentis testanti de collata absolutione. Ratio est, quia in iis, quæ nemini nocent, & alteri prosunt, sufficit unus testis, *ex c. Parvulis, de Consecrat. dist.* 4. In casu nostro, cum parti sit jam satisfactum, non agitur de præjudicio alicujus; ergo sufficit unus testis, & a fortiori Confessarius. Nam *ex cap. Ad audientiam de Proscriptionibus*, Officiali creditur in iis, quæ ad officium suum spectant, etiamsi sit solus: Immo Ludovicus a Cruce putat, credendum esse ipsimet absoluto; sicut Parochus credere debet Pœnitenti testanti se confessum fuisse cum aliquo Regulari, aut alio Privilegiato, ut docet D. Thom. 3. part. quæst. 8. suppl. art. 5. ad 2. Equidem tamen cum Pasqualigo censeo, ipsi absoluto credendum esse, juxta doctrinam D. Thomæ, solum relate ad ea, quæ concernunt spiritualia, & salutem Animæ, quia in foro interno standum est dicto Pœnitentis, secus vero relate ad temporalia, cum possit ob interesse temporale induci ad mentiendum.

III. Ex dictis sequitur, absolutionem istam vigore Jubilæi collatam juvare pro foro interno tum ad obtinendum Jubilæum, tum ut possit sic absolutus exercere citra scandalum actus prohibitos Excommunicatis. Immo ex Suar. disp. 4. de Censuris sect. 7. contra Pasqualigum potest sic absolutus esse Beneficii Ecclesiastici capax, & pro foro conscientiæ illud retinere, antequam pro foro externo absolvatur. Tunc autem prodest eadem absolutio pro foro externo, quando sufficienter constat Judici, eam pro foro interno esse collatam; & præterea vult illam Judex admittere, saltem ex sua benignitate, ut docet Avila loc. cit. Ubi adverte, facultatem absolvendi a censuris prodesse etiam pro foro externo, quando in Bulla non additur illa taxativa, quod *solum* pro foro interiori concedatur, ut docent Filliucius, Gobat, Suarius; quia favores isti sunt interpretandi latissime.

IV. Utrum autem valide, ac licite conferri possit Absolutio a Censuris pro foro interno extra Sacramentum, præsertim si in Bulla dicatur, quod absolutio conferatur *Auditis Confessionibus*, disputant Doctores. Sanchez lib. 8. disp. 34. Coninch, Trullench, Bardi, Avila, & alii cum Diana par. 1. tr. 11. resol. 250. putant & valide, & licite extra Sacramentum conferri. Ratio horum DD. est, quia verba illa, *Auditis Confessionibus*, possunt explicari, ita ut significent, auditis peccatis, propter quæ contra-

tracta est Censura, non vero ut significent, auditis Confessionibus Sacramentalibus. Etenim cum Absolutio a Censuris non habeat connexionem cum absolutione Sacramentali, non videtur dicendum, quod absolutio a Censuris restricta sit a Pontifice ad absolutionem Sacramentalem. Dicendum tamen cum Vasqu., Navarro, Fill. Suarez disp. 7. de Censuris sect. 5. & aliis communius (*a*), extra Sacramentum conferri nec licite, nec valide posse; quia facultas absolvendi a censuris datur in ordine ad absolutionem a peccatis, & ut dispositio praevia ad illam; unde debent absolutiones istae separari; quod ipsa praxis confirmat.

(*a*),, Iis adsentitur Benedictus XIV. in Encyclica *n.63.*

Multo minus audiendus est Lezana docens; posse extra Sacramentum conferri absolutionem a censuris, etiamsi praescribatur, quod pro foro Poenitentiali tantum sit valitura, putans forum poenitentiale esse idem, ac forum conscientiae, in quo aliqua poenitentia injungenda est, ut rite absolutio a Censuris conferatur. Huic enim interpretationi & ratio adducta, & communis DD. sensus refragatur.

QUÆSTIO XI.

De Facultate Confessarii Jubilaris circa Reservata.

JUxta Notificationem Clementis X. in Jubilaeo Anni Sancti datur facultas Poenitentiariis, & Parochis, necnon Religiosis Confessariis a Vicesgerente approbatis, quod possint absolvere lucrantes Jubilaeum Romanum ab omnibus peccatis, etiam in Bulla Coenae reservatis, in foro conscientiae tantum; quod etiam in Jubilaeo Extraordinario duarum hebdomadarum exprimi solet, quamvis in eo aliquando excipiatur crimen haeresis. Examinandum tamen primo, An per concessionem absolvendi a reservatis in Bulla Coenae intelligatur concessa facultas absolvendi ab haeresi, nisi expresse excipiatur? Secundo, An etiam intelligatur concessa facultas absolvendi a reservatis Ordinariis locorum? ubi ex praejactis non leves quaestiones resolvuntur. Tertio, An absolutus vi Jubilaei a peccatis, quorum meminit, remaneat liber a reservatione oblitorum? Quarto, An absolutus tempore Jubilaei a reservatis peccet, si non ponat deinde opera injuncta, nec lucretur Jubilaeum? Demum, An per Confessionem etiam invalidam tollatur reservatio?

ARTICULUS I.

Utrum facultas absolvendi a Casibus Bullae Coenae se extendat ad Haeresim?

I. Facultas absolvendi a reservatis se extendit ad Censuras reservatis annexas.
II. Facultas absolvendi ab omnibus Censuris se extendit etiam ad reservatas, quae non indigent speciali mentione.
III. Ea videntur indigere Censurae Bullae Coenae.
IV. Collata facultate absolvendi a Casibus in Bulla Coenae contentis, non videtur posse eatenus impendi absolutio ab haeresi etiam occulta.
V. Potest tamen ab aliis Bullae Coenae Casibus, etiam publicis.
VI. Negata facultate absolvendi ab haeresi, adhuc possunt absolvi fautores haereticorum, legentes libros prohibitos, & alii in Edicto Inquisitionis contenti.
VII. Nec non qui exterius tantum negant Fidem.
VIII. Ut qui est dubius in fide tantum suspensive; quamvis enim hic etiam habitum fidei amittat, non est tamen in rigore haereticus, nec infidelis, nisi tantum privative.

I. SUppono primo cum communi apud Bos. sect. 1. casu 2., facultatem absolvendi a reservatis Sedi Apostolicae involvere facultatem absolvendi a censuris, quae iisdem casibus sunt annexae. Ratio est, quia aliter facultas concessa nihil operaretur, cum omnes casus reservati Sedi Apostolicae habeant annexam censuram: constat autem *ex c. In his, de Privil.* semper debere privilegium aliquid operari in favorem privilegiarii. Adde, quod casus Papales universim sunt reservati ratione censurarum, non ratione sui; ergo facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicae intelligi debet de censuris reservatis; quamvis relate ad casus Episcopales non sit eadem ratiocinatio; quia multi casus sunt Episcopo reservati ratione sui, & absque ulla censura. Nihilominus adhuc relate ad Casus Episcopales facultas data ad absolvendum a reservatis se extendit probabiliter etiam ad absolvendum ab iis, qui habent annexam censuram, juxta dicta q. 2. a. ult. ex Suar. disp. 8. de Censuris sect. 4. n. 13. contra Navarrum; quia scilicet ex recepto & usitato more loquendi, nomine Casuum reservatorum comprehenduntur etiam Censurae illis annexae. Certe si Episcopus reservaret censuram, non reservato etiam peccato, tunc ex eodem Suario, nomine reservatorum non venirent censurae; quia duo isthaec sunt inter se diversa, & non connexa: Sed ab Episcopis non solet reservari sola censura, quin simul reservetur culpa, propter quam imponitur, ut idem Suar. advertit.

II. Supponendum secundo cum communiori contra Suar. d. 7. de cens. sect. 4. facultatem absolvendi ab omnibus censuris non solum involvere facultatem absolvendi ab omni specie censurarum non reservatarum, sed etiam a censuris reservatis, quae tamen non indigent speciali mentione. Ratio est, quia ut notant DD. plus conceditur, quando datur facultas absolvendi ab omnibus censuris, quam quando datur facultas absolvendi a censuris; sed secunda facultas extenditur ad omnem speciem censurarum; ergo prior illa facultas se extendit etiam ad reservatas, aliter non concederetur aliquid plus.

III. Suppono tertio, probabilius esse, quod facultas absolvendi ab omnibus censuris non involvat facultatem absolvendi a reservatis in Bulla Coenae. Ita communissime contra Boss. sect. 1. c. 7. putantem probabilem oppositam sententiam apud Dia. p. 5. t. 12. res. 34., & contra Pal. tr. 24. punct. 12. §. 2. Ratio est, quia hujusmodi casus sunt speciali modo reservati, revocanturque quotannis omnia privilegia absolvendi ab illis; unde indigent speciali men-

mentione, utpote speciali nota digni. Confirmatur *ex Extravag. Etsi Dominici* 1. & 2. *de Pœnitentiis, & Remiss.* apud Palaum loco laudato, ubi expresse dicitur, in generali concessione casuum reservatorum non intelligi casus Bullæ Cœnæ. Immo Durandus, & alii apud Dian. l. c. censent, ad absolvendum a reservatis Bullæ Cœnæ non sufficere facultatem absolvendi ab illis, absque eo quod expresse derogetur tali Bullæ. Sed communius cum Suar. negant id requiri; nam lex posterior, eo ipso quod contraria est priori, illam exercite abrogat, quin requiratur specialis alia abrogatio, ut constat ex *cap. primo de Constit. in 6.* & ex *l. sed & posteriores ff. de leg.* His præsuppositis,

IV. Prima sententia docet, vi Jubilæi, in quo de facto concedi solet facultas absolvendi a reservatis etiam in Bulla Cœnæ, intelligi concessam facultatem absolvendi etiam ab hæresi. Ita Sotus, Corduba, Reginaldus, Fagundez, Bossius, Gobat cap. 23. Cardinalis de Lugo disput. 23. de fide num. 102. & alii recentiores. Et Filliuc. tr. 8. nu. 265. refert ita in Sacra Pœnitentiaria fuisse responsum anno 1617. occasione Jubilæi a Paulo V. concessi, & ita servari in praxi. Ratio videtur esse, quia cum compertum sit, plures graves Doctores stare pro hac sententia, & in praxi a plurimis Confessariis huic opinioni inhærentibus conferri tempore Jubilæi absolutionem ab hæresi, si Pontifex vellet illam excipere, exciperet expresse, *ex cap. 2. de Translat. Episc.* ut olim sæpe factitatum est; ergo cum id non exprimat, signum est velle amplissimam conferre facultatem absolvendi ab omnibus omnino reservatis; id enim congruit fini concessionis, ut scilicet possit quilibet Jubilæum lucrari; & ex clausulis Bullæ pinguibus, & emphaticis videtur non obscure colligi. Addit Gobat loco laudato, ex Sayro, Sanch. l. 6. cap. 34. Henr. & aliis apud Dian. p. 1. tract. 11. res. 26. contra Filliuc. & Con. nu. 248. etiam Hæreticum, ac Schismaticum nominatim denunciatum; sicut & publicum Clerici percussorem absolvi posse pro foro conscientiæ, juxta superius dicta, ita ut si petat communionem, ubi cessat periculum scandali, possit illi ministrari; & ratio videtur esse, quia ubi lex non distinguit, nec coarctat facultatem ad delicta duntaxat occulta, nec nos distinguere, & coarctare debemus.

Secunda sententia communior, & tenenda cum Suar. Vasq. Palao, Avila, & aliis innumeris apud Dian. par. 1. tr. 5. resol. 1. docet, vi Jubilæi, in quo solum confertur facultas absolvendi a Reservatis Bullæ Cœnæ, nullatenus conferri posse absolutionem ab hæresi, ne occulta quidem. Fundamentum est, quia in generali concessione non veniunt, quæ quis in specie non esset verosimiliter concessurus, ut sæpe diximus *ex cap. in Generali, de Reg. Juris in 6.*: atqui hujusmodi est casus hæresis: ergo. Probatur minor; ideo enim communissime docent, ut prænotavimus, quod concessa facultate absolvendi ab omnibus reservatis, non intelligatur concessa facultas absolvendi a casibus Bullæ Cœnæ, nisi id exprimatur, quia casus Bullæ Cœnæ habent strictam, & specialem reservationem; sed casus hæresis habet reservationem strictissimam, & specialissimam, ut pro ea institutum sit speciale Tribunal, & specialis delegatio Inquisitoribus facta sit; ergo neque casus hæresis venit in generali concessione casuum Bullæ Cœnæ.

Confirmatur: tum quia Trident. sess. 24. c. 16. facultatem absolvendi ab hæresi occulta ne Vicario quidem Episcopi concedere voluit, sed uni Episcopo; quare non est verisimile velle Pontificem in quolibet Jubilæo illam conferre cuilibet Confessario; tum etiam quia Sixtus V. anno 1589. & Clemens VIII. 1594. cum concessissent casus Bullæ Cœnæ, concesserunt in specie etiam crimen hæresis; Unde videtur in generali concessione illud non venire.

Ad id quod objicitur, dicendum, non constare authentice de ulla declaratione: Praxim vero multorum inhærentium sententiæ benigniori, & absolventium de facto ab hæresi, nullum addere pondus probabilitati illius: Sicut nec dicendæ erant probabiles propositiones a Pontificibus proscriptæ, eo quod in praxim olim a multis eorum nonnullæ adducerentur. Et idem dicendum de silentio Pontificis non exprimentis mentem suam verbis luculentioribus, cum id luce se prodat sua.

V. Admitto tamen cum Gobat, Sanch. Henr. & aliis a Diana laudatis, posse quemlibet absolvi a delictis Bullæ Cœnæ, etiam publicis, hæresi prorsus excepta; nec non excommunicatum nominatim, ac publicum Clerici percussorem; ea tamen forma, qua dictum est quæstione superiore, art. 2. num. 8. ita ut pro solo foro interno conferatur absolutio, prout in Notificatione Clementis X. exprimitur.

VI. Dubitatur hic primo, An possint saltem vi Jubilæi absolvi receptatores, & fautores hæreticorum, tenentes, legentes, imprimentes libros hæreticos, & alii, qui continentur in edicto Inquisitionis?

Ad quod respondendum affirmative cum Suario, Sanch. Henr. Boss. contra Azor. Rodriq. & alios apud Pasqual. qu. 229. Ratio est quia nomen Hæresis significat hæresim formalem, seu errorem contra fidem in intellectu cum pertinacia voluntatis: ergo, si excipiatur crimen hæresis, non debet hæc exceptio ad alia crimina, & ad alios casus Bullæ Cœnæ extendi, etsi hæresim concernant, dummodo non sint proprie hæresis. Quare schismaticus, si quando sit pure schismaticus, ita ut non habeat hæresim admixtam, poterit etiam absolvi ab eo, qui potest absolvere a casibus Bullæ Cœnæ, hæresi excepta, ut notat Sanch. l. 2. c. 12. n. 12. Schisma enim non semper fert errorem contra Fidem: quamvis regulariter cum aliqua hæresi conjungatur, ex D. Thom. 2. 2. quæst. 39. art. 1. ad 3. quapropter pro foro externo schismaticus præsumitur hæreticus.

VII. Dubitatur deinde, An possint absolvi Jubilæi tempore, qui exterius tantum negant fidem, fingendo transire ad Paganismum?

Affirmandum pariter cum communi contra Cajet. 2. 2. q. 12. art. 1. tum quia excluso errore in intellectu, non habetur hæresis proprie dicta; tum etiam quia pœna (qualis est excommunicatio lata contra hæreticos) requirit universim delictum consummatum, quod non habetur in casu nostro. Hinc qui fingeret se esse hæreticum animo favendi hæreticis, si non contraxit errorem in intellectu, posset pariter absolvi, ut notat Sanch. l. 2. c. 7. n. 8. quia non contraheret excommunicationem latam contra hæreticos, sed contra fautores hæreticorum, quæ excommunicatio absolvi potest vi Jubilæi, quando sola hæresis excluditur.

Dices cum Cajet. Ecclesia non judicat de internis; ergo excommunicatio lata contra hæreticos est ratione actus externi; & consequenter qui vere

peccat mortaliter, & actum externum hæreticalem ponit, contrahit excommunicationem contra hæreticos latam, unde absolvi non potest in casu posito.

Confirmatur; Si quis metu inducatur ad aliquem occidendum, quamvis nolit illum occidere, adhuc est irregularis, & excommunicationem contrahit, si occisus sit Clericus: ergo si quis metu inducatur ad simulandam hæresim sine animo negandi Fidem, adhuc excommunicationem contrahit latam contra hæreticos, a qua proinde non potest absolvi ab eo, qui nequit absolvere ab hæresi.

Respondeo, Ecclesiam non punire solum actum externum, nisi quatenus conjunctum cum interno, qui ab externo compleatur, & manifestetur: quando autem non habetur hæresis interna, tunc actus externus non est vera hæresis; unde non subjicitur pœnis Ecclesiasticis contra hæresim latis: sic non est irregularis, nec excommunicatur, qui volens occidere equum alienum animo damnificandi dominum, occidit Clericum omnino invincibiliter; quia actus ille externus non est proprie homicidium, quando non provenit a voluntate occidendi hominem, etiamsi procedat ab illa voluntate damnificandi mortaliter peccaminosa.

Ad confirmationem, transmisso antecedente; de quo dubitant DD. nonnulli putantes, quod sicut metus gravis excusat ab observatione legis humanæ, ita excusat etiam a pœna Ecclesiastica, (quamvis non excuset a culpa) quando pœna imponitur propter transgressionem legis naturalis, quod habetur in casu adducto, negatur consequentia. Disparitas est, quia in primo casu metus non reddit actum simpliciter involuntarium, sed solum secundum quid, unde habetur verum homicidium; at in casu nostro non habetur vera hæresis, quia nullatenus habetur voluntas ulla negandi Fidem, sed solum ostendendi hæresim.

VIII. Dubitatur demum, An dubius in Fide absolvi possit tempore Jubilæi?

Respondeo cum communi, tunc non posse absolvi, quando dubius in fide est vere infidelis, & hæreticus; non semper tamen est hujusmodi, sed solum quando positive, & cum pertinacia vult dubitare de rebus ab Ecclesia propositis ut de fide credendis; & in hoc solum sensu *cap. primo de Hæreticis* dubius in fide dicitur infidelis, quia scil. cum tali dubio stat annexum judicium erroneum, & pertinax, quod res Fidei non sint omnino certæ, in quo consistit hæresis.

At si quis suspendat judicium circa res Fidei, negative se habendo, & quin consentiat, quod res Fidei sint dubiæ, quamvis possit hic peccare graviter, nullam tamen excommunicationem contrahit, unde poterit etiam extra Jubilæum absolvi, ut docet probabiliter Pasqualig. quæst. 231., quia hic non haberet positive actum contrarium Fidei, ut judicantem res Fidei esse dubias, aut rebus Fidei dissentientem, sed solum maneret suspensus; quando autem non habetur aut dissensus erga res Fidei, aut judicium positivum, quod res Fidei sint dubiæ, tunc non habetur vera hæresis, cum non habeatur error, qui ad hæresim constituendam requiritur.

Verum est, quod absolute dici solet infidelis, qui est dubius in fide, quia scilicet præsumptive in foro externo est talis, & quia est talis privative quoad actum Fidei, non positive per actum infidelitatis.

Dices: Amittitur habitus Fidei infusus ab eo, qui culpabiliter suspendit assensum circa res Fidei; ergo est infidelis, & hæreticus. Respondeo, concesso antecedente, nego consequentiam. Nam habitus Fidei deperditur non solum per actum positivum contrarium Fidei, sed etiam per dubium culpabile, quod est medium inter Fidem, & hæresim; quia etiam tale dubium, utpote peccaminosum, reddit subjectum indignum habitu Fidei supernaturali.

ARTICULUS II.

An facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ ferat facultatem absolvendi etiam a reservatis Ordinariis locorum?

I. Dicendum eam ferre solum tempore Jubilæi, non vero universim.
II. Satisfit difficultatibus in oppositum.

I. DE facto solet expresse concedi in Jubilæis facultas absolvendi a reservatis Ordinariis locorum; quod si non concederetur expresse, Bonac. disp. 1. de conf. q. 3., Rodr., Vega putant non intelligi concessam per hoc, quod concedatur facultas absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ.

Primo, quia *ex cap. 1. de Constit. in sexto*, lex generalis non derogat consuetudinibus particularibus: ergo nec facultas generalis absolvendi a reservatis Papæ derogabit reservationi particulari Episcoporum.

Secundo, quia Clemens VII. statuit anno 1601., ne quisquam possit absolvere a reservatis Ordinariis locorum prætextu cujuscumque privilegii, aut facultatis; & Alex. VII. damnavit proposit. 12., quæ habet: *Mendicantes possunt absolvere a casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id Episcoporum facultate*; cum tamen certum sit, Mendicantes frui privilegio absolvendi a reservatis Sedi Apostolicæ.

Tertio, quia non est præsumendum, quod Pontifex in illa concessione velit inferre præjudicium Episcopis, *ex cap. super eo, de off. delegati*, nec debet præsumi, quod velit derogare decretis Tridentini decernentis *sess. 25. c. 18. de Reform.*, quod possint Episcopi sibi casus reservare: quare militare videtur in hoc casu principium illud *ex cap. Si Episcopi, de Pœnit. & Remiss. in sexto*, quod scil. in generali concessione non veniunt ea, quæ quis in specie non esset verisimiliter concessurus.

Dicendum tamen cum Suar. disp. 7. de cens. c. 5. Vasq., Laym., Fausto, & aliis communissime, in Jubilæo generalem concessionem absolvendi a reservatis Papæ se extendere etiam ad reservata Episcopis. Ratio est tum praxis, tum etiam quia Pontifex dando facultatem absolvendi a reservatis sibi, tribuit facultatem absolvendi ab omnibus casibus, a quibus ipse potest; atqui Pontifex potest absolvere a reservatis Episcopo; ergo ab his etiam absolvere possunt Confessarii Jubilares.

Confirmatur, quia concesso majori*, conceditur etiam quod minus est, si in illo comprehenditur, *Ex l. Filius familias, ff. de donat.* atqui facultas absolvendi a reservatis Episcopo est quid minus, quam facultas absolvendi a reservatis Papæ, & in hac includitur; ergo hac concessa, conceditur & illa.

II. Ad primam rationem in contrarium: Ideo universim lex generalis non derogat speciali, quia Pontifex non præsumitur habere istius notitiam, ut dici-

dicitur *in eodem cap.* 1. *de Constit. in 6.* At non latet Pontificem, dari casus specialiter Episcopo reservatos: ergo concedens facultatem generalem absolvendi a reservatis, etiam ab hujusmodi reservatis absolvendi tribuit facultatem. Adde, quod in Jubilæo facultas absolvendi a reservatis, cum sit pro unica vice, non se habet per modum legis, sed per modum dispensationis; dispensatio autem universalis se extendit ad omnia. Ideo autem lex universalis non derogat statutis particularibus, quia posset esse nociva, tollendo quæ necessaria sunt pro utilitate alicujus communitatis; at dispensatio, cum sit pro unica vice, non trahit hoc inconveniens: unde non militat eadem ratio utrobique.

Ad secundam: Decretum Clem. VIII. necnon propositio damnata ab Alexan. VII. procedunt de Privilegiis, & facultatibus particularibus, quæ non debent præjudicium inferre Episcopis; nos vero loquimur de Jubilæo universali, & universali dispensatione pro absolutione a reservatis, quæ pro unica vice datur ex causa urgentissima, & animabus maxime favorabili, unde debet esse amplissima.

Ad tertiam: Pontifex nullum infert Episcopis præjudicium delegando Confessariis facultatem absolvendi a casibus iisdem reservatis; nam cum possit Pontifex ab illis absolvere, potest consequenter eandem facultatem alteri delegare sine injuria Episcoporum; cum nihil iis tollat, quod spectat ad ipsos. Tridentinum solum vult, quod possint Episcopi casus sibi reservare, non vero quod non possit Pontifex ab iis absolvere, aut aliis eandem facultatem delegare. Nec est verum, quod in generali ista concessione absolvendi a reservatis non esset Pontifex verosimiliter concessurus in Jubilæo facultatem absolvendi a reservatis Episcopo: sed oppositum est moraliter certum, cùm concedat facultatem absolvendi etiam a reservatis in Bulla Cœnæ, & a delictis quantumvis gravibus, & enormibus, ut loquitur Bulla.

ARTICULUS III.

Non leves Quæstiones ex præjactis resolvuntur.

I. Tempore Jubilæi potest absolvi, qui in spem Jubilæi incidit in reservata.

II. Etiam a peccatis post Jubilæi publicationem commissis.

III. Qui lucratus est Jubilæum, si incidat in reservata, potest ab iis absolvi, modo iteret opera ad Jubilæum lucrandum, aut obtineat eorum commutationem.

IV. Socius criminis absolvi non potest a Confessario Jubilari, ubi per Statutum Synodale id prohibetur Confessariis.

I. Ex dictis sequitur: primo ex Suar. Sanch. Fill. Henriq. Navar. Boss. & aliis communissime contra Lupicinum in cap. *Per vestras, de donat. inter vivum, & uxorem*, posse tempore Jubilæi absolvi etiam illum, qui spe Jubilæi indicendi incidit in reservata. Nam ab omnibus reservatis quilibet absolvi potest, & tale peccatum non habet specialem reservationem: Immo, ut notat D. Thom. 2. 2. quæst. 21. art. 1. ad 3., peccans spe veniæ, si habet propositum emendationis, minuit, non aggravat peccatum; si vero habet propositum perseverandi in peccato, superaddit peccatum præsumptionis, quod non est reservatum: ergo non est cur non possit absolvi.

Neque obstat, quod peccans spe veniæ debeat subesse pœnæ, non obtinere veniam, ut habetur in cap. *Quando, de Consecr.* dist. 4. Nam ibi, ut notat Glossa, sensus est, multoties sic peccantes puniri a Deo, ita ut non perveniant ad tempus veniæ obtinendæ.

Neque replices cum Covarr. l. 2. var. cap. 20. privilegii amissionem mereri eum, qui spe illius peccat, cum eo abutatur. Nam quamvis mereatur carere tali privilegio, non per hoc eo privatur ipso facto: sicuti qui peccat spe obtinendæ Absolutionis Sacramentalis, non per hoc nequit Sacramentaliter absolvi; præsertim quia revera non habetur in his casibus abusus Sacramenti, aut privilegii, cum non utatur illis, dum peccat, qui spe illorum peccat.

II. Sequitur secundo: posse virtute Jubilæi quemlibet absolvi non solum a commissis ante publicationem Jubilæi, sed etiam a reservatis post Jubilæi publicationem commissis. Ita communiter contra Glossam *in Extrag. Antiquorum, de Pœnitentiis, & Remiss.* Ratio est, quia datur facultas amplissima absolvendi a reservatis, quousque durat Jubilæi tempus, nec limitatur ad commissa hoc, vel illo tempore.

Neque dicas: Condonatio delicti restringitur tantum ad præterita: ergo etiam facultas absolvendi a delictis; & consequenter non potest dari absolutio a reservatis commissis post concessionem facultatis, seu post Jubilæi publicationem. Nam quamvis condonatio non possit respicere nisi delicta jam facta, & præterita; facultas tamen absolvendi respicere potest tam delicta commissa, quam committenda ante absolutionis collationem; & ideo facultas in Jubilæo concessa non est restringenda ad sola peccata ante Jubilæi publicationem patrata. Immo, ut notat Sanch. l. 4. cap. 54. num. 26. potest toties quilibet absolvi, quoties in reservata incidit ante elapsum Jubilæi tempus; idque etiamsi apponatur in Bulla clausula illa, *Pro hac vice tantum*, quia ly *pro hac vice* non refertur ad actum absolvendi, sed ad tempus, pro quo est concessa facultas; ita ut sensus sit, Pro hac vice datur facultas, ut possit quilibet toto tempore Jubilæi absolvi ab omnibus reservatis quandocunque commissis.

III. Sequitur demum, quid dicendum ad quæstionem illam, An qui lucratus est jam Jubilæum, si deinde incidat in reservata, possit ab iis absolvi? Negant communiter cum Sanch. lib. 4. cap. 54. num. 22. Boss. Fausto, Pasq. quæst. 258. Additque Sanch. contra Rodriq. Navar. & alios, eum, qui prima hebdomada lucratus est Jubilæum, non posse sequenti hebdomada item Jubilæum lucrari, si iterato omnia opera injuncta exequatur; & consequenter nec posse secunda hebdomada a reservatis absolvi, si in ea incidat: nam cum facultas absolvendi a reservatis concedatur ad inducendos fideles, ut Jubilæum assequantur, eo acquisito cessat finis concessionis, unde cessat & ipsa concessio.

Sed probabiliter cum Leone p. 2. n. 170. censeo, posse quemlibet absolvi intra tempus Jubilæi a reservatis post Jubilæi acquisitionem commissis. Ratio est, quia probabiliter censeo cum communiori, ut osten-

ostendimus quæst. 6. art. ult. posse quemlibet toties Jubilæum lucrari, quoties injuncta opera implet; Puto etiam, quod si quis aut culpabiliter, aut invincibiliter omiserit ponere opera injuncta, & ultimo die Jubilæi velit Jubilæum lucrari, possit Confessarius illi commutare opera injuncta, & absolvere a reservatis, juxta dicta quæst. 8. art. 1. ex Boss. sect. 1. cas. 38., & Lugo d. 20. num. 139. Unde fit, quod si quis post acquisitionem Jubilæi incidat in reservata, possit vel iterum ponere opera injuncta; vel si nequeat, poterit obtinere a Confessario commutationem illorum, & sic iterum Jubilæum lucrari, & a reservatis absolvi. Ratio doctrinæ est, quia facultas ista in Jubilęis concessa, cum respiciat favorem animarum, amplissime est interpretanda.

IV. Utrum autem Confessarius Jubilęi tempore absolvere possit socium criminis, ubi id per statutum Synodale prohibetur, disputant Doctores. Affirmant Boss. sect. 1. cas. 12., & Pasqual. qu. 23. dummodo absit occasio relabendi; quia scilicet Confessarius Jubilaris absolvit, tanquam delegatus a Pontifice, quoscunque potest absolvere Pontifex. Sed verius negandum cum Bonac. disp. 5. de Sacram. quæst. 7. pun. 5. §. 5. n. 10. & Morono resol. 98. Ratio est, quia in Confessario requiritur approbatio relate ad eas personas, quarum debet Confessiones excipere, juxta dicta quæst. 9. art. 2., atqui relate ad complicem non habet Confessarius approbationem, posito quod prohibeatur illi absolutio complicis per statutum Synodale: ergo tempore Jubilæi non potest illum absolvere.

Neque est verum, quod docet sententia opposita, prohibitionem ab eo statuto factam pertinere ad casuum reservationem, non ad limitationem approbationis; eo quod approbatio limitetur solum relate ad aliquod genus personarum, vel relate ad locum aliquem, aut ad certum tempus restringatur.

Nam contra est, quia ea prohibitio non respicit determinate ullum delictum, quod reservet, sed solum respicit determinate personam complicis: ergo relate ad istam fert defectum approbationis: Gratis autem omnino dicitur, quod approbatio limitari possit duntaxat relate ad genus aliquod personarum, & non relate ad personam determinatam, quando relate ad hanc datur sufficiens ratio eam limitandi, ut habetur in casu.

ARTICULUS IV.

An absolutus vi Jubilæi a peccatis, quorum meminit, remaneat liber a Reservatione oblitorum?

I. Negant multi ex multis capitibus.
II. Probabilius concedendam. Idque etiam extra Jubilæum, quando quis suo Superiori confitetur.
III. Occurritur objectis.
IV. Qui bona fide confitetur Jubilæi tempore, etiamsi deinde sua culpa negligat ponere injuncta opera, & Jubilæum lucrari, adhuc remanet liber a reservatione oblitorum.

I. SUarez de Pęnitentia disput. 31. sect. 4. Vasquez, & alii apud Bonac. quæ. 5. de Sacramentis sect. 5. §. 5., & Dianam par. 2. tract. 11. resol. 19. putant, Confessionem factam Superiori absque ulla mentione reservatorum, ac absolutionem similiter collatam non tollere onus pęnitenti adeundi deinde Superiorem pro absolutione, quando recordatur reservatorum. Ratio videtur esse, quia forma absolutionis non operatur, nisi juxta mentem proferentis; Et universim actus agentium non operatur ultra intentionem eorum, ex cap. *finali de Præbendis;* Superior autem, si non fiat mentio reservatorum, solum habet generalem, & communem intentionem conferendi Sacramentum, non vero tollendi reservationem: ergo quamvis a reservatis oblitis remaneat tunc Pęnitens indirecte absolutus, non per hoc liber erit ab onere adeundi Superiorem pro absolutione directa, quando eorum recordabitur.

Confirmatur primo ex Pasqualigo q. 242. quia Sacerdos non potest proferre sententiam absolutionis, nisi causa cognita, ex Trid. sess. 14. cap. 5.: ergo si nihil prorsus cognoscat de reservatis oblitis, non potest super reservatione proferre sententiam; nec illam tollere.

Confirmatur secundo, quia reservatio in tali casu nec tollitur directe, cum non exponantur reservata oblita; nec tollitur indirecte, quia indirecta absolutio se extendit ad ea tantum, ad quæ extenditur Gratia per Sacramentum collata: hæc autem tantum se extendit ad peccata removenda, non ad tollendam reservationem: ergo reservatio simpliciter non tollitur.

II. Dicendum tamen cum Reginaldo, Sylvestro, Gabriele, Navarro, Sà, Diana loco cit. Lugo disp. 20. num. 100. Coninch, probabiliter absolutionem vi Jubilæi collatam penitus tollere peccatorum oblitorum reservationem: Immo ut notat Nunnez contra Suarium, etiam extra tempus Jubilæi Superior absolvens Subditum tollit Reservationem omnem, quam potest, ab oblitis. Ratio ex Coninch., & Reginaldo, est, quia, licet talis Pęnitens non petat explicite Absolutionem Reservatorum, petit tamen interpretative; quia cum veniat dispositus, peteret procul dubio & Absolutionem conferri, & Reservationem tolli, si reservata menti occurrerent. Præterea absolvens censetur conferre Absolutionem, quoad ejus fieri potest; quare sicut tollit culpam oblitorum indirecte, eodem prorsus pacto tollit etiam indirecte eorum Reservationem. Cum enim conferat illi quidquid potest, & possit reservationem oblitorum tollere, de facto illam tollit.

Ad rationem in contrarium respondetur, quod Absolvens vult levare Pęnitentem dispositum omni onere, prout potest; Si enim vult illi conferre gratiam, & culpam oblitorum tollere, quod maximum est, a fortiori vult tollere Reservationem eorundem.

Ad primam Confirmationem, Sacerdos tollendo Reservationem non judicat de peccatis oblitis, sed remittit judicium inferioribus; nec est absurdum, quod per accidens Inferiores possint judicium ferre super peccatis reservatis, quando in memoriam redeunt.

Ad secundam Confirmationem dicendum, tolli Reservationem implicite, & indirecte. Ideo enim peccata oblita remittuntur indirecte, quia confertur gratia remissiva oblitorum, quin feratur illorum judicium directum: Atqui etiam confertur Absolutio oblitorum quoad omne aliud eorum onus, quod tolli potest, atque adeo quoad Reservationem, quin eorum feratur judicium directum: ergo etiam reser-

reservatio tollitur indirecte. Certum est, quod Gratia nonnisi ad culpam delendam se extendat, cum illi soli opponatur. Absolutio vero cum possit etiam Reservationem, & censuras tollere, tollit quodcunque intendit tollere absolvens, unde & reservationem.

III. Dices. Per verbum, *Absolvo*, non tolluntur Censuræ, nisi exprimantur, aut nisi saltem Absolvens explicite intentionem habeat absolvendi a Censuris: ergo per verbum, *Absolvo*, neque tollitur Reservatio, nisi illius fiat specialis mentio, saltem mentaliter. Immo cum Censuræ, & Reservatio non tollantur solo actu mentali, ideo debet signis etiam externis talis intentio innotescere Pœnitenti, quod non videtur haberi in casu nostro.

Respond. per verbum, *Absolvo*, innotescere, quod Absolvens intendat tollere omne peccatum, ejusque onus, quoad fieri potest, & consequenter Reservationem, etiamsi de ea non fiat explicita mentio: Idemque dicas de Censuris, quamvis ad securitatem soleat, ac debeat earum fieri mentio explicita, ne forte impediatur a Censuris occultis effectus Sacramenti, juxta opinionem Vasquii, & aliorum. Quia vero Reservatio occulta non impedit Sacramenti effectum, ideo non solet fieri ejus explicita mentio, quando non adest ratio dubitandi, num ea subsit.

IV. Utrum autem qui post confessionem sua culpa non est lucratus Jubilæum, possit deinde a Reservatis inculpabiliter oblitis absolvi a quolibet Confessario, probabiliter affirmant Sanchez lib. 4. c. 5. Henriquez, Bossius, & alii contra Suar. disp. 31. sect. 4. si tamen, cum absolvitur Jubilæi tempore, habeat animum lucrandi illud, & bona fide confiteatur; quamvis deinde sua culpa omittat ponere opera injuncta, & Jubilæum non lucretur. Ratio est, quia in tali casu Confessarius habet facultatem absolvendi a reservatis, & dum absolvit indirecte ab oblitis, censetur tollere ab eis quidquid potest, atque adeo reservationem. Nec obstat, quod non possit ex Trident. sess. 13. cap. 5. incognita causa proferre sententiam circa reservata oblita. Nam, ut diximus, non profert super iis sententiam, sed solum aufert onus adeundi pro absolutione directa ad Superiorem, unde possit in ea causa quilibet Confessarius judicare. Sicut enim potest Superior conferre subdito facultatem, ut a quolibet absolvatur etiam a Reservatis, non audita prius Confessione Reservatorum, quin dicatur proferre sententiam incognita causa; ita in casu nostro.

ARTICULUS V.

Utrum peccet, qui virtute Jubilæi obtinuit Absolutionem a reservatis, & deinde non implet opera injuncta?

I. Absolutus a Censuris, vel reservatis vi Jubilæi non reincidit, si prætermittat opera injuncta.
II. Peccat tamen mortaliter ea prętermittendo.

I. Certum videtur cum communissima contra Ugolinum, absolutum vigore Jubilæi a Censuris, vel Reservatis non reincidere, si voluntarie prætermittat opera pro Jubilæo injuncta: etenim absolutio non datur conditionate, vel ad reincidentiam, sed absolute, dummodo pro tunc pœnitens habeat animum lucrandi Jubilæum: unde si propositum mutet, remanet absolutus.

In dubium tamen revocatur, Num peccet, si propositum mutet, & nolit opera injuncta implere? Negant, hunc, secluso contemptu, peccare Sanchez loc. laud., & Bonac. disp. 5. de Sacram. q. 7. punct. 5. tum quia obligatio lucrandi Jubilæum nec imponitur a Pontifice, nec a Confessario; tum etiam quia sicut in dubio Voti non datur obligatio illud implendi, ita in dubio, an quis teneatur lucrari Jubilæum, nec tenetur. Boss. sect. 1. cas. 33. cum aliis putat, hunc peccare duntaxat venialiter.

II. Equidem censeo cum Suario disp. 31. de pęnit. sect. 4. Vasquio, Filliuc., hunc mortaliter peccaturum. Ratio est, quia Pontifex concedit Confessario facultatem absolvendi a reservatis ad hoc, ut pęnitens possit Indulgentiam Jubilæi lucrari; atque adeo concedit facultatem illam, tanquam medium ad talem finem: ergo pęnitens acceptans hæc media consentit tacite in finem. Unde videtur intervenire tacitum pactum inter Pontificem, & pœnitentem; ita scilicet ut Pontifex concedat hujusmodi media, & penitens ea acceptet, obligando se ad finem ponendum: ergo si absque causa omittat deinde ponere opera injuncta, & lucrari Jubilæum, violabit pactum tacitum in re gravi, & consequenter peccabit graviter.

Ad rationem in contrarium dico, obligationem lucrandi Jubilæum imponi tacite a Pontifice, dum concedit facultatem Confessario in ordine ad talem finem. Unde cum ista obligatio tacite insit, habetur pro expressa. Hinc óptime notat Pasqualigus quæst. 246., quod in foro externo posset hic per censuras cogi ad implenda opera pro Jubilæo injuncta; quia fraudulenter se gerit, & irrogat injuriam Ecclesiæ, non observando pactum tacitum cum ea initum. Ad id, quod additur de voto, transmisso antecedente, quod a Vasquez, & aliis negatur, negandum est suppositum consequentis, videlicet dubium esse de hac obligatione; quamvis enim spectata extrinseca Doctorum aliter sentientium Auctoritate, possit aliquis de ea dubitare; at spectata ratione ab intrinseco, non videtur de ea dubitandum.

Dices. Qui absolvitur vi Jubilæi a Censuris reservatis, si deinde non ponat opera injuncta, non reincidit in Censuras, ut dictum est; ergo nec peccat. Probatur consequentia. Intantum enim peccaret, quia supponitur tacitum pactum Pontificis cum pęnitente, quod si velit absolvi, impleat opera injuncta: Sed hoc probat etiam inesse consimile tacitum pactum, quod, si velit a censuris absolute absolvi, ponat opera injuncta, aliter reincidat: ergo si non reincidit in censuras, nec peccat.

Respondeo, nego consequentiam. Ad probationem nego minorem. Nam absolutio a censuris, quoties fertur super causa cognita, ex sua natura confertur simpliciter, & absolute, nec unquam confertur ad reincidentiam, nisi exprimatur. Adde, quod censura vel deberet reviviscere propter peccatum præteritum, vel propter præsens, si non ponat pœnitens

tens opera injuncta: Atqui non revivifcit propter peccatum præteritum, quod eſt jam abſolute remiſſum, cum Abſolutio Sacramentalis ſemper ſit abſoluta, neque propter peccatum præſens, quandoquidem huic non eſt aut in jure, aut ab homine annexa cenſura. Ergo ſimpliciter non reviviſcit. Hinc ex paritate rationis dicendum, nec reviviſcere in tali caſu obligationem Votorum, quæ vigore Jubilæi fuiſſent commutata.

ARTICULUS ULT.

An per Confeſſionem invalidam tollantur Cenſuræ, & peccatorum reſervatio?

I. Bona fide abſolutus invalide ex defectu doloris probabiliter immunis remanet a cenſuris etiam reſervatis; Non tamen ſi ſacrilege confiteatur.
II. Probabiliter etiam tollitur ab illo peccatorum reſervatio.
III. In multis caſibus poteſt abſolutio a reſervatis dari ab inferiore poſt Jubilæum tranſactum.
IV. Per abſolutionem generalem a cenſuris tolluntur cenſuræ, quæ ſolum bona fide non explicantur, non quæ celantur de induſtria.
V. Idem dicendum de cenſuris, quæ requirunt ſatisfactionem partis; dummodo culpabiliter non ſit omiſſa ſatisfactio.

I. Multipliciter Confeſſio poteſt eſſe invalida, vel ex defectu doloris, aut propoſiti, vel ex defectu intentionis abſolvendi in Confeſſario, aut quia non habet hic a ſuo Ordinario approbationem, prout requirit Pontifex, &c. Et ſane, ſi quis conſecutus ſit Jubilæum vi ſuæ contritionis, quamvis invincibiliter non ſit Sacramentaliter abſolutus, quod poſſit deinde a quocunque Confeſſario abſolvi a reſervatis, conſtat ex dictis quæſt. 8. art. 3., ſupponendo confeſſionem non eſſe opus injunctum: Si tamen non ſit conſecutus Jubilæum, & confeſſio fuerit invalida ex defectu Confeſſarii non habentis poteſtatem abſolvendi, conſtat etiam nec cenſuras ſublatas eſſe, nec reſervationem.

Difficultas itaque maxime procedit de eo, qui abſque debito dolore invalidam confeſſionem invincibiliter poſuit, Num liber remaneat a cenſuris, & a reſervatione, ſi reliqua opera injuncta poſuerit? Non remanere liberum docet Laym. Bon. Regin. Fauſtus, Rodriq. Boſſ. ſect. 1. caſu 35. Remanere vero docent Conin. d. 8. de poen. n. 92. Henriq. l. 7. c. 11. Comit. & alii apud Dian. p. 2. tr. 11. reſ. 18.

II. Dico equidem primo: Qui bona fide invalide confitetur ex defectu doloris, aut propoſiti abſtinendi a peccatis, ſi vere habet animum lucrandi Jubilæum, eo quod per errorem exiſtimet confeſſionem illam ſatis eſſe ad Jubilæum lucrandum, probabiliter a cenſuris etiam reſervatis abſolvitur; ſecus vero ſi ſacrilege confiteatur ad eum finem, quod a cenſuris abſolvatur.

Prima pars probatur, quia cum poſſit Sacerdos hunc a cenſuris abſolvere, non eſt ratio, cur non intendat de facto illum abſolvere, poſito quod ſe præſentet habenti poteſtatem cum animo præſtandi ea, quæ ſibi imponuntur. Quod a fortiori dicendum, ſi confeſſio non ſit invalida, ſed valida, & informis; ut accidit juxta ſententiam Cardinalis de Lugo, quando quis dolet de uno peccato ex motivo ſpecialis turpitudinis illius, oblitus invincibiliter alterius mortalis.

Confirmatur. Si pœnitens in caſu poſito poſt Abſolutionem a cenſuris per actum doloris ſe diſponat ad Abſolutionem Sacramentalem, certum videtur abſolvi Sacramentaliter: ergo abſolutio a cenſuris prævia fuit valida; aliter ſi hic eſſet excommunicatus, nec abſolveretur Sacramentaliter, juxta ſententiam Vaſq. de excomm. dub. 4. Hurt. Sylveſt. docentium, quod excommunicatio reddat ſubjectum incapax talis Sacramenti; quamvis juxta ſententiam Suar. d. 10. ſect. 3. Laym. Avilæ putantium excommunicationem prohibere, non irritare ſuſceptionem Sacramenti Pœnitentiæ, hic bona fide ad tale Sacramentum accedens abſolveretur Sacramentaliter a peccatis, etiamſi antecedenter non eſſet abſolutus a cenſuris.

Secunda pars concluſionis eſt contra Cardin. de Lugo diſp. 22. de Pœnit. num. 113. putantem, quod ſi quis ſacrilege confiteatur omnia peccata reſervata, dummodo habeat animum faciendi deinde Confeſſionem validam, & lucrandi Jubilæum, poſſit valide abſolvi tunc a cenſuris, ita ut etiam tollatur Reſervatio; quia ſcilicet (ut loquitur Comit. apud Dian. loc. cit.) hic ſatisfecit legi Eccleſiaſticæ reſervationis, exponendo peccata reſervata habenti poteſtatem in illa, quamvis non ſatisfecit legi Divinæ, ponendo Confeſſionem invalidam. Equidem non ſubſcribo. Ratio eſt, quia fraus non debet cuiquam ſuffragari, nec debet lucrum e ſacrilegio reportari; quod accideret, ſi quis ſacrilege confiteatur tempore Jubilæi eo animo, ut a cenſuris reſervatis abſolvatur.

III. Dico 2. cum eodem Coninch. d. 8. dub. 12. num. 91. Cajet. Suar. diſp. 31. ſect. 4. num. 9. Comit., Henriq. lib. 5. cap. 16. num. 5., & aliis innumeris apud ipſum; Probabiliter etiam tollitur reſervatio ab eo, qui invalide confitetur Jubilæi tempore bona fide.

Probatur ex Con. I. c. quia ſic confitens ſatisfecit fini, quem Superior intendit per reſervationem caſuum, qui erat, ut ſuo ſe Superiori præſentaret, a quo poſſet melius dirigi, & ſalutarem pœnitentiam accipere; quod ipſe jam præſtitit: ergo veriſimile eſt Pontificem velle, ut per abſolutionem huic bona fide collatam tollatur reſervatio, ita ut poſſit deinde valide a quolibet abſolvi.

Confirmatur ex Suar. loc. cit., quia fieri poteſt, ut abſolutio ſit invalida non ex aliquo defectu circa peccatum reſervatum, ſed ex defectu circa alia peccata, qui eſt omnino per accidens ad confeſſionem caſus reſervati, & ad intentionem Superioris in ea reſervatione: ergo tunc ſaltem cenſeri debet reſervatio irrationabiliter ſublata.

Objicies: Favores abſolvendi a cenſuris, & reſervatis conceduntur in Jubilæo in ordine ad Abſolutionem Sacramentalem: ergo ſi hæc eſt nulla, erit pariter nulla abſolutio a cenſuris, & immunitas a reſervatis.

Confirmatur, quia ſi quis non confiteretur tempore Jubilæi, teneretur quoad reſervata adire Superiorem: ergo etiamſi confiteatur invalide; quia rem non fieri, & nulliter fieri æquiparantur in jure.

Reſpondeo, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Abſolutio enim a cenſuris, & a reſervatis in caſu poſito eſt in ordine ad Abſolutionem Sacra-

cramentalem; quamvis autem per accidens hæc ſit invalida, non ſequitur proinde illam pariter eſſe invalidam. Sic Abſolutio a cenſuris eſt in ordine ad conſequendum Jubilæum: ſi quis tamen poſt acceptam abſolutionem a cenſuris, & Sacramentalem a peccatis, non poſſit ponere opera injuncta, & Jubilæum non conſequatur, nemo dicet non fuiſſe a cenſuris, & reſervatione abſolutum; ergo neque in caſu noſtro: Et ratio a priori eſt, quia Abſolutio a cenſuris non datur conditionate, ſed abſolute, eſto dari non poſſit niſi habenti animum conſequendi Jubilæum.

Ad confirmationem, nego pariter conſequentiam. Quamvis enim abſolutio Sacramentalis ſit invalida quoad tollendam culpam, non eſt invalida quoad tollendam reſervationem: nam facultas abſolvendi a peccatis, & tollendi reſervationem ſunt inter ſe ſeparabiles; illa quippe eſt facultas Ordinis, hæc Juriſdictionis; poteſt invalide exerceri prima, quin invalide exerceatur ſecunda; validitas enim unius, licet in eodem actu, non vitiatur per invaliditatem alterius. Sic ex cap. unic. *de deſponſ. impub. in 6.* contractus, qui ut matrimonium eſt nullus, eſt validus ut ſponſalia, juxta celebrem regulam, quod Actus, ſi non valet ut agitur, valet ut poteſt.

Ex dictis ſequitur, in multis caſibus poſſe ab inferiore abſolutionem dari a reſervatis, etiam poſt tranſactum Jubilæum. Primo ſcilicet, quando quis ex oblivione, aut ex alia juſta cauſa omiſit confiteri reſervatum tempore Jubilæi, juxta dicta articulo tertio: idque verum probabiliter eſt, non ſolum ſi omnia opera Jubilæi poſuerit, ſed etiam ſi habuerit animum ea ponendi, quando eſt confeſſus, & deinde per impotentiam, aut etiam culpabiliter non poſuerit. Secundo, ſi quis poſuerit confeſſionem invalidam bona fide Jubilæi tempore, non tamen ſi ſacrilegam; quidquid in contrarium dixerit Comit. apud Dian. p. 2. tr. 11. reſ. 18. Tertio, ſi quis tempore Jubilæi cœpit confiteri, ſed ob juſtam cauſam Confeſſarius diſtulit abſolutionem, ut docent communiter cum Sanch. d. 8. diſp. 15. n. 17. Henriq. Boſſ. ſect. 1. caſ. 39. nam poteſt tunc Confeſſarius abſolvere a cenſuris, & tollere reſervationem, differendo Abſolutionem Sacramentalem. Immo ſi Confeſſarius differat in tali caſu conſecutionem Jubilæi, prorogando tempus ex juſta cauſa, ut ſæpe conceditur in Bullis, poteſt etiam omnia privilegia Jubilæi prorogare, & conſequenter abſolvere a reſervatis commiſſis poſt tranſactum tempus Jubilæi, ut notat Fauſtus lib. 4. q. 133.

Denique juxta opinionem Sanch. lib. 8. diſp. 15. Boſſii, Sanctar. & Paſqualigi qu. 243. (de cujus probabilitate alii viderint) ſi quis pro lucrando Jubilæo confeſſionem omiſerit, utpote non ſibi conſcius mortalis, adhuc poterit deinde a quocunque Confeſſario abſolvi, ſi reſervati alicujus recordetur; quia ſcilicet Jubilæum concedit jus, ut poſſit quilibet a Confeſſario a reſervatis abſolvi: ergo cum hic ſine confeſſione (juxta opinionem, quod ea non ſit opus injunctum) lucratus ſit Jubilæum, hujuſmodi privilegio potitus eſt ſtatim ac poſuit omnia opera injuncta; dummodo ad tollendum Indulgentiæ obicem ante ultimum opus injunctum contritionem præmiſerit de peccato invincibiliter ignorato, ſicut etiam ante Communionem, quando ea injungitur in Jubilæo, juxta dicta q. 8. art. 3. Poterit ergo juxta hos Auctores hic deinde a reſervatis abſolvi, non ſecus ac ab aliis oblitis.

IV. Sequitur ſecundo, quid dicendum ad quæſtionem illam, An abſolvens a cenſuris generaliter tollat a pœnitente omnes cenſuras, etiam reſervatas, quas poteſt tollere, quando pœnitens illas non explicavit? Reſpondendum enim tollere, ſi pœnitens ſit illarum invincibiliter oblitus; non tamen ſi illas ex malitia occultarit: quamvis Paſqualig. qu. 240. cum Henriq. lib. 13. cap. 29. Rodriq. Boſſ. ſect. 1. caſ. 28. putet, etiam tunc tollere, eo quod poſſit etiam invitus, nedum indiſpoſitus, a cenſuris abſolvi. Equidem tamen cenſeo, per Abſolutionem generalem a cenſuris tolli duntaxat illas, quæ explicantur, aut bona fide non explicantur; non vero quæ ex pudore, aut malitia reticentur. Nam, ut diximus, in generali conceſſione non veniunt, quæ quis in ſpecie non eſſet veriſimiliter conceſſurus; non eſt autem veriſimile, quod abſolvens velit abſolutionem impertiri ei, qui ſacrilege in Sacramento Pœnitentiæ petit abſolvi a Cenſuris, quas de induſtria tacet.

V. Sequitur ultimo, quid dicendum ad aliam quæſtionem, An vigore Jubilæi remaneat abſolutus a cenſuris, quæ requirunt ſatisfactionem partis, qui illarum obliviſcitur? Et ſane ſi culpabiliter obliviſcatur, non remanere abſolutum certum eſt apud Doctores; quia vi Jubilæi non poteſt Sacerdos abſolvere ab hujuſmodi cenſuris, non ſatisfacta parte. Si vero inculpabiliter oblitus ſit, Boſſ. ſect. 1. caſ. 28. putat remanere abſolutum, ſed cum onere ſatisfaciendi: negant vero Avila, Bonacina, Coninch. Equidem diſtinguo cum Paſqual. q. 241. Puto enim remanere abſolutum, ſi inculpabiliter omiſerit ſatisfacere; quia tunc per eum non ſtetit, quominus fuerit impleta conditio a Pontifice requiſita; ſecus vero ſi culpabiliter omiſerit uſque ad illud tempus ſatisfacere, cum facultas abſolvendi a tali cenſura non ſe extendat niſi poſita conditione, quod parti ſatisfactum ſit.

QUÆSTIO XII.

De Potestate Confessarii Jubilaris in ordine ad Vota.

NOn dies, sed annus me deficeret, si innumeras hac de re Quæstiones a Doctoribus passim discussas indicare solum vellem, nedum enucleare. Quare ne longum faciam, paucis innuam solum potissima ad praxim spectantia, ac scitu digna circa hujusmodi facultatem.

ARTICULUS I.
Quousque se extendat facultas commutandi Vota tempore Jubilæi.

I. Facultas commutandi vota se extendit ad juramenta, & vota jurata, quæ non sint in præjudicium tertii, quando habet rationem privilegii: secus vero quando habet rationem dispensationis.

II. Non se extendit secundum se ad dispensandum in votis, quamvis anno Jubilæi se extendere putent nonnulli.

III. Votum emissum primario ad Dei honorem, secundario in utilitatem tertii probabiliter commutari potest.

IV. Necnon votum de non petenda commutatione votorum: Ubi, An votum hoc generaliter emissum sit irritum?

V. Potest voti commutatio vigore Jubilæi fieri in quid minus, & suavius: Ubi, An possit auctoritate propria commutatio fieri in aliquid majus, aut evidenter æquale, etiamsi votum sit reservatum.

VI. Omnia Vota in Professionem solemnem commutantur.

IN Jubilæis dari solet facultas commutandi vota omnia citra præjudicium Tertii, exceptis Castitatis, & Religionis, ita ut nomine Castitatis veniat Castitas perfecta, seu abstinentia ab omni omnino voluntaria delectatione venerea tam extra, quam intra conjugium; nomine Religionis veniat tam votum ingrediendi Religionem, quam vota propria Religiosorum, sive solemnia ea sint, sive simplicia, quæ in aliquibus Religionibus emittuntur post tria vota substantialia, ut in Societate JESU.

I. Dico nunc primo cum Suar. Sanch. l. 4. c. 13. & aliis communius contra Leff. Bon. Sà, Nav. probabiliter venire nomine Votorum etiam juramenta, & vota jurata. Ratio est, quia quamvis diversum sit vinculum Voti, per quod aliquid Deo promittimus, ac juramenti, ratione cujus Deum in testem vocamus: ac cum idem jus acquiratur a Deo per votum, ac per juramentum, & Pontifex nomine Dei jus a Deo acquisitum intendat relaxare, ideo communius docent, juramenta etiam posse commutari; eadem enim est Voti, ac Juramenti obligatio passiva, quamvis non sit eadem obligatio activa. Hoc tamen intelligendum est juxta dicta quæst. 2. art. ult. illatione 4. quoties scil. facultas commutandi Vota datur in bonum Communitatis, quod habetur tempore Jubilæi: aliter, si ea detur ad petitionem particularis personæ, probabilius est, hujusmodi facultatem non se extendere ad Juramenta, aut ad Vota jurata; quia in tali casu, tanquam dispensatio, & vulnus legis, stricte est interpretanda.

II. Dico secundo cum communissima apud Sanch. lib. 4. cap. 52. Facultatem commutandi Vota universim non se extendere ad dispensandum; quidquid in contrarium dixerint Sylvester, Toletus, Tabiena apud Pasqualigum quæst. 276. Etenim commutare minus est, quam dispensare, & ex concessione minoris privilegii non deducitur concessio majoris. Probabile tamen videtur Palao puncto 12. num. 9. quod in Jubilæo Anni Sancti concedatur facultas non solum commutandi, sed etiam dispensandi in Votis, quia scil. in *Extravag. Quemadmodum* Sixti IV. utraque facultas extra Urbem suspenditur: ergo utraque censetur concessa in Urbe. Quod etiam docet cum Gobat de facultate componendi super male ablatis incertis. Verum quæst. 1. art. 3. diximus, eam sententiam non multum arridere: cum de iis non meminerit Clemens X. in sua Notificatione.

III. Dico tertio: Facultas commutandi vota non se extendit ad ea, quæ sunt in favorem tertii, si sunt acceptata; cum nolit Pontifex, nec semper possit lædere jus tertii: Probabile tamen est ex Sanch. lib. 4. cap. 51. contra Bossium, quod si Votum sit emissum per se primo in honorem Dei, & secundario in utilitatem tertii, adhuc commutari possit, quamvis sit acceptatum, quia accessorium sequitur naturam principalis.

IV. Dico quarto: Facultas ista se extendit etiam ad Votum de non petenda commutatione Votorum, aut dispensatione. Ita communiter cum Suarez, Sanchez, Pelliz. Etenim privata intentio voventium non potest reddere hujusmodi Votum incommutabile, aut indispensabile, nec privare Superiorem sua jurisdictione; quidquid sit, an tale Votum sit irritum, ut putat Sanch. lib. 4. cap. 8. num. 21. contra Sylv. & alios; cum non videatur esse secundum se de meliori bono. Sic non est validum verbi gratia, votum non mutuandi, aut non fidejubendi generaliter emissum, quia licet in aliquibus circumstantiis possit esse de meliori bono, & sub illis circumstantiis possit esse validum; secundum se tamen non est de meliori bono, & ideo generaliter nuncupatum non est validum. Et idem dicendum videtur de Voto non petendi commutationem, aut dispensationem in Votis.

V. Dico ultimo: Probabilius, & communius Doctores docent contra Sotum, Suarez, Azor. commutationem Voti posse fieri in aliquid minus, & suavius; præsertim si cedat in majus Dei obsequium. Nam cum probabile sit ex Sanch. lib. 8. disp. 9. posse voventem commutare propria auctoritate Votum in aliquid evidenter æquale, facultas Jubilæi videtur aliquid plus conferre, ut scilicet possint Vota in aliquid minus onerosum commutari.

Cæterum, quod auctoritate propria commutari possit Votum in evidenter melius, constat ex cap. *Pervenit*, *de jurejur.* ubi deciditur; Promissum non infringere commutantem in melius; cum enim solus Deus sit creditor, optime ejus voluntati satisfit reddendo illi, quod evidenter con-

ſtat eſſe gratius. Ita Sanch. lib. 5. c. 19. Valentia, Sà, Toletus.

Neque dicas, Pœnitentiam a Confeſſario impoſitam commutari non poſſe auctoritate propria, ne in melius quidem, nec quodcunque lege præcipitur: ergo nec Votum. Negatur enim conſequentia. Et diſparitas eſt, quia prior obligatio provenit a voluntate Confeſſarii, aut Legislatoris, cui obediendum eſt: poſterior vero provenit ab ipſo vovente, qui ſolum intendit ponere rem Deo gratam; unde melius ſatisfacit ſuæ obligationi, ſi ponat rem Deo gratiorem.

Dubitant Doctores, An hoc habeat locum etiam in Votis reſervatis? Negant Suar. Bonac. & idem Sanch. lib. 5. c. 52. quia quando Pontifex reſervat Vota, vult judicium de commutatione, an debito modo fiat, ſpectare ad ipſum. Boſſius ſect. 2. caſ. 8. Sayr. Arag. Valent. probabiliter affirmant; quia Pontifex reſervando vota non cenſetur prohibere commutationem, quæ ex natura rei eſt poſſibilis, ſecluſa auctoritate Superioris, qualis eſt commutatio in evidenter melius, ex D. Thom. 2. 2. quæſt. 88. art. 12.

VI. Illud inconcuſſum eſt apud Doctores, Omnia Vota, etiam reſervata, commutari poſſe in Profeſſionem ſolemnem, ut decernitur in cap. *Scripturæ*, *de Voto*; ubi dicitur: *Reus fracti voti non habetur qui temporale obſequium in perpetuam noſcitur Religionis obſervantiam commutare.*

ARTICULUS II.

De Commutatione Votorum reſervatorum Caſtitatis, & Religionis.

I. *Vota iſthæc commutari poſſunt, ſi ſint pœnalia.*
II. *Aut conditionalia, etiam poſt impletam conditionem.*
III. *Dummodo particula,* Si, *non æquipoleat particulæ*, Quando.
IV. *Pariter ſi alternative promittantur cum materia non reſervata, etiamſi hæc evaſerit impoſſibilis.*
V. *Nec non ſi metu etiam levi injuſte incuſſo extorqueantur.*
VI. *Aut ſi emittantur animo obligandi ſe ad illa duntaxat ſub veniali.*
VII. *Et quę ab impuberibus emittuntur.*
VIII. *Sicut etiam, ſi nuncupato Voto dubitetur de intentione contrahendi gravem obligationem, in quo caſu gravis obligatio contrahitur circa reſervationem.*
IX. *Commutari etiam poſſunt Vota commutata in materiam non reſervatam; Sicut etiam votum aſſumendi Ordines Sacros, vel Caſtitatis ad tempus.*
X. *Omnia item Vota Caſtitatis partialia, etiamſi collectim ſumpta integrent Votum reſervatum.*
XI. *In multis etiam caſibus commutari poteſt votum Religionis.*
XII. *Juramenta Caſtitatis, & Religionis tempore Jubilæi non videntur reſervata.*

Cum reſervatio ſit odioſa, atque adeo ſtricte interpretanda, debent hujuſmodi Vota preſſe ſumi pro perfectis, & abſolutis, ut reſervationi ſubjaceant.

I. Hinc ſequitur primo, poſſe Vota iſthæc commutari vi Jubilæi, necnon extra Jubilæum ab Epiſcopis etiam diſpenſari, ſi ſint pœnalia; ut ſi quis voveat ſe ingreſſurum Religionem, ſi luſerit, & deinde non ludat. Ita Sà, Sanchez, Suarius contra Leſſium, Azorium. Ratio eſt, quia hujuſmodi vota procedunt non ex affectu Religionis, aut Caſtitatis, ſed in frænum, & tanquam medium ad finem intentum; unde tale votum non eſt proprie votum Religionis, ſed punitionis; quia Religio aſſumitur materialiter, ſeu tanquam materia, per quam exercenda ſit punitio, non tanquam materia, quæ promittatur Deo abſolute, & ex affectu illius; quod proprie ſpectat ad votum.

II. Sequitur ſecundo, commutari poſſe vota Caſtitatis, & Religionis conditionalia, ex Sanch. lib. 8. qu. 10. Palao, Gobat, Diana par. 1. tr. 11. reſol. 54. contra Cordubam, Navar. Azor. Nec ſolum commutari poſſe ante conditionem impletam (quod tantum admittunt Suar. Bonac. Filliuc.) ſed etiam poſt impletam conditionem: ut ſi quis voveat ingreſſum in Religionem, ſi ab aliquo periculo eripiatur, aut bonum aliquod obtineat. Ratio eſt, quia non promittitur Deo Religio ex affectu ad ipſam, ſed ex affectu evadendi a periculo, vel obtinendi beneficium, quod expectatur; ergo non eſt rigoroſe votum Religionis, quod eſt reſervatum. Adde, quod licet vota conditionalia, purificata conditione, evadant abſoluta; nihilominus de ſe ſunt imperfecta, quia imperfectum eſt eorum principium, quod ex *l. Nam origo*, *ff. Quod vi, aut clam*, ſpectari debet, videlicet voluntas conditionata; hæc enim non habet immobilitatem, nec per ſe primo fertur in materiam voti, ſed procedit ex affectu materiæ poſitæ in conditione.

III. Notandum tamen, aliquando votum exprimi per particulam *Si*, ſed non eſſe conditionatum, atque adeo nec commutabile; puta cum dicitur: Voveo Religionem, ſi Pater conſenſerit, ſi ad vigeſimum annum pervenero: ubi particula, *Si*, æquivalet particulæ *Quando*, & fit ſenſus, Quando Pater conſenſerit: & quia in tali caſu affectus eſt directe in ipſam Religionem promiſſam, dilata tantum executione ad aliquod tempus, ideo votum eſt in rigore abſolutum, & non commutabile.

IV. Sequitur tertio; Si quis alternative voveat vel Caſtitatem, vel Peregrinationem, poterit hujuſmodi votum disjunctivum commutari: cum enim poſſit eligi peregrinatio, quæ eſt commutabilis, poterit abſolute votum commutari. Immo ex Suario, Layman, Filliucio, contra Azorium, Bonac. Fagundez, hujuſmodi votum commutari poteſt, etiam poſtquam vovens propoſuerit eligere Caſtitatem præ Peregrinatione, dummodo illam abſolute non promiſerit, ſeu voverit; quia hujuſmodi propoſitum non immutat rationem Voti præſuppoſiti, quod de ſe eſt commutabile. Adde ex Sanchez lib. 4. cap. 4. contra Bonacinam, hujuſmodi votum eſſe commutabile, etiamſi altera pars, videlicet Peregrinatio, fiat impoſſibilis: quia non variatur hinc votum in ratione voti.

V. Sequitur quarto, poſſe etiam commutari vota Caſtitatis, & Religionis, ſi emiſſa ſint ex metu, etiam levi, ad ea extorquenda injuſte incuſſo. Ita Sanchez, Henriquez, Layman, Trull. Palaus, Bonacina, Navar. apud Dianam loc. cit. reſol. 73. contra Suarium. Ratio eſt, quia etiam levis metus tollit perfectam deliberationem, adeoque perfectam promiſſionis obligationem.

Dices ex Suario. Votum Castitatis emissum ex metu non injuste incusso, puta ex metu mortis, aut naufragii, adhuc est reservatum, quamvis ratione metus sit secundum quid involuntarium: ergo erit pariter reservatum, si ex metu levi injuste incusso emittatur; siquidem hujusmodi metus, in quantum injustus, solum addit rationem injuriæ, quæ nullatenus concernit ad minuendam rationem voluntarii: atque adeo non obstat reservationi.

Sed contra est, quia si metus non sit injustus, non tollit, quominus vovens concurrat ad votum ex plenitudine libertatis, quæ sibi est debita; unde non obest reservationi; metus tamen injustus plenitudinem libertatis debitam minuit; & ideo Pontifex non censetur velle hujusmodi votum reservare; idque etiam in odium incutientis metum injuste, ut notat Laym. lib. 4. tr. 4. cap. 7. num. 11. Cæterum quod ex metu non injusto non teneat in casu nostro illatio ad metum injustum, ex eo liquet; quia metus gravis non obstat validitati voti, si non sit injustus, obstat vero, saltem jure Ecclesiastico, si sit injustus, ut communius docent contra Suar. lib. 1. de voto cap. 8. ex Cap. *Prælatum*, *de his*, *quæ vi*, *motusve*, apud Sanch. lib. 4. cap. 3. num. 12. Immo probabiliter ex Layman loc. cit. Soto, Navar. Rodriq. etiam jure naturali irritum est votum emissum ex metu gravi injuste incusso ad illud extorquendum, cum non sit verisimile, Deum acceptare traditionem sibi factam coacte; sicut non acceptat coacte sacrificia.

VI. Sequitur quinto, posse vota isthæc commutari, si quis voluerit ad ea servanda obligare se duntaxat sub veniali, ut docent Sanchez, Palaus, Bonacina, & alii apud Dianam par. 1. tract. 12. resol. 72. quia reservatio tantum versatur circa ea, quæ habent gravitatem materiæ, & supponit obligationem gravem: unde quando reservatur species aliqua peccati, si contingat hoc non esse mortale, non cadit sub reservatione. Supponimus tamen hic cum Sanchez, & Suarez contra Vasquez, Sot. & alios apud Palaum tract. 15. de voto disp. 1. punct. 11. obligationem voti posse ex intentione voventis, supposita gravitate materiæ, limitari ad solam culpam venialem.

VII. Sequitur sexto, posse pariter commutari, si sint emissa ab impuberibus, eo quod ante pubertatem imperfecta sit deliberatio, & promissio. Unde est, quod non possint impuberes ante pubertatem eligere statum natura sua perpetuum, qualis est status Matrimonialis, *ex cap. Attestatione*, *de desponſ. impub.*

Censet pariter Pasqual. loc. cit. commutari posse virtute Jubilæi, & extra Jubilæum ab Episcopo dispensari vota isthæc etiam puberum, si sub aliena sint potestate, a qua ea possint irritari; quia scilicet finis reservationis, qui est, quod vota solum maneant sub potestate reservantis, cessat relate ad hæc vota, quæ possunt ab alio tolli per irritationem, ut sunt vota mancipii a domino, conjugis ab altero conjuge, pupilli a tutore, Religiosi a Prælato. Equidem non subscribo; tum quia communiter Doctores cum Suario, Palao, Sanch. lib. 8. disp. 9. tr. 4. docent, non tenere argumentum a potestate irritandi ad potestatem dispensandi, vel commutandi: tum etiam quia reservatio in hoc casu non esset incassum: quandoquidem licet possent ea vota irritari ab habente potestatem dominativam; at si nolit is ea irritare, ad solum Reservantem recurrendum erit pro dispensatione.

VIII. Sequitur septimo, commutari posse non solum, quando dubium est, an quis voverit, sed etiam quando quis certus de voto dubitat, an habuerit intentionem se obligandi graviter: (esto in tali casu præsumatur hujusmodi intentio.) Ratio est, quia reservatio cum sit stricte accipienda, restringenda est ad vota certa.

Neque dicas: Non minus stricte accipienda est obligatio, quam reservatio: quippe utraque est odiosa: atqui non obstante dubio de intentione se obligandi, adhuc certa est obligatio, quando certa est voti nuncupatio; cum intentio obligandi se graviter præsumatur; ergo non obstante eodem dubio, adhuc votum Castitatis, vel Religionis erit reservatum; cum enim certa sit voti nuncupatio, & vi præsumptionis certa sit etiam ejusdem obligatio, certa pariter erit reservatio.

Nam concessa majore, & minore, negatur consequentia. Disparitas est, quia quando certa est voti nuncupatio, & dubia intentio se obligandi, tunc stat in possessione votum certo emissum; & quia in dubio melior est conditio possidentis, ideo in eo casu favendum est voto, non libertati; unde præsumenda est ea intentio, & asserenda voti obligatio: ut communiter docent apud Dianam par. 3. tract. 6. resol. 5. quidquid in contrarium dixerit Rebellus l. 1. qu. 2. sect. 2. in casu, quo dubium non esset æquale, sed magis propenderet in partem negativam. Immo nec audiendi sunt Th. Sanchez lib. 2. disp. 51. num. 34. Palaus, & alii apud Dianam par. 4. tract. 3. res. 22. putantes, in tali dubio dari solum obligationem ad partem voti pro ratione majoris propensionis ad alteram partem, eo quod potius videatur esse in possessione libertas, donec constet de intentione obligandi se per votum. Etenim quando certa est voti nuncupatio, statim possessio stat pro voto; sicuti quando certa est lex, & dubitatur, an sit usu recepta, possessio stat pro lege, & ideo obligat, ut communiter DD. docent cum ipsomet Sanch. lib. 1. cap. 20. contra Mouram, & Palaum apud Dian. p. 1. tr. 10. res. 3. & p. 4. tract. 3. res. 4. Hæc autem non militant pro adstruenda reservatione voti in dubio de intentione obligandi se graviter; siquidem reservatio, cum sit odiosa, solum se extendit ad vota perfecta; atque adeo a reservatione eximuntur vota, quæ non sunt simpliciter, & usquequaque certa. Quod ex eo ulterius constat, quia si dubium sit, an votum Castitatis fuerit nuncupatum, tunc non solum non habetur reservatio, sed nec habetur obligatio, ut communissime docent contra Vasq. par. 2. qu. 19. art. 6. disp. 65. cap. 3. putantem in hoc dubio tutiorem partem amplectendam esse. Quare si votum sit certo emissum, & dubitetur de animo contrahendi obligationem gravem, tunc votum Castitatis obligat; & quia non est usquequaque certum, eximitur a reservatione. Idemque dicendum, quotiescunque habetur certitudo de voto, & dubitatur, num res promissa cadat sub reservationem? ut si quis voverit Castitatem, & dubitet, an perpetuam?

IX. Sequitur octavo, quod quando a Pontifice hæc vota commutata sunt in alia non reservata, possint hæc ulterius vi Jubilæi commutari, quia tunc nulla adest obligatio Castitatis, aut Religionis. Potest etiam commutari Votum vovendi Castitatem, necnon Votum Castitatis ad tempus: Sicut etiam Votum assumendi Ordines Sacros, quia his Ordinibus non est annexa Castitas ex natura rei.

X. Se-

X. Sequitur nono, commutari posse Votum Castitatis emissum a conjuge absque licentia alterius; quia cum teneatur Vovens in tali casu reddere debitum, hujusmodi Votum non est perfectum, atque adeo nec reservatum; Immo ex Bossio, Gobat, Fagundez commutari potest, etiamsi cum licentia alterius conjugis sit emissum; quia licentia ista non tollit, quominus possit ille debitum exigere, & vovens teneatur reddere. Si autem ab utroque conjuge cum reciproca licentia emittatur, probabilius commutari non potest, ex Sanch. lib. 8. disp. 11. contra Pasqualig.; cum enim neuter tunc possit licite debitum exigere, neuter videtur teneri reddere vi mutuæ concessionis juris; unde Votum est perfectum, & incommutabile.

Sequitur decimo, Commutari posse omnia Vota partialia Castitatis seorsim emissa, etiamsi collectim sumpta compleant integrum Votum Castitatis. Ita Sanch. lib. 4. cap. 40. nu. 68. Rodr. Trull. apud Dianam par. 1. art. 11. res. *67.*, quia scilicet nullum ex iis est Votum Castitatis perfectum, quod unice est reservatum; & quamvis ultimum ex illis, ex suppositione præcedentium, inducat obligationem ad Castitatem perfectam, hoc tamen non habet per se, quia ratione sui obligat tantum ad partem Castitatis, sed per accidens, quatenus supponit in vovente obligationem ad alias partes Castitatis. Tunc ratione sui obligaret ad perfectam Castitatem, & esset incommutabile, quando emittens ultimum illud partiale Votum Castitatis non solum adverteret ad præcedentia Vota, & ad obligationem ex illis resultantem, sed etiam illud emitteret cum intentione obligandi se ad Castitatem perfectam.

XI. Demum circa Votum Religionis, concedunt communiter DD. commutari posse Votum Religionis Ordinum Militarium, qui solum servant Castitatem Matrimonialem, ut sunt Ordines S. Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, S. Stephani, &c. quia communiter tenent, hujusmodi Ordines non esse proprie Religiones, cum non voveant Castitatem perfectam, sed solum conjugalem. Communiter etiam docent, Ordinem Sancti Joannis Hierosolymitani esse veram Religionem; unde votum ingrediendi hunc Ordinem commutari non potest (quidquid in contrarium dicant Sotus, Gonzales, Sarmiento, & alii apud Pasqual., eo quod voveant isti paupertatem valde imperfectam. Præterea commutari juxta nonnullos potest Votum perseverandi in Religione, cum sit a Voto Religionis diversum. Votum etiam Religionis strictioris in laxiorem commutari potest, ex Lessio, Bonac. Sanch. l. 4. c. 40. servata debita æqualitate; Immo etiam in Militarem S. Joannis. Cum enim ex Suario lib. 3. de Relig. lib. 4. c. 2. Azor. Trull. Dia. p. 1. tr. 16. res. 36. vovens ingressum alicujus Religionis satisfaciat assumendo habitum S. Joannis, eo quod hæc vera sit Religio (dummodo vovens non sit moraliter certus, quod excluserit intentione sua Religiones hujusmodi, quæ magnam habent cum statu sæculari affinitatem) poterit consequenter votum strictioris Religionis in Militarem hanc commutari, si in commutatione servetur proportio debita. Potest denique pro aliquo tempore Votum Religionis quoad executionem commutari, ex Sanchez, Trullench., Fagund. contra Suar. contra Pasqualig. c. 322., quia dilatio executionis non cadit supra substantiam voti, sed supra circumstantiam temporis.

XII. Utrum autem Juramenta Castitatis, & Religionis virtute Jubilæi commutari possint? Affirmant Sanchez lib. 8. de Matrim. disp. 13. n. *6.*, Bonac., Ledesma; quia in odiosis nomine voti non venit Juramentum, quod promissionem non continet, sed solum Numinis invocationem in testem propositi de Castitate v. g. servanda. Sed communius negant cum Less., Fill., Laym., Azor.; quia in æquiparatis dispositum de uno censetur etiam de altero dispositum, ex *c. Postquam de Elect. in 6. & l. pr. ff. de leg.* Juramenta autem, & vota de eadem materia æquiparantur; quia continent eandem omnino passivam obligationem relate ad eundem Deum, licet ex diversa origine. Equidem censeo raro admodum juramenta isthæc a promissione, atque adeo a voto sejungi. Quod si separentur, in odiosis nomine Voti non debet venire juramentum. Quare sicuti quando datur alicui facultas, ut possit in votis dispensari, non censetur data facultas, ut possint ejus juramenta relaxari, juxta dicta art. 1., quia talis facultas, utpote data particulari personæ, non habet vim Privilegii, sed Dispensationis, quæ stricte est interpretanda: ita cohærenter dicimus, Reservatis in Jubilæo Votis Castitatis, & Religionis, non censeri eatenus reservata juramenta. Quod ex eo constare potest, quia quando Pontifex concedit facultatem relaxandi juramenta, excipit solum ea, quæ sunt in præjudicium tertii, non vero juramenta Castitatis, & Religionis: contra vero concedendo facultatem commutandi, aut dispensandi in votis, excipere solet vota Castitatis, & Religionis; unde ostenditur, juramenta isthæc non esse reservata: quod præter laudatos DD. docent etiam Pelliz., Trullench., Tabi., Navar., & alii apud Dian. par. 4. tr. 4. res. *69.*

Ad rationem in contrarium negandum, juramenta, & Vota de eadem materia æquiparari; nam ex D. Th. 2. 2. qu. 89. art. 8. major est obligatio Voti, quam juramenti; illa quippe oritur tum ex fidelitate Deo debita, tum etiam ex Reverentia; hæc vero ex sola Reverentia: quare ex reservatione facta Voti non infertur Reservatio etiam juramenti de eadem materia; cum reservatio tanquam odiosa restringi debeat, non ampliari.

ARTICULUS ULT.

Expediuntur reliqua ad commutationem Votorum spectantia.

I. Vota commutata non reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera pro Jubilæo injuncta.

II. Etiam post tempus Jubilæi obtineri potest Votorum præteritorum commutatio. Quid si noluerit quis ea tunc temporis commutari? Præscindimus.

III. Facta commutatione potest vovens regredi deinde ad materiam commutationis.

IV. Quidnam attendendum, ut rite fiat commutatio.

V. Quænam sit materia commutationis maxime apta?

VI. Potest Confessarius Jubilaris etiam propria Vota commutare.

I. DIco I. Vota commutata non reviviscunt, etiamsi non ponantur deinde opera injuncta pro Jubilæo lucrando. Ratio est, quia commutatio esse solet absoluta.

II. Dico II. Possunt juxta nonnullos cum Sanch. lib. 4. cap. 54. Laym., Henriq. apud Dian. par. 3. tract. 2. resol. *9.* commutari Vota a Confessario tempore Jubilæi non solum extra confessionem, sed etiam si nullatenus velit pœnitens huic Confessario confiteri. Ratio horum DD. est, quia talis facultas,

cum non concernat actum confessionis, potest extra confessionem exerceri. Et quamvis in Bulla dicatur, *Auditis Confessionibus*, hæc clausula referri debet in ordine ad absolvendum a peccatis, non in ordine ad commutanda vota. Verum de hujus opinionis probabilitate alii judicent.

III. Dico III. Qui implevit opera pro Jubilæo injuncta, potest petere votorum præteritorum commutationem, etiam post tempus Jubilæi. Ita Sanch. lib. 8. disp. 15., Bossius, Dian. part. 5. tract. 12. resol. 40. contra Suar., Bonac., Filliuc. Ratio est, quia ille acquisivit jus ad talem commutationem, nec tale privilegium est alligatum tempori, sed natura sua est perpetuum.

IV. Dico IV. Etiamsi commutatio Voti fiat in melius, probabile est ex Sanch., Trull., Boss. apud Dian. part. 1. Tract. 11. res. 85. contra Suar., Reginald., Filliuc., posse voventem regredi ad priorem materiam, quandoquidem talis commutatio facta fuit in gratiam voventis, & habet rationem privilegii: quod tamen intelligendum, dummodo non voverit pęnitens materiam subrogatam speciali voto. Præterea vovens, qui facta commutatione regressus est ad priorem materiam, poterit rursus regredi ad materiam commutationis, etiamsi hæc sit quid minus, ut docent Merolla disp. 4. cap. 6. dub. 30., Palaus, Pasqualig. contra Suarium, Sanch. Trull. Nam sicut potest post commutationem regredi ad priorem materiam, quia commutatio habet rationem privilegii; ita potest post hujusmudi regressum iterum regredi ad materiam commutationis, quia pariter regressus ad priorem materiam habet rationem privilegii, quo nemo tenetur uti.

V. Dico V. In commutatione voti attendendum præsertim est, quod magis confert ad profectum spiritualem voventis, & ad Dei obsequium, pensatis omnibus circumstantiis. Unde, ut in commutatione servetur æqualitas, & proportio debita, attendenda potissimum est non tam excellentia virtutis, quam conditio voventis. Ita communiter cum Less. Sanch. lib. 4. cap. 56. Suario, Bonacina, Laymann. Ratio est, quia cum per votum attendatur Dei obsequium, & hoc fere fit eo majus, quo virtus magis confert ad profectum voventis, ideo hujusmodi profectus potissimum attendendus est, ut æqualitas, & proportio debita in commutatione voti servetur. Attendendæ etiam sunt difficultates per se annexæ in executione operis: & in voto peregrinationis habenda est ratio expensarum, laboris, itineris, &c. ita ut peregrinatio eo majorem exigat commutationem, quo magis est obnoxia his incommodis. Attendenda demum est causa, ob quam fit commutatio, adeo ut quo major est causa, eo minor debeat esse materia, quæ subrogatur; Ut si votum satis indeliberate sit emissum, si ratione ætatis, ægritudinis, aut alterius indispositionis materia voti facta sit nimis onerosa, &c.

VI. Cæterum materia maxime apta, in quam vota commutentur, universim est frequens usus Sacramenti Pęnitentiæ, & Eucharistiæ; cum hæc maxime conferant ad profectum spiritualem voventis, & consequenter ad majus Dei obsequium. Ita Sanchez lib. 4. c. 56., & constat ex praxi Sacræ Penitentiariæ. Est etiam apta materia jejunium, eleemosyna, oratio mentalis, lectio librorum asceticorum, & alia hujusmodi.

VII. Dico sexto. Juxta aliquos (de cujus opinionis probabilitate alii viderint) Confessarius Jubilaris facultatem commutandi vota potest etiam erga se ipsum exercere; ita ut vota etiam sua commutare possit, perinde ac aliorum, vigore Jubilæi. Ita Sanc. l. 8. de Matrim. disp. 3. Rodr., Bonacin., & alii contra Azorium l. 5. c. 15. qu. 16. Sylv., Paludanum. Ratio est, quia habens hujusmodi facultatem, sive delegatam, ut habet Confessarius Jubilaris, sive ordinariam, ut Pontifex, Episcopus, Prælati Regulares, non habet illam limitatam: quare sicut potest illam erga alios exercere, ita & erga se, ne deterioris conditionis sit ipse, quam alii; ut diximus, cum de potestate, quam habet Pontifex concedendi sibi immediate Indulgentias.

Confirmatur: quia Jurisdictio ista voluntaria, quę in commutatione votorum exercetur, non exigit distinctionem personarum; cum neque sit jurisdictio contentiosa, quę testium probationem, ac partis citationem desideret (in quo casu iniquum est in propria causa sibimet jus dicere contra jus ab adversario intentum; ex *l. unica C. Ne quis in sua causa*) sed solum requirat veluti directionem ex prudenti judicio ad perpendendum, num detur justa causa ad commutandum; quod non repugnat erga se ipsum haberi; esto magis expediat alieno judicio in hoc subscribere; Neque sit jurisdictio coactiva, seu punitiva, ut est potestas ad excommunicandum, quam in seipsum exercere nemo potest; Neque pertineat ad Sacramentalem Absolutionem, quæ jure Divino postulat distinctionem personarum: Ergo non est, cur nequeat Confessarius Jubilaris propria vota commutare, ita ut idem sit, qui commutet, & cujus commutentur vota: eo prorsus pacto, quo dum Sacerdos sibi Eucharistiam ministrat, idem est conferens Sacramentum, & recipiens; Universim enim, ut docet Abb. *in cap. Ex literis nu.* 12. potest quilibet vices duorum sustinere, nisi specialiter interdicatur.

Dices: Dispensare, & commutare vota est actus Superioris in subditos, cum sit actus Jurisdictionis; unde est, quod non subditis dispensatio non prosit: sed nemo potest esse suimet Superior: ergo neque potest in propriis votis dispensare, aut ea commutare.

Confirmatur, quia ejusdem est ligare, & solvere, *ex cap. Cum inferior de Major. & obed.*, atqui nemo potest se ipsum ulla lege ligare; ergo nec solvere.

Respondeo, quod sicut actus Justitiæ est essentialiter ad alterum, seu debitoris ad creditorem, & tamen potest aliquando idem debitoris simul, & creditoris vices sustinere; ut accidit quando pauper debitor incertorum pecuniam pauperibus ex justitia restituendam sibimet applicat: ita dispensatio in votis est actus Superioris erga subditum, & tamen poterit idem utriusque personæ vices sustinere.

Ad confirmationem: Sensus illius axiomatis est, neminem posse universim, & pro omni eventu solvere legem, qui non possit ea ligare; non vero quod non possit in aliquo speciali casu dari facultas ad solvendum, quin detur ad ligandum: sicut enim Episcopus dispensat in jejuniis, ad quæ non ipse, sed Pontifex obligat; ita Confessarius Jubilaris, & Pontifex ipse commutant, & dispensant in Votis, ad quæ non ipsi obligant, sed lex naturalis, & Divina.

QUÆSTIO ULTIMA.

De Notificatione Gratiarum, & Declarationum a Clemente X. factarum occasione postremi Anni Jubilaris.

QUoniam ea Notificatio plurimas hac in re quæstiones diremit, ut ex hactenus dictis constat, operæ pretium erit in calce hujus Opusculi Theologica lance pensitare, Num ea pro imminente Anno Sancto vim habeat, non solum quatenus dubiorum declarativa, & Bullæ expositiva, sed etiam quatenus est variarum Gratiarum concessiva? ut perspicuum fiat, eorum, quæ ad Jubilæum Anni Sancti spectant, quid adhuc sub Judice sit? quid vero extra dubitationis aleam positum habeatur? Cum autem compertum sit, eam saltem quatenus declarativam pro Jubilæo proximo, & in posterum deservire; idcirco, ut præ manibus habeatur, ea hic transcribenda, prout habetur apud Gobat tract. 3. cap. 48. in editione Monachii facta 1681. Et quamvis existimem, Innoc. XII. illam renovaturum; Nihilominus non incongrue instituitur præsens Quæstio, si forte ab ea Notificatione, quam unus Clemens X. exposuit, in posterum præscindatur.

ARTICULUS I.

Utrum Notificatio Clementis X. locum habeat pro imminente Romano Jubilæo An. 1700.

I. In ea Notificatione nonnulla spectant ad declarandum jus antiquum, nonnulla videntur ferre jus novum.
II. Quæ vim habent declarationis, locum habent pro sequentibus Romanis Jubilæis; dubitatur solum de novis Concessionibus in ea contentis.
III. Dicendum tamen hujusmodi concessiones pro sequentibus pariter Jubilæis censeri factas.
IV. Etiam novæ illæ concessiones habent aliquatenus rationem declarationis.
V. Occurritur objectis.

I. DOcet Gobat, non omnia ea, quæ continentur in ea Notificatione mox subjicienda, esse Concessiones de novo factas a Clemente X., nec omnia pertinere ad declarandas Pontificum Bullas, quibus & Jubilæum indicitur, & Indulgentiæ suspenduntur; Quod probat tum ex ipso titulo, in quo dicuntur tam Gratiæ, quam Declarationes notificari; tum ex ejusdem Notificationis tenore, cum in ea sæpe dicantur nonnulla concedi, sæpe declarari, quæ in dubium vocabantur. Et sane quæ pertinent ad Concessiones Gratiarum in Notificatione contentarum, de quibus nulla mentio, ne implicita quidem, in Bullis Jubilæi habetur (qualis est v. g. Concessio septem annorum Indulgentiarum visitaturis decursu Anni Sancti Templa Romana, in quibus coram Venerabili exposito habetur Comprecatio 40. horarum circularium) non videntur habere rationem declarationis Juris antiqui, sed ferre veluti novum Jus a Clemente X. primum editum: Quæ vero pertinent ad Declarationes, non videntur ullatenus ferre novum Jus ejusdem Clementis, sed explicationem antiqui; nam *ex capite de decimis in 6.* Declarans non dicitur novum Jus edere, sed antiquum declarare. Hinc, ubi dicitur in Notificatione ad tollendas omnes ambiguitates declarari, v. g. quod in suspensione Indulgentiarum non intelligantur suspensæ Indulgentiæ pro defunctis concessæ, sed illæ, quas viventes consequi possint, etiamsi cum facultate applicandi eas per modum suffragii pro Animabus Purgatorii; ut est Indulgentia nostræ Communionis Generalis menstruæ; significatur, hunc esse sensum Bullæ Indulgentiarum suspensivæ, & Pontificis animum, quamvis tenore verborum non videatur dilucide explicari. Additque Gobat, declarationes in ea Notificatione contentas esse de se perpetuas, secus vero Concessiones. Utrum autem in hanc sententiam calamo a nobis eundum sit mox apparebit.

II. Illud certum est, omnia, quæ in ea Notificatione spectant ad declarandas Pontificum Bullas, æque militare pro Bulla proximi Jubilæi sub iisdem omnino verbis edita ab Innoc. XII. Ratio est perspicua, quia ex dictis declarare Jus antiquum, non est concedere Jus novum; sed solum explicare, in quonam sensu accipienda sint verba Juris antiqui: quod autem semel Pontifex explicavit, semper juxta traditam explicationem accipiendum est, etiamsi vi verborum rationabiliter possit in diverso sensu usurpari. Ratio est, tum quia *ex l. Præcipimus C. de Appellationibus*, quidquid in posteriori lege non fuerit expressum specialiter, id veterum legum, constitutionumque regulis relictum esse intelligendum est; tum etiam quia Jura Juribus concordanda sunt; *ex cap. Cum expediat de elect. in 6.* Quod præsertim verum haberi debet in Bullis Jubilæi, in quibus Pontifex expresse dicit se suorum vestigiis Antecessorum inhærere, atque adeo Bullas in eodem omnino sensu usurpare, quo Prædecessores declararunt se usurpasse.

Dubitatur itaque solum, Utrum ea, quæ in Notificatione Clem. X. vim habere videntur novæ concessionis, & non puræ declarationis, locum habeant in proximo Jubilæo ab Innocentio XII. jam indicto, etiamsi nulla iterum de iis fiat expressa mentio? Negat Gobat loco laudato (quem unice novi hanc quæstionem instituisse) quia quæ aliquando Pontifex pro determinato tempore concessit, non dicitur sequens Pontifex in similibus circumstantiis concedere, nisi exprimat. Quis enim v.g. dixerit, concessionem Jubilæi extraordinarii fieri solitam a Pontificibus pro toto Orbe post elapsum Annum Sanctum, intelligi factam ab Innocentio XII. nisi nova Bulla indicatur? ergo Gratiæ a Clemente X. in ea Notificatione semel concessæ non debent intelligi pro sequentibus Jubilæis concessæ, nisi exprimatur.

III. Equidem tamen probabilius censeo affirmandum. Etenim omnes favores a prædecessoribus Pontificibus concessi, præter Plenariam Indulgentiam, in Jubilæo Anni Sancti, probabilius censentur concessi in sequentibus deinde Jubilæis, etiamsi in Bulla solum Indulgentiæ Plenariæ fiat men-

mentio, ut ostendimus quæst. 3. art. ult. ergo pariter Gratiæ in ea Notificatione a Clemente X. concessæ (esto nullatenus ad declarationem Bullæ pertinerent) censentur etiam pro imminente Jubilæo, & sequentibus concessæ, etiamsi de iis nulla fiat explicita mentio. Et ratio utriusque est, quia dum in Bulla dicit Pontifex, Jubilæum concedere inhærendo vestigiis Antecessorum, implicite dicit, favores omnes, & Gratias se concedere, quæ a Prædecessoribus occasione Anni Sancti concessæ sunt; unde non debet de iis iterum expressa mentio fieri, ut intelligantur concessæ.

Confirmatur, quia quamvis in ea Notificatione dicatur, tam Declarationes, quam Gratiarum concessiones ibi contineri; nihilominus cum non explicetur, quidnam habeat rationem puræ declarationis, quidnam vero rationem puræ concessionis, probabiliter dici potest, ea fere omnia habere simul rationem Declarationis, & Concessionis: ergo cum vigeant in posterum Declarationes, vigebunt etiam Concessiones. Antecedens ostenditur; nam in ea Notificatione, dum sermo est de potestate Confessariorum, dicitur iis concedi facultas absolvendi a reservatis, & commutandi Vota; cum tamen hoc manifeste spectet etiam ad declarandum, quod acriter in dubium vocabatur; ergo sicut hujusmodi concessio facultatis non est pura Concessio, sed etiam Declaratio, ita potest de aliis etiam fere omnibus concessionibus idem dici.

IV. Adde, Constitutiones Pontificias dici absolute Declaratorias Constitutionis antecedentis, si per se illam explicent, etiamsi aliquid addant, quod nullatenus videatur ad explicationem concernere; ut videre est in confirmatione Urbani VIII. Declarationis a Sacra Congregatione factæ, Constitut. Clementis VIII. de Largitione munerum, & in aliis similibus Declaratoriis: ergo potest hujusmodi Notificatio dici universim declaratoria Bullæ Jubilæi, & sic pro quolibet Anno Sancto vim habere, etiamsi aliquid addatur, quod nullatenus ad illius explicationem pertinere videatur.

Hinc concessio illa septem Annorum Indulgentiæ pro visitaturis Anno Sancto Templa Romana, ubi habetur comprecatio 40. horarum circularium, suspensa interim Plenaria Indulgentia, potest etiam aliquatenus habere vim declarationis, quatenus significatur, remissionem pœnæ, quæ prius totaliter per Plenariam Indulgentiam concedebatur, non suspendi simpliciter, sed remanere concessam pro septem duntaxat annis, eo prorsus modo, quo passim videmus Moderatorias alicujus Pontificiæ Constitutionis restringere, quod in priori Constitutione sancitum erat, quin tamen Moderatoria dicatur, quod Statutum universale restringatur, sed solum quod declaretur: quandoquidem illud ipsum restringere est aliqualiter declarare: ergo a primo ad ultimum Notificatio ista, utpote simpliciter declaratoria, vim habet in posterum.

V. Et per hæc patet ad rationem in contrarium. Ideo enim concessio v. g. Jubilæi extraordinarii post elapsum Anni Sancti tempus non censetur facta ab Innocen. XII. more Prædecessorum, nisi nova Bulla id exprimat, quia de ea nulla ne implicita quidem fit mentio in Bulla Jubilæi jam indicti; contra vero de favoribus, & gratiis a Prædecessoribus concessis fit sufficiens mentio, dum in Bulla dicitur stare Pontifex majorum vestigiis; ut proinde dixerimus qu. 4. art. 1. Indulgentias non plenarias Anno Jubilæi probabiliter non suspendi; unde dispar ratio; & consequenter ea Notificatio & quatenus dubiorum declarativa, & quatenus Gratiarum concessiva, locum habet pro Jubilæo imminente, & sequentibus; & ideo hic subjicienda.

ARTICULUS II.

Subjicitur tenor hujus Notificationis præ manibus habendæ.

I. Conceditur Pœnitentiariis, & Parochis Romanis facultas absolvendi a Reservatis, & commutandi Vota
II. Necnon Confessariis Religiosis a Vicesgerente approbatis.
III. Facilitatur Religiosis consecutio Anni Sancti.
IV. Alumnis etiam, & Convictoribus Seminariorum.
V. Pauperibus, & ægrotis.
VI. Declaratur Bulla Indulgentiarum suspensiva.
VII. Indulgentiæ concessæ visitantibus septem Ecclesias Romanas, & Schalam Sanctam non suspenduntur. Conceduntur item Indulgentiæ septem annorum, & totidem quadragenarum visitantibus Romana Templa, ubi habetur comprecatio quadraginta horarum circularium.

Notificatio Gratiarum, & Declarationum factarum a Sanctissimo Domino Nostro Papa CLEMENTE X. occasione Jubilæi Anni Sancti &c.

Gaspar Titul. S. Sylvestri in capite S. R. E. Presbyter Cardinalis Carpineus Sanctissimi D. N. Papæ Vicarius Generalis.

I. CUM Sanctitas Domini Nostri, prout nobis vivæ vocis oraculo mandavit, cupiat magis dilatari gratias concessas omnibus illis, qui convenerunt, conveniuntque Romam, consecuturi plenissimum Jubilæum hujus Anni Sancti, mandavit nobis exponere infrascriptas concessiones, declarando etiam illa, quæ in dubio erant, aut vocabantur, non sine fidelium turbatione, & scrupulis conscientiarum; quarum paci, & quieti consulturus Summus Pontifex hæc statuit. Ut itaque Confessarii, & Operarii multiplicentur ad majorem commoditatem, & consolationem fidelium utriusque sexus, in omni plenitudine paternæ Charitatis concedit amplam facultatem Pęnitentiariis Basilicarum D. Petri, S. Pauli, S. Joannis Lateranensis, & S. Mariæ Majoris, sive illi sint ex numero antehac esse solito, sive ex jam aucto, & deinceps augendo. Ad hæc, eadem facultas datur Parochis tam Sæcularibus, quam Regularibus omnium Parochiarum Romæ (durante tamen Jubilæo Anni Sancti) absolvendi, videlicet in ordine ad lucrandum præsens Jubilæum, fideles ab omnibus sententiis, & Censuris Ecclesiasticis contra illos pronunciatis, & fulminatis a Sacris Canonibus, aut Judicibus quacunque de causa, & ab omnibus peccatis, & excessibus, & delictis quantumcumque gravibus, & enormibus, etiam a casibus reservatis non solum ab Episcopis, aut alias a Prælatis inferioribus, verum etiam a Pontifice ipso, & a Sede Apostolica, etiam in Bulla Cœnæ Domini, & in aliis quibuscumque Constitutionibus Summorum Pontificum, in foro conscientiæ tantum: Ut tamen Sua Sanctitas declaret, se non intelligere, aut dispensare, nec dare facultatem dispensandi, aut habilitandi, & in pristinum statum restituendi, quæ ad irregularitatem publicam, aut occultam, vel notam, defectum, incapacitatem, & inhabilitatem quomodocumque contractam spectant, ne quidem in foro conscientiæ. Neque vult Sua Sanctitas, ut præsens facultas illis suffragetur, qui a Summo Pontifice, aut Judicibus Apostolicis, vel aliis Ecclesiasticis excommunicati, suspensi, vel interdicti sunt declarati, vel publice denunciati ob sententias, & censuras Ecclesiasticas, quas incurrerunt; adeo ut isti omnes absolvi non possint, nisi prius satisfecerint, aut obediverint, & partes sibi contrarias pacificas ante reddiderint: Itaut iidem Pœnitentiarii, & Parochi, durante hoc Anno Jubilæi Sancto, commutare possint omnia Vota (exceptis Castitatis, & Religionis) in alia opera pia; imponendo nihilominus hisce fidelibus, & quibusque aliis Pęnitentiam salutarem, & alia opera pia, quæ iidem Confessarii præscribent.

II. Concedit pariter Sua Sanctitas Confessariis Religiosis cujuscumque Ordinis, Congregationis, & Instituti, qui a nobis, vel a nostro Vicesgerente sunt approbati, aut deinceps approbabuntur, eandem facultatem paulo ante explicatam absolvendi a Censuris, & Casibus reservatis, commutandi Vota, modo ea non sint substantialia Religionum, Ordinum, Institutorum: imo & Religiosis Confessariis eadem datur facultas respectu sui Ordinis, & illis æque, qui modo Romæ versantur, quam illis, qui huc sunt venturi hoc Anno Sancto, ad quem se extendit tantum hæc facultas.

III. Ut etiam facilitetur iisdem Religiosis consecutio Anni Sancti, & Jubilæi, tantique thesauri spiritualium gratiarum, & ut illi suo exemplo populus ædificent, compareantque debito cum decore, qui decet personas Deo dicatas, significatur ejsdem, Suam Sanctitatem contentam esse, ut illi visitent quatuor assignatas Ecclesias ter tribus diebus continuis, aut interpolatis, una simul, aut quoad majorem partem euntes, & incedentes respectu eorum, qui in eodem Conventu, aut Domicilio versentur, & sic consequantur Sanctissimum Jubilæum, ac si visitassent easdem Ecclesias triginta vicibus, aut diebus. Ut tamen observentur cætera, quæ in Bulla Jubilæi continentur, hortamur & nos eosdem Religiosos in Domino, ut incedant servato ordine quam modestissime, recitantes Psalmos, vel alias preces, & laudes Divinas decantantes.

IV. Idem Indultum, ut visitentur tamen quatuor diebus continuis, aut interpolatis eædem Ecclesiæ, concedit Summus Pontifex etiam Alumnis, & Convictoribus juvenibus, qui operam dant scientiis, & libera-

beralibus artibus, & vivunt in eodem convictu; modo & illi eant saltem quoad mediam partem, quos comitabitur Præfectus, aut Rector, vel alii, qui eisdem præsunt, ut eadem gratia fiat iisdem Præfectis, Magistris, & famulis: monentur tamen hi omnes, ut servent modestiam, & ordinem inter eundum; orantes, vel pium quid tractantes. Regulares vero aliunde huc profecti ad lucrandum Jubilæum Sanctum, si voluerint se conjungere aliis suæ Religionis, habebunt eandem facultatem, & lucrabuntur Indulgentias, si eodem modo ter visitaverint Ecclesias supradicto modo; Si vero non possent expectare aliorum commoditatem, aut advenirent, cum alii lucrati sunt Indulgentias, concedit Sua Sanctitas, ut illi quinquies visitando Ecclesias per quinque continuos, aut interpolatos dies lucrentur easdem Indulgentias, quas fuissent lucrati visitando per quindecim dies easdem Ecclesias, prout Bulla præscribit. Conceditur etiam Congregationibus, & Confraternitatibus, quæ aliunde huc venerunt, ut simul semel visitando Ecclesias, & bis separatim Fratres, aut Sorores satisfaciant visitationibus præscriptis in Bulla, ac si quindecies visitassent.

V. Et cum maxime Sua Sanctitas secundum viscera paterna compatiatur paupertati, ac multiplicibus miseriis advenarum, eorumque plurimorum, qui non habent, unde se tamdiu alant, vel neque sufferre possunt molestias tot visitationum intra quindecim dies, remittit arbitrio, discreto tamen, & prudenti dictorum Pœnitentiariorum, & Parochorum, ut quivis dispenset juxta cujusvis pœnitentis indigentiam, & possibilitatem in assignando numero visitandarum Ecclesiarum, dando eisdem omnem facultatem circa id necessariam, & opportunam. Eodem modo quia cives, & incolæ Romani, qui inceperunt visitare Ecclesias, sed morbo impediuntur prosequi secundum opus, ne priventur fructu laborum inchoatorum, & piæ intentionis, qua aggressi sunt opus, ne affligantur corpore, & animo, concedit eisdem Pœnitentiariis, & Parochis facultatem commutandi opera injuncta visitandarum Ecclesiarum per triginta dies in alia, quæ viderint esse proportionata possibilitati dictorum Civium, & Incolarum infirmorum. Quod si repente mors immineat, antequam obtineant hanc immutationem, concedit illis Sua Sanctitas Jubilæum, ac si omnia opera necessaria explevissent.

VI. Ut etiam finaliter tollatur omnis ambiguitas, & ut fideles sint certi de Indulgentiis, quas possunt lucrari, declaramus una cum Oraculo Suæ Sanctitatis ut supra insinuato quod in suspensione generali indulgentiarum, quæ continetur in Bulla data 5. Maji 1674. publicata vero 17. Septembris ejusdem Anni, non intelligantur suspensæ Indulgentiæ Altarium privilegiatorum pro Defunctis, neque aliæ concessæ eodem modo pro Defunctis; verum illæ suspensæ habeantur, quas possunt sibi consequi vivi, ut eas possint concedere Animabus Purgatorii per modum suffragii; & nec minus Indulgentiæ concessæ in articulo mortis, & facultates communicandi eas aliis, Sicut nec cessant modo facultates Sanctæ Inquisitionis, & Officialium ejusdem, aut Missioniariorum, & Ministrorum, qui ab eodem Tribunali, vel a Congregatione propagandæ Fidei, vel cum auctoritate Apostolica ad id sunt deputati, & specialiter facultates absolvendi ab hæresi illos, qui abjurato errore redduntur capaces earum Gratiarum.

VII. Ut autem conservetur pium Institutum, & consuetudo visitandi Templa, in quibus celebratur comprecatio Quadraginta horarum, & præcipua Sanctuaria colendi hac in Urbe, concedit sua Sanctitas, non obstante ea generali Indulgentiarum suspensione, ut Indulgentias solitas consequi possint fideles utriusque sexus, quas alias consequebantur; si visitent septem Ecclesias, & Scalam Sanctam diebus determinatis, eo modo, & his cum conditionibus, quibus illæ fuerunt concessæ, easdem lucrantur Indulgentias. Quivis insuper, qui visitat Templa, ubi habetur expositum Venerabile, & est comprecatio quadraginta horarum Circularium, & Ordinarium, quæ sunt in publico folio a nobis exponendo, & publicando hujus Anni Sancti decursu, ita ut ibidem aliquo tempore inter preces detineatur, prout illi videbitur, Confessione prius, & Sacra Communione peractis, aut saltem concepto firmo proposito confitendi, lucrabitur is septem Annorum Indulgentias, & totidem quarantenas toties, quoties id præstiterit.

Datum Romæ ex Ædibus nostris die 1. Febrarii 1675. Jubilæi.

C. Cardinalis Vicarius

Subjici-

Subjicitur etiam in hac hujus Opusculi editione tenor alterius Notificationis jussu INNOCENTII XII. edita 6. Martii 1700. occasione Anni Sancti tunc tempore decurrentis.

NOTIFICATIO.

Gaspar Miseratione Divina Episc. Sabinen. S. R. E. Cardinalis de Carpineo SS. D. N. Papæ Vicarius Generalis, Romanæque Curiæ, ejusque Districtus Judex Ordinarius, &c.

ESsendosi nella Sacra Congregazione deputata da N. S. sopra la celebrazione del presente Anno Santo, tenutasi li 26. Febbraro prossimo passato, portate diverse istanze per la dichiarazione di alcuni dubbj insorti sopra l'intelligenza della Bolla; e riferitosi da Noi il sentimento della medesima Congregazione alla Santità di N. S. nell'udienza delli 4. corrente, alla Santità Sua è piaciuto fare le seguenti dichiarazioni.

Che l'intiera visita delle quattro Basiliche debba farsi in un giorno contenuto nello spazio di 24. ore, e che il giorno debba intendersi, e incominciare, e finire da una mezza notte all'altra.

Che la facoltà concessa sotto li 24. Gennaro del presente anno alli RR. Parochi, Penitenzieri, e Confessori destinati di commutare in altre Opere pie, e abbreviare le visite nelle Chiese agl'invalidi, e impotenti Cittadini, e Abitanti di Roma, che avessero incominciato le medesime visite, e per sopravvenenza d'impedimenti non le potessero terminare, la Santità Sua l'estende a beneficio ancora di quelli, che per la causa stessa non le avessero potuto incominciare. Avvertendo però li suddetti Confessori, come sopra, di servirsi con prudenza, e moderazione di questa facoltà. Rimanendo nel resto preservato l'Indulto conceduto a Noi, e a nostro Monsignor Vicegerente di poter delegare qualsivoglia Confessore ne' Casi particolari con le stesse facoltà.

Concede parimente la Santità sua al Padre Confessore del Sagro Palazzo Apostolico la stessa facoltà de' Penitenzieri per la famiglia, che lo serve durante il presente anno.

Intende ancora, e dichiara, che le Indulgenze solite a concedersi da' Signori Cardinali, e Legati, Nunzii Apostolici, e Vescovi, o nell'uso de' Pontificali, o nel darsi le benedizioni, o in altra forma solita, rimangano nel loro vigore, non ostante la generale sospensione dell'Indulgenze sotto li 4. Giugno *1699.*

Dat. dal nostro Palazzo questo dì *6.* Marzo 1700.

C. Cardinalis Vicarius.

APPENDIX INDULGENTIARUM,

Quas facili negotio lucrari poterunt Christifideles, ac præsertim Regulares, & Moniales habentes Privilegiorum communicationem.

EGimus abunde, quantum ad Theologum spectat, in decursu hujus Operis de Cælesti Indulgentiarum thesauro, quo vi meritorum Christi Redemptoris in magnam spem assurgimus evadendi durissimas peccatis debitas pœnas hic, & in Purgatorio luendas. Videtur nunc operæ pretium subnectere Indulgentiarum Elenchum, quas passim lucrari possumus, ut nobis, ac animabus purgantibus tam ingens thesaurus prosit quam maxime. Primo itaque prænotabimus, quæ plurimum conferunt ad fundandam multarum Indulgentiarum probabilitatem; deinde recensebimus tam Plenarias, quam non Plenarias Indulgentias, quas sive pro nobis tantum, sive etiam per modum suffragii applicabiles pro Defunctis nancisci poterimus; ac præcipue quæ propriæ sunt Regularium, ac Monialium habentium Privilegiorum, ac Indulgentiarum communicationem; relatis pariter, quæ pro discipulis Patrum Societatis JESU, ac pro Sodalibus concessæ sunt.

Prænotantur, quæ valde conferunt ad fundandam plurimarum Indulgentiarum probabilitatem.

§. I.

I. Regulares privilegiarii communicant in Indulgentiis.
II. Indulgentiæ uni Mendicantium Ordini concessæ, intelliguntur concessæ aliis, & quidem æque principaliter.
III. Communicatio Privilegiorum extendit se ad ea, quæ vivæ vocis oraculo concessa, & concedenda sunt.
IV. Ut Confraternitatum Indulgentiæ acquirantur, an oporteat iis adscribi Regulares, aut earum insignia gestare?
V. In concessione Romanarum Indulgentiarum non intelliguntur concessæ Plenariæ, nisi exprimantur; at non relate ad Regulares Privilegiarios.
VI. Paulus V. non revocavit Regularium Indulgentias pro Defunctis concessas, nec locales, seu Ecclesiis Regularium concessas, sed solum personales, & Regularium proprias.
VII. In revocatione vivæ vocis oraculorum non comprehenduntur Indulgentiæ, nec Declarationes Pontificiæ viva voce factæ.
VIII. Indulgentiæ Plenariæ Ecclesiis Romanis concessæ sunt ad minimum quotidie octo, & triginta, non Plenariæ vero innumeræ.
IX. Quænam sint Stationum Indulgentiæ.

I. SUpponendum primo, Regulares Privilegiarios habere inter se Indulgentiarum, ac Privilegiorum communicationem, ita ut Indulgentiæ uni Regularium Ordini concessæ, aliis concessæ intelligantur. Quod specialiter Societati Jesu a Gregorio XIII. datum est in Bulla *Decet Romanum Pontificem*, 3. Maji 1575. ubi habetur, quod Societas *Omnibus, & singulis Indultis, Indulgentiis, ac Remissionibus, Gratiis, & litteris Fratrum, ac Sororum Mendicantium, aliarumque Religionum Ordinibus, Congregationibus, Conventibus, Capitulis, Monasteriis, Domibus, Ecclesiis, Confraternitatibus, Hospitalibus, & aliis piis locis, ac personis tam sæcularibus, quam Regularibus hactenus concessis, & concedendis ubique locorum uti, frui, potiri, gaudere possit.* Idque etiam diserte datum est a Gregor. XIV. Congregationi D. Bernardi in Regnis Hispaniarum, cum qua aliæ Religiones in privilegiis communicant; in Bulla enim *Romanus Pontifex* 21. Junii 1591. apud Rodriquez habetur: *Gaudeat ipsa omnibus, & singulis Privilegiis concessis quibuslibet Religionibus, etiam Militaribus, necnon Collegiis, Universitatibus, &c.*

II. Ubi plura sunt adnotanda. Primum quidem, Privilegia uni Mendicantium Ordini concessa intelligi aliis concessa, non solum ad instar illorum, sed principaliter, ut constat ex Bulla Pii V. in favorem Societatis Jesu, edita 16. Augusti 1567. ubi habetur: *Privilegia utriusque sexus Mendicantibus concessa simul, & concedenda ipsi concedi, non solum ad illorum instar, sed pariformiter, & æque principaliter, perinde ac si Societati nominatim, ac specialiter concessa fuissent.* Immo idem Pontifex in Bulla *Dum indefessæ*, 7. Julii 1571. eandem Societatem inter Mendicantes recensuit: & ex decisione Rotæ Romanæ 25. Junii 1647. apud Nadasim Ann. Dier. Memor. 10. Aug. habetur, etiam Collegia Societatis esse Mendicantium, & quidem non ex privilegio, sed ab intrinseco.

III. Secundum est, ex Privilegio Julii II. Augustinianis concesso, & Leonis X. concesso Minoribus, communicationem Privilegiorum inter Mendicantes se extendere etiam ad vivæ vocis oracula, & ad Gratias ita concessas, aut concedendas; atque hæc vivæ vocis oracula æquipollere confessioni factæ motu proprio, & ex certa scientia; ut habetur in Compend. Privileg. Societatis V. *Communicatio Gratiarum* §. 6.

IV. Tertium est, putare Philippinum de literis Gratiosis pag. 256. Indulgentias Confraternitatum Rosarii, Carmelitarum, Centuratorum, Cordigerorum, & similium a Regularibus Privilegiariis obtineri probabiliter posse, quin illis adscribantur, neque opus esse, ut eorum insignia gestent, puta Scapulare Carmelitarum, cingulum Centuratorum, funiculum Cordigerorum, &c. sed solum ponenda esse opera injuncta: Sicut enim, ut possint verbi gratia Minores lucrari Indulgentias Religioni Carmelitarum concessas, non est opus, quod huic Religioni adscribantur, aut istorum habitum gestent, sed satis est, quod ponant opera injuncta; ita

ita putant dicendum in casu: quod tamen alii judicent.

V. Quartum, quod quamvis universim, concessis alicui Indulgentiis Romanis, non intelligantur concessæ Plenariæ, utpote speciali nota dignæ; at quando Regularibus conceduntur Romanæ Indulgentiæ, etiam Plenariæ intelliguntur concessæ. Etenim Pius V. Societati concessit etiam speciali nota dignas; & aliis etiam Religionibus, cum quibus habetur communicatio, expresse concessæ sunt Indulgentiæ etiam Plenariæ.

Ultimum est, quod licet Privilegia Societati concessa intelligantur concessa immediate P. Generali, & mediate iis, quibus P. Generalis censuerit communicanda; at quod attinet ad Indulgentias, omnes omnibus P. Generalis communicat; ut constat ex Compend. Privil. V. *Indulgentiæ*, ubi habetur: *Omnibus Nostris, etiam Novitiis, fit facultas consequendi non solum Indulgentias hoc verbo concessas, sed & quascumque alias quomodocumque concessas, & in posterum concedendas.*

IV. Supponendum secundo circa Indulgentiarum revocationem, Paulum V. in Bulla *Romanus Pontifex*, 23. Maji 1606. Indulgentias Regularibus concessas revocasse, aliasque ex integro concessisse, quas infra recensebimus. Eminentissimus de Lugo in Manuscriptis de Privil. Soc. V. *Indulgentiæ* hæc habet: *Rev. P. Claudius Aquaviva Generalis in Congregatione Sexta Generali testatus fuit, eundem Paulum V. postea Societati nostræ restituisse Indulgentias omnes virtute illius Bullæ revocatas*. Sed nobis hac restitutione uti non licet, postquam Alex. VII. proscripsit propositionem 37. quæ habet: *Indulgentiæ concessæ Regularibus, & revocatæ a Paulo V. hodie sunt revalidatæ*. Si enim revalidatæ essent Societati, etiam aliis Regularibus habentibus communicationem Privilegiorum essent revalidatæ; quod admitti non potest.

Illud certum est, ut notat Peyr., Lezan., Quintanad., & alii, Paulum V. non revocasse pro Regularibus Indulgentias Christifidelibus indiscriminatim concessas: unde possunt iis frui Regulares. Nec revocavit secundo Indulgentias pro animabus Purgatorii Regularibus concessas, ut idem Pontifex 23. Febr. 1609. testatus est apud Gobat, Pelliz. Quintanad. dub. 2. num. 5. & Dian. p. 4. tract. 4. res. 20. Nec revocavit tertio Indulgentias Regularium locales, seu Ecclesiis Regularium concessas, sed solum personales, ut S. Congr. declaravit 7. Septemb. 1607. apud Peyrinum de Privil. t. 3. c. 9. n. 28.

Denique Lantusca in Theatro Regularium, Fr. Jo. a Conceptione c. 6. & P. Antonius Natalis in Cœlestibus Aurifodinis c. 6. n. 43. putant, adhuc pro Regularibus vigere Indulgentiam illam maximam, seu maximum illum cumulum Indulgentiarum a Leone X. Minoribus concessum, quod scilicet a recitantibus in Ecclesia sexies *Pater*, *Ave*, & *Gloria Patri* omnes Indulgentiæ Romanæ, Hierosolymitanæ, Compostellanæ, & Portiunculæ obtineri possint. Ratio est, quia hujusmodi Indulgentiæ non sunt directe Regularibus concessæ, sed omnibus Christifidelibus visitantibus Ecclesias Romanas &c. & solum Regularibus indultum fuit, quod pro visitatione Ecclesiarum Romanarum visitare possint Ecclesias proprias recitando ibi sexies *Pater*, *Ave*, & *Gloria*. Unde cum hujusmodi concessio non sit revera Indulgentia, eo quod solum spectet ad modum lucrandi Indulgentias, ideo in revocatione illa Indulgentiarum non intelligitur revocatum hoc indultum; atque adeo tales Indulgentiæ obtineri poterunt a Regularibus. Immo ex nova concessione Pauli III. apud Rodriq. tract. 2. quæst. 84. a. 7. eas quotidie lucrantur Regulares, ubicumque recitent dictas orationes. Sed quidquid sit de hac opinione, dicemus infra cum Quintanad. in Append. tract. 4. dub. 2. num. 7. hunc ipsum Indulgentiarum cumulum iterum Regularibus concessum fuisse post illam revocationem ab eodem Paulo V. & ab Urbano VIII. confirmatum, si coram SS. Sacramento illæ orationes recitentur.

Ubi Pariter notandum, Religiosos aut infirmitate, aut itinere, aut undecumque impeditos, ne possint Ecclesiam propriam adire ad recitandas preces injunctas pro cujuscumque Indulgentiæ consecutione, posse illas ubilibet recitare, ut habetur in Comp. Privil. V. *Indulgentiæ*, §. 2., & in Summario Privil. S. Justinæ.

VII. Supponendum tertio, Revocationes vivæ vocis oraculorum a Greg. XV., & ab Urbano VIII. factas nullatenus comprehendere Indulgentias post revocationem Pauli V. concessas, tum quia ex Bordono resol. 81. q. 14. n. 33. & aliis, in revocatione generali non comprehenduntur Indulgentiæ, utpote speciali nota dignæ; tum etiam quia Oracula Religiosis privilegiatis concessa æquipollent Bullatis ex Privilegio Leonis X. Minoribus concessa, ut habetur in Compend. Privileg. Societatis, V. *Oracula*; Et Cardinalis de Lugo loc. cit. testatur Urbanum VIII. declarasse, mentis suæ non fuisse in revocatione Oraculorum Indulgentias sic concessas revocare.

Præterea in revocatione vivæ vocis Oraculorum non comprehenduntur Declarationes Pontificiæ viva voce factæ, ut notat Portel. t. 2. cas. 13. n. 13. cum nomine Oraculi veniat concessio Gratiæ, non Concessionis declaratio. Unde fit non esse revocatum, quod Urbanus VIII. declaravit. Posse scilicet Religiosos Societatis absque Bulla Cruciatæ Indulgentias ipsas Bullæ nancisci: quod P. Mutius Vitellescus Generalis literis datis 1628. ad Provinciam Castellanam scripsit, ut videre est apud Mendo in Bullam Cruciatæ disp. 20. c. 30. n. 27.

VIII. Supponendum quarto, Indulgentias plenarias Romæ variis Ecclesiis concessas, esse quotidie ad minimum octo, & triginta, easque per modum suffragii applicabiles pro Defunctis; quas omnes ad unam nominatim recenset P. Antonius Natalis in suo Purgatorio cap. 9.: Ac præterea extraordinarias esse singulis mensibus plurimas alias, nempe mense Januar. 63., Febr. 41., Mar. 55. April., 24. Majo 44., Jun. 22., Jul. 52., Aug. 145., Septemb. 58., Oct. 3., Novemb. 59. Decemb. 103. Non plenariæ vero sunt innumerabiles, eæque pariter per modum suffragii pro Defunctis applicabiles; ut proinde D. Birgitta l. 2. Revel. cap. 105. dixerit: *In hac Roma majores sunt Indulgentiæ, quam homines credere possint, quas Sancti Dei glorioso sanguine suo, & precibus a Filio suo impetrare meruerunt*. P. Natalis l. cit. recenset plurimas quotidianas, & quas solum recenset, ascendunt ad bis centum, ac ter mille nongentos tres annos, ac centum septuaginta millia sexcentum quadragenarum; & undevicies habetur remissio tertiæ partis peccatorum.

Rursus omnes istæ non plenariæ ex dictis qu. 6. art. ult. pluries eodem die obtineri possunt, si injuncta opera pluries iterentur; idemque verum est probabiliter de plenariis, quatenus pro Defunctis applicabilibus. Etenim Decretum Innoc. XI. quo san-

sancitur, neminem lucrari posse pluries eodem die plenariam Indulgentiam, cum non exprimat Indulgentias pro Defunctis applicabiles, non videtur eas comprehendere; nam sicut in concessione alicujus Indulgentiæ non intelligitur, quod ea sit pro defunctis applicabilis, nisi exprimatur, juxta ibidem dicta, ut communiter docent cum Lezana V. *Indulgentia* num. 24. Suar. disp. 53. sect. 1. Molfes., & alii ex D. Thom. in 3. dist. 45. qu. 2. contra nonnullos apud Gobat. tract. 4. de Indulg. p. 1. cap. 22. ita a fortiori in revocatione Indulgentiarum non intelliguntur illæ revocatæ pro defunctis nisi etiam exprimatur. Unde modo diximus, Paulum V. revocando Indulgentias Regularibus concessas non revocasse eas, quæ pro defunctis poterant ab iis applicari.

IX. Supponendum quinto, Stationum Indulgentias esse maximas, ut notat Escobar tr. 7. exam. 5. nu. 55., adeo ut nonnulli putent, teste Rodriq. q. 81. art. 1. quotidie in aliquibus illarum Ecclesiarum haberi plenarias, & in aliis 400. annor. & 1500. quadragen. Stationum originem refert Tolet. l. 6. c. 28. ex Tertull. cap. 29. Apolog. Sæpe enim persecutionis tempore Christiani noctu conveniebant in Basilicis Martyrum ad laudes Deo deferendas, & ad negotia Religionis pertractanda: deinde remittente persecutionis æstu fideles in continuandis Stationibus erant desides: qua de causa Gregorius Magnus plurimas Indulgentias concessit invisentibus ea loca, quæ Stationes dicebantur. Notandum tamen, ex Decreto Innoc. XI. edito 7. Martii 1678. Stationum Indulgentias aliquibus locis, Ordinibus, aut personis a Pontificibus communicatas, diebus tantum Stationum in Missali Romano descriptis suffragari posse. His præsuppositis, descendimus ad enumerandas præcipuas, & maxime obvias Indulgentias.

Recensentur Plenariæ Indulgentiæ, quas facile omnes nancisci poterunt.

§. I I.

Is, qui Sacrosanctum Nomen JESU invocare consueverunt, Indulgentia Plenaria pro articulo mortis conceditur a Sixto V. in Bulla *Reddituri* 11. Jun. 1587. eaque confirmatur a Clem. X. Bulla *Commissa nobis* 8. Maji 1673. dummodo pro eo articulo reverenter ore, aut si nequeant, corde illud invocent: Sicut etiam ab eodem Clemente 25. dierum Indulgentia conceditur, quoties Venerandum nomen JESU, aut MARIÆ invocant.

Recitantibus vespere ad pulsum campanæ *Angelus Domini*, *Ecce Ancilla*, *Verbum caro*, *&c.* cum tribus *Ave*, Adrianus VI. Plenariam Indulgentiam largitus est, ut refertur communiter cum Pelliz. tr. 10. c. 9. n. 41. Gobat. Escob. Rodr. Lezan. Dian. p. 4. tr. 4. res. 24. Quæ tamen ab Innoc. XI. declaratur apocrypha, est solum Indulg. Clem. V. adscripta recitantibus mane, vel meridie, aut vespere *Angelus Domini*, cum *Deo gratias*, *&* *Mariæ*.

Habentes numisma cum Indulgentiis ordinariis, quas postremi Pontifices Innoc. XI.; Alex. VIII. & Innoc. XII. concessere dummodo semel in hebdomada recitent Coronam Christi D. ex triginta tribus *Pater*, & *Ave* compactam, aut B. Virginis ex sexaginta tribus *Ave*, interjectis septem *Pater*, aut tertiam Rosarii partem, aut Officium Divinum, vel B. Virginis, vel Defunctorum, Indulgentiam Plenariam consequuntur, Animamque poterunt e Purgatorii lacu eruere, quoties communicant in primariis anni Festis, quæ vigintiduo ibi recensentur; nimirum Nativitatis Domini, Epiphaniæ, Ascensionis, Pentecostes, Ss. Trinitatis, Corporis Domini, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, Nativitatis B. Virginis, Nativitatis S. Jo. Baptistæ; sicut etiam decem alia festa duodecim Apostolorum, ac festum Omnium Sanctorum. Demum in articulo mortis invocato Ss. JESU nomine, Plenariam Indulgentiam obtinebunt.

Habentes numisma Sanctorum Canonizatorum a Clem. IX. Clem. X. &c. eandem similiter Indulgentiam consequuntur iisdem festis, ac præterea in festo Visitationis, Præsentationis, ac Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, necnon singulis mensibus semel celebrando, aut Missam audiendo, & communicando in Altari, ubi sit Imago, aut sacra Lipsana alicujus ex iisdem Sanctis Canonizatis; sicut etiam in festo eorundem, si communicent, & in pervigilio jejunent.

Qui communicat, ubi singulis mensibus fit Communio Generalis a Patribus Societatis, pariter Plenariam Indulgentiam pro Defunctis applicabilem consequitur, dummodo in ea Ecclesia ad mentem Pontificis vocaliter oret. Urbanus VIII. illam concessit in Bulla *Ad Augendum* 10. Maji 1634. per quindecim annos, & decimoquarto quoque anno renovatur. Nostri obtinere eam possunt in quacumque Societatis Ecclesia, ubi sunt plures, & probabiliter ex Quintanad. in Capellis, seu Oratoriis prædiorum.

Qui Missionibus Patrum Societatis interest, Plenariam Indulgentiam lucratur, si communicet, ex concessione Pontificum, quæ singulis septenniis renovatur; Idemque dicas, si quis intersit Exercitiis Spiritualibus, quoties hæc vim habent Missionum, quæ legitima auctoritate a Patribus Societatis indicantur; aliter Indulgentia Plenaria ab Alex. VII. peragentibus Exercitia Spiritualia per octiduum concessa non obtinetur, nisi ab iis, qui ea peragunt in domibus Societatis, (sive etiam in Seminariis, ut litteris encyclicis testatus est P. Jo. Paulus, Oliva 26. Febr. 1661.) necnon ab aliis Religiosis, aut Monialibus, qui in privilegiis communicant, ex concessione ab eodem Pontifice facta Minoribus, apud Natalem laudatum c. 10. n. 80. Paulus V. ad hanc Indulgentiam lucrandam requirebat a Religiosis decem Exercitiorum dies, & generalem Confessionem, saltem totius anni, præter Communionem, utque lectioni librorum Asceticorum quotidie vacarent, ac Orationi mentali saltem duabus horis.

In Regnis Monarchæ Hispano subjectis quicumque die Commemorationis Defunctorum celebrat, animam liberare potest ex concessione Innoc. XI. 30. Septembris 1679. Qui etiam concessit Confraternitati Rosarii num. 7. & 9., atque adeo iis, qui cum illa in Privilegiis communicant, quod primis singulis cujuscumque mensis Dominicis, necnon festis Beatissimæ Virginis, ac tertia Dominica Aprilis animam liberare possint, si in Ecclesia juxta Pontificis mentem orent; ut notat P. Natalis cap. 7. de Purgatorio.

De Plenariis Indulgentiis, quæ sunt Regularium propriæ. §. III.

PAulus V. revocatis prioribus Regularium Indulgentiis, concessit illis Plenariam Indulgentiam, primo quando Tyrocinium ingrediuntur, & quando post Tyrocinium vota nuncupant Religiosa, modo communicent eo die, aut saltem ex Pelliz., & Bordon. resol. 8. quæst. 13. diebus proxime antecedentibus. Sanchez lib. 6. cap. 5. num. 8., cum Pelliz. & Illsung. putat, Indulgentiam hanc in Societate Jesu obtineri, quo die Tyrones post primam probationem vestem Religiosam assumunt. Secundo in festis Ordinum principalibus, si pariter communicent. In Societate hæc conceditur die Circumcisionis, in festo Fundatoris, S. Francisci Xaverii, & S. Francisci Borgiæ, nec non in 40. horis Bacchanalium, ut habetur ex Bullario Societatis. Tertio in mortis articulo, invocato Sanctissimo Jesu Nomine, saltem corde, si minus possit ore invocari. Quarto dum prima Missa a Sacerdotibus celebratur, quam etiam Religiosi illam audientes lucrari poterunt, si communicent. Quinto diebus Stationum Romanarum, si preces fundant ad intentionem Pontificis. Sexto si per decem dies exercitiis spiritualibus vacent, ut jam diximus. Septimo adeuntibus ad Infidelium regiones ad fructificandum, tam in principio, quam in fine itineris. Demum in Visitationibus generalibus, quando comprecatio quadraginta horarum indicitur. Hujusmodi Indulgentiam Provinciales Societatis in visitatione largiuntur absque hoc onere, ut notat Lugo loc. cit. §. 10. ex concessione prius Greg. XIII., deinde Urbani VIII. post revocationem factam a Paulo V.

Plurimæ aliæ Plenariæ Indulgentiæ sunt propriæ Regularium, ac Monialium habentium privilegiorum communicationem, quas per modum suffragii ad liberandas animas purgantes applicare poterunt: quinimo Leo X. 3. Febr. 1517. concessit Minoribus, ut omnes omnino Indulgentias usque ad id temporis concessas per modum suffragii applicare possint, ut habetur in compend. Privil. Societatis §. 7. Idemque concessit Sixtus V. Cordigeris D. Francisci in Bulla *Divinæ Charitatis* 7. Maij 1586.

Regulares privilegiarii quoties communicant, animam liberare possunt. Innoc. VIII. Monialibus Minorum apud Rodericum.

Si celebrent pro animabus sui Patris, vel Matris, aut utriusque, illas liberant. Idem Innoc. VIII. Minoribus.

Recitando Officium Defunctorum animam liberant: Leo X. Minoribus in lib. *Monumenta Ordinum*.

Pariter si recitent *Miserere*. Sixtus IV. Canonicis Regularibus Lateranensibus, ex Comp. Privil. Soc. V. *Indulgentiæ* §. 13.

Nec non recitando Coronam Christi Domini ex triginta tribus Pater, & Ave; quod ægroti obtinebunt, si pro ea recitent unum Psalmum, vel Hymnum B. Virginis. Ex eodem Comp. §. 6. Idem dicitur de Corona B. Virginis ex sexaginta tribus Ave, & septem Pater. Leo X. pariter pro hac Corona Minoribus concessit Plenariam Indulgentiam sibi ipsis applicandam: quam tamen Paulus V. revocavit. Sed Peyrinus, Rodriquez, Bordon. qu. 3. num. 18. & Quintanad. in Append. ad Jubil. t. 4. dub. 4. num. 7. asserunt, illam Minoribus ab eodem Paulo V. restitutam esse; unde ab omnibus privilegiariis Regularibus obtineri poterit. Immo Portel., & Rosighinus in Templo Salomonis apud P. Antonium Natalem cap. 9. testantur, illam omnibus Christifidelibus concessisse eundem Paulum V., ut constat ex authenticis Romæ impressis ann. 1609.

Leo X. Minoribus concessit cumulum illum supra relatum Plenariarum Indulgentiarum, videlicet quod recitantes quinquies *Pater*, & *Ave*, ad intentionem Pontificis, & semel pro Indulgentias concedente, lucrentur Indulgentias omnes, tam Plenarias, quam non Plenarias concessas Ecclesiis Romanis, Hierosolymitanis, Compostellanis, & Portiunculæ; ut habetur in Comp. Privil. Soc. §. 3.: & Rodriq. t. 2. q. 84. art. 7. notat, ex concessione Pauli III. posse dictas preces ubilibet recitari; & quia plenariæ Indulgentiæ per modum suffragii applicabiles in solis Ecclesiis Romanis ex supra adnotatis, ad minimum sunt octo, & triginta, ideo Regulares privilegiarii ad minimum totidem animas liberare possunt vi hujus concessionis, quam diximus probabiliter a Paulo V. non esse revocatam. Sed esto revocata esset etiam pro defunctis, adhuc easdem Indulgentias lucrari poterunt Regulares recitando sexies *Pater*, & *Ave*, & *Gloria* coram Venerabili ex concessione ejusdem Pauli V. ab Urbano VIII. confirmata, apud Hieronymum Rodriquez in Compend. resol. 47. Quintanad. in Append. tract. 4. dub. 1. nu. 7. Antonium a Spiritu Sancto num. 22. & Natalem cap. 9. Unde Indulgentia isthæc Stationis Sanctissimi Sacramenti nomenclaturam obtinuit.

Adde, Regulares invisentes unum, aut plura Altaria ad arbitrium, recitando ter *Pater*, & *Ave*, lucrari Indulgentias Ecclesiis Romanis concessas quovis anni tempore. Ita Leo X. Confratribus de Monte Serrato, ut habetur in Summario Indulgentiarum ipsius Confraternitatis, quas Clemens X. ac Innoc. XI. confirmarunt, ac proinde post revocatoriam Pauli; unde citra dubitationis aleam obtineri eæ possunt a Regularibus privilegiariis.

Recitantes in Ecclesia *Miserere*, cum Oratione pro Pontifice, *Deus omnium fidelium Pastor*, vel *Omnipotens sempiterne Deus miserere famulo tuo &c.* omnes Indulgentias nanciscuntur quibusvis Ecclesiis, aut locis totius Orbis concessas. Jul. II. Congregationi Lateranensi ex Compen. Privil. Soc. V. *Indulgentiæ* §. 17. Et quamvis istæ prout nobis applicandæ subsint revocationi Pauli V., non tamen, quatenus pro Defunctis applicantur, ut diximus in prænotatis. Idemque dicas de aliis ante revocationem concessis.

Denique Greg. XIII. Societati JESU concessit in Bulla *Cum sicut accepimus* 23. Decemb. 1579.: quod Regulares propriam Ecclesiam invisendo, ac vocaliter ibi orando coram Venerabili ad intentionem Pontificis, lucrari possint omnes Indulgentias etiam Plenarias, quæ eo die aliis Ecclesiis illius Civitatis, aut loci, in quo morantur concessæ sunt.

De

De Indulgentiis, quæ ad Discipulos Patrum Societatis JESU, atque ad Sodales spectant. §. IV.

GRegorius XIII. 17. Maji 1576. benignissime largitus est tam Religiosis Societatis, quam eorum discipulis Indulgentias omnes Romanas quotidie lucrandas, modo quinquies *Pater*, & *Ave* recitent coram Ara maxima, & semel coram quatuor aliis Altaribus, aut, si ea desint, novies coram eodem Altari; quod habetur in Compend. breviori Priv. Soc.: nec potest dici, quod ullatenus id subsit revocationi Pauli V. quoad discipulos sæculares.

Idem Greg. XIII. in Bulla *Omnipot. Dei* 5. Decembris 1584. primariæ Collegii Romani Congregationi infrascriptas Indulgentias concessit, quas deinde Sixtus V. ad alias Societ. Congregationes P. Generalis auctoritate illi aggregatas extendit. Et primo quidem Plenariam Indulgentiam, quo die Sodalitio nomen dederint, si communicent; ac diebus Nativitatis Domini, & Ascensionis, Annunciationis etiam B. Virginis, Conceptionis Immaculatæ, Nativitatis, & Assumptionis, atque in mortis articulo. Deinde unius Anni Indulgentiam Sodalibus audientibus in Sodalitio adhortationes, aut officium recitantibus: audientibus etiam Sacrum diebus ferialibus; Conscientiam ante cubitum examinantibus; invisentibus eos, qui carceribus detinentur, aut ægrotos pauperes, sive in Xenodochio, sive in propriis Domibus; associantibus etiam fidelium cadavera ad sepulturam, &c. Demum Indultias omnes Stationum, tam diebus Quadragesimæ, quam aliis Stationum diebus, si Ecclesiam Societatis inviserint, recitando ibi septies *Pater*, & *Ave*.

Quamvis autem ex Decreto Innoc. XI. revocatæ sint Indulgentiæ concessæ Congregationibus per Aggregationem; at has non esse revocatas optime notat P. Jacobus Illsung in sua Theologia Morali tr. 1. disp. 3. ar. 11. num. 74., tum quia interrogatus ita respondit idem Innoc. XI. ut ad eundem P. Illsung rescripsit P. Procurator Assistentiæ Germaniæ; tum etiam quia Decretum Innoc. XI. non continet clausulam derogatoriam derogatoriarum; Gregor. vero XIII. Indulgentias largitus est cum hac clausula; & Sixtus V. iisdem verbis eandem; concessionem confirmavit, & ad alias Gongregationes illi aggregatas extendit, atque adeo veluti ex motu proprio, ac certa scientia, ut proinde omnis removeatur subreptionis suspicio, ob cujus subreptionis præsumptionem unice fuit editum decretum illud Innocentianum, ut ibi præmitttiur.

Indulgentiæ non Plenariæ præcipuæ, ac obviæ omnibus communes §. Ult.

QUicumque Sacrum audit, vel celebrat, trium millium annorum Indulgentiam lucratur ex concessione Innoc. VI. necnon aliorum octies centum annorum ex concessione Urbani IV., Martini V., Eugenii IV., & Sixti V., quorum singuli bis centum annorum Indulgentiam largiti sunt. Ita Natalis laudatus cap. 13. n. 108.

Quinquies *Pater*, & *Ave* recitantes in honorem Passionis Christi Dom., & B. Virginis amaritudinum, decies millium annorum Indulgentiam nanciscuntur ex concessione Leonis X. omnibus fidelibus factæ ad instantiam Minorum. Apud eundem num. 104.

Qui tertiam Rosarii partem recitaverint, quinque annorum, & totidem quadragenarum Indulgentiam lucrantur, a Sixto IV. concessam apud Navar. de orat. miscell. 1.

Recitantibus quindecim *Pater*, & *Ave* pro iis, qui in mortali degunt, conceditur tertia pars remissionis peccatorum; idque toties, quoties recitabuntur. Ex Compend. Privil. Soc. V. Indulgentiæ §. 22.

Recitantibus *Ave Maria* Indulgentia triginta dierum conceditur ab Jo. XXII.: ac totidem aliorum dierum ab Urbano IV.: 40. dierum recitantibus *Salve Regina*: Viginti dierum caput inclinantibus ad veneranda nomina *JESUS*, & *MARIÆ*: triginta dierum inclinantibus caput ad *Glor. Pat.*: bis centum dierum genuflectentibus coram SS. Sacramento: 40. dierum Sanctam Crucem osculantibus ab eodem Joanne XXII., & unius anni a Clemente IV.

Sacerdotibus ante Sacrum recitantibus, *Ego volo celebrare Missam*, quinquaginta dierum Indulgentiam concessit Gregor. XIII. Qui recitant in fine Canonicarum horarum, ad quas tenentur, *Sacrosanctæ*, & *individuæ Trinitati*, *cum Pater*, & *Ave*, remissionem obtinent culparum in recitatione contractarum ex humana fragilitate. Leo X.

Recitantibus, *Benedicta sit Sancta*, & *Immaculata Conceptio B. Virginis Mariæ* Indulgentiam 100. annorum Gregor. XV. an. 1621. Recitantibus *Anima Christi*, ter centum dierum Jo. XXII. apud Lancisium tom. 2. p. 198.

Osculantibus devote habitum Regularem Indulgentiam quinque annorum, & totidem quadragenarum Jo. XXIII. apud Rodriq. p. 2. q. 77. art. 2. pro osculantibus habitum Fratrum Prædicatorum.

Comitantibus Sacrum Viaticum ægrotis deferendum Innoc. XII. a. 1695. Indulg. quinque annorum & quinque quadragenarum pariter largitus est: sex vero, si cum luminari id præstetur; quod si quis id præstare nequeat, recitando semel *Pater*, & *Ave* centum dierum Indulgentiam lucrabitur.

Audientes concionem Regularium Privilegiatorum quindecim annorum Indulgentiam ex Greg. IX. apud Gobat tr. 4. p. 2. cap. 28., & ex Compend. Privileg. Soc. V. Indulg. §. 27. Quod si diebus Lunæ, Mercurii, ac Veneris tempore Quadragesimæ ea in Ecclesiis Regularium audiatur, octo, & triginta supra centum annorum, ex Alex., ac Nicolao III., Innocen., & Alex. IV., & Benedicto XI. Et ex concessione Pauli III., & Gregor. XIII. facta Societati JESU, ut in Compendio laudato §. 24., recitantes in nostris Ecclesiis *Pater*, & *Ave*, & concionem, si adsit, audientes, septem annorum, ac totidem quadragenarum Indulgentiam lucrantur singulis diebus Dominicis, ac Veneris, necnon Quadragesimalibus.

Infinitus propemodum essem, si omnes alias vellem percurrere, cum constet, esse innumeras, & nos illis deesse, non illas nobis; satis sit has delibasse, utpote magis obvias, & facili negotio assequibiles.

Illud hic opponi posset: Si revera tot, tantisque Indulgentiis uti, ac frui possemus, & simul ve-

ra esset hactenus tradita Theologorum doctrina, quod scilicet Indulgentiæ etiam ignorantibus illas prosint, quod effectum habeant infallibilem; quod ad illas concedendas sufficiat causa, quæ prudenter a Pontifice credatur consentanea, esto de se sit incongrua, &c. sequeretur, perraros in purgatorii pœnas detrudendos, nec ibi detinendos diu; cum tamen in contrarium clament ubique historiæ, & sensus ipse fidelium obstrepat.

Respondendum tamen, has, & idgenus alias propositiones, utut a Doctoribus primi subsellii propugnatas, esse solum in opinione positas, adeo ut non desint graves etiam Doctores oppositum edocentes; & de iis proinde dubitandum, cum dubitare non liceat de communi fidelium sensu, quod scilicet pleræque justorum animæ in Purgatorii latomiis detinendæ sint, & quidem diu, antequam ad Cœnam nuptiarum Agni advocentur. Quare nobis de harum opinionum qualicumque probabilitate gaudere licet, sicut etiam de pene immenso Indulgentiarum cumulo liberalissime impertito; iis tamen omnino fidere non licet; etenim ut ait Glossa *in Clem. I. de Reliq.*, *& Venerat. Sanctorum*, pauci admodum Indulgentiam consequuntur. Quare Indulgentiis, quæ maximam præseferunt causam, ut est Romanum Jubilæum, & aliis hujusmodi sedulam navemus operam, & satagamus, ut iteratis crebro Sacrificiis, atque operibus de se satisfactoriis, necnon multitudine operum pro lucrandis Indulgentiis injunctorum, eorumdemque intensione, ac fervore, certam nostram, animarumque purgantium salvationem, atque Indulgentiarum, præsertim in mortis articulo, consecutionem faciamus, ad gehennam simul, ac gehennæ affines Purgatorii pœnas evadendas. (a)

(a) Addenda heic sunt duo totidem Romanorum Pontificum decreta, quæ ad Indulgentias spectant.

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

ET D. N. D.

BENEDICTI DIVINA PROVIDENTIA

PAPÆ XIV.

CONSTITUTIO

Qua ampliatur Episcopis facultas impertiendi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo constitutis; etiam per alios tam in Civitatibus, quam in Diœcesibus ab ipsis subdelegatos.

BENEDICTUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

„ PIA Mater Catholica Ecclesia, de æterna Filiorum suorum salute in primis solicita, quum „ hanc intelligat ab extremo ipsorum mortis articulo potissimum pendere, nunquam prætermisit „ omnibus eos subsidiis pro hujusmodi temporis necessitate opportunis juvare atque instruere, tam „ iis nimirum, quibus opus esset ad æterna præcavenda supplicia, quam quæ apta & salubria forent ad evitandas pœnas temporibus definitas, „ quas in altera vita humanis plerumque spiritibus, etiam dimisso mortalis culpæ, æternæque „ pœnæ reatu, in Purgatorio igne luendas manere „ non ignorat. Quamobrem, licet ex veteri simul „ & recenti Ecclesiæ disciplina, graviorum quorundam criminum absolutio Romano dumtaxat „ Pontifici in universo Christiano Orbe, aliorum „ autem singulis Ecclesiarum Præsulibus in eorum „ Diœcesibus, reservata fuerit; attamen adveniente unicuique Fidelium supremo migrationis die, „ omnes hujusmodi absolutionum reservationis cessare, & cuilibet Sacerdoti liberam & plenam facultatem esse quemcumque pœnitentem a quibuscumque peccatis & criminibus, nec non Ecclesiasticis sententiis atque censuris absolvendi, „ provide declaratum fuit. Præterea quum in Ecclesia immensus & inæstimabilis existat Thesaurus spiritualis, ex infinitis constans satisfactionibus Passionis & mortis Domini Nostri JESU CHRISTI, ac præterea ex meritis & satisfactionibus „ gloriosæ Virginis Genitricis Dei MARIÆ, omniumque Sanctorum & Electorum, cujus Thesauri „ dispensationem Salvator Noster Beato Petro Apostolorum Principi ejusque in perpetuum Successoribus tradidit; hoc semper summo studio curarunt Prædecessores Nostri Romani Pontifices, ut „ illius divitias in moribundos Fideles large diffunderent, & maxima omnium amplitudine, quæ „ Indulgentia Plenaria nuncupatur, cujusque impertiendæ jus in Apostolica Sede unice residet, ipsis „ potissimum applicarent; quam quidem in rem „ Episcopis per Ecclesias constitutis vices suas cum „ opportunis facultatibus delegarunt: ne ullus in „ Orbe Terrarum angulus esset, ubi Catholicæ Religionis professoribus hujusmodi adjumenti copia „ deesset, pro extremo illo momento, quo ipsorum „ salutis caussa in discrimen adducitur.

„ Hactenus hujusmodi facultas Episcopis concedi „ consuevit, Pontificis nomine & authoritate, per „ privatas Epistolas ipsius Secretarii Brevium secretorum, qui exposita Pontifici petitione pro parte cujusque Episcopi, & pro spirituali utilitate „ ipsius Subditorum ad se delata, rescribere solebat, petitam facultatem ab ipso Pontifice eidem „ indulgeri *ad Triennium proximum*, hac tamen „ lege, ut ipse ea uteretur, nimirum Benedictionem impertiret, & Indulgentiam Plenariam ægrotis in mortis articulo constitutis largiretur „ *per seipsum immediate*, vel, quatenus Episcopum „ suffraganeum haberet, *per Dominum Suffraganeum* „ *suum*; nec, nisi necessitate cogente, & quidem „ nocturno tempore, alium Sacerdotem in singulis „ peculiaribus casibus subdelegare posset: *Ubi vero* „ *præcisa necessitas exegerit, ac insimul noctis tempore dumtaxat, idem permittit, ut alicui Sacerdoti pio, per Dominationem Vestram qualibet vice eligendo &c. communicare valeant*; Quo vero „ ad Moniales, Ordinarii earum Confessarii opera „ in eum finem uteretur.

„ Hanc porro facultatem, prout in hujusmodi „ Litteris concedebatur, Ecclesiarum Pastores jamdudum judicarunt angustis nimium limitibus circumscriptam; non solum ob breve Triennii spatium ipsi præfinitum; verum etiam quia, propter relatas leges circa illius usum præscriptas „ ab hujusmodi Indulgentiæ Plenariæ beneficio excludi videbant plerosque fideles sibi subjectos,

„ præ

præsertim vero eos, quos extra ipsorum Residentiæ locum, & in remotis Diœcesum regionibus infirmari contingeret; nec defuerunt instantiæ Vicariorum Capitularium, & Vicariorum Apostolicorum, sicut etiam Prælatorum inferiorum Territorium separatum habentium, cum activa in Clerum & Populum jurisdictione, qui eandem facultatem Episcopis concedi solitam, sibi quoque tribui postularunt; quibus de rebus actum fuit die 22. Novembris 1710. in Congregatione S. R. E. Cardinalium Indulgentiis & Sacris Reliquiis præposita, cujus Consultoris officium in minoribus tunc constituti obtinebamus; sed nihil tunc temporis est innovatum, resque in priori statu relicta fuit.

„ Cum vero deinceps alterum quoque munus Secretarii Congregationis Decretorum Concilii Tridentini Interpretis Nobis in minoribus pariter degentibus demandatum fuisset; instante Episcopo Mazariæ tunc existente, duo Dubia eidem Congregationi definienda proposuimus, unum videlicet, an stante dispositione præmissarum Epistolarum Secretarii Brevium, ut scilicet Episcopus pro impertienda Monialibus Benedictione, & Indulgentia Plenaria eisdem in articulo mortis applicanda, earum Confessarii opera uteretur, licitum sit Episcopo, Monasterii Claustra ingredi, ut hujusmodi pium opus per se ipsum adimpleat: alterum vero, quatenus id Episcopo permittatur, an, & a quibus comitatus Monasterium ingredi debeat; super quibus, perpenso Folio a Nobis pro hujusmodi quæstionum elucidatione de more exarato, die 10. Maji anni 1737. responsum fuit, ad primum: Licere Episcopo, quoties voluerit, ad impertiendam Benedictionem Moniali in mortis articulo constitutæ Monasterium intrare: Ad secundum; Episcopo ad hunc effectum intra Monasterii septa se conferenti comites esse debere Confessarium ordinarium ipsius Monasterii, aliumque Sacerdotem ipsius Episcopi arbitrio eligendum. Rescripto autem additum fuit: *Et ad Dominum Secretarium cum Eminentissimo Secretario Brevium*; quibus nimirum verbis Nobis demandatum fuit, ut cum bonæ memoriæ Cardinali Oliverio nuncupato, tunc Brevium secretorum Prædecessoris Nostri Benedicti Papæ XIII. Secretario, ageremus, pro ampliatione facultatum in memoratis Epistolis contentarum, quarum formulam a Nobis in Folio tunc eidem Congregationi, ut præfertur, exhibito, integre insertam, ipsa Congregatio paulo arctioribus conclusam limitibus judicavit.

„ Neque porro omisimus injunctum Nobis onus agendi cum præfato Cardinali Brevium Secretario quam primum implere; verum quum paulo post ab eodem Benedicto Prædecessore in Collegium S. R. E. Cardinalium cooptati, ad regendam Episcopalem Anconitanam Ecclesiam Nos contulerimus, ex qua biennio post ad Metropolitanam Bononiensem translati fuimus, non licuit Nobis negotium istud ad optatum finem perducere. Interim vero, quum non minus pro Anconitano, quam pro Bononiensi Populo, hujusmodi facultatem Indulgentiæ Plenariæ moribundis Fidelibus impertiendæ ab Apostolica Sede, ut par erat, expetitam, juxta consuetam formam, ac superius enunciatis limitibus circumscriptam obtinuissemus, ipso statim usu, & propria experientia, in eas incidimus difficultates, quæ & anno 1710. ut præfertur, in Congregatione Sacris Reliquiis & Indulgentiis præposita, a Nobis tamquam Consultore propositæ fuerant; quæque deinceps anno 1727. alteri Congregationi Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum a Nobis etiam, pro Secretarii munere, expositæ; caussam dederunt memoratæ consultationi cum Secretario Brevium ineundæ. Etenim tum in Anconitanæ, tum vero in amplioris Bononiensis Ecclesiæ regimine, animadvertimus, ob interdictam Nobis hujusmodi facultatis subdelegationem, omnes plerumque Diœcesis habitatores hoc tanto spirituali beneficio summis suis temporibus orbatos manere; & quidem cum irreparabili damno deficientibus per Diœcesim Collegiis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis, quibus a felicis recordationis Prædecessore Nostro Alexandro Papa VII. per Litteras die 25. Januarii anni 1656. datas, & perpetuo valituras, indultum fuit, ut Christifidelibus in mortis articulo constitutis Benedictionem cum Indulgentia Plenaria impertiri valeant; nec aliis extantibus Cœnobiis Regularium, quibus, pro Confratribus piarum quarundam Societatum ab eorum Ordinibus institutarum, similia Indulta & Privilegia ab Apostolica Sede concessa fuerunt. Quod vero spectat ad Incolas ipsius Civitatis, si quidem hæc, ut Bononia est, frequenti Populo sit referta, quum facultas substituendi non aliter in præfata Epistola tribuatur, quam in casu præcisæ necessitatis cum nocturno tempore conjuncto, cum magno animi Nostri dolore experti sumus Paternæ hujusmodi charitatis actus erga dilectos in Christo Filios Nostros, non ea assiduitate, qua cupiebamus, per Nos ipsos præstari posse. Nam præterquamquod necesse habebamus nonnullis per annum mensibus a Civitate abesse, ut, juxta præscriptum Sacræ Tridentinæ Synodi, si non totam, saltem aliquam illius amplæ Diœcesis partem singulis annis coram invisendo, corrigendo, docendo, & Sacramentum Confirmationis visitatis plenibus ministrando lustraremus; jam in ipsa Civitate degentes, nullam fere diurni temporis moram vel a Divinis rebus, vel a Pastoralis officii occupationibus vacuam habebamus; dum pro occurrentium negotiorum expeditione, nunc adeuntium postulationibus, nunc Ministrorum relationibus, nunc Congregationum consultationibus operam dare oportebat; recurrentibus autem Ordinationum temporibus, vel evenientibus Ecclesiarum Parochialium vacationibus, aut cessantibus Confessariorum facultatibus, quas, ad nova de ipsis experimenta identidem capienda, nonnisi temporibus definitas iisdem concedere consuevimus, Examina atque Concursus sine Nobis haberi non permittebamus. Et sane, si quis Episcopalis vitæ conditiones, ut vere se habent, considerare velit, facile agnoscet, majorum Civitatum Episcopos fere redactos esse ad hujusmodi Benedictionis & Indulgentiæ beneficium aliquibus dumtaxat Personis, vel genere, vel aliis qualitatibus conspicuis, & quidem instantibus & postulantibus, exhibendum; pauperibus autem & humilioribus, ob præclusam sibi, extra necessitatis & noctis tempora, subdelegandi facultatem vix unquam succurrere posse.

„ Quod si satis momenti & authoritatis haberet sententia a nonnemine proposita, Plenariam scilicet

„ In-

„ Indulgentiam in mortis articulo concedendam non „ esse, nisi his, quorum eximia in Ecclesiam meri„ rita extitissent; ea nimirum de caussa, quod quum „ pro hujusmodi Indulgentiæ consequutione vel nul„ lum omnino opus injungi, vel nonnisi morientis „ statui, & viribus accommodatum imponi possit, „ præterita duntaxat in Ecclesiam merita, cum „ extrema præsenti necessitate conjuncta, locum „ supplere possint aliorum operum, quæ ceteroquin „ ad Plenariam Indulgentiam adipiscendam præscri„ bi solent; nihil profecto esset, cur aliquid nunc a „ Nobis innovando statueretur. Verum Prædecesso„ rum Nostrorum hac agendi ratio, relatæ opinio„ ni contraria dignoscitur. Ut enim multas præte„ reamus concessiones Indulgentiæ Plenariæ morien„ tibus fidelibus indistincte applicandæ, quænam por„ ro, & quam magna in Ecclesiam promerita fuisse „ dicemus eorum, qui quatuor ab hinc sæculis, pe„ stifera lue per Angliam grassante, ex hac vita de„ cedebant? quibus tamen omnibus, dummodo Sa„ cramentaliter confessi, & sacra Communione re„ fecti fuissent, Prædecessores Nostri Clemens Papa „ VI. & Gregorius Papa XI. Benedictionem cum In„ dulgentia Plenaria per Legatos suos impertiri non „ recusarunt. Sed & ipsa Congregatio Indulgentiis „ & Sacris reliquiis præposita jam usque ab anno 1675. „ die 22. Aprilis, re diligenter perpensa, censuit, In„ dulgentiæ Plenariæ largitionem in eos etiam, qui „ singularibus in Ecclesiam meritis nequaquam excel„ lerent, recte & utiliter conferri atque diffundi.

„ Quapropter Apostolicæ charitatis Nostræ viscera „ dilatantes, & tam veteribus, quam recentioribus „ Ecclesiasticæ benignitatis exemplis inhærentes; si„ quidem extat illustre monumentum tertii Ecclesiæ „ sæculi in Epistola Sancti Cypriani; quæ in novis „ Editionibus impressa est *num.* 12. qua scilicet, in „ eorum gratiam, qui Libellos Martyrum obtinue„ rant, & in mortis periculo versabantur; quum ipse „ æstivis ardoribus præpediretur, quo minus, ut opta„ verat, ad eos reconciliandos sese conferre posset; „ permitti ut id, vice sua, a quocumque Presbytero, „ aut etiam Diacono, præstari queat; Novissimis ve„ ro temporibus, ex secunda Mediolanensi Provincia„ li Synodo constat, a felicis recordationis Prædeces„ sore Nostro Gregorio Papa XIII. omnibus Episco„ pis illius Provinciæ concessum fuisse, non solum „ ut ipsi Benedictionem cum Indulgentia Plenaria mo„ ribundis Fidelibus impertiri; sed etiam ut aliis „ hujusmodi facultatem libere subdelegare possent: „ His igitur, aliisque exemplis, nec non rationibus „ superius relatis permoti, hac Nostra perpetuo va„ litura Constitutione novas in hac materia regulas „ præfinire, quodque olim, ut præmisimus, de alte„ rius sententia deliberandum Nobis fuerat, nunc de„ mum de concessa Nobis Apostolicæ potestatis ple„ nitudine absolvere, ac perficere constituimus.

„ Itaque primum volumus atque decernimus, ut „ quæ facultates impertiendi Benedictionem cum In„ dulgentia Plenaria Fidelibus in mortis articulo con„ stitutis, Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Pri„ matibus, Archiepiscopis, & Episcopis nunc existen„ tibus a Nobis, vel a Prædecessoribus Nostris ad hunc „ diem concessæ reperiuntur, licet illæ in consuetis „ Epistolis Secretarii Brevium ad Triennium dun„ taxat, vel alias ad definitum tempus indultæ fue„ rint, nihilominus præsentis Nostræ Constitutionis „ vigore eo usque in suo robore maneant, quoad iidem „ Antistites earum Ecclesiarum atque Diœcesum re„ gimen obtinebunt, quarum favore & intuitu easdem „ facultates a Nobis & ab Apostolica Sede impetra„ runt. Nos enim eas ad omne tempus hujusmodi, „ motu proprio, & authoritate præfata, atque ea„ rundem præsentium Litterarum serie, extendi„ mus, & prorogamus.

„ Utque præterea unusquisque ex Antistitibus præ„ fatis, unum, aut plures pios Sacerdotes sive Sæ„ culares, sive Regulares, prout necessarium fore ju„ dicabunt, eorum Civitatibus subdelegare valeant, „ qui, dum ipsi Antistites aliquo legitimo impedi„ mento detinebuntur, quamvis hujusmodi impedi„ mentum diurno tempore occurrat, eorum vice, Be„ nedictionem hujusmodi cum Indulgentiæ Plenariæ „ applicatione Christifidelibus in præfato articulo „ constitutis impertiantur; aliosque similiter per Diœ„ cesim Sæculares, aut Regulares Sacerdotes, quot„ quot pro numero animarum in Diœcesibus existen„ tium necessarios judicaverint, ad prædictum effe„ ctum deputare & subdelegare possint; nec non eos„ dem ac se deputatos & subdelegatos removere, „ aliosque in eorum locum pro suo arbitrio & pru„ dentia subrogare valeant; iisdem motu, potesta„ te, & tenore, concedimus & indulgemus.

„ Si vero aliquem ex Antistitibus nunc per Eccle„ sias constitutis, & præfata facultate gaudentibus, „ ad aliarum Ecclesiarum regimen Apostolica autho„ ritate transferri contingat; sive aliquis eorum sit, „ quorum favore consuetæ Litteræ Secretarii Brevium „ ad hunc diem expeditæ non fuerint; ac denique „ quum novi Episcopi Catholicis Gregibus in poste„ rum præficientur; volumus, atque statuimus, ut „ singulis eorum hujusmodi facultatem a Nobis, sive „ a Romano pro tempore Pontifice postulantibus, „ Apostolicæ Litteræ in forma Brevis gratis per omnia „ expediantur, quibus prædicta facultas ipsis conce„ datur, non ad Triennium, sed ad omne tempus, „ quo ademptum semel Ecclesiæ regimen obtinebunt; „ adjecta etiam facultate subdelegandi tam pro Civi„ tate, quam pro Diœcesi, non quidem in casu dun„ taxat impedimenti cum nocturno tempore conjun„ cti, sed in omnibus & per omnia ad normam eo„ rum, quæ pro Episcopis nunc existentibus, & In„ dulto hujusmodi actu gaudentibus, supra sta„ tuimus.

„ Insuper pro Prælatis Inferioribus Territorium „ separatum habentibus, cum vera qualitate Nul„ lius, & activa in Clerum & Populum jurisdictio„ ne; quamvis Prædecessores Nostri hanc de præ„ terito consuetudinem non habuerint; nihilominus „ de Apostolica liberalitate, ac simili motu & te„ nore concedimus & indulgemus, ut, si ab ipsis „ hujusmodi facultas petita fuerit, similes Litte„ ræ in forma Brevis in posterum singulis eorum „ expediantur, juxta eandem formam, mutatis mu„ tandis, quam pro Episcopis constituimus; ne ex„ cepta quidem facultate subdelegandi, ut supra; „ dummodo ipsi Prælati hanc gratiam postulantes, „ Apostolicis Litteris Nostris Anno Incarnationis „ Dominicæ 1740. nono Kalend. Decembris datis, „ quarum initium est: *Quod sancta*, impressis in „ Bullario Nostro *Tom. I. num.* 7. obtemperaverint; „ nimirum sacra Apostolorum Limina præscriptis „ temporibus visitaverint, & relationem status Ec„ clesiarum sibi subjectarum Apostolicæ Sedi exhi„ buerint; vel, quatenus Prælationis honorem de „ accipiant, debitum juramentum in memorata „ Constitutione præscriptum antea præstiterint.

„ Dum autem hujusmodi facultatem Episcopis eam
„ actu obtinentibus prorogavimus, & ampliavimus,
„ ut præfertur; ceteris vero tam Episcopis, quam
„ Prælatis Inferioribus in posterum eam petentibus,
„ supradicta forma & amplitudine concedendam fo-
„ re decrevimus; sequitur, ut hujusmodi Indulta
„ nequaquam morte concedentis expirent; quum
„ jurisdictio delegata in iis, quæ non justitiam, sed
„ gratiam concernunt, etiam post obitum delegan-
„ tis manere debeat. Quoniam vero iisdem Episco-
„ pis, & Prælatis permittimus, ut hujusmodi facul-
„ tatem, pro Incolarum Civitatum, Locorum, at-
„ que Diœcesum opportunitate & necessitate, uni
„ vel pluribus Sacerdotibus in posterum subdelegare
„ valeant; statuimus atque decernimus, hujusmodi
„ subdelegationes, per subdelegantis cessum aut de-
„ cessum similiter non expirare; sed potestatem ipsis
„ tributam perseverare usque ad superventum novi
„ Præsulis, cujus arbitrio relinquimus, eosdem in
„ hujusmodi officio confirmare, vel ab eo removere.
„ Atque ita quicumque Antistites memoratam facul-
„ tatem a Romano Pontifice semel obtinuerit, eo de-
„ cedente, opus non habet pro illius confirmatione
„ ad Apostolicæ Cathedræ Successorem recurrere.
„ Sicque etiam cedente vel decedente Episcopo, seu
„ Prælato, a quo eadem facultas in sua Diœcesi aut
„ Territorio subdelegata fuerat, nova concessione
„ opus non erit pro temporaneo Vicariorum Capi-
„ tularium, aut Apostolicorum, regimine; quum
„ Subdelegatorum authoritas semper manere debeat,
„ quamdiu vel Episcopus ipse, aut Prælatus, vel
„ illius Successor eandem ipsis non ademerit.

„ Hac igitur ratione animarum saluti consulentes,
„ quantum Nobis in Domino licuit, piam consue-
„ tudinem applicandi Plenariam Pontificiam Indul-
„ gentiam Ecclesiæ Filiis in mortis articulo consti-
„ tutis, ampliare, & faciliorem reddere curavimus.
„ Permissaque Venerabilibus Fratribus, ac Dilectis Fi-
„ liis, Ecclesiarum Episcopis & Præsulibus, faculta-
„ te alios Sacerdotes ad hunc effectum, tam in Ci-
„ vitatibus, quam in Diœcesibus, subdelegandi, non
„ parum levaminis eorum anxietatibus, & sollicitu-
„ dinibus per Nos allatum esse putamus. Verum-
„ tamen ipsis declaratum volumus, non id proposi-
„ tum Nobis fuisse, ut eos prorsus eximeremus ab
„ hoc paternæ charitatis officio, per seipsos adeundi
„ miseros ægrotos Plenariæ absolutionis in extremo
„ articulo adipiscendæ cupidos; sed ut eorum pieta-
„ tem opportune juvaremus, ne, dum ipsi aliis Pa-
„ storalibus curis detinentur, dolere debeant, com-
„ missos sibi Fideles hoc tanto spirituali beneficio
„ destitutos ex hac vita migrare. Qui vero pium hu-
„ jusmodi opus per semetipsos exercere gaudent (quod
„ sane omnes, quoties legitime impediti non fuerint,
„ facturos esse confidimus), meminerint, non id
„ duntaxat erga nobiliores, & potentes hujus sæ-
„ culi, sed erga pauperes quoque, & abjectæ sortis
„ homines præstandum esse. Qua de re utiliter le-
„ gi poterit Prædecessoris Nostri S. Gregorii Magni
„ Homilia 28. in Evangelia ad *Cap. IV.* Joannis:
„ *Erat quidam Regulus, cujus Filius infirmabatur*
„ *Capharnaum*, in qua mirabilem atque cœle-
„ stem observat amantissimi Redemptoris Nostri JE-
„ SU CHRISTI agendi rationem, qui ad invisen-
„ dum ægrotantem Reguli filium invitatus ire ab-
„ nuit, ad Centurionis Servum nec invitatus iturum
„ se profitetur: *Quid est quod Regulus rogat, ut ad*
„ *ejus filium veniat, & tamen venire recusat; ad*
„ *Servum vero Centurionis non invitatur, & tamen*
„ *se corporaliter ire pollicetur? Reguli filio per cor-*
„ *poralem præsentiam non dignatur adesse; Centu-*
„ *rionis Servo non dedignatur occurrere.*

„ Ut autem Indulgentiæ fructus a Fidelibus in
„ mortis articulo percipiatur, hoc sedulo agendum
„ erit, ut Populus in Sacris Concionibus a Cathe-
„ chesibus frequenter edoceatur, quod iis, qui gra-
„ tiæ Dei, quam in Baptismo acceperunt, ingrati,
„ per actualia peccata Spiritum Sanctum contrista-
„ verunt, & Templum Dei violare non sunt veri-
„ ti, quantumvis æterna supplicia in Pœnitentiæ
„ Sacramento condonata fuerint, nihilominus tem-
„ poralis plerumque pœna Divinæ justitiæ exsolven-
„ da superest, cujus remissio obtinenda est non so-
„ lum per satisfactiones a Sacerdote Confessario in
„ ipso Pœnitentiæ Sacramento pro mensura delicti
„ impositas, aut per Christianam tolerantiam ea-
„ rum adversitatum, a quibus mortalium vita im-
„ munis esse nequit; verum etiam per jejunia,
„ eleemosynas, orationes, & alia pia spiritualis vi-
„ tæ exercitia; Alioquin verendum esset, ne salu-
„ tis remedia ab Ecclesiæ benignitate Fidelibus sup-
„ peditata, paulatim in pravæ libertatis & licentiæ
„ fomentum traherentur; compluribus sibi temere
„ blandientibus de remissione tum sempiternæ
„ pęnæ, per Sacramentalem absolutionem, tum
„ temporalis, per Indulgentiæ Pontificiæ applica-
„ tionem, in exitu vitæ impetranda; neque cogi-
„ tantibus quam incertum sit omnibus non solum
„ qua hora, & quo mortis genere ex hac vita mi-
„ grandum sibi fuerit; sed etiam an Indulgentiam,
„ licet externo ritu sibi applicatam, cum effectu
„ sint percepturi. Præpostera æque ac periculosa
„ antiquis Ecclesiæ temporibus inoleverat consuetu-
„ do, ut non pauci ex iis, qui ad Baptismum no-
„ mina obtulerant, ad finem usque vitæ ipsius Sa-
„ cramenti perceptionem prorogarent, quo scilicet
„ interim ingenio libere indulgerent, ac demum
„ quum e vita discessuri essent, per salutare lava-
„ crum, ab omni culpa, & tam ab æterna, quam
„ a temporali pœna soluti, ad cœleste Regnum re-
„ cta transferrentur; contra quos extant gravissimæ
„ objurgationes Sancti Gregorii Nazianzeni in Ora-
„ tione XL. & Sancti Joannis Chrysostomi in Ho-
„ milia I. super Acta: Sed & Ecclesia Catholica
„ pravam hujusmodi confidentiam improbare se de-
„ claravit, dum eos, qui in mortis periculo Ba-
„ ptismum susceperant, si convaluissent, a Sacris
„ Ordinibus, & ab Officiis Ecclesiasticis arcendos,
„ ac perpetuo irregulares fore decrevit.

„ Et quoniam Sacerdotibus, qui Fideles in extre-
„ mo agone laborantes pie adjuvant, vel Ecclesiæ
„ Sacramenta ipsis ministrant, Rituale Romanum in-
„ jungit, ut si ægrotus Indulgentiam Plenariam legiti-
„ ma authoritate concessam consequi valeat, eam il-
„ li in mentem reducant, proponantque quid ad
„ eam consequendam agere debeat; ex his autem,
„ qui ad hujusmodi statum redacti sunt, alii qui-
„ dem cum plena cognitione integrum loquelæ u-
„ sum retinent, alii vero loquendi facultatem ami-
„ serunt, licet antea sinceræ contritionis indicia
„ dederint, eaque adhuc ratione utentes, identi-
„ dem dare non desinant; Ideo, quo certius prædicti
„ omnes Indulgentiæ fructum consequi valeant,
„ præfatis Sacerdotibus mandamus, ut omni ratione
„ studeant moribundos Fideles excitare ad novos
„ de admissis peccatis doloris actus eliciendos, con-

„ cipien-

„ cipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis af- „ fectus; præsertim vero ad ipsam mortem æquo ac „ libenti animo de manu Domini suscipiendam. „ Hoc enim præcipue opus in hujusmodi articulo „ constitutis imponimus & injungimus, quo se ad „ Plenariæ Indulgentiæ fructum consequendum præ- „ parent, atque disponant. Qua in re author No- „ bis est Sanctus Doctor Augustinus, qui in *Libro XIII. „ de Civitate Dei cap. 6.* postquam horridam mortis „ speciem, eique renitentes hominum animos de- „ scripsit, quodque in aliis suis operibus non semel „ docuerat, mortem nimirum esse peccati originalis „ pœnam, ibi quoque asseruit & confirmavit; hæc „ ad rem nostram apposite subdit: *Quidquid tamen „ illud est in morientibus, quod cum gravi sensu „ adimit sensum, pie fideliterque tolerando, auget „ meritum patientiæ, non aufert vocabulum pœnæ. „ Ita cum ex hominis primi perpetuata propagine, „ procul dubio sit mors pœna nascentis; tamen, si „ proprietate justitiaque pendatur, fit gloria rena- „ scentis; & cum sit mors peccati retributio, aliquan- „ do impetrat, ut nihil retribuatur peccato.*

„ Pro impertienda vero Benedictione Fidelibus in „ mortis articulo constitutis, applicandaque ipsis „ plenaria Indulgentia, quum nulla certa formula „ olim præscripta foret, sanctæ memoriæ Prædeces- „ sor Noster Benedictus Papa XIII. Anno Domini „ 1726. pias quasdam Preces & Orationes ad hunc „ effectum adhibendas publicari mandavit; quarum „ exemplo, in his quæ opportuna judicavimus, in- „ hærentes, aliam de novo formulam, cum his, „ quæ in hac nostra Constitutione præscripta sunt, „ magis congruentem confecimus & instituimus, „ quam ab omnibus in posterum usurpari præcipi- „ mus; Mandantes hoc ipsum inculcari, & injungi „ in Apostolicis Litteris, quæ deinceps pro conces- „ sione prædictæ facultatis Indulgentiæ Plenariæ Mo- „ ribundis impertiendæ, præmisimus, expediendæ „ erunt.

„ Ac decernentes, ipsas præsentes Litteras semper „ validas & efficaces existere, & fore, suosque ple- „ narios effectus perpetuo sortiri, & obtinere, atque „ iis ad quos spectat, seu spectabit in futurum, „ plenissime suffragari: Non obstantibus Apostolicis, „ & in Generalibus, seu Provincialibus, aut Syno- „ dalibus Conciliis editis generalibus, seu specialibus „ Constitutionibus, ac quibuscumque contrariis, et- „ iam Congregationum S. R. E. Cardinalium, De- „ cretis & Resolutionibus, etiam Apostolica autho- „ ritate approbatis, roboratis, & pluries confirma- „ tis; usibus quoque, stilibus, & consuetudinibus, „ etiam immemorabilibus: Quibus omnibus & sin- „ gulis, ad præmissorum effectum, motu, scientia, „ & potestate præfatis, amplissime derogamus, a- „ liisque contrariis quibuscumque.

„ Volumus autem, ut earundem præsentium tran- „ sumptis, sive exemplis, etiam impressis, manu „ Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in „ dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem „ ubique fides habeatur, quæ ipsis præsentibus ha- „ beretur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

„ Formula igitur, quam pro impertienda Benedi- „ ctione, & Plenaria Indulgentia moribundis Fide- „ libus applicanda, ut præfertur, in posterum adhi- „ bendam esse præscripsimus, talis est:

M O D U S
A SANCTISSIMO D. N.
BENEDICTO PAPA XIV.

approbatus,

pro opportunitate temporis servandus, ut infra in Rubricis notatur, ad impertiendem Benedictionem in Articulo mortis constitutis, ab his, qui facultatem habent a Sede Apostolica delegatam.

„ *Benedictio in Articulo mortis cum soleat imper- „ tiri post Sacramenta Pœnitintiæ, Eucharistiæ, „ & Extremæ Unctionis illis Infirmis, qui vel illam „ petierint, dum sana mente, & integris sensibus „ erant, seu verisimiliter petiissent, vel dederint si- „ gna contritionis; impertienda iisdem est, etiamsi „ postea linguæ, ceterorumque sensuum usu sint de- „ stituti, aut in delirium, vel amentiam inciderint. „ Excommunicatis vero, Impœnitentibus, & qui in „ manifesto peccato mortali moriuntur, est omnino „ deneganda.*

„ *Habens prædictam facultatem, ingrediendo cu- „ biculum ubi jacet Infirmus, dicat;* Pax huic Do- „ mui &c. *ac deinde Ægrotum, cubiculum, & circum- „ stantes aspergat aqua benedicta, dicendo Antipho- „ nam:* Asperges &c.

„ *Quod si Ægrotus voluerit confiteri, audiat il- „ lum, & absolvat. Si Confessionem non petat, ex- „ citet illum ad eliciendum actum contritionis; de „ hujus benedictionis efficacia, ac virtute, si tempus „ ferat, breviter admoneat; tum instruat; atque hor- „ tetur, ut morbi incommoda ac dolores in anteactæ „ vitæ expiationem libenter perferat, Deoque sese pa- „ ratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei „ placuerit, & mortem ipsam patienter obeundam in „ satisfactionem pœnarum, quas peccando promeruit. „ Tum piis ipsum verbis consoletur, in spem erigens „ fore, ut ex divinæ munificentiæ largitate eum pœ- „ narum remissionem, & vitam sit consecuturus æ- „ ternam. Postea dicat:*

℣. Adjutorium nostrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit cœlum, & terram.

Antiphona. Ne reminiscaris Domine delicta Famuli tui (*vel* Ancillæ tuæ) neque vindictam sumas de peccatis ejus.

Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison.
Pater noster &c.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos a malo.
℣. Salvum fac Servum tuum (*vel* Ancillam tuam, *& sic deinceps.*)
℟. Deus meus sperantem in Te.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

O R E M U S.

„ Clementissime Deus, Pater misericordiarum, & „ Deus totius consolationis, qui neminem vis „ perire in te credentem, atque sperantem; secun-

,, dum multitudinem miserationum tuarum respice
,, propitius Famulum tuum N. quem tibi vera Fi-
,, des, & Spes christiana commendant. Visita eum
,, in salutari tuo, & per Unigeniti tui Passionem,
,, & Mortem, omnium ei delictorum suorum remis-
,, sionem, & veniam clementer indulge, ut ejus a-
,, nima in hora exitus sui Te Judicem propritiatum
,, inveniat, & in sanguine ejusdem Filii tui ab o-
,, mni macula abluta, transire ad vitam mereatur
,, perpetuam. Per eundem Christum Dominum no-
,, strum.

,, *Tum dicto ab uno ex Clericis adstantibus* Confi-
,, teor &c. *Sacerdos dicat* Misereatur &c. *deinde*:

,, Dominus Noster Jesus Christus Filius Dei vi-
,, vi, qui Beato Petro Apostolo suo dedit potestatem
,, ligandi, atque solvendi, per suam piissimam mi-
,, sericordiam recipiat Confessionem tuam & resti-
,, tuat tibi stolam primam, quam in Baptismate re-
,, cepisti; Et Ego facultate mihi ab Apostolica Sede
,, tributa, Indulgentiam plenariam & remissionem o-
,, mnium peccatorum tibi concedo. In nomine Pa-
,, tris &c.

,, Per sacrosancta humanæ reparationis mysteria,
,, remittat tibi omnipotens Deus omnes præsentis, &
,, futuræ vitæ pęnas, Paradisi portas aperiat, & ad
,, gaudia sempiterna perducat. Amen.

,, Benedicat te Omnipotens Deus, Pater, Filius,
,, & Spiritus Sanctus. Amen.

,, *Si vero Infirmus sit adeo morti proximus, ut ne-*
,, *que Confessionis generalis faciendæ, neque præmissa-*
,, *rum precum recitandarum tempus suppetat, statim*
,, *Sacerdos benedictionem ei impertiatur.*

,, Nulli ergo omnino hominum liceat paginam
,, hanc Nostram confirmationis, prorogationis,
,, ampliationis, & concessionis, mandatorum, sta-
,, tutorum, decretorum, ac derogationum infringe-
,, re, vel ei ausu temerario contraire: Si quis au-
,, tem hoc attentare præsumpserit, indignationem
,, Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli A-
,, postolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ 1747. Nonis Aprilis, Pontificatus Nostri Anno septimo.

§. II.

BENEDICTI XIII. CONSTITUTIO.

BENEDICTUS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

,, INjunctæ nobis divinitus Apostolicæ servitutis ra-
,, tio postulat, ut cęlestium munerum thesauros
,, dispensationi nostræ a Domino creditos fideliter
,, erogemus, cum id ad augendam in terris Beatis-
,, simæ, atque Augustissimæ Cęli Reginæ Virginis
,, Deiparæ Mariæ, Patronæ, & Advocatæ nostræ ve-
,, nerationem, excitandamque, & confovendam erga
,, illam Fidelium devotionem, ac ad animarum sa-
,, lutem speramus in Domino profuturum: Itaque
,, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum
,, Petri, & Pauli Apostolorum ejus authoritate confi-
,, si; omnibus, & singulis Christi fidelibus vere pę-
,, nitentibus, & confessis, ac sacra Commnnione re-
,, fectis, qui mane, aut meridie, seu vespere ad pul-
,, sum Campanæ: *Angelus Domini nunciavit Mariæ,*
,, *& concepit de Spiritu Sancto: Ecce Ancilla Domi-*
,, *ni, fiat mihi secundum Verbum tuum: Et Verbum*
,, *Caro factum est, & habitavit in nobis, cum tri-*
,, *bus Ave Maria* flexis genibus devote recitaverint
,, & pro Christianorum Principum concordia, hære-
,, sum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ e-
,, xaltatione pias ad Deum preces effuderint, Ple-
,, nariam in uno die cujuslibet mensis dumtaxat
,, per unumquemque Christi fidelem ad sui libitum
,, eligendo, lucrifaciendam, omnium peccatorum
,, suorum Indulgentiam, & remissionem misericor-
,, diter in Domino concedimus. In reliquis vero
,, anni diebus iisdem Christi fidelibus vere contritis
,, quoties id egerint centum dies de injunctis eis,
,, seu alias quomodolibet debitis pęnitentiis in for-
,, ma Ecclesiæ consueta relaxamus; Præsentibus per-
,, petuis futuris temporibus valadituris. Volumus
,, autem, ut earundem præsentium litterarum tran-
,, sumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu
,, alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo per-
,, sonæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis,
,, eadem prorsus fides ubique habeatur, quæ ipsis
,, præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel o-
,, stensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 14. Septembris 1724. Pontificatus Nostri Anno primo.

E. Cardinalis Oliverius.

SYL-

SYLLABUS QUÆSTIONUM,

Et eorum, quę in Quęstionibus continentur.

QUÆSTIO I. *Quid, & quotuplex sit, & quid contineant Jubilæum?* pag. 13
ART. I. *Quomodo describi possit Jubilæum?* ibid.
ART. II. *Quotuplex sit, quonam ritu, & quanam de causa indicatur Jubilæum?* ibid.
ART. III. *Quid contineat, conferat, exigat, auferat Jubilæum?* 14
QUÆSTIO II. *Strictene, an late interpretanda sit Bulla Jubilæi?* 15
ART. I. *Strictene, an late interpretanda sit Bulla Jubilæi relate ad Indulgentiam?* ibid.
ART. II. *An Bulla Jubilæi quoad facultates in ea contentas stricte interpretanda sit?* 16
ART. ULT. *Ex Doctrina præjacta plurimæ difficultates resolvuntur.* ibid.
QUÆSTIO III. *An Probabilitas Opinionis conferat ad realem Jubilæi acquisitionem?* 18
ART. I. *An satis sit Opinio Probabilis ad Indulgentiam lucrandam?* ibid.
ART. II. *An sufficiat Opinionum Probabilitas ad obtinendos favores Jubilæi?* 19
ART. III. *Sitne probabile, in Jubilæo Anni Sancti, præter Indulgentiam Plenariam, alios etiam favores concedi?* 21
QUÆSTIO IV. *De suspensione Indulgentiarum, & aliarum Facultatum durante Jubilæo Anni Sancti.* 23
ART. I. *Utrum Indulgentiæ non Plenariæ, & Stationum suspendantur?* ibid.
ART. II. *Quænam Indulgentiæ concedantur visitantibus Septem Urbis Ecclesias?* 24
ART. III. *An suspendantur Indulgentiæ Bullæ Cruciatæ?* 25
ART. IV. *Utrum Indulgentiæ pro Mortuis, & pro Moribundis suspendantur?* ibid.
ART. V. *Quænam aliæ Indulgentiæ probabiliter non suspendantur?* 26
ART. ULT. *Quænam Facultates Anno Jubilæi pariter suspendantur?* 27
QUÆST. V. *De Indulgentia Jubilæi. Ubi plurima de Indulgentiis universim.* 28
ART. I. *Quænam Pęna per Indulgentiam remittatur?* ibid.
ART. II. *An immunis sit a Pœnitentia Sacramentali, qui Indulgentiam Plenariam lucratus est?* 29
ART. III. *Utrum Indulgentia sit solutio, an Absolutio?* 30
ART. IV. *Utrum Potestas concedendi Indulgentias sit Ordinis, an Jurisdictionis?* 31
ART. V. *Quibusnam, & quo Jure competat Potestas concedendi Indulgentias?* 32
ART. ULT. *Quænam causa requiratur ad Indulgentias concedendas?* 33
QUÆSTIO VI. *De Dispositione ad Jubilæum lucrandum requisita.* 34
ART. I. *Quinam sint Jubilæi capaces?* ibid.
ART. II. *An, & quando peccatum sive mortale, sive veniale impediat indulgentiarum consecutionem?* 35
ART. III. *An recedente fictione, seu peccati obice, Indulgentia reviviscat?* 37
ART. IV. *Quænam Intentio ad Indulgentiam lucrandam requiratur?* ibid.
ART. V. *An pro mensura dispositionis subjecti Indulgentia conferat effectum suum?* 38
ART. ULT. *Possitne quis pluries idem Jubilæum lucrari?* 39
QUÆSTIO VII. *De Personis impeditis, quæ adhuc possunt Jubilæum lucrari.* 40
ART. I. *Quænam veniant nomine Sanctimonialium, & quinam nomine Eremitarum?* ibid.
ART. II. *Quinam in Bulla veniant nomine Carceratorum, & Infirmorum?* 41
ART. ULT. *An æque mereantur accedentes ad Urbem ad Jubilæum lucrandum, ac Impediti, si per ipsos non stet, quominus accedant?* 42
QUÆSTIO VIII. *De operibus pro Jubilæo injunctis.* 44
ART. I. *An opera alias debita sufficiant pro Jubilæo assequendo?* ibid.
ART. II. *Quandonam possint impleri Opera pro Jubilæo injuncta?* 45
ART. III. *An Confessio ad Jubilæum assequendum sit simpliciter necessaria?* 47
ART. IV. *De Communione in Jubilæo requisita.* 49
ART. V. *De Visitatione Ecclesiarum, & Oratione in iis facienda.* 50
ART. VI. *De Eleemosyna.* 51
ART. ULT. *De Jejuniis pro Jubilæo assequendo præscriptis.* 52
QUÆSTIO IX. *De facultate eligendi Confessarium tempore Jubilæi.* 54
ART. I. *An Regulares possint Jubilæi tempore Confessarium extra Religionem eligere?* ibid.
ART. II. *An Moniales eligere possint quemcunque ab Ordinariis approbatum?* 55
ART. III. *A quonam Episcopo approbari debeat Confessarius eligibilis vi Jubilæi?* 57
ART. IV. *Quinam alii præter approbatos ab Ordinario possint eligi in Confessarios?* 58
QUÆST. X. *De Potestate Confessarii in ordine ad Censuras, durante Jubilæo.* 60
ART. I. *An possit Jubilæi tempore tolli Irregularitas ex delicto?* ibid.
ART. II. *An Absolutio a Censuris tempore Jubilæi absque prævia Partis satisfactione sit invalida?* 61

ART. III. *An possit aliquando prodesse pro foro externo Absolutio a Censuris collata virtute Jubilæi?* 63
QUÆSTIO XI. *De Facultate Confessarii Jubilaris circa reservata.* 64
ART. I. *Utrum Facultas absolvendi a Casibus Bullæ Cœnę se extendat ad Heresim.* ibid.
ART. II. *An Facultas absolvendi a Reservatis Sedi Apostolicę ferat Facultatem absolvendi etiam a Reservatis Ordinariis locorum?* 66
ART. III. *Non leves quęstiones ex prejactis resolvuntur.* 67
ART. IV. *An absolutus vi Jubilęi a peccatis, quorum meminit, remaneat liber a Reservatione oblitorum?* 68
ART. V. *Utrum peccet, qui virtute Jubilęi obtinuit Absolutionem a Reservatis, & deinde non impłet opera injuncta?* 69
ART. ULT. *An per Confessionem invalidam tollantur Censurę, & peccatorum Reservatio?* 70
QUÆSTIO XII. *De Potestate Confessarii Jubilaris in ordine ad Vota.* 72
ART. I. *Quousque se extendat Facultas commutandi Vota tempore Jubilęi.* ibid.
ART. II. *De Commutatione Votorum Castitatis, & Religionis.* ibid.
ART. ULT. *Expediuntur reliqua ad Votorum commutationem spectantia.* 75
QUÆSTIO ULTIMA. *De Notificatione Gratiarum, & Declarationum a Clemente X. factarum occasione postremi Anni Jubilaris.* 77
ART. I. *Utrum Notificatio Clem. X. locum habeat pro imminente Rom. Jub. Ann. 1700.* ibid.
ART. II. *Subjicitur Tenor hujus Notificationis prę manibus habendę.* 79

APPEN-

APPENDIX INDULGENTIARUM;

Quas facili negotio lucrari poterunt Christifideles, ac præsertim Regulares, & Moniales habentes Privilegiorum communicationem.

Prænontantur, quæ valde conferunt ad fundandam plurimarum Indulgentiarum probabilitatem. §. 1. *pag.* 82.
Recensentur Plenariæ Indulgentiæ, quas facile omnes nancisci poterunt. §. 2. *pag.* 84.
De Plenariis Indulgentiis, quæ sunt Regularium propriæ. §. 3. *pag.* 85.
De Indulgentiis, quæ ab Discipulos Patrum Societatis Jesu, atque ad Sodales spectant. §. 4. ibid.
Indulgentiæ non Plenariæ præcipuæ, ac obviæ omnibus communes. §. *ult.* 86.

Sit autem hic hujus Opusculi (sed ob ubi Æternitatis!)

FINIS.

Laus Deo, & B. Virg. sine labe Conceptæ.

A. M. D. G.

TRUTINA
THEOLOGICA
THESIUM
QUESNELLIANARUM
P. DOMINICI VIVA

SOCIETATIS JESU.

Tom VIII

QUESNELLIANÆ THESES A SS. D. N. PAPA CLEMENTE XI. CONFIXÆ,

Ad Theologicam Trutinam revocatas juxta pondus Sanctuarii.

AUCTORE

P. DOMINICO VIVA

SOCIETATIS JESU

Sacræ Theologiæ Exprofessore in Collegio Neapolitano ejusdem Societatis.

TOMUS TERTIUS TRUTINÆ THEOLOGICAE PARS QUARTA.

ADCEDUNT IN HAC NOVISSIMA EDITIONE

FRANCISCI ANTONII ZACHARIÆ S. J.

Bibliothecæ Estensi Præfecti, ac Socii Litterariæ Ecclesiasticæ Societatis Lucensis, & Auximatis

LUCULENTISSIMÆ ANIMADVERSIONES,

In quibus Romanorum Pontificum, & præsertim BENEDICTI XIV. Decreta ad Moralem Theologiam pertinentia suis locis inseruntur; Auctoris sententiæ, aut explananturr, aut confirmantur, aut a DANIELIS CONCINÆ, JOH. VINCENTII PATUZZII, aliorumque criminationibus strenue vindicantur; ac præcipua, quæ ad Jansenianam & Quesnellianam hæresim spectant, Epistolarum, & Decretorum monumenta Constitutionis UNIGENITUS illustrandæ causa in medium adferuntur.

FERRARIÆ,

MDCCLVII.

SUMPTIBUS REMONDINIANIS.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Eminentiss. ac Reverendiss. Principi

G E O R G I O

Tit. SS. XII. Apostolorum S. R. E.

CARDINALI CORNELIO

Episcopo Patavino, Comiti Saccensi, &c.

Eminentissime, ac Reverendissime Princeps:

CUM Theses illas Quesnellianas, quibus peculiari diplomate SS. D. N. CLEMENS XI., pro sua erga Gregem sibi demandatum providentia, & pastorali solicitudine, mature occurrendum putavit, ne forte lues, quæ inde erumpebat, paulatim serperet, manaretque in dies latius, cum Theses, inquam, illas confutandas, oppugnandasque suscepissem, susceptumque opus festinanter scilicet, neque ita pridem absolutum esset, hanc Tibi Confutationem non sine quadam audacia mittere meditabar; Tua tamen fretus benignitate jam mitto, PRINCEPS EMINENTISSIME: si tamen mitti dicenda est, quæ sponte sua venit, Tibique ultro se ipsa sistit, ut in lucem antequam prodeat, tui Nominis splendore illustretur. Deliberandum enimvero diu non fuit cuinam potissimum e tot Principibus Viris, quorum nomine, ac dignitate maxime celebratur Italia, nuncupanda foret: id quippe cogitanti unus occurrebas mihi, cui nuncupationem operis hujus a me deberi jure ac merito intelligerem. Cum enim Scriptoribus duæ omnino sint causæ, cur suis quisque lucubrationibus in lucem edendis Amplissimorum Virorum nomen inscriptum velit; altera quidem, ut suum erga illos cultum, atque observantiam declarent; altera vero, ut sibi, suoque Operi Patronos illos adsciscant, utraque

scili-

ſcilicet impellebar ego, ut hanc meam Antiqueſnellianam Trutinam Tibi uni ſacrarem. Nam ad primam quod attinet, cuinam diſſertationes hæ Theologicæ debentur potius, quam Tibi, PRINCEPS EMINENTISSIME, in quem unum ea congeſta ornamenta ſunt omnia, quæ vel ſigillatim ſi ſpectemus, hoc qualecumque obſequium, atque obſervantiam meam ſuo ſibi jure videntur ſingula poſtulare? In Te avita ſplendet generis claritas, quam Romanæ Corneliorum genti refers acceptam; in Te illa ſuſpicitur Dignitas, quæ omnium in terris longe Maximæ accedit proxima; in Te colitur Epiſcopalis Poteſtas, cui ſubeſt Patavina iſta Eccleſia, & antiquitatis laude, & Sanctiſſimorum Antiſtitum ſplendore clariſſima; in Te demum & ſingularis quædam mentis perſpicacia, & rerum maximarum uſus, & Scientiarum, & Virtutum omnium præſtantiſſima quæque ornamenta præclaro fœdere conjunguntur: quæ quidem tot, tantaque ſunt, ut ea pro dignitate laudare ſi velim, nullus omnino futurus ſit modus. Illud vero, ne ingrati animi vitio laborare videar, tacitus præterire non poſſum, quod peculiari quodam nomine hoſce meos quantuloſcumque labores ſibi vendicat: illud, inquam, ſingulare ſtudium, egregiam illam voluntatem, ac beneficentiam, qua Societatem JESU, meam ſcilicet Parentem, ſemper proſecutus es, porroque proſequeris. Hanc enim in tota ditione tua apprime foves ac protegis; hujus Filios, perinde ac ſi eſſent tui, benigne accipis, & amplecteris, quorum opera cum ad Animarum ſalutem, Divinæque gloriæ amplificationem clementiſſime uteris, eorum ſtudia præclara vehementius incendis. Qua quidem in re quanquam animi tui propenſio quædam in nos eximia Societatem hanc noſtram mirum in modum commendet, longe major tamen e benigniſſimo tuo de nobis (quicunque tandem ſumus) eodemque graviſſimo judicio eidem commendatio accedit. Is quippe es, PRINCEPS EMINENTISSIME, qui ut beneficia largiſſime conferas, non prodigis tamen, cum antequam conferas, quid, cuique conferas diligenter expendas; nec prius quempiam ornes quam probes, ut idem omnino ſit a Te ornari, & commendari, patrociniumque tuum ſit bonæ cauſæ argumentum. Hinc Societatem univerſam novo tibi jure devinctam, atque obæratam habes, quippe quam non amore ſolum amplecteris, ſed ſapientiſſimo etiam judicio tuo exiſtimationem illi apud cæteros concilias: cum apud omnes maximi momenti ſit judicium tuum, tuaque Auctoritas perinde habeatur ac Veritas. Quare optimo jure a me, qui Societatis ut ſim minimus, conor tamen pro modulo meo non ingratus eſſe Filius, hoc qualecumque Opus tibi dicatum habes, tuæque, ut ita dicam, Aræ, tamquam Votivam Tabellam, affixum, quod multis quidem de cauſis, præcipue tamen tuæ in nos beneficentiæ nomine debetur.

De altera vero, quæ nobis eſt cauſa, ut Viris ampliſſimis libros noſtros conſecremus, nihil eſſe cenſeo, quod longiorem poſtulet orationem. Quem enim ego mihi Mæcenatem alium adſciſcerem, a quo majus & mihi, & operi meo præſidium ſperarem ac decus? Equidem ſi de Patrono deligendo diu multumque mecum cogitare, remque omnem in deliberationem adducere vellem, quocumque verterem me, ad Te tandem reverti, tandem in Te uno conquieſcere deberem: in quo videlicet omnia eaque præſtantiſſima reipublicæ litterariæ præſidia parata eſſe video, quæ vel a natura, vel a fortuna, vel a virtute proficiſcuntur. Ab ea quippe, quæ tibi naturaliter indita eſt, in litteras propenſione habes ut velis, a florentiſſima fortuna ut poſſis, ab eximia virtute ut gaudeas litteris, ac Litte-

tera-

teratis esse Patrocinio , præsertim ubi Litteratorum Patrocinium cum Orthodoxæ Fidei causa sit conjunctum, ut certe illud conjunctum erit Patrocinium , quod mei , meorumque laborum humanissime suscipies . Nam Operis argumentum (ut de eo pauca dicam) neque profanum est , neque ignavum , sed quantumquantum est , totum Sacrum , & pugnax , totum ex intimis Polemicæ Theologiæ penetralibus erutum , ac depromptum ; eaque de causa te Patrono dignissimum . Neque enim eo scribo , ut mihi nomen aliquod , aliis aliquid fortasse oblectationis quæram , sed ut communi utilitati censum meum quantumvis tenuem , & exiguum conferam : uni quippe huic inservire semper mihi cordi fuit , ac pro ea non hunc dumtaxat laborem , utut periculi plurimum eidem insit , & aleæ , & ultro suscipio , & aliis obviam ire non detrecto . Quod quidem in omnibus meis elucubrationibus pro modulo meo conatus sum , & in hac ipsa ita conor , ut si minus assequar quod contendo , contendisse tamen præclarum mihi putem , ac jucundum . Verum nolim equidem aliter hæc a quopiam accipi , atque ego sentio , perinde quasi aut mihi , aut aliis proscriptarum jam Thesium sensa pervestiganda putem , antequam Sedis Apostolicæ Auctoritati , pro eo ac decet Catholicum hominem , pareamus . Sentio enim ego , PRINCEPS EMINENTISSIME , quod qui recte sapit quisque sentit ; sentio , inquam , eas nulla disquisitione adhibita rejiciendas esse omnino , atque execrandas . Numquam ego aut me , aut alium quempiam eatenus tantum Pontificiæ Auctoritati , hoc est Divinæ , addictum velim , ut Sanctissimis ejus Sanctionibus , nonnisi præmissa expositione , fidem exhibeat . Præpostera est isthæc credendi ratio , nec obedientis animi , sed arrogantis , qui fidem non debeat , sed sibi plus æquo postulet . Ex iis nos velim esse , atque haberi , qui captivantes intellectum in obsequium Christi , quod minime intelligunt , maxime credunt : tum fidem consequente intelligentia , quod modo non intelligendo crediderant , nunc credendo intelligunt . Ita profecto comparatum est a Divino Spiritu , sapienterque institutum , ut post Fidei donum dono Sapientiæ instruamur , ut sciamus , quæ a Deo donata sunt nobis . Quo quidem fiet , ut & nobis nostram gratulemur fidem , & aliis , si qui sunt , suam exprobremus arrogantiam , sive absurdam , ac præposteram credendi rationem . Patere itaque , PRINCEPS EMINENTISSIME , patere , inquam , ut hoc qualecumque Opus sub inclyti tui Nominis umbra , seu luce verius appareat , & si nihil aliud me nisi Orthodoxæ Fidei causa in his dissertationibus meis agere intelligis , pro illo singulari studio , quo Catholicam Religionem tueris , ac foves , Opellam hanc , quæ tuam se in tutelam conferre gestit , qua soles humanitate suscipe , quo potes patrocinio tuere . Sic enim fiet , ut me , & Societatem universam novo hoc nomine devinctam habeas ; & ad præclara tua in Christianam rempublicam merita hoc tuo facto nonnihil accedet .

Eminentiæ tuæ

Humillimus , Addictiss. & Obsequentiss. Serv.
Dominicus Viva e Societ. Jesu .

MONI-

MONITUM
AD
LECTOREM.

Primæ Editioni præfixum.

TAndem aliquando, Superis annuentibus, datum eſt mihi, Amice Lector, Trutinam hanc Antiqueſnellianam jampridem ab Auctore elucubratam, & communibus exoptatam votis, e meis Tibi typis exhibere, Illud oro, obteſtorque, ut ſi nonnulla obrepſerint menda, ea benigne condones: Siquidem in hujus Operis editione a mea Typographia longe abſuit Auctor, nec integrum ei fuit Autographum tranſmittere, prout opus erat, perpolitum. Miraberis profecto, quod Opus jampridem elaboratum non fuerit ad limam accuratius revocatum, & numeris omnibus abſolutum. Sed mirari deſinas. Auctor expendendis, & confutandis proſcriptis Theſibus aſſuetus, (quod ex primo Theologicæ Trutinæ damnatarum Theſium tomo ab eodem conſcripto facile eſt dignoſcere) ut primum accepit Pontificio diplomate unam, & centum Queſnelli Theſes de Vaticani Cœlo fuiſſe tactas, & anathemate fulguritas, zelo, quo flagrat, incenſus, hanc etiam ſpartam adornare, illaſque ſuis rationum momentis perpendere, ac rejectare meditabatur. Curæ tamen non leves, quibus id temporis ex Moderatorum ſuorum juſſu diſtinebatur, Studiis hiſce operoſiſſimis animum adjicere non ſinebant. Ubi tamen compertum fuit, nonnullos in Gallia, etiam infulatos, per ſummam Sanctæ Sedis injuriam Conſtitutioni huic Pontificiæ ſubſcribere renuiſſe, donec de intelligentia Theſium confixarum certiores redderentur, acrioribus ad tantum Opus aggrediendum ſtimulis concitatus fuit, non quaſi vero ſpes inde affulgeret, ut Refractarii ad bonam frugem revocarentur, (quis enim id ab iis ſperet, qui intellectum in obſequium Pontificis e Cathedra loquentis captivare dedignantur?) ſed ut docibiles Eccleſiæ filios Controverſiis hiſce non plene inſtructos, ac Tyrones Theologos de Theſium iſtarum fucata falſitate edoceret, ne faciles præberent aures hoſtibus tendentibus inſidias. Propterea quamvis extraneis circumſeptus curis, manum tabulæ admovit, ſedulam adeo navando operam, ut nocturnas perſæpe e ſomno horas eriperet, cum non liceret uti diurnis. At intenſiſſimum ſimul, ac diuturnum laborem imbecillitas humana diu ferre non valuit, quinimmo dum ad exitum calcaribus admotis properaret, ita labori ſuccubuit, ut bis apopleticis inſultibus graviora minitantibus correptus fuerit. Qua de cauſa Archiatri, amicorumque conſiliis morem gerere oportuit, & ab omni prorſus ſtudio aliquantiſper ſuperſedere, donec affectæ vires inſtaurarentur. Viribus autem vix refectis finem Operi utcumque impoſuit, quin tamen ad limam revocaverit; quandoquidem juſtis de cauſis Operis editio differenda erat, donec omnes in Gallia Conſtitutioni ſubſcriberent, quod mox affuturum credebatur.

Interea loci, dum inſtanter, pugnaciterque Queſnellianarum Theſium explanatio ab ipſomet Pontifice facienda ad eluſionem, non ad elucidationem ab iis expoſceretur, qui Conſtitutioni ſubſcribere renuebant, nec Pontifici liceret petitioni huic, utpote Sanctæ Sedi graviter injurioſæ, ullatenus annuere, operæ pretium duxit Auctor ſuam Theſibus uſquequaque profligatis Anacephalæoſin annectere, qua paucis palam fieret, nulla illas explanatione Pontificia indigere, cum germanus verborum ſenſus omnes, & ſingulas ſua cenſura digniſſimas abunde proderet. Hujuſcemodi conſilium ad rem maximopere conducere omnibus viſum eſt. Cum vero ſpes illa exoptatæ, ac expectatę ſubſcriptionis tamdiu inaniter omnes lactaſſet, nec aliud Gallia, niſi verba daret, communi ſuffragio judicatum eſt, nihil eſſe cauſæ, cur editio hujus Antiqueſnellianæ Trutinæ diuturnius protraheretur. Facta proinde poteſtas Auctori fuit illam evulgandi. Quod ubi innotuit, ecce tibi non pauci illum conveniunt, ut illico nulla interpoſita mora Autographum pręlo committeret, quamvis extrema illi manus non eſſet impoſita; Specialis quippe ſedulitas eorum, qui typis corrigendis præſunt, facili negotio expolire poſſet quicquid in operis elucubratione nocturnis ſæpe, ac ſucciſivis horis feſtinans calamus neglexit. Hiſce amicorum votis reluctari non licuit, præſertim ubi Eminentiſſimum Urſinum jampridem Mecænatem ſuum (quem duntaxat nominaſſe, in Cœlum ſummis laudibus extuliſſe eſt,) non ſuaſorem modo, ac impulſorem Auctor habuit, ſed etiam, quod miram ejus benignitatem ſummopere commendat, inſueta dignatione Cenſorem pariter, & Approbatorem. Nec defuerunt humaniſſima zelo efferveſcentis Eminentiſſimi Pignatelli imperata, (cujus etiam commemorato nomine excelſum Eccleſiaſticæ Purpuræ faſtigium audientis animo oboritur) quomodo autem ea præterire poterat, qui tot nominibus ſe ei obæratum profitetur? Verum quia quantaquanta ſit Correctoris ſedulitas, mendis omnibus expurgare typos vix unquam datur; quid, oro, in hoc volumine expectandum erit, in cujus editione & Auctoris præſentia, & characterum perſpicuitas, & coronis Operis deſideratur?

Accedit, quod Auctor, tum ut quantocyus zelo, quo incenditur, ac amicorum votis faceret ſatis, tum etiam ut dilucide, quoad ejus fieri poſſet, ea exponeret, quæ acrem ipſam Theologorum aciem obtundunt, obviis Scholaſticorum phraſibus uſus eſt, nec puduit illum etiam aliquando veluti ad Barbariſmos deſcendere, ubi ad elucidationem rei arcanæ, ac ſublimis intelligentiæ id expedire videbatur; Auguſtini veſtigia ſequutus, qui in Expoſitione Pſalmi 138., ne Os pro Oſſe ſumptum, & Os pro Ore confunderentur, barbariſmo illo uſus eſt, dicendo Oſſum, ubi de oſſe loquebatur, perſpicuitati magis conſulens, quam elegantiæ ſermonis, hæc ſcribens ſuo Auctore digniſſima: *Habeo in abſcondito quoddam Oſſum; Sic enim potius loquamur: Melius eſt, ut reprehendant nos Grammatici, quam non intelligant populi*. Propterea hac etiam de cauſa plurima erant in Autographo corrigenda, varianda, expolienda, contrahenda, ac magis firmanda, ſi per tempus licuiſſet; quæ ſane omnia in Auctoris abſentia præſtari ab aliis minime poterant, utut libera iis poteſtas facta fuiſſet. Quare ſicut Auctori condonandum, quod bono publico id Operis exhibuerit, quamvis nondum incudi redditum; ita condonandum mihi, quod præter hujus Typographiæ morem nonnulla in eo cudendo neglexerim, nec illud a mendis omnino expurgare potuerim, cum & ipſe ad feſtinandum tum Auctoris literis fuerim compulſus, tum etiam precibus eruditorum. Quod ſi hic etiam alter Theologicæ Trutinæ tomus iterum iterumque prælo ſubjiciendus ſit, prout in obſequium Orthodoxarum veritatum ſpero affuturum, tunc meæ profecto partes non deſiderabuntur. Vale.

Hactenus in prima Editione ad Lectorem Typographus, cui illico altera Neapolitana ſucceſſit; huic Tertia Beneventana, & demum quarta Patavina. In hac

poſtrema Auctor operæ pretium cenſuit nonnulla aut adjicere, aut nonnihil immutare, ut magis rationum efficacitati, ac perſpicuitati conſuleret. Typographus inſuper non exiguam diligentiam adhibuit, ut ab iis, quibus prima editio ſcatebat, mendis ac maculis expurgaret. Nos vero in hac noſtra adornanda illam utpote cæteris præſtantiorem omnino ſecuti ſumus. Præterea ut majorem quamdam operi perfectionem tribueremus, nonnullas adjecimus Animadverſiones Clariſs. viri P. Franciſci Antonii Zachariæ Eſtenſium Principum Bibliothecæ præfecti, qui præter cætera non pauca protulit Eccleſiaſtica Monumenta ad Queſnelli errores pertinentia, ex quibus & hæretici hujus fraudes, & Romanæ Eccleſiæ in tuendis catholicis Dogmatibus conſtantia liquido innoteſcit.

JACOBUS PERRECA
Præpoſitus Provincialis
SOCIETATIS JESU
In Regno Neapolitano.

CUM Librum, cui titulus: *Trutina Theologica Queſnellianarum Theſium, Tomus Secundus, Pars Quarta*, a P. Dominico Viva Societatis noſtræ Sacerdote conſcriptum, aliquot ejuſdem Societatis Theologi, quibus id commiſſum fuit, recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint; poteſtate ab Adm. Rev. P. Noſtro Michaele Angelo Tamburino Præpoſito Generali nobis tradita, facultatem concedimus, ut typis mandetur, ſi ita iis, ad quos pertinet, videbitur. In quorum fidem has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Societatis noſtræ munitas dedimus.

Neapoli die 25. Auguſti 1716.

Jacobus Perreca.

PROOEMIUM,

In quo de Appellatione ad futurum Concilium.

QUam luculenter, ac diserte Supremus Hierarcha, & quanta Assistricis Sapientiæ facundia in nupero diplomate ingenti Christifidelium exultatione in lucem edito, centum, & unius dolosarum Thesium Quesnellianarum calliditatem expendat; quanta perspicacia, ac zelo illis occurrat, nemo est, quin videat. Ingemiscens Pastor amantissimus, quod Dominico gregi plurimæ ex iis insidiæ compararentur, ad eas detegendas e specula Vaticani inclamando animadvertit, sub ovinis pellibus contegi rapaces lupos, & sub versutis seductionibus, ac fallaciis homines in viam perditionis abduci. Etenim si verborum corticem in hisce thesibus spectes, speciem quandam pietatis plurimæ ostentant; sin autem nucleum doctrinæ degustes, succum hauris virulentum; Calvinianæ quippe, & Jansenianæ hæreses iterum, iterumque veluti a sua tabe depuratæ propinantur; dum tamen luem pestiferam occultant, eo lethalem magis, quo minus in oculis, conspectuque expositam, quippe fuco, ac pigmentis illitam fraudulenter. Olim in Paradiso voluptatis Protoparentibus nostris vaferrimus Serpens verbis deceptoriis illusit; Nunc autem in Paradiso Eccl[illegible] Adę posteris toto nisu conatur imponere, non Hydra septiceps, usquequaque viru[illegible] eructans, a qua homines reformident, sed centiceps anguis in centeno harum Thesium numero, verbis eo magis fallacibus, quo magis religionem, ac pietatem in speciem afflantibus, ac Sanctitatem redolentibus; Ut proinde illud Proverb. 7. usurpandum sit: *Dic Sapientiæ, soror mea es, & Prudentiam voca amicam, ut custodiat te a muliere extranea, & ab aliena, quæ verba sua dulcia facit.* Extranea quippe, & longe aliena a Catholica veritate fit nobis obviam in Quesnelliano Codice doctrina, quæ verba sua dulcia facit; ideoque ne tot illecebris decipiamur, Sapientia tanquam Soror solicite nobis in præsidium advocanda, & Prudentia tanquam amica consulenda est.

Equidem ut Thesium istarum fraudulentia deprehendatur, non semper facile obvia iis, qui vix a limine Theologicam facultatem salutarunt, utpote sub verbis bracteatis delitescens, pro modulo meo nonnihil de iis, ubi opus erit, disceptabo, & ubi sub pietatis cortice nucleum contegunt venefico, ac pestifero succo imbutum, ibi altius genuinum figam, ut foras tabifica labes erumpat, atque horrorem, ac metum incutiat incautis.

Verum quia ex his plurimæ originem ducunt suam e lacunis aliarum thesium jampridem confixarum, præsertim Jansenii, & earum, quibus nigrum theta præfixit Alexander VIII., ad quas confutandas rationum momenta satis superque olim expendi, propterea ne crambem hic recoctam apponam, ubi Quesnellianæ Theses cum iis cognationem habeant, paucis me expediam; iisdem quippe telis confodiendæ sunt. Ubi vero alia omnia in medium adducant, jaculis e Theologica pharetra depromptis pro virili refellam, & insectabor: quod si vires desiderabuntur, veritas ipsa amentatas hastas intorquebit. In eo autem sedulam impendam operam rudis Theologus, sed veritatis Catholicæ sectator acerrimus, ac Sedi Apostolicæ ex propria Instituti ratione devinctus, & obæratus, ut ementitos ex illis colores auferam, & personam, quam sæpe præseferunt, pietatis evellam: byssinis enim, ac mellitis verbis identidem virus propinant, & laqueum obtendunt improvidis, ut proinde supremus Hierarcha in suo diplomate buccinando, omnibus jure præcau-

cautum voluerit; *Mollitos esse sermones eorum super oleum, & ipsos esse jacula, & quidem intento arcu ita ad nocendum parata, ut sagittent in obscuro rectos corde.*

Illud tamen præmonendum operæ pretium arbitror, fere communissimam esse Catholicorum sententiam, Ecclesiæ acceptationem, aut consensum nullatenus desiderari in Pontificiis decretis ad fidem, aut mores spectantibus, ut infallibilitatem sortiantur ex assistentia Spiritus Sancti promanantem, etiamsi extra Concilium Pontifex aliquid decernat: Quod passim Doctores sub oculis ponunt, ne quis perfricta fronte de falsitate thesium proscriptarum ambigere possit. Si enim ad hæc definienda requireretur aut auctoritas Concilii OEcumenici, aut saltem, ut nonnulli perperam docent, acceptatio facta ab Ecclesia, aut ab ejus Episcopis, non dixisset Christus D. uni Petro qua suo Vicesgerenti Matth. 16. *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et Lucæ 30. *Rogavi pro te, Petre, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando conversus confirma fratres tuos*: ut proinde Concilium Florentinum sess. 25. definierit: *Pontificem esse Doctorum Doctorem, & ipsi pascendi, regendi, & gubernandi Universalem Ecclesiam a Christo Domino plenam potestatem traditam esse*: Non esset quippe plene collata uni Pontifici ista potestas, si nonnisi a Conciliis Generalibus ea posset exerceri. Immo cum non possint de facili Concilia Oecumenica convocari ad damnandas hæreses, quæ subinde in Fidelium perniciem suboriuntur, ad bonum Ecclesiæ regimen oportuit uni Petro, ejusque Successoribus plenissimam tribui facultatem definiendi ex Cathedra, atque adeo sub Assistentia Spiritus Sancti quæcunque ad fidem, & mores pertinerent. Tunc autem ex Cathedra loquitur Pontifex, ut docent communiter cum Suario lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 3. quoties tanquam Doctor, & Magister a Christo Domino constitutus alloquitur Ecclesiam sibi demandatam, proponendo illi, quæ ab omnibus Fidelibus infallibiliter credenda, aut observanda sunt, præmissis antea, ut moris est, orationibus, & consultationibus, ut dignetur Spiritus Sanctus loquenti, ac docenti suis illustrationibus opem ferre pernecessariam. Sicut autem oportuit, ut identidem etiam extra Concilium Pontifex ex Cathedra loqui posset sub Spiritus Sancti presidio, atque adeo cum infallibilitate in suis definitionibus, ita oportuit, ut infallibilitas ista definitionibus Pontificiis competeret ante quamcunque acceptationem factam ab Ecclesia, aut ab ejus Episcopis, prout fere communissima Doctorum omnium fert sententia; Quod evidenter constat, tum a posteriori ex praxi Ecclesiæ, in qua plurima a Pontificibus, tam in Conciliis, quam extra Concilia definita sunt, quin consensus, & acceptatio ab aliis totius Orbis Episcopis expectata fuerit; tum etiam quia isthæc acceptatio non facile ab Ecclesia per totum Orbem dispersa haberi potuisset; cum non facile ad omnes transmitti possint rationum momenta, quæ animum Pontificis passim movent ad loquendum ex Cathedra; tum demum quia Christus Dominus, quando contulit Petro suo Vicario hanc potestatem, tunc coram aliis Apostolis, qui Ecclesiam, seu Concilium repræsentabant, dixit laudata verba: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*, quin ullatenus significaverit, quod alii etiam Apostoli ad Pontificias infallibiles definitiones quomodolibet influerent, aut per eorum consensum, aut per acceptationem: Præcipue cum Pontifex non ab Ecclesia, sed immediate a Christo Domino potestatem habeat loquendi ex Cathedra, atque adeo nullatenus possit definitionis Pontificiæ infallibilitas pendere ab Ecclesiæ, vel Episcoporum consensu, aut acceptatione; ut fuse ostendimus in quæstione prodroma Trutinæ, & in expositione Thesis XXIX. ab Alexandro VIII. confixæ, quæ habet: *Futilis, & toties convulsa est assertio de Pontificis Romani supra Concilium Oecumenicum auctoritate, atque in Fidei quæstionibus decernendis infallibilitate*: ubi umbratiles Adversariorum ratiocinationes evacuavimus; Et nonnulla etiam huc spectantia dicemus in expositione Thesis nonagesimæquartæ Quesnellianæ. Quod auctoritate dilucida D. Augustini validissime robo-

roboratur: Hæc enim habet S. Doctor ferm. 2. de Verbis Apostoli: *Rescripta Apostolica venerunt, Causa finita est; Utinam aliquando finiatur error!* Quare ad dirimendas in rebus fidei quæstiones nulla opus est Oecumenici Concilii definitione, nullo consensu, seu acceptatione Ecclesiæ, sed satis est, quod ex Cathedra Pontifex loquatur: cum supra hanc unice Petram dignatus sit Christus Dominus Ecclesiam suam ædificare. Quod disertius idem Augustinus docuit in calce libri quarti contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium dicens: *Aut vero Congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur: quasi nulla hæresis aliquando, nisi Synodi Congregatione damnata sit; cum potius rarissimæ inveniantur, propter quas damnandas necessitas talis extiterit; multoque sint, atque incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari, damnarique meruerunt; atque inde per cæteras terras devitandæ innotescere potuerunt. Verum istorum superbia, quæ tantum se extollit adversus Deum, ut non in illo velit, sed potius in libero arbitrio gloriari, hanc etiam gloriam captare intelligitur, ut propter illos Orientis, & Occidentis Synodus congregetur, Orbem quippe Catholicum, quoniam Domino eis resistente pervertere nequeunt, saltem commovere conantur; Cum potius vigilantia, & diligentia Pastorali, post factum illis competens, sufficiensque judicium, ubicumque isti lupi apparuerint, conterendi sint, sive ut sanentur, atque mutentur, sive ut ab aliorum salute, atque integritate vitentur.* Hoc pariter communissime alii etiam Sancti Patres docent, ut videre est apud Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 10. Propterea in Concilio Complutensi confirmato a Sixto IV. damnatus fuit Petrus Oxomensis, quatenus asserebat *Ecclesiam Urbis Romæ errare posse*. Et S. Generalis Inquisitio Hispaniæ, prout testatur De Aguirre tractat. 3. sect. 4. ut minimum tanquam erroneam, & hæresi proximam proscripsit hanc thesim: *Papam in dirimendis ex Cathedra Fidei quæstionibus non esse infallibilem*.

Non negaverim tamen consultum esse, ut Episcopi Regionis illius, in qua forte ut cancer serpit pestilens aliqua opinio, quam Pontifex censuit ex Cathedra proscribere, statim Pontifici privatis, & communibus obsequiis gratias agant, quod sua authoritate, & infallibili decreto opem tulerit ad errorem illum profligandum; Idque non ut suo consensu, tanquam ab Ecclesiæ acceptatione, robur sumat, & infallibilitatem ullatenus hauriat Apostolica definitio; Etenim si talis acceptatio requireretur, non ab unius dumtaxat regionis Episcopis, sed ab Episcopis totius Orbis expectari deberet; quo quid absurdius? Sed quia id expedit ad præcludendas refractariorum evasiones, qui ad suos errores pertinaciter propugnandos, non raro opponunt, Censuram Pontificiam vim dogmatis non habere, donec accedat Ecclesiæ, & Episcoporum acceptatio, juxta doctrinam, quam nonnulli ex Catholicis propugnarunt. Et quamvis ea fere communissime rejectetur, adhuc tamen operæ pretium est ostendere, quod nullatenus possit excusari exoticis, ac futilibus hisce doctrinis contumacia eorum, qui renuunt intellectum captivare in obsequium Christi.

Hac tantum de causa Episcopi Gallicani gratias retulerunt Innocentio X. statim ac quinque illis Jansenii thesibus nigrum theta præfixit; Nec aliter unquam se gessit Gallia jam inde ab Ecclesiæ primordiis; & nunc etiam idem præstiterunt plerique ex Galliæ Episcopis erga SS. D. N. Clementem XI., qui tanto Religionis Catholicæ zelo repullulantia in iis regnis Jansenianæ Hydræ capita suo diplomate contundere dignatus est.

Quibus adde, quod licet ad Dogmatis infallibilitatem omnium Ecclesiæ Episcoporum acceptatio expectanda esset, ea satis superque jam nunc habeatur relate ad præsentem Pontificiam Constitutionem, qua tot censuris Theologicis Theses Quesnellianæ feriuntur; Cum fere omnes Galliæ Episcopi disertis verbis illam acceptarint, omnesque alii universalis Ecclesiæ Episcopi in eandem implicite conspirarint non dissentiendo, aut etiam explicite, illam publicando statim in suis Diœcesibus, ut servaretur.

Quam-

Quamvis autem Episcoporum nonnulli in Gallia nonnullarum ex hisce Quesnellianis thesibus explicationem exposcerent, ut facili negotio posset earum personata falsitas etiam ab imperitis deprehendi; Ea tamen nec ad validitatem Pontificiæ Constitutionis ullatenus confert, ut est in confesso; nec oportuit superaddi, cum omnium omnino istarum thesium calliditas, & dolus non obscure pateat introspicientibus erroneum Auctoris scopum; Et licet non omnibus vel indoctis id innotescat primo intuitu (ut nec facile omnibus perspicua sunt etiam illa, quæ nobis jure naturali vetantur) Doctoribus tamen jure merito id edisserendum relinquitur, juxta consuetum Ecclesiæ morem, ut omnes ad veritatem pervestigandam incitentur, & sic altius menti insideant quæcumque nobis Deo edocente ediscenda sunt. Nec aliter ipsa etiam sacrorum Bibliorum eloquia quam subobscure nobis proponuntur, ut ad Scripturas scrutandas juxta Christi D. monitum (Jo. 5.) impellamur.

Quis autem adeo quasi truncus, atque stipes, ut non intelligat, ea de causa Thesium confixarum explanationem, antequam ejurentur, a Jansenianis exposci, ut hac arte incautis imponendo Auctoritatis Pontificiæ irrefragabilitatem labefactent, & inde ad excutiendum suave jugum obedientiæ Christi Vicesgerenti debitæ progrediantur? Quis enim dubitet, irrefragabilitatem Pontificiæ doctrinæ prosterni, dum petitur istarum thesium confixarum enodatio, (qua sane illæ non indigent, nisi nodus in scirpo quæratur) ut absolute rejectentur? perinde quasi contingere posset, quod ab Apostolica Cathedra thesis ulla proscribatur in sensu non proscribendo. Nonne id esset evertere fundamentum a Divina Christi Sapientia providentissime jactum ad Ecclesiam suam ædificandam, dum uni Petro, tanquam sui Vicario, coram aliis Apostolis dixit Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam*? Insulse autem ab Heterodoxis dicitur nomine Petri ipsa Ecclesia denotata fuisse, cum minus apte dicatur Ecclesia supra Ecclesiam ædificari. Præterquamquod uni Petro in præmium trinæ dilectionis, quæ trinæ ejus negationi respondebat, coram aliis pariter Apostolis dictum fuit, quod non solum Agnos pasceret, sed etiam Oves, nempe Episcopos, qui Agnos pariunt, & ad ovile Christi adducunt; Unique Petro dictum fuit, quod post suam conversionem fratres suos in fide confirmaret. Acquiescendum itaque tanquam Dei ipsius verbo doctrinæ Pontificis Ecclesiam universam ex Cathedra docentis, utpote vivę Regulę fidei; Esto nonnulla antequam edisserantur, ex pervicacia ne dixerim pravæ voluntatis, an ex inscitia intellectus indispositi? obscura, immo etiam ambigua videantur.

Et sane si admissa hactenus a Jansenianis Pontificis in re dogmatica inerrabilitate, adhuc lues Janseniana grassatur, quamvis per duodecim, & amplius lustra tot Constitutionibus Apostolicis continenter ea fuerit cominus oppugnata: quid, quæso, eveniret, si Pontificia inerrabilitas in dubium revocaretur? prout re vera in dubium revocatur, dum poscitur thesium confixarum expositio, antequam reprobentur. Quod autem Pontificiam hanc inerrabilitatem hactenus Janseniani saltem externa specie venerati sint, ex eo fit perspicuum, quia nunquam ausi sunt de ea palam ambigere, sed solum aliis aliisque cavillationibus mucronem Apostolicum conati sunt declinare; videlicet nunc asserendo Bullam Urbani VIII. *In Eminenti*, in qua Bajanæ theses damnantur, & Jansenii illas recudentis liber prohibetur, esse subreptitiam, ut dicitur in thesi trigesima prima ab Alexandro VIII. confixa: Nunc exposcendo per Episcopos Gallicanos propriam de singulis Jansenii proscriptis thesibus censuram; quam tandem exhibuit Innocentius X. Nunc inficiando confixas theses in Jansenii Codice reperiri (prout olim nonnulli ex Arianis, ejurando Arianas theses a Concilio Nicæno proscriptas, renuebant anathema Ario dicere, quippe quem contendebant ab iis erroribus fuisse immunem) quod tamen erat velle oculis totius Orbis imponere: Nunc vero permittendo, quod illę in Jansenii Augustino diserte legantur, negarunt tamen, ac pernegarunt, in eo sensu a

Jan-

Jansenio usurpatas fuisse, in quo ab Ecclesia damnantur: Nunc implicatis quæstionibus juris cum quæstionibus facti pervicaciter contendendo, extra Sphæram Pontificiæ definitionis esse, quod indubitabiliter definiantur, quæ ad factum pertinent: Nunc demum recurrendo ad silentium obsequiosum, perinde quasi satis sit, errorem in fide exterius non profiteri, quamvis interius retineatur, nec virus noceat, si foras non erumpat: quod a Regnante Pontifice in Bulla *Vineam Domini Sabaoth* disertissime damnatum fuit. Nunquam itaque Janseniana petulantia eo devenerat, ut inerrabilitatem Constitutionibus dogmaticis audacter, & libere denegaret, esto semper ictum cavillationibus, & effugiis, quoad ejus fieri poterat, enixa sit declinare, irrito tamen conatu. Ubi vero perturbatores isti Ecclesiasticæ pacis ab iteratis Apostolicis Diplomatibus omnes omnino ad effugiendum aditus sibi præclusos conspexere: ecce tibi novam, & inaccessam ineunt viam ad eludendam eorum vim: Et primo quidem non aperte, ac palam negando Pontificiis definitionibus irrefragabilitatem, sed illam ex insidiis velut in dubium revocando, dum contendunt Quesnellianas Jansenianis affines confixas theses, tanquam ambiguas, non esse rejectandas captivando intellectum in obsequium fidei, antequam explanentur, & sensus erroneus a sensu, quem forte per machinam suscipere possunt, Catholico secernatur. Audienda non erat, nedum exaudienda, proterva isthæc Jansenianorum postulatio, utpote Sanctæ Sedi oppido injuriosa: Hinc deinde quo se verterent amplius nescii, omni abjecto pudore ad negandam irreformabilitatem judicii Pontificii velut ad sacram, seu potius execrandam anchoram se converterunt, eatenus ad futurum Generale Concilium appellando, perinde quasi posset Concilium a Pontificiis definitionibus in rebus fidei, ac morum discrepare, adeo ut Concilii decretum decreto Pontificis dogmatico prævalere possit, cum omnibus compertum sit, non semel Conciliorum definitiones a Pontificibus, nunquam tamen Pontificias definitiones a Conciliis fuisse emendatas; quandoquidem, ut Conciliares definitiones vim habeant dogmatis, auctoritate prius Pontificia debeant firmari; nullatenus vero Pontificiæ definitiones a Conciliis confirmandæ sint, ut fert antiquissima Ecclesiæ praxis, & communissima Doctorum Sententia, nixa promissioni uni Petro a Christo D. factæ de nunquam deserenda Ecclesia sua, & obligationi uni Petro impositæ pascendi gregem suum, ut proinde Hieronymus lib. adversus Luciferianos dixerit. *Ecclesiæ salus in Summa Sacerdotali dignitate consistit, cui si non exsors quædam, & omnibus præeminens detur potestas, tot in Ecclesiis efficientur Schismata, quot Sacerdotes.* Qua de causa Concilium Constantinopolitanum Quartum, quod inter Oecumenica est octavum, sæculo nono actione quinta, diserte testatum est, dogmaticam Pontificis sententiam nullatenus immutari posse, eo quod Pontifex Organum sit Spiritus Sancti.

Docuerunt quidem nonnulli ex Catholicis cum Gersone, Almaino, & aliis, teneri Pontificem Concilio OEcumenico obtemperare, atque adeo in isto Superiorem potestatem agnoscere. At id docuerunt solum tempore Schismatis loquentes de Pontificibus dubiis, qui sane ad quietem Ecclesiæ tenebantur mandatis Concilii stare, donec indubius Pontifex præstitueretur. Ubi autem de legitima Pontificis electione nihil dubitationis intervenit, nullatenus hic debet, aut potest Conciliis subesse, adeo ut opposita sententia communissime tanquam erronea, & hæresi proxima, si minus hæretica, habeatur.

At permittamus nunc figmentum istud, quod scilicet possit Concilium OEcumenicum subjicere sibi Pontificem omnino certum, ejusque judicium in re dogmatica reformare, quisnam somniare posset, quod Concilium reformare etiam possit judicium Pontificis, cui universa Ecclesia subscripsit, adeo ut Concilium non Pontificis dumtaxat, sed Pontificis, ac universæ simul Ecclesiæ reformare possit? Propterea cum Constitutio Antiquesnelliana *Unigenitus Dei Filius* ab Ecclesia ferme universa sive explicite, sive saltem implicite expansis ulnis excepta sit (dem-

ptis nonnullis Episcopis Gallicanis, qui nihil derogant universalitati Ecclesiæ) evidens fit, non posse quicquam adversus hujusmodi Constitutionem ab ullo prorsus Concilio statui, atque adeo appellationem ad futurum Generale Concilium (etiam dissimulato, quod admitti non debet, Concilium Pontifici præesse) impræsentiarum confictam solum esse ad pervicaciter, & non incallide tergiversandum.

Præterea fingamus pariter, quod ad audaciam hanc contundendam Concilium ex omnibus terrarum Orbis partibus convocetur, illudque decretis hisce Pontificiis adhæreat (ad eum modum quo seculo quinto in Concilio Chalcedonensi ex sexcentis & triginta Episcopis fere sexcenti a dogmatica S. Leonis Papæ Epistola ne latum quidem unguem recesserunt) an idcirco Janseniani manus darent? Nonne aut aliis, aliisque cavillationibus Conciliares definitiones conarentur invertere, ut hactenus relate ad Pontificias definitiones præstitere; aut ipsi etiam Concilio audacter essent dissensuri; non secus ac Dioscorus cum perpaucis Asseclis Chalcedonensis Concilii definitionibus contumaciter reluctatus fuit? Etenim sicut laudatæ Constitutioni, quæ universæ ferme Ecclesiæ suffragio saltem implicito communita est, pauci admodum Jansenii Asseclæ omnibus viis, omnique conatu adversantur: perinde quasi paucorum judicium judicio totius Ecclesiæ præferendum esset: ita pariter Concilio ipsi OEcumenico iidem essent reluctaturi, si forte hac de causa convocandum esset. Constat quippe (ut advertit Pontifex in sua Bulla *Vineam Domini Sabaoth*) *non defuisse, nec deesse homines veritati non acquiescentes, & nunquam Ecclesiæ contradicendi finem facientes, qui variis distinctionibus, seu potius effugiis ad circumventionem erroris excogitatis, Ecclesiam turbare, eamque interminatis quæstionibus, quantum in ipsis est, involvere, & implicare conantur.*

Quare si Bajani, ac Janseniani hactenus præsetulerint, eandem inerrabilitatem in Constitutionibus Apostolicis extra Concilium editis, ac in iis quæ a Concilio eduntur, venerari, adhuc tamen perfricta fronte tot distinctiones, & cavillationes in medium protulerunt, ne subscriberent condemnationi thesium utriusque Pseudo-magistri toties expositæ, ac innovatę a Pio V., Gregor. XIII., Urban. VIII., Innoc. X., Clemente IX., Alex. VIII. Innoc. XII., & Clemente XI. & tandem persona deposita ad negandam inerrabilitatem Pontificiis Constitutionibus in re dogmatica cum totius Ecclesiæ admiratione, ac lacrymis prolapsi sunt, appellando ad futurum Concilium; Nonne eadem protervia definitionibus ipsis Conciliaribus essent refragaturi, si eandem Antiquesnellianam Constitutionem Concilium confirmaret (prout infallibiliter esset confirmaturum, ne portæ Inferi adversus Ecclesiam prævalerent) videlicet aut novas comminiscendo distinctiones, & cavillationes, aut negando tandem ipsimet Concilio inerrabilitatem? Non secus ac Dioscorus, & cum eo pauci alii Episcopi renuerunt tandem dogmaticæ S. Leonis Papæ Epistolæ contumaciter subscribere, quamvis fere sexcenti ex illius OEcumenici Concilii Episcopis eidem subscripsissent: Quod pariter a plurimis Heterodoxis non semel factitatum esse, ille ignorat, qui in Ecclesiastica historia hospes est, & peregrinus: Facillimum quippe est, negata Pontifici Christi Vicario inerrabilitate in rebus fidei, quam luculentissime sub oculis ponunt Divina Oracula, Concilia, Sacri Canones, Sanctorum Patrum, Sanctorumque Pontificum consensus concordissimus, Ecclesiæ praxis antiquissima confugiendi in dubiis fidei ad hanc Sacram Tripodem, continuata Ecclesiæ traditio, aliæque innumerę Theologicæ ratiocinationes, ad negandam etiam ipsius Concilii inerrabilitatem gradum facere, & prolabi.

Equidem missis aliis, quæ passim ab Auctoribus referuntur ad ostendendum, quod uni Petro tanquam Christi Vicario collata fuerit infallibilitas in dirimendis fidei quæstionibus, non vero Conciliis, aut toti ipsi Ecclesiæ, paucis idipsum ex-

ponam tum ex ipsa Conciliorum confessione, quæ supremam in uno Pontifice auctoritatem sæpenumero professa sunt; tum etiam ex ipsis Galliæ Episcopis, & Generalibus eorum Conventibus, ut mirum sit, quod in Regno fidei Catholicæ, atque Apostolicæ Sedi addictissimo nonnulli audiantur, qui ad fovendam Jansenianorum perfidiam a recta Prædecessorum suorum orbita desciverint, & pro reformanda Antiquesnelliana Constitutione ad futurum Concilium appellarint.

Quod attinet ad Conciliorum ipsorum non intermissam confessionem, neminem latet, in Synodo Nicæna, quæ inter OEcumenica Concilia principem obtinet locum, trecentos & octo illos Episcopos confirmationem suorum Decretorum a S. Sylvestro tunc temporis Ecclesiæ clavum tenente postulasse his verbis: *Confirmet nostra sancita, ut gradus fixos nostra possit habere Regula*. Quod etiam luculenter testatur Felix Papa III. ita scribens epist. 4. Domino ad B. Petrum dicente, Tu es Petrus &c. eam vocem sequentes trecenti decem & octo Patres apud Nicæam congregati, confirmationem rerum, atque auctoritatem S. Romanæ Ecclesiæ detulerunt. Pariter Ephesimum primum decretorum confirmationem a Cœlestino Papa humiliter postulavit; quod pariter reliqua deinceps Concilia præstitere usque ad Tridentinum, inter Generalia Concilia postremum, per Bullam Pii IV. confirmatum, in qua hæc habentur: *Cum ipsa Sancta Synodus pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, Decretorum suorum confirmationem a Nobis petierit, decreto ea de re in publica sessione facto* &c. Quomodo autem Decretorum confirmationem a Pontifice petere posset Synodus OEcumenica, nisi in illo superiorem agnosceret auctoritatem? Quæ si deesset, non potuisset Leo Pontifex quædam Concilii Chalcedonensis decreta irritare, quæ tamen irritasse constat ex Epistola ad Pulcheriam. Sicut etiam a Damaso Pontifice (ut videre est apud Bellarminum lib. 1. de Conciliis cap. 10.) sine ullo generalis Concilii præsidio irritatum fuit Ariminense Concilium, quod Generale fuerat, & frequentissimum. Docuit quippe idem S. Damasus cap. 3. *Nulla unquam Concilia rata fuisse, quæ non sunt fulta Apostolica auctoritate*. Quinimmo multa Concilia suo Capite destituta etim in fidei decretis errasse perspectum est, ut Syrmiense, Mediolanense, Ariminense, Constantinopolitanum, Ephesinum secundum, quod fuit Generale, & ab ipso Pontifice indictum, cui circa initium Legati pariter Pontificis præfuerunt, teste eodem Bellarm. lib. 2. cap. 16. Denique in cap. *Ipsi sunt* 9. quæst. 3. habetur: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen voluerunt deferri; ab ipsa vero nusquam prorsus appellari debere sanxerunt*.

Præterea tribus primis Ecclesiæ sæculis antequam Generalia Concilia convocarentur, ab uno Pontifice plurimæ hæreses damnatæ fuerunt, videlicet Marcionis, Montani, Cataphrygum, Novatianorum, Sabellii, Pauli Samosateni, & aliorum, quin tamen ullus de Pontificis inerrabilitate extra Concilium dubitasset; Ac similiter sequentibus sæculis plurimæ alię hæreses extra Concilium damnatę sunt, quin ullum ex Conciliis condemnationes istas deinde examini subjicere ausum fuerit. Usque adeo Concilia ipsa Pontificis inerrabilitatem in re dogmatica venerata sunt. Synodus Constantinopolitana, quæ ante Quintam Synodum congregata fuit, act. 4. hæc habet: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus, & ipsius communicatores habemus, & condemnatos ab ipsa & nos condemnamus*. Si Sedi Apostolicæ Concilium obedit, eamque sequitur ipso fatente, quomodo poterit illa errori esse obnoxia? Sexta Synodus Oecumenica anno 681. de more plaudens Constantino IV. profitetur, in Agathone Pontifice Petrum esse locutum. Disertius idipsum exprimitur in Septima Synodo act. 1. apud Bellarm. lib. 2. cap. 13. anno 800. Carolo Magno de criminibus Leoni III. objectis cognituro succlamant Episcopi, *Romanum Pontificem a nullo mortalium judicari*. Sicut etiam in Canone ultimo Romani Concilii sub Sylvestro Papa celebrati le-

ti legitur: *Nemo judicabit Primam Sedem*. Et in Concilio Sueſſano centum octoginta Epiſcopi illud conflantes Marcellino Pontifici pęnas debitas expoſcenti, quod Maximiani Tyranni minas expaveſcens thus diis adoleverit, concordi voce dixerunt: *Tuo ore judica cauſam tuam, non noſtro judicio; Nam Prima Sedes a nemine judicatur*. Sæculo nono S. Nicolaus Pontifex ex Synodi Romanæ ſuffragio ad Michaelem Imperatorem ſcripſit: *Petrus univerſam adminiſtrare Eccleſiam perpetua Succeſſione jubetur*. Et Synodus Octava actione 5. loquens de ſententia adverſus Photium habet: *Neque nos ſane novam de illo ſententiam ferimus, ſed jam olim a Sanctiſs. Papa Nicolao, & ſucceſſore ejus Adriano pronunciatam, quam nequaquam poſſumus immutare*. Ecce tibi ex confeſſione ipſius Generalis Concilii, ne ab ipſo quidem Concilio ſententia Pontificis reformari, aut immutari poteſt. Sæculo decimò tertio Generale Concilium Lugdunenſe (ut habetur in Cap. *Ubi periculum* de Electione in 6.) Pontificem appellat *Univerſalis Eccleſiæ Rectorem*; Pręſidet quippe non ſingulis duntaxat Eccleſiis particularibus, ſed etiam omnibus, ac univerſali Eccleſiæ per Concilium repræſentatæ. Ac ſimiliter Generale Concilium Lateranenſe quartum docet, *Romanam Eccleſiam ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinere Principatum, utpote Matrem univerſorum Chriſtifidelium, & Magiſtram*. Sæculo decimoquinto in Florentino pariformiter definitum eſt ſeſs. 25. *Pontificem eſſe Doctorem Doctorum, & ipſi paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Chriſto D. plenam poteſtatem traditam eſſe*; & in Viennenſi Clementina unica de Trinitate dicitur: *Ad Apoſtolicam duntaxat conſiderationem pertinere, ea, quæ fidei ſunt, declarare*. Ac in Coſtantienſi ſeſs. 8. damnatur hęreſis Wiglephi dicentis; *Papam non eſſe immediatum Chriſti Vicarium*. Ex quo deſcendit, quod etiam Eccleſiæ univerſali, atque adeo ipſis OEcumenicis Conciliis præſit immediate, Vices gerens Chriſti D., qui Supremus eſt illorum Paſtor. Denique Sęculo decimo ſexto Tridentinum inter Generalia Concilia poſtremum ſeſs.6. cap. 1. de Reformatione Pontificem appellat *Dei in terris Vicarium*, additque deinde habere illum *Supremæ Sedis auctoritatem*. Quare ex ipſa tot Conciliorum OEcumenicorum confeſſione in propria cauſa liquido conſtat, Supremam Auctoritatem ac in rebus fidei inerrabilitatem uni Petro tanquam Chriſti Vicario competere, prout Concilium Lateranenſe ultimum ſeſs. 2. diſerte teſtatur, dicens: *Auctoritatem Romani Pontificis ſuper omnia Concilia nedum ex Sacræ Scripturæ teſtimoniis, dictis Sanctorum Patrum, aliorumque Pontificum Romanorum, Sacrorumque Canonum decretis, ſed propria etiam eorundem Conciliorum confeſſione manifeſte conſtare*. Nil ergo mirum, quod Julius Secundus in Extravaganti *Suſcepti regiminis* poſt Pium ſecundum præceperit, ut appellantes ad futurum Concilium tanquam Schiſmatici, & de fide male ſentientes habeantur; quippe qui aliud agnoſcunt in Eccleſia Dei Caput, præter Caput a Chriſto Dom. conſtitutum in ſuo Vicario; Unius quippe Corporis Eccleſiæ unum duntaxat debuit eſſe Caput, ne eſſet monſtroſum: Quod expreſſit Bonifacius VIII. in Extravag. *Unam Sanctam* dicens *Eccleſiæ unius, & unicæ unum Corpus, unum Caput, non duo Capita, quaſi monſtrum, Chriſtus videlicet, & Chriſti Vicarius Petrus, ejuſque Succeſſor*. Quibus verbis exprimitur, nomen Capitis tam Chriſto competere, quam Petro (non ſecus ac nomen Fundamenti) ſed diverſimode; etenim primario quidem de Chriſto Dom. dicitur Coloſs. 1. *Ipſe eſt Caput Corporis Eccleſiæ, qui eſt principium, primogenitus ex mortuis*; & 1. Corinth. 3. *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, præter id, quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Jeſus*: Secundario autem, & cum debita ſubjectione hæc eadem de Chriſti Vicario dicuntur; cum ipſe Chriſtus Dom. dixerit Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*.

Obtrudunt paſſim Adverſarii Concilium Conſtantienſe, ac Baſileenſe, perinde quaſi definierint tanquam de Fide credendum, Conciliis Pontificem non præeſſe, ſed ſubeſſe; non ſecus ac Generales Ordinum Religioſorum Comitiis Generalibus

ſubſunt. Aliter Epiſcopi, quos *Spiritus Sanctus poſuit regere Eccleſiam Dei*, in Conciliis Oecumenicis non aſſiderent, neque ſubſcriberent tanquam Judices, ſed ſolum eſſent inſtar Theologorum Conſiliarii, ac deinde executores Pontificiæ definitionis.

At quis ſomniare poterit, quod a diverſis Conciliis OEcumenicis in rebus fidei oppoſita definiri poſſint? Cum autem liquido conſtet, tot Concilia pro Primatu, ac inerrabilitate ſolius Pontificis ſemper ſtetiſſe, fierine poteſt, quod ab aliis Conciliis oppoſitum definiatur? Quare dicendum cum communiſſima, Concilium Conſtantienſe ſolum loquutum eſſe de Pontifice dubio tempore Schiſmatis, non de Pontifice indubitato. Deinde non potuiſſe tunc temporis Concilium illud quicquam definire tanquam de fide credendum, & infallibile, eo quod non eſſet Generale Concilium, nec eſſet cum ſuo Capite; aberat enim tunc Joannes XXIII. qui Concilium inchoaverat; & duæ tertiæ partes Eccleſiæ adhærebant Pſeudopontificibus illis Gregorio, & Benedicto. Concilium pariter Baſileenſe, quamvis legitime inchoatum fuerit, illegitime tamen fuit ad finem perductum, adeo ut vocetur Conciliabulum, ut proinde a Concilio Lateranenſi ultimo per Bullam Leonis X. reprobatum fuerit. Epiſcopi autem Eccleſiam Dei regunt ſub Spiritus Sancti regimine, tum quia Eccleſias ſuas particulares regunt, tum etiam quia regunt Eccleſiam univerſalem, quando in Conciliis OEcumenicis tanquam Judices aſſident cum ſuo capite ad dirimendas quæſtiones in rebus Fidei, & morum. Ex quo fit, quod ſicut Epiſcopi per univerſum Orbem diſperſi, ſi Conciliis OEcumenicis non interveniant, non debent, nec poſſunt judicium ſuum apponere in iis, quę a Concilio definiuntur, ſed tenentur ſub pœna hereſis definitiones dogmaticas Concilii amplecti, non ſecus ac reliqui Chriſtifideles; (eſto longe plures perſæpe ſint Epiſcopi, qui Conciliis intereſſe aut nequeunt, aut nolunt, quam ſint illi qui interſunt) ita prorſus Epiſcopi per univerſum Orbem diſperſi definitiones dogmaticas Pontificias amplecti debent, non ſecus ac reliqui Chriſtifideles, quoties Pontifex extra Concilium (quod adhibere non tenetur) aliquid ex Cathedra definit.

Bifariam autem convocare poteſt Pontifex Epiſcopos ad Generale Concilium; primo quidem nihil prius ex Cathedra definiendo, ſed exponendo quæ diſcutienda ſunt, ut deinde ſimul cum Concilio aliquid definiatur; & in tali caſu Epiſcopi tanquam Judices aſſident, quin tamen eorum judicium vim habeat dogmaticæ definitionis, & immunitatem ab errore, antequam a Pontifice confirmetur. Et hoc pacto nonnulli apud Bellarminum lib. 2. cap. 19. putant a S. Leone Pontifice miſſam fuiſſe ad Concilium Chalcedonenſe celebrem illam Epiſtolam adverſus hereſim Eutychetis aſſerentis unam duntaxat in Chriſto naturam; quoniam ea miſſa fuit, non ut continens eo tempore ſententiam definitivam, ſed ut quædam Inſtructio, qua adjuti melius poſſent Epiſcopi judicare; idcirco poſt illius Epiſtolę examen fere omnes (Dioſcoro cum nonnullis Aſſeclis reluctantibus) conſenſerunt, ac demum nomine Pontificis, & Concilii definitio dogmatica ſucceſſit, quam citra hæreſim Dioſcorus cum ſuis Epiſcopis amplius recuſare non poterat. Secundo poteſt Pontifex Concilium OEcumenicum convocare poſt definitionem ex Cathedra dogmaticam, non quidem ut a Concilio robur accipiat ea definitio, ſed ſolum ad confundendos illos, qui futilibus ratiocinationibus ducti docent cum nonnullis illis ſupra laudatis Catholicis, judicium Pontificis in rebus Fidei non eſſe irreformabile; & ſolum habere vim dogmatis Conciliarem definitionem. Et in tali caſu permittit Epiſcopis, ut in Concilio tanquam Judices ſe gerant, examini ſubjiciendo ſuam dogmaticam definitionem: perinde quaſi nihil eſſet hactenus definitum, ac deinde etiam tanquam Judices ferendo ſententiam; at quamvis id a Pontifice permittatur, non permittet tamen Spiritus Sanctus Eccleſiæ ſuæ Protector, quod major Concilii pars a ſententia Pontificis diſcrepet, & qui diſcreparent, citra hæreſim in ſuo errore perſiſtere non poſſent. Et hoc pacto alii Auctores docent, a laudato Leone

miſ-

missam fuisse Epistolam suam dogmaticam ad Concilium Chalcedonense : Sive autem hoc secundo, sive primo modo ea missa fuerit, mirum non est, quod Episcopi in ferenda sententia tanquam Judices subscripserint. Quamquam Episcopos in omnibus Conciliis semper Judicum personam agere recte docet Bellarminus lib. 1. de Conciliis cap. 18. Et per hæc patet responsio ad ea, quæ in quodam libello nuper a quodam Gallo Anonymo adducuntur ad excusandos paucos illos Galliæ Episcopos, qui exemplo quorumdam Episcoporum Concilii illius Chalcedonensis, explanationem thesium Quesnellianarum postularunt, antequam Constitutionem dogmaticam acceptarent; perinde quasi jus habeant Episcopi etiam extra Concilium ferendi judicium de Pontificis sententia definitiva. Hoc tamen exemplo uti, non est Galliæ Episcopos expositionem thesium proscriptarum postulantes excusare; sed potius crimen illis objicere, quod Dioscoro, ejusque Asseclis in eo Concilio objectum fuit. Hactenus de Conciliis OEcumenicis Primatum supra seipsa in Pontifice venerantibus, necnon inerrabilitatem in re dogmatica.

Porro ineluctabili tot Conciliorum auctoritati addi pariter possent plurima Sanctorum Patrum testimonia, quæ notis iisdem concinendo, eundem Primatum, ac inerrabilitatem in Pontifice suspiciunt, dum Pontificiam dignitatem in cœlum extollunt. Etenim, ut nonnulla prosequar, ab Augustino Pontifex nuncupatur *Fundamentum, supra quod ædificii Ecclesiastici altitudo consurgit*, Serm. 15. de Sanctis: *Firmamentum omnium*, ac *Saxum immobile totius Christiani Orbis compagem, molemque continens*. Ibid. Serm. 16. *Vertex membrorum omnium Ecclesiæ*. Serm. de Temp. a Chrysostomo appellatur *Columna incorrupta Ecclesiarum*, *Fidei Basis*. Homil. 2. in Psal. 50. *Columen Ecclesiæ*, *Fundamentum Fidei*. Homil. 3. in Acta Apost. *Basis immobilis*, *Magister Orbis terrarum*, *Portus fidei*. Homil. de Petro, & Paulo. Ab Athanasio, & Episcopis Ægyptiis ad Felicem Papam, *Firmamentum a Deo fixum, & immobile*, *Præsul Apostolicus in summitate Arcis constitutus*, *cui Deus omnium Ecclesiarum curam habere præcepit*: *Petrus potestate*. A Damasceno, *Doctor Supremus Orbis terrarum*, *Petra Fidei*. In historia Barlaam. A Ruperto, *Murus inexpugnabilis adversus hæreses*, lib. 2. Offic. cap. 22; A Bernardo, *Pastor unus ovium, & Pastorum omnium*, lib. 2. de Consid. cap. 8. A Petro Damiano, *Cardo summus totius Mundi*, Opusc. 30. cap. 22. *Cacumen, & vertex humani generis*; *Episcopus solus universalis omnium Ecclesiarum*, serm. 23. *Lingua Cælorum*, serm. 26. A Theodoro Studita in Epistola ad Neucrianum, *Thronus supremus verticalis, in quo Christus fidei claves posuit, adversus quem non prævalebunt usque ad consummationem portæ Inferi, ora scilicet Hæreticorum*. A Cyrillo Hierosolymitano Catech. 11. *Præco Summus Ecclesiæ*. Et sic ab aliis passim, qui turmatim ab Auctoribus in re præsenti recensentur, ut proinde præstet ab iis recolendis supersedere.

Pergo nunc ad idipsum ostendendum ex testimonio ipsorum Conventuum Generalium, ac Episcoporum Galliæ. Missa facio, quæ erudite, ac fuse hac in re congerit inter alios D. Nicolaus de Bois Primarius Professor Sacrarum Literarum in Academia Lovaniensi in suis Consultationibus Theologo-Juridicis, ubi ostendit jam inde ab Ecclesiæ nascentis exordio Gallicanam Ecclesiam perpetua consuetudine consuevisse in materiis fidei, & morum ad Sanctam Sedem tanquam ad sacram anchoram confugere, expectando illius dogmaticam definitionem; adeo ut Eleutherius Pontifex seculo secundo in Epistola ad Galliæ Provincias (de qua Baronius ad annum 181.) loquens de usu etiam primi sæculi hæc scripserit: *De accusationibus Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficile est ad Sanctam Sedem deferre, finitiva tantum Episcoporum judicia huc deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis, eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum jam definitum est*. Venio ad secula nobis proximiora usque ad hoc decimum octavum inclusive. Sæculo nono in Concilio Aquisgra-

nensi, in quo plurimi Gallicani Episcopi interfuere, dum de processione Spiritus Sancti, aliisque gravibus causis quæreretur, Concilium censuit quæstiones illas ad Leonem III. tunc temporis Pontificem deferendas esse, a quo sententia ferretur definitiva. Sæculo decimo tam Concilium Cabilonense anno 915., quam Trosleianum tum anno 921., tum etiam anno 927., ac Rhemense anno 995. a Gallis Episcopis celebrata, Supremam Romani Pontificis potestatem agnovere, ac maxime reverita sunt. Sæculo undecimo, cum in Gallia, & Hispania plures de Simonia, aliisque rebus quæstiones exortæ fuerint, Episcopi ad Victorem II. Pontificem recursum habuerunt, a cujus Cathedra quæstiones illæ dirimerentur, ut constat ex Præfatione Concilii Toletani. Sæculo duodecimo pariter Episcopi Galli in causis gravioribus Sanctæ Sedis judicium, videlicet Alexand. III., Urbani III., &c. requirere, & expectare consueverunt, ut præstitit Cænomanensis, ad quem Alexand. III. in cap. 1. de Clericis peregrinis, *Tua non duxit*, &c. Decimotertio sæculo Lugdunense Generale Concilium ex plurimis Gallis Episcopis conflatum, ut supra innuimus, Pontificem Universalis Ecclesiæ Rectorem appellavit. Et ex variis sacris Canonibus cap. 1. *de ætate*, *& qualitate*, & cap. 14. *de foro competenti*, constat Galliæ Episcopos in causis gravioribus ad Innocentium III., & Honorium III. inter alios confugisse. Eratque celebris tunc temporis doctrina Angelici docentis cap. 4. contra Impugnatores Ecclesiæ, *Episcopos in Conciliis congregatos nihil statuere posse, non interveniente Summi Pontificis auctoritate*. Sæculo decimoquarto Prælati, ac Rectores, præsertim Galliæ, ad Joannem XXII. recursum habuerunt; unde emanavit Constitutio illa ejusdem Pontificis, quæ incipit, *Frequenter &c.* Et doctissimi inter Gallos Episcopi Durandus de S. Pontiano, ac Paludanus potestatem Jurisdictionis ad regendum Christi gregem, totam, & in suo fonte datam fuisse soli Petro, & Successoribus ejus deprædicarunt. Decimoquinto sæculo usqueadeo Galli Supremam Pontificis auctoritatem venerabantur, ut Ludovicus XI. Galliarum Rex ad Pium II. verbis hisce cedro dignis scriberet: *Te Principem totius Ecclesiæ, Antistitem Sacrorum, Te Dominici gregis Pastorem profitemur, & scimus*. Sæculo decimosexto Episcoporum Conventus Medoluni in Gallia habitus anno 1579. Sanctam Romanam Ecclesiam appellavit *Magistram*, *Columnam*, *& Firmamentum veritatis*; Ac deinde sæculo decimoseptimo Conventus Generalis Ecclesiæ Gallicanæ habitus anno 1626. Romanum Pontificem solemni nomenclatura nominavit *Petri Successorem, cui Christus cæli claves, & fidei infallibilitatem dedit*. Et valde celebres sunt duæ illæ Epistolæ ad Innocentium X., quarum altera ab octogintaquinque Galliæ Episcopis subscripta fuit anno 1651. incipiens: *Majores causas ad Sedem Apostolicam referri, solemnis Ecclesiæ mos est*; altera vero ab Eminentissimo Mazarino, ac uno & triginta Episcopis ejusdem Regni anno 1653. incipiens: *Optata pervenit ad Nos*, qui omnes vivam fidei Regulam in Pontifice, ejusque judicium inerrabile etiam extra Concilium in re dogmatica venerati fuere. Et Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis eodem pariter sæculo extremo vitæ suæ anno dissertationem valde eruditam Gallice composuit de Summi Pontificis infallibilitate, quam Baluzius ex ore dictantis excepit, ut ipse testatur in Vita illius: Sicut Cardinalis Perronius una cum Episcopis Provinciæ Senonensis, & postea Aquensis Provinciæ Præsules gravi censura notarunt, ac suo decreto condemnarunt anno 1611. libellum quendam Anonymum de Ecclesiastica, & Politica Potestate, qui Pontificiæ auctoritati videbatur adversari, addito etiam hac in re suffragio Doctorum Sorbonæ. Denique deveniendo ad decimioctavi sæculi recentes annos, celeberrima, ac summis laudibus celebranda est Epistola, paucis ab hinc annis, videlicet anno 1711. ad Regnantem Pontificem missa ab Eminentissimo de Noailles etiamnum Archiepiscopo Parisiensi occasione Constitutionis *Vineam Dei Sabaoth* anno 1705. editæ adversus obsequiosum Silentium Jansenianorum; in ea quippe Cardinalis Archiepiscopus diserte testatur, etiam de mente ipsius Gallicani Cleri in Comitiis

tiis

tiis eo anno habitis fuisse, Constitutiones dogmaticas a Pontifice extra Concilium editas, tanquam regulas credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis habendas esse, adeo ut nec examini subjici possint, nec acceptationem Ecclesiæ postulent, ut omnes Christifideles obligent, nec super iis licitam esse ad futurum Concilium appellationem, eo quod immutari, aut reformari neutiquam possint. Quamvis enim modus, quem Gallicanus Clerus in hisce Comitiis tenuit, diversus nonnullis visus fuerit ab eo, quem superioribus sæculis Conventus Gallicani tam generales, quam particulares Pontificiis Constitutionibus obsequentissimi semper tenuerunt, ipse tamen oculatus testis, ac votorum omnium particeps, utpote eo loci Præses, disertissime testatur Cleri totius mentem ne latum quidem unguem ab obsequio continenter Sedi Apostolicæ in Gallia præstito recessisse. Cum autem magni momenti sit hac tempestate Eminentissimi de Noailles, ac ipsius Gallicani Cleri gravissimum, omnique majus exceptione testimonium ad validissime firmandum, quod hactenus ostendimus, videlicet perpetuo Galliam dogmaticas Constitutiones tanquam divina oracula excepisse, subjicio ad verbum Epistolam hanc, in qua luculenter exprimitur, quid semper Ecclesia Gallicana senserit, quid præsens Gallicanus Clerus, quid ipse Eminentissimus Parisiorum Archiepiscopus de Pontifice extra Concilium ex Cathedra loquente, cui inerrabilitas a Christo Domino promissa est, ut proinde nonnisi per summam injuriam, ac temere ab eo ad futurum Concilium appelletur, prout a nonnullis cum extremo totius Ecclesiæ doloris sensu paucis ab hinc mensibus factum esse auditur, ut incauti ad ebibendam, ac retinendam Jansenianam, & Quesnellianam luem, culpæ, ac censurarum metu deposito, incitentur. Tenor Epistolæ ad Beatissimum Patrem Clementem XI. scriptæ ab Eminentissimo de Noailles anno 1711. est hujusmodi.

BEATISSIME PATER.

CUM intimo doloris sensu accepi modum illum, quem Clerus noster Gallicanus in Comitiis habitis anno 1705. tenuit occasione Constitutionis a Sanctitate Vestra editæ adversus Jansenianum errorem; quæ incipit, Vineam Domini Sabaoth, *visum fuisse eidem Sanctitati Vestræ diversum ab eo, quem olim Majores nostri occasione Constitutionum a Summis Pontificibus Innocentio X., & Alexandro VII. eadem in re editarum tenuerunt: adeoque præfatam Sanctitatis Vestræ Constitutionem non ea, qua par est, obedientia, ac veneratione ab eodem Clero acceptam fuisse. Quod sane cum a mente ipsius Cleri prorsus alienum fuerit, officii mei, & æquitatis æquum esse duxi, Beatitudini Vestræ quid rei esset aperire; maxime cum iis Comitiis præfuerim, eaque de causa votorum omnium particeps, ac præcipuus testis extiterim.*

Testor igitur primo, in Comitiis prædictis Clerum nostrum vere in animo habuisse S. V. Constitutionem eodem prorsus obsequio, eadem obedientia accipere, & amplecti, qua Majores nostri omnes S. V. Prædecessorum Bullas adversus Jansenium acceperunt, & amplexi sunt.

Secundo, cum Clerus dixit, Constitutiones Summorum Pontificum a Corpore Episcoporum acceptatas totam Ecclesiam obligare, *mens ejus non fuit, necessariam esse ejusmodi acceptationis solemnitatem, ad hoc ut illæ tanquam Regulæ credendi, & loquendi ab omnibus Catholicis haberi debeant: licet aliquando ista Solemni-*

lemnitas non mediocris esse possit utilitatis, ubi natus est error: Ultima enim Jansenistarum munimenta penitus convellere, ipsisque effugium omne in nostris partibus, principio ab ipsis concepto, intercludere operæ pretium duxit.

Tertio, non sibi arrogavit Clerus, ut Sanctiones Pontificias examini suo judicandas subjiceret; sed in ipsis, quod olim scribebant Leoni Magno Episcopi Gallicani, Gaudens, & exultans fidei suæ sensum recognovit, & ita se semper tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, jure lætatus est.

Quarto, certum illi fuit Pontificiis decretis adversus Jansenium nihil deesse, ut universam Ecclesiam obligent, & circa illa nec appellationem admitti, nec mutationem expectari posse. Idem & de Apostolicis adversus Bajum, Molinosum, & librum vulgo dictum, Maximes de Saints, *definitionibus professurum fuisse Clerum existimo, si de illis actum fuisset.*

Quæ cum ita se habeant, & genuinam nostrorum Episcoporum sententiam explicent, S. V. enixe precor, ita de Ecclesia Gallicana sentiat, ut illam credat, qualem scripsit Innocentio II. S. Bernardus, Fortem in fide, pacificam in unitate, devotam in Obedientia vestra, promptam ad servitium. *Sic etiam hodie omnes affecti sunt Episcopi nostri: Ego vero debitæ Apostolatui vestro obedientiæ primus omnium faciam satis.*

Apostolicæ Sedi quanta debeam, monebunt me semper Religio, gratus animus, & insita erga Romanam Ecclesiam reverentia; neque necessarium erit ad confirmandam omnimodam hanc meam observantiam aspectus Purpuræ illius, qua honestor; Et in omnibus summa cum veneratione, & obsequio me exhibeo.

Parisiis 28. Junii 1711.

Sanctitatis Vestræ

Humillimum, Devotissimum, & Obsequentissimum servum, ac filium

L. A. Card. de Noailles.

Ex quibus omnibus perspicuum fit, Ecclesiæ Gallicanæ apertam calumniam imponi ab appellantibus ad futurum Concilium, qui ad excusandam audaciam comminiscuntur, constantem semper fuisse Doctorum Gallicanorum sententiam de reformabilitate judicii Pontificii in re dogmatica, & de Concilii superioritate, ad quod liceat provocare. In Sole ipso cæcutiunt, si id sibi persuadeant; cum ostenderimus universalem Ecclesiam, ac præsertim Gallicanam, Supremam Pontificis auctoritatem omnibus sæculis veneratam fuisse. Quod si nonnulli ex Gallis tempore Schismatis docuerint teneri Pontificem Concilii mandatis obtemperare, solum, ut diximus, locuti sunt de Pontifice dubio. Erronee autem deinde alii idipsum dicendum de Pontifice indubitato arbitrati sunt, nixi futilibus ratiocinationibus, quas in expositione Thesis XXIX. ab Alexandro VIII. confixę affatim evacuavimus. Perpauci autem ex his Auctoribus,

ribus, temeritatem potius, quam eruditionem ostentantes, non sunt satis ad eam maculam offundendam piissimæ Gallicanæ Ecclesiæ, quæ saltem secundum potiorem sui partem usque ad præsens sæculum ab eo errore abhorruit. Testem invoco celebrem Sorbonicæ Scholæ Doctorem Andream Duvallium, qui differens de Sententia docente Pontificem esse supra Concilium, ad quod non liceat provocare, Tract. de Romani Pontificis potestate par. 4. quæst. 7. hæc habet: *Totus Orbis, exceptis pauculis Doctoribus, eam sententiam amplectitur, & rationibus validissimis tum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis a Theologia petitis confirmatur.*

Mirum itaque, quod perpauci umbratili pauculorum auctoritate confisi, adversus Theologorum fere omnium, ac præsertim Gallicanorum sensum, adversus universalis Ecclesiæ, ac præsertim Gallicanæ morem, adversus Conciliorum Oecumenicorum plurimas definitiones, ac adversus plurimorum Conventuum Gallicanorum mentem, integrum sibi esse audacter dixerint, a dogmaticis Constitutionibus ad Concilium futurum provocare, nihil pertimescendo censuras a Pio II. & Julio II. adversus hujusmodi appellantes latas, quod scilicet tanquam Schismatici, inconsutilem Christi tunicam scindentes, & male de fide sentientes habendi sint, ut advertit Fr. Antonius de Sousa ex Prædicatorum Familia in Relectionibus de Censuris Bullæ Cœnæ ex Sylvestro, Cajetano, Tabiena, Ledesma, & aliis.

Post hæc sicut nonnullis Gallis ad futurum Concilium appellantibus torrentem Theologorum, ac ipsius Galliæ Episcoporum, necnon præsentis Cleri Gallicani, ac Eminentissimi de Noailles Archiepiscopi Parisiensis objeci: ita Jansenianis confixarum thesium Quesnellianarum explanationem postulantibus, antequam rejectentur, atque adeo quodammodo de Pontificis ex Cathedra loquentis inerrabilitate ambigentibus, Jansenianorum turbam, ac ipsum Jansenium, ejusque didascalum Bajum, ab enormi hoc errore refugientes, objicio. Jansenius usque adeo Pontificiam auctoritatem erroris expertem venerabatur, ut in Procemio ad Tom. 2. cap. 29. dixerit: *Quicquid ab ista Petri Cathedra, ab isto Ecclesiæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quicquid improbatum improbo, damnatum damno, anathematizatum anathematizo.* Michael Bajus Doctor in Belgio celebris, audita proscriptione novem, ac septuaginta suarum Thesium facta a Pio V., & Greg. XIII., quamvis per hallucinationem putaret earum nonnullas posse in rigore, ac proprio verborum sensu defendi, in obsequium tamen Pontificię auctoritatis, nulla petita earum thesium explanatione, ut rejectandas duceret, nullo quæsito a Facti quæstione præsidio, nulla interposita ad futurum Concilium appellatione, illico suam Confessionem, ac damnatæ doctrinæ retractationem his verbis expressit die 24. Maji 1580. *Fateor plurimas ex iisdem Sententiis in nonnullis libellis a me olim, & ante emanatam Sedis Apostolicæ super iis censuram conscriptis, & in lucem editis, contineri & defendi, etiam in eo sensu in quo reprobantur. Ac declaro, me impræsentiarum ab iis omnibus recedere, & damnationi a Sede Apostolica factæ acquiescere, neque posthac ullas docere, asserere, aut defendere velle.*

Janseniani ex eo redarguuntur, quia toti sunt in tuenda irrefragabilitate doctrinæ D. Augustini in materia Gratię, illam tanquam Dei Verbum excipientes, adeo ut per summam insipientiam docuerint thesim illam trigesimam ab Alex. VIII. proscriptam: *Ubi quis invenerit doctrinam in Augustino clare fundatam, illam absolute potest tenere, & docere, non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam*; perinde quasi sensus perspicuus verborum Bullæ accommodandus sit doctrinæ D. Augustini, & non viceversa doctrina Augustini sensui perspicuo verborum Bullæ. Nunc sic arguo illos redarguendo. Non alia de causa censent Augustinianam doctrinam esse irrefragabilem, & ab errore prorsus immunem in materia Gratiæ, nisi quia illa a Summis Pontificibus dicitur canonizata, videlicet a Cœlestino Papa in Epist. 1. ad Episcopos Galliæ, a Gelasio Papa dist. 13. cap. 3. omnia

Augu-

Augustini opera generaliter approbante, a Jo. II. apud Baronium anno 534. qui scribens de Augustino ad quosdam Senatores, dixit: *Cujus doctrinam secundum Prædecessorum meorum statuta Romana sequitur, & servat Ecclesia*; ut propterea Jansenius lib. 3. de statu naturæ puræ cap. 22. dixerit, non aliunde Augustini doctrinam esse irrefragabilem, nisi quia *toties illam probavit, & sequitur, sequendamque monet Sedes Apostolica*. Ex hoc autem, nisi quis desipiat, evidentissime descendit, quod si Augustini doctrina inerrabilitatem haurit a Pontificiis attestationibus, a fortiori inerrabilitas ista in ipsis Pontificibus ex Cathedra loquentibus reperienda sit; siquidem juxta Philosophicum effatum, *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*. Revera nusquam Pontifices definiere, doctrinam Augustini esse irrefragabilem, prout illam vocat Jansenius tom. 2. lib. 1. procem. cap. 24.; neque ex eo, quod a Pontificibus ea commendata sit generaliter, sequitur, quod in iis punctis, quæ connexionem non habent cum punctis ab Ecclesia definitis, dici possit irrefragabilis, adeo ut absque ullo respectu ad Pontificum Bullas teneri, ac doceri possit, ut fuse ostendimus in expositione commemoratæ thesis proscriptæ, præsertim ex Melchiore Cano cap. 3. de locis Theologicis, ubi habet: *Stultum esse libris Canonicis Augustini opuscula æquare*. At detur Jansenio, ejusque Asseclis Sancti Doctoris Doctrinam irrefragabilem esse, utpote a Pontificibus canonizatam, poteritne deinde citra dementiam Pontificiis definitionibus irrefragabilitas denegari? Si posset Pontifex in re dogmatica esse errori obnoxius, profecto in hoc ipso errare potuisset, quod Augustini doctrinam in materia de Gratia canonizarit; atque adeo deficiente Pontificis irrefragabilitate, Augustini pariter irrefragabilitas deficeret, ac propterea ineptissime diceretur, quod Augustini doctrina sustineri possit non respiciendo ad ullam Pontificis Bullam. Dicendum itaque, quod pervicacia Jansenianos dementavit; & ut dicitur Matth. 15. *Cæci sunt, & duces cæcorum*, ad hoc barathrum deveniendo, ut a Constitutionibus dogmaticis ad futurum Concilium ausi sint provocare.

Adde his, quod maxime advertendum, appellationem ad futurum Concilium omnino interdicendam fuisse, (prout de facto in Bulla Cœnæ interdicitur) etiam in hypothesi quod verum haberet Sententia illa, quam ex communi Doctorum diximus esse ad minimum erroneam, ac hæresi proximam, videlicet de Concilii supra Pontificem præcellentia, atque adeo dissimulato, quod licita sit a decreto, vel mandato Pontificis ad Concilium Oecumenicum præsens, tanquam ad tribunal Superius, appellatio. Ratio est perspicua, quia in ea sententia erronea, quod Pontifex auctoritati Concilii præsentis debeat subesse, nullum sequeretur incommodum, si a Pontificia sententia ad Generale Concilium jam congregatum appellaretur, cum cæteroqui jure naturæ cuilibet ad tribunal Superius permittatur appellatio. At si Concilium non sit præsens, sed futurum, sub circumstantia ista futuri, innumera scandala orirentur, si hujusmodi appellatio permitteretur: quamobrem ea permitti non debet, sed a Supremo Ecclesiæ Moderatore Christi Vicario nullum in terris agnoscente (saltem deficiente Concilio) superiorem sub gravissima censura vetari debuit, tanquam ipso etiam naturæ jure vetita ex præcepto charitatis sub ea circumstantia, sub qua bono communi universalis Ecclesię secundum se gravissimum detrimentum esset allatura. Universim enim quoties ex aliquo actu de se jure naturę licito, ac in bonum privatum permisso sub aliqua circumstantia plurima, ac urgentia regulariter trahuntur incommoda, quę communi Reipublicę bono obstrepunt, tunc actus ille, quamvis de se licitus, sub illa tamen circumstantia est illicitus, & lege etiam positiva vetandus, ne illa gravia incommoda sequantur, prævalente bono ingenti totius Reipublicę bono exiguo personę privatę, adeo ut quilibet ex pręcepto Charitatis teneatur bonum hujusmodi privatum bono communi posthabere: (quod dicitur de bono personę privatę relate ad bonum publicum Civitatis, vel Regni, dicitur etiam de bono alicujus Civitatis, aut Regni relate ad bonum

bonum publicum totius Orbis, aut Ecclesię universalis, cum Regnum particulare relate ad totum Orbem, vel universam Ecclesiam se habeat sicut homo privatus ad bonum publicum suæ Civitatis). Atqui ex appellatione ad futurum Concilium sub hac circumstantia, quod sit futurum, (etiam dissimulato, quod auctoritas Concilii præstet auctoritati Pontificiæ) plurima, & ingentia inconvenientia in Ecclesia universali de se traherentur, quandoquidem cuilibet liceret a sententia, aut mandato Pontificis impune se subtrahere, & sic ad arbitrium vivere, dummodo dicat se ad futurum Concilium provocare: Et de facto Bannez 2. 2. quæst. 1. art. 10. dub. 2. testatur, ex appellatione a Parisiensibus facta ad futurum Concilium maxima scandala, & plures hæreses ortas fuisse. Ergo jure merito sub gravissima censura interdici debuit hujusmodi appellatio, esto ea de se supponeretur licita, præscindendo a circumstantia illa Concilii futuri; cum bonum universalis Ecclesiæ ex præcepto charitatis præferri debeat bono non solum personæ, sed etiam Ecclesiæ particularis. Hac de causa non semel in jure interdicitur appellatio, (esto ea de se supponatur unicuique jure naturæ licita) quia scilicet in aliquibus circumstantiis magnum esset incommodum Reipublicæ allatura; ut videre est l. 2. ff. de Appell. recip., & l. *Ante sententiæ tempus*, C. quo. appell. non recip., & in l. *Apertissimi*, C. de judi. & notatur in C. *Cum sit Romana*, §. *Si vero*, & cap. *Bonæ* de Appellat. Potest quippe Princeps causa justa interveniente appellationem interdicere; ut probat Covarr. pract. quæs. cap 23. Hinc Paulus III. in Bulla in favorem nostrę Societatis edita anno 1549., ut vigor disciplinæ melius conservaretur, vetuit Nostris quamcumque Appellationem a correctione Regulę Societatis secundum Ordinationes ejus factę, jussitque, ne hujusmodi appellatio per ullum Judicem admitteretur.

Hactenus dicta hoc exemplo nostrę Societatis dilucide confirmantur. Etenim certo certius est, Præpositum Generalem subditum omnino esse Comitiis nostris Generalibus, adeo ut unicuique liceat jure naturæ (præscindendo a lege positiva in contrarium) a sententia, vel mandato Præpositi Generalis ad Comitia Generalia præsentia provocare. At quis dixerit, unicuique pariter sive personæ, sive Collegio, sive Provinciæ integrum esse a sententia, vel mandato Præpositi Generalis ad Comitia Generalia futura provocare, ita ut interim sententia Præpositi Generalis suspendatur, nec debeat executioni mandari? Nonne id esset, ostium cuilibet laxitati reserare, & libertatis habenas effundere? Cuilibet enim impune liceret Regularum perfringere repagula, appellatione interposita ad futura Generalia Comitia. Et tamen Comitia isthæc Generalia post aliquot annos, saltem in obitu Præpositi Generalis, convocanda sunt, & interim daretur in terris Pontificia potestas, quæ posset incommodis occurrentibus occurrere. Quomodo itaque somniare quis poterit, quod dissimulata sententia illa erronea de Superioritate Concilii OEcumenici relate ad Pontificem, & permissa jure naturę appellatione a Pontificis sententia vel mandato ad Concilium presens, adhuc permissa censenda sit appellatio ad Concilium futurum, quod forte nonnisi post secula erit convocandum, & quo deficiente deesset in terris Ecclesiastica potestas potestate Pontificia superior, quę posset frena injicere libertati, & hereses identidem erumpentes extinguere? Quare etiam propter bonum fidei, quod cuilibet alteri privato, ac publico etiam bono prevalere debet, ad futurum Concilium appellatio jure ipso naturę vetatur, ex utroque scilicet precepto Charitatis, & Fidei; & jure merito in Bulla Cœnę sub gravissima censura interdicitur. Quod hic addidisse operę pretium fuit, ansa arrepta ab Appellatione nuper facta ad futurum Generale Concilium a paucis nonnullis; qui adeo pauci sunt, ut non impediant, quominus universa Ecclesia, immo etiam universa ferme Gallia dicatur ab hujusmodi appellatione tanquam a Tartareo monstro abhorrere; adeo ut absolute dici possit, Galliam totam in antiquissima erga Sedem Apostolicam veneratione constanter persistere, & adversus Jansenianam Hydram ferro, flammaque pugnare.

Ani-

Animadvertendum denique cenſeo, nonniſi per injuriam nonnullos conqueri, quod abſolute, ac paucis nonnullæ ex Queſnellianis theſibus proſcribantur, quamvis forte videantur potuiſſe in ſano ſenſu, etſi non germano, benigne accipi; Perſpectum ſiquidem omnibus eſt, Heterodoxos univerſim data opera, ac mira calliditate hereſes paſſim diſſeminare verbis ſubobſcuris, immo ſpecioſo quodam verborum apparatu, ut ſi forte erroris notentur, facili negotio pientiſſimum aliquem ſenſum verbis illis appingere poſſint, detorquendo tamen illa a proprio, & rigoroſo ſenſu, quem ad fallendum ſagaciter obtrudere conantur; Quod hic præſertim factitatum eſt: At non oportuit, ut Eccleſia in profligandis hiſce theſibus a ſuo conſueto more recederet; cum ſatis ſit ad eas proſcribendas, quod in proprio, ac obvio, quem verba exhibent, ſenſu ſuſtineri non poſſint: Præſertim quia Doctorum perſpicacia in promptu eſt, qua Heterodoxorum calliditas palam fiat, enucleando veram, ac legitimam verborum ſignificationem, ut etiam Polemica, & Theologica facultate parum tinctis innoteſcat proſcriptarum theſium in proprio, ac legitimo verborum ſenſu ab Auctoribus intento falſitas, ac fallacia. Sed ne plura; premiſſa prius Pontificia Conſtitutione, ad Queſnellianas theſes ſigillatim diſcutiendas, ac conterendas, Dei, ac Deiparæ ſuffultus præſidio gradum faciam, ſubjiciendo ſingulis ſuam Anacephalæoſim, in qua paucis germanus, ac obvius, quem præſeferunt verba, necnon intentus ab Auctore ſenſus enucleatur, & exploditur.

DAMNATIO ERRORUM PASCHASII QUESNELLII, ET MONUMENTA HUC SPECTANTIA.

EDICTUM CITATORIUM CONTRA QUESNELLUM ANNO 1704.

„ HUmbertus Guilielmus a Precipiano, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archiepiſcopi Mechlinienſis, Primas Belgii, ad Exercitus Regios Delegatus Apoſtolicus, Suæ Majeſtati a Conſiliis Status &c. Omnibus Presbyteris, Clericis, Notariis, Tabellionibus publicis, & Apparitoribus Curiæ noſtræ juratis ſalutem in Domino. Expoſuit Nobis Procurator Officii Curiæ noſtræ Eccleſiaſticæ Bruxellis, quod Pater Paſchaſius Queſnel Presbyter, Origine Pariſienſis, ante hac detentus, ac ſequeſtratus in Palatio noſtro Archiepiſcopali hujus Oppidi, poſtquam citatus fuiſſet, ut perſonaliter reſponderet ad Libellum Conventionalem Exponentis, ſequeſtrum ſuum violaverit, & effracto de nocte, opera nonnullarum perſonarum, carcere eruperit, & hactenus latitet; cumque publici interſit dictum Profugum, & Latitantem via juris adigi ad hoc, ut perſonaliter reſpondeat ad præfatum libellum, Vobis, & ſingulis veſtrum mandamus, ut ad inſtantiam præfati exponentis citetis coram Nobis perſonaliter, & peremptorie, ad certum diem juridicum per vos deſignandum (intra quem, & diem Citationis veſtræ ſint ad minus quatuor ſeptimanæ intermediæ) aut ſi ille juridicus non fuerit, ad alium tunc immediate ſequentem, præfatum Patrem Paſchaſium Queſnel ante hac detentum, & ſequeſtratum in Palatio noſtro Archiepiſcopali Bruxellis dicto Procuratori Officii reſponſurum ſuper ſequentibus.

„ I. Quod poſtquam Anno 1678. in Comitiis Oratorii *Berulliani* omnibus, & ſingulis ejuſdem Congregationis injunctum fuiſſet ſubſcribere Formulæ rejiciendi in Scholis *Hæreſim Janſenianam*, & ipſe pertinaciter recuſaſſet ſubſcribere, *Galliam* deſeruerit, & quamvis Presbyter, latitaverit *in Belgio Catholico* ſub veſte laica.

„ II. Quod ibidem, & in vicinis Provinciis plures turbas, & diſſidia excitarit, Presbyteros commoverit adverſus proprios Epiſcopos, *Clerum Batavicum* impulerit adverſus Summum Pontificem.

„ III. Quod damnatam in Michaele Bayo Doctrinam renovaverit, atque laudaverit novam Operum ejuſdem Bay editionem.

„ IV. Quod proſcriptam *Janſenii* Doctrinam extulerit paſſim, ac propugnaverit, & damnatas *Janſenii* Hæreſes ſuis paſſim ſcriptis inſeruerit.

„ V. Quod Pontificiis Decretis, in Cauſa *Janſenii* latis, liberaliter detraxerit, quaſi iiſdem aliquid per fraudem, & citra Pontificum voluntatem fuiſſet inſertum.

„ VI. Quod ſcripſerit eſſe ſacrilegum, & toti Eccleſiæ junjurioſum exigere Subſcriptionem, & Juramentum Facti, uti ajunt, *Janſeniani*, quod Formulario Alexandri VII. continetur.

„ VII. Quod poſt Breve, & Decretum Innocentii XII. de anno 1694. contenderit ſenſum obvium Formularii non requirere, ut Propoſitiones damnentur *in ſenſu ab Authore intento*, ediderítque, & omnium ſuorum nomine editam, declaraverit Formularii explicationem, in qua proteſtatur, quod per Formularii Subſcriptionem non ſubſcribatur condemnationi Libri *Janſenii*.

„ VIII. Quod, quamvis Alexander VII. declaraverit eſſe falſum, patenſque mendacium, quod ſub Innocentio X. non fuerit examinatum id quod vocatur *Factum Janſenii*; nihilominus præfatus P. Queſnel auſus fuerit palam aſſerere, & Scriptis ſuis propalare, non fuiſſe ſub Innocentio X. examinatum id, quod vocatur *Factum Janſenii*.

„ IX. Quod dixerit publice nondum adveniſſe tempus reddendi Juſtitiam *Janſenio*, & illam ipſi injuriam reparandi, & interim ipſe per minaces litteras jactaverit, ſe aliquando *Janſenii* defenſionem ſuſcepturum contra *Clerum Gallicanum*.

„ X. Quod pertinaciter adhæſerit factioni eorum, qui adverſus Eccleſiæ Decreta, & adverſus Edicta Principum conjurarunt, Librum, & Doctrinam *Janſenii* tueri; Quod illa Factio late per *Galliam*, *Belgium*, & *Hollandiam* ſit diffuſa, & a Factioſis appelletur *Ordo*; Quod illa Factio habeat ſuas, uti vocant, Abbatias, Prioratus, Collegia, Domos, Hoſpitia, & Eremos; Quod illa Factio plures complectatur Sæculares, & Regulares, quorum alios Viſitatores, alios Priores, alios ſimpliciter Patres, alios Fratres appellant; Quod a morte D. Arnaldi, quem *Patrem Abbatem* nuncupabant, P. Queſnel Factionem hanc conſiliis ſuis rexerit ſub titulo *Patris Prioris*; Quod varias inſtituerit Viſitationes, exigens a præcipuis, ut ad ipſum referrent quæcumque poſſent promovere dictam Factionem; Quod ad eum effectum procuraverit diſtributiones pecuniarum, quibus Procuratores Factionis tam *Romæ*, quam *Pariſiis*, & alibi exiſtentes poſſent Cauſas Factionis ſuſtinere.

„ XI. Quod in Litteris Factionem concernentibus paſſim uſus fuerit Cifra fictorum nominum, ne celata Myſteria, & Conſpirationes poſſent, eveniente caſu interceptionis Litterarum, detegi.

„ XII. Quod ad novam editionem correxerit Libellum, cui titulus *Phantome du Jansenisme*, dum ipse ejusmodi prætensi Phantasmatis erat Dux, & Antesignanus.

„ XIII. Quod cum *Romæ* damnatum fuerat Opus ab ipso *Parisiis* editum, cui titulus *Dissertationes, Notæ, Observationes, Emendationes, Interpretationes, Annotationes, Apostilla ad S. Leonis Magni Opera, & Codicem Canonum Constitutionum Sedis Apostolicæ*, ausus sit adversus Decretum desuper latum scribere plurima infamia, & Sacræ Congregationi summe injuriosa.

„ XIV. Quod tam scripserit, quam ab intimis suis receperit litteras Regi nostro Catholico, Regi etiam Christianissimo, & præcipuis utriusque Regis Ministris, imo & Summis Pontificibus, Cardinalibus, & Episcopis graviter obtrectantes; quodque illos, a quibus ejusmodi litteras recepit, continuaverit colere uti intimos.

„ XV. Quod indigno modo perstrinxerit Regium Senatum *Montibus Hannoniæ* residentem, uti & Montensem Magistratum.

„ XVI. Quod litteris suis laudaverit, & probaverit plura Opuscula Patris *Gabrielis Gerberon*, quæ a Sede Apostolica sunt proscripta; Quodque eidem subministraverit varia manuscripta, ex quibus dicta Opuscula conficeret.

„ XVII. Quod limaverit plura Scripta seditiosa, & perniciosa exarata manu D. *Ernesti Ruth d'Ans*.

„ XVIII. Quod acriter invectus sit in eos, qui damnarunt quadraginta Doctores Sorbonicos, propter resolutionem famosi Casus Conscientiæ: perfidiam objecerit iis ex quadraginta Doctoribus, qui ad saniorem mentem reversi, se Eminentissimo Cardinali de Noailles, Archiepiscopo suo, subjecerunt.

„ XIX. Quod, postquam ipsemet erga Eminentissimum Cardinalem Noaillium, suum Archiepiscopum, summam publice professus esset venerationem, suosque Libros illius emendationi absolute subjecisset, interim dictum Eminentissimum Dominum Litteris suis ad amicos scriptis indignis modis perstrinxerit, & dum Libellum eidem Eminentissimo Domino summe injuriosum detestari simularet, eumdem, ad familiares suos scribens, summe laudaverit, tanquam moderatissime, ac nervosissime scriptum.

XX. Quod in hoc *Belgio*, & sub Archi-Diœcesi nostra, reimprimi, & distrahi curaverit varia Scripta jam antea a Sede Apostolica prohibita, ac ediderit plurima Anonyma, uti & varia non solum carentia approbatione Censoris; sed & Authorem, & Typographum mentientia.

„ XXI. Quod ob scandala inde orta, & errores, falsitates, ac injurias in illis contentas, jam nunc aliqua ex dictis Scriptis, Decretis Sedis Apostolicæ fuerint condemnata, & etiam *in Belgio* manu Tortoris combusta.

„ XXII. Quodque *Bruxellis* absque ulla approbatione Censoris Ordinarii loci, curarit imprimi *Historiam Congregationum de Auxiliis*, postquam petitum desuper Privilegium Regium ipsi fuerat denegatum.

„ XXIII. Quod illo ipso tempore, quo ductus fuit ad locum sequestri, actualiter incumberet edendis variis Libris, & Scriptis absque ulla approbatione, aut Privilegio Regio, & signanter: *Lettre d'un Evêque a un Evêque, & l'Année Chretienne*, operi bis a Sede Apostolica condemnato.

„ XXIV. Quod etiam præparaverit compilationem centum quinquaginta sex Opusculorum, a nata Hæresi *Janseniana* in publicum editorum, quorum etiam plurima a Sancta Sede sunt damnata: illaque omnia perpetraverit cum magno CHRISTI Fidelium scandalo, & obloquio, & super aliis de Jure, consuetudine, concordatis, ac alias ad cognitionem nostram pertinentibus die prima serviente latius deducendis, quod videbitur responsurum; & cum præfatus Paschasius Quesnel, ut dictum est, sit profugus ac latitet, volumus, ut Executio præsentium, quæ fiet ad Portam Palatii nostri in hoc Oppido, ad valvas Insignis Ecclesiæ Collegiatæ Divorum Michaelis, & Gudilæ, & ad ultimum citati in hoc Oppido Domicilium (missa citato, si fieri possit, harum & Executionis vestræ copia) ejusdem sit valoris, & roboris, ac si in propriam ipsius Personam facta foret, & pro tali eam authorisamus, & quid de eo feceritis, Nobis fideliter rescribatis. Datum Bruxellis die 13. Febr. Anni 1704.

„ *Sequuntur Verificationes legales singulorum Articulorum*, in Causa Quesnelliana *edita Bruxellis* 1705. *Eæ constant ex authenthicis monumentis, ac præcipue ex Epistolis, & scriptis, totaque supellectili literaria, quæ pervenit in manus Curiæ Archiepiscopalis Mechliniensis* " cum D. Marchio de Bedmar Belgii Moderator nomine Regis Hispaniarum, præstita a se Archiepiscopali Ministerio opera effecit, ut irrequieta illa capita Gerberonius, Quesnellus, Brigodæus paucarum horarum spatio non sine regulari cœli favore die 30. Maji 1703. ad Palatium Archiepiscopale Bruxellis deducti fuerint, ac sequestro mancipati " *ut in Causa Quesnelliana dicitur pag.* XI.

Breve Clementis XI. in condemnationem Observationum Moralium *Paschasii Quæsnelli* *Anno* 1708.

„ CLemens P. XI. ad perpetuam rei memoriam. Universi Dominicis Gregis cura, humilitati nostræ cœlitus demandata nos urget, ut Sacrarum Scripturarum, quibus potissimum Ecclesia Catholica pascitur, & nutritur, puritati & integritati custodiendæ sedulo advigilemus, ac Christi Fidelium animas pretioso ejus Sanguine redemptas, pravis atque fallacibus docentium, quæ non oportet, institutionibus decipi, aut a via veritatis abduci minime patiamur: Salutaribus enim veterum Patrum documentis instruimur, perversa petulantium ingeniorum interpretatione, de Evangelio Christi fieri Evangelium hominis, & in populi Dei seductionem, & exitium cedere, si præsertim pietatis obtentu offendicula parentur incautis, & Catholicæ veritati velut zizania in medio tritici mala semina misceantur erroris. Cum itaque, sicut accepimus, in lucem prodierit liber quidam Gallico idiomate impressus, & in plurimos Tomos distributus sub titulo; *Le Nouveau Testament en Francois avec des Reflexions Morales sur chaque verset, a Paris* 1699. (*ac aliter*) *L'abregé de la Mo-*

„ *la Morale de l'Evangile, des Actes des Apotres,*
„ *des Epitres de Saint Paul, des Epitres Canoniques, & de l'Apocalipse, ou Pensées Chrétiennes sur le texte de ces Livres sacres a Paris 1693. , & 1694. se vendent a Bruxelles chez Eugene Frix:* Ac pluries typis reclusus fuerit, non sine bonorum offensione, & ingenti animarum periculo propter ejus frequentem in variis Provinciis fluxionem, & usum, quemadmodum ad Apostolatum nostrum multorum querela delatum est. Nos librum hujusmodi nonnullis ex Vener. Fratribus nostris Sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus, aliisque in Sacra Theologia Magistris, mature ut rei gravitas postulare videbatur, examinandum commisimus. Illi vero mandatis nostris obsequentes, librum ipsum, post accuratam ipsius discussionem, unanimi consensu prohibendum esse censuerunt, utpote, *qui Sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibet damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum, & alteri versioni Gallicæ, dudum a felicis recordationis* Clemente Papa IX. Prædecessore nostro per quasdam suas in simili forma die 2. Apr. 1668. expeditas litteras *damnatæ, in multis conformem: a vulgata vero editione, quæ scilicet tot sæculorum usu, in Ecclesia probata est, atque ab orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet, multipliciter discrepantem, & aberrantem*, Notas insuper, & observationes continet, habentes quidem speciem pietatis: sed ad virtutem ejus abnegandam subdole deducentes, in quibus passim occurrunt doctrinæ, & Propositiones *seditiosæ, temerariæ, perniciosæ, erroneæ, alias damnatæ, & Jansenianam Hæresim manifeste sapientes.* Hinc est, quod nos creditum nobis a Domino Pastoralis curæ, atque vigilantiæ munus, quantum ex alto nobis conceditur, salubriter exequi cupientes, de eorumdem Cardinalium consilio, librum supradictum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut imposterum (quod absit) imprimendum, authoritate Apostolica tenore præsentium damnamus, & reprobamus, ipsiusque libri impressionem, descriptionem, lectionem, retentionem, & usum, omnibus, & singulis Christi Fidelibus, etiam specifica, & individua mentione, & expressione dignis; *Sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto absque alia declaratione incurrenda*, a qua nemo a quoquam, præterquam a nobis, seu Romano Pontifice pro tempore existente, nisi in articulo mortis constitutus, absolutionis beneficium valeat obtinere, omnino interdicimus, & prohibemus, volentes, & eadem authoritate mandantes, ut quicumque librum hujusmodi penes se habuerint, vel in futurum quandocumque habebunt, illum statim atque præsentes Litteræ eis innotuerint, locorum Ordinariis, vel Hæreticæ pravitatis Inquisitoribus tradere atque consignare teneantur, ii vero exemplaria sibi sic tradita illico flammis aboleri curent, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ut autem eædem præsentes litteræ omnibus facilius innotescant, ne quisquam illorum ignorantiam allegare possit, volumus, & authoritate prædicta decernimus illas ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, ac Cancellariæ Apostolicæ, nec non Curiæ generalis in Monte Citatorio, & in acie Campi Floræ de Urbe per aliquem e Cursoribus nostris, ut moris est publicari, illarumque exempla ibidem affixa relinqui, ita ut sic publicata, omnes, & singulos quos concernunt, perinde afficiant, ac si unicuique illorum personaliter notificatæ, & intimatæ fuissent; istarum autem litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eamdem prorsus fidem, tam in judicio, quam extra illud ubicumque locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si exhibitæ forent, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 13. Julii 1708. Pontificatus Nostri Anno VIII.

F. OLIVERIUS.

„ *Frustra Jansenistæ opponunt, hoc Breve Apostolicum non fuisse in Gallia receptum: Id enim non ex causa Doctrinæ ab eo vetitæ fuit, sed propter insertam clausulam:* Exemplaria vero (libri Quesnelliani) sic tradita illico flammis aboleri curent locorum Ordinarii: *Quam clausulam Rex Galliæ, ejusque Curia putarunt contrariam esse Regiæ Potestati, cui pœnas temporales privative conveniat infligere. Id notat D. Lafiteau Episcopus Sistercienfis* L. 1. Hist. Const. *Unigenitus.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI DOMINI

CLEMENTIS

Divina Providentia Papæ XI.

Damnatio quamplurium Propoſitionum excerptarum ex Libro Gallico idiomate impreſſo, & in plures Tomos diſtributo, ſub titulo: *Le Nouveau Teſtament en Françoìs, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris* 1699. Ac aliter: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes de Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Pensées Chrétiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris* 1693. & 1694.

Cum prohibitione ejuſdem Libri, & aliorum quorumcumque in ejus defenſionem tam hactenus editorum, quam in poſterum edendorum.

CLEMENS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Univerſis Chriſtifidelibus ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UNIGENITUS DEI FILIUS pro noſtra, & totius Mundi ſalute filius hominis factus, dum Diſcipulos ſuos doctrina veritatis inſtrueret, univerſamque Eccleſiam ſuam in Apoſtolis erudiret, præſentia diſponens, & futura proſpiciens, præclaro ac ſaluberrimo documento Nos admonuit, ut attenderemus a falſis Prophetis, qui veniunt ad Nos in veſtimentis Ovium, quorum nomine potiſſimum demonſtrantur Magiſtri illi mendaces, & in deceptione illuſores, qui ſplendida pietatis ſpecie prava dogmata latenter inſinuantes, introducunt ſectas perditionis ſub imagine Sanctitatis; utque facilius incautis obrepant, quaſi deponentes lupinam pellem, & ſe ſe Divinæ Legis ſententiis, velut quibuſdam Ovium velleribus obvolventes, Sanctarum Scripturarum, adeoque etiam ipſius Novi Teſtamenti verbis, quæ multipliciter in ſuam, aliorumque perditionem depravant, nequiter abutuntur: antiqui ſcilicet, a quo progeniti ſunt, mendacii Parentis exemplo, ac magiſterio edocti, nullam omnino eſſe ad fallendum expeditiorem viam, quam ut ubi nefarii erroris ſubintroducitur fraudulentia, ibi divinorum verborum prætendatur authoritas.

His nos vere Divinis monitis inſtructi, ubi primum, non ſine intima cordis noſtri amaritudine, accepimus, Librum quendam Gallico idiomate olim impreſſum, & in plures Tomos diſtributum, ſub titulo; *Le Nouveau Teſtament en François, avec des reflexions morales ſur chaque verſet, &c. A Paris* 1699. Aliter vero: *Abregè de la morale de l'Evangile, des Actes des Apoſtres, des Epiſtres de S. Paul, des Epiſtres Canoniques, & de l'Apocalypſe, ou Pensées Chrétiennes ſur le Texte de ces Livres Sacrez, &c. A Paris* 1693. & 1694. tametſi alias a Nobis damnatum, ac revera Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiſcentem, adhuc tamen tanquam ab omni errore immunem, a pluribus haberi, Chriſtifidelium manibus paſſim obtrudi, ac nonnullorum nova ſemper tentantium conſilio, & opera ſtudioſe nimis quaquaverſum diſſeminari, etiam latine redditum, ut pernicioſæ inſtitutionis contagium, ſi fieri poſſit, pertranſeat de gente in gentem, & de Regno ad populum alterum: verſutis hujuſmodi ſeductionibus, atque fallaciis creditum Nobis Dominicum Gregem in viam perditionis ſenſim abduci ſummopere doluimus: adeoque Paſtoralis non minus curæ noſtræ ſtimulis, quam frequentibus Orthodoxæ Fidei Zelatorum querelis, maxime vero complurium Venerabilium Fratrum, præſertim Galliæ Epiſcoporum, literis, ac precibus excitati, gliſcenti morbo, qui etiam aliquando poſſet in deteriora quæquæ proruere, validiori aliquo remedio obviam ire decrevimus.

Et quidem ad ipſam ingruentis mali cauſam providæ noſtræ conſiderationis intuitum convertentes; perſpicue novimus ſummam hujuſmodi Libri perniciem ideo potiſſimum progredi, & invaleſcere, quod eadem intus lateat, & velut improba ſanies, nonniſi ſecto ulcere foras erumpat, cum Liber ipſe primo aſpectu legentes ſpecie quadam pietatis illiciat, molliti enim ſunt ſermones ejus ſuper oleum, ſed ipſi ſunt jacula, & quidem intento arcu ad nocendum parata, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. Nihil propterea opportunius, aut ſalubrius præſtari a Nobis poſſe arbitrati ſumus, quam ſi fallacem Libri doctrinam generatim ſolummodo a Nobis hactenus indicatam, pluribus ſingillatim ex eo excerptis Propoſitio-

positionibus, distinctius, & apertius explicaremus, atque universis Christifidelibus noxia Zizaniorum semina e medio Tritici, quo tegebantur, educta, velut ob oculos exponeremus. Ita nimirum denudatis, & quasi in propatulo positis, non uno quidem, aut altero, sed plurimis, gravissimisque tum pridem damnatis, tum etiam nove adinventis erroribus, plane confidimus, benedicente Domino, fore, ut omnes tandem apertæ jam, manifestæque veritati cedere compellantur.

Id ipsum maxime e re Catholica futurum, sedandis præsertim in florentissimo Galliæ Regno exortis ingeniorum varie opinantium, jamque in acerbiores scissuras protendentium dissidiis apprime proficuum: Conscientiarum denique tranquillitati perutile, & propemodum necessarium non modo præfati Episcopi, sed & ipse in primis Charissimus in Christo Filius noster Ludovicus Francorum Rex Christianissimus, cujus eximium in tuenda Catholicæ Fidei puritate, extirpandisque erroribus Zelum satis laudare non possumus, sæpius Nobis est contestatus; repetitis propterea vere piis, & Christianissimo Rege dignis officiis, atque ardentibus votis a Nobis efflagitans, ut instanti animarum necessitati prolata quantocyus Apostolici censura Judicii consuleremus.

Hinc, adspirante Domino, ejusque cœlesti ope confisi, salutare opus sedulo, diligenterque, ut rei magnitudo postulabat, aggressi sumus; ac plurimas ex prædicto Libro, juxta supra recensitas respective editiones, fideliter extractas, & tum Gallico, tum Latino idiomate expressas Propositiones a compluribus in Sacra Theologia Magistris, primo quidem coram duobus ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus accurate discuti: deinde vero coram Nobis, adhibito etiam aliorum plurium Cardinalium consilio, quam maxima diligentia, ac maturitate singularum insuper Propositionum cum ipsomet Libri Textu exactissime facta collatione, pluries iteratis Congregationibus, expendi, & examinari mandavimus. Hujusmodi autem Propositiones sunt, quæ sequuntur, videlicet:

1 *Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum?*

2 *Jesu Christi gratia, principium efficax boni cujuscumque generis, necessaria est ad omne opus bonum; absque illa, non solum nihil fit, sed nec fieri potest.*

3 *In vanum, Domine, præcipis, si tu ipse non das quod præcipis.*

4 *Ita, Domine; Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo.*

5 *Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ exteriores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum.*

6 *Discrimen inter Fœdus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia; in isto vero Deus Peccatori dat, quod jubet, illum sua gratia purificando.*

7 *Quæ utilitas pro homine in veteri fœdere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est admitti ad fœdus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis?*

8 *Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit.*

9 *Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus.*

10 *Gratia est operatio manus Omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare.*

11 *Gratia non est aliud, quam voluntas Omnipotentis Dei, jubentis, & facientis, quod jubet.*

12 *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei.*

13 *Quando Deus vult animam salvam facere, & eam tangit interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit.*

14 *Quantumcumque remotus a salute sit Peccator obstinatus, quando Jesus se ei videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, se se humiliet, & adoret Salvatorem suum.*

15 *Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ suæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit.*

16 *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.*

17 *Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad Jesum Christum; quicumque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre.*

18 *Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum.*

19 *Dei Gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis.*

20 *Vera gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt; loquitur tamquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.*

21 *Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & imitatio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum.*

22 *Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis, cum libero ipsius voluntatis consensu, demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque Archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ, quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio.*

23 *Deus ipse nobis ideam tradidit omnipotentis operationis suæ gratiæ, eam significans per illam, quæ Creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam.*

24 *Justa idea, quam Centurio habet de Omnipotentia Dei, & Jesu Christi, in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate.*

25 *Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur.*

26 *Nullæ dantur gratiæ, nisi per Fidem.*

27 *Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum.*

28 *Prima gratia, quam Deus concedit Peccatori, est peccatorum remissio.*

29 *Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia.*

30 *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.*

31 *Desideria Christi semper habent suum effectum, pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat.*

32 *Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris.*

33 *Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc, ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*

34 *Gratia Adami non producebat, nisi merita humana.*

35 *Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ.*

36 *Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus.*

37 *Gatia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; Gratia Cristiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei.*

38 *Peccator non est liber, nisi ad malum, sine gratia Liberatoris.*

39 *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum; Est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum.*

40 *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem.*

41 *Omnis cognitio Dei, etiam naturalis, etiam in Philosophis Ethnicis, non potest venire, nisi a Deo, & sine gratia non producit, nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris.*

42 *Sola gratia Christi reddit hominem aptum ad Sacrificium Fidei; sine hoc nihil, nisi impuritas, nihil nisi indignitas.*

43 *Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato; adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi.*

44 *Non sunt, nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur; Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur; & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus.*

45 *Amore Dei in corde Peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.*

46 *Cupiditas, aut Charitas usum sensuum bonum, vel malum faciunt.*

47 *Obedientia legis profluere debet ex fonte; & hic fons est Charitas. Quando Dei Amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius, alioquin non est, nisi hypochrisis, aut falsa justitia.*

48 *Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine Fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate?*

49 *Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine Amore Dei.*

50 *Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si spiritus Charitatis non est ille, qui clamat.*

51 *Fides justificat, quando operatur; sed ipsa non operatur, nisi per Charitatem.*

52 *Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo gemine, & semine; Sed hæc fides non est absque amore, & fiducia.*

53 *Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum.*

54 *Sola Charitas est, quæ Deo loquitur, eam solam Deus audit.*

55 *Deus non coronat, nisi Charitatem; qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit.*

56 *Deus non remunerat nisi Charitatem, quoniam Charitas sola Deum honorat.*

57 *Totum deest Peccatori, quando ei deest spes, & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei.*

58 *Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas.*

59 *Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illis concedit, est novum in eos judicium.*

60 *Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem.*

61 *Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tandiu peccato addicitur, quandiu ab amore justitiæ non ducitur.*

62 *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo.*

63 *Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore.*

64 *Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud non nisi ob timorem evitando.*

65 *Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt, absque eo quod ullum Deo dederint filium; cum non effecerint nisi mancipia per timorem.*

66 *Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filii.*

67 *Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem.*

68 *Dei bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in Fide, & precibus.*

69 *Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei totum est donum puræ liberalitatis Dei.*

70 *Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum Peccatorem.*

71 *Homo ob sui conservationem potest se se dispensare ab ea lege, quam Deus condidit propter ejus utilitatem.*

72 *Nota Ecclesiæ Christianæ est, quod sit Catholica; comprehendens & omnes Angelos Cœli, & omnes Electos, & justos terræ, & omnium Sæculorum.*

73 *Quid est Ecclesia, nisi cœtus Filiorum Dei manentium in ejus sinu, adoptatorum in Christo, subsistentium in ejus persona, redemptorum ejus sanguine, viventium ejus spiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri Sæculi?*

74 *Ecclesia, sive integer Christus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra.*

75 *Ecclesia est unus solus homo, compositus ex pluribus membris, quorum Christus est Caput, vita, subsistentia, & persona, Unus solus Christus, compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator.*

76 *Nihil spatiosius Ecclesia Dei, quia omnes Electi, & Justi omnium sæculorum illam componunt.*

77 *Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Christi, cessat interius habere Deum pro Patre, & Christum pro capite.*

78 *Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput est JESUS Christus, tam non vivendo secundum Evangelium, quam non credendo Evangelio.*

79 *Utile, & necessarium est omni tempore, & omni loco, omni personarum generi studere, & cognoscere spiritum, Pietatem, & Mysteria Sacræ Scripturæ.*

80 *Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.*

81 *Obscuritas Sancta verbi Dei non est Laicis ratio dispensandi se ipsos ab ejus lectione.*

82 *Dies Dominicus a Christianis debet sanctificari lectionibus pietatis, & super omnia Sanctarum Scripturarum. Damnosum est velle Christianum ab hac lectione retrahere.*

83 *Est illusio sibi persuadere, quod notitia Mysteriorum Religionis non debeat communicari fœminis, lectione Sacrorum librorum. Non ex fœminarum simplicitate, sed ex superba virorum scientia ortus est Scripturarum abusus, & natæ sunt hæreses.*

84 *Abripere e Christianorum manibus novum Testamentum, seu eis illud clausum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, est illis Christi os obturare.*

85 *Interdicere Christianis lectionem Sacræ Scripturæ, præsertim Evangelii, est interdicere usum luminis filiis lucis, & facere ut patiantur speciem quamdam excommunicationis.*

86 *Eripere simplici Populo hoc solatium jungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, est usus contrarius praxi Apostolicæ, & intentioni Dei.*

87 *Modus plenus sapientia, lumine, & Charitate est, dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi, ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur.*

88 *Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem.*

89 *Quartus decimus gradus conversionis Peccatoris est, quod, cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.*

90 *Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu, saltem præsumpto, totius Corporis.*

91 *Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro. Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, JESU Christo, atque ipsi Ecclesiæ pir Charitatem affixi sumus.*

92 *Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari Sanctum Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra Authoritatem, aut scindere unitatem.*

93 *JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit, sine ipsius mandato; JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato Zelo rescindunt.*

94 *Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores.*

95 *Veritates eo devenerunt, ut sint lingua peregrina quasi plerisque Christianis , & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum; adeo remotus est a simplicitate Apostolorum , & supra communem captum fidelium; Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in Filios suos.*

96 *Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ.*

97 *Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed Justus vivit ex Fide, & non ex opinione hominum.*

98 *Status persecutionis & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam Hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem JESU Christo.*

99 *Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, V. G. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c.*

100 *Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit . . . . . Haberi, & tractari a Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tamquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus Diabolo Dei servum.*

101 *Nihil spiritui Dei, & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia, quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis; & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum.*

Auditis itaque tum voce, tum scripto Nobis exhibitis præfatorum Cardinalium, aliorumque Theologorum suffragiis, divinique in primis luminis, privatis ad eum finem, publicisque etiam indictis precibus, implorato præsidio, omnes, & singulas Propositiones præinsertas, tanquam falsas, & captiosas, male sonantes, piarum aurium offensivas, scandalosas, perniciosas, temerarias, Ecclesiæ, & ejus praxi injuriosas, neque in Ecclesiam solum, sed etiam in Potestates sæculi contumeliosas, seditiosas, impias, blasphemas, suspectas de hæresi, ac hæresim ipsam sapientes, necnon hæreticis, & hæresibus, ac etiam schismati faventes, erroneas, hæresi proximas, pluries damnatas, ac demum etiam hæreticas, variasque hæreses, & potissimum illas, quæ in famosis Jansenii Propositionibus, & quidem in eo sensu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeste innovantes, respective, hac nostra perpetuo valitura Constitutione, declaramus, damnamus, & reprobamus.

Mandantes omnibus utriusque sexus Christifidelibus, ne de dictis Propositionibus sentire, docere, prædicare aliter præsumant, quam in hac eadem Nostra Constitutione continetur; ita ut quicumque illas, vel illarum aliquam conjunctim, vel divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de iis etiam disputative, publice, aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, Ecclesiasticis censuris, aliisque contra similia perpetrantes a Jure statutis pœnis ipso facto, absque alia declaratione, subjaceat.

Cæterum per expressam præfatarum Propositionum reprobationem alia in eodem Libro contenta nullatenus approbare intendimus; cum præsertim in decursu examinis complures alias in eo deprehenderimus Propositiones illis, quæ, ut supra, damnatæ fuerunt, consimiles, & affines, iisdemque erroribus imbutas; nec sane paucas sub imaginario quodam veluti grassantis hodie persecutionis obtentu, inobedientiam, & pervicaciam nutrientes, easque falso Christianæ patientiæ nomine prædicantes: quas propterea singulatim recensere, & nimis longum esse duximus, & minime necessarium; ac demum, quod intolerabilius est, Sacrum ipsum Novi Testamenti Textum damnabiliter vitiatum comperimus, & alteri dudum reprobatæ versioni Gallicæ Montensi in multis conformem; a vulgata vero editione, quæ tot Sæculorum usu in Ecclesia probata est, atque ab Orthodoxis omnibus pro authentica haberi debet; multipliciter discrepantem, & aberrantem, pluriesque in alienos, exoticos, ac sæpe noxios sensus, non sine maxima perversitate detortum.

Eumdem propterea Librum, utpote per dulces sermones, & benedictiones, ut Apostolus loquitur, hoc est, sub falsa piæ institutionis imagine, seducendis Innocentium cordibus longe accommodatum, sive præmissis, sive alio quovis titulo inscriptum, ubicumque, & quocumque alio idiomate, seu quavis editione, aut versione hactenus impressum, aut in posterum (quod absit) imprimendum, auctoritate Apostolica tenore præsentium iterum prohibemus, ac similiter damnamus; quemadmodum etiam alios omnes, & singulos in ejus defensionem tam scriptos, quam typis editos, seu forsan (quod Deus avertat) edendos libros, seu libellos, eorumque lectionem, descriptionem, retentionem, & usum omnibus, & singulis Christifidelibus sub pœna excommunicationis per contrafacientes ipso facto incurrenda, prohibemus pariter, & interdicimus.

Præcipimus insuper Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, aliisque locorum Ordinariis, necnon hæreticæ pravitatis Inquisitoribus, ut contradictores, & rebelles quoscumque per censuras, & pœnas præfatas, aliaque Juris, & facti remedia, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio, omnino coerceant, & compellant.

Volumus autem, ut earumdem præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem fides prorsus adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, damnationis, mandati, prohibitionis, & inter-

& interdictionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo decimo tertio, sexto Idus Septembris, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

I. Card. Prodatarius.

F. Oliverius.

Visa de Curia L. Sergardus.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

L. Martinettus.

Anno a Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo septingentesimo decimo tertio, Indictione sexta, die vero decima Septembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papæ XI. Anno decimotertio supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad Valvas Ecclesiæ Lateranen., & Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, Curiæ Generalis in Monte Citatorio, in acie Campi Floræ ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Petrum Romulatium Apostolicum Cursorem.

Antonius Placentinus Magister Cursorum.

PROPOSITIO I.

Quid aliud remanet animæ, quæ Deum, atque ipsius gratiam amisit, nisi peccatum, & peccati consecutiones, superba paupertas, & segnis indigentia, hoc est generalis impotentia ad laborem, ad Orationem, & ad omne opus bonum? *Ita Quesnellus Lucæ cap. 16. num. 3. in editione 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Theses Quesnellianæ Jansenianos errores recudunt.
II. Dum fœditas peccati ob oculos in hac thesi ponitur, impie asseritur, esse in peccatore generalem impotentiam ad quodvis bonum opus.
III. At neque liberum arbitrium per peccatum extinguitur; neque tollitur potentia ad exercenda opera honesta.
IV. Quod a lege naturali peccatori præcipitur, debet posse executioni mandari.
V. Aliter post primum peccatum non posset amplius homo peccare.
VI. Neque enim satis est, quod reliqua peccata sint imputabilia in causa.
VII. Arbitrium per peccatum non remanet peccati servum, & determinatum ad peccandum.
VIII. Potest quippe saltem opera naturalia honesta, præsertim urgente præcepto, exercere.
IX. Concupiscentiæ, & Dæmonis dominatum potest peccator excutere, cum possit iis dissentire.
X. In quonam sensu dicitur, Deus non pati nos tentari supra id quod possumus?
XI. Explicatur illud Arausicani, & Augustini: Nemo de suo habet, nisi peccatum, & mendacium.
XII. Et quomodo ibi regnet Cupiditas, ubi non est Charitas.
XIII. Nemini deest auxilium requisitum ad orandum.

I. EO collineat hæc, & quamplurimæ ex sequentibus Thesibus, ut evincant, quod Jansenius in quinque illis suis profligatis Propositionibus contendebat: videlicet: Aliqua Dei præcepta, etiam justis imposita, (& a fortiori præceptum pœnitentiæ impositum peccatori) esse impossibilia; ac deesse gratiam, ut impleantur: Gratiæ interiori in natura lapsa nunquam a voluntate resisti; ut proinde peccator nonnisi per gratiam Christi ineluctabilem converti possit, ad quam nullatenus valeat per orationem, & alios actus supernaturales prævios, fidei, spei, doloris, ac dilectionis libere se disponere: Ad merendum, si peccator resurgat, & ad demerendum, si non resurgat, sufficere libertatem a coactione: Semipelagianismum sapere gratiam resistibilem, quatenus initium aliquod ad opera salutaria haberetur a nobis, si possemus gratiæ resistere, aut obtemperare illi cooperando ad consensum: Denique Christum D. non esse mortuum, nec orasse pro peccatoribus destitutis gratia efficacissima, qua actu resurgant. Ex quibus omnibus, si verum haberent, rite inferretur, incassum conari peccatores ad resurgendum, incassum etiam justos conari ad perseverandum in accepta justitia: Et quod attinet ad orationem, labores, & alia pietatis opera, non debere peccatorem esse sollicitum, cum ad ea præstanda sit impotens, & si gratia interiori sublevetur, non possit illi obluctari; nec debere de iisdem operibus justos etiam esse anxios; siquidem si gratia interiori excitentur, non poterunt contraniti, atque adeo ea præstabunt; secus vero nullatenus poterunt operationes istas salutares exercere. Integrum proinde unicuique erit in natura lapsa Epicureorum instar curare cuticulam, abdomini inservire: Salvantur quippe quotquot gratia ista irresistibili instructi sunt, videlicet duntaxat Electi, pro quibus solum Christus oravit, ac sanguinem fudit pretiosissimum ad hanc illis gratiam obtinendam; cæteros vero, velint, nolint, damnationem subire necesse est: Unde ad torturam duntaxat deserviret sollicitudo illa, quam Deus a nobis exigit verbis illis Deut. 4. *Custodite sollicite animas vestras*: & verbis Michææ 6. *Indicabo*

cabo tibi, o homo, quid sit bonum, & quid Dominus requirat a te: Utique diligere judicium, & facere misericordiam, & sollicitum ambulare cum Deo tuo. Quandoquidem sollicitudo isthæc, & anxietas nihil conferret Electis ad salutem obtinendam, nihilque conferret Reprobis ad gehennam declinandam. Propterea sicut omnis sollicitudo de rebus temporalibus deponenda est, eo quod Divina, ac paterna Providentia non deest inquirentibus Dominum; unde dicitur Matth. *6. Nolite solliciti esse, dicentes: Quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? Hæc enim omnia Gentes inquirunt; Scit enim Pater vester, quia his omnibus indigetis*: Ita deponenda esset etiam omnis de rebus æternis solicitudo; quia Divina in ordine supernaturali Providentia Electis suis non desideratur in iis omnibus, quibus indigent; Reprobis vero nullatenus vult opitulari.

Hæc tamen omnia omnes Jansenii asseclæ, ac præsertim harum Thesium Auctor, fucosis verbis, ac speciem quandam pietatis non raro præseferentibus insinuant, commendando gratiam per Christum collatam, summis illam laudibus extollendo, tanquam omnipotentem, supremam, fortem, invincibilem, ut videre est in thesi 21. celebrando pariter pretium nostræ Redemptionis, tanquam efficaciter redemptivum omnium omnino Electorum, pro quibus duntaxat in Cruce solutum fuit. At dum gratiam Dei commendant tamquam omnipotentem, illam clanculum deprimunt tamquam eversivam libertatis indifferentiæ ad merendum requisitæ: & dum Christi Sanguini salutem Electorum referunt acceptam, Christi Redemptionem enervant, tamquam ex parte sua exclusivam Reproborum, pro quibus ne oravit quidem Christus D., nedum Sanguinem fudit; ut habet Jansenianorum antesignanus Calvinus lib. 1. Institut. in cap. 17. Jo: dicens: *Christum proprii gregis sui solummodo solicitum fuisse, & pro electis suis duntaxat orasse*.

II. Descendo nunc hominus ad detegendas primæ hujusce Thesis technas, & virus, quod per illam propinatur. Quid speciosius ad deterrendos homines a culpis, quam earum fœditatem ostendere, & ærumnas inde promanantes sub oculos ponere? quod adeo luculenter in hac thesi præstatur, dum deploratur status peccatoris, qui post Dei, ejusque gratiæ amissionem solum habet in contubernio peccatum, ejusque pedissequam innumerabilium malorum turbam, videlicet reatum odii divini, ac pœnæ æternæ, nuditatem superbiæ consociatam, ut peccatori appingi possit illud Apoc. 3. *Dicis, quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo, & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*; præterea indigentiam, ac egestatem torpentem, & ignavam cum latepatent issima impotentia ad laborandum, & orandum pro resistentia, & ad quodcumque opus honestum exercendum; ut videatur vafris hisce verbis inculcari illud Isaiæ 1. *Væ Genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam*, &c. *Omne caput languidum, & omne cor mœrens; a planta pedis usque ad verticem non est in eo sanitas*: Aut illud Oseæ *9. Væ eis, cum recessero ab eis*. Nihilominus quid efficacius ad peccatorem in suo barathro relinquendum, & ad incitandum illum ad desperationem, ac ad novas culpas perpetrandas, quam simul hoc errore illum imbuere, quod irriti sint ipsius conatus, nullas habeat vires ad orandum, nullas ad opera pietatis exercenda, quibus opem a Deo imploret, ut resurgat: sed solum in manu Dei esse gratiam efficaciter vivificantem, dandam unice Electis suis, pro quibus Christus oravit; nullatenus aliis qui in illorum syllabo non sunt ascripti, quamvis toto nisu conentur ad orandum, ad jejunandum, ad credendum, ad sperandum, ad dolendum de propriis reatibus, atque ad Deum diligendum?

Ecce quomodo in hac thesi mira calliditate error Bajanorum recuditur; quod scilicet homo post lapsum nonnisi ad peccandum valeat. Dicitur enim in 35. ex damnatis Baji thesibus: *Omne quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: Et in 40. *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Sanctum quippe est apud Bajanos, & Jansenianos, non esse possibilem in natura lapsa ullum actum virtutis condistinctæ a charitate supernaturali, quæ sit gratia per Christum nostræ salutis vindicem medicinalis, efficax, & invincibilis; idque propter imbecillitatem contractam ex lapsu; ut proinde proscripta etiam fuerit thesis 38. ejusdem Baji, dicens; *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*. Quem errorem iterum recudere paucis abhinc annis Janseniani conati sunt, ut debuerit iterum ab Alexandro VIII. profligari thesis illa septima, quæ similiter habet: *Omnis humana actio deliberata, vel Dei est, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si mundi, Concupiscentia carnis, hoc est mala, est*.

III. Ostenditur nunc hujus primæ Quesnellianæ thesis falsitas: quia per peccatum non tollitur ab homine liberum arbitrium, nec potestas ad declinandas novas culpas, atque adeo ad ponendum opus bonum, quando illud præcipitur; passim autem præcipitur peccatori, ut pœnitentiam agat, & convertatur ad Dominum, & ut bonis actibus, præsertim Theologalibus fidei, & spei ad recuperandam gratiam amissam, & ad remissionem obtinendam se disponat; ergo non est per peccatum adeo viribus destitutus, ut sit in eo generalis impotentia ad quodcunque opus bonum. Præsertim quia etiam destitutus gratia habituali sanctificante, ac destitutus auxiliis gratiæ supernaturalis potest honeste operari in ordine naturali. Quod docuit August. lib. de Patientia c. 26. commendando patientiam ejus, qui in schismate constitutus, atque adeo sine gratia justificante, tolerat ærumnas, dicens: *Si quis non habens charitatem in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget, patitur tribulationes, angustias, famem*, &c. *nullo modo ista culpanda sunt; immo vero & hæc laudanda patientia est*.

IV. Confirmatur primo, quia lex naturalis præcipit, & consulit non solum homini innocenti, sed etiam lapso opera moraliter bona, (quamvis nulla adesset providentia supernaturalis indebita naturæ, quæ tam homini lapso, quam innocenti negari potest a Deo) nulla autem lex præcipere potest, aut consulere opera, quæ præstari non possunt: ergo quamvis nulla esset providentia supernaturalis, (quæ de facto datur supposita elevatione naturæ ad finem supernaturalem, disponens de auxiliis gratiæ) adhuc possibilia sunt homini lapso opera moraliter bona.

V. Confirmatur ulterius, quia si homo post primum

mum peccatum non posset viribus naturæ edere opera moraliter bona, & adjutus auxiliis supernaturalibus non posset per opera supernaturalia ; præsertim orando, credendo, sperando, dolendo de peccatis ad recuperandam gratiam amissam se disponere, sequeretur, quod post primum peccatum non posset amplius peccare; sicuti si natura innocens non posset opera moraliter bona ponere, sed solum mala, peccata non essent illi imputabilia, dicente August. lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potest? Peccatur autem? ergo caveri potest*: & lib. de duabus animab. cap. 12. *Peccati reum teneri quemquam, quia non fecit, quod facere non possit, summæ iniquitati est, & insaniæ*. Ergo si post primum peccatum homo manet impotens ad quodvis bonum opus, & ex necessitate ponit malum, non esset vituperabilis, nec punibilis propter alia opera mala; atque adeo non posset amplius peccare, sed remaneret homo post primum peccatum instar naturæ, (quam somniarunt Manichæi, & alii Heterodoxi) quæ ex sua conditione esset mala, & determinata ad peccandum; unde sicut huic naturæ non posset vitio verti malitia ulla, ita nec homini post primum peccatum posset vitio verti aliud opus malum; cum par ratio impossibilitatis ad bonum, & necessitatis ad malum militet in utroque casu.

VI. Neque dicas, quod post Primum peccatum reliqua sint imputabilia, & libera in causa; unde dispar ratio inter naturam innocentem determinatam ad peccandum, & hominem lapsum, qui pariter ad peccandum sit determinatus: Sicut homicidium patratum in ebrietate est imputabile, & punibile in causa sua; & dæmones peccant in inferno peccato imputabili in causa; quamvis propter ea peccata ibi patrata non puniantur, eo quod sint in termino.

Nam contra est, quia proscripta jam est ab Alexandro VIII. prima illa propositio: *In statu naturæ lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adæ peccantis*: In cujus expositione diximus paritatem de ebrio retorqueri; nam sicut ebrius in communi sententia non committit novum peccatum, quando in ebrietate alium occidit, idque ex defectu libertatis formalis; quamvis peccaverit tum adversus temperantiam, tum adversus justitiam, quando se inebriavit prævidens homicidium in ebrietate secuturum; ita non committeret nova peccata ex ejusdem libertatis formalis defectu, qui post primum peccatum innumera alia perpetrat mala. Quod attinet ad Dæmones, si vere peccant in Inferno formaliter, peccato illis imputabili, dicendum cum Scoto, Valentia, Durando, & aliis apud Ripaldam tom. 3. disp. 18. n. 142. quod sint physice liberi ad non peccandum, quamvis ex vi cruciatuum, inspiciendo Deum ut ultorem, moraliter solum necessitentur ad illum odio habendum. Vel si dicatur cum nonnullis, (quos refert, ac merito refellit Suarius lib. 8. de Angelis, c. 10.) quod physice necessitentur ad peccandum, eo quod Deus deneget illis concursum paratum ad quamcunque operationem bonam eliciendam, & simul infundat habitum necessitantem ad male operandum; in tali casu negandum, quod in inferno peccent formaliter odio habendo Deum; solum enim h. m. odium esset peccatum materiale, & actus pœnalis potius, quam peccaminosus, ut sunt in nobis actus concupiscentiæ, necnon actiones dissonæ legi divinæ, quando patrantur cum ignorantia invincibili; quæ solum analogice dicuntur peccata, cum re vera sint materiales trasgressiones divinæ legis, & effectus, ac pœnæ peccati.

VII. Ex quibus omnibus fit primo, falsum esse, quod post amissum Deum, ejusque amicitiam, nihil peccatori supersit præter peccatum; ita scilicet, ut nec supersit liberum arbitrium, prout contendit Jansenius ex Calvino, & Luthero, qui docebant post peccatum remanere quidem voluntatem, sed peccati, & concupiscentiæ servam, adeo ut propter imbecillitatem non posset amplius se ipsam determinare, sed aliunde esset determinabilis, aut a gratia ad bonum, aut a concupiscentia ad malum; ut proinde liberum arbitrium res esset de solo titulo, imo titulus sine re, cum re vera sub jugo, ac durissima servitute peccati potius deberet appellari servum arbitrium, quam liberum. Hoc enim disertissimis verbis damnavit Tridentinum sess. 6. can. 5. ubi habetur: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re, figmentum denique a Sathana invectum in Ecclesiam, anathema sit*.

VIII. Fit 2. falsum pariter esse, quod post peccatum nihil remaneat præter generalem impotentiam ad quodvis bonum opus; si enim daretur hæc impotentia, etiam urgente præcepto de ponendo opere honesto, Deus tunc impossibilia præciperet. Præterea hæc generalis impotentia excluderet potentiam exercendi quemcumque actum, etiam naturaliter duntaxat honestum. Quod quantum a recta ratione, & a regula fidei exorbitet, nemo est quin videat. Præterquamquod erronea est etiam hæc thesis ex eo, quod velit, amissa per peccatum gratia, amitti universim etiam fidem, & spem, & solum in peccatore remanere *peccatum, & peccati consecutiones*: quod certe repugnat Tridentino anathematizanti sess. 6. can. 28. eum, qui dixerit, *Amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti*. Quare non uno ex capite thesis configenda fuit.

IX. Opponunt tamen primo Janseniani, quod homo lapsus non possit viribus gratiæ destitutus excutere dominatum concupiscentiæ, unde non potest illi non inservire; atque adeo impotens est ad quodcumque bonum opus ponendum, nec in eo quicquam remanet præter peccatum, ejusque consecutiones. Assumptum probant ex Augustino, qui auxilium gratiæ exigit, ne dominetur in nobis iniquitas. Hæc enim habet lib. 2. contra Julian. Pelag. cap. 226. *Ista concupiscentia, quæ non potest esse nisi in carne mortali, in eis regnat, qui desideriis ejus ad mala perpetranda consensciunt, & ab ea, quoscumque illexerit, victi pertrahuntur majori impetu, cum lege prohibentur, si gratia non juvantur*.

Confirmant hoc idem ex eo, quod peccator per peccatum dæmonis tyrannidi subjicitur; unde ab eo tanquam mancipium regitur, & ad obsecundandum terrenis cupiditatibus inducitur, donec auxilio gratiæ ab ejus potestate eruatur: ergo impotens est universim ad bene operandum. Hanc insuperabilem dæmonis potestatem sine auxilio gratiæ passim commemorat Augustinus, præsertim Epist. 107. ad Vitalem, dicens: *Responde quomodo*

modo ad declinandum a malo, & faciendum bonum liberum habebamus arbitrium, quando erat sub potestate tenebrarum? Unde nos si, quemadmodum dicit Apostolus, Deus eruit, ipse utique illud liberum fecit.

Respondeo tamen in nostra potestate esse, & concupiscentiæ, & dæmonis dominatum excutere, si in potestate nostra est iis dissentire. Est autem hoc in potestate nostra, posito quod per peccatum non sit extinctum liberum arbitrium; quamvis enim aliquando ex rebellione concupiscentiæ, & dæmonis fraudibus moraliter ad peccandum necessitemur, possumus tamen physice dissentire, idque secundum se viribus naturæ, quamvis in præsenti providentia non desint vires gratiæ ad resistendum concupiscentiæ, & tentationibus meritorie, & salutariter. Quod si recurramus statim orationibus ad Deum, expugnabitur etiam illa moralis necessitas, quoniam Deus non solum non præcipit impossibilia physice, (quæ certe præcipere non potest) sed nec universim impossibilia moraliter. Quod si aliquando nobis impossibilia præcipiat, *jubendo monet facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*; juxta doctrinam Tridentini sess. 6. cap. 11. Hoc expresserat Augustinus lib. 1. de peccat. meritis c. 39. ubi habet: *Si quis post baptismum vixerit, & ad ætatem adultam pervenire potuerit, ibi habet cum qua pugnet, nempe concupiscentiam; sed habet etiam, unde certo confidat, eamque, adjuvante Deo, superet, si non in vacuum gratiam susceperit, si reprobatus esse noluerit.*

Pariter quod etiam post lapsum possimus concupiscentiæ dominatum excutere non consentiendo illi, innuit Apostolus ad Rom. 6. illis verbis: *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*; dum prohibet obedire concupiscentiæ, & admonet, ut illi regnum auferamus, ostendit ejus regnum, & dominatum a nostro libero arbitrio dependere. Quod aperte docuit Augustinus tract. 41. in Joann. dicens: *Non ait, non sit, sed non regnet; quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis; saltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Ubi adverte nomine peccati hic venire ipsam concupiscentiam, quæ ex Tridentino sess. 5. *ab Apostolo peccatum appellatur, non quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Et sane si non esset integrum nobis concupiscentiis reluctari, tantum determinaret ad peccatum vehemens concupiscentia, quantum levis, & remissa: atque adeo non esset excusabilior, qui ex vehementi concupiscentiæ œstro percitus peccaret, quam qui frigide, ac leviter ab illa impelleretur ad peccandum. Intantum ergo Augustinus requirit auxilium gratiæ, ut a dominatu concupiscentiæ liberemur, quia per gratiæ auxilium facile expugnatur necessitas moralis ad peccandum orta ex concupiscentia, & victoria est salutaris, & proficua ad vitam æternam. Propterea Trid. loco laudato definivit: *Manere in Baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per JESU Christi gratiam repugnantibus, non valet; quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur.*

Ad confirmationem recurrit eadem responsio: Tyrannidem dæmonis excutere pariter possumus, si ejus tentationibus dissentiamus. August. in Ps. 91. *Diabolus non cogit invitum; in tua potestate est consentire, & non consentire.* Et Chrysost. Homil. 23. in Genes. *Neque diabolum ipsum quis tantum putet, ut prohibere quempiam possit, quominus ad viam, quæ ad virtutem ducit, eat; supplantat quidem, & decipit socordiores, non cogit autem, nec prohibet*; prout rerum experientia compertum est. Quod eleganter Prudentius cecinit in Hamartigenia contra Marcionitas.

Sed tantum turbare potest, & fallere, quantum
Nos volumus, qui decrepito suggesta Leoni
Armamenta damus, friget fera futile frendens,
Humani generis ni per suffragia gliscat.

Et ratio ex August. serm. 197. de Tempore est, quia *latrare potest, solicitare potest, mordere non potest, nisi volentem; non enim cogendo, sed suadendo nocet, nec extorquet a nobis consensum, sed petit.* Quod si dæmonis tentatio ad pecandum necessitaret, recurrit, non fore majus periculum consentiendi gravissimæ dæmonis tentationi, quam levissimæ, nec esset gravius hoc peccatum præ illo. Quando autem August. requirit auxilium gratiæ, ut a potestate dæmonis eruamur; primo requirit hoc auxilium in præsenti providentia, in qua omnis victoria tentationum, & omnis actus virtutis fit cum auxilio gratiæ, ut profit ad vitam æternam: Deinde requirit Dei auxilium, ut expugnetur necessitas moralis, quam sæpe fert gravissima dæmonis tentatio; hujusmodi autem auxilium, si debito modo petatur a Deo, non denegabitur, ut diximus ex Tridentino.

X. Ex quibus liquet, in quonam sensu intelligendum sit illud Apost. 1. ad Cor. 10. *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Non enim potest esse sensus, quod non permittet a concupiscentia nos allici, & a dæmone tentari supra id quod possumus physice; nam succumbere huic impotentiæ, non verteretur culpæ: Sensus itaque est, quod non permittet ex sua misericordia hominem lapsum tentari supra id, quod moraliter potest, non quasi vero nulla detur tentatio, quæ necessitet moraliter ad peccandum, & cujus victoria sit moraliter impossibilis; sed quia si quando victoria isthæc esset moraliter impossibilis, si petatur auxilium gratiæ, expugnabitur ista moralis impossibilitas, juxta illud Tridentini: *Impossibilia non jubet Deus, sed jubendo monet, facere quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Impossibilitatem autem moralem ad orandum, & ad petendum divinum auxilium Deus secundum se non permittit; aliter pateretur nos tentari supra id, quod moraliter possumus; quod adversatur benignissimæ suæ promissioni expressæ nobis ab Apostolo per illa verba, quæ præmittit dicens, *Fidelis Deus, qui non patietur* &c. Quinimo Deus aliquando impossibilia præcipit, ut excitet nos ad orandum, & ad implorandum auxilium suum, ut expresse habet Augustinus lib. de Grat. & lib. arb. cap. 16. dicens: *Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri: Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus quid ab illo petere debeamus.*

XI. Opponunt deinde celebrem auctoritatem Concilii Arausicani can. 22. ubi ex Augustino tract. 3. in Jo: dicitur: *Nemo habet de suo, nisi peccatum, & mendacium*; unde inferunt, quod peccator post amissam gratiam nihil boni operis exercere possit. Quod etiam colligi putant ex Apostolo ad Rom. 7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege pecca-*

peccati. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per JESUM Christum. Item Cœlestinus Papa ad Episcopos Galliæ dixit: *Nemo nisi per Christum bene utitur libero arbitrio.* Et August. pluribus in locis aperte videtur docere, quod liberum arbitrium charitate, & gratia denudatum impotens sit ad ullum bonum opus exercendum, & solum ad peccandum valeat: in Enchiridio enim cap. 17. habet: *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas.* Et de spir. & lit. cap. 3. *Neque liberum arbitrium quicquam nisi ad peccandum valet.*

Respondeo Arausicanum, & Augustinum alia omnia docere, ac Bajum, qui in 27. ex suis thesibus dixit: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet.* Bajus quippe contendit, operationes omnes deliberatas, sine Dei gratia positas, esse peccaminosas, quod est erroneum: Arausicanum vero, & Augustinus solum docent, quod peccatum ita sit proprium nostrum, ut nullatenus sit Dei; ubi e converso bona operatio est Dei principalius, & solum aliquatenus nostra. Is enim, ex Aug. lib. 83. QQ. qu. 36., dicitur alicujus operis Auctor, qui illud vult: hæc enim habet: *Illo auctore cum dicimus, illo volente dicimus*; Cum autem Deus omnia velit præter peccatum, & hoc unice sit a voluntate nostra, idcirco hoc solum est nostrum, & consequenter homo nihil habet de suo, nisi peccatum, & mendacium. Præterquamquod omne opus bonum nostrum est in radice donum Dei gratuitum; quatenus omnis cogitatio congrua, sine qua nullum fit opus honestum, est beneficium Dei speciale, & donum in suo genere gratuitum; quare ex hoc etiam capite homo nihil habet de suo, nisi peccatum; nec liberum arbitrium quicquam, nisi ad peccandum, valet; ut explicabimus in thesi trigesima octava.

XII. Deinde ubi Augustinus opponit charitati cupiditatem, nomine charitatis, ut notat Vasq. p. 2. disp. 102. c. 2. intelligit charitatem late sumptam, quæ complectitur amorem omnium virtutum, quatenus ex charitate presse sumpta provenit reliquarum virtutum amor, juxta illud ad Rom. 10. *Plenitudo legis est dilectio*: Nomine vero cupiditatis intelligit cupiditatem malam, seu concupiscentiam, de qua habetur Jacobi 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Hæc enim habet S. Doctor loco nuper laudato. *Aliud est charitas radix omnium bonorum, aliud cupiditas radix omnium malorum, tantumque inter se differunt, quantum virtus & vitium.* Hinc optime dicitur cupiditas carnalis regnare, ubi non est charitas, quatenus præscindendo ab actibus indifferentibus (de quibus lis est apud Theologos, num sint possibiles in individuo) quælibet actio humana vitio non caret, si non sit studiosa. Præterea Apostolus in textu laudato juxta communem expositionem solum ibi docet, quod sine Christi gratia non superamus graves tentationes moraliter necessitantes ad peccandum, nec omnes tentationes collective, quamvis nulla esset gravis. Denique Cœlestinus Papa solum vult, quod nemo possit libero arbitrio uti salutariter, & cum merito vitæ æternæ sine gratia per Christum. Omnes tamen Catholici docent, posse peccatorem post amissam gratiam sanctificantem per auxilia gratiæ benigne a Deo collata actibus supernis fidei, spei, orationis, pœnitentiæ, & similibus conari ad resurgendum, & ad justificationem se disponere, prout dicitur 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino*, & juxta doctrinam Tridentini sess. *6.* cap. *6.* ubi modus hujus præparationis diserte explicatur.

XIII. Ex dictis perspicuum fit, thesim hanc apertissime insistere fallacibus Jansenii vestigiis, qui l. 3. de Gratia Christi Salvatoris cap. 5. cum docuisset, Gratia sufficienti ad legem implendam, seu delectatione victrici destitutos fuisse universim homines in fœdere Judaico, & in Christiano fœdere destitui pariter eos, qui mandata non servant, addit, deesse pariter iisdem Gratiam sufficientem ad orandum, & ad petendum a Deo auxilium sufficiens ad præcepta servanda. Hæc enim habet: *Nec aliquis opponat isti veritati, orari saltem posse, ut ista delectatio, quæ sufficiat implendæ legi, divinitus tribuatur. Nam etiam ad orandum delectatio quammaxime necessaria est, quæ non magis quam cæteræ nostræ potestatis non est.* Ac demum concludit: *Ita dicimus, non solum Judæis, sed etiam Christianis, non solum carnalibus, sed & spiritualibus gratiam talem sufficientem ad faciendum, quod jubetur, frequenter subtrahi, atque ita subtrahi, ut nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur.* Quare ex Jansenio non solum peccatoribus, sed etiam justis leges transgredientibus tum gratia sufficiens ad legem servandam desideratur, tum etiam gratia sufficiens ad orandum. Quesnellus tamen in hac thesi solum id docet de peccatoribus, quibus dicit deesse potestatem etiam ad orandum, & ad impetrandum a Deo auxilium sufficiens ad legem implendam. Quod apertissime contradicit Tridentino docenti, Deum impossibilia non præcipere, præcipiendo autem monere, ut faciamus quod possumus, & petamus quod non possumus. Et sane si ne petere quidem, & orare possemus ad impetrandum auxilium necessarium ad legem servandam, delusorie Deus moneret, ut oremus; sicuti delusorie dicitur claudo, ut fugiat a ruina, si vires non habet ad fugiendum. Verum quidem est, quod ut oratio sit supernaturalis, & meritoria, procedere debet ab auxilio superno, ut proinde peccator, qui tenetur v. g. contritionem elicere, quæ viribus naturalibus poni nequit, non possit vi orationis tale auxilium de congruo mereri, ac impetrare, nisi oratio procedat ab auxilio supernaturali: At ex hoc tantum fit, quod dum peccator monetur a Deo, ut auxilium petat ad ponendam contritionem præceptam, destitui non possit auxilio requisito ad orandum; aliter hoc ipsum auxilium esset petendum ab alia, & alia oratione in infinitum, & sic etiam delusorie Deus moneret facere, quod possumus, & petere quod non possumus.

Neque obstat, quod gratia ad orandum, utpote supernaturalis, non sit debita peccatori, immo cuilibet etiam innocenti possit denegari. Nam licet absolute loquendo nemini Gratia debeatur; ea tamen est debita gratuitæ promissioni, qua Deus erga homines se obligare dignatus est, dum eos ad orandum invitat, debeturque præcepto illi, quod Deus imponit, quodque alioquin foret impossibile. Unde August. de Grat. & lib. Arb. cap. 34. dixit: *Homo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.* Propterea gratia ad orandum non exigitur a peccatore, sed ab ipsa Divina Sapientia, bonitate, ac justitia. Hinc August. lib. de natura, & grat. cap. *69.* dixit: *Firmissime creditur, Deum justum,*

stum, *& bonum impossibilia non potuisse præcipere*. Constat itaque, quod peccator post amissam gratiam justificantem non laboret impotentia quacunque, etiam ad orandum, & ad quodvis opus bonum.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus germanum verborum sensum Thesis I.

POst singularum thesium rejectionem, & objectorum confutationem, operæ pretium duxi unicuique suam Anacephalæosim subjicere, in qua paucis germanus verborum sensus enucleetur, & explodatur; ut liquido statim constet, quod, sicut quinque propositiones ex libro Jansenii excerptæ in sensu obvio confixæ sunt, quem ipsamet earum verba exhibent, ac præseferunt (prout Innocentius XII. expressit in literis datis ad Episcopos Belgii in forma Brevis anno *1694.*, & *1696.*; & in quo sensu, non ore solum, sed etiam corde rejiciendas, ac damnandas esse declaravit Pontifex in Bulla, *Vineam Domini Sabaoth*, edita anno 1705.) ita in eodem pariter sensu una, & centum theses ex libro Quesnelli excerptæ proscribantur; adeo ut immerito, per summam injuriam, & ad elusionem tantum inquiri possit, In quonam sensu eas Pontifex proscripserit? Siquidem spectato proprio, ac obvio verborum sensu nulli subsunt æquivocationi, nec possunt benignam ullam interpretationem admittere, nec opus est ex aliis ejusdem Auctoris assertionibus earum intentum expiscari; quamvis non raro ex adjunctis etiam luculentius earundem falsitas, ac fallacia deprehendatur; ut proinde omnes, & singulæ tam secundum se, quam in sensu ab Auctore intento, seu quem non temere dixeris ab eo intentum, fuerint proscribendæ. Quod liquidius constabit ex dicendis in calce decimæ istarum thesium, necnon in 51.

Prima Quesnellianarum thesium, dum docet homini post peccatum nihil aliud remanere, præter generalem impotentiam ad laborandum, ad orandum, & ad quodcumque bonum opus, indivisim docet, liberum hominis arbitrium per peccatum amitti, & extingui juxta hæresim a Tridentino damnatam *sess. 6. c. 5.* Præterea dum docet, peccatorem post amissam gratiam nec orare posse, nec credere, nec sperare, nec quidquam boni facere, (prout debet ex Trid. *sess. 6. c. 6.*, ut se disponat, ac præparet ad justificationem obtinendam) docet etiam indivisim, aut non remanere universim in eo habitus supernaturales fidei, & spei; quod pariter adversatur Tridentino; aut incassum habitus eos relinqui; dum ad suos actus prodire non possunt. Denique si in peccatore remanet generalis impotentia ad quodcumque opus bonum, aperte sequitur, quod nec possit ad Deum converti, nisi sua efficaci gratia Deus illum convertat, adeo ut nunquam reus sit, si de facto non convertatur; atque adeo dum non orat, non credit, non sperat, nec disponitur ad conversionem, nunquam pariter fit reus, nec exprobrandus, quia ad hæc omnia generalem habet impotentiam; & qui ex defectu potentiæ aliquid omittit, reatum non incurrit, nec exprobrationi est obnoxius. Hæc autem omnia Jansenianos errores recudentia, quantum a Divina pietate, a Doctrina Sacrorum Bibliorum, atque adeo a veritate abhorreant, nemo est quin videat. Profecto si quis in foveam lapsus nec surgere possit, nec opem alienam implorare, nec vocanti respondere, sed solum possit actu misericorditer extrahi manu aliena, impius proculdubio esset, qui illi diceret, Vocavi, & non respondisti: ideo lapidibus obruo te: Haud aliter autem se gereret juxta hanc thesim Deus erga peccatores, quibus deest facultas respondendi, ac opem implorandi, si illis diceret, *Vocavi*, *& renuistis*; *ego autem in interitu vestro ridebo*, *& subsannabo*.

Neque enim ad contrahendum peccatum formale, ac demeritum propter omissionem conversionis peccatori præceptæ satis est libertas, qua ea voluntaria fuit, ac libera in causa sua, nempe in peccato originali, & in libertate Adæ peccantis; cum effugium hoc Jansenianorum occlusum jam sit ab Alexandro Octavo primam illam hujus Sectæ thesim proscribente. Quare absurditas hujus Quesnellianæ doctrinæ, & cohærentia illius cum erroribus Jansenii fit de se obvia illam perpendenti.

Nec poterit quisquam somniare, quod solum thesis isthæc velit in peccatore post amissam gratiam remanere impotentiam moralem, non vero physicam ad quodcunque opus bonum; sæpe enim, ut advertit Angelicus 3. p. q. 86. 1. ad 2., dici solet absolute impossibile, quod solum sine magna difficultate poni non potest: In quo sensu Apost. ad Hebr. *6.* dicit: *Impossibile est eos*, *qui semel sunt illuminati*, *& prolapsi sunt*, *rursus renovari ad pœnitentiam*: Aut quod solum velit in peccatore post amissionem gratiæ remanere impotentiam physicam ad quodcunque bonum opus salutare; cum sine gratia opus supernaturale conducens ad salutem proculdubio poni non possit: in quo sensu Cœlestinus Papa ad Episcopos Galliæ dixit: *Nemo nisi per Christum bene utitur libero arbitrio*, quatenus sine gratia per Christum nequit poni bonum ullum opus salutare, & cum merito vitæ æternæ.

Neutra enim interpretatio est ad rem. Falsum quippe est, quod peccator laboret impotentia morali ad quodcunque bonum opus; quinimmo si habitus virtutum acquisierit, etiam post amissam gratiam de facili in eorum exercitio versatur, puta erogando stipem pauperibus, jejunando, credendo mysteria fidei, honore parentes prosequendo, &c. Falsissimum pariter, quod peccator post amissam per peccatum gratiam habitualem justificantem, remaneat physice impotens ad ponendos actus supernaturales, puta fidei, spei, contritionis; quamvis enim sine gratia actuali hujusmodi actus poni non possint, ea tamen peccatoribus non denegatur; aliter non tenerentur conari ad resurgendum; quinimo ea de causa remanent in peccatore ex divina misericordia habitus infusi fidei, & spei, quando peccatum his virtutibus non adversatur, ut per auxilia ab iisdem exigita connaturaliter poni possint actus fidei, ac spei supernaturales, qui ad resurrectionem spiritualem disponant; & licet in his actibus supernis non habeatur in peccatore meritum condignum gratiæ, & gloriæ, habetur tamen meritum de congruo aliorum auxiliorum, quibus novi actus eliciantur, quousque ad gratiam, & gloriam perveniatur. Quibus adde, quod cum thesis absolute, & sine ulla restrictione

neget

neget potentiam ad quodvis bonum opus, non debet terminus hic late patens determinari ad sensum restrictum, nisi ex contextu, aut ex aliis ejusdem Auctoris textibus appareat, quod in sensu restricto usurpetur; Sicut textus adductus Cælestini Papæ habet sensum illum restrictum, quia dum docet, *Neminem bene uti libero arbitrio, nisi per Christum*, frequenter ibidem addit ly *sicut oportet*, juxta phrasim Tridentini sess. 6. can. 3.; aut *Sicut expedit ad salutem*, ut dicitur in Arausicano can. 7. At in casu nostro non solum id non habetur, verum etiam ex aliis Quesnellianis thesibus liquido constat oppositum, & impotentiam hanc generalem ad quodcunque opus bonum in sensu late patentissimo, & Janseniano usurpari; propterea thesis tum in sensu proprio, ac legitimo verborum, tum etiam in sensu ab Auctore intento est falsa, erronea, immo etiam hæretica; cum de fide sit posse peccatores divina gratia excitatos, & adjutos variis actibus fidei, timoris, orationis, spei, dilectionis ad justificationis gratiam obtinendam se disponere, ac præparare. Et hæc dicta sint ad præcludenda isthæc effugia in aliis thesibus mox exponendis: Quæ fusius infra explicabimus in Anacephalæosi thesis quinquagesimæ primæ; ubi ostendemus, nullam ex Quesnellianis thesibus posse apte in sensu Catholico accipi: Quod si forte nonnulla consimilibus verbis a Sanctis Patribus fuerit usurpata; non propterea aut in SS. PP. poterit accipi in sensu hæretico, aut in sensu Catholico in Codice Quesnelliano. Ex adjunctis enim propositio æquivoca ad hunc potius, vel illum sensum determinatur. Cum autem etiam ex adjunctis nulla Quesnellianarum thesium possit accipi in sensu Catholico, idcirco omnes omnino jure ac merito confixæ sunt, tum in sensu germano, & obvio, quem præseferunt verba, tum etiam in sensu germano, & obvio, quem exhibent ex adjunctis; tum demum in sensu ab Auctore intento, qui de se palam fit perpendenti vim verborum, & Quesnelli doctrinam passim Jansenianos errores recudentem. Quod in calce decimæ istarum thesium pariter sub oculos subjiciemus, ostendendo, perperam a nonnullis excusari Quesnellum, perinde quasi potuissent nonnullæ ex his benigne exponi, quin illis nigrum theta præfigeretur.

PROPOSITIO II.

Jesu Christi Gratia principium efficax boni cujuscunque generis necessaria est ad omne opus bonum; absque illa non solum nihil fit, sed nec fieri potest. *Ita Quesnellus Jo. c. 5. n. 5. in editione 1693.*

SYNOPSIS.

I. Baji vestigiis inhæret Quesnellus, dum docet, nihil fieri posse sine gratia Christi.

II. Debentur homini vires, quibus consequi possit suum ultimum finem.

III. Potest peccator in natura lapsa adjutus viribus Gratiæ exercere tam actus virtutum supernaturalium Moralium, quam actus Fidei, & Spei disponentes ad justificationem.

IV. Potest etiam citra gratiam efficacem ipsum actum Charitatis ponere.

V. Ex hoc quod liberum arbitrium post lapsum viribus sit attenuatum, evincitur, quod saltem physice possit honeste operari, immo poterit etiam moraliter, si oret.

VI. Servitutem peccati per lapsum contraximus, non vero necessitatem peccandi.

VII. Hinc alia est libertas a servitute peccati; alia libertas abstinendi a peccato.

VIII. Differt pariter peccati servitus a necessitate peccandi.

IX. Tam sine gratia habituali animæ permanenter inhærente, quam sine gratia actuali fieri potest in natura lapsa opus honestum.

X. Perperam Quesnellus excusatur.

XI. Conferuntur Jansenianæ theses confixæ cum Quesnellianis.

XII. Refertur Sententia juridice lata adversus Quesnellum.

I. IMperiti præ manibus habentes Quesnellianas observationes facile dixerint, pietatem ipsam verbis hujusce thesis loqui, dum Christi gratia commendatur tanquam fons, & origo bonorum omnium, cui bonum cujuscunque generis a nobis adscribendum sit. At quid magis a veritate, ac pietate abhorrens, quam velle, quod sine Christi gratia, quæ sit principium efficax cujuscunque boni, hoc est sine gratia efficaci, nullum opus studiosum, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis fiat, aut fieri possit? Etenim quammaxime derogaret divinæ providentiæ, si circumscripta Christi gratia superna quacunque denegaret humanæ naturæ vires ad bene operandum: quammaxime etiam derogaret divinæ Misericordiæ, si denegata gratia efficaci, quam citra uniuscujusque injuriam denegare potest, denegaret pariter peccatori vires requisitas ad ponendos actus supernaturales, quibus se præparet ad gratiam justificantem recuperandam, ut nihil magis. Profecto ex hoc quod Quesnellus in hac thesi (sicut etiam in pluribus sequentibus) doceat sine Christi gratia efficaci nihil fieri posse in ordine supernaturali, virus omne Jansenianum propinat, cum in hoc errore, quem passim callide obtrudit, omnes quinque Jansenii theses hæreseos nota inustæ delitescant, ut mox in Anacephalæosi palam fiet: Ex hoc vero quod velit sine Christi gratia nihil fieri posse etiam in ordine naturali, recudit errores Baji, qui in sexagesimaquinta ex suis proscriptis Thesibus docuit: *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis bonus liberi arbitrii, & gratiæ Dei injuriam facit, qui ita sentit*: Et in vigesimatertia pariter docuit: *Cum Pelagio sentiunt, qui testimonium Pauli ad Rom. 2. (Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt) intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus.* Quandoquidem ex Apostolo etiam Infideles, atque adeo etiam peccatores fideles naturaliter facere possunt, quæ legis sunt, & actus virtutum naturalium exercere citra ullam gratiam supernam.

II. Ratio autem quare sine Christi gratia, tam habituali, quam actuali fieri possint actus moraliter boni, etiam in natura lapsa, est, quia Deus ut auctor naturæ, sicut condidit solem, v. gr. ad illuminandum, ignem ad calefaciendum, ita condidit hominem, ut per actus moraliter bonos tendat ad acquirendum suum finem ultimum, qui est ipse Deus: ergo homini natura sua debetur expedita potestas, ac libertas ad actus moraliter bonos exercendos, atque adeo sine gratia Christi naturæ indebita potest

potest hos actus ponere. Quod autem eos ponere etiam possit post lapsum, ex eo constat, quia per lapsum non amisit liberum arbitrium ex Trid. sess. 6. can. 5. sic decernente: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, anathema sit*: nec amisit debitum tendendi ad finem suum ultimum modo sibi possibili, videlicet per actus moraliter bonos; quare potest etiam post lapsum natura sua exercere actus honestos, ad quos proinde exercendos non requiritur gratia supernaturalis, sed ad summum gratia Providens; quatenus ad Divinam Providentiam spectat ita combinare causas secundas, ut possit sæpe poni bona operatio naturalis; & quod hic, & nunc voluntas ad illam se determinet, oriatur ex divina clementia, quæ fons, & origo est omnis boni tam physici, quam moralis. Celebris quidem est sententia docentium, quod in præsenti providentia quoties consurgit opportunitas ponendi actum virtutis naturalis, & ad illum datur sufficientia, detur simul a Deo regulariter auxilium ad eliciendum actum ejusdem virtutis supernum. At secundum se, si a tali auxilio voluntas non adjuvaretur, certe posset ponere actum bonum naturalem; neque enim per peccatum adimitur a nobis talis potestas, cum non adimatur per peccatum liberum arbitrium. Et quamvis Tridentinum in eadem sessione cap. 1. dicat, quod per peccatum liberum arbitrium sit *viribus attenuatum, & inclinatum*; hoc ad summum probat, quod sæpe detur aliqua necessitas moralis ad peccandum, & moralis impotentia ad bonam operationem, quæ bene cohæret cum potentia physica, & libertate ad illam ponendam.

III. Ex hoc autem, quod sine gratia Christi, quę sit principium efficax omnis boni, seu sine gratia efficaci detur in nobis libera potestas, saltem physica, si minus semper moralis, ad exercendos actus virtutum naturalium, aperte descendit, quod si in præsenti providentia detur in nobis auxilia supernaturalia ad exercendos actus virtutum supernaturalium, etiam h. m. actus poni possint in natura lapsa: Quod autem isthæc auxilia de facto dentur, ex eo fit perspicuum, quod in peccatore perseverant habitus infusi fidei, & spei; (quando scilicet peccatum, propter quod amittitur gratia, non opponitur his virtutibus) unde ad exigentiam istorum habituum, tempore opportuno, conferuntur a Deo, qui est Adjutor in opportunitatibus, auxilia supernaturalia ad actus fidei, & spei exercendos, quibus peccator ad justificationem disponatur.

IV. Corruit proinde doctrina hujus Thesis, quod sine Christi gratia nihil boni moralis fiat. Corruit etiam, quod sine eadem gratia efficaci fieri non possit ipse actus charitatis. Quoties enim peccator ad perfectam dilectionem Dei hic & nunc (puta in articulo mortis) præceptam invitatur per gratiam actualem excitantem, toties datur in illo sufficientia ad eam dilectionem ponendam; cum præceptum non sit de re impossibili, nec invitatio gratiæ sit delusoria. Quod si renuat peccator gratiæ invitanti consentire, tunc ita gratiæ interiori resistitur, ut quamvis non fiat, fieri tamen possit actus perfectæ charitatis citra gratiam Christi efficacem, & in actu secundo adjuvantem ad consensum, prout in sequentibus thesibus non semel explicabitur. Constat proinde hujusce thesis & falsitas, & fallacia: Negando quippe potestatem ad ullum opus bonum sine gratia Christi efficaci, quæ solum Electis est danda, ut docent Janseniani, subdole contendit Auctor, quod peccatores animum abjiciant, & non sibi imputent, quod in suarum culparum fovea persistant, sed imputent id gratiæ, seu divinæ voluntati, per quam solum stat, ne extrahantur; cum non valeant de se ullum bonum actum ponere, nec ulla sibi conferatur gratia sufficiens, qua possint conteri, si velint; quinimmo ne clamare quidem possunt cum Psalmista opem expostulante verbis illis, *De profundis clamavi ad te, Domine*. Quæ si verum haberent, nec peccator reus esset omittendo resipiscentiam; nec Infidelis dum invitatus ad fidem vocationibus obsurdescit; nemo quippe reus est per hoc, quod non ponat, quod ponere non potest, cum nequeat ad impossibile obligari; quod in sequentibus planius fiet.

V. Opponitur primo illud Trid. loco laudato, quod liberum arbitrium post lapsum, licet non fuerit amissum, & extinctum, fuerit tamen *viribus attennuatum, & inclinatum*, & ut habet Arausicanum II. can. 8. *infirmatum, & læsum*; indiget proinde gratia Christi medicinali, & efficaci, ut ab hac infirmitate curetur, ac potens reddatur ad bene operandum: & ideo sine Christi gratia nihil fit, nec fieri potest.

Sed argumentum evincit oppositum; etenim si solum est infirmatum, & læsum liberum arbitrium, quatenus per peccatum experimur rebellionem partis inferioris a superiore, concupiscentia in nobis regnat, & subditur homo potestati dæmonis, prout in thesi superiore explicavimus, sequitur, quod detur physica potestas ad vincendas tentationes, & ad bene operandum, & quod solum sæpe ad id detur impossibilitas moralis expugnanda per auxilium gratiæ, quam Deus offert orantibus; quæ gratia vere est medicinalis, quatenus ægritudinem, & imbecilitatem ortam ex lapsu sanat, dando vires ad vincendum, & ad salutariter operandum; quin tamen necessitet, & evertat arbitrii libertatem; ita ut non possimus illam respuere. Quod si physica etiam potestas nobis deesset, proculdubio liberum arbitrium per lapsum non esset *attenuatum, inclinatum, infirmatum, & læsum*, sed esset omnino extinctum, ut Calvinus, & Lutherus contendebant.

VI. Opponitur secundo, quia homo lapsus contraxit servitutem peccati; ergo non est liber ad non peccandum, & ad bene operandum sine gratia per Christum, qua liberetur a tali servitute, & captivitate, & qua pariter a cupiditatibus, & compedibus, quibus præpeditus est, solvatur. Antecedens colligitur ex verbis Apostoli ad Rom. 6. *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem*. Consequentia videtur sequi, quia libertas abstinendi a peccato, & bene operandi non cohæret cum servitute peccati; servus enim liber esse non potest.

Respondeo hoc esse Calvini argumentum, quo contendit probare, liberum arbitrium esse extinctum per peccatum; hæc enim habet apud Ruard. art. 7. pag. 236. *Libertas, & servitus inter se pugnant, ut qui alterum dixerit, alterum neget; proinde si serva est hominis voluntas, libera esse non potest*. Sed facilis est solutio; siquidem servitus peccati non est connexa cum necessitate peccandi; ut proinde possit quis esse servus peccati, & simul liber ad non peccandum, & ad bene operandum: servitus peccati solum opponitur libertati filiorum Dei, qui immunes

nes

nes omnino sunt a peccato, & ab effectibus peccati, nempe a reatu odii divini, ac pœnæ tam æternæ, quam temporalis, necnon ab aliis consequentibus ad culpam. Unde Augustinus lib. 14. de civitate cap. 15. dicit, Adamum amisisse libertatem subjectionis expertem, *quia & peccati, & pœnæ, & miseriæ servus factus est, & contraxit concupiscentiæ inordinationem, & pugnam fomitis, quæ servitus quædam pœnalis est*.

VII. Hinc fit primo, aliam esse libertatem abstinendi a peccato, aliam vero libertatem a servitute peccati; sunt enim hæc separabilia; nam in Beatis, & in infantibus baptizatis datur libertas a captivitate peccati; non tamen datur potestas libera, & indifferens abstinendi a peccato, cum desit illis libertas ad peccandum. Contra vero in peccatoribus fidelibus datur libertas abstinendi a peccato sine libertate a servitute peccati. Quinimmo justis etiam in via datur libertas abstinendi a peccato, citra libertatem perfectam a servitute peccati; quamvis cum peccato careant, non carent tamen effectibus peccati, nempe concupiscentia inordinata, & pugna formitis. Quia tamen concupiscentia ista ex Tridentino sess. 5. appellatur peccatum, quatenus a peccato oritur, & ad peccatum inclinat, proprie tamen non est peccatum; ideo justi, qui sunt immunes a reatu culpæ, & pœnæ, dicuntur etiam liberi a servitute peccati, ut habet Suar. Proleg. 1. cap. 1. dicens: *Carentia culpæ, & remissio pœnæ dici potest libertas quædam a peccato, seu peccati servitute, juxta illud Rom. 6. Cum servi essetis peccati, liberi fuistis Justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem*. Ratio itaque a priori est, quia libertas abstinendi a peccato importat solum potestatem indifferentem ad peccandum, & non peccandum; libertas vero a servitute, seu captivitate peccati fert immunitatem a culpa simul, & a quolibet effectu, & reatu per culpam inducto; quoties enim intelligitur homo cum reatu aut culpæ, aut pœnæ, intelligitur peccati servus, illique subjectus.

VIII. Fit secundo, servitutem peccati diversam pariter esse a necessitate peccandi; sunt enim pariter ista separabilia; siquidem ante baptismum tam pueri, quam adulti amentes servi sunt peccati, carent tamen necessitate ad peccandum: pariter fidelis peccator, dum se disponit ad justificationem, est adhuc peccati servus, liber tamen est a peccandi necessitate, cum sine peccato ponat actus, quibus ad justificationem disponitur. Et ratio a priori est, quia servitus peccati est subjectio, qua homo tenetur sub jure, & potestate peccati commissi quoad reatum culpæ, & pœnæ, cum impotentia liberandi se ab illo citra gratiam Redemptoris; cum quo bene componitur, quod possit peccati servus ponere actus naturales virtutum moralium, inutiles ad extrahendum illum a peccati captivitate: Contra vero necessitas peccandi fert potestatem determinatam ad peccandum, cum impotentia abstinendi a peccato. Hanc volunt Janseniani dari de facto in natura lapsa, ac proinde Quesnellus vult in hac thesi, quod sine gratia per Christum nihil boni fieri possit; quod ostendimus Doctrinæ Catholicæ repugnare, quippe quæ docet in natura lapsa liberum arbitrium non esse extinctum; sed solum infirmatum, atque adeo posse secundum se a culpis abstinere, & actus virtutum naturalium exercere; indigere tamen gratia actuali ex meritis Christi dandam, ut per actus supernaturales fidei, spei, timoris, dilectionis, & doloris, se disponat ad recuperandam libertatem filiorum Dei, excutiendo compedes proprias servorum peccati; indigere pariter gratia habituali, qua formaliter a peccati servitute eximatur quoad reatum culpæ, & pœnæ æternæ, ut libertati filiorum Dei restituatur.

IX. Ubi notandum, in thesi fieri solum mentionem de gratia Christi, præscindendo ab actuali, & habituali, eo quod ab Auctore nulla alia videtur agnosci gratia, præter illam, quæ habetur per fidem, & charitatem; quin tamen gratia ista, dum habitualiter perseverat, inhæreat animæ, sed solum habeatur ista perseverantia per justitiam Christi nobis imputatam per unionem charitatis, qua illi unimur, ut fatetur in thesibus sequentibus 36. & 37. Qua in re ab ipsius Jansenii mente videtur Quesnellus recedere, negando gratiam habitualem intrinsecam; nisi forte in his thesibus solum significare velit, quod gratia Adami fuerit in ejus persona, quatenus illa pendebat quoad usum a libero ejus arbitrio; gratia vero Christiana recipiatur in persona Christi, quatenus neque quoad receptionem, neque quoad usum pendet a nostro arbitrio, sed tantum pendet a voluntate Christi, & Dei. Uterque tamen sensus est erroneus. Docent quippe Catholici omnes ex Trid. sess. 6. cap. 7. gratiam habitualem esse nobis inhærentem, ac nobis in justificatione infundi simul cum supernaturalibus habitibus fidei, spei, & charitatis, ratione quorum, ut advertit Suar. lib. 4. de Grat. cap. 4. actus supernaturales connaturali modo fiunt per principium intrinsecum nobis permanens; gratiam vero actualem supernaturalem requiri, ut possit homo se disponere ad justificationem: quod etiam docet Trident. sess. 6. cap. 6. dicens: *Disponuntur autem ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia, & adjuti fidem ex auditu concipientes libere moventur in Deum, &c.* Sicut etiam requiritur gratia actualis per Christum in justificatis, ut cum determinatione arbitrii exerceant opera salutaria: unde idem Trid. sess. 6. cap. 16. habet: *Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influit; quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt*.

Ex his autem omnibus sequitur, sine gratia sanctificante fieri posse, & de facto fieri actus etiam supernaturales, puta fidei, spei, & dilectionis disponentes ad justificationem. Sequitur pariter, quod sine gratia efficaci poni etiam possit ipse actus perfectissimus charitatis; quando scilicet ille percipitur; unde datur gratia sufficiens ad illum ponendum, & voluntas huic gratiæ resistit; tunc enim dantur vires ad ponendum hunc actum præceptum, & quidem circumscripta gratia efficaci, quatenus ex renitentia voluntatis oritur, ut ea gratia sufficiens sit pure sufficiens, & non efficax, ut mox in thesibus proxime sequentibus explicabitur.

X. Dices pro Quesnello, thesim hanc non denotare, quod sine gratia efficaci in actu secundo nihil boni fieri possit, ita ut exterminetur gratia sufficiens,

ciens, sed solum significare, quod sine gratia Christi, quæ de se est efficax, nisi ex culpabili voluntatis contranitentia in vacuum recipiatur, nihil fieri possit conducens ad vitam æternam; Sicut Christus Dominus dixit Jo: 15. *Sine me nihil potestis facere*: Ubi August. tr. 81. in Jo: advertit. *Non, ait, sine me parum potestis facere, sed nihil potestis facere: sive ergo parum, sive multum, sine illo fieri non potest, sine quo nihil fieri potest.* Quod autem nomen hoc Gratiæ efficacis in utroque sensu sumi possit, videlicet tam pro gratia efficaci in actu primo, ac de se efficaci in actu secundo, nisi a voluntate impediatur, in quo sensu hæc thesis videtur esse Catholica, quam pro efficaci in actu secundo, in quo sensu est erronea, constat ex Suar. l. 4. de Grat. cap. 1. ubi hæc habet: *Vox illa, Efficax, est æquivoca: interdum enim dicitur Causa, vel principium efficax in actu primo tantum, quia vim ex se habet potentissimam ad effectum præstandum, quantum est ex se: interdum vero ille terminus, Efficax, involvit non solum actum primum, sed etiam actum secundum; Sic dicitur Causa efficax, quia non tantum vim habeat, sed etiam in se ipsa consequatur effectum.* Ac deinde ostendit Doctor eximius, etiam a Sanctis Patribus vocabulum hoc, Efficax, sumi non raro pro efficaci in actu primo: in quo sensu ad Hebr. 4. dicitur: *Vivus enim est sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti.* Cum ergo possit in sensu catholico sumi thesis isthæc, nihil videtur esse causæ, cur proscribatur, aut cur non ante proscriptionem explicanda sit.

Sed contra est primo, quia quamvis nomen hoc, Gratia efficax, aliquando usurpetur pro gratia efficaci tantum in actu primo; at antonomastice, & nisi aliud ex contextu denotetur, semper sumitur pro efficaci in actu secundo, prout contradistinguitur a gratia sufficienti; cessat proinde in casu nostro æquivocatio, atque adeo thesis juxta germanum ejus sensum proscribi meruit citra ullam explicationem præviam.

Contra secundo, quia licet verum sit, quod sine gratia efficaci in actu primo nihil fieri possit conducens ad vitam æternam, falsum tamen est, quod ea sit necessaria ad bonum cujuscumque generis, adeo ut sine illa nihil boni fieri possit; ad faciendum enim opus honestum ordinis naturalis non requiritur gratia superni ordinis.

Contra tertio, quia esto vocabulum illud, *Efficax*, de se esset æquivocum; at ex circumstantia codicis Quesnelliani passim Jansenizantis, ac rejectantis a natura lapsa gratiam sufficientem, necnon ex circumstantia temporis, & loci, in quibus lues Janseniana grassatur, aperte determinatur ad significandam gratiam efficacem in actu secundo. Constat enim, ut dicemus in Thesi decima, propositionem æquivocam ex circumstantiis determinari ad hanc potius, quam ad illam significationem; sicut propositio ista, *Absolvo te*, ex circumstantia fori Sacramentalis determinatur ad significandam absolutionem a peccatis, & ex circumstantia fori externi determinatur ad significandam absolutionem a pœnis debitis. In hunc ferme modum contendebant Bajani non fuisse proscribendam thesim illam Baji 55. ubi dicitur: *Deus non potuisset ab initio creare hominem, prout nunc nascitur*; quia videtur esse æquivoca; nam si fiat sensus, quod non potuisset homo ab initio creari prout nunc nascitur, videlicet cum peccato originali, ea est verissima; quomodo enim poterat cum originali creari si nullum præsupponeretur peccatum alienum, quod per originem contraheretur? Si vero fiat sensus, quod non potuisset Deus hominem ab initio creare, prout nunc nascitur, videlicet cum rebelli concupiscentia, & cum lege membrorum legi mentis repugnante, ea longe aberrat a veritate, & censuræ Theologicæ est obnoxia. Quod autem juxta hunc sensum sumenda sit in codice Bajano, atque adeo citra ullam explicationem proscribenda fuerit; ex eo pariter constat, quod ex circumstantia Bajani codicis, temporis, ac loci, in quibus hic error passim disseminatur, ad hunc erroneum sensum determinetur. Perperam itaque Quesnellus excusatur.

XI. Quod vero in Codice Quesnelliano passim Jansenii proscriptæ theses recudantur, atque adeo thesis isthæc, (sicut etiam aliæ ejusdem furfuris) esto esset de se æquivoca, ex circumstantia tamen codicis intelligenda sit ad mentem Jansenii de medio tollentis in natura lapsa gratiam sufficientem, ac proinde absolute, & citra ullam explicationem proscribi potuerit, non erit abs re hic breviter demonstrare. Duplici autem via satis superque id demonstrabitur; Primo, conferendo Jansenianas Theses cum Quesnellianis: Deinde, summatim recolendo sententiam Juridice latam ab Illustriss. Archiepiscopo Mechliniensi adversus Quesnellum, in qua ejus pervicacia in tuendis, & edocendis Baji, & Jansenii erroribus usque ad senectam capularem protracta sub oculis ponitur.

Confero itaque utriusque Theses, & ostendo sigillatim omnes proscriptas Jansenii Theses damnatas tanquam hæreticas non semel in hisce Quesnellianis Thesibus edoceri, atque inculcari. Et quod attinet ad primam Jansenianam, qua dicuntur, Aliqua Dei præcepta etiam justis impossibilia esse, ut serventur, ac deesse illis gratiam, qua possibilia reddantur; expendo prius Jansenii verba, quæ habentur lib. 3. de Grat. Salvat. cap. 13. ubi sic legitur. *Hæc igitur omnia planissime, plenissimeque demonstrant, nihil esse in S. Augustini doctrina certius, & fundatius, quam esse præcepta quædam, quæ hominibus, non tantum infidelibus, excæcatis, obduratis, sed fidelibus quoque, & justis volentibus, conantibus, secundum præsentes, quas habent vires, sunt impossibilia; deesse quoque gratiam, qua possibilia fiant.* Ecce tibi quam diserte primam ex suis proscriptis thesibus docet: illam autem deinde suadere conatur exemplo D. Petri, aliorumque, qui passim tentantur ultra quam sustinere possint. Idem pariter docuerat ibidem cap. 5. dicens: *Si generatim loquendo toti Judaico Populo, præter paucos, sufficiens implendæ legis gratia subtracta fuit, nemo miretur, si & Christianis fidelibus nonnullis ..... idem durissimæ institutionis genus adhiberi dicamus.* Docueratque ante Quesnellum Jansenius, hominibus post lapsum non solum deesse frequenter gratiam ad adimplenda præcepta, sed etiam deesse gratiam, qua orare, ac petere possint gratiam illam ad implenda præcepta requisitam, ut eatenus nec proxime possint ex defectu gratiæ ea implere, nec possint remote ex defectu gratiæ requisitæ ad orandum. Hæc sunt Jansenii verba loco laudato: *Ita discimus, non solum Judæis, sed & Christianis, non solum carnalibus, sed*

& Spi-

& spiritualibus gratiam talem sufficientem ad id faciendum, quod jubetur, frequenter subtrahi, ut nec pro tali gratia adipiscenda deprecandi similis sufficiens gratia habeatur. Doctrinam hujusce thesis a veritate abhorrere, blasphemam esse, ac impiam, nec non hæreticam definivit Innoc. X. idque innovavit in sua Bulla Alex. VII. necnon anno 1705. Clemens XI. Illam pariter esse rationi dissonam, verbis Scripturarum, Conciliorum, ac Patrum adversam, ac a mente ipsius Augustini omnino alienam, in expositione thesium Jansenianarum satis, superque demonstratum est.

Ostenditur nunc, quod idem prorsus virus in hisce thesibus Quesnellianis propinetur, ut palam fiat Quesnellum passim Jansenizare. Et sane dum in prima thesium istarum dicitur, peccator premi *impotentia generali ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum*, quid aliud denotatur, quam præceptum resipiscendi peccatori impositum impleri non posse, ac deesse illi non solum gratiam, qua possit illud implere, sed etiam gratiam, qua orare possit ad impetrandum auxilium requisitum ad ponendam resipiscentiam præceptam? Verum in aliis quæ sequuntur thesibus idem error magis indefinite & universalius proponitur. Etenim dum in secunda thesi dicitur, quod sine gratia efficaci *non solum nihil fiat, sed nec fieri possit*, id ipsum docetur, quod in ea prima sua thesi delirando docuerat Jansenius; etenim si sine gratia efficaci nihil fieri potest, consequens est, quod illi, qui mandata transgrediuntur, & non orant ad impetranda gratiam ad ea implenda requisitam, (cum careant gratia efficaci, quia unice per Quesnellum id præstari potest) careant simpliciter tum gratia, qua possint præcepra servare, tum etiam gratia, qua possint orare ad illam gratiam obtinendam; atque adeo desit illis gratia, qua præcepta imposita possibilia fiant. Similiter dum in vigesima harum thesium dicitur, Idea gratiæ esse, quod Deus velit sibi a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant; dum in undecima habetur, Gratia aliud non esse, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis id, quod jubet; Et in decimaoctava, quod Gratia semper afferat fructum suum; ac in decimanona, quod Dei gratia nihil aliud sit, quam omnipotens ejus voluntas, & sic in plurimis aliis, in quibus de medio tollitur gratia sufficiens condistincta ab efficaci, quid aliud contendit Quesnellus, quam primam Jansenii thesim aliis aliisque phrasibus inculcare? Dum enim docet, gratiam semper esse efficacem, semper afferre fructum suum, ac operari in nobis, quod Deus jubet, ineluctabili illatione descendit, quod transgredientibus Divina mandata, seu non exequentibus, quod Deus jubet, sive justi sint, sive peccatores, desit gratia ad obtemperandum requisita; Unde verum sit, quod Jansenius comminiscitur, videlicet Deum impossibilia iis præcipere, ac deesse gratiam, qua ea possibilia fiant. Quinimo quod Jansenius in ea confixa thesi docuit de quibusdam tantum præceptis relate ad justos, Quesnellus ampliat relate ad omnia præcepta sive justis, sive peccatoribus imposita, quæ de facto gratia efficaci deficiente non servantur.

Præterea, quod Quesnellus in hisce thesibus voluerit Jansenianam istam luem longe, lateque diffundere, ex eo etiam constat, quod non semel in suis observationibus utatur instar Jansenii exemplo D. Petri, qui sibi relictus, hoc est gratia quacumque orbatus, atque adeo tentatus ultra quam posset sustinere, Christum negavit. Hæc sunt ejus verba in cap. 19. Jo: n. 25. *Tribus Mariis hujus gratiæ victricis primitiæ conceduntur: Petrus autem sibi relictus modo Christum negavit metu ancillæ, & aliquorum servorum*. Quomodo autem percipi potest, quod Petrus negando Christum peccasset, si destitutus a Deo fuisset auxilio sufficienti ad non negandum, itaut etiam illi deessent vires ad orandum, & ad obtinendum tale auxilium? Id sane ab Augustino percipi non poterat, cum exclamarit lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Unde proscripta fuit thesis illa Baji 67. dicens: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit;* Profecto rueret, quod in nostrum solatium dicitur Joan. 5. verbis illis: *Mandata ejus gravia non sunt*, si aliquando deessent homini vires ad ea exequenda. Et objurgationes, quæ passim adversus peccatores in Sacris Bibliis habentur, essent contemnendæ, non secus ac contemptui habentur objurgationes factæ ligneæ, aut lapideæ statuæ, quod non loquatur; si tam peccatoribus deessent vires requisitæ ad servanda præcepta, quam ligneo simulachro desunt vires ad loquendum: Deridenda pariter essent consilia & suasiones, quibus peccator excitatur ad opera, quæ ad resipiscentiam disponant, ut sunt orationes, jejunia, eleemosynæ, actus fidei, spei, timoris, & similes, si deesset illi gratia requisita ad ea præstanda.

Quod attinet ad secundam ex Jansenii thesibus pariter hæreticam, ubi dicuntur in natura lapsa nunquam homines gratiæ resistere, non semel etiam a Quesnello, & in suis hisce thesibus edocetur. Jansenius lib. 2. de Grat. Christi Salvat. cap. 24. habet: *Non esse ejus naturæ medicinalem Christi gratiam, ut ejus effectus a voluntate suspendatur, sed illius ut per eum effectum potentissime invehat, inferatque voluntati, non operando, si voluntas velit, sed operando, atque determinando, ut velit*. Additque in hac etiam hæresi fuisse D. Augustinum, quod scilicet gratia in statu Innocentiæ non donaret meritum sed illud libero arbitrio voluntatis relinqueret; secus vero gratia in statu naturæ lapsæ, dicens: *Gratiam Augustinus ita victricem statuit supra voluntatis arbitrium, ut non raro dicat, hominem operanti Deo per gratiam non posse resistere*; Idemque docet Jansenius cap. 27. Quæ tamen, ut fuse diximus in expositione hujus secundæ Jansenianæ thesis, apertissime repugnant tum Scripturis passim dicentibus, quod Spiritui Sancto resistamus, quod in vacuum gratia Dei recipiatur, quod simus rebelles lumini; tum etiam Tridentino sess. 6. c. 5. ubi docet, quod possit homo divinam inspirationem abjicere; ac Senonensi dicenti, *Non esse hujusmodi Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*; Ipsique etiam Augustino repugnant, quippe qui pluribus in locis, ac præsertim de Spir. & lit. cap. 34. disertissime docet, vocationem quidem a Deo prodire; *consentire autem, vel dissentire propriæ voluntatis esse*.

Ostenditur nunc, quod in thesibus Quesnellianis hæc sedunda Jansenii thesis non semel eructetur. Etenim in nona thesi dicitur, *Gratia Christi esse suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus*. In deci-

decima etiam dicitur, *Gratia esse operatio manus Dei omnipotentis, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Idemque Auctor docet in plurimis ex sequentibus thesibus, præsertim in 13. ubi dicit, quod si Deus animam *tangat interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit;* ac in 16. ubi habet: *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.* Quod pariter habetur in 19. & quinque aliis sequentibus thesibus, ubi Quesnellus tradit Ideam gratiæ; sicut etiam in 35. & 36. in quibus docet discrimen dari essentiale inter gratiam Adamicam, seu gratiam collatam naturæ innocenti, & gratiam Christianam, seu collatam naturæ lapsæ. Quare non semel secunda ex Jansenianis thesibus a Quesnello obtruditur, quamvis ea a summis Pontificibus tamquam hæretica profligata sit.

Tertia ex Jansenianis thesibus iisdem Censuris inusta asserit, ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Jansenius lib. 7. de Grat. Salvator. cap. 1. docet voluntatem ita determinari ad volendum, ut a volendo abstinere non possit; non secus ac anima vi visionis beatæ determinatur, & necessitatur ad Deum amandum; Hoc pacto vult a gratia necessitari voluntatem ad operationes meritorias, sicut etiam a Concupiscentia ad operationes demeritorias; unde lib. 6. cap. 8. habet: *Libertas Beatorum multo invictius demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublata omnino indifferentia & contrarietatis, & contradictionis, non officere in sententia Sancti Doctoris libertati Arbitrii;* Et lib. 8. cap. 5. dicit: *Nunquam, vel semel, vel ex professo Augustinus tradit, nec per transennam insinuat, salvam eatenus manere sub gratia libertatem ejus, quatenus actum volendi sic exerit, ut eum possit suspendendo continere.* Hujus tamen Jansenianæ thesis falsitas constat, tum ex censura illi inusta a Pontificibus; tum ex eo quod diserte docuit Angelicus qu. 6. de malo ar. 6. ubi inquirens, *Utrum homo habeat liberam electionem suorum actuum, an ex necessitate eligat?* respondet: *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur.* Addit tamen: *Hæc opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actibus: Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate moveamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & laus, & vituperatio, circa quæ moralis philosophia consistit: Ad hujusmodi autem positiones ponendas inducti sunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas solvere non potuerunt.* Qua itaque fronte Jansenius Auctorem hujus enormissimi erroris facit Augustinum? qui disertissime lib. de Spiritu, & litera cap. 34. dixit, *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Scripturæ hanc libertatem a necessitate homini inesse passim docent; dicitur enim Eccles. 5. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit;* & 1. Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis;* ut proinde Trid. sess. 6. can. 4. anathematizet qui dixerit, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti non posse dissentire, si velit.*

Ostenditur nunc tertiam hanc Jansenianam thesim in thesibus Quesnellianis non semel immisceri. Etenim in sexta, septima, & octava diserte docetur, quod in Judaico fœdere ab hominibus in sua impotentia relictis Deus exigebat fugam peccati, ac legis implementum; in Christiano autem fœdere, Deus donat, quod petit a nobis. Pariter in decimaquarta docetur, quod oporteat hominem dare manus gratiæ; ac in vigesima prima, & quatuor aliis sequentibus thesibus, in quibus operatio gratiæ confertur cum aliis divinis operationibus erga homines, qui ad illas nullatenus libere cooperantur, apertissime Quesnellus docet, operationes humanas vi gratiæ meritorias non aliam habere libertatem, quam a coactione. Idemque docet in trigesima septima, dum vult gratiam Christianam esse omnipotentem, & dignam Filio Dei; contra vero operationes humanas sine gratia esse demeritorias per solam libertatem a coactione; Idem pariter in trigesimanona, & sequentibus, ac præsertim in quadragesimaquinta, ubi dicit, necesse esse, quod regnet cupiditas in corde peccatoris, omnesque ejus actiones corrumpat, ubi non amplius regnat Dei amor.

Quarta Jansenii thesis, quatenus negat gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, aut obtemperare, consequitur ad tertiam. Siquidem si sub gratia voluntas non habet libertatem a necessitate, seu libertatem indifferentiæ ad non ponendum actum salutarem, evidens est, quod non possit tali gratiæ contraniti; unde gratia non est talis, cui possit voluntas resistere, aut obtemperare. Quare sicut Quesnellus in suis Thesibus non semel tertiam Jansenianam thesim edocet, ita etiam quartam. Imo ex eodem capite, quo docet secundam ex thesibus Jansenianis, quod scilicet nunquam in natura lapsa gratiæ obsistatur, docet etiam hanc quartam, quod scilicet voluntas gratiæ resistere non possit. Etenim non alia ratione ducitur ad dicendum, quod gratiæ nunquam resistatur, nisi quia notio, & idea gratiæ (ut habetur in decima ex Quesnellianis thesibus, in decimaquarta, decimanona, & sequentibus,) est quod ea sit operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire potest, aut retardare; quod sit omnipotens Dei voluntas, quæ imperat, & omnia fiunt; quod sit imitatio operationis Dei incarnantis Filium suum, producentis creaturas ex nihilo, mortuos in vitam revocantis, &c. atqui hæc omnia ferunt, quod non solum gratiæ non resistatur, sed etiam quod resisti non possit. Quare manifestum est, quod Quesnellus quartæ etiam Jansenianæ thesis virus non semel in suis thesibus, & asceticis observationibus non obscure incautis propinarit. Quæ tamen tanquam hæretica ab Inn. X. damnata fuit; Constat quippe ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac præsertim ex Augustino, posse voluntatem humanam gratiæ contraniti, & in vacuum illam recipere. Quod in confutatione hujus quartæ Jansenianæ thesis suo loco fuse prosecuti sumus.

Quinta demum Jansenii thesis vult Christum D. mortem non oppetiisse, nec Sanguinem fudisse pro omnibus omnino hominibus. Hæc enim habet Jansenius lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20. *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus*

bus omnino Christus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; Cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceat esse respuendum; Ac deinde cap. 21. docet, Pro iis, quos Deus prædestinavit ad Gloriam, Christum D. semetipsum tradidisse, tamquam pro veris ovibus suis, ac pro iis vivificandis mortuum esse, & pro iisdem rogasse Patrem suum, *Non pro cæteris, qui a fide, & a charitate deficientes in iniquitate moriuntur; pro his enim in tantum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & intantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt*. Hæc autem thesis damnatur ab Innoc. X., *ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, ut impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans, & hæretica*: dicitur enim ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum;* quod ex aliis etiam Scripturæ locis, ex Trid. ex Patribus, ac præsertim ex Augustino apertissime colligitur, adeo ut in sole ipso cæcutiat, qui id in dubium revocat, ut suo loco ostendimus.

Hanc autem hæresim iterum exsuscitari a Quesnello in nonnullis suis thesibus, nemo est, quin videat. Etenim in Thesi 30. habet, *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, infallibiliter salvantur*, denotando, quod Reprobos Deus salvare nolit, tamquam non redemptos pretiosissimo Christi Sanguine: Similiter dum in 31. dicit, desideria Christi semper habere effectum suum, denotat, Christum non desiderasse, salutem Reproborum, atque adeo pro illis mortuum non fuisse. Disertius Jansenii hæresim expressit Quesnellus in thesi 32. ubi dicit: *JESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo Sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris*; indicans cum Jansenio, quod Christus morte sua Electos liberarit *pro semper* e potestate Dæmonis, obtinendo illis fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem; nonnullis vero aliis obtinuerit temporarios Divinæ Gratiæ effectus, nempe fidem, immo etiam charitatem, non tamen perseverantiam finalem. Ex quibus omnibus perspicuum est, Quesnellum passim jansenizare, & ad insinuandas, & insufflandas omnes Jansenii hæreses evulgasse asceticas illas observationes in novum Testamentum, propinando venenum in vase sacro.

XIII. Denique hoc idem apertissime demonstratur ex sententia juridice lata adversus Quesnellum ab Archiepiscopo Mechliniensi, quæ refertur in vulgato Codice, qui inscribitur *Causa Quesnelliana*, in qua fusissime habentur Expostulationes Procuratoris fiscalis, & validissimæ probationes, quibus convincitur in foro externo reus Quesnellus plurimorum facinorum, de quibus accusabatur, adeo ut oportuerit invocare auxilium brachii Sæcularis, ut carceri manciparetur, quod Jusso Regio præstitit Excellentissim. Marchio de Bedmar tunc temporis Moderator Belgii; Quia tamen post aliquot menses effracto Carcere erupit, ac evasit, juridice citatus fuit ad respondendum personaliter ad ea, quæ objiciebantur; ob quæ plenissime probata damnatus, ac mulctatus ab Archiepiscopo fuit, ut resipisceret. Quoniam autem ea omnia plurimum conferunt ad ostendendum, quod hic intendimus, videlicet Quesnellum in eo totum fuisse, ut Jansenianas hæreses edoceret, atque adeo quod in sensu Janseniano theses omnes confixas usurparit, nullam in sensu Catholico, idcirco operæ pretium videtur ex laudato Codice causæ Quesnellianæ hic ad verbum referre Edictum citatorium, quo citatus fuit ad comparendum, ut faceret satis iis, quæ opponebantur; necnon sententiam Juridicam Archiepiscopalem, ex qua palam fit, Quesnellum Jansenianis erroribus semper addictum fuisse; sicut etiam, quod in Thesibus confixis, in quibus loquitur de excommunicatione injusta, & obloquitur adversus Ecclesiam, ejusque ministros, adversus Potestates omnes, & adversus Juramenta, quæ ab Ecclesia aliquando gravibus de causis exiguntur, ac in aliis plurimis eo semper collimarit, ut Ecclesiæ Judicium, ac thesium Jansenianarum condemnatio contemnatur, ac nulla habeatur ratio de excommunicationibus latis adversus Jansenii asseclas, nulla de juramentis, quæ exiguntur in formula ab Alexandro VII. præscripta, in qua theses Jansenii ejurantur; nulla de Judicio Ecclesiæ in personis, ac libris damnandis; Quod ex iis etiam, quæ in expositione istarum thesium dicemus perspicuum fiet.

Nec quicquam momenti habet, quod in sua Apologia Quesnellus confixas Jansenii theses damnarit, ac ejurarit. Etenim non temere dixeris eas in speciem duntaxat, non ex animo damnasse, ac ejurasse; Cum nunquam dixerit se illas damnare in sensu Jansenii, in quo sensu ab Ecclesia damnantur: quod certe in hisce circumstantiis a Quesnello exprimendum erat, ne videretur eludere damnando illas in sensu, quem Janseniani illis appingunt, apertissime erroneo, qui nulla indigeat proscriptione: Imo ne cogeretur illas damnare in sensu Jansenii, ac Formulario Alexandri VII. subscribere, hæc unica fuit causa, cur Oratorii Berulliani desertor e Gallia profugerit, ut in Articulo I. Causæ Quesnellianæ demonstratur: Validissimis quoque probationibus in eo Codice relatis in ea Curia Archiepiscopali convictus fuit Jansenianas hæreses in sensu Jansenii audacter passim edocuisse, atque adeo Bajanas, & Calvinianas hæreses recudisse; cum Jansenius non secus ac Bajus virus suum e Calvini fæcibus hauserint, ac inflatis buccis usquequaque diffundere conati sint; quod nomen ipsum Jansenii literis aliter dispositis fideliter edisserit; etenim ex his vocibus, *Cornelius Jansenius*, illud purum enascitur Anagramma: *Calvini sensus in ore*.

Ut autem ex hac Archiepiscopali juridice lata sententia adversus Quesnellum liquido constet, quænam fuerit ejus mens in propugnandis, ac propagandis Jansenii erroribus, & quomodo in aliis & aliis criminibus se se involverit ad id assequendum, operæ pretium arbitror ad verbum referre prius Edictum citatorium, quo citatus fuit ad respondendum personaliter ad ea, de quibus in foro contentioso convincendus erat innumeris documentis, ac testibus omni exceptione majoribus: deinde sententiam Archiepiscopi Mechliniensis, qua actis omnibus actitatis, ac mature discussis juridice damnatus fuit ob gravissima ab eo patrata facinora ad disseminandas hæreses Jansenianas, ac pœna medicinali mulctatus, ut resipisceret, & ad bonam frugem rediret.

EDI-

decima etiam dicitur, *Gratia esse operatio manus Dei omnipotentis, quam nihil impedire potest, aut retardare.* Idemque Auctor docet in plurimis ex sequentibus thesibus, præsertim in 13. ubi dicit, quod si Deus animam *tangat interiori gratiæ suæ manu, nulla voluntas humana ei resistit;* ac in 16. ubi habet: *Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti.* Quod pariter habetur in 19. & quinque aliis sequentibus thesibus, ubi Quesnellus tradit Ideam gratiæ; sicut etiam in 35. & 36. in quibus docet discrimen dari essentiale inter gratiam Adamicam, seu gratiam collatam naturæ innocenti, & gratiam Christianam, seu collatam naturæ lapsæ. Quare non semel secunda ex Jansenianis thesibus a Quesnello obtruditur, quamvis ea a summis Pontificibus tamquam hæretica profligata sit.

Tertia ex Jansenianis thesibus iisdem Censuris inusta asserit, ad merendum, & demerendum in statu naturæ lapsæ non requiri libertatem a necessitate, sed sufficere libertatem a coactione. Jansenius lib. 7. de Grat. Salvator. cap. 1. docet voluntatem ita determinari ad volendum, ut a volendo abstinere non possit; non secus ac anima vi visionis beatæ determinatur, & necessitatur ad Deum amandum; Hoc pacto vult a gratia necessitari voluntatem ad operationes meritorias, sicut etiam a Concupiscentia ad operationes demeritorias; unde lib. 6. cap. 8. habet: *Libertas Beatorum multo invictius demonstrat, simplicem illam necessitatem, sublata omnino indifferentia & contrarietatis, & contradictionis, non officere in sententia Sancti Doctoris libertati Arbitrii*; Et lib. 8. cap. 5. dicit: *Nunquam, vel semel, vel ex professo Augustinus tradit, nec per transennam insinuat, salvam eatenus manere sub gratia libertatem ejus, quatenus actum volendi sic exerit, ut eum possit suspendendo continere.* Hujus tamen Jansenianæ thesis falsitas constat, tum ex censura illi inusta a Pontificibus; tum ex eo quod diserte docuit Angelicus qu. 6. de malo ar. 6. ubi inquirens, *Utrum homo habeat liberam electionem suorum actuum, an ex necessitate eligat?* respondet: *Quidam posuerunt quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur.* Addit tamen: *Hæc opinio est hæretica, tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actibus: Est etiam annumeranda inter extraneas Philosophiæ opiniones; quia non solum contrariatur fidei, sed subvertit omnia principia Philosophiæ moralis. Si enim non sit liberum aliquid in nobis, sed ex necessitate moveamur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, præceptum, & laus, & vituperatio, circa quæ moralis philosophia consistit: Ad hujusmodi autem positiones ponendas inducti sunt aliqui homines, partim quidem propter proterviam, partim propter aliquas rationes sophisticas, quas solvere non potuerunt.* Qua itaque fronte Jansenius Auctorem hujus enormissimi erroris facit Augustinum? qui disertissime lib. de Spiritu, & litera cap. 34. dixit, *Consentire vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est.* Scripturæ hanc libertatem a necessitate homini inesse passim docent; dicitur enim Ecclesi. 5. *Qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; & 1. Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis;* ut proinde Trid. sess. 6. can. 4. anathematizet qui dixerit, *liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum Deo excitanti, atque vocanti non posse dissentire, si velit.*

Ostenditur nunc tertiam hanc Jansenianam thesim in thesibus Quesnellianis non semel immisceri. Etenim in sexta, septima, & octava diserte docetur, quod in Judaico fœdere ab hominibus in sua impotentia relictis Deus exigebat fugam peccati, ac legis implementum; in Christiano autem fœdere, Deus donat, quod petit a nobis. Pariter in decimaquarta docetur, quod oporteat hominem dare manus gratiæ; ac in vigesima prima, & quatuor aliis sequentibus thesibus, in quibus operatio gratiæ confertur cum aliis divinis operationibus erga homines, qui ad illas nullatenus libere cooperantur, apertissime Quesnellus docet, operationes humanas vi gratiæ meritorias non aliam habere libertatem, quam a coactione. Idemque docet in trigesima septima, dum vult gratiam Christianam esse omnipotentem, & dignam Filio Dei; contra vero operationes humanas sine gratia esse demeritorias per solam libertatem a coactione; Idem pariter in trigesimanona, & sequentibus, ac præsertim in quadragesimaquinta, ubi dicit, necesse esse, quod regnet cupiditas in corde peccatoris, omnesque ejus actiones corrumpat, ubi non amplius regnat Dei amor.

Quarta Jansenii thesis, quatenus negat gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, aut obtemperare, consequitur ad tertiam. Siquidem si sub gratia voluntas non habet libertatem a necessitate, seu libertatem indifferentiæ ad non ponendum actum salutarem, evidens est, quod non possit tali gratiæ contraniti; unde gratia non est talis, cui possit voluntas resistere, aut obtemperare. Quare sicut Quesnellus in suis Thesibus non semel tertiam Jansenianam thesim edocet, ita etiam quartam. Imo ex eodem capite, quo docet secundam ex thesibus Jansenianis, quod scilicet nunquam in natura lapsa gratiæ obsistatur, docet etiam hanc quartam, quod scilicet voluntas gratiæ resistere non possit. Etenim non alia ratione ducitur ad dicendum, quod gratiæ nunquam resistatur, nisi quia notio, & idea gratiæ (ut habetur in decima ex Quesnellianis thesibus, in decimaquarta, decimanona, & sequentibus,) est quod ea sit operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire potest, aut retardare; quod sit omnipotens Dei voluntas, quæ imperat, & omnia fiunt; quod sit imitatio operationis Dei incarnantis Filium suum, producentis creaturas ex nihilo, mortuos in vitam revocantis, &c. atqui hæc omnia ferunt, quod non solum gratiæ non resistatur, sed etiam quod resisti non possit. Quare manifestum est, quod Quesnellus quartæ etiam Jansenianæ thesis virus non semel in suis thesibus, & asceticis observationibus non obscure incautis propinarit. Quæ tamen tanquam hæretica ab Inn. X. damnata fuit; Constat quippe ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac præsertim ex Augustino, posse voluntatem humanam gratiæ contraniti, & in vacuum illam recipere. Quod in confutatione hujus quartæ Jansenianæ thesis suo loco fuse prosecuti sumus.

Quinta demum Jansenii thesis vult Christum D. mortem non oppetiisse, nec Sanguinem fudisse pro omnibus omnino hominibus. Hæc enim habet Jansenius lib. 3. de Gratia Salvatoris cap. 20. *Nec enim juxta doctrinam antiquorum pro omnibus*

bus omnino Christus aut mortuus est, aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit; Cum hoc potius tamquam errorem a fide Catholica abhorrentem doceat esse respuendum; Ac deinde cap. 21. docet, Pro iis, quos Deus prædestinavit ad Gloriam, Christum D. semetipsum tradidisse, tamquam pro veris ovibus suis, ac pro iis vivificandis mortuum esse, & pro iisdem rogasse Patrem suum, *Non pro cæteris, qui a fide, & a charitate deficientes in iniquitate moriuntur; pro his enim in tantum mortuus est, & in tantum propitiatio peccatorum est, & intantum rogavit Patrem, in quantum temporalibus quibusdam Divinæ gratiæ effectibus exornandi sunt*. Hæc autem thesis damnatur ab Innoc. X., *ut falsa, temeraria, scandalosa, & intellecta eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, ut impia, blasphema, contumeliosa, Divinæ pietati derogans, & hæretica*: dicitur enim ad Rom. 8. *Pro nobis omnibus tradidit illum*; quod ex aliis etiam Scripturæ locis, ex Trid. ex Patribus, ac præsertim ex Augustino apertissime colligitur, adeo ut in sole ipso cæcutiat, qui id in dubium revocat, ut suo loco ostendimus.

Hanc autem hæresim iterum exsuscitari a Quesnello in nonnullis suis thesibus, nemo est, quin videat. Etenim in Thesi 30. habet, *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, infallibiliter salvantur*, denotando, quod Reprobos Deus salvare nolit, tamquam non redemptos pretiosissimo Christi Sanguine: Similiter dum in 31. dicit, desideria Christi semper habere effectum suum, denotat, Christum non desiderasse, salutem Reproborum, atque adeo pro illis mortuum non fuisse. Disertius Jansenii hæresim expressit Quesnellus in thesi 32. ubi dicit: *JESUS Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo Sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris*; indicans cum Jansenio, quod Christus morte sua Electos liberarit *pro semper* e potestate Dæmonis, obtinendo illis fidem, charitatem, & in ea perseverantiam usque in finem; nonnullis vero aliis obtinuerit temporarios Divinæ Gratiæ effectus, nempe fidem, immo etiam charitatem, non tamen perseverantiam finalem. Ex quibus omnibus perspicuum est, Quesnellum passim jansenizare, & ad insinuandas, & insufflandas omnes Jansenii hæreses evulgasse asceticas illas observationes in novum Testamentum, propinando venenum in vase sacro.

XIII. Denique hoc idem apertissime demonstratur ex sententia juridice lata adversus Quesnellum ab Archiepiscopo Mechliniensi, quæ refertur in vulgato Codice, qui inscribitur *Causa Quesnelliana*, in qua fusissime habentur Expostulationes Procuratoris fiscalis, & validissimæ probationes, quibus convincitur in foro externo reus Quesnellus plurimorum facinorum, de quibus accusabatur, adeo ut oportuerit invocare auxilium brachii Sæcularis, ut carceri manciparetur, quod Jusso Regio præstitit Excellentissim. Marchio de Bedmar tunc temporis Moderator Belgii; Quia tamen post aliquot menses effracto Carcere erupit, ac evasit, juridice citatus fuit ad respondendum personaliter ad ea, quæ objiciebantur; ob quæ plenissime probata damnatus, ac mulctatus ab Archiepiscopo fuit, ut resipisceret. Quoniam autem ea omnia plurimum conferunt ad ostendendum, quod hic intendimus, videlicet Quesnellum in eo totum fuisse, ut Jansenianas hæreses edoceret, atque adeo quod in sensu Janseniano theses omnes confixas usurparit, nullam in sensu Catholico, idcirco operæ pretium videtur ex laudato Codice causæ Quesnellianæ hic ad verbum referre Edictum citatorium, quo citatus fuit ad comparendum, ut faceret satis iis, quæ opponebantur; necnon sententiam Juridicam Archiepiscopalem, ex qua palam fit, Quesnellum Jansenianis erroribus semper addictum fuisse; sicut etiam, quod in Thesibus confixis, in quibus loquitur de excommunicatione injusta, & obloquitur adversus Ecclesiam, ejusque ministros, adversus Potestates omnes, & adversus Juramenta, quæ ab Ecclesia aliquando gravibus de causis exiguntur, ac in aliis plurimis eo semper collimarit, ut Ecclesiæ Judicium, ac thesium Jansenianarum condemnatio contemnatur, ac nulla habeatur ratio de excommunicationibus latis adversus Jansenii asseclas, nulla de juramentis, quæ exiguntur in formula ab Alexandro VII. præscripta, in qua theses Jansenii ejurantur; nulla de Judicio Ecclesiæ in personis, ac libris damnandis; Quod ex iis etiam, quæ in expositione istarum thesium dicemus perspicuum fiet.

Nec quicquam momenti habet, quod in sua Apologia Quesnellus confixas Jansenii theses damnarit, ac ejurarit. Etenim non temere dixeris eas in speciem duntaxat, non ex animo damnasse, ac ejurasse; Cum nunquam dixerit se illas damnare in sensu Jansenii, in quo sensu ab Ecclesia damnantur: quod certe in hisce circumstantiis a Quesnello exprimendum erat, ne videretur eludere damnando illas in sensu, quem Janseniani illis appingunt, apertissime erroneo, qui nulla indigeat proscriptione: Imo ne cogeretur illas damnare in sensu Jansenii, ac Formulario Alexandri VII. subscribere, hæc unica fuit causa, cur Oratorii Berulliani desertor e Gallia profugerit, ut in Articulo I. Causæ Quesnellianæ demonstratur: Validissimis quoque probationibus in eo Codice relatis in ea Curia Archiepiscopali convictus fuit Jansenianas hæreses in sensu Jansenii audacter passim edocuisse, atque adeo Bajanas, & Calvinianas hæreses recudisse; cum Jansenius non secus ac Bajus virus suum e Calvini fæcibus hauserint, ac inflatis buccis usquequaque diffundere conati sint; quod nomen ipsum Jansenii literis aliter dispositis fideliter ediscerit; etenim ex his vocibus, *Cornelius Jansenius*, illud purum enascitur Anagramma: *Calvini sensus in ore.*

Ut autem ex hac Archiepiscopali juridice lata sententia adversus Quesnellum liquido constet, quænam fuerit ejus mens in propugnandis, ac propagandis Jansenii erroribus, & quomodo in aliis & aliis criminibus se se involverit ad id assequendum, operæ pretium arbitror ad verbum referre prius Edictum citatorium, quo citatus fuit ad respondendum personaliter ad ea, de quibus in foro contentioso convincendus erat innumeris documentis, ac testibus omni exceptione majoribus: deinde sententiam Archiepiscopi Mechliniensis, qua actis omnibus actitatis, ac mature discussis juridice damnatus fuit ob gravissima ab eo patrata facinora ad disseminandas hæreses Jansenianas, ac pœna medicinali mulctatus, ut resipisceret, & ad bonam frugem rediret.

commendarunt, qui Saulos istos deprehenderat, ne amplius Ecclesiam persequerentur. Quia tamen Gerberon, & Brigodæus, qui erroribus Jansenii adhæserant, in se reversi emendationem promiserunt, idcirco benigna adversus utrumque lata fuit sententia, ac mulcta inflicta: Contra vero cum Quesnellus e carcere aufugiens libertati scribillandi, ac propugnandi amatam Jansenii hæresim iterum se dederit, ideo Procurator Fiscalis adversus hunc profugum merita causæ pro virili exposuit, ut meritam pœnam lueret suorum delictorum, sic concludendo suam postulationem.

Profecto ignominiosa hæc Carceris, seu Sequestri effractio juxta omnia jura priores Quesnelli excessus auget, majoremque meretur pœnam. Quare cum Reipublicæ intersit, ut delinquentium malitia refrænetur, & ne pergat homuncio maledicus novis suis scriptis quietem publicam impune commovere, ac Sacerdotii, & Imperii Capitibus insultare, Causam Officii nostri contra hunc fugitivum per contumaciam, ac post Decretum de probando, probationesque instructam, ad Vestrum, Illustrissime, ac Reverendissime Domine Judex, Amplissimi, Eximii, Eruditissimi, Consultissimique Domini Assessores, sisto judicium.

Et licet fugiens e carcere pro convicto habendus sit, tamen de gravibus excessibus, imo & de hæresi criminum omnium (uti habemus in jure pluribus locis) gravissimo agatur, æquitatem Causæ hujus Fiscalis, veritatemque omnium articulorum contra Citatum illum fugitivum deductorum per legitimas insuper probationes, ob oculos ponere absolute convenit, & publicam super illis reddi Sententiam.

Primo, ut obtrectantium ora occludantur; Nam Quesnellus fluido suo, ac fucato calamo ex bona sui præsumptione innocuum se in libellis sustinet, & Asseclæ ejus more hæreticis consueto, tum ore, tum scripto plangentes depingunt Quesnellum tanquam virum sanctum, omnisque erroris, & excessus purum, persecutionemque patientem injustam; qualia lamenta tempore Pelagianorum sæpius personuerunt Ecclesiam, uti videre est in eorum Epistolis ad Innocentium Papam, ac in libello fidei Cœlestini, & Pelagii, ac in Baronio ad annum 430.

Secundo, quia Ecclesiæ, & Reipublicæ bonum requirit, ut mali cognoscantur, præsertim Auctores perniciosorum librorum, ne in iis nocere pergant, maxime cum Quesnellus varios e libris suis exterioris pietatis, & moralis severioris fuco multum liniverit: Auctore hoc sine ullo velamine, Ecclesiæ, & publico exposito, spes erit, ut fucus ille nocere desinat.

Tertio, ut per publicam Sententiam Coryphæus ille publicæ tranquillitatis perturbatorum, ac iniquitatis filiorum digne corripiatur, ut tam ipse, quam discipuli ejus ad meliorem frugem reducantur, & salvi fiant.

Hactenus Procurator Fiscalis, qui statim orsus est a verificatione omnium articulorum, quos Edictum illud Citatorium ad Valvas publicas affixum complectebatur, ac deinde ad verificationem aliorum articulorum, quos Libellus accusatorius continebat, quibus ad evidentiam demonstratis, lata fuit ab Archiepiscopo juridica, quæ hic subjicitur, Sententia. Ex qua luculenter ostenditur, Quesnellum Jansenii erroribus semper adhæsisse, ac suas confixas theses in sensu Janseniano usurpasse, & Sedi Apostolicæ, necnon Potestatibus omnibus tam Ecclesiasticis, quam Sæcularibus semper injurium, ac contumeliosum fuisse, contemnendo censuras, quibus ab Ecclesia feriuntur Janseniani, ac damnando juramenta, quæ ab Ecclesia exiguntur, juxta formulam Alexandri Septimi in Gallia ab Ecclesiasticis, ut Jansenianas hæreses rejiciant, & ejurent.

ARCHIEPISCOPALI SENTENTIA
In Patrem QUESNEL lata.

HUMBERTUS GUILLIELMUS
A PRECIPIANO

Dei, & Apostolicæ Sedis Gratia Archi-Episcopus Mechliniensis; Primas Belgii, ad Exercitus Regios Delegatus Apostolicus, Suæ Majestatis a Consiliis Status, &c.

IN causa Officii coram Nobis mota, & indecisa pendente inter Procuratorem ejusdem Officii Actorem ex una, & P. Paschasium Quesnel Parisinum, Oratorii nominis Jesu in Gallia Presbyterum, non ita pridem in Palatio nostro Archi-Episcopali jussu nostro sequestratum, & postmodum violata sequestratione per iteratas litteras Edictales cum debito intervallo publice in locis consuetis affixas, & in rotula reproductas respective 17. Martii, & 14. Aprilis hujus anni 1704. citatum, sed non comparentem, ac contumacem ex altera partibus. Visis ejusdem causæ actis, & actitatis, notanter etiam recusatione pro parte Citati contra Nos Judicem ordinarium proposita, quam uti notorie frivolam rejecimus, prout adhuc rejicimus, omnibusque mature examinatis, & perpensis, præsertim Decreto nostro 9. Junii novissimi dato, quo Actorem pro utilitate trium contumaciarum ad probandum admisimus, & probationibus, quas in Vim ejusdem Decreti produxit, de plurium Ecclesiæ nostræ Metropolitanæ Dominorum Capitularium, ac aliorum Sacræ Theologiæ Doctorum, & Licentiatorum, uti & Jurisperitorum consilio & assensu, Christi nomine invocato, & nil nisi justitiam præ oculis habentes, dicimus decernimus, & declaramus, ex iisdem actis, & probationibus constare, eundem Citatum renuisse simpliciter (licet admoneretur, rogaretur, ac istanter ad hoc premeretur a Superioribus suis) formulæ Doctrinali præscriptæ in Comitiis Generalibus præfati Oratorii Gallici; idque ea præcipue de causa, quod Formula ista contineret damnationem Doctrinæ Jansenii, *&* Baji, *quam contumaciam adversus Superiores suos ne deponeret, ex* Gallia *profugus ab anno 1685. in* Belgio *variis in locis, sed potissimum in hoc Oppido* Bruxellensi *sub fictis nominibus latitavit, & ex latebris suis contumaciæ suæ malum ulterius communicavit, varia edendo, ac publicando opuscula, quibus hæresim* Jansenianam *non obscure sustinuit: Idque ea continuatione audaciæ, ut asseruerit, quod Summis Pontificibus in Causa* Jansenii *fuisset obreptum, & aliquid præter mentem Pontificiam Bullæ Urbani VIII. insertum: Simul & indigno modo scribendo de Summis Pontificibus, & male perstringendo S. R. E. Cardinales, Episcopos, aliosque Ecclesiæ Ministros, & viros dignitate, ac doctrina eximios: Neque ab obtrectationibus adversus Reges, neque a contumeliis erga Regios Ministros abstinendo. Insuper pertinaciam suam prodidit asserendo inter alia* Jansenismum *non esse nisi* Phantasma*; faciendo notas multum injurias, & contumeliosas Decreto S. Congregationis Indicis lato 22. Junii 1676. quo prohibebantur* Dissertationes *ipsius ad S. Leonis Opera; approbando, & laudando plura opera Domini Cabrielis Gerberon, quæ a Sede Apostolica dein fuerunt reprobata; uti novam operum Baii editionem, & Historiam Jansenismi; suscipiendo quoque Causam quadraginta Doctorum Parisiensium circa famosum casum Conscientiæ; Concurrendo ad impressionem in hoc Oppido factam* Historiæ Congregationum de Auxiliis *sine ulla approbatione Censoris ordinarii, & non expectata Censura nostra; ad quam tamen per apostillam datam in Supremo Concilio Brabantiæ fuerat remissa. His accedit, quod plura etiam scripserit, quibus Oratorii Montensis Presbyteros Oratorio Gallico subjectos a subscriptione præmemoratæ formulæ averteret, & quod inter scripta ejus inventum etiam fuerit aliquod manu ejus exaratum, complectens 33. paginas in folio, quod hunc præfert titulum,* l' Inquisition, &c. *in quo quidam Senatus Regius indigne excipitur, sicut & Magistratus Montensis, seu aliquid ex illo acerbe traducuntur per ejus libellum manu tortoris combustum, cui titulus;* Remontrance justificative pour les Pretres de l' Oratoire de Mons. *Præterea asseruit Citatus non fuisse a S. Sede examinatum illud, quod vocant* Factum Jansenii*; & scripsit, nondum tempus advenisse reddendi justitiam* Jansenio *debitam, ac reparandi injuriam ipsi illatam; Addendo, quod si Discipuli S. Augustini existimassent, quod sensus* Jansenii *esset condemnatus per Innocentii X. Bullam, eidem sese non submisissent; Quantum autem ad Bajanas propositiones, sustinuit inter illas aliquas esse, quæ continent genuinam S. Augustini Doctrinam: Propositionem vero, quæ spectat Infidelium actiones, esse præcise illam, quæ præ aliis sustineri posset, quæque esset adeo in S. Augustino, ejusque Discipulis fundata; ut existimandum non sit, S. Sedem illam erroris damnare voluisse, sed tantum prohibuisse ne tunc temporis defenderetur propter rationes tunc, non nunc militantes. Ulterius patet, ipsum post Breve, & Decretum Innocentii XII. anno 1694. editum pertinaciter contendisse, sensum obvium Formularii non requirere, ut quinque propositiones damnentur* in sensu ab Authore intento, *edendo istum in finem ceu publicam, & communem explicationem, in qua affirmat, quod per Formularii subscriptionem*

nem non subscribatur condemnationi libri Jansenii. *Impugnavit quoque scriptis suis Decretum Alexandri VIII. in 31. propositiones latum; & dogma Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Virginis numeravit inter opiniones novas, & contrarias veritati Scripturarum, inferentesque perniciosam sequelam: Atque damnatam sententiam de gemino capite Ecclesiæ satis aperte sustinuit: Ac Decreta Sacrarum Congregationum, quibus libri quidam proscribebantur, audacter sugillavit, & redarguit. Plura edidit scripta anonyma, & Authorem, typographum, ac locum impressionis mentientia, eaque imprimi, reimprimi, & distrahi curavit; Et inter illa etiam quædam a Sede Apostolica publicis Decretis antea condemnata. Oratorium domesticum erexit propria auctoritate pro libitu in eo Sacrum dicens: Cum variis personis noxium literarum commercium fovit sub fictis nominibus. Denique per effrænem suam scribendi licentiam magnas in hoc Belgio, ac in nostra Diœcesi turbas excitavit, & dissensiones; Et non raro Clerum, & populum adversus proprios suos commovit Episcopos; Ac præcipue scripto quodam insolentiis pleno Clerum Batavicum contra Sanctissimi D. N. Clementis XI. Decreta seditiose incitavit. Quibus omnibus consideratis declaramus Citatum, uti de* Jansenismo, & Bajanismo, *aliisque excessibus supramemoratis convictum, incidisse in excommunicationem, aliasque pœnas per Bullas Apostolicas in hujusmodi delinquentes latas; Monentes omnes & singulos Christifideles, ut ipsum uti talem habeant, & evitent Injungentes Citato, ut se recipiat ad Monasterium aliquod in Patria Catholica situm, ibidemque per integrum ab adventu suo mensem Exercitia spiritualia obeat; ac dein in spiritu pœnitentiæ ibidem sequestratus maneat, legendo singulis diebus septem Psalmos Pœnitentiales, ac jejunando diebus Veneris in aqua tristitiæ, & pane doloris, donec summo Pontifici quoad doctrinam suam fecerit satis, ac absolutionem ab excommunicatione obtinuerit: Insuper inhibemus ei, ne ad Diœcesim nostram unquam revertatur; minus in eadem aliquid scribat, edat, aut imprimi faciat sine prævia nostra licentia; vel similes excessus committat sub pœna, quod perpetuis carceribus mancipabitur, aliisque pœnis gravioribus in jure contra huiusmodi transgressores statutis punietur; Condemnantes ipsum in expensas sequestrationis, & contumaciales ad nostram taxam. Ita in his scriptis sententiamus. Datum Bruxellis in Palatio nostro Archi-Episcopali die 10. Novembris 1704. Et erat signatum H. G. Archi-Episcopus Mechliniensis. Et ad latus appositum erat Sigillum præfati Illustrissimi, ac Reverendissimi D. Archi-Episcopi in hostia rubra.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim II.

Secunda thesis, dum docet Jesu Christi gratiam esse cujusvis boni principium efficax, nihilque fieri posse absque hujusmodi gratia efficaci, luculentissime pariter in eosdem scopulos impingit; docet siquidem divinis vocationibus renuentem non peccare, atque adeo puniri, ac exprobrari non posse; Quomodo enim peccat, si destitutus gratia efficaci, libero arbitrio caret, ita ut nihil omnino boni facere possit? Certe homo in foveam lapsus non surgendo non est reus, si aliter surgere non possit, nisi actu extrahatur ope aliena; sic pariter peccator invitatus ad contritionem, non peccat illam omittendo, quoties destituitur gratia efficaci, qua actu conteratur, si verum est, quod sine hac gratia (quæ principium efficax sit contritionis) ea nullatenus poni potest; nec infidelis invitatus ad fidem amplexandam peccat, si illam non amplectatur; quippe qui destituitur gratia efficaci, sine qua fidem amplexari non potest. Utraque itaque primarum istarum thesium diserte docet, peccatori, qui vi gratiæ efficacis actu non resipiscit, denegari gratiam sufficientem, qua resurgere possit, & qua ad resurrectionem se disponat, ut proinde non peccet, si non resipiscat. Utraque pariter docet, infideli, qui vocatus ad fidem illam non amplectitur, denegari gratiam sufficientem, qua possit illam amplecti: unde nec peccet, si in sua infidelitate persistat: Utraque exprobrationes, quæ passim in Scripturis a Deo fiunt Peccatori, si non convertatur, ac infideli, si non credat mysteria fidei revelata, vult esse fatuas, ac pœnas peccatoribus, ac infidelibus obduratis inflictas non spectare ad rectissimam Dei justitiam, sed ad tyranidem, ac summam impietatem. Nemo quippe reus est, nec exprobatione, ac pœna dignus, si ponere negligat, quod a se poni non potest. Præterquamquod præceptum Dei indicens peccatori pœnitentiam, & infideli amplexum fidei, comminando pœnam renuentibus, esset præceptum pariter fatuum, ac Deo indignum; sive gratiam efficacem illis conferret, sive non: esset quidem indignum Deo, si conferret gratiam efficacem, quia sub illa peccator, & infidelis carerent libertate ad obtemperandum, cum non possit gratia efficax frustrari effectu suo; Indignum etiam Deo esset, si gratiam efficacem non conferret, quia sine illa obtemperare non possent; ut propterea Augustin. lib. de fide contra Manichæos cap. 102. dixerit: *Quis non clamet, stultum esse dare præcepta ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Denique utraque thesis Jansenizat docendo, præcepta, quæ peccatoribus, ac infidelibus imponuntur, circumscripta gratia efficaci, qua actu obtemperent, esse impossibilia, ac deesse illis gratiam sufficientem, qua possibilia fiant.

Ubi etiam ad percipiendam hujus Auctoris mentem, ac scopum, quo collineat, adverto, istarum thesium plurimas, ac plerasque aliis atque aliis verborum ambagibus ejectare, ac expungere gratiam pure sufficientem in natura lapsa, quam Jansenius Quesnelli didascalus lib. 3. de Gratia Christi cap. 3. vocavit Monstrosam, qua nihil monstrosius, quia scilicet *Numquam ab initio lapsus humani usque ad diem Judicii ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura est.* Propterea solum admittitur ad naturam lapsam sublevandam gratia Christi medicinalis efficax, invincibilis, irresistibilis, omnipotens, (ut ostendemus in thesi decima) qua Deus operatur in corde id, quod præcipit; ac donat, quod petit a nobis; perinde quasi gratia aliud non sit, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis quod jubet, ut habet undecima istarum thesium. Quare obtrudendo passim enormissimum hunc erro-

errorem, Dei bonitati, ac Christi meritis valde injuriosum, ita Quesnellus Jansenizat, ut omnes simul quinque proscriptas hæreses Jansenii in eo non obscure delitescentes in medium adducat. Nequit enim cohærere, quod solum detur gratia isthæc efficax in natura lapsa, nullatenus vero gratia pure sufficiens, quin simul verissimæ sint theses omnes Jansenianæ, quas falsas, & hæretices esse Innocentius X. declaravit. Quod sic paucis ostendo. Si peccator, cui præcipitur contritio, ac infidelis, cui præcipitur, quod fidem amplectatur, reatum contraherent non obtemperando, & simul deesset illis gratia sufficiens, verum esset, quod iis præciperetur aliquid impossibile, (cum non possit naturæ viribus poni contritio supernaturalis præcepta disponens ad justificationem; sicut nec fides) & simul verum esset, quod deficeret iis gratia, qua præcepta isthæc possibilia fiant, ita ut poni possit id, quod præcipitur, juxta primam Jansenii thesim. Rursus, si idem peccator gratia efficaci instruatur, & contritionem præceptam ponat, quin possit talis gratiæ effectum impedire, nec illi resistere, (ita scilicet ut ea ipsa ob resistentiam præstitam non sit efficax, nec cum contritione conjungatur, sed remaneat pure sufficiens, atque adeo sejuncta a contritione præcepta) sequeretur, quod nunquam homo in statu naturæ lapsæ gratiæ interiori resisteret, nec gratia esset talis, cui posset voluntas humana resistere, vel obtemperare, juxta secundam, & quartam Jansenii thesim. Præterea si peccator sub gratia illa, quæ de facto est efficax, non esset liber ad omittendam contritionem præceptam; aut si non esset liber ad ponendam contritionem sub carentia gratiæ efficacis ex defectu gratiæ sufficientis, sequeretur, quod contritio sub gratia efficaci esset meritoria, & omissio contritionis sub carentia cujuscunque gratiæ esset demeritoria citra libertatem a necessitate per meram libertatem a coactione, juxta tertiam Jansenii thesim. Denique si ob Christi merita solum daretur peccatori, qui de facto conteritur, necnon aliis omnibus bene operantibus gratia efficax, cui resistere non possent; contra vero peccatori omittenti contritionem præceptam, aliisque male operantibus nulla omnino daretur gratia interior sufficiens, sequeretur, Christum non esse mortuum, nec sanguinem fudisse pro omnibus omnino hominibus, juxta quintam Jansenii thesim. Quomodo enim dici poterit, quod Christi mors oblata fuerit pro iis, quibus nullatenus ea prodest; quippe nulla iis ob merita Christi gratia confertur, qua possint salutariter operari? Ecce tibi quomodo negando passim Quesnellus in plurimis istarum thesium gratiam sufficientem, omnes simul quinque Jansenii theses hæreseos nota inustas in medium adducit, ac lethiferam hanc luem incautis propinat.

PROPOSITIO III.

In vanum, Domine, præcipis, si Tu ipse non das, quod præcipis. *Ita Quesnel. Act. 16. num. 10. in edition. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Inutilem docet esse Quesnellus Gratiam Sufficientem, quam Jansenius vocat Monstrosam, & Jansenianí Perniciosam. II. Præceptum esset indignum Deo præcipiente, si non posset impleri.

III. Gratiam Sufficientem dari peccatoribus, ne præceptum violent, ostendunt Scripturæ. IV. Et quidem etiam in natura lapsa. V. Constat id etiam ex parabola vineæ. VI. Necnon ex Tridentino, & Augustino. VII. Ac plurimis Theologicis ratiocinationibus.

VIII. Gratia Sufficiens est ingens beneficium, quod ex peccatoris socordia redditur inutile, & damnosum. IX. Explicatur, in quonam sensu bonum fuisset Judæ, si natus non fuisset. X. Gratia pure sufficiens duo involvit, alterum valde utile, quod a Deo misericorditer confertur; alterum noxium, quod est unice ex culpa voluntatis. XI. Obduratis non datur in pœnam gratia sufficiens, sed solum denegatur in pœnam gratia uberior, aut efficax, quam cæteroquin essent accepturi. XII. Explicatur gratiæ efficacitas. XIII. Et quid importet Prædestinatio.

I. Calvinus, & Lutherus gratiam sufficientem prout condistinctam ab efficaci negarunt dari in natura lapsa. Jansenius in prima ex suis proscriptis Thesibus negavit, justis conferri gratiam relate ad observantiam nonnullorum præceptorum, dicens: *Aliqua Dei præcepta hominibus justis, &c. sunt impossibilia; deest quoque illis gratia, qua possibilia fiant.* Eatenus autem negavit gratiam istam conferri, quia si conferretur, cum ea deberet esse efficax ex suis principiis omnino erroneis, (quatenus, ut habet in secunda Thesi, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur*) nullum unquam præceptum Justi transgrederentur, atque adeo nunquam peccarent; perinde quasi non possit justis dari gratia per Christum, qua valeant præceptum implere, non tamen impleant. Quinimmo usque adeo negat Jansenius dari gratiam ullam condistinctam ab efficaci, ut gratiam pure sufficientem lib. 3. de Gratia Christi cap. 3. appellet *Monstrosam*, quatenus *Nunquam ab initio lapsus humani, usque ad diem judicii ullum in humana voluntate effectum habuit, aut habitura est.* Propterea indignum reputat, quod ex meritis Christi pullulet monstrosa isthæc gratia pure sufficiens, cui voluntas reluctetur. Nonnulli e schola ista Janseniana ulterius progressi sunt ad dicendum, gratiam istam pure sufficientem non solum esse monstrosam, verum etiam esse perniciosam; Istorumque fuit thesis illa sexta ab Alexandro VIII. profligata. *Gratia sufficiens statui nostro, non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A gratia sufficienti libera nos, Domine.* In Sole tamen cæcutit, qui non videt esse ingens beneficium, quod nobis per gratiam pure sufficientem, nostra culpa inefficacem, confertur ex Christi meritis. Ex iis autem, quæ adversus thesim illam passim a Theologis congeruntur, liquido constat etiam error præsentis thesis, quæ mitioribus verbis, ac mira calliditate doctrinam Jansenianam animis imperitorum ingerit, dum observantiam præceptorum unice a Deo expectandam esse contendit.

II. Verum quamvis id pietatem sapere videatur; cum negari non possit, collationem gratiæ efficacis, qua ponatur a nobis observantia præceptorum, esse donum indebitum divinæ munificentiæ: nihilominus Jansenianus error sub splendido verborum hujus thesis pallio iterum occultatur. Etenim si verum est, quod in vanum Deus præcipiat,

quando non instruit hominem gratia efficaci, qua det illi quod ipse præcipit, consequens est, ut inobedientes divinis mandatis, quibus Deus non dat id, quod præcipit, frustranee omnino instruantur gratia sufficienti ad obediendum; unde posset cum Jansenio gratia ista appellari omnino inutilis, atque adeo monstrosa. Quinimmo ab hoc Jansenii discipulo non solum frustranea dicitur esse gratia sufficiens, quoties peccatores præcepta divina transgrediuntur; sed dicitur etiam frustraneum ipsum præceptum, ut propterea in hac thesi in speciem pia impie divinis ipsis præceptis illudatur: In dubium enim revocari non potest, quod præceptum sit inane, ac fatuum, si impleri non possit; ut proinde indignum Deo esset præceptum, quod fieret aut lapidi, ut ratiocinetur, aut homini gratia gratis data patrandi miracula destituto, quod miracula patret. Quare cum citra blasphemiam dici non possit, quod inane, ac fatuum sit divinum præceptum injungens v. gr. peccatori contritionem, sequitur apertissime, quod peccatori omittenti contritionem præceptam non desit gratia sufficiens ad illam ponendam requisita, ne dicatur Deus in vanum illam præcipere. Quod diserte docuit Augustinus lib. de grat. & lib. arb. cap. 4. dicens: *Homo ergo gratia juvatur, ne sine causa voluntati ejus jubeatur.*

III. Et sane quod gratia pure sufficiens de facto detur peccantibus, ut peccatum declinare possint; & quod non incassum Deus præcipiat iis, quibus ex propria culpa deest gratiæ efficacitas, constat non solum ex possibilitate (ut innuimus) præceptorum relate ad inobedientes; sed etiam ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & innumeris rationibus, quas passim congerunt Catholici adversus Heterodoxos. Apertissime id ostenditur ex eo, quod dicitur Isaiæ 5. *Et nunc viri Juda judicate inter me, & vineam meam; Quid est quod ultra debui facere vineæ meæ, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Ex quibus verbis palam fit, & quod gratia sufficiens sit debita, posito quod expectetur uva ex vinea, seu bona operatio a voluntate; & quod eam Deus dederit facienti labruscas, seu male operanti; sicut etiam, quod defectus uvæ, seu bonæ operationis evidenter non sit ascribendus divinæ providentiæ, sed uni voluntati peccatoris; Cum Deus ipsos peccatores velit esse judices ad justificandam providentiam suam, & ad condemnandam malitiam voluntatis non producentis uvam expectatam.

IV. Neque dicant Janseniani, quod hic textus intelligendus sit de homine in statu naturæ integræ, non in statu naturæ lapsæ. Nam communiter Patres, & Expositores illum intelligunt de populo Israelitico, & accommodant populo Christiano, quos Deus etiam post Adæ lapsum ingentibus donis tanquam vineas suas coluit, ut fructus vitæ salutares referrent, quos ab his populis & exigere, & expectare fatetur. Erroneum autem est, quod communi Patrum, & Interpretum expositioni contradicit. Præterquamquod tam in statu naturæ integræ, quam in statu naturæ lapsæ obedientia divinis præceptis Deo Auctori principaliter ascribenda est, gratiam efficacem seligenti ex speciali affectu erga obtemperantes; unde in utroque statu deberet gratia sufficiens esse inutilis, & in vanum diceretur Deus in utroque statu præcipere, si non conferret gratiam efficacem; quod tamen Jansenii asseclæ non admittunt, contendentes, quod solum in natura integra Angelis, & Protoparentibus peccantibus datum fuerit Adjutorium sine quo non, seu gratia sufficiens ad non peccandum; in natura vero lapsa ob ejus imbecillitatem dicunt requiri adjutorium quo, seu gratiam efficacem, & quidem necessitantem ad bonum, quod in sequentibus fusius explodendum est.

V. Confirmatur ex parabola vineæ a Christo D. proposita Matth. 24. *Homo erat Paterfamilias, qui plantavit vineam, & sepem circumdedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificavit turrim, & locavit eam colonis.* Ubi Chrysostomus Hom. *69.* in Matth. habet: *In his omnibus nihil ab eo, quod ad salutem pertinet, derelictum demonstrat.* Quod si aliquid subtraxisset eorum, quæ ad productionem uvæ, seu bonæ operationis necessaria sunt, frustra, & ficte diceretur Deus illam expectare: quis enim, nisi fatuus, expectat, quod fieri nullatenus potest; atqui sine viribus gratiæ nullatenus prodire potest bona operatio salutaris, quam Deus dicitur expectare: ergo non desunt voluntati vires necessariæ, seu gratia sufficiens ad illam ponendam.

VI. Præterea Tridentinum sess. *6.* can. 20. anathematizat, qui dixerit, *eum, qui post baptismum lapsus est, non posse per gratiam resurgere.* Ubi notandum, quod Tridentinum non loquatur conditionate, videlicet, si detur gratia ad resurgendum, sed absolute, quatenus unusquisque post lapsum absolute potest resurgere adjutus gratia superna; atqui multi de facto non resurgunt; ergo iis datur gratia sufficiens ad resurgendum, quin ea reddatur efficax a bona operatione, quæ culpabiliter a peccatore omittitur. Hinc proscripta fuit propositio illa Baji 55. dicens: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil præcepisse impossibile, falso tribuitur Augustino, cum sit Pelagii:* Contendebat quippe Bajus lib. de peccato cap. 12. Pelagium docere, quod sine auxilio indebito gratiæ, tam in natura lapsa, quam in integra, posset homo totam legem servare, quia Deus non præcipit impossibilia; Augustinum vero docere, quod in natura lapsa non debeantur homini vires gratiæ, cæteroqui necessariæ ad totam legem implendam, atque adeo quod in natura lapsa obligaretur homo destitutus gratia ad impossibile, dum obligatur ad servandam totam legem. Temeritas ista Baji, hanc personam calumniæ imponentis Augustino, in ea Thesi damnatur: Augustinus enim pluribus in locis ostendit, omnibus, etiam inobedientibus, dari gratiam sufficientem ad ponendam operationem præceptam: præsertim lib. 1. in Genes. cap. 3. exponens illud Jo: 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ita loquitur: *Illud lumen non irrationabilium oculos pascit, sed pura corda eorum, qui Deo credunt, & ab amore visibilium rerum, & temporalium se ad ejus præcepta servanda convertunt; quod omnes homines possunt, si velint: quia illud lumen omnem hominem illuminat venientem in hunc mundum.* Lumen istud non est, nisi gratia pascens corda eorum, qui credunt Deo, quod omnes præstare possunt, si velint; atque adeo ex Augustino omnibus datur sive proxime, sive saltem remote auxilium sufficiens ad credendum; Et in Psalm. 102. habet: *Blasphematur quotidie, & facit solem suum oriri super bonos, & malos. Vocat undique ad pœnitentiam, vocat bene-*

beneficiis naturæ, &c.; Et D. Prosp. Augustini discipulus gratiam Dei omnibus communicatam deprædicans lib. 2. de Vocat. Gentium cap. 5. *Universitati*, inquit, *hominum ita multiplex*, *atque ineffabilis bonitas Dei consuluit semper*, *& consulit*, *ut neque ulli pereuntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis*, *neque cuique sit liberum de sua justitia gloriari*. Idemque passim docent Patres.

VII. Confirmantur hæc omnia rationibus Theologicis. Primo quidem, quia si homo lapsus careret auxilio sufficienti ad ponendum opus præceptum, contraheret necessitatem peccandi; At ex Augustino, *Quis peccat in eo*, *quod caveri non potest*? Secundo, quia solum delusorie Deus vellet omnes homines salvos fieri, si non conferret illis vel proxime, vel remote vires sufficientes ad salutem obtinendam. Tertio, quia auxilia externa gratiæ, nempe exhortationes, miracula, exempla, &c. dantur omnibus, ergo etiam interna; siquidem ex lege præsentis providentiæ, in qua homo elevatus est ad finem supernaturalem, auxiliis externis gratiæ annectuntur interna: ergo utraque communia sunt, etiam non bene operantibus, atque adeo istis datur gratia sufficiens. Denique intantum supervacanea censetur a Jansenianis gratia sufficiens in natura lapsa, inquantum hæc per peccatum contraxit eam imbecillitatem, & ægritudinem, quæ solum per gratiam efficacem medicinalem curari possit; sed hoc est falsum; nam imbecillitas naturæ orta ex rebellione appetitus non reddit impossibilem, sed solum difficilem operationem bonam, si detur gratia sufficiens ad illam ponendam; Aliter liberum arbitrium non esset duntaxat attenuatum per peccatum, sed extinctum.

Quibus adde, quod cum homo in hac vita sit in via, non in termino, non potest auxiliis gratiæ sufficientibus ad salutem obtinendam omnino destitui. In hoc enim discriminatur Viator ab eo, qui est in termino damnationis, quod ille possit accedere ad terminum, atque adeo habet vires sufficientes ad progrediendum; secus vero damnatus, qui est in termino viæ; Quod si Viator careret his auxiliis, esset in statu deteriori quam damnatus, per hoc quod iste in suo termino non posset amplius peccare, secus vero Viator.

VIII. Opponunt Janseniani, quod gratia pure sufficiens in vanum detur, ut proinde in vanum Deus præcipiat, si solum conferat gratiam sufficientem, & non simul det ipse per gratiam efficacem id, quod præcipit, prout dicitur in hac thesi. Assumptum videtur evinci primo, quia gratia isthæc nunquam conjungitur cum bona operatione, propter quam dicitur conferri, ut proinde a Jansenio lib. 3. de Gratia Christi appelletur Monstrosa; ergo est omnino inutilis & supervacanea. Secundo, ex Augustino, qui lib. de Grat. & lib. arb. cap. 15. habet: *Tunc utile est velle*, *cum possumus*, *& tunc utile est posse*, *cum volumus*; *nam quid prodest*, *si quod non possumus*, *volumus*; *aut si quod possumus nolumus*? ergo ex Augustino gratia pure sufficiens, per quam nunquam volumus, quod possumus, est prorsus inutilis, quinimmo & noxia, ob ingratitudinem nostram, quæ ad illam consequitur; propterea Christus D. Matth. 26. dixit de Juda; *Bonum erat illi*, *si natus non fuisset homo ille*: eo quod gratiæ sufficienti restiterit.

Tertio, quia sicut bonum est, quod omnes appetunt, ita malum est, a quo omnes refugiunt. Quis autem non refugiat a petenda a Deo gratia pure sufficiente? Immo quis non illam deprecetur? non est ergo utilis, & proficua, sed potius noxia, & mala; quæ proinde sæpe datur a Deo in pœnam peccatorum præcedentium, quando obdurat cor peccatoris; cum non aliter Deus obduret, quam denegando gratiam efficacem, & conferendo iteratis vicibus gratiam pure sufficientem.

His tamen paralogismis satisfacere tenentur ipsimet Janseniani, qui in statu innocentiæ Adjutorium sine quo non, seu gratiam puræ sufficientem non inficiantur. Quare sicut in eorum sententia dæmones, & protoparentes, quando peccarunt, instructi a Deo fuerunt gratia sufficienti, quæ tamen non fuit illis inutilis, sed ingens beneficium; non secus ac beneficium est dare alicui oculos, ut videre possit, quamvis velit palpebras claudere: ita prorsus dicendum de gratia pure sufficienti in statu naturæ lapsæ. Quare negatur assumptum. Ad primum sophisma dicendum, gratiam pure sufficientem esse valde utilem per hoc, quod conferat simpliciter posse relate ad operationes supernaturales, quibus vitam æternam promereamur. Etenim gratia sufficiens unice ob culpam voluntatis est mere sufficiens, & inefficax; quia scilicet voluntas non utitur illa, sicut posset, ad bene operandum; Non enim Deus illam confert ut inefficacem, seu ex amore culpæ, sed potius intendit bonam operationem, quam præcipit, & si sub illa prævidisset bonam operationem sequuturam, adhuc illam ipsam dedisset, & quidem libentius, non vero selegisset aliam inefficacem. Quare quod ob culpam voluntatis nihil operetur, & peccator illa instructus sit exprobrandus, non debet id aut in Deum, aut in supervacaneitatem, seu malitiam gratiæ refundi, sed in propriam peccatoris socordiam nolentis uti beneficio adeo ingenti. Hinc Hugo de S. Victore in epist. ad Rom. cap. 9. advertit, quod sicuti qui in fovea reperitur, offerenti manum, ut possit inde educi, gratias referre debet ob beneficium sibi collatum, quamvis ob suam desidiam nolit manum oblatam apprehendere, & idcirco nolit extrahi: ita innumeras debet grates peccator Deo, velut manum offerenti, dum confert gratiam auxiliarem sufficientem, ut possit e tartarea peccati fovea evocari; quamvis ob desidiam & torporem nolit gratia oblata uti, & a peccato liberari.

IX. Ad secundum. Quis dixerit in vanum fuisse a Christo patrata miracula, instituta Sacramenta, data exempla, monita, præcepta, &c. relate ad eos, qui iis abutuntur in propriam perniciem? Qui confert arma innocenti, ut sese ab hostibus tueatur, sibi imputet, si iis male utens sibi potius mortem consciscat. Quare juxta mentem Augustini, si quod possumus vi gratiæ sufficientis, nolumus, tunc illa de se non est inutilis, nec noxia, sed fit nobis inutilis ex vitio voluntatis, quæ proinde exprobationi, & pœnæ est obnoxia: Sicut sacramenta, aut prædicatio divini verbi sunt de se valde nobis utilia, quamquam si quod per ipsa possumus, nolumus, tunc redduntur nobis inutilia, & vertimus in nostram perniciem vitio voluntatis. Hinc melius fuisset Judæ natum non fuisse, quam fuisse cum gratia sufficienti simul, & cum propria culpa, ratione cujus gratiæ non correspondit: non tamen melius fuisset illi, non fuisse, quam fuisse cum gratia sufficienti

ad

ad bene operandum, præscindendo a consensu, vel dissensu a voluntate ponendo.

X. Ad tertium, Gratia pure sufficiens duo involvit; qua sufficiens importat ingens beneficium divinum, qua pure sufficiens includit culpam voluntatis illi obluctantis. Gratia sufficiens petenda est a Deo, gratia pure sufficiens, seu inefficax est deprecanda, non qua sufficiens, sed quatenus annectitur illi culpa voluntatis; sicuti deprecandum est medicamentum ab eo, qui prævidet, quod ob impatientiam ægroti sit nociturum. In eo tamen differt Medicus prævidens medicamentum ob culpam ægroti nociturum, a Deo prævidente, quod peccator gratia sufficienti ob culpam voluntatis sit abusurus, quod medicus tenetur ex charitate impedire culpam, & damnum ægroti; Deus tamen ex munere Primæ Causæ non tenetur impedire culpam, & damnationem reproborum; quia aliter non posset condere creaturas liberas, nec exercere erga illas sua attributa Misericordiæ, Justitiæ, Longanimitatis, &c.

XI. Ad id quod additur; Deus non dat obduratis in pœnam auxilium sufficiens, ut emolliantur; quomodo enim potest in pœnam conferri bonum illud, quo si velit uti obduratus potest vitam æternam consequi, & pœnas æternas declinare? In pœnam solum denegatur sæpe gratia uberior, quæ forte esset efficax, & expugnans necessitatem moralem ad peccandum, quam patitur obduratus. At gratia sufficiens, quamvis prævideatur inefficax, non confertur in pœnam, cum non detur qua inefficax, seu eo animo, ut si prævideretur ista esse efficax, seligeretur alia inefficax; sed datur a Deo, ut sufficiens, intendendo ex illa bonam operationem, quam consulit Deus, & præcipit, esto videat illam ob culpam voluntatis defuturam. Sed hac de re redibit sermo in sequenti thesi, necnon in trigesima, in quibus pariter gratia sufficiens ab Auctore speciosis verbis rejectatur.

XII. Opponitur ulterius, quod gratia sufficiens non solum in vanum, sed etiam in perniciem conferatur; (unde in vanum Deus præcipiat, nisi conferat vi gratiæ efficacis id, quod præcipit) quia nullatenus ea confert ad salutem, sed solum deservit ad nostram condemnationem. Et ratio hujus est, quia nemo præditus gratia mere sufficienti salutem consequitur; quinimmo qui gratia sufficienti præditus negligit ponere operationem præceptam, ob hoc ipsum damnatur, quia sub illa gratia poterat illam ponere, & non posuit; ergo gratia sufficiens solum deservit ad nostram condemnationem, nullatenus vero ad salutem consequendam.

Respondeo, gratiam sufficientem deservire, ut operatio salutaris poni possit ad arbitrium voluntatis, unde possit homo, si velit, salutem consequi; sin autem gratiæ illi resistat, & vocatus a Deo non respondeat, damnabitur quidem, non tamen quia gratiam sufficientem ad salutariter operandum misericorditer habuit; sed quia illi culpabiliter ex sua socordia noluit consentire, cum præsto ea esset ad adjuvandum. Quare damnatio Reproborum non est ascribenda gratiæ sufficienti, sed culpæ voluntatis; ubi ex opposito salus Electorum est ascribenda gratiæ, sine qua operatio salutaris poni non poterat; quinimmo ad salutarem operationem ponendam gratia excitavit, illam suasit, & ad eandem principalissime influxit, quamvis cum determinatione voluntatis: Ad eum modum quo principalius ascribitur homicidium mandanti, quam exequenti, unde ille prius in omnium sententia ad restitutionem obligabitur, & hic solum in ejus defectum; & multo magis operatio salutaris ascribitur gratiæ, quam homicidium mandanti; siquidem sine mandato adhuc potest homicidium poni ab exequente, secus vero voluntas sine gratia operationem salutarem ponere non potest. Præterea mandans non influit in homicidium, nisi solum moraliter, Deus vero in operationem salutarem influit etiam physice. Denique mandans homicidium non influit in illud influxu morali infrustrabiliter: Deus vero moraliter, & physice influit in operationem salutarem infrustrabiliter, ita ut nequeat frustrari sine intento. Seligit quippe auxilium præ-visum efficax speciali affectu, ut proinde bona operatio necessario sit futura, necessitate tamen consequente, quæ non derogat ejus libertati.

Instant Adversarii dicendo, verum quidem esse, quod operatio salutaris, & electio ad gloriam sit tribuenda gratiæ, ea tamen non est tribuenda gratiæ sufficienti, sed efficaci, cum ad salutem consequendam non satis sit gratia sufficiens, quæ solum dat posse, nisi detur etiam gratia efficax, quæ pariat ipsam operationem salutarem præceptam: Propterea recurrit, quod Deus in vanum præcipiat, & in vanum conferat gratiam sufficientem, nisi det simul sua gratia efficaci id, quod præcipit. Et ratio ulterior est, quia ad salutariter operandum, & ad salutem assequendam præter gratiam sufficientem, quæ det posse, ita necessaria etiam est gratia efficax, quæ det agere, ut bona ipsa operatio non sit in manu creaturæ citra specialem Dei beneficentiam; ut proinde consentiens a non consentiente non discriminetur duntaxat ex eo, quod ille consentiat, hic vero dissentiat, sed discriminetur etiam ex eo, quia consentiens instructus est gratia efficaci, quæ facit facere, & dat ipsam operationem, qua gratia caret dissentiens. Neque hoc revocari potest in dubium: Primo quia ex Apost. ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate;* unde Deo ascribitur non solum, quod possimus salutariter operari, sed etiam quod velimus. Secundo, quia si non esset gratia indebita ipse consensus, sequeretur, quod consentiens a non consentiente, & electus a reprobo non discerneretur a Deo, sed a seipso: cum tamen Apostolus dicat, uni Deo tribuendam esse hanc discretionem verbis illis 1. Cor. 7. *Quis est, qui te discernit?* Ubi August. lib. 2. contra duas Epistolas Pelag. cap. 7. habet: *Non aliter Deus discernit, nisi quia unde discernaris impertit.* Certe quia dissentienti ascribitur culpa, & dissensus, idcirco dissentiens discernit se a consentiente, & reprobus ab electo, ut dicitur in Ep. Judæ Apostoli num. 19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Quare ex opposito, si consentienti ascriberetur consensus, & non gratiæ, quæ facit, ut consentiamus, sequeretur, quod consentiens se discerneret, & non Deus illum discerneret. Tertio, quia quodcunque bonum supernaturale est omnino naturæ indebitum, & ex sola Dei misericordia confertur; unde idem Apostolus loco laudato subdit: *Quid habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris, quasi non acceperis?* quare consensus salutaris agnoscendus est tanquam novum Dei beneficium, qui præter posse dat etiam ipsum agere in ordine ad salutem.

Quar-

Quarto demum, quia Augustinus inquirens, cur ex duobus æque vocatis a Deo alter consentiat, alter vero dissentiat, non respondet, quia ille vult consentire, & iste renuit, sed refundi diversitatem ad inscrutabilia Dei judicia, qui uni vult esse specialiter misericors conferendo gratiam efficacem, alteri est solum misericors, quatenus solum illi confert gratiam sufficientem: Hæc enim habet lib. de spir. & lit. c. 34. *Jam si ad illam profunditatem scrutandam quisquam nos coarctet, Cur illi ita suadeatur, ut persuadeatur: illi autem non ita: Duo sola occurrunt interim, quæ respondere placeat, O altitudo divitiarum! &, Nunquid iniquitas apud Deum?* Similiter Augustinus inhærens doctrinæ Apostoli docet, bonam operationem non esse ascribendam homini volenti, sed Deo miserenti, ac conferenti speciali affectu gratiam efficacem, non quidem determinando ad consensum, sed conferendo auxilium opportunum, ac vocando vocatione congrua, & in iis circumstantiis, in quibus non erit spernenda: quod his verbis declarat lib. 1. ad Simplicianum qu. 2. *Igitur non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, qui hoc modo vocavit, quomodo aptum erat eis, qui sequuti sunt vocationem.* Et deinde addit: *Cujus miseretur, sic eum vocat, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat.* Pariter lib. de grat. & lib. arbitr. c. 5. habet: *Ut Apostolus Paulus efficacissima vocatione converteretur gratia Dei erat sola:* siquidem ipsa actualis libera conversio voluntatis donum est solius Dei, qui vocat misericorditer ea vocatione, ad quam consequatur libera voluntatis conversio. Quod explicat S. Doctor in eodem libro cap. 16. dicens: *Certum est, nos velle, cum volumus, sed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum est, quod præparatur voluntas a Domino*: Et cap. sequenti addit: *Ut velimus sine nobis operatur; cum autem volumus, ut faciamus, nobiscum cooperatur:* Quibus verbis docet, vocationem supernam, qua velimus, unice a Deo esse; quamvis ipse nobiscum cooperetur, quando ita volumus, ut faciamus. Ex quibus omnibus fit perspicuum, ipsam liberam nostram cooperationem gratiæ excitanti, seu gratiam efficacem esse speciale Dei donum indebitum, quod uni Deo acceptum referre debemus, quo non collato nunquam salutariter operamur, nec salutem consequimur; atque adeo in vanum Deus præcipit, & frustra gratiam sufficientem confert, nisi ipse etiam det id, quod præcipit.

Respondeo primo, argumentum solvendum esse, ut supra diximus, a Jansenianis ipsis, qui docent, in statu naturæ sanæ, ac integræ Deum non præcepisse in vanum Angelis prævaricatoribus, nec Protoparentibus nostris, quamvis non dederit illis id, quod, præcepit. Sicut enim utiliter, & misericorditer collata iis fuit gratia sufficiens ad salutariter operandum, quamvis ipsi defuerint gratiæ, & ideo defuit illis gratia efficax; ita in statu naturæ lapsæ. Et sane sicut in Angelis malis causa principalis culpæ fuit eorum voluntas, quæ gratiæ sufficienti libere restitit; in Angelis vero bonis causa principalis bonæ operationis non fuit voluntas, quamvis ipsa se determinaverit ad salutariter operandum, sed fuit Deus, qui sua gratia efficaci dedit eis misericorditer non solum posse, sed etiam velle; unde ex Augustino lib. de correp. & gratia cap. 10., & ex Anselmo lib. de casu diaboli c. 1. etiam de Angelis bonis intelligendum est illud Apostoli, *Quid habes quod non accepisti?* Ita idem dicendum in statu naturæ lapsæ. Propterea non est astruenda a Quesnello differentia essentialis inter gratiam Adamicam, & Christianam, seu inter gretiam collatam Adamo in statu naturæ integræ, & gratiam medicinalem, quæ ex meritis Christi jam exhibiti confertur in statu naturæ lapsæ; quasi vero hæc determinet ad salutariter operandum, illa vero non determinaret; cum utraque relinquat in voluntate libertatem indifferentiæ, quamvis in utroque statu gratia efficax sit beneficium unice a Deo collatum, unde in neutro statu in vanum Deus præcipit, seu quamvis non conferat gratiam efficacem.

Respondeo secundo directe, quod Deus in vanum præciperet, si non daret gratiam sufficientem, qua poni posset id, quod præcipit; sicut in vanum v. g. præcipitur cæco, quod videat, si non conferatur illi potentia visiva; quandoquidem præceptum de re impossibili est fatuum, & Deo indignum; unde Tridentinum sess. 6. cap. 11. docet, temerariam, & a Patribus sub anathemate prohibitam esse sententiam illam, quod Dei præcepta non possint a justo observari; cum Deus impossibilia non præcipiat. At vero non præcipit in vanum Deus, si præcipiendo conferat solum gratiam sufficientem, non vero efficacem, seu conferat voluntati facultatem, qua possit obtemperare, si velit, quamvis non conferat illi ipsum velle, conferendo auxilium prævisum efficax: cum non teneatur ex munere causæ primæ impedire culpam voluntatis, si nolit ista gratiæ sufficienti misericorditer collatæ consentire. Gratia sufficiens, quæ voluntati det posse salutariter operari, proculdubio est ingens Dei beneficium; (sicut in ordine naturæ est magnum beneficium potentia visiva, qua possit homo ad arbitrium videre, si velit palpebras aperire). Hoc tamen beneficium est separabile a gratia efficaci, qua Deus voluntati præter posse confert etjam ipsum agere; quatenus seligit ex speciali dilectione auxilium opportunum, & congruum, quod prævidet conjungendum ex libera determinatione voluntatis cum ipsa salutari operatione; & ideo gratia efficax, qua Deus dat id, quod præcipit, est beneficium indebitum; quin tamen ex hoc inferatur, quod non sit dei beneficium gratia sufficiens, ratione cujus non confertur modo explicato id, quod præcipitur, confertur tamen voluntati facultas ad ponendum, si velit, id, quod præcipitur.

Hallucinatio Adversariorum consistit in hoc, quod putent sine gratia efficaci poni non posse id, quod præcipitur, & ideo docent, Deum in vanum præcipere, quamvis conferat gratiam sufficientem, si non conferat etiam vi gratiæ efficacis id, quod præcipit. Sed falsum omnino est, sine gratia efficaci poni non posse id, quod præcipitur; si enim hoc verum esset, sequeretur, quod peccator omittens contritionem præceptam non peccaret, eo quod careret gratia efficaci, qua unice per Adversarios poni potest id, quod præcipitur, cum nemo peccet per hoc, quod non ponat id, quod a se poni non potest. Quare sine gratia efficaci poni quidem potest vi gratiæ sufficientis id, quod præcipitur, quamvis observantia ipsa præceptorum sine gratia efficaci nunquam ponatur; & sine illa existere non possit. Ad eum modum quo ab eo, qui libere claudit palpebras ad non videndum, poni

poni poteſt viſio, quamvis careat concurſu Dei in actu ſecundo ad viſionem; ſed ſine hoc concurſu viſio non ponitur, & ſine illo exiſtere non poteſt; Sic etiam Antichriſtus peccaturus ſine præſcientia Dei de ejus bona operatione poteſt bene operari, & non peccare, ſed bona ejus operatio ſine hac præſcientia non ponitur, nec ſine illa exiſtere poteſt. Univerſim enim dari poteſt integra facultas ad aliquid libere ponendum, quamvis non detur id, quod eſſentialiter connectitur cum ipſa actuali operatione ponenda; unde peccator præditus gratia ſufficienti bene poteſt ponere contritionem præceptam, quamvis careat gratia efficaci, ſine qua contritio nunquam ponitur, cum ſine illa exiſtere non poſſit.

Dices: Intantum qui claudit palpebras poteſt videre, etiamſi non videat, quia eſt in manu ſua, quod ponatur viſio; At non eſt in manu voluntatis, quod ſibi conferatur a Deo gratia efficax; ergo voluntas deſtituta gratia efficaci non poteſt ſalutariter operari; unde recurrit, quod Deus in vanum præcipiat, ſi non det, quod præcipit. Minor conſtat ex dictis, quod gratia efficax ſit Dei donum indebitum, & quod unice a Deo conferatur; unde illa non eſt in manu voluntatis.

Reſpondetur, non eſſe in manu voluntatis, quod Deus velit ſeligere auxilium prævifum efficax ex ſpeciali dilectione; eſſe tamen in manu voluntatis, quod auxilium ſufficiens ſibi collatum conjungatur cum operatione præcepta, unde ipſa hic & nunc inſtruatur gratia efficaci requiſita ad hoc, ut operatio præcepta ponatur (ſive dicatur gratia efficax conſtitui per ipſam operationem, ſive dicatur illam trahere juxta varias opiniones Theologorum) & ideo reſiſtendo gratiæ ſufficienti voluntas peccat.

XIII. Ubi adverte, quod cum dicimus gratiam efficacem a Deo conferri per hoc, quod conferat auxilium prævifum conjungendum libere ex determinatione voluntatis cum bona operatione, præſcindimus ab ea quæſtione Scholaſtica, Num Deus prævideat actus liberos conditionate futuros per ſcientiam mediam, ſeu in ſeipſis? An eos prævideat in decreto ſuo abſoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti per ſcientiam viſionis; cum ſatis ſit, quod ſcientia iſta conditionalium in Deo non deſit, ut poſſit conciliari efficacitas gratiæ, & infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis bonam operationem cum hujus libertate; & quod operatio ſalutaris Deo principaliſſime tribuenda ſit, quatenus ſeligenti auxilium prævifum efficax ex ſpeciali miſericordia. Non ſolum autem communiſſime Doctores docent, præſcientiam futurorum conditionalium in Deo negari non poſſe citra injuriam Divinitatis, ſed ex Scripturis manifeſte conſtat eam dari; quomodo enim Chriſtus D. dicere potuiſſet Matth. 11. *Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida; quia ſi in Tyro, & Sidone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent*, ſi defuiſſet illi ſcientia hæc conditionalium? Quomodo Deus Davidi interroganti 1. Reg. 23. *Si tradent me viri Ceilæ in manus ejus; & ſi deſcendet Saul?* reſpondere potuiſſet, *Tradent, deſcendent*, ubi id ignoraret? Quomodo poſſet Deus ſpecialem benevolentiam, ac miſericordiam præſtare erga illos, quos ex hoc mundo eripit, antequam incidant in laqueum diaboli, prout dicitur Sap. 4. *Raptus eſt, ne malitia mutaret intellectum ejus*, ſi careret ſcientia futurorum conditionalium? Hanc ſcientiam, ſine qua Deus non eſſet omniſcius, nec poſſet providentiam ſuam erga creaturas liberas qua liberas exercere, Auguſtinus non ſemel appellavit nomine præſcientiæ docendo, quod electio, ac prædeſtinatio Sanctorum non aliter habeatur, niſi quia Deus, cui ratione ſuæ omnipotentiæ non deſunt infinita media, ac auxilia congrua, quibus poſſit a creaturis liberis conſenſum liberum obtinere, præſcius omnium actuum liberorum conditionate futurorum, ſeligit auxilium opportunum, ſub quo creatura libera finaliter eſt bene operatura, ut proinde infallibiliter ſalvetur ille, quem prædeſtinat, citra everſionem libertatis. Hæc ſunt verba S. Doctoris lib. de Bono perſev. cap. 14. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent, aut quos daturus eſſet Filio ſuo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique ſi præſcivit, profecto beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc eſt Prædeſtinatio Sanctorum, nihil aliud; præſcientia ſcilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſime liberantur, quicunque liberantur*. Hoc etiam ſimiliter docuit Auguſtinus ibid. num. 41. dicendo: *Namque in ſua, quæ falli, mutarique non poteſt, præſcientia, opera ſua futura diſponere, id omnino, nec aliud quicquam eſt, prædeſtinare. Iſta igitur ſua dona quibuſcunque Deus donat, procul dubio ſe donaturum eſſe præſcivit, & in ſua præſcientia præparavit*.

Propterea Prædeſtinatio non ſolum involvit præſcientiam actuum liberorum ſub conditione, quod dentur hæc, vel illa auxilia futurorum, ſed etiam importat præparationem iſtorum donorum, ſeu collationem talium auxiliorum; unde S. Doctor lib. de Prædeſt. Sanct. cap. 10. dixit: *Prædeſtinatio eſt, quæ ſine præſcientia eſſe non poteſt; poteſt autem eſſe ſine Prædeſtinatione Præſcientia*. Quod autem non deſint in Deo infinita auxilia congrua, & opportuna, quibus Deus poſſit a creaturis liberis conſenſum liberum obtinere, ex eo conſtat, quia aliter Omnipotentia divina non eſſet perfectiſſima, & qua major excogitari non poteſt, ſi non poſſet in creaturas liberas qua liberas hoc pacto dominari: propterea Proverb. 21. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit, inclinabit illud*: Et ad Rom. 9. *Cujus vult, miſeretur, & quem vult indurat*: quod pariter Auguſtinus docuit lib. de corr. & grat. cap. 14. dicens; *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: magis enim habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas*. Et in Enchirid. c. 88. ubi habet: *Quis tam impie deſipiat, ut dicat, Deum non poſſe malas hominum voluntates, quando voluerit, & quomodo voluerit, in bonum convertere?* Falſum autem hoc eſſet, (quod ſcilicet poſſit Deus malas hominum voluntates in bonum convertere quomodo voluerit) ſi ſolum poſſet illas cum everſione libertatis determinare in bonum, & non etiam poſſet ab iis obtinere conſenſum libere infallibiliter per collationem auxilii prævifi efficacis: Hoc autem pacto Deum oſtendere ſpecialem ſuam dilectionem erga bene operantes, (videlicet ſeligendo auxilium opportunum, quod illis conferat, ut iis præter poſſe, ſed etiam agere, atque adeo infallibiliter libera, ac ſalutaris operatio ſequatur) docuit Auguſtinus lib. 1. ad Simplicianum. quæſt. 2. iis verbis: *Cum ergo alius ſic,*

alius

alius autem sic moveatur ad fidem, eademque res sæpe alio modo dicta moveat, alio modo dicta non moveat, aliumque moveat, alium non moveat; quis audeat dicere defuisse Deo modum vocandi, quo etiam Esau ad fidem mentem applicaret, voluntatemque conjungeret? Cujus autem miseretur, sic eum vocat, quomodo scit ei congruere, ut vocantem non respuat.

Ex quibus omnibus fit perspicuum, Primo, quod gratia efficax habeatur per hoc, quod Deus ex speciali sua misericordia conferat homini auxilium congruum, & opportunum, quod prævidet per scientiam conditionalium conjungendum cum consensu, si illud daretur; seu per hoc quod vocet hominem, quomodo scit congruere, ut vocantem non respuat, atque adeo vocatione, quæ non solum suadeat, sed etiam persuadeat, ita docendo, ut homo discat, & veniat ad Christum, illum attrahendo citra necessitatem, sed cum voluptate, ac libere. Hæc autem vocatio ab Apostolo dicitur esse *secundum propositum*: cum dicat Roman. 8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt Sancti*. Et hoc auxilium congruum, & efficax ab Apostolo appellatur *Opportunum*; dicit enim Hebr. 4. *Adeamus ergo cum fiducia ad thronum gratiæ, ut misericordiam consequamur, & gratiam inveniamus in auxilio opportuno*.

Secundo constat, quod vi gratiæ efficacis Deus faciat, ut faciamus, & ut in præceptis suis libere ambulemus, unde gratia efficax fit donum indebitum, ac distinctum a gratia sufficienti, qua solum Deus dat posse nos ad arbitrium salutariter operari. Quamvis autem per gratiam efficacem Deus faciat, ut faciamus, juxta illud Ezechiel. 11. *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis:* id tamen non efficit Deus sine libera nostra cooperatione, ratione cujus nos etiam dicimur idipsum ex Dei misericordia per virtutem gratiæ efficere: Unde hanc ipsam cordis novitatem Deus per eundem Prophetam cap. 18. a nobis expostulat, dicens: *Projicite a vobis prævaricationes vestras, & facite vobis cor novum, & spiritum novum*. Quinimo quamvis impii conversio, & vivificatio virtuti gratiæ efficacis tribuatur; hoc tamen non obstat, quo minus ipse impius dicatur animam suam vivificare cooperando gratiæ. Hinc ibidem additur: *Cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam, ipse animam suam vivificabit*.

Tertio, quod licet creatura libere consentiat, Deus tamen sit, qui discernit consentientem a non consentiente, & electum a reprobo, juxta illud Apostoli: *Quis est qui te discernit?* cum Deus misericorditer seligat auxilium prævisum efficax, quod conjungitur cum consensu, qui formaliter constituit consentientem. Unde Deus discernit causaliter, & consensus discernit formaliter.

Immo licet verum sit, quod consentiens discernat se causaliter a dissentiente, tanquam immediata causa consensus, nihilominus, ut advertit Bellarm. lib. 1. de Liber. Arb. c. 13. Deus est prima causa, cui consentiens discernatur a dissentiente, tanquam seligens speciali affectu auxilium, quod prævisum est conjungendum cum consensu. Ubi e converso dissentiens est immediata, & simul principalis causa dissensus: unde si duo æquali omnino gratia a Deo instruantur, & unus libere consentiat, alter dissentiat, ille discernitur a Deo tanquam principali causa consensus, hic vero discernitur a seipso, cum sibi tantum culpa ascribatur, non Deo, qui contulit gratiam sufficientem, ut sub ea consensus poneretur. Et hac de causa in extremo die reprobis dicetur: *Ite in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus;* Electis vero dicetur: *Venite benedicti, possidete regnum, quod vobis paratum est ab origine mundi*; quia scilicet artifex infernæ domus fuit culpa dæmonum, unde post culpam extructa fuit domus illa tormentorum: Contra vero opifex Empyrei fuit divina bonitas, quæ ex speciali benevolentia antecedenter ad operationes salutares decrevit electis conferre auxilia efficacia, quibus non solum possent gloriam promereri, sed etiam illam promererentur.

Quarto, quod consensus, seu operatio salutaris, quamvis libere ponatur a voluntate, adhuc sit donum acceptum a Deo seligente tale auxilium, unde infallibiliter, ac libere ea sequatur; & ideo verificatur illud Apostoli 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Sicut etiam quod idem Apostolus habet Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*.

Quinto, quod licet voluntas libere ponat operationem salutarem, non proinde possit de ea gloriari tanquam propria, cum ex misericordia divina seligente auxilium efficax illa ponatur; & ideo subdit Apostolus: *Aut quid gloriaris, quasi non acceperis?* Non prohibetur tamen, quod de ea gloriemur in Domino tanquam ab illo accepta cum libero nostræ voluntatis consensu; cum idem Apostolus dicat 1. Corinth. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. & 2. Corinth. 12. dicit: *Si voluero gloriari, non ero insipiens.* Insipienter tamen homo gloriatur de bona operatione, quasi illam non acceperit; ubi e converso sapienter tristatur, & confunditur homo de culpa tanquam omnino sua, cum non acceperit illam a Deo, qui non confert auxilium sufficiens prævisum inefficax ex intentione, quod culpa sequatur, sed sincero animo illud confert, ut vi illius sequatur bona operatio; quam si prævideret secuturam, libentius conferret illud ipsum auxilium, non vero conferret aliud, quod prævideret inefficax.

Sexto, quod reprobus non possit conqueri de Deo, quod sibi non contulerit gratiam efficacem, quam contulit electis; siquidem contulit misericorditer illi gratiam sufficientem ad salutem consequendam, & per ipsum stetit quominus illam assequeretur, unde gratias tenetur Deo referre, quamvis noluerit Deus (utpote dominus) esse illi specialiter beneficus, ita ut etiam gratiam efficacem conferret; cum ad conferendum hoc secundum beneficium Deus non teneatur. Unde Augustinus loco laudato dicit; *Nunquid iniquitas apud Deum?* Proterea iis, qui murmurabant adversus Patremfamilias, quod tam acceperint denarium illi, qui primo mane vocati erant ad laborandum in vinea, quam qui circa undecimam horam, ille respondit Matth. 20. *Amice non facio tibi injuriam; nonne ex denario convenisti mecum? Tolle, quod tuum est, & vade: Aut non licet mihi, quod volo facere? An oculos tuus nequam est, quia ego bonus sum?*

Septimo fit perspicuum, quare Augustinus quærens eodem laudato loco, cur Deus uni ita suadeat, ut

ut persuadeat, non vero alteri, non aliter respondeat, quam, *O altitudo divitiarum! Numquid iniquitas apud Deum?* Et in Epist. 105. ad Sixtum habet: *Cur illum potius, quam illum liberet, aut non liberet, scrutetur, qui potest, judiciorum ejus tam magnum profundum; tamen caveat præcipitium.* Etenim cum sit Dominus, divitias suas juxta inscrutabilia sua consilia elargitur, cui maluerit, citra uniuscujusque injuriam: propterea nemo debet ab eo quærere, quare Paulum converterit sua gratia efficaci, Judæ vero non contulerit gratiam, qua ad poenitentiam converteretur, sed solum contulerit illi gratiam ad id præstandum sufficientem? non enim aliter quæsito huic fiet satis, quam dicendo, Dominus est: potuit ergo specialem misericordiam erga Paulum exercere, quin teneretur eandem specialem misericordiam exercere erga Judam: cui pariter satis superque fuit misericors, ac beneficus vocando illum vi gratiæ sufficientis ad resipiscentiam. Hinc Apostolus Rom. 9. habet: *O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Non habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud vero in contumeliam?*

Octavo constat, quare sæpe Ecclesia postulet a Deo, ut nobis conferat non solum posse bene operari, sed etiam ipsam bonam operationem, agnoscendo, quod utrumque sit Dei donum, ut in oratione Dominicæ duodecimæ post Pentecosten, ubi dicit: *Omnipotens sempiterne Deus, de cujus munere venit, ut tibi a Fidelibus tuis digne, & laudabiliter serviatur, tribue quæsumus nobis, ut ad promissiones tuas sine offensione curramus.* Et in una ex orationibus Sabbati Sancti habet: *Da nobis & velle, & posse, quæ præcipis.* Quamvis enim in nostra potestate sit ipsum velle, quia tamen ex speciali dono auxilii prævisi efficacis sit, quod de facto velimus, idcirco a Deo omnipotenti, ac misericordi hujusmodi auxilium humiliter postulamus. Hinc ita Joel. 2. dicitur, *Convertimini ad Dominum Deum vestrum*, ut etiam Psal. 84. dicatur: *Converte nos Deus salutaris noster*; quia scilicet conversio nostra, quamvis libere a nobis ponatur, Dei tamen est donum, dum confert auxilium, sub quo illa ponatur.

Nono fit satis difficillimæ illi quæstioni, quomodo quando Deus prædefinit aliquam bonam operationem, & ad illam obtinendam confert auxilium prævisum efficax, infrustrabilitas divinæ voluntatis cohæreat cum libertate actus prædefiniti? Usque adeo difficile est id explicare, ut Augustinus lib. 2. de Peccat. merit. cap. 18. dixerit: *Quærentem vehementer angustat, ne sic gratiam defendamus, ut liberum arbitrium auferre videamur; rursum, ne liberum sic efferamus arbitrium, ut superba impietate ingrati gratiæ Dei judicemur.* Et Cajet. in cap. 9. Epist. ad Rom. dixit: *Scio verum vero non esse contrarium, sed nescio hæc jungere, sicut nescio mysterium Trinitatis.* Dicimus tamen, quod cum impossibile sit falsificari Præscientiam divinam de actibus nostris liberis conditionate futuris, eo ipso ac Deus prævidet, quod si conferatur auxilium, voluntas consentiet, prædefinitio talis consensus est infrustrabilis, & simul consensus est liber. Sicuti quia impossibile est falsificari scientiam divinam de actibus liberis absolute futuris, revelatio consequens ad hanc scientiam, v. gr. de negatione Divi Petri, aut de peccato Antichristi, falsificari non poterat, & tamen libera fuit negatio Divi Petri, & liberum erit peccatum Antichristi; non enim ex ea revelatione contrahitur necessitas ulla antecedens, sed solum consequens, quæ non officit libertati actus. Hoc expressit August. lib. de corrept. & grat. cap. 7. ubi loquens de Prædestinatis ait: *Horum si quisquam perit, fallitur Deus*: (hoc est fallitur præscientia ejus, qua neminem acceptis infallibilibus ad salutem mediis periturum prævidit) *Sed nemo eorum perit, quia non fallitur Deus*: Hoc est, quia ejus præscientia non fallitur. Ex quo fit, quod gratia efficax dici possit invictissima, insuperabilis, indeclinabilis, omnipotentissima, quamvis verum sit, quod libere voluntas cum illa operetur, possitque gratiæ interiori resistere: Stat enim, quod operatio salutaris prævisa sub auxilio efficaci ponatur infallibiliter, & simul possit omitti; non secus, ac peccatum Antichristi prævisum, ac revelatum a Deo infallibiliter ponetur, & tamen poterit non poni. Fit etiam, quod homo possit resistere gratiæ, & simul verum sit, quod habet August. lib. de corrept. & grat. cap. 14. videlicet, quod *Deo volenti salvum facere nullum possit arbitrium resistere*, quandoquidem si Deus vult efficaciter efficacia simpliciter dicta salvari hominem per collationem auxilii efficacis, impossibile est, quin ponatur operatio salutaris meritoria salutis æternæ, quamvis possit voluntas huic auxilio dissentire.

Decimo enodatur illa alia gravissima difficultas, Num scilicet possint duo eadem omnino gratia, & sub iisdem circumstantiis affecti, alter consentire, alter vero dissentire? Ex una parte videtur, quod non; quia dissentiens solum habet gratiam sufficientem, qua consentire possit; contra vero consentiens duplex habet a Deo beneficium, & quod possit consentire, in quo convenit cum dissentiente, & quod actu consentiat, in quo ab illo disconvenit; unde non est eadem gratia in utroque; præsertim quia ipse actualis consensus est quædam gratia, quæ uni Deo tribuenda est, ex Aug. lib. de Grat. & lib. arbitr. cap. 5. ubi habet: *Ut Apostolus Paulus efficacissima vocatione converteretur, Gratia Dei erat sola.* Ex altera parte videtur, quod possint sub eadem gratia duo diversimode se habere, ita ut unus consentiat, alter dissentiat; tum quia hoc spectat ad conceptum libertatis; tum etiam quia aliter indigna fuisset Christo D. exprobratio illa facta Judæis, quod scilicet si in Tyro, & Sidone factæ fuissent eædem virtutes, poenitentiam egissent; siquidem possent Judæi respondere, quod Tyrii, & Sidonii poenitentiam agerent, quia duplex illis gratia conferretur, altera qua possent converti, altera qua converterentur; at ipsis solum gratia data fuit, qua possent converti. Hinc August. lib. de Prædest. cap. 15. docet, quod licet Nabuchodonosor, & Pharao ambo essent homines, ambo Reges, ambo captivum populum possidentes, ambo flagellis moniti, atque adeo ambo similiter ad poenitentiam vocati; ille solum ingemuit, hic vero libero contra misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio.

Quæstionis tamen hujus facilis est solutio, si in gratia efficaci distinguatur entitas gratiæ a connexione illa infallibili, quam habet cum consensu, ex hoc quod Deus præparet illam in sua Præscientia in ordine ad illum inducendum: Quo præsupposito dicendum, quod possit eadem entitative gratia esse in duobus, quorum alter consentiat,

alter

alter dissentiat; At in tali casu illa specialis Dei dilectio, ac speciale beneficium, [quod præeligatur auxilium efficax in ordine ad inducendum infallibiliter consensum liberum, non confertur dissentienti, sed confertur soli consentienti: & ideo hic dicitur duplicem habere gratiam, ille vero unam tantum. Ex quo non sequitur, quod possent Judæi excusari, quod non egerint pœnitentiam, cum Tyrii, & Sidonii egissent, quia nihil illis defuit, quod necessarium esset, ut possent converti, si voluissent; cum specialis illa dilectio, ac prælectio auxilii efficacis, unice Deo arbitraria, non requiratur, ut possit consensus poni, quamvis nunquam sine illa consensus ponatur; Sicuti ex. gratia non requiritur scientia Dei ab æterno de bona operatione Antichristi, ad hoc ut possit hic bene operari, & non peccare, nunquam tamen bene operatur, quin præfuerit ab æterno talis scientia. Sicut enim scientia ista pertinet ad perfectionem divini intellectus, & quia logice præsupponit nostram liberam operationem, non evertit ejus libertatem, quamvis tempore illam antecedat: ita prædefinitio illa nostræ bonæ operationis commendat benignissimam Dei voluntatem; & quia pariter consequitur logice ad nostram liberam operationem, (quatenus ideo datur præscientia ab æterno de nostra libera operatione sub tali auxilio, ac præfinitio illius, quia voluntas sub eo auxilio libere consentiret, & non viceversa ideo consentiret, quia datur illa præscientia, ac præfinitio) non evertit ejus libertatem, quamvis physice, & ab æterno illam antecedat. Ex hoc autem quod prælectio auxilii efficacis sit uni Deo arbitraria, idcirco Augustinus conversionem Apostoli uni gratiæ ascripsit; quamvis revera non sine libera cooperatione voluntatis conversio facta fuerit. Potest itaque sub eadem entitative gratia Titius consentire, Cajus dissentire; & idem Titius sub eadem gratia potest hodie consentire, cras dissentire; aliter non diceretur liber. Quinimmo potest Titius sub gratia remissa consentire, & Cajus dissentire sub gratia magis intensa: & ideo Matth. 12. dicitur: *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione ista, & condemnabunt eam*; quia scilicet Judæi majoribus auxiliis vocati, quam Ninivitæ, non egerunt pœnitentiam Ninivitarum.

Denique fit perspicuum, quod Deus non in vanum præcipiat, quoties gratiam sufficientem confert, quamvis non det id, quod præcipit, seu non conferat gratiam efficacem. Quæ omnia in decursu harum thesium non semel recurrent; præsertim in decima, necnon in vigesimaquarta, & vigesimaquinta, ac in trigesima.

Quesnelli Asseclæ ad decipiendum incautos obtrudunt hic verba illa Psalmi 126. *Nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam*; perinde quasi idem his verbis significetur, ac verbis hujus thesis dicentis, In vanum Deum præcipere, nisi det quod præcipit.

Sed crassa nimis ignorantia laborant, si utriusque propositionis sensum confundant, & decipiantur; nimis vero vafre, ac malitiose docent eas univocari, si advertentes ad germanum utriusque propositionis sensum velint rudes decipere. Erroneum sensum hujus tertiæ thesis jam exposuimus, quod scilicet frustraneum sit præceptum Divinum v. g. de contritione a peccatore ponenda, si solum Deus conferat gratiam sufficientem ad illam ponendam, & non simul det gratiam efficacem, unde frustranea pariter sit talis gratia sufficiens, si minus perniciosa; Quod certe catholicis doctrinis refragatur. Sensum autem verborum illius Psalmi esse diversissimum, & catholicum cæcus est, qui non advertat; denotatur quippe verbis illis, ut advertit August. in expositione Psalmi laudati, quod in vanum laborent ædificando Ecclesiam, qui prædicant verbum Dei, & Ministri Sacramentorum, nisi ipse Christus Dominus ædificet Ecclesiam suam. Hæc sunt verba S. Doctoris: *Nos loquimur foris, ille ædificat intus*; *ipse monet, ipse terret, ipse intellectum aperit, ipse ad fidem aperit sensum vestrum, & tamen laboramus & nos tamquam operarii*; *sed nisi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt ædificantes eam*. Similiter docet Episcopos, & Patres in vanum vigilare, nisi Dominus custodierit Ecclesiam suam, addens: *Laboramus in custodiendo, sed vanus est labor noster, nisi ille custodiat, qui videt cogitationes nostras*: Denique verba illa Psalmi, *Vanum est vobis ante lucem surgere*, sic exponit: *Si surgatis antequam surgat lux, necesse est, ut in vanitate remaneatis, quia in tenebris eritis*, denotans, quod illustrationes duntaxat supernæ, quæ ex Christi meritis proveniunt, conferant ad vitam æternam assequendam: Illos autem dicit ante lucem surgere, qui volunt se anteponere Christo, qui est lux nostra; Istos autem currere in vanum, imo & in ruinam, in confesso est. His adde, verbis Psalmi laudati denotari pariter posse, quod labores nostri, quibus Templum Dei in nobis ipsis ædificamus, mercede æterna, & coronide frustrandi sint, nisi Deus ipse conferat nobis misericorditer perseverantiam, & coronidem huic ædificio imponat; quippe quam de condigno mereri non possumus. Hæc autem omnia toto Cœlo differunt a sensu hujus confixæ thesis: in hac enim erronee dicitur esse frustraneum Dei præceptum, & Gratia sufficiens, nisi Deus conferat id, quod præcipit: In Psalmo vero dicuntur esse frustranei nostri labores, ac vigiliæ, nisi suam deinde misericordiam Dominus superaddat ædificando Ecclesiam suam, & illam custodiendo.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim III.

Tertia thesis docens in vanum a Deo præcipi quicquid præcipit, nisi id ipsum ille conferat, quod præcipit, perfricta fronte de Deo tanquam de insipiente obloquitur; quippe qui sæpe præcipit v. gr. peccatori contritionem, quin tamen illam conferat, cum peccator non conteratur; Unde docet, frustranea esse isthæc præcepta, & ideo indigna, quæ a Deo summe sapiente ferantur. Ex August. enim lib. de nat. & grat. cap. 69. *Firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere*: Cui consonat Basilius in Regulis brevioribus Responf. 57. dicens: *Sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus, & justus est, nisi facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus*. Quod si præter gratiam efficacem, qua peccator efficit contritionem, quæ a Deo præcipitur, agnosceret Quesnellus in peccatore, qui culpabiliter non convertitur, divinis vocationibus obluctando,

gratiam sufficientem, quæ vires præbeat ad conterendum, peccator tamen culpa sua illis non utitur, certe non frustra Deus contritionem præciperet, excitando illum ad pœnitentiam, nec immerito deinde illum puniret, etiam ob neglectum contritionis præceptæ: Secus vero puniendus non esset: Etenim ex doctrina Angelici qu. 24. de Veritate, *Nemo debet puniri, vel præmiari in eo, quod non est in ejus potestate facere, vel non facere.*

PROPOSITIO IV.

Ita Domine: Omnia possibilia sunt ei, cui omnia possibilia facis, eadem operando in illo. *Quesnellus Marc. 9. 22. in editione 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Iterum in hac thesi Gratia sufficiens de medio tollitur a Quesnello.

II. Retorquetur præcipuum Jansenistarum telum, quo Gratiam Sufficientem insectantur, dicendo, quod ea Obduratis, & Obcæcatis denegetur.

III. Eam obduratis non deesse multipliciter constat ex Scripturis, & Patribus.

IV. Impotentia ad bene operandum in obduratis non est physica, & antecedens, sed moralis, & consequens.

V. Cæcitas corporis semper habet Deum authorem; At cæcitas mentis, quamvis qua parte est pœna involvens subtractionem auxiliorum uberiorum, & efficacium, habeat pariter Deum auctorem, non tamen qua parte involvit culpam, seu aversionem voluntatis a divina illustratione.

VI. In quonam sensu intelligendum est, quod Deus Cujus vult miseretur, & quem vult indurat.

VII. In statu naturæ integræ nemini deerat sufficientia moralis ad perseverandum in gratia; in statu vero naturæ lapsæ, ubi datur impotentia moralis, ea oritur ex culpa præterita.

VIII. Quicquid sit, an post certum numerum peccatorum denegetur peccatori etiam potentia physica ad bene operandum.

IX. Auxilium, quod a Deo confertur, aliquando est sufficiens proxime; aliquando vero solum remote.

I. Etiam thesis isthæc vafre virus propinat, perinde quasi sensus sit, quod omnem nostram potestatem ad bene operandum, necnon ipsam bonam operationem Deo acceptam referre teneamur; quod nemo sanæ mentis in dubium revocare potest. Thesis tamen tum juxta proprium verborum sensum, tum etiam ad mentem Auctoris in aliis thesibus expressam, contendit, quod omnis & sola potestas ad actus honestos sit in nobis a Deo conferente potestatem, & simul operante in nobis tales actus per gratiam Christi efficacem, omnipotentem, & invincibilem; ut proinde iterum in hac thesi idem error recudatur, ac in superiori, dum negatur possibilitas orta vi gratiæ sufficientis, qua Deus faciat quidem nobis possibilem nostram bonam operationem, illam tamen non operetur in nobis. Quid enim sonat illud, omnia esse possibilia nobis, quæ fiunt a Deo possibilia, dum illa in nobis operatur, quam dicere, non esse nobis possibilem aliam bonam operationem ab ea, quæ per gratiam efficacem ponitur a Deo, non quidem cooperante nobiscum, sed operante illam in nobis? Sicuti enim, si quis diceret, Omnia sunt in hoc Mundo, quæ Deus fecit esse in hoc Mundo; nisi vellet verbis ludere, procul dubio denotare intenderet, quod nihil sit in hoc Mundo, quod aliunde sit, quam ex divina dispositione: Ita dum dicitur, Omnia sunt possibilia, quæ Deus facit possibilia, eadem operando, denotatur, nihil esse possibile homini, quod non faciat Deus possibile, illud operando in eodem homine, atque adeo non esse possibilem homini bonam operationem, quam non faciat Deus possibilem, eam operando in illo vi gratiæ efficacis. Et ratio est, quia juxta consuetum morem loquendi hujusmodi locutio habet vim conditionalis, & fit sensus, Omnia esse possibilia illi, cui Deus possibilia facit, in hypothesi tamen, quod ea in illo Deus operetur, videlicet sua gratia efficaci: ad eum modum quo propositio ista: Omnia sunt physice possibilia creaturæ, quæ Deus facit illi physice possibilia, exhibendo illi suum concursum, facit sensum hypotheticum, hoc est, dummodo Deus exhibeat illi suum concursum, ut proinde hoc circumscripto, nihil sit possibile creaturæ; Sicut etiam si dicatur, confici Sacramentum a Ministro, qui ponit materiam, & formam, intendendo facere, quod Christus instituit, fit sensus conditionalis, quod scilicet si desit talis intentio, Sacramentum non conficiatur. Quare pariter in hac confixa thesi fit sensus hypotheticus, quod scilicet non sint nobis possibilia, nisi quæ Deus facit possibilia vi suæ gratiæ efficacis, qua Deus eadem in nobis operetur.

Hoc autem usque adeo abhorret a Catholica veritate, ut certum omnino sit, esse possibilem peccantibus bonam operationem, quamvis Deus non faciat illam possibilem, operando eandem in illis, eo quod solum illis conferat gratiam sufficientem, non vero efficacem: Quod si conferret efficacem, non operaretur Deus bonam operationem in illis sine concursu, & determinatione voluntatis, atque adeo cum eorum voluntate Deus cooperaretur. Præcipuum tamen intentum hujus thesis (ut etiam præcedentis) est de medio tollere gratiam sufficientem, qua sublata, nemo posset rationabiliter timere a Divinis exprobrationibus; Quomodo enim exprobrari posset ingratitudo, & culpa iis, qui peccant ob defectum auxilii ad declinandas culpas, & ad bene operandum requisiti?

II. Quare iterum ad conterendam hanc Hydram insurgo; & quamvis innumera tela subministrentur a Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Theologis ostendentibus passim necessitatem gratiæ sufficientis in iis, qui peccant, ut possit illis peccatum imputari, eo duntaxat hic utor, quod deservit ad enervandum præcipuum Adversariorum, argumentum, quod Catholicis objectant, ductum ex obduratione, & obcæcatione Judæorum, quibus videtur defuisse gratia sufficiens, & potestas antecedens necessaria ad conversionem; quod multis Jansenianni conantur ostendere, ut dicemus in thesi sexta, & septima. Interim sic arguo.

Obduratis, & obcæcatis datur auxilium sufficiens ad conversionem, ita ut possibilis sit horum conversio, quin fiat a Deo possibilis per hoc, quod illam in iisdem operetur: ergo in natura lapsa denegari non potest auxilium sufficiens, quod simul non sit efficax. Revincitur antecedens ex adhortationibus,

nibus, reprehenſionibus, comminationibus, quæ paſſim in Sacris literis fiunt obduratis, ut convertantur; quæ ſupponunt poteſtatem antecedentem, & ſufficientem ad avertendum ſe a peccatis, & ad convertendum ſe ad Deum; niſi velimus dicere eas eſſe deluſorias, & fatuas. Ezechiel. 33. *Convertimini a viis veſtris peſſimis*. Prov. 29. *Qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus ei ſuperveniet interitus*. Eccl. 3. *Cor durum habebit male in noviſſimo*. Sed expreſſius id ſub oculos ponitur ab Apoſtolo ad Roman. 2. ubi obduratis objicit contemptum donorum, & divitiarum gratiæ ſibi a Deo conceſſæ, dicens: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis ejus contemnis? Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Tu autem ſecundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum theſaurizas tibi iram*. Quod autem Apoſtolus nomine divitiarum bonitatis Dei intelligat abundantiam, nedum ſufficientiam gratuitam, conſtat ex Epiſt. ad Epheſ. 1. ubi dicitur: *In quo habemus remiſſionem peccatorum ſecundum divitias gratiæ ejus, quæ ſuperabundavit in nobis*; & cap. 2. *Ut oſtenderet abundantes divitias gratiæ ſuæ in bonitate*. Et ſane niſi Deus obduratis abundantiam, & non ſolam ſufficientiam gratiarum concederet, non poſſet Apoſtolus illis bonitatem, & longanimitatem, & divitem Dei miſericordiam improperare; & immerito iis diceret, quod theſaurizent ſibi iram Dei ob contemptum longanimitatis, & bonitatis divinæ, ſi iis etiam ſufficientia, nedum exceſſus gratiæ ad pœnitentiam requiſitæ deeſſet. Hinc Auguſtinus in Pſ. 102. exponendo verba illa, *Longanimis, & multum miſericors*, & conferendo illa cum hoc Apoſtoli textu dicit: *Quid tam longanime? quid tam multum in miſericordia? Peccatur, & vivitur: accedunt peccata, augetur vita. Blaſphematur quotidie, & ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos: vocat undique ad pœnitentiam, vocat beneficiis creaturæ; vocat impertiendo tempus vivendi; vocat per lectorem; vocat per intimam cogitationem; vocat per flagellum correctionis; vocat per miſericordiam conſolationis, longanimis, & multæ miſericordiæ. Sed obſerva, ne longitudine miſericordiæ Dei abutendo tu tibi theſaurizes, ut ait Apoſtolus, iram in die iræ*. Ecce ſuperabundantiam gratiarum, quas Deus largitur obduratis; qui tamen divitias iſtas divinæ bonitatis, patientiæ, & longanimitatis contemnentes, nec reformidantes theſaurum iræ, quam Apoſtolus comminatur, pœnitentiam negligunt. Itaque gratiarum abundantia a Deo replentur, quas tamen propria culpa reddunt inefficaces.

III. Confirmatur, quia ex Sacris etiam Literis conſtat, in libera obduratorum poteſtate poſitum eſſe, ne obdurentur: ut proinde dici non poſſit, quod careant gratia hujuſmodi poteſtatem conferente, quæ dicitur auxilium ſufficiens. Pſ. 94. *Hodie ſi vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda veſtra*: 1. Paralip. 30. *Nolite indurare cervices veſtras, ſicut Patres veſtri: tradite manus Domino*: Et Deuter. 10. *Ne obduretis amplius*. Et Baſilius in Pſ. 94. laudatum inſinuat, quod intendimus, dicendo: *Oſtendit mentis liberum arbitrium: non enim dixit, ne obdureſcite, ſed, nolite obdurare corda veſtra; edocens, ipſos eſſe Architectos hujus duri cordis*.

Pluribus etiam Scripturæ locis oſtenditur, & providentia divina erga obduratos non deſtituens illos auxiliis ſuis, ut ad cor redeant; & ſimul poteſtas eorum libera ad pœnitendum. Jerem. 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis; tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego ſuſcipiam te*. Similiter ut obdurationem exprobret, addit: *Frons meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere*. Et ut ſuam providentiam oſtendat, & ejus libertatem, allicit illam Deus ſuo invitatu dicens: *Ergo ſaltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es*. Cum enim obduratis ſit quidem potentia phyſica, ut vi gratiæ ſufficientis emolliantur; adſit tamen etiam impoſſibilitas moralis; idcirco hortatur Deus, ut precibus a ſe Patre clementiſſimo obtineant auxilium uberrimum, quo impoſſibilitas illa moralis expugnetur; & citra difficultatem durities cordis emolliatur.

Confirmatur ulterius, quia ipſe Chriſtus D. Jo: 4. oſtendens non defuiſſe Judæis obduratis lumen ſufficiens ad credendum, dixit: *Si eſſetis cæci, non haberetis peccatum: nunc autem dicitis, quia vidimus, peccatum ergo veſtrum manet*. Ecce quomodo ex ipſius Chriſti teſtimonio peccatum non contrahitur ab eo, qui caret ſufficientia ad non peccandum; atque adeo peccantibus datur ſemper gratia ſufficiens, cui ſi conſentirent, non peccarent; & ſi non conſentiant, non poſſunt niſi propriæ voluntati culpam aſcribere, non vero defectui ſufficientiæ, aut cæcitati, aut ignorantiæ invincibili. Quod etiam Chriſtus D. innuit Jo: 15. dicens: *Si non veniſſem, & locutus non fuiſſem; peccatum non haberent; nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*. Et Patres paſſim idem docent: Auguſt. lib. de Prædeſt. & Grat. cap. 14. *Geme*, inquit, *quicumque induratus es*; & quod non poſſint cauſari defectum ſufficientiæ, ſubdit: *Nec ii, qui indurati, atque damnati ſunt, excuſationem culpæ ex hoc habere credant, quod nullam, qua converterentur, ſint miſericordiam aſſecuti*. Pariter D. Proſper lib. 2. de vocat. Gentium cap. 13. cum expreſſiſſet beneficia omnibus communia divinæ miſericordiæ, ait: *Quæ beneficia licet obduratis nihil remedii, & emendationis attulerint, probant tamen averſionem eorum non divinæ fuiſſe conſtitutionis, ſed propriæ voluntatis*. Chryſoſt. etiam loquens de Pharaone Rom. 6. c. 17. aſcribit ejus obſtinationem propriæ voluntati, non defectui auxilii. Quoties enim Deus illum monuit? quoties minatus eſt? quoties flagellavit? quot miracula patravit ad emolliendum cor illius? *Neque enim*, inquit Sanctus Doctor, *Deus quicquam non fecit, quod ad illius correctionem conferret; neque ipſe Pharao quicquam omiſit, quod ad ſuam perditionem faceret*. Profecto ſi nihil Deus omiſit, quod conferret ad correctionem Pharaonis obdurati, negari non poterit, quod habuerit iſte auxilium ſufficiens, ut corrigeretur; propterea unica ſuæ perditionis cauſa fuit propria voluntas; & ideo rite concludit Chryſoſtomus: *Quod autem ſalvatus non eſt, totum per ſuam voluntatem ſtetit*. Hinc Exodi 10. exprobravit Dominus Pharaonis pervicaciam dicens illi, *Uſquequo non vis ſubjici mihi?* quibus verbis dilucide denotatur, quod quamvis cor ejus eſſet obduratum, adhuc in manu ſuæ voluntatis erat ſe ſubjicere Deo, ac ejus imperata facere. Auguſtinus pariter in Pſal. 102. dixit: *Deus ſanat omnem quemcunque languidum, ſed non ſanat invitum. Quid autem te beatius, quam ut tanquam in manu tua ſic habeas in voluntate ſanitatem tuam?* Quod vero etiam de obduratis ibi loquatur, qui peccato aliquo implicatos ſe eſ-

se esse sentiunt, aperte colligitur ex iis verbis, quæ subduntur: *Ergo hoc tibi dicitur omnis homo, si te ægrotantem labor ipse convincit.*

IV. Opponunt Janseniani primo, quod obdurati consentire non possint, ergo deficit illis auxilium sufficiens. Antecedens videtur constare ex verbis Jo: 12. ubi de Judæis obduratis dicitur: *Non poterant credere*: Et similiter Jo: 8. dicitur: *Quare loquelam meam non cognoscitis? quia non potestis audire sermonem meum.* Et ibidem: *Quo ego vado, vos non potestis venire.*

Respondeo tamen in his textibus exprimi impotentiam moralem, & consequentem, non vero impotentiam physicam, & antecedentem: quod enim est moraliter impossibile, ita ut non possit poni citra magnam difficultatem, dici solet absolute impossibile; ut docet D. Thom. 3. p. q. 86. ar. 1. ad 2. & quod est impossibile consequenter, seu ex suppositione, quod voluntas sit libere ad unam partem determinata, dici pariter solet absolute impossibile; & in utroque hoc sensu Judæi non poterant credere; tum scilicet quia ob duritiem cordis non sine magna difficultate poterant se determinare ad credendum, unde moralem impotentiam patiebantur; tum etiam quia determinati jam & fixi ad non credendum, in sensu composito hujus determinationis fieri non poterat, quod crederet; quæ est solum impotentia consequens compossibilis cum libertate ad utramque partem contradictionis, non vero antecedens eversiva libertatis indifferentiæ. Joan. 12. dicitur: *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavi oculos eorum, & induravi cor eorum, ut non videant oculis, & non intelligant corde, & convertantur, & sanem eos.* Quæ verba sic exponit Sanctus Augustinus: *Quare credere non poterant, si a me quæris, cito respondeo, quia nolebant: non poterant credere, non quia homines mutari in melius non possunt; sed quamdiu talia sapiunt, non possunt credere. Hinc obdurantur, hinc obcæcantur, quia negando divinum adjutorium, non adjuvantur.* Ubi adverte, Augustinum duntaxat velle, quod non adjuventur a Deo auxilio efficaci, non vero auxilio sufficienti; aliter non dixisset, quod *possent in melius mutari*, & credere, si lucem, quam præ oculis habebant, volebant admittere; sed quia renuebant, erant cæci, non quidem cæcitate impossibilitatis, sed voluntatis. Idem Augustinus tr. 47. in Jo. ad verba illa laudata capitis 8. *Non potestis audire sermonem meum*, addit; *Ideo non poterant, quia corrigi credendo nolebant.* Denique locum laudatum Jo: 8. *Quo ego vado, vos non potestis venire*, sic exponit Cyrillus lib. 5. in Jo: cap. 12. *Cum igitur me nunc sequi renuitis ad virtutis laborem, non poteritis me etiam sequi ad præmium; non ob negatam bene agendi facultatem, sed ob propriam animi vestri malignitatem, viam salutis amplecti recusantem*: Ubi expresse notatur, quod non sit iis denegata bene agendi facultas, seu gratia sufficiens; ut proinde impotentia non sit antecedens, sed consequens, non physica, sed moralis. Passim enim ipsa repugnantia voluntatis ad aliquid agendum vocari solet impotentia, quod advertit Nazianzenus orat. 36. dicens: *Quarta significatione hoc fieri non posse dicitur, a quo nostra voluntas abhorret: cujusmodi est illud: Non poterat illic signa facere propter incredulitatem eorum: & illud: Non potest mundus non odisse vos: & , Quomodo potestis bona loqui, cum sitis mali? Quo enim pacto aliquid horum impossibile est, nisi quod voluntas repugnet?*

V. Opponunt secundo, quod si obduratio, & obcæcatio sit ob culpam antecedentem, est immediate homini involuntaria; ergo saltem in tali casu deest obduratis gratia sufficiens ad bene operandum, quamvis ad pœnitentiam obligentur. Quare potest a Deo præcipi aliquid, quod est impossibile impotentia consequente ad culpam præteritam, Antecedens significatur ab Augustino, qui lib. 1. contra Julianum habet: *Eademque cæcitas si peccati pœna non esset, si de Dei judicio non veniret, non legeremus: Obscurentur oculi eorum, ne videant. Quis porro volens cæcus est corde, cum velit nemo cæcus esse corpore?* Et lib. 2. contra Advers. leg. c. 8. docet, illuminationem cæci, ac obcæcationem a divina voluntate pendere, conferendo illuminationem tanquam beneficium, & obcæcationem tanquam supplicium. *Ille*, inquit, *qui, secundum Apostolicam sententiam, cujus vult miseretur, & quem vult obdurat, procul dubio quem vult illuminat, & quem vult excæcat.*

Respondeo tam cæcitatem corporis, quam cordis, si importet privationem potestatis antecedentis, & sufficientis ad videndum, a Deo auctore pendere, qui sicut confert, ita aufert videndi potestatem; Et hujusmodi cæcitas mentis est physica, & pura pœna, quam humana natura per peccatum originale contraxisset, nisi ex meritis Christi Redemptoris fuisset reparata. At cæcitas mentis moralis, quæ partim est pęna, partim culpa, importat impotentiam videndi consequentem, & culpabilem, & qua parte est pœna, habet Deum auctorem, qua parte est culpa, pendet unice a libero arbitrio; & ideo Basilius in Ps. 49. hujus excæcationis vocat hominem *Architectum*, & Cyrillus *Auctorem præcipuum*. Ea enim partim complectitur subtractionem auxiliorum intensorum, & efficacium, & hæc sæpe est pęna peccati, & immediate a Deo est; partim complectitur aversionem voluntatis a divina illuminatione sufficienti, quæ per talem aversionem redditur inefficax, & in hoc est culpabilis, & soli arbitrio imputabilis. Quod docuit Augustinus lib. 5. contra Julianum dicens: *Cæcitas cordis, quam solum removet illuminator Deus, & peccatum est, quo in Deum non creditur, & pęna peccati, quo cor superbum digna animadversione punitur.* Dum S. Doctor dicit, quod solus Deus illuminator removeat hanc cæcitatem, ostendit, quod a solo Deo expectari debeant illustrationes intensæ, & efficaces, quibus illa removeatur; dum vero docet esse peccatum, ostendit eam non excludere sufficientiam gratiæ illustrantis, vi cujus possit obcæcatus illustrationi consentire; aliter non consentiendo non peccaret: demum dicendo, quod sit pęna peccati, ostendit defectum illustrationis intensæ, & efficacis consequi ad culpas præteritas in pęnam; quamvis enim non semper sit pęna defectus illustrationis efficacis, sed sæpe oriatur a divina voluntate, quæ ratione suæ Providentiæ non tenetur omnibus gratias duntaxat efficaces conferre; at defectus illustrationis intensæ, & quæ aliquando requiritur ad superandam citra difficultatem, & sine morali impossibilitate vim concupiscentiæ, semper est pęna peccati præteriti, cum nunquam Deus sinat creaturas rationales esse cum impossibilitate morali ad consequendum ultimum finem; nisi ipsæ sponte sua in eam se conjiciant, demerendo auxilia uberiora.

VI. Quan-

VI. Quando autem dicitur Rom. 9. quod Deus *cujus vult miseretur, & quem vult indurat*: sicut etiam quando dicitur Isaiæ 6. *Excæca cor populi hujus, & aures ejus aggrava, & oculos ejus claude, ne forte videat oculis suis, & auribus suis audiat, & corde suo intelligat, & convertatur, & sanem eum*; non est sermo de obduratione, & cæcitate physica, quæ pendet a solo Deo, sed de morali, quæ involvit subtractionem auxiliorum efficacium, ac etiam intensorum in pęnam culparum præteritarum, & simul liberam aversionem voluntatis ab illustratione sufficienti ad bene operandum: Esto sæpe Deus alicujus misereatur, & alium induret, aut æqualibus meritis, ac demeritis præcedentibus in utroque, aut nullis præcedentibus meritis in eo, cujus miseretur, & nonnullis præcedentibus demeritis in eo, quem indurat, ut docuit August. lib. de bono persev. cap. 11. dicens: *Investigabilis ergo est misericordia, qua cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & investigabilis veritas, qua quem vult obdurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cujus miseretur, plerumque communibus.*

VII. Opponunt ultimo speciosam auctoritatem Augustini dicentis de correct. & Grat. cap. 11. *Si hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primum facti sunt, defuisset, quoniam non talis natura facta erat, ut sine divino adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidisset. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent. Nunc autem, quibus deest tale adjutorium, jam pœna peccati est: quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum.* Quibus verbis innuitur, quod in statu naturæ integræ Angelo, & homini datum fuerit Adjutorium sine quo non, seu auxilium sufficiens, quippe si defuisset, sine illo manere non possent; In natura vero lapsa deest aliquibus in pęnam peccati, & quibus datur, non datur ut debitum, sed gratis, & ex meritis Christi D. Quare videtur aperte colligi, quod auxilium sufficiens desit peccantibus in pœnam originalis, & obstinatis in pęnam culparum præteritarum.

Respondeo Augustinum ibi loqui de adjutorio requisito, non ad quamcunque bonam operationem, sed ad perseverandum, quod quidem debuit in statu innocentiæ Angelis, & Protoparentibus innocentibus dari, ita tamen ut de facili possent bene operari, & in gratia perseverare; si enim Deus innocenti conferret auxilium adeo remissum, ut citra magnam difficultatem non posset bene operari, tunc impossibilitas ista moralis ad perseverandum tribueretur Deo, quatenus denegaret vires moraliter sufficientes ad ponendam perseverantiam. Sicuti si quis pauperi indigenti cibo, ne pereat, offerat cibum, quem non potest accipere sine magna difficultate, diceretur illum occidere; non secus ac si cibum omnino denegaret, juxta illud; *Non pavisti, occidisti*: secus vero si offerat cibum facile parabilem, sed ille sua culpa ponat se in eo statu, in quo impossibile moraliter est, ut eo possit vesci. Quare in natura lapsa, in qua per peccatum originale concupiscentia est effrænis, homo sua culpa patitur impotentiam moralem ad bene operandum, & ad perseverandum cum auxiliis ordinariis gratiæ; & ideo naturæ lapsæ non debetur auxilium sufficiens, quo de facili possit perseverare, sicut debebatur Angelis, & homini in statu innocentiæ: Solum itaque aliquibus hoc datur ex Divina misericordia, & ob merita Redemptoris: omnibus tamen datur sive proxime, sive remote physica sufficientia ad non peccandum: alioquin Deo culpa tribueretur, non vero peccantibus.

Hinc Augustinus loco laudato dixit: *Adam non habuit Dei gratiam: Imo vero habuit magnam, sed disparem*: disparitatem autem inter gratiam collatam Adamo in statu naturæ innocentis, & illam, quæ confertur in statu naturæ lapsæ in eo reposuit, quod gratia Adamica de se satis erat, ut posset homo non solum physice, sed etiam moraliter, seu citra magnam difficultatem bene operari, ac perseverantiam obtinere: Gratia vero Christiana, quæ scilicet ex meritis Christi D. nobis confertur, debet esse uberior, ac intensior, uti possit adversus concupiscentiam rebellem conferre potestatem moralem ad honeste operandum, ac perseverandum. Propterea subdit: *Ille non opus habebat adjutorio illo, quod implorant isti, cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati; quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, & in tali certamine laborantes, & periclitantes dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur. Proinde etsi non interim latiore nunc, verumtamen potentiore gratia indigent isti.*

Responderi secundo potest, Augustinum loqui de auxilio proxime sufficienti ad simpliciter bene operandum collato Angelis, & Protoparentibus: illud quippe consonum erat naturæ rationali in statu innocentiæ, supposita elevatione ad beatitudinem supernaturalem, ut proxime ea sperari posset, ac obtineri: Hoc enim circumscripto, illi manere non potuissent. At in statu naturæ lapsæ hujusmodi auxilium proxime sufficiens nonnullis deest in pęnam peccati sive originalis, sive actualis: nemini tamen denegatur auxilium saltem remote sufficiens ad perseverandum (ut ostendemus in thesi trigesima) nempe auxilium requisitum ad orandum, & petendam gratiam requisitam, ut de facili possimus bene operari, ac perseverare: Aliter quomodo homines obligari possent ad bene operandum, si auxilio tum proprime, tum remote sufficienti ad id requisito destituerentur?

VIII. Utrum autem Deus aliquibus post certum numerum peccatorum deneget omnino auxilia sufficientia ad resurgendum, ita ut istorum obduratio sit solum physica, & pura pęna peccati, non vero moralis, & imputabilis; ad eum modum, quo finit Deus, ut aliquis post peccatum sensibus, & usu rationis destituatur, aut incidat in amentiam, ita ut non possit amplius resipiscere; disputat Suar. disp. 8. de Pęnit. sect. 2. & Amicus disp. 18. de Grat. sect. 4. Profecto magis consonum Divinæ pietati, ac rationi videtur, quod nulli unquam Deus post quemcunque peccatorum numerum deneget auxilia sufficientia ad resurgendum: dicitur enim ad Tit. 2. *Qui dedit semetipsum pro omnibus ut nos redimeret ab omni iniquitate*. Propterea præceptum pęnitendi, ac sperandi nunquam cessat; cessaret autem, quoties deessent auxilia sufficientia ad pęnitendum, ac sperandum.

IX. Ex quibus habes, non solum obduratis, sed etiam justis, qui laborant aliquando impotentia

liorum

aliqua ad legem servandam, duplex genus auxiliorum a Deo conferri; Aliquando enim confert Deus gratiam agendi, seu auxilia, quibus proxime possint legem implere; Aliquando vero solum confert Gratiam orandi, seu auxilia, quibus possint orare, ac obtinere Gratiam agendi: Quod expressit August. lib. de Grat. & Lib. Arb. dicens: *Homo, qui voluerit, & non potuerit, nondum se plene velle cognoscat, oret, ut habeat tantam voluntatem, quanta sufficit ad implenda mandata.* Propterea si deest aliquando potentia immediata servandi præcepta, nunquam tamen deest potentia mediata, quatenus nunquam deest potentia ad orandum, & ad impetrandum auxilium necessarium ad ea quæ jubentur implenda. Semper itaque, juxta mentem Augustini, cum mandato annectitur vel potentia agendi, vel saltem potentia orandi, ne mandatum sit tyrannicum, ac Deo indignum. Cum autem etiam obduratis resipiscentia præcipiatur; idcirco etiam obduratis tempore opportuno confertur saltem auxilium ad orandum, & ad petendam a Deo gratiam, quo possint etiam de facili resipiscere: Quod denotant verba illa Augustini tract. 26. in Jo: *Si non traheris, ora ut traharis;* Trahitur enim homo non solum per gratiam efficacem, sed etiam per gratiam sufficientem, qua allicitur ad veniendum, ut dicemus in thesi 17. & luculentius idem expressit S. Doctor lib. 3. Oper. imperf. dicens: *Hæc imperat Deus, quæ fieri possunt, sed ipse dedit, ut faciant eis, qui facere possunt, & faciunt; & eos, qui non possunt, imperando admonet, a se poscere, ut possint.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim IV.

QUarta asserens, illi possibilia esse omnia, cui Deus ea facit possibilia, eadem operando in illo, in eodem luto, ac fæce volutatur, ac præcedens. Siquidem docet, peccatori tunc esse possibilem v. g. contritionem, quando illam Deus sua gratia efficaci in eodem operatur: ex quo fit, peccatorem renuentem ponere contritionem præceptam non peccare, eo quod tunc ea esset illi impossibilis: quinimo Deus insipienter operaretur præcipiendo illi contritionem, quam ponere non potest. Augustinus lib. de nat. & grat. c. 47. hac in re ita loquitur: *Aut ego non intelligo quid dicam, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra est videndi possibilitas, si in potestate nostra non est videndi necessitas?* Neque verum est, hanc thesim solum asserere, quod possibilia sint, quæ Deus possibilia facit, eadem operando sua gratia efficaci, quin etiam asserat, quod non sint possibilia ea, quæ Deus efficaciter non operatur; unde bene cohæreret, quod possit peccatori præcipi sapientissime contritio, quæ possit ab illo poni, quin tamen ponatur ob defectum gratiæ efficacis. Nam dum thesis dicit, ea omnia esse possibilia, quæ Deus facit possibilia, eadem operando sua gratia efficaci, aperte dicit, quod independenter a gratia efficaci ea non sint possibilia; Non enim diceret, quod Deus faciat ea possibilia per gratiam efficacem, si hac circumscripta adhuc essent possibilia; (aliter verbis luderet, dicendo esse possibilia, quæ Deus facit possibilia) ergo aperte thesis ista docet, peccatori, cui contritio præcipitur, esse impossibilem contritionem præceptam, si Deus eam non reddat possibilem, per hoc quod illam operetur vi suæ gratiæ efficacis. Recurrit itaque, quod peccator omittens contritionem præceptam non peccet, & quod insipienter Deus illam præcipiat, quoties eandem non operatur efficaciter. Quo quid absurdius? Perspicuum itaque est, thesim hanc non discrepare a prima ex Jansenianis proscriptis thesibus, in qua impie asseritur, Aliqua Dei præcepta esse impossibilia, ac deesse nobis gratiam, qua possibilia fiant; quod aperte repugnat Tridentino sess. 6. cap. 11. ubi habet: *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub anathemate prohibita voce uti debet; Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia; nam Deus impossibilia non jubet,* &c.

PROPOSITIO V.

Quando Deus non emollit cor per interiorem unctionem gratiæ suæ, exhortationes, & gratiæ interiores non inserviunt, nisi ad illud magis obdurandum. *Quesnellus Rom. 9. 18. in edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. Adhortationes, & sana consilia dicuntur obesse potius, quam prodesse, si desit gratia interior, qua cor emolliatur.

II. Descendit hic error ex erroribus Calvini, Baji, Jansenii, docentium, voluntatem gratiis istis exterioribus posse duntaxat resistere in natura lapsa, secus vero gratiæ interiori, ob insuperabilem hujus delectationem.

III. Sicut Janseniani juxta thesim sextam ab Alexandro VIII. proscriptam docebant, Gratiam interiorem sufficientem esse perniciosam; ita nunc Quesnellus docet de gratiis exterioribus ab interiori gratia sejunctis.

IV. Verum sicut gratia sufficiens interior est ingens beneficium, esto duplex sit beneficium, si ea non respuatur, sed a voluntate reddatur efficax; ita gratiæ exteriores sunt Dei beneficium; duplex tamen est beneficium, si eis annectatur gratia interior efficax, quæ cor durum emolliat.

V. Ex hoc quod Deus prævideat nos gratiis, quas confert, esse abusuros, non fit, quominus eas conferat animo sincero, ut prosint, unde sit erga nos benevolus simul, & beneficus. Medicus tenetur denegare pharmacum quantumvis pretiosum, si prævideas illud ex culpa ægroti nociturum: At Deus ex munere Primæ Causæ non tenetur denegare gratias, quibus homo non est bene usurus.

VI. Revera nemo gratia utitur ad peccandum, sed solum ansam ab illa arripit ad novam culpam patrandam.

VII. Sicut Eucharistiæ institutio est ingens beneficium, quod confertur etiam peccatori, qui illam sacrilege sumit; ita gratia sufficiens.

VIII. Quod a Jansenianis dicendum in statu naturæ integræ.

IX. In præsenti providentia gratiæ exteriores ab interioribus non solent sejungi; unde si gratiæ exteriores sejunctæ ab interiori gratia efficaci essent perniciosæ, idem dicendum esset de gratia interiori sufficienti.

X. Obdurationis causa non est Deus nolens gratiam conferre, sed voluntas nolens illam recipere.

XI. Explicatur illud Apostoli. Litera occidit; spiritus autem vivificat.

I. Eo

I. EO verba thesis collineant, ut retrahant nos a concionibus, exhortationibus, & sanis consiliis audiendis, quæ dicuntur cadere in perniciem, si Deus sua gratia interiori efficaciter non adigat nos ad bene operandum; cum enim in natura lapsa nulla detur juxta Auctoris sententiam gratia interior pure sufficiens (quam in tertia thesi dixit esse supervacaneam,) & gratia efficax medicinalis detur solum Electis, pro quibus duntaxat Christus oravit, & sanguinem fudit pretiosissimum; & in syllabum Electorum ascribat Deus homines pro arbitratu suo, juxta illud Roman. 9. *Cujus vult miseretur, & quem vult indurat*; idcirco fucosis verbis, (quibus videtur velle, quod petamus a Deo cor carneum, & ut auferat cor lapideum, juxta locutionem Ezechielis cap. 36.) in hac thesi insinuat Quesnellus, etiam exhortationes, sana consilia, Divini Verbi prædicationem, aliasque exteriores gratias, quibus ad bene operandum inducimur, esse supervacaneas, immo etiam perniciosas: etenim si nomina nostra scripta sunt in libro Vitæ, gratiæ interiores emollientes cor infallibiliter nobis a Deo conferentur, circumscriptis istis concionibus, & consiliis, quoniam Deus, quos vult salvare per Christum salvat infallibiliter, ut dicitur in trigesimâ thesi; qui vero in reproborum numero recensentur, in libro mortis ascripti, non solum exhortationibus, & gratiis exterioribus non adjuvantur, sed ingens etiam ex iis detrimentum reportant; solum quippe deserviunt, ut homines obdurentur magis, & novum culpæ reatum contrahant, dum citra profectum conciones audiunt, & pia monita in vacuum recipiunt.

II. Error hic originem ducit suam ab erroribus tum Pelagii apud Suar. l. 4. de Gratia cap. 3. tum Jansenii, qui duplicem agnovit gratiam in natura lapsa, & per Christum reparata, alteram exteriorem, seu prædicationis, alteram interiorem, seu illuminationis, asserendo, quod possit homo gratiæ duntaxat externæ prædicationis resistere, non vero suggestioni internæ Spiritus Sancti, eo quod nulla detur gratia interior in natura lapsa, nisi efficax, & necessitans, juxta errores Calvini, ac Baji, in quorum schola virus hoc hausit ore plenissimo, & innumeris ad necem propinavit: Duplicem pariter idem agnovit in natura lapsa delectationem victricem, alteram mundanam ortam ex concupiscentia, quæ ineluctabiliter culpam trahit; alteram cœlestem propriam gratiæ medicinalis, quæ ineluctabiliter trahit bonam operationem, exclusa in utroque actu bono, & malo libertate indifferentiæ, seu a necessitate, putans ad meritum, & demeritum sufficere in natura lapsa solam libertatem a coactione, ut habet in sua tertia thesi ab Innoc. X., & Alex. VII. profligata. Hinc arbitratur, quod delectatio orta a concupiscentia, & cupiditate semper vincat delectationem, quæ reperiri potest in actu honesto, nisi huic delectatio gratiæ invincibilis annectatur, & ideo semper actum ortum a cupiditate triumphante esse peccaminosum; Si tamen unctio gratiæ interioris ægritudinem naturæ corruptæ sanet, & delectatio orta a gratia interiori superet delectationem ortam a concupiscentia, actus bonus erit dignus tanta gratia, & idcirco erit actus perfectæ charitatis, ac meritorius vitæ æternæ. Delectatio autem, quæ sit orta a gratia mere sufficienti, & quæ vincatur a delectatione terrena concupiscentiæ, rejicitur a Jansenio tanquam indigna suo auctore Christo Redemptore; (ut diximus in thesibus superioribus) injuria enim irrogaretur suis meritis, si adeo imbecillem gratiam nobis obtinuisset, quæ superari posset a concupiscentia. Hinc lib. 3. de Grat. Salvatoris cap. 31. dixit; *Veram Christi Gratiam semper agere, & peragere effectum suum, & quæ hæc non facit, ab Augustino relegari ad legem, & doctrinam*; hoc est ad gratiam exteriorem, cui duntaxat potest voluntas contraniti.

III. Hisce Jansenii errantibus vestigiis inhæret Auctor in hac Thesi, dum docet gratias exteriores legis, & doctrinæ, exhortationum, & consiliorum non solum esse supervacaneas, sicut esset gratia interior mere sufficiens; sed etiam deservire ad cor magis obdurandum, & ad graviorem condemnationem, nisi gratia interior unctione Spiritus Sancti illud emolliat; atque adeo tanquam perniciosas esse fugiendas. Quod etiam Janseniani docuerunt de gratia interiori, quæ solum vires haberet sufficientes ad obtinendum a voluntate libera consensum, non tamen obtineret, ut dicitur in sexta thesi ab Alex. VIII. confixa, quæ habet: *Gratia sufficiens statui nostro non tam utilis, quam perniciosa est, sic ut proinde merito possimus petere, A gratia sufficienti libera nos Domine.*

IV. Verum ex iisdem capitibus, ex quibus ad evidentiam ostenditur, gratiam interiorem sufficientem non modo non esse inutilem, ac perniciosam, quin potius esse ingens beneficium, quod Deus in manu nostra reponit, ac nos posse de facili cum illa æternam vitam consequi, quamvis id non contingat ex nostra socordia, evincitur pariter, gratias exteriores, miracula, exempla, conciones, consilia non solum non esse supervacanea, ac perniciosa, deserviendo solum ad obdurandum, quando ab eorum ductu retrahimur a cupiditate prædominante; quin potius esse multiplex, ac ingens Dei beneficium, quo avertimur a lapsu in gehennam, & in Infernum culpæ ipso Inferno inferiorem; quamvis œstro concupiscentiæ perculsi instar aspidis surdæ obturantis aures suas, non desistamus ab incepto itinere, quod ducit ad perditionem, & monita respuamus. Utraque gratia tam interior, quam exterior ex intentione Dei illam benignissime concedentis natura sua deservit ad illuminandum cor, & ad excitandum illud, ut ad patriam pergat per bonas operationes, & a culpa retrahatur: quod si voluntas annuat, duplex a Deo recipit beneficium, & quod possit bene operari, & quod bene operetur, cum hæc ipsa nostra bona operatio principalius sit Dei intendentis illam affectu speciali, dum seligit auxilium efficax, ut illa ponatur; Sin voluntas renuat, tunc caret quidem sua culpa beneficio bonæ operationis, non caret tamen beneficio a Deo accepto, quod possit arbitratu suo ponere operationem salutarem meritoriam vitæ æternæ: Ad eum modum quo si conferatur Petro gladius, ut possit se a Leone ingruente tueri, & ille sibi mortem eo gladio consciscat, gratias debet donanti gladium, mortem vero debet sibi, juxta illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel; tantummodo in me auxilium tuum.*

V. Opponitur primo, non esse beneficium, sed maleficium collationem boni nocituri; ut si Medicus det ægroto potionem valde pretiosam, qua mors acceleretur; Deus autem prævidet gratias istas sive interiores, sive exteriores esse nocituras, si in vacuum recipiantur: nec alius ex earum collatione fructus reportatur, quam nova culpa, & major

major obduratio; ergo non merentur nomen gratiarum. Qua de causa Jansenius censet gratiam interiorem mere sufficientem nullatenus conferri a Deo intendente bonum creaturæ: A gratiis vero exterioribus Auctor hujus Thesis censet abstinendum, quoties cor non emollitur gratia efficaci, non secus ac abstinendum ab ipsis Sacramentis, si ea non digne, sed sacrilege sumantur. Quamvis enim institutio Sacramentorum de se sit ingens beneficium hominibus a Christo collatum, ut per ea tanquam per instrumenta suæ passionis nobis gratia, & gratiæ augmentum conferatur; nihilominus quando susceptioni Sacramenti sacrilegium annectitur, quamvis ob culpam ipsiusmet suscipientis, proculdubio retrahendus hic est a tali sacrilega susceptione. Quid præstantius *Eucharistia*, quæ juxta celebre purum anagramma sonat, *Vis theriaca?* Venenum tamen est indigne suscipienti. Unde Ecclesia canit: *Mors est malis, vita bonis*. Et in naturalibus bene cecinit Vates Sulmontinus: *Igne quid utilius? si quis tamen urere tecta comparat, audaces instruit ille manus*.

Confirmatur, quia Pharaoni tot exhortationes, minæ, miracula solum deserviebant ad magis illum obdurandum, & fuerunt illi in perniciem. Pariter Apostolatus cessit Judæ in majorem condemnationem, ut proinde de illo dixerit Dominus: *Bonum erat illi, si natus non fuisset homo ille*: quare licet gratiæ exteriores de se sint dona Dei: at si nullus ex iis fructus referatur, ut de facto accidit, quando deest unctio gratiæ interioris emollientis cor, deserviunt ad obdurandum, & ad perditionem.

Respondeo, inconcussum esse, quod gratiæ tam interiores, quam exteriores conferantur nobis a Deo animo sincero, ut prosint nobis, & quod si culpa nostra iis abutamur, non sit culpandus Deus, sed nostrum liberum arbitrium, quod vertit antidotum in venenum. Ex hoc autem, quod Deus prævideat peccatores gratiis suis esse abusuros, non sit inde, quod sit minus, quinimmo aliquatenus magis est beneficus erga illos, quam esset, si independenter ab ea præscientia iisdem gratias elargiretur: Sicut enim est magis beneficus, cæteris paribus, dum dona sua confert inimicis, a quorum malitia animus retrahitur, quam dum confert amicis, erga quos est propensus: ita magis est aliquo pacto beneficus, dum iis confert beneficia, quos prævidet fore inimicos, & ipsissimis suis donis pugnaturos adversus Benefactorem, quam si ingratitudinem istam non præevideret, *vincente præscientiam bonitate*, ut loquitur Chrysostomus. Quamvis non idem accidat in Medico largiente potionem pretiosam abusuro: tenetur quippe Medicus impedire damnum proximi: non tenetur tamen Deus impedire culpas, & perditionem creaturarum ex munere primæ causæ, ut alias diximus, eo quod non posset aliter condere creaturam liberam, & erga illam ostendere sua attributa.

VI. Hinc fit primo, gratias a Deo collatas deservire secundum se in bonum nostrum: & ad istud obtinendum conferri, quamvis voluntas non solum nolit iis uti in bonum, sed potius contemnendo Benefactorem ansam inde arripiat, ut novam ingratitudinis culpam patret, & sic magis obduretur. Ubi advertendum, neminem posse gratiis ipsis re vera uti ad peccandum, ad eum scilicet modum, quo potest quis igne v. gr. uti ad combustionem culpabiliter damnificativam; siquidem gratia solum influit in operationes salutares, non in peccaminosas, ignis vero tam ad utilem, quam ad culpabiliter noxiam combustionem exerit vires suas.

VII. Fit secundo, Sacramentorum institutionem etiam relate ad ea indigne suscipientes esse beneficam, & iis conferri, ut inde tanquam e fontibus Salvatoris aquam cum gaudio hauriant, nempe gratiam Sacramentalem; ac præsertim Eucharistiæ institutionem, in qua, ut habet Tridentinum sess. 13. cap. 2. *Salvator noster divitias divini sui erga nos amoris velut effudit, memoriam faciens mirabilium suorum*. Quod autem sacrilege ab aliquibus sumatur, non fit quominus etiam relate ad illos Christus D. fuerit mirum in modum beneficus, quatenus, ut habetur Eccles. 29. *Hospitabitur, & potabit ingratos, & ad hæc amara audiet*.

VIII. Fit tertio, hoc idem a Jansenianis dicendum in statu naturæ integræ, in quo non negant Angelis, & protoparentibus peccantibus datum fuisse a Deo Adjutorium sine quo non, seu gratiam interiorem sufficientem; Immo nec defuit dæmonibus gratia exterior; nempe exemplum Angelorum, & Archangeli Michaelis adhortatio. Sicut autem gratiæ istæ non dicuntur in eo statu deservisse solum ad obdurandum, sed deservisse ex intentione largientis ad inducendos actus salutares, quamvis ex illorum culpa frustrata fuerit intentio largitoris; ita in statu naturæ lapsæ.

IX. Ubi adverte, gratias exteriores in statu elevationis naturæ ad finem supernaturalem visionis Dei, ex lege præsentis providentiæ, saltem ut plurimum, non sejungi a gratiis interioribus: quoties enim datur opportunitas eliciendi actum naturalem honestum, regulariter præsto est gratia interior supernaturalis, cum qua voluntas eliciat actum supernaturalem, si ad honeste operandum se determinet; atque adeo si verum esset, quod gratiæ externæ solum deservirent ad magis obdurandum, quoties non datur gratia efficax, idem dicendum esset de gratia sufficienti interna, & ideo ambæ deberent dici perniciosæ: quod quantum a veritate abhorreat, nemo est, quin videat.

X. Ad confirmationem recurrit eadem responsio. Cor Pharaonis sua culpa obduratum est; & in eo duntaxat sensu obdurari potuit a Deo, in quo consonum est Divinæ Bonitati, & Justitiæ aliquando corda hominum obdurare, & excæcare, prout explicavimus in thesi superiore; Sic etiam cor Judæ sua culpa obduratum est, nec potest negari beneficium præstantissimum fuisse illi collatum per vocationem ad Apostolatum, & per tot signa divini amoris; præsertim quando Christus Dominus sacram illi Synaxim porrexit, quamvis præevideret, quod indigne eam esset sumpturus, ita ut post buccellam ingressurus in eum esset Satanas, ut dicitur Jo. 13. Si solum hæc omnia deservissent ad magis obdurandum, non præstitisset Christus in signum amoris, & benevolentiæ; sed contulisset in pœnam, & odium, quod nemo dixerit. In eo tantum sensu bonum fuisset Judæ, si natus non fuisset, in quantum præstat non esse, quam esse cum ingentibus Dei donis, & simul cum culpa: Si Deus creasset Judam, & innumeris gratiis cumulasset intendendo pariter ejus culpam, profecto non esset beneficus, sed maleficus erga illum, & hujusmodi intentio obstreperet divinæ bonitati. At conferen-

do

do illi ingentia dona, non ut obduretur, sed ut unam occupet ex duodecim Apostolorum sedibus in Patria, fuit illi valde munificus, & Judas Deo valde ingratus obdurationem reportans ex culpa arbitrii, nno ex donis Dei, juxta doctrinam Angelici in 1. distinct. 40. quæst. 4. art. 2. ubi loquens de causa obdurationis habet: *Dicunt Sancti communiter, Dionysius, Augustinus, Anselmus, quod causa, quare iste non habet gratiam, est, quia noluit accipere, non quia Deus noluit dare: quia lumen suum omnibus offert, quod tamen non ab omnibus recipitur.* Quare cor non obduratur adhortationibus, & aliis exterioribus gratiis per hoc, quod Deus illud non emolliat unctione suæ interioris gratiæ, sed per hoc, quod liberum arbitrium renuat gratiæ cooperari; ut proinde obduratio huic duntaxat imputabilis sit, nullatenus Deo. Propterea Christus D. Matth. 11. improperavit Judæis eorum duritiem, quod prædicationi ab ipsomet factæ, & tot signis munitæ cor suum obduraverint, dicens: *Viri Ninivitæ surgent in Judicio cum generatione ista; & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Jonæ, & ecce plusquam Jonas hic. Regina Austri surget in Judicio cum generatione ista, & condemnabit eam, quia venit a finibus terræ audire sapientiam Salomonis; & ecce plusquam Salomon hic.*

XII. Opponitur deinde auctoritas Apostoli, & Augustini dicentium obesse potius, quam prodesse gratias exteriores doctrinæ, & exhortationum, si desit gratia interior, qua doctrinam excipiamus, & legi obtemperemus. Etenim 2. Corinth. 3. dicitur: *Littera occidit, spiritus autem vivificat*: nomine literæ hic intelligitur ex Augustino lex, & doctrina, quæ sunt gratiæ exteriores, sed obdurationem, & mortem afferunt sine gratia efficaci vivificante. Et S. Doctor de spir. & lit. cap. 4. hæc habet: *Doctrina quippe illa, qua mandatum accipimus continenter, recteque vivendi, litera est occidens, nisi adsit spiritus vivificans*, atque adeo obest potius, quam prosit: quod docuit idem S. Doctor epist. 107. dicens: *Agnoscamus gratiam, quæ facit prodesse doctrinam; quæ gratia si desit, videmus obesse doctrinam.*

Respondeo Augustinum in hisce laudatis locis velle revincere Pelagianos contendentes, nullum aliud adjutorium provisum esse a Deo ad opera salutaria, quam legem, & doctrinam externam; ex quo deliramento, si verum haberet, rite inferretur, quod doctrina, & lex obessent potius, quam prodessent; ad quod probandum adducitur textus laudatus Apostoli dicentis: *Litera occidit, spiritus autem vivificat*. Si enim solum daretur lex, & doctrina exterior obligans nos ad operationes salutares meritorias vitæ æternæ, & deesset nobis gratia supernaturalis, qua possemus adjuvari ad illas ponendas, profecto talis lex, & doctrina obesset, & occideret; quandoquidem redderet nos inevitabiliter reos gehennæ; eo quod nullatenus eam legem sine adjutorio gratiæ implere possemus: Quod si doctrinæ exteriori, seu literæ annectatur gratia interior sufficiens ad ponendas operationes salutares præceptas, tunc a tali spiritu vivificamur, non per hoc quod necessario eas ponamus, sed per hoc quod reddamur potentes ad eas libere ponendas. Quare auctoritas Apostoli, & Augustini intorquetur contra Adversarios contendentes nullam dari gratiam sufficientem interiorem, & gratias exteriores obesse nobis, si desit gratia efficax interior. Etenim si litera occideret, hoc est si lex, & gratiæ exteriores denudatæ a gratia interiori sufficienti, qua vires dentur ad legem implendam, redderent nos gehennæ reos, & occiderent, (ut docet Augustinus adversus errores Pelagii) sequitur, quod nunquam detur nobis gratia exterior sine interiori dante nobis sufficientiam ad operationes salutares præceptas. Quod autem gratia isthæc interior mere sufficiens exteriori superaddita non sit nobis perniciosa, etiamsi non sit efficax, sed potius sit ingens Dei beneficium, quamvis non adeo præstans, sicut esset gratia efficax, abunde constat ex iis, quæ diximus adversus sextam Thesim ab Alexandro VIII. confixam, in qua id asserebatur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim V.

Quinta docens exhortationes, & gratias exteriores sejunctas ab interiori gratia efficaci, qua de facto cor emolliatur, deservire solum ad obdurandum, atque adeo esse perniciosas, non videtur esse absimilis Thesi illi Jansenianorum (quæ sexta est inter proscriptas ab Alexandro VIII.) in qua dicitur Gratia sufficiens esse perniciosa, adeo ut possit quilibet petere, a gratia sufficienti libera nos Domine. At sicut ingens beneficium est gratia sufficiens, qua vires dantur homini ad salutariter operandum, quamvis ipse ex sua socordia iis culpabiliter non utatur; ita pariter exhortationes, & aliæ exteriores gratiæ, quibus homo exterius excitatur ad bene operandum, sunt pariter Dei beneficium, præsertim quia cum illis regulariter conjungitur etiam internum Dei auxilium; ideoque non deserviunt ullatenus ad obdurandum, sed per se ordinantur ad emolliendum cor peccatoris, quamvis hic illis contranitatur, ac sua culpa obduretur, ut proinde desit gratia interior efficax, qua cor actu emolliatur. Ea quippe gratia efficax non deest, ex eo quia Deus velit illam denegare, ita ut Deo ascribi possit cordis obduratio, sed ea potius deest, quia voluntas humana interiori gratiæ, ac vocationi, qua simul cum exhortationibus, proborum exemplis, flagellis a Deo inflictis, aliisque externis gratiis excitatur ad resipiscendum, ac reluctatur: Ad eum modum, quo ingens Dei beneficium est, quod nobis naturæ Auctor confert, dum simul dat potentiam visivam, & lumen, quod exterius objecta illuminet, quamvis homo oculos claudat, & nihil aspiciat; & nemo dixerit, quod potentia visiva, ac lumen exterius conferantur huic ad obcæcationem, sed conferuntur, ut ad arbitrium iis possit uti ad videndum: Quod si actu non videat claudendo palpebras, per summam injuriam ascriberetur id Auctori naturæ in hoc valde benefico, per hoc præcise quod conferat potentiam proximam ad videndum, quamvis non conferat ipsam visionem, non quia non vult ad illam concurrere, sed quia homo libere renuit potentiam illam proximam in actum secundum reducere. Propterea Angelicus dist. 40. qu. 4. art. 2. loquens de causa obdurationis habet: *Dicunt Sancti communiter, Dionysius, Augustinus, Anselmus, quod causa, cur iste non habeat gratiam, est, quia noluit accipere, non quia Deus noluit dare.* Hinc illud Oseæ 13. *Perditio tua Israel, in me tantummodo auxilium tuum.*

PROPOSITIO VI.

Discrimen inter Foedus Judaicum, & Christianum est, quod in illo Deus exigit fugam peccati, & implementum legis a peccatore, relinquendo illum in sua impotentia: in isto vero Deus peccatori dat quod jubet, illum sua gratia purificando. *Quesnel. Rom. 11. 27. in edition. 1693. & 1699.*

S Y N O P S I S.

I. Erroneum est, quod in hac thesi supponitur, (videlicet defuisse Judæis gratiam sufficientem ad legem implendam). Erroneum pariter, quod in ea asseritur, nempe Fidelibus nonnisi gratiam efficacem conferri; eaque non adjuvari peccatores, sed solum purificari.

II. Quid absurdius, quam quod Deus reliquerit Judæos cum impotentia sua ad servandam legem, quam implere tenebantur?

III. Etiam relate ad Judæos militant argumenta omnia, quæ Catholici coacervant ad ostendendam gratiæ sufficientis necessitatem.

IV. Sine deliramento fingi nequit, quod Deus clementissimus obliget sub reatu pœnæ æternæ ad impossibile.

V. Commentitium est, quod Judæos solum ad felicitatem temporalem, & non etiam ad æternam Deus ordinarit.

VI. Non deerat Judæis gratia sufficiens ad legem implendam, quamvis non pauci ad legis observantiam ducerentur timore servili, & cum affectu ad culpam: Fidelibus tamen, qui non ducuntur spiritu servitutis, sed spiritu filiorum Dei, uberior gratia confertur, qua legem implere possint.

VII. Judæis solum ignorabant mysteria novi testamenti, non vero auxilia supernaturalia, quibus indigebant, & quamvis ea ignorassent, non inde fieret, quod iis caruissent.

VIII. Status veteris Testamenti præfigurabat solum mysteria Christianorum propria, non vero auxilia supernaturalia utrique statui communia.

IX. Discrimen inter Judæos, & Gentiles in eo duntaxat erat, quod illi verum Deum colerent, isti vero Idola, & Dæmones; Utrisque tamen gratia sufficiens ad salutem conferebatur.

X. Fucosa hujusce thesis verba tricipitem anguem occultant.

I. ENormiter claudicat utroque pede Thesis isthæc (sicut etiam duæ aliæ, quæ proxime sequuntur) tum in eo quod falso supponit, videlicet in veteri lege Judæis defuisse gratiam sufficientem; tum in eo, quod deinde deducit, ac asserit, videlicet Christifidelibus non aliam conferri gratiam per Christum, præter efficacem, qua Deus peccatori dat, quod jubet; & quidem non adjuvando, ut Catholici docent, sed purificando illum gratia sua, prout Auctor exprimit in vigesima, & tribus aliis thesibus proxime sequentibus.

II. Quod attinet ad primum, quid absurdius dici, aut fingi poterit, quam quod Deus summe clemens, & erga Judæos valde propensus reliquerit populum illum in sua impotentia ad peccati fugam, & ad legis implementum? quid iniquius contra Dei bonitatem, tum etiam justitiam excogitari potest? Quid vero accommodatius ad horrorem incutiendum erga Quesnellianam doctrinam, (cui tamen non pauci tanquam piæ, & immerito confixæ, non verentur astipulari) quam asserere, quod Judæi ex vi sui status a lege obligarentur, & tamen viribus essent universim destituti ad legem implendam? quod sane tam aperte dissonat naturali rationi, necnon innumeris tum Scripturæ testimoniis, tum Conciliorum, ac præsertim Tridentini definitionibus. Si Quesnelliana hæc thesis cum prima ex quinque confixis Jansenii thesibus conferatur, ea profecto longe deterior, quam isthæc: Jansenius enim ibi loquitur indefinite de impotentia ad aliqua solum præcepta servanda; Quesnellus vero generalem impotentiam statuit relate ad Judæos, ex vi status illius sub veteri fœdere, seu testamento, atque adeo impotentiam tum respectu omnium præceptorum, tum etiam respectu omnium populi illius, sive justi essent, sive peccatores. Præterea Jansenius cum ea impotentia pro statu præsenti annectit potentiam quandam remotam servandi præcepta, nempe sub conditione, quod daretur gratia, quæ per ipsum frequentissime, immo satis communiter solum justis confertur in præsenti statu: At in statu veteris fœderis hujusmodi remota, & conditionata potentia non habebatur, (eo quod status ille communiter esset status servitutis) nec etiam respectu justorum, hoc est illorum, qui justificati fuissent ex fide parentum, aut per circumcisionem. Ex quo fit, quod omnes Judæi, paucis exceptis, qui ad novum testamentum pertinebant, fuissent massa jam tunc vere damnata, & populus non Electus, sed Reprobus. Quod tamen apertissime Scripturis omnibus adversatur, in quibus Deus tam honorifice, tamque amanter loquitur de populo illo, quem vocat filium suum, & quidem primogenitum. Falso pariter in Scriptura diceretur populus ille sæpe generaliter ad Deum toto corde conversus fuisse: Ac demum irrita, ac inania fuissent suffragia a Juda Machabæo indicta pro salute defunctorum in prælio; quæ tamen in Scriptura commendantur 2. Machab. 12. ubi dicitur: *Sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis solvantur.*

III. Sed audiamus Jansenianos sic paralogizantes, ut evincant, Judæis pariter, & Christifidelibus deesse gratiam sufficientem ad legem servandam. Si Judæis, inquiunt, nulla data fuit gratia interior, neque sufficiens, neque efficax, sed sola gratia exterior legis, & doctrinæ, quam implere non poterant ex defectu gratiæ auxiliantis, eodem prorsus pacto dici potest, quod Christifidelibus in Lege Evangelica detur quidem propter Christi merita gratia medicinalis efficax, desit tamen iisdem peccantibus gratia interior mere sufficiens: Sicut enim Judæi poterant Judaica lege ligari, quamvis deesset illis gratia conferens potestatem ad illam servandam: ita Christifideles possunt Christi D. præceptis obligari, etiam quando carent gratia per Christum efficaci, quamvis, cum denudentur etiam alia sufficienti gratia interiori, desit illis potestas ad obtemperandum.

Et sane: Si Deus post peccatum Adæ aliquibus daturus fuisset interiorem gratiam sufficientem ad legem implendam ante adventum Christi Salvatoris, maxime contulisset illam Judæis; tum quia præ omnibus aliis nationibus fuerunt a Deo dilecti; tum etiam quia relate ad illos adamussim

con-

convenunt argumenta omnia, quæ a Catholicis Doctoribus congeruntur ad ostendendam necessitatem gratiæ sufficientis ad obediendum, & non peccandum in iis, qui non implent præcepta, & peccant. Quod vero Judæis legem non implentibus, & peccantibus defuerit gratia interior requisita, ut possent imperata facere, Jansenianі variis ex rationibus, & S. Augustini textibus conantur evincere. In hac thesi exponimus, & evacuamus eorum ratiocinationes; in sequenti vero sermo erit de mente S. Doctoris.

IV. Arguunt primo; Synagoga Judæorum erat Congregatio hominum terrenis duntaxat bonis inhiantium, & ad terrenam duntaxat felicitatem aspirantium, & Deum colentium solum ad obtinendum temporales prosperitates; Qua de causa a Deo solum bona temporalia iis promittebantur: Et qui inter illos probi existimabantur, servabant quidem Decalogi, & Legis præcepta, non tamen amore aut Dei, aut cœlestium bonorum, sed solum amore, ac timore temporali, & carnali, quia solum hæc bona appetebant, & solum mala his contraria formidabant: Gratia autem interior supernaturalis, & cœlestis datur a Deo in ordine ad amorem cœlestium, & æternorum; Ergo cum Judæi horum essent incapaces, frustranea fuisset in illis gratia interior sufficiens, atque adeo illa carebant: nec efficaci ulla gratia donabantur, utpote danda per Redemptorem in Christiano fœdere; quamvis eam Deus ex sua benignitate contulerit nonnullis Sanctis valde dilectis, præsertim Christi Progenitoribus.

Confirmatur, quia passim in Scripturis Judæi vocantur Servi, hoc est ducti timore servili, & metu pœnæ ad Deum colendum; Christifideles vero vocantur Dei filii, & Amici, qui amore perfectæ charitatis ducuntur ad Deum diligendum, ejusque legem servandam. Ad Rom. 8. sic alloquitur Apostolus suos Christifideles: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater.* Joan. 15. pariter Christus Dominus comparans suos discipulos cum Judæis dixit: *Jam non dicam vos servos, quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus, vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Ad Galat. 4. *Itaque jam non est servus, sed filius*; & Joan. 1. ubi est sermo de gratia per Christum danda, dicitur: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*: Quare Judæi tanquam servi carebant regulariter (nonnullis exceptis) gratia quacunque supernaturali, qua ad cœlestia anhelarent, & vere obligabantur præceptis naturalibus. (præsertim diligendi Deum ex toto corde) quæ sine gratia servari non poterant. Propterea eo pacto, quo potuit Deus obligare Judæos ad impossibilia, quatenus potuissent ea præcepta servare, si non peccassent in Adamo; ita potest obligare Christifideles ad impossibilia, videlicet ad servanda præcepta sine gratia interiori ad eorum observantiam necessaria; quia pariter potuissent ea servare, si in Adamo non peccavissent.

Argunt secundo, quia Judæis in eo statu erat omnino ignota, & occulta gratia interior: nulla quippe de ea in Scripturis fit mentio. Quis autem dixerit, quod si eadem gratia interiori instruerentur a Deo, tam Judæi tunc, quam nunc Christifideles, non fuissent facti de illa certiores, ut agnoscerent propriam indigentiam, & Deum Auctorem omnium gratiarum quotidie exorarent ad concedendas cœlestes potius gratias, quam temporales?

Argunt tertio, quia totus status veteris Testamenti fuit figurativus, & prænunciativus gratiæ per Christum futuræ in novo Testamento: ergo in ea veteri lege non dabatur gratia, quæ nunc datur in lege nova; aliter non different figura, & figuratum, umbra, & lux. Quibus adde, quod in eo duntaxat Judæi discrepabant, & præstabant Gentilibus, ut advertit August. in Psal. 72. quod illi bona temporalia solum a Deo vero peterent, & expectarent; isti vero a Dæmonibus, & ab Idolis. Quare si Gentiles carebant gratia sufficienti, pariter & Judæi.

Respondeo, deliramenta isthæc non esse perceptibilia, quod scilicet Deus obligarit Judæos ad legem servandam, ac præsertim præceptum diligendi Deum super omnia, itidem quod sine gratia sufficienti id præstare non possent, & tamen iis gratiam sufficientem denegaret. Quid absurdius dici, aut excogitari potest? Poteritne in Deo clementissimo hæc voluntas reperiri obligandi homines ad impossibilia, ac puniendi illos pœna æterna, si non obtemperent, quam in iniquissimo tyranno non reperias? Dicendum propterea cum communi Catholicorum, quod tam Judæi, quam etiam Gentiles nunquam fuerint sine gratia sufficienti, quando sine illa præceptum aliquod sive naturale, sive positivum servari non poterat; & si illa tunc caruissent, peccatum non esset illis imputabile, nec propter hujusmodi transgressionem contrahere poterant reatum odii Divini, ac ullius pœnæ, nedum æternæ; Quod enim sola libertas in causa, nempe in peccato Adæ, non sufficiat ad hoc, ut nunc culpa, & demeritum contrahatur sine libertate formali, quæ sit etiam libertas indifferentiæ, & non libertas solum a coactione, constat ex iis, quæ diximus in loco adversus primam ex thesibus ab Alexandro VIII. confixis, in qua id afferebatur: Augustinus autem usque adeo ab errore hujus thesis abhorruit, ut lib. 3. ad Bonifac. cap. 3. refellens calumniam sibi a Pelagianis impositam, quod docuerit negatam fuisse a Deo Judæis gratiam sufficientem, exclamarit: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri testamento non fuisse?* Immo quod non pauci in eo fœdere fuerint justi, & usque ad mortem perseveraverint, constat ex eo, quod Joa. Apocal. 7. viderit ex qualibet tribu filiorum Israel duodecim millia signatorum, qui ad cœlestem Hierusalem pervenerunt, & postea viderit *Turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat ex omnibus Gentibus, & tribubus, & populis, & linguis stantes ante thronum, & in conspectu Agni, amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* Cum autem dicantur palmis ornati, denotatur non fuisse turbam illam ex solis infantibus ab originali mundatis, quibus gloria datur solum ut hæreditas, sed etiam ex adultis, quibus gloria datur ut corona.

V. Ad primam rationem in contrarium adductam dico, quod si Deus *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut dicitur Jo. 1. (quod communius intelligunt de illustratione superna)

Nec

Nec est, qui se abscondat a calore ejus, ut habetur Psalm. 18. adeo ut Paganis ipsis non desit gratia sufficiens, qua ad fidem venire possint, (ut dicemus in Thesi 26. & constat ex Thesi quinta ab Alexandro VIII. proscripta) a fortiori non defuit Judæorum Synagogæ a Deo olim prædilectæ, cui ingentia contulit beneficia, & innumeris miraculis, ac propheticis vocibus igniculos semper injecit ad diligendum suum dilectorem, ad cultum Religiosum, ad justitiam, gratitudinem, misericordiam, & cujusvis alterius virtutis exercitium, ac præsertim ad veram peccatorum poenitentiam; his quippe admonitionibus eloqnia prophetica, & veteris Testamenti scripta affluebant. Cum autem tunc temporis, sicuti nunc, natura elevata esset ad finem supernaturalem, oportebat, ut auxilia gratiæ interioris annecterentur tot gratiis exterioribus. Quare horridum est auribus Catholicorum, quod Janseniani asseverant, videlicet Deum Judæis non providisse, quo æternam salutem consequi possent, sed solam terrenam felicitatem; quando terrenam felicitatem, quam creaturis rationalibus Deus confert, semper ordinat ad cælestem, propter quam eas condidit. Verum quidem est, quod passim Deus bona temporalia Judæis promitteret, ac comminationibus pœnarum temporalium eos terreret; sed quia hominibus illis hæc media videbantur maxime idonea, ut via muniretur ad Dei amorem, & ad omnem actum virtutis supernaturalis: Etenim ipse amore Dei mercenarius, & timor Dei servilis potest esse salutaris, & elicitus ab auxiliis gratiæ (ut dicemus in Thesi sexagesima, & constat ex thesibus decimatertia, & decimaquarta proscriptis ab Alexandro VIII.) hi autem actus solent esse prævii, ac disponere ad Dei amorem, & ad justificationem peccatoris. Verum tamen est, quod plerique ex Judæis nec Deum ex toto corde diligerent, nec veras virtutes excolerent ex amore cœlestium bonorum; at non proinde verum est, quod ad id carerent physica sufficientia, & auxilio gratiæ; alioquin obligari non possent ad acquirendum finem ultimum supernaturalem, ad quem erant a Deo elevati, & ordinati. Solum plerumque carebant potentia morali ad tales operationes ponendas, ut diximus de peccatoribus obstinatis in 4. thesi, & dicendum etiam de Gentilibus, qui omnes indigent speciali auxilio valde intenso gratiæ, quod paucis ex divina misericordia confertur, ad expugnandam impossibilitatem moralem, quam passim experiuntur, qui a pueritia incipiunt deferere ductum rationis, & a semita virtutis exorbitare.

VI. Ad confirmationem. In tantum dicuntur Judæi habuisse spiritum servitutis, & nos habere spiritum filiorum Dei, quia Judæi passim ad colendum Deum ducebantur ex amore mercenario, & timore servili in quantum servili, qui non potest esse supernaturalis, cum sit vitiosus, (videlicet ob solam spem bonorum temporalium, & timorem pœnarum cum affectu ad culpam, si talis spes, aut timor cessarent) & ratio quare hoc servili spiritu ducebantur, est, quia raro admodum conferebatur iis gratia supernaturalis valde intensa, ut possent expugnare moralem necessitatem ad peccandum, ortam a concupiscentia per peccatum originale rebelli rationi, & ob propria uniuscujusque vitia. At in lege Evangelica per merita Christi D. passim nobis hæc gratia confertur, qua facile Deum diligamus, ac veram justitiam sectemur, & ideo dicimur ab Apostolo habuisse spiritum filiorum Dei; & Christus D. apud Joannem loco laudato dixit, nos non esse jam servos, sed amicos.

VII. Ad secundam rationem in contrarium: Judæis erant solum ignota mysteria novi Testamenti, nempe Sacrificium Eucharisticum, Sacramenta, & abundantia gratiæ ab his conferenda, non tamen erat ignota gratia sufficiens ad obtemperandum Divinis mandatis, neque quod ea esset Dei donum, quod enixe deprecandum esset: dicitur enim Sapient. 8. *Et scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det; & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, & deprecatus sum illum & dixi ex totis præcordiis meis*: Adde quod quamvis gratiæ sufficientis necessitatem ignorarent, non proinde poterant ea carere in hypotesi, quod obligarentur ad eas operationes ponendas, quæ sine tali gratia poni non possunt: potest siquidem talis ignorari simul, & possideri: sicut omnes tenemur elicere actus fidei supernaturalis, ad quos eliciendos indigemus auxiliis supernaturalibus, quæ profecto nobis non desunt, quamvis sub experientiam non cadant.

VIII. Ad tertiam: Status veteris Testamenti non fuit præfigurativus gratiæ sive habitualis, sive actualis dandæ in statu Testamenti novi, eo quod utraque isthæc gratia in utroque statu conferretur a Deo, quamvis non eodem modo; datur quippe nobis abundanter, juxta illud Christi Dom. Joann. 10. *Ego veni ut vitam habeant, & abundantius habeant*. Quare solum in veteri lege præfigurabantur beneficia Christianorum propria; videlicet Sacrificium, & Sacramenta novæ legis, & alia id genus.

IX. Ad id quod additur, non negatur, quod notat Augustinus, in eo discrepasse Judæos a Gentilibus, quod illi verum Deum, isti vero dæmones, & idola colerent; negatur duntaxat, quod aut Judæis, aut Infidelibus defuerit gratia sufficiens ad ponendas operationes salutares, ad quas tenebantur. Et sane passim Judæi ad Idola culpabiliter convertebantur, passim pœnitentia ducti revertebantur ad cultum veri Numinis. Ergo non defuit illis tum gratia sufficiens, ne ad Idola converterentur, tum gratia efficax, qua ad Deum revertebantur.

X. Ad authoritatem Augustini, qua Janseniani nituntur pro hac hæresi tuenda, fiet satis in thesi sequenti. Interim recolo non bicipitem duntaxat, sed tricipitem etiam anguem sub hac thesi occultari. Ea enim errat primo, & a sensu Catholicorum recedit, dum docet, in Judaico fœdere Deum exegisse peccati fugam, & observantiam legis, relinquendo homines in sua impotentia ad id præstandum, & gratia sufficienti destitutos; quod primo aspectu erroneum esse, nemo est quin videat. Errat præterea dum docet, in Christiano fœdere dare Deum peccatori universim id, quod jubet; etenim, ut dicemus in thesi undecima, non semper Deus dat, nec semper facit id, quod jubet; nam quando peccatores transgrediuntur mandata, Deus tunc jubet observantiam, & tunc illam non dat, neque facit; cum non conferat tunc gratiam efficacem, qua datur, & fit a Deo ex libera determinatione, & cum libera coopera-

peratione nostræ voluntatis id, quod præcipitur. Ut Deus possit creaturæ liberæ jubere, non requiritur, quod det id, quod jubet, sed sufficit, quod det creatnræ potestatem ad imperata facienda; ad quod non requiritur collatio gratiæ efficacis. Errat denique in eo, quod velit Deum sua gratia efficaci dare, quod jubet, & sic purificare peccatorem ex libera duntaxat voluntate Divina, atque adeo citra exercitium liberum libertate indifferentiæ voluntatis creatæ; quod licet in hac thesi non exprimat Author apertis verbis, apertissime tamen explicat in thesi 21., & sequentibus, ubi indolem suæ gratiæ efficacis comminiscitur, æquiparando illam operationi Dei Incarnantis, ac Resuscitantis Filium suum, necnon operationi Omnipotentis, qua creaturas e nihilo extrahit, ac mortuos revocat ad vitam, & ægris corporibus restituit sanitatem.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim VI.

SExta, in qua dicitur Deus in Judaico fœdere exegisse fugam peccati, ac legis implementum a peccatoribus, relinquendo illos in sua impotentia, atque adeo non adjuvando illos sua gratia, qua potuissent, si voluissent, a culpa averti, ac legem implere: Contra vero in fœdere Christiano Deus sua gratia efficaci conferre peccatoribus contritionem v. gr. quam præcipit; apertissimam præsefert in utroque asserto absurditatem. Tam enim absonum est, quod a peccatoribus tunc exegerit Deus legis observantiam, si non poterant illam servare, quam absonum est, quod nunc præcipiendo contritionem Deus, illam eatenus conferat vi suæ gratiæ efficacis, qua peccator purificetur. Hinc enim fieret, quod quoties peccator non conteritur, tunc ei contritio non præcipiatur: nam si hæc præciperetur, juxta hanc thesim Deus illam conferret. Ex quo etiam sequeretur, quod in Christiano fœdere post primum peccatum non posset homo amplius peccare. Etenim vel præciperetur ei aliquid a Deo, (v. gr. quod ponat contritionem, quod identidem eliciat actus Theologales fidei, spei, & charitatis, &c.) vel id non præciperetur; si nihil de novo illi præciperetur, procul dubio amplius peccare non posset; quomodo enim potest dari culpa, ubi nullius præcepti datur transgressio? Quod si de novo peccatori post primum peccatum præcipiatur sive contritio, sive actus Theologalis, sive aliud, Deus præsto est sua gratia efficaci, qua actu ponatur id, quod præcipitur: unde pariter erit a culpa immunis. Quinimmo si Deus in Christiano fœdere dat peccatori id, quod jubet, a fortiori dicendum est, quod pariter det, quod jubet Christifideli innocenti, in quo nullus datur obex gratiæ: ac proinde nemo prorsus, sive peccator, sive innocens in Christiano fœdere peccare posset. Neque in fœdere Judaico peccare peccatores poterant juxta hanc thesim, si Deus illos in sua impotentia relinquebat ad observantiam legis; non enim peccat, qui eatenus legem non implet, quia illam implere non potest, cum nemo ad impossibile obligetur: Propterea omnis culpa in utroque fœdere esset impossibilis. Quare dicendum, & quod in fœdere Judaico dabatur Judæis gratia sufficiens ad legis observantiam: ut eatenus proscripta sit ab Alexandro VIII. quinta illa thesis, in qua dicitur: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine omni gratia sufficienti:* & rursus quod in fœdere Christiano peccatori, cui præcipitur v. gr. contritio, detur pariter gratia sufficiens ad illam ponendam, ita tamen ut possit ad arbitrium vel consentire gratiæ, vel illi dissentire, (in quo casu gratia illa esset mere sufficiens) juxta doctrinam Tridentini, quod sess. 6. cap. 5. declarat, nos libere gratiæ assentiri, ita ut tangente Deo cor nostrum per Spiritus Sancti illustrationem, possimus inspirationem, quam recipimus, etiam abjicere.

PROPOSITIO VII.

Quæ utilitas pro homine in veteri fœeere, in quo Deus illum reliquit ejus propriæ infirmitati, imponendo ipsi suam legem? Quæ vero felicitas non est, admitti ad fędus, in quo Deus nobis donat, quod petit a nobis? *Quesnel. Hebr.* 8. 7. *in edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Idem multiceps anguis sub hac speciosa thesi, ac in præcedenti, necnon etiam in subsequenti, delitescit.

II. In his contendit Auctor, quod in Christiano fœdere Voluntas gratiæ interiori nunquam resistat; nec libere cum illa cooperetur.

III. Et quod in veteri lege Deus instar tyranni Judæis legis jugum imposuerit, quod ferre non poterant, negando iis vires ad illud ferendum.

IV. Isdem telis confondiendę theses istę, quibus tertia Jansenii, ac prima ab Alexandro Octavo proscripta.

V. Jansenius inepte ad sensum hujus thesis detorquet doctrinam Augustini; Quod antea Calvinus præstiterat.

VI. Augustinus docuit solum, quod in lege scripta gratia non expugnabat necessitatem moralem ad peccandum, sicut expugnat gratia, quæ confertur in lege Evangelica.

VII. Ubi Augustinus docuit, quod Judæi præcepta data legis implere non poterant, vocavit impossibile (ut passim fit) quod sine magna difficultate fieri non potest.

VIII. Et ubi docuit, quod Judæis deerat Gratia, sensus est quod deerat gratia uberrima novi Testamenti, non vero gratia sufficiens.

IX. Quid sonet per Augustinum, esse Ante Legem, *esse* Sub Lege, *& esse* Sub Gratia?

X. *Quomodo intelligendum illud Augustini:* Da Domine, quod jubes: & jube quod vis? *Et quomodo Regula credendi legem statuat supplicandi?*

I. IO eosdem impingit scopulos thesis isthæc, ac proxime præcedens, & subsequens: splendidis, ac ordinatis verbis videntur eæ ad gratitudinem erga Redemptorem nos excitare, dum deprædicant Christiani fœderis, ac status felicitatem, in quo Deus ob merita Christi Dom. dat, donat, operatur quod jubet, & petit a nobis, idque sua gratia medicinali, ac sanativa: Ubi ex opposito in Lege Scripta homines in sua relinquebantur infirmitate, impotentes omnino ad ferenda onera legis impositæ. Verum monstra, quæ in superiori thesi

ri thesi defeximus, iterum in hac, & in sequenti erumpunt; Iterumque nos illa aggredimur Theologicis, & Catholicis telis confodienda.

II. Et sane dum dicitur, quod Deus nobis donet, quod petit a nobis, si fiat sensus, quod bona operatio, quam Deus præcipit, & petit, nobis donetur ab ipso Deo, dum speciali affectu confert nobis auxilium prævisum efficax, neglectis inefficacibus, ut proinde ea potius Deo tribuenda sit, quam nobis cum tali auxilio cooperantibus, nemo est, qui in dubium revocet: At si fiat sensus, qui videtur ab Auctore intentus, ut ostendimus in thesi antecedenti, quod scilicet bona operatio, quam Deus a nobis postulat, non solum principalius, sed simpliciter, & adæquate uni Deo tribuatur, (non secus ac uni Deo tribuitur unio hypostatica collata humanitati assumptæ, siquidem in thesi vigesima prima gratia dicitur imitari operationem Dei Incarnantis Filium suum) quin ad illam voluntas suam habeat liberam cooperationem, adeo ut possit ad arbitrium gratiæ resistere, ac efficere, quin ponatur bona operatio, quam Deus præcipit, ac postulat, etiamsi gratiam conferat ex intentione, ut ea ponatur; procul dubio thesis hæc Catholicæ veritati refragatur.

III. Deinde refragatur pariter Catholicæ veritati, quin etiam primo aspectu ipsi rationis lumini, quod in ea præjacitur, videlicet in veteri lege, ac Judaico fœdere Deum legem imposuisse hominibus relinquendo illos in propria imbecillitate, & impotentia, destitutos gratia sufficienti ad obtemperandum: perinde quasi vellet Deus imponere cæco, ut videat, relinquendo illum in sua cæcitate; aut surdo, ut audiat, relinquendo illum in surditate sua; aut si compedibus præpedito præcipiat, ut fugiat, nec a vinculis illum expediat.

IV. Hæc assertio profecto originem suam trahit ab erroribus Baji dicentis in 39. ex suis proscriptis thesibus: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*; & ab erroribus Jansenii dicentis in sua tertia ex proscriptis thesibus, quod ad meritum, & demeritum satis sit libertas a coactione; & ab illo pariter Janseniano errore, qui habetur in prima ex proscriptis thesibus ab Alex. VIII. quod ad peccatum formale, & demeritum in natura lapsa sufficiat libertas in causa, seu libertas, quam habuimus in Adamo peccante, quando contraximus originale. Hisce erroribus astipulatur hoc assumptum, quod Deus imponat hominibus legem, relinquendo illos infirmitati suæ, & exigat a peccatore fugam peccati, & implementum legis, relinquendo illum in sua impotentia, ac denegando illi gratiam sufficientem ad obtemperandum: peccat siquidem in hoc casu, qui legem non implet, quamvis ex necessitate non impleat, ob solam libertatem, quam habet a coactione, seu ob libertatem indifferentiæ, quam habuit in causa, hoc est in Adamo peccante. Cum autem abunde dixerimus adversus hæc deliramenta locis laudatis, & in thesi proxime præcedenti evacuaverimus ratiocinationes, quibus Janseniani nituntur ad dicendum hoc accidisse in Judaico fœdere, seu in lege veteri, operæ pretium est exponere præcipuos textus D. Augustini, quos in confirmationem sui erroris agglomerat Janseniana (seu potius Calviniana) schola semper adversa gratiæ sufficienti.

V. Hæc enim habet Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 4. contendens juxta doctrinam Augustini, quam ipse ineptissime interpretatur, Judæis (nedum infidelibus) denegatam esse gratiam sufficientem ad implendam legem, eo quod talis gratia cum illius legis scopo pugnabat; hæc, inquam, habet: *Augustinus legem, & præcepta idcirco superbis hominibus data esse, & plerumque dari docet, ut agnoscant se ad legem implendam non sufficere, sed multitudine prævaricationum confusi, ac territi, ipsaque confusione, ac timore humiliati, discant ad gratiam, quam non habent, implorandam fugere*; & cap. 5. subdit: *Non solum non dabatur illis gratia sufficiens implendi, quod jubebatur, multo minus gratia sufficiens ad salutem; sed e contrario talis gratia lationi legis, ac scopo Dei capitaliter repugnabat*: Idcirco autem dicit Jansenius, quod gratia sufficiens repugnabat scopo illius legis, quia ad eum finem putat legem illam esse latam, ut agnoscendo suam imbecillitatem excitarentur ad implorandam gratiam efficacem, ac medicinalem dandam per Salvatorem; sic interpretando dictum illud Augustini de Spirit. & lit. cap. 9. *Lex data est, ut gratia quæreretur, gratia data est, ut lex impleatur*.

Hæc autem ipsissima Jansenii doctrina tradita olim fuerat in Schola Calviniana. Siquidem Calvinus pestifer Præceptor lib. 2. Instit. cap. 5. pariter docet, scopum Mosaicæ legis esse, ut *homines suæ impotentiæ admoniti ad gratiam confugiant. Quo pertinent istæ solemnes Augustini sententiæ: Jubet Deus, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus*; &c.

VI. Arguunt itaque Janseniani primo ex textu laudato Augustini: Lex Judæis data est, ut quærerent gratiam dandam per Christum Redemptorem, quæ requiritur, & datur, ut lex impleatur: ergo ex Augustino in Judaico fœdere nulla dabatur gratia sufficiens ad legem implendam. Et similiter serm. 13. de verbis Apost. dicit, legem datam esse, *non ut morbus sanaretur, sed ut prævaricatione morbo crescente, medicus, idest gratia, quæreretur*.

Arguunt secundo ex aliis Augustini textibus, ubi videtur hic docere, quod lex Judaica impleri non poterat; ex quo inferunt defuisse tunc gratiam sufficientem. Qu. 7. in Exod. loquens de Judæis S. Doctor habet: *Præcepta datæ legis implere non possunt, dum serviunt cupiditatibus carnalibus*; Et serm. de 5. portic. *Voluerunt sanari, & cognoverunt se laborare, quod non cognoscerent, nisi datam legem implere non possent*; Et serm. 6. de verbis Apostoli c. 7. *Lex jubebat, & non implebat, quia caro, ubi non erat gratia, invictissime resistebat*.

Arguunt tertio, quia Augustinus passim docet, legem Judæis datam fuisse ante gratiam, eosque sub lege fuisse nondum adjutos gratia: ergo defuit illis gratia sufficiens. In exposit. propos. ex Epist. ad Rom. n. 13. habet: *Sub lege pugnamus, sed vincimur, & quia nondum est gratia, superamur*. Lib. 83. qq. quæst. 65. *Sub. istis passionibus tanquam sub viro dominante agebat anima, antequam veniret gratia*. Hinc celebris illa divisio statuum apud Augustinum, videlicet *Ante legem*, seu in statu legis naturalis; *Sub lege*, nempe Scripta, seu Mosaica; *& sub gratia*; qua divisione videtur Augustinus ostendere, quod solum lex Evangelica sit lex gratiæ, ita ut in hoc tantum statu detur nobis gratia medicinalis, & efficax ob merita Christi Salvatoris.

Qui-

Quibus addunt Jansenìani id, quod diximus in calce thesis proxime superioris, videlicet ex Augustino legem, & doctrinam obesse potius, quam prodesse sine gratia, juxta illud Apostoli 2. Cor. 3. *Litera occidit, Spiritus autem vivificat:* quibus verbis ineptissime Jansenius putavit significari, quod lex, & doctrina data fuerit Judæis absque ulla gratia sufficienti.

Respondeo mirum esse, quod audacter pro hoc errore adducatur Augustinus, qui non semel Catholicam oppositam sententiam uncialibus literis disertissime docuit. Etenim Serm. 191. de Tempore, *Execramur*, inquit, *blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari*. Et lib. 2. de peccatorum meritis, & remiss. similiter dixit: *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse: ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato, adjutus a Deo*. Nec solum de hac veritate Sanctus Doctor dicit se dubitare non posse, verum etiam docet, nemini eam esse ignotam: hæc enim habet cap. 16. de Grat. & lib. arb. *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt, Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? Sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus; Ipsa enim est fides, quæ orando impetrat, quæ lex imperat*. Responsio autem ad textus a Jansenianis adductos est facillima. Ad primum; Augustinus docet, Legem Scriptam, in qua multa opera imponebantur, datam esse post legem naturalem, ut tot oneribus gravatus homo quæreret statum gratiæ, in quo sublevaretur; non quia in statu legis scriptæ non daretur gratia sufficiens; sed quia sufficiens, quæ tunc dabatur, non expugnabat impossibilitatem moralem ad legem implendam, sicut expugnat gratia sufficiens, quæ in statu legis Evangelicæ datur abundanter per merita Christi D. Et sane in tantum posset tunc homo quærere gratiam, & petere a Deo Redemptore, in quantum daretur illi a Deo gratia sufficiens ad orandum, cum sine gratia oratio poni non posset; ergo saltem in eo statu collata fuit gratia sufficiens ad orandum, atque adeo non fuit in fœdere Judaico omnis defectus gratiæ sufficientis. Quibus adde, legem datam esse Judæis, prout loquitur Augustinus, ut gratia quæreretur, & gratiam datam esse, ut lex impleretur: quia lex vetus ratione sui neque justificabat, neque vires præbebat ad observantiam mandatorum ipsius legis; sed hoc totum in veteri lege habebatur ab hominibus in ea, & sub ea positis dependenter a lege gratiæ, seu per fidem in Christum venturum, qui fons est, & Auctor totius gratiæ; & ideo ipsa justificatio, quam tunc Judæi consequebantur, ab Apostolo ad Rom. 5. vocatur *Justitia fidei*; & ad Rom. 3. dicitur: *Justitia Dei per fidem Jesu Christi in omnes, & super omnes, qui credunt in eum*. Et ad Galat. 3. idem pariter fusius docetur, ut videre est apud Expositores.

Quamvis itaque in lege veteri nulla daretur Gratia in virtute ipsius legis; ejus quippe Sacramenta, ut habet Apostolus ad Galat. 4. *erant infirma, & egena elementa*, non per hoc deerat tunc gratia sufficiens ad præcepta servanda: Ea enim conferebatur a Deo ob merita Christi venturi omnibus, qui credebant in illum. Quia tamen onera Mosaicæ legis erant gravia, adeo ut non sufficientiam duntaxat, verum etiam abundantiam Gratiarum exposcerent, ut ferri possent, ideo quærebatur tunc, & expectabatur anxie lex gratiæ; in qua virtute ipsius legis, & ex meritis Christi jam præsentis gratia ubertim confertur. De hujus enim Sacramentis hæc definit Tridentinum: *Sacramenta nova multum ab antiquis differunt; Illa enim non causabant Gratiam, sed eam per Passionem Christi dandam esse configurabant; Hæc vero & continent gratiam, & ipsam digne sumentibus conferunt*. Et in Tridentino sess. 14. can. 1. anathematizatur, qui dixerit utriusque legis Sacramenta non differre, nisi penes alias, & alias cæremonias, & ritus externos; differunt enim penes vim causativam Gratiæ ex opere operato; Et ideo Jo: 1. dicitur: *Lex per Moysen data est, Gratia, & Veritas per Jesum Christum facta est*. Quinimo hac de causa lex nova dicitur lex Gratiæ, quia scilicet vi talis legis Gratiam uberem haurimus in gaudio de fontibus Salvatoris.

VII. Ad secundum, Augustinus ibi solum vult, quod in eo statu daretur impossibilitas moralis servandi legem, quia Judæi carnalibus, & temporalibus bonis inhiantes, concupiscentiam perduellem, atque adeo difficultatem magnam in sectanda justitia experiebantur. Passim enim, ut in quarta thesi annotavimus, dicitur impossibile, quod sine magna difficultate fieri non potest; teste Anselmo de concordia Grat. & Lib. arb. c. 3. ubi habet: *Sæpissime asserere solemus, impossibile nobis esse, quod sine difficultate perficere non possimus*; Hæc autem moralis impossibilitas servandi legem Evangelicam non datur in fœdere Christiano, ut diximus: (nisi quis suis culpis sit artifex talis impossibilitatis moralis) haurimus enim in gaudio, & ad satietatem aquas de fontibus Salvatoris: non defuit itaque Judæis gratia sufficiens, qua possent legem implere.

VIII. Ad tertium, Augustinus, dum docet, Judæos non fuisse adjutos gratia, non loquitur de gratia quacunque Theologica, cum non potuerit iis deesse gratia sufficiens, sed loquitur de gratia novi Testamenti, quæ datur affluenter ad superandam difficultatem in observantia legis ortam a concupiscentia effræni: hæc enim antonomastice venit nomine Gratiæ oppositæ legi, ea quippe non solum elevat vires naturales, sicut gratia, quæ in lege veteri conferebatur, sed etiam enervat difficultatem operandi, quæ provenit a rebellione partis inferioris adversus superiorem, quam profecto difficultatem gratia veteris legis non expugnabat.

IX. Ex quibus constat, statum naturæ *ante legem*, quæ præceptis duntaxat naturalibus tenebatur, & statum naturæ *sub lege*, quando tenebatur innumeris etiam præceptis positivis, non opponi statui *sub Gratia* per hoc, quod in utroque illo statu deesset gratia Theologica dans vires sufficientes ad legem implendam, sed per hoc, quod defuerit illi gratia Evangelica, affluenter concessa, & de se edomativa difficultatis, seu moralis impotentiæ ad bene operandum; Quod Augustinus docuit lib. 83. QQ. qu. 66. dicens: *Ubi ergo non est gratia Liberatoris, auget peccandi desiderium prohibitio peccatorum: Accedente autem gratia, id ipsum, quod lex onerose jusserat, jam sine onere, & li-*

bentissime implemus. Quare phrasis illa Augustini, quod aliqui sint *sub lege*, solum denotat, quod lex illis dominatur, seu *quod reos facit lex non implentes legem*, ut habet Epist. 19. & tract. 3. in Jo: ubi dicit: *Facti erant homines sub lege non implendo legem; qui enim legem implet, non est sub lege, sed cum lege*: Contra vero aliquos esse *sub gratia*, est illis gratiam dominari, ita ut per gratiam legem impleant; quod innuit S. Doctor lib. de Grat. & Lib. arb. cap. 12. dicens: *Peccatum vobis non dominabitur; non enim estis sub lege, sed sub gratia*; propterea cum dicatur esse sub lege, qui legem non implet, sequitur, quod huic solum desit gratia adjuvans, & efficax, qua legem impleat, non vero sufficiens, qua possit legem implere. Quod ipse Jansenius docuit lib. 2. de Grat. Christi cap. 27. dicens: *Plurimos, qui ab immunditiis carnis se continere non possunt, vehementer tamen optare continentiam, cujusmodi vota divinæ gratiæ sunt munera, & majoris gratiæ provocativa*. Quare ex Jansenio isti, qui legem non servant, atque adeo sunt sub lege, adhuc sunt instructi gratia præveniente, & solum quærunt adjuvantem.

Ad id quod additur, satis superque loc. laud. explicavimus mentem Augustini, necnon Apostoli dicentis, *Litera occidit, spiritus autem vivificat*.

X. Quesnelliani ad suadendam secundam hujus, & præcedentis thesis partem, quod scilicet Deus nobis donat, quod petit a nobis, & dat, quod jubet, adducunt celebre illud Augustini dictum: *Da, Domine, quod jubes, & jube, quod vis; dum remuneras merita nostra, coronas dona tua*. Cum enim ex eodem Augustino formula orandi sit regula credendi, si a Deo petimus non solum gratiam sufficientem, seu possibilitatem bene operandi, sed etiam gratiam efficacem, qua bene operemur, atque adeo ipsam bonam operationem, sequitur credendum esse, quod non alia nobis detur gratia præter efficacem, qua Deus donat ipsam bonam operationem, quam petit a nobis, & dat, quod jubet; sic enim verum est, quod remunerando merita nostra, coronet dona sua.

Sed contra est primo, quia id ipsum, quod nunc a Deo petimus, videlicet quod det id, quod jubet, petendum erat in Judaico fœdere; quare ex hoc quod nunc petimus, nempe gratiam, qua bene operemur, non infertur discrimen ullum inter gratiam, quæ dabatur in veteri, & illam, quæ datur in novo fędere. Effatum quippe illud Augustini solum docet, quod credere debeamus, ex dono Dei gratuito nobis obvenire quicquid ab illo postulare monemur.

Contra secundo, quia rite petimus a Deo præter gratiam sufficientem, qua possimus implere præcepta, etiam gratiam efficacem; qua imperata ipsa facimus, quin ex hoc sequatur, quod sola gratia efficax nobis in Christiano fędere conferatur: possunt enim nonnulli hanc petitionem ex socordia negligere, & potest Deus hanc petitionem indebito modo factam non exaudire; unde ex hoc quod rite petamus a Deo gratiam efficacem in fędere Christiano, non infertur, quod sola isthæc gratia concedatur, & nunquam detur sola gratia mere sufficiens, atque adeo non semper in novo fędere Deus nobis donat, quod petit a nobis. Et, ut dicemus in thesi vigesima, omnino erronea est idea, quam tradit Quesnellus gratiæ, quod scilicet Deus velit a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant, loquatur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sint.

Contra tertio, quia quamvis & rite petatur a Deo gratia efficax, & ea misericorditer conferatur, non per hoc sequitur, quod Deus conferendo gratiam efficacem donet nobis id, quod jubet, ita ut operatio præcepta, quæ a nobis ponitur vi gratiæ efficacis, sit Dei merum donum, prout Quesnellus contendit; cum enim in thesi vigesimaprima, & sequentibus dicat, gratiæ operationem imitari operationem Dei Incarnantis Filium suum, producentis creaturas ex nihilo, mortuos ad vitam revocantis, vult consequenter, quod sicut est merum Dei donum Unio hypostatica, creatio, & mortuorum resurrectio, ita sit merum Dei donum operatio præcepta, ad quam proinde voluntas humana non cooperetur libere libertate indifferentiæ ad meritum requisita; Sicut non cooperatur libere voluntas Humanitatis assumptæ ad productionem Unionis hypostaticæ. Est autem Catholicum dogma, quod licet Deus sua gratia efficaci faciat nos facere, ut in tertia thesi explicavimus, & operetur in nobis velle, & perficere, ut habetur ad Philipp. 2. nihilominus ad hanc Dei operationem libere voluntas cooperatur libertate indifferentiæ; & ideo ea est meritoria, quin desinat esse donum Dei: etenim, ut habet Trident. sess. 6. cap. 16. *Tanta est Dei erga omnes homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona*; & hinc Augustinus docet, quod dum Deus remunerat merita nostra, coronat dona sua.

Contra quarto, quia etiam dum Deus confert gratiam mere sufficientem ad ponendam operationem præceptam, dicitur donare, quod jubet; quia conferendo gratiam sufficientem, confert gratiam, quæ ex parte Dei semper est efficax, & solum ex socordia nostræ voluntatis ea aliquando est cassa, & inefficax; Quod denotant verba Apostoli 1. ad Cor. 6. *Videte, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*; quasi dicat, quod gratia ex parte Dei nunquam est vacua, sed ex parte nostra potest in vacuum recipi, & sine fructu. Quare licet petamus a Deo, quod det nobis id, quod præcipit, non sequitur, quod solum conferat in Christiano fędere gratiam simpliciter efficacem, videlicet tum ex parte Dei, tum ex parte nostræ voluntatis; quandoquidem dando gratiam sufficientem, donat etiam ex parte sua id, quod præcipit nobis.

Contra quinto, quia loquendo de gratia simpliciter efficaci, tunc verum est, quod Deus illam conferat, quando ita donat, quod præcipit, ut operatio præcepta sit simul donum Dei, & meritum nostrum, non vero quando id, quod præcipit, a nobis demeritorie omittitur. Hinc falsum est, quod absolute dicitur in his thesibus, videlicet Deum donare nobis, quod præcipit, quasi vero semper ac præcipit bonam operationem, conferat nobis gratiam simpliciter efficacem; ex hoc enim sequeretur, quod peccator omittens contritionem non peccaret, quia cum denegetur illi gratia simpliciter efficax, qua contritio ponatur, inferretur, quod Deus illam non præcipiat; unde per omissionem contritionis nullum præceptum peccator transgrederetur, & ideo non peccaret. Præterquamquod ex alio capite omittens contritionem præceptam non peccaret, quia scilicet deesset illi juxta hanc thesim gratia sufficiens ad illam ponendam: & quia

hac

hac deficiente in novo fœdere contritio est impossibilis, & nemo obligatur ad impossibilem, ideo per omissionem contritionis peccator nunquam peccaret.

Contra demum, quia, esto transmitteretur, quod secunda pars hujus thesis posset in bono sensu accipi, adhuc integra thesis digna fuisset, quæ proscriberetur, quatenus docet, hominibus in veteri fœdere relictis propriæ infirmitati legem a Deo impositam esse, ita ut peccarent non implendo legem, quamvis illam implere non possent. Sed de hoc Augustini effato recurret sermo in thesi trigesima ad secundum.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim VII.

Septima aliis phrasibus idem virus eructat, dum docet, Judæis in veteri fœdere præceptam fuisse legis observantiam, quam tamen implere non poterant, quia Deus illos in sua imbecillitate relinquebat, denegando iis gratiam sufficientem: in Christiano autem fœdere Christifidelibus conferri gratiam efficacem, vi cujus donat, quod petit a nobis. Recurrit tamen idem inconveniens, nam si Deus donat non solum auxilium ad ponendum id, quod petit, sed etiam illud ipsum, quod petit a nobis, rite infertur, quod si non ponatur contritio a peccatore, ea non petatur, nec præcipiatur a Deo; atque adeo peccator illam omittens non peccet, cum nullum præceptum violet. Recurrit etiam, quod Judæi legem non implendo non peccarent; quia in sua imbecillitate relicti carerent viribus ad legem implendam requisitis. Neque dici potest, quod propter virium imbecillitatem laborarent solum impotentia morali, non physica ad legem implendam, unde non excusarentur a culpa. Nam si in sua imbecillitate relinquebantur, ita ut gratia sufficienti destituerentur, laborabant etiam impotentia physica ad implenda præcepta supernaturalia; non enim poterant physice ponere contritionem, aut Dei dilectionem supernaturalem, (quæ illis præcipiebatur, ut ad justificationem disponeret) sine concursu gratiæ actualis; quæ tamen iis denegabatur, dum erant propriæ imbecillitati relicti. Præterquamquod etiam quando Deus præcipit moraliter impossibilia, offert petentibus gratiam suam, qua moralis impossibilitas expugnetur; ut docet Trid. sess. 6. cap. 11. dicens: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere, quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Propterea Deus perfrictæ frontis peccatores, qui sine magna difficultate non resipiscunt, ad orandum invitat, ut gratiam obtineant, qua de facili possint resipiscere, verbis illis Jerem. 3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere; ergo saltem amodo voca me, Pater meus, dux virginitatis meæ tu es.* Quare in utroque fœdere datur a Deo sufficiens gratia ad legem implendam, & peccatoribus ad resipiscendum; quamvis gratia, quæ nobis per Christi merita confertur, & per sacramenta novæ legis communicatur, sit longe uberior. Quinimmo sacramenta antiquæ legis nullatenus gratiam causabant, ut docet Florentinum, sed solum erant conditiones requisitæ, ut Deus ob merita Christi futuri gratiam conferret digne suscipientibus, ut notat Amicus, disp. 9. & hac tantum de causa lex antiqua vocatur infirma, & inutilis ab Apostolo ad Hebr. 8. ubi dicitur: *Reprobatio fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem.* Ejus quippe legis sacramenta erant *infirma, & egena elementa*, ut dicitur ad Galat. 4. Contra vero sacramenta novæ legis ex eodem Florentino *gratiam continent, & ipsam digne suscipientibus conferunt;* Et ideo sola lex gratiæ vivificat, non vero lex antiqua; ut dicitur ad Galat. 3. Ex quo tamen non sequitur, quod in lege antiqua non conferretur gratia sufficiens ad observantiam legis, & ad salutem, ut advertit Angelicus p. 2. q. 98. ar. 2. ad 4. ubi habet: *Quamvis lex vetus non sufficeret ad salvandos homines, tamen aderat aliud auxilium a Deo hominibus simul cum lege, per quod salvari possent.*

P R O P O S I T I O VIII.

Nos non pertinemus ad novum fœdus, nisi in quantum participes sumus ipsius novæ gratiæ, quæ operatur in nobis id, quod Deus nobis præcipit. *Quesnellus Hebr.* 8. 10. *in editione* 1693. & 1699.

S Y N O P S I S.

I. Triplex hic error obtruditur, prout in duabus thesibus antecedentibus.

II. Ostenditur, quod nec defuerit in veteri, ne desit in novo fœdere gratia sufficiens ad legem implendam.

III. Hallucinatio Jansenii oritur ex eo, quod non distinguat inter gratias exteriores, & interiores.

IV. Retorquetur adversus eundem Jansenium auctoritas D. Augustini, qui videtur negasse Judæis gratiam sufficientem, docens datam iis esse legem, tanquam pædagogum, a quo perducerentur ad Gratiam.

V. Retorquetur pariter ejusdem Jansenii similitudo, quasi quis diceret Cajo, Pete ea, quibus indiges, dum tamen ei linguam præcideret, qua petere possit.

VI. Gratia veteris legis in quo differat a gratia legis Evangelicæ?

VII. Hinc triceps hujus thesis anguis confoditur.

I. In hac, & duabus superioribus thesibus idem triplex error variis, ac fucosis phrasibus obtruditur; nempe insinuando verbis subdolis, quod expressius in duabus superioribus thesibus docebatur, videlicet, quod in veteri lege nulla fuerit gratia sufficiens; & quod in nova detur nobis duntaxat Gratia efficax; & quod ista operetur in nobis id, quod nobis Deus præcipit; quibus verbis liberam cooperationem voluntatis callide de medio tollit Quesnellus; Quod tamen apertius docet in vigesima prima, & tribus sequentibus thesibus, in quibus datur idea gratiæ Jansenianæ.

II. In tergeminum hunc Jansenianum aspidem suum trisulcum telum contorsimus in duabus proxime præcedentibus thesibus: Ad ulterius illum conterendum addo hic, negari non posse, in veteri fœdere Davidi, Salomoni, aliisque, qui im primam culpam lethalem prolapsi sunt, collatum fuisse a Deo auxilium sufficiens, ne laberentur; ergo etiam in Christiano fœdere datur consimile sufficiens auxilium justis, qui primum peccatum mortale committunt; Unde pariter sequitur, quod gratia, quæ per Christum conceditur iis, qui bene operantur, non sit gratia necessitans, sed gratia, cui potest voluntas resistere, eo ipso, ac potest pec-

care. Ex qua ratiocinatione corruunt tres errores, qui in hac thesi sub splendidis illis verbis callide conteguntur.

Porro in hac ratiocinatione antecedens duntaxat demonstrandum est; duæ quippe consequentiæ ex illo aperte descendunt. Probatur itaque antecedens, quia ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 26. *Deus non deserit, si non deseratur, & piæ semper, justeque vivatur*; & infra addit: *Ut non adjuventur in ipsis itidem causa est, non in Deo*. Utrumque autem hoc effatum non subsisteret, si Davidi, Salomoni, & aliis veteris Testamenti gratiam sufficientem Deus negasset, ne in primum peccatum mortale proruerent; Deus quippe eos desereret, antequam ab eis desereretur; & ut non adjuvarentur causa fuisset in Deo, non in ipsis, qui nullam antea causam dederant, quare gratia auxiliante privarentur: ergo. Præterea etiam in Judæos cadit illud Augustini lib. de natura, & gratia cap. 67. *Quis peccat in eo, quod caveri nullo modo potest?* atqui si caruissent Judæi gratia sufficienti ad reportandam victoriam tentationum, lapsus caveri nullo modo posset. Ergo Judæi tentationibus succumbentes non peccarent. Apertissime autem de Judæis loquens August. lib. de grat. & lib. arb. cap. 12. ait: *Gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant*.

III. Quare inepte nimis loquitur Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 7. dicens, *non adfuisse hominibus sub lege viventibus gratiam sufficientem servandi legem, vel ullum præceptum ejus*. In eo autem consistit hallucinatio Jansenii, quod non distinguat inter legem, seu gratiam exteriorem, & gratiam interiorem, qua homines adjuvantur ad legem servandam. Verum quidem est, quod lex Mosaica non conferebat gratiam sufficientem ad non peccandum: (sicut nec nobis illam confert nuda lex Evangelica) At tam iis, qui erant sub lege, (seu quibus iniquitas dominabatur, ut explicavimus in thesi superiore,) quam iis, qui sunt sub gratia, (seu quibus gratia dominatur) adjutorium, quod confertur, non est a nuda lege, quæ est gratia exterior, sed est a gratia interna, seu illustratione Spiritus Sancti, quæ in lege Mosaica universim erat remissa, non expugnans impotentiam moralem ad servandam legem, ortam ab insultibus concupiscentiæ, sed conferens solum sufficientiam physicam ad non peccandum, essentialiter requisitam ad peccatum formale, & ad demeritum; in lege vero Evangelica ea est intensior, ac vividior ex meritis Christi Dom. apta expugnare moralem illam impotentiam. Duo isthæc, quæ Jansenius non distinguebat, D. August. lib. de Grat. & l. ar. c. 17. dilucide expressit in hæc verba: *Cum dicitur, diligamus invicem, lex est; cum dicitur, quia dilectio ex Deo est, gratia est; Sapientia quippe Dei legem, & misericordiam in lingua portat; unde scriptum est in Psalmo: Etenim benedictionem dabit, qui legem dedit*. Distinguitur itaque lex, seu gratia exterior a gratia, seu ab illustratione, & inspiratione superna; Deus tamen, qui legem dedit tam Mosaicam, quam Evangelicam, misericordiam in lingua portans, in utraque lege gratiam confert sufficientem, ut servari possit, quamvis valde uberem in lege gratiæ iis, qui sunt sub gratia, præ illis, qui in lege Mosaica erant sub lege. In eo autem sensu dicitur gratia conferri in novo fœdere, seu in lege gratiæ, non vero in fœdere veteri, seu in lege Mosaica, quatenus in lege gratiæ Sacramenta tanquam actiones Christi D. principaliter operantis continent, & causant gratiam, si rite suscipiantur; contra vero in lege Mosaica Sacramenta, utpote *infirma, & egena elementa*, (ut loquitur Apostolus ad Gal. 4.) ad summum erant conditiones, quibus positis ex liberali divina promissione gratia conferebatur. E. g. Baptismus tanquam operatio Christi D. principaliter baptizantis causat gratiam, quam Christus, ejusque operatio in se continent: At circumcisio non erat operatio assumpta a Christo D. & ideo solum erat conditio a Deo requisita, ut gratia conferretur infanti, qui circumcidebatur.

IV. Opponit Jansenius illud Augustini serm. 53. de Verb. Apostol. c. 2. Legem Judæis datam esse, ut agnita propria ægritudine, ratione cujus facile labebantur, *Medicus, idest gratia adjuvans, quæreretur*. Ergo ex Augustino gratia adjuvans, & efficax solum datur in lege Evangelica; in Lege vero Mosaica nulla dabatur gratia; alioquin non esset ratio, cur medicus quæreretur in lege gratiæ. Propterea idem S. Doctor quæst. 55. super Exodum dicit, datam fuisse Judæis legem, *ut de sua infirmitate, ac peccatis per legem convincerentur, ut lex fieret illis Pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam, quæ est in fide Jesu Christi*. Et similiter Conc. 27. in Ps. 116. *Ad hoc data est lex, ut te de magno parvulum faceret, ut te ad faciendam legem vires de tuo non habere monstraret, ac sic opis indigens, & egenus ad gratiam confugeres, & clamares, Miserere mei Domine*. Et in Ps. 118. similiter addit: *Ut jam corde humiliato discas clamare: Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

Respondeo, adversus eundem Jansenium facile argumentum retorqueri. Nam si data est lex Judæis, ut cognita propria imbecillitate ad medicum confugerent, hoc est ad gratiam adjuvantem, qua possent legem implere, manifeste sequitur, quod dederit eis Deus gratiam sufficientem, ut possent orare, & petere gratiam immediate adjuvantem ad ferenda onera legis; non secus ac in lege Evangelica, quando quis ob habitum vitiosum acquisitum experitur moralem impotentiam ad abstinendum a culpis, non caret auxilio gratiæ sufficientis, qua possit petere a Deo auxilium validum ad expugnandam illam difficultatem ortam a pravis habitibus, prout docuit Trident. sess. 6. cap. 11. ubi dixit; *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*: Aliter nisi de facili possemus orare, & petere auxilium, quo de facili deinde possemus legem implere, non esset verum, quod statim Tridentinum subdit: *Cujus mandata gravia non sunt; cujus jugum suave est, & onus leve*. Præterquamquod ex hoc ipso, quod Deus desideria, ac preces contulerit Judæis pro obtinendo auxilio ad ferenda onera legis necessario, rite infertur, quod hujusmodi auxilium illis communiter non denegarit. Ut quid enim eos excitaret ad desiderandum, & postulandum id, quod in eo statu nullatenus possent impetrare?

V. Confirmatur retorquendo similitudinem, quam Jansenius adhibet lib. 3. de gratia Christi cap. 5. ad ostendendum, quod in Judaico fœdere non solum deesset gratia sufficiens ad implendam legem, sed etiam gratia sufficiens ad petendum a Deo hujus-

hujusmodi auxilium sufficiens, ac necessarium ad ferenda onera legis. Sic ipse loquitur: *Si quis verbis alicui diceret, Quia non sufficis implere quod jubeo, ora pro gratia, qua sufficias; stultus esse profecto crederetur, si jam ei potestatem, qua sufficeret, donavisset*. Censet enim Iprensis, quod habens potestatem petendi sufficientiam, pariter haberet ipsam immediatam sufficientiam ad implendum, quod jubetur. At sic retorquendo telum insurgo: Si quis verbis alicui diceret; Quia non sufficis implere, quod jubeo, ora pro gratia, qua sufficias; stultus profecto foret, & tyrannide imbutus, si linguam illi præcideret, & potestatem orandi denegaret. Idemque dicendum esset de Deo, si denegasset Judæis auxilium sufficiens ad implendam legem, & iis dixisset: Quia non sufficitis implere quod jubeo, orate pro gratia, qua sufficiatis; & deinde gratiam ad orandum sufficientem, & necessariam pariter denegasset. Quod citra blasphemiam dici non potest de Numine clementissimo.

Directe ad argumentum Jansenii dicendum, vere Judæis legem gravem fuisse impositam, ut quærerent Medicum; & ut lex ipsa fieret eis Pædagogus, a quo ad gratiam, quæ est in fide Christi D. perducerentur. Quamvis autem lex illa esset gravis, non deerat tamen illis gratia sufficiens, qua possent orare, & petere a Deo auxilia uberiora, quibus citra difficultatem possent legi obtemperare. Quoniam vero deerat illis gratia illa uberior, quæ datur in lege Evangelica per merita Christi Dom. (qui venit, ut vitam, seu gratiam habeamus, & abundantius habeamus) idcirco promissione bonorum temporalium, & comminatione similium poenarum sæpe a Deo ad legem servandam excitabantur, ac proinde sæpe illam servabant, & ad Deum peccatores revertebantur, ducti amore mercenario, & timore servili; qui tamen adhuc erat salutaris, nec poterat poni sine gratia sufficienti superna, ut constat ex proscriptione thesis decimæquartæ facta ab Alex. VIII. quæ dicit: *Timor gehennæ non est supernaturalis*: potest siquidem etiam timor poenarum temporalium esse supernaturalis, si poenæ istæ lumine superno cognoscantur infligendæ a Deo vindice propter nostra delicta. Ex hoc autem timore servili gradum deinde faciebant ad amorem Dei filialem; timor enim poenæ passim inducit ad Charitatem a Spiritu S. infusam, propriam filiorum Dei. Et in hoc sensu accipiendum est, quod in argumento dicitur ex Augustino, videlicet legem ægrotis Judæis datam, ut quærerent medicum, & esset illis Pædagogus, a quo perducerentur ad gratiam, quatenus ex timore illo servili poenæ, quo passim ducebantur, possent implorare medicum, seu gratiam adjuvantem, & sic perduci ad spiritum dilectionis proprium novi Testamenti; juxta illud Apostoli ad Rom. 8. *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, Pater*.

VI. Ex quibus omnibus colligitur, gratiam novi Testamenti in duobus differre a gratia veteris Testamenti. Primo, quia gratia in lege Evangelica confertur per merita Passionis Domini affluenter; juxta illud Apostoli ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*; propterea de facili possumus expugnare difficultatem, & impotentiam moralem ad legem implendam, ortam ex concupiscentia effræni, saltem si orationibus illam impetremus; qua de causa dicitur 1. Thessal. 5. *Sine intermissione orate*, & Lucæ 18. *Oportet semper orare*; certissima quippe nobis inest securitas obtinendi, quod petimus; Sponsor enim est ipse fidelissimus Dominus, qui sic alloquitur Marci 11. *Dico vobis, omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Etenim cum in novo Testamento Deus homines velut filios habeat, non ut servos, sicut habebat homines in lege veteri, juxta illud Apostoli ad Gal. 4. *Jam non est servus, sed filius, quod si filius, & hæres per Deum*; idcirco facillimas præbet aures nostris petitionibus; quod ipse Dominus, ut nos ad orandum impelleret, arguendo a Patre terreno, & improbo, ad coelestem, & clementissimum, dixit Lucæ 11. *Si vos, cum sitis mali, nostris bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?*

Secundo differt gratia novæ legis a gratia veteris legis, quia supposita ea lege perterrefaciente, tunc ut plurimum homines sub auxiliis gratiæ ad observantiam præceptorum inducebantur solum timore; in nova autem lege nunc inducuntur sæpe homines etiam amore, ac timore filiali. Quod innuunt verba laudata Apostoli ad Rom. 8. *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritu filiorum Dei*; Et docuit Augustinus qu. 15. super Deuteron. dicens: *Homo potest facere opus legis per charitatem justitiæ, quod non potest per timorem poenæ; Quæ charitas gratia est novi Testamenti*: quamvis enim timor servilis, si procedat ex motivo lumine fidei attacto, sit supernaturalis, & indigeat auxiliis gratiæ, ut dicemus in thesi 60. nihilominus spiritus hujus timoris, qui in veteri lege habebatur, non est adeo efficax ad inducendam observantiam mandatorum, sicut est efficax amor filialis, ad quem de se inducit gratia, utpote uberior, novæ legis; & in hoc sensu dicit Augustinus, quod non possit homo opus justitiæ facere per timorem poenæ, quod potest facere per Charitatem, quæ est gratia novi testamenti. Quibus adde, quod multo minus poterant Judæi legem implere, si solum ducebantur timore servili formaliter, seu in quantum servili, qui, ut habet D. Th. 2. 2. qu. 19. ar. 4. est peccaminosus, eo quod ita quis legem servet, ob timorem poenæ, ut hac circumscripta, lex non impleretur. Similiter Augustinus in Epist. ad Gal. ubi dixerat, quod Judæi ducebantur timore servili, addit: *Ideo quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis sunt, illa vero, quæ ad bonos mores pertinent, implere non poterant; Non enim implet ea, nisi charitas*; sive dicatur, quod ea impleat charitas, seu spiritus amoris, & quidem de facili, & alacriter; sive dicatur, quod ea impleat charitas late sumpta pro amore supernaturali cujuscunque honestatis, ut explicat Vasq. p. 2. disp. 192. c. 2. Et idem S. Doctor loquens de gratia novi Testamenti dicit lib. de fide, & operibus c. 23. *Ab hoc reatu graviore liberat gratia Spiritus Sancti per Christum, quæ diffusa charitate in cordibus nostris donat justitiæ dilectionem, qua immoderatio concupiscentiæ superetur*. Et in Psal. 90. habet: *Data est illi lex ad timorem, non ad amorem; ut autem timor convertatur ad amorem, occisus est justus, ac venit Spiritus Sanctus in plenitudine amoris, non in pœna timoris*. Quare auxilia gratiæ in novo testamento pertinent ad charitatem potius, & ad amorem justitiæ, quam ad timorem:

Se-

Secus vero auxilia gratiæ veteris legis. Quia tamen lex antiqua terrens erat introductoria ad legem novam charitatis; ideo cultores illius, & quicumque ex puro timore legem servant, ab Augustino dici solent alieni a gratia, quatenus sunt alieni ab illa speciali gratia amoris, quæ est propria novi Testamenti, & quæ antonomastice venit nomine Gratiæ. Præterquamquod, ut annotavimus in thesi antecedenti, lex antiqua ratione sui sicut non justificabat, ita nec vires præbebat ad servanda præcepta; utrumque tamen tunc habebatur dependenter a lege gratiæ, seu per fidem in Christum venturum, qui est Auctor, & pelagus omnium gratiarum.

VII. Colligitur etiam ex dictis falsitas hujus thesis, & duarum præcedentium; tum in eo, quod supponitur, caruisse scilicet Judæos gratia sufficienti ad legem implendam; tum in eo, quod implicite asseritur, videlicet in nova lege nullam conferri gratiam sufficientem, sed quamcumque esse efficacem; tum demum in eo quod subdolis verbis exprimitur, videlicet, quod gratia efficax in lege nova non sit talis, ut requirat liberum consensum voluntatis, ut proinde non operetur in nobis Deus, quod præcipit independenter a nostra libera cooperatione, ratione cujus potest esse verum (& utinam non sæpissime accideret,) quod Deus conferat suam gratiam sufficientem ad obtemperandum, & imperet, non tamen per gratiam illam operetur in nobis id, quod nobis præcipit, ex contranitentia, quam voluntas exercet vocationi, & Gratiæ.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim VIII.

Octava docet, eos duntaxat ad fœdus Christianum pertinere, qui novi Testamenti gratiam participant, idest efficacem, quæ quicquid Deus nobis præcipit, in nobis operatur: eos vero, qui gratia efficaci destituuntur, quæ scilicet non operatur quicquid nobis Deus præcipit, pertinere ad fœdus antiquum, seu Judaicum, in quo Deus legis observantiam exigebat, relinquendo illos in sua ægritudine, & impotentia; atque adeo in novo hoc Christiano fœdere peccatores efficacis gratiæ expertes, qua v. gr. contritionem præceptam de facto ponant, destitui pariter gratia sufficienti ad ponendam, si velint, præceptam contritionem; atque adeo laborare omnimoda impotentia ad obtemperandum. Quod si verum haberet, proculdubio non peccarent, ut diximus, contritionem omittendo, & fatue illis contritio præciperetur, si illam ponere neutiquam possent. Hinc Doctor Angelicus in c. 1. Epist. 1. ad Cor. exponens illa verba: *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus*, addit: *Non videtur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem Filii, & nobis denegaret, quantum in ipso est, ea, per quæ ad eum devenire possumus; unde Josue dicitur; Non te deseram, neque derelinquam.* Negari itaque non potest, quod in utroque fœdere peccatori contritionem præceptam omittenti detur a Deo gratia sufficiens ad obtemperandum; ita ut dicatur, Deum per summam injuriam proterere, & conculcare, qui transgreditur præcepta, quæ vi gratiæ collatæ implere potest, non tamen adimplet: Quod innuit Apostolus dicens ad Hebr. 10. gravissima mereri supplicia eum, qui spiritui gratiæ contumeliam fecerit. Quod si gratia sufficiens non conferretur peccatori contritionem præceptam culpabiliter omittenti, nulli unquam gratiæ fieret contumelia; non quidem gratiæ efficaci, ut patet, quia sub illa obtemperatur; neque sufficienti, quia ea non obtemperantibus denegatur; unde nemo Gratiæ contumeliam faceret, & sic laudata Apostoli verba essent deridenda.

PROPOSITIO IX.

Gratia Christi est gratia suprema, sine qua confiteri Christum nunquam possumus, & cum qua nunquam illum abnegamus. *Quesnellus* 1. *Cor.* 12. 3. *edit.* 1693.

S Y N O P S I S.

I. Gratiam Quesnellus vult esse libertatis a necessitate interemptivam, ad mentem Jansenii putantis, ad meritum, ac demeritum satis esse libertatem a coactione.

II. Longe differt thesis isthæc a sententia Prædeterminantium, ut Jansenius ipse fatetur.

III. Cum prædeterminatione ad consensum admittitur a Prædeterminatoribus potentia ad dissensum in sensu diviso: secus vero cum gratia Jansenistica.

IV. Præterea voluntas ipsa se determinat sub prædeterminatione; non tamen sub gratia medicinali.

V. Phrases hujus thesis sunt longe diversæ a phrasibus Prædeterminantium.

VI. Prædeterminantes enim in opere honesto, ac turpi agnoscunt libertatem indifferentiæ, quam Janseniani de medio tollunt.

VII. Jansenianæ hæreses in hac thesi edocentur.

I. Quid in hac Thesi, necnon in proxime sequentibus Auctor contendat? An gratiam Christi ad supremum, quod excogitari potest, solium evehere, & ipsimet Omnipotentiæ quodammodo æquiparare? Ita sane, si corticem verborum spectemus; at si nucleum introspiciamus, illico palam fiet, quid lateat sub hoc verborum apparatu. videlicet Gratia nimis ingrata, quippe quæ non est confortativa arbitrii, sed libertatis interemptiva; non enim evehit supra naturæ vires arbitrii facultatem, sed omnino prosternit, & abjectat in ordine ad operationem salutarem producendam; a qua proinde meritum vitæ æternæ ita amandat, ut reddat illius incapacem ex defectu libertatis. Propterea licet ad gratiæ commendationem spectet, quod Thesis exprimit, eam scilicet esse supremam, ita ut sine illa confiteri Christum nunquam possimus ex defectu virium naturalium ad talem actum omnino supernum; falsissimum tamen est, quod affecti gratia interiori, qua vires suppetunt ad Christum confitendum, nunquam illum abnegemus, in vacuum recipiendo supernas illas vires, quas exhibet gratia; Hoc enim non ad commendationem, sed ad depressionem gratiæ spectat, quæ non confert arbitrio vires, sed evertit omnino arbitrii potestatem, qua possit obsequium debitum Christo præstare, illum libere confitendo, & sibi præmium consentaneum, atque adeo æternum promereri. Constat quippe ex proscriptione tertiæ thesis Jansenianæ, libertatem a coactione ad meritum non sufficere; sicut nec sufficit libertas in causa sine libertate formali indifferentiæ, ut

ut contendebat prima ex thesibus ab Alexandro VIII. confixis.

II. In patrocinium hujus thesis putarunt nonnulli adduci posse sententiam Prædeterminantium, qui pariter docent, Prædeterminationem physicam ejus indolis esse, & efficacitatis, ut sine illa ad confitendum Christum non inducamur, & cum illa nunquam Christum abnegemus,

Verum quantum distet gratia medicinalis Janseniana a physica præmotione, quam Scholastici Prædeterminantes admittunt, docet ipse Jansenius, qui l. 1. de Grat. Christi c. 2. hæc habet: *Qui medicinalem Christi gratiam sic defendere conantur, ut eam in prædeterminationem physicam transforment, omni statui hominum lapsorum, & innocentium, ex vi Primæ Causæ, & indifferentiæ voluntatis necessariam, magis profecto Aristotelici, quam Augustiniani sunt. Nam talis prædeterminatio sic asserta non solum nullo eius testimonio probari potest, sed potius universam ejus doctrinam innumeris locis traditam inexplicabili confusione perturbat: tollit enim differentiam integræ, lapsæque voluntatis; necnon duplicis adjutorii quo, & sine quo non, cum quorum altero Adamus velle, stareque potuit, & Angeli re ipsa voluerunt, steteruntque; lapsi homines velle, & stare non possunt: tollit, obscuratque veram radicem gratiæ medicinalis; nec sinit intelligere veram naturam ejus, dum æqualiter statuit illam prædeterminationem omnibus necessariam.* Hactenus Iprensis; Cujus discipulus in hac thesi non intendit per gratiam medicinalem invehere subjectionem debitam Primo libero, ad quam Prædeterminatores putant necessariam esse physicam præmotionem, quam nolunt esse libertatis indifferentiæ violativam; Aliter sicut a prædeterminantibus ponitur in quocumque statu naturæ tam integræ, quam lapsæ necessaria, ita gratia isthæc medicinalis deberet in utroque pariter statu reperiri, ut Jansenius annotavit. Vult itaque gratiam medicinalem esse solum necessariam in statu naturæ lapsæ ob naturæ imbecillitatem a culpa originali contractam, & simul vult vi illius poni operationem salutarem citra formalem libertatem indifferentiæ; a qua certe hæresi Catholica Prædeterminantium Schola omnino abhorret. Docet siquidem rite cohærere in voluntate cum Prædeterminatione ad actum bonum liberam facultatem ad illum non ponendum, quamvis nec Prædeterminatio illa stare possit sine eo actu, nec actus unquam ponatur, & subsistere possit sine tali Prædeterminatione: Esto negotium non leve facessat mysterium id explicare; adeo ut Cajetanus 1. part. quæst. 22. art. 4. adlaborans in concilianda inevitabilitate actus prædeterminati cum ejus contingentia, dixerit: *Ad hanc dubitationem nihil reperi in Divo Thoma. In aliis vero Doctoribus nihil hactenus comperi ad quæstionem istam, nisi quæ communiter dicuntur de sensu composito, & diviso, de necessitate consequentiæ, & consequentis, de libertate electionis Divinæ in æternitate, deque natura causarum ad utrumlibet. Sed hæc omnia animum non quietant, quia non de necessitate, & contingentia, sed de compossibilitate inevitabilium eventuum cum contingentia, & libertate eorundem est quæstio.*

Cæterum, sive facilis, sive perdifficilis sit, qui dissolvatur hic nodus apud Scholasticos, assertio Prædeterminantium est Catholica, & juxta definitionem Tridentini definientis sess. 6. can. 4. *Liberum arbitrium assentiendo Deo excitanti posse dissentire, si velit*; explicando hanc potentiam ad dissentiendum per libertatem formalem indifferentiæ ad utramque partem. Janseniani vero negant hanc libertatem indifferentiæ, & docent, quod arbitrium possit dissentire, si velit, potentia solum remota, seu conditionata, quatenus posset dissentire, si careret gratia medicinali, qua determinatur ad consensum: eo pacto, quo vinculis præpeditus posset ambulare, si esset a vinculis expeditus. Quod cum etiam Calviniani a Tridentino damnati admittant, dum docent, gratiam necessitare arbitrium ad consensum, dicendum non subsistere hanc laudati Canonis interpretationem; atque adeo sententiam Calvinianam, & Jansenianam in hac re recedere a tradita Concilii definitione.

III. Et ratio discriminis inter Prædeterminatores, & Jansenianos est, quia prædeterminantes docent voluntatem sub prædeterminatione ad consensum retinere potentiam ad dissensum in sensu diviso ab illa: nec obesse libertati, quod ab ea voluntas se dividere non possit, vel quia Prædeterminatio se tenet ex parte actus secundi, ut docent Neoterici, vel quia est ipsa applicatio causæ secundæ ad agendum facta a primo libero: voluntas autem, & judicium indifferens, quantum est ex se, cum utroque actu componi possunt in sensu diviso, & ideo voluntas sub prædeterminatione ad consensum remanet cum libertate indifferentiæ ad consensum, vel dissensum: siquidem prædeterminatio non spectat ad posse, sed ad agere. At per Jansenianos gratia medicinalis non spectat ad agere, sed ad posse, quatenus sine illa juxta eorum erroneam doctrinam, non datur gratia sufficiens, unde sine illa non potest voluntas ponere operationes salutares, & ab illa duntaxat recipit vires supernas, & potestatem ad eas ponendas: & idcirco destruit libertatem indifferentiæ a Catholicis requisitam ad ponendos actus meritorios, ac salutares.

IV. Præterea Janseniani docent, voluntatem a gratia unice determinari ad consensum: At Prædeterminatores, si subscribant Angelico Præceptori, docent, quod voluntas a se ipsa suo modo determinetur, & ideo sit formaliter libera. Hæc enim habet D. Thomas in 2. dist. 39. quæst. 1. art. 2. *Ratio culpæ in actu deformi est in hoc, quod procedat ab eo, qui habet dominium sui actus: hoc autem est in homine secundum illam potentiam, quæ ad plura se habet, nec ad aliquod eorum determinatur, nisi ex se ipsa: quod tantum voluntati convenit.* Utrum autem salvari possit, quod voluntas dum a Deo prædeterminatur, ipsa dicatur libere se determinare, quatenus *magis habet Deus in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*, ut loquitur August. de Corrept. & Grat. cap. 14. inquirant Scholastici, cum id ad Polemicos non pertineat. Nobis satis sit ostendisse, quod Janseniani gratiam ejus indolis comminiscentes, ut sine illa confiteri Christum nunquam possimus, & cum illa nunquam abnegemus, nullum præsidium a sententia Prædeterminantium habeant, eo quod isti admittant libertatem indifferentiæ sub prædeterminatione ad consensum: admittunt etiam possibilem gratiam sufficientem, & quod possit voluntas gratiæ resistere: quæ omnia non subsistunt admissa gratia medicinali in sensu Janseniano.

Quod

Quod autem Prædeterminatores omnes diserte fateantur citra errorem in fide negari non posse in natura lapsa gratiam sufficientem ab efficaci condistinctam, atque adeo ab hoc Janseniano errore abhorreant, in quo omnes quinque Jansenii theses hæreseos damnatæ continentur, (ut ostendimus in Anacephalæosi thesis secundæ) satis est eorum Codices, & scripta revolvere. Bannez 1. p. q. 23. a. 3. cum docuerit, necesse esse, quod peccantes adversus aliquod præceptum supernaturale, puta fidei, pœnitentiæ, &c. receperint gratiam ad implendum præceptum sufficientem, addit, id esse certum ex fide; ac probat tum ex illo Jo. 15. *Si non venissem, & locutus non fuissem eis, peccatum non haberent*; tum etiam ex eo, quod nemo peccat non faciendo, quod facere non potest, quod pariter dicit esse certum ex fide. Alvarez lib. 8. de Auxiliis disp. 71. n. 12. sic ratiocinatur. *Si non daretur gratia vere sufficiens, sequeretur, quod illi omnes, qui non convertuntur, revera converti non possent, aut salvari; quod tamen non potest admitti. Probatur antecedens: nam illi non habent gratiam efficacem, alias enim converterentur, & salvarentur; hæc enim gratia tribuit actualiter bene operari, vel perseverare usque in finem: ergo si non habeant vere gratiam sufficientem, quæ tribuit posse, omnes illi converti, pie operari, vel salvari non possent; & ita non imputaretur eis ad culpam, quod non converterentur, nec adimplerent divina mandata, & consequenter Deus irrationabiliter conquereretur de illis, & sine causa illos increparet; quod tamen Sacrarum Literarum testimoniis videtur repugnare*. Pariter Jo: a S. Thoma in p. 2. tom. 2. q. 3. disp. 24. art. 1. aperte docet, omni homini, cui ponitur præceptum, dari auxilium sufficiens ad talis præcepti impletionem; immo dicit Conclusionem hanc esse inter Theologos communem; illamque demonstrat, *quia omne præceptum debet imponi habenti facultatem ad implendum illud; alioquin si facultas non suppetit, præceptum deobligat: qui habet facultatem, habet gratiam sufficientem, quæ præcise dat ipsum posse*. Franciscus Zumel tom. 3. variarum disputationum disp. 4. sect. 1. dicit: *Certum esse de fide, quod detur hominibus auxilium sufficiens, quibus interdum non donatur efficax; quia Deus non præcipit aliquid impossibile: sed præcipit omnibus peccatoribus, ut convertantur ad ipsum: ergo omnibus dat auxilium gratiæ sufficientis, quo possint converti: Vel non sunt digni reprehensione, & damnatione, eo quod non convertantur; quod est contra expressas Scripturas, & contra universam doctrinam Ecclesiæ, & SS. Patrum*. Idem pariter asseverant Thomistæ omnes, qui propterea gratiam Jansenianam tanquam tartareum monstrum ejurant.

V. Ex quibus infertur, non iisdem, sed longe diversis verbis loqui Prædeterminantes, ac loquatur præsens Thesis. In hac quippe dicitur, quod sine gratia Christum confiteri non possumus; & quod cum ea nunquam illum abnegemus. Prædeterminantes vero non docent, quod voluntas, quæ peccat omittendo actum præceptum, dum caret prædeterminatione ad talem actum, non possit sine tali prædeterminatione illum ponere: nam si ponere illum non posset, non esset libera: unde dispar ratio in utraque sententia.

VI. Ratio autem radicalis hujus discriminis est, quia Auctor hujus thesis solum admittit cum Jansenio libertatem a coactione tam in peccante, & demerente, quam in bene operante per gratiam Christi medicinalem, & merente; & ideo in hac sententia qui caret gratia ad Christum confitendum, non potest illum confiteri: Contra vero Prædeterminatores cum Angelico requirunt in merente libertatem indifferentiæ, & ideo consequenter docent, quod carens prædeterminatione ad Christum confitendum adhuc possit illum confiteri, quamvis si confiteretur, non sine prædeterminatione illum confiteretur: Ad eum prorsus modum, quo omnes dicimus, quod carens concursu Dei ad consensum adhuc possit consentire, dum peccat; quamvis si consentiret, non haberetur consensus sine concursu Dei ad illum: Et similiter dicimus, quod Antichristus absque præscientia de bona operatione ab eo ponenda, adhuc possit bene operari, & non peccare, quamvis si esset bene operaturus, isthæc bona operatio non haberetur sine præscientia de illa; Quicquid sit, quod ista præscientia, quæ antecedit tempore nostros actus, consequatur ad illos logice, & idcirco sit a nobis impedibilis, & non eversiva libertatis; prædeterminatio vero sit omnino antecedens, & inimpedibilis, ut proinde in dubium revocari possit, num sit eversiva libertatis: Quod tamen, ut diximus, ad Scholasticas concertationes spectat, non ad Polemicas. Usqueadeo autem sanctum est apud Thomistas, quod requiratur in merente libertas a necessitate, & non sufficiat libertas a coactione, ut Angelicus quinque ab hinc seculis dixerit, sententiam docentem, nos esse duntaxat liberos a coactione, esse hæreticam. Hæc siquidem habet de Malo quæst. 8. de elect. art. unico. *Opinio, qua quidam dicunt voluntatem hominis ex necessitate moveri ad eligendum, nec tamen cogi, est hæretica; tollit enim rationem meriti, ac demeriti, & subvertit omnia principia Theologiæ moralis: Si enim ex necessitate movetur ad volendum, tollitur deliberatio, exhortatio, & præceptum, & laus, & vituperium*.

VII. Oppones pro Quesnello, quod in hac thesi duo asserantur: Alterum est, quod sine gratia non possimus Christum confiteri; & de hoc nemo potest ambigere, cum non possit actus supernaturalis prodire sine coinfluxu comprincipii supernaturalis; Alterum vero, quod sub gratia nunquam Christum abnegemus; quod non fert eversionem libertatis ad illum abnegandum, cum non dicatur, quod sub gratia non possimus Christum abnegare. Quare sicut omnes Catholici docent, quod sub gratia efficaci nunquam Christum abnegamus; ita potest citra ullum inconveniens Quesnellus dicere, quod sub Christi gratia nunquam illum abnegamus.

Sed contra est primo, quia licet vera sit prima pars hujus thesis, quod scilicet sine gratia non possimus Christum confiteri, falsum tamen est, quod non possimus Christum confiteri sine ista gratia, de qua verum sit, quod nunquam cum illa Christum abnegamus; nam qui Christum abnegat, caret proculdubio tali gratia, & tamen potest Christum confiteri; aliter non peccaret illum non confitendo. Sic etiam licet verum sit, quod sine gratia non possit homo conteri; commentitium tamen est, quod sine gratia efficaci homo non possit conteri; peccator enim qui culpabiliter omittit contritionem præceptam, caret

gra-

gratia efficaci, & tamen potest contritionem ponere, aliter non peccaret, illam omittendo. Contra est secundo, quia dum in altera parte hujus thesis dicitur, quod cum gratia Christi nunquam illum abnegamus, apertissime docetur secunda thesis Jansenii, quæ proscripta est tanquam hæretica, quod scilicet *in statu naturæ lapsæ interiori gratiæ nunquam resistatur*. Contra est tertio, quia quando peccator omittit contritionem præceptam, vel habet gratiam, qua possit illam ponere, vel non. Si dicas primum, ergo falsum est, quod cum gratia nunquam peccemus; sin dicas secundum, ergo hic peccator est sine libertate indifferentiæ ad non peccandum, sed cum sola libertate a coactione, juxta tertiam Jansenii proscriptam thesim: cum enim careat gratia requisita ad contritionem ponendam, necessario illam omittit, unde caret libertate a necessitate, seu libertate indifferentiæ. Præterquamquod præciperetur illi contritio, quam ponere non posset sine gratia, & tamen gratia illi deesset; unde vera etiam esset prima ex quinque proscriptis Jansenii thesibus. Contra est quarto, quia qui instructus gratia ista Quesnelliana Christum confitetur, vel potest illum abnegare, vel non potest; si non potest, ecce tibi eversionem libertatis indifferentiæ; sin dicas, quod possit, ergo cohærere possunt hæc duo, quod scilicet homo habeat gratiam, & simul Christum abneget.

Ad id quod additur de gratia efficaci. Primo falsum est, ut diximus, quod sine gratia efficaci non possimus Christum confiteri. Nam qui culpabiliter Christum abnegat, caret gratia efficaci, & tamen potest illum confiteri, aliter non peccaret. Deinde licet verum sit, quod cum gratia efficaci nunquam Christum abnegemus, falsissimum tamen est, quod cum gratia nunquam abnegemus illum. Disparitas est, quod gratia efficax importat gratiam, quæ vel trahit, vel involvit consensum, seu Christi confessionem: quid autem mirum est, quod ubi adsit gratia involvens, seu trahens consensum, ibi nunquam sit dissensus? At gratia secundum se, ut præscindens ab efficaci, & pure sufficienti, tam potest conjungi cum consensu, quam cum dissensu, & ideo potest esse verum, quod cum gratia dissentiamus, & Christum abnegemus: & de facto qui culpabiliter omittit Christum confiteri, habet gratiam sufficientem, qua possit ponere hunc actum supernaturalem præceptum; aliter vel non peccaret illum omittendo, vel peccaret cum sola libertate a coactione. Hæreses itaque Jansenianæ ex hac thesi usquequaque erumpunt; sicut etiam ex plurimis aliis sequentibus.

Instabis. Tam in sententia Prædeterminantium verum est, quod sine prædeterminatione ad consensum non possit voluntas consentire, & quod cum ea nunquam dissentiat, quam in sententia Societatis verum est, quod sine concursu Dei in actu secundo ad consensum non possi voluntas consentire, & quod cum illo nunquam dissentiat: ergo bene etiam poterit in hac thesi Quesnellus præscindens ab utraque illa sententia Scholastica in suis Asceticis Observationibus pariformiter dicere, quod sine gratia non possimus Christum confiteri, & quod cum gratia nunquam illum abnegemus.

Sed falsissimum, & erroneum est antecedens. Solum verum est in utraque illa sententia, quod sine prædeterminatione ad consensum, vel sine concursu Dei in actu secundo ad consensum nunquam consentiamus; at non est verum, quod sine illis non possit voluntas consentire; quandoquidem voluntas omittens contritionem præceptam illis caret, & tamen ponere potest contritionem: aliter non peccaret illam omittendo, cum nemo possit ad impossibile obligari. Propterea sicut in utraque illa sententia verum est, quod sine Predeterminatione, aut sine concursu Dei in actu secundo ad consensum potest voluntas consentire, & quod cum illis nunquam dissentit: ita Quesnellus loquens de gratia simpliciter (& non de gratia efficaci duntaxat) deberet viceversa dicere, quod sine gratia non potest voluntas Christum confiteri, & quod cum gratia possit Christum abnegare, ac sæpe etiam abneget; aliter Jansenismum non effugeret. Rem totam paucis perstringo. Vel thesis loquitur de gratia efficaci, & falsum est, quod sine illa non possimus Christum confiteri; Vel loquitur de Gratia ut præscindente ab efficaci, & sufficienti, & falsum est, quod cum illa nunquam voluntas Christum abneget; atque adeo alterutrum hujusce thesis assertum in utroque sensu est erroneum. Hæc autem obiter attingere non abs re fuit, ut omnibus perspectum sit, perperam Jansenianos pallio Doctrinæ Thomisticæ abuti ad suas technas obtegendas, ac omnino inanem esse nonnullorum formidinem, ne Constitutio isthæc *Unigenitus* libertati Scholarum, præsertim Angelicæ, officiat.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim IX.

NOna docens Christi gratiam esse illam sine qua non possumus Christum confiteri, & cum qua illum non abnegamus, luculenter insinuat, Christi gratiam esse unice gratiam efficacem, cum qua Christus non abnegatur, (aliter non esset efficax) & sine qua Christum confiteri non possumus; cum non possit homo gratia denudatus solis naturæ viribus Christi fidem profiteri. Iterum proinde in hac thesi expungitur gratia sufficiens ad Christum confitendum in eo, qui culpabiliter illum abnegat, ita ut eatenus sit odii Divini, ac pœnæ æternæ reus, quia gratiæ ad Christum confitendum collatæ contumeliam facit, illum abnegando. At sit gratia sufficiens deesset illi, cui Christi confessio præcipitur, quomodo peccaret illum abnegando? Augustinus lib. de duabus animabus cap. 2. diserte hæc habet; *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ*. Quare quamvis verissimum sit, & quod sine Christi gratia illum salutariter confiteri non possimus, & quod muniti gratia efficaci nunquam illum abnegemus: erroneum tamen est asserere, quod instructi gratia, ac viribus sufficientibus ad Chistum cofitendum, illum abnegare non possint, nec unquam illum abnegent. Aliter inepte Apostolus 1. ad Corinth. 2. diceret: *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Quid enim est in vacuum recipere, nisi ejus effectum frustrari?

Prædeterminatorum afferta toto cœlo ab hac hæresi discrepant: docent quidem, quod cum prædeterminatione ad consensum nunquam dissentiamus; negant tamen, ac pernegant, tam quod Deo vocanti, & gratiam conferenti nunquam homo dissentiat, ac peccet, quam quod cum prædeterminatione ad consensum non possit pariter voluntas dissentire; cum de fide sit ex Tridentino seff. *6.* can. 4. humanum arbitrium a Deo motum posse ipsi Deo excitanti, atque vocanti dissentire, si velit.

PROPOSITIO X.

Gratia est operatio manus omnipotentis Dei, quam nihil impedire potest, aut retardare, *Quesn. Matth. 30. 34. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Gratia isthæc est libertatis eversiva.

II. Ex Quesnello operatio Gratia est operatio solius Dei, & nullatenus voluntatis creaturæ.

III. Scripturæ luculenter docent effectum gratiæ posse a voluntate impediri, ac retardari.

IV. Ex Tridentino damnatur duplex error hujus Thesis.

V. Ea quippe Lutheranismnm simul sapit, & Calvinismum.

VI. Voluntas creata quamvis impedire non possit, quod Deus vult efficaciter efficacia simpliciter dicta: potest tamen divinæ voluntati resistere, si hæc velit aliquid efficaciter solum quantum est ex parte sua: & ideo potest effectum gratiæ impedire, ac retardare.

VII. Deus discernit Electos a Reprobis per hoc, quod gratiam prævisam efficacem conferat qua efficacem.

VIII. Bona nostra operatio Deo principalius tribuitur, non nobis.

IX. Operatio tamen prava nullatenus Deo tribuitur, quamvis possit illam impedire.

X. *Ex hoc quod Deus prævideat culpam secuturam, non fit, quod illam amet, ac directe reprobationem intendat.*

XI. Nequit Quesnellus a Jansenismo hic excusari.

I. ECce tibi quam basilice Gratia describatur; & quantum ejus vires extollantur! suspicienda sub oculos ea ponitur, non solum tanquam operatio manus Omnipotentis Dei, sed etiam tanquam ipsamet Omnipotentia, cui nihil possit resistere, & contraniti; cum ne retardari quidem possit, nedum impediri ejus effectus. In thesi 21. ea pariter dicitur esse fortis, potens, suprema, invincibilis; & passim Jansenius cum Calvino vocat illam omnipotentem, insuperabilem, invictam. Bracteata tamen isthæc verba eo tendunt, ut seducant incautos. Etenim quo magis illa videntur gratiam commendare, eo magis deprimunt; & dum beneficium a Christo collatum, promerendo nobis gratiam, extollunt, illud extenuant, ac prosternunt; Quandoquidem si ejus indolis esset gratia, ut voluntas non posset ejus effectum impedire, aut retardare, ea non esset beneficium naturæ lapsæ collatum, sed quadantenus maleficium, quippe quæ, ut alias innuimus, libertatem everteret, meritum omne de medio tolleret, solicitudinem, & curam de nostra salute amandaret, & ad delicias hujus sæculi captandas hortaretur; quoniam justificatio, & salus non esset conferenda laborantibus, vigilantibus, orantibus cum adjutorio gratiæ actualis, sed iis duntaxat, pro quibus Christus D. ad arbitrium orare voluit, & quos voluit inter Electos annumerari.

II. Quid autem sonet apud Auctorem, quod gratia sit operatio manus Omnipotentis Dei, satis advertet, qui vigesimamprimam ex hisce proscriptis thesibus percurret: ibi enim, & in tribus proxime sequentibus apertius exprimitur, quod Gratia ita sit operatio voluntatis omnipotentis, sicut est ejusdem operatio productio Unionis hypostaticæ, Creatio mundi, Resurrectio mortuorum, & alia id genus, in quibus non primas duntaxat, sed omnes habet partes Omnipotentia, nullas arbitrium humanum. Ex quo legitima deductione infertur, quod nihil possit gratiam impedire, aut retardare, sicut nihil potest impedire, aut retardare Incarnationem Verbi, Mundi Creationem, aut Resurrectionem mortuorum, quandocunque Deus ea velit operari. Præterea cum dicatur in thesi, qnod nihil possit gratiæ operationem impedire, aut retardare, ex vi verborum negatur omnis impedibilitas, ac retardabilitas gratiæ; atque adeo non solum negatur, quod possit impediri, ac retardari infusio gratiæ, sed etiam ejus fructus & efficacia.

III. Verum nemo est, quin videat, quantum hæc omnia a Catholicis veritatibus aberrent: Siquidem ex Scripturis, Conciliis, Patribus, ac Ratione manifeste docemur, Gratiæ operationem ita esse operationem manus Dei omnipotentis, ut voluntas etiam debeat gratiæ cooperari, & quidem non ut determinata, sed ut libera, ac determinans: qua de causa potest Divinam gratiæ operationem & impedire, & retardare, & sic etiam gratiæ resistere: Quod etiam liquido constat ex iis, quæ dicuntur adversus secundam, & quartam ex quinque Jansenii proscriptis thesibus, in quibus idem prorsus error asserebatur.

Et sane, si non posset operatio Gratiæ a libero arbitrio impediri, sed necessario deberet actum salutarem operari, frustra Apostolus 2. ad Cor. 6. diceret; *Hortamur vos, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid enim est in vacuum recipere gratiam, nisi ejus effectum impedire? quod si impediri non posset, nunquam in vacuum gratia reciperetur; adhortatio proinde illa esset omnino frustranea, & Apostolo indigna. Pariformiter si effectus gratiæ non posset retardari, incassum peccator terribilibus illis comminationibus moneretur Eccles. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem; subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Potius deberet peccator veluti manibus in sinu compressis otiari, & suis duntaxat miseriis quodammodo implorare Dei misericordiam, ne differat gratiam conferre ad obtinendam suam conversionem, si unice a gratia medicinali, efficaci, & irresistibili, & non etiam a sufficienti converti posset. Præterea si effectus gratiæ retardari non posset a voluntate peccatoris, frustra Deus expectaret ejus conversionem: quin potius solus peccator deberet gratiam medicinalem misericorditer conferendam expectare, ut illa convertatur; & tamen Isaiæ 1. dicitur: *Expectavi, ut faceret uvas, fecit autem labruf-*

labruſcas: poteſt itaque peccator retardare, ac etiam prorſus impedire gratiæ ſufficientis effectum a Deo per illam intentum, & ſic reddi odii Divini, ac pœnæ æternæ reus.

IV. Confirmatur ex 2. Petri 3. ubi dicitur: *Patienter Deus agit propter vos, nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam converti.* Quænam autem patientia exerceri poſſet erga illos, quibus non eſſet integrum gratiæ effectum impedire, aut retardare, ut proinde abſque ullo reatu omitterent ad pœnitentiam converti? Quare citra omnem dubitationis aleam poſitum eſt, & a Concilio etiam Senonenſi in decreto 15. fidei definitum, *Non eſſe tale Dei trahentis auxilium, cui reſiſti non poſſit.* Quamvis autem iſtud Concilium non fuerit Generale, ejus tamen auctoritas tanti fit in Eccleſia, ut ſine temeritate nemo poſſit illi contradicere, ut notat Suar. de Gratia Proleg. 6. cap. 5. Quin etiam a Tridentino ſeſſ. 6. can. 4. definitur, poſſe hominem gratiæ diſſentire, atque adeo poſſe illi reſiſtere, ejuſque effectum a Deo intentum impedire, aut retardare, ſi velit; anathematizatur enim, *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac præparet, neque poſſe diſſentire, ſi velit.* Ecce quomodo ex laudatis Concilii verbis utrumque damnatur, quod in hac Theſi audacter aſſeritur, & quod gratia ſit ſola operatio manus Dei omnipotentis, cum dicatur liberum arbitrium gratiæ cooperari; & quod effectus gratiæ non poſſit impediri, aut retardari, cum poſſit arbitrium inſpirationi, ſeu gratiæ diſſentire, ſi velit.

V. Ubi notandum, tam Lutherum, quam Calvinum negaſſe, quod divina gratia cohærere poſſit cum arbitrii libertate; Lutherus tamen negavit arbitrium gratiæ cooperari, putans illud ſe habere mere paſſive; & tanquam aliquid inanime. Calvinus vero admiſit concurſum voluntatis cum gratia, eo pacto quo Thomiſtæ docent intellectum Beati videre Deum, quamvis tota ratio agendi ſit lumen gloriæ: negavit tamen poſſe arbitrium abjicere gratiam impediendo ejus operationem; ſicut intellectus Beati non poteſt abjicere lumen gloriæ, ejuſque operationem impedire. Adverſus utramque hæreſim definivit Tridentinum, & quod liberum arbitrium cooperetur gratiæ, & quod poſſit illam abjicere, diſſentiendo, ſi velit. Utraque itaque hæreſis in hac theſi continetur, quæ proinde Lutheraniſmum ſimul ſapit, & Calviniſmum.

VI. Opponitur primo: Cum gratia detur a Deo, ut per illam ponatur bona operatio, non vero mala, qui reſiſteret gratiæ, & ejus effectum impediret, reſiſteret pariter divinæ voluntati, & impediret effectum volitum a Deo; atqui nemo poteſt voluntati Divinæ reſiſtere; dicitur enim Iſaiæ 47. *Non reſiſtet mihi homo*; & Eſtheris 13. *Dominus omnium tu es, nec eſt qui reſiſtat majeſtati tuæ*: ergo non poteſt arbitrium humanum gratiæ reſiſtere, ejuſque operationem impedire.

Reſpondeo argumentum probare, quod neque detur gratia ſufficiens in ſtatu innocentiæ, atque adeo quod Dæmones non potuerint reſiſtere gratiæ in eo ſtatu; cum tamen per Janſenianos de facto reſtiterint. Quare aliud eſt, quod quis poſſit reſiſtere divinæ gratiæ excitanti, & vocationi divinæ diſſentire, non obtemperando ejus præceptis, & ſic impedire quod Deus vult efficaciter ſolum quantum eſt ex parte ſua: Aliud vero impedire quod a Deo eſt abſolute volitum, & efficaciter efficacia ſimpliciter dicta: ſive illud ſit aliquid neceſſarium, ſive ſit aliquis actus liber creaturæ. In primo ſenſu certum eſt, quod poſſit creatura libera Deo reſiſtere, eo enim ipſo ac eſt libera, poteſt nolle ponere, quod Deus vult, ac præcipit: In ſecundo ſenſu nihil poteſt reſiſtere Deo aliquid efficaciter volenti efficacia ſimpliciter dicta: Poteſt quippe Deus etiam a creatura libera infruſtrabiliter obtinere conſenſum liberum conferendo illi auxilium indifferens prævifum efficax; Propterea Proverb. 12. dicitur: *Cor Regis in manu Domini, quocunque voluerit inclinabit illud*: Jer. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu Dei*: & ad Rom. 3. *Cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*; Poteſt etiam pariter Deus citra præjudicium ſuæ bonitatis peccatum creaturæ permittere, (quamvis non poſſit illud intendere) conferendo illi auxilium prævifum inefficax, ſincero tamen animo, ut per illud ponatur bona operatio; ut proinde illud idem daret, & quidem libentius, ſi illud prævideret efficax. Relate vero ad actum bonum liberum obtinendum poteſt dare auxilium efficax intendendo ejus efficaciam: quinimmo poteſt conferre auxilium A efficax qua efficax, hoc eſt eo animo, ut ſi prævideretur inefficax, non conferret illud, ſed aliud ex efficacibus (ſaltem intra certam ſeriem) ſeligeret; quare ſic infruſtrabiliter poteſt velle actus liberos noſtros citra detrimentum noſtræ libertatis. Neceſſitas quippe actus præfiniti non eſt neceſſitas antecedens, ſed conſequens illum actum prævifum liberum per ſcientiam conditionalium; (ſive ea ſit ſcientia media, qua cognoſcantur actus liberi conditionate futuri in ſeipſis, ſive ſit ſcientia viſionis, qua hujuſmodi actus cognoſcantur in decreto divino abſoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti, quod ad Polemicos non pertinet) ſicut neceſſitas quod ſit futurum peccatum Antichriſti, eſt ſolum neceſſitas conſequens ad peccatum prævifum per ſcientiam viſionis, & ideo cohæret cum ejuſdem libertate. Hinc Auguſtinus cap. 14. de corrept. & grat. dixit: *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem: magis enim habet in poteſtate voluntates hominum, quam ipſi ſuas.*

VII. Opponitur ſecundo, quod ſi voluntas poſſet ad libitum conſentire, vel diſſentire gratiæ, & ejus operationem impedire, ſequeretur, quod ipſa ſe diſcerneret a reprobis, & electio ad gloriam tribueretur voluntati creatæ, non Deo; quod tamen eſt contra Apoſtolum dicentem 1. ad Cor. 4. *Quis enim te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* Ergo gratiæ operatio non eſt impedibilis a creatura. Etenim non aliter Deus diſcernit electos a reprobis, niſi conferendo illis gratiam ineluctabilem, ut docet Auguſt. lib. 2. contra duas epiſt. Pelag. cap. 7. dicens: *Nec aliter Deus diſcernit, niſi quia unde diſcernaris impertit*; & in hoc ſenſu dicitur Deus Rom. 9. *Ex eadem maſſa facere aliud quidem vas in honorem, aliud vero in contumeliam*; quatenus uni dat ineluctabilem vim gratiæ ſuæ, quam alteri ratione ſui dominii citra injuſtitiam denegat.

Reſpondeo hoc etiam argumentum militare contra gratiam ſufficientem, ac reſiſtibilem in ſtatu inno-

innocentiæ, in quo Janſeniani illam admittunt poſſibilem. Etenim etiam Angelis dici poteſt, *Quis eſt, qui te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti?* & tamen Angelorum electio ad gloriam non tribuitur voluntati Angelicæ, quæ pie voluit gratiæ conſentire, ſed tribuitur Deo, qui illud quo diſcernerentur impertivit, videlicet gratiam prævisſam efficacem, non tamen ineluctabilem, & læſivam libertatis, ut contendunt Janſeniani; ſed cui ita conſenſere, ut potuerint diſſentire. Et juxta hunc ſenſum verum eſt, quod Auguſtinus dicit in Enchir. cap. 69. *Neque enim veraciter Deus vocatur omnipotens, niſi quia quicquid vult, poteſt, nec voluntate cujuſpiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus*. Gratiæ ſufficientis effectus impediri poteſt a libero arbitrio: At voluntatis Divinæ effectus a nemine impediri poteſt, & ei *volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium* (ut habet idem Auguſt. lib. de corrept. & grat. c. 14.) *Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis eſt poteſtate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem*; Cum impediri non poſſit, quod habeatur conſenſus liber a Deo efficaciter intentus, ſi conferat illi auxilium prævisum efficax: Inde fit, quod ſimul cum libertate voluntatis creatæ cohæreat infruſtrabilitas voluntatis Divinæ, quando Deus vult aliquem prædeſtinare ad gloriam ut coronam: quod expreſſit Auguſtinus verbis illis loco laudato: *Non eſt itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cælo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe, quod vult*.

VIII. Quod autem iſta electio ad gloriam, & actus bonus liber creaturæ tribuatur Deo principalius, & non ipſi creaturæ determinanti gratiam ad conſenſum, ut Deus dicatur diſcernere Electos a Reprobis, ex eo evincitur; tum quia, ut diximus in theſi octava, non ſolum poſſe, ſed etiam ipſum bene agere noſtrum, Dei beneficium eſt, juxta laudatum textum Apoſtoli: *Quid habes quod non accepiſti? aut quid gloriaris, quaſi non acceperis?* tum etiam quia Deus ſpeciali affectu intendit noſtras bonas operationes quando confert nobis auxilium prævisum efficax; quandoquidem non ſolum præſtat nobis vires requiſitas, prout confert diſſentientibus, relinquendo arbitrio facultatem iis utendi, ſi velit; verum etiam ſeligit auxilium illud congruum præ incongruis, ut infallibiliter ponatur libera operatio meritoria vitæ æternæ, & ſic infallibiliter Prædeſtinati ſalventur, citra everſionem libertatis ad diſſenſum, quo æternam mererentur pœnam, & inter Reprobos recenſerentur. Hinc Deo principalius bona operatio, & ſalus noſtra aſcribitur: Sicut victoria magis tribuitur Duci conferenti arma militibus, & omnia apte ad triumphandum diſponenti, quam militibus in bello pugnantibus; Et homicidium magis tribuitur Mandanti illud, & auxilium porrigenti, quam Sicario exequenti; ut proinde ad reſtitutionem damni prius teneatur Mandans, & ſolum in ejus defectu Exequens: præſertim quia Deus bene operanti dat ſimpliciter poſſe, & influit etiam phyſice in bonam operationem, & ex affectu ſpeciali ſeligit auxilium prævisum efficax, ut infallibiliter ea ſequatur, quod non contingit in Duce relate ad triumphantes, & in Mandante relate ad Sicarium. Definit quidem Tridentinum ſeſſ. 6. can. 32. *Hominis juſtificati bona opera ita eſſe Dei dona, ut ſint etiam bona ipſius juſtificati merita*; at non proinde noſtra merita æque debentur Deo, a quo donantur, ac voluntati noſtræ, a qua ponuntur; & multo minus debentur nobis principalius, qui cum gratia ad bonam operationem ponendam cooperamur, quam Deo exhibenti concurſum reſiſtibilem; idque ob rationes adductas; & ideo Tridentinum in eadem ſeſſ. 6. cap. 16. habet: *Abſit tamen, ut Chriſtianus homo in ſeipſo vel confidat, vel glorietur, & non in Domino; cujus tanta eſt erga omnes homines bonitas, ut eorum velit eſſe merita, quæ ſunt ſua dona*.

IX. Reprobi autem de Deo conqueri non poſſunt, quod gratia efficaci deſtituantur; cum Deus dando illis auxilium ſufficiens, in manu voluntatis poſuerit, quod illud redderetur efficax, & ob voluntatis culpabilem ſocordiam redditum eſt inefficax; non enim collatum fuit a Deo, ut eſſet inefficax, & intendendo culpam (eo pacto quo dat Electis auxilium, ut ſit efficax, & intendendo efficaciter bonam operationem) quin potius etiam dum confert auxilium inefficax, bonam operationem, quantum eſt ex ſe, intendit, ſuadet, præcipit, exhibetque vires ſufficientes, ut voluntas annuat; & idcirco unice voluntati, non Deo aſcribitur diſſenſus, & ex illo conſequens reprobatio. Quod docuit Angelicus 1. p. qu. 112. art. 3. dicens: *Defectus gratiæ prima cauſa eſt a nobis; collationis vero gratiæ prima cauſa eſt a Deo, ſecundum illud Oſeæ 13. Perditio tua Iſrael; tantummodo in me auxilium tuum*.

Neque dicas, quod Deus poſſet culpam, & reprobationem noſtram impedire, ſi ſcilicet conferret auxilium prævisum efficax, & quod certe non deeſt in ærario ſuæ omnipotentiæ; & ideo etiam Deo, quatenus non impedienti, poterit noſtra reprobatio aſcribi.

Nam & culpa, & damnum nullatenus aſcribitur non impedienti illud, quando aliquis impedire non tenetur, licet poſſit. Sic naufragium non aſcribitur Angelo non apponenti impedimentum, ſed Nauclero, quia Nauclero, & non Angelo incumbit illud impedire: Non tenetur autem Deus ex munere Primæ Cauſæ impedire noſtras culpas; quinimmo ad ejus providentiam ſpectat permittere peccata: ſiquidem, ut notavit Auguſtinus in Enchirid. cap. 72. *Melius Deus judicavit ex malis bona facere, quam mala nulla eſſe permittere*. Propterea licet in noſtris bonis operibus primæ quidem partes ſint Dei: at aliquas etiam in eis habet partes arbitrium: ut proinde dixerit Apoſtolus 2. ad Corin. 12. *Si voluero gloriari, non ero inſipiens*: quamvis præmonuerit 1. ad Cor. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Verum relate ad opera prava nullas omnino habet partes Deus, ſed omnes arbitrium; Siquidem non confert Deus auxilium inefficax eo animo, ut ſit inefficax, ſed eo animo, ut nobis reddatur efficax, illud ipſum daturus, & quidem libentius, ſi prævisum fuiſſet efficax.

X. Ex eo autem, quod præviderit Deus ejus inefficaciam, & adhuc illud dederit, tantum abeſt, ut inde inferatur culpæ prævisæ amans, & auctor, ut potius ex hoc ipſo a Sanctis Patribus ejus bonitas mirum in modum commendetur: quatenus prævidens culpam, & audaciſſimam ingratitudinem ejus, cui ingens beneficium gratiæ ſufficientis confertur, non per hoc retrahitur ab eo miſe-

misericorditer conferendo; ut ex hoc arguatur ejus beneficientia etiam relate ad ingratos: Quod annotavit Chrysostomus hom. 5. de Anathemate, ubi habet: *Mortuus est Christus pro inimicis, quos tales ante constitutionem mundi sciebat, eosque præsciens formavit, vincente præscientiam bonitate.*

XI. In calce hujus thesis adverte, conari nonnullos Quesnelli Asseclas illum excusare, quod scilicet tam hanc, quam duodecimam, & decimatertiam thesim usurpavit in sensu Catholico; in quo sensu verum est, quod dicitur Estheris 13. *Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta sunt posita; & non est qui possit resistere tuæ voluntati, si decreveris salvare Israel:* non vero in sensu Janseniano, & hæretico, quod scilicet in natura lapsa nunquam gratiæ interiori resistatur; nec gratia interior ejus indolis sit, ut possit humana voluntas illi resistere, aut obtemperare. Quod ex eo putant suadere, quia Quesnellus aliis in locis ejusdem sui Codicis non semel dixit, hominem gratiis a Deo oblatis repugnare; præsertim in cap. 19. Lucæ v. 42. in cap. 14. ejusdem Lucæ v. 1. in cap. 22. Matth. v. 4. & alibi. Ex quibus etiam conantur excusare Quesnellum in aliis hisce thesibus de Gratia, in quibus videtur docere, quod gratia interior semper sit efficax, perinde quasi solum velit gratiam cooperantem, qua scilicet bene utimur, esse efficacem; non vero omnem quamcunque gratiam.

Sed contra est primo, quia ut thesis aliqua proscriptionem mereatur, satis est, ut secundum se in germano, ac obvio verborum sensu a veritatibus Catholicis discordet, quoties aut ex contextu, aut ex aliis adjunctis in sano sensu eam usurpari non constiterit: hujusmodi autem est thesis hæc decima, necnon duodecima, ac decimatertia, quæ diserte loquuntur de gratiæ irresistibilitate: (& idem dicas de aliis, in quibus gratia semper dicitur esse efficax). Cum enim de fide sit, multos damnari ob impedimentum libere appositum operationi gratiæ, & de fide etiam sit Deum velle omnes homines salvos fieri, & quidem voluntate quantum est ex se efficaci, ut proinde ad id conferat auxilium sufficiens, perspicuum fit, quod errorem contineat tam thesis hæc absolnte dicens, quod gratiæ operatio impediri, aut retardari non possit; quam duodecima docens, quod Deo volente animam salvam facere, indubitabiliter hic effectus sequatur; necnon decimatertia, ubi dicitur, quod nulla voluntas resistat Deo volenti animam salvam facere, ac tangenti illam interiori manu gratiæ suæ. Universim enim in thesibus dogmaticis spectandus est germanus, ac obvius verborum sensus; ut proinde verba Bibliorum, & Conciliorum semper in proprio sensu accipienda sint, ut docet Augustinus, nisi aliunde liquido constet, quod in sensu minus proprio usurpentur: Alioquin nihil certi ab iis haberi posset.

Contra est secundo, quia licet theses istæ essent æquivocæ (quales reapse non sunt) possentque tam in sensu Catholico, quam in sensu Janseniano usurpari, de facto tamen ex adjunctis temporis, loci, & codicis passim Jansenizantis, obvius earum sensus est Jansenianus; atque adeo ex hoc etiam capite erant proscribendæ. Certum quippe est, quod propositio æquivoca ex circumstantiis ad hunc potius, quam ad alium sensum determinatur: (sicut hæc verba *Absolvo te*, ex circumstantiis Confessionis Sacramentalis determinantur ad significandam absolutionem a peccatis, & in circumstantiis fori externi significant absolutionem a reatu pœnæ). Quare cum theses istæ doceantur post condemnationem thesium consimilium Jansenii, & in iis locis, ubi Jansenius eos errores disseminavit, & in codice, qui passim Jansenizat, ex his circumstantiis determinantur ad sensum Jansenianum, adeo ut Auctor excusari non possit, dum verbis illis ambiguis loquitur; præsumitur quippe id fieri ad fallendum, & ad censuras effugiendas. Quod iterum magis perspicuum fiet in expositione thesis quinquagesimæ primæ.

Contra est tertio, quia falsum est, quod in aliis ejusdem codicis testibus Quesnellus unquam asseruerit, humanam voluntatem posse gratiæ interiori resistere in natura lapsa. Etenim in locis adductis vel loquitur solum de gratiis exterioribus, ac de exhortationibus, quas in thesi quinta dixit non inservire, nisi ad cor magis obdurandum, si desit unctio gratiæ interioris; vel loquitur de illustratione, impulsu, ac viribus naturalibus, quibus ad bene operandum invitamur; & de his denudatis gratia interiori (quæ sufficientiam conferat ad operationes salutares) dicit in thesi trigesimanona, quod *Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum, ardoris, nisi ad se præcipitandum, virium, nisi ad se vulnerandum.* Semper autem ac loquitur Quesnellus de gratia interiori, vult illam cum suo effectu conjungi, unde nusquam agnoscit interiorem gratiam, cui voluntas resistat, & quæ ita sit sufficiens ad salutariter operandum, ut sit pure sufficiens. Quare theses istæ ex triplici titulo proscribendæ fuerunt; Et quia in proprio, ac obvio verborum sensu veritatibus Catholicis refragantur; Et quia ex adjunctis loci, temporis, & Codicis erroneum sensum præseferunt: Et quia sensus Catholicus, ad quem Quesnelliani verba illa conantur detorquere, non solum nusquam ab Auctore docetur, quin etiam alibi passim docetur sensus erroneus, quem exhibent verba. Unde sicut Innocentius XII. in literis datis ad Episcopos Belgii in forma Brevis anno 1694. & 1696. declaravit quinque propositiones ex libro Jansenii excerptas damnatas esse, tum in sensu obvio, quem ipsamet verba exhibent, ac præseferunt, tum in obvio sensu, quem in Jansenii libro habent, ac in sensu intento a Jansenio; ita dicendum de thesibus istis e Quesnelli libro excerptis, quod similiter in iisdem sensibus proscribi meruerint.

Addunt etiam ad excusandum Quesnellum, non in alio sensu voluisse, quod gratia semper sit efficax, nisi in quantum semper aliquid efficit, juxta doctrinam Angelici p. 2. qu. 110. art. 1. ubi docet, gratiam semper ponere aliquid in anima. Quod autem noluerit Quesnellus gratiam esse irresistibilem juxta theses proscriptas Jansenii, videtur satis colligi ex eo, quod non semel dixerit, nos resistere gratiæ; etenim in cap. 20. Lucæ v. 10. dicit, contumeliam facere Spiritui Dei, qui gratias rejicit; & in cap. 22. Matth. v. 4. habet: *Etsi repulsam passus, & cordis resistentiam Deus, haud tamen a proposito cessat.*

Hæc tamen non est excusatio, sed elusio. Angelicus enim loco laudato solum docet, quod Deus conferendo gratiam aliquid ponat in anima, non vero quod gratia semper efficiat id quod Deus jubet,

jubet, quin possit illam voluntas impedire, aut retardare, ut vult Quesnellus. Deinde ubi Quesnellus dicit voluntatem resistere gratiæ, vel loquitur de gratia interiori, quæ det sufficientiam ad ponendum actum præceptum, puta contritionem; vel de gratia, quæ non conferat hanc sufficientiam. Non potest intelligi, quod loquatur de gratia sufficiente, cum illam passim in his thesibus rejiciat; in prima enim dicit, in peccatore adesse impotentiam generalem ad quodcunque opus bonum; in secunda, quod sine gratia efficaci nihil fieri possit; & sic in aliis plurimis. Quod si loquatur de gratia interiori, quæ non det sufficientiam ad ponendum actum præceptum, puta contritionem, sed solum sit in causa, quod peccator ob omissionem contritionis præceptæ damnetur; certe talis gratia esset, & non esset gratia; esset quidem, quia esset donum supernaturale, ut supponitur; non esset vero, quia si per illam peccator non redderetur potens ponere contritionem præceptam, solum deserviret in ejus condemnationem, unde non esset beneficium, sed ingens maleficium, a quo rationabiliter peteremus liberari: Ad eum modum, quo si præcipiatur homini volatus, & non conferantur vires sufficientes ad volandum, sed solum conferantur vires tenues, ratione quarum damnetur, si non volet, certe vires istæ non essent beneficium, sed maleficium, quippe quæ solum deservirent, ut omittens volatum possit condemnari, prout docet docet Quesnellus in thesi 39. ut proinde nequeat a Jansenismo excusari, dum docet, gratiæ effectum non posse a voluntate impediri, aut retardari.

Denique Quesnellum excusant, quia non negat posse hominem gratiæ interiori aliquatenus resistere, aut quia dum consentit sub gratia efficaci, concupiscentia contranititur impressioni gratiæ; aut quia voluntas consentiens sub gratia efficaci adhuc retinet potestatem sibi intrinsecam, & essentialem, qua possit etiam cum dissensu conjungi.

Sed contra est, quia si voluntas solum hoc pacto posset gratiæ interiori resistere, non posset illi resistere in sensu Catholico, seu retinendo libertatem indifferentiæ ad consentiendum; sed solum posset resistere ad mentem Janseniorum cum sola libertate a coactione; Unde neque juxta hanc viam Jansenismus declinatur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim X.

DEcima errat enormiter docendo, quod gratia sit operatio manus omnipotentis Dei; quam nemo potest impedire, aut retardare. Errat quidem, dum vult gratiam semper esse efficacem, (hoc est semper efficere consensum) nec dari gratiam, cujus unquam effectus aut impediatur, aut retardetur. Errat pariter dum docet, gratiæ ipsi efficaci, sub qua de facto ponitur consensus, non posse hominem contraniti, impediendo, aut retardando consensum, adeo ut gratia hæc, quæ de facto est efficax, & conjungitur cum consensu, ex libera determinatione voluntatis, non potuerit hac efficacia carere, adeoque potuerit consensus, qui sub hac gratia de facto ponitur, culpabiliter impediri, aut retardari. Etenim si homo libere operatur ponendo sub gratia ista sibi collata consensum, ac reddendo illam efficacem, seu consensus effectivam, consequens est, ut possit etiam consensum non ponere, retinendo solum potentiam ad consentiendum absque consensu ab ea causato, (atque adeo retinendo gratiam, sine qua isthæc potentia non habetur) unde gratiam retineret pure sufficientem ad ponendum consensum liberum, exclusa ejus efficacia. Hoc fert ipse conceptus libertatis a necessitate, sine quo meritum consistere non potest, ut docent Catholici adversus tertiam Jansenii proscriptam thesim. Hoc etiam diserte docet Tridentinum sess. 6. can. 4. ubi definit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum ita assentiri Deo excitanti, & vocanti, ut simul *possit dissentire, si velit*. Potest itaque homo eo ipso, ac sub gratia efficaci operatur libere, eidem gratiæ resistere, ejusque effectum impedire, aut retardare; propterea adversus quartam Jansenii proscriptam thesim definitum est, Gratiam talem esse, cui possit humana voluntas resistere, aut obtemperare. Quod si effectus gratiæ retardari non posset, quomodo diceretur Eccles. 5. *Ne tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem?* Si enim gratia conferretur peccatori, cui conversio præcipitur, cum ejus effectus juxta hanc thesim retardari non possit, inepte præciperetur, quod converti non tardet; quod si nulla eidem gratia conferretur, pariter inepte cita conversio præciperetur; non secus ac destituto pedibus diceretur, Ne tardes ambulare. Neque dici potest, quod ei conferatur gratia quædam debilis, cui de facto resistit, ut explicabimus in Anacephalæosi thesis decimætertiæ.

PROPOSITIO XI.

Gratia non est aliud, quam voluntas omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet. *Quesnellus Marc. 3. 11. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Sub his paucis verbis quatuor hæreses latent.
II. Quas tamen alias fuse rejecimus.
III. Iterum ex Tridentino demonstratur, ad merendum, & demerendum requiri libertatem indifferentiæ.
IV. Non sufficere libertatem a coactione, quam astruit Jansenius, olim etiam proscriptum fuerat.
V. Nodus Gordianus, qui habetur in concilianda efficacia Gratiæ cum libertate arbitrii, multas hæreses invexit.
VI. Ex quo fit, Jansenianam doctrinam non subsistere.
VII. Explicatur quomodo deus expectet, ut misereatur nostri.
VIII. Et quomodo gratia efficax ad bonam operationem sit necessaria, quamvis hæc poni possit circumscripta gratia efficaci.
IX. Ex socordia duntaxat voluntatis oritur, quod Gratia sufficiens careat effectu a Deo per illam intento.
X. Diluuntur objecta adversus gratiam Sufficientem.

I. IN roseto harum thesium, si speciem spectemus, in dumeto tamen, si spectemus doctrinam, non una duntaxat latitat pestilens fera: passim reperias Amphisibænam, bicipitem anguem: passim Cerberum trifaucem: passim Hydram Lernæam, quæ usquequaque virus eructat. Quam multi errores paucis dolosæ hujusce thesis verbis conteguntur! Quod

Quod gratia sit Dei voluntas; quod eidem competat vis quædam omnipotens, cui nemo adversetur: quod nulla sit cooperatio voluntatis ad operationes salutares; denique quod gratia natura sua faciat, quod jubet.

II. Quod attinet ad primum; in thesi 19. quæ huic est valde affinis, ostendemus, neque gratiam habitualem, neque gratiam actualem esse Dei voluntatem, sed utramque esse qualitatem animæ intrinsecam, & inhærentem; juxta doctrinam Tridentini, & Patrum. Quod attinet ad secundum, ostendimus in superiore thesi, voluntatem creatam ratione propriæ libertatis posse effectum a Deo per gratiam intentum impedire; Cum hoc omnipotentiam divinæ voluntatis, & gratiæ exaltet potius, quam extenuet: etenim Dei omnipotentiam commendat, quod possit condere creaturas liberas, quibus integrum sit divinam voluntatem, & legem impie contemnere, ac illi contraniti; unde possit Deus sua Attributa Misericordiæ, ac Justitiæ erga illas exercere. Quod attinet ad tertium, dicemus in thesi 21. & sequentibus ita gratiam Christi efficacem operari in nobis, quod Deus jubet, ut cum gratia etiam voluntas libere cooperetur; adeo ut hæc operationem gratiæ non impediat. Quoad ultimum diximus in octava thesi, & in duabus aliis illi proxime præcedentibus gratiam per Christum non semper esse efficacem, idque ex sola culpa nostræ voluntatis, non ex gratiæ defectu; ac proinde non semper Dei omnipotentis voluntas gratiam conferens operatur in nobis, seu facit, quod jubet.

III. Quoniam autem ex eadem infecta radice tot erroneæ theses, & venenata germina pullulant, videlicet ex eo, quod nulla agnoscatur a Jansenianis gratia pure sufficiens in natura lapsa juxta antiquam hæresim Joviniani, Calvini, Molinæi, & aliorum Heterodoxorum, idcirco operæ pretium est iterum Hydram hanc insectari, novisque semper telis contundere, confodere, ac conterere. Et sane Tridentinum sess. 6. can. 6. anathematizat, *Qui dixerit, non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona, Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie & per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli.* Hoc autem non subsisteret, si solum daretur gratia illa Janseniana, qua Deus facit, quod jubet; nam quomodo esset in potestate hominis vias suas malas facere, si deessent illi vires sufficientes ad viam bonam capessendam, & ad declinandum a mala? Cum autem vires sufficientes ad capessendam viam, quæ ducit ad vitam, subministrentur a gratia sufficienti, ubi ista desit, jam non est amplius in potestate hominis divertere a via, quæ ducit ad perditionem. Ex quo etiam fit, quod opera mala hominis, æque ut bona, Deus operaretur; non enim esset integrum homini operari mala opera, ita ut Deus ea solum permittat; cum ex defectu gratiæ sufficientis non sit liberum homini illa declinare; non secus ac non est liberum homini a bonis operibus abstinere, ubi donatur a Deo Gratia Janseniana, qua irresistibiliter Deus facit in nobis, quod ipse jubet.

Hanc autem libertatem ad viam mandatorum Divinorum arripiendam, & ad odio habendam viam iniquitatis passim Scripturæ commemorant. Eccles. 31. *Beatus* dicitur, *qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit.* Zachar. 5. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.* Isajæ 55. *Derelinquat impius vias suas, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ei, quoniam multus est Dominus ad ignoscendum.* Eccl. 15. *Apposuit tibi aquam, & ignem; ad quod volueris porrige manum tuam. Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi.* Quibus Scripturæ locis Patres concinunt uniformiter. Augustin. lib. 1. contra duas Epist. Pelag. cap. 2. *Quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere?* & Basil. Homil. in Psalm. 61. *Unicuique nostrum intus est statera quædam a Conditore nostro fabricata.* Quod autem per has, aliasque innumeras auctoritates indicetur libertas indifferentiæ, ad quam gratia sufficiens est omnino necessaria, & non sola libertas a coactione, nemo nisi fatuus, qui sit in sua pervicacia obduratus, poterit inficiari; proinde Bellarm. lib. 3. de Grat. & lib. arb. cap. 5. ait, *libertatem a necessitate omnino requiri ad liberum arbitrium; neque satis esse libertatem a coactione, demonstrari potest ex testimonio Scripturæ, ex definitione Ecclesiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.*

IV. Jansenius tamen (cui auctor harum thesium, ac multi Asseclæ astipulantur) perfricta fronte audacter dixit lib. 8. de Grat. Christi cap. 15. *Gratia quantumcumque efficax, etiam talis, qualis in Cælo cum summa delectatione dabitur, nullo modo tollit libertatem*, idque ob eam duntaxat rationem sanæ Philosophiæ, nedum Theologiæ, adversam, quam tradit cap. 19. quia scilicet sola vis, & coactio (cujus est incapax voluntas relate ad actus suos) adversatur libertati: *Nulla*, inquit, *gratiæ efficacia, nulla necessitas actibus liberis formidanda est, sed sola vis, coactio, & necessitas violentiæ.* Vis autem, coactio, & necessitas violentiæ cadere non possunt in ipsos actus elicitos voluntatis, sed solum cadere possunt in actus imperatos aliarum potentiarum, qui solum possunt provenire ab extrinseco contra voluntatis inclinationem; & ideo Janseniani docent nullum actum voluntatis esse necessarium, sed quemcumque liberum, libertate videlicet a coactione, quam docent ad meritum, ac demeritum esse satis. Utrumque autem proscriptum fuit olim a Pio V. Greg. XIII. & Urb. VIII. in thesibus Baji dicentis: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit;* Ea scilicet libertate, quæ ad meritum, & demeritum sit satis, prout Bajus contendit, dicendo in alia thesi: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

V. Addo, hinc validissime confirmari, quod in peccante detur libertas indifferentiæ ad non peccandum, atque adeo gratia pure sufficiens ad declinandum peccatum, ex hoc ipso, quod in explicanda, ac stabilienda concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio adversus Hæreticos, Doctores Catholici jam inde a primordiis Ecclesiæ semper desudarint: Ea enim difficultate pressi multi cum Pelagio gratiam, alii vero cum Monachis Adrumetinis liberum arbitrium de medio sustulere, ut notavit Augustinus in Epistola ad Valentinum illorum Abbatem, dicens: *Quidam in vobis sic gratiam prædicant, ut negent hominis liberum arbitrium.* Quod pariter Pennottus Tapperus, aliique Calvino exprobrant, quasi renovarit hæresim Joviniani, & aliorum, qui gratiæ vim ita extulere, ut humanæ voluntatis libertatem funditus everterint. Et Jansenius ipse lib. 5. de hæresi Pelag. cap. 14. annotavit,

tavit, in hac perdifficili quæstione tam erraſſe qui gratiæ vim extulerunt, ita ut liberum arbitrium everterent: quam eos, qui ut ſartum tectumque ſervarent arbitrium, gratiæ efficaciam enervarent; Enormius autem erraſſe tum Pelagianos, tum Monachos Adrumetinos, qui difficultate preſſi negarunt gratiæ vim, & efficaciam cum libero arbitrio poſſe conciliari; Hæc addens: *Illud tamen inter utroſque diſcrimen eſt, quod Pelagiani, ne libertas tolleretur, gratiam ſuſtulere; Adrumetini, ut ſalva maneret gratia, libertatem. Nempe quia illi erant hæretici inimici crucis Chriſti; hi Catholici, qui quidlibet ſibi tolli mallent, quam gratiam Dei.* Verum quamvis Adrumetini Catholicos imitarentur in hoc, quod mallent Cælo ipſo privari, quam gratia, ſeu amicitia divina; Hæreticis tamen aſtipulabantur negando arbitrii libertatem. Veritas quippe Catholica habet, quod Deus utrumque nobis benigne contulerit, & liberum arbitrium, & gratias auxiliares, quæ ab arbitrio determinarentur ad ſalutares operationes: Quoniam autem id percipere non volebat Janſenius, Calvinianam hæreſim in medium adduxit, dicendo, ad ponendas operationes ſalutares vitæ æternæ meritorias ſatis eſſe libertatem a coactione; pietatem quidem in ſpeciem, ac vafre oſtentavit verbis illis exprimentibus, malle ſe libero arbitrio privari, quam gratia, ſuppoſita eorum incompoſſibilitate; ſed revera ultra modum impie adverſus Catholicas veritates pugnavit contendendo, quod gratiæ efficacia cum arbitrii libertate a neceſſitate abſolute cohærere non poſſet.

VI. Sed redeamus ad vim noſtræ ratiocinationis: Perdifficile ſemper penes Catholicos fuit explicare viam conciliandi efficaciam gratiæ cum arbitrii libertate, ut proinde tot hæreſes in hac re paſſa ſit Eccleſia; atqui ſi ſubſiſteret concordia iſta, quam in medium adducit Janſenius, dicendo gratiam eſſe ineluctabilem per hoc, quod arbitrium ſolum polleat libertate a coactione, non libertate indifferentiæ, nulla prorſus eſſet difficultas in ea concordia explicanda, ac percipienda: ergo ſententia iſta Janſeniana nullatenus ſubſiſtit.

VII. Confirmatur ulterius directe ex verbis illis Iſaiæ 30. *Expectat Deus, ut miſereatur veſtri.* Quid autem Deus a peccatore expectat, niſi pœnitentiam, ut poſſit illi ſuam miſericordiam elargiri, non elargiturus, ſi pœnitentiam, & converſionem negligeret? ergo poteſt peccator & converſionem ponere, cum ea expectetur a Deo, & converſionem omittere, cum ad illam Deus hortetur, illamque jubeat; atqui niſi daretur in peccatore negligente ſuam converſionem gratia ſufficiens ad illam ponendam, non poſſet Deus illam expectare; ſicut non poteſt expectari viſio a cæco, cui deeſt potentia ad videndum; ergo datur in natura lapſa gratia pure ſufficiens, qua poſita Deus jubet, nec tamen facit id quod jubet, ex culpabili contranitentia arbitrii. Quomodo autem verum ſit, quod Deus in ſenſu Catholico, & non in ſenſu Semipelagiano expectet noſtras operationes, ut miſereatur noſtri, explicabimus theſi 18. ubi dicemus, non moveri Deum ad conferendam nobis miſericorditer gratiam ſuam ſive prævenientem, ſive juſtificantem a noſtris naturalibus operationibus honeſtis, ſed a ſupernaturalibus duntaxat, quas ponimus adjuti a ſua gratia auxiliante, moveri Deum ad ulteriores gratias conferendas. In ſcholis autem fuſe Catholici explicant, unuſquiſque juxta ſua principia, Gordianum, & implexum nodum de concordia gratiæ efficacis cum libero arbitrio.

VIII. Illud hic videtur negotium faceſſere, quonam pacto dici poſſit, quod gratia efficax, qua Deus cum cooperatione voluntatis facit, quod jubet, ſit abſolute neceſſaria ad bonam operationem præceptam, ut de facto eſt, & tamen ſine gratia efficaci adhuc poſſit ea operatio poni vi gratiæ pure ſufficientis: ut proinde non poſſit peccator in excuſationem ſuæ traſgreſſionis adducere defectum gratiæ efficacis ad habendam operationem præceptam perneceſſariæ. Videtur enim aciem intellectus effugere, quod A fieri poſſit ſine B, quando ad habendum A eſt ineluctabiliter neceſſarium ipſum B.

Sed advertenti facile eſt percipere, quod B ſit aliquando neceſſarium, ut ponatur, quin vero ſit neceſſarium ut poſſit poni A; ſicut viſio eſt neceſſaria, ut habeatur oculus videns, ſeu ut ponatur denominatio videntis, quid tamen ea ſit neceſſaria, ut poſſit poni iſta denominatio; ſufficit enim ſolus oculus, ut poſſit poni viſio, & per illam ponatur oculus videns. Sic etiam, ut ponatur peccatum neceſſe eſt, quod illud præcognoverit Deus ab æterno: at ut poſſit poni peccatum ab eo, qui libere legem implet, non eſt neceſſe, quod fuerit ab æterno præſcientia de peccato: Et ut Judas ſalvetur, requiritur ejus prædeſtinatio ab æterno: quæ tamen non requiritur, ut poſſit ſalvari: Nam de facto poterat ad Dominum reverti, & ſalvari, quin fuerit ulla ejus prædeſtinatio ab æterno. Eodem prorſus pacto, ut ponatur bona operatio, requiritur gratia efficax, ſive quia ea trahit, ſive quia involvit ipſam bonam operationem: at vero ut poſſit bona operatio poni, ſatis eſt gratia pure ſufficiens, quippe quæ dat ſufficientes vires ad bene operandum: Et hinc eſt, quod non poſſit in ſententia Catholica peccator excuſationem adducere de peccato ſuo, & Deum cauſari, quod denegarit ſibi gratiam efficacem: Sufficit enim, quod ſibi non defuerit gratia ſufficiens, ut eatenus dici poſſit, quod ipſe defuerit gratiæ, non gratia ſibi: ac proinde omittendo operationem præceptam reus ſit odii Divini, & pœnæ æternæ; & inſuper defectus gratiæ efficacis imputari debeat uni arbitrio, quod culpabiliter noluit gratiæ ſufficienti ſibi præſtitæ conſentire, & cum illa cooperari, non vero Deo conferenti gratiam præviſam pure ſufficientem, cum poſſet conferre aliam gratiam ex præviſis efficacibus. Deus quippe, dum confert gratiam pure ſufficientem, ac præviſam inefficacem, non confert illam qua inefficacem, videlicet aut intendendo inefficaciam, aut conferendo illam eo animo, ut ſi prævideretur efficax, illam denegaret, & aliam ſeligeret ex inefficacibus; ſiquidem intendendo inefficaciam gratiæ, intenderet Deus ipſam culpam; quod obſtrepit Bonitati Divinæ; unde Deus eſſet peccati auctor, & peccatum hominis tribueretur principalius Deo: ſicut principalius tribuitur Deo bona hominis operatio, quando Deus in ordine ad illam confert auxilium præviſum efficax, aut ſi conferat auxilium A efficax qua efficax, hoc eſt eo animo, ut ſi auxilium A præviſum fuiſſet inefficax, non fuiſſet collatum illud, ſed aliud ſeligendum ab efficacibus.

IX. Ex hoc autem, quod Deus auxilium inefficax ſolum conferat qua ſufficiens, non qua inefficax, ſeu intendendo ejus ſufficientiam duntaxat,

non

non vero inefficaciam, sequitur, quod culpa, & inefficacia gratiæ uni creaturæ tribuatur, quæ licet gratiæ illi culpabiliter desit, in vacuum illam recipiendo, adhuc tenetur rependere Deo grates ob ingens beneficium sibi collatum per collationem gratiæ sufficientis ex intentione, quod per illam a nobis ponatur bona operatio: Ad eum modum quo (ut exemplificat Hugo de S. Victore) existens in fovea grates debet offerenti manum, ut ex ea possit extrahi; quamvis ille ob desidiam nolit manum oblatam apprehendere, ut extrahatur. Et quamvis majus beneficium conferret Deus peccatori, si vice gratiæ, quam prævidit inefficacem, conferret aliam efficacem, non per hoc poterit ille juste conqueri, aut in excusationem suæ culpæ adducere defectum gratiæ efficacis, quam diximus necessariam, ut habeatur bona operatio; Etenim ea non est necessaria, ut bona operatio possit poni: Nec Deus ex munere causæ primæ tenetur semper creaturæ conferre gratiam prævisam efficacem: aliter non posset peccatum permittere, nec posset condere creaturas liberas ad peccandum: unde nec posset erga istas exercere sua attributa misericordiæ, justitiæ, liberalitatis, & alia id genus. Hinc Augustinus lib. 11. de Genesi ad litt. cap. 9. inquirens, Cur Adamum Deus non præservaverit a culpa, conferendo ei gratiam efficacem? respondet: *Posset plane: Cur ergo non fecit? quia noluit: Cur noluerit, penes ipsum est*. Quæ omnia fusius in tertia thesi explicavimus.

X. Quia tamen multa congerunt Janseniani ad tollendam de medio gratiam sufficientem in statu naturæ lapsæ, paucis hic ea subjicimus, quæ negotium aliquod videntur facessere, ut eorum futilitas etiam parum in Theologica palæstra instructis innotescat.

Primo quidem objectant. Si gratia ejus indolis esset, ut posset voluntas pro libito illi consentire, vel dissentire, ejusdemque ductum prosequi, aut respuere, ut proinde præter gratiam efficacem daretur gratia sufficiens, sequeretur, quod non gratia (seu Deus per gratiam) subjiceret sibi voluntatem, sed potius gratia Dei voluntati hominis subjiceretur. Quid enim importat alteri subjici, quam ad alterius arbitrium operari? quare sicut habitus acquisitus vere subjicitur voluntati; quia ad ejus nutum operatur, ita prorsus gratia voluntati subjiceretur: quod tamen derogat conceptui gratiæ; siquidem gratia, seu Deus per gratiam, est, quæ operari facit voluntatem, non vero liberum arbitrium, quod operari facit gratiam, reddendo illam pro libito efficacem, vel inefficacem, etenim ut dicitur ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Et sane jure merito ab Innocentio XI. confixæ fuerunt die 23. Novembris 1679. duæ illæ theses tanquam ad minimum temerariæ, & novæ, videlicet, *Deus donat nobis omnipotentiam suam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri villam, aut librum*: necnon, *Deus subjicit nobis suam omnipotentiam*; quare a fortiori digna, quæ proscribatur, erit hæc thesis: *Deus donat nobis suam gratiam, ut ea utamur, sicut aliquis donat alteri librum*: necnon hæc alia: *Deus subjicit nobis suam gratiam*; quod importaret Deum subjicere nobis suam omnipotentiam in ordine ad operationes liberas supernaturales.

Thes. Quesnel.

Respondetur tamen primo, argumentum hoc solvendum ab ipsis Jansenianis, qui docent gratiam collatam Angelis, & Protoparentibus in statu innocentiæ non determinasse voluntatem ad operationes supernas, sed in eorum potestate fuisse, ut ea ad arbitrium uterentur. Deinde dicendum, quod licet omnipotentia cooperetur cum voluntate ad hujus arbitrium in ordine ad operationes naturales, & Gratia in ordine ad operationes supernas, non eatenus dici potest in rigore, quod aut Omnipotentia, aut Gratia voluntati subjiciatur, aut quod donentur nobis, ut iis utamur, sicut donatur villa, aut liber. Et ratio est, quia (ut diximus in Appendice Trutinæ §. 4. exponendo duas istas confixas theses ab Innocentio XI.) dissonant perfectissimo Dei dominio erga creaturas, necnon conceptui gratiæ locutiones istæ: quandoquidem quando Omnipotentia præparat concursum suum in actu primo indifferentem, ut possit voluntas ad arbitrium operari, tunc adhuc retinet suum perfectissimum dominium erga creaturas liberas qua liberas, quatenus nihil creatura potest libere operari citra Divinam prædefinitionem, aut permissionem; Unde non potest dici, quod voluntati creatæ subjiciatur. Illud autem intercedit discrimen inter Dominum creatum, & supremum Dominum, quod si Dominus creatus det servo facultatem, ut ad arbitrium operetur, hic eatenus ab ejus subjectione eximitur; At si Deus det facultatem creaturæ, ut libere operetur, adhuc creatura est Deo subjecta, etiam relate ad operationes liberas, quatenus videlicet potest Deus prædefinire, aut permittere operationes liberas creaturæ; dicitur enim Prov. 21. *Cor Regis in manu Dei, quocunque voluerit inclinabit illud*; Et Jerem. 18. *Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu Dei*; & disertissime Augustinus de Spir. & lit. c. 14. *Sine dubio habet Deus humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem; magis enim habet in potestate voluntates hominum, quam ipsi suas*. Hinc licet Omnipotentia, & Gratia ponatur in manu voluntatis, non eatenus dici potest, quod Omnipotentia, & Gratia voluntati creatæ subjiciantur, aut quod creaturæ donentur, sicut donatur villa, aut liber. Ubi advertendum, quod licet voluntas utatur præstito sibi concursu Omnipotentiæ in actu primo indifferenti parato ad concurrendum in actu secundo tam ad operationes honestas liberas, quam ad peccaminosas; Gratia tamen, quæ potest ad arbitrium voluntatis influere ad operationes supernas, potest quidem ad eas non influere, non tamen potest influere ad operationes peccaminosas; cum non indigeant operationes peccaminosæ concursu Gratiæ, indigeant tamen concursu Omnipotentiæ. Hinc deridendi sunt, qui gratiam ex libertate voluntatis influentem in actum bonum vocant per ludibrium *gratiam versatilem*, perinde quasi possit utroque verti, & tam ad actum bonum, quam ad malum influere, quod est falsissimum.

Præterea illud est discrimen inter Gratiam, & habitum naturalem acquisitum, quod licet ad arbitrium voluntatis tam Gratia, quam habitus iste operetur, nihilominus non determinamus nos gratiam ad operandum, sed voluntas ex virtute gratiæ determinat se ipsam ad consensum cum potestate dissentiendi, quatenus determinatio ad consensum principalius est a gratia, seu a

Deo per gratiam intendente infallibiliter consensum: Contra vero voluntas non determinat se ad actum ex virtute habitus acquisiti, seu per virtutem ab eo acceptam; unde habitus non est principalis causa actus; imo voluntas sine tali habitu potest actum ponere, (quamvis non cum eodem conatu, & facilitate). Quare licet habitus acquisitus dici possit subjici voluntati, non tamen Gratia, nec Omnipotentia; & ideo primæ partes relate ad actum non sunt habitus, sed sunt ipsius voluntatis; contra vero primæ partes relate ad consensum salutarem sunt gratiæ, non voluntatis. Et ratio a priori est, quia gratia congrua confertur ut medium infallibiliter inductivum consensus liberi, supposita præscientia divina de consensu secuturo, & ideo relate ad hunc consensum primæ partes sunt gratiæ; at habitus acquisitus non est hujusmodi, ut patet; unde dispar ratio; Etenim licet tam gratia, quam habitus acquisitus ex determinatione voluntatis influant in actum liberum, determinatio tamen voluntatis ad consensum salutarem est ex virtute gratiæ, quæ infallibiliter est inductura talem consensum, supposita ea præscientia: at determinatio voluntatis ad actum liberum naturalem non est ex virtute habitus acquisiti, sed ex propria virtute.

Secundo objectant: Sive dicatur cum nonnullis, in potestate hominis esse, ut gratiam faciat efficacem, quæ de se esset solum sufficiens, (quorum modum loquendi rejicit tanquam alienum a mente D. Augustini, & a locutionibus Scripturarum Bellarm. lib. 1. de Grat. cap. 12.) sive dicatur cum aliis, esse solum in potestate hominis, quod vocatio sit congrua, & gratia sit efficax saltem in actu secundo, quatenus possumus illi libere consentire cum potestate dissentiendi; esse tamen in potestate, ac libertate solius Dei, quod homini conferatur vocatio congrua, & gratia efficax: Sive cum aliis dicatur, quod liberum arbitrium in virtute gratiæ possit se determinare ad consensum resistibiliter; ita ut determinatio ad consensum sit a gratia principaliter, quatenus voluntas potestate accepta a gratia determinat seipsam ad consensum, quin tamen gratia a voluntate determinetur ad coagendum: Ad eum videlicet modum, quo a voluntate determinatur ad coagendum habitus acquisitus; cum voluntas non habeat ab habitu potestatem ad ponendum actum liberum, habeat vero a gratia facultatem ad ponendum consensum salutarem, ut proinde in virtute gratiæ illum ponat: Sive quocunque alio modo explicetur libertas indifferentiæ in voluntate relate ad actum salutarem, nunquam Semipelagianismus declinatur; ergo non est ejus indolis gratia, ut possit voluntas illi aut obtemperare, aut obsistere; atque adeo præter gratiam efficacem, qua voluntas indeclinabiliter, ac necessario ad consensum determinatur, nulla alia datur gratia sufficiens. Antecedens probatur, quia Semipelagianismus in hoc consistit, quod initium salutis sit a nobis, non a gratia; atqui si non est gratia, quæ determinat voluntatem, sed voluntas est primum eligens, & determinans relate ad consensum salutarem, initium salutis esset a voluntate, seu a nobis, non vero a gratia; ergo nisi dicatur gratia determinare voluntatem, non declinatur Semipelagianismus.

Respondetur, utrumque scopulum esse vitandum, nimirum tam Calvinismum, ac Lutheranismum, quo negatur liberum arbitrium, & dicitur esse titulus sine re, quam Semipelagianismum, quo dicitur, Initium salutis esse a nobis, & non a gratia: Si dicatur voluntas in virtute gratiæ se determinare ad consensum salutarem, liberum arbitrium non est titulus sine re, sicut esset si gratia determinaret arbitrium irresistibiliter ad mentem Jansenianorum; unde vitatur a nobis, non a Jansenianis Calvinismus; Vitatur etiam Semipelagianismus; quia initium salutis non est ratione operationum naturalium, ut somniabant Semipelagiani, sed initium salutis est in nobis a gratia, seu ab illustrationibus, ac inspirationibus supernis gratis omnino nobis collatis, quibus tamen libere consentimus, ut proinde consensus hic salutaris non sit naturalis, quamvis facultas naturalis nostræ voluntatis ad illum concurrat; Quia scilicet non concurrit ad illum voluntas viribus suis, sed elevata a gratia. Propterea Augustinus l. de Gratia, & Lib. arb. c. 17. habet: *Ut ergo velimus, sine nobis operatur; cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur.* Etenim relate ad illustrationes, & inspirationes nulla datur nostra libera cooperatio, sed illæ uni Deo omni ex parte debentur, relate vero ad nostrum consensum salutarem, ita debetur in radice uni Deo, ut etiam voluntas ad illum cooperetur; Quod expressit Augustinus in eod. lib. de Grat. & Lib. arb. c. 5, expendens illud Apostoli: *Non ego, sed gratia Dei mecum*, ubi ait: *Nec gratia Dei sola, nec ipse solus; sed gratia Dei cum illo. Ut autem a Cælo vocaretur, & tam magna, & efficacissima vocatione converteretur, gratia Dei erat sola.*

Ex quibus sequitur, quod licet voluntas se determinet tam ad consensum, quam ad dissensum, quia tamen ad dissensum non se determinat virtute accepta a gratia, sed viribus suis; contra vero virtute accepta a gratia determinat se relate ad consensum, ideo voluntas est causa suæ perditionis, gratia vero principalissima causa est nostræ salutis. Quare dum dicitur, quod voluntas relate ad consensum sit primum eligens, seu primum determinans, non alia primitas conceditur voluntati, nisi primitas secundum quid, & logica, seu in genere causæ formalis, non vero primitas simpliciter, & physica, seu in genere causæ efficientis; Sicut enim rationale v. gr. in homine solum logice est prius animali, habet enim prioritatem solum a subsistendi consequentia, quatenus ex rationali infertur animal, & non e contra; quia non potest dari rationale, quod non sit animal; potest tamen e converso dari animal, quod non sit rationale: Ita in casu nostro ex hoc, quod voluntas virtute gratiæ eligat, ac se determinet ad consensum, infertur, quod gratia, seu Deus per gratiam principaliter concurrat ad talem consensum, & non e contra; quia non potest voluntas se determinare ad consensum, quin Deus sua gratia principaliter ad illum concurrat; Potest tamen e converso Deus aliquem effectum supernaturalem causare in voluntate, quin ad illum voluntas cooperetur, ut accidit quando Deus gratiam infundit, & illi voluntas resistit.

Tertio objectant: Si daretur gratia, cui voluntas posset dissentire, sequeretur, quod voluntas gratiam redderet efficacem, quando consentit; Hoc autem dici non potest, quia si voluntas gratiam red-

redderet efficacem libere consentiendo, consensus ascriberetur voluntati, non gratiæ, seu Deo per gratiam operanti, unde voluntas esset, quæ se discerneret, non Deus discerneret Electos a Reprobis.

Respondeo, quamvis voluntas ita consentiat gratiæ efficaci, ut possit dissentire, juxta doctrinam Tridentini, nihilominus castigatiuś videtur dici, quod non sit voluntas, quæ gratiam reddit efficacem; quandoquidem, ut supra diximus, non est voluntas, quæ determinat gratiam ad consensum, sed voluntas ex virtute gratiæ prævisæ efficacis, & collatæ a Deo ex intentione absoluta consensus per ipsam infallibiliter secuturi, determinat se ipsam ad consentiendum, ita tamen, ut possit dissentire; ut proinde infallibiliter quidem ratione Divinæ præscientiæ, sed tamen contingenter consentiat. Hinc fit primo, quod consensus Deo magis tribuatur, illum per gratiam infallibiliter inducenti, quam voluntati se determinanti ad consentiendum; sicut Homicidium v. gr. magis tribuitur mandanti, quam exequenti, ut fusius explicavimus in thesi antecedenti. Fit secundo, quod Deus sit, qui discernat, non voluntas discernat se ipsam, cum primæ partes sint gratiæ, non voluntatis. Fit tertio, quod Deus per gratiam operetur in nobis velle, & perficere, quamvis voluntas libere se determinet ad consensum, quia hoc ipsum se determinare ad consensum habet voluntas vi gratiæ prævisæ efficacis, & ad hunc finem a Deo collatæ, ut infallibiliter consensum operetur. Fit quarto, quod nostra prædestinatio non sit currentis, neque volentis, sed miserentis Dei, quippe qui misericorditer seligit auxilia prævisa efficacia, ad quæ indubitanter salus consequatur, ut proinde vi talis gratiæ habeatur infallibilitas nostræ prædestinationis. Fit quinto, quod cum possimus huic gratiæ infallibiliter inducenti consensum dissentire, consensus noster meritorius sit, & salutaris. Fit ultimo, quod sic explicando gratiam efficacem serventur tum jura omnia Divini dominii, tum jura omnia libertatis creatæ: servantur quidem jura Divini dominii, quia hoc pacto Deus habet omnipotentissimam potestatem inclinandorum, quo libet, cordium, quin tamen dissensus, & culpa ullatenus Deo tribuatur; quando gratia collata est pure sufficiens per resistentiam nostræ voluntatis; Servantur etiam jura libertatis creatæ, sine qua nullum haberetur meritum, aut demeritum; quia gratia efficax infallibiliter simul, & contingenter consensum inducit, eo quod possit voluntas illi libere dissentire.

Denique objectant, quod si daretur gratia pure sufficiens, sequeretur primo, quod gratia efficax non aliunde esset efficax, nisi ex libera determinatione voluntatis: Unde, quod est potissimum in auxilio efficaci, & in nostra prædestinatione, esset a nobis, non a Deo. Secundo sequeretur, quod homo posset resistere gratiæ efficaci; quod videtur absonum, quia ea procedit ex proposito Dei absoluto, intendente simpliciter, & absolute nostrum consensum; Huic autem divinæ prædefinitioni quis resistat? Tertio sequeretur, conversionem peccatoris ultimate resolvi in humanam, non in divinam voluntatem; Unde si a Deo Petrus, & Judas vocentur, & Petrus consentiat, Judas dissentiat, ultimata ratio hujus diversitatis esset humana voluntas, quia scilicet Petrus vult consentire, & Judas vult dissentire; Cum tamen ex Scripturis dicendum sit, ideo Petrum consentire, quia Deus illum benignissime traxit, juxta illud Jo. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit illum*, ac propterea non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei conversio, & salus peccatoris.

Respondeo cum Suar. lib. 5. de grat. cap. 29., Gratiam habere ex se suam efficaciam, quamvis illam exercere non possit sine concursu voluntatis, quæ potest illi contraniti, ejusque efficaciam impedire: idemque dicas de habitu infuso charitatis, qui non recipit efficaciam in actu primo a voluntate, sed ex se est determinatus ad causandum actum charitatis, esto non possit causalitatem hanc exercere absque coinfluxu, & determinatione voluntatis. Quod etiam in sententia Prædeterminantium est dicendum; si transmittatur, quod Prædeterminatio cum voluntatis libertate cohæreat. Auxilium quippe prædeterminans efficere non potest consensum sine libera cooperatione voluntatis, nec proinde efficaciam suam illud haurit a voluntate, sed habet formaliter a se ipso, quamvis in actu secundo exerceri non possit absque exercitio libero voluntatis, eo quod auxilium (sicut etiam habitus infusus) non est integrum principium actus, ad quem de se habet determinationem, sed indiget concausalitate voluntatis; quæ propterea dicitur posse dissentire, si velit, & efficaciam auxilii, seu habitus infusi impedire. Quod si auxilium consideretur non secundum se, sed ut confertur a Deo præsciente, quod sit conjungendum cum consensu, tunc habet infallibilem, quamvis contingentem, connexionem cum consensu, & ideo in ejus collatione elucet specialis Dei misericordia; ut notavit Augus. de Spir. & lit. cap. 34. Ubi adverte, quod sicut scientia visionis v. gr. de consensu absolute futuro Petri supponit hunc consensum solum tanquam conditionem prærequisitam, non tanquam prædeterminativam intellectus Divini ad illum exprimendum, cum Divinus intellectus ex se sit essentialiter determinatus ad omnem veritatem exprimendam; ita consensus Petri conditionate prævisus per Scientiam conditionalem est conditio solum prærequisita, non tamen est determinativum gratiæ ad illum infallibiliter causandum, cum gratia de se sit determinata ad causandum consensum, quem tamen causare non potest sine concausalitate voluntatis; Et idem dicas de habitu infuso charitatis.

Ex quibus patet, id, quod potissimum est in gratia efficaci, & in nostra Prædestinatione, tum secundum intentionem, seu propositum Dei, tum etiam secundum executionem, non esse a nobis, sed a gratia, seu a Deo per gratiam suam; Primo, quia gratia non datur nobis propter consensum nostrum conditionate futurum, quippe qui in statu illo conditionato nullum habet meritum, sed confertur gratia, ut consensus conditionate futurus sub tali gratia sit infallibiliter, & contingenter futurus sub illa; ut proinde Apostolus 1. ad Ephes. 4. dicat, *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus Sancti*, non vero dicit, Elegit nos, quia futuri eramus Sancti; Et 1. ad Cor. 7. ut advertit Arausicanum can. 25. ex August. dicitur: *Misericordiam consequutus, ut sim fidelis*, non vero quia eram fidelis: Et diserte August. lib. de Prædest. Sanctor. cap. 19. *Non quia credidimus, sed ut credamus vocamur.* Aliter etiam Tyriis, & Sidoniis

doniis debuisset dari auxilium efficax, sub quo prævidebantur a Deo pœnitentiam acturi, si verum esset, quod consensus conditionate prævisus sub aliquo auxilio esset ratio, cur a Deo conferatur tale auxilium. Quare quod est potissimum in gratia efficaci secundum propositum Dei, est ab ipso Deo, non a nobis. Deinde quod est potissimum in gratia efficaci secundum executionem, neque est a nobis, sed a Deo, quia quamvis ad consensum ponendum requiratur determinatio, seu concausalitas voluntatis, hæc tamen determinatio, & concausalitas est principaliter a Deo conferente gratiam prævisam efficacem, ut per illam consensus ponatur a voluntate; ut proinde consensus principalissime tribuatur Deo, & gratiæ ad illum ponendum de se determinatæ, & solum aliquatenus tribuatur voluntati, quæ potest impedire efficaciam gratiæ illi reluctando, & non impedit.

Ad secundam sequelam dicendum, voluntatem posse resistere gratiæ efficaci specificative, non reduplicative, hoc est potest resistere gratiæ efficaci spectatæ secundum entitatem suam, aliter a gratia efficaci everteretur libertas, quod repugnat Tridentin. Senonensi, & Augustino dicenti lib. 3. de liber. arbitr. cap. 8. *Quæcunque causa est voluntatis, si ei resisti non potest, sine peccato ei ceditur.* Non potest tamen voluntas resistere gratiæ efficaci, inquantum efficaci, quia inquantum est efficax, vel trahit, vel involvit consensum prævisum in Divina præscientia, & prædefinitum a Deo sub tali auxilio: & ideo sicut repugnat, quod in sensu composito consensus detur dissensus, ita repugnat, ut voluntas gratiæ efficaci in quantum efficaci, atque adeo involventi consensum resistat. Sic enim poneret dissensum in sensu composito consensus; quod est implicatorium.

Ex quibus sequitur primo, auxilium efficax de se, & in actu primo non distingui a sufficienti; quandoquidem auxilium sufficiens est de se efficax, seu habet sufficientem efficaciam, ut ponatur consensus cum concausalitate voluntatis, potentis tamen dissentire: at auxilium efficax in quantum efficax distinguitur a sufficienti, quia illud præter entitatem gratiæ importat præscientiam consensus conditionate futuri, ac prædefinitionem talis consensus ponendi sub eo auxilio, unde importat etiam ipsum consensum prædefinitum infallibiliter ac libere ponendum. Sequitur secundo, auxilium efficax specificative sumptum, & secundum entitatem suam non esse per se efficax in actu secundo, sed solum in actu primo: Contra vero auxilium efficax in quantum efficax supposita congruitate est per se ac necessario efficax, sic enim sumptum essentialiter involvit consensum a Deo prædefinitum.

Sequitur ultimo, conversionem peccatoris non esse unice, ac immediate resolvendam in divinam voluntatem, ita ut vera sit hæc causalis, Ideo unice peccator convertitur, quia Deus vult, ut convertatur; sic enim conversio non esset libera: quare immediate debet resolvi in voluntatem peccatoris; dicendo, Ideo peccator libere convertitur, quia vult converti, & non vult gratiæ resistere, prout posset; At ultimate conversio libera peccatoris resolvitur in divinam voluntatem; dicendo, Ideo peccator libere convertitur, quia Deus confert illi gratiam prævisam efficacem prædefiniendo liberam conversionem; Unde talis conversio non debet unice, & immediate in solam voluntatem divinam resolvi, sed in divinam simul, & humanam; in hanc quidem immediate, in illam ultimate.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XI.

UNdecima pariformiter errat vehementer, dum similiter docet, gratiam esse dumtaxat voluntatem Omnipotentis Dei jubentis, & facientis, quod jubet; quasi vero nulla alia agnoscatur gratia in natura lapsa præter efficacem, quæ semper conjungitur in corde hominum cum actibus supernis liberis a Deo imperatis: ut proinde horum actuum omissio non sit tribuenda socordiæ voluntatis, sed defectui gratiæ, atque adeo ipsi Deo nolenti gratiam, ac vires requisitas conferre ad obtemperandum, non homini, qui ad impossibile obligari non potest, prout a Tridentino definitum est sess. 6. can. 18. Quomodo enim dici posset 1. Joann. 5. *Mandata ejus gravia non sunt*; & Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve*, si peccatori contritionem præciperet, nec gratiam, seu vires requisitas ad illam ponendam ullatenus conferret? Quomodo peccantibus exprobrare posset Deus illud Isaiæ 5. *Quid est quod debui ultra vineæ meæ facere, & non feci? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Certe qui vineam non irrigat, ita ut valeat uvam producere, nonnisi fatue dicitur ab ea uvam expectare: debuerat ergo Deus non solum vineam sepire, ac electam plantare, ædificando turrim in medio ejus, & torcular in ea extruere, sed etiam vi sufficientis auxilii illam irrigare, ut uvæ defectus posset vineæ ascribi; unde Dominus jure conqueri de illa possit, quod fecisset labruscas, & comminationibus illis insectari. *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam; non putabitur, & non fodietur, & ascendent vepres, & spinæ, & nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.*

Objectatur passim a Jansenii Asseclis non percipientibus vim gratiæ efficacis, & sufficientis, quod si Deo ascribenda esset culpa peccatoris omittentis contritionem præceptam, per hoc quod non contulerit illi gratiam sufficientem necessariam ad illam ponendam, pariter ejusdem peccatoris culpa ascribenda esset Deo, per hoc quod illi non conferat (prout potest) gratiam efficacem, quæ etiam necessaria est ad ponendam contritionem præceptam; quod tamen nemo dixerit. Sed pueriliter hallucinantur. Siquidem gratia sufficiens necessaria est, ut possit poni contritio; gratia vero efficax non est necessaria, ut contritio poni possit, sed solum ut ea ponatur. Ad eum modum quo in homine potentia visiva, & facultas aperiendi oculos requiruntur, ut possit videre: visio vero non requiritur, ut possit videre, sed ut sit videns. Et ratio a priori est, quia gratia efficax juxta varias Scholasticorum opiniones, de quibus non disputo, vel trahit, vel involvit ipsam bonam operationem, non secus ac denominatio videntis involvit ipsam visionem; & ideo sicut omnino necessaria est visio, ut oculus sit videns, non vero ut possit videre: ita necessaria est gratia efficax, ut voluntas bene operetur; non vero ut possit bene operari. Propterea

rea sicut Deo ascriberetur, quod homo non videat, si denegaret illi potentiam visivam, & facultatem ad aperiendos oculos, aut si non esset paratus concurrere ad visionem, quoties oculi libere aperiuntur; contra vero homini ascribitur, quod non videat, si iis positis nolit oculos aperire: Ita prorsus Deo ascriberetur, quod a peccatore non ponatur contritio præcepta, si illi denegaret gratiam sufficientem, & non esset paratus cum illa concurrere ad contritionem, quandocunque libere vellet ea uti peccator ad obtemperandum; contra vero peccatori ascribendum, quod non conteratur, si nolit libere gratia sufficienti sibi collata uti ad contritionem ponendam. Quare universim illud est alicui imputabile, quod est ei liberum: hinc cum non sit liberum homini videre, si caret potentia visiva, sit autem liberum, si habens potentiam visivam nolit oculos aperire, idcirco in hoc secundo casu est illi imputabile, quod non videat, non vero in primo: & eodem modo, quia non est libera peccatori contritio, si careat gratia sufficienti, sit autem ei liberum dolere, si instructus gratia sufficienti nolit ea uti ad ponendam contritionem; idcirco in hoc secundo casu imputatur peccatori contritionis omissio, non vero in primo. Idemque dicas in sententia Prædeterminantium, qui communissime nunc docent, præmotionem physicam non spectare ad actum primum, sed ad actum secundum; & ideo peccatori est imputabile, quod non consentiat, quia quamvis ei desit præmotio, non deest tamen integra potentia ad consentiendum.

Adde demum, in eo etiam errare thesim istam, quod asserat, gratiam esse Dei omnipotentis voluntatem: cum tamen revera non sit Divina voluntas, sed effectus divinæ voluntatis animæ intrinsecus; siquidem gratia habitualis ex Tridentino sess. 6. can. 11. in cordibus nostris per Spiritum Sanctum diffunditur, atque illis inhæret; gratia vero actualis, cum consistat in supernis illustrationibus, & inspirationibus, quæ sunt actus vitales, pariter intrinseca nobis esse debet; unde neutra est Dei omnipotentis voluntas.

PROPOSITIO XII.

Quando Deus vult salvare animam, quocunque tempore, quocunque loco effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei. *Quesnel. Marc.* 2. 11. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Si thesis hæc subsisteret, incassum laboraremus, & oraremus ad salutem assequendam.

II. Falsa veris permiscent heterodoxi ad decipiendum, dum docent, in manu Dei esse salutem hominum.

III. Dupliciter potest Deus velle salutem hominum, videlicet volitione solum efficaci quantum est ex se, & volitione efficaci simpliciter.

IV. Janseniani docent, Deum nullatenus velle salutem Reproborum.

V. Multipliciter explicant, quod docet Apostolus, Deum scilicet velle omnes homines salvos fieri.

VI. Calvinus docet, sumi Omnes homines non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum.

VII. D. Augustinus, & D. Prosper aperte docent, Deum velle salutem omnium omnino hominum.

VIII. Damnatur Jansenius, qui docet id sapere Semipelagianismum.

IX. Videtur in præsenti providentia Deus prædefinire omnes nostros actus salutares in particulari sub circumstantiis temporis, ac loci.

X. Non tamen juxta sensum hujus thesis.

XI. Consensus prædefinitus est solum necessarius necessitate consequente, seu necessitate dicti, non vero necessitate antecedente, seu rei.

I. Quis non dixerit, eo Auctorem in hac thesi tendere, ut palam faciat hominibus, ubinam absconditus nostræ salutis thesaurus deprehendi possit, ad hoc ut proni ad Deum recurramus, dicentes cum Psalmista Ps. 30. *In manibus tuis sortes meæ?* At subdole, & non obscure ad oscitantiam incitamur, dum in ea asseritur, infallibilem nostræ salutis effectum unice a Divina voluntate pendere, ita ut illi dumtaxat salventur indubitabiliter, quorum Deus vult salutem. Hinc implicite in hac thesi dicitur, quod relate ad eos, qui non salvantur, nullam Deus habeat voluntatem illos salvandi, ne inefficacem quidem, & solum ex parte sua efficacem; Unde fieret, quod Reprobi salutem non consequantur, ex eo quod nullatenus Deus velit illos salvare, & non ex defectu propriæ voluntatis nolentis gratiæ auxiliis cooperari. Quod verbis luculentioribus infra Quesnellus exprimit tum in thesi vigesimaprima, & tribus sequentibus, ubi docet, gratiæ operationem imitari operationem Dei Incarnantis Filium suum, producentis creaturas ex nihilo, & sanantis corpora: tum in trigesima, quæ habet: *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter.* Frustra proinde Apostolus Philipp. 2. inclamaret: *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*, si nullatenus ad salutem conferrent nostræ operationes, sed salus unice, & indubitabiliter conferenda esset ad arbitrium Divinæ voluntatis; non secus ac ad arbitrium Divinæ voluntatis huic potius, quam alteri Humanitati Unio hypostatica collata est, quin ullatenus ad illius unionis productionem liberum Humanitatis assumptæ arbitrium influxerit. Frustra pariter Divinum adjutorium imploraremus verbis illis Ps. 26. *Adjutor meus esto, ne derelinquas me*, si Deus non præberet opem conantibus, & laborantibus ad salutem consequendam, sed illam ad arbitrium conferret indubitabiliter, nulla expectata voluntatis creatæ opera, ac sedulitate, ne a recto tramite exorbitet. Frustra demum 2. Pet. 1. diceretur: *Fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*, si certus, & indubitabilis salutis effectus unice a Divina voluntate promanaret, quæ quando vult animam salvare, quocunque tempore, quocumque loco id velit, salvat infallibiliter.

II. Qua in re falsis vera permiscentur, ut falsitas occultetur, juxta solemnem Heterodoxorum morem, ut possint de facili incautis insidiæ comparari. Quod notavit August. lib. 2. Quæst. Evang. c. 40. dicens: *Nulla falsa doctrina est, quæ non falsis vera intermisceat.* Etenim quod indubitabiliter salutem assequantur, etiam per proprias operationes liberas, & meritorias, quotquot Deus efficaciter salvare desiderat, nemo est qui ambigat. Competit quippe Divino dominio in creaturas liberas, qua liberas, *Omnipotentissima potestas*, ut loquitur Augu-

Auguftinus, *inclinandorum quo libet cordium*, atque adeo poteft ineluctabiliter Deus conferendo auxilium prævifum efficax obtinere a qualibet voluntate creata confenfum liberum, & falutarem, & fic conferre illi gloriam ut coronam: & huc referri poffunt verba illa Mardochæi, quæ habentur Eftheris 13. *Domine Deus omnipotens, in ditione tua cuncta funt pofita, & non eft, qui poffit refiftere tuæ voluntati, fi decreveris falvare Ifrael:* At in eo Catholici a Janfenianis difcrepant, quod illi doceant, Deum omnium omnino falutem velle, etiam Reproborum, conferendo ad hunc finem illis auxilium fufficiens, quo poffint illam pro libito confequi per operationes meritorias, quin tamen relate ad Reprobos effectus falutis a Deo intentæ proveniat, idque ex culpa duntaxat ipforum Reproborum: Janfeniani ex oppofito docent, Deum nullatenus voluiffe falutem Reproborum; itemque negant, ac pernegant, conferri illis auxilium fufficiens ad falutem; putantes, quod fi Deus eorum falutem vere, ac fincero animo voluiffet, gratiam illis contuliffet efficacem, irrefiftibilem, & omnipotentem, qua pofita indubitabilis fequeretur effectus, nempe falvatio reproborum præintenta: Ifthæc falfitas illi veritati Catholicæ in hac thefi non incallide permifcetur.

III. Ad eam infringendam duplex in Deo diftinguenda eft voluntas falvandi homines; Altera efficax duntaxat quantum eft ex parte fua, ita ut nihil deneget voluntati creatæ neceffarium, ut falutem adipifcatur; & in hoc fenfu Apoftolus 1. ad Timot. 2. dicit: *Deus omnes homines vult falvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*; addens, quod in hunc finem Chriftus D. *Mediator Dei, & hominum dedit redemptionem femetipfum pro omnibus*. Altera vero eft voluntas falvandi homines efficax fimpliciter, qua ponatur non folum quod fe tenet ex parte Dei, videlicet auxilium fufficiens, fed etiam quod fe tenet ex parte creaturæ, videlicet bona operatio falutaris, qua auxilium a Deo collatum reddatur efficax ex electione libera voluntatis. Quoties autem Deus vult hoc fecundo modo homines falvare, tunc confert auxilium prævifum efficax præfiniendo bonam operationem, & fic indubitabiliter fequitur effectus Divinæ voluntatis, atque adeo animæ falus: Quod fi non dignatur hoc pacto falutem hominum prædefinire, fed folum juxta primam viam vult homines falvos fieri, (ut de facto vult relate ab Reprobos) tunc tenetur duntaxat gratiam fufficientem conferre, qua pofita, quantum eft ex parte Dei falus indubitabiliter fequeretur, nifi culpabiliter voluntas creata refifteret gratiæ, ejufque operationem impediret.

Cohærenter ad hanc duplicem voluntatem Divinam, diverfimode paffim loquutus eft Auguftinus, adeo ut imperitis videatur loquutus effe pugnantia, & fibimet contrarius fuiffe, quod de tanto Doctore affirmare, non leve piaculum eft. Ex contextu quippe facile eft animadvertere, quod modo loquatur de voluntate Divina falvandi homines fpeciali, quæ fit fimpliciter efficax, & abfoluta, ratione cujus non folum confert auxilia fufficientia, fed etiam auxilia per fcientiam conditionalium prævifa efficacia; & huic Divinæ voluntati neminem refiftere poffe firmiter affeverat, ut proinde infallibiliter falventur quotquot hac voluntate falvare decernit, ac femper ad hanc voluntatem indubitabilis effectus fubfequatur: Modo vero loquatur de voluntate Divina falvandi homines generali, quæ fit efficax folum quantum eft ex parte Dei; unde fit abfolute efficax tantum relate ad media, feu relate ad auxilia conferenda, fit tamen conditionata relate ad falutem inducendam, fi fcilicet homo bene utatur auxiliis fufficientibus, & non in vacuum illa recipiat; & relate an hanc Divinam voluntatem docet, poffe humanum arbitrium refiftere, ac effectum a Deo ferio intentum impedire; unde fit, quod licet Deus hac voluntate velit Reprobos falvare, non proinde falvantur ob refiftentiam ab iis appofitam Gratiæ. De priori voluntate fimpliciter efficaci loquitur Auguftinus lib. de corrept. & grat. cap. 14. ubi habet: *Deo volenti falvum facere nullum humanum refiftit arbitrium; Sic enim velle, feu nolle in volentis, aut nolentis eft poteftate, ut Divinam voluntatem non impediat, nec fuperet poteftatem*. Et infra pariformiter addit: *Non eft itaque dubitandum, voluntati Dei, qui in cœlo, & in terra omnia quæcumque voluit fecit, humanas voluntates non poffe refiftere, quominus is faciat, quod vult:* Dum dicitur Divina voluntas impediri non poffe, nec Divina poteftas fuperari, fermo duntaxat effe poteft de voluntate fimpliciter efficaci, & abfoluta, qualis eft voluntas prædeftinans, ut proinde idem S. Doctor lib. de dono perfeverantiæ c. 14. definiat Prædeftinationem, quod fit *Præfcientia, ac Præparatio beneficiorum Dei, quibus certiffime liberantur quicunque liberantur*. Quamvis enim per media, feu auxilia indifferentia falus obtinenda fit; at præfuppofita præfcientia de eorum efficacia, contingenter quidem, fed indeclinabiliter falutem operatur; & ideo huic Divinæ voluntati refifti non poteft. De eadem abfoluta Dei voluntate loquitur lib. 1. ad Simplic. quæft. 2. n. 13. dicens: *Effectum mifericordiæ non effe in hominis poteftate, ut fruftra Deus mifereatur, fi homo nolit*. De pofteriori vero voluntate, quæ eft efficax folum ex parte Dei, & conditionata, loquitur Auguftinus lib. de Spir. & lit. c. 33. ubi docet, velle Deum omnes homines falvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. *Non fic tamen, ut iis adimat liberum arbitrium, quo bene, vel male utentes juftiffime judicentur; Quod cum fit, Infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt; cum ejus Evangelio non credunt; Nec ideo tamen eam vincunt, fed feipfos fraudant magno, & fummo bono, malifque pœnalibus implicant, experturi in fuppliciis ejus poteftatem, cujus in donis mifericordiam contempferunt*. Manifefte hic fermo eft de voluntate Divina conditionata, & folum ex parte ipfius Dei efficaci, cui humanum arbitrium refiftere poteft, cum dicantur Infideles contra voluntatem Dei facere, dum non credunt Evangelio, & mifericordiam Divinam contemnere. Addit tamen S. Doctor, quod Divinam hanc voluntatem homines non vincant per hoc, quod illi refiftant; Tunc enim vinceretur, ut habet idem Auguftinus l. laud. *quando non inveniret, quid de contemptoribus faceret, aut illo modo poffent evadere, quod de talibus ille conftituit*; hoc eft quando poffent evadere pœnas, quas Deus comminatus eft iis, qui fuæ voluntati refiftunt, & mifericordiam contemnunt: Similiterque de hac pofteriori voluntate loquitur Auguftinus lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 19. dicens: *Non tibi deputatur ad culpam, quod vulnerata membra non colligis, fed quod volentem fanare contemnis;* quando enim homi-

homines volenti sanare resistunt, & volentem misereri contemnunt, tunc voluntas sanandi, & miserendi in Deo est solum efficax ex parte sua, non vero efficax simpliciter, & absolute. De hac pariter voluntate disertis verbis docet S. Doctor lib. de catech. rud. num. 51. quod possimus illi resistere, dicens: *Omnia visibilia transeunt, & omnis hujus sæculi pompa, & deliciæ, & curiositas interibunt, & secum ad interitum trahunt amatores suos, a quo interitu, hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui &c.* Cum dicatur, quod velit liberare homines ab interitu misericors Deus, si ejus misericordiæ non resistant, aperte vult, quod possit homo gratiæ, ac voluntati Dei resistere, ut proinde voluntas isthæc miserendi dici debeat solum efficax quantum est ex parte Dei, seu ex parte mediorum, & conditionata ex parte nostra, si scilicet nos gratiæ non resistamus, non vero sit absoluta simpliciter, cui nullum humanum arbitrium resistere possit.

IV. Calvinus, & cum eo Janseniani, ut suum errorem tueantur, (quod scilicet non possit Deus aliter in natura lapsa velle salutem hominum, quam conferendo gratiam efficacem eversivam libertatis a necessitate, qua posita indubitanter sequatur salus a Deo volita) audacter pernegant Deum ullatenus velle salutem Reproborum; & ad textum Apostoli laudatum, ubi dicitur Deus velle omnes homines salvos fieri, multiplicem adhibent elusionem.

Primo quidem dicunt, Deum velle omnes salvos fieri, quatenus nemo salvatur, nisi quem Deus salvare voluerit: In quo sensu 1. Cor. 15. dicitur: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*; quatenus nemo vivificatur, nisi per Christum; & simili locutione dicitur Jo: 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*, quatenus nemo illuminatur, nisi per Christum: Cui explicationi videtur favere Augustinus lib. 4. contra Julianum ca. 8. ubi habet: *Sic ergo debet intelligi, quod dictum est: Omnes homines vult salvos fieri: quemadmodum intelligitur, quod dictum est: Per unius justificationem in omnes homines ad justificationem vitæ.*

V. Secundo dicunt, textum illum intelligendum esse cum distributione accommoda, videlicet non pro singulis generum, sed pro generibus singulorum, itaut non sit sensus, quod velit Deus salutem omnium omnino hominum in particulari cujuscumque conditionis, sed solum quod velit ex omni hominum classe, ac genere dari prædestinatos, vid. ex Judæis, Paganis, divitibus, pauperibus, magnatibus, servis, doctis, & indoctis, parvulis, & viris, &c. Quod videtur etiam esse de mente Augustini, qui lib. de corrept. & grat. cap. 14. habet: *Hic unum dicam; ita dictum est: Omnes homines vult salvos fieri, ut intelligantur omnes Prædestinati, quia omne genus hominum in eis est; sicuti dictum est Pharisæis: Decimatis omne olus; ubi non est intelligendum, nisi omne quod habebant; neque enim omne olus, quod erat in orbe terrarum decimabant. Secundum istum locutionis modum dictum est: Sicut & ego omnibus per omnia placeo.*

Tertio dicunt, Deum velle omnium salutem, quatenus facit, ut nos omnium salutem velimus, & optemus; dum enim hoc desiderium nobis non solum præcipit, sed etiam inspirat, videtur ipse etiam in idem conspirare. Quod etiam docuit Augustinus lib. de corrept. & grat. cap. 15. dicens: *Potest sic intelligi, quod omnes homines Deus vult salvos fieri, quoniam nos facit velle: Sicut misit Spiritum Filii clamantem Abba, Pater; idest nos clamare facientem.*

VI. Ex hisce tribus expositionibus laudati textus, secundæ potissimum fidit Calvinus, qui l. 3. Instit. c. 4. in 1. ad Timoth. 2. habet: *Quo nihil aliud profecto significat, quam Deum nulli hominum ordini viam salutis præclusisse*, & infra addit: *Pueriliter hallucinantur, qui hunc Pauli locum prædestinationi opponunt: Si Deus, inquiunt, indifferenter vult salvos fieri, falsum est, alios ad salutem, alios ad exitium, æterno ejus judicio, esse prædestinatos; Aliquid forte dicerent, si Paulus hic de singulis hominum ageret;* Et juxta hanc expositionem videtur locutus Augustinus serm. 22. de divers. c. 5. dicens: *Prorsus nullum genus hominum de sua vocatione desperet; pro omnibus passus est Christus. Veraciter de illo scriptum est: Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.*

VII. Verum ex hisce expositionibus, auctoritate dilucida D. Augustini vallatis non evincitur, quod Deus non velit salutem etiam reproborum modo explicato. Nam primo, tres istæ expositiones juxtam mentem Augustini solum deserviunt ad ostendendum quonam pacto dici possit, quod Deus volitione simpliciter efficaci velit omnium hominum salutem, cum tamen nolit hoc pacto salutem reproborum. Deinde tres istæ expositiones prout ab Augustino indicantur, ita sunt veræ, ut tamen non contradicant quartæ illi expositioni communissime a Sanctis Patribus, & ab Ecclesia admissæ, quod scilicet Deus velit omnes, & singulos homines salvos fieri, volitione non simpliciter efficaci, sed solum efficaci quantum est ex parte ipsius Dei. Immo ipsemet Augustinus lib. de corrept. & gr. cap. 14. dicit multis modis exponi posse textum Apostoli, quin unus alteri contradicat. Et quod etiam in hoc quarto sensu accipi possit, & debeat, pluribus in locis docet idem Sanctus Doctor, præsertim lib. de catechizandis rudibus c. 26. ubi habet: *A quo interitu, hoc est pœnis sempiternis, Deus misericors volens homines liberare, si sibi non sint inimici, & non resistant misericordiæ Creatoris sui, misit Unigenitum Filium suum.* Quare ex Augustino Deus etiam reprobos vult ab interitu liberare, & ad æternam salutem perducere, si per ipsos non stet. Apertius idem docuit D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. c. 31. distinguens inter voluntatem Dei simpliciter efficacem, quam Deus habet relate ad salutem Electorum, & voluntatem efficacem quantum est ex parte ipsius Dei relate ad salutem Reproborum, distinguendo pariter inter gratiam efficacem, quæ datur electis, & sufficientem, quæ datur reprobis; hæc enim habet: *Gratiam Dei omnibus hominibus adfuisse, providentia quidem pari, & bonitate generali, sed multimodo opere, diversaque mensura; Quoniam sive occulte, sive manifeste ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium hominum, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit; dicendo enim: Qui est Salvator omnium hominum, confirmavit bonitatem Dei super omnes homines esse generalem; Adjiciendo autem, Maxime fidelium, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspi-*

inspiratæ, ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.

VIII. Huic apertissimæ catholicæ veritati Semipelagianismi notam inurere ausus est Jansenius, quasi vero initium salutis nostræ esset quodammodo a nobis destitutis auxilio gratiæ: Quod usqueadeo aberrat a veritate, ut proscripta fuerit ab Innoc. X. thesis illa quinta Jansenii dicens: *Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse*. De qua thesi ita in sua Bulla Summus Pontifex enunciavit: *Falsam, temerariam, scandalosam, & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus.*

IX. Alia plura in hanc rem dicemus in expositione trigesimæ thesis, quæ similiter habet: *Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter*. Quoniam autem impræsentiarum dicitur, quod si Deus vult animam salvare, quocunque tempore, quocunque loco indubitabilis effectus sequatur Dei voluntatem; idcirco præscindendo ab ea quæstione inter Theologos valde celebri, Num in omni providentia necessaria sit in Deo prædefinitio nostrorum actuum honestorum, de qua fuse dixi in Cursu Theolog. p. 3. disp. 2. q. 2. hic solum ut appareat discrimen inter hanc erroneam thesim, & doctrinam communissimam Theologorum, paucis innuo, pro certo haberi a Theologis apud Ruiz de Providentia disp. 9. sect. 3. quod Deus de facto in præsenti providentia actus nostros salutares efficaciter prædefiniat, & quidem in particulari, sub omnibus suis circumstantiis, ut proinde effectus Divinæ voluntatis volentis animam salvare sequatur infallibiliter juxta sensum Catholicum (videlicet citra præjudicium libertatis) pro eo tempore, loco, & aliis adjunctis, sub quibus actus salutares fuerunt prædefiniti. Constat quippe ex Scripturis, & Sanctis Patribus, quod Deus de facto omnes actus honestos universim prædefiniat, ac efficaciter velit efficacia simpliciter dicta, & quidem sub omnibus circumstantiis suis. Diserte D. Prosper hæc habet: *Dubium non est, Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant Auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda: præscisse autem, & non prædestinasse, quæ non ex ipso erant causam operationis habitura.* Isaiæ enim 45. dicitur *Sanctus Israel Plastes ejus*; hoc est tanquam figulus præfiniens per decretum efficax, & absolutum operationes honestas, & non per meram velleitatem, aut per voluntatem conditionatam, quæ communis sit tam relate ad Electos, quam relate ad Reprobos. Quod autem Deus operationes honestas prædefiniat etiam in particulari, & sub omnibus suis circumstantiis temporis, loci, &c. luculenter exprimitur verbis illis Psal. 32. *Qui finxit sigillatim corda hominum*, videlicet, ut advertit Augustinus, *cogitationes, & volitiones*. Et ratio videtur esse, quia cum Deus sit prima causa, fons, & origo omnis boni, inde fit, quod bonum quodcunque, & a fortiori operationes honestas causet per se, & ex intentione efficaci causandi illas, atque adeo illas prædefiniendo sub suis adjunctis: Si enim capillus non nascitur citra divinam prædefinitionem, seu voluntatem efficacem, cum non possit aliter poni effectus necessarius; a fortiori idem dicendum de actibus honestis, qui sunt bonum præstantius. Quod etiam evincitur ex gratitudine, ad quam naturæ instinctu inclinamur erga Deum, gratias illi rependendo, non solum quia contulit nobis posse bene operari, sed etiam quia contulit ipsam bonam operationem; quæ tamen non esset novum beneficium, nisi illam efficaciter prædefiniret; ita ut Deo magis, quam nobis adscribatur.

X. Neque dicas, quod si Deus juxta communem hanc sententiam in præsenti providentia efficaciter prædefinit omnes actus honestos sub suis adjunctis temporis, & loci relate ad eos, quos vult salvare, jam admittitur, quod asseritur in hac thesi, quam diximus erroneam, videlicet, quod effectus indubitabilis sequatur voluntatem Dei.

Nam contra est, quia thesis non est erronea per hoc, quod asserat indubitabiliter sequi actum bonum, & salutem efficaciter a Deo volitam, & prædefinitam; sed est erronea tum per hoc, quod implicite asserat Deum nolle salutem reproborum efficaciter quantum est ex se, dum dicit, quod relate ad eos, quorum salutem vult, (quacunque videlicet voluntate, quod denotatur per verba illa, *Quando Deus vult*, seu quandocunque, & qualicunque voluntate) indubitabilis effectus sequatur; tum per hoc quod velit effectum hunc indubitabilem sequi non ratione Divinæ volitionis infrustrabilis immediate, sed immediate ratione gratiæ medicinalis a Deo volitæ efficacis, & eversivæ libertatis a necessitate, ut ex contextu Quesnellianarum thesium fit perspicuum.

Et sane ignorant Janseniani conciliare infrustrabilitatem Divinæ volitionis cum libertate actus a Deo efficaciter voliti in statu naturæ lapsæ. Et tamen ista conciliare debent in statu naturæ integræ, in quo admittunt possibilitatem gratiæ pure sufficientis, necnon gratiæ efficacis non eversivæ libertatis. Catholici omnes ea conciliare tenentur in utroque naturę statu, quamvis non unam omnes viam teneant ad ea concilianda, sed unusquisque ratiocinatur juxta principia suæ Scholæ; ita ut solum ad Scholasticum institutum spectet discutere, num hæc, vel illa via sit expeditior; non vero, an ea simpliciter concilianda sint: Ad eum modum, quo Catholici omnes tenentur conciliare necessitatem Divinæ voluntatis cum contingentia decretorum, quæ cum illa identificantur realiter; & solum inter Scholasticos pervestigatur, num hoc, vel illo pacto ea in concordiam adducantur. Doctores Societatis juxta sua principia putant, concordiam inter infrustrabilitatem Divinæ volitionis, & libertatem actus efficaciter voliti, ac prædefiniti facile explicari beneficio scientiæ conditionalium: Sicut enim optime conciliatur in omnium sententia infallibilitas Divinæ præscientiæ cum libertate actus præsciti, ita ut sit æque verum, & quod infallibiliter sit futurum peccatum Antichristi præscitum a Deo, & quod tale peccatum libere sit ponendum ab Antichristo, quatenus si non esset ponendum, ejus præscientia non fuisset ab æterno; ita prorsus docent, quod optime concilietur infrustrabilitas Divinæ prædefinitionis cum libertate consensus prædefiniti, quatenus si non esset ponendus consensus sub tali auxilio indifferenti, non fuisset ab æterno prævisus a Deo per scientiam conditionalium sub illo auxilio, & sic Deus talem actum liberum non prædefinisset. Utrum autem

scien-

ſcientia iſta conditionalium attingat actus liberos conditionate futuros in ſeipſis, an vero in decreto abſoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti, diſcutiant Scholaſtici; Sufficit nobis, quod ea ſcientia in Deo negari non poſſit.

VI. Ex quibus fit, verum eſſe, quod indubitabiliter, & neceſſario ponendus ſit conſenſus a Deo prædefinitur, quamvis talis conſenſus non ſit neceſſarius neceſſitate antecedente, ſed ſolum conſequente; ſicut verum eſt, quod peccatum Antichriſti præſcitum a Deo ſit indubitabiliter, & neceſſario ponendum, quamvis citra neceſſitatem antecedentem. Admittit Angelicus, quod peccatum Antichriſti ſuppoſita ejus præſcientia poſſit dici neceſſarium, videlicet neceſſitate dicti, non vero neceſſarium neceſſitate rei, quatenus neceſſario verum eſt hoc dictum, quod res ſit prout cognoſcitur a Deo, quamvis ea res ſit libera, & non procedens a cauſa determinata ad unum. Et in hoc eodem ſenſu poteſt dici, quod conſenſus a Deo prædefinitus ſit neceſſarius neceſſitate ſolum dicti, non vero rei, quatenus pariter eſt neceſſario verum hoc dictum, quod res ſit, prout præfinitur a Deo, quamvis ea res ſit libera, & non profluens a cauſa ad eam ponendam determinata. Hæc tamen, quæ ad Scholaſticos ſpectant, non abs re fuit primoribus labris delibaſſe. De iis, quæ ad Polemicos in hac theſi pertinent, recurret ſermo in theſi vigeſimatertia, necnon in trigeſima, quæ huic eſt affinis. Quæ vero perperam adducuntur a Queſnelli Aſſeclis ad illum excuſandum, perinde quaſi poſſit hæc theſis benigne accipi in ſenſu Catholico, retulimus in calce theſis decimæ.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XII.

DUodecima aſſerens indubitabiliter ſalvari animam, quam Deus vult ſalvam eſſe, adverſatur Catholicæ doctrinæ, & Apoſtolo dicenti, Deum velle omnes homines ſalvos fieri; cum tamen non omnes ſalventur. Stat ergo, quod Deus voluerit animam Judæ v. gr. ſalvam eſſe, quin tamen ab ea divina voluntate talis effectus promanarit, non quidem ex defectu gratiæ illi collatæ, qua potuiſſet conſequi ſalutem a Deo volitam, ſed ex culpa propriæ libertatis, quæ gratiæ collatæ cooperari renuit. Propterea Eccleſ. 5. dicitur: *Ante hominem vita, & mors, bonum, & malum, quod placuerit ei, dabitur illi*: quibus verbis indicatur diſertiſſime in manu noſtræ voluntatis eſſe, & cooperari gratiæ, & conſequi ſalutem æternam. Aliter deluſoriæ 2. Petri 1. hortaremur verbis illis: *Satagite, ut per bona opera certam veſtram vocationem, & electionem faciatis:* Incaſſum enim eſſet noſtra ſedulitas, ſi noſtra electio unice adſcribenda eſſet voluntati Omnipotentis.

PROPOSITIO XIII.

Quando Deus vult animam ſalvam facere, & eam tangit interiori gratiæ ſuæ manu, nulla voluntas humana ei reſiſtit. *Queſn. Luc.* 5. 13. *edit.* 1693.

SYNOPSIS.

I. Iterum Queſnellus docet, Gratiæ voluntatem reſiſtere non poſſe.

II. Hujus theſis falſitas hic demonſtratur ex præcepto Spei.

III. Firmitas Spei Theologicæ oritur ex divina Fidelitate, & Miſericordia, quæ infallibiliter collatura eſt omnibus auxilium ſufficiens ad ſalutem: deficeret autem ea firmitas, ſi Reprobis gratia ſufficiens denegaretur.

IV. Promiſſiones etiam divinæ eſſent deceptoriæ.

V. Timor, qui Spei annectitur, ſolum eſt, ne nos Gratiæ deſimus, non vero ne Gratia deſit nobis.

VI. Verum quidem eſt, quod petitio non ſit de iis, quæ ſunt in manu noſtra adæquate; at bona operatio ita eſt in manu noſtra, ut principalius illa ſit Dei, & ideo a Deo petimus bonas operationes.

VII. A Deo pariter petimus gratiam, qua poſſimus moraliter operari ſalutariter, quamvis non deſit gratia, qua poſſimus phyſice.

VIII. Ne ad orandum quidem conari teneremur, ſi non poſſemus gratiæ reſiſtere.

IX. Poſſumus de bonis operibus in Domino gloriari, quamvis ea a Deo accepérimus.

X. Explicatur, in quo ſenſu nemo poſſit reſiſtere voluntati divinæ, cum revera qui peccat, illi reſiſtat.

I. ILlud intereſt inter hanc, & ſuperiorem theſim, quod in ea indubitabilis effectus ſalutis Electorum aſcribatur Deo volenti illam; In hac vero tribuatur immediate ipſi gratiæ a Deo collatæ iis, quos vult ſalvos facere; In utraque tamen theſi eadem eſt Auctoris calliditas, quam jam deteximus, ſub verbis iſtis ſpeciem quandam pietatis, ac inconcuſſæ veritatis præſeferentibus. Cæterum ſicut Deus poteſt ſalutem reproborum velle, & de facto vult, prout in ſuperiori theſi oſtendimus, non quidem voluntate ſimpliciter efficaci, ſed ſolum efficaci quantum eſt ex parte ſua, ut proinde vero, ac ſincero animo velle poſſit, ac de facto velit ſalutem eorum, qui nunquam illam aſſecuturi ſunt; ita poteſt Deus ad obtinendam eorundem ſalutem conferre gratiam ſufficientem, prout de facto confert, tangendo omnes interiori gratiæ ſuæ manu, quin tamen omnes ab hoc contactu de ſe ſalutari curentur, & ſalvi fiant, eo quod interiori iſti gratiæ reluctentur.

In hac itaque theſi Auctor reponit ſubdole ſecundam Janſenii propoſitionem, hæreſeos nota inuſtam ab Innoc. X., ubi dicitur; *Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.* Cum enim Deus gratiam interiorem conferat homini ex voluntate ſalvandi illum, ſi verum eſt, quod nulla voluntas reſiſtat gratiæ interiori, quando Deus vult animam ſalvare, ut hic Queſnellus docet, verum pariter erit juxta errorem Janſenii, quod interiori gratiæ in natura lapſa nunquam reſiſtatur.

Quinimo si verum est, quod nunquam voluntas gratiæ interiori resistat, verum pariter erit, quod gratia interior non sit ejus indolis, cui possit humana voluntas resistere, vel obtemperare, juxta quartam Jansenii thesim, cui pariter nigrum theta præfixit idem Innoc. X. Etenim si nunquam gratiæ interiori resistitur, consequens est, quod peccatori, cui præcipitur v. gr. contritio, desit gratia interior, quando non conteritur; unde non confertur illi gratia, cui possit resistere, aut obtemperare, atque adeo nunquam confertur hujus indolis gratia interior: Si enim ea huic peccatori conferretur, de facto illi resisteret omittendo contritionem præceptam.

Non pauca diximus adversus hunc Jansenianum, ac pestiferum errorem in decima ex hisce thesibus Quesnellianis, in qua pariter dicebatur, *Gratia est operatio manus omnipotentis, quam nihil impedire potest, aut retardare*. Quamvis autem Theologica pharetra innumeras Catholicis Doctoribus sagittas subministret ad monstrum hoc confodiendum, equidem amentatam hastam illam hic intorqueo, quæ ex Theologica Spe omnibus præcepta robur accipit validissimum. Sic itaque ratiocinationem contexo.

II. Non solum Electi, sed etiam reprobi tenentur spe certa, & firmissima sperare a Deo gratiam, si sint in statu peccati, & gloriam, si sint in statu gratiæ; ergo etiam Reprobis confertur gratia sufficiens ad salutem assequendam, cui resistere possunt, & cui de facto resistunt, posito quod non salventur. Antecedens est indubitatum; tum quia idcirco infunduntur in justificatione simul cum gratia habitus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, ut docet Trident. sess. *6*. cap. *6*., & idcirco amissa per peccatum gratia, habitus infusi Fidei, & Spei non amittuntur, (nisi peccatum his virtutibus opponatur,) ut possimus hujusmodi actus exercere; & ne frustra infundantur, & conserventur, tenemur aliquando eos exercere; Tum etiam quia Tridentinum diserte docet sess. *6*. cap. 13. id nobis a Deo præcipi, dicens: *In Dei auxilio firmissimam spem collocare, & reponere omnes debent:* Aliter si spes non esset omnibus præcepta, sed solis Electis, nemo peccaret adversus præceptum spei, cum nemo sciat se esse in numero Electorum, qui eatenus eo præcepto obligentur. Præterquamquod uniuscujusque spes esset incerta, ac trepida, cum nemo citra revelationem possit esse de sua prædestinatione securus; unde quilibet ambigere posset, an comprehendatur in eorum numero, qui certo, ac firmissime sperare possent nixi auxilio Dei indefectibili; nititur quippe spes nostra fundamento firmissimo Divinæ fidelitatis promittentis nobis auxilia sufficientia ad salutem consequendam. Quod docuit Apostolus ad Hebræos 10. dicens: *Teneamus spei nostræ confessionem indeclinabilem; fidelis enim est, qui repromisit*.

Consequentia itaque probatur, quia spei nostræ firmitas omnino deficeret, si deficere possit gratia nobis promissa sufficiens de se ad promerendam gloriam, ita ut reapse illam consequamur, si per nos non stet, per hoc quod gratiæ resistamus; & consequenter verum est, quod Deus velit Reprobos salvare, & simul tangat illos interiori gratiæ suæ manu, & tamen humana eorundem voluntas ei resistat. Hinc D. Thom. in epist. 1. ad Cor. 1. sect. 1. ex fidelitate divina infert firmitatem nostræ spei, & quod speranti non defuturum sit auxilium sufficiens, cui tamen nos deficere possimus: hæc enim habet: *Non videretur Deus esse fidelis, si non vocaret ad societatem Filii, & nobis negaret quantum in ipso est ea, per quæ pervenire ad illum possemus; Unde Josue 1. dicit: Non te deseram, neque derelinquam*. Quod etiam docuit 2. 2. quæst. 18. ar. 8. dum inquirit, quomodo possit spes nostra esse certa, & firmissima, cum multi post actus plurimos spei supernaturalis beatitudinem non consequantur? Ad quod respondet: *Hoc quod aliqui habentes spem deficiant a consecutione beatitudinis, contingit ex defectu liberi arbitrii ponentis obstaculum peccati, non autem ex defectu divinæ potentiæ, vel misericordiæ, cui spes nititur: unde hoc non præjudicat spei*. Et sane sicut certitudo fidei nititur in auctoritate Dei revelantis, qui nec fallere potest, nec falli; ita certitudo nostræ spei nititur in divina fidelitate, ac misericordia, quæ infallibiliter collatura est auxilium promissum de se sufficiens ad ponendas operationes salutares, itaut defacto eas ponamus, si illud non rejectemus: ut proinde incertitudo, quod de facto simus gloriam adepturi, non proveniat ex eo, quod simus incerti de auxilio sufficiente nobis conferendo, sed solum quia sumus incerti, an illi simus restituri: potest proinde humana voluntas resistere interiori auxilio nobis collato ad salutem consequendam, quam Deus vult quantum est ex se nobis conferre.

III. Confirmatur, quia si Deus denegaret Reprobis auxilium sufficiens ad salutem obtinendam, quam non obtinent ex eo, quod illi resistant, sequeretur, quod spei supernaturalis firmitas, & certitudo omnino deficeret: quia quamvis certissimum sit, Deo non deesse omnipotentiam ad auxiliandum, & fidelitatem ad exequendum, quod promisit, necnon misericordiam, qua inclinetur ad miserendum: nihilominus si Reprobis de facto hoc auxilium denegasset, dicendum esset, quod non omnibus illud promiserit, nec velit omnium misereri: unde incertum esset, an Deus mihi hoc auxilium esset collaturus: & ideo spes a me elicita de gloria obtinenda, si per me non steterit, careret certitudine illa ad id requisita nixa in Dei fidelitate, & misericordia, quod mihi etiam collaturus sit auxilium sufficiens.

IV. Confirmatur ulterius, quia Deus præcipiendo nobis spem firmissimam nixam suis promissionibus, & miserationibus, illuderet, si negaret deinde auxilia sufficientia ad salutem obtinendam necessaria: sicut dives illuderet pauperi, si suis promissionibus, ac mellitis verbis erigeret illum ad sperandum felicem statum, & deinde denegaret quod est illi necessarium, ut liberetur ex angustiis, quibus premitur; essent quippe promissiones dolosæ, & indignæ viro cordato, & fideli: ut habetur Ecclesf. 53. ubi describuntur divites hujus seculi, qui suis promissionibus, & benignis exhibitionibus inducunt pauperes ad sperandum, & deinde illos decipiunt, & subsannant: *Subridens spem dabit, narrans tibi bona, & dicet: Quid opus est tibi? Et confundet te in cibis suis, donec exinaniat te bis, & ter, & in novissimo deridebit te*. Nonne similis deceptoriæ huic spei esset spes, quam nobis præcipit Deus, & ad quam hortatur, & inducit suis promissionibus, si auxilia sufficientia denegaret iis, quos prævidet salutem non esse consecuturos? dum enim Deus peccatores consolatur, & narrat iisdem bona,

bona, ad quæ destinavit, ut erigantur ad ea speranda; dum interrogat, quid vobis est opus, ut ea adipiscamini? si tamen vellet denegare, quod necessarium est ad ea obtinenda, certe illos deciperet, & in novissimo illos derelinquens derideret.

V. Neque dicas, quod spei nostræ theologali timor annectendus sit ex Apostolo dicente ad Phil. 2. *Cum metu, & tremore salutem vestram operamini*. Quid autem timere debemus, nisi quod subtrahat nobis Deus auxilium suum? ergo non confertur omnibus auxilium sufficiens, cui voluntas humana possit resistere.

Nam contra est, quia ex hoc timore nobis necessario potius infertur, quod Deus conferat nobis auxilium sufficiens ad salutem, cui possimus reluctari; etenim hujusmodi timor est filialis, quo non a Deo, sed a nostra voluntate timemus nobis malum culpæ, ratione cujus iram divinam lacessamus, & sic a Deo deseramur; cum enim Deus non deserat, nisi prius deseratur, injuriam illi irrogaremus, si timeremus, ne sponte nos deserat; & rationabiliter, ac salutariter timemus, ne nos illum deseramus, unde & deseramur ab illo. Timere autem debemus, ex D. Bernardo serm. 54. in Cant. & cum adest gratia, ne non digne cum illa operemur; & subtracta gratia, ne Deum sentiamus iratum; & post recuperatam gratiam, ne denuo amittatur; hinc dicitur Proverb. 28. *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Hæc sunt verba melliflui Doctoris: *In veritate didici, nihil æque efficax esse ad gratiam promerendam, retinendam, recuperandam, quam si omni tempore coram Deo inveniaris non altum sapere, sed timere: Beatus homo, qui semper est pavidus: Time ergo, cum arriserit gratia, time cum abierit, time cum denuo revertetur, & hoc est semper pavidum esse*: Quare cum timor hic non sit mundanus, & cum affectu ad culpam, sed filialis, & cum affectu erga Deum, & ejus amicitiam; & dato quod sit quadammodo servilis, quatenus timemus iram divinam, adhuc tamen est virtuosus, & procedens ex auxilio gratiæ, ut dicemus in thesi 62., idcirco ex hoc timore, qui spei theologali annectendus est, manifeste colligitur, quod conferat Deus nobis gratiam ad timendum, cui resistere possit humana voluntas: quæ si timore prætermisso in superbiam efferatur, & dicat in abundantia sua, quod habetur in Ps. 29. *Non movebor in æternum*, in causa erit, ut Deus avertat faciem suam, & gratiam subtrahat.

Ex hoc itaque, quod possimus, & teneamur sperare spe certa, ac firmissima salutem æternam, infertur, quod gratia sufficiens ad illam obtinendam non sit nobis citra culpam nostram ex mero divino beneplacito defutura; ex hoc vero, quod cum metu & tremore debeamus salutem nostram operari, infertur, quod possimus gratiæ illi a Deo summe fideli nobis conferendæ contraniti; unde fit, quod possit Deus velle animam salvare, & eam tangere interiori gratiæ suæ manu, & tamen voluntas humana ei resistat. Et ratio a priori est, quia gratiæ *consentire, vel dissentire propriæ voluntatis est*, ut advertit Augustinus cap. 34. de spir. & lit., aliter non daretur in voluntate libertas indifferentiæ, quæ ad meritum, & demeritum est omnino necessaria, ut definitum est adversus tertiam Jansenii thesim.

VI. Opponunt Janseniani primo: Si in manu voluntatis esset consentire gratiæ vocanti, vel dissentire, unde posset homo gratiæ resistere, sequeretur, quod frustra peteremus a Deo consensum salutarem, & victoriam tentationum; siquidem ex August. lib. de natura, & gratia cap. 18. *Quid stultius, quam orare, ut facias quod est in tua potestate?* Consentire autem gratiæ esset in nostra potestate; ergo frustra hujusmodi consensum peteremus a Deo.

Opponunt secundo, quia ex Apostolo ad Philip. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*; ergo si consensum nostrum operatur in nobis gratia divina, non potest dici, quod consensus sit in manu voluntatis, & quod possimus gratiæ dissentire, ac obluctari.

Opponunt tertio id, quod dicitur Estheris 13. *In ditione tua cuncta sunt posita, & non est qui possit resistere voluntati tuæ, si decreveris salvare Israel: Dominus omnium es, nec est qui resistat Majestati tuæ*. Quo quid luculentius dici potest ad comprobandum assertum hujus thesis, vid. quod quando Deus vult animam salvam facere, tangendo illam sua interiori gratiæ manu, nulla voluntas humana ei resistit? Præsertim quia August. lib. de corrept. & grat. c. 14. pene iisdem verbis hujus thesis usus est, dicens: *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*.

Ad primum tamen fit satis primo, quod argumentum æque militet in natura lapsa, ac in statu naturæ integræ, quando in sententia Jansenianorum erat in manu voluntatis Angelorum, & Protoparentum consentire, vel dissentire gratiæ, seu Adjutorio sine quo non; & tamen etiam tunc tenebantur illi petere a Deo victoriam tentationum, & bonam ipsam operationem præceptam; ut egregie ostendit P. Stephanus de Camps lib. 3. disp. 3. cap. 9. tum auctoritate dilucida Gelasii Pontificis, qui in dicto cap. adversus hæresim Pelagianam diserte docet, ideo Protoparentes cecidisse, quia non oraverunt, & ideo in acceptis donis non perseverasse, quia de iisdem gratias Deo debitas non retulerunt, nec ut eadem intemerata durarent, suppliciter implorarunt: Tum etiam multiplici auctoritate Augustini, ac validis ratiocinationibus. Etenim si gratia efficax, & perseverantia in manu Dei est, & ab eo misericorditer duntaxat conferri potest, oportebat illa infirmis precibus deprecari ab ipso Deo, qui omnipotentissimam habet humanorum, quo libet, cordium inclinandorum potestatem. Unde Augustinus l. 11. de Genesi ad literam habet: *Quis audeat credere, aut dicere, ut neque Angelus, neque homo caderet, in Dei potestate non fuisse?*

Perperam itaque Jansenius lib. 3. de Gratia Christi cap. 1. adversus hanc patentissimam veritatem docet, Angelos, & Adamum in statu innocentiæ nullatenus oratione indiguisse, ne caderent, quia scilicet præditi erant auxilio sufficienti, quo adjuti in manu propria perseverantiam habebant; perinde quasi bonum, quod ex propria libertate cum Dei adjutorio pro libito creatura ponit, illud non sit potius Dei, quam creaturæ liberæ, itaut principalius Deo ascribatur. Hæc enim sunt verba Gelasii Pontificis, quibus ea falsa opinatio prorsus eliditur: *Si in ipsis primis hominibus, dum sua nimium felicitate confidunt, & tantam Dei gratiam in vacuum recipientes, non orando (quod utique nusquam fecisse referuntur) nec de perceptis gratias referendo, nec ut eadem intemerata durarent suppliciter implorando, incolumes constare nequiverunt;*

quanto magis post prævaricationis ruinam, in quam mala sui confidentia Creatorem nullatenus inquirendo lethaliter inciderunt, absque Divino munere suis viribus, vel ægri stare non possunt, sine quo nec integri persistere valuerunt? Adversatur itaque doctrina Catholica errori Jansenii; cum Edicto hoc Gelasii Pontificis doceamur, ideo Protoparentes nostros cecidisse, quia non oraverunt, & ideo in donis acceptis non perseverasse, quia ut ea intemerata durarent suppliciter non implorarunt.

Deinde directe dicimus, quod habens a Deo gratiam sufficientem, qua possit vincere tentationes, & salutariter operari, unum recipit beneficium, & quidem valde ingens; qui vero habet a Deo gratiam adjuvantem, seu auxilium prævisum efficax, per quod Deus vult efficaciter, & prædefinit ipsam liberam operationem salutarem, novum recipit a Deo beneficium; & hoc est illud, quod nostris orationibus petimus a Deo, cui, ut alias diximus, principalius tribuitur nostra bona operatio, quam nobis, juxta illud Apostoli: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Quod tamen non accidit in humanis; si enim dives dat pauperi potestatem accipiendi pecuniam, non petit ab illo, quod det etiam ipsam pecuniæ acceptionem, quia hæc unice dependet a paupere, nullatenus a divite.

VII. Adde ulterius, quod licet non desit nobis gratia sufficiens, cui possimus physice consentire, vel dissentire, deest tamen sæpe in pœnam culparum præteritarum gratia, qua possimus etiam moraliter consentire, cum sæpe ex concupiscentia effræni insurgat impossibilitas moralis ad consentiendum: & ideo hanc etiam uberem gratiam, qua expugnetur moralis ista impossibilitas, petere debemus a Deo, & quidem instanter, ac sine intermissione, ut loquitur Apostolus: Et hujusmodi orationem esse pernecessariam docuit ipse Christus Dominus Lucæ 18. dicens: *Oportet semper orare, & non deficere;* etenim vi orationis de facili expugnatur moralis impossibilitas implendi legem: Quod innuit Trident. sess. 6. cap. 11. dicens: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis;* & ideo statim subdit: *Cujus mandata gravia non sunt: Cujus jugum suave est, & onus leve*. Ad orandum tamen non facile quis patitur impossibilitatem moralem, cum Divina gratia semper in promptu sit, qua ad orandum excitemur, nostra ipsa miseria, & ægritudine ad id extimulante magis, quam miseria, aut ægritudo corporalis extimulet homines ad implorandam opem a divite, aut ab Archiatro: Nisi forte ad eam cæcitatem quis devenerit, ut miseriam suam non videat, juxta illud Apoc. 3. *Dicis quod dives sum, & locupletatus, & nullius egeo; & nescis, quia tu es miser, & miserabilis, & pauper, & cæcus, & nudus*. De hoc enim apte dici poterit: *Nihil miserius misero non miserante seipsum;* ut proinde solum expectare possit opem a Divina clementia, illam implorans, non suis orationibus, sed suis miseriis, juxta illud Psalmi 41. *Abyssus abyssum invocat*: quod Sancti Patres ita exponunt: Abyssus miseriarum invocat Abyssum misericordiarum.

VIII. Addo demum, quod vel Janseniani contendunt esse in manu voluntatis consentire, vel non consentire gratiæ invitanti ad orandum, vel non: Si primum, jam admittunt, quod possit voluntas resistere gratiæ: Et sic poterit resistere gratiæ invitanti directe ad legis observantiam, & ad victoriam tentationum. Si secundum, ergo ne ad orandum quidem tenemur conari, cum pariter gratia efficax ad orandum conferatur a Deo solis Electis: & ita recurrit, quod frustra Christus D. & præcepisset orationem, & docuisset nos orandi modum, cum ille solum oret, & quidem necessario necessitate antecedente, cui Deus confert gratiam efficacem ad orandum, & is, cui hæc deficit, orare non potest. Ecce barathrum, quo perducit hæresis Janseniana.

IX. Ad secundum; jam diximus quomodo nostra cooperatio Divino auxilio sit novum Dei beneficium distinctum a collatione gratiæ sufficientis, & quod nostra bona operatio magis tribuatur Deo conferenti vires ad illam, & simul eandem prædefinienti per collationem auxilii prævisi efficacis, quam nostræ voluntati determinanti se ad illam ponendam, ut fusius ostendimus in thesi tertia, & decima. Hinc dicitur *Deus operari in nobis velle, & perficere pro bona voluntate*. Quoniam autem bona operatio principalius est Dei, & ipsi ascribenda, ac ipsi accepta referenda est, ideo simpliciter, & absolute de ea gloriari non possumus, dicente Apostolo: *Quid habes, quod non accepisti? aut quid gloriaris, quasi non acceperis?* Verum quia ad hanc eandem bonam operationem libere cooperatur voluntas, (licet ex speciali Dei beneficio) idcirco possumus aliquatenus de ea gloriari, non quidem præsumptuose, quasi vero ex nostris viribus cooperati simus gratiæ, sed modeste, umiliter, & in Domino. Quod idem Apostolus monet 1. Ad Cor. 1. *Qui gloriatur, in Domino glorietur*, quatenus hæc ipsa libera voluntatis determinatio novum Dei donum est. Et in hoc sensu Apostolus 1. ad Cor. 4. dixit: *Si voluero gloriari, non ero insipiens:* Etenim, ut habetur ad Rom. 2. *Gloria, & honor, & pax omni operanti bonum*.

X. Utrum autem gratia efficax sit efficax ab intrinseco, quia trahit ineluctabiliter consensum liberum, aut quia per ipsum consensum liberum constituitur, discutiant Scholastici. Illud inconcussum esse debet apud Polemicos, Gratiam efficacem non esse eversivam libertatis ad dissentiendum; nec voluntatem peccare, si destituta auxilio efficaci careat libertate ad consentiendum, constituta per gratiam sufficientem ad ponendum consensum præceptum: Quod diserte docuit Augustinus lib. 3. de libero arbitrio, ubi postquam fuse in hanc rem disseruisset, paucis omnia complectitur dicendo: *Si laboriosum est omnia mandare memoriæ, hoc brevissimum tene: Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur*.

XI. Ad ultimum. In thesi antecedenti, & in decima jam explicavimus, quomodo utrumque sit verum, & quod non sit, qui possit resistere voluntati Divinæ, (quæ scilicet aliquid velit, sive necessarium, sive liberum absolute, & efficaciter efficacia simpliciter dicta) & quod possit voluntas humana resistere tum gratiæ Divinæ, tum voluntati ipsius Dei aliquid suadentis, vel præcipientis, & volentis illud efficaciter efficacia solum quantum est ex parte sua. Aliter quomodo diceretur Act. 7. *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*. Quomodo Chri-

Christus Dominus Matth. 13. Judæos exprobraret verbis illis: *Quoties voluit congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti?* Cæterum creaturæ non liberæ nullatenus Deo resistere valent; & ideo Deus *Omnia quæcunque voluit fecit in Cœlo, & in terra. Ipse dixit, & facta sunt*; Creaturæ vero liberæ ita possunt divinis mandatis resistere, ut tamen competat Deo *omnipotentissima potestas inclinandorum quo libet cordium*, ut loquitur Augustinus, itaut possit ineluctabiliter ab eis obtinere consensum, non solum necessarium, prædeterminando ad illum, sed etiam liberum, conferendo scilicet auxilium prævisum efficax, cum non desint in ærario omnipotentiæ infinita auxilia, sub quibus prævideatur creatura libere consensura; adeout communissime doceant, repugnare creaturam inemollibilem, seu quæ prævideatur omnibus auxiliis dissensura, unde emolliri non possit, obtinendo ab illa liberum consensum. Quicquid sit, an pariter repugnet creatura inobdurabilis, quæ scilicet omnibus auxilis prævideatur consensura, unde obdurari non possit, permittendo ejus liberum dissensum. Denique quod verba hujus thesis neque secundum se, neque ex adjunctis possint in sensu Catholico accipi, ostendimus in calce thesis decimæ. Contra vero quod verba laudata Augustini dicentis, *Deo volenti salvum facere nullum hominum resistit arbitrium*, sumi debeant in sensu Catholico, constat, tum quia passim Augustinus docet homines Spiritui Sancto, seu gratiæ interiori resistere; tum ex ipso contextu, quia in tantum eo loco asserit nullum humanum arbitrium resistere voluntati divinæ volenti salvum facere, quia ibidem docet, *Deum habere humanorum cordium, quo placet, inclinandorum omnipotentissimam potestatem*; propterea nemo illi resistit, quando vult alicujus consensum liberum, non solum efficaciter quantum ad se spectat, (in quo sensu vult etiam salutem reproborum) sed efficaciter efficacia simpliciter dicta.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XIII.

Decimatertia Jansenizat, dum docet, hominem, quem Deus vult salvare, nunquam resistere gratiæ interiori ad salutem libere promerendam collatæ. Omnes siquidem Reprobos Deus vult salvos esse, omnibus gratiam confert, cui si cooperarentur, salutem profecto sibi compararent, illam tamen non assequuntur, quia culpabiliter vocationi gratiæ non respondent; atque adeo omnium Reproborum voluntas gratiæ interiori resistit, quamvis Deus velit illos salvos fieri; vult enim Deus eorum salutem voluntate solum efficaci quantum est ex se, itaut per ipsum non stet, quominus illam assequantur; cum quo bene stat, quod eorum voluntas voluntati huic divinæ resistat; sicut suo modo divinæ voluntati repugnat, qui divinis mandatis non obtemperat. Hinc Actor. 7. dicitur: *Vos semper Spiritui Sancto resistitis*: & a Concilio Senonensi in decreto 15. fidei definitur: *Non esse tale Dei trahentis auxilium, cui resisti non possit*, ut deliravit in quarta ex suis proscriptis thesibus Jansenius. Ubi notandum, quod Quesnellus tam in hac, quam in decima thesi (ubi pariter dicit, non posse hominem gratiæ resistere) diserte loquatur, de gratia interiori juxta hæresim Jansenianam: Propterea quando in aliis locis videtur docere, quod voluntas gratiis resistat, vel ibi loquitur de gratiis exterioribus, quarum mentionem facit in thesi quinta; vel loquitur de illustrationibus, ac piis desideriis, quæ solum deserviunt ad aberrandum, & ad se præcipitandum (ut habet in thesi 39.) non vero de iis, quæ sufficientiam dent ad operandum salutariter.

Ad excusandum Quesnellum ejus Asseclæ dicunt, eum admisisse gratiam interiorem, cui voluntas resistat, cum non semel doceat, homines resistere illustrationibus, ac piis desideriis, quæ non sunt gratia exterior, sed interior; unde non est notandus, quod secundæ, & quartæ ex proscriptis Jansenii thesibus subscripserit.

Sed perperam id effingunt. Primo enim nusquam Quesnellus diserte docuit, hominem gratiæ interiori resistere, passim vero diserte docet, quod gratiæ interiori resistere non possit, ut in hac, & multis aliis subsequentibus thesibus: unde ubi loquitur de illustrationibus, & piis desideriis, quibus voluntas resistit, non est intelligendus de illustrationibus supernis, quæ sunt gratia interior, sed de illustratione, & propensione naturali, quæ in sententia Quesnelli passim præfocatur a cupiditate victrici eversiva libertatis. Deinde si voluisset ab hæresi Janseniana recedere, debuisset aliquando disertis verbis explicare, quod voluntas possit interiori gratiæ contraniti; aliter præsumitur, quod semper loquatur in sensu Janseniano, quem præseferunt verba, dum docet in plurimis thesibus, nullam voluntatem gratiæ interiori resistere, ut explicabimus in Anacephalæosi thesis 51. Denique si illustrationes, & inspirationes, quibus voluntas dicitur a Quesnello resistere, essent gratia interior; vel hæc gratia esset sufficiens ad ponendam operationem salutarem præceptam, vel non: Si sufficeret, jam rueret tota machina Quesn., necnon Idea gratiæ interioris, quam in thesibus sequentibus vult esse, quod *Deus imperet, & omnia fiant*; ac proinde in peccatore, qui non convertitur, daretur gratia, qua posset converti, quod in his thesibus non admittitur, & omnes Janseniani mordicus negant, ac pernegant. Sin autem ea gratia interior, cui voluntas resistit, dicatur esse adeo debilis, ut non sit sufficiens ad ponendam operationem salutarem præceptam, ea non posset dici gratia, sed esset ingens maleficium, a quo rationabiliter peteremus liberari: Etenim ea solum daretur ad nostram condemnationem, non ad salutem; quippe quæ solum deserviret ad aberrandum, ad se præcipitandum, ad se vulnerandum, ut dicitur in thesi 39. atque adeo solum deserviret ad purum, ac æternum animæ detrimentum. Ad eum modum quo, si Sacerdoti detur lumen exiguum, quod non sit sufficiens ad Breviarium illuminandum, itaut posset legere Horas Canonicas, & ob omissionem Horarum ille deberet damnari, certe tale lumen non daretur ad hoc, ut posset legere Horas, & sic evadere gehennam, sed daretur ad hoc ut posset illi exprobrari, quod accepto lumine Horas non legerit, & sic posset in gehennam detrudi; proterea parvum illud lumen non esset gratia, & beneficium, sed ingens maleficium: Ita prorsus in casu nostro. Quare prorsus nequit Quesnellus a Jansenianismo excusari.

PRO-

PROPOSITIO XIV.

Quantumcnmque remotus a salute sit peccator obstinatus, quando JESUS se videndum exhibet lumine salutari suæ gratiæ, oportet, ut se dedat, accurrat, sese humiliet, & adoret Salvatorem suum. *Quesnel. Marc.* 5. 7. *editione* 1693.

SYNOPSIS.

I. Per verbum, Oportet, indicat Quesnellus dari de hoc necessitatem physicam, non moralem.

II. Constat id a veritate abhorrere exemplo Judæ,

III. Necnon ex ratione conjugii spiritualis inter Christum, & animam justam, quod ex parte Sponsæ dirimi potest.

IV. Sicut non est necesse, quod Christi sponsa a suo Sponso non recedat; ita nec est necesse, quod Sponsa per peccatum adultera, illustrata lumine gratiæ ad illum revertatur.

V. Ex hoc quod multi sint vocati, pauci vero Electi, infertur, quod non pauci irradiati superno lumine gratiæ non statim se dedant Salvatori suo.

I. ITerum, iterumque Auctor in eodem luto, ac fæce volutatur, contendens in hac thesi, oportere, ut Peccator obstinatus superno lumine gratiæ illustratus ad pedes Redemptoris se prosternat, illumque humiliatus adoret, exclamando vocibus Apostoli Thomæ: *Dominus meus, & Deus meus*. Si Jansenii discipuli per verbum illud *oportere* solum denotare vellent, quod aliquando gratia extraordinaria (qualis data fuit v. gr. Apostolo Paulo, & Mariæ Magdalenæ) moraliter necessitet peccatorem ad resipiscendum, etiamsi valde remotus sit a salute, & obstinatus, nemo est, qui refragetur. At per verbum illud *oportere* Jansenianі solam libertatem a coactione admittentes, quæ conferat ad meritum, & demeritum, indicant necessitatem gratiæ physicam, prout aperte illam admittebat Calvinus eorum Antesignanus: & idcirco thesis hæc longe aberrat a Catholica veritate, quæ ad meritum, ac demeritum libertatem a necessitate requirit. Quod autem in hoc sensu loquatur Quesnellus, ex eo patet, quia docet, peccatorem quantumcunque remotum a salute, & obduratum, citra ullam gratiam extraordinariam, si solum sese conspiciendum exhibeat Christus Dom. lumine suæ gratiæ, oportere se dedere, illumque adorare; cum autem ex quacunque gratia necessitas moralis ad consentiendum non detur, sequitur, quod ad mentem Quesnelli necessitas ista ad consentiendum per quamcunque gratiam, præsertim in peccatore obdurato, non sit moralis, sed physica.

II. Profecto quis non credat, Judam superno lumine Divinæ Gratiæ irradiatum fuisse, quando Christus Dom. sese obtulit, non videndum duntaxat, verum etiam osculandum, benignissime illum nuncupando Amicum, ac dicendo, *Amice ad quid venisti?* Quanam salutaris gratiæ luce non perfusum existimabimus, quando ad suos pedes provolutum conspexit Dominum, qui eum ab omni labe mundaret? Nihilominus in sua fixus perfidia nec se dedit gratiæ, nec sese humiliavit, nec adoravit Salvatorem suum; sed triginta argenteis venditum tradidit illum suis hostibus crucifigendum: Usqueadeo verum est, quod libere peccator gratiæ consentiat, utut intensæ, & speciali affectu collatæ.

III. Et sane cum possit justus cœlesti lumine irradiatus gratiæ resistere, ac Deum per culpam contemnere, a fortiori poterit idipsum peccator consimili gratia instructus. Quod autem Justus Sponsum animæ suæ contemnere possit, non ex eo, quod sibi desit gratia ad perseverandum in amore requisita, sed ex eo, quod ipse desit gratiæ, constat ex ipsa ratione spiritualis conjugii inter Deum, & Animam justam initi, quod sacræ literæ commemorant; præsertim Apostolus 2. ad Corinth. 11. dicens: *Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo*, quod sonat, Despondi exhibere vos Christo, velut virginem castam uni viro. Sicut autem conjugium fert vinculum perpetuum, & indissolubile, juxta illud Matth. 19. *Quos ergo Deus conjunxit, homo non separet*, ita desponsatio tam Animæ, quam Ecclesiæ cum Christo Domino fert vinculum ex parte ipsius Dei indissolubile, ut habetur Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia, & in misericordia, & in miserationibus*. Quare ex parte Dei fides istius conjugii promittitur sempiterna, nec unquam violatur aut dirimitur, dando libellum repudii, nisi quando repudii causa datur ab ipsa Sponsa, quæ cœlestem amatorem aspernans, alteri deceptori potius, quam amatori tanquam adultera adhæret: de quo conqueritur Jeremias, dicens: *Quomodo si contemnat mulier amatorem suum, sic contempsit me domus Israel, dicit Dominus*. Anima itaque justa peccando amatorem suum deserit, & contemnit, quin unquam hic ab amore deficiat, nisi prius illa desciscat: At deficeret Christus Sponsus ab amore suæ Sponsæ, & repudium ipse inchoaret, si nullis Sponsæ culpis ad iram provocatus illam desereret, denegando auxilium gratiæ sufficiens ad suam legem servandam necessarium; Propterea inficiari nemo potest, quod animæ nunquam desit gratia sufficiens ad servandam fidem conjugii cum Christo initi, atque adeo ad non peccandum; cum hoc ferat amor proprius Sponsi, qui non cohæret cum subtractione talis auxiliis. Ex quibus fit, quod possit Justus conjugii, ac necessitudinis vinculis Deo astrictus, & multo magis peccator iisdem solutus, si superno lumine gratiæ illustretur, citra ullam necessitatem Deum diligere, ita ut per ipsum stare possit, quin se dedat amoribus Redemptoris, accurrat, ac se se illi humiliet.

IV. Confirmatur ex iis, quæ habentur Jeremiæ 3. *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus, & ego suscipiam te. Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere, ergo saltem amodo voca me*. Deus itaque tantam beneficentiam ostendit erga eos, quos de facto odit, benignissime revocando ad se, & dando vires sufficientes, ut revertantur, quomodo itaque poterit Sponsæ, quam de facto diligit, vires sufficientes denegare, ne discedat a se, quærendo alium amatorem? Quod si vires sufficientes præbet, & tamen sæpe deseritur a sponsis, & amicis suis, manifeste deducitur præsentis thesis falsitas, quod scil. oporteat, ut illustratus superno lumine Peccator revertatur ad Redemptorem suum, quando nec est necesse, quod Christi Sponsa lumine gratiæ irradiata a suo Sponso non recedat.

V. Con-

V. Confirmatur iterum, quia ut habetur Matt. 2. *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Nunc sic; Vel vocati ad pœnitentiam illustrantur lumine gratiæ, ita ut habeant sufficientes vires ad resipiscendum, vel non: Si non illustrantur, & carent gratia sufficienti, frustra vocantur; non secus ac frustra invitatur ad volandum homo alis destitutus. Quod si illustrantur a Spiritu Sancto, & tamen pauci divinis vocationibus respondent, sequitur, non oportere, sed liberum esse peccatori, præsertim obstinato, quod statim ac lumine superno, ac salutari gratiæ videt Salvatorem suum expansis ulnis eundem expectantem, & ad se vocantem, illi se dedat, accurrat, se humiliet, & illum adoret; alioqui omnes peccatores salvarentur, cum omnes ad pœnitentiam invitentur, ac obligentur, & ad viam salutis capessendam lumine superno gratiæ sufficientis adducantur; nisi quis delirando velit, quod incassum, ac delusorie ad pœnitentiam invitentur peccatores, qui in suis fæcibus volutantur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XIV.

DEcimaquarta docet, oportere, ut Salvatorem suum adoret peccator, quantumvis obstinatus, si lumine gratiæ illustratus illum conspiciat. At si oportet gratiæ consentire, nonne evertitur a tali gratia libertas arbitrii? nonne radix meriti, ipsumque meritum corruit? Ita sane, si velimus a Jansenii erroribus recedere, qui docuit, meritum, ac demeritum consistere cum sola libertate a coactione, quæ vere & proprie libertas non est. Unde Bellarm. lib. 3. de Grat. & Lib. Arbit. dixit: *Libertatem a necessitate omnino requiri ad liberum arbitrium; neque satis esse libertatem a coactione, demonstrari potest ex testimonio Scripturæ, ex definitione Ecclesiæ, ex traditione Patrum, ex lumine rationis.*

PROPOSITIO XV.

Quando Deus mandatum suum, & suam æternam locutionem comitatur unctione sui Spiritus, & interiori vi gratiæ, operatur illa in corde obedientiam, quam petit. *Quesn. L. 9. 60. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Thesis hæc Janseniana contendit deesse gratiam ad obediendum in iis, qui non obtemperant mandatis divinis.

II. Deus non præcipit impossibilia.

III. Si verum haberet, quod omnes, quibus interior gratia confertur, divinis mandatis obedirent, & omnes gratia destituti non obedirent, nemo deberet esse de sua salute solicitus.

IV. Tyrannidem sapit præceptum de re impossibili.

V. Idque etiam in natura lapsa.

VI. Inutile, ac Deo indignum esset præceptum, si executioni mandari non posset.

VII. Quamvis peccatores gratiam obtinerent ad implenda præcepta, si orarent; at si non orarent, solum puniri possent ob orationem omissam, non ob transgressionem præceptorum.

VIII. Quoties Deus in natura lapsa præcipit impossibilia moraliter, tunc ex Tridentino petendæ a nobis vires sunt, ut possimus moraliter; non petimus tamen, ut possimus physice implere præcepta, quia nunquam Deus nos obligat præceptis suis, si ea physice implere non possumus.

I. UTinam semper homo divinis mandatis obtemperaret, quoties æternam Dei præcipientis locutionem comitatur Spiritus Sancti gratia interior sufficiens ad jussa exequenda! Cum enim nunquam desit gratia ista sufficiens, (nisi velimus asserere, quod Deus præcipiat impossibilia, non dando vires, nec gratiam, qua possibilia fiant, prout contendebat Jansenius in prima ex suis confixis thesibus) nunquam deesset obedientia debita divinis mandatis. At Auctor in hac thesi inhærens vestigiis sui Antesignani, profligatam illam thesim sub verbis istis hypocritis, & fucosis, pietatem quandam ostentantibus, iterum obtrudit, dum docet, gratiam operari semper obedientiam divinorum mandatorum, atque adeo deesse gratiam ad obediendum in iis, qui mandatis non obtemperant; Quod si desit gratia ad obediendum necessaria, eo ipso mandatis divinis voluntas obtemperare non potest, unde Deus mandat, ac præcipit ea, quæ præstari non possunt.

II. Nemo tamen adeo est hebes, ac stupidus, quin videat, Deum non præcipere impossibilia, nec impossibilem esse Divinæ legis observantiam, prout Lutherus, & Calvinus effutiebant, jure merito damnati a Trid. sess. 5. can. 18. ubi habetur: *Si quis dixerit, Dei præcepta homini etiam justificato, & sub gratia constituto esse ad observandum impossibilia, anathema sit.* Quod si nunquam desunt vires gratiæ ad obtemperandum mandatis, quæ sine gratia executioni mandari non possunt, ut est peccatoris resipiscentia, manifeste infertur thesis hujusce falsitas, quæ docet, semper divinam gratiam operari obedientiam, quam petit. Aliter semper peccatores a gratia cœlesti adjuti ad ponendam pœnitentiam præceptam, illam ponerent. Augustinus serm. 191. de Tempore habet: *Execramur blasphemiam eorum, qui dicunt impossibile aliquid homini a Deo esse præceptum, & mandata Dei non a singulis, sed ab omnibus in communi posse servari.* Et lib. 2 de peccat. merit. & remiss. *Dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum, & adjuvandum quo fiat, quod jubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo, si velit, esse sine peccato adjutus a Deo*: Et lib. de lib. arb. c. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Hinc proscripta fuit prop. 54. Baji dicentis: *Definitiva hæc sententia, Deum homini nihil impossibile præcepisse, falso tribuitur Augustino, cum Pelagii sit*; Nec non 67. *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.* Sad quid plura? cum plurima dixerimus hac de re in expositione primæ thesis Jansenii, necnon in expositione primæ thesis ab Alex. VII. confixæ, quæ habet.: *In statu natura lapsæ ad peccatum formale, & demeritum sufficit illa libertas, qua voluntarium, & liberum fuit in causa sua, peccato originali, & libertate Adami peccantis.* Aug. lib. 1. contra duas epistolas Pelagii habet: *Quis nostrum dicat, quod per hominis peccatum perierit liberum arbitrium de humano genere?*

III. Illud duntaxat recolo, vafre, & subdolis verbis

verbis in plurimis hisce thesibus commendare Quesnellum gratiæ interioris efficaciam, tamquam humanæ infirmitatis sanativam vi meritorum Christi D., sed fucosis istis verbis contendit, etiam sub gratia Christi D. libertatem formalem ad meritum, ac demeritum requisitam esse a natura lapsa extorrem, eosque duntaxat homines ad bonam frugem se recipere, quibus Christus Dominus suam gratiam largitur, & pro quibus in Cruce oravit, reliquos carere bonis operationibus ex defectu duntaxat divinæ gratiæ, qua destitutis vires deficiunt ad bene operandum. Quod si hæc omnia verum haberent, nemo esset, qui de sua æterna salute deberet esse solicitus, nemo qui bonis operibus daret operam; siquidem illustratus lumine gratiæ non posset carere salutaribus operibus, nec posset iisdem supernis illustrationibus adjutus non consequi vitam æternam; destitutus vero gratia, quantumcumque viribus naturalibus conaretur ad salutariter operandum, incassum laboraret, cum non valeat natura signe viribus gratiæ salutarem ponere operationem. Propterea doctrina Calvini, Baji, Jansenii, & Quesnelli eo tendit, ut homines ad libere vivendum, atque adeo ad perditionem inducat, quamvis sub cortice pietatis commendet maximopere gratiam Christi medicinalem ac salutarem.

IV. Descendo nunc ad ostendendam necessitatem gratiæ sufficientis ex vi mandatorum divinorum, ut appareat, quomodo non ii duntaxat illustrationibus Sancti Spiritus, & vi gratiæ interioris muniantur, qui obedientiam, quam Deus petit, operantur, sed etiam ii, qui mandatis non obtemperant, & per hoc desunt gratiæ, & in vacuum illam recipiunt. Præcepta non solum obligant eos, qui obediunt, sed etiam transgressores, qui proinde contrahunt culpæ, & pœnæ reatum; ergo utrisque confertur sufficiens gratia, & Spiritus S. illustratio, & inspiratio; aliter qui non obediunt, obligarentur ad impossibile, quod quamvis a Bajo, & Jansenio transmittatur, omnibus tamen non Catholicis duntaxat, sed etiam ratione utentibus videtur absonum, & inopinabile. Quis enim usque adeo tyrannide imbuitur, ut legem subditis imponat, quam implere non possunt, & pœnas exigat ob transgressionem? Quod si possit quidem lex impleri, sed nonnisi mediis in solius præcipientis potestate constitutis, & ea media legislator suis subditis denegaret, nonne hic esset iniquorum iniquissimus? Quomodo autem hoc somniari potest de clementissimo Numine, quod sic dilexit homines subditos, ac rebelles, ut pro iis Filium suum Unigenitum daret? Deuteron. 30. dicitur: *Mandatum hoc, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, sed juxta te est sermo valde in ore tuo, & in corde tuo, ut facias illum. Considera, quod proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & e contrario mortem, & malum; elige ergo vitam.* At quomodo eligere possemus, si gratiæ vires necessariæ ad eligendum non exhiberentur? Matth. 11. *Jugum meum suave est, & onus meum leve.* & 1. Jo. 5. *Mandata illius gravia non sunt*: quomodo autem non essent gravia, si executioni mandari non possent? Trid. sess. 5. c. 11. *Nemo temeraria illa, & a Patribus sub. anathemate probibita voce uti debet, Dei præcepta homini justificato ad observandum esse impossibilia.* Et Aug. de nat. & grat. c. 69. *Eo ipso quo firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus.* Cum autem peccatoribus obduratis, & a salute remotis difficilis sit resipiscentia, facile tamen sit iis orare, ac petere a Deo non solum uberem gratiam, ut facile possint resipiscere, sed etiam unctionem Sancti Spiritus, qua de facto resipiscant, idcirco ut præceptum revertendi ad Dominum impleant, tenentur media necessaria adhibere, videlicet orationem, qua postulent gratiam illam a Domino, advertentes, quod ut nostræ petitiones vim habeant apud Dominum, ipse etiam Spiritus Sanctus, ut habetur Rom. 8. *adjuvat infirmitatem nostram; nam quid oremus, sicut oportet, nescimus; sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Inde eandem sententiam reliqui SS. PP. conspirant apud Rip. disp. 23. n. 118. præsertim Basilius dicens: *Sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus, ac justus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, fuisset largitus*: & D. Leo, *Juste nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio.*

V. Respondent Janseniani, Deum præcipere non posse impossibilia in natura integra, quia id saperet tyrannidem, non tamen in natura lapsa, quia potest in pœnam peccati originalis auxilium cæteroqui debitum subtrahere. Sed Scripturæ, concilia, & Patres adducti loquuntur de præceptis Divinis, quæ de facto dantur in natura lapsa. Quamvis enim ob peccatum originale potuerint homines tamquam filii iræ privari gratia justificante naturæ indebita, non poterant tamen novis præceptis onerari, quæ implere non possent, & ob eorum violationem pœna æterna puniri. Cum enim ista nova transgressio non esset culpabilis, non poterat pœnam demereri; Sicut qui Breviarium projicit reddendo se impotentem ad Horas præceptas recitandas, poterit quidem ob Breviarii projectionem a Deo puniri, non tamen ob omissionem Horarum, pro quando ea non est culpabilis, nisi in causa; & similiter nec homicidium in ebrietate patratum puniri potest a Deo nova pœna præter illam, quam meruit homicida inebriando se, & prævidendo periculum homicidii secuturi. Aliter amens a nativitate, si post susceptum baptismum, & gratiam baptismalem alium inculpabiliter occideret, & decederet, deberet in infernum detrudi propter tale homicidium, tanquam culpabile in sua causa, nempe in peccato originali, quod reddit homines amentiæ obnoxios, vi cujus citra libertatem formalem patratum fuit hujusmodi homicidium. Quis autem id deglutiat?

VI. Adde, quod præcepta Divina essent prorsus inutilia, si finis illorum, nempe opus præceptum, obtineri non posset; non secus ac esset inutile, ac indignum Deo præceptum impositum catenis vincto, ut ambulet, si catenæ non solvantur, quamvis ob culpas præteritas in vincula fuerit conjectus; & fatuum esset præceptum impositum homini, ut mortuos exuscitet, si desit illi gratia miraculorum patrandorum.

VII. Quod si reponant Adversarii, præceptum deservire hominibus, ut orent, & petant gratiam medicinalem efficacem, qua præceptum impleant, juxta illud Tridentini sess. 6. cap. 11. *Impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis*: Contra est, quia in tali casu si solum urge-

urgerentur præcepto orandi, ut possent gratiam sufficientem consequi ad alia præcepta servanda, solum peccarent, & punirentur ob neglectam orationem, quam possent ponere, non propter transgressionem præceptorum, quæ non possent implere. Præterquamquod si urgentur præcepto orandi; ergo jam habent sufficientiam ad orandum, & sic ad obtinendas vires requisitas ad alia præcepta implenda; atque adeo falsum omnino est, quod desit in natura lapsa auxilium sufficiens ad legem implendam.

VIII. Neque replicent, quod obduratis, & obcæcatis hæc auxilia desint. Nam si aliquando isti carent gratia sufficienti ad implenda præcepta, tunc si non adimpleant, nullam certe contrahunt novam culpam distinctam ab ea qua gratiæ subtractionem meruerunt. Hinc si peccator in pœnam suæ culpæ de cælo tangatur, quin possit elicere actum dilectionis Dei præceptum in articulo mortis, non punietur in inferno per hoc, quod hunc actum omiserit, quem physice ponere non potuit, sed solum ob culpam, ob quam meruit de cælo tangi, & carere auxiliis, quæ Deus aliis non denegat in articulo mortis ad ponendos actus Theologales præceptos. Cæterum quando a Tridentino monemur ad orandum, & petendum, quod non possumus, ut præcepta, cæteroqui impossibilia, servemus, non solum est sermo de impossibilitate physica, sed etiam de morali: Potest quippe Deus præcipere, quæ sunt moraliter impossibilia, sed semper est paratus oranti dare vires, ut facile ponatur, quod cæteroqui esset moraliter impossibile; quod Augustin. lib. de Perfect. justorum cap. 3. docuit docens: *Ut cum se non posse perspexit, Medicinam requirat*. Hac de causa Tridentinum sess. 6. cap. 11. ubi docet, Deum impossibilia non jubere, sed jubendo simul monere, ut faciamus quod possumus, & quod non possumus, petamus, quia adjuvat ut possimus, statim subdit, quod habetur Matth. 11. Mandata ejus gravia non esse, sed ejus jugum esse suave, ac onus leve, ut doceret, licet aliquando jubeat, quæ sine magna difficultate executioni mandari non possunt, unde de se sunt moraliter impossibilia, si tamen petamus ab eo auxilium, ut facile obtemperare possimus, illud benignissime nobis esse conferendum, ut præcepti durities gratia emolliatur, & nullum facessat negotium ejus observantia. Idque Augustinus advertit lib. de perfect. justit. n. 21. dicens: *Oret gemitu voluntatis, & impetret donum facilitatis*; necnon Leo serm. 5. de Quadrages. ubi habet: *Si quid arduum in mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad jubentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, & præstet auxilium.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XV.

Decimaquinta pariter docet, Deum vi interioris gratiæ operari in humano corde obedientiam illam, quam petit. Ex quo fit, eum, qui non obedit, gratia destitui, atque adeo carere viribus requisitis ad obtemperandum: Quod si verum haberet, nullatenus hic peccaret non obtemperando. Etenim ex Augustino de liber. arbit. cap. 48. *Quis peccat in eo, quod cavere nullo modo potest?* Quid autem absurdius, quam de se citra culpam transgredi mandata divina? Nisi quis subscribere velit thesi illi Bajanæ, quæ habet: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

PROPOSITIO XVI.

Nullæ sunt illecebræ, quæ non cedant illecebris gratiæ, quia nihil resistit Omnipotenti. *Quesnel. Act.* 8. 12. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Gratiæ illecebræ non semper necessitant moraliter, nedum physice.

II. Aliter aut nunquam, aut raro admodum homines invitamentum gratiæ respuerent.

III. Parabola invitantis ad cœnam, quam levibus de causis invitati recusarunt, symbolum est gratiæ invitantis ad salutariter operandum.

IV Janseniani admittunt in peccatoribus tenuem quandam gratiam interiorem insufficientem ad operandum, quippe quæ præfocatur a cupiditate victrici. At quomodo possent a Deo exprobrari, si deesset illis gratia omnino sufficiens?

V. Ex Scripturis, & Tridentino perspicuum fit, posse hominem illecebris gratiæ, ac ipsi Omnipotenti suo modo resistere; quamvis verum pariter sit, quod nemo possit resistere voluntati divinæ.

I. Quis dubitet illecebras gratiæ usque adeo posse crescere, ut necessitatem moralem inducant ad bene operandum? non secus ac illecebræ humanæ cupiditatis usque adeo sæpe crescunt, ut inducant moralem necessitatem ad peccandum: quamvis Deus id non permittat, nisi in pœnam culparum præteritarum, quibus circumscriptis, *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra illud, quod potestis*, ut habetur 1. ad Cor. 10. Neque enim Deus solum non patitur nos tentari supra illud, quod physice possumus, cum tentatio non cadat nisi relate ad ea, quæ physice omitti possunt, nec requiritur ulla Dei benigna promissio, aut fidelitas ad non permittendam tentationem adversus ea, quæ physice poni non possunt: sed nec patitur nos tentari ab illecebris hujus seculi supra id, quod moraliter possumus, nisi nosmet culpis nostris ingentes vires tentationibus, ac illecebris superaddamus. Ex hoc autem quod illecebræ gratiæ sint secundum se longe præstantiores, & efficaciores quibuscumque aliis illecebris, non fit, quod Deus semper ac gratiam suam donat nobis, simul necessitatem moralem ad bene operandum imponat, & multo minus necessitatem physicam, quam Auctor hujus thesis contendit, enunciando, quod nihil Omnipotenti resistat, ex dictis in thesi decima quarta.

II. Hujusce afferti falsitas ex eo elucet, quia si gratia imponeret necessitatem physicam ab bene operandum, nullum meritum haberetur in nostris operationibus, sicut non habetur meritum, aut demeritum in motibus primo primis; Si vero solum imponeret necessitatem moralem, sequeretur, quod aut nunquam, aut raro admodum homines gratiam invitantem respuerent, atque adeo vix esset in hominibus peccata reperire; cum tamen stultorum, seu peccatorum infinitus sit numerus, ut dicitur Eccles. 1. ergo illecebræ non semper necessitatem moralem inducunt, & nunquam necessitant physice.

III. Ad vivum exprimit gratiæ invitamentum ad bene operandum parabola illa Christi Domini Lucæ 14. de homine invitante ad cęnam ; ad quam alii ex invitatis alias intexuerunt excusationes , hic , quod villam emptam esset invisurus , ille quod juga boum , quæ emerat , erat probaturus , alius quod uxorem duxerit ; ecce quomodo magnis cœnæ illecebris levibus de causis nuntium omnes remiserint . Qua de causa iratus homo ex vicis , & plateis Civitatis pauperes , ac debiles , cæcos , & claudos introduxit , compellendo etiam illos ad ingressum : quod fuit symbolum gratiæ compellentis , hoc est moraliter necessitantis suis illecebris pauperes spiritu , cœcos ad hujus sæculi vanitates , & simpliciter debiles , & claudos , qui malunt uno duntaxat oculo , ac pede in Cęlum ingredi , quam duobus mitti in gehennam.

IV. Jansenius , & Jansenii asseclæ admittunt in natura lapsa in iis , qui legem transgrediuntur , quandam tenuem gratiam interiorem, sed insufficientem ad bene operandum , eo quod a cupiditate victrice præfocetur : Hujus tantum gratiæ illecebris putant posse hominem citra libertatem indifferentiæ resistere , quoad effectum , quem illa posset producere, si non præfocaretur a cupiditate, quem tamen nunquam producit , nec Deus vult , ut producatur . Quod si illecebræ gratiæ ex Christi meritis collatæ ad curandam ægritudinem naturæ lapsæ vincant illecebras cupiditatis , eo ipso voluntas citra libertatem indifferentiæ producit infallibiliter effectum, quem Deus intendit, & vult, ut producatur . At Catholici ex opposito docent , quod non possit homo transgredi legem demeritorie , quin polleat gratia de se sufficienti ad bonam operationem ponendam , & cui possit voluntas aut consentire , aut resistere impediendo effectum , seu legis observantiam , quam Deus intendit , ac præcipit . Quomodo enim posset peccatori Deus exprobrare , quod in vacuum gratiam Dei receperit , quod fuerit lumini rebellis, quod gratiæ defuerit, si nullatenus posset gratiæ illi consentire? Sicut enim non potest exprobrari ægroto,quod non curetur , si careat pharmaco sufficienti ad illum curandum, & solum propinetur illi cibus , qui sufficeret ad curationem , ubi vis morbi vires talis cibi non præfocaret ; nec potest exprobrari mancipio , quod non se redimat , si solum detur ei pecunia insufficiens ad se redimendum ; nec quisquam, cui cor sapiat , exprobrabit compedibus præpedito , quod non fugiat , si careat viribus ad effringendas compedes necessariis ; ita non potuisset Christus Dom. Judæis exprobrare, quod non egerint pœnitentiam , quam Tyrii , & Sidonii egissent, si tot signa , & virtutes vidissent , ubi Judæis defuit gratia interior non præfocata a cupiditate victrice , sufficiens ad pœnitentiam agendam , quæ Tyriis , & Sidoniis non defuisset ; nec potest ulli exprobrari , quod desit gratiæ , si hæc superata , ac depressa a cupiditate solum producit effectum quem potest producere , & Deus vult , ut producat, non producit tamen bonam operationem, eo quod illam producere non potest , nec Deus vult, ut producatur , juxta doctrinam, seu potius errores Jansenistarum . Negata quippe gratia de se sufficienti nemo peccaret tentationibus succumbendo , ac violando præcepta , cum nemo peccet ex August. in eo, quod vitare non potest. Ubi adverte, Jansenianos, ut videantur recedere a secunda Jansenii proscripta thesi, in qua dicitur, *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur* , commentum hoc effinxisse , quod scilicet omnis gratia sit efficax, in quantum quælibet habet effectum , quem Deus vult illam habere; non tamen omnis gratia sit victrix, cui non resistatur, quandoquidem aliqua gratia Deo annuente superatur, ac vincitur a concupiscentia prævalente, & a carnis delectationibus, unde ex Dei voluntate nequeat actum salutarem præceptum , puta contritionem peccatoris, producere, quamvis spectata duntaxat natura, seu entitate sua posset illam producere. Sed effugium est omnino inane , ac excogitatum ad fucum faciendum rudibus Catholicis , & incautis. Etenim juxta hanc viam voluntas non posset gratiæ resistere in sensu Conciliorum, videlicet cum libertate indifferentiæ ad ponendum , vel non ponendum actum salutarem præceptum . Quomodo enim gratiæ voluntas resistit resistentia proprie dicta , si necessario determinatur a delectatione carnali , & trahitur ad actum pravum ? Quomodo dici posset , quod Deus sit Adjutor , & Auxiliator noster in bello, in quo jugiter versamur adversus carnem, ejusque desideria, si nullam nobis opem ferret, aut ejus indolis præstaret auxilium, ut impar esset ad carnis desideria, ac delectationes expugnandas?

V. Constat itaque , quod in statu naturæ lapsæ detur gratia sufficiens , cujus illecebris voluntas resistat, per hoc quod nolit illi consentire , prout Deus præcipit : Et juxta hunc sensum potest humana voluntas ipsi Omnipotenti obluctari ; quamvis in alio sensu (quem in thesi 13. explicavimus) nemo sit, qui divinæ voluntati resistere possit . Hinc Prov. 1. dicitur ; *Vocavi , & renuistis* : & Trident. sess. 6. cap. 6. *Tangente Deo cor hominis*, &c. *inspirationem illam recipiens abjicere potest* . Idemque pariter definivit Concilium Senonense anno 1528. in decr. Fidei 15. dicens: *Non est hujusmodi trahentis Dei auxilium, cui resisti non possit*. Quod confirmatur ex eo, quod Trid. sess. 6. cap. 11. docet ex August. de nat. & grat. c. 26. dicens: *Deus sua gratia semel justificatos non deserit , nisi ab eis prius deseratur* ; non potest autem aliter homo Deum deserere, quam divinæ gratiæ obluctando . Quare potest voluntas humana illecebras gratiæ omnipotentis Dei respuere; sicut etiam potest illas libere amplecti, consentiendo gratiæ , ac obtemperando Omnipotenti.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XVI.

DEcimasexta negat , illecebras gratiæ superari posse a quibuscunque aliis illecebris , puta concupiscentiæ , docens id oriri ex eo, quod nihil possit resistere Omnipotenti . Falsum tamen est primo, quod in eo, qui moraliter ad peccandum necessitatur , non sint vividiores illecebræ, quas habet a concupiscentia, quam sint illecebræ, quas habet a gratia , a qua vires habet requisitas ad resistendum illecebris concupiscentiæ: (si enim ea gratia careret , succumbendo illecebris concupiscentiæ , proculdubio non peccaret) quis enim ignoret, sæpe nos magis allici a delectabili , quam ab honesto? Falsum pariter est , quod homo gratiæ , ac ipsi omnipotenti Deo nunquam resistat,

stat, cum non aliter possit homo peccare, quam resistendo gratiæ, qua fit potens, & allicitur ad non peccandum, ac resistendo omnipotenti voluntati Divinæ, omittendo, quæ Deus vult, ac præcipit, & ponendo, quæ Deus non vult, ac prohibet.

PROPOSITIO XVII.

Gratia est vox illa Patris, quæ homines interius docet, ac eos venire facit ad JESUM Christum; Quicunque ad eum non venit, postquam audivit vocem exteriorem Filii, nullatenus est doctus a Patre. *Quesn. Jo. 6.* 45. *edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Quesnellus ex Calvino negat esse doctum a Patre, seu præditum gratia sufficienti ad salutem, qui non didicit, nec venit ad Christum per operationes salutares.

II. Verum quidem est, quod omnis, qui didicit, & venit ad Christum, sit doctus a Patre: at non e converso; plures quippe illustrantur lumine superno, & audiunt doctrinam Patris, quin tamen discant, & veniant ad Christum.

III. Erronee dicitur, quod qui non discit, nec venit ad Christum, nullatenus a Patre edoceatur, & illustretur.

IV. Ex Tridentino, qui inspirationem, seu doctrinam Patris recipiunt, possunt illam abjicere per dissensum, & sic non discere.

V. Delusorie Christus Dominus invitaret omnes, ut veniant ad se, si denegaret illis illustrationem præbentem vires, qua venire possent.

I. ITem in hac thesi diserte docet Auctor, deesse peccantibus Gratiam interiorem sufficientem ad non peccandum, cum dicat nullatenus esse doctum a Patre, qui ad Filium non vadit, postquam ejus exteriorem vocem invitantem audivit. Videtur thesis hæc niti verbis Christi dicentis Joan. 6. *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me.* Ex quibus videtur inferri, quod qui non venit, non didicerit, atque adeo non sit doctus a Patre. Quod videtur etiam innuere ipse Augustinus lib. de prædest. Sanct. cap. 8. ubi, *Quid est*, inquit, *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me, nisi, Nullus est, qui audiat, & discat a Patre, & non veniat ad me? Absit, ut quisque non veniat, qui a Patre audivit, & didicit.* Quibus Augustini verbis inaniter nixus Calvinus, ut gratiam sufficientem a Tridentino assertam expugnaret, in Antid. Conc. Trident. sess. 6. cap. 4. dixit: *Aperte repugnat, quod hic pronunciant Tridentini Patres, cum illa sententia, Quisquis audivit a Patre, & didicit, venit ad me. Nam ut prudenter advertit Augustinus, inde sequitur nullum a Deo audire, & discere, quin simul in Christum credat: motumque Spiritus S. sic esse efficacem, ut fidem gignat: Constituere autem hoc in hominis optione, ut Dei inspirationi, si velit, auscultet, hoc nullo modo conciliari potest.*

II. Verum quod nec verba Christi D. nec Auctoritas Augustini faveat huic thesi, expungenti gratiam pure sufficientem, ex eo manifeste colligitur, quod Calvinus testatur, videlicet sententiam hanc repugnare doctrinæ Synodi Tridentinæ, quæ loco laudato anathematizat, qui dixerit liberum arbitrium a Deo motum, & excitatum non posse Deo excitanti, & vocanti dissentire, si velit; atque adeo ex Tridentino stare potest, quod Deus excitet, & vocet hominem, & hic audiat a Patre docente, quid facere debeat, quin tamen consentiat, & discat veniendo ad Filium. Quare verba laudata Christi D. significant, (prout exponuntur ab Angelico in Jo. Lect. 5.) quod quicunque a Patre interius illustrante, ac inspirante audierit, & simul libere consentiendo didicerit, venit ad Filium per fidem, spem, & dilectionem supernaturalem. Propterea Augustinus loco laudato docet impossibile esse, quin veniat ad Filium, qui audivit a Patre, & simul consentiendo didicerit, non tamen negat multos vocari, edoceri, & audire, quin tamen libere consentiendo discant, & veniant; quia scilicet gratiæ vocanti, ac Spiritui Sancto inspiranti resistunt, nolente profectum a doctrina Patris reportare.

III. Et sane, quod possit homo vocari a Patre, & vocem audire, ac suo modo in actu primo edoceri de via salutis capessenda, quin veniat per fidem, spem, & dilectionem ad Filium, atque adeo quin discat, & veluti in actu secundo edoceatur, profectum ex auditione doctrinæ reportando, constat ex Scripturis passim id testantibus. Prov. 1. dicitur: *Vocavi, & renuistis.* Psalm. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.* 2. ad Cor. 7. *Exhortamur ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quid enim est respuere vocantem, & cor obdurare vocibus invitantis ad pœnitentiam, ac in vacuum gratiam recipere, nisi a superna gratia, & cœlesti doctrina illustrari, & moneri, nolle tamen doctrinam excipere, seu in actu secundo per liberum consensum edoceri, ac discere? Hæc enim optime cohærent, quod aliquis doctrinam audiat, & ab ea illustretur, & quadantenus doceatur, quin tamen in actu secundo edoceatur, seu discat, doctrinam excipiat, illique adhæreat. Profecto Judæi suo modo a Christo D. edocebantur, quando Lucæ 14. *erat quotidie docens in Templo*, & quando Jo: 9. Judæi dixerunt: *In peccatis natus es totus, & doces nos?* Nihilominus doctrina Christi ita illustrabantur, ut illi non acquiescerent; unde non discebant, nec in actu secundo per liberum consensum edocebantur. Hinc dici non poterat, quod nullatenus edoceantur a Patre (prout exprimit hæc thesis Quesnelliana) qui audiunt vocem, ac doctrinam Filii, & ad illum non vadunt, nec satagunt ediscere. Et in hoc eodem sensu accipiendum est id, quod dicitur etiam Jo: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*; non enim significatur, quod non possit venire, nisi qui trahitur in actu secundo, ita ut de facto veniat, videlicet per gratiam efficacem; sed sit sensus, quod non possit venire, nisi per gratiam sufficientem trahatur, seu alliciatur; ut proinde vere trahatur, ac possit venire, etiam qui non venit; Sicut vere docetur, ac potest discere, etiam qui non discit: Aliter non diceretur Ps. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, si idem esset audire, & doceri, ac discere, idemque esset trahi, ac venire. Quod ex eo fit perspicuum, ut advertit Suar. lib. 5. de Grat. cap. 16. quia cum dicatur nemo posse ad Christum venire, nisi trahatur, aperte sequitur e converso,

 quod

quod qui potest venire, de facto trahatur; atqui etiam per gratiam sufficientem homo potest ad Christum venire; ergo etiam per gratiam sufficientem, & non duntaxat per efficacem homo trahitur a Patre, quamvis ad Christum venire renuat.

IV. Confirmatur, quia Trid. sess. 6. cap. 5. habet: *Tangente Deo cor hominis*, &c. *inspirationem illam recipiens abjicere potest*, quibus verbis denotatur apertissime, quod in peccatoribus divinam inspirationem abjicientibus detur gratia sufficiens, qua edoceri possint in actu secundo, seu discere per liberum consensum; quia tamen dissentiunt, solum habent internam inspirationem, & illustrationem, atque adeo doctrinam velut in actu primo, quin tamen inspirationem illam recipiant edi-scendo, ac debitum ex illa profectum reportando. Quare nequit dici, quod nullatenus sit edoctus a Patre quicumque non didicit, & eatenus ad Christum non venit, postquam vocem Filii exterius audivit.

V. Quod si deficeret iis gratia interior sufficiens, ut ea adjuti ad Filium venire possint, quomodo a Christo D. invitarentur verbis illis Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos?* Nonne delusorie invitantur ii, qui venire non possunt? Ne ergo dicamus, quod delusorie invitentur, dicendum, omnibus, etiam peccatoribus, & infidelibus gratiam sufficientem interiorem ex Christi meritis conferri, qua illustrati, & sufficienter edocti a Patre, ac adjuti discere possint, & ad Filium per fidem, & liberum consensum venire, excipiendo doctrinam ab eo traditam; dicitur enim Eccles. 32. *Qui timet Dominum, excipiet doctrinam ejus.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XVII.

DEcimaseptima definit gratiam, dicendo esse Interiorem doctrinam Patris, quæ facit hominem ad Christum venire; additque nullatenus esse doctum a Patre, hoc est, nullam habere gratiam interiorem eum, qui audiendo vocem exteriorem Filii, puta adhortationes, ac conciones, ad illum non venit. Ex quo fit, quod peccator non veniens ad Christum careat interiori gratia, cæteroqui ad veniendum requisita, unde ad veniendum sit impotens, & ideo non veniendo non peccet. Adversus hanc thesim Concilium Coloniense par. 7. cap. 32. declarat: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem; attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur: cum ille semper stet ante ostium pulsans, nimirum per internum, & externum verbum, commonens, ut convertamur a via nostra pessima.* Falsum itaque est, quod nullatenus sit doctus a Patre, hoc est, nulla gratia interiori sit instructus, qui audiendo exteriorem vocem Filii, ad illum non vadit; & tanquam Doctore destitutus non discit: Et hac de causa peccat, qui audiendo voces exteriores Filii, ad illum non vadit, quia scilicet etiam vocatur, ac instruitur interius, & ex sua socordia non proficit.

PROPOSITIO XVIII.

Semen verbi, quod manus Dei irrigat, semper affert fructum suum. *Quesnel. Act. 11. 29. edit. 1793. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Apertissime thesis hæc a veritate aberrat: passim quippe semen verbi a Deo sine fructu irrigatur.

II. Aliter frustra a ficulnea illa Lucæ 13. per alium annum fructus expectaretur.

III. Nec poterat exprobrari vineæ illi apud Isaiam 5. quod fecisset labruscas, ubi uvæ expectabantur.

IV. Uvæ tamen, seu bonæ operationes dicuntur a Deo expectari in sensu Catholico, non in sensu Semipelagiano.

V. Semen, quod Deus irrigat gratia efficaci, semper affert fructum suum, non tamen quod irrigat gratia sufficienti.

I. SIcut non semper qui audit interius Patrem vocantem homines, ut ad Filium veniant, vocationi consentit, ut diximus in thesi proxime præcedente; ita non semper semen verbi, quod manus Dei irrigat, affert fructum suum. Semen verbi divini semper irrigatur Sanguine Redemptoris, quatenus ex meritis Christi Domini datur unicuique gratia sufficiens ad fructum ex tali semine reportandum (ut constat ex thesibus quarta, & quinta proscriptis ab Alex. VIII. in quibus dicebatur, quod Christus Dom. dederit semetipsum pro omnibus, & solis Electis: & quod Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum recipiant a Jesu Christo influxum; unde careant omni gratia sufficienti) fructus tamen solum reportatur a semine, quod cadit in terram bonam, in qua retinetur, & fructum affert in patientia, non vero a semine, quod seminatur secus viam, aut supra petram, aut supra spinas, ut dicitur Luc. 8. non quia manus Dei illud non irrigat, sed quia si secus viam cadat semen Verbi, diabolus venit, & tollit illud; si supra petram, radices non ponit, sed arescit, unde in tempore tentationis non fert auxilium opportunum; si supra spinas, hoc est inter solicitudines, divitias, & voluptates vitæ, suffocatur, & non refert fructum expectatum: Defectus itaque hujus fructus non est a Deo seminante verbum, & irrigante semen, sed a terra nostri cordis, quæ illud non custodit a Diabolo, & a tentationibus, ac illecebris seculi.

II. Apertius id innuitur in parabola de quærente fructum in ficulnea, quæ per triennium non dederat fructum: unde Dominus dixit cultori, Lucæ 13. *Succide illam: ut quid etiam terram occupat?* At ille respondens dixit: *Domine, dimitte illam & hoc anno, usquedum fodiam circa illam, & mittam stercora; Et si quidem fecerit fructum, sin autem, in futurum succides eam.* Quare defectus fructuum non oriebatur nisi ex defectu, & socordia cultoris, non ex defectu humoris, qui ficulneæ deesset; Aliter frustra dominus vineæ expectaret per alium annum ad illam succidendam; cum nonnisi fatuus a trunco, & stipite, aut a lapide carentibus humore debito fructum potuerit expectare.

III. Ad-

III. Adhuc apertius id exprimitur verbis illis Isaiæ 5. *Quid est, quod debui ultra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Si Dominus fecit vineæ id, quod potuit; *sepivit eam, & lapides elegit ex illa, & plantavit eam electam, & ædificavit turrim in medio ejus, & torcular extruxit in ea;* Vinea vero loco uvarum dat labruscas, defectus est solum ex parte vineæ male utentis beneficiis a Domino præstitis. Quod si defectus esset etiam ex parte Domini non irrigantis illam, frustra hic expectaret uvas, nec posset vineæ illi exprobrare, quod ipse fecerit quodcunque potuit, ut uvas produceret.

IV. Ubi Adverte, in duplici sensu posse dici, quod Deus expectet nostram operationem bonam; quorum alter est Semipelagianus, alter Catholicus. Sensus semipelagianus est, quod Deus expectat nostram operationem bonam naturalem, ut conferat gratiam supernaturalem, *ne penitus dormienti*, (ut loquitur Cassianus Semipelagianorum Antesignanus, coll. 13. cap. 13.) *aut inerti otio dissoluto sua dona conferre videatur*. Sed adversus hosce hæreticos Concilium Arausicanum damnat has theses, videlicet can. 6. *Sine auxilio gratiæ credentibus, volentibus, conantibus adjungitur gratia*; & can. 25. *In opere bono nos incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur*. Et ratio est, quia si bonis operationibus naturalibus adjungeretur gratia, illæ essent quoddam meritum ad gratiam, unde gratia daretur ut præmium, & ut debita illis operationibus, atque adeo gratia non esset gratia; quod aperte docet Apostolus ad Roman. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. Et ad Rom. 4. *Ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*. Utrum autem operationes naturales possint ad gratiam disponere saltem mere negative, itaut Deus exigat illas solum ut conditionem ad gratiam conferendam, non vero tanquam dispositiones positivas, & meritum congruum? discutiant Scholastici. Equidem in Cursu Theologico p. 3. disp. 1. q. 8. negandum censui, quia nisi lis sit de voce, adhuc haberent rationem meriti congrui; eatenus enim conferretur gratia suppositis illis operibus honestis naturalibus, quia congruum est, ut hæc potius, quam alia opera aut indifferentia, aut mala viam muniant ad gratiam.

Sensus deinde Catholicus est, quod Deus expectet nostram operationem bonam, quatenus expectat nostram cooperationem auxilio gratiæ suæ, ut expleatur voluntas sua conferendi gratiam illam propter bonam nostram operationem. Hoc posito non potest a Deo hæc nostra cooperatio expectari, nisi detur gratia, cui cooperamur. Quod si Deus hanc nostram cooperationem expectat, etiam quando non cooperamur, & ex propria culpa illam subtrahimus, consectarium est, quod detur gratia sufficiens, etiam quando nostra operatio desideratur; dari autem gratiam sufficientem sine nostra operatione salutari, nihil aliud est, quam semen verbi a manu Dei irrigari, quin afferat fructum suum.

Confirmantur hæc omnia verbis illis 2. Cor. 6. *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* Quæ verba expendentes D. Ambrosius, & D. Thomas apud Suar. lib. 5. de Grat. cap. 31. dicunt: *Tunc gratia in vacuum recipitur, quando nullus ex ea fructus percipitur*, juxta illud Isaiæ 55. *Sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui*. Quare ne derisioni exponatur Apostoli adhortatio, dicendum, conferri sæpe a Deo gratiam sufficientem, seu gratiam, quæ ex intentione divina producat effectum salutarem, nisi ex nostra culpa impediatur, unde in vacuum ea recipiatur: Propterea Augustinus lib. de Gratia, & lib. Arbit. cap. 5. execrans gratiam, quæ imponat necessitatem utendi illa, ostendit frustraneam fore hanc Apostoli adhortationem, si gratia deberet necessario esse efficax, & non posset ad arbitrium nostræ voluntatis esse mere sufficiens, dicendo: *Ut quid eos rogat, si gratiam sic susceperunt, ut amitterent liberum arbitrium?*

Hanc pariter Catholicam veritatem diserte insinuant verba illa Apostoli 1. Cor. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum, gratia ejus in me vacua non fuit*; si enim efficax gratia Paulo collata non potuisset esse vacua, & inefficax, inepte gloriaretur, quod abundantius aliis Apostolis laborasset: Quia tamen gloriatio isthæc non erat de propria virtute, sed de virtute gratiæ, ideo subdit: *Non ego, sed gratia Dei mecum*; quasi diceret, ut exponit Augustinus, *Nec gratia Dei sola, nec ipse solus, sed gratia Dei cum illo*; Quandoquidem gratia Dei efficaciam non habet sine habitudine ad liberam arbitrii cooperationem, ex qua fit, ut vocatio non sit vacua, seu pure sufficiens, sed sit efficax. Quod pariter docuit Angelicus in 1. Thessalon. 5. ubi exponens verba illa, *Spiritum nolite extinguere*, ac declarans quibus modis possit extingui Spiritus Sanctus, non quidem in se, sed in nobis, docet unum ex modis esse, quod ejus vocationem reddamus vacuam, impediendo, ne semen Verbi fructum afferat a Spiritu Sancto intentum, dicens: *Cum aliquis bonus motus surgit, & homo impedit, extinguit Spiritum Sanctum. Act. 7. Vos semper Spiritui Santo resistitis.*

V. Ex quibus fit, semen, quod Deus irrigat gratia sua efficaci, semper afferre fructum suum, non tamen semen, quod Deus irrigat gratia sufficienti; non quod ista non sit satis, ut fructus detur, aut quod Deus non det eo animo gratiam sufficientem, ut fructus inde exurgat, sed quia voluntas culpabiliter renuit gratiæ cooperari. Hinc Augustinus Psalm. 124. dixit: *Cor eorum congelascit adversus Deum, & fit durum adversus imbrem gratiæ ipsius, ne fructum ferat*. Dari autem gratiam sufficientem, & quidem etiam Infidelibus, constat ex proscriptione quintæ thesis facta ab Alexandro VIII. quæ habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti*. Quare semen verbi Sanguine Christi D. irrigatur etiam relate ad Infideles, quin tamen fructus reportetur ex ipsorum culpa; quod fusius dicendum in thesi vigesimasexta.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XVIII.

Decimaoctava vult, semen Verbi a Deo irrigatum semper afferre fructum suum, hoc est semper homi-

homines obtemperare Deo, si verbum Dei, quo ad obedientiam incitantur exterius, cum gratia interiori conjungatur: Ut proinde Quesnellus velit, gratia omni interiori destitui peccatorem, qui verbum Dei audit, & non affert fructus contritionis, ac pœnitentiæ. Cum autem inconcussum sit, requiri in peccatore gratiam interiorem supernam ad ponendam contritionem præceptam, quæ ad justificationem disponat, (cum non possit actus naturæ viribus elicitus ad gratiam disponere) sequitur, quod si ea gratia careat peccator excitatus a Concionatoribus ad resipiscentiam, non peccet non ponendo resipiscentiam, quippe quam ponere non potest. Sequitur etiam, quod nunquam gratiæ interiori peccator resistat, contritionem omittendo: (quæ est ipsissima hæresis Janseniana) non enim resistit gratiæ interiori efficaci, quippe quæ semper affert fructum suum; neque gratiæ interiori sufficienti, si quoties datur gratia, semper conjungitur cum fructu intento: ergo nulli unquam gratiæ interiori in natura lapsa resistitur: hac etiam de causa nunquam peccatur.

P R O P O S I T I O XIX.

Dei gratia nihil aliud est, quam ejus omnipotens voluntas: hæc est idea, quam Deus ipse nobis tradit in omnibus suis Scripturis. *Quesn. Rom.* 14. 4. *edit.* 1693.

S Y N O P S I S.

I. Duplex error sub his verbis obtruditur, & quod gratia sit extrinseca, & quod sit irresistibilis.

II. Quod habitualis gratia sit nobis inhærens, & intrinseca docet Tridentinum.

III. Ea quippe radix est habituum supernaturalium, qui nobis infunduntur velut quædam potentiæ supernaturales, quæ connaturaliter sunt intrinsecæ.

IV. Diversimode Adam fuit caput generis humani, ac Christus Dominus est caput omnis principatus, & potestatis; idcirco licet per peccatum Adæ posteris extrinsecum physice potuerint infantes evadere peccatores; gratia tamen Christi nobis physice extrinseca non reddit homines justos.

V. Gratia pariter actualis, de qua hic est sermo, est etiam nobis, saltem connaturaliter, intrinseca.

VI. Hanc consistere in actibus intellectus, & voluntatis innuit Tridentinum. VII. Idea gratiæ in sensu Auctoris, quæ scilicet sit extrinseca, & irresistibilis, pugnat cum Scripturis, Conciliis, & Patribus.

VIII. Perperam, ac insulse nonnulli hic Quesnellum excusare contendunt.

I. Biceps anguis latet sub verbis adeo speciosis, videlicet & quod gratia sit Dei voluntas, & quod sit omnipotens. Etenim nec apte dicitur, quod gratia sit Dei voluntas, ita ut excludatur gratia, quæ sit homini intrinseca; quod videtur exprimi in Thesi 36., & 37.; ubi dicitur Gratia Adami in statu Innocentiæ recipi in propria persona, secus vero gratia Christiana; (quamvis non videatur in hac sententia fuisse Jansenius) Nec apte dicitur, quod Gratia sit Omnipotens, ita scilicet, ut non possit homo gratiæ interiori resistere in natura lapsa. Quod attinet ad hoc secundum, satis superque hactenus diximus, necnon in expositione 2. & 4. ex quinque Thesibus Jansenianis.

II. Quod attinet ad primum; sive sermo sit de gratia habituali justificante, & gratum faciente, sive de Actuali, qua hic, & nunc dantur in nobis vires supernaturales ad salutariter operandum, utraque est gratia intrinseca, & non mere extrinseca, & Dei voluntas, aut gratia Christi per Dei voluntatem, tanquam per formam extrinsecam, nobis appropriata. Et sane circa gratiam habitualem justificantem varie errarunt Heterodoxi; Lutherus docuit, haberi per justitiam Christi nobis imputatam; quod pariter docuit Calvinus; quamvis hic voluerit, quod solum remissionem peccatorum nobis conferret; Osiander docuit haberi per justitiam Dei nobis imputatam; Bucerus, & Pichius duplicem causam formalem justificationis nostræ agnoscebant, alteram imperfectam consistentem in virtutibus inhærentibus, alteram perfectam consistentem in imputatione justitiæ Christi in nobis. Doctrina tamen Catholica exprimitur a Tridentino sess. 6. cap. 7. ubi dicitur, unica esse causa formalis nostræ justificationis, Justitia Dei, *non qua justus est, sed qua nos justos facit, qua videlicet ab eo donati renovamur spiritu mentis nostræ, & non modo reputamur, sed filii Dei nominamur, & sumus.* Et can. 11. ab eodem Trid. anathematizatur, qui dixerit, *Homines justificari vel sola imputatione Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia, & charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum Sanctum diffundatur, atque illis inhæreat.* Quare esto possit in multorum sententia divinitus haberi effectus formalis gratiæ habitualis per formam extrinsecam, nempe per Dei voluntatem, qua det homini jus ad amorem sui amicabilem, & ad hæreditatem, de facto tamen juxta propriam connaturalitatem est forma intrinseca, & nobis inhærens, ut loquitur Concilium laudatum.

III. Et ratio apud Theologos est, quia dantur de facto in nobis actus Theologales Fidei, Spei, & Charitatis, ad quos aliquando exercendos obligamur; ergo debent etiam in nobis dari principia intrinseca horum actuum, videlicet habitus supernaturales harum virtutum: ergo dari pariter debet gratia justificans habitualis nobis intrinseca, & inhærens, quæ sit qualitas physica permanens supernaturalis, prima radix tam habituum, quam actuum supernaturalium. Utraque consequentia est probanda. Prima evincitur, quia quamvis Deus posset speciali concursu assistere potentiis naturalibus ad eliciendos actus supernaturales; at connaturalis modus operandi potentiæ creatæ postulat, ut per principium intrinsecum reddatur proxime potens, atque adeo connaturaliter dari debent principia intrinseca, & permanentia ad actus Fidei, Spei, & Charitatis supernaturales eliciendos, nempe habitus infusi: Ad eum modum, quo connaturaliter datur in Beatis lumen gloriæ intrinsecum in ordine ad producendam visionem Dei. Altera consequentia ex eo elucet, quia cum habitus infusi sint quædam potentiæ, & proprietates supernaturales, quæ dant simpliciter posse relate ad actus supernaturales, debent pariter supponere naturam ejusdem ordinis, quæ sit qualitas permanens, & intrinseca, cujusmodi est gratia, quæ dicitur esse supernaturalis, seu prima radix omnis supernaturalitatis, a qua

habi-

habitus infusi vel physice, vel moraliter fluunt, ita ut ab iis exigantur hic & nunc auxilia supernaturalia in ordine ad actus supernaturales eliciendos.

IV. Opponunt illud Apostoli ad Rom. 5. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per obedientiam unius justi constituuntur multi*; cum autem inobedientia Adæ constituerit homines peccatores, & non per formam intrinsecam, sed per hoc, quod peccatum Adæ fuerit nobis moraliter, & interpretative proprium, sequitur, quod obedientia Christi reddat nos pariter justos, & non per formam intrinsecam, sed per imputationem justitiæ Christi factam per voluntatem Dei tanquam per formam extrinsecam.

At longe diverso modo inobedientia Adæ reddit infantes injustos, ac obedientia Christi reddit eosdem justos per lavacrum Baptismi. Etenim peccatum Adæ non poterat physice ad infantes profluere; & propterea peccatum originale est proprium infantium proprietate actionis moralis: eo modo, quo voluntas Tutoris contrahentis est moraliter propria pupilli, ex hoc quod Tutor a Republica sit constitutus caput pupilli in ordine ad contrahendum; At Christus D. non est eodem modo constitutus caput morale fidelium; itaut obedientia Christi sit moraliter, & interpretative propria fidelium per unionem moralem voluntatum nostrarum cum voluntate Christi, eo pacto quo Adam fuit constitutus caput hominum; Sed Christus est nostrum Caput, in quantum ex meritis illius obtinemus gratiam physice inhærentem cum suis proprietatibus, seu virtutibus infusis exigentibus auxilia supernaturalia ad ponendos actus salutares meritorios vitæ æternæ. Quod docuit Trid. sess. 6. cap. 16. dicens; *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto meritoria esse possunt, &c.* In hoc etiam sensu dicitur ab Apostolo ad Ephes. 1. *Ipsum dedit Caput supra omnem Ecclesiam:* Et ad Coloss. 2. *Estis illo repleti, qui est caput omnis principatus, & potestatis.* Non est autem Christus Caput Ecclesiæ eo modo tantum, quo Pontifex, (videlicet in ordine ad gubernationem) sed est etiam Caput in ordine ad meritum gratiæ, & influxum in justificatos, tanquam in sua membra. Cum autem non sit mortuus ad Angelos redimendos, idcirco non dicitur Caput Angelorum per hoc, quod illis gratiam meruerit, & in illos gratiam influat ex meritis suis, sed inquantum est illorum dominator, itaut cum debito obsequio ejus mandatis morem gerant.

V. Quod attinet vero ad gratiam actualem, quod scilicet pariter sit intrinseca, & non sit Dei voluntas extrinseca, constat, tum quia debent auxilia actualia proportionari habitibus infusis, & gratiæ habituali, a quibus exiguntur; tum etiam quia actus naturales voluntatis connaturaliter procedunt a principio adæquate intrinseco. Cum autem Gratia, juxta commune effatum, accommodet se naturæ, sequitur, quod connaturaliter etiam actus supernaturales procedere debeant a principio adæquate intrinseco; atque adeo auxilium supernaturale, quo producitur actus salutaris connaturaliter est intrinsecum voluntati. Tum demum quia nomen hoc gratiæ actualis, seu auxiliaris proprie convenit actibus intellectus, & voluntatis, videlicet piis, & supernaturalibus cogitationibus, per quas, ut habet August. *apparet, quod latebat*, & sanctis ac supernaturalibus inspirationibus, ac delectationibus, per quas, ut habet idem Sanctus Doctor, *suave fit, quod non delectabat*; nec in Scripturis, Conciliis, & Patribus, aut Traditionibus fit mentio auxilii ullius supernaturalis consistentis in alia forma, aut qualitate mortua, seu non vitali, quæ disponat, & moveat voluntatem ad salutariter operandum; cum autem hujusmodi illustrationes, & inspirationes supernaturales sint actus vitales, proculdubio sunt qualitates physice inhærentes animæ: atque adeo gratia actualis, & auxiliatrix non est voluntas Dei omnipotentis, sed aliquid animæ intrinsecum, quod fit in nobis sine nobis, hoc est sine nobis libere operantibus; siquidem a Deo illustrationes istæ, & inspirationes nobis infunduntur, & iis adjuti ponimus actus liberos supernaturales, quos gratia efficax infallibiliter sive trahit, sive involvit, ut explicavimus in thesi tertia.

VI. De his illustrationibus, & inspirationibus supernaturalibus mentionem facit Trident. sess. 6. cap. 5. dicens: *Itaut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate possit:* Necnon Concilium Milevitan. cap. 4. ubi habet: *Utrunque est donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus*: Quod pariter Augustinus lib. 2. de peccat. meritis, & remiss. cap. 19. dixit: *Cum a Deo adjutorium deprecamur, quid aliud deprecamur, quam ut aperiat quod latebat, & suave fiat, quod non delectabat?* Et sane Deus in ordine gratiæ accommodat se naturæ, ut omnes fatentur, atque adeo per gratiam auxiliarem movet homines ad salutariter operandum modo consentaneo naturæ rationali; modus autem naturæ rationali consentaneus est, ut ad bonum prosequendum moveatur, tum ab illius cognitione, tum a complacentia, & delectatione, quæ ex eadem cognitione consurgit. Deus itaque in ordine gratiæ ad actus salutares pariter tam per cognitiones, quam per delectationes supernaturales movet voluntatem; atque adeo in his actibus, non in Dei voluntate consistit ratio gratiæ actualis.

VII. Denique quod Deus non tradat in omnibus suis Scripturis hanc ideam gratiæ, prout Auctor in hac Thesi comminiscitur, ex eo fit perspicuum, quod Scripturæ omnes conciliari debent cum sensu Conciliorum, quæ hac in re laudavimus: Juxta Concilia autem, quæ verum Scripturarum sensum nobis ediderunt, Gratia Dei, quæ nobis confertur, sive habitualis ea sit, sive actualis, non est voluntas Dei, nisi in sensu causali, non formali, quatenus a Divina voluntate nobis confertur; Et quando in Scripturis dicitur, quod Dei voluntas sit Omnipotens, quin possit quisquam ei resistere, intelligendum est juxta sensum in decimatertia, & in decimasexta thesi expositum, quod scilicet beneficio scientiæ conditionalium possit ineluctabiliter Deus a quacumque voluntate consensum liberum obtinere: cum habeat, ex Augustino, *inclinandorum, quo libet, cordium omnipotentissimam potestatem.* Proterea si per scientiam conditionalium

(si-

(sive scientia media illa sit attingens futura libera conditionalia in seipsis, sive sit scientia Visionis illa attingens in decreto absoluto ex parte actus, conditionato ex parte objecti) prævideat consensum sub auxilio A, illumque præfiniat conferendo tale auxilium ex animo consensus obtinendi, fieri non potest quin consensus ponatur. Nihilominus potest homo in alio sensu voluntati omnipotenti Dei resistere, & contraniti, quatenus libere potest non ponere, quod Deus præcipit, & sic Divinam transgredi voluntatem.

VIII. Ad excusandum Quesnellum comminiscuntur nonnulli, quod in hac thesi solum loquatur de Gratia efficaci, quæ in bono aliquo sensu dici potest Omnipotens, quatenus quomodocunque explicetur, ea est infrustrabilis, & nunquam caret effectu suo. Sed quisnam excusationem hanc non derideat? Etenim sive germanus verborum sensus spectetur, sive mens Auctoris in aliis Thesibus non semel diserte explanata, sermo est de gratia secundum se, & in sua ampla significatione; unde non potest apte dici, quod thesis loquatur de Gratia in sensu restricto: Præsertim quia in hac thesi traditur Idea, ac definitio Gratiæ. Quare sicuti si quis diceret Animalis ideam esse, quod si Principium discurrendi, derideretur, si deinde ad excusandum errorem diceret, se loqui de Animali in sensu restricto, seu de Animali rationali: ita prorsus in casu nostro deridenda est excusatio, dum dicitur, quod hic ubi traditur Idea Gratiæ secundum se, sermo solum sit de Gratia in sensu restricto, seu de Gratia efficaci; quæ tamen neque est Dei voluntas. Præterquamquod cum dicatur in hac thesi Dei gratia nihil aliud esse, quam ejus omnipotens voluntas, expresse excluditur a conceptu gratiæ quicquid non habet rationem gratiæ efficacis.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XIX.

Decimanona audacter asserit, gratiæ ideam ex omnibus Scripturis desumptam, esse duntaxat omnipotentem Dei voluntatem. Quomodo autem ex Scripturis desumi potest, quod omnino a veritate abhorret, sicut est isthæc gratiæ Idea? Siquidem ex Conciliis, & Patribus perspicuum fit, gratiam tam habitualem, quam actualem esse homini intrinsecam, atque adeo non esse meram Dei voluntatem extrinsecam. Præterquamquod nomine voluntatis Dei omnipotentis significatur voluntas ejus, qui potest omnia, quæ vult, atque adeo ejus, qui de facto ponit quicquid vult; aliter quomodo vellet, si non poneret id, quod vult simul, & potest ponere? In hoc autem sensu, qui proculdubio est sensus verborum proprius, ac legitimus, latent errores Jansenianorum, quod scilicet omnis gratia sit efficax, eo quod omnis gratia dicatur esse Dei voluntas omnipotens ponens de facto quicquid vult; cum tamen constet dari in peccatoribus gratiam sufficientem ad ponendam contritionem præceptam, quin tamen ista ponatur, non quidem ex defectu divinæ voluntatis, sed ex defectu proprii arbitrii nolentis gratiæ cooperari: Vult enim Deus a peccatore contritionem, quæ dependenter ab ejus arbitrio ponatur. Præterea si omnipotens Dei voluntas esset gratia, sequeretur, quod relate ad reprobos, quibus deest gratia Prædestinationis, deesset pariter Dei voluntas omnipotens, quod salventur; unde verum non esset illud Apostoli 1. ad Timoth. 2. *Deus omnes homines vult salvos fieri*.

P R O P O S I T I O XX.

Vera Gratiæ idea est, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur; imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt. *Quesnel. Marc.* 3. 39. *edit.* 1693. *&* 1699.

S Y N Ò P S I S.

I. Non semper ac Deus vult obediri a creaturis liberis, obeditur; aliter nunquam peccarent.

II. Jansenius docuit, thesim hanc esse D. Augustini.

III. Cum potius sit Calvini, Lutheri, & aliorum docentium inobedientibus non dari a Deo vires ad obediendum.

IV. Quod si verum haberet, inanis fuisset exprobratio Judæis facta a Christo Domino.

V. Divina providentia exigit, ut gratiis externis, quas Christus non denegat peccatoribus; conjungantur internæ sufficientes ad imperata facienda.

VI. Quod Patres communiter docent, præsertim exemplo Pharaonis, & Nabuchodonosoris, qui iisdem donis a Deo fuerunt instructi, hic tamen ingemuit, illius vero cor libere obduratum fuit.

VII. Delectatio victrix Janseniana sive concupiscentiæ ad malum, sive gratiæ ad bonum exponitur, & exploditur.

I. In hac Thesi eundem Auctor recudit errorem, quem in superioribus, præsertim in undecima, & decimaquinta, cum quibus etiam phrasibus hæc valde concordat. Si vult Deus a creaturis irrationabilibus obediri, obeditur statim. *Ventis, & mari imperat, & obediunt ei*, Lucæ 8. loquitur tamquam Dominus, & creaturas ad nutum de nihilo extrahit. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt*: Psalm. 32. At creaturis rationalibus liberis imperat, & passim non obeditur. Jerem. 35. *Populus iste non obedivit mihi*. Rom. 50. *Non omnes obediunt Evangelio*. Quesnellus id tribuit defectui gratiæ, quam docet esse in natura lapsa adeo efficacem, ut impossibile sit Deum aliquid præcipere, quin obediatur. At si non obtemperantibus deesset gratia sufficiens ad ponendam operationem præceptam, nonne præceptum esset Deo indignum, & inobedientia ascriberetur Deo potius non subministranti vires, quam creaturis non obtemperantibus? Ad eum modum, quo si Deus Soli præciperet, ut Orbem illuminet, nec vires daret ad illuminandum, si igni ut calefaciat, nec vellet præbere suum concursum omnino necessarium ad quamcumque operationem creaturæ, nonne mandatum hujusmodi esset Deo indignum, & ipsi duntaxat imputabilis inobedientia? Quare ut possit homo, etiam in natura lapsa, libere mandatis divinis obtemperare, requiritur, ut gratia supernaturalis, quæ ex Christi meritis

ritis confertur obtemperantibus, non auferat libertatem indifferentiæ ad non obtemperandum; & ea, quæ confertur iis, qui non obediunt, pariformiter cohæreat cum libertate ad obediendum, atque adeo sit sufficiens ad ponendam operationem salutarem præceptam. Aliter Deus præciperet impossibilia, nullam conferens gratiam, qua possibilia fiant, quæ est prima ex quinque Thesibus Jansenii, quam hæreseos notavit Innocentius X.

II. Docet tamen Jansenius in hanc suam sententiam ivisse Div. August. Hæc enim habet lib. 7. cap. 2. *Dico igitur S. Augustini principiis insistendo, aliquid omnino esse præter nudam voluntatis facultatem, quod eam faciat velle, vel nolle, quo omnino absente, sit impotens, præsente potens, sive ad bonum, sive ad malum*. & cap. 2. dicit id esse *delectationem victricem*; quatenus si in voluntate delectatio supernaturalis orta a gratia præfocet, & vincat delectationem cupiditatis, tunc voluntas sit potens ad bene operandum; si vero delectatio cupiditatis præfocet, ac vincat quandam tenuem delectationem ortam a charitate, tunc voluntas sit determinata ad malum, & impotens ad bonum; Cum autem uni Deo tribuatur gratia, quæ vincat delectationem ortam a cupiditate, idcirco uni Deo tribuitur bona operatio; & quia sine tali delectatione voluntas est impotens ad bene operandum, idcirco qui caret gratia efficaci, impotens est ad obtemperandum Deo præcipienti; quando vero confertur gratia efficax, & delectatio victrix, tunc Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt, loquitur tanquam Dominus, & omnia sibi submissa sunt.

III. Verum tam auctor hujus thesis, quam ejus magister Jansenius perperam jactitant id hausisse ex fontibus purissimis doctrinæ Augustinianæ, cum revera hauserint ex lacunis Hæreticorum, quod fuse ostendit Rip. disp. 23. sect. 2. Calvinus l. 2. Instit. cap. 7. habet. *Sit extra controversiam, impossibile esse in hac carne legis implementum*; & ibid. §. *Ejusmodi argutia vexabant Augustinum Pelagiani, injuriam fieri Deo, si plus jubeat, quam per ejus gratiam præstare queant fideles*. Et Lutherus in Confut. Rationis Latonomianæ: *Tot scripturæ testimonia probant mandatum esse impossibile nobis, ut nihil sit manifestius*. Similiter Melanchtonius ad cap. 4. Epist. ad Rom. *Cum mandat lex diligi Deum, perinde impossibilia jubet, ac si præcipiat nobis transvolare Caucasum*. Et Chemnitius ad sess. 6. Trid. can. 4. & 5. *non sunt frustra præcepta, etsi nihil possit liberum arbitrium sine gratia necessitante, quam soli Electi habent*; quæ est ipsissima Quesnelli pestilens doctrina in hisce proscriptis thesibus; cum doceat, præcepta divina, quibus aliquis actus supernaturalis injungitur, (puta contritio peccatori) si adsit gratia, eo ipso adjunctam habere secum obedientiam, seu contritionem præceptam; Quod si desit obedientia, seu contritio injuncta, tunc deesse etiam gratiam, sine qua contritio supernaturalis poni non potest; atque adeo tunc præceptum de ponenda contritione esse præceptum de re impossibili.

IV. Adversus hæc placita militant Scripturæ, Concilia, Patres, & rationes in superioribus thesibus adductæ, & infra etiam ulterius adducendæ: Exprobrationes quippe, quæ in Scripturis passim fiunt inobedientibus comparative ad alios obedientes Divinis Mandatis, indicant, utrosque gratia sufficienti, & ad minus æquali esse instructos ad legem servandam, cæteroqui vana esset exprobratio: possent enim exprobranti reponere, quod ea de causa sint inæquales relate ad obedientiam, quia fuerunt inæquales in ordine ad obediendi potestatem, ex defectu gratiæ sufficientis. Celebris est illa exprobratio facta Judæis Matth. 11. & Lucæ 10. *Tunc cœpit exprobrare Civitatibus, in quibus factæ sunt plurimæ virtutes ejus, quia non egissent Pœnitentiam. Væ tibi Corozain, væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cinere, & cilicio pœnitentiam egissent*. Ubi sedulo advertendum, increpationem Christi fieri Judæis, quod non agant pœnitentiam sub illis virtutibus non solum externis, sed etiam internis gratiæ, sub quibus Gentiles pœnitentiam egissent; alioquin recurrit, quod exprobratio non esset justa, & efficax, sed vana. Quare cum Gentiles egissent pœnitentiam sub virtutibus externis, & sub gratia interiori, sequitur, quod pariter Judæi debuerint esse affecti consimili gratia interiori, sub qua Gentiles pœnitentiam egissent; Cum autem pœnitentiam non egerint Judæi, sequitur, quod habuerint gratiam pure sufficientem, cum qua possent bene operari, & ex culpa voluntatis bene operati non sint.

V. Ratio autem a priori, cur virtutibus externis, seu signis, & miraculis, quæ Christus operatus est in Judæa, ut ad fidem illos adduceret, adjuncta fuerint auxilia gratiæ interioris, est, quia hoc spectat ad providentiam divinam, ut ex cultura externa possit homo ferre fructus internos salutares. Propterea saltem regulariter in præsenti providentia, in qua homo elevatus est ad finem supernaturalem, quoties datur cogitatio naturalis, qua possit voluntas viribus suis ponere actum bonum naturalem, consurgit simul, & infundit Deus animæ illustrationem ejusdem objecti honesti supernaturalem, ut voluntas possit viribus gratiæ concurrere ad operationem supernaturalem. Quare Christus D. non objectavit Judæis solas virtutes externas, sed etiam auxilia interna, quibus erant præditi, nempe gratiam sufficientem.

VI. Quod innuit D. Anselmus in eum locum dicens: *Sed quare Deus negat gratiam libenter suscepturis, & gratiæ consensuris, videlicet Gentibus; eligit vero non consensuros gratiæ, scilicet Judæos? non est nostrum scire*. Et Theophylactus Matth. 11. *Postquam monstravit*, inquit, *quod quæcumque oportebat, fecerat, & manserunt absque pœnitentia, consequenter exprobrat: Væ tibi Corozain*, &c. Non dedisset autem Judæis *quæcumque oportebat*, si iis gratiam sufficientem interiorem denegasset. Hinc Augustinus comparans Pharaonem cum Nabuchodonosore lib. de Prædest. & Grat. cap. 15. ostendit, utrumque iisdem affectum fuisse donis; Pharaonis tamen impœnitentiam non ascribit defectui gratiæ sufficientis, sed solum libero ejus arbitrio; hæc enim habet: *Quantum ad naturam ambo homines erant, quantum ad dignitatem ambo Reges, quantum ad causam ambo captivum populum possidebant, quantum ad pœnam ambo flagellis clementer admoniti. Quid ergo fines eorum fecit esse diversos, nisi quod unus manus Dei sentiens in recordatione propriæ iniquitatis ingemuit, alter libero contra Dei misericordissimam veritatem pugnavit arbitrio?* Quod apertius expressit

Chryfoftomus Rom. 9. ferm. 16. dicens: *Unde igitur alii quidem vasa funt iræ, alii vero misericordiæ? Ex propria voluntate. Deus vero quoniam bonus eft erga utro'que, bonitatem fuam declarat; nec enim eorum tantummodo, quos falvavit, fed etiam quantum in fe fuit, Pharaonis mifertus eft: Quod autem falvatus non eft, totum per fuam ipfius voluntatem ftetit; quantum ad Deum attinebat nihil ab illis qui falvati funt, minus habuit.* Quare ficut Pharaoni, ita peccatoribus omnibus gratiam fufficientem interiorem benigniffime Deus confert, ut poffint refipifcere, & ad bonam frugem redire. Ea autem gratia collata Deus vult obediri, & non obeditur, imperat, & imperata non fiunt, loquitur ut Dominus, & tamen cor peccatoris fubmiffum non habet; longe itaque diverfa eft Idea gratiæ ab ea, quam in hac thefi auctor comminifcitur.

VII. Opponitur, quod Auguftinus in Epift. ad Galat. dicat: *Quod amplius nos delectat, fecundum illud operemur neceffe eft:* ergo ex Auguftino voluntas neceffario fequitur delectationem præponderantem, five cupiditatis ad malum, five gratiæ, & charitatis ad bonum; cum autem gratia medicinalis in natura lapfa conferatur ad fanandam ægritudinem contractam per peccatum, & ægritudinem non fanaret, nifi pareret majorem delectationem in bono honefto, quam pariat cupiditas in bono delectabili, idcirco neceffe eft, ut fequamur ductum gratiæ medicinalis, ubi illa conferatur; atque adeo vera idea hujus gratiæ eft, quod Deus velit fibi a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant.

Refpondeo, fenfum illorum verborum non effe, ut Janfeniani contendunt, quod a delectatione victrici, ac prædominante, five cupiditatis ad malum, five gratiæ, & charitatis ad bonum evertatur libertas indifferentiæ in voluntate; cum hoc adverfetur Catholicæ veritati; fed fenfus eft, quod voluntas propofito fibi duplici bono oppofito, puta honefto, & delectabili, neceffario illud amplectatur, in quo magis fibi complacet, & majorem percipit oblectationem, etiamfi ab altero oppofito magis alliciatur. Quare fi bonum delectabile turpe, v. gr. comeftio carnis vetita, magis alliciat, quam bonum honeftum, v. gr. obfervantia præcepti, voluntas poterit fibi libere magis complacere, & delectari in hoc bono honefto præeligendo iftud; & hoc pacto neceffario neceffitate confequenti operatur voluntas juxta allicientiam objecti honefti, minus quidem allicientis, fed in quo magis oblectatur, libere illud amplexando, ac refpuendo bonum delectabile, quod magis allicit, fed in quo minus vult oblectari. Sicut enim de Judæis dicitur Jo. 17. quod non poterant credere, utpote excæcati; fed Auguftinus advertit, hanc impotentiam non fuiffe antecedentem everfivam libertatis ad credendum, fed confequentem, & ideo fic exponit ea verba Sanctus Doctor: *Quare non poterant credere? fi a me quæris, cito refpondeo; Quia nolebant. Non poterant credere, non quia homines mutari in melius non poffunt, fed quandiu talia fapiunt, non poffunt credere:* Ita pariter in cafu noftro, dictum illud Auguftini intelligendum eft de neceffitate confequente, quatenus in fenfu compofito, quod voluntas libere magis oblectatur in bono honefto, in quo eft minor allicientia, neceffe eft, ut operatio voluntatis tendat in tale bonum. Vel dicas expeditius, quod operatio externa, puta obfervantia præcepti, quæ non eft formaliter libera, neceffario fequatur ad id, in quo magis voluntas oblectatur, & quod præelegit, vid. ad amplexum boni honefti.

Ubi advertendum, quod in voluntate, antequam fe determinet ad amplexum unius boni præ alio, puta boni honefti præ delectabili turpi, confurgunt regulariter duo motus indeliberati, ac neceffarii, quibus fertur erga utrumque bonum. Cum enim voluntas a natura habeat inclinationem inditam in bonum in genere, ftatim ac apparet bonum aliquod particulare, confurgit motus quidam, feu amor neceffarius, ac indeliberatus erga illud, qui eo eft intenfior, & magis inclinat voluntatem ad liberum amplexum talis boni, quod bonum illud eft præftantius, feu vividius repræfentatur. Quando autem repræfentantur duo bona incompoffibilia, ut funt honeftum, ac turpe, tunc confurgunt duo illi amores indeliberati, & neceffarii, fed voluntas alterutrum præeligit amplexando illud amore libero, & fic in eo magis oblectatur, quamvis illud remiffius alliciat. Hinc patet, quomodo neceffe fit, quod fecundum illud operemur, quod amplius nos delectat, feu quod præeligimus; quia illud, quod præeligimus, quamvis minus alliciat, amamus tum amore illo indeliberato, ac neceffario, tum amore libero, & fic dupliciter in illius amplexu oblectamur: relate vero ad bonum, quod refpuimus, folum habemus amorem indeliberatum, qui naturaliter in voluntate confurgit.

Quod autem in hoc fenfu loquutus fit Auguftinus dicens, neceffe effe, quod operemur fecundum id, quod amplius delectat, videlicet ob amorem, & amplexum illius neceffarium fimul, feu indeliberatum, ac liberum, conftat, quia lib. 8. Confeff. cap. 4. diferte docet, fe olim non operatum fuiffe fecundum id quod amplius delectabat folum delectatione indeliberata, & præveniente, feu fecundum id, quod magis alliciebat, fed operatum fuiffe fecundum id, quod amplius delectabat, delectatione fcilicet libera, & concomitante. Hæc funt verba S. Doctoris: *Non faciebam, quod incomparabili affectu amplius mihi placebat:* ubi luculenter diftinguit inter delectationem indeliberatam, quæ erat valde magna de bono, quod refpuebatur, & deliberatam, ac liberam, quæ erat de bono, quod minus alliciebat; propterea ibidem fubdit: *Et mox ut vellem, poffem*, indicans, quod fi vellet libere ferri in bonum illud, quod magis alliciebat, procul dubio poffet; cum poffit voluntas ad arbitrium oblectari delectatione libera, & concomitante, tam in bono, quod allicit magis, & incomparabili affectu amplius placet, quam in bono, quod allicit minus; Quod pariter Auguftinus docuit lib. de fpir. & lit. c. 33. dicens, Deum nos fua mifericordia prævenire alliciendo ad fidem, fed vocationi Dei *confentire, vel non confentire propriæ voluntatis eft.* Hinc illud Poetæ: *Video meliora, proboque, deteriora fequor;* quia fcilicet voluntas libere fequi poteft, & amplius delectari delectatione libera in deterioribus bonis, refpuendo meliora, quæ magis oblectant delectatione indeliberata, & neceffario confurgente ad profpectum cujufcunque boni juxta menfuram vividæ repræfentationis, quæ de illo habetur.

ANA-

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XX.

VIgesima iterum vult, veram Gratiæ idem esse, quod Deus velit a nobis obediri, & obediatur, imperet, & omnia fiant. At si res ita se haberet, peccator, cui contritio imperatur, & illam negligit, destitueretur gratia sufficienti ad illam ponendam, & solum esset præditus gratia efficaci ille, qui contritionem præceptam poneret; atque adeo juxta hanc etiam thesim alia gratia non datur præter efficacem; quod non semel diximus repugnare: Etenim si peccator ad contritionem supernaturalem ponendam obligatur, & caret gratia sufficienti, reus non esset, si illam omitteret; sicut reus non fit homo per hoc, quod v. gr. non ambulet, si pedibus, aut viribus careat ad ambulandum necessariis. Et sicut citra summam impietatem, aut dementiam non posset huic præcipi, quod ambulet; ita nec peccatori præcipi posset, quod conteratur, quando denegatur illi gratia ad talem actum ponendum requisita. Quocirca Jansenianæ hæreses in hac, & aliis ejusdem furfuris thesibus aperte recuduntur: quod scilicet peccatori non ponenti contritionem præceptam præcipiatur aliquid impossibile, nec tribuatur illi gratia sufficiens, qua contritio reddatur possibilis; sicut etiam, quod ad demeritum ab hujusmodi peccatore contrahendum in omissione contritionis præceptæ non requiratur gratia sufficiens, eo quod non requiratur libertas a necessitate, sed satis sit libertas a coactione. Recurrit etiam, quod ponens contritionem sub gratia efficaci, poneret illam sub gratia, sub qua ineluctabiliter fit, quod imperatur a Deo, atque adeo sub gratia irresistibili, ad mentem Jansenii.

PROPOSITIO XXI.

Gratia Jesu Christi est gratia fortis, potens, suprema, invincibilis, utpote quæ est operatio voluntatis Omnipotentis, sequela, & intentio operationis Dei incarnantis, & resuscitantis Filium suum. *Quesn. 2. ad Cor. 5. 21. edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. In hac, & quatuor sequentibus thesibus uni gratiæ tribuit Quesnellus operationes nostras salutares.

II. Sicut uni voluntati Divinæ tribuitur operatio Incarnationis, & Resurrectionis.

III. Duplex tamen in his error continetur; & quod mere passive se habeat voluntas in ordine ad operationes salutares, & quod non possit gratiæ obluctari.

IV. Pluribus ostenditur, quod voluntas non se habeat mere passive.

V. Non sufficit, quod voluntas agat ut quæ recipiendo gratiam, qua agit.

VI. Idemque suadetur ex conceptu actus vitalis, & liberi.

VII. Non esset libera voluntas, si Gratiæ operatio esset instar operationis Dei Incarnantis, ac Resuscitantis Filium suum.

VIII. Non sufficit ad meritum, ac demeritum libertas essentialis ad mentem Jansenii, seu libertas a coactione.

I. IN hac, & quatuor sequentibus thesibus virus eructat suum Auctor. Consueta calliditate, verbis pigmento quodammodo delibutis Gratiam Dei efficacem summopere commendat, eamque fortem nuncupat, supremam, invincibilem: Addit tamen eam esse voluntatis Omnipotentis operationem, atque ad vivum adumbrare operationem Dei Incarnantis, ac Resuscitantis Filium suum.

II. Quod gratia interior non sit invincibilis, seu irresistibilis, ostendimus in expositione thesis decimæ, sicut etiam decimætertiæ, ac decimæsextæ, ubi effugia Quesnellianorum præclusimus, & elusiones deteximus: Constatque ex proscriptione secundæ thesis Jansenii, quæ habet: *Interiori gratiæ in statu naturæ lapsæ nunquam resistitur.* Quod vero gratia, quæ Dei Incarnantis, ac Resuscitantis Filium suum operationem consequitur, illam non imitetur, apertissime ostenditur, quia tam operatio Dei Incarnantis, seu producentis unionem hypostaticam inter Verbum, & Humanitatem, quam operatio Dei Resuscitantis Filium suum, seu producentis unionem inter Animam, & Corpus Humanitatis assumptæ jam vita functæ, est operatio solius Divinæ voluntatis Omnipotentis, cui nihil ullatenus potest reluctari; Contra vero operatio Dei operantis *in nobis esse, & perficere pro bona voluntate*, ut loquitur Apostolus ad Philipp. 2., seu operantis in nobis gratiam efficacem, & consensum salutarem, non est operatio solius voluntatis Divinæ, sed est etiam operatio voluntatis creatæ, quæ ratione suæ libertatis potest Divinæ voluntati resistere, impediendo hujusmodi divinam operationem, ut diximus in thesi tertia, & decima; ergo latissimum discrimen intercedit inter operationem Dei Incarnantis, & Resuscitantis Filium suum, ac operationem Dei conferentis nobis gratiam, & consensum salutarem. Quod si dicatur voluntas Christi D. potuisse mereri, immo etiam de facto meruisse Resurrectionem corporis sui, adhuc diversissima est operatio Gratiæ ab operatione Dei Resuscitantis Filium suum; tum quia licet potuerit voluntas Christi Domini esse causa meritoria Resurrectionis, non potest tamen voluntas esse causa meritoria primæ gratiæ; cum prima gratia non possit cadere sub meritum: tum etiam quia unio inter animam, & corpus Christi Domini, quæ causatur a Deo resuscitante Filium suum, non est formaliter libera, debet tamen esse formaliter liber consensus salutaris causatus a gratia.

III. Duo proinde errores Heterodoxorum proprii sub pallio istorum verborum continentur in hac Thesi. Primus est quod voluntas creata relate ad consensum salutarem, (qui proculdubio est gratia Jesu Christi) omnino passive se habeat; non secus ac omnino passive se habeat Humanitas in operatione Dei Incarnantis Filium suum, & omnino passive se habent Corpus, & Anima in operatione Dei Resuscitantis eundem. Alter est, quod non possit voluntas gratiæ interiori resistere, sed quod ab illa necessitetur ad consensum; sicut non potest Humanitas reluctari operationi Dei assumentis illam, nec potest Anima, & Corpus Christi Domini resistere, aut impedire operationem Dei Resuscitantis illum. Propterea Lutheranismus in primo, Calvinismus in altero errore callide hic ab Auctore insinuatur, ut annotavimus in thesi decima.

IV. Quod attinet ad primum: Voluntatem creatam relate ad consensum salutarem, quem in nobis Deus operatur, non se habere tantum passive, sed Deo cooperari, itaut primas partes habeat Deus in ratione efficientis, & intendentis consensum, & creatura in ratione eligentis, constat ex Scripturis. Apostolus enim 1. Corinth. 15. dicit: *Non ego, sed gratia Dei mecum*: atque adeo gratia, & operatio Dei simul cum creatura, ponunt consensum salutarem. Psalm. 16. dicitur: *Dominus factus est adjutor meus*; & Rom. 8. *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*: & Psal. 23. *Nisi quia Dominus adjuvit me, paulo minus habitasset in inferno anima mea*; & passim in Scripturis dicitur gratia hominem adjuvare ad salutariter operandum; ubi denotatur, quod gratia promoveat operationem arbitrii, atque adeo arbitrium non se habeat passive ad gratiam, sed cum illa operetur, & agat. Quod innuit Augustinus tract. 4. in Epist. Joan. ubi habet *Si dicis, Adjutor meus esto, aliquid agis; nam si nihil agis, quomodo ille adjuvat?* Quod etiam docuit D. Thom. pluribus in locis, præsertim quæst. 27. de Verit. tract. 4. Et quamvis Thomistæ doceant, solam gratiam esse totam rationem agendi, seu producendi actum salutarem, non proinde docent, quod voluntas nostra omnino passive se habeat; cum velint, quod gratia agat ut quo, voluntas vero agat ut quod. Sicut enim ignis est id, quod ignem producit: tota vero ratio producendi ignem per Thomistas est solus calor, producens ignem ut quo, seu tanquam virtus ignis; ita in eorundem sententia voluntas est, quæ libere ponit actum salutarem, sicut intellectus est, qui videt Deum: tota vero ratio productiva hujus consensus ut quo est sola gratia, & tota ratio producendi Visionem beatam est solum lumen gloriæ. Præterea Tridentinum sess. 6. cap. 4. anathematizat, qui dixerit: *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet: neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere*. Quare ex Tridentino voluntas aliquid agit, & gratiæ cooperatur, ac proinde gratia non est operatio solius voluntatis Omnipotentis, & invincibilis, sed est pariter operatio voluntatis creatæ, cui in quantum liberæ competit posse operationem gratiæ impedire, & sic illi resistere.

V. Nec valet responsio, quod voluntas sit Agens ut quod recipiendo gratiam, qua agit; nam hoc non negabatur ab Hæreticis, quos damnat Tridentinum; negabatur solum, quod voluntas libere se determinet ad consensum, & quod possit gratiæ operationem impedire; Et adversus hanc hæresim Concilium docet, quod voluntas non se habeat mere passive.

VI. Confirmatur tum ex conceptu actus vitalis, tum ex conceptu actus liberi, qualis est consensus salutaris. Quatenus enim consensus est actus vitali, est motus ab intrinseco, atque adeo procedere debet a principio vitali se ipsum movente, ac perficiente altiori modo, quam perficiantur inanimata. Quatenus vero est actus liber, est Electio libera, & ideo debet esse a principio eligente, seu a voluntate; ac proinde actus salutaris procedere debet a gratia cum concursu voluntatis: cum sola voluntas sit potentia electiva consensus præ dissensu: gratia vero non potest esse electiva, cum non possit influere in alteram partem, videlicet in actum malum, sicut potest voluntas.

VII. Quod spectat ad secundum errorem hujus thesis, quod scilicet non possit voluntas operationem gratiæ impedire, ac veluti expugnare victricem delectationem gratiæ efficacis, ad eum modum, quo non potest Humanitas impedire operationem Dei Incarnantis Filium suum; ex eo falsitas elucescit, quia si hujusmodi esset gratia, esset omnino læsiva libertatis indifferentiæ, quæ proculdubio ad meritum, & demeritum requiritur. Quomodo enim voluntas sub operatione Voluntatis Divinæ omnipotentis, qua vult consensum, posset dici libera ad consensum omittendum, si operationem istam gratiæ superare non posset? Sicut non potest Humanitas dici libera ad carendum unione hypostatica, si non potest impedire operationem Dei Incarnantis Filium; nec possunt anima, & corpus Humanitatis assumptæ habere libertatem indifferentiæ, ad hoc ut Christus revocetur, vel non revocetur ad vitam, si non possunt impedire operationem Dei producentis unionem inter animam, & corpus, ac resuscitantis Christum.

VIII. Quod demum libertas hæc indifferentiæ requiratur in voluntate ponente actum salutarem meritorium vitæ æternæ, quin sufficiat sola libertas a coactione, constat ex proscriptione tertiæ ex quinque Jansenii thesibus, qui lib. 7. de Gratia Christi hæc habet: *Libertati arbitrii solam necessitatem coactionis, quæ, etsi nolumus, efficit id, quod potest, esse contrariam, omnemque actum voluntarium, seu spontaneum esse liberum*. Hanc autem libertatem, quam vocat essentialem, consistentem in eo, quod actus sit voluntarius, seu procedens a voluntate cum cognitione prævia finis, ac plena advertentia, sufficere ad meritum, ac demeritum, circumscripta indifferentia voluntatis ad bonum, & malum, docent communissime Jansenii Asseclæ ex Bajo, cujus sunt illæ theses proscriptæ: *Quod voluntarie fit, etiamsi necessario fiat, libere tamen fit. Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*. Catholici tamen omnes docent, neminem esse aut pœnæ reum, aut præmio dignum ob operationes necessarias, etiamsi voluntarias, dicente Augustino lib. 3. de lib. arbit. cap. 18. *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* Et lib. de duab. animab. cap. 12. *Dicere reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ est iniquitatis, & infamiæ*. Et Chrysost. homil. 22. in Genes. habet: *Quia post gratiam in nostra potestate totum relictum est, ideo locum habet retributio*. Hinc nemo sanæ mentis dixerit esse pœna æterna dignum, qui die festo non audit Sacrum, si compedibus irretitus non potest illud audire; nec dixerit esse præmio dignum, qui aut cæcus, aut in tenebris positus in objecta turpia non figit obtutum; idque quia ad hujusmodi actus caret indifferentia formali, quamvis non careat indifferentia radicali, quam unice Janseniani admittunt, videlicet indifferentia potentiæ volitivæ de se vertibili ad bonum, & malum, aut indifferentia remota, & conditionata, sicut habet cæcus ad videndum, quatenus videre posset, si careret cæcitate. Hinc Angelicus quæst 6. de malo docet: *Quidam posuerunt, quod voluntas hominis ex necessitate moveatur ad aliquid eligendum, nec tamen ponebant, quod voluntas cogeretur. Hæc autem opinio est hæretica*:

retica: *Tollit enim rationem meriti, ac demeriti in humanis actionibus*; *Non enim videtur esse meritorium, aut demeritorium, quod aliquis sic ex necessitate agit, ut vitare non possit*: Hanc autem libertatem indifferentiæ de facto dari in natura lapsa, in thesi sequenti adversus Jansenium ostendemus.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXI.

VIgesimaprima docet, Gratiam esse invincibilem, quippe quæ est operatio voluntatis omnipotentis, ac imitatio operationis Dei Incarnantis, & Resuscitantis Filium suum. Omnimoda cæcitate laborat, qui non advertit quot erroribus ea scateat. Gratiam esse invincibilem fert, quod gratiæ non possit humana voluntas obluctari, juxta hæresim Jansenianam. Gratiam esse operationem voluntatis omnipotentis fert, ut supra ostendimus, gratiam semper esse efficacem; atque adeo eum, qui culpabiliter omittit actum supernaturalem præceptum, carere gratia sufficienti ad illum ponendum, & ideo non peccare, dum peccat. Denique gratiam esse operationem omnipotentis voluntatis, quæ imitatur operationem Dei incarnantis Filium suum fert, quod sicut citra ullam libertatem, aut cooperationem Humanitatis assumptæ fuit operatio incarnationis, ita citra libertatem, aut cooperationem humanæ voluntatis sit operatio gratiæ; quo nihil absurdius fingi, aut excogitari potest.

PROPOSITIO XXII.

Concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu demonstratur illico nobis in Incarnatione, veluti in fonte, atque archetypo omnium aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ; quæ omnes ita gratuitæ, atque ita dependentes a Deo sunt, sicut ipsa originalis operatio. *Quesnel. Luc.* 1.38. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Operatio Dei incarnantis Filium suum discordat ab operatione Gratiæ; illa quippe est necessaria Humanitati assumptæ, hæc vero est libera voluntati.

II. Negat Quesnellus voluntatem in natura lapsa posse gratiæ resistere, & habere libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum.

III. Multipliciter ostenditur falsitas adversus Jansenium.

IV. Non salvant Lovanienses libertatem indifferentiæ per hoc, quod voluntas possit omittere actum in sensu diviso a prærequisitis ad actum.

V. Augustinus longissime abest ab hac hæresi Janseniana.

VI. Vanum est effugium Quesnellianorum.

I. NOn concordia, sed apertissime discordia omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ipsius voluntatis consensu illico demonstraretur, si talis esset isthæc operatio Dei in corde hominis gratiam operando, sicut est operatio Dei in Incarnatione operando unionem Hypostaticam: hæc enim est quidem fons omnium aliarum gratiarum, sed non est Archetypum omnium omnino aliarum operationum misericordiæ, & gratiæ. Et ratio est, quia quamvis omnis gratia ex conceptu gratiæ sit omnino gratuita, excedens omnem naturalem exigentiam tam physicam, quam moralem: non tamen omnis gratiæ operatio ita dependet a Deo, sicut ipsa originalis operatio, nempe sicut operatio Dei in Incarnatione, quæ est origo reliquarum gratiarum; siquidem, ut explicavimus in Thesi superiore, operatio Dei in Incarnatione est operatio solius Dei, atque adeo ipsi uni libera, & omnino dependens a solo Deo; contra vero operatio Dei operantis in corde hominis consensum liberum non est operatio solius Dei, sed est pariter operatio voluntatis creatæ, quæ ex ratione suæ libertatis potest Dei operationem impedire: ut proinde valde discrepet ab operatione Dei in Incarnatione: Hæc enim Humanitati assumptæ est omnino necessaria; operatio vero Dei in corde hominis est operatio voluntati hominis prorsus libera. Hinc si in Incarnatione, tanquam in Archetypo, demonstraretur Dei operatio in corde hominis, demonstraretur hanc discordare cum libero ipsius voluntatis consensu; quandoquidem consensus deberet esse voluntati necessarius: non secus ac in Incarnatione necessaria est Humanitati assumptæ operatio Dei producentis unionem Hypostaticam.

II. Quesnellus eo semper tendit, ut ostendat in natura lapsa non dari libertatem indifferentiæ ad bonum, & malum, sed vel dari gratiam Redemptoris efficacem, quæ sit operatio Dei omnipotens unice dependens a Deo, non secus ac operatio Dei infundentis alias gratias nullatenus dependentes ab arbitrio voluntatis creatæ; Vel nullam aliam dari gratiam sufficientem, qua possit voluntas ponere operationem salutarem, & ex propria culpa illam non ponat. Censent enim omnes Jansenii Asseclæ, quod post lapsum natura humana ea infirmitate laboret, ut semper a cupiditate vincatur, nisi de ista triumphet inexpugnabiliter medicinalis gratia Redemptoris, cui humana voluntas contraniti non possit.

III. Verum quod in natura lapsa detur libertas indifferentiæ ad bonum, & malum sub gratia Redemptoris, itaut viribus gratiæ adjutus possit homo ponere consensum salutarem citra ullam necessitatem; atque adeo si illum ponat, gratia dicatur, & sit efficax; si vero non ponat, gratia dicatur, & sit pure sufficiens, & solum efficax quantum est ex parte Dei, constat ex Scripturis, Conciliis, Patribus, & Ratione. Eccles. 31 dicitur: *Beatus vir, qui potuit transgredi, & non est transgressus, facere mala, & non fecit*; Ad Cor. 7. *Qui statuit in corde suo firmus, non habens necessitatem, potestatem autem habens suæ voluntatis, & hoc judicavit in corde suo, servare virginem suam, bene facit*. Trid. sess. 6. can. 5. habet: *Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum extinctum, & amissum esse dixerit, anathema sit*. Quamvis ergo natura lapsa fuerit in culpa, liberum tamen arbitrium sartum tectum remansit, prout erat in statu innocentiæ; atque adeo eadem quoad substantiam libertas indifferentiæ est in utroque statu; esto in natura lapsa sæpe cum libertate physica stet necessitas moralis ad peccandum in pœnam culparum præteritarum, & in natura per Christum reparata sæpe ex vi meritorum

Chri-

Christi Domini detur gratia moraliter necessitans ad bene operandum. Idem docet passim Augustinus, præsertim lib. 1. retract. cap. 7. dicens: *Quis peccat in eo, quod nullo modo caveri potest?* & lib. de nat. & grat. cap. 47. *Aut ego non intelligo quid dicam, aut ipse. Quomodo enim in potestate nostra est videndi possibilitas, si in potestate nostra non est videndi necessitas?* Et ratio est, quia deficiente in natura lapsa libertate indifferentiæ, deficeret radix meriti, ac demeriti, ut diximus in thesi superiore; nequeunt enim in laudem, ac pœnam imputari, quæ in præcurrente necessitate consistunt, ut patet in pueris, & amentibus, qui in suis operationibus nec laudantur, nec exprobrantur. Propterea D. Th. qu. 24. de veritate dixit: *Nullus debet puniri, vel præmiari in eo, quod non est in ejus potestate facere, vel non facere.* Quare cum de facto homo puniatur, ac præmietur ob turpes, aut rectas operationes, consequens est, ut de facto detur in voluntate libertas indifferentiæ ad bonum, & malum. Propterea Eccles. 15. dicitur: *Ante hominem vita, & mors; ad quodcumque voluerit extendet manum suam,* & ibid. *Deus ab initio constituit hominem, & reliquit eum in manu consilii sui. Adjecit mandata: Si volueris ea servare, conservabunt te.* Fatetur autem diserte Jansenius lib. 7. cap. 14. huic libertati indifferentiæ diametraliter opponi operationem divinæ gratiæ, quam ille comminiscitur, dicens: *Et sane, si non est alia libertas nostræ voluntatis, quam agendi, & non agendi, operatio divinæ gratiæ diametraliter opponitur philosophicæ libertati, seu indifferentiæ libertatis; quia illam extrahit ab indifferentia agenti, eamque determinate facit agere, & non agere, velle, & non velle.*

IV. Putarunt nonnulli ex Neotericis Lovaniensibus, haberi sufficientem libertatem indifferentiæ requisitam ad meritum, aut demeritum, si voluntas possit omittere actum in sensu diviso a prærequisitis ad actum; sicut per Prædeterminantes voluntas potest omittere consensum prædeterminatum in sensu diviso a prædeterminatione ad consensum prærequisita. Hæc tamen doctrina nec est ad mentem Jansenianorum, (quippe qui necessitatem gratiæ cum libertate voluntatis solum conciliant per hoc, quod voluntas sit libera tantum a coactione) nec est vera; quia si voluntas sub requisitis ad agendum non posset non agere, componendo cum iisdem requisitis omissionem operationis, proculdubio necessario poneret actum, & careret libertate indifferentiæ ad meritum, & demeritum requisita: Sicut qui compedibus irretitus non potest ponere ambulationem, necessario non ambulat, & caret libertate indifferentiæ ad non ambulandum; quamvis posset in sensu diviso a compedibus ambulare: ad libertatem enim formalem indifferentiæ spectat, ut cum omnibus requisitis, ad operandum tam possit componi operatio, quam omissio operationis. Utrum autem ex his principiis inferatur, quod pariter prædeterminatio physica sit eversiva libertatis, quamvis spectet ad actum secundum, aut sit applicatio causæ secundæ ad agendum facta a Primo Libero? discutiant Scholastici, qui acerrime hac in re digladiantur. Illud indubium est, Prædeterminatorum asserta ab assertis Jansenianis hac in re toto cœlo diffidere, ut fuse ostendimus in thesi nona; siquidem Prædeterminantes non contendunt Prædeterminationem necessitare ad Actum prædeterminatum, ut docet Jansenius; a quo etjam recedunt, dum contendunt, non deesse in natura lapsa gratiam pure sufficientem: esto in Scholasticis concertationibus conentur Adversarii sententiam illam Prædeterminantium ad has angustias adigere, & in obsequium Angelicæ doctrinæ conentur pariter ostendere, Divo Thomæ prædeterminationis nomen, ac munus fuisse prorsus ignota.

V. Quare concordia omnipotentis operationis Dei in corde hominum cum libertate consensus habetur juxta Jansenii Asseclas per hoc solum, quod voluntas non agat coacte, sed sponte, esto agat citra libertatem indifferentiæ, juxta doctrinam, quam per calumniam tribuunt D. Augustino; ut constat ex his verbis Jansenii lib. 8. de Gratia Christi cap. 8. *In hoc unice concordiam gratiæ, & liberæ voluntatis ab Augustino statui, quod arbitrium non instar trunci velit, & cogatur invitum, sed simul etiam propria voluntate velit, & agat, tam est perspicuum, & toties repetitum, ut profecto necesse sit vel cæcum esse, qui non viderit, vel contentiosissimum, qui negaverit.* Augustinus tamen longe abest ab hac hæresi, ut multis ostenditur a Stephano de Champs, Ripalda, & aliis; habet enim in Homil. 15. cap. 50. *In tua potestate est, consentire, vel non consentire:* & lib. 2. contra Felic. Manich. cap. 4. *Habet unusquisque in voluntate eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona; aut eligere, quæ mala sunt, & esse arbor mala,* & sic alibi passim. Immerito itaque, & per summam injuriam Augustino tribuitur a Jansenio, quod voluntati humanæ in natura lapsa solum competat libertas a coactione, eo quod per peccatum Adæ (ut habet lib. 1. cap. 9.) ita in imperium libidinum præcipitarit, ut necessario sequatur delectationem victricem, sive terrenam concupiscentiæ ad malum, sive cœlestem a Deo infusam ad bonum; adeo ut si delectatio terrena sit intensa, ex. g. ut quinque, & cœlestis intensa ut quatuor, illa debeat prævalere, & e converso, unde necessario juxta delectationem victricem operetur.

VI. Ad excusandum in hac Thesi Quesnellum, dixerunt nonnulli, solum docuisse, quod concordia Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero ejus consensu demonstretur in Incarnatione, hoc est in libero consensu B. Virginis, quem præstitit, quando dixit: *Ecce Ancilla Domini*: Sicut enim Deus postulavit a B. Virgine consensum, quem sine ulla necessitate exhibuit: ita postulat a nobis consensum salutarem, quem citra ullam necessitatem exhibemus: qua in re nullus error continetur: unde thesis non videtur fuisse proscribenda. Hæc sunt verba Quesnelli in caput primum Lucæ num. 38. in latina editione 1695. *Creaturam suam honorat Deus* (nempe B. Virginem) *postulando ejus consensum in id, quod ipse in ea operaturus est, sed ipse dat quod postulat. Omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero voluntatis humanæ consensu concordia jam nobis in Incarnatione exhibita est veluti in origine, & exemplari operationum omnium misericordiæ, & gratiæ, quæ non minus gratuitæ sunt, nec minus a Deo pendent, quam hæc operatio originaria.*

Sed excusatio isthæc ulterior criminatio est. Nam primo ex verbis relatis perspectissimum fit, conferri a Quesnello operationem divinam, relate ad consensum liberum voluntatis humanæ, non quidem cum consensu B. Virginis, sed cum Incarnatione, seu cum operatione Dei Incarnantis Filium

suum,

ſuum, (ut loquitur idem Queſnellus in theſi antecedenti) atque adeo cum operatione, qua producitur Unio hypoſtatica. Quod ex eo etiam patet, quia hæc eſt fons, & origo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ. Unde ſicut productio Unionis hypoſtaticæ non fuit libera Humanitati aſſumptæ, ita nec voluntas eſſet libera relate ad conſenſum ſalutarem, ſed mere paſſive ſe haberet ad illum. Deinde ſi Gratia per Queſnellum eſt operatio voluntatis Omnipotentis, quæ imitatur operationem Dei Incarnantis Filium ſuum, ſequitur, quod ſicut conſenſus noſter ſalutaris non eſt nobis liber, (ut non fuit libera Humanitati aſſumptæ Unio hypoſtatica) ita nec fuerit liber libertate indifferentiæ conſenſus ille ſupernus B. Virginis. Ex quo fieret, quod fruſtra Deus a Virgine poſtulaſſet conſenſum, ſi daturus erat illum, eo modo quo dedit Unionem Hypoſtaticam Chriſti Humanitati: Sicuti fruſtra, ac fatue (ut diximus ex Auguſtino in theſi 2.) Deus præciperet peccatori contritionem, ſi non præberet illi ſufficientes vires, unde liber eſſet ad obtemperandum. Quomodo autem concordia Omnipotentis voluntatis Dei in corde hominis cum libero ejus conſenſu explicari facili negotio poſſit, diximus in theſi tertia, & iterum in theſi ſequenti innuemus; quatenus ſicut bene cohæret infallibitas Divinæ præſcientiæ cum libertate actus prævisi, ita optime cohæret infruſtrabilitas Divini decreti cum libertate conſenſus prædefiniti.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXII.

Vigeſima ſecunda putat, apte demonſtrari in Incarnatione, tanquam in Archetypo omnium aliarum operationum miſericordiæ, & gratiæ, concordiam omnipotentis operationis Dei in corde hominis cum libero conſenſu voluntatis; quatenus ſicut Incarnatio eſt omnino gratuita, ac dependens a Deo, ita omnino gratuita, ac dependens a Deo ſit gratiæ, ſeu omnipotentis voluntatis Dei in corde hominum operatio. Verum quanta inter utramque operationem intercedat diverſitas, ac diſcordia, clarius eſt ipſa luce meridiana. Siquidem in Incarnatione operatio divina ita eſt gratuita, ac dependens a Deo, ut ad illam nullatenus cooperetur Humanitas aſſumpta, nec ab iſtius etiam arbitrio dependeat: Contra vero ad operationem gratiæ debet voluntas humana libere cooperari, ita ut ab hujus etiam libertate ea dependeat; quatenus gratia non operaretur conſenſum voluntatis, niſi voluntas libere cum illa cooperaretur, juxta illud Apoſtoli: *Non ego, ſed gratia Dei mecum.*

PROPOSITIO XXIII.

Deus ipſe nobis ideam tradidit omnipotentis operationis ſuæ gratiæ, eam ſignificans per illam, qua creaturas e nihilo producit, & mortuis reddit vitam. *Queſnel. Rom.* 4. 17. *edit.* 1693. & 1696.

SYNOPSIS.

I. Operatio gratiæ, cum ſit libera voluntati, omnino diſcordat ab operatione Divina, quæ aliquid creat, aut mortuos revocat ad vitam, quippe quæ creaturis eſt neceſſaria.

II. Quamvis arduum ſit infruſtrabilitatem Divinæ prædefinitionis cum libertate arbitrii conciliare, potius fateri debemus hebetudinem noſtri intellectus, quam in dubium revocare, quod ea concilianda ſint.

III. Videntur beneficio ſcientiæ conditionalium facili negotio ea poſſe componi.

IV. Sicut fatue olim negabant nonnulli Divinam libertatem, eo quod ignorarent quonam pacto cohærere illa poſſet cum neceſſitate exiſtendi; ita fatue negatur in noſtra voluntate libertas indifferentiæ, per hoc quod difficile ſit eam cum infuſtrabilitate Divinæ voluntatis componere.

V. Tridentini, & Auguſtini auctoritas hac in re eſt perſpicua.

VI. Janſenii interpretatio eſt inepta.

VII. Explicatur in quonam ſenſu ab Apoſtolo peccator mortuo comparetur.

I. Iterum redit ad ingenium Auctor, eumdemque errorem in hac theſi recudit, quem in duabus theſibus proxime ſuperioribus; videlicet, Omnipotentem operationem gratiæ æquiparari, ac denotari per illas Dei operationes, quibus creaturas de nihilo extrahit, & mortuos revocat ad vitam. Oſtendimus ulnare, nedum palmare diſcrimen inter iſtas operationes divinas, qua aliquid creat, aut unionem producit inter corpus, & animam vita functorum, ac illum, qua ponit conſenſum liberum in voluntate hominum; iſta quippe eſt operatio Dei ſimul, & creaturæ conſentientis cum plena libertate ad diſſentiendum, atque adeo cum poteſtate ad impediendam Dei operationem citra ullum præjudicium omnipotentiſſimæ voluntatis divinæ; quippe quæ communicando creaturæ libertatem, communicat pariter facultatem reſiſtendi auxiliis gratiæ, & ſuæ divinæ voluntati præcipienti bonam operationem, & conferenti auxilium ſufficiens ad illam ponendam; cum ex ſubjectione creaturæ liberæ magis omnipotentia commendetur, quam ſi ſolum ſibi ſubjicerentur creaturæ non liberæ, relate ad quas non poteſt ſua attributa Miſericordiæ, Juſtitiæ, & alia hujuſmodi exercere: Contra vero illæ divinæ operationes, quibus creaturas producit Deus, & mortuis reddit vitam, cum ſint operationes ſolius Dei, nullam exigunt cooperationem, aut determinationem a creaturis; unde nullatenus poſſunt creaturæ hujuſmodi operationes impedire; ſicut poteſt impediri a voluntate creata operatio divina relate ad conſenſum ſalutarem liberum, (qui procul dubio eſt gratia per Chriſtum) non ſecus ac poteſt ipſe conſenſus ab eadem impediri.

II. Quomodo autem cohæreat infruſtrabilitas divinæ voluntatis præfinientis conſenſum liberum, & omnipotentis Dei operatio cum libertate voluntatis, atque adeo cum poteſtate impediendi hujuſmodi conſenſum, ac Dei operationem, nodus eſt valde implexus; & quamvis in eo extricando deſudent Theologi, non idcirco aures præbendæ erroribus Hæreticorum, qui potius inſcitiam propriam fateri deberent ingenue, quam a recta Fidei Catholicæ ſemita declinare, aut negando in libero arbitrio libertatem indifferentiæ ad conſenſum, vel diſſenſum, aut invehendo neceſſitatem ullam in gratia Salvatoris. Et ſane ſicut in ſtatu innocentiæ, in quo admittitur a Janſenio, ejuſque Aſſeclis gratia pure ſufficiens, optime conciliatur infru-

frustrabilitas divinæ voluntatis præfinientis consensum cum libertate voluntatis ad illum non ponendum; ita conciliantur hæc in natura lapsa; esto alii alias vias ineant ad id explicandum ob materiæ arduitatem. Etenim, ut habet Augustinus lib. de Grat. Christi cap. 47. *Ista quæstio, ubi de libero arbitrio voluntatis, & de Dei gratia disputatur, ita est ad discernendum difficilis, ut quando defenditur liberum arbitrium, negari Dei gratia videatur, quando autem asseritur Dei gratia, liberum arbitrium putetur auferri*. Et lib. de peccat. meritis cap. 17. *Si tibi proponam quæstionem: Quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? fortasse eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod voluerit eligat? Et tamen utrumque verum est, sed intellectu hoc penetrare pauci valent*.

III. Nihilominus, ut diximus in thesi tertia, nodus hic Gordianus solvitur præsupponendo sententiam communissimam, quod in Deo detur scientia conditionalium, qua prævideat quid Petrus facturus esset, si vocaretur: sicut prævidit, ac revelavit, quid facturi essent Tyrii, & Sidonii, si vocati fuissent ad pœnitentiam: dicitur enim Lucæ 10. *Væ tibi Corozain, væ tibi Betsaida, quia si in Tyro, & Sidone factæ fuissent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere sedentes pœniterent*. Quamvis enim in scholis disputetur, num Deus videat actus liberos conditionate futuros in seipsis, seu per scientiam mediam, an in decreto absoluto ex parte actus, & conditionato ex parte objecti per scientiam visionis; certum tamen est, quod eos de facto Deus cognoscat; & Amicus disp. 12. docet id esse de fide, cum ex Scripturis liquido constet: & plerique Thomistæ docent, id negari non posse sine injuria Divinitatis. Hanc scientiam conditionalium in Deo dari expresse docuit August. lib. de Bon. Persev. n. 35. dicens: *An quisquam dicere audebit, Deum non præscisse, quibus daturus esset, ut crederent, aut quos daturus esset Filio suo, ut ex eis non perderet quemquam? Quæ utique si præscivit, profecto beneficia sua, quibus nos dignatur liberare, præscivit. Hæc est prædestinatio Sanctorum, nihil aliud; Præscientia scilicet, & præparatio beneficiorum Dei, quibus certissime liberantur, quicunque liberantur*.

Hoc posito, dicendum, quod sicut optime conciliatur infallibilitas scientiæ Divinæ de peccato futuro Antichristi cum hujus libertate ad non peccandum, quatenus si non esset hic peccaturus, non fuisset ea præscientia; ita conciliatur infrustrabilitas divinæ voluntatis præficientis consensum liberum Petri prævisum ponendum sub tali auxilio per scientiam conditionalium cum libertate voluntatis ad non consentiendum, quatenus si Petrus non consentiret, non fuisset prævisum efficax tale auxilium per illam scientiam, & sic consensus liber non fuisset prædefinitus: Unde sicut Antichristus Præscientiam Dei infallibilem non potest falsificare, sed impedire; ita Petrus divinam voluntatem infrustrabilem de tali consensu non potest frustrare, sed solum impedire, impediendo scientiam illam conditionalium prærequisitam ad talem prædefinitionem.

IV. Verum utut ista concilientur, sicuti fatue ab aliquibus Philosophis Ethnicis negatur Deo libertas, eo quod ignorent contingentiam actuum liberorum conciliare cum necessitate existendi, & identificandi secummet suos actus, quæ debetur Aseitati; ita fatue negatur humanis actibus libertas ab iis, qui nequeunt illam conciliare cum infrustrabilitate Divinæ prædefinitionis præfinientis bonos actus liberos; cum Scripturæ, Concilia, Patres, experientia, ac innumeræ ratiocinationes indifferentiæ libertatem in hominibus ostendant; ut proinde sicut fatalis necessitas, quæ a Gentilibus asserebatur relate ad nostros actus, communiter tanquam humano generi injuriosa, ac redolens insipientiam exploditur, adeo ut Augustinus dixerit, *Fatum non ponunt, nisi fatui*: ita necessitas ista ad operationes salutares inducta a gratia Redemptoris, tanquam ipsi etiam Redemptori injuriosa exsibilanda sit.

V. Pro omnibus, quæ in hanc rem adduci possent, satis sit Tridentini Canon. 4. sess. 6. ubi anathematizatur, qui dixerit, *Liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti; quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit*. Quod antea docuerat August. lib. de Spiritu, & Lit. cap. 33. dicens. *Ipsum bonum velle Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia ejus prævenit nos; consentire autem vocationi Dei, vel ab ea dissentire propriæ voluntatis est*. Nonne verbis istis clarius, quam solaribus radiis illustratur veritas Catholica de libertate a necessitate etiam in natura lapsa? Propterea Bellarm. lib. 3. de Gratia, & Lib. Arbit. cap. 5. advertit: *Qui potest consentire, vel dissentire, acceptare, vel rejicere, non solum a coactione, sed etiam a necessitate liberum se esse demonstrat*. Quod usqueadeo verum est, ut Calvini Breviator Joannes Scharpius non audeat Tridentini verba ad hæresim Calvinianam detorquere interpretatione aliqua valde impropria, ut faciunt Janseniani, qui volunt haberi Catholicæ fidei sectatores; sed aperte affirmat Tridentini verba cum doctrina Calviniana omnino pugnare, dicens: *Status controversiæ inter nos, & Pontificios est; Sitne homo post lapsum vere liberi arbitrii in iis rebus, quæ pertinent ad salutem; & quamvis nihil possit sine auxilio gratiæ, tamen per gratiam prævenientem excitatus, & a Deo adjutus ita valeat operari, ut possit etiam non operari? Affirmativam partem tuetur Tridentinum Sess. 6. Nos vero dicimus, in homine post lapsum Deum ita efficaciter agere, & voluntatem flectere, ut hominis voluntas Deum conversionem hominis volentem, & operantem non sequi non possit, licet non coacte, sed sponte sequatur*.

VI. Jansenius ergo lib. 6. de Gratia Salvat. cap. 35. ne videatur a Tridentino recedere, sic illud ineptissime interpretatur, ut sensus illorum verborum sit, posse arbitrium dissentire, si velit, non tamen posse id velle: Sicut diceretur de Beato, qui ad Deum amandum necessitatur, quod posset non amare, si velit, quamvis non possit id velle. Sed adversus hanc interpretationem sic loquitur Gabriel Pennotus lib. 9. cap. 15. *quando Concilium docet liberum arbitrium Divinæ gratiæ posse dissentire, si velit, supponit posse velle dissentire; alioquin nihil contra Hæreticos definivisset, quia & Calvinus, & ipse Wigleph, & quilibet alius Fati assertor sine ulla contradictione admitteret hanc conditionalem, Voluntas a Deo mota per gratiam potest divinæ motioni dissentire, si velit; sed negabunt illam posse velle. Quare debet Catholicus ab istis Glossis frigidis cavere*.

Pariter verba laudata Augustini insulse interpretatur

tur cum Martino Chemnitio Jansenius l. 2. de Grat. Christi cap. 34. dicens, quod consentire, vel non consentire sit propriæ voluntatis, quatenus utrumque spectat ad voluntatem; sicuti cum dicimus, quod intelligere spectet ad intellectum, & velle ad voluntatem; non vero quod voluntas affecta gratia per Christum possit ad arbitrium consentire, vel dissentire. Hæc sunt verba Jansenii. *Non significatur aliud istis, & similibus locis, quam quod velle, & nolle consentire, & dissentire, credere, vel non credere, officia sunt voluntatis.* Sed quam futilis sit ista interpretatio aperte ostendit Bellarminus; tum quia Augustinus verbis illis ostendere voluit; quod consensus, & dissensus sit voluntati liber, non vero volitio indeliberata; tum etiam quia si solum intendebat asserere, quod assensus, & dissensus spectent ad voluntatem, non diceret, *consentire, vel dissentire*, sed diceret, *consentire, & dissentire propriæ voluntatis est*; quandoquidem utrumque ad voluntatem spectat, non vero alterutrum. Quare ex Tridentino, & Augustino aperte constat, gratiam efficacem non evertere libertatem indifferentiæ ad consentiendum, vel dissentiendum. Quod apertius Tridentinum dixit sess. 6. cap. 5. iis verbis: *Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agit inspirationem illam recipiens, quippe qui & illam abjicere potest: neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate potest.* Ex quibus omnibus fit, operationem omnipotentis Dei relate ad hominem creandum diversam esse ab operatione omnipotentis Dei per gratiam relate ad ponendum consensum liberum in corde hominis. Illa quippe est operatio uni Deo libera; hæc vero libera etiam arbitrio humano. Unde illud Augustini: *Qui creavit te sine te, non salvabit te sine te.*

VII. Illud videtur huic thesi favere, quod dicitur Ephes. 2. *Cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cujus gratia estis salvati.* Mortui autem non cooperantur Deo, si forte velit eos ad vitam revocare; neque liberum est eis, aut resurgere, aut in morte remanere: ergo gratia Christi citra nostram libertatem nos vivificat; atque adeo idea gratiæ optime significatur per operationem, qua Deus mortuis reddit vitam.

Respondeo tamen cum Bellarmin. lib. 6. de Lib. Arbitr. cap. 13. ex hoc textu recte inferri, quod peccator, utpote mortuus, non possit propriis viribus in vitam restitui; non vero quod non possit per gratiam prævenientem excitatus, & adjutus a Deo ad vitam revocante eidem libere cooperari: Id enim non præstaret ut mortuus, sed ut habens vitalem virtutem a Deo: Ubi notandum, similitudines non debere in omnibus convenire; hinc licet cadavera, quæ omnibus modis mortua sunt, non possint ad propriam resurrectionem cooperari; qui tamen sunt mortui in peccatis, quoniam adhuc vivunt vita naturali, quamvis non vivant vita gratiæ, possunt, non ut mortui, sed ut viventes uno genere vitæ cooperari libere ad resurrectionem spiritualem, si virtutem cooperandi a Deo accipiant. Facultatem istam nostræ voluntatis expressit Augustinus lib. 3. de Lib. Arbit. cap. 1. disputans cum Manichæis, & ostendens discrimen inter motum lapidis descendentis deorsum, & motum, quo liberum arbitrium cupiditate abstractum, & illectum inferiora diligit, dicens: *Hic motus, si culpæ deputatur, voluntarius est, & in potestate voluntatis; in eoque similis est illi motui, quo deorsum versus fertur lapis, quod sicut iste proprius est lapidis, sic ille animi: Verumtamen in eo dissimilis, quod in potestate lapis non habet cohibere motum, quo fertur inferius; animus vero, dum non vult, non ita movetur, ut superioribus desertis, inferiora deligat. Propterea quid opus est quærere, unde iste motus existat? cum eum nonnisi animi, & voluntarium, atque in nostra positum potestate, & ob hoc culpabilem esse fatemur; ut eo motu improbato, atque cohibito, voluntatem nostram ad fruendum sempiterno bono ab amore temporalium convertamus.* Sicut autem ratione libertatis indifferentiæ diversimode lapis movetur deorsum, ac voluntas a cupiditate trahitur ad inferiora; ita ratione ejusdem libertatis diversimode mortuus revocatur ad vitam, & creaturæ a Deo extrahuntur ex nihilo, ac peccator Deo mortuus revocatur libere ad vitam gratiæ, & ex nihilo meritorum creat Deus in eo cor mundum, & innovat spiritum rectum in visceribus illius.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XXIII.

Vigesimatertia vult Ideam omnipotentis operationis gratiæ significari per operationem, qua Deus creaturas extrahit e nihilo, & mortuos revocat ad vitam. Propterea iterum vult exulare a nobis libertatem ad bene operandum, & nostram cooperationem operationi gratiæ. At Trident. sess. 6. can. 4. docet, liberum arbitrium excitatum a Deo, ut ad justificationis gratiam se disponat, ac præparet, gratiæ excitanti cooperari, & posse dissentire, si velit, atque adeo posse operationem gratiæ impedire: creatura autem ad suam creationem, & cadaver ad suam resurrectionem non cooperantur, nec possunt illam impedire. Quare Quesnelliana isthæc idea operationis gratiæ Catholicæ doctrinæ refragatur; ac diserte D. Augustino dicenti serm. 15. de Verbis Apostoli: *Sine te fecit te Deus, non enim adhibuisti consensum, ut te faceret Deus; qui ergo fecit te sine te, non justificat te sine te: ergo fecit nescientem, justificat volentem.*

P R O P O S I T I O XXIV.

Justa idea, quam Centurio habet de omnipotentia Dei, & JESU Christi in sanandis corporibus solo motu suæ voluntatis, est imago ideæ, quæ haberi debet de omnipotentia suæ gratiæ in sanandis animabus a cupiditate. *Quesn. Luc. 7. 7. edit. 1693. & 1699.*

S Y N O P S I S.

I. Operatio Dei sanantis corpora non potest esse justa idea operationis Dei curantis animam: in hac quippe nos Dei actionem, & concursum determinamus; in illa vero Deus determinat.

II. Justa idea esset curatio illius languidi, cui dixit Christus Joan. 5. Vis sanus fieri?

III. Sicut in statu innocentiæ, ita in natura lapsa gratia non evertit libertatem.

IV. Sex celeberrimis Augustini auctoritatibus, quas pro se Janseniani adducunt, fit satis.

I. Ex hactenus dictis in tribus proxime superioribus thesibus dilucide infertur, non haberi justam ideam gratiæ ex operatione omnipotentis Dei relate ad effectus uni sibi liberos, & secundum se necessarios, ut est operatio Dei incarnantis, ac resuscitantis Filium suum, aut operatio, qua Deus creaturas producit ex nihilo, & mortuos ad vitam revocat: quandoquidem operatio omnipotentis voluntatis, qua dat nobis actum salutarem, est etiam nobis libera; unde possimus Dei omnipotentis operationem impedire citra detrimentum nostræ subjectionis, suæque omnipotentiæ, ac infrustrabilitatis suæ voluntatis, qua consensum nostrum liberum ab æterno prædefinit. Hinc fit, quod quamvis omnipotens operatio gratiæ curantis omnes nostros languores, & ægritudines analogiam quandam habeat cum operationibus Christi Domini, quibus corpora sanabat solo motu suæ voluntatis; nihilominus idea, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, & JESU Christi in sanandis corporibus, non est imago ideæ, quæ haberi debet de Omnipotentia gratiæ in sanandis animabus a cupiditate, & a vulneribus culpæ. Et ratio est eadem, quia operatio Dei sanantis corpora est uni Deo libera; operatio vero, qua Deus operando in nobis consensum salutarem sanat nostra vulnera, est operatio nobis etiam libera; & ita libera, ut nos modo libertati consentaneo determinemus Dei concursum operantis in nobis velle, & perficere pro bona voluntate, ut loquitur Apostolus, non vero Deus determinet nos ad cooperandum cum illo. Quamvis enim Deus sit primum liberum, a quo omnis creata libertas, & sit etiam primum in genere causæ efficientis, & intendentis nostrum consensum; in ratione tamen eligentis consensum præ dissensu primas partes obtinet creata voluntas, (licet hæc ipsa electio voluntatis creatæ non fiat sine Deo nobiscum agente, & cooperante, & eandem electionem antecedenter intendente) aliter non ipsa se determinaret; sed determinaretur a Deo, atque adeo non esset libera; nec posset dici, quod bonum opus justificati ita sit Dei beneficium, ut sit etiam ipsius Justi meritum, juxta doctrinam Trident. quod sess. *6.* can. *36.* definit: *Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse Dei dona, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita, anathema sit.*

II. Itaque justa idea operationis gratiæ desumi deberet potius ab ea operatione, qua Christus languidum in piscina jacentem (ut habetur Joann. 5.) sanavit, dicendo prius, *Vis sanus fieri?* qui certe si respondisset, se nolle curari, sanitatem, quam Christus illi dare cupiebat, non reportasset; eo quod non vellet Christus Dominus sanitatem illi conferre absolute, sed dependenter a sua voluntate.

III. Quod autem hujusmodi sit operatio gratiæ relinquens nobis libertatem indifferentiæ ad dissentiendum divinæ vocationi, & nullatenus necessitans ad consensum, jam multis ostendimus in thesibus superioribus. Addo hic, futiles omnino esse ratiocinationes, quibus conantur Janseniani invehere in natura lapsa gratiam sanitatis medicinalem necessitantem, non agnoscentes illam in Angelis, & in Adamo in statu innocentiæ; in quibus solum agnoscunt *Adjutorium sine quo non*, seu gratiam supernaturalem sufficientem, sine qua non poterant salutariter operari, & cui poterant resistere, ut de facto Dæmones, & Protoplastæ peccando restiterunt; in natura vero lapsa agnoscunt *Adjutorium quo*, seu gratiam sanitatis efficacem, cum qua ineluctabiliter homines ex meritis Christi Domini salutariter operantur citra libertatem indifferentiæ cum sola libertate a coactione.

IV. Primum argumentum ducunt ex iis Augustini textibus, in quibus passim docet, gratiam Christi *operari ipsum velle, efficere ut velimus, largiri voluntatem bonam, dare nobis virtutes, & merita*; quibus verbis Calvinus, & Jansenius putant indicari, quod gratia Christi necessitatem inducat, perinde quasi idem sit *efficere, ut velimus*, ac efficere ut velimus necessario; *operari ipsum velle*, ac operari cum necessitate.

Secundum, ut habet Calvinus lib. 2. Instit. c. 3. *ex precationibus Sanctorum, quæ sic compositæ leguntur*; *Inclinet cor nostrum ad se Dominus;* & ut habet Jansenius lib. 2. de gratia Christi cap. 17. *ex precibus Ecclesiæ, quæ actualem motionem datricem voluntatis, & operationis implorant, & quibus ipsa voluntatis determinatio a Deo poscitur*: perinde quasi idem sit petere a Deo bonam voluntatem, ac petere gratiam necessario efficientem talis consensus.

Tertium ex eo, quod D. Augustinus velit divino munere concedi nobis perseverantiam; perinde quasi non possit a Deo perseverantia nobis concedi citra gratiam necessitantem.

Quartum ex eo, quod gratia electos discernat a reprobis: quasi vero non possit discretio ab ea gratia prodire, quam voluntas repudiare potest, si velit.

Quintum ex eo, quod Augustinus gratiam efficacem vocet *indeclinabilem, efficacissimam, omnipotentissimam, insuperabilem;* percipere quippe non possunt Janseniani, quod isthæc prædicata competant gratiæ, quin inferat necessitatem bonæ operationis.

Sextum ex eo, quod passim Augustinus gratiam medicinalem vocet *Adjutorium quo*, illamque comparet beatitudini, qua, cum data fuerit homini, *continuo fit beatus*, ubi gratiam datam Angelis, & Adamo in statu innocentiæ vocat *Adjutorium sine quo non*; ex quibus verbis Calvinus, & Jansenius inferunt essentiale discrimen inter gratiam in statu innocentiæ, & gratiam Christianam, quod illa cohæreat cum libertate indifferentiæ, ista necessitatem inducat.

Verum quam infirmis fundamentis machina hæc gratiæ necessitantis erigatur, ex hactenus dictis in superioribus thesibus, præsertim in tertia, facile est intelligere. Profecto ea æque militant pro gratia status innocentiæ, ac pro gratia in statu naturæ per Christum reparatæ; atque adeo sicut in eo statu per Calvinum, & Jansenium gratia non inferebat necessitatem bonæ operationis, ita neque in natura lapsa auxilium efficax, quod confertur ex meritis Christi Domini; imo a fortiori, quia gratia per Christum non debet esse inferioris, sed altioris conditionis, quam gratia in statu innocentiæ gratis a Deo collata, & non intuitu meritorum Christi; atque adeo non debet illa necessitatem inferre, & radicem meriti, nempe libertatem, evertere. Non inficior, nodum esse Gordianum, & valde implexum, efficaciam divinæ gratiæ explicare conciliando infrustrabilitatem divinæ voluntatis in gratiæ efficacis collatione simul cum libertate creaturæ; nos illam explicavimus in thesi ter-

si tertia, sicut etiam in præcedenti, ubi advertimus, potius confitendam esse nostram imbecillitatem, si id percipere non possimus, quam contra Catholicam veritatem deliramenta esse comminiscenda.

Ad primum itaque argumentum adductum a Calvino, & Jansenio respondetur, in utroque statu, tam innocentiæ, quam naturæ per Christum reparatæ, Deum *efficere*, *ut velimus*, *& largiri nobis bonam voluntatem*, quatenus ex animo, ut sequatur consensus, largitur nobis gratiam, quam prævidit efficacem, qua collata Deus non solum confert nobis posse, sed etiam operatur ipsum velle.

Ad secundum. Huc etiam tendunt orationes Sanctorum, & preces Ecclesiæ, ut impetrent auxilia prævisa efficacia, non vero gratiam necessitantem: sicut enim potuit, & debuit Adam petere a Deo, *ut non caderet* ut ostendimus in thesi 13. ex Augustino ipso, (necnon petere post lapsum, ut voluntatem in bonum converteret, dicendo: *Converte me Domine*, juxta doctrinam ejusdem Augustini) quod poterat per gratiam efficacem non eversivam libertatis obtinere, ut Calvinus, & Jansenius admittunt; ita possumus nos idem a Deo petere, & eodem modo.

Ad tertium. Sicut Angelos bonos Deus misericorditer custodit, ita potest nobis perseverantiam conferre, conferendo semper auxilia prævisa efficacia.

Ad quartum, Deus sua gratia discrevit Angelos bonos a malis, cum ad Angelos etiam pertineat illud Apostoli: *Quis est, qui te discernit? Quid autem habes, quod non accepisti?* & sic discernit electos a reprobis vi auxilii prævisi efficacis, (ut explicavimus in tertia, ac in decima thesi) videlicet conferendo illud eo animo, ut infallibiliter bene operentur Electi, & salutem æternam consequantur: Reprobis vero datur auxilium sufficiens prævisum inefficax, non quidem ut inde mala operatio consurgat, cum non requiratur hujusmodi auxilium supernaturale ad malam operationem; sed potius confertur eo animo, ut consurgat salutaris operatio, ad quam prærequitur; nec datur illud qua inefficax, seu eo animo, ut si prævisum fuisset efficax, non daretur illud, sed datum fuisset aliud inefficax; quin potius si prævisum fuisset efficax, libentiori animo illud ipsum a Deo collatum fuisset.

Ad quintum; vere in utroque statu tam innocentiæ, quam naturæ reparatæ gratia efficax est ineluctabilis, indeclinabilis, omnipotentissima, ut loquitur Augustinus, non tamen eversiva libertatis, ut in thesi antecendenti explicavimus.

Ad ultimum, pariter in utroque statu agnoscendum est tam adjutorium sine quo non, seu auxilium sufficiens, quam adjutorium quo, seu gratia efficax non necessitans. In duplici autem sensu sumi potest adjutorium quo: Primo pro causa efficiente, quatenus a gratia adjuvante efficienter fit consensus liber, sicut a gratia sufficiente, seu ab adjutorio sine quo non efficienter fieri potest consensus liber supernaturalis: Secundo pro causa formali, seu pro ipso consensu libero, quo sanatur anima a sua cupiditate, & homo fit bonus, & perseverans in gratia.

In hoc secundo sensu sumitur ab Augustino, quando lib. de corrept. & grat. cap. 12. comparat illud beatitudini, qua homo formaliter fit beatus: dicit enim: *Beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus: adjutorium est enim, non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit propter quod datur*. Et quod in hoc secundo sensu *Adjutorium quo* datum fuerit Angelis, nemo est quin videat. Quare sicut in hoc sensu in statu innocentiæ *Adjutorium quo* non indicabat in gratia necessitatem antecedentem, sed solum consequentem, quæ non pugnat cum libertate indifferentiæ in voluntate Angelorum; ita in statu naturæ reparatæ *Adjutorium quo* sumptum in sensu formali importat solum in voluntate affecta gratia medicinali necessitatem consequentem compossibilem cum libertate indifferentiæ, vi cujus posset voluntas gratiæ resistere. Quod si *Adjutorium sine quo non* importet gratiam in sensu efficienti, procul dubio in statu innocentiæ datum fuit Angelis, qui efficienter adjuti a Gratia actuali consensum liberum posuerunt; & eodem pacto datur hujusmodi in natura reparata per Christum; eo quippe elevatur voluntas supra vires naturales ad efficiendum consensum supernaturalem, & quidem liberum, cum detur hujusmodi gratia tam Angelis, quam hominibus, ut ad arbitrium voluntatis agat, ac influat in talem consensum.

Quod autem ab Augustino *Adjutorium quo* sumatur in sensu formali, unde solum involvat necessitatem consensus consequentem, non vero antecedentem eversivam libertatis, ex eo etiam liquet, quia criminatus invidiosissime Sanctus Doctor a Massiliensibus Presbyteris, quod in lib. de correp. & gratia capite duodecimo videretur perseverantiæ donum prædestinatis concessum ita commendare, ut quandam perseverandi necessitatem agnosceret; in hæc verba scripsit ad Hilarium suum olim discipulum, qui in Galliis degebat. *Sed nolunt, ut scribitis, isti fratres ita hanc perseverantiam commendari, ut non vel suppliciter emereri, vel amitti contumaciter possit. Ubi quid dicam, parum diligenter attendite. De illa enim perseverantia loquitur, qua perseveratur usque in finem; quæ si data est, perseveratum est usque in finem; si autem non est perseveratum usque in finem, non est data. Hoc sane donum suppliciter emereri potest, sed cum datum fuerit, amitti contumaciter non potest*. Ecce quomodo *Adjutorium quo*, relate ad perseverandum, ab Augustino solum sumatur in sensu formali invehente solam necessitatem consequentem. Idipsum exemplificat ibidem dicendo, quod sicut denominatur *castus, qui habet castitatem, sive sit, sive non sit in ea mansurus; ita qui aliud divini muneris habet, quod teneri, vel amitti potest, dicimus eum habere quamdjucumque habet; & si amiserit, dicimus habuisse*. Quare *Adjutorium quo*, seu gratia efficax sumpta in sensu formali pro ipsa gratia efficaci in actu secundo involvente ipsum consensum liberum, & operationem liberam creaturæ, nullam importat necessitatem antecedentem, sed solum consequentem, quatenus in sensu composito talis consensus adjutorium quo, & gratia sanativa sine suo effectu formali consistere non potest: ad eum modum quo denominatio volentis libere, constituta per liberam volitionem, absque tali effectu formali consistere non potest; cum quo bene stat, quod voluntas libere suscipiat denominationem volentis, & quod eam libere amittere possit; sicut etiam quod gratia efficax a Deo nobis misericorditer conferatur, & quod Deus operetur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXIV.

VIgesima quarta in idem recidit, contendendo, quod Idea, quæ haberi debet de omnipotentia gratiæ in sanandis animabus a cupiditate, sit ea ipsa, quam Centurio habuit de Omnipotentia Dei, ac Christi Domini in sanandis corporibus solo nutu suæ voluntatis. Si res ita se haberet, sicut uni voluntati Divinæ, ac voluntati Christi Domini liberum est curare corpora, ac morbos depellere: ita pariter uni gratiæ liberum foret animarum morbis mederi, & cupiditates cohibere, ac depellere. Hinc non deberet Apostolus ad Philipp. 2. dicere: *Cum timore, ac tremore salutem vestram operamini*; sed potius dixisset, Nihil est cur ad operandum conemini, cum solus Deus operetur in vobis velle, & perficere. Ex quo fieret, quod in operationibus gratiæ nullum esset nobis meritum, cum radix meriti sit libertas a necessitate; nec possemus nos gratiæ resistere, ac illius operationem impedire: Utrumque autem a doctrina Catholica omnino abhorret, & ad Theses Jansenianas spectat, quæ tanquam hæreticæ proscriptæ fuerunt ab Innocentio X. quam deinde proscriptionem Alexander VII. ac regnans Pontifex Clemens XI. in suis constitutionibus confirmarunt.

PROPOSITIO XXV.

Deus illuminat animam, & eam sanat æque ac corpus sola sua voluntate; jubet, & ipsi obtemperatur. *Quesn. Luc.* 18. 42. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Triplex error in hac Thesi recuditur: quod Deus voluntate duntaxat sua peccatores sanet: quod semper ac jubet, ipsi obtemperetur: & quod non aliter Deus sanet animam, ac corpus.

II. Ostenditur tam gratiam habitualem, quam actualem esse nobis intrinsecam.

III. Ostenditur etiam, sæpe Deum lumine suæ gratiæ illustratis aliquid præcipere, quin tamen ipsi obediatur.

IV. Ostenditur demum inter sanitatem corporis, & animæ discrimen palmare intercedere.

V. Satisfit pluribus Scripturæ locis, quæ ex Calvino objectant Janseniani.

I. IN eadem iterum fæce volutatur Auctor recudendo in hac thesi eundem errorem, quem valde affinibus, ac fucosis verbis in superioribus thesibus in medium adduxerat, præsertim in undecima, ubi pariter dixit, Gratiam esse voluntatem Omnipotentis Dei jubentis, & facientis id quod jubet; necnon in vigesima, ubi dixit, veram ideam gratiæ esse, quod Deus vult sibi a nobis obediri, & obeditur, imperat, & omnia fiunt. Addit nunc in hac thesi, quod anima vi gratiæ illustrantis sanetur æque, ac corpus, quod in antecedenti thesi aliter expresserat. Non pauca hactenus jacula intorsimus ad Cerberum istum trifaucem confodiendum, seu ad tres istos errores expugnandos, videlicet: Quod Deus illuminet ac sanet sola sua voluntate, & non per gratiam intrinsecam voluntati: Quod semper ac jubet iis, quos sua gratia illustrat, statim obediatur: & Quod non aliter sanetur divina gratia corpus, ac anima.

II. Adversus primum errorem ostendimus in thesi decimanona, non solum gratiam justificantem habitualem esse nobis intrinsecam, sed etiam de facto, & connaturalius esse intrinsecam gratiam actualem, nempe illustrationes intellectus supernaturales, quibus *apparet nobis, quod latebat*, ut loquitur Augustinus, & Inspirationes cœlestes, quibus *suave fit, quod non delectabat*, & hujusmodi auxilia esse actus vitales non liberos: quamvis enim posset divinitus per assistentiam specialem omnipotentiæ elevari voluntas ad ponendos actus liberos supernaturales citra comprincipium supernum intrinsecum, connaturalius tamen hujusmodi actus procedunt a principio adæquate intrinseco, atque adeo a gratia actuali intrinseca, quæ se teneat ex parte objecti, & ab habitibus infusis, (si præsupponantur in anima) qui se teneant ex parte potentiæ: non secus ac Visio beatifica connaturalius procedit a lumine gloriæ intrinseco; esto posset divinitus elevari intellectus Beati ad producendam visionem beatam absque ulla forma intrinseca vi specialis influxus exhibiti ab Omnipotentia, ut docent complures Theologi adversus Thomistas, qui putant, ne divinitus quidem id accidere posse.

III. Adversus alterum errorem diximus in thesi vigesima, passim Deum sua gratia illustratis imperare, quin isti obediant, non quidem ex defectu gratiæ, (nam si hæc non esset sufficiens, excusarentur, si non obtemperarent, & Deus insipientiam ostenderet, & tyrannidem exerceret imperando impossibilia, & puniendo eos, qui hujusmodi mandata transgrediuntur) sed ex culpa voluntatis, quæ gratiæ reluctatur, & renuit imperata facere. Quod si non libere obtemperaremus mandatis Dei, ut quid tot promissiones Divinæ obedientibus? ut quid tot comminationes transgredientibus, & non custodientibus divinam legem? Quare non est universim verum, quod si Deus illuminet animam, ac jubeat, ipsi obtemperetur. Quis autem non advertat, thesim hanc absolute prolatam sensum facere universalem, ac denotare, jussionem divinam sub illustratione superna semper subsequi nostram obtemperationem?

IV. Adversus tertium, in superiore thesi, & aliis proxime antecedentibus palam fecimus discrimen inter corporis, & animæ curationem, quod illud citra propriam operationem curetur, & solum passive se habeat, quoties divinitus curatur, nullatenus cooperando divinæ operationi sanativæ; secus vero anima curatur vi gratiæ per Christum libere consentiendo divinis auxiliis, & iis cooperando, ita ut sanitas a voluntate propria impediri possit, si hæc renuat gratia Deo sponte oblata utiliter uti; unde ipsa desit gratiæ de se curativæ, non vero gratia sibi. Ex quibus fit, & quod Deus nec illuminet, nec sanet animam sola sua voluntate, & quod non sanet æque animam, ac corpus, & quod non semper ac jubet, ipsi a nobis obtemperetur, quamvis animam illuminet supernis illustrationibus, & muniat illam gratia ad curandum idonea, ac parata.

Et sane nisi cum illustratione superna staret in voluntate libertas ad obtemperandum, vel non obtem-

obtemperandum divinis mandatis, & simul ad volendam, vel nolendam animæ sanitatem, consentiendo divinæ vocationi, aut illam libere respuendo, sequeretur primo nullum esse meritum obedientiæ in iis, qui superna luce illuminantur: Sicut nullum fuisset meritum obedientiæ in Christo Domino impeccabili, si aliquo modo non fuisset liber ad declinandam mortem præceptam, ut fatentur Theologi communiter: quamvis in concilianda Christi impeccabilitate cum hac libertate desudent. Secundo, nullum esse demeritum in iis, qui divinis mandatis non obtemperant, si ea illustratione ad obediendum necessaria carerent: immo nullum in his haberent locum præcepta, cohortationes, consilia, objurgationes, comminationes, exempla, aliaque id genus: Sicuti nullum est demeritum in iis, qui non prophetant, non patrent miracula, non linguis loquuntur, si careant gratia gratis data ad hæc præstanda omnino necessaria: Imo nullum in his haberent locum præcepta, promissiones, minæ: quis enim nisi fatuus exigat prophetias, & miracula ab iis, qui destituti sunt viribus ad ea præstanda necessariis? Tertio, tolleretur etiam de medio omnis diligentia, conatus, & industria ad agenda, & excolenda opera pietatis; ad eum modum, quo frustra homo conatur, & diligentiam adhibet ad prophetandum, si dono prophetiæ non sit instructus: posset proinde quilibet, veluti manibus in sinu compressis, otiari, ac stertere.

V. Opponunt Heterodoxi nonnullos Scripturarum textus, quibus videmur nos gratiæ non cooperari, sed gratia operari in nobis, quæ Deus jubet, & vult a nobis. Ps. 50. dicitur: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis.* Sicut enim nemo cooperatur ad propriam creationem, ita videtur, quod non cooperemur gratiæ creanti in nobis cor mundum. Jo: 6. *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*; quibus verbis videtur non esse in potestate hominis gratiam recipere, vel respuere, alioquin posset aliquis audire, & non venire. Ezech. 36. *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum; Spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis:* Cor lapideum denotat malam hominis voluntatem; Sicuti autem nulla esset lapidis cooperatio, si deberet in carnem converti; ita nulla videtur esse hominis cooperatio, si ejus mala voluntas in bonam convertatur: præsertim quia additur: *faciam, ut in præceptis meis ambuletis*, & non dicitur, *ut ambulare possitis:* 1. ad Cor. 12. *Qui operatur omnia in nobis*; & ad Philip. 2. *Qui operatur velle, & perficere pro bona voluntate*; operari autem velle, non est solum adjuvare, ut velle possimus, sed est simpliciter facere, ut velimus. Denique ad illud 1. Jo: 3. *Qui natus est ex Deo, non potest peccare, quia semen Dei manet in eo*, addit Calvinus: *Citra controversiam elicitur ex verbo Joannis, sic efficaciter gubernari divinitus piorum corda, ut inflexibili affectu sequantur.*

Sed hæc, & alia Scripturæ loca, & consimiles Sanctorum Patrum, præsertim Augustini, locutiones solum evincunt, quod nostra salutaris operatio principalius Deo ascribatur, ac suæ erga nos beneficentiæ, ratione cujus confert nobis auxilium non solum sufficiens, sed etiam congruum, & efficax, seligendo illud ab inefficacibus; non probant tamen, quod nos non cooperemur libere auxilio misericorditer collato, unde possimus cum Apostolo dicere: *Non ego, sed gratia Dei mecum.* Etenim quod nos gratiæ cooperemur, definitum est in Trid. sess. 6. can. 4. ubi habetur: *Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere, anathema sit.*

Ad primum itaque fit satis dicendo, quod non creetur cordis substantia in justificatione, sed solum creetur mundities in corde, seu in voluntate præsupposita; propterea potest voluntas supposita cooperari ad suam conversionem, & munditiem, si divina gratia adjuvetur; sicut diximus in thesi 23. quod in peccatis mortuus cooperetur ad suam spiritualem vivificationem: Dicitur autem Deus creare munditiem, quia ex nulla prævia exigentia, sive physica, sive morali confert nobis suam gratiam; alioquin gratia, ut advertit Apostolus, non esset gratia. Cæterum similitudines non debent in omnibus convenire, ut annotavimus loco laudato.

Ad secundum, in thesi 17. explicavimus, in quo sensu verum sit, quod *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad Filium*, videlicet, qui doctrinam Patris ita audivit, ut libere consentiendo voluerit discere, ac velut in actu secundo edoceri: discere enim est persuaderi, & credere; qui autem ita persuasus est de veritate Evangelicæ doctrinæ, in sensu composito non potest non credere, & ad Filium venire; quamvis absolute possit non venire, eo quod possit nolle persuaderi, ac discere. Aliter non clamaret Propheta Psal. 94. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra.*

Ad tertium, cor lapideum, & carneum præsupponit ipsum cor, seu voluntatem hominis, quæ potest recipere sive formam lapidis, seu peccati duritiem, sive formam carnis, seu gratiæ teneritudinem. Quamvis autem non possit voluntas lapidea citra Dei gratiam convertere se ad Deum, & fieri carnea, potest tamen excitata a gratia præveniente, & ab illa adjuta cooperari libere ad suam ipsius conversionem. Hinc licet Deo principaliter nostra conversio tribuatur, unde dicimus, *Converte nos Deus salutaris noster*, nobis tamen libera est nostra conversio; unde ea nobis præcipitur verbis illis Oseæ 14. *Convertimini ad Dominum.* Immo Zachar. 1. dicitur; *Convertimini ad me, dicit Dominus exercituum, & convertar ad vos*; quia quamvis a Deo unice conferatur nobis gratia sufficiens, ut possimus ad illum converti; at determinatio ad liberam conversionem debet a nostra voluntate haberi; esto hæc ipsa nostra libera conversio debeat tribui Deo, tanquam primo efficienti, ac intendenti illam speciali affectu. Hinc non solum dicitur Deus facere, ut in præceptis suis ambulare possimus, sed etiam ut ambulemus.

Ad quartum recurrit eadem responsio. Cum Deus operatur in nobis velle, non solum dat posse, sed excitat, & adjuvat, ut reapse velimus, atque adeo non operatur in nobis velle citra nostram cooperationem: Aliter Apostolus non diceret ad Philip. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*, sed potius diceret: Metum, ac solicitudinem in iis, quæ ad salutem spectant, deponite; cum solus Deus operetur in vobis velle, & perficere.

Ad ultimum, nomine seminis D. Jo: ibi non intelligit gratiam auxiliarem necessitantem ad operationem salutarem, ut interpretatur Calvinus, sed ipsam gratiam justificantem, ut notat Augustinus tract. 5. in Epist. Joannis, & constat ex verbis laudatis. Siquidem non dicitur, quod habens hujusmodi semen non possit non converti, sed dicitur, quod non possit peccare, videlicet in sensu composito talis seminis, seu gratiæ justificationis; quæ dicitur esse nativitas ex Deo, seu id per quod homo ex Deo natus est, & est filius Dei, qualis est ipsa Charitas infusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, vi cujus filii Dei nominamur, & sumus. Habens itaque hujusmodi Dei semen lethaliter peccare non potest, dum manet in eo, seu in sensu composito, quamvis peccare possit in sensu diviso, quatenus Charitatem amittere potest, quin etiam abjicere, & peccare.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXV.

Vigesima quinta apertius easdem hæreses inculcat dicendo, quod æque Deus sola sua voluntate animam illuminat, & sanat, ac sanet corpus, ita ut jussum Dei haud aliter sequatur corporis, quam animæ curatio. Non solùm autem in hac thesi Quesnellus errat dicendo, quod æque corpus, ac anima sanentur, in quo nullam agnoscit in anima libertatem, & cooperationem ad sui curationem; sed etiam in eo, quod velit Deum illuminare, & curare animam sola sua voluntate; quibus verbis excluditur gratia animæ intrinseca, non solum actualis consistens in illustrationibus, & inspirationibus supernis, sed etiam habitualis, ubi Tridentinum sess. 6. cap. 6. docet, causam formalem nostræ justificationis, seu curationis esse Charitatem Dei diffusam in cordibus nostris, ac nobis inhærentem; Non enim adoptamur a Deo mera extrinseca ejus voluntate, sicut fit adoptio in humanis, sed per participationem divinæ naturæ, qua filii Dei nominamur, & sumus, ex 1. Jo: 3. Errat denique thesis in eo, quod velit semper Dei jussum sequi obedientiam in ordine ad animæ curationem. Constat autem, quod non semper ac peccatori præcipitur conversio, qua sive formaliter, sive dispositive, juxta varia Theologorum placita, justificetur, & curet, ea ponatur. Neque dici potest, quod præceptum illud imponatur absque collatione gratiæ sufficientis ad ponendam justificationem præceptam: Nam in tali casu præceptum esset Deo indignum, ac fatuum, nec reatum ullum peccator incurreret, si conversionem omitteret; ut propterea Basilius in Regulis brevioribus respons. 176. dixerit: *Sine dubio non præcepisset hoc, qui bonus, & justus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, esset largitus.*

PROPOSITIO XXVI.

Nullæ dantur gratiæ, nisi per fidem. *Quesnellus Luc.* 8. 48. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXVII.

Fides est prima gratia, & fons omnium aliarum. *Quesnel.* 2. *Pet.* 1. *edit.* 1793. & 1699.

PROPOSITIO XXVIII.

Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio. *Quesn. Marc.* 11. 25. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXIX.

Extra Ecclesiam nulla conceditur gratia. *Quesnel.* Luc. 10. 35. & 36. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Recuduntur hic theses alias profligatæ, quæ si verum haberent, neque Infideles, neque Fideles de salute æterna deberent esse soliciti.

II. Rejectatur a Quesnello præsertim Gratia sufficiens, qua possint Infideles fidem amplecti, & peccatores resipiscere; aliæque hæreses hic exuscitantur.

III. Falsitas fit perspicua, tum ex obligatione, quam habet & Infidelis perquirendi veram Religionem, & peccator disponendi se ad reconciliationem cum Deo; tum ex voluntate Dei salvandi omnes.

IV. Alia etiam incommoda sequuntur.

V. Errores Heterodoxorum in hac re quinam fuerint.

VI. Augustinus perperam in patrocinium adducitur; cum Scripturis, Conciliis, ac rationum momentis dilucide ostendatur, Deum non deesse omnibus auxilio suo, ut possint salutem consequi.

VII. Idemque Patres deprædicant.

VIII. Præsertim ipse Augustinus pluribus in locis.

IX. Neque Infidelibus, neque Ethnicis, neque Fidelibus deesse potest auxilium sufficiens ad ponendum, quod sibi a Deo præcipitur.

X. Sub oculis ponitur absurditas Jansenianæ responsionis, quod scilicet impotentia sit imputabilis in causa.

XI. Sicut etiam, quod voluntatis impotentia ab ipsa voluntate sit supplebilis.

XII. Exponitur mens Augustini, & Concilii Arausicani, quorum verba ad suos errores tuendos incassum Janseniani detorquent.

I. Quid contendat Auctor Thesibus hisce, quibus Christiana fides magnifice commendatur tanquam fons, & origo gratiarum omnium, & Ecclesia tanquam receptaculum omnium donorum? Numquid ut advertentes ad magnitudinem beneficii nobis per Christi sanguinem collati, Benefactori grates debitas rependamus? Sed quis non videat quantum sint ipsi Benefactori injuriosæ, dum beneficentissimum sui amoris erga omnes homines animum ad solos fideles, & ad solum Ecclesiæ suæ ovile coarctant? Non multis ab hinc annis Alex. VIII. proscripsit quintam illam thesim, quæ habent: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine ulla gratia sufficienti.* Post hanc proscriptionem enormis hic error, Christi sanguini, & Christi amori, ac divinæ bonitati usque adeo injuriosus debuisset obmutescere: At iterum clangentibus tartareis tubis reboat, nec semel in hisce Quesnellianis thesibus vult audiri, ut altius audiatur, & altius ejus virus ebibatur. Negat Quesnellus ullam gratiam Infidelibus conferri ante fidem; negatque ullam

ullam gratiam peccatoribus conferri ante peccatorum remissionem . Ex quibus id aperte conficitur, quod nemo debeat esse de sua salute solicitus, sed quilibet ad arbitrium vivere possit ; nec Infidelis inquirere debeat de vera Religione, quam amplectatur; nec Fidelis de capessenda via salutis, quam aggrediatur; quoniam sola gratia efficax ad arbitrium danda Electis , citra ullam eorum cooperationem, & libertatem , & Infideles ad fidem perducit , & Fideles peccatores ad peccatorum remissionem, nulla præmissa iisdem gratia sufficienti , qua libere possent Infideles ad veram fidem converti , & peccatores fideles reverti ad Dominum per pœnitentiam .

II. Quare dum primo in hisce thesibus dicitur , quod nullæ dentur gratiæ , nisi per fidem , ecce tibi denegatur Infidelibus gratia sufficiens, qua possint veram fidem inquirere, & amplecti, prout deliravit Jansenius lib. 3. de Grat. Christi Salvatoris cap. 11. cujus titulus est : *Infideles carent gratia sufficienti ad salutem , tam proxima , quam remota , & omnibus principiis ejus .* Dum deinde iteratur, quod fides sit prima gratia, & fons omnium gratiarum, manifeste excluditur eadem gratia sufficiens, quæ ante fidem conferenda esset, ut possit vera fides pervestigari. Dum tertio dicitur prima gratia, quam Deus peccatori concedit, esse peccatorum remissio , nulla alia agnoscitur gratia per merita Christi peccatori conferenda, qua possit ad justificationem se præparare actibus præviis supernaturalibus fidei, spei, timoris, doloris, & charitatis , juxta modum a Tridentino expressum sess. 6. cap. 6., quo impius ad justificationem disponitur; quæ tamen *non est sola peccatorum remissio* , ut dicitur c. 7., *sed & sanctificatio , & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ , & donorum , unde homo ex injusto fit justus , & ex inimico amicus , & fit hæres secundum spem vitæ æternæ ;* quod ab Heterodoxis apud Bellarm. lib. 2. de Justificat. c. 1. negabatur, putantibus justificationem haberi per solam peccatorum remissionem , ut videtur hæc thesis subdole innuere . Denique dum dicitur, quod extra Ecclesiam nulla concedatur gratia , iterum iterumque expungitur gratia sufficiens , qua possit quis conari , ut in Ecclesiam ingrediatur , & sit intra septa ovilis Christi Domini, si sit infidelis , aut ad Ecclesiam regrediatur , si fuerit Hæreticus, Apostata , aut per excommunicationem a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ ejectus , & a consortio totius Christianitatis eliminatus.

Ubi notandum , in thesi 72. & sequentibus ab Auctore satis diserte indicari, quod nomine Ecclesiæ veniant omnes electi , & justi omnium sæculorum, ut proinde dum dicitur hic, quod extra Ecclesiam nulla concedatur gratia , manifeste significetur, quod nulla alia detur gratia sufficiens, sed sola detur gratia medicinalis efficax, & irresistibilis, quæ solis Prædestinatis conceditur. Quare clanculum hic etiam exuscitari videtur hæresis antiqua Jo: Wiglephi , Jo: Huss, & aliorum a Concilio Constantiensi damnata apud Bellarmin. lib. 3. de Concil. cap. 1. quæ docebat , Ecclesiam esse Prædestinatorum congregationem ; ita ut soli , & omnes Electi illam componant , nec sint de Ecclesia Præsciti , quamvis aliquando sint in statu gratiæ , nec desinant esse de Ecclesia Prædestinati , si quando excidant a statu gratiæ , ut dicitur in laudato Concilio sess. 15. art. 5. his Wiglephi verbis : *Præscitus , etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam , tamen nunquam est pars Sanctæ Ecclesiæ ; & Prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ , licet aliquando excidat a gratia adventitia , sed non a gratia Prædestinationis* . Ecclesia autem Catholica apud eundem Bellarminum definitur, quod sit *Cœtus hominum ejusdem Christianæ fidei professione , & eorumdem sacramentorum communione colligatus , sub regimine legitimorum Pastorum , ac præcipue unius Christi in terra Vicarii Romani Pontificis* . Unde fit, & quod possint aliqui ex Infidelibus esse ex numero Prædestinatorum , quin tamen sint de Ecclesia , antequam illam ingrediantur per fidem, & per baptismum ; & viceversa, quod possint aliqui fideles esse de numero reproborum , & interim esse de Ecclesia Catholica : quæ omnia fusius in thesi 72. discutientur.

III. Quod autem Infidelibus , & omnibus extra Ecclesiam existentibus non desit vel proxime, vel remote gratia sufficiens, ut converti possint, necnon peccatori , ut possit ad obtinendam remissionem peccatornm se disponere , unde quatuor istæ theses corruant, facile ostenditur ex non semel dictis : Præsertim quia tam Infideles obligantur ad amplectendam fidem Catholicam, quam peccatores ad reconciliationem cum Deo : cum autem hæc præstari non possint sine auxilio gratiæ , manifestum est iis conferri a Deo auxilium sufficiens : ne dicamus , quod Deus obliget ad impossibile , quod sapit tyrannidem, & summam iniquitatem. Præterea cum Deus velit omnes omnino homines salvos fieri , (ut dicemus in thesi 30.) & Christus pro omnibus omnino mortuus sit, (ut constat ex proscriptione quintæ thesis Jansenianæ) nec possit utrumque subsistere , si Deus deneget , & Christi merita non obtinuerint etiam infidelibus , & peccatoribus gratiam sufficientem ad salutem ; manifesta deductione infertur, gratiam istam etiam Infidelibus, & peccatoribus a Deo conferri .

IV. Confirmatur primo , quia si fidelis per peccatum infidelitatis non solum gratiam , & charitatem , sed etiam fidem amisit , & prima gratia , quæ illi confertur, est fides , & peccatorum remissio, sequitur, quod fides a peccati remissione non distinguatur; unde homo per fidem formaliter justificetur: quod veritati Catholicæ adversatur, ut dicemus in thesi quinquagesimaprima.

Confirmatur 2. Si nulla datur gratia , qua Infidelis ad fidem amplectendam , & fidelis peccator ad justificationem disponatur, sequitur , vel quod sine ulla prævia dispositione fides , & justificatio habeantur , vel quod dispositiones illæ ponantur sine gratia : primum adversatur Tridentino loco laudato : secundum est error Pelagianorum : ergo neque prima gratia, quæ Infideli confertur , est fides; nec prima gratia , quæ confertur peccatori fideli , est peccatorum remissio: nec est verum , quod extra Ecclesiam nulla gratia conceditur . Quod apertius constabit ex dicendis in expositione thesis septuagesimæ secundæ, ubi ostendemus, quid veniat nomine Ecclesiæ Catholicæ.

V. Antequam difficultates in Contrarium evacuem, adverto, errorem Calvini , Calvinianorum , ac deinde Jansenii nunc iterum in hisce thesibus in medium adduci , Calvinus quippe lib. 2. Instit. cap. 3. dicit, deridendos esse , qui putant auxilium super-

pernum a Deo *promiscue dari omnibus*, *quod speciale est gratuitæ electionis testimonium*. Petrus Molinæus celebris Calvinianæ doctrinæ Affectator in Epistola ad Synodum Dordrectanam rigidorum Calvinistarum habet : *Gratiam universalem datam omnibus hominibus , quæ vel mediate , vel immediate sufficiat ad perveniendum ad salutem , non agnosco* . Petrus Martyr pariter Calvini sectator de Prædest. n. 38. sic loquitur : *Nos nequaquam dicimus omnibus communem esse gratiam , sed aliquibus concedi , aliis vero Dei arbitrio non dari . Atque pro ista sententia hæc Scripturæ loca inducimus* : Jo: 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum* , &c. *mirorque Adversarios dicere , omnes homines a Deo trahi , sed non omnes velle accedere* . Denique Jansenius lib. 3. de Grat. Christi , capiti 11. hunc titulum præfigit : *Infideles carent gratia sufficienti ad salutem , tam proxima , quam remota , & omnibus principiis ejus :* conaturque id ostendere ex doctrina Augustini , cujus plura adducit loca , quæ videntur ostendere : Primo , quod Judæis gratia sufficiens defuerit , atque adeo desit etiam Infidelibus , qui carent notitia rerum agendarum , & fugiendarum , qua fuerunt Judæi a Deo instructi : Secundo , quod gratia haberi nequeat sine dilectione , & hæc sine fide non consistat ; unde Infideles carentes fide carent dilectione , & communiter carent gratia , quod videtur docere Augustinus in Ps. 67. dicens : *Ea sola bona opera dicenda sunt , quæ fiunt per dilectionem Dei : Hæc autem necesse est ut antecedat fides , ut inde ista , non ab istis incipiat illa , quoniam nullus operatur per dilectionem , nisi prius credat in Deum* . Quod pariter docet lib. 4. contra Julianum cap. 3. Tertio , quia Concilium ipsum Arausicanum canone ultimo sic definivit : *Deus nobis fidem , & amorem sui prius inspirat , ut cum ipsius adjutorio ea , quæ sibi sunt placita , implere possimus*.

VI. Sed quantum ab hac hæresi distet mens Augustini , & Concilii , nemo non videt. Communis enim est Sanctorum Patrum , & ipsius etiam Augustini sensus Scripturis , Conciliis , & rationi nixus , quod nemini gratia per Christum denegetur , qua possit ad salutem pervenire . Jo: 1. dicitur : *Erat lux , quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ; quod Chrysostomus , Clemens Alexandrinis , & alii interpretantur de illustratione supernaturali omnes illustrante , quantum est ex parte lucis ; ad eum modum , quo , ut exemplificat D. Thomas , Sol omnes illuminat , nisi quis velit oculos claudere . Præterea Isaiæ 65. dicitur : *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem , & contradicentem mihi* . Nec aliud Christus D. in Cruce expansis manibus sitiebat , quam ut omnes ad fidem converterentur , ut dicemus in thesi 31. Similiter 2. Petri 3. habetur : *Patienter agit propter vos , nolens aliquos perire , sed omnes ad pœnitentiam converti* : Ut autem Dei voluntas ista non sit indigna Deo , quæ ita vellet pœnitentiam a peccatore , sicuti qui vellet patrationem miraculi ab homine relicto in solis viribus naturalibus , sequitur , quod omnibus omnino conferat auxilium sufficiens ad salutem . Quod diserte Concilium Coloniense parte 7. cap. 3. docuit his verbis : *Quamquam nemo convertatur ad Dominum , nisi tractus per Patrem ; attamen nemo hic excusationem prætexat , quod non trahatur ; quod ille semper stat ante ostium pulsans , nimirum per internum , & externum verbum commonens , ut convertamur a via nostra pessima* . Infidelibus autem , quibus Evangelium non prædicatur , idcirco non prædicatur , quia internæ inspirationi resistunt , qua ad naturalem legem implendam impelluntur ; si enim ductum rationis sequerentur , ac præcepta naturalia servarent , & supernis inspirationibus faciles aures præberent , Deus citra miraculum , ut advertit Vasquez , potuisset ita causas secundas combinare , ut ibi præsto adesset Concionator Evangelicus , qui istos instrueret de mysteriis credendis , ac deinde baptismo lustraret ; Immo si opus esset , etiam Angelorum ministerio uteretur , ut docet Angelicus , quo possent isti instrui mysteriis necessario credendis , ut deinde possent saltem baptismo flaminis lustrati ad Patriam pervenire. Cum enim *sine fide impossibile sit placere Deo*, ad Hebr. 11. & fides stricte dicta sit ex auditu , qui non habetur sine Prædicante , juxta illud ad Rom. 9. *Quomodo credent ei , quem non audierunt ? quomodo autem audient sine Prædicante ?* idcirco iis mediis præternaturalibus Deus uteretur, ut Infideles sectantes rationis ductum possent per fidem stricte dictam , & per baptismum sive fluminis , sive saltem flaminis salutem a Deo iis concupitam consequi . Quod iterum firmabitur in thesi insequenti .

VII. Passim etiam idem edocent Sancti Patres . Dilucide Ambrosius serm. 8. in Psalm. 118. *Sol justitiæ omnibus ortus est , omnibus venit , omnibus passus est , & omnibus resurrexit . Si quis autem non credit in Christum , generali beneficio ipso se fraudat ; ut si quis clausis fenestris radios Solis excludat, non ideo Sol non est ortus omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit ; sed quod Solis est , prærogativam suam servat ; quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit* . Similiter Chrysostomus exponens verba illa Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ; aperte docet gratiam illuminantem omnibus a Deo per Christi merita conferri , volente omnes homines salvos fieri , addens : *Qui autem ejus munere frui negligunt , hanc suam cæcitatem sibi ipsis imputare debere ; cum enim detur omnibus, omnibus pateat , & a nemine prohibeatur , perditi quidam , & nequam homines propria duntaxat malitia ingredi recusant* . Quod si auxilium sufficiens ex Dei arbitrio , ut docent Janseniani , denegaretur a Deo , non esset verum , quod ob propriam duntaxat malitiam non ingrederentur , sed ob impotentiam .

VIII. Augustinus ipse , quem pro suis erroribus stare contendunt Janseniani , pluribus in locis Catholicam hanc sententiam confirmat : præsertim lib. 83. quæstionum, quæst. 68. ubi dicit , omnes ad Cœnam Evangelicam vocari , quod tamen non omnes veniant , sibi imputent , cum sit in eorum libera potestate : additque : *Vocatio ergo ante meritum voluntatem operatur ; qui autem vocatus non venit , sicut non habuit meritum præmii , ut vocaretur , sic incohoat meritum supplicii , cum vocatus neglexerit* . Et lib. 3. de liber. arbitr. cap. 19. adversus illos , qui conqueruntur de ignorantia , & concupiscentia orta ex originali peccato , perinde quasi desit sufficiens auxilium ad addiscendam viam salutis , & ad concupiscen-

piscentiam compescendam, dicit; *Breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant. Recte enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus hominum victor existeret: Cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem adhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem; non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras: sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud, quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis*: Ubi vides alterum assertum Jansenianum ab Augustino in hoc loco prostratum, videlicet quod ignorantia invincibilis juris naturæ non excuset a peccato formali operantem ex ipsa, quod in secunda ex thesibus ab Alex. VIII. proscriptis effutiebatur.

IX. Ad primam rationem in contrarium a Jansenio propositam, quod scilicet Judæi caruerint gratia sufficienti, (& a fortiori idem dicendum de infidelibus) jam supra in thesi 6. & 7. ostendimus, Judæos non fuisse destitutos gratia interiori, qua possent culpas declinare, & vitam æternam consequi: Nec in alia sententia fuisse Augustinum, quamvis in aliquibus locis ibidem perpensis videatur oppositum docere. Lib. 3. ad Bonif. cap. 3. habet: *Quis Catholicus dicat, quod nos dicere jactitant, Spiritum Sanctum adjutorem virtutis in veteri Testamento non fuisse*. Et sane quomodo a Deo obligari poterant ad legem implendam, si illam ex defectu gratiæ auxiliantis implere non poterant? Hinc idem Augustinus lib. de fide contra Manichæos cap. 10. verbis meridiana luce clarioribus habet: *Quis non clamet, stultum esse, dare præcepta ei, cui liberum non est, quod præcipitur, facere; & iniquum esse eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere?* Et lib. de natura, & grat. c. 69. *Firmissime creditur, Deum justum, & bonum impossibilia non potuisse præcipere*. Quæcunque enim divinæ clementiæ, justitiæ, & bonitati adversantur, nec ponuntur, nec possunt a Deo poni, ita ut hæc impotentia commendet, & compleat ipsam Divinam Omnipotentiam. Cum autem non possit eatenus Deus præcipere impossibilia, sequitur, quod non potuerit præcipere Judæis observantiam legis, negata gratia interiori sufficienti, citra quam lex servari non poterat. Quod pariter Basilius docuit in Regulis brevioribus respons. 176. dicens: *Sine dubio autem non præcepisset hoc, qui bonus, & justus est, nisi etiam facultatem, qua id faceremus, esset largitus*. Hæc autem omnia æque militant pro Judæis, ac pro Infidelibus; æque pro iis, qui erant *ante legem*, seu qui solis præceptis naturalibus tenebantur, ac pro iis, qui erant *sub lege*, hoc est tenebantur etiam præceptis positivis latis in lege scripta; & eodem modo militant etiam pro iis, qui sunt *sub gratia*, seu pro iis, qui tenentur legem Evangelicam servare, quibus gratia per Christum datur uberior; & ideo nemini deesse potest gratia sufficiens ad legem implendam, quam implere tenetur.

X. Ad hæc respondet Jansenius tom. 3. lib. 3. cap. 14., & ante illum Calvinus lib. 2. Instit. c. 5. & in Antidoto Trident. ad cap. 11. sess. 6. posse inobedientiam imputari hominibus ad culpam, & ad pœnam, quamvis careant gratia sufficienti ad obtemperandum, eo quod isthæc impotentia orta est a culpa originali, & ideo est culpabilis in causa sua. Sed adversus hanc responsionem plura diximus in expositione primæ Thesis ab Alex. VIII. proscriptæ, in qua id asserebatur. Illud hic addo, ut ejus absurditas perspicua fiat. Fingamus, quod Rex Principem aliquem omnibus bonis denudarit ob crimen perduellionis, & deinde eidem in extrema necessitate constituto præcipiat, ut in abundantiam annonæ centum millia aureorum quotannis suppeditet, comminando illi mortem, si non obtemperet, quamvis id nullatenus possit. Quis non execraretur Regis hujus tyrannidem, seu potius insaniam; quamvis enim ex culpa perduellionis factum fuerit, ut nequeat nunc hos sumptus subministrare, quos cæteroqui subministrare potuisset: ut posita actuali impotentia, non potest hic & nunc obligari ad id, quod hic & nunc exhiberi non potest. Quod si hæc citra tyrannidem, & insaniam præcipi non possunt a Rege, quomodo Calvinus, & Jansenius citra delirium asserant, quod ea præcipi possint a Deo Clementissimo, Optimo, Maximo? Et ex eo magis absurditas patet, si supponatur, quod culpa antecedens fuerit remissa, sicut hominibus per circumcisionem in lege scripta remittebatur originale, & olim in lege naturæ per aliud signum externum, quo Deus infantibus opitulabatur, (& probabiliter ex August. & Beda illud consistebat in protestatione externa facta a Parentibus, quod homines per Christi adventum essent salvandi, qua de causa dicebantur parvuli illi salvari in fide parentum, ut fusius dixi in Cursu Theol. p. 7. disp. 1. qu. 1) & in lege gratiæ remittitur adæquate quoad culpam, & pœnam per Baptismum. Hinc fingamus iterum, quod servus sua culpa factus sit impotens ad currendum, quia scilicet volens ascendere per fenestras ad furandum decidit, ita ut ejus crura frangerentur; dominus autem condonet prorsus illi culpam hanc, sed præcipiat, ut currat sub pœna mortis: Quid sentirent de tali domino Calvinus, & Jansenius? Hoc idem sentiunt de Deo, qui post remissam culpam originalem comminatur hominibus pœnam mortis æternæ, si legem non observent, ad cujus observantiam vires non habent ratione peccati originalis jam remissi.

XI. Replicat Jansenius lib. 3. de Grat. Christi cap. 15. dicendo, duplicem esse impotentiam, alteram insupplebilem a voluntate, ut est impotentia ad currendum in eo, qui pedibus caret; & quæ ita sunt impossibilia, præcipi non possunt a Deo: Alteram vero a voluntate supplebilem; ut est impotentia ad legem servandam, quam servare possent homines, si perfecte vellent, quamvis ob culpam originalem non possint perfecte velle sine auxiliis gratiæ; & quæ sic sunt impossibilia, præcipi a Deo possunt, cum impotentia ista sit voluntatis, atque adeo voluntaria.

Sed quis hæc percipiat? impotentia ista non aliter est voluntaria, nisi quatenus spectat ad voluntatem: Cæterum tam est impotens ad currendum, qui caret pedibus, quam est impotens ad volendum servare legem, qui caret auxilio necessario ad ponendam hanc volitionem; unde utrobique par ratio. Aliter Stoici, Priscillianistæ, Planetarii, aliique fati assertores adversus argumentationes Augustini, & aliorum Patrum contendentium, quod peccatores vacarent culpa in iis, quæ male operantur, si non operantur libere, possent pariter respondere, quod licet necessitate adacti vi fati, & stellarum

male operentur, adhuc tamen peccant, quia impotentia ad bene operandum est in ipsa voluntate, licet sit necessaria, & si perfecte vellent, non male operarentur.

XII. Venio nunc ad auctoritatem adductam Augustini dicentis, quod ea duntaxat dicenda sint bona opera, quæ fiunt per dilectionem Dei, ad quam fides antecedat. Ibi Augustinus solum loquitur de operibus bonis, quæ ad vitam æternam conferunt; ea enim gratia proxime ab hominibus accipi non potest ante fidem, cum ex Apostolo impossibile sit placere Deo sine fide; & quidem stricte dicta nixa auctoritati Dei loquentis. In quo sensu loquutus est etiam August. lib. 1. ad Simplic. c. 2. dicens, non posse hominem bene operari, nisi perceperit gratiam; & addit: *Incipit autem percipere gratiam, ex quo incipit credere Deo, vel interna, vel externa admonitione monitus ad fidem.*

Ad auctoritatem adductam Arausicani recurrit eadem responsio; loquitur enim de operibus Deo placitis in ordine ad merendam condigno gloriam; ad ea quippe præcedere debet fides, & dilectio Dei prius nobis ab ipso Deo inspirata.

Ex quibus omnibus constat, corruere scopum Auctoris harum thesium, qui est expungere in lege Evangelica gratiam sufficientem ad eam servandam in iis, qui peccant, ex hoc motivo, quod Infideles peccant sine gratia sufficienti ad non peccandum, eo quod nulla gratia fidem antecedat. Si enim Infidelibus Deus eam gratiam non denegat, ut hactenus ostendimus, a fortiori illam non denegat Christifidelibus, quos specialissime dilexit. Hinc D. Thom. in cap. 1. epist. 1. ad Cor. exponens verba illa: *Fidelis Deus, per quem vocati estis ad societatem Filii ejus*, addit: *Non videretur esse fidelis Deus, si nos vocaret ad societatem Filii, & nobis denegaret quantum in ipso est ea, per quæ pervenire ad eum possemus. Unde Josue 1. dicitur: Non te deseram, neque derelinquam.*

Corruit itaque primo, quod habetur in thesi 26. videlicet Nullam dari gratiam, nisi per fidem: cum certum sit, Infideles a Deo ad fidem vocari, atque adeo dari iis gratiam, qua possint veram fidem amplecti: Hæc autem gratia procul dubio fidem præcedit, unde ea non confertur per fidem.

Corruit secundo, quod dicitur in thesi 27. videlicet fidem esse primam omnium gratiarum. Etenim gratia, qua infidelis ad fidem vocatur, & qua fit potens ad fidem libere amplectendam, fidem antecedit; atque adeo prima inter gratias, quæ a Deo nobis conferuntur, non est fides: esto omnis gratia, quæ fidem antecedit, conferatur in ordine ad reddendam fidem liberam, ac meritoriam; siquidem fides, in quantum est imperata ab actu libero supernaturali piæ affectionis ad fidem, a Trident. sess. 6. cap. 8. dicitur esse *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis; sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire.*

Corruit tertio, quod habetur in 28. videlicet primam peccatoris gratiam esse peccatorum remissionem; quandoquidem antequam peccata ei remittantur, confertur eidem gratia, qua vocatur ad pœnitentiam; confertur etiam gratia, qua per actus supernaturales fidei, spei, timoris, aliosque id genus ad pœnitentiam se disponat, & ad obtinendam justificationem; quare multæ aliæ gratiæ peccatori conferuntur, antequam gratiam remissionis consequatur.

Corruit denique, quod in 29. asseritur, videlicet nullam conferri a Deo gratiam extra Ecclesiam: Cum enim Infideles, Schismatici, Hæretici, & Excommunicati extra Ecclesiam sint, ut dicemus in thesi 72. illisque gratiam Deus conferat, qua possint ad Ecclesiæ gremium confugere, consectarium est, quod etiam extra Ecclesiam innumeræ a Deo gratiæ benignissime conferantur. Quæ omnia usqueadeo sunt perspicua, ut mirum sit, quod possint in dubium revocari. Quia tamen Quesnellus Janseniana lue infectus nullam aliam agnoscit gratiam in natura lapsa præter gratiam efficacem medicinalem, qua fides conferatur, quæ non sit sine amore, & fiducia, & in qua, tanquam in suo germine, omnia alia salutis media contineantur, ut dicitur in thesi quinquagesima secunda, idcirco in hos scopulos impingit.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXVI.

Vigesima sexta vult, nullas dari gratias, nisi per fidem; atque adeo vult, infideles destitui gratia supernaturali, qua vocentur ad fidem libere amplexandam; perinde quasi illi duntaxat converti possint, quibus datur gratia efficax, qua actu convertantur; qui vero non convertuntur, eatenus non convertantur, quia deest illis gratia, qua possint converti. Hoc autem contradicit doctrinæ Augustini dicentis lib. 1. ad Simplicianum: *Nisi ergo vocando præcedat Misericordia, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari.* Fert etiam, Christi sanguinem iis, qui non convertuntur, nullatenus profuisse. Fert demum, quod attinet ad eosdem, qui non convertuntur, vocationes divinas, exprobrationes, comminationes esse frustraneas, ac fatuas; non secus ac fatue præciperetur homini, quod volet, si denegentur illi vires sufficientes ad volandum: Nec possent Infideles in inferno puniri ob ullam culpam personalem, eo quod destituti semper fuerunt gratia efficaci juxta doctrinam Baji, ejusque Sectatoris Quesnelli requisita ad eas culpas declinandas.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXVII.

Vigesima septima docens fidem esse primam gratiam, & fontem omnium aliarum, illud ipsum aliis phrasibus reponit, quod in superiori thesi confutatum est. Et sane si non conferretur antecedenter gratia Infidelibus, qua possent fidem amplexari, deridendum esset, quod dicitur Isaiæ 65. *Expandi manus meas tota die ad populum non credentem, & contradicentem mihi.* Commentitium pariter esset, quod de summa Dei beneficentia dicitur Jo. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Verum quidem est, quod fides sit *Humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*, ut habet Tridentinum sess. 6. cap. 8. Fides tamen non est radix omnis justificationis, nisi in quantum meritoria, ac libere imperata relate ad adultos per actum supernaturalem piæ affectionis ad fidem, & ideo ad talem actum,

actum, utpote supernum, præire debet gratia, seu auxilium sufficiens, vi cujus libere possit voluntas fidem amplecti. Unde fides non nude sumpta, & a Deo infusa absque ullo exercitio libero voluntatis humanæ ad mentem Jansenianorum, sed fides, prout libere, ac meritorie impetrata, est humanæ salutis initium; atque adeo ad actum fidei supernum intellectualem præire debet gratia sufficiens, qua voluntas possit libere fidem amplexari. Eam tamen excludit pervicacia Janseniana, quæ toto conatu nititur expungere gratiam sufficientem, tam in Infidelibus, qui culpabiliter renuunt veram fidem amplecti, quam in Fidelibus, qui renuunt culpabiliter divinis mandatis obtemperare.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXVIII.

VIgesima octava docens primam gratiam, quæ peccatori conceditur, esse peccatorum remissionem, non solum negat dari gratiam sufficientem ad resipiscendum in peccatore, qui culpabiliter non resipiscit, si (enim ea gratia daretur, ea non esset peccatorum remissio) sed etiam vult, aut non præcedere fidem in peccatore, antequam justificetur, (quod repugnat Apostolo dicenti ad Heb. 11. *Sine fide impossibile est placere Deo*) aut vult, fidem formaliter justificare, quæ fuit Calvini hæresis; Adversus quam Tridentinum sess. *6.* can. 28. definivit, quod non semper, amissa per peccatum gratia, fides amittatur; & can. *9.* anathematizat, qui dixerit, sola fide impium justificari. Quibus adde ad justificationem obtinendam debere hominem disponi, ac præparari per actus supernaturales fidei, spei, timoris, contritionis, ut habet idem Concil. sess. *6.* cap. *6.*, atque adeo præire debere gratiam ad hos actus eliciendos, antequam peccator justificetur. Quomodo ergo prima gratia, quæ peccatori confertur, est peccatorum remissio?

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXIX.

VIgesima nona afferens extra Ecclesiam nullam gratiam a Deo concedi, iterum crambem recoctam, ac lethiferam obtrudit; quæ non stomachum modo, verum etiam iracundiam, ac zelum commoveat. Si Infidelibus vel proxime, vel remote non conferretur sufficiens gratia, qua possint libere Ecclesiam ingredi, ac veram fidem amplexari; Si Apostatis, Hæreticis, Excommunicatis, a consortio fidelium separatis deesset gratia sufficiens, qua possint ad Ecclesiam regredi, inculpabiliter extra ovile supremi Pastoris remanerent, & incassum vocarentur, ut venirent, si destituerentur gratia requisita ad veniendum. Propterea illi duntaxat Ecclesiam ingrederentur, & ad Ecclesiam redirent, quos Deus vellet sua gratia efficaci admittere ad suum ovile; atque adeo per Deum staret, quominus alii admitterentur; cum non sit iis integrum velle admitti ex defectu virium supernaturalium, sine quibus nemo potest fidem libere amplecti, & ad Ecclesiam confugere. Quibus adde, quod ut possit Infidelis credere, & Ecclesiam ingredi, (sicut Excommunicatus, Apostata, & Hæreticus ad Ecclesiam regredi) requiritur ante actum fidei, qui est actus intellectus, actus liber, ac meritorius piæ affectionis ad fidem, qui est actus voluntatis: ut proinde dicat Apostolus ad Rom. 10. *Corde creditur ad justitiam:* hic autem actus liber voluntatis esse debet supernaturalis, ut ad fidem disponat, atque adeo prodire debet ex gratia, cui potest Infidelis reluctari: ut proinde si reluctetur, extra Ecclesiam remaneat; non tamen sine gratia, qua libere potuisset fidem amplecti, & Ecclesiam ingredi, aut ad illam regredi. Confert itaque Deus gratias etiam extra Ecclesiam.

PROPOSITIO XXX.

Omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salvantur infallibiliter. *Quesn. Joan. 6. 40. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Contenditur hic, quod Deus nolit omnium salutem, & quod per Deum stet, ne Reprobi salventur.

II. Certum est, eos, qui salvantur, salvari ex affectu Dei speciali erga illos; Sicut etiam, quod Deus dominetur in creaturas liberas, qua liberas, ita ut possit ab iis consensum salutarem infallibiliter obtinere.

III. Nostra prædestinatio uni Deo debetur; reprobatio vero nostræ pravæ voluntati.

IV. Deus non deserit, nisi deseratur.

V. Quod intelligendum non solum de gratia habituali, sed etiam de actuali.

VI. Quos Deus vult efficaciter omni efficacia, & non solum quantum ad se spectat, salvare, illi salvantur ineluctabiliter, necessitate tamen consequente, non antecedente.

VII. Reproborum salutem Deus vult efficaciter, solum quantum est ex parte sua, non vero simpliciter.

VIII. Quænam auxilia Deus deneget in pœnam culparum?

IX. Adulti non privantur in pœnam peccati originalis auxilio sufficienti ad salutem.

X. Consensus liber creaturæ est quidem Dei donum, sed ita, ut ad illum elective concurrat arbitrium creatum; non secus ac in statu naturæ integræ.

XI. Pluribus de causis Ecclesia orat, ut omnes salventur, quandoquidem quod Deus nemini denegat, est solum auxilium sufficiens ad salutem. Ubi explicatur illud Augustini, quod Lex credendi legem statuat supplicandi.

XII. Etiam infantium sine Baptismo decedentium Deus, quantum est ex se, salutem exoptat.

XIII. Num Deus voluerit omnium omnino salutem in priori, an in posteriori signo ad lapsum Adæ?

I. VIdetur thesis infrustrabilitatem divinæ voluntatis extollere, necnon efficaciam nostræ Redemptionis per JESU Christi Sanguinem, dum docet, infallibiliter salvari quotquot vult Deus ob Christi merita, & per Christi gratiam salvos facere. Sed piæ istæ, & Catholicæ veritates, quas omnes ad unum deprædicamus, longe absunt non solum a mente Auctoris, verum etiam a sensu legitimo verborum, sub quibus vafre er-

ror occultatur. Et sane si sensum spectemus, quem hujus thesis, verba præseferunt, Auctor directe contendit, Deum nolle omnium omnino salutem. Cum enim non omnes de facto salventur, consectarium est, quod Deus istorum salutem non velit, verum esset, quod salventur infallibiliter omnes, quos Deus vult salvare per Christum: Ex quo pariter sequitur, quod Christus D. non pro omnibus mortuus sit, ac sanguinem fuderit. Quæ quantum a Catholicis veritatibus aberrent, fuse ostendimus in expositione thesis duodecimæ, quæ huic est affinis. Verum si introspiciamus, quod per hanc thesim a Quesnello insinuatur, illud est, quod gratia Christi medicinalis sit fortis, inespugnabilis, ac necessitans arbitrium; & ideo qui hac gratia donantur, salvantur infallibiliter; eatenus enim dicitur, Deus electorum salutem velle quatenus hanc illis gratiam confert; & quia reprobi de facto non salvantur, nulla iis juxta Quesnellum datur gratia sufficiens, qua possint, si velint, salutem consequi, & ideo Deus non vult eorum salutem; atque adeo per Deum stat, ne salventur; quod quantum divinæ bonitati, ac Christi sanguini sit injuriosum, nemo est quin videat:

II. Plurima diximus in hanc rem in thesi 3. & 4. sicut etiam in duodecima, quæ pariter habet: *Quando Deus vult salvare animam, quocumque tempore, quocumque loco, effectus indubitabilis sequitur voluntatem Dei*. Hic addendum, in controversiam revocari non posse, quod qui salvantur, unice salventur ob gratiam efficacem sibi collatam ex affectu speciali Dei intendentis eorum salutem. Nec poterit quisquam dubitare, quod si Deus efficaciter efficacia simpliciter dicta vult aliquem salvare, prædestinando illum ad gloriam ut coronam, (hoc est conferendam) propter operationes liberas salutares, meritorias vitæ æternæ) infallibiliter hic salvandus sit, cum non desit in Deo humanorum cordium, quo placet, inclinandorum potestas omnipotentissima, ut advertit Augustinus, qui in Enchir. cap. 88. addit: *Quis tam impie desipiat, ut dicat Deus non posse malas, hominum voluntates, quando voluerit, & quomodo voluerit, in bonum, convertere?* Competit quippe supremo Dei dominio utroque modo voluntates hominum ad bonum convertere, videlicet & citra libertatem prædeterminando illos ad bonum, & per operationes liberas ponendas sub auxilio indifferenti: Alioquin dominium Dei non esset latepatentissimum, & quo majus excogitari non potest, si solum dominari posset creaturis liberis quidem, sed non qua qua liberis, hoc est infundendo in illis actum bonum necessarium, quin posset ad arbitrium obtinere ab iis ineluctabiliter per auxilium indifferens operationem liberam salutarem. Hinc idem August. in Enchir. cap. 96. advertit: *Neque enim veraciter ob aliud vocatur Omnipotens, nisi quia quicquid vult, potest, nec voluntate cujuspiam creaturæ voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

III. Quamobrem in eo duntaxat sensu Catholica doctrina a Janseniana discordat, quod Catholici velint, de facto Deum voluisse efficaci quidem voluntate, sed solum quantum est ex parte sua, (esto non efficaci simpliciter) omnes omnino salvari, etiam reprobos, eo quod omnibus omnino contulerit auxilium quantum est ex se sufficiens ad eorum salutem; non tamen salventur Reprobi, eo quod defectus salutis unice provenerit ex eorum libera voluntate, quæ noluit gratiæ consentire; ut proinde erronea sit thesis hæc Janseniana, quod scilicet omnes, quos Deus vult salvare per Christum, salventur infallibiliter; non enim omnium salutem æqualiter Deus decrevit: Reproborum salutem voluit animo sincero, & benefico, conferendo illis vires sufficientes ad illam assequendam; ad eum modum quo vult sincero affectu vitam mendici esurientis, qui præbet illi cibum, quo possit ad arbitrium vesci: Electorum tamen salutem voluit animo specialiter benefico, conferendo illis auxilium, quod sufficiens simul esset, & simul efficax, seligendo illud ad inefficacibus, ad quod ex munere primæ causæ Deus non tenetur, ut proinde beneficium prædestinationis uni Deo acceptum referatur ab Electis, & æterna damnatio nullatenus possit in defectum gratiæ, aut divinæ voluntatis refundi, sed unice in voluntatem reproborum libere dissentientium gratiæ sufficienti: quod verbis illis expressit Isidorus lib. 2. sentent. cap. 5. *Ut pereas tuo merito, ut salveris meo auxilio*. Et glossa ordinaria in Ruperto habet: *Ac si dicat; Tu ipse perditionis tuæ causa es: tu tibi perditionem thesaurizasti recedendo a me, qui solus tibi poteram, & consueveram auxiliari, & nusquam tibi auxilium est, nisi apud me, si pœnitentiam agere velis*. Unde Angelicus part. 2. qu. 112. art. 3. docet: *Defectus gratiæ prima causa est ex nobis; sed collationis gratiæ prima causa est a Deo, secundum illud Oseæ 13. Perditio tua Israel, tantummodo in me auxilium tuum.*

IV. Hinc illud Eccles. 15. *Ne dixeris, per Deum abest*; vel ut legunt Septuaginta, & August. de grat. & lib. arbit. 1. 2. *Non dixeris, propter Dominum recessi*; quo diserte significatur, per solum liberum arbitrium stare desertionem, & reprobationem, quia sola arbitrii culpa, & non antecedens Dei voluntas potest esse causa absentiæ gratiæ, & operationis salutaris, cum omnes Deus quantum est ex se salvos velit.

Confirmatur, quia ex Sacrorum Bibliorum, & Sanctorum Patrum doctrina descendit effatum illud: *Deus non deserit, nisi deseratur*, quod habetur in Trident. sess. 6. cap. 11. ubi dicitur: *Deus sua gratia justificatos non deserit, nisi ab eis prius deseratur*. Apostolus enim ad Hebr. 13. docet, Deum nos deserere: *Ipse dixit, non te deseram, non te deseram, neque derelinquam, ut confidenter dicamus, Dominus mihi adjutor, non timebo, quid faciat mihi homo*. Et Jerem. 51. dicitur, quod Deus non deserat, nisi quia deseri volumus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam*. Ecce quomodo Deus nunquam deserit, neque derelinquit, ut habet Apostolus, videlicet quantum est ex se, quia semper auxilium suum exhibet paratissimum, ut possimus confidenter dicere, *Dominus mihi adjutor*. At si auxilium respuamus, & curari negligamus insanientes in medicum, tunc ne Deus donorum suorum non liberalis, sed prodigus habeatur, nos derelinquit, ut Jeremias docet; aut quia non dat amplius locum pœnitentiæ, aut quia denegat auxilia uberiora, quibus necessitas moralis succumbendi tentationibus expugnetur, conferendo duntaxat sufficientiam physicam ad resistendum; vel demum quia denegat in pœnam auxilia efficacia, quæ cæteroqui esset daturus. Conciliant proinde Patres utrumque Apostoli, & Jeremiæ textum, videlicet, & quod Deus non deserat quantum est ex se, & quod deserat nolentes curari; unde verum sit,

fit, quod Deus *non deserit, nisi deseratur*. Ex quo fit, & quod efficaciter Deus quantum est ex se vellt omnes homines salvos fieri, ut proinde conferat omnibus ad id assequendum gratiam sufficientem: & simul quod non omnes, quos ita vult salvare, salventur infallibiliter, ex eo quod multi renuant auxiliis gratiæ consentire.

V. Ianseniani docent cum nonnullis apud Suarez lib. 3. de Grat. cap. 2. effatum istud, *Deus non deserit, nisi deseratur*, intelligi solum de gratia habituali, non de gratia actuali sufficienti; quatenus Deus neminem privat sua gratia justificante, nisi propter culpam, qua Deus deferitur; non vero quod neminem privet gratia actuali, nisi propter culpam personalem, (quamvis sæpe deneget propter culpam originalem) docentes cum Jansenio, quod nec justis, qui peccant, detur gratia sufficiens ad non peccandum, nec infidelibus non credentibus detur gratia sufficiens ad credendum, cum a gratia sufficiente, tamquam a monstro, abhorreant. Hinc inferunt, salvari solum Electos, & quidem infallibiliter, quia solum electis datur gratia per Christum medicinalis efficax, & irresistibilis: Reprobos vero non salvari, non quia ipsi nolunt gratiæ consentire, sed quia Deus nullam iis vult gratiam conferre, ut salventur.

Verum quam absona, quam erronea, quam blasphema, & meritis Christi, ac immensæ Dei bonitati injuriosa hæc sint, nemo est, quin videat: quod in duabus thesibus proxime sequentibus iterum iterumque palam fiet. Passim enim & Scripturæ, & Patres docent nunquam per Deum stare, ne quis salvetur; atque adeo neminem deseri, non solum per amissionem gratiæ habitualis, sed etiam per denegationem gratiæ actualis, nisi prius per culpam gratiæ sufficienti præstitæ restiterit. Neque sola culpa originalis est in causa, cur Deus deneget infidelibus auxilia sufficientia, ut credant, & salventur; Aliter pretiosissimus Christi sanguis nihil iis profuisset, quod citra hæresim sustineri non potest, ut constat ex quinta Jansenii proscripta thesi. Et licet culpa originalis officeret Infidelibus, ea tamen officere non potest iis, qui lavacro baptismi mundati sunt; cum per baptismum reatus omnis culpæ, & pœnæ abradatur. Quare justificati per baptismum, si labantur, & damnentur, non labuntur, & damnantur ex defectu gratiæ auxiliaris, & quia Deus vult illos cum reprobis annumerari; sed labuntur, quia desunt gratiæ sufficienter collatæ a Deo volente eorum salutem. Hinc August. tr. 2. in Joan. loquens de lumine gratiæ, quo Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, habet: *Opus est, ut tu non recedas ab eo, qui nunquam recedit; opus est, ut non deseras, & non desereris: noli cadere, & non tibi occidet: Si tu feceris casum, ille tibi faciet occasum:* Quibus verbis ostendit, non solum gratiam habitualem, sed etiam illustrationes gratiæ actualis, de quibus loquitur, non denegari a Deo, nisi prius nos illum deseramus, resistendo gratiæ jam collatæ, ne peccemus. Quod expressius docuit D. Prosper in respons. ad cap. Gall. cap. 11. dicens: *Cum vero aliquos a Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur.* Et post pauca addit: *Vires itaque obedientiæ non ideo cuique subtrahit, quia eum non prædestinavit, sed quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit.* Et lib. 2. de vocat. gent. cap. 28. *Fit manifestum, quod diversis, atque innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri: sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur; qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur.* Quod si per Deum staret, ne venirent, eo quod nollet inter Electos recensere, non dicerentur non venire ob pertinaciam, sed ob impotentiam, ex defectu scilicet gratiæ auxiliaris. Similiter Chrysostomus, Euthymius, Hilarius, & alii Sancti Patres exponentes illud Matthæi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta; dico enim vobis: non me videbitis amodo, &c.* docent, his verbis significari auxilia gratiæ, quæ dantur in ordine ad salutem, & quæ denegantur in posterum illis, qui noluerunt adjuvari; indigni quippe sunt novo beneficio, qui relate ad beneficium antecedenter collatum fuerunt ingrati. Quod etiam significatur verbis illis Isaiæ 2. *Nunquid non istud factum est tibi, quia dereliquisti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* Si per viam salutis Deus nos ducit, ergo adjuvat gratia sufficienti; si nos illum derelinquimus, jam gratiæ resistimus; si propterea punit, ergo in pœnam privat nos novis beneficiis, & auxiliis gratiæ, aut efficacibus, aut intensis, quibus sine morali impotentia curramus viam mandatorum suorum, & ita curramus, ut comprehendamus.

VI. Ex quibus fit primo, omnes, quos Deus vult salvare efficaciter efficacia simpliciter dicta, (ut sunt omnes Electi, quibus confert auxilium prævisum efficax ex amore efficaciæ) salvari infallibiliter, non quia gratia per Christum est ineluctabilis, & necessitans ad bonam operationem, ut docent Janseniani, sed quia bona operatio, quæ est libera, necessario est futura, necessitate solum consequente in hypothesi, quod prævideatur futura sub tali auxilio, quod benignissime a Deo confertur; non secus ac trina illa negatio Christi facta a D. Petro ex. grat. necessario erat futura, necessitate duntaxat consequente, non læsiva libertatis, in hypothesi quod esset prævisa, & revelata a Christo Domino.

VII. Fit secundo, quod licet peccatores reprobi non salventur, adhuc verum est, quod Deus velit illos salvos fieri. Ratio est, quia in tantum non salvantur, in quantum peccant; & in tantum peccant, quia resistunt gratiæ, non quia carent gratia sufficienti ad non peccandum; Si enim ea carerent, non peccarent: Quod si prædici sunt gratia, cui resistunt, eo ipso verum est, quod Deus gratiam illam contulerit, ut bene operentur, & salventur, cum non possit Dei bonitas conferre auxilium inefficax eo animo, quod sit inefficax, ac intendendo culpam creaturæ; ergo Deus vult salutem peccantium Reproborum, quin eatenus salventur.

VIII. Fit tertio, quod Deus ei, qui gratiæ sufficienti resistit, deneget in pœnam sæpe alia auxilia aut efficacia, aut intensa, quæ esset daturus, si culpa non præcessisset; ut proinde abyssus unius peccati abyssum alterius invocet usque ad æternam damnationem, nunquam autem novum peccatum contingit absque nova gratia conferente saltem mediate, vi scilicet orationis præviæ, physicam potestatem (esto non semper moralem) ad illud declinandum. Et quia nunquam confertur a Deo gratia sufficiens sine sincera voluntate, quod

ea ho

ea homo utatur in ordine ad salutem comparandam, (sicut nemo a viro cordato ad prandium v. gr. invitatur, sine sincera ejus voluntate, quod a convivio non sit excludendus, si annuat) sequitur, quod iterantibus culpas Deus iteret semper sua beneficia, & benevolum animum, quem habet de eorum salute : Sic enim poterit in extremo die vincere cum judicaverit, exprobrando iis iterata beneficia, & ingratitudinem iteratam.

IX. Fit quarto, quod nemo ex adultis ob culpam originalem privetur auxiliis sufficientibus ad salutem, ubi pervenerit ad usum rationis. Ratio est, quia istorum nemo damnatur citra culpam personalem : culpa autem personalis haberi non potest, nisi detur gratia sufficiens ad non peccandum ; atque adeo nemo adultus caret auxiliis sufficientibus ad salutem ob meram culpam originalem.

X. Sed audiamus Jansenianos, qui percipere non possunt, quod Deus possit velle salutem Reprobis dependenter ab eorum voluntate, & sub conditione, quod velint gratiæ sufficienti consentire. Sic enim paralogizant. Nisi Deus infallibiliter salvos faceret, quoscumque vult salvare per Christum, sed posset velle aliquos, nempe Reprobos, salvare sub conditione, quod velint gratiæ consentire, ut proinde si non consentiant, non salventur ; sequeretur, quod Deus vel vellet absolute Reproborum salutem, & ideo deberent infallibiliter salvari, vel nollet illam absolute, & sic vera esset hæc thesis, quod infallibiliter salventur, quoscunque Deus vult salvare, cum reproborum salutem nullatenus velit. Sequela revincitur, quia ipse consensus voluntatis creatæ est in manu Dei, & est Dei donum ; ergo dum Deus vult salutem reproborum, si velint consentire gratiæ, eo ipso vult eorum salutem, si ipse velit donare illis talem consensum ; quare vel vult dare talem consensum, & absolute vult eorum salutem, quia voluntas Dei conditionata per purificationem conditionis evadit absoluta ; vel non vult consensum donare, & absolute non vult eorum salutem. Ad eum modum, quo decernens dare centum Petro, sub conditione quod det illi decem, eo ipso vel absolute vult dare centum, ubi se determinet ad dandum decem, vel absolute non vult dare centum, si se determinet ad non dandum decem ; quandoquidem purificatio conditionis unice dependet ab eodem, qui ore tenus decernit conditionate, ubi revera decernit absolute.

Respondeo, nego sequelam : Ad probationem distinguo antecedens, consensus creaturæ est in manu Dei, & Dei donum, ita ut unice dependeat a voluntate Divina, & nullatenus a voluntate creata, nego ; ita ut pendeat principalius a voluntate Divina, sed elective ad illum cooperetur voluntas creaturæ, quæ possit impedire existentiam talis doni, & resistere gratiæ, efficiendo ut gratia, quæ est efficax, non sit efficax, sed sit pure sufficiens, concedo antecedens, & distinguo similiter consequens ; & sic patet disparitas ad casum adductum de decernente dare centum, sub conditione uni sibi libera, non vero libera alteri, ut est in casu nostro. Quod ipsi Jansenii fautores admittere tenentur in statu naturæ integræ, in quo admittunt possibilitatem auxilii sufficientis, & simul tenentur dicere, quod consensus sit donum Dei, sed donum dependens a libera determinatione creaturæ. Unde Trid. sess. 6. cap. 16. docet, *tantam esse divinam erga omnes homines bonitatem, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona.*

XI. Opponunt ulterius ex Jansenio lib. 3. de Grat. Christi, cap. 1. quod si Deus vellet quantum est ex se salutem reproborum, quin isti infallibiliter salventur ex defectu propriæ voluntatis dissentientis gratiæ, sequeretur, quod frustra Ecclesia Deum exoraret, ut velit omnes homines salvos fieri ; cum tamen Apostolus 1. ad Timoth. 2. hortetur, ut oremus pro omnibus hominibus, quippe quos omnes Deus vult salvos fieri. Sequela autem probatur, quia frustra quis rogatur, ut ponat id, ad quod ponendum est jam determinatus ; Deus autem a sua voluntate, quam habet salvandi omnes, est jam determinatus ad ponendum, quod a se dependet, ut possint omnes salvari, vid. auxilium sufficiens ; propterea non videtur ipse rogandus, ut omnes salvet, sed potius homines rogandi sunt, ut gratiæ consentiant, & salventur. Quod ante Jansenium opposuerat Catholicis Calvini discipulus David Paræus lib. 2. de lib. arb. cap. 8. dicens : *Si omnibus semper daretur auxilium sufficiens vitandi infidelitatem, & peccata, frustra oraret Ecclesia ; quia sufficiens auxilium, cum fingatur universale esse, non est ex eorum beneficiorum genere, quæ precibus, & supplicationibus sunt impetranda.*

Confirmatur ex eodem Jansenio, quia nusquam Ecclesia orat ut fideles possint salvari, si velint, sed solum petit ipsum velle : ergo Deus solum confert gratiam efficacem, qua infallibiliter salventur, non vero gratiam sufficientem, qua salventur, si velint. Quod prius docuerat Calvinus lib. 2. Instit. cap. 3. dicens: *Sic & precationes Sanctorum leguntur compositæ : Inclina cor nostrum, dicebat Salomon, ut servemus mandata tua.* Quod ex eo etiam suadetur, quia ex Augustino Regula credendi legem statuit supplicandi ; propterea cum non petamus a Deo potentiam duntaxat ad pœnitendum, ac perseverandum, sed ipsam pœnitentiam, ac perseverantiam, credendum est, quod pro isto statu Deus non conferat nobis gratiam sufficientem, seu potentiam nudam ad hos actus salutares, sed gratiam efficacem, seu potentiam cum ipsis actibus conjunctam ; quare falsum est, quod quantum est ex se velit salutem reproborum, & quod illis conferat auxilium, quod possent salvari, si vellent.

Respondeo, rogandum esse Deum, ut velit omnes salvos facere, quamvis id velit quantum est ex se ; tum quia potest conferre auxilia efficacia, ad quæ non est determinatus ex illa sua voluntate quantum est ex se efficaci salvandi omnes ; tum etiam quia potest conferre auxilia intensiora, & frequentiora ; tum denique quia potest Deus, ita causas secundas disponere, ut facilitatem conferant ad intentum, ad quæ omnia non tenetur : propterea Ecclesiæ preces, ut omnes salventur, non sunt frustraneæ.

Ad confirmationem : Ecclesia non orat, ut Deus conferat omnibus, ut possint salvari, si velint, quia auxilium sufficiens nulli denegatur ; orat, ut salventur, aut petendo ad id gratias efficaces, non quidem Jansenianas eversivas libertatis, sed gratias efficaces Catholicas, quibus libere de facto salvantur, aut petendo gtatias sufficientes uberiores, & frequentiores, quibus facile possint salutem obtinere, & sic cum morali necessitate salventur. Ad id quod additur ex Augustino, non pauca diximus in calce thesis septimæ circa illud effatum, quod Regula credendi sit etiam regula supplicandi ; quatenus credere debemus, ex dono Dei gratuito provenire, quicquid ab illo postulare monemur. Ex quo

quo ſolum ſequitur, quod dum petimus a Deo gratias efficaces, illas ex divina munificentia expectare debeamus: non ſequitur tamen quod Deus gratias ſufficientes non conferat, etiamſi non petantur. Neque ſequitur, quod non poſſimus a Deo petere gratias ſufficientes frequentiores, cum non ſemper, & ſingulis momentis illæ de facto dentur, quamvis ſemper offerantur; unde rite petentibus ex Dei dono conferuntur. Poſſumus pariter petere gratias ſufficientes uberiores, ac intenſiores, quæque præſtent potentiam non ſolum phyſicam, ſed etiam moralem, nec ſolum remotam, ſed etiam proximam, nec ſolum urgente præcepto, verum etiam extra caſum præcepti ad exequenda conſilia: Quæ omnia ex ſola Dei benigniſſima liberalitate promanant.

XII. Opponunt ultimo. Si Deus vellet omnes ſalvare ſub conditione, quod ipſi velint, vel ſub hac generali voluntate comprehenduntur etiam infantes, vel non: Primum non poteſt dici, cum talis conditio relate ad infantes non ſit purificabilis; Si dicatur ſecundum, ergo ſicut abſolute Deus denegat infantibus auxilia ſufficientia ad ſalutem, ita dicendum, quod ea deneget adultis reprobis; ac proinde verum eſt, quod infallibiliter ſalventur, quotquot Deus vult ſalvos facere per Chriſtum.

Confirmatur, quia Auguſtinus pluribus in locis videtur docere, quod Deus nolit ſalutem Infantium decedentium ſine baptiſmo, & quod non providerit illis de remedio ad ſalutem. Nam lib. de natura, & grat. cap. 12. habet; *Plerumque feſtinantibus parentibus, & paratis Miniſtris, ut baptiſmus parvulo detur, Deo tamen nolente, non datur*. Et lib. de correct. & grat. cap. 8. *Quid clarius, ut aſſeratur per Deum ſtare, quominus parvuli ſalutem accipiant?* Ergo ſicut Deus peccati originalis vindex in pœnam voluit infantibus denegare remedium ſufficiens ad ſalutem: ita dicendum, quod voluerit etiam adultis reprobis auxilium ſufficiens denegare: etiam dato, quod voluerit omnes omnino ſalvos facere, ſi in Adamo non peccaſſent.

Reſpondeo, a Scholaſticis in quæſtionem adduci, An, & quomodo Deus providerit infantibus omnibus de remedio ad ſalutem, cum nihil hac in re definitum ſit. Quamvis communius Theologi doceant, Deum, quantum eſt ex ſe, voluiſſe omnium infantium ſalutem, niſi ſuſceptio baptiſmi a creaturis ſive naturalibus, ſive liberis impediatur. Equidem tamen in Curſu Theologico p. 3. diſp. 1. quæſt. 6. probabilius exiſtimavi, quod Deus providerit infantibus de hoc remedio dependenter a voluntate, ac piis operibus, & orationibus parentum, juxta doctrinam D. Proſperi dicentis lib. 2. de vocat. Gent. cap. 23. *Non irreligioſe arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa nationibus, qua utique ſi bene uterentur Parentes, etiam ipſi per eoſdem juvarentur*. Quamvis enim in carmine de ingratis dicat:

Nec meritis iſtud poteris aptare parentum,
Cum videas multos Sanctis Genitoribus ortos
Nullo ſalvari ſtudio potuiſſe ſuorum:

non per hoc denotat, quod nunquam defectus baptiſmi relate ad hos infantes proveniat ex defectu orationis, aut ex alia culpa Parentum, cum jam oppoſitum docuerit loco laudato; ſed ſolum denotat, quod non ſemper proveniat ex hac ſpeciali Parentum culpa, videlicet ob ignaviam, ob quam hic & nunc baptiſmus non confertur. Ad rem noſtram uſurpare poſſumus verba, quæ Auguſtinus lib. 14. cap. 8. contra Julianum habet: *Numquid parvuli homines non ſunt, ut non pertineant ad id quod dictum eſt: Vult omnes homines ſalvos fieri?* Neque dicas, quod Apoſtolus ſolum loquatur de adultis, cum addat; *Et ad agnitionem veritatis venire*. Nam etiam parvulos Deus vult ad agnitionem veritatis pervenire, quando ad viſionem Dei facile perveniunt: & per baptiſmum habent in via fidem habitualem, qua credunt habitu, ſi minus actu; creduntque pariter fide Eccleſiæ. Juxta hanc ſententiam ad argumentum reſpondetur, quod Deus velit infantes ſalvos fieri, etiam ſub ea conditione, *ſi velint*, non quidem per ſe ipſos, cum hujus voluntatis ſint incapaces, ſed per ſuos parentes, quos Deus tanquam infantium tutores deſtinavit. Sicut autem plures adulti non ſalvantur, ob propriam culpam, non ex defectu gratiæ ſufficientis: ita plures infantes non ſalvantur ob culpam, & defectum orationis parentum, ut oſtendi loco laudato, per quos ſtat, ne iis baptiſmus applicetur; non vero quia Deus in pœnam peccati originalis abſolute voluit illis denegare proximam baptiſmi applicabilitatem.

Deinde etiam tranſmiſſo, quod Deus in pœnam originalis ita ſtatuerit, juxta rigidam ſententiam Vaſquii parte 1. diſp. 96. adhuc verum eſt, quod Chriſtus dederit ſeipſum aliquo pacto redemptionem pro his infantibus, & non pro dæmonibus, atque adeo quod Deus voluerit eorum ſalutem, videlicet ſub conditione, quod Chriſtus Dominus voluerit abſolute, & efficaciter pro iiſdem orare, non vero inefficaciter, & quatenus ad gloriam Patris conferret; ſicut oravit, ut tranſiret a ſe Calix Paſſionis ſolum inefficaciter. Unde juxta hanc etiam viam verum eſt, quod Deus quantum eſt ex ſe velit horum infantium ſalutem, & tamen non ſalventur infallibiliter.

Ad confirmationem: Auguſtinus docuit, ut diximus, etiam infantes pertinere ad id, quod dictum eſt, *Vult omnes homines ſalvos fieri*. Quare ad auctoritates adductas dicendum, vel quod baptiſmus iis non conferatur Deo nolente, voluntate conſequente ad culpam parentum, non vero voluntate antecedente: (ſicut non vult ſalutem Judæ voluntate conſequente ad ejus peccatum) & in hoc ſenſu per Deum ſtat conſequenter ad culpam parentum, quod parvuli ſalutem non accipiant: vel dicendum, quod id contingat Deo nolente, hoc eſt non volente voluntate efficaci ſimpliciter dicta; in quo etiam ſenſu Judas non ſalvatur, eo quod Deus non habuerit voluntatem efficacem ſimpliciter dictam illum ſalvandi: Quando enim vult aliquem ſalvare, non ſolum efficaciter quantum eſt ex parte ſua, ut vult ſalvare reprobos, ſed omnino efficaciter, ſicut ſalvat electos, tunc confert auxilium prævisum efficax, præfiniendo actum liberum bonum ſub tali auxilio: & ſic infallibiliter per operationes meritorias illum perducit ad ſalutem. In quo ſenſu D. Proſper in carmine de Ingratis cap. 13. dixit:

Ad vero omnipotens hominem cum Gratia ſalvat,
Ipſa ſuum conſummat opus; cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit; non moribus illi
Fit mora: non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Hunc ſpecialem affectum, quem Deus exercet erga electos, non tenetur ex munere primæ Cauſæ exercere erga omnes illos, quos efficaciter quantum eſt ex parte ſua vult ſalvos fieri. Propterea Deus

Deus Moysi dixit Exodi 33. prout habetur etiam Rom. 9. *Miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.*

In calce adverto, perperam in hac thesi Quesnellum excusari, perinde quasi solum velit, salvari infallibiliter omnes, quos Deus vult salvare efficaciter efficacia simpliciter dicta, quin neget Deum velle omnes omnino, etiam reprobos, salvos fieri voluntate efficaci quantum est ex parte sua; cum non semel dixerit, præsertim in cap. 22. Lucæ v. 49. in cap. 20. Joann. v. 16. & alibi, Christum Dominum pro omnibus mortuum esse. Nam contra est, quia etiam Heterodoxi negantes Christum mortuum esse pro reprobis docent, Christum pro omnibus mortuum esse, sed in triplici illo duntaxat sensu, (ut explicabimus in thesi 32. quæ huic est affinis) videlicet pro generibus singulorum hominum, aut quatenus mors Christi poterat omnes salvare, vel quia Christus suscepit causam omnibus communem. Quare si Quesnellus adversus hæresim Jansenianam vellet, quod Christus pro omnibus omnino, seu pro omnibus, & singulis hominibus mortuus sit, & quod Deus etiam reproborum velit salutem, debuisset aliquando id exprimere, ne videatur sentire cum Jansenio in quinta ex suis proscriptis thesibus id negante: Cum autem hoc nusquam præstiterit, dicendum, quod juxta germanum verborum sensum neget in hac thesi Deum Velle ullatenus salutem reproborum; & ideo ea tam in proprio, quem verba exhibent, sensu, quam ad mentem Auctoris, fuit proscribenda.

XIII. Post hæc operæ pretium videtur aliquanto accuratius hic enucleare dignam scitu controversiam illam, Num scilicet Deus Omnes, & singulos homines salvos fieri voluerit solum in priori signo ad lapsum Adæ, quatenus dedit Adamo justitiam, per quam omnes salvari possent: an vero etiam post Adæ lapsum, ita ut singulis hominibus in posteriori ad prævisionem peccati Adæ conferat vel proxime, vel remote auxilia sufficientia ad salutem? Videtur enim non facile explicari posse. Primo, quod ea conferat omnibus Infidelibus; cum enim fides necessaria ad salutem necessitate medii sit ex auditu, & audiri mysteria fidei non possint sine Concionatore Evangelico, juxta illud Apostoli Rom. 10. *Quomodo audient sine Prædicante.* plurimis autem Infidelibus desit hujusmodi Instructor, videnrur consequenter deesse illis media ad salutem necessaria. Secundo, non facile explicatur, quomodo Reprobis justificatis conferat Deas auxilia necessaria ad salutem, cum non conferat illis donum perseverantiæ, sine quo salvari nequeunt. Tertio, quomodo eadem auxilia conferantur obduratis peccatoribus, qui sæpe ob cordis duritiem converti non possunt: immo sæpe in pœnam denegatur illis auxilium, quo convertantur. Denique quomodo Deus velit infantes omnes in utero matris decedentes salvos fieri, cum plurimi, Deo nolente, ut diximus ex Augustino, non possint sacro baptismate ablui, sine quo salvari neutiquam possunt.

Respondeo ad hæc breviter, & Dico primo. Deum voluisse singulorum hominum salutem quantum est ex se, non solum in priori signo ad Adæ lapsum, quatenus condidit totam naturam humanam in Adamo, illique ut capiti contulit justitiam pro tota posteritate, nemine excepto, adeo ut singuli ejus originalem justitiam participassent, si Adam in ea permansisset; sicut singuli contrahunt originalem culpam ob ejus lapsum: sed etiam voluisse Deum in posteriori signo ad peccatum Adæ singulos homines salvos fieri, conferendo scilicet illis media, quibus possent a culpa liberari, & salutem consequi. Ita communiter Sancti Patres docent apud Suarez lib. 4. de Prædestin. cap. 1. Id evincitur ex textu illo Apostoli 1. Timoth. 2. dicentis, Deum velle omnes homines salvos fieri: ubi loquitur apertissime de hominibus jam lapsis, pro quibus orare præcipit, & pro quibus Christus dedit semetipsum in redemptionem. Et sane cum Deus ordinaverit Christum in redemptionem omnium hominum post prævisum originale peccatum, atque adeo contulerit medium universale sufficiens ad omnium, & singulorum hominum salutem, consequens est, quod quantum est ex se, omnium, & singulorum salutem voluerit, etiam post lapsum Adæ, in quo omnes perierunt, & Christi D. redemptione indiguerunt; Excepta tamen Deipara, quæ ob dignitatem Matris sapientia, & gratia infinito propemodum intervallo sapientiam, & gratiam Adæ collatam superabat: unde non erat in ejus voluntate tanquam in voluntate Tutoris includenda; & ideo a culpa originali fuit immunis.

Confirmatur primo, quia si sola culpa originalis esset in causa, cur aliqui damnentur, sequeretur, quod nullatenus iis profuisset pretiosissimus Christi Sanguis; quod non solum est falsum, temerarium, & scandalosum, sed si fiat sensus, quod Christus pro salute duntaxat prædestinatorum mortuus sit, est etiam impium, blasphemum, contumeliosum, Divinæ pietati derogans, & hæreticum, ut habet censura quintæ thesis Jansenii lata tam ab Innocentio Decimo, quam ab Alexandro Septimo ex Cathedra loquentibus.

Confirmatur secundo ex verbis Apostoli 1. Corinth. 15. *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificabuntur*, quatenus per Christum omnibus lapsis datur vel proxime, vel remote auxilium sufficiens, quo possint vivificari. Et Rom. 5. dicitur: *Non sicut delictum, ita & donum, si enim unius delicto multi mortui sunt, multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit.* Ac demum Apostolus concludit. *Igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius justitiam in omnes homines in justificationem vitæ.* Cum autem omnes omnino homines lapsi sint per Adæ peccatum, omnes pariter omnino homines per Christi mortem quantum est ex parte Dei justificantur; omnibus quippe confertur auxilium, quo justificari possint, & salvari. Idemque pariter significatur verbis illis 1. ad Timoth. 4. *Speramus in Deum vivum, qui est Salvator omninm hominum, maxime Fidelium*; quatenus omnium Salvator est quoad sufficientiam, sed maxime Salvator est Fidelium, seu in fide viva ambulantium, ac perseverantium: istorum quippe Salvator est etiam quoad efficaciam.

Opponitur id, quod dicitur Joan. 6. *Nemo potest ad me venire, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum*: ergo ille, qui non trahitur a Patre sua gratia efficaci, non potest ad Christum venire: unde carent auxilio sufficienti ad salutem, quotquot gratia efficaci destituuntur.

Confirmatur, quia ibidem dixit Christus D. *Omnis, qui*

qui audivit a Patre meo, & didicit, venit ad me: Ergo qui non venit ad Christum, non audivit a Patre, nec didicit; atque adeo caruit auxilio sufficienti ad salutem. Quod pariter videtur docuisse Augustinus lib. 1. Retract. cap. 5. dicens: *Qui autem cogenti cupiditati bona voluntate resistere non potest, jàm hoc ita peccatum est, ut sit etiam pœna peccati*. Quare ex Augustino in pœnam peccati potest homo carere auxilio sufficienti ad non patrandam novam culpam, ac reddi impotens ad resistendum cupiditati cogenti, ut proinde salutem consequi non possit.

Respondetur primo, non esse idem trahere, ac venire; trahitur enim etiam qui allicitur ad veniendum, quamvis venire renuat: propterea verum est, quod non possit ad Christum venire, qui caret auxilio requisito, quo trahatur ad veniendum; non est tamen verum, quod qui non venit, non trahatur, nec habeat sufficientes vires ad veniendum. Secundo, etiam dato, quod ille solum dicatur trahi, qui actu venit, atque adeo qui instruitur gratia efficaci, nihilominus qui caret auxilio efficaci, & non trahitur, nec venit ad Christum, in tantum dicitur non posse venire, in quantum infallibiliter non veniet, seu in quantum est determinatus ad non veniendum; atque adeo non potest impotentia solum consequente, non antecedente. Sic Patres exponentes verba illa Joan. 12. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias, Excæcavit oculos eorum*, docent, impotentiam istam esse consequentem, quatenus in sensu composito, quod vellent in sua cæcitate permanenere, credere non poterant. Et Augustinus tract. 7. in Joan. exponens verba illa Joan. 8. *Non potestis audire sermonem meum*, hæc habet: *Ideo non poterant, quia corrigi credendo nolebant*.

Ad confirmationem: Non dixit Christus Dominus, Omnis, qui audit, venit ad me; sed dixit: Omnis, qui audit, & didicit; quare ut quis ad Christum veniat, non satis est, quod audiat, & solum instruatur auxilio sufficienti ad veniendum, sed requiritur etiam, quod discat, atque adeo vocationi obtemperet: propterea in Psalmo dicitur: *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra*, ad denotandum, quod non omnis, qui audit vocem Domini, discit, cum multi obdurentur. Ad id, quod additur ex Augustino, dicendum multos cogente cupiditate, non posse moraliter illi resistere, posse tamen physice, eo ipso, quod peccant non resistendo. Quinimo si physice non possent resistere sine Dei auxilio, eo ipso quod peccant non resistendo, certum est, quod non peccant directe per hoc, quod non resistant, sed solum peccant per hoc, quod non petant a Deo auxilium, quo possint resistere. Etenim, ut loquitur S. Leo, *juste instat præcepto, qui præcurrit auxilio*. Similiter Augustinus lib. de perfect. justitiæ resp. 15. ubi dixit, peccatum haberi, sive vitari possit, sive vitari non possit, statim subdit: *Et tamen vitari potest, non quando superba voluntas laudatur, sed quando humilis adjuvatur*, indicans, quod ubi humiliter a Deo auxilium necessarium exposcitur, illud non denegatur, ut peccatum vitari possit; unde si vitari non possit ex defectu auxilii, voluntas peccatum non declinat solum per hoc, quod auxilium non exposcat.

Dico secundo, Providit Deus relate ad omnes Infideles de mediis, quibus fidem, & salutem consequi possint; quamvis non eodem modo omnibus providerit. Ita communissime Catholici adversus Calvinistas apud Moraines disp. 25. sect. 3. & adversus Jansenium, qui lib. 3. de Gratia Christi c. 11. hæc habet: *Infideles carent gratia sufficienti ad salutem tam proxime, quam remote, & omnibus principiis ejus*.

Prima pars probatur, quia universim de omnibus hominibus dicitur Joan. 1. *Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; quod licet nonnulli interpretentur de illustratione naturali, communiter tamen Patres apud Toletum, Maldonatum, Suarium loco laudato intelligunt de illustratione gratiæ, & lumine fidei, ut satis constat ex contextu: Quod pariter evincitur ex illis verbis 2. Pet. 5. *Nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam converti*; atqui si non providisset singulis de remedio ad salutem, vellet eos absolute perire; siquidem per Deum staret, & non per ipsos, quominus salventur; ergo omnibus omnino infidelibus providit Deus de mediis ad salutem necessariis. Hinc proscripta fuit ab Alexandro VIII. thesis illa quinta, in qua dicebantur a Jansenianis, Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis carere omni gratia sufficienti, nullumque a JESU Christo influxum recipere.

Confirmatur hoc idem ex illo axiomate, quod docuit Augustinus lib. de natur. & grat. cap. 26. Prosper. Fulgentius, & alii Patres, quodque probavit Trident. sess. 6. cap. 11. & 23. *Deus neminem deserit, nisi prius ab illo deseratur*, quod licet Tridentinum ibi accipiat de solis justificatis, Patres tamen intelligunt universim de quolibet hominum genere; atqui si Deus aliquibus infidelibus denegasset auxilium sufficiens ad salutem, illos deseruisset, antequam desereretur ab illis per culpam aliquam propriam: ergo nulli Infidelium Deus denegat vel proxime, vel remote auxilium, quo salutem consequi possit. Quod pariter confirmat universalis Christi redemptio, cum dicatur 1. Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*. Hinc Concilium Coloniense par. 7. cap. 32. definit: *Quamquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur; quia ille semper stat ante ostium pulsans, nimirum per internum, & externum verbum commovens, ut convertamur a via nostra pessima*.

Probatur secunda pars Conclusionis, quod scilicet non omnibus Infidelibus eodem modo Deus conferat auxilia sufficientia ad salutem; quamvis enim nonnulli putent apud Suar. loc. cit. omnes omnino adultos aliquando illuminari illustratione aliqua superna, vi cujus possint credere fide supernaturali, & sic ad salutem disponi, quod videntur exprimere verba illa laudata Joan. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*; nihilominus cum certum sit, fidem supernaturalem regulariter concipi ex auditu Apostolici instructoris, juxta illud Rom. 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine Prædicante?* & constet etiam, innumeris Infidelibus deesse Evangelicum instructorem; Idcirco probabilius est, media ad salutem necessaria non eodem modo omnibus Infidelibus conferri; nonnullis enim immediate, & proxime auxilium supernum confertur, vi cujus cognoscant Deum esse, ac Remunera-

torem esse, unde fide superna credere possint, quæ necessario credenda sunt necessitate medii; plurimis vero confertur solum mediate, quatenus (ut docet Vasq. p. 1. disp. 97. c. 5.) si ductum rationis sequerentur, & non apponerent impedimentum gratiæ per culpas personales, Deus aut paratus esset ita combinare causas secundas, ut præsto illis esset Concionator Evangelicus, a quo instruerentur ad credenda mysteria fidei, aut immediate illos illustraret, vel ministerio Angelorum: Sicut enim omnibus Infidelibus dignatus est Deus Custodes Angelos destinare, quibus ad viam salutis dirigantur; ita eorum ministerio probabiliter uteretur, ut ad fidem instruerentur, qui personalibus culpis impedimentum non apponerent. Ita communiter Patres, & Scholastici apud Ripal. disp. 20. n. 82. & diserte D. Prosper lib. 2. de Vocat. Gent. cap. 28. dixit: *Fit manifestum quod diversis, & innumeris modis omnes homines vult Deus salvos fieri, sed qui veniunt, Dei auxilio diriguntur, qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur*. Expressius id docuit Angelicus quæst. 14. de Verit. art. 11. dicens: *Si aliquis nutritus in sylvis ductum naturalis rationis sequeretur in appetitu boni, & fuga mali, certissime tenendum est, quod ei Deus vel per internam inspirationem revelaret ea quæ sunt credenda, vel aliquem fidei Prædicatorem ad eum dirigeret; sicut misit Petrum ad Cornelium. Act.* 10. Quod pariter docuit Angelicus lect. 3. ad Rom. 10. ubi loquens de Barbaris, qui propter invincibilem ignorantiam mysteriorum fidei a peccato infidelitatis excusantur, habet: *Si quis tamen eorum fecissent, quod in se est, Dominus secundum suam misericordiam providisset, mittendo eis Prædicatorem fidei, sicut Petrum Cornelio, Act.* 10. *& Paulum Macedonibus, Act.* 16. *sed tamen hoc ipsum, quod aliqui faciunt, quod in se est, convertendo se scilicet ad Deum, ex Deo est movente corda ipsorum ad bonum*. Itaque conveniunt Patres, & Scholastici in hoc, quod nemini ex Infidelibus desit sufficientia, saltem remota, ad salutem; quamvis discrepent in modo, quo ea habeatur: Aliqui enim putant simul cum potestate naturali ad sequendum ductum rationis conferri immediate iis auxilia supernaturalia, ut sic ad fidem & ad justificationem disponantur: alii vero, quod si Infideles ductum rationis sequantur, & faciant, quod in se est in ordine ad culpas declinandas, Deus non denegabit illis gratiam suam, qua possint fidem, & salutem consequi: & alii aliter ratiocinantur.

Oppones primo cum Jansenio lib. 3. de Gratia Christi cap. 13. In tantum asserimus dari omnibus omnino Infidelibus auxilium sufficiens ad salutem, saltem remote, ita ut in potestate uniuscujusque sit salutem consequi, in quantum possunt omnes Infideles servare legem naturalem, ac culpam declinare, qua unice impeditur auxilium ad credendum; nulli autem denegantur vires requisitæ ad legem naturalem servandam, cum Deus impossibilia non præcipiat, & nemo peccet in eo, quod vitare non potest: Atqui falsum est, quod Deus non præcipiat ea, quæ non potest homo propriis viribus implere: illa enim solum impossibilia præcipere non potest, quæ neque propriis, neque alienis viribus, si petantur, impleri possunt; unde cum plurimi Infideles propriis viribus legem naturalem implere non possint, & vires supernas requisitas a Deo non recipiant, fit, quod ne remote quidem sufficiens remedium habeant ad salutem. Probatur minor, quia vel dicimus, quod Deus omnibus omnino adultis conferat auxilium supernum ad legem naturalem servandam; & hoc sine ullo fundamento videtur asseri, cum nusquam Deus obligarit se ad gratiam peccatoribus conferendam; unde miseretur, cujus vult, & quem vult indurat: Vel dicimus, quod per operationes honestas naturales, & per observantiam legis naturalis homo se disponat ad gratiam; & hoc sapit Semipelagianismum; nequit enim dispositio ad formam supernaturalem esse inferioris ordinis, & naturalis.

Respondetur, negari non posse, quod Deus unicuique tribuat sufficientiam proximam ad non peccandum, ita ut eatenus homo peccare possit, quia pariter potest non peccare, atque adeo liber sit ad peccandum, vel non peccandum. Lutheri, & Calvini hæresis fuit, quod Deus possit impossibilia præcipere denegando vires requisitas, quibus ea possibilia fiant. Hoc tamen adversatur Tridentino sess. 6. cap. 11. unde proscripta fuit propositio 63. Baji dicentis: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit*; necnon prima thesis Jansenii dicentis, Nonnulla Dei præcepta esse impossibilia, ac deesse gratiam, qua possibilia fiant; unde August. lib. de grat. & lib. arb. cap. 16. docuit, neminem rationis compotem latere, quod Deus impossibilia non præcipiat, dicens: *Magnum aliquid Pelagiani se scire putant, quando dicunt: Non juberet Deus, quod sciret non posse ab homine fieri. Quis hoc nesciat? sed ideo jubet aliqua, quæ non possumus, ut noverimus, quid ab illo petere debeamus: Ipsa est enim fides, quæ orando impetrat, quod lex imperat*. Quare ex hoc ipso, quod adultus peccet non servando legem naturalem, necessaria illatione deducitur, quod si nequeat viribus naturalibus illam servare, conferatur a Deo auxilium sufficiens ad illam servandam; aliter nullatenus peccaret illam non servando. *Quis enim peccat* (ut loquitur Augustinus) *in eo, quod nullo modo cavere potest?* Hinc fit, quod si ab adulto Infideli pecccatum formale declinari non possit in transgressiones legis naturalis sine auxilio superno, eo ipso quod peccat, inferendum est, quod ei auxilium supernum non desit; Quod si posset sine auxilio superno peccatum declinare, & illud declinet, Deus paratus est illi gratiam conferre, qua possit fidem amplecti, non quia observantia legis naturalis est dispositio ad gratiam, sed quia Deus paratus est gratiam conferre ex meritis Christi D. illi, qui impedimentum gratiæ non apponit; & sic verum est, quod cuicunque adulto auxilium sufficiens ad salutem conferatur, sive proxime, sive saltem remote.

Instabis: Vel infidelis ponens impedimentum gratiæ, qua indiget, ut possit credere, & salvari, solum peccat per hoc, quod legem naturalem transgrediatur, vel peccat etiam per hoc, quod fidem non amplectatur: non videtur posse dici, quod solum peccet per hoc, quod ponat impedimentum gratiæ transgrediendo legem naturalem, aut non orando, prout tenetur; etenim perspicuum videtur, quod peccet etiam peccato Infidelitatis, dum culpabiliter impedit quominus habeat sufficientiam ad credendum: Sicut qui prævidet in ebrietate secuturum homicidium, peccat

etiam

etiam peccato homicidii, per hoc quod illi det causam: quare sicut potest peccare peccato infidelitatis in causa, quamvis non possit proxime fidem amplecti; ita universim possunt Infideles carere etiam libertate formali ad servandam legem naturalem, & peccare in causa, seu in peccato originali, & ratione libertatis Adæ peccantis, & eatenus damnari; unde saltem aliqui ex Infidelibus carent tam proxime, quam remote auxilio sufficienti ad salutem.

Respondeo proscriptam esse ab Alexandro VIII. thesim illam primam, qua afferebatur a Jansenistis, ad peccatum formale in natura lapsa sufficere libertatem in causa sua, seu in peccato originali, & libertate Adæ peccantis. Quod August. lib. 3. de lib. arb. cap. 19. animadvertit, dicens. *Hic occurrit illa quæstio, quam inter se murmurantes homines rodere consueverunt, qui quodlibet aliud in peccando, quam se accusare parati sunt. Dicunt enim: Si Adam, & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate, & difficultatis cruciatibus nasceremur? & primo erraremus, nescientes, quid nobis esset faciendum; deinde ubi nobis inciperent aperiri præcepta justitiæ, vellemus ea facere, & renitente carnalis concupiscentiæ nescio qua necessitate, non valeremus?* Huic autem obmurmurationi non respondet S. Doctor, ut Janseniani contendunt, quod necessitas peccandi oriatur ex culpa originali, ac fuerit nobis liberum peccare in libertate Adæ, quamvis hic & nunc desit physica sufficientia ad non peccandum. Sed plane oppositum docet, dicens: *Quibus breviter respondetur, ut quiescant, & adversus Deum murmurare desistant: Recte enim fortasse quererentur, si erroris, & libidinis nullus homo victor existeret: Cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi domino servientem aversum vocet, doceat credentem, consoletur sperantem, diligentem exhortetur, conantem adjuvet, exaudiat deprecantem, non tibi deputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras: neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis.* Quare falsissimum est, & a mente Augustini alienum, quod peccet quis patrando, quod nullo modo cavere potest, etiamsi in causa peccaverit adigendo se ad hanc necessitatem: Sic peccat etiam contra justitiam, qui prævidens in ebrietate secuturum homicidium, se inebriat: At quando homicidium sequitur citra ullam libertatem, tunc nullatenus peccat, peccato scilicet formali trahente novum demeritum; quamvis novus superaddatur effectus difformis legi divinæ, ac regulæ morum, unde superaddatur nova entitas materialiter mala, ac peccaminosa, quæ dici etiam solet peccatum, quatenus a peccato procedit; non secus ac, ex Tridentino sessione quinta, etiam ab Apostolo Concupiscentia appellatur aliquando peccatum, quamvis vere, & proprie peccatum non sit, sed solum sit a peccato, & ad peccatum inclinet. Idemque dicendum de actu externo, qui quando superadditur actui interno formaliter peccaminoso, non superaddit secundum se novum demeritum, cum non sit formaliter liber, sed solum superaddit novam entitatem difformem regulæ morum, ac materialiter peccaminosam, quæ solet appellari peccatum externum. Sicut autem Ecclesia non infligit pœnam, puta excommunicationis, aut reservationis, nisi actui interno peccaminoso superaddatur etiam externus: ita non infligit pœnam v. g. irregularitatis propter homicidium, nisi secuto effectu peccaminoso; quamvis nec effectus peccaminosus, nec actus externus novam culpam formalem, ac novum demeritum de se superaddant actui interno formaliter libero; quia scilicet solum habent libertatem in causa sua, quæ non sufficit ad novam culpam formalem contrahendam. Hinc Augustinus in Epist. ad Rom. num. 62. docuit, non peccasse Pharaonem, quando corde obdurato, seu destitutus omni auxilio non obtemperavit, quia tunc non poterat obtemperare; sed peccasse, quando talem se præbuit, cui cor obduraretur, seu omni auxilio destitueretur. Hac de causa, ut advertit Ripal. disp. 16. sect. 3. ne Janseniani quidem docent, esse peccata formalia actiones materialiter malas puerorum, amentium, aut dormientium, & motus primo primos concupiscentiæ, quamvis hæc libera fuerint in libertate Adæ, & in illa præcaveri potuerint, unde suam habeant libebertatem in causa. Ex quibus sequitur, nullatenus pariter salvari libertatem ad peccandum, vel non peccandum juxta viam Jansenii loc. cit. c. 15. per hoc scilicet, quod voluntas secundum se sit flexibilis ad bonum, & ad malum, dum est in hac vita, unde possit tam a concupiscentia ineluctabiliter ad malum rapi, quam a gratia ad bonum: Hæc enim flexibilitas sic explicata non fert, quod homo, dum transgreditur præceptum, possit illud non transgredi, adeoque non fert libertatem ad peccandum requisitam.

Oppones secundo: Si Infidelis obtinet a Deo gratiam supernam per hoc, quod legem naturalem servet, sequitur, quod initium gratiæ sit a nobis, juxta hæresim Massiliensium, qui in hoc errabant, quod vellent operibus naturalibus annecti gratiam, perinde quasi illam quadantenus mererentur.

Respondeo, quod juxta hanc viam Suarii, & aliorum communius Infidelis non diceretur per observantiam legis naturalis disponere se positive ad gratiam, sed solum diceretur, quod posset per vires naturales non peccare, & non transgredi legem naturalem, & sic non ponere obicem gratiæ. Hinc observantia legis naturalis non est conditio, qua posita conferatur gratia, quia sic initium gratiæ, & salutis haberetur ab opere naturali; sed solum fert carentiam impedimenti requisitam, non quidem ut gratia conferatur, (cum Deus illam sæpe conferat etiam ponentibus novum obicem per culpam) sed requisitam, ut Deus teneatur gratiam conferre vi universalis Redemptionis Christi D. & vi legis, qua statuit non ponentibus obicem gratiam non denegare: propterea non est initium gratiæ sola carentia obicis, cum præter carentiam obicis requiratur promissio facta Christo Domino a Deo Patre intuitu suorum meritorum non denegandi gratiam non ponentibus obicem. Plura etiam possent ulterius juxta hanc viam opponi, quæ fuse discutit Suarius lib. 4. de gratia cap. 17. & Bellar. lib. 2. de gratia, & lib. arb. cap. 8.

Declinatur tamen omnino hoc inconveniens, quod initium gratiæ sit a nobis, si juxta aliam Doctorum primi subsellii viam dicatur Deus omnes omnino adultos sua gratia illuminare, statim ac ad usum rationis pervenerint, ut Deum pri-

mam causam, ac ultimum finem, necnon operum nostrorum Remuneratorem cognoscant, ita ut illum credere possint, colere, ac invocare, ut præsto sit ad viam salutis capessendam; unde beneficio Evangelici instructoris ediscere possint explicite, ac credere fidei mysteria, & per januam baptismi in Ecclesiam ingredi, & ita salutem consequi. Siquidem juxta hanc viam prima gratia, non exspectatis bonis operibus naturalibus, nec victoria ulla tentationum, omnibus confertur: & qui illi cooperantur credendo Deum remuneratorem fide stricta, sed introductoria, ulteriorem deinde gratiam merentur de congruo usque ad justificationem obtinendam. Id videtur insinuari ex iis, quæ Act. 16. dicuntur de Lydia purpuraria, quæ erat *colens Deum, cujus Dominus aperuit cor intendere hic, quæ dicebantur a Paulo*, & baptizata est; si autem erat Deum colens, & ideo meruit audire Paulum, & credere explicite mysteria fidei, ac baptizari, necesse est, ut antecedenter Deum, quem colebat, crederet, & quidem fide stricta, sed introductoria ad fidem perfectam; quandoquidem sine fide superna nullum datur meritum in ordine ad ulteriorem gratiam, & ad salutem. Insinuatur hoc idem apertius ex iis, quæ dicuntur Act. 10. de Cornelio Centurione, qui erat justus, ac timens Deum, cujus orationes, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei, ac meruerunt, ut ei Angelus mitteretur, qui illum moneret, ut Simonem Petrum accerseret, a quo instrueretur de fidei mysteriis, ac baptizaretur; Cum autem dicatur ejus oratio exaudita, cum etiam dicatur, quod erat timens Deum, antequam instrueretur de fidei mysteriis, necesse est, ut Deum Remuneratorem crederet fide introductoria, & superna, qua præsupposita, ejus oratio, ac eleemosynæ possent ulteriorem gratiam de congruo mereri; Quod videtur expressisse August. lib. 1. ad Simplic. q. 2. dicens: *Incipit autem homo percipere gratiam, ex quo incipit Deo credere, vel interna, vel externa admonitione motus ad fidem: sed interest, quibus articulis temporum, vel celebratione Sacramentorum gratia plenior, & evidentior infundatur. Non enim Catechumeni non credunt, aut vero Cornelius non credebat Deo, cum eleemosynis, & orationibus dignum se præberet, cum Angelus mitteretur: Sed nullo modo ista operaretur, nisi antea credidisset; nullo autem modo credidisset, nisi vel secretis per visa mentis, aut Spiritus, vel manifestioribus per sensus corporis admonitionibus vocaretur.* Ecce quomodo ex Aug. Corn. Deo credebat, (sicut etiam nunc Catechumeni) & quidem fide superna, antequam de mysteriis Evangelicis instrueretur; ut proinde ad fidem supernam stricte dictam, sed introductoriam non requiratur determinate instructio externa, sed sufficiat interna admonitio, & illustratio Spiritus Sancti. Idemque docet Gregorius lib. 19. in Ezechielem, dicens: *Cornelius Centurio, cujus eleemosynæ ante Baptismum, Angelo attestante, laudatæ sunt; non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera; si enim vere, & ante Baptismum non crediderat, quid orabat? Vel quomodo hunc Omnipotens Deus exaudierat? Neque enim poterat bona opera agere, nisi antea credidisset. Scriptum namque est: Sine fide impossibile est placere Deo.*

Ex quibus fit, duplicem juxta hanc sententiam agnoscendam esse fidem, alteram introductoriam, videlicet Dei remuneratoris, quam divinitus illustrati adulti libere amplexantur, & per illam ad ulteriores gratias disponuntur; alteram perfectam, quæ sit fides explicita Trinitatis, & Incarnationis, quæ universim ex auditu concipitur. Quod Chrysostomus exponens verba illa dæmoniaci, *Credo, Domine, adjuva incredulitatem meam*, diserte expressit apud D. Th. in Catena Marci 9. dicens; *Sed si crediderat, dicens, Credo, Quomodo subdit, Adjuva incredulitatem meam? Dicamus igitur, quoniam multiplex est fides, introductoria scilicet, & perfecta; Hic autem incipiens credere Salvatorem deprecabatur, ut apponeret reliquum ad suam virtutem.* Propterea in expositione thesis 64. ab Innoc. XI. proscriptæ diximus, probabile esse, quod docet Suarius disp. 12. de fide, sect. 4. & Lugo disp. 12. n. 88. fidem etiam explicitam Trinitatis, & Incarnationis necessariam esse ad salutem necessitate medii, saltem in voto; non secus ac baptismus fluminis necessitate medii necessarius est ad salutem, saltem in voto: quandoquidem sicut per baptismum causatur justificatio, juxta illud Christi Domini: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei;* ita justificatio causatur per fidem explicitam in Christum, cum pariter dicatur ad Galat. 2. *Nos in Christo credimus, ut justificemur ex fide Christi.* Et Jo: 3. *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Misericorditer autem Deus voluit, ut qui inculpabiliter fidem hanc explicitam Christi, atque adeo Trinitatis, & Incarnationis in re habere non possunt, (ut sunt rudes, surdi, stupidi, educati in sylvis) adhuc salvari possint per eandem fidem in voto; non secus ac salvari potest per baptismum in voto, qui illum in re suscipere non potest. Cum autem secundum se ea sit necessaria ad salutem, idcirco Deus bene operantibus ex fide introductoria non solet deesse, quominus per Evangelicum prædicatorem de his mysteriis notitia habeatur, ut explicite credi possint. Unde Augustinus lib. de Prædest. Sanctorum cap. 7. dixit. *Si posset sine fide Christi Cornelius esse salvus; non ad eum ædificandum mitteretur Architectus Apostolus Petrus.* Præterea Arausicanum Concilium can. 25. videtur de fide introductoria locutum fuisse, cum dixit, *Deum fidem nobis, & amorem sui inspirare, ut cum ipsius adjutorio ea, quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Et D. Prosper lib. 2. de vocat. Gent. cap. 17. idipsum innuere videtur dicens: *Etiam nunc in extremis mundi partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris illuxit, quibus mensura tamen generalis auxilii, quæ desuper omnibus est hominibus præbita, non negatur.*

Dico 3. Quamvis revera Deus reprobis semel justificatis non conferat donum perseverantiæ, sine quo nemo salutem consequitur, confert tamen illis auxilium sufficiens, quo salvari possint.

Probatur. Ita se habet donum perseverantiæ relate ad consecutionem salutis, sicut se habet gratia efficax relate ad salutarem operationem ponendam; quatenus sicut sine gratia efficaci nemo salutariter operatur, ita sine dono perseverantiæ nemo salutem consequitur: atqui peccator destitutus gratia efficaci, si peccat omittendo opera-

perationem salutarem, non caret auxilio sufficienti ad illam ponendam; aliter non peccaret illam omittendo, cum nemo peccet in eo, quod nullo modo cavere potest: ergo pariter destitutus dono perseverantiæ, si peccat, & damnatur, non caret auxilio sufficienti ad non peccandum; aliter non peccaret, nec damnaretur. Quare aliud est, quod reprobi, qui aliquando justificati sunt, non recipiant a Deo donum perseverantiæ; aliud est, quod non accipiant potestatem perseverandi: primum est verum; secundum est falsum: Sicut verum est, quod peccans non habeat a Deo gratiam efficacem, qua datur velle, & perficere; falsum tamen est, quod non habeat a Deo potestatem ad bene operandum. Ubi advertendum cum Suar. loc. cit. cap. 6. aliud esse, quod sit in hominis potestate facere, quod Deus sibi tribuat gratiam efficacem, aut donum perseverantiæ; aliud vero, quod in hominis potestate sit, quod auxilium sufficiens, quod datur ad bene operandum, & ad perseverandum, sit efficax, & sic homo perseveret. Primum quidem non est in hominis potestate, sed in sola divina dispositione, ac libertate seligente auxilium prævisum efficax per scientiam conditionalium ex animo specialiter benevolo conferente ipsam etiam bonam operationem, ac perseverantiam: Secundum vero est in potestate hominis, quippe qui libere, & culpabiliter in vacuum recipit Dei gratiam sufficientem.

Confirmatur ex Scripturis, Conciliis, & Patribus. Eccles. 8. dicitur: *Ne verearis usque ad mortem justificari*. 1. Corinth. 10. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat;* ubi Apostolus, ut ostendat hoc esse in potestate hominis, subdit: *Fidelis Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis.* Similiter Concilium Arausicanum c. 25. habet: *Hoc secundum fidem Catholicam credamus, quod accepta per baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, omnia, quæ ad salutem pertinent, possunt, ac debent, si fideliter laborare velint, adimplere*. Et Trident. sess. 6. cap. 11. damnat dicentes, Homini justificato impossibile esse servare præcepta, quibus obligatur. Sic etiam Augustinus pluribus in locis, præsertim lib. de corrept. & grat. cap. 11. docet, quod si justo denegaretur auxilium sufficiens ad non peccandum, & ad perseverandum, non esset ipsi imputandum, quod caderet, & non perseveraret, sed Deo. Pariter Chrysostomus Homil. 16. ad Hebræos habet: *Habemus cooperatorem, & adjutorem Deum, tantum velimus.* Et Leo Papa Serm. 16. de Passione dixit: *Jugiter admonemur, ut dona Dei negligenter non habeamus: juste nobis instat præcepto, qui præcurrit auxilio, & benigne incitat ad obedientiam, quæ ducit ad gloriam.*

Dico quarto: Deus fidelibus omnibus peccatoribus non denegat auxilium sufficiens tempore opportuno conferendum, quo converti possint. Ita communiter contra Henr. Abulensem, & alios apud Suar. de pœnit. sect. 8. putantes, quod nonnulli post certum numerum peccatorum ita a Deo deserantur, ut nec moraliter, nec physice possint e statu peccati liberari, ob defectum auxilii sufficientis in pœnam denegati.

Probatur, quia Tit. 2. dicit Apostolus: *Qui dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*: 1. Jo: 2. dicitur: *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius Mundi*: atqui si post aliquod peccatum Deus denegaret auxilium ad resurgendum, Christus D. non redemisset nos ab illo, nec illi propitiaretur: ergo. Pariter 2. Petr. 3. habetur: *Patienter agit Deus propter vos, nolens, aliquem perire, sed omnes ad pœnitentiam converti.* Quod si auxilium ad conversionem requisitum alicui post aliquem peccatorum numerum denegaret, tunc profecto vellet illum perire, & nollet, ut convertatur. Quinimmo præceptum illi impositum, quod revertatur ad Dominum, esset fatuum, ac Deo indignum; non secus ac præceptum impositum homini pedibus destituto, quod currat; esset quippe de re impossibili. Hinc Trid. sess. 6. cap. 14. docet universim: *Qui ab accepta justificationis gratia per peccatum exciderunt, rursus justificari poterunt.* Propterea Joelis 2. dicitur Deus esse *Præstabilis super malitia*; etenim nulli peccatori, qui sit in via, denegat ex sua misericordia vires, quibus resurgere possit.

Diximus tamen auxilia ad resurgendum nunquam peccatoribus denegari, quamvis ea solum conferantur tempore opportuno: constat quippe experientia, peccatores non semper excitari auxiliis ad conversionem: & ideo solum diximus, quod Deus illa non deneget, quatenus non vult in pœnam ullius peccati ita combinare causas secundas tam necessarias, quam liberas, ut non possit occurrere hic & nunc aliqua opportunitas, qua peccator ad conversionem excitetur. Quod videtur expressisse D. Prosper ad objectionem 15. Vincent. dicens: *Nemini Deus correctionis adimit viam, nec quenquam boni possibilitate despoliat*. Idemque docet August. de bono persev. c. 15. & alibi. Et in hoc sensu intelligendum est Concilium Senonense in decretis fidei cap. 15. ubi habet: *Hæc tanta gratiæ necessitas libertati non repugnat, quia Deus semper in promptu est, & nec momentum præterit, in quo non stet ad ostium, & pulset*, quatenus singulis momentis paratus est quantum est ex se pulsare. Et in hoc etiam sensu dixit Hieron. epist. ad Ctesiphontem: *Non mihi sufficit, quod semel donavit, nisi semper donaverit*. Quod si opportunitas ex combinatione causarum secundarum consurgat, v. gr. quia tonitru, aut terræmotu, aut tribulatione peccator ad pœnitentiam excitatur, vel quia a concionatore, aut ab aliorum exemplis ad id commovetur, tunc Deus confert auxilium sufficiens ad conversionem supernam: & ideo Psalm. 9. dicitur: *Adjutor in opportunitatibus, in tribulatione*.

Non solum autem est verum, quod non deneget auxilium ad resurgendum post quodvis peccatum, quatenus nunquam directe impedit concursum causarum secundarum, ne consurgat opportunitas aliqua, ex qua possit excitari peccator ad resurgendum; sed etiam directe confert unicuique post quodvis peccatum potestatem aut proximam, aut saltem remotam, vi cujus possit se ad resipiscentiam disponere, ut docent communius apud Suar. disp. 8. de Pœnit., quatenus vel confert auxilium supernaturale, quo peccator proxime possit de peccato dolere, vel confert auxilium supernum, quo excitetur ad orationem, ad eleemosynas, ad jejunia, & sic disponatur ad obtinendum auxilium, quo deinde possit de peccato dolere. Hanc Dei misericordiam erga peccatores suadet universalis Christi redemptio, non solum relate ad omnes personas, sed etiam relate ad quodcunque

que

que peccatum, necnon benigniſſima Dei clementia, qui apud Iſaiam 49. dixit: *Nunquid obliviſci poteſt mulier infantem ſuum, ut non miſeratur filio uteri ſui? Et ſi illa oblita fuerit, ego tamen non obliviſcar tui*: quæ verba non ſolum denotant, quod Deus non deneget peccatori auxilium ad reſurgendum poſt quodvis peccatum, non impediendo opportunitates, in quibus excitetur; ſed etiam denotant, quod directe eum ſua providentia, & miſericordia excitet, ſive proxime, ſive ſaltem remote ad pœnitentiam. Quod pariter innuunt verba laudata Tridentini dicentis, univerſim poſſe rurſus juſtificari eos, qui per peccatum a gratia exciderunt. Quomodo autem id poſſent, niſi Deus conferret illis poteſtatem ſaltem remotam?

Opponitur, quod Jeremiæ 41. dicatur: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam.* Et Eccleſ. 7. *Conſidera opera Domini; quia nullus poteſt corrigere, quem ipſe deſpexerit*. Et Pſalm. 8. *Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus ſuis*. Quod pariter videntur docere Sancti Patres: Nam Auguſtinus in inchoata expoſitione Epiſtolæ ad Romanos propoſitione 62. docet, Pharaonem ita fuiſſe a Deo deſertum, ut jam impœnitentia non amplius ei deputaretur ad culpam, ſed ad pœnam. Idemque docuit Gregorius lib. 31. Moral. cap. 11. & Iſidorus lib. 2. de ſummo bono cap. 15. habet: *Nonnulli ita deſpiciuntur a Deo, ut non poſſint mala plangere, etiamſi velint*. Et quod poſt aliquem peccatorum numerum Deus aliquos omnino deſerat, videtur colligi ex verbis illis Amos 1. *Hæc dicit Dominus, ſuper tribus ſceleribus Damaſci, & ſuper quatuor non convertam eum*. Et de facto Deus miraculoſe multos interfecit actualiter peccantes, alioſque vivos in infernum detruſit; unde non ſemper poſt quodvis peccatum confert peccatori poteſtatem ſaltem remotam ad reſurgendum.

Reſpondeo cum Suario loco laudato, in tantum dici, quod nonnulli a Deo deſerantur, & quod converti non poſſint, in quantum non confert illis Deus gratiam aliquam uberiorem, & extraordinariam, qua indigerent ad ſuperandam difficultatem, qua laborant, ad reſurgendum; & idcirco moraliter converti non poſſunt, quamvis non deſit illis phyſica ſufficientia ſaltem remota; quam dicendum juxta hanc ſententiam non denegari a Deo Patre miſericordiarum, etiam relate ad illos, qui interficiuntur, dum actualiter peccant. Diximus etiam in expoſitione theſis quartæ ex Auguſtino, & Cyrillo, quod obdurati in eo etiam ſenſu dicantur in Sacris Bibliis non poſſe corrigi, & converti, quia nolunt; ita ut impotentia ſit conſequens ad eorum pervicacem voluntatem, non antecedens, ſeu libertatis everſiva ex defectu auxilii requiſiti ad ponendam ſalutarem pœnitentiam.

Denique quod attinet ad infantes, in tertia objectione jam explicavimus, quomodo providerit iis omnibus Deus de remedio ad ſalutem; itaut nunquam verum ſit, per Deum ſtare, quominus tale remedium iis applicetur: Sicut enim in poteſtate adultorum eſt, quod bene utantur auxiliis ſibi præſtitis, quibus poſſunt ſalutem ſibi comparare: ita in poteſtate Parentum eſt, quod pro infantibus ſuæ curæ commiſſis opem a Deo expoſcant, & obtineant, ut ſine baptiſmo nunquam illi decedant: unde Parentum culpis, aut defectui orationum aſcribendum videtur, quod aliqui infantes antequam baptizari poſſint, moriantur, non vero ſoli concurſui cauſarum ſecundarum, quem Deus naturæ proviſor impedire non tenetur.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXX.

Trigeſima affinis duodecimæ, ac decimætertiæ tradit, infallibiliter ſalvari omnes, quos Deus vult ſalvare per Chriſtum; perinde quaſi Deus non vellet omnes omnino homines per merita Chriſti Domini ſalvos fieri; adeo ut per ipſum ſtet, quominus Reprobi ſalventur, eo quod nolit ipſos ſalvari, nec illis ob Chriſti merita conferat gratiam, qua ſalutem conſequi poſſint; unde poſſit iis exprobrari illud Oſeæ 13. *Perditio tua Iſrael, tantummodo in me auxilium tuum*. Et ſane, ſi Deus nollet animas Reproborum ſalutifero pharmaco pretioſiſſimi Sanguinis Chriſti Domini curare, & auxiliaribus gratiis illas munire, ut in manu propriæ voluntatis eſſet ſalus conſequenda, quomodo diceretur Jerem. 51. *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata, derelinquamus eam?* Quare Deus omnium omnino ſalutem exoptat; & ad illam comparandam omnibus contulit vel proxime, vel ſaltem remote auxilia ſufficientia, relinquendo tamen in uniuſcujuſque arbitrio, ut iis utatur ad finem intentum, aut ea negligat in propriam perniciem; ut dicitur Eccleſ. 5. *Ante hominem vita, & mors: quod placuerit, dabitur illi*. Ubi pariter diſerte admonemur, non eſſe voluntati divinæ aſcribendum, quod Reprobi non ſalventur, verbis illis: *Non dixeris, Per Deum abeſt*. Etenim, ut advertit Trident. ſeſſ. 6. cap. 11. & communiſſime Patres docent ex Apoſtolo ad Hebr. 10. *Deus non deſerit, niſi deſeratur*.

PROPOSITIO XXXI.

Deſideria Chriſti ſemper habent ſuum effectum; pacem intimo cordium infert, quando eis illam optat. *Queſn. Jo: 6. 40. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Iterum iterumque Queſnellus de medio tollit Gratiam ſufficientem.

II. Fit palam, deſideria Chriſti Domini non ſemper ſortiri effectum ſuum.

III. Chriſtum non ſemper fuiſſe voti compotem, oſtendit verbum illud in Cruce prolatum, Sitio.

IV. Sicut etiam verba illa, Pater ignoſce illis.

V. Necnon amor, quo Chriſtus ſingulos dilexit, paratus pro ſingulis mortem oppetere.

VI. Chriſti deſideria aliquando fuerunt efficacia ſimpliciter, aliquando vero ſolum quantum erat ex parte ſua.

VII. Hinc Reprobis, quibus ſalutem Chriſtus exoptavit, collatum fuit auxilium ſufficiens.

VIII. Nec ſolum ſufficiens ad ulteriorem effectum ſalutarem, ſed etiam ſufficiens ad ſalutem conſequendam.

IX. Etiam pro Reprobis Chriſtus oravit, ſaltem oratione conditionata, ſi ſcilicet eorum ſalus ad Dei gloriam conferret; ut proinde ex defectu conditionis ea non fuerit abſolute exaudita.

X. Nec

X. Nec dici potest, quod ea oratio fuerit frustranea: Ubi explicatur illud Augustini, quod Ecclesia, si nosset Reprobos, pro iis non oraret.

XI. Nil mirum, quod Christi desideria non sortiantur effectum suum, si sint conditionata, & conditio non purificetur.

I. VIdetur thesis igniculos injicere ad Redemptorem diligendum, quippe qui nihil magis in votis habet, quam ut ad ipsum accedamus, & reficiat nos laboribus defatigatos in hac vita, ut pacem, ac quietem nobis tribuat sempiternam, dicens Matth. 11. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos;* etenim si desideria Christi semper sortiuntur effectum suum, & pacem intimo cordium infert, quando eam nobis optat, fieri nequit, ut hac pace privemur; cum constet illam Christum de facto nobis usque adeo concupiscere, ut incessanter ad illam nos invitet verbis illis Jo. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat;* & Luc. 11. *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi ut accendatur?* At subdolis verbis istis non admovet Auctor stimulos ad Redemptorem inveniendum, ac diligendum, sed ab eo potius nos retrahit, dum contendit, Christum Dominum solis Electis pacem intimo eorum cordium sic exoptare, ut nunquam vota isthæc suo effectu frustrentur, aliis vero nihil omnino aut optare, aut conferre; ut proinde defectum internæ pacis, & æternæ salutis uni Christo Reprobi possint ascribere nullam de ipsis curam gerenti, non culpæ voluntatis propriæ. Quare juxta hanc thesim Deus non habet verum, ac sincerum desiderium de salute æterna eorum, qui non salvantur. Et iterum hic fraudulenter expungitur gratia sufficiens, quæ sæpe a Christo Domino nostræ salutis cupidissimo nobis confertur, ut illi cooperemur, & ad ipsum accurramus, qui verba vitæ æternæ habet, & pacem, quam nobis optat, inferret, si vocationi annueremus; & quoniam peccatores renuunt, ideo inquietum remanet cor eorum, ita ut digni sint derisione, & subsannatione, ut dicitur Prov. 1. *Quia vocavi, & renuistis, extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, & increpationes meas despexistis, ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.*

II. Iterum itaque adversus hanc blasphemiam insurgendum, ac demonstrandum, Christum Dominum non Electorum duntaxat, sed omnium omnino salutem desiderare; atque adeo omnibus viam salutis ostendere, ac per illam manuducere, conferendo etiam vires ad ambulandum, quin etiam ad currendum, omnibus etiam offerre, & valde exoptare intimo cordium pacem; quamvis innumeri abhorrentes ab arcta via, quæ ducit ad vitam, declinent ad latam, & spatiosam, quæ ducit ad perditionem, nec intimam cordis pacem, quam Christus optat, obtineant, sed luctuosam luctationem, & pugnam; siquidem, ut loquitur August. *Inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.*

Et sane in sacris Bibliis passim ardens hoc desiderium Christi Domini exprimitur, ut omnes omnino ad viam salutis perducantur. 1. Jo. 2. dicitur: *Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris; non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi:* Si Christus Dominus tanquam Advocatus suscipit omnium omnino delinquentium causam, non quidem ad excusanda delicta, sed ad veniam obtinendam ob satisfactionem superabundantem, & copiosam redemptionem ab ipsomet præstitam, quomodo somniare poterit Quesnellus, quod non optet nobis pacem cum Deo graviter offenso? quæ tamen sæpe non tribuitur peccatori, non quia renuat Deus placari, sed quia peccator renuit illum placare. Isaiæ 53. dicitur: *Posuit in eo Dominus iniquitatem omnium nostrum. Et ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit.* Si nostrum omnium iniquitatem tulit, offerendo pretium magnum redemptionis pro omnibus; si pro transgressoribus etiam rogavit, ut a captivitate peccati liberarentur, quomodo non optavit etiam omnium salutem, & ut sanguis pretiosissimus omnibus prodesset? Quod tamen non omnibus prodest, non quidem ex defectu pretii pro omnium redemptione soluti, neque ex defectu auxilii omnibus collati, ne per Deum staret, quin omnes redimerentur, cum ex Apostolo velit omnes salvos fieri: sed solum ex defectu arbitrii nolentis auxilio præstito cooperari.

III. Confirmatur; quia Christus D. dicens in Cruce, *Sitio*, ut omnes Ecclesiæ Patres exponunt, ardentem sitim significavit, quam habebat de salute etiam reproborum, quam tamen non sunt adepti; Si enim solum exoptasset salutem electorum, jam fuisset sitis expleta; Unde non diceretur Psal. 68. *Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto;* quod Augustinus ita interpretatur: *Fidem illorum desideravi, & vetustatem inveni;* Et in Psal. 68. *Cum diceret, Sitio, fidem illorum quærebat, pro quibus dixerat, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed illi homines quid propinarunt sitienti? Acetum: Acetum enim vinum vetus dicitur. Merito de vetere homine propinarunt, qui novi esse noluerunt.* Similiter D. Th. in cap. 19. Jo: lect. 5, *Per hoc, quod dicit, Sitio, ostendit mortem suam esse veram, non phantasticam; Item ostenditur ejus ardens desiderium de salute generis humani; 1. Timoth. 2. Vult omnes homines salvos fieri; Lucæ 19. Venit Filius hominis quærere, & salvum facere, quod perierat. Vehemens autem desiderium consuevimus exprimere per sitim: Psal. 43. Sitivit anima mea ad Deum vivum.* Et Drogo Ostiensis serm. de sacr. Domin. pass. tom. 2. Bibliothecæ Patrum advertit, amaritudinem sitis Christo fuisse amariorem ipsa Cruce ob reproborum damnationem; dicit enim: *Domine quid sitis? ergone plus cruciat sitis, quam crux? de cruce siles, & de siti clamas, sitio. Quid? Vestram fidem, vestram salutem.* Et Div. Gregorius in Psalm. 4. pœnit. *In cruce positus sitiebat, & pœnitentiam peccantium, & fidem exoptabat perfidorum; sed vinea Domini Sabaoth in Patribus a Deo plantata, & doctrinæ aratro, & verbi ligonibus per manus Prophetarum exculta, novissime in amaritudinem versa, dum ei vinum lætitiæ ferre debuit, feralis invidiæ acetum porrexit.*

IV. Confirmatur ulterius, quia Christus D. non solum oravit pro electis, sed etiam pro reprobis; quorum tamen salutem ita optavit, ut non fuerit voti compos; unde fit, desideria Christi non semper habere effectum suum. Assumptum negabatur a Calvinianis, qui sic arguebant cum Beza apolog. 2. contra Catholicos: *Christus pro solis electis oravit, ergo pro solis electis mortuus est.* Ubi ex opposito arguebant Catholici: *Christus pro omnibus omnino oravit, ergo pro omnibus omnino mortuus est:*

est: Quamvis enim non semper fuderit orationem pro omnibus, sed aliquando pro solis electis, ut quando Jo. 17. dixit: *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi:* fudit tamen aliquando etiam pro reprobis, præsertim illis verbis: *Pater ignosce illis*. Quod diserte docuit Augustin. serm. 4. de Sanctis dicens: *Quando in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos, sed multos ex illis futuros amicos prævidebat, & ideo omnibus veniam postulabat. Illi sæviebant, & ille orabat; Illi dicebant Pilato, Crucifige; & ille clamabat, Pater ignosce illis*. Cum dicat S. Doctor, quod Christus prævidebat omnes inimicos, & solum multos ex illis prævidebat fore amicos, & quod omnibus veniam postularet, manifeste colligitur, quod etiam oraret pro reprobis, qui nunquam essent veniam obtenturi. Quod non obscure pariter dixit Serm. 570. de Tempore, verbis illis: *Hic jam attende Magistrum, & Dominum tuum, non in Cathedra sedentem, sed in Cruce pendentem, circumspectis undique turbis inimicorum, & dicentem: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt*. Quod autem non omnes turbæ inimicorum, quas circumspiciebat, & pro quibus Christus oravit, conversæ sint ad pœnitentiam, constat tum ex eodem August., qui serm. 7. de verb. Domini c. 11. habet: *Multi eorum, sedato furore, tanquam phrenesi oppressa, cognoverunt Deum, & cognoverunt Christum*: tum etiam quia etiam oravit pro Principibus Sacerdotum, quos nunquam sui sceleris pœnituit, ut advertit S. Leo serm. 4. de Passione, dicens: *Passionem Dominus Jesus ita ad omnium hominum suscepit salutem, ut inter clavos, quibus ligno tenebatur affixus, pro interfectoribus suis Paternæ clementiæ supplicaret, & diceret, Pater ignosce illis. Principes autem Sacerdotum, quibus veniam Salvator petebat, supplicium crucis irrisionum aculeis asperabant*.

V. Confirmatur demum ex charitate vere divina, qua Christus D. mortem oppetiisset pro unoquoque hominum, si ad ejus duntaxat salutem fuisset necessaria; quod videntur innuere verba Apostoli Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum propter me*. Ubi Chrysost. advertit, ingentem Christi dilectionem ita respexisse salutem totius mundi, ac uniuscujusque nostrum, dicens: *Declarat, hoc quoque par esse, ut quisque nostrum non minus agat gratias Christo, quam si ob ipsum solum venisset. Neque enim recusaturus erat, vel ob unum, tantam exhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum*. Quare cum dilectio singulos homines respiceret, tam ex Electis, quam ex Reprobis, sequitur, quod singulis salutem exoptarit, quamvis non singuli illam assequuti sint. Unde pariter sequitur falsitas hujus thesis, quod semper Christi desideria sortiantur effectum suum; non quidem ex eo, quod hujusmodi Christi desideria possint esse inania, & vacua, & ex parte sua ullatenus inefficacia; sed quia effectum non sortiuntur, ex eo quod auxilium nobis oblatum, & collatum culpabiliter respuamus, & nos gratiæ desimus, non gratia nobis.

VI. Ex quibus colligitur primo, desideria Christi aliquando fuisse efficacia solum quantum est ex parte sua, aliquando fuisse efficacia simpliciter: Relate ad Electos fuerunt efficacia simpliciter, cum relate ad illos Christus fuerit omnino voti compos: At in ordine ad Reprobos fuerunt solum efficacia quantum ad se spectat; cum enim optarit illis bonam operationem liberam, & gloriam ut coronam, contulit illis quicquid ad se spectat, ut possent ea obtineri, videlicet gratiam sufficientem; sed nec bona operatio a reprobis ponitur, nec salus in præmium ab iis obtinetur, quia gratiæ illi obluctantur.

VII. Colligitur secundo, ex ardentissimo Christi desiderio, quod omnes salventur, aperte demonstrari, quod Reprobis detur auxilium sufficiens ad salutem obtinendam: tum quia si denegasset illis tale auxilium, salus, quam illis optaret, redderetur impossibilis: absonum tamen est asserere, quod Christus D. optaret salutem Reproborum impossibilem: tum etiam quia desideria isthæc relate ad Reprobos essent inutilia, nec gratiarum actionem mererentur, si negarentur illis vires ad obtinendam salutem a Christo iis exoptatam; non secus ac inutile, & vanum fuisset Christi desiderium, quod dæmones salvarentur, si iis denegasset auxilium ad salutem consequendam.

VIII. Colligitur tertio, inanem esse quorundam Neotericorum Jansenianorum doctrinam dicentium, Deum sæpe dare gratiam secundum se præcise sufficientem ad ulteriorem effectum salutarem, quin tamen Deus in talibus circumstantiis desideret, vel intendat ulteriorem illum effectum, nedum salutem reprobi. Hinc enim manifeste conficeretur, Deum non habere verum, ac sincerum desiderium de æterna salute eorum, qui non salvantur; quod divinæ bonitati est injuriosum, & auctoritatibus Sacræ Scripturæ, ac Sanctorum Patrum, quas hactenus adduximus, plane adversum.

IX. Opponunt Janseniani primo, quod Christus Dominus dixit loco laudato Jo. 17. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi*: idest, ut Augustinus interpretatur tr. 107. in Jo. *non pro reprobis, sed pro Prædestinatis*: ergo Christus Dominus non optavit salutem nisi electorum; unde semper Christi desideria habent suum effectum: Si enim Christus pro reprobis orasset, profecto salvarentur, quia semper Christi oratio exaudita est; dicitur enim Jo. 11. *Ego sciebam, quia semper me audis*.

Confirmatur, quia in tantum Ecclesia orat universim pro omnibus, quia ignorat quinam sint reprobi; si enim non ignoraret, pro iis preces non funderet: ergo cum Christo Domino innotescerent reprobi, pro iis orare non poterat. Antecedens suadetur ex August. qui lib. 21. de Civit. cap. 24. habet: *Si de aliquibus ita Ecclesia certa esset, ut qui sunt illi etiam nosset, qui licet in hac vita sint constituti, tamen prædestinati sunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipso; sed quia de nullo certa est, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis suis in hoc corpore constitutis, nec tamen pro omnibus exauditur*. Ratio cur non debeant preces fundi pro iis, qui certe sunt in numero reproborum, sicut nec funduntur pro diabolo, est, quia essent frustraneæ.

Respondeo: quamvis Christus Dominus non oraverit tunc pro reprobis, satis tamen est, quod alias pro reprobis oraverit, ut verum sit, quod Christi desideria non semper effectum suum sortita sint ex nostra culpa, ac renitentia: Oravit autem pro reprobis, quando in Cruce dixit, *Sitio*: quando dixit,

dixit, *Pater ignosce illis*, ut ostendimus; quod Isaiæ 53. prænunciatum fuit verbis illis: *Ipse peccata multorum tulit, & pro transgressoribus rogavit*. Et aliquando etiam oravit pro solis fidelibus tam electis, quam reprobis, ut quando dixit loco laudato Jo. 17. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me*. Deinde nonnulli putant cum Suario 3. par. disp. 41. sect. 2. Christum Dom. in eo sermone diversimode orasse, petendo scilicet pro reprobis gratias sufficientes; pro iis vero, qui credituri erant, gratias uberiores; & pro Apostolis, ac aliis Electis gratias efficaces. Angelicus 3. p. qu. 21. art. 4. ad 2. docet, Christum Dom. solum orasse pro Prædestinatis; Quod tamen explicat Cajetanus dicens, orationem Christi pro Prædestinatis fuisse orationem simpliciter dictam explicativam suæ voluntatis deliberatæ: orationem vero, quæ explicabat quandam velleitatem (sicut quando oravit, ut transiret a se calix passionis) fuisse orationem secundum quid. Quare licet pro reprobis Christus D. non orasset oratione simpliciter dicta, hinc non fit, quominus habuerit sincerum affectum salutis reproborum, & pro iisdem suam mortem obtulerit. Itaque ad id, quod additur in argumento, dicendum, quod sicut voluntas divina de nostra salute est duplex, altera efficax solum quantum est ex parte sua, altera vero efficax simpliciter; hæc autem nunquam frustratur, secus vero illa, ut alias explicavimus: ita duplex fuit Christi oratio; altera efficax, & absoluta, de qua tantum dicitur, quod semper exauditus est; altera vero quadantenus inefficax, & conditionata, sicut quando oravit, ut transiret a se Calix Passionis; oravit siquidem conditionate, si scilicet esset possibile juxta fines altissimos divinæ providentiæ; & hujusmodi oratio poterat carere effectu desiderato ex defectu conditionis appositæ. In hoc autem sensu dici etiam potest, quod Christus oraverit pro reprobis, ut salvarentur, & gratiæ iis efficaces, quantumvis indebitæ, conferrentur, si fieri id posset conformiter ad finem sublimissimum manifestandi gloriam Dei. Quoniam autem ad gloriam divinam non spectabat, ut omnes salvarentur, idcirco defuit, quod Christus sub ea conditione orabat, & exoptabat. Quibus adde, negari non posse, quod Christus D. Patrem oraverit pro salute plurium aliorum præter Apostolos, eos qui postea credituri erant per verbum ipsorum, puta pro bono Latrone, pro Josepho ab Arimathæa, pro Nicodemo, pro ipso Apostolo Paulo, qui omnes vel jam crediderant, vel credituri erant in Christum, & non per verbum Apostolorum, ut advertit Augustinus tract. 109. in Joan. Denique quamvis Christus D. nunquam determinate pro reprobis orasset, non propterea fit, quod eorum salutem non exoptarit, aut pro illis mortem suam non obtulerit Patri: cum in fidei Symbolo dicatur propter nos homines, & propter nostram salutem descendisse de Coelis, Crucifixus etiam pro nobis, & quidem indiscriminatim, atque adeo tam pro electis, quam pro non electis.

X. Ad confirmationem: Sicut non frustranee Christus oravit, ut calix a se transiret, quamvis sciret illum non fore transiturum, quia oratio erat inefficax, & conditionata, & solum exprimebat simplex ejus desiderium: ita non frustranee Christus oravit pro reprobis oratione tantum conditionata, & inefficaci, exprimens desiderium, ut omnes salventur, quod tamen non erat simplex, sed efficax, quantum ad se spectabat: Et quamvis prænosceret Christus Dominus, quod conditio in utroque casu non esset purificanda, adhuc orare potuit, quia oratio non regulabatur ab illa cognitione conditionis non purificandæ. Augustinus optime docet, quod non debeamus orare pro eo, quem certe sciremus propter sua peccata damnandum, sicut nec pro diabolo: quia post decretum damnationis a Deo juste latum, non debemus ab eo petere, ne fiat sua justissima voluntas. Possumus tamen optare, ac petere a Deo, ut omnes salventur; etenim ut notat Angelicus 1. p. q. 23. art. 8. ad 1. & 3. p. q. 24. art. 2. in Reprobatione, sicut etiam in Prædestinatione, duo sunt consideranda, & Actus divinus, & ejus effectus; preces Sanctorum nullatenus conferre possunt relate ad actum divinum reprobativum, aut prædestinativum, possunt tamen conferre relate ad ejus effectum, sicut etiam ad id conferre possunt nostræ operationes; propter quod dicitur 2. Petr. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis*: Possumus itaque ex affectu charitatis optare, ac orare, ut omnes salventur, si Deo placuerit, & quatenus posset id conducere ad finem suæ supernæ Providentiæ. Ubi adverte, Augustinum ibi disputare adversus eos, qui contendebant, damnatos in die Judicii fore liberandos a pœnis Inferni per orationes Sanctorum; & hunc errorem insectabatur, dicendo, quod Sancti nunquam pro damnatis orant, sicut nec pro diabolo; Cum quo bene stat, quod possimus desiderare, ne diabolus peccasset, & damnatus fuisset; necnon etiam orare, ne reprobus peccatis coinquinetur, & damnetur: Sicut enim Prædestinatus potest peccare, & si peccaret, suam prædestinationem impediisset; ita reprobus potest sub auxiliis sufficientibus bene operari, & si bene operaturus esset, suam reprobationem impedivisset; Quando autem constat, quod illam non sit impediturus, adhuc possumus orare oratione inefficaci, & conditionata, ut Deus illi conferat auxilia efficacia, quibus suam reprobationem impediat; nec hujusmodi oratio est frustranea, quippe quæ est orta ex affectu charitatis, nec est de objecto impossibili, ut patet: aliud enim est, quod certo non sit impediturus suam reprobationem, per hoc quod certo sit male operaturus: aliud vero non possit bene operari, unde possit suam reprobationem impedire: Ad eum modum quo D. Petrus, supposita prævia illa revelatione, certo negaturus erat Christum, poterat tamen illum non negare in sensu diviso: quatenus si non negasset: non fuisset in Christo D. præscientia de tali negatione, & sic nec præcessisset ea revelatio. Propterea D. Bonav. in 1. dist. 46. qu. 1. docuit: *Si quis sciret aliquos esse præscitos, quamvis quantum est in se deberet eos velle salvari, non tamen voluntate absoluta*: quandoquidem possumus velle, ut auxiliis gratiæ consentiret, & non damnarentur, non possumus tamen absolute velle, ne fiat justissima Dei voluntas erga illos, quos vult in æternum punire ob eorum delicta.

XI. Opponunt secundo, videri absonum, quod Christus aliquid optet, & non obtineat; quod oret, & non exaudiatur; ergo semper Christi desideria suum effectum sortiuntur. Antecedens constat, quia in manibus Christi Domini est ipsa Divina Omnipotentia: Unde Jo: 13. dicitur: *Sciens*, *quia*

quia omnia dedit ei Pater in manus; quis autem dixerit, quod qui potest omnia, aliquid velit, & illud non consequatur?

Respondeo, quod sicut Deus ipse vult omnes homines salvos fieri, & tamen non omnes salvantur, quia vult salutem omnium dependenter ab illorum voluntate; ita Christus potest secundum humanam suam voluntatem aliquid velle, & orare pariter conditionate; & in tali casu non purificata conditione frustrari potest fine intento: Quare hoc pacto Christus Dominus vult salutem reproborum, videlicet si consentiant auxilio gratiæ sufficienti; cum autem consentire renuant, idcirco salus a Christo conditionate volita non obtinetur. Quod docuit Angelicus in cap. 17. Jo. lect. 2. his verbis: *Dicendum, quod Christus, quantum est de se, pro omnibus oravit, quia oratio sua, quantum est de se, efficax est, ut valeat toti mundo, sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanum.* Itaque licet verissimum sit, quod desideria Christi efficacia simpliciter semper suum habeant effectum, cum sint absoluta; ac semper pacem intimo cordium inferat, quando eis illam optat absolute: non tamen si desideria isthæc sint conditionata, seu dependenter ab humana voluntate, quæ velit auxilio sufficienti consentire: tunc enim solum sunt efficacia quantum est ex parte Christi, quatenus confert sufficientiam, ut possit a nobis poni effectus ab ipso concupitus.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXXI.

TRigesimaprima non absimile virus eructat, dum docet, desideria Christi semper habere effectum suum, pacemque interno cordium afferre, dum eis illam optat. In præcedenti thesi dicebantur infallibiliter salutem consequi omnes, quos Deus vult salvare; ac proinde cum reprobi non salventur, sequitur, quod Deus noluerit eorum salutem. In hac vero dicuntur desideria Christi semper habere effectum suum: ex quo pariter fit, quod cum reprobi non salventur, nec Christus desideraverit eorum salutem. Quare juxta Quesnellum nec Deus voluit, nec Christus optavit, ut reprobi salutem assequerentur: Cum tamen de fide sit, Deum velle omnes homines salvos fieri, & Christum dedisse redemptionem semetipsum pro omnibus, ut habetur 1. ad Timoth. 2. Et 1. Timoth. 4. dicitur: *Qui est Salvator omnium; maxime Fidelium*, ut ex hac restrictione denotetur, Christum etiam infidelium esse Salvatorem, quantum est ex se, licet fideles (etiam reprobi) magis fructum redemptionis participent: Et ex Augustino, D. Thoma, & aliis Christus Dominus dum dixit in Cruce, *Sitio*, ostendit ardens desiderium de salute etiam reproborum, quod tamen quia expletum non fuit, idcirco dictum est Psal. *68. In siti mea potaverunt me aceto*. Hæc itaque Janseniani reponunt Christi amori erga homines, negando, quod omnium salutem exoptarit, ac negando, quod pacem intimo cordium optet iis, qui illa carent; cum contendant pacem intimo cordium inferre iis omnibus illam optat.

PROPOSITIO XXXII.

Jesus Christus se morti tradidit ad liberandum pro semper suo sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris. *Quesnell. Gal. 3. 4. 5. 6. 7. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Pretiosissimo Christi Domini Sanguini, ac bonitati divinæ thesis hæc est valde injuriosa: Eaque non *semel fuit proscripta; redolet quippe Calvinianos errores, ac refragatur doctrinæ Tridentini, docentis Christum pro peccatis totius mundi sanguinem fudisse.*

II. Inanis est triplex Jansenii elusio.

III. Commentitium est, quod Christi mors reprobis non prosit, cum obtinuerit illis posse ad arbitrium consequi salutem.

IV. In quonam sensu Christi Sanguis positus est in multorum ruinam?

V. Augustinus passim expressit, Christum pro omnibus omnino mortuum esse.

VI. Quomodo verum sit, quod Christus Dominus luerit pœnas pro peccatis Reproborum?

VII. Explicatur sensus Scripturarum, quæ adversus hanc Catholicam veritatem objectantur.

VIII. Hinc fit, Christi mortem etiam Reprobis profuisse: Electis tamen profuisse speciali modo; ac posse quemlibet cum Apostolo dicere: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.

I. VErba hujus Thesis ad decipiendum sunt affabre idonea, dum Christi Salvatoris nimiam erga homines charitatem sub oculos ponunt, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis; ac pretiosissimo suo sanguine signans postes (nempe introitum in hanc vitam, & ex hac vita exitum) suorum primogenitorum, hoc est Electorum, liberavit illos de manu Angeli exterminatoris. Quid ad devinciendos animos Christifidelium erga suum Liberatorem vividius exprimi poterat? At horret animus recolendo injuriam atrocissimam, quæ subdole pretio nostræ Redemptionis verbis contumeliosis hujusce Thesis irrogatur; dum enim splendide dicitur Sanguis Christi Domini liberasse Electos a suppliciis sempiternis, refricatur vulnus cordi amantissimo Redemptoris non semel ab Heterodoxis inflictum, quod scilicet unius Electis poculum Dominicæ Passionis propinatum sit, illisque duntaxat profuerit; Reprobi vero nullum inde auxilium reportarint, quo etiam ipsis, si vellent, integrum esset excidium declinare. Quod usque adeo Divinæ bonitati derogat, usque adeo divinissimæ Redemptoris charitati erga unumquemque nostrum est injuriosum, ut Innocentius Decimus volens quintæ Jansenii thesi idem virus eructanti suam specialem notam inurere, dixerit, Thesim illam, qua dicebatur, (*Semipelagianum est dicere, Christum pro omnibus omnino hominibus mortuum esse, aut sanguinem fudisse*) *esse falsam, temerariam, scandalosam; & intellectam eo sensu, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit, esse impiam, blasphemam, contumeliosam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam*; ac sub his omnibus Theologicis censuris illam proscripserit. Et Alexander Septimus theses istas Jansenianas in sensu

sensu ab eodem Jansenio intento damnatas fuisse definivit, ac declaravit, & uti tales iterum in sua Constitutione anno 1656. damnavit. Constat autem Jansenium docuisse, quod Christus non sit pro omnibus mortuus. Siquidem to. 1. lib. 2. c. 21. hæc habet: *Nec enim juxta doctrinam Antiquorum pro omnibus omnino Christus mortuus est*; *aut pro omnibus omnino tam generaliter sanguinem fudit*: *cum hoc potius*, *tanquam errorem a fide abhorrentem*, *doceant esse respuendum*. Quare juxta hunc sensum jure merito thesis illa confixa fuit. Post hanc autem clamorosam condemnationem, qua Jansenianorum aures tinniere, quisnam auderet amplius eam ex inferis exuscitare? & tamen in hominum perniciem iterum a Jansenii fautoribus edocebatur, & non clanculum, mutato tantum verborum sono, non tamen pestifero sensu: ut opus fuerit Alexandrum Octavum iterum de cœlo Vaticani tangere, ac proscribere quartam illam Thesim, quæ habet: *Dedit semetipsum pro nobis oblationem Deo*, *non pro solis Electis*, *sed pro omnibus*, *& solis Fidelibus*; quamvis enim in ea dicatur, quod Christus Dominus non pro solis Electis, sed pro Fidelibus omnibus, etiam Reprobis, sanguinem fuderit; nihilominus cum dicatur etiam, quod pro solis Fidelibus obtulerit Patri pretium Redemptionis, nempe seipsum, suum sanguinem, & animam suam, beneficium ingens hominibus collatum ita extenuatur, ut non effugiat hæc etiam thesis notas quintæ illi Jansenianæ thesi ab Innoc. X. inustas. Porro jurares, quod Janseniani tot validis ictibus perculsi obmutuerint; At iterum in hac thesi caput hoc Hedræ non multo post tempore repullulans oportuit contundere. Faxit Deus, ut pestiferum hoc virus sit prorsus extinctum, ejus quippe sunt indolis hæreses, ut ad tempus tandem aliquando consepeliantur, raro tamen pereant omnino. Ecce tibi in hac thesi dicitur, Christus D. se morti tradidisse ad liberandos Electos: Quod autem implicite dicatur, se morti tradidisse pro solis Electis, mox ostendemus in Anacephalæosi. Et sane cum Quesnellus observationem hanc faciat super Epist. ad Galat. in cap. 4. ubi dicitur, Deus misisse Filium suum, ut eos qui sub lege erant redimeret, inferre debebat, quod pro omnibus omnino redimendis Christus sit mortuus, non vero pro Electis duntaxat. At cum dicatur in hac thesi, quod Christus se morti tradiderit ad liberandum Electos *pro semper*, insinuatur error Jansenianus, quod Christus meruerit Reprobis gratiam aliquam temporariam, sed non finalem, & ad liberandos illos *pro semper*, ut meruit pro Electis.

Porro isthæc hæresis jam inde a Jansenii temporibus gladio Pontificio ter confixa, multo ante Jansenium suborta fuit. Calvinus quippe illam ipsi Augustino per summam calumniam ascripserat, & Calvino deinde Janseniani subscripsere; quamvis adversum hoc Calvinianum assertum docuisset Tridentinum sess. 6. cap. 2. quod *Cœlestis Pater*, *Pater misericordiarum*, *& Deus totius consolationis Christum Jesum filium suum*, *cum venit plenitudo temporis*, *ad homines miserit*, *ut & Judæos*, *qui sub lege erant*, *redimeret*, *& Gentes*, *quæ non sectabantur justitiam*, *justitiam apprehenderent*, *atque omnes adoptionem filiorum reciperent*, *Hunc proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius pro peccatis nostris*, *non solum autem pro nostris*, *sed etiam pro totius mundi*.

II. Jansenius triplici responsione conatur doctrinam hanc Thridentini eludere; nulla tamen istarum temeritatis notam subterfugit. Primo enim docet lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. *Christum dici se dedisse Redemptionem pro omnibus*, *hoc est pro universa sua Ecclesia*, *& consequenter pro omnibus hominum generibus*, *Regibus*, *privatis*, *doctis*, *indoctis*, *& cujuscunque conditionis*. Secundo in Apologet. 1. Jansenius docet, pro omnibus Christum mortuum esse solum *sufficienter*, non quod pro Reprobis etiam Sanguinem suum Patri obtulerit, sed quod pro singulorum peccatis delendis par fuisset ejus sanguis, si pro iis etiam voluisset pretium suæ passionis applicare. Tertio, quod sit mortuus pro omnibus, quatenus susceperit causam omnibus communem.

Sed nullius sunt roboris tres istæ elusiones. Siquidem Calvinus, & Lutherus, adversus quos loquitur Tridentinum, non negabant in hoc triplici sensu Christum pro omnibus sanguinem fudisse pretiosissimum.

Ad primam itaque dico, quod communiter Sancti Patres doceant, Christum pro omnibus, & singulis mortuum esse, ut diximus in thesi 12. & ideo Innocentius X. damnat thesim illam Jansenianam, quod non pro omnibus mortuus fuerit; & Alexander VIII. quartam illam thesim, quod pro omnibus, & solis Fidelibus sit mortuus. Aliter quomodo diceretur 1. Jo. 2. *Ipse est propitiatio pro peccatis nostris*; *non pro nostris autem tantum*, *sed etiam pro totius Mundi*? Quomodo diceretur 1. ad Timot. 4. *Qui est Salvator omnium*, *maxime Fidelium*? Præterquamquod si pro Reprobis Christus non fuisset mortuus, neque posset ab iis exerceri actus fidei expressus iis verbis Symboli Nicœni in Conciliis Constantinopolitano, Ephesino, & Calcedonensi approbati; *Credo in unum Dominum Jesum Christum*, *&c. qui propter nos homines*, *& propter nostram salutem descendit de cœlis*, *&c. Crucifixus etiam pro nobis*: Neque posset ab iisdem exerceri actus Spei Theologicæ: quippe qui in Christi sanguine pro nobis effuso nititur, ut docet August. lib. Medit. cap. 14. ubi habet; *Omnis spes*, *& totius fiduciæ certitudo mihi est in pretioso sanguine ejus*, *qui effusus est propter nos*, *& propter nostram salutem*; quinimmo neque Prædestinati possent firmiter sperare; cum enim nemo sciat, an sit ex numero Electorum, nemo certam salutis spem posset ex Christi morte concipere.

Ad secundam, si ea verum haberet, dici etiam posset, quod Christus dederit semetipsum redemptionem etiam pro dæmonibus, quibus redimendis sine dubio pretium sanguinis ejus fuisset sufficientissimum, cum tamen solis hominibus beneficium Redemptionis contulerit. Ipse Jansenius lib. 3. de Gratia Christi cap. 21. advertit, *esse passum*, *mortuum*, *crucifixum*, *se redemptionem dedisse pro omnibus*, *plus aliquid dicere*, *quam nude pretium sufficiens obtulisse*, *quod his applicari nolit*. *Illud enim indicat*, *intentione morientis pretium pro illis oblatum esse*. Quod etiam alibi dixit his verbis: *Pro aliquo mortuum esse*, *vel fudisse sanguinem suum*, *insinuat voluntatem Christi*, *quam habet*, *ut ei mors Patri oblata*, *& sanguis prosit*. Quare non satis est dicere, quod Christus potuerit nos gutta duntaxat sui sanguinis redimere, sed dicendum, quod omnes, & singulos de facto redemerit, obtinendo etiam Reprobis vi suorum meritorum, quicquid

satis esset, ut possent, si vellent, a servitute peccati, & a captivitate dæmonis liberari; quamvis relate ad Electos obtinuerit, quod etiam de facto liberarentur ex speciali erga illos affectu. Quod docuit D. Prosper lib. 2. de vocat. Gentium, dicens: *Sive manifeste, sive occulte, ipse est, ut Apostolus ait, Salvator omnium, maxime fidelium. Quæ sententia subtilissimæ brevitatis, & validissimi roboris, si tranquillo consideretur intuitu, totam hanc, de qua agimus, controversiam dirimit; dicendo enim: Qui est Salvator omnium hominum, confirmavit, bonitatem Dei super universos homines esse generalem. Adjiciendo autem, maxime fidelium, ostendit, esse partem generis humani, quæ merito fidei divinitus inspiratæ, ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur.*

Quis non daret manus celebri huic D. Prosperi testimonio? Jansenius tamen, ut illi reluctetur, docet locum laudatum Apostoli loqui solum de salute temporaria, quam Salvator omnibus passim confert, & maxime fidelibus. Verum quamvis juxta hunc etiam sensum a nonnullis Patribus dictum Apostoli accipiatur, negari non potest, quod D. Prosper illum interpretetur de salute spirituali æterna, cum de ea esset tunc temporis controversia, & de ea dumtaxat ibi sit sermo: Et juxta doctrinam D. Prosperi locutum est Tridentinum sess. 6. cap. 3. dicens: *Etsi ille pro hominibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii dumtaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur.*

Ad tertiam Jansenii elusionem dicendum, quod quamvis in eo etiam sensu verum sit, quod pro omnibus Christus sit mortuus, quatenus scilicet suscepit causam omnibus communem; nihilominus proprius, & obvius sensus est, quod Christus pro omnibus, & singulis sit mortuus; verba autem dogmatica semper sumenda sunt in sensu proprio, & obvio, si nihil obstet; nec quicquam obstat in casu nostro, cur in hoc sensu verba Tridentini intelligantur, ut mox ostendemus evacuando oppositiones Jansenianorum: ergo. Illud hic iterum advertendum censeo, Quesnelium in hac thesi, qua dicitur Christus Dominus se morti tradidisse ad liberandum Electos, signate non excludere Reprobos, ne videatur disertis verbis proscriptas theses edocere. At in sole cæcutit, qui ejus calliditatem non animadvertit. Ex contextu enim istarum thesium, (in quibus passim habetur, deesse reprobis auxilium sufficiens ad salutem, infidelibus nullam dari gratiam, & peccatoribus antecedenter ad peccatorum remissionem nullum concedi auxilium, quo possint resipiscere, si velint) manifestum est in sententia Quesnelli, pro Electis duntaxat oblatum esse pretium Redemptionis, eo quod solum Electi efficaciter redempti sint; Cum autem ex morte Redemptoris, sicut Dæmones, ita & Reprobi, non hauserint, quæ ad eorum æternam salutem conferrent, quomodo dici poterit, quod pro eis semetipsum Christus morti obtulerit? Hinc idcirco in hac Thesi Quesnellus dicit, quod Christus morti se obtulit ad liberandum Electos *pro semper*; ut insinuet; quod quamvis Reprobis juxta doctrinam Jansenii meruerint Christus gratiam aliquam ad tempus, non meruit illis gratiam finalem, ut *pro semper* liberarentur de manu Angeli exterminatoris. Sed audiamus Jansenianorum sophismata.

III. Opponunt primo ex eorum Antesignano tom. 1. lib. 1. cap. 21. *Cui nullo modo prodest sanguis, & mors Christi, pro illo nec sanguinem fudit, nec mortuus est*: atqui Reprobis mors Christi nullatenus profuit, quinimo fuit illis in ruinam, juxta verba Simeonis Lucæ 2. *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel*; ergo Christus pro Reprobis non est mortuus, sed solum pro Primogenitis, seu Electis.

Confirmatur ex ipso Trident. sess. 6. cap. 3. ubi dicitur: *Verum etsi ille pro omnibus mortus est*; *non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*: ergo ex Tridentino non omnibus prodest mors Christi; atque adeo non est mortuus pro omnibus, & singulis, sed solum pro omnibus juxta distributionem accommodam supra explicatam.

IV. Respondeo falsum esse, quod Reprobis non prosit mors Christi D. cum per merita Christi D. obtinuerint auxilium sufficiens ad resipiscendum; posse autem salutem consequi ad arbitrium propriæ voluntatis, procul dubio est ingens beneficium. Hinc Augustinus ser. 31. habet: *Sanguis Domini tui, si vis, datus est pro te; si nolueris, non est datus pro te. Forte enim dicis: Habuit sanguinem Deus meus, quo me redimeret, sed jam cum passus est, totum dedit, quid illi remansit quod det & pro me? Hoc est magnum, quia semel dedit, & pro omnibus dedit; Sanguis Christi volenti salus est, & nolenti supplicium.* Ex quibus patet ad verba laudata Prophetæ Simeonis; Est enim in ruinam multorum Christi Sanguis nolenti illo uti ad resurrectionem; sicut Augustinus dicit, quod nolenti sit supplicium, quatenus culpabiliter respuens gratiam per Christi merita collatam ruinam sibi parat, & supplicium meretur.

Ad confirmationem: Tridentinum solum vult, quod meritum passionis non communicetur Reprobis quoad obtinendam iis gratiam efficacem, non vero quoad sufficientem: aliter quomodo diceret, quod Christus pro iis sit mortuus? Sicut enim in humanis non dicitur dives redimere pauperem a captivitate, si solum præparet pretium redemptionis, & non det proximam potestatem, ut possit redimi; ita Christus non diceretur redemisse homines, si solum præpararet pretium sufficiens ad hominum redemptionem, nisi conferret iis proximam potestatem, ut redimantur, quod præstat conferendo gratiam sufficientem: Aliter etiam dæmones redemisset, cum pro iis redimendis pretium sui sanguinis esset copiosissimum.

V. Opponunt secundo auctoritatem Augustini dicentis Epist. 102. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus est Christus*: Et tract. 48. in Joan. *Quomodo istis dixit, Non estis de ovibus meis? quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sanguinis pretio comparatos.* Et luculentius lib. 1. de adulterinis conjugiis cap. 15. *Omnis, qui Christi sanguine redemptus est, homo est; non tamen omnis, qui homo est, Christi sanguine redemptu. est.*

VI. Respondeo pluribus in locis Augustinum veritatem hanc Catholicam expresse docuisse, quod scilicet pro omnibus omnino Christus mortuus sit. In Psalm. 25. habet: *Judicabit orbem terrarum in æquitate; non partem, quia non partem emit; totum judicare habet, quia pro toto pretium dedit.* Quare sicut omnes omnino judicandi sunt a Cri-

Christo Domino, ita omnes omnino redempti sunt ex Augustino; qui pariter lib. 2. de Catechum. cap. 8. dicit Christum Dominum sic reprobos allocuturum improperando eis ingratitudinem, & socordiam: *Videtis vulnera quæ inflixistis? agnoscitis latus, quod pupugistis? Quoniam & per vos, & propter vos apertum; nec tamen introire voluistis*. Et serm. de tempore: *Cur quod pro te pertuli perdidisti? Non te ego de morte mea quæro, redde mihi vitam tuam, pro qua meam dedi*. Et sic in aliis locis innumeris. Propterea textus, qui objiciuntur, intelligendi de Redemptione stricte sumpta per collationem gratiæ efficacis ex amore efficaciæ, quam contulit misericorditer electis ex speciali affectu erga illorum salutem, non vero de redemptione late sumpta, & omnibus hominibus communi per collationem gratiæ sufficientis, qua possent salvari, si vellent, ratione cujus Deus intendit eorum salutem efficaciter solum quantum ad se spectat. Et similiter interpretandus est Anselmus, qui in Elucid. habet: *Christus pro solis electis mortuus est*; Et infra: *Nihil contulit reprobis ob sua demerita mors Christi*, quatenus nihil profuit ex eorum culpa gratia sufficiens a Deo collata ob pretium redemptionis. Quare Christus Dominus in hoc sensu etiam dicitur luisse pœnas pro peccatis reproborum; quatenus quantum ad se spectat pœnas pro iis luisset in actu secundo, si gratia sufficienti ipsis oblata uti voluissent ad salutem assequendam: quod autem in seipsis in inferno puniantur, id vertere debent vitio propriæ voluntatis, & gratias debent ingentes Redemptori, quod sese obtulerit ad patiendum pro ipsis.

VII. Opponunt tertio id quod dicitur Matth. 15. *Non sum missus, nisi ad oves, quæ perierunt domus Israel*, & Matth. 26. *Hic est sanguis novi testamenti, qui pro multis effundetur*: unde non pro omnium, sed pro multorum salute, nempe electorum, Christus sanguinem fudit.

Respondeo, in primo textu non significari, quod Christus dominus non fuerit missus pro omnibus redimendis, sed solum quod non fuerit missus ad annunciandum omnibus immediate regnum Dei verbis, & miraculis: In secundo vero vel significari, quod pro multis nempe pro electis duntaxat, sanguis Christi effusus fuerit quoad efficaciam, quamvis pro omnibus quoad sufficientiam: vel significari, quod sit effusus pro omnibus, qui multi sunt, ut advertit idem Jansenius in Matthæum. Certum enim est, quod in Scripturis sæpe significantur omnes per hoc vocabulum multorum, ut advertit August. lib. 20. de Civit. cap. 32. Sic Dan. 12. dicitur: *Et multi de his, qui dormiunt, in terræ pulvere evigilabunt*; hoc est omnes resurgent. Et ad Rom. 5. *Si enim unius delicto multi mortui sunt*; hoc est, omnes.

VIII. Ex quibus fit primo, negari non posse, quod Christi sanguis omnibus profuerit ad salutem, quatenus omnibus meruit auxilium sufficiens, quo possent salvari, si vellent; aliter non magis reprobis profuisset, quam dæmonibus, quos nullo pacto redemit. Quare Christus dominus non solum mortuus est pro omnibus hominibus, hoc est pro generibus singulorum, (ad eum modum quo communiter dicimus, omne animal fuisse in Arca Noe, quatenus in ea fuit omne genus animalium) sed etiam pro singulis generum, hoc est pro omnibus omnino hominibus, cum singulis profuerit ad salutem.

Fit secundo, Electis specialiter profuisse Christi sanguinem; quatenus in actu secundo, & absolute eos liberavit de manu Angeli exterminatoris, ubi reprobos liberavit in actu primo, & conditionate, hoc est dependenter ab eorum voluntate, dum tamen contulit iis quantum satis esset, ut liberarentur.

Fit tertio, atrocem injuriam irrogari Christi sanguii a Jansenianis, dum negant auxilium sufficiens ob ejus merita reprobis conferri; sic enim eorum reprobatio voluntati Christi abscriberetur, quod noluerit iis salutem promereri, non voluntati reproborum, qui pretio sanguinis sibi oblato noluerunt uti, ut liberarentur.

Fit quarto, posse unumquemque cum Apostolo exclamare: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*: cum Christus Dominus pro unoquoque pretium sui sanguinis obtulerit. Quinimmo is fuit amor Christi erga unumquemque nostrum, ut S. Birgitta in suis revelat. lib. 1. cap. 58. audierit Christum sic loquentem adversus reprobos: *Dicunt passionem meam eis nihil valere. At excusabo me coram Angelis, & omnibus Sanctis meis. Probabunt mali homines non esse propter meam culpam quod ipsi mali sint, sed propter suam culpam propriam. Ego enim, si possibile esset, libenter pro unoquoque homine talem pœnam exciperem, qualem semel in cruce pro omnibus recepi*. Et l. 7. c. 19. luculentius suum erga singulos amorem expressit dicens: *Si adhuc possibile esset, quod ego toties morerer, quot sunt animæ in inferno, ita ut pro qualibet earum talem mortem iterum sustinerem, qualem tunc pro omnibus sustinui, adhuc corpus meum paratum esset subire hæc omnia*. Quare satagendum, ut Christi sanguini, ac ejus dilectioni non simus ingrati; nec expectanda est ab eo gratia medicinalis, si forte dignabitur illam tribuere citra nostram cooperationem, sed conari debemus, ut gratiæ sufficienti, quam proculdubio nobis confert benignissime, ex corde cooperemur, ut in libro vitæ conscribi mereamur; in manu quippe nostræ voluntatis est, aut Christi vestigia sequi, ut salutem consequamur, aut Christum deserere, & in mortis syllabo reponi. Propterea dicitur Jerem. 17. *Domine, omnes, qui te derelinquunt, confundentur; recedentes a te in terra scribentur; quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium Dominum*. Quare non recensentur cum reprobis, qui a Domino antecedenter deseruntur; cum hoc obstrepat Christi meritis, & Divinæ bonitati; sed qui Dominum deserunt venam viventium aquarum, & hac de causa deseruntur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXXII.

TRigesima secunda similiter docet, Christum se morti tradidisse ad liberandum suo Sanguine Primogenitos, idest Electos, de manu Angeli exterminatoris. Quamvis non doceat expresse Christum mortuum esse pro solis Electis, atque adeo non pro omnibus omnino hominibus juxta quintam Jansenii proscriptam thesim; nihilominus non solum ex contextu, & ex proxime præcedentibus thesibus indicatur idipsum in hac thesi doceri; sed ipsa etiam hujus thesis verba satis superque denotant, Christum pro solis Electis esse mortuum, non vero pro omnibus hominibus. Et ratio est,

est, quia in re dogmatica verba præcisiva communiter intelliguntur esse exclusiva, præsertim ubi Catholici ab hæreticis dissentiunt: Propterea si quis diceret, Baptismi Sacramentum institutum esse pro adultis, indicaret institutum esse pro adultis duntaxat, & non etiam pro infantibus, præsertim post hæresim a Tridentino damnatam sess. 7. can. 12. Similiter qui absolute diceret, unam in Deo esse personam, blasphemaret: denotaret enim unam tantum esse divinam Personalitatem, juxta hæresim Sabellii. Cum autem inter Jansenianos, & Catholicos dissentio sit. Num Christus D. mortuus sit pro omnibus, an vero pro solis Electis? qui absolute diceret, Christum mortuum esse pro Electis, denotaret Christum pro solis electis mortuum esse; & idcirco thesis hæc in speciem præcisiva, sed reapse exclusiva, proscribenda fuit, etiam spectato proprio verborum sensu, etiamsi a superioribus hisce thesibus non apertius Quesnelli mens detegeretur. Ad eum etiam modum, quo, si quis nunc absolute diceret, Spiritus Sanctus a Patre procedit, cum in dubium revocatum sit a Teodoro Mopsuesteno, & a Græcis, num etiam procedat a Filio, denotaret, quod solum a Patre procedat; & ideo ea thesis esset proscribenda, non tanquam præcisive prolata, (sicut quando Joann. 15. dicitur: *Paraclitus, qui a Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me*) sed tanquam prolata exclusive: quamvis a fortiori esset proscribenda in Codice alicujus Græci Auctoris, qui aliis in locis eam hæresim edocuisset. Quod pariter fusius firmabitur in Anacephalæosi thæsis quinquagesimæ primæ, & septuagesimæ secundæ. Ad rem nostram; quod Christus Dom. non se morti tradiderit ad liberandum pro semper suo sanguine solum Electos, constat ex proscriptione quintæ thæsis Jansenianæ. Id enim Scripturæ passim docent; ac Tridentinum sess. 6. cap. 3. iis verbis: *Verum etsi ille pro omnibus mortuus est, non tamen omnes mortis ejus beneficium recipiunt, sed ii duntaxat, quibus meritum passionis ejus communicatur*. Admittunt Heterodoxi, & docet aliquando Quesnellus, quod Christus mortuus sit pro omnibus hominibus, intelligendo tamen, quod mortuus sit pro generibus singulorum, non pro singulis generum, seu pro omnibus omnino, prout debuisset Quesnellus exprimere, si voluisset ab hæresi Janseniana recedere.

PROPOSITIO XXXIII.

Proh quantum oportet bonis terrenis, & sibimetipsi renunciasse, ad hoc ut quis fiduciam habeat sibi, ut ita dicam, appropriandi Christum Jesum, ejus amorem, mortem, & mysteria, ut facit Sanctus Paulus dicens: Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. *Quesnel. Gal. 2. 20. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Probabile est, quod etiamsi unus duntaxat homo peccasset, adhuc pro eo Christus Dominus mortem oppetiisset.

II. Non est præceptum, sed duntaxat consilium, quod bonis omnibus terrenis nuncium remittamus.

III. Explicatur illud Christi Domini: Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.

IV. Amor, quo nosmetipsos amamus operando intuitu mercedis æternæ, non est vitiosus. Nec tenemur bonis terrenis renunciare, ut Deum diligamus.

V. Scripturæ, Concilia, & Patres excitant nos ad operandum intuitu mercedis æternæ.

VI. Hac de causa Deus æternam mercedem promittit, ut ejus spe ad bene operandum incitemur.

VII. Non est inordinatum referre bonum majus ad bonum minus, si solum referatur tanquam ad finem immediatum, & proximum, non tanquam ad ultimum

VIII. Damnantur ab Ecclesia, qui docuerunt Apostolicam paupertatem necessariam esse ad salutem consequendam.

IX. Ea quippe neque jure naturali, neque jure positivo Christi D. fuit unquam præscripta.

X. Præceptum de bonorum renunciatione est duntaxat affirmativum, adeoque non obligat semper, & ad semper, sed in debitis circumstantiis.

XI. Bonorum renunciatio necessaria solum est ad perfectionem, non vero ad salutem assequendam; seu ut homo sit Christi discipulus, hoc est perfectus, non ut sit fidelis.

XII. Divites non levem difficultatem experiuntur ad salutem assequendam citra gratiam auxiliarem Christi Dom. Qua de causa Christus Dominus per exaggerationem dixit Matth. 10. Facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.

XIII. Perperam nonnulli Quesnellum excusant.

Quesnellus in suis Observationibus laudata verba ad Galat. 2. *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, contra sensum totius Ecclesiæ restringit ad solam personam Apostoli, & ad eos, qui ardentissimam Apostoli charitatem imitantur, negans proinde, prout in thesi superiore docuerat, Christum se morti tradidisse pro omnibus. Quod usqueadeo a veritate abhorret, ut idem Apostolus disertis verbis ostenderit se a Christo D. dilectum fuisse, etiam quando Ecclesiam persequebatur, dicens ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quoniam adhuc cum peccatores essemus, secundum tempus Christus pro nobis mortuus est*. Quare Christus D. non ideo tradidit seipsum pro Apostolo, quia ab Apostolo diligebatur, sed potius ideo Apostolus Christum dilexit, quia Christus seipsum tradidit morti, ut Apostolum ad sui amorem converteret, prout advertit Angelicus in locum laudatum Pauli lect. 6. Et D. Chrysostomus in eundem locum docet, Apostolum in tantum dixisse Christum pro se morti traditum, non quia mortem suam hic non obtulerit pro omnibus omnino, etiam pro peccatoribus, etiam pro reprobis, sed quia ea charitate Christus omnes dilexit, ut videatur etiam pro singulis mortem oppetiisse. *Quid facis*, inquit, *o Paule, dum communia proprie tibi vindicas, quæque pro toto terrarum orbe facta sunt, tibi facis peculiaria? Non enim dixisti, Qui dilexit nos, sed qui dilexit me: atqui Evangelista dicit: Sic Deus dilexit Mundum; quin & tu ipse dicis: Qui proprio Filio non pepercit, sed tradidit eum pro nobis; Non igitur pro te, sed pro omnibus*. Ad quæ respondet, & Dei charitatem erga homines non solum omnes, sed etiam singulos respexisse, & Apostolum pretium redemptionis tamquam pro se duntaxat solutum existimasse. Quare subdit: *præterea declarat hoc quoque par esse, ut quisque nostrum non minus gratias agat Christo,*

quam

quam si ob ipsum solum advenisset. Neque enim recusaturus erat vel ob unum tantam adhibere dispensationem, adeo singulum quemque hominem pari charitatis modo diligit, quo diligit orbem universum. Hinc non pauci ex Scholasticis probabiliter existimant, quod si unus, aut pauci tantum homines peccassent, adhuc Verbum incarnatum fuisset in carne passibili, & Christus se morti esset pro iis traditurus. Siquidem etiam in tali casu persisteret finis primarius Incarnationis, qui est infinita Christi satisfactio ad ostendendam Dei dilectionem simul, & justitiam; dicitur enim ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem ad ostensionem justitiæ suæ*. Quod etiam confirmant tum ex verbis laudatis Apostoli: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me;* tum etiam ex verbis illis Eccles. 29. *Gratiam fidejussoris ne obliviscaris, dedit enim pro te animam suam;* quibus indicatur, pretium Sanguinis Christi Dom. pro singulis hominibus solutum fuisse. Hinc Chrysostomus in Act. dixit: *Unius dumtaxat animæ tanta est jactura, ut ob eam Filius Dei fieret homo*, & Dionysius Areopag. epist. 8. narrat, Christum apparuisse D. Carpo, qui præ nimio zelo mortem duorum scelestorum exoptabat, & illi dixisse; *Carpe, iterum paratus sum pro peccatoribus mori*. Quicquid autem sit de hac scholastica quæstione, de qua plura dixi in cursu Theologico p. 6. disp. 3. quæst. 1. illud inconcussum apud Catholicos est, Christum D. pro omnibus omnino mortuum esse, ac sanguinem suum fudisse, ut in thesi superiore ostendimus, atque adeo Jansenizare Quesnellum, dum verba laudata Apostoli, *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*, restringit ad solam personam Apostoli, & ad eos qui Apostoli charitatem imitantur, quandoquidem etiam pro peccatoribus, etiam pro reprobis Christus se ipsum morti tradidit, ut omnibus mereretur auxilia sufficientia ad salutem comparandam.

II. His adde, quod in hac thesi Quesnellus Consilia Evangelica de renunciatione bonorum terrenorum cum præceptis confundat, & perfectionem charitatis cum substantia talis præcepti, qui fuit error Lutheranorum dicentium hominem etiam justum semper peccare, quia nunquam servaret præceptum diligendi Deum ex toto corde, & ex tota anima, ex tota mente, & ex tota virtute, ut dicitur Marci 12. Si enim Christus non esset mortuus, nisi pro iis duntaxat, qui similes essent Apostolo in perfectione charitatis, aperte sequitur in sententia Quesnelli, quod ii duntaxat sint in numero electorum, qui ad istud charitatis incrementum pervenerunt, eo quod isti duntaxat primum, & maximum charitatis præceptum observarent. Quod si verum esset, quisnam hominum salutem se consecuturum speraret? cum possit quilibet semper intensius, ac intensius Deum diligere, & cum passim id non præstetur. Præterea si non possent habere fiduciam appropriandi sibi Christum, ejusque amorem, ac mortem, nisi qui ardentissimam Apostoli charitatem imitantur, a fortiori ea fiducia, ac spe in Deum, & Christum D. carerent peccatores omni charitatis gradu destituti; unde non possent peccatores ad justificationem se disponere, cum ex Tridentino sess. 6. cap. 6. dispositio ista spem veniæ per merita Christi prærequirat.

III. Sed omissis his, quæ in suis Observationibus Quesnellus contendit, cum per se liqueat quantum Catholicis veritatibus refragentur, descendo ad enucleanda verba hujus thesis, & ad refellendum quod directe videntur intendere. Profecto ad editissimum perfectionis Evangelicæ fastigium videtur Auctor velle homines perducere verbis hujusce thesis, succum ipsum pietatis in speciem afflantibus, dum excellentissimam viam demonstrat appropriandi sibi Christum Dominum, ejusque dilectionem, mortem, merita, ac mysteria, per abrenunciationem terrenorum bonorum, ac per quoddam odium animæ suæ, renunciando sibimetipsi, ut possimus cum Apostolo dicere: *Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me*. Etenim quod non aliter possimus ad Christi dilectionem aspirare, ac fiduciam habere appropriandi nobis Redemptorem, ac faciendi nostra quæcumque secummet nobis ipse donavit, videtur disertissime ipse Dominus docuisse, dicens Lucæ 14. *Qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: Quemadmodum ab eo sequendo, nedum assequendo longe abesse docet eos, qui sibimetipsis non abrenunciant, odio habendo ipsam animam suam, dicendo ibidem: *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus*. Verum, quæ Christus Dominus his verbis juxta explicationem Sanctorum Patrum, ac Interpretum ab omnibus fidelibus exposcit, non est arduum exequi sub ordinariis Divinæ gratiæ auxiliis. Quod autem in hac thesi dicitur *Oportere*, omnes perducit, non quidem ad culmen perfectionis, sed ad barathrum desperationis. Ea quippe est optimæ operationis indoles, ut si cadat sub consilium, dossit non raro executioni mandari, & ad sublimem virtutis, & gloriæ locum evehere; sin autem cadat sub præceptum, facile ex tali obligatione plurimi in culpas, & in damnationem pertrahantur. Quodnam præstantius consilium, quam singulis momentis pro virili intentissimum actum charitatis ponere, quam jejuniis diuturnis carnem conterere, quam asperrimam ingredi Religionem? At quidnam durius, quam hæc omnia sub rigoroso præcepto omnibus imponere? An esset quisquam, qui non sibi laqueum desperationis injiceret, si aliter ad vitam non posset ingredi, quam per hanc viam imperviam? Hoc sane est id, quod Quesnellus in hac thesi contendit, dum dicit, *oportere*, atque adeo gravissimo præcepto ad id nos adigit, ut terrenis bonis, ac nobismetipsis renunciemus. Quid autem sit tam in germano verborum sensu secundum se spectato, quam in sensu Auctoris, sibimetipsi renunciare, ex aliis thesibus non obscure colligitur: dum enim in thesi 44. docet, duos tantum in nobis dari amores, videlicet *Amorem Dei, quia omnia agit propter Deum, & amorem, quo nosipsos, & mundum diligimus, qui, quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus* vult consequenter, quod ab hoc amore, quo nos ipsos, & mundum diligimus, tanquam vitioso, recedamus; & ideo dum docet oportere, quod unusquisque renunciet sibimetipsi, & bonis terrenis docet indivisim, quod peccemus, si nosmetipsos diligamus operando intuitu mercedis æternæ, aut abstinendo a culpis ob timorem gehennæ, & pœnarum: & a fortiori peccemus, si bonis terrenis non renunciemus. Quinimmo diserte docet in thesi 62. quod *Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo*: usqueadeo vult, ut so-

ut solum Deum amore charitatis diligamus, nec illi inserviamus ducti aut timore servili ad vitandam pœnam, aut amore mercenario ad obtinendam gloriam; quia hic ipse Dei famulatus ab amore erga nosmetipsos profluit, & ideo est peccaminosus.

IV. Quare adversus hanc Thesim primo ostendemus, amorem, quo nosmetipsos amamus operando intuitu mercedis æternæ, non esse vitiosum; sicut non est vitiosus, sed bonus, & supernaturalis timor servilis, quo potius nosmetipsos amamus, quam Deum abstinendo a culpa ob metum gehennæ, ut dicemus in expositione thesis sexagesimæ; ut proinde non oporteat nobismetipsis renunciare in hoc sensu Janseniano, qui videtur callide sub his verbis denotari. Deinde ostendemus, nec opus esse, ut terrenis bonis renunciemus, cum possint citra culpam ea possideri.

V. Quod attinet ad primum: proscripta fuit ab Alex. VIII. thesis decima tertia, quæ habet: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet beatitudinis operatur*; necnon decima, quæ similiter habet: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum mere ut Cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. Ergo amor Dei mercenarius (quo magis nosmetipsos, quam Deum diligimus, cum Deum propter nos ipsos diligamus) non est vitiosus, sed bonus, ac supernaturalis; non secus ac timor servilis, quo a culpa abstinemus ob metum gehennæ: atque adeo non oportet in eo sensu nobismetipsis renunciare, ut non liceat ita nosmetipsos diligere, ut non possimus operari præcise ad obtinendum nobis æternum bonum, & ad declinandam æternam pœnam. Quod pariter definierat Trid. seff. 6. Can. 31. ubi habet: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit:* dixerat enim Lutherus in affert. articulorum contra Bullam Leonis X. aff. 6. *Contritio, quæ paratur per amissionem æternæ beatitudinis, facit hominem hypocritam, immo magis peccatorem*, quod pariter Calvinus docuerat; ut propterea Tridentinum anathematizarit, qui id assereret; passim quippe in Sacris Bibliis excitamur ad amorem virtutis spe remunerationis. Ad Coloff. 3. *Quodcumque facitis ex animo operamini sicut Domino, & non hominibus; scientes, quod a Domino accipietis retributionem hæreditatis*. Apoc. 2. *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ*. Ad Hebr. 11. *Majores divitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi; aspiciebat enim in remunerationem*. Idque passim etiam Patres commendant, ut ubi non movet nos ex nostra socordia pelagus divinæ bonitatis ad bene operandum, excitet nos amor proprius, ita ut recte operemur propter mercedem. Aug. in Ps. 14. *Non faciamus aliquid, nisi spe Cœlestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum*. Cyprianus ad Seagrium, & Rogatianum ita scribit: *Superventuræ charitatis gloriam cogitantes, pressuras omnes, & persecutiones calcare nos convenit*. Et Hieronymus in Ps. 118 *Propter retributionem vitæ æternæ, ut illam merear percipere*: Et lib. 1. contra Jovinianum advertit, ideo Paulum plus laborasse, ut majus præmium acciperet.

VI. Ratio a priori est, quia amor hic concupiscentiæ, quo quis se amat amando Deum sibi, & felicitatem æternam, non solum non est prohibitus, quin potius præceptus: ergo qui operatur ad acquirendum sibi tantum bonum, prudenter, & rite operatur; esto præstantiori modo se gereret operando ex amore Divinæ bonitatis, aut ordinando ad Dei gloriam beatitudinem ipsam, quam sibi concupiscit. Hac scilicet de causa Deus cœlestem gloriam bene operantibus repromisit, ut ejus spe ad bonum prosequendum impelleremur; atque adeo amor hic concupiscentiæ, quo quis seipsum diligit, desiderando Deum sibi, ac beatitudinem æternam, non est amor vitiosus, sed laudabilis, & a Deo præceptus potius, quam prohibitus.

VII. Neque obstat, quod Janseniani objectant, inordinatum esse, quod Deus ad creaturam referatur; qui autem propter gloriam cœlestem operatur, amando seipsum amore concupiscentiæ, Deum ad se ordinat, non se ad Deum, prout præstari debet per actum charitatis: ergo amor hic concupiscentiæ dicendus est prohibitus, non præceptus: unde oportet sibimetipsi renuntiare ad appropriandum sibi Christum per charitatem.

Nam contra est, quia non est inordinatum, quod majus bonum referatur ad bonum minus tanquam ad finem immediatum, & proximum, dummodo hoc ipsum sit referibile, & exercite referatur natura sua, & virtualiter ad Deum, tamquam ad finem ultimum. Aliter non potuisset Christus Dominus ordinare suam pretiosissimam passionem ad nostram salutem, nec possemus nos offerre Sacrificium ad obtinendum aliquid temporale, puta pluviam. Quamvis enim consultissimum sit, omnia deinde ad Dei gloriam, & ad finem ultimum ordinare ex affectu charitatis; at si quid non referatur actu, non per hoc desinit illud esse honestum, dummodo virtualiter saltem ad id referatur; poterit itaque detestatio peccati, & observantia Divinæ legis honeste referri actu ad obtinendam cœlestem gloriam ex amore concupiscentiæ suimet, dummodo hoc ipsum natura sua, atque adeo virtualiter, & exercite ad Deum referatur; quod fusius dicendum etiam in thesi 44. & 53.

VIII. Quod autem attinet ad renuntiationem terrenorum bonorum, quæ in hac thesi dicitur esse nobis necessaria, sciendum, fuisse hunc errorem Hæreticorum, qui dicebantur Apostolici, propugnantes, quod citra Apostolicam paupertatem nemo posset salutem consequi. Quod etiam docuerunt Pelagiani, ut videre est apud Augustinum Epist. 89. & 106. Nazianzenus pariter orat. p. contra Julianum refert, legem ad hoc statutam fuisse, ne Christifideles actionem ullam in judicio haberent ad se defendendum, quamvis bonis spoliarentur, eo quod in Evangelio præcipiatur, ne quicquam possideamus. Similiter ex Extravaganti 22. *Sancta Romana*, colligitur, Hæreticos, qui dicebantur *Fraticelli*, docuisse Christianis non licere habere aliquid proprium; qui tamen in eadem Bulla damnantur; & prius damnati jam fuerant a Bonif. VIII.

IX. Falsitas hujus hæresis ex eo convincitur, quia si ad salutem consequendam necessarium esset, ut homo quidquam proprium non possideat, & bonis omnibus terrenis renunciet, sequeretur, quod universa Ecclesia erraret, & fere omnes fideles essent in statu damnationis per hoc præcise, quod retineant dominium suorum bonorum; quod sanctitati Ecclesiæ, & veritati dissonat. Et ratio ulterior est, quia neque jure naturali necessaria est ad salutem renuntiatio bonorum temporalium, neque jure positivo Christi Domini: ergo simpliciter

non

non est necessaria. Probatur antecedens quoad primam partem, tum quia præceptum Decalogi de non furando est naturale, & ad honestatem morum necessarium; unde non potest esse contra legem naturalem id, quod essentialiter præsupponitur ad hoc decalogi præceptum, videlicet quod homo habeat aliquid proprium: Tum etiam quia jam ab orbe condito semper homines habuerunt proprias possessiones, ac divitias præsertim rerum mobilium; & tam in lege naturæ, quam in lege scripta multi, qui pietatem coluerunt, erant locupletissimi, ut Job, Abraham, David, Salomon; imo Deus terram promissionis tradens populo electo, eam missis sortibus inter tribus divisit: Tum demum quia divisio rerum, & proprietas dominiorum nec est contra justitiam, nec contra ullum naturale præceptum; quamvis enim Deus in Orbis terræ crepundiis dominia rerum non diviserit; sed omnia humano generi indiscriminatim concesserit dicendo Genes. 1. *Dominamini piscibus maris, & volatilibus Cœli, & universis animantibus, quæ moventur super terram;* Nihilominus neque ipse ut auctor naturæ præcepit, ut omnia sub communi, & libero hominum usu semper manerent, neque dictamini rationis dissonum fuit, quod rerum divisio fieret, & unusquisque aliquid proprium possideret; quinimo consentaneum id fuit in natura lapsa, & moraliter necessarium, ut sic possent homines induci ad agros excolendos, & ad alia munia ad vitam sustentandam necessaria. Quod si in statu innocentiæ posuit Deus Adam in Paradiso voluptatis, *ut operaretur, & custodiret illum*, ut dicitur Genes. 2. a fortiori voluit, ut post lapsum homo operaretur, & non esset otio tabescens, sicut tabesceret, si omnia essent communia; præsertim quia terra post peccatum maledicta spinas, & tribulos germinavit, ut in sudore vultus sui homo vesceretur pane suo, ut habetur in capite Geneseos laudato.

X. Probatur etiam secunda pars antecedentis, quod scilicet neque in lege Evangelica Christus D. fidelibus præceperit, ne quicquam proprium possiderent, sed bonis terrenis renunciarent. Quamvis enim Lucæ 19. dixerit: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*; hinc tamen non infertur, quod simpliciter voluerit omnes obligare ad renuntiandum omnibus, quæ possidentur, sed solum quod voluerit omnes ad id obligare, quando vel ad fidei defesionem, vel ad satisfaciendum præcepto charitatis, vel aliter in aliquo casu occurrente est necessarium; cum enim hoc præceptum non sit negativum obligans semper, & ad semper, sed affirmativum, quod obligat solum pro aliquo articulo necessitatis, ideo Christus D. solum præcepit suis discipulis, ut in similibus circumstantiis actu renunciarent omnibus bonis, & quod semper essent parati ad hanc renuntiationem, si casus necessitatis occurreret; ut docuit Augustinus exponens laudatum textum D. Lucæ epist. 1. & epist. 89. qu. 4., cui astipulatur Beda in Lucam, ubi distinguens inter relinquere omnia, & renunciare omnibus, habet: *Paucorum perfectorum est relinquere omnia, hoc est curas mundi postponere; cunctorum autem fidelium est renunciare omnibus, hoc est sic tenere omnia, quæ in mundo sunt, ut per ea non teneantur in mundo.* Et juxta hunc sensum interpretantur Sancti Patres verba consimilia Christi D. Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Non enim præcepit Christus D. discipulis suis, ut parentes semper odissent, sed solum ut odio haberent in iis circumstantiis, in quibus aliter Deo inservire non possent. Quinimo Augustinus epistol. 38. ad Lætum advertit, idem omnino esse præceptum Christi D. de renunciatione facienda omnium bonorum, ac de odio erga parentes, uxorem, & consanguineos; ut proinde eodem modo debeat utrumque præceptum explicari. Etenim Christus D. post latam illam sententiam, quod non posset esse suus discipulus, qui non odio haberet parentes, adhuc autem & animam suam conclusit: *Sic ergo omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*: quod propterea non est intelligendum de solis divitiis, & de bonis fortunæ, sed etiam de omnibus bonis, de quibus sermonem præmiserat, vid. de parentibus, consanguineis, ac de ipsa anima sua. Hæc sunt verba Augustini: *Prælocutio cum extrema conclusione concordat, in eo enim quod unusquisque renunciet omnibus, quæ sunt ejus, etiam illud continetur, ut oderit patrem suum, & matrem, & uxorem filios, & fratres, & sorores, adbuc & animam suam; omnia enim hæc propria ejus sunt, quæ plerumque implicant, & impediunt.*

XI. Adde, quod cum in Evangelio nomen discipuli Christi D. in duplici sensu usurpetur; aliquando enim significat quemcunque credentem, ut cum dicitur Joa. 8. *Si vos manseritis in sermone meo, vere discipuli mei eritis;* aliquando significat illos, qui in perfectione vitæ, & in renunciatione bonorum Christum imitantur; unde Lucæ 10. dicitur Christus designasse alios septuaginta duos, qui discipulorum nomine specialiter denotantur: quibus dixit, *Messis quidem multa, operarii autem pauci*; istos autem fuisse discipulos perfectionem sectantes ex eo colligitur, quod Matthæus cap. 9. dicat, Christum D. ea verba discipulis suis locutum fuisse; hæc enim habet: *Tunc dixit discipulis: Messis quidem multa*: Hac posita duplici significatione hujus nominis, dicendum, quod quando Christus Dominus dixit: *Qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus*, solum voluit indicare, quod sine tali renunciatione nemo potest perfectionem assequi, non vero quod sine illa nemo possit salutem adipisci; ut multi Patres advertunt apud Suar. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 2. Quinimo in hoc dumtaxat sensu Christum D. locutum fuisse constat ex eo, quod dixit Matthæi 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me:* diserte enim docet, renunciationem bonorum requisitam solum esse ad perfectionem, non ad salutem consequendam. Ubi adverte, quod in laudato Matthæi capite, & in capite decimo Marci refertur. Quidam adolescens ad Christum accedens ait illi: *Magister bone, quid boni faciam, ut vitam æternam habeam?* Cui Christus respondit: *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, Cum autem ille interrogaret, quænam mandata esset servaturus, ut posset ad vitam ingredi, Christus D. solum præcepta decalogi proposuit, nullatenus autem bonorum renunciationem. Ille vero advertens, quod omnia decalogi

præcepta servasset ab ineunte ætate, dixit: *Omnia custodivi a juventute mea, quid adhuc mihi deest?* Ad quod Christus D. respondit: *Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & veni, & sequere me.* Quare Christus D. observantiam mandatorum dixit necessariam esse, ut quis ad vitam ingrediatur; renunciationem vero bonorum non dixit esse necessariam ad salutem, sed solum ad perfectionem obtinendam. Ex quibus fit perspicuum, non esse ad rem expositionem hujus textus factam a Pelagianis apud Augustin. Epist. 89. qu. 4. dicentibus, quod verba illa, *Si vis perfectus esse*, idem sonent, ac, si vis, ut nihil tibi desit ad salutem; nam ipsemet adolescens interrogavit: *Quid adhuc mihi deest?* & Christus D. Marci 10. respondit: *Unum tibi deest*, non quidem ad salutem, sed ad perfectionem; aliter non distinxisset Christus D. illa duo, *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*: &, *Si vis perfectus esse, vade, & vende, quæ habes.*

XII. Opponitur id, quod Christus Dom. dixit Matth. 19. *Facilius est Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Cœlorum.* Quibus verbis videtur significari omnino necessarium esse ad salutem, ut bonis terrenis renunciemus.

Respondeo primo cum Suario loco laudato, his verbis noluisse significare Christum Dom. difficultatem, quam divites habent, ut salventur, sed solum difficultatem, quam habent, ut perfectionem assequantur. Quod patet ex contextu; etenim, ut habetur Marci 10. postquam adolescens dixit, a juventute servasse mandata, *Jesus intuitus eum, dilexit eum, ac dixit ei: Unum tibi deest; vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus.* Quare antequam venderet, quod habebat, & daret pauperibus, Christus intuitus eum dilexit eum, ut significaret non violasse præceptum ullum per hoc, quod nondum bona dedisset pauperibus. Constat deinde, quod spectet ad perfectionem tantum renunciatio bonorum; quia postquam Christus D. dixit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes;* adolescens, ut refert Evangelista, *Abiit tristis; erat enim habens multas possessiones.* Tunc autem Christus subdidit: *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum. Iterum dico vobis; facilius est, Camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum.* Quare Christus D. loquutus est de introitu in cœlum cum excellentia perfectionis; non enim fuerat illi adolescenti difficile servare mandata, cum ea a juventute servasset, non obstantibus divitiis; sed erat illi difficile vendere, quæ habebat, & ad perfectionem aspirare; & usqueadeo difficile, ut Christus exaggerando hanc difficultatem exemplo hyperbolico Cameli significaverit, contineri in hoc quandam impossibilitatem. Quod autem sit impossibile cum divitiis assequi perfectionem, non est mirum; At impossibile esse homines cum divitiis vitam æternam consequi, si affectum inordinatum erga illas deponant, est omnino falsum ex dictis. Proinde Christus D. solum significare voluit, quod necessaria sit bonorum renunciatio, ut intremus in regnum cœlorum cum excellentia perfectionis, non vero ut simpliciter salutem consequamur.

Respondeo secundo cum eodem Suario, transmittendo, quod voluerit Christus D. per exaggerationem illam significare moralem impossibilitatem intrandi in regnum cœlorum relate ad eos, qui divitias possident; non tamen idcirco hæc impossibilitas oritur ex eo, quod detur præceptum eas renunciandi, sed quia divitiæ impedimenta sæpe afferunt ad observantiam mandatorum; unde periculo damnationis divites sunt expositi, si affectum inordinatum erga illas non deponant; dixit enim Christus D. *Dives difficile intrabit in regnum cœlorum*, illud veluti inferens ex eo, quod adolescens ille abierit tristis ob amorem divitiarum. Quoniam autem *Auditis his discipuli mirabantur valde, dicentes, Quis ergo poterit salvus esse?* idcirco subdidit Christus Dominus, *Apud homines hoc impossibile est; apud Deum autem omnia possibilia sunt*: indicans virtute gratiæ per Christum expugnari moralem impossibilitatem ad bene operandum, quam divites experiuntur. Quod pariter significavit Apostol. 1. ad Timoth. dicens: *Divitibus hujus seculi præcipe, non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo (qui præstat nobis abunde ad fruendum) bene agere, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant veram vitam.* Ubi Apostolus pro certo habet, posse divites Divina gratia adjutos veram vitam apprehendere, si tamen non sint viri divitiarum, seu divitiis dediti, *sed divites in Domino*, prout loquitur Christus D. Lucæ 11. hoc est, si recte iis utantur, & citra vehementem affectum erga illas. Unde fit, non oportere, ut bonis terrenis homines renuncient, ut Christum sibi approprient. Qua de causa in Palæstina Synodo (ut notat Suar. de Grat. Proleg. 6. cap. 3.) objectum fuit Pelagio, quod in suis libellis edocuisset, *Divites baptizatos, nisi omnibus abrenuncient, si quid boni visi fuerint facere, non reputari illis, nec eos habere posse regnum Dei.* Quod damnare, & anathematizare compulsus est; itaque damnatus Pelagii error in hac thesi recuditur.

XIII. Dicet aliquis pro Quesnello, in hac thesi non doceri, quod bonorum terrenorum renunciatio necessaria sit, ut possimus aliquam fiduciam habere appropriandi nobis merita Christi, sed quod ea sit necessaria, ut possimus eam fiduciam, ac spem habere, quam habuit Apostolus.

Sed contra est primo, quia verba hujus thesis secundum germanum eorum sensum aliud non denotant, quam quod fiducia, ac spes salutis, seu appropriandi sibi merita Christi D. haberi non possit citra bonorum abrenunciationem; quod ostendimus esse falsum; cum ea neque jure naturali, neque jure positivo injungatur, sed solum cadat sub consilium, nullatenus sub præceptum, non secus ac cadit sub consilium v. gr. continentia; unde sicut erronee diceretur, oportere quod continentia servetur, ut possit haberi spes salutis; ita erronee dicitur oportere; quod bonis terrenis renunciemus, ut possimus animum erigere ad sperandam salutem. Contra secundo, quia falsum etiam est, necessariam esse bonorum renunciationem, ut possit haberi fiducia, ac spes in eo perfectionis gradu, in quo illam habuit Apostolus; quamvis enim bonorum renunciatio valde conferat ad salutem, & ad perfectionem assequendam; ea tamen non est simpliciter, & absolute necessaria.

ria. Quibus adde, commentitium esse, quod voluerit Quesnellus omnes invitare ad fiduciam habendam in eo sublimitatis gradu, in quo illam habuit Apostolus; solum contendit, quod illam pro virili imitemur; ad illam autem imitandam necessaria non est isthæc renunciatio; cum nec sit absolute necessaria ad perfectionem assequendam.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXXIII.

TRigesimatertia in eundem scopum collineat, dum docet oportere, ut bonis terrenis, ac sibimetipsi homo renunciet (sicut fecit Apostolus a Christo dilectus, & propter quem Christus tradidit semetipsum) ut possit habere fiduciam veluti appropriandi sibi ejus amorem, ac merita suæ passionis, ac mortis. Errat tamen primo, dum videtur docere, quod oporteat hominem esse dilectum a Deo, sicut fuit Apostolus, (atque adeo esse ex numero Electorum, prout erat Apostolus) ut verum sit, quod Christus morti se tradiderit propter ipsum; damnatur enim ab Innocentio X. tanquam falsa, scandalosa, temeraria, impia, blasphema, contumeliosa, divinæ pietati derogans, & hæretica, quinta illa thesis Jansenii sic intellecta, ut Christus pro salute duntaxat Prædestinatorum mortuus sit. Errat secundo, si velit, quod solum dilecti a Deo, & Electi, sicut fuit Apost., possint habere fiduciam sibi quodammodo appropriandi merita passionis, ac mortis Christi, ejusque amorem: Siquidem spes supernaturalis præcipitur etiam reprobis, & quidem etiamsi careant gratia sanctificante: quamvis enim desit his habitus charitatis, adhuc tenentur sperare, ac habere fiduciam in Christi meritis, quod peccata sibi remittantur, & salventur. Immo ad hunc finem amissa charitate remanent habitus supernaturales fidei, & spei, quoties peccata his virtutibus non adversantur, ut per auxilia ab his habitibus exigita elicere possint connaturaliter fidei, & spei actus; & sic se disponere ad spiritualem resurrectionem. Errat tertio, dum contendit oportere, ut homo renunciet sibimeptisi, in eo scilicet sensu, quod non liceat amore mercenario inservire Deo ad gloriam obtinendam; perinde quasi esset malus, & peccaminosus actus, quo quis ex amore concupiscentiæ erga se ipsum diligit Deum, illi inserviendo ad beatitudinem obtinendam; cum Tridentinum sess. 6. can. 31. anathematizet, qui dixerit, justificatum peccare, si intuitu mercedis æternæ bene operetur: ut proinde proscripta sit ab Alexandro Octavo thesis illa decimatertia, quæ habet: *Quisquis etiam æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu licet Beatitudinis operatur.* Errat denique quarto, dum contendit oportere, ut bonis terrenis abrenunciet, qui vult in albo Electorum ascribi; siquidem neque jure naturali, neque positivo retentio dominii erga propria bona prohibetur; ut propterea damnata fuerit a Bonifacio Octavo hæresis illorum, qui docebant, Christianis non licere habere aliquid proprium; non enim requiritur bonorum renunciatio ad salutem: sed solum ad perfectionem assequendam.

PROPOSITIO XXXIV.

Gratia Adami non producebat nisi merita humana. *Quesnel. 1. Jo. 16. & 2. Cor. 5. 21. edit. 1693.*

PROPOSITIO XXXV.

Gratia Adami est sequela creationis, & erat debita naturæ sanæ, & integræ. *Quesnel. 2. Cor. 5. 21. edit. 1699.*

SYNOPSIS.

I. Contendit Quesnellus, gratiam Christi Domini in statu naturæ lapsæ ita esse ab intrinseco efficacem, ut efficiat nos velle citra ullam cooperationem, & liberam voluntatis electionem, secus vero in statu naturæ innocentis.

II. Præmittimus explicationem diversorum Naturæ statuum, videlicet naturæ humanæ puræ, integræ, innocentis, & lapsæ.

III. In statu naturæ innocentis, seu justitiæ originalis plurima bona Protoparentibus collata fuerunt in ordine ad operationes salutares, quæ tamen non erant iis debita, ut contendit Jansenius cum Bajo; qui proinde docuerunt, Gratiam Adamicam produxisse merita humana.

IV. Quia scilicet ad illa ex Jansenio concurrebat ut determinans voluntas humana, non vero gratia; & ideo non erant Dei dona: contra vero merita in statu naturæ lapsæ docent esse Dei dona, quia ad illa concurrit gratia Christi medicinalis ut determinans.

V. Propterea Jansenius inter gratiam Adamicam naturæ innocentis, & gratiam Christianam naturæ lapsæ agnoscit discrimen essentiale, & non mere accidentale.

VI. Verum operationes salutares Adami, & Angelorum non fuisse merita humana (in quibus scilicet priores essent partes arbitrii, quam gratiæ) nec fuisse sequelam creationis, nec debita naturæ nondum per peccatum corruptæ, ex eo constat, quia aliter gratia non esset gratia.

VII. Quod ex Conciliis, & Patribus fit perspicuum.

VIII. Necnon ex Scholasticis adversus Heterodoxos.

IX. Quod multifariam rationibus etiam Theologicis conficitur.

X. Non repugnat status puræ naturæ, & ideo gratia non est sequela creationis.

XI. Visio beata naturæ etiam innocenti est indebita.

XII. Augustinus ideo diversimode loquitur de gratia in statu naturæ innocentis, ac in statu naturæ lapsæ, tum quia gratia post peccatum datur homini positive indigno; tum etiam quia post peccatum ad Gratiam obtinendam requiritur redemptio Salvatoris; tum demum quia ex meritis Christi Domini confertur nobis gratia uberior ad superandam vim concupiscentiæ effrænis. XIII. Hinc licet merita vitæ æternæ in utroque statu sint dona Dei, speciali tamen titulo sunt dona Dei in statu naturæ lapsæ. Unde utraque sunt merita supernaturalia; quamvis merita in statu innocentiæ ab Augustino tribus de causis appellentur merita humana.

I. EO collineat Auctor in his, & duabus aliis consequentibus Thesibus, ut evincat, gratiam,

tiam, quæ nobis per Christum datur, esse ab intrinseco efficacem, quæ facit nos velle citra ullam cooperationem, & liberam electionem voluntatis, prout adnotavimus in thesi vigesimaprima, & in aliis passim. Hinc docet, aliam fuisse gratiam Adamo collatam in statu innocentiæ, aliam esse gratiam collatam per Christum in statu naturæ lapsæ; illam fuisse *Adjutorium sine quo non*, seu gratiam sufficientem, cui poterat voluntas resistere; istam esse *Adjutorium quo*, cui voluntas obluctari non potest. Ad hoc conficiendum in altera harum thesium docet, Gratiam, seu facultatem ad diligendum Deum, & ad assequendam gloriam, non produxisse merita nisi humana, relate ad quæ humanum arbitrium haberet primas partes, non gratia; docet proinde, quod hæc facultas sit debita ipsi naturæ, & quod eatenus sit gratia, quatenus gratis collata fuerit Adamo natura, cui hæc facultas sit annexa. In altera vero apertius loquitur, dicendo, quod isthæc gratia, seu facultas ita gratis originaliter collata fuerit Adamo, ut ad illius creationem naturaliter consequeretur, eo quod naturæ sanæ, & integræ, necdum per peccatum corruptæ ea esset debita. Hinc diserte docet, statum puræ naturæ, seu naturæ neque per peccatum corruptæ, neque elevatæ ad finem supernaturalem omnino repugnare; si enim debita esset naturæ humanæ in Adamo gratia, seu facultas ad Deum diligendum, ac deinde facialiter fruendum, non indigeret ulla elevatione gratiæ supernaturalis ad assequendum hunc finem; Docetque pariter fuisse debitam naturæ ipsam integritatem, ac statum innocentiæ, in quo fuit conditus Adam.

Ut distinctius procedamus, præmittimus explicationem multiplicis status naturæ humanæ; unde appareat, in quo discreparit Bajus hac in re a sententia Catholica, & post Bajum Jansenius, & Auctor istarum thesium, qui totus est in promovendis erroribus Jansenii; sicut Jansenius eructabat errores Baji, & Bajus Calvini; esto aliis, aliisque phrasibus unusquisque utatur, ne videatur reponere theses jam proscriptas, quas tamen proculdubio propugnat.

II. Naturæ status ex Suar. tom. 1. de Gratia proleg. 4. sumitur a Theologis pro conditione, seu modo se habendi totius naturæ humanæ in ordine ad suum ultimum finem secundum legem Divinæ providentiæ. Communius in quadruplici statu consideratur natura humana; In statu naturæ puræ, in statu naturæ integræ, in statu naturæ innocentis, & in statu naturæ lapsæ, & reparatæ per Christum. Status naturæ puræ ex Suar. loco laudato duo importat, alterum de positivo, quod natura humana sit cum omnibus suis facultatibus naturalibus sibi debitis; alterum de negativo, quod nihil habeat indebitum, & non exigitum a natura, sive sit bonum, ut gratia supernaturalis, sive sit malum, ut peccatum. In hoc autem statu nunquam fuit natura humana, quia condita fuit cum gratia: & aliis donis supernaturalibus, quæ per culpam amisit; fuit tamen possibilis hic status, ut communissime Theologi docent, quia potuit Deus hominem condere sine donis supernaturalibus, & sine culpa; gratiam autem antonomastice dictam, qua scilicet homo possit consequi visionem Dei, esse omnino indebitam, apud Catholicos est inconcussum. Requireretur tamen in omnium sententia in statu puræ naturæ aliqua gratia ordinis naturalis, quatenus Deus non tenetur ita combinare causas secundas, ut hic, & nunc consurgat cogitatio congrua, qua ponatur actus bonus; unde quod ita causæ secundæ combinentur, beneficium indebitum est huic in particulari; quamvis universim toti naturæ debitum sit, quod aliquando ponantur actus honesti.

Status naturæ integræ, prout consideratur a Bajo, & Jansenio, & aliis Dogmatistis, non est aliud, quam ipsa natura pura non corrupta per peccatum, & prædita iis connaturalibus dotibus, quibus possit legem servare, & consequi finem ultimum: ut proinde non distinguat inter naturam puram, & integram. At prout consideratur a Theologis, fert, ultra perfectiones naturæ debitas, specialem quandam perfectionem, quæ consistit in carentia fomitis, & concupiscentiæ effrænis, seu in perfecta subjectione appetitus sensitivi ad appetitum rationalem; adeo ut caro non concupiscat adversus spiritum per motus aliquos indeliberatos, & vehementes, qui rationi adversentur, nec sentiamus in membris nostris aliam legem repugnantem legi mentis nostræ. Hanc perfectionem esse naturæ debitam docuit Bajus, & post illum Jansenius, ut proinde dicant pertinere ad statum naturæ puræ. Sed proscripta fuit a Pio V., & Gregorio XIII. thesis illa Baji 26. dicens: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.*

III. Status naturæ innocentis, seu justitiæ originalis complectitur non solum perfectiones proprias naturæ puræ, & integræ, sed etiam alia privilegia, quibus Protoplastæ fuerunt a Deo donati, & quæ etiam nobis Deus donasset, nisi Adam peccavisset: ea sunt, præter gratiam sanctificantem, quæ dat jus ad beatitudinem supernaturalem, seu ad visionem beatam indebitam naturæ, Primo immunitas a morte, juxta illud Sapien. 2. *Deus creavit hominem inexterminabilem; invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum*; & Deus comminatus fuit mortem Adamo, si peccasset, dicens Gen. 2. *De ligno autem scientiæ boni, & mali ne comedas, in quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris;* quatenus scilicet ad mortem disponebatur. Secundo immunitas a mortis vestigiis, seu a doloribus, & ærumnis, quæ in natura pura, & integra esse possent. Tertio fuit Adam instructus scientia rerum naturalium illi statui consentanea, quæ fuit infusa per accidens: de iis enim dicitur Eccles. 17. *Disciplina intellectus replevit illos; creavit illis scientiam Spiritus, sensu implevit cor illorum, & mala, & bona ostendit eis:* Instructus fuit pariter fide, & notitia rerum supernarum infusa per se; siquidem ex Apostolo ad Hebr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & inquirentibus se remunerator sit:* Et similiter voluntas prædita fuit tam virtutibus naturalibus per accidens infusis, quam supernaturalibus per se infusis, ut possit actus exercere, quibus ad finem supernaturalem consequendum disponeretur. Quarto virtutum istarum beneficio, & speciali providentia Dei pars superior ita fuit bene disposita, ut careret cupiditatibus, & affectibus inordinatis, quæ rationi repugnarent, ac difficile redderent virtutum exercitium. Quinto pars inferior fuit plene subjecta superiori, ita ut motus appetitus sensitivi subjicerentur appetitui rationali, nec ipso invito consurgerent. In quibus omnibus convenit Jansenius cum communissima Theologo-

logo-

logorum: discrepat solum in eo, quod doceat, aliter creari non potuisse Adamum, quam cum gratia, ac reliquis donis, putans creaturam rationalem non posse, nisi in pœnam peccati, esse sine gratia sanctificante, & obnoxiam morti, ac mortis vestigiis; Et juxta hunc errorem procedunt hæ theses, in quibus dicitur, gratia Adami non produxisse, nisi merita humana, orta scilicet principalius a facultate arbitrii, quam a gratia; & quod gratia ista Adami sit sequela creationis, ac debita naturæ sanæ, & integræ: Quod tamen proscriptum jam fuerat in 21. ex thesibus Baji, quæ habet; *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium Divinæ naturæ debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, & non supernaturalis?* Necnon in 14. ubi dicitur: *A vanis, & otiosis hominibus secundum insipientiam Philosophorum excogitata est sententia, quæ ad Pelagianismum rejicienda est, hominem ab initio sic constitutum, ut per dona naturæ superaddita fuerit largitate Conditoris sublimatus, & in Dei Filium adoptatus.*

IV. Verum quidem est, quod juxta mentem Jansenii ad merita Adami, & Angelorum in statu innocentiæ influxerit etiam gratia: at quia determinatio ad actum bonum habebatur a voluntate humana, idcirco ea merita vocat humana, sicut dum concurrit habitus naturalis, & voluntas ad actum, talis actus dicitur esse a voluntate potius, quæ determinat ad illum, quam ab habitu, qui determinatur ad operandum. In statu autem naturæ lapsæ, quia determinatio ad actum bonum est a gratia irresistibili, idcirco merita ista vocat merita gratiæ, & dona Dei. Hæc enim habet lib. 2. de Gratia Christi cap. 9. *Verissime propriissimeque justitia hominis justitia humana, meritum humanum phrasibus Augustini nuncupari debet*: Et cap. 15. docet, *Non esse satis, quod gratia habitualis, aut qualibet actualis influat in meritum, ad hoc ut istud meritum sit donum Dei, & non meritum liberi arbitrii, & humanum ab Augustino damnatum, sed quod debeat esse gratia actualis dans operationem, & meritum*. Ac denique concludit: *Ad merita Adami, & Angelorum concurrisse gratiam habitualem, extra controversiam est; immo & actualem influxum apertissime, certissimeque Augustinus docet; & tamen illa fuisse merita humana, non data, fuisse merita liberi arbitrii, non dona Dei, tradit*. Catholici tamen docent, quod merita tam Adami, quam nostra sint dona Dei, quia in illis potiores partes sunt gratiæ, quamvis arbitrium determinet; sicuti potiores partes relate ad victoriam sunt Ducis, quam militis, quamvis miles determinet ad pugnandum, quia Dux dirigit, suadet, præcipit, subministrat arma: sic in homicidio potiores partes sunt mandantis, quam sicarii exequentis illud: & a fortiori in casu nostro potiores sunt partes gratiæ, quam arbitrii, ut explicavimus in thesi decima, & vigesimaquarta.

V. Ex his autem Jansenii, & Calvini Erroribus descendunt deinde duæ aliæ theses, quæ proxime consequuntur, in quibus assignatur discrimen essentiale inter gratiam in statu innocentiæ, & in statu naturæ lapsæ, quod scilicet gratia illa reciperetur in Adamo, & esset ei proportionata per hoc, quod operaretur ad determinationem arbitrii; hæc vero recipiatur in persona Christi resuscitati, cui nos sumus uniti, & in illo nos sanctificet; sitque omnipotens, & cui voluntas humana resistere non potest; unde arbitrium operatur ad determinationem illius. Quod spectat ad nos errores, dicemus in sequenti, & non semel diximus, gratiam istam Jansenianam libertatis eversivam esse inventum Heterodoxorum, nec esse dignam Filio Dei; unde nullatenus dari saltem quoad hoc in sententia Catholica discrimen essentiale inter utramque gratiam, sed utramque cohærere cum nostra libertate, prout toties definitum est. Nunc adversus duas theses præsentes ostendendum, quod gratia Adami non possit dici sequela creationis, & debita naturæ humanæ non corruptæ per peccatum; nec possit dici, quod producebat merita humana, (in quibus scilicet potiores essent partes arbitrii, quam gratiæ) sed merita, quæ sunt donum Dei, non secus ac merita naturæ lapsæ, quamvis utraque procedant ex libera voluntatis determinatione, & non ex determinatione orta a gratia, ut contendit Quesnellus, & ante ipsum Jansenius.

VI. Et sane quod creatio ita sit donum Dei gratuitum, ut non possit dici gratia Theologica antonomastice dicta, vi cujus ordinamur ad gloriam, non potest in controversiam revocari. Nam adversus Pelagium definitum est, quod ad operationes salutares necessaria sit gratia, nec tamen Pelagius negabat gratis nobis collatam fuisse creationem, & facultatem ad operationes honestas jure creationis debitam. Quare gratia ad operationes salutares non est sequela creationis. Quod si ea deberetur naturæ sanæ, & integræ, deberetur etiam naturæ per peccatum corruptæ, post peccatum omnino remissum per baptismum; unde posset homo nunc naturaliter exercere actus fidei, spei, & charitatis sicut oportet ad sanctificationem, quod est contra Concilium Arausicanum, necnon contra Milevitanum can. 5. & Trident. sess. 6. can. 3. ubi anathematizatur, *qui dixerit, sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratiæ conferatur*. Sequela autem probatur, quia licet natura integra careret rebellione partis inferioris ad superiorem, quam nunc patitur natura corrupta; at non semper ista rebellio viget in nobis, ut constat experientia; atque adeo saltem quando ista non viget, possent illi actus saltem remissi exerceri, sicut oportet ad justificationem consequendam; cum tamen certum sit apud Catholicos, actus salutares non posse a nobis exerceri citra gratiam indebitam jure creationis, quæ antonomastice dicitur Gratia; & dicitur Gratia Theologica, quatenus cadit sub Theologicam considerationem; ubi gratia debita jure creationis est solum Gratia Philosophica. De illa quippe gratia Apostolus dixit ad Rom. 5. *Gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro*. Nec solum excluditur a tali gratia quæcumque exigentia illius physica, sed etiam moralis orta a meritis naturalibus, ut docet idem Apostolus dicens ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus, alioquin gratia jam non est gratia*. & ad Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum*.

Hinc Ezech. 15. dicitur: *Quid fiet de ligno vitis? etiam cum erat integrum, non erat aptum ad opus; quanto magis cum illud ignis devoraverit, & combusserit, nihil ex eo fiet operis?* Quæ verba in sensu lite-

literali Hieronymus intelligit de Civibus Hierosolymitanis; in sensu vero spirituali de natura humana, quæ sine adjutorio gratiæ nihil operari poterat conferens ad vitam æternam, etiam cum esset integra. Quod similiter docuit Arausicanum can. 19. ubi habet: *Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo seipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret. Unde cum sine gratia Dei salutem non posset custodire, quam accepit, quomodo sine Dei gratia poterit reparare quod perdidit?* Quare Concilium ex necessitate gratiæ debitæ naturæ in statu integritatis arguit ad necessitatem ejusdem gratiæ in statu naturæ lapsæ, ut proinde in utroque statu merita nostra sint donum Dei, quamvis sint etiam merita nostra, per hoc quod libere nos gratiæ cooperemur.

VII. Confirmatur auctoritate Patrum, & Scholasticorum. Augustinus in Enchir. cap. 106. loquens de natura ante peccatum habet: *Sine gratia tunc nec ullum meritum esse potuisset, quia etsi peccatum in solo arbitrio erat constitutum; non tamen justitiæ habendæ, vel retinendæ sufficiebat liberum arbitrium, nisi participatione immutabilis boni divinum adjutorium præberetur.* Et lib. de corrept. & Grat. cap. 51. *Nec ipsum ergo Deus esse voluit sine sua gratia, quem reliquit in ejus libero arbitrio; quoniam liberum arbitrium ad malum sufficit; ad bonum autem parum est, nisi adjuvetur ab omnipotente bono. Quod adjutorium si homo ille per liberum non deseruisset arbitrium, semper esset bonus: sed deseruit, & desertus est. Tale quippe erat adjutorium, quod desereret, cum vellet, & in quo permaneret, si vellet. Hæc est prima gratia, quæ data est primo Adamo.* Quid luculentius dici potest ad significandum, quod natura humana in statu innocentiæ indigebat gratia ad salutariter operandum, & ad perseverandum in bono, qua tamen non indigebat ad amplexandum malum? constat itaque quod gratia illi collata non fuerit sequela creationis, nec ejus merita fuerint humana, sed dona Dei. Hanc gratiæ necessitatem ad salutariter operandum etiam in statu naturæ innocentis inferunt communissime Patres contra Pelagium, & Massilienses ex illo Apost. 1. Corinth. 4. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* siquidem hoc testimonium Apostoli æque comprehendit opera salutaria naturæ lapsæ, ac integræ, ut diserte ostendit Divus Anselmus lib. de Casu Diaboli cap. 1. cujus titulus est: *Quod etiam ad Angelos dicatur, Quid habes, quod non accepisti?* & D. Bernardus serm. 1. de Annunc. 1. habet: *De bonis operibus certum omnino est, quod nemo habeat a seipso: Nam si stare non potuit humana natura adhuc integra, quanto minus poterit per seipsam resurgere jam corrupta!* ubi supponit Mellifluus necessitatem gratiæ in statu naturæ integræ tanquam omnino certam, & inde infert necessitatem gratiæ in statu naturæ lapsæ ad salutariter operandum. Et Serm. 22. in Cant. ascribit Angelorum perseverantiam auxilio gratiæ, non minus quam gratiæ debet homo suam resurrectionem a peccato, dicens: *Qui erexit hominem lapsum, dedit stanti Angelo, ne laberetur, sic illum de captivitate eruens, sicut istum a captivitate defendens; Et hac ratione fuit æque utrique redemptio, solvens illum, & servans istum.*

VIII. Quod attinet ad Scholasticos, quorum doctrina magis consulenda esset, quam Jansenii, Calvini, & Lutheri, communissime docent, non repugnare statum puræ naturæ, in quo homo per suas operationes honestas, quas ponere potuisset beneficio gratiæ Philosophicæ, quæ esset sequela creationis, non posset mereri, nec consequi beatitudinem supernaturalem, seu visionem Dei, sed solam beatitudinem naturalem, consistentem in cognitione abstractiva Dei valde intensa, & dilectione, ac fruitione Dei consentanea; ad quam duntaxat homo, & Angelus aspirare potuissent destituti auxilio gratiæ Theologicæ. Angelicus quæst. 4. de malo art. 1. habet: *Carentia divinæ visionis dupliciter competit alicui: Uno modo sic, ut non habeat in se, unde possit ad Divinam visionem pervenire; & sic carentia Divinæ visionis competeret ei, qui in solis naturalibus esset absque peccato; sic etiam carentia Divinæ visionis non esset pœna, sed defectus consequens omnem naturam creatam, &c.* Scotus pariter in 2. dist. 28. habet: *Potuit aliquis esse in paris naturalibus tam sine gratia, quam sine culpa.* Similiter Suarez Proleg. 4. de Gratia c. 1. Vasquez in p. 2. disp. 185. c. 12. Bellarm. de Grat. primi hom. c. 1. & alii passim.

IX. Accedunt demum rationes Theologicæ. Primo quidem, quia actus salutares meritorii gloriæ in omnium Catholicorum sententia sunt intrinsece supernaturales in natura lapsa: ergo etiam in statu naturæ integræ: siquidem Sacri Scriptores, & Patres de utriusque actibus eodem modo loquuntur, & justitia habitualis utriusque status est ejusdem speciei; ergo tam in statu naturæ lapsæ, quam in statu naturæ sanæ, & integræ requiritur gratia Theologica, & supernaturalis, quin sufficiat gratia Philosophica, quæ est sequela creationis ad hos actus eliciendos; ac proinde Gratia Adami non producebat merita humana, quæ originaliter deberentur naturæ humanæ, sed merita, quæ essent dona Dei; non secus ac sunt dona Dei merita producta a gratia in statu naturæ lapsæ.

Secundo, quia visio beata sive ponatur a natura integra, sive a natura lapsa, & reparata, haberi nequit absque lumine gloriæ supernaturali elevante, & confortante intellectum ad Deum videndum, prout ex Concilio Viennensi in Clementina *Ad nostrum* de Hæreticis, ut communiter docent cum Angelico p. 1. quæst. 12. art. 5. ergo nec actus meritorii talis visionis possunt haberi, nisi a gratia supernaturali, tam in natura sana, quam in natura lapsa. Consequentia sequitur, quia medium, & finis, nempe meritum, & præmium spectant ad eundem ordinem; aliter non diceretur 1. ad Timoth. 6. quod *Deus lucem habitet inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, idest viribus naturæ debitis.

Tertio demum, quia ex doctrina Ecclesiæ contra Pelagium gratia Theologica in natura lapsa est simpliciter necessaria ad actus salutares; ergo etiam in natura sana. Probatur consequentia, quia si natura ante peccatum posset absque gratia Theologica salutariter operari, post peccatum ea non esset necessaria ad posse simpliciter, sed solum ad facile posse salutariter operari; tum quia post peccatum integræ remanserunt vires naturales hominis & Angeli, ut expresse docet D. Dionysius, & cum eo Theologi communiter; imo Angelicus l. 4. contra Gentes c. 52. asserit hanc doctrinam

esse

esse de fide; tum etiam quia concupiscentia, quæ post peccatum inclinat in objectum turpe, reddit solum difficiles, non impossibiles physice operationes honestas, quas poterat natura ponere ante peccatum. Ex quibus omnibus fit, repugnare, tum quod gratia Adami produxerit merita humana, quæ scilicet potius arbitrio debeantur, quam gratiæ, nec sint dona Dei, sicut merita, quæ producuntur a gratia in statu naturæ lapsæ; tum etiam, quod gratia Adami fuerit sequela creationis, & debita naturæ sanæ, ac integræ. Hinc proscripta fuit septima illa Baji thesis dicens: *Primi hominis integri merita fuerunt primæ creationis munera, sed juxta modum loquendi Scripturæ Sacræ non recte vocantur gratia; quo fit, ut tantum merita, non gratia debeant nuncupari.*

X. Opponitur primo ex Jansenio lib. 2. cap. 1. ubi nititur probare, quod creatura rationalis non possit a Deo condi sine gratia, hoc est sine facultate ad Deum diligendum in hac vita, ut eo frui possit in alia; ut proinde repugnet status puræ naturæ, & gratia in statu innocentiæ, quæ sit sequela creationis, & producens merita humana orta ex libertate arbitrii, & non ex mero dono Dei: Et hujusmodi contendit esse merita in statu naturæ lapsæ: in quibus nullas partes habet arbitrium, sed solum conceduntur nobis a gratia, quam vocat omnipotentem, & dignam Filio Dei, & quam putat essentialiter differre a Gratia Adami, de qua multa dicit lib. 3. de lib. arb. cap. 13. & 20. ad ostendendum, quod licet ea sit naturalis, quatenus est sequela creationis, adhuc tamen possit dici supernaturalis, & excedens vires naturæ, & hac ratione gratia, quatenus omnino gratuito Deus creat creaturam rationalem ordinatam ad Deum videndum, quin possit per vires naturæ creatura ista condi ad hunc sublimissimum finem ordinata. Ubi revera solum docet, quod sit gratia in eo sensu, in quo a Pelagio non negabatur requiri gratiam ad operationes salutares, qui, ut diximus, damnatus est ab Ecclesia. Sed hoc omisso, sic ratiocinatur ad rem nostram.

Creatura rationalis non potest a Deo condi, nisi recta, & bona; non potest autem esse recta, & bona, quin simul possit natura sua Deum diligere, ac Deo frui; ergo repugnat creatura rationalis non ordinata ad Deum diligendum, & videndum, seu quæ sit in statu puræ naturæ. Major liquet, quia si creatura rationalis conderetur mala, seu cum culpa, Deo hæc imputaretur, ac Deus esset illius auctor. Minor probatur, quia unumquodque eatenus dicitur bonum, quatenus est aptum ad finem suum; neque enim gladius v. g. quamvis sit aureus, dicitur bonus, si non sit aptus ad feriendum, nec serra dicitur bona, si non sit apta ad secandum: finis autem creaturæ rationalis est Deum ex toto corde diligere, ac eo frui; ergo ut creatura rationalis sit bona, debet posse natura sua ad hunc finem tendere. Est quippe natura rationalis imago divinitatis, & idcirco tam immensæ capacitatis, ut nullo alio bono satiari possit, ac beari, nisi ipsa Dei immensitate, ut loquitur August. lib. de natura boni cap. 7. & lib. 4. de Trin. cap. 8. Ex alia parte impossibile est, ut creatura tanto bono fruatur, nisi hoc per magnam gratiam Deus illi largiatur; siquidem vera Dei dilectio, etiam ut Auctoris naturæ, excedit vires naturales, ut proinde nec ipsa beatitudo naturalis, quam Platonici reponebant in contemplatione, & fruitione Dei, teste Augustino lib. 10. de Civit. c. 6. sine gratia obtineri posset, ut idem Augustinus affirmat lib. 14. de Trin. c. 9. & lib. 10. de Civit. c. 29. Quare si nec beatitudo naturalis sine gratia propter infirmitatem virium humanarum comparari potest, sequitur, creaturam rationalem condi non posse a Deo sine gratia, seu in statu puræ naturæ; ac proinde Adamum conditum fuisse cum gratia, quæ tamen solum fuit sequela creationis, qua posset Deum diligere, ac tandem eo frui.

Confirmat id Jansenius cap. 3. & 9. quia visio Beata (quam Catholici omnes docent esse beatitudinem supernaturalem) negari non potest creaturæ rationali innocenti citra injustitiam; siquidem ea misera esset, si beatitudinem istam, quam valde exoptat, obtinere non posset; Deus autem citra injustitiam condere non potest creaturam, quæ sit in perpetuum misera, non præsupposita illius culpa aut originali, aut personali, ut docet Aug. lib. 3. contra Julian. c. 3. qui etiam lib. 1. c. 18. adversus Pelagianos contendit, quod Deus non posset citra injustitiam negare parvulis adoptionem filiorum, si absque peccato originali nascerentur, ut ipsi somniabant; ergo ut prius.

Respondetur tamen, duplicem dari beatitudinem, alteram naturalem sitam in cognitione Dei abstractiva consentanea meritis uniuscujusque, & in dilectione ad illam consequente; alteram supernaturalem sitam in visione clara Dei, ac ejusdem fruitione. Ad illam fertur creatura rationalis appetitu innato: ad istam vero solum appetitu elicito, seu actuali desiderio respiciente bonum naturaliter indebitum. Prioris beatitudinis habet exigentiam naturalem; posterioris vero solum capacitatem obedientialem: cum sit bonum cuicumque creaturæ existenti, & possibili indebitum; eo quod ex Apostolo *Deus lucem habitet inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, nec videre potest*, nisi adjutus lumine gloriæ prorsus indebito. Hinc ad argumentum Jansenii concedimus, creaturam rationalem non posse a Deo condi non rectam, & sine exigentia naturalis tantum beatitudinis, quam viribus naturalibus posset assequi. Et quamvis ad Deum diligendum, & ad beatitudinem naturalem assequendam requireretur aliqua gratia, ea esset ordinis naturalis, spectans ad naturalem Dei providentiam, quatenus ita combinaret causas secundas, ut hic & nunc consurgat cogitatio congrua, ad quam libere Dei dilectio consequatur; unde Dei dilectio non excedit vires naturales. Solum quippe excedit vires naturales Dei dilectio salutaris, quæ sit meritoria beatitudinis supernaturalis; proscripta siquidem est tam propositio 32. Baji dicentis; *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia, ad illudendum sacris literis, & plurimis veterum testimoniis excogitata*; quam 33. quæ habet: *Amor naturalis, Dei scilicet, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus*. Mirum autem est, quod post tam solemnes proscriptiones Jansenius iterum eosdem errores reponat, (esto ab iis censuris abstineat) iterumque Quesnellus in iis fundamentis plane dirutis machinam suam extollat.

XI. Ad

XI. Ad confirmationem, cum visio beata, seu beatitudo supernaturalis sit omnino indebita, citra injustitiam posset illa a Deo denegari; nec creatura rationalis ea in perpetuum carens esset misera, sed omnino felix, si beatitudinem naturalem obtineret, quam solum appetit appetitu innato; propterea damnata est propositio illa XI. Baji dicentis: *Quod pie, & juste in hac vita mortali conversati vitam consequimur æternam, id non proprie gratiæ Dei, sed ordinationi naturali statim initio creationis constitutæ justo Dei judicio deputandum est; neque in hac retributione bonorum ad Christi meritum respicitur, sed tantum ad primam institutionem generis humani, in qua lege naturali constitutum est, ut justo Dei judicio obedientiæ mandatorum vita æterna reddatur.*

Neque dicas, quod solum post culpam requiratur gratia Dei ad Deum videndum, non vero in statu naturæ innocentis. Nam lex ista naturalis, ut obedientiæ mandatorum secundum se rependatur vita æterna, seu visio Dei, est contra mentem sanctorum patrum, & Ecclesiæ. Hinc Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 6 habet: *Videri Deus humano visu nullo modo potest, sed eo visu videtur. quo jam qui vident, non homines, sed ultra homines sunt.* Quando autem Augustinus dicit, quod citra injustitiam denegari non posset Dei visio infantibus, si absque originali nascerentur, loquitur in præsenti providentia, & supposita elevatione ad finem supernaturalem, ad quem cæteroqui poterant non elevari; ea enim posita non possunt, nisi per peccatum, excludi a regno Dei: unde Christus Dominus Matth. 5. dixit: *Beati mundo corde* (hoc est immunes a culpa) *quoniam ipsi Deum videbunt.*

XII. Opponitur secundo id, quod Augustinus docet lib. de correpr. & gratia cap. 11., ubi distinguit inter operationes salutares in statu naturæ innocentis, & in statu naturæ lapsæ; illas dicit esse meritum gloriæ, & gloriam dicit esse mercedem talis meriti; istas vero dicit esse donum gratiæ, ergo in statu innocentiæ requiritur quidem gratia ad merendam gloriam, non tamen gratia indebita jure creationis, & quæ sit merum donum Dei, sed gratia, quæ producat merita humana. Hæc sunt verba Sancti Doctoris, loquentis de vita æterna respondente meritis primi hominis, & Angelorum: *Quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis, merces præmii; nunc autem per peccatum, perdito bono merito, in iis, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Confirmatur primo, quia August. de Prædest. Sanctorum cap. 15. diserte videtur docere, quod gratia Adamica nonnisi merita humana produxerit, quæ tamen per lapsum Protoparentis omnino perierunt; hæc enim habet: *Sicut prædestinatus est ille unus, ut caput nostrum esset; ita multi prædestinati sunt, ut membra ejus essemus. Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Christum Dominum nostrum.* Ex quibus verbis inferunt Janseniani, merita in statu naturæ innocentis fuisse ex gratia relinquente libertatem ad peccandum, & quæ esset naturæ sanæ debita, & sequela creationis; merita vero in statu naturæ lapsæ esse ex gratia medicinali indebita, ac determinata ad bonum; unde sint dona Dei, quippe quæ profluunt a gratia citra libertatem indifferentiæ ad illi resistendum.

Confirmatur secundo ex eodem Augustino, qui loquens de meritis Adami lib. de correpr. & grat. c. 12. habet: *Unde autem non glorietur caro, nisi de meritis suis? Quæ quidem potuit habere, sed perdidit; & per hoc quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc est, per liberum arbitrium: propter quod non restat liberandis nisi gratia Liberantis.* Quare Adam per liberum arbitrium, quod sibi connaturaliter debetur, habere potuisset merita; contra vero in natura lapsa non habentur merita, nisi per gratiam Redemptoris; atque adeo gratia requisita in statu innocentiæ est sequela creationis, non gratia Redemptoris.

Respondetur, Augustinum non negare, quod in statu innocentiæ gloria, quæ esset merces meritorum, esset etiam in sua radice gratia omnino indebita naturæ jure creationis; sicuti non potest negare, quod vita æterna sit etiam merces meritorum in natura lapsa; dicit enim epist. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.* Ratio autem, quare Augustinus diversimode loquatur de gratia collata in statu innocentiæ, ac de ea, quæ confertur in natura lapsa, vocando illam mercedem, & hanc donum, est multiplex, ut dicemus in thesibus immediate sequentibus, agentes de discrimine inter utramque gratiam. Prima est, quia in statu naturæ lapsæ gratia datur homini positive indigno per peccatum, & ideo est specialissimo titulo gratia, & donum Dei: unde Augustinus in Enchir. cap. 106. dicit: *Sed post illam ruinam major est misericordia Dei, quando & ipsum liberum arbitrium liberandum est a servitute, cui dominatur cum morte peccatum.* Secundo, quia ad vitam æternam consequendam post peccatum requiritur redemptio, quæ absque virtute Hominis Dei haberi non potest: quare virtus hæc redemptiva, quæ in natura lapsa est necessaria, est gratia longe præstantior, quam gratia collata Adamo ante culpam ad gloriam adipiscendam. Quod explicavit Augustinus lib. de correpr. & gratia cap. 11. dicens: *Nunc potentiori gratia indigent isti: & quæ potentior, quam Dei unigenitus Filius æqualis Patri pro eis homo factus, & sine ullo vel originali, vel proprio peccato ab hominibus peccatoribus crucifixus?* Tertio, quia in natura lapsa confertur ex meritis Christi gratia uberior ad superandam concupiscentiam, quæ bonis operibus contradicit, & repugnat; quæ repugnantia non habebatur in statu innocentiæ. Quod pariter docuit Augustinus loco laudato dicens: *Ille non opus habebat hoc adjutorio, quod implorant isti cum dicunt: Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, quoniam in eis caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem; atque tali certamine laborantes, ac periclitantes, dari sibi pugnandi, vincendique virtutem per Christi gratiam poscunt. Ille vero nulla tali rixa a seipso adversus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* His igitur de causis ab Augustino vita æterna dicitur esse facta donum gratiæ post lapsum Adæ, quæ ante peccatum primis hominibus futura erat merces meriti.

Ad primam Confirmationem, ex contextu satis colli-

colligitur, quod Augustinus ibi solum contendat, nulla esse de facto in nobis merita ad primam gratiam obtinendam, eo quod per lapsum Adæ e statu gratiæ exciderimus. Ratio autem, cur Sanctus Doctor merita supernaturalia in statu naturæ innocentis appellet merita humana, non est, ut contendunt Janseniani, quia in eo statu erat debita naturæ gratia actualis, sub qua ponerentur; adeo ut repugnet status puræ naturæ, (quæ scilicet tam peccato careat, quam gratia) neque ex eo, quod in statu naturæ innocentis relate ad merita supernaturalia potiores essent partes arbitrii se determinantis ad bonum, quam gratiæ, quæ ab arbitrio determinabatur ad merita causanda; non secus ac habitus naturalis a voluntate determinatur ad influendum in actum: utrumque enim est commentitium, & a Catholica doctrina discrepans: Sed vocantur merita humana primo, quia supposito illo gratuito decreto de elevanda natura humana ad finem supernaturalem, erat homini debita gratia, qua posset mereri gloriam. Quia vero per peccatum Protoparentis etiam posteri ex illo felici statu exciderunt, idcirco in statu naturæ lapsæ omnino gratis confertur nobis gratia ad gloriam promerendam præcise ex meritis Redemptoris, juxta illud Apostoli ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Jesu*: & propterea Augustinus dicit, merita illa humana per Adam periisse, & solum regnare nunc gratiam per Christum. Secundo ea merita dicebantur humana, quia gratia, sub qua ponebantur, non præsupponebat in homine positivam indignitatem, sicut præsupponit gratia, quæ confertur in statu naturæ lapsæ; quare merita in statu naturæ innocentis dicebantur humana, quamvis essent supernaturalia, quia non indigebant divina Christi Domini redemptione, qua homines liberarentur a reatu culpæ, ratione cujus erant positive indigni; quia tamen hac redemptione indigent merita in statu naturæ lapsæ, ut divinæ justitiæ satisfiat, ideo merita nunc dicuntur esse Dei dona. Denique merita supernaturalia in statu naturæ innocentis humana dicuntur, quia tunc erant homini consentanea sub eo gradu gratiæ, quæ juxta ordinem providentiæ conferebatur. Cum autem per lapsum Adæ natura humana subjecta sit concupiscentiæ, ac dæmonis dominatui, ideo indiget uberioribus gratiæ auxiliis per Christi merita conferendis ad victoriam reportandam; & hac de causa in statu naturæ lapsæ dicitur gratia regnare per Christum, qui Jo. 10. dicit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.*

XIII. Ad secundam confirmationem; In utroque statu naturæ innocentis, & lapsæ possunt haberi merita in ordine ad gloriam ratione gratiæ; & in utroque statu amittitur gratia, & amittuntur merita per liberum arbitrium: post lapsum tamen speciali modo requiritur gratia per Christum, ut possimus mereri gloriam: tum quia debet nos liberare a servitute peccati; unde requiritur Incarnatio necessaria ad hominis redemptionem, & liberationem; tum etiam quia habetur positiva indignitas in subjecto ratione culpæ: tum demum quia ad superandam repugnantiam concupiscentiæ effrænis requiritur gratia uberior, quam in natura innocente. Et ideo licet in utroque statu requiratur gratia ad merendam gloriam; in statu tamen naturæ lapsæ requiritur speciali titulo gratia, quæ sit gratia Liberatoris, seu ordinata ad liberandum hominem a culpa; quæ non requiritur in statu naturæ innocentis. Hinc Augustinus sæpe merita naturæ lapsæ vocat dona Dei, non quia non sunt etiam dona Dei merita naturæ innocentis, sed quia speciali titulo ea sunt dona, & ratione positivæ indignitatis in subjecto, & ratione Incarnationis necessariæ ad redimendum, & liberandum hominem a servitute peccati, & ratione infirmitatis ortæ a concupiscentia soluta, ad quam superandam requiritur major gratia, quæ reddat moraliter possibilem victoriam tentationum; quod mox iterum dicemus excludendo discrimen essentiale, quod Janseniani communiscuntur inter gratiam Adami in statu innocentiæ, & gratiam Christianam in statu naturæ lapsæ.

Advertendum tamen primo, proscriptam fuisse illam Baji propositionem: *Nec Angeli, nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur Gratia*; necnon alia, quæ habet: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, non gratia.* Quare tam merita Adami, quam felicitas his meritis debita, dicenda sunt gratiæ, atque adeo nullatenus exigita a natura Adami: unde non sunt gratia, quæ sit sequela creationis; nec merita Adami fuerunt humana, sensu Auctoris, qui est, quod relate ad illa non haberet primas partes gratia, sed arbitrium humanum, nec essent donum Dei, ut merita in natura lapsa. Utraque enim æqualiter sunt Dei dona, & ex arbitrii determinatione proveniunt, ut mox iterum explicabimus.

Advertendum etiam, quod licet gratia collata Adamo, ac naturæ innocenti fuerit indebita naturæ secundum se spectatæ, atque adeo non fuerit sequela creationis, erat tamen debita eidem naturæ prout elevatæ ad finem supernaturalem, quatenus posita tali elevatione ad divinam providentiam spectabat conferre media consentanea ad illum finem consequendum. At post peccatum meruit Adam, ut ipse, & tota ejus posteritas privaretur in æternum omni dono supernaturali, & auxilio indebito sive ad impetrandam remissionem culpæ, sive ad gloriam; & ideo gratia, quæ post peccatum nobis confertur ex Christi meritis, sola dici potest propriissime, & antonomastice gratia; quia non solum confertur citra omne nostrum meritum, sed etiam contra meritum nostrum, & cum debito nostro ea carendi in perpetuum: quod tamen debitum dissolutum, & extinctum fuit per Christi mortem, ejusque merita, quæ nobis applicantur per Sacramenta tanquam per instrumenta moralia suæ passionis. Quæ omnia mox palam fient, ostendendo discrimen inter gratiam Adamicam, & Christianam, seu inter gratiam sanitatis, & medicinalem non esse discrimen essentiale, sed mere accidentale.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXXIV.

TRigesima quarta docet, gratiam Adamo in statu naturæ sanæ, & integræ collatam solum produxisse merita humana, ut proinde discriminetur a gratia medicinali collata ex meritis Christi D. in statu naturæ lapsæ, quæ non producit merita huma-

humana, sed confert dona Dei, ut loquitur Jansenius, qui lib. 2. de grat. Christi hæc habet: *Ad merita Adami, & Angelorum concurrisse gratiam habitualem, extra controversiam est, immo & actualem influxum, apertissime, certissimeque Augustinus docet; & tamen illa fuisse merita humana, non data: fuisse merita liberi arbitrii, non dona Dei, tradit*. In duplici autem sensu ab his auctoribus ea merita per gratiam Adamicam producta dicebantur *Humana*. Primo quidem, quia gratia, qua producebantur, erat debita naturæ humanæ integræ, & sanæ, eratque sequela creationis, ut habet Quesnellus in thesi sequenti; Contra vero gratia Cristiana, quæ confertur naturæ per peccatum corruptæ, nullatenus est illi debita, sed gratis donatur vi meritorum Christi. Secundo, quia gratia Adamica erat *Adjutorium, sine quo non*, ut proinde relinqueret humanæ voluntati libertatem ad operandum, vel non operandum: at gratia medicinalis Christi est *Adjutorium quo*, non relinquens voluntati libertatem a necessitate, sed solum relinquens libertatem a coactione; & ideo merita in statu innocentiæ erant merita humana; in quibus primæ partes essent arbitrii humani determinantis gratiam ad operandum; merita vero in statu naturæ lapsæ sunt merita data, & dona Dei, in quibus primæ partes sunt ipsius gratiæ, quæ determinat voluntatem ad operandum. At utrumque est commentitium, & doctrinæ Catholicæ adversatur; Falsum enim est primo, quod gratia Adamo collata fuerit sequela creationis, ac debita naturæ humanæ sanæ, & integræ, ut mox dicemus. Falsum deinde est, quod gratia, quæ in statu naturæ lapsæ per Christi merita confertur, determinet voluntatem ad operandum, relinquendo solam libertatem a coactione, ut constat ex proscriptione tertiæ thesis Jansenianæ. Nec Augustinus unquam fuit in hac hæresi, ut delirat Jansenius; quamvis diversimode loquatur de gratia Adamica, ac de gratia Christiana ob triplicem accidentalem diversitatem, quam inter se habent, ut dicemus in thesi trigesimaseptima. Falsum denique est, quod gratia, quæ confertur in statu naturæ lapsæ, causet tantum Dei dona, & non etiam merita nostra, prout causabantur in statu innocentiæ; cum in utroque statu verum sit illud Apostoli 1. Cor. 4. *Quid habes, quod non accepisti?* Unde Trident. sess. 6. can. 32. definit: *Hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut sint etiam bona ipsius justificati merita*. Docet quidem Augustinus, merita naturæ innocentis fuisse humana; cum dicat lib. 1. de Præd. Sanctor. cap. 15. *Humana hic merita conticescant, quæ perierunt per Adam, & regnet Dei gratia per Christum*. At ex contextu satis liquet, ea merita non vocasse *Humana* in sensu, in quo proscribitur prima thesis Baji, dicens: *Nec Angeli, nec primi hominis merita recte vocantur gratia*; in quo sensu loquitur Quesnellus dicens in hac thesi, quod *gratia Adami nonnisi merita humana produxerit*; & ideo in thesi sequenti dicit, Gratiam istam fuisse debitam naturæ sanæ. Sed ea merita appellat Humana Augustinus: Primo, quia supposita elevatione gratuita hominis ad finem supernaturalem, debebatur homini gratia, qua posset mereri gloriam, quin tamen ea deberetur post Adæ peccatum. Secundo, quia merita, quamvis orta ex gratia, non præsupponebant in statu naturæ innocentis positivam indignitatem hominis ad talem gratiam, sicut supponunt merita in statu naturæ lapsæ post peccatum Adæ; ratione cujus necessaria est divina Redemptio, ut possit homo a culpa liberari per exhibitionem condignæ satisfactionis, & sic gloriam mereri. Tertio, quia merita in statu naturæ innocentis erant a gratia in eo gradu, in quo erat homini consentanea juxta ordinem divinæ providentiæ: At in statu naturæ lapsæ requiritur gratia uberior per Christum ad superandam dæmonis, & concupiscentiæ tyrannidem.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XXXV.

Trigesima quinta docet, gratiam Adamo collatam fuisse sequelam creationis, ac debitam ejus naturæ sanæ, ac integræ; ut proinde discriminetur a gratia, quæ confertur in statu naturæ lapsæ omnino gratuita ex meritis Christi D. juxta illud Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam*. Cohæret hæc thesis cum vigesimaprima Baji, quæ habet: *Humanæ naturæ sublimatio, & exaltatio in consortium divinæ naturæ, debita fuit integritati primæ conditionis; & proinde naturalis dicenda est, non supernaturalis*. Sed vehementer utraque errat; etiam gratia, qua divinam naturam participamus, excludit omnem præviam exigentiam, non solum physicam, sed etiam moralem; dicente Apostolo ad Rom. 11. *Si autem gratia, jam non ex operibus; alioquin gratia jam non est gratia*. Hoc pariter definit Concilium Arausicanum can. 19. hoc Patres, ac Scholastici docent, ac ostendunt communissime.

PROPOSITIO XXXVI.

Differentia essentialis inter gratiam Adami, & status innocentiæ, ac gratiam Christianam est, quod primam unusquisque in propria persona recepisset: ista vero non recipitur, nisi in persona Jesu Christi resuscitati, cui nos uniti sumus. *Quesnel. Rom. 7. 4. edit. 1693.*

PROPOSITIO XXXVII.

Gratia Adami, sanctificando illum in semetipso, erat illi proportionata; Gratia Christiana nos sanctificando in Jesu Christo, est omnipotens, & digna Filio Dei. *Quesnel. Ephes. 1. 6. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. In eo reponitur a Jansenio essentiale discrimen inter gratiam Adamicam, & Christianam, quod gratia medicinalis, quæ per Christum confertur in statu naturæ lapsæ, utpote omnipotens, sit irresistibilis, libertatem evertat, ac in persona Christi recipiatur; secus vero gratia collata naturæ innocenti.

II. Quod gratia, qua sanctificamur, nobis inhæreat, docet diserte Tridentinum.

III. Quod autem gratia actualis libertatem non evertat, nec sit irresistibilis, spectat ad ipsius gratiæ commendationem; sicut spectat ad commendationem Omnipotentiæ, quod possit condere creaturas liberas.

IV. In

IV. In utroque statu naturæ innocentis, & lapsæ datur Adjutorium sine quo non, seu gratia pure sufficiens, & Adjutorium quo, seu gratia efficax; in utroque etiam statu datur gratia pertinens ad intellectum, seu illustratio supernaturalis, & gratia spectans ad voluntatem, quæ dicitur Inspiratio.

V. Commentitium est, quod gratia Adamica solum det posse; gratia vero Christiana det simul posse, ac velle.

VI. Hoc essentiale discrimen inter gratiam medicinalem, & gratiam sanitatis per summam injuriam tribuitur Augustino.

VII. Quamvis natura lapsa sit debilis, non eatenus est incapax gratiæ, qua solum adjuvetur ad libere operandum; esto verum esset, quod concupiscentia per gratiam superanda necessitaret de se ad peccandum, seu impossibilem redderet operationem salutarem.

VIII. Multiplex tamen est accidentale discrimen inter utramque gratiam.

IX. Natura ægrota solum indiget gratia uberiori, quam natura sana: non tamen indiget gratia libertatis indifferentiæ eversiva.

X. Sicut concupiscentia solum moraliter ad peccandum necessitat, non physice: ita sæpe gratia ad bene operandum necessitat solum moraliter.

XI. Gratia efficax ideo dicitur indeclinabiliter consensu operari, quia per consensum ipsum constituitur, aut illum trahit.

I. SCopum harum thesium affatim exposuimus in duabus præcedentibus: eodem quippe quatuor istæ theses tendunt, ut obtrudant gratiæ irresistibilitatem in statu naturæ lapsæ, dum ejus omnipotentiam commendant. Hic autem diserte fatetur Auctor, illud esse essentiale discrimen inter gratiam in statu naturæ innocentis collatam Adamo, & gratiam collatam nobis per Christum in statu naturæ lapsæ, quod illam Adam receperit in seipso, essetque illi proportionata, idest conferens ad meritum humanum, quod producebat, & operans ad nutum arbitrii, quippe quæ non erat libertatis eversiva; gratia vera Christiana operetur ad nutum Divinæ voluntatis omnipotentis, unde & ipsa est omnipotens, cui arbitrium reluctari non possit, & sic digna suo Auctore, idest Filio Dei, in cujus persona recipitur, dum nos sanctificat in Christo; quatenus ita parit in nobis charitatem, ut per hanc charitatem moraliter cum Christo uniamur, & sic in ipso Christo capite, cujus nos membra sumus, per formam moralem sanctificemus; non quia charitas ista nos sanctificans physice recipiatur in persona Christi resuscitati; sed quia justitia, & sanctitas in Christo recepta nos sanctificat per hoc, quod nos illi moraliter uniti simus per nobis indictam charitatem. Idcirco autem dicitur recipi moraliter in persona Christi resuscitati gratia Christiana, qua moraliter sanctificamur, quia sicut passio Christi contulit nobis ad remissionem peccatorum, ita ejusdem resurrectio contulit ad justificationem, juxta illud Apostoli ad Rom. 4. *Qui traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram*. Unde Ecclesia concinit: *Qui mortem nostram moriendo destruxit, & vitam resurgendo reparavit*; non quatenus passio Christi non fuerit etiam causa meritoria nostræ justificationis, sed quia, ut habet Angelicus 3. p. q. 56. art. 2. mors Christi est causa exemplaris remissionis culpæ, per quam morimur peccato; & resurrectio est causa exemplaris novitatis vitæ, quæ habetur per gratiam, seu justitiam; quamvis id alii aliter exponant apud Suarez in 3. p. qu. 53. art. 1. disp. 44. sect. 8.

II. Quod attinet ad hunc errorem, quod gratia, qua sanctificamur, non inhæreat nobis, sed sit sanctitas Christi nobis imputata, satis superque diximus in thesi 19. ubi ex verbis Tridentini, & sensu communi Patrum, & Theologorum ostendimus, gratiam non solum in statu innocentiæ, sed etiam in præsenti naturæ statu recipi physice in nobis, tanquam naturam supernaturalem exigentem tanquam suas proprietates habitus infusos, a quibus exiguntur auxilia in ordine ad eliciendos actus supernaturales, ut proinde gratia dicatur esse radix omnis supernaturalitatis.

III. Quod vero spectat ad alterum errorem, in quo Jansenius semper totus fuit, quod scilicet detur essentiale discrimen inter gratiam collatam Adamo in statu innocentiæ, quando natura erat sana, ac integra, & gratiam, quæ nobis per merita Christi confertur in statu naturæ ægrotæ, & imbecillis per peccatum, non pauca diximus in superioribus duabus thesibus, ostendentes ex tribus capitibus hanc ab illa differre solum accidentaliter, & secundum se hanc illi præstare, videlicet ex dignitate positiva subjecti, quæ solum est in natura lapsa; ex imbecillitate naturæ lapsæ ratione effrænis concupiscentiæ, quæ requirit majorem gratiam; & ratione Incarnationis, quæ post peccatum est gratia omnino necessaria ad redemptionem: nullum tamen inter utramque gratiam dari discrimen essentiale; quandoquidem gratia in natura lapsa eodem modo concurrit ad operationes salutares, ac gratia Adami citra læsionem libertatis, & utraque est talis, ut illi possit voluntas resistere: cum hoc spectet ad gratiæ commendationem, & hoc pacto sit gratia digna Filio Dei. Quemadmodum enim ad Omnipotentiæ commendationem spectat, quod possit condere creaturas liberas, quæ possint Omnipotenti resistere, & libere nolle ejus mandatis obtemperare; unde sicut non esset Omnipotentia digna Deo, si tantum posset condere creaturas non liberas, eo quod deficeret illi præcipua potestas, qua possit in creaturas liberas qua liberas dominari: ita gratia non esset digna Filio Dei, si tantum posset influere in actus necessarios prædeterminando ad illos: deficeret quippe illi præcipua prærogativa, quod scilicet possit in operationes liberas, & eatenus meritorias influere. Et huc recidunt quæcumque diximus adversus secundam, & quartam Jansenii thesim in Trutina, & quæ passim diximus adversus gratiam istam Jansenianam omnipotentem, fortem, supremam, invincibilem, cui voluntas contraniti non possit, atque adeo libertatis eversivam.

IV. Jansenius, ejusque asseclæ illud agnoscunt essentiale discrimen inter gratiam Adami, & gratiam Christianam, quod illa det solum posse relate ad operationes salutares, & sit adjutorium sine quo non, nempe gratia sufficiens, quæ ex libertate arbitrii possit determinare ad bonam operationem, & meritum producendum; Ista vero non solum det posse, sed etiam ipsum velle, & sit Adjutorium quo, nempe gratia efficax ab intrinseco; quæ tamen non cum libertate arbitrii sit efficax, sed ex mero dono Dei; ut propterea auxilium

gratiæ, quod datur in natura innocente, fit compossibile cum dissensu, quippe quod solum det potestatem agendi, non vero ipsam actionem essentialiter cum consensu connexam; auxilium vero in natura lapsa fit imcompossibile cum dissensu, eo quod tribuat non solum posse, sed etiam ipsum velle, & agere, quod connectitur cum consensu. Unde etiam fit, quod in statu naturæ innocentis voluntas determinet gratiam ad operandum; secus vero in natura lapsa, gratia determinat voluntatem ad consensum. Adduntque Jansениani, quod in natura lapsa auxilium intrinsece determinans voluntatem ad salutariter operandum citra libertatem indifferentiæ, consistat in solo amore efficaci charitatis, non vero in actibus aliarum virtutum, cum non agnoscant in natura lapsa aliam virtutem a charitate; auxilium vero indifferens in natura innocente det potestatem etiam ad exercitium aliarum virtutum. Denique docent, auxilium proprium naturæ lapsæ pertinere solum ad voluntatem, & esse motum quendam indeliberatum complacentiæ, vel desiderii, & cœlestem quandam delectationem, quæ vincat delectationem concupiscentiæ; auxilium vero naturæ sanæ pertinere ad intellectum, & esse Spiritus Sancti illustrationem; quæ relinquat voluntatem cum indifferentia ad consentiendum, vel non consentiendum. Jansenius enim lib. 4. de Gratia Christi cap. 1. hunc titulum præfigit. *Quid sit medicinale Christi adjutorium secundum substantiam? Esse Cœlestem suavitatem, seu delectationem juxta mentem Sancti Augustini.* Et deinde cap. 11. explicat hanc delectationem his verbis: *Delectatio ista Cœlestis secundum Augustini mentem est actus vitalis, & indeliberatus animæ, & quidem amoris, ac desiderii præcedentis consensum.* Et cap. 7. docet, *necessitatem delectationis Cœlestis ad bene volendum & operandum non ex natura voluntatis, sed ex ejus pœna proficisci.* Siquidem in pœnam peccati concupiscentia effrænis reddit voluntatem imbecillem ad bene operandum, unde indiget hac cœlesti motione lenocinantis concupiscentiæ malo contraria, qua ad consensum determinetur, ut habet cap. 9. dicens: *Vera itaque ratio, cur cœlestis delectatio ad actus bonos necessaria sit, ex natura medicinæ, seu medicinalis adjutorii petenda est; voluntas enim per peccatum primi hominis in libidinum imperium præcipitata est; ex quibus fit, ut in omnibus actionibus ante gratiam, delectatione quadam libidinosa præeunte, ac titillante provocetur.* Ex qua Jansenii doctrina illud inconveniens etiam sequeretur, quod in statu naturæ innocentis nulla data fuerit gratia pertinens ad voluntatem, & quod si data fuisset, citra libertatem indifferentiæ consensum homines præstitissent, cum tamen August. lib. 12. de civit. cap. 9. dicat, Angelos primam voluntatem, & amorem castum, & gratiam amoris Dei habuisse operante adjutorio Creatoris. Et concludit, *Non ad Sanctos solos homines, verum etiam de Sanctis Angelis posse dici, quod charitas Dei diffusa sit in eis per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis:* ubi loquitur de primo actu charitatis elicito ab Angelis. Et lib. 14. de Civit. cap. 13. habet: *Si voluntas Adami in amore superioris immutabilis boni, a quo illustrabatur, ut videret, & accendebatur, ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum averteretur, & ex hoc intenebresceret, & frigesceret.* Quare Augustinus tam in natura lapsa, quam in natura sana agnoscit auxilia gratiæ spectantia ad intellectum, quæ dicuntur Illustrationes, & ad voluntatem, quæ dicuntur Inspirationes non evertentes arbitrii libertatem.

V. Necessitatem essentialis discriminis explicati inter auxilia gratiæ naturæ integræ, & lapsæ, ex eo probant Janseniani, quia ad sanitatem naturæ spectat, quod ejus arbitrio relinquatur operatio, unde solum dandum est illi posse per gratiam relate ad actus salutares; contra vero ad infirmitatem, & imbecillitatem naturæ spectat, ut per gratiam detur illi & posse, & agere; aliter non differrent natura sana, & infirma.

Confirmant primo, quia in statu naturæ sanæ non dabatur concupiscentia captivans voluntatem ad culpam, unde non erat ei opus gratia liberante illam a tali captivitate: secus vero in natura lapsa conferri debet gratia liberans voluntatem a captivitate, & necessitate peccandi; nec potest aliter liberare, nisi eam necessitatem vincat necessitando voluntatem ad bonum.

Confirmant secundo auctoritate August. qui lib. de corrept. & gratia explicat duplex genus gratiæ, dicens: *Itaque ipsa adjutoria distinguenda sunt: Aliud est Adjutorium, sine quo aliquid non fit, & aliud est Adjutorium, quo aliquid fit. Nam sine alimentis non possumus vivere, nec tamen cum affuerint alimenta, fit, ut vivat, qui mori voluerit; ergo Adjutorium alimentorum est, sine quo non fit, non quo fit, ut vivamus. At vero beatitudo, quam non habet homo, cum data fuerit, continuo fit beatus; adjutorium est enim non solum sine quo non fit, verum etiam quo fit, propter quod datur; quapropter hoc adjutorium, & quo fit est, & sine quo non fit.* Explicato hoc discrimine inter utrumque istud duplex celebre gratiæ Adjutorium, pergit S. Doctor ostendere, quodnam fuerit adjutorium collatum in statu naturæ integræ, & quodnam nunc nobis detur, dicens: *Primo itaque homini, qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat posse non peccare, posse non mori, posse ipsum bonum non deserere, datum est adjutorium perseverantiæ, non quo fieret, ut perseveraret, sed sine quo per liberum arbitrium perseverare non posset. Nunc vero Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædestinatis non tantum tale adjutorium perseverantiæ datur, sed tale, ut eis perseverantia ipsa donetur; non solum ut sine isto dono perseverantes esse non possint, verum etiam ut per hoc donum nonnisi perseverantes sint.* Porro quod istud adjutorium quo non sit efficax ex determinatione voluntatis, ut nos dicimus, sed sit efficax ab intrinseco, ac voluntatem determinans, ita ut illi resistere non valeat, quod contendit Jansenius, videtur colligi ex verbis ejusdem Augustini loco laudato, ubi habet: *Subventum est ergo infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur: & ideo quamvis infirma non deficeret, neque adversitate aliqua vinceretur.* Et deinde addit: *Primo homini fortissimo dimisit, ac permisit Deus facere quod vellet, infirmis servavit, ut ipso donante, invictissime quod bonum est, vellent, & hoc deserere invictissime nollent.*

Neque dicas, quod auxilium efficax redditum efficax a cooperatione libera arbitrii, adhuc inferat con-

consensum indeclinabiliter, & insuperabiliter, & pariat invictissime bonam voluntatem; unde ex his verbis non infertur, quod auxilium gratiæ in natura lapsa sit efficax ab intrinseco, & non sit efficax ratione ipsius consensus, a quo auxilium sufficiens redditur efficax.

Nam contra est, tum quia Augustinus dicit, auxilium in natura lapsa esse potentius, quam in natura sana; unde non sunt ejusdem, sed diversæ efficacitatis; tum etiam quia ideo Augustinus docet requiri in natura lapsa auxilium fortius, quia superanda est reluctantia concupiscentiæ, & tentationum; ad hoc autem videtur requiri auxilium, quod sit fortius ab intrinseco, & non ex mero consensu voluntatis reddentis illud efficax: ergo datur inter utrumque auxilium discrimen essentiale explicatum.

Hinc autem legitime inferunt primo, nullum dari in natura lapsa auxilium pure sufficiens, quippe quod non esset utile naturæ ægrotæ, sed noxium, (sicut alimentum hominis sani non est utile, sed noxium ægroto) siquidem cum auxilio sufficiente ob defectum virium, & concupiscentiæ delectationem repugnantem nequit voluntas se determinare ad amplexandum honestum. Inferunt secundo, reprobos caruisse auxiliis sufficientibus ad salutem; neque Deum illos voluisse in Electorum syllabum esse ascriptos. Inferunt tertio, peccatores carere auxiliis sufficientibus ad resipiscendum; ac justos, qui gratiam sanctificantem peccando amittunt, carere auxiliis sufficientibus ad non peccandum. Quod si verum haberet, falsa esset Tridentini doctrina, quod scilicet Deus neminem deserat, nisi prius deseratur: cum justi idcirco Deum deserant, dum peccant, quia a Deo deseruntur, dum denegatur iis sufficiens auxilium ad non peccandum. Ad hoc barathrum deliramenta isthæc Janseniana perducunt.

VI. Ostendo itaque, discrimen hoc essentiale inter utramque gratiam Adamicam, & Christianam non dari, & per summam injuriam appingi D. Augustino; cum potius sit Calvini, qui lib. 2. Instit. c. 3. habet: *Talem fuisse hominis adhuc stantis conditionem concedimus, ut potuerit in alteram partem inclinare; sed cum suo exemplo docuerit, quam miserum sit liberum arbitrium, nisi Deus in nobis & velit, & possit, quid fiet nobis, si ad eum modulum gratiam nobis impertitur?* Quod pariter docet Lutherus in Genesim cap. 2. Sanctorum autem Patrum doctrina fert, gratiam in statu naturæ lapsæ, ac integræ non differre essentialiter, ac neutram esse libertatis eversivam. Fulgentius lib. 2. ad Thrasymundum cap. 3. dicit: *Non alia gratia Angelum a ruina potuit custodire, nisi illa, quæ lapsum hominem post ruinam potuit reparare. Una est in utroque gratia operata; in hoc ut surgeret, in illo ne caderet: in illo, ne vulneraretur, in isto, ut sanaretur: ab hoc infirmitatem repulit, illum infirmari non sivit: illius esca, istius medicina.* Similiter D. Gregorius Homil. 14. in Ezechielem idem adjutorium agnoscit in Angelis, & in hominibus post lapsum, ita tamen ut illis esset in præsidium, ne laberentur, in istis redemptio, ut post casum surgerent, dicens: *Unigenitus Patris, qui sursum est firmitas Angelorum, ipse deorsum factus est redemptio hominum, illis fortitudo, ne cadant, nobis adjutorium, ut surgamus post casum.* Et ipse D. Augustinus passim docet, Gratiam in natura lapsa cohærere cum arbitrii libertate, non secus ac in natura integra. Lib. 1. Retract. hæc habet: *Nisi quisquam voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: Aut facite arborem bonam, & fructum ejus bonum: aut facite arborem malam, & fructum ejus malum. Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus; in potestate quippe hominis est mutare voluntatem: sed ea potestas nulla est, nisi detur a Deo, de quo dictum est, Dedit eis potestatem Filios Dei fieri.* Quod similiter docuit lib. 2. de actis cum Felice Manichæo, dicens: *Cum ergo Dominus dicit, Aut facite hoc, aut illud, potestatem indicat, non naturam. Nemo enim, nisi Deus, facere arbores potest; sed habet unusquisque in voluntate sua, aut eligere, quæ bona sunt, & esse arbor bona, aut eligere quæ mala sunt, & esse arbor mala.* Lib. 10. Homil. 16. paucis idem luculenter edocuit: *In tuo arbitrio Deus posuit, cui pares locum, Deo, an diabolo.* Et lib. de grat. & lib. arbitrio cap. 2. ad comprobandam hanc arbitrii libertatem, quam Monachi Adrumentini contendebant per peccatum esse amissam, objectat illud Ecclesiastici: *Ipse ab initio fecit illum, & reliquit illum in manu consilii sui; apponet tibi aquam, & ignem; ad quodcumque volueris, extende manum tuam.* In Sole profecto cæcutit, qui mentem Augustini in his, & innumeris aliis locis non deprehendit; ut profecto per summam injuriam discrimen essentiale inter gratiam Adami, & nostram ab Augustino traditum afferatur.

VII. Ratio autem manifesta, cur non sit necessarium essentiale discrimen inter gratiam sanitatis, & gratiam medicinalem, est, quia relate, ad actus supernaturales in utroque statu natura est impotens, & ratione gratiæ fit potens; ergo sicut potest gratia elevare arbitrium validum in statu naturæ integræ non evertendo ejus libertatem; ita poterit gratia intensior elevare arbitrium imbecille, & ægrotum in natura lapsa absque lesione libertatis.

Neque dicant Janseniani, quod in natura lapsa regnet concupiscentia necessitans hominem ad peccandum, quæ solum expugnari poterit a dominatu gratiæ, quæ necessitet ad salutariter operandum. Nam primo commentitium est, quod concupiscentia necessitet ad peccandum, ut dicemus in thesi sequenti. Deinde eo transmisso falsum est, quod gratia non possit tollere eam necessitatem ad peccandum, seu impotentiam ad bonam operationem, conferendo solum potestatem indifferentem, non vero necessitatem ad operandum salutariter. Et ratio a priori est, quia si infundatur a Deo delectatio objecti honesti, quæ sit æqualis delectationi objecti turpis ortæ a concupiscentia, sequitur, quod æqualis voluntati competit inclinatio tam ad objectum honestum, quam ad turpe; atque adeo superadditis viribus supernaturalibus gratiæ ad operandum, poterit voluntas libere inclinari ad amplexum boni honesti, & ad salutariter operandum, resistendo inclinationi ad objectum turpe ortæ a concupiscentia; non secus ac libere inclinatur voluntas ad objectum turpe, quando peccat, etiamsi æqualem habeat inclinationem ad amorem honesti.

Confirmatur, quia si daretur ad mentem Jansenianorum discrimen essentiale inter gratiam Adamicam, & Christianam, seu inter gratiam sanitatis, & medicinalem, sequeretur, quod in utroque

statu

ſtatu naturæ innocentis, & naturæ lapſæ deſtrueretur conceptus gratiæ, & conceptus meriti ex illa reſultantis: deſtrueretur enim primo gratia ſanitatis, quia ea a Janſenianis dicitur eſſe debita naturæ; deſtrueretur ſecundo gratia medicinalis, quia ea non auxiliaretur arbitrio, ſed neceſſitatem imponeret; deſtrueretur pariter verum meritum vitæ æternæ in ſtatu naturæ innocentis, quia illud dicitur eſſe meritum humanum; deſtrueretur denique meritum in ſtatu naturæ lapſæ, quia nequit intelligi meritum abſque libera electione voluntatis. Unde recuderetur error Lutheri, quod totum noſtrum meritum ſit per imputationem meritorum Chriſti D.

VIII. Diſcrimen tamen accidentale inter gratiam Adamicam, & Chriſtianam negari non poteſt, quatenus auxilia gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ debent eſſe intenſiora, & uberiora, ut expugnent neceſſitatem moralem ad peccandum, quæ non raro habetur a dominatu concupiſcentiæ, & tyrannide diaboli, cui per peccatum ſubjecta eſt natura humana; quia tamen non ſemper concupiſcentia viget, nec ſemper tentationes diaboli ſunt vehementes, ideo non ſemper requiritur gratia valde intenſa, ut ſine difficultate poſſimus operari ſalutariter. Huc autem ſpectat illud Apoſtoli ad Rom. 7. *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum*; quatenus ſine gratia intenſa, quæ per Chriſti merita habetur in natura lapſa, non expugnatur neceſſitas moralis ad peccandum, orta a lege peccati, quam in membris noſtris experimur, ſeu a motibus concupiſcentiæ regnantis. Hinc ad Rom. 5. dicitur: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit gratia*. Et Chriſtus D. Jo. 10. dixit: *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant*; non ſolum enim venit, ut habeamus per ſui merita abundantiam gratiæ habitualis, quæ nobis per Sacramenta tanquam per inſtrumenta ſuæ paſſionis confertur, ſed etiam abundantiam gratiarum actualium, ſine quibus noſtra ſalus fuiſſet moraliter impoſſibilis. Nam ſi Adam inſtructus gratia intenſa, & vivida cognitione Dei, concupiſcentiam habens rationi ſubjectam, adhuc prævaricatus eſt ad ſimplicem diaboli deceptoris tentationem; quid nos miſeri faceremus, ſubjecti tyrannidi dæmonis, & concupiſcentiæ propter peccatum, ac tenebris ignorantiæ preſſi, niſi e vulneribus Chriſti D. affluenter nobis gratia derivaretur?

Præterea diſcriminatur accidentaliter gratia medicinalis a gratia ſanitatis ex tribus illis capitibus, quæ in ſuperiori theſi explicavimus. Primo quidem, quia in natura lapſa reperitur in ſubjecto propter culpam poſitiva indignitas gratiæ; unde majus eſt divinum beneficium, dum confert nobis gratiam, quam dum contulit Adamo innocenti. Deinde gratia in natura lapſa debet eſſe ſanativa; ac proinde debet complecti redemptionem Chriſti D., auxilia pœnitentiæ, & remiſſionem peccati, qua non indigebat natura integra. Denique gratia medicinalis debet reſiſtere concupiſentiæ, cui reſiſtere non debebat gratia ſanitatis, eo quod in eo ſtatu abeſſent motus inordinati appetitus removentes hominem ab exercitio virtutum.

IX. Ex his facile eſt evacuare ratiocinationes adverſariorum, quas præmiſimus. Ad principale argumentum dico, ſatis differre naturam ægrotam a ſana per hoc, quod illa experiatur ſæpe moralem neceſſitatem ad labendum ob dominatum concupiſcentiæ, quam non experitur natura ſana, & integra; ut proinde illa indigeat auxiliis uberioribus, & crebrioribus, ac ſpeciali Dei protectione, quin opus ſit gratia libertatis everſiva, ut poſſit bene operari. Quare in eo tantum ſenſu gratia in natura ſana dat poſſe, & non ſola dat velle bene operantibus, in quo dedit hoc idem etiam Angelis perſeverantibus; cum Angelis etiam dicatur, *Quid habes, quod non accepiſti? Quis eſt, qui te diſcernit?* Et ſicut dæmonibus gratia dedit poſſe, quin habuerint etiam a gratia ipſum velle ex propria culpa, quia voluerunt gratiæ reſiſtere, non vero cum illa operari: ita prorſus datur in natura lapſa gratia ſufficiens, quæ ex culpa male operantis non redditur efficax.

X. Ad primam confirmat. diximus concupiſcentiam non captivare voluntatem ad culpam neceſſitando phyſice ad illam, (quia ſic homines non peccarent formaliter, dum peccant) ſed ſolum neceſſitando moraliter; poterit proinde gratia alliciendo ad amorem honeſti, æquare, immo & ſuperare allicientiam ad objectum turpe, ortam a concupiſcentia, & ſic ponere æquilibrem indifferentiam tam ad bene, quam ad male operandum; immo poteſt aliquando ea eſſe allicientia gratiæ ad amorem honeſti, ut ad illum moraliter neceſſitet.

XI. Ad ſecundam, diximus Auguſtini doctrinam eſſe perſpicuam, ita ut nodum in ſcirpo quærat, qui de ea dubitat. In locis adductis nomine *Adjutorii quo* venit gratia efficax, quæ tam fuit in Angelis bonis, quam eſt nunc in bene operantibus; & nomine *Adjutorii ſine quo non* venit auxilium pure ſufficiens, quod tam fuit in dæmonibus, & in Protoplaſtis, quam eſt nunc in male operantibus. In utroque ſtatu auxilium efficax operatur conſenſum liberum indeclinabiliter; quia gratia efficax in actu ſecundo vel trahit, vel conſtituitur per ipſum conſenſum liberum, quo illa redditur efficax; & cum non poſſit conſtitutum eſſe ſine ſuis conſtitutivis, ideo gratia efficax non poteſt eſſe ſine conſenſu; quamvis ſub eadem gratia, quæ eſt efficax, potuiſſet ad arbitrium voluntas non ponere conſenſum; & tunc ea non denominaretur efficax, ſed ſufficiens. & inefficax. Ad id quod additur, quod in natura lapſa auxilium debeat eſſe potentius, & fortius, jam diximus, ex triplici capite debere eſſe validius, & beneficium longe majus, quam ſit gratia ſanitatis: at non proinde debent auxilia naturæ ſanæ, & lapſæ differre eſſentialiter, ita ut illa ſolum cohæreant cum libertate arbitrii, & non etiam iſta.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXVI.

TRigeſimaſexta aſſignat eſſentiale diſcrimen inter Gratiam Adamicam, & Chriſtianam, quod illa reciperetur in propria perſona, hæc vero recipiatur in perſona Chriſti reſuſcitati, cui nos ſumus uniti. Hoc tamen diſerimen inter utramque

gratiam

gratiam non dari conſtat ex Tridentino, quod ſeſſ. 6. cap. 7. docet, gratiam, qua juſtificamur, eſſe nobis inhærentem; atque adeo ea non aliter in nobis recipitur, ac gratia Adami, & ſtatus innocentiæ. Gratia pariter actualis, quæ conſiſtit in illuſtrationibus, & inſpirationibus ſupernaturalibus, atque adeo in actibus vitalibus, impoſſibile eſt, quin in nobis recipiatur; cum actus vitales eſſentialiter debeant eſſe ab hoc, & in hoc.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim XXXVII.

TRigeſimaſeptima aliud eſſentiale diſcrimen comminiſcitur inter utramque gratiam, dicendo, quod gratia Chriſtiana ſanctificando nos in Jeſu Chriſto ſit omnipotens, atque adeo irreſiſtibilis, ac digna Filio Dei; gratia vero Adami ſanctificando illum in ſemetipſo, erat illi proportionata, atque adeo talis, ut poſſet illi reſiſtere. Propterea Queſnellus in ſtatu naturæ lapſæ non aliam gratiam agnoſcit, niſi gratiam efficacem, cui voluntas obluctari non poſſit. Hic tamen error aperte confutatur ex iis omnibus, quæ adverſus proſcriptas theſes Janſenianas congeruntur. Nam ſi ſolum daretur gratia efficax, Deus præcipiens peccatori contritionem, quam de facto culpabiliter hic non poneret, præciperet aliquid impoſſibile, (cum non poſſit viribus naturæ poni contritio ſupernaturalis) nec daret gratiam, qua poſſit illam ponere, quæ eſt prima ex theſibus proſcriptis Janſenii. Rurſus ſi ſolum daretur gratia efficax, nunquam homo gratiæ interiori reſiſteret, nec poſſet illi reſiſtere, juxta ſecundam, & quartam Janſenii theſim. Denique ſi ſolum daretur gratia efficax, cui voluntas reſiſtere non poſſet, meritum haberetur cum ſola libertate a coactione, juxta tertiam theſim Janſenii. Nullum itaque datur eſſentiale diſcrimen inter gratiam in ſtatu innocentiæ, & gratiam, quæ confertur in ſtatu naturæ lapſæ, ſed ſolum diſcriminantur accidentaliter ex tribus capitibus, ut ſupra diximus. Primo quidem, quia nunc datur gratia homini poſitive indigno propter peccatum; at in ſtatu naturæ innocentis homo, licet non eſſet dignus gratia, non erat tamen poſitive indignus. Secundo, quia gratia, quæ nobis nunc confertur ad peccatum delendum, indiget prævia Chriſti Redemptione. Tertio, quia nunc ex meritis Chriſti datur nobis gratia uberior ad ſuperandam vim concupiſcentiæ effrænis, quam poſt culpam Adæ rebellem experimur, ſentiendo in membris noſtris legem repugnantem legi mentis noſtræ. Quare his de cauſis Gratia Chriſtiana eſt digna Filio Dei, non vero quia irreſiſtibilis eſt, & libertatem evertit; ſic enim meritum etiam tolleret, & coronam.

PROPOSITIO XXXVIII.

Peccator non eſt liber, niſi ad malum, ſine gratia Liberatoris. *Queſnel. Luc.* 8. 29. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XXXIX.

Voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, niſi ad aberrandum, ardoris niſi ad ſe præcipitandum, virium, niſi ad ſe vulnerandum; Eſt capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Queſnel. Matth.* 10. 3. & 4. *edition.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XL.

Sine gratia nihil amare poſſumus, niſi ad noſtram condemnationem. *Queſnel.* 1. *Theſſal.* 3. 18. *edit.* 1699.

PROPOSITIO XLI.

Omnis cognitio Dei, etiam naturalis etiam in Philoſophis Ethnicis, non poteſt venire, niſi a Deo, & ſine gratia non producit, niſi præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum, loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris. *Queſnel. Romam.* 1. 19. *edit.* 1693. & 1699.

PROPOSITIO XLII.

Sola gratia Chriſti reddit hominem aptum ad ſacrificium Fidei; ſine hoc nihil niſi impuritas, nihil niſi indignitas. *Queſnel. Act.* 1. 9. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Theſes iſtæ ad deponendam ſalutis æternæ ſolicitudinem invitant.

II. Docent quippe, homines nonniſi ad peccandum valere gratia circumſcripta.

III. Homo, ſi Janſenium audiamus, non aliter dicitur liber ad non peccandum, niſi quia poteſt cum gratia Liberatoris a malo abſtinere, non quia ſine illa poſſit non peccare.

IV. Contendunt Janſeniani dari in nobis ad peccatum in genere neceſſitatem, ſeu ad patrandum aliquod peccatum vage, ac disjunctive. Sed licet neceſſitas peccandi eſſet ſolum generica, adhuc peccatum non eſſet imputabile.

V. Liberum arbitrium eſſet extinctum, ſi non poſſet homo omnem omnino culpam declinare.

VI. Conſtat dari libertatem ad bene operandum ſine gratia Liberatoris ſupernaturali.

VII. Opera infidelium poſſunt eſſe uſquequaque bona, ita ut referantur ad finem virtutis, aut ſaltem non referantur ad finem malum.

VIII. Idque paſſim Sancti Patres docent.

IX. *Ex Auguſtino peccata, quæ ſunt inevitabilia, non ſunt proprie peccata, ſed pœna peccati.*

X. *Si ex neceſſitate peccatur, non peccatur, dum peccatur.*

XI. Eſſetque Deus peccati auctor.

XII. Et alia innumera ſequerentur abſurda.

XIII. Objecta diluuntur: præſertim quia videtur non ſemel hanc trigeſimam octavam theſim docuiſſe Auguſtinus.

I. QUeſnellus Janſeniana lue infectus in hiſce theſibus inſinuat, naturam humanam per Adæ

Adæ peccatum ita penitus corruptam esse, ut ejus lib. arb., quod solum est *viribus attenuatum*, & *inclinatum*, ut loquitur Tridentin. sess. 6. cap. 1. sit etiam veluti extinctum, ac mortuum relate ad bonum quodcunque amandum, ac efficiendum; ita ut circumscripta Dei gratia per suas vires naturales nihil omnino possit circa bonum quodcumque, etiam ordinis naturalis, sed ita manserit servum, captivumque peccati, ut sine Dei gratia libertatem exercere non possit, nisi ad peccandum; quatenus ita liberum sit ad ponendum vel hoc, vel illud in specie peccatum, ut tamen omnino necessitetur ad ponendum aliquod peccatum vage, & in genere. Ea tamen calliditate hæresim istam toties ab Ecclesia damnatam insinuat, ut videatur ob oculos ponere ægritudinem, ac miseriam naturæ lapsæ, & sic excitare homines ad Medicum, & Redemptorem deprecandum, qui sua gratia medicinali præsentissimam opem ferat naturæ viribus omnibus destitutæ. Siquidem per peccatum eo devenit homo, in barathrum libidinum in præceps actus, ut possit ei velut in Epigraphen inscribi illud Isaiæ 1. *A planta pedis usque ad verticem capitis non est in eo sanitas; vulnus, & livor, & plaga tumens non est circumligata, nec curata medicamine, neque fota oleo.* Verum dum videtur Auctor pie indigentiam medicaminis, & olei, nempe gratiæ, inculcare, versutis verbis timorem omnem culpæ a nobis depellit, docens, culpam esse omnino indeclinabilem citra gratiam Christi medicinalem, quæ solis electis a Deo confertur ad arbitrium: nihil omnino conducere nostros conatus, labores, & orationes ad resistendum cupiditatibus ineluctabiliter pertrahentibus ad culpam; nec dari nobis ex lege providentiæ gratiam sufficientem ad tentationes propulsandas, & ad aliquam bonam operationem ponendam. Quinimo cum culpa aliqua vage, & indeterminate omnino necessaria sit iis, quibus gratia deest, & ex omnium non insipientium sensu culpa vacet, qui culpam vitare nequit, juxta illud August. *Nemo peccat in eo, quod nullo modo cavere potest;* inde apertissime descendit, unumquemque, quicquid agat, immunem esse a culpa; nam si gratia prævenitur, bene operabitur, & non peccabit; sin autem gratia destituatur, non imputabitur ad culpam culpa ipsa, quippe necessaria. Eo itaque semper Jansenianæ, & Quesnellianæ theses callide collineant, ut nos ad hilariter vivendum citra culpæ, & gehennæ timorem suadeant, & alliciant.

II. Ut altius percipiatur harum thesium error, sciendum, naturam humanam in Jansenianorum sententia post lapsum incurrisse non solum moralem, & consequentem, sed etiam physicam, & antecedentem necessitatem peccandi, & succumbendi tentationibus, ita ut non solum ea peccet operando malum, sed etiam pure omittendo bonum: a qua necessitate non possit liberari, nisi per gratiam, quæ pariter necessitet, ac determinet ad bonum, nempe ad actum charitatis. Et quia Infideles carent omnino gratia, prout docuit Quesnellus in vigesimasexta thesi, ideo Infideles ex necessitate semper peccant urgente tentatione, aut præcepto aliquo sive naturali, sive divino, sive humano. Docent pariter necessario, & non libere peccare justos, & fideles, qui de facto peccant, eo quod careant in istorum sententia gratia sufficienti ad non peccandum; nullum enim auxilium gratiæ agnoscunt in natura lapsa, quod sit solum sufficiens, & non efficax; nec admittunt auxilium efficax distinctum ab actu charitatis efficaci, & incompossibili cum peccato.

III. Quod si illis objectetur, requiri libertatem ad peccandum; Respondent primo, sufficere libertatem a coactione, juxta tertiam ex Thesibus Jansenii, quando scilicet actus sit nulla urgente cupiditate boni, aut timore mali temporalis: quia tamen in natura lapsa peccatum semper fit, aut urgente timore mali temporalis, aut urgente boni cupiditate, cui voluntas resistere non potest propter virium imbecillitatem, ideo docent indivisim, quod peccatum quodcumque in natura lapsa fiat citra libertatem formalem indifferentiæ; quam solum exigunt in primo peccato patrato in statu innocentiæ, non vero in aliis, quæ peccata simul sunt, & pœna peccati: In his enim putant eam libertatem sufficere, quæ fuit relate ad illud primum peccatum Adæ, in quo tanquam in radice, & causa reliqua peccata continentur, prout dicitur in prima ex thesibus ab Alex. VIII. proscriptis. Impræsentiarum autem in hac thesi dicitur peccator liber ad malum, non quia potest quodcunque peccatum declinare, quando accingitur ad operandum sine gratiæ adjutorio; sed quia potest hoc vel illud peccatum in specie vitare determinatus ad peccatum in genere: vel quia potest cum gratia Liberatoris a malo abstinere, quamvis non possit peccare: cum diserte dicatur deinde in thesi 45. *Amore Dei in corde peccatorum non regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat.* Ex Jansenio enim juxta errores Baji sine gratia Dei omnis usus liberi arbitrii necessario est malus: unde proscripta est propos. illa Baji 60. *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.*

IV. Antequam ad confutandos istos palmares errores descendam, Jansenio Jansenium ipsum objicio, qui lib. 2. Martis Gallici in præfat. habet: *Nihil esse in Christianæ doctrinæ sanctionibus ita ratum, fixumque, quod non (pruriente quadam ingeniorum petulantia, novandique libidine,) in dubium revocetur: nullum vero tam insolens, & alienum ab omnium Catholicorum ore paradoxum, quod non verisimilibus ratiunculis asseratur.* Quid autem inter Catholicos magis celebre, quam illud Augustini, *Nemo peccat in eo quod nullo modo cavere potest?* hoc tamen Jansenius, ejusque discipuli conantur futilibus ratiunculis, & distinctionibus in controversiam adducere. Et quamvis noverint a Pio V., Gregor. XIII. & Urbano VIII. proscriptam esse thesim illam 28. Baji dicentis: *Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio nonnisi ad peccandum valet*: necnon 29. dicentem: *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum:* & tertiam, quæ habet: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit:* iterum tamen iterumque hoc ipsissimum aliis, aliisque phrasibus eructant, admittendo solum umbratilem illam libertatem, quod scilicet possit voluntas aliquod peccatum in particulari vitare, dummodo tamen in aliud incurrat; ut si quis omittat furari, ut occidat, vel omittat mentiri ex affectu vanæ gloriæ; putant quippe necessitatem ad peccandum esse genericam,

non

non specificam, qualem dicunt esse in damnatis, qui ad peccandum in genere necessitantur, non tamen ad hoc peccatum in specie; sicut Beati necessitantur ad bene operandum in genere, non tamen ad hanc determinate bonam operationem; quamvis nec damnati puniantur propter novas culpas, nec Beati præmio afficiantur propter novas bonas operationes, eo quod sint in termino. At transmisso, quod hac libertate specifica polleant homines in statu naturæ lapsæ, si tamen desit libertas generica ad declinandum quodcumque genus peccati, semper verum est, quod necessario peccent, ut proinde non possint propter hæc peccata puniri; sicut qui necessitatur ad suspendium in genere, cum sola libertate, ne in hac, vel illa arbore suspendatur, dicitur omnino necessario suspendi, nec illi suffragari libertas illa umbratilis in ordine ad vitam conservandam. Præterquamquod libertas ista voluntatis Janseniana est potius indifferentia voluntatis passiva, quam activa, quatenus, ut habetur in thesi 40. Baji, *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*.

V. Ostenditur itaque hujus Janseniani assumpti falsitas primo ex Trid. quod sess. 6. can. 5. definit; *Siquis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum, & extinctum esse dixerit, anathema sit*. Quod si necessitaretur ad peccandum homo sine gratia Liberatoris, quatenus solum exercere possit libertatem circa amplexum hujus, vel illius mali, quin tamen possit omne malum declinare, sequeretur, quod arbitrium esset extinctum; nihil enim posset relate ad bonum, quia seclusa gratia non potest bonum operari; neque relate ad malum aliquid posset, quia necessitatur ad ponendum aliquod vage malum gratia circumscripta; ergo liberum arbitrium relate ad bonum, aut malum esset omnino extinctum, si solam libertatem haberet ad malum sine gratia. Hæc definitio Tridentini tam Lutherum damnavit, qui in libro de servo arbitrio, & alibi docuit, libertatem indifferentiæ circa bonum, & malum esse extinctam per peccatum Adæ; quam Calvinum, qui in Antid. ad sess. 6. cap. 5. pariter docuit, liberum arbitrium esse figmentum, & titulum sine re. Quorum vestigiis inhærens Jansenius lib. 3. de statu naturæ lapsæ hunc titulum præfixit capiti 9. *Periit non solum libertas ad agendum bonum, sed etiam abstinendi a peccato*.

VI. Cæterum etiam dato, quod peccator liber esset ad abstinendum a malo, non proinde fit, quod solum sit liber ad ponendum malum, non vero sit liber etiam ad ponendum bonum sine gratia Liberatoris, seu sine charitate, (quæ per Jansenianos coincidit, aut essentialiter connectitur cum gratia per Christum) ut fuse ostendimus in prima harum thesium, in qua dicitur, quod peccatori amissa per peccatum gratia nihil remaneat, nisi generalis impotentia ad laborem, ad orationem, & ad omne opus bonum. Et sane cum passim in Scripturis Deus peccatores hortetur ad pœnitentiam, & ad alia bona opera, signum evidens est, quod illis libertas insit ad ea præstanda: Quicquid sit utrum ad ponendum opus bonum ordinis naturalis requiratur aliqua gratia pariter ordinis naturalis consistens in speciali quadam Dei providentia, seu cogitatione congrua, prout docent Vasquius, Turrianus, Mæratius, & alii graves Auctores. Augustinus in Ps. 83. explicans versiculum illum, *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi*, ostendit etiam Ethnicos extra Ecclesiam aliquid boni facere: Et ep. 130. dicit, Polemonem adolescentem Paganum a Xenocrate Philosopho ad temperantiam, & continentiam fuisse conversum: Et lib. 6. de Civit. c. 15. ostendit, Deum favisse Romanis in amplificando suo imperio propter bona opera moralia ab iisdem præstita, & voluisse in hac vita remunerationem illis conferre dando tam amplam dominationem. Scriptura etiam passim commemorat aliqua bona opera Infidelium, ex. gr. beneficium ab obstetricibus Ægyptiis præstitum Israelitis, quod Deus remuneratus est ædificando eis domum, quia Deum timuerunt, ut habetur Exod. 1. Et de Nabuchodonosore sic Deus loquitur Ezech. 29. *Ecce ego dabo Nabuchodonosor Regem Babylonis in terra Ægypti, & accipiet multitudinem ejus, & deprædabitur manubias ejus, & diripiet spolia ejus, & erit merces exercitui illius, & operi, quo servivit adversus eam; dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus*. Ubi Hieronymus in c. 29. Ezech. addit: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accipit boni operis, intelligimus etiam Ethnicos, si quid operis boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri*. Quod disertius exprimitur verbis illis, quibus Propheta Nabuchodonosorem alloquitur Danielis 4. dicens: *Consilium meum placeat tibi; & peccata tua eleemosynis redime*. Nemo autem somniare poterit, quod peccata aliis peccatis redimantur; unde fit, eleemosynas illas Nabuchodonoris Infidelis non fuisse peccata, sed opera honesta apta ad placandum Deum iratum; sicut etiam fuerunt jejunia, & alia honesta opera Ninivitarum Jonæ 2. Hinc Aug. de spirit. & lit. c. 27. habet: *Non usque adeo in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita est, ut nulla in ea velut lineamenta extrema remanserint: unde merito dici possit, etiam in ipsa impietate vitæ suæ facere aliqua legis*.

VII. Neque dicat Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ cap. 5. opera isthæc Infidelium esse solum bona ex parte objecti, seu esse bona quædam officia, non tamen esse bona ex omni parte, præsertim respectu finis; cum desit illis relatio in Deum propter se dilectum.

Nam contra est primo, quia ut opus sit studiosum, & bonum, non est necesse, quod ad Deum summe dilectum referatur; aliter nulla alia daretur virtus præter charitatem, cum de fide sit tres dari virtutes Theologales, & dari etiam Morales. Ad hoc enim ut actus virtutis exerceatur, satis est quod objectum honestum, ac conveniens naturæ rationali ametur propter suam honestatem, seu bonitatem intrinsecam, ut si quis parentes colat, reddat unicuique jus suum, pauperibus subveniat, quia id decet naturam rationalem. Neque enim Polemonis continentia fuit vitiosa, ut somniat Jansenius, quamvis deesset illi circumstantia finis ultimi; siquidem, ut habet Aug. ep. 130. ea fuit donum Dei, atque adeo opus virtutis per hoc, quod continentiam servaret ex hoc motivo, quod id rectæ rationi sit consentaneum, prout a Xenocrate proponebatur.

Contra est secundo, quia aliud est officium de se bonum non referre ad Deum summe dilectum, aliud est referre illud ad pravum finem; hoc secundum reddit tale officium vitiosum, non vero primum. Ideo Augustinus a Jansenio relatus dicit: Bo-

Bonum est ut subveniatur homini periclitanti, præsertim innocenti; sed ille, qui hoc facit, si amando gloriam hominis magis, quam Dei facit, non bene bonum facit. Et quia plerumque opera bona Infidelium referuntur ad finem inanis gloriæ, aut avaritiæ, aut ad alium finem malum, ideo plerumque sunt vitiosa, ut idem Augustinus annotat lib. 4. contra Julianum. Quare inepte Lutherus in c. 4. epist. ad Galat. dicit: *Opera extra fidem facta, ut maxime in speciem sancta videantur, sub peccato, & maledicto sunt.* Quod pariter ineptissime docuit Calvinus lib. 3. Instit. c. 4. & Jansenius lib. 4. de statu naturæ lapsæ c. 3. ubi habet: *Sola absentia fidei sufficit, ut omnia opera Infidelium sint peccata.* Et jure merito proscripta fuit 27. Baji propositio dicens: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum vitia.*

VIII. Sed redeo ad ostendendum non dari in natura lapsa, circumscripta Dei gratia, in peccatoris voluntate solam libertatem ad peccandum; ita ut in aliquod vage peccatum necessario prolabatur, quoties gratia Liberatoris non infundit illi actum charitatis. Clemens Romanus lib. 3. Recognitionum pag. 4. refert Petrum Apostolum cum Simone Mago sic differentem: *Dic, quomodo Deus judicat unumquemque secundum veritatem, si agere aliquid in potestate non habuit?* pergitque ex testimonio D. Petri ostendere, quod judicium pœnæ subire non possint, qui in sua potestate non habuerunt, ut non peccarent. Justinus Apol. 2. pro Christianis habet: *Nisi homines pro arbitratu suo habeant turpia fugere, honesta sectari, extra culpam erunt, quidquid agant.* Idem passim etiam docet Augustinus, præsertim lib. de duabus animabus c. 2. ubi habet: *Peccati reum teneri quempiam, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est, & insaniæ.* Idem etiam alii Patres communiter, quorum verba longum esset recensere.

Neque dicas primo, Jansenianos non negare in peccatore libertatem ad non peccandum, sed solum libertatem ad bene operandum sine gratia Liberatoris. Nam contra est, quia abstinentia a peccato, si non est moraliter bona, & ex motivo charitatis, juxta doctrinam Jansenii, & Quesn. in thesi 44. est moraliter mala, & peccaminosa; cum non admittant medium inter cupiditatem, & charitatem, ex thesi 45. Præterquamquod in lege affirmativa naturali, qua præcipitur v. g. amor Dei, aut actus Contritionis, qui non est liber ad actum bonum, non potest esse liber ad non peccandum.

Neque dicas secundo, necessitatem peccandi non tollere a peccatore in natura lapsa veram rationem peccati in eo, qui peccat; quia scilicet potest non peccare sub gratia Liberatoris. Nam sicut non potest imputari ad culpam, quod homo moriatur, quia necessario moritur, quamvis possit non mori ex gratia Dei omnipotentis; ita non potest imputari ad culpam opus malum, quod necessario fit in sententia Janseniana, quamvis possit ex gratia per Christum non fieri.

IX. Neque dicas tertio, Augustinum, & alios Patres, dum dicunt non posse peccatum esse necessarium, loqui de peccato, quod sit duntaxat peccatum, non vero de peccato, quod sit peccatum simul, & pœna peccati, ut sunt peccata in natura lapsa: Quod expressit Augustinus lib. 1. Retractat. c. 15. ubi loquens de peccati definitione, qua dixit, peccatum esse non posse, nisi sit voluntarium, ita ut possit voluntas ab eo abstinere, addit; *Propterea vera est, quia id definitum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati.* Et similiter lib. Oper. imperfect. fol. 38. loquens de libertate requisita ad peccandum in natura lapsa, habet: *Nunc ei, qui dicit, quod nolo malum hoc ago, abstinere inde liberum non est. Ac per hoc tria ista discerne; & scias, aliud esse peccatum, aliud pœnam peccati, aliud utrumque.* Nomine peccati tantum intelligit S. Doctor amorem objecti vetiti, nulla cupiditate concupiscentiæ cogente elicitum, sicut fuit peccatum Protoplastorum; Nomine pœnæ peccati intelligit quodcumque seorsim a nova culpa homini provenit ex culpa Adæ, ut est mors corporea, ignorantia, quam ex peccato contraxit, concupiscentia effrænis, & alia id genus; Nomine vero peccati simul, & pœnæ peccati intelligit amorem objecti prohibiti, sive cum ignorantia præcepti, sive cum impossibilitate implendi præceptum, sive cum dominante concupiscentia, quæ procedat a voluntate; sicut est omnis amor vitiosus in natura lapsa; & ad hæc peccata libertatem indifferentiæ non requirit.

Sed contra est, quia si Augustinus vellet solum primum peccatum Adæ fuisse liberum, doceret errorem Calvini a Tridentino damnatum, quod per peccatum Adæ sit extinctum liberum arbitrium; quod Sancto Doctori enormiter est injuriosum. Quare universim, ex mente Augustini, quod est peccatum caveri potest; ut docuit etiam lib. 5. de Civit. Dei c. 10. & alibi. Illud peccatum, quod simul est pœna peccati per hoc, quod caveri non possit, non est proprie, & formaliter, sed improprie, & materialiter peccatum, videl. peccatum quod fit per ignorantiam invincibilem, & motus concupiscentiæ inevitabiles. Quod disertissime docuit S. Doctor lib. 3. de lib. arb. capite 19. dicens: *Si Adam & Eva peccaverunt, quid nos miseri fecimus, ut cum ignorantiæ cæcitate nasceremur?* quasi exponens hominum querelas, quod peccata ex ignorantia invincibili imputentur ad culpam. Sed querelis facit satis dicendo: *Non tibi deputatur ad culpam quod invitus ignoras, sed quod negligis quærere, quod ignoras; Ista propria tua peccata sunt.* Quibus verbis ostendit, peccata, quæ caveri non possunt, esse improprie peccata. Ad eum modum quo Tridentinum sess. 5. loquens de concupiscentia, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, declarat, *non appellari peccatum, quod vere, & proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.* Expressissime hoc ipsum docuit Augustinus lib. 1. Retractat. c. 13. loquens de peccatis, quæ proprie sunt peccata, & quibus convenit peccati definitio, dicens: *Peccatum quippe illud intelligendum est, quod tantummodo peccatum est, non quod est etiam pœna peccati.* Et post multa concludit: *Non itaque falsum est, quod dixi; usque adeo peccatum voluntarium malum est, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Quare peccata, quæ sunt inevitabilia, ut peccata ex ignorantia invincibili, & peccata, quæ fiunt ex concupiscentia inevitabili absque advertentia, & consensu, cum sint peccata simul, & pœna peccati, sunt solum improprie, & materialiter, ac secundum quid peccata, non vero proprie, formaliter, & simpliciter.

X. Confirmantur hæc omnia, quia si homo non esset liber ad peccatum declinandum, sed ex necessitate aliquod vage malum operaretur, non peccaret,

ret, dum illud operaretur; atque adeo peccaret, & non peccaret. Probatur sequela ex Justino Apolog. 2. pro Christianis, ubi habet: *Nisi homines arbitratu suo possint turpia fugere, honesta sectari, extra culpam erunt quicquid agant.* Bernardus etiam de lib. arb. col. 2. dicit: *Quod sibi liberum non esse cognoscitur, quo pacto ei vel bonum, vel malum imputatur? Excusat nempe utrumque necessitas.* Sic Damascenus Dialogo contra Manichæos; *Qui anima, quæ tyrannide oppressa est, poterit quin peccet? At proinde culpa non erit.* Et August. de lib. arb. c. 18. *Quis enim peccat in eo, quod nullo modo cavere potest? Peccatur autem; ergo caveri potest.*

XI. Accedunt ad hæc plurimæ aliæ Theologicæ ratiocinationes. Et prima quidem, quia si homo ex naturali sua constitutione necessario peccaret, Deus esset peccati auctor; ergo etiam si necessario peccaret post lapsum. Antecedens constat, quia in auctorem causæ refertur effectus necessario connexus cum sua causa; sicut in Deum conditorem refertur lux solis, & calor ignis. Quod expresse docent Patres communiter; causa quippe causæ est causa causati. Hinc Athanasius de salutari adventu habet: *Anne ergo peccatum secundum naturam fiet? Quod si ita est, statueritis naturæ Conditorem (quod blasphemum est) peccati esse opificem.* Et Hieronym. in Ecclesiastem c. 7. *Ne videretur communem hominum damnare naturam, & Deum authorem mali facere, dum talium conditor est, qui malum vitare non possunt, argute præcavit, & ait, bonos nos a Deo creatos.* Et August. lib. 7. Confess. capite 2. docet, in Deum referri peccata, si stellæ peccandi necessitatem inducerent, dicens: *De cœlo tibi est inevitabilis causa peccandi, & Venus hoc fecit, aut Saturnus, aut Mars; scilicet ut homo sine culpa sit, culpandus sit autem Cœli, aut siderum Creator, & ordinator.* Consequentia itaque probatur, quia per Adæ peccatum non est sublata homini potestas sibi connaturaliter debita; neque liberum arbitrium est extinctum, sed solum viribus est attenuatum, & inclinatum, ut habet Trident. sess. 6. c. 1. quatenus ob rebellionem partis inferioris patitur difficultatem ad honeste operandum, quam non patiebatur ante rebellionem; ergo post lapsum Adæ humanum arbitrium circumscripta gratia per Christum ex naturali sua constitutione ad summum necessitatur moraliter, non tamen physice ad peccandum; aliter tam ante peccatum Adæ, quam post illud, Deo peccatum hominis imputaretur. Et ratio a priori est, quia concupiscentia non fert secum necessitatem peccandi, sed solum difficultatem physice superabilem a facultate arbitrii; unde fit, quod si homo physice necessitaretur ad peccandum post lapsum Adæ, necessitas ista oriretur ex sua naturali constitutione, & sic Deus esset peccati auctor.

Confirmatur primo. Si sola vis concupiscentiæ induceret peccandi necessitatem in natura lapsa, Deus auctor naturæ esset simul auctor peccandi; siquidem concupiscentia ex naturali conditione humanæ naturæ competit homini; & illi inesset, si homo conditus esset in statu naturæ puræ, ut docet Chrysostomus homil. 19. ad populum Antioch. dicens: *Concupiscentiæ radix habet a natura principium; concupiscere enim naturale*: proinde proscripta est propositio illa Baji 55. *Deus non potuisset creare ab initio talem hominem, qualis nunc nascitur*, videlicet rebellem quoad appetitum imperio rationis, & aliis ærumnis obnoxium, quas per peccatum contraxit. Existimo tamen, quod non potuisset Deus hominem creare cum tali rebellione concupiscentiæ, quæ induceret necessitatem moralem ad peccandum; quia sic etiam quodammodo Deo etiam peccatum tribueretur. Unde Augustinus lib. 3. de Lib. Arbit. c. 18. dixit: *Non posse a libidinosis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed pœna damnati.* Ex hoc itaque, quod homini naturaliter concupiscentia competat, sequitur, quod hæc solum inclinet, non necessitet ad peccandum; & quia in pœnam peccati necessitat moraliter, ideo per merita Christi Domini gratia nobis abundans datur, ut illi resistamur. Unde dicitur ad Rom. 5. *Si unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiæ, & donationis, & justitiæ accipientes in vita regnabunt per Jesum Chistum Dominum nostrum.*

XII. Secunda Theologica ratio est, quia motus concupiscentiæ, & affectus turpes simplices, & inefficaces peccandi, cum sint necessarii, nullum continent peccatum in statu naturæ lapsæ, ut ipsi Janseniani admittunt, quamvis sint spontanei, & voluntarii, & ratione peccati originalis sit ablata nobis potestas illos cohibendi: ergo pariter vacarent culpa affectus turpes absoluti, & efficaces, si ad illos pariter necessitaremur. Neque dicas, affectus efficaces moveri ex judicio indifferenti boni, & mali. Nam pariter affectus simplices moveri possunt, ac persistere cum tali judicio; sicut persistebant cum notitia boni, & mali in Apostolo dicente, *Non quod volo bonum, hoc ago, sed quod nolo malum, hoc facio*; proinde ad Rom. 6. idem monet: *Ne regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus*; quatenus etiam cum advertentia rationis persistunt motus concupiscentiæ, ita ut possimus quidem illis non consentire, non tamen illos non sentire possimus; & ideo Apostolus non prohibet, ne sint, sed solum ne regnent. Quod Augustinus annotavit tract. 41. in Jo: dicens. *Non ait, non sit, sed non regnet: Quamdiu vivis, peccatum necesse est esse in membris tuis; saltem illi regnum auferatur; non fiat, quod jubet.* Quod si non essent necessarii, etiam cum advertentia rationis, Apostolus non diceret, non regnent; sed diceret, non sint, sicut absolute prohibetur consensus erga illos; cum autem solum prohibeat ne regnent, signum est, quod solum affectus inefficaces sint necessarii, non vero efficaces & absoluti. Quod innuit Gregorius lib. 21. Moral. c. 2. dicens: *Peccatum in humano corpore non esse, sed regnare prohibuit, quia in carne corruptibili non esse non potest, sed non regnare potest.*

Essent aliæ innumeræ Theologicæ ratiocinationes, quæ idem evincerent; præsertim quia derisoriæ essent exhortationes, comminationes, promissiones, si daretur peccandi necessitas, & gratia Liberatoris non sit in manu voluntatis. Præterea non esset gravius peccatum, quod committitur ob levem tentationem, quam si committatur ob gravem; etenim in utroque casu eadem daretur necessitas. Sed non est opus in his amplius immorari: satius est objecta diluere. Qui vero plura hac in re velit, consulat Bellarminum lib. 5. de Grat. & Lib. Arb. c. 9. & 10.

XIII. Opponitur, quod Augustinus non semel dixerit, hominem per Adæ peccatum contraxisse necessitatem peccandi; ergo si quam libertatem exer-

cet, quando se applicat ad operationem, ea solum est relate ad hoc, vel illud peccatum in specie, determinatur tamen ad peccandum in genere. Antecedens probatur: nam lib. de perfect. justitiæ c. 4. dicit, ex libero Adami peccato subsecutam esse pœnalem vitiositatem, quæ ex libertate fecit necessitatem. Et cap. seq. addit: *Quia peccavit voluntas, secuta est peccantem peccatum habendi dura necessitas*. Similiter lib. 3. oper. imper. c. 112. & lib. cont. Fortunatum Manichæum disp. 2. dicit, postquam peccavit Adam libera voluntate, nos, qui ab ejus stirpe descendimus, fuisse in necessitatem peccandi præcipitatos. Pariter in lib. laudato de perfect. justit. c. 6. habet: *Peccatum est, vel cum non est charitas, quæ esse debet, vel minor est, quam esse debet, sive hoc voluntate vitari possit, sive non possit: Quia si potest, præsens voluntas hoc fecit: si autem non potest, præterita voluntas hoc fecit:* ergo juxta mentem Augustini peccator non potest a culpa abstinere, & ad summum est solum liber ad malum sine gratia Liberatoris, prout dicitur in prima harum quinque thesium: Ad eum modum quo dæmones supposita sententia illa Theologorum, quod propter obstinationem in malo nequeant ullum actum veræ virtutis exercere, non sunt liberi ad faciendum opus undequaque bonum, sunt tamen liberi ad malum, quatenus possunt abstinere, si velint, ab hoc, vel illo opere malo, quod culpabiliter faciunt; esto non sint liberi ad abstinendum a malo quocunque.

Confirmatur primo: Lex sine gratia, & fide non solum non juvat ad non peccandum, sed etiam dando notitiam peccati incitat potius ad peccandum nitentes contra vetitum; ergo voluntas, quam gratia non prævenit, nihil habet luminis, nisi ad aberrandum; ardoris, nisi ad se præcipitandum; virium, nisi ad se vulnerandum; prout habetur in altera ex his thesibus.

Confirmatur secundo, quia nihil datur medium inter charitatem, & culpabilem cupiditatem; siquidem affectus animi versantur vel circa Creatorem, vel circa creaturas; & amor Creatoris est laudabilis; amor vero mundi est culpabilis, & ab Apostolo vetitus: atqui actus charitatis elici sine gratia non potest: ergo sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem, ut dicitur in tertia istarum thesium. Unde Augustin. lib. 1. de Grat. Christi c. 26. *Quid boni faceremus*, inquit, *nisi diligeremus? Ubi non est dilectio, nullum bonum opus imputatur*.

Confirmatur tertio: Cognitio Dei obligat nos, ut ad illum tanquam ad finem ultimum omnia dirigamus: aliter nihil recte fit; nec cognitio Dei parit affectus debitos adorationis, gratitudinis, amoris: atqui sine gratia hæc præstari non possunt; ergo cognitio Dei sine gratia non producit nisi præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum loco affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris, ut quarta istarum thesium contendit.

Confirmatur demum, quia *Omne quod non est ex fide peccatum est*, ex Apostolo ad Rom. 4. atqui sine gratia per Christum non possumus credere; ergo sola gratia per Christum reddit nos aptos ad sacrificium fidei, & sine hoc nihil nisi impuritas; nihil nisi indignitas, seu peccatum: prout in postrema thesi exprimitur.

Respondeo ex dictis constare, quænam fuerit hac in re mens Augustini, qui lib. 2. de Actis cum Felice Manichæo, lib. de gratia, & lib. arb. c. 2. & aliis in locis, ex præceptis, objurgationibus, exhortationibus colligit dari in natura lapsa libertatem indifferentiæ, qua possint homines eligere bonum, vel malum, Deo servire, vel diabolo, fructus bonos facere, vel malos, ac denique ita bene vel male operari, ut loco bonæ, vel malæ operationis possint oppositam ponere. Quinimmo etiam Infideles sine gratia fidei, & Liberatoris posse multa bona opera exercere docuit epist. 5. ad Marcellinum, & lib. de spiritu, & litt. c. 28. & lib. de patientia c. 6. Nec solum docet Infideles posse operari bona, sed etiam posse bene operari; unde Epist. 130. continentiam Polemonis dicit esse donum Dei, quia ortam ex motivo honesto proposito a Xenocrate, quod scilicet ea conformis esset rectæ rationi. Quare in locis laudatis, ubi videtur docere, quod in natura lapsa sine gratia Liberatoris detur necessitas peccandi, solum loquitur de necessitate morali, non de physica, seu de magna difficultate abstinendi a peccato, semperque, & constanter resistendi motibus concupiscentiæ, & peccandi occasionibus tam frequentibus, & importunis, & adeo vehementer ad culpam incitantibus: unde possumus verba illa Apostoli passim usurpare: *Infelix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus? Gratia Dei per Jesum Christum Dominum nostrum*. Quod si peccatum in genere vitari physice non posset, profecto juxta mentem Augustini reatus culpæ non contraheretur: dicit enim lib. 3. de lib. arb. c. 18. *Quæcunque ista causa est voluntatis, si non potest ei resisti, sine peccato ei ceditur. Quis enim peccat in eo, quod nullo modo caveri potest? Peccatur autem; caveri igitur potest*. Quibus adde, quod libertas ad carendum hoc, vel illo peccato, non vero a peccato aliquo vage, non cohæreat cum doctrina Janseniana, quæ docet ex Jansenio lib. 4. de Grat. Salvat. c. 7. & 9. & lib. 8. c. 3. quod voluntas nihil boni amplecti possit per consensum deliberatum, nisi aliqua delectatione indeliberata præveniatur, quæ si aliam non habeat simul occurrentem voluntati, consensum obtinet necessario: sin autem alia delectatio contraria simul occurrat, sequitur voluntas necessario illam, quæ major est; unde non datur in voluntate hæc libertas, quamvis umbratilis, & imaginaria, quam Janseniani comminiscuntur abstinendi ab hoc, vel illo peccato, non tamen a quocunque. Quicquid sit de obstinatione dæmonum, de qua varie loquuntur Interpretes D. Thomæ 1. p. q. 64. Illud certum est, quod non peccent in eo, ad quod physice necessitantur.

Ubi advertendum, quod si aliquando Augustinus videatur velle, quod per Adæ peccatum contraxerimus physicam peccandi necessitatem, tunc nomine peccati veniunt motus inordinati concupiscentiæ, quos involuntarie patimur amisso dono integritatis naturæ. Illi enim ab Apostolo vocantur peccata, non quia proprie sunt peccata, ut advertit Tridentinum sess. 5. can. 5. sed quia sunt orti a peccato Adæ, & ad peccatum inclinant.

Ad primam confirmationem: Non est lex divina, quæ incitat ad peccandum, sed est concupiscentia rebellis, nec a lumine, a quo illustratur ad recte operandum habet homo, ut a semita justitiæ aberret, sed a propria culpa; sicut exhortationes, bona consilia, & exempla, ac aliæ gratiæ exteriores non deserviunt ad obdurandum, ut ostendimus

in

in thesi quinta, sed humanum arbitrium illa respuendo culpabiliter magis obduratur.

Ad secundam, ostendimus inter actum charitatis, & culpabilem cupiditatem, seu inter Dei dilectionem, ac vitiosam dilectionem mundi intercedere plures actus virtutum moralium, quos potest homo exercere viribus duntaxat naturalibus. Augustinus loco laudato loquitur de dilectione honestatis, quæ est virtualis Dei dilectio, quatenus illam amando ponimus aliquid Deo gratum, non autem loquitur de formali Dei dilectione.

Ad tertiam: Non semper in via Dei cognitio obligat ad actum perfectæ dilectionis, sicut necessitat visio Dei in Patria. Quando autem in Ethnicis Dei cognitio conjungitur cum præsumptione, & vanitate, is pravus affectus tunc provenit tantum ex culpa voluntatis.

Ad ultimam: Apostolus ibi loquitur de iis, qui ex conscientia erronea putabant non esse licitum vesci cibis in veteri lege vetitis, & dicit, quod si talibus cibis vescantur, adhuc peccent, quamvis revera non essent amplius vetiti; quia non vescuntur iis ex fide, seu ex dictamine conscientiæ, quod liceant. Quare dictum illud, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, significat non vacare culpa id, quod non ponitur ex credulitate, quod sit licitum; nam si dictamen conscientiæ dictet esse illicitum, procul dubio sine culpa poni non potest. Non est autem sensus, quod Infidelis nihil boni præstare possit; proscripta enim est thesis illa 25. Baji dicentis: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes Philosophorum sunt vitia.* In quonam autem sensu dicat Augustinus, & Concilium Arausicanum can. 22. *Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum*, explicavimus in prima harum thesium; ubi plurima alia huc spectantia reperies; sicut etiam in secunda. Ex quibus omnibus falsitas istarum quinque thesium fit perspicua.

Falsum quippe est primo, quod habetur in thesi 38. videlicet peccatorem sine gratia Liberatoris non esse liberum, nisi ad malum; cum enim per peccatum non amiserit liberum arbitrium, poterit libertatem exercere, tum ad abstinendum a malo, tum ad bonum prosequendum: aliter non peccaret, dum peccat.

Falsum est secundo, quod dicitur in 39. Voluntas quippe lumine duntaxat naturali prædita, Deum Primam causam, ac omnium bonorum pelagus esse agnoscit, quo nostri affectus dirigendi sunt, ne aberremus, quem diligere debemus, ne in præceps ruamus, & a quo vires connaturaliter nobis proveniunt ad præcavenda vulnera, quæ nobis per culpas infliguntur. Capax proinde voluntas est honestæ operationis etiam citra gratiam supernaturalem.

Falsum est tertio, quod asseritur in 40. Possumus enim viribus connaturaliter debitis Deum amare amore naturali, qui quamvis ad supernaturalem beatitudinem non perducat, certe non confert ad nostram condemnationem. Possumus itaque sine gratia & Deum, & honestatem etiam virtutis amare, non solum citra culpam, & damnationem, sed etiam laudabiliter, ac cum merito hisce actibus consentaneo.

Falsum est quarto, quod habetur in 41. Siquidem cognitio Dei naturalis, (quæ etiam in Philosophis Ethnicis a Deo ut Auctore naturæ promanat) tantum abest, ut de se vanitatem, præsumptionem, & oppositionem ad Deum gignat, ut potius natura sua ad affectus adorationis, gratitudinis, & amoris extimulet. Unde liberum hominis arbitrium, quod per peccatum non est extinctum, poterit in hos actus honestissimos sine gratia intrinsece supernaturali prorumpere, si annuat.

Falsum denique est, quod dicitur in 42. videlicet sine fidei supernaturalis sacrificio (ad quod unice per gratiam reddimur apti) nonnisi impuritatem, ac indignitatem provenire posse: quandoquidem vi naturalis cognitionis nobis a natura inditæ de bonitate divina, ac de honestate virtutis, potest voluntas non solum a culpis abstinere, sed ad Dei dilectionem, ac ad virtutis prosecutionem incendi; nec est cur nequeat in hisce actibus exerceri sine gratia, ubi per peccatum libertatem non amisit.

Illud videtur hic negotium facessere, quod Augustinus videatur hanc ipsam trigesimam octavam Quesnelli thesim non semel iisdem pene verbis docuisse; ut proinde Quesnelli Asseclæ audacter inclament, thesim istam condemnari non posse, non damnata indivisim doctrina Augustini; quippe qui l. de corrept. & grat. cap. 1. hæc habet: *In bono nullus liber esse poterit, nisi fuerit liberatus ab eo, qui dixit: Si Filius vos liberaverit, tunc vere liberi eritis*. Similiter lib. 1. contra duas Epist. Pelagii cap. 3. habet: *Nec liberum arbitrium in bono erit, quod Liberator non liberaverit.* Et ibid. lib. 3. cap. 8. docet: *Liberum arbitrium captivatum nonnisi ad peccatum valet; Ad justitiam vero, nisi divinitus liberatum, adjutumque, non valet*; quod pariter aliis in locis S. Doctor inculcat.

Respondeo, hanc trigesimam octavam Quesnelli thesim coincidere cum vigesima septima Baji dicentis: *Liberum hominis arbitrium sine gratia Dei nonnisi ad peccandum valet.* Utraque tamen proscribenda fuit, quia utraque tam juxta germanum verborum sensum, quam in suis codicibus erroneum duntaxat sensum citra dubietatem præseferebat. Quamvis autem videatur consimilibus verbis Augustinus loquutus fuisse, ea tamen in Augustini Codice Catholicum duntaxat sensum præseferunt citra ullius aleam dubitationis; ut fuse, ac dilucide ostendit Suar. l. 1. de Grat. cap. 21. Potest siquidem universim eadem omnino propositio ex his adjunctis ad sensum Catholicum significandum determinari, ex aliis vero ad sensum falsum, & erroneum. Sic Matt. 26. dicuntur duo falsi testes deposuisse adversus Redemptorem, quod dixerit: *Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud*; & tamen revera Christus D. dixit Jo. 2. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud*. Quia tamen verba hæc a Christo Domino in iis circumstantiis prolata fuerunt, quæ denotabant templum corporis sui, ut advertit Evangelista, ideo erant verissima. Contra vero testes deponebant, Christum ea dixisse denotando, quod loquutus fuisset de Templo Hierosolymitano, idcirco falsum dicitur fuisse testimonium illorum. Quod autem præsens propositio in Codicibus Baji, & Quesnelli denotet etiam ex adjunctis sensum erroneum, nullatenus vero in Augustino, ex eo fit perspicuum, quia ex una parte verba hujus thesis de se exhibent sensum erroneum, (quod scilicet per peccatum in nobis extinctum sit liberum arbitrium in ordine ad bene operandum) ex altera parte idipsum confirmatur ex principiis Baji, & Quesnelli; cum ille in

sua thesi 38. hic in sua thesi 44. duos tantum in voluntate amores agnoscant, videlicet vel perfectæ charitatis, vel vitiosæ cupiditatis; quare thesis hæc tum secundum germanum verborum sensum, tum etiam ad mentem Baji, & Quesnelli fuit proscribenda. At verba laudata Augustini juxta ejus principia nihil aliud sonant, quam quod homo de suo nihil habeat præter peccatum, & mendacium, ut loquitur Concilium Arausican. can. 22., quatenus (ut in prima thesi explicavimus) peccatum ita est proprium nostrum, ut nullatenus sit Dei; ubi bona operatio Dei potius est, quam nostra. Propterea liberum arbitrium ab Augustino dicitur ad peccatum duntaxat valere, non vero ad justitiam, nisi per gratiam: quatenus ut peccet non indiget auxilio, & coinfluxu gratiæ; contra vero ut bene operetur in ordine naturali, indiget gratia ordinis naturalis, & ut bene operetur in ordine superno, indiget gratia ordinis superni; ut proinde peccator hac gratia munitus possit libere ad justificationem se disponere per actus supernaturales prævios, prout docet Tridentinum sess. *6.* cap. *6.*, & prout dicitur 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino*.

Vel dicas cum aliis apud Platellium p. 2. n.527. quod Augustinus dicens liberum arbitrium non esse liberum in bono, sed ad peccatum duntaxat valere sine gratia Liberatoris, loquatur juxta usum communem, quo de mendaci vere dicere solemus, quod nonnisi mendacia loquatur, quamvis aliquando, sed raro, loquatur etiam vera. Etenim opera, quæ ab Infidelibus fiunt sine auxilio gratiæ supernaturalis, (ut habet idem S. Doctor lib. de spirit. & lit. cap. 27.) *si discutiantur*, *quo sine fiant*, *vix inveniuntur*, *quæ justitiæ debitam laudem mereantur*. Cum autem dicat, *Vix* ea inveniri, aperte docet, quod aliquando, sed raro in iis inveniantur opera, quæ nullo malo sine vitientur, sed exercite, ac implicite ad Deum naturæ Auctorem, ut ad ultimum finem, referantur; quod satis est, ut ea opera dicantur moraliter bona in ordine naturæ. Quare juxta utrumque hunc sensum explicari rite possunt verba laudata Augustini cohærenter ad ejus doctrinam; (ita ut solum velit, vel quod liberum arbitrium de suo solum possit peccatum ponere, vel quod careat universim libertate solum morali, non physica ad bonum ponendum ordinis naturalis sine gratia in statu naturæ lapsæ). Propterea nullum ex iis poterit habere præsidium Quesnellus ad excusandos suos errores, quos fucosis verbis insinuat. Idemque dicas in similibus thesibus, quæ per summam injuriam eidem S. Doctori a Jansenianis appinguntur.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XXXVIII.

Trigesima octava docet, Peccatorem sine gratia Liberatoris non esse liberum nisi ad malum; quod similiter in quatuor aliis subsequentibus thesibus eructatur. Omnes tamen adversantur Tridentino, quod sess. *6.* can. 5. definit, per Adæ peccatum non esse extinctum liberum hominis arbitrium; ut propterea proscripta sit thesis illa 27. Baji, quæ habet: *Liberum hominis arbitrium*, *sine gratiæ Dei adjutorio*, *nonnisi ad peccandum valet*. Esset autem extincta nostra libertas, si citra gratiam supernaturalem, quæ antonomastice dicitur gratia, nihil aliud posset, nisi peccare; ut proinde culpa esset in homine obtemperare parentibus, reddere unicuique jus suum, colere Deum, si hæc præstaret citra gratiam supernaturalem, prout revera potest; cum etiam in infidelibus virtutum istarum actus deprehendantur, & quidem citra gratiam supernaturalem. Danielis 4. dixit Nabuchodonosori Propheta: *Peccata tua eleemosynis redime*; si autem erogatio stipis esset peccatum, sequeretur, quod peccatum peccato redimeretur, nec deservirent eleemosynæ ad placandum, sed ad irritandum potius Deum iratum. Libertas vero ad ponendum hoc, vel illud malum, si non extendatur ad carendum quolibet malo, revera non est libertas; ad eum modum, quo libertas ad præcipitandum se in hanc, vel illam foveam, sine libertate ad simpliciter non se præcipitandum, est solum libertas umbratilis, non libertas absolute dicta, quam Tridentinum definit non esse extinctam. Docuit quidem August. in lib. de spir. & lit. cap. 3. & alibi, Humanum arbitrium nihil valere, nisi ad peccandum, sine Dei gratia; iis tamen verbis solum denotat, ut diximus in prima thesi, & constat ex contextu, quod sine aliquo Dei favore, & gratia, sive ordinis naturalis, sive in præsenti providentia ordinis supernaturalis, homo nihil habeat de suo, nisi peccatum. Hinc tamen non sequitur, quod possimus etiam in hoc sensu benigne accipere verba hujus thesis. Nam, ut non semel diximus, quoties absolute pronunciatur aliqua propositio, quæ proscripta est ab Ecclesia tanquam erronea in aliquo Auctore, præsumitur, quod in sensu erroneo usurpetur, nisi sensus Catholicus ex contextu explicetur. Quod procul dubio non fit a Quesnello, qui tantum abest, quod sensum Catholicum explicet, ut potius explicet sensum erroneum, in quo usurpata fuit a Bajo; cum semper vestigiis Baji, ac Jansenii ejus discipuli inhæreat, ut ex decursu harum thesium fit perspicuum. Propterea tam in sensu germano & obvio, quem præseferunt verba, quam in sensu ab Auctore intento nigrum theta huic thesi præfigendum fuit.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XXXIX.

Trigesimanona vult pariter, voluntatem gratia destitutam lucem non habere, nisi ad aberrandum, nec ardorem, nisi ad se præcipitandum, nec vires, nisi ad se vulnerandum: ut proinde sit capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. Si autem ita se res haberet, homo gratia destitutus ad peccandum necessitaretur, ac propterea non peccaret, dum peccat. Ex Augustino enim *lib. 2.* de duabus animabus cap. 2. *Peccati reum teneri quempiam*, *quia non fecit*, *quod facere non potuit*, *summæ iniquitatis est*, *& insaniæ*. Si vires non suppetunt, nisi ad se vulnerandum, ubi gratia desit, consectarium est, quod desint tunc vires ad peccata declinanda; quomodo autem peccatur sine libertate, ac viribus requisitis ad talem fugam? Quesnellus passim Jansenizans, ut diximus in secunda Anacephalæosi, contendit contrahi peccatum formale, ac demeritum per solam libertatem a coactione citra libertatem a necessitate; & ideo

doc-

docet, vi gratiæ efficacis determinari hominem ad bene operandum, & mereri, quamvis non possit illi gratiæ resistere; ubi vero gratia isthæc desit, illustrationes, inspirationes, ac vires ad operandum (unde unde illas habeat) solum deservire ad contrahendum culpæ reatum, quamvis non possit homo a malis operationibus abstinere, prout docuit Bajus dicens in tertia ex suis thesibus profligatis: *Homo peccat etiam damnabiliter in eo, quod necessario facit.*

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XL.

Quadragesima etiam asserit, nihil nos amare posse sine gratia, nisi ad nostram condemnationem. Hæc autem Manichæismum sapit, redditque Deum peccati authorem; cum enim humana natura per peccatum nihil amiserit eorum, quæ ad sui naturalem conditionem spectant, sed solum contraxerit rebellionem partis inferioris, ac difficultatem ad bene operandum; ita ut liberum arbitrium remanserit inclinatum, & attenuatum, ex Trident. sess. 6. cap. 1. & can. 5. non tamen fuerit amissum; si verum esset, quod homo carens gratia solum peccare posset, & ad suam condemnationem amare quicquid amare posset, sequeretur ex naturali sua constitutione ad peccandum necessitari; & quia quæ ad naturam spectant, ad Deum naturæ auctorem refunduntur, idcirco peccatum hominis Deo ascribi deberet; unde Deus naturæ humanæ auctor esset pariter auctor peccati, juxta hæresim Manichæorum. Quare sicut in omnium sententia affectus turpes inefficaces, ac motus primo primi, quia sunt indeliberati, & carent libertate ad peccandum requisita, non sunt formaliter mali, nec sunt demeritorii; ita nec essent peccata formalia, nec ferrent demeritum effectus turpes efficaces, si carerent libertate a necessitate: quod nemo dixerit. Possumus itaque citra gratiam aliquid amare, & non ad nostram condemnationem. Propterea proscripta fuit Bajana illa thesis 61. dicens: *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis liberi arbitrii bonus, sive non malus; & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet.*

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XLI.

Quadragesimaprima sustinet, omnem Dei cognitionem, etiam naturalem, etiam in Philosophis Ethnicis, sine Dei gratia, vice affectuum adorationis, gratitudinis, & amoris, parere præsumptionem, vanitatem, & oppositionem ad ipsum Deum. Quid absurdius excogitari potest? Quomodo Apostolus ad Roman. 1. diceret, esse inexcusabiles eos, qui *cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt, sed evanuerunt in cogitationibus suis?* Si Dei cognitio sine gratia de se pareret præsumptionem, & vanitatem, non vero affectum adorationis, gratitudinis, & amoris naturalis, in promptu esset excusatio istorum, quos Apostolus increpat tanquam inexcusabiles. Quesnellus inhæret vestigiis Baji docentis in 25. ex suis proscriptis thesibus: *Omnia opera Infidelium esse peccata, & virtutes Philosophorum esse vitia*; perinde quasi omnes affectus studiosi, etiamsi ex cognitione Dei promanent, vanitate, ac vitio imbuantur, ubi desit gratia; quod tamen a veritate nimium abhorret, cum constet ex Scripturis, Deum non semel etiam bona opera Infidelium in hac vita remuneratum esse, sicut ædificavit obstetricibus Ægyptiis domum, ea tantum de causa, ut habetur Exod. 1. *quia Deum timuerunt.* Immo Dei cognitio indita nobis est a natura, ut homines naturæ ductu tendant ad diligendum suum Conditorem, & assequendum Remuneratorem; quamvis nonnulli deinde hac ipsa naturali Numinis cognitione ex propria culpa abutantur in præsumptionem, evanescentes in cogitationibus suis. Notandum tamen, quod thesis velit, *etiam naturalem* cognitionem Dei parere vanitatem, quasi dicat, non solum a cognitione Dei supernaturali, sed etiam a naturali præsumptuose homines in superbiam extolli, ac vanitatem. Quis autem non videat, cognitionem Dei supernam, ac divinas illustrationes de se tantum parere affectus supernos adorationis, timoris, dilectionis, contritionis, etiam in iis; qui gratiam habitualem, ac sanctificantem per peccatum amiserunt, non vero præsumptionem, ac vanitatem? Idipsum itaque dicendum de cognitione Dei naturali, etiam in Philosophis Ethnicis, quod scilicet de se solum viam muniat ad pios affectus naturales erga summum bonum naturæ viribus cognitum, immo & conspectum; dicitur enim Rom. 1. *Invisibilia ipsius a creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas*; ut sint inexcusabiles, ut diximus, qui hac Numinis cognitione abutuntur ad præsumptionem, ac perniciem.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XLII.

Quadragesima secunda docet, Christi gratiam duntaxat reddere hominem aptum ad fidei sacrificium; hoc autem circumscripto nihil reperiri, præter impuritatem, ac indignitatem. Quod Christi gratia actualis requiratur ad captivandum, & sacrificandum intellectum in obsequium fidei divinæ, nemo est, qui in dubium revocet; cum enim fides ex Tridentino sess. 6. cap. 1. sit *Humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*, non potest hujus Theologicæ virtutis actus non esse supernus, atque adeo sine Christi gratia prodire non potest. Quod autem sine fide, sine qua ex Apostolo impossibile est placere Deo, & habere gratiam sanctificantem, pariter impossibile sit elicere actus honestos, sed quilibet Infidelium actus debeat esse impurus, indignus, ac peccaminosus, fuit error Baji in sua proscripta thesi 25. ubi dixit, Omnia opera Infidelium esse peccata. Constat enim ex dictis in superiori thesi, non solum sine gratia antonomastice dicta, hoc est sine gratia Theologica, sed etiam sine fide poni posse actus studiosos, & honestos: Quod diserte Augustinus ostendit in Psalm. 83. explicans versiculum illum; *Etenim passer invenit sibi domum, & turtur nidum sibi*; & lib. 5. de Civ. cap. 15. advertit, Deum Romanis imperii amplificationem concessisse in præmium quorundam actuum virtutum

tum

tum moralium, quos passim exercebant; retributio enim, quæ iisdem conferri non poterat in alia vita, eo quod sine gratia decedentes detrudendi erant in gehennam, tribuebatur illis in hac vita, extendendo ultra modum Romani Imperii dominationem; Nec solum virtutum moralium naturalium actus exerceri possunt ab Infidelibus, ac passim exercentur, dum v. gr. parentes honore prosequuntur, pauperibus subveniunt, unicuique tribuunt jus suum; sed etiam antequam credant, exercere possunt actus supernaturales prævios. Quod constat tum ex quinta thesi ab Alexandro VIII. proscripta, quæ habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a JESU Christo influxum, adeoque recte inferes, in illis esse voluntatem nudam, & inermem, sine ulla gratia sufficienti*; tum ex eo, quia cum Christus dederit semetipsum Redemptionem pro omnibus, ut dicitur 1. ad Timoth. 2. consectarium est, quod Christi mors omnibus contulerit auxilia sufficientia ad salutem assequendam; & quia fides ex Tridentino est humanæ salutis initium, radix, & fundamentum, ita ut sine fide impossibile sit placere Deo, eaque requiritur, ut possit homo baptismo aliquo, saltem flaminis, baptizari, & sic introire in Regnum Dei; idcirco Infidelibus omnibus auxilia superna Christus confert, quorum adjutorio libere possint fidem amplecti, & lavacro salutis ablui. Quare etiam antequam credant, exercent Infideles actus supernos, nempe piam affectionem ad fidem, ejusque amplexum; eo quod fides ut libere acceptata per actum voluntatis, & sic meritoria, sit humanæ salutis initium, non vero secundum quod est actus intellectus non formaliter liber. Hinc Concil. Coloniense par. 7. cap. 31. docuit: *Quanquam nemo convertatur ad Dominum, nisi tractus per Patrem, attamen nemo hic excusationem prætexat, quod non trahatur, quod ille semper stat ante ostium pulsans, nimirum per internum, & externum verbum commonens, ut convertamur a via nostra pessima.* Falsum proinde est, quod sine fidei sacrificio nihil detur, nisi impuritas, & indignitas; cum etiam Infidelibus vires gratiæ dentur, quibus libere velint fidem amplecti, ac baptizari, ac fundamentum ponere ad ædificium spirituale; nulla tamen ad id expectata dispositione per actus morales viribus naturæ elicitos, ut impie contendebant Semipelagiani.

P R O P O S I T I O XLIII.

Primus effectus gratiæ baptismalis est facere, ut moriamur peccato: adeo ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ pro peccato, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. *Quesnel. Rom. 6. 2. edit. 1699.*

S Y N O P S I S.

I. Dum gratia baptismalis extollitur in hac thesi, ea valde deprimitur.

II. Exsuscitatur hic hæresis Joviniani, quod scilicet habens gratiam baptismalem sit impeccabilis.

III. Gratia isthæc adimit quidem peccatum, sed non potentiam peccandi; unde non potest baptizatus mortuo æquiparari.

IV. Remanet quippe in eo concupiscentia, quæ peccatum ab Apostolo appellatur, non quod proprie peccatum sit, sed quia est ex peccato, & ad peccatum inclinat.

V. Sicut prima bona operatio libera præcepta non excludit, sed compatitur potentiam ad peccandum; ita pariter gratia baptismalis.

VI. Qui ex Deo natus est, dicitur a Joanne non posse peccare, videlicet in sensu composito, non in sensu diviso; juxta quam significationem arbor bona non potest malos fructus facere.

VII. Explicatur in quo sensu gratia actualis efficax sit Omnipotens, quin excludat potentiam ad peccandum.

VIII. Et quonam pacto per illam voluntas agatur, & rapiatur.

IX. Quomodo indeclinabiliter, & insuperabiliter per gratiam agatur voluntas, libertate incolumi.

X. Quomodo Deo tribuantur operationes gratiæ salutares, quamvis arbitrium ad illas se determinet.

XI. Quomodo etiam non sit volentis, neque currentis, sed miserentis Dei nostra libera operatio.

XII. Et quid intersit inter gratiam Adamicam, seu Sanitatis, & Christianam, seu Medicinalem, si utraque dat posse simul, & velle, & neutra potentiam ad peccandum excludit.

XIII. Gratia baptismalis, quamvis non extinguat fomitem concupiscentiæ, nec evertat potentiam ad peccandum, nihilominus peccatum non radit, sed omnino destruit.

XIV. Concupiscentiæ motus non sunt peccaminosi, si desit illis consensus.

XV. Quonam pacto magis nobis profuerit Gratia Redemptoris, quam obfuerit culpa?

I. GRatiam baptismalem adeo in speciem extollit Auctor in hac thesi, ut quodammodo Beatitudini ipsi æquiparet; etenim vi gratiæ, qua peccato commorimur, ita Deum diligimus amore amicabili, ut cum Apostolo ad Roman. 8. exclamare possimus: *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare a Charitate Dei, quæ est in Christo JESU Domino nostro.* Uni quippe Deo de plenitudine potestatis videtur integrum esse hoc indissolubile charitatis vinculum dissociare. Verum longe a vero aberrat: etenim quamvis Deus nunquam in præsenti providentia vinculum hoc suæ erga nos amicitiæ sponte dissolvat, in manu tamen voluntatis nostræ posuit ab ipsa resilire, vel in ea firmari, ita ut qui sanctus est, sanctificetur adhuc, ut possit Deo in Patria intensius frui in perpetuas æternitates in præmium talis dilectionis. Hanc itaque pretiosissimam facultatem merendi gloriam intensiorem ob liberam a culpa fugam adimit nobis in hac thesi Quesnellus, excludendo in justo libertatem ad peccandum: Ex quo fit perspicuum, universim ipsum loqui cohærenter ad errores Jansenianos; atque adeo a veritatibus Catholicis discordare, dum suis fucosis thesibus inducit homines ad desidiam, perinde quasi unice a Deo dependeat nostra salus, & gratiæ conservatio in justo, & non etiam a propria voluntate, quæ possit arbitratu suo peccare, & sic gratiam amittere; Unde verum sit, quod nunquam Deus nos deserat, nisi prius a nobis per peccatum deseratur.

II. Et

II. Et sane, sicut in prima thesi Quesnellus docuit, amissa per peccatum gratia, nihil remanere in peccatore, præter generalem impotentiam ad omnes opus bonum; ita nunc ex opposito docet, quod sublato per gratiam baptismalem peccato, in justo remaneat omnimoda impotentia ad peccandum; & sicut in thesi 23. docuit, Ideam gratiæ Jansenianæ haberi ab operatione omnipotentis Dei, qua mortuis reddit vitam; itaut sicut mortuus nullatenus cooperatur ad suam resurrectionem, ita nec peccator ad acquirendam vitam gratiæ: ita in hac thesi (si germanum verborum sensum spectemus) pariformiter vult, quod sicut operatio Omnipotentis, dum adimit Cajo vitam, efficit, ut nullam ille operationem exercere valeat pro rebus mundi; ita gratia baptismalis, dum reddit hominem peccato mortuum, efficiat, ut nullam valeat exercere operationem in ordine ad peccandum. Quare sicut gratia per Jansenianos confertur a Deo citra cooperationem nostræ voluntatis; ita tollitur nulla prævia voluntatis operatione peccaminosa. Ex quo fit, quod habens gratiam baptismalem sit impeccabilis, juxta hæresim Joviniani apud Bellar. lib. 1. de Bapt. cap. 14. & in tantum possit gratiam amittere, in quantum a Deo illa tollitur. Quomodo enim peccare poterit justus, qui ita peccato est mortuus per gratiam, ut spiritus, cor, sensus non habeant plus vitæ in ordine ad peccandum, quam habeat homo mortuus pro rebus mundi? Hanc autem Joviniani hæresim ante Jansenium instauravit Jo: Calvinus, docens, hominem semel justificatum non posse amplius a gratia excidere; etenim in Antid. Concilii Trid. sess. 7. can. 7. de Baptismo dicit, Baptismo veluti Dei chirographo nos certiores reddi de perpetua adoptionis gratia, atque adeo de æterna salute; sicut lib. 3. Instit. cap. 2. §. 11. dicit, veram fidem semel habitam amitti non posse, esseque donum Electorum proprium. Quesnellus vero in hac thesi callide solum docet, quod justus peccato mortuus non possit per peccatum gratiam amittere; sed implicite cum Calvino etiam docet, quod nec possit fides amitti, quia gratia consistere non posset, si fides per peccatum infidelitatis amitteretur. Idcirco autem putat non posse gratiam baptismalem amitti per peccatum, tum quia putat gratiam non dependere a nostra libera operatione in fieri, & consequenter neque in conservari; tum etiam quia per gratiam tollitur peccatum, atque adeo concupiscentia, quam putat esse peccatum: sublata autem concupiscentia, non solum spiritus, & cor, hoc est anima, & voluntas, sed neque sensus, qui sedes est concupiscentiæ, quicquam habet vitæ amplius pro peccato patrando, ex quo gratia deperdatur.

III. Ostenditur autem falsitas hujus thesis ex iis, quæ Hieronymus habet lib. 2. in Jovinianum, & August. tr. 5. in Epist. Jo: quia scilicet passim Scripturæ docent, hominem justificatum ita carere peccato, ut non careat potestate ad illud patrandum, & ad gratiam, imo etiam ad fidem amittendam: unde falsum est, quod per gratiam baptismalem ita peccator moriatur pecato, ut non retineat plus vitæ pro illo, quam homo mortuus habeat pro rebus mundi. Ad Rom. 8. *Si secundum carnem vixeritis, moriemini*, 1. ad Cor. 6. *Nolite errare; neque fornicarii, neque fures, neque adulteri &c. Regnum Dei possidebunt*. Et quod possit etiam fides per peccatum infidelitatis deperdi habetur ex illo ad Roman. 11. *Tu fide stas: noli altum sapere, sed time*: & ad Hebr. 6. *Impossibile est eos, qui semel sunt illuminati &c. & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam*: & 1. ad Timot. 1. *Habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragaverunt*. Præterea in Trid. sess. 7. can. 6. de baptismo anathematizatur, *qui dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere*. Et Augustinus passim docet, perseverantiam in gratia ita esse donum Dei, ut sit in manu voluntatis perseverare, aut non perseverare; ad eum prorsus modum, quo nostra prima bona operatio ita est donum Dei, ut sit in manu voluntatis illam ponere, vel non ponere: cum autem semper gratia in nobis perseveret, donec per peccatum amittatur, sequitur, quod instructus gratia baptismali peccare possit; unde in ordine ad peccatum non possit æquiparari mortuo, qui nihil habet vitæ pro rebus hujus mundi. Sanctus Doctor lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. loquens de duobus justis æqualiter animo, & corpore affectis, & in eadem occasione versantibus, & æquali tentatione pulsatis, quorum alter peccet, & sic gratiam amittat, alter vero resistat, idque ex propria voluntate, dicit: *Quid aliud apparet, nisi unum voluisse, alterum noluisse a castitate deficere? Unde, nisi propria voluntate, ubi eadem fuerat in utroque corporis, & animæ affectio? Amborum oculis pariter visa est eadem pulchritudo, ambobus pariter institit occulta tentatio*.

IV. Ad Catholicam hanc doctrinam eludendam Jansenius respondet, Augustinum loqui de statu Innocentiæ, in quo differentia vincentis tentationem a non vincente oriebatur ex diversitate voluntatum; non autem in statu naturæ lapsæ, in quo victoria oritur a gratia, quæ victoriam in nobis sine nostra libera cooperatione operatur. Sed effugium Jansenii est deridendum. Nam in statu innocentiæ, in quo solum fuerunt Adam, & Eva, nunquam fuerunt duo homines æqualiter affecti animo, & corpore, qui visa ejusdem mulieris pulchritudine ad illicite perfruendum allicerentur, & unus quidem tentationi consentiret, & gratiam amitteret, alter in voluntate pudica, atque adeo in gratia stabilis perseveraret. Quare Augustinus loquitur de duobus in statu naturæ lapsæ, in quo justus & peccare potest, & allicitur ad peccandum a propria concupiscentia. Unde quod spectat ad spiritum, cor, & sensum, non se habet ut mortuus relate ad peccatum; quamvis nihil peccati in eo remaneat, supposita gratia baptismali, cum concupiscentia ex Trid. sess. 5. ita in renatis remaneat, ut non sit vere, & proprie peccatum, sed ab Apostolo appelletur peccatum, solum quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.

V. Et sane in eo primo instanti, in quo homo ponit libere dilectionem Dei præceptam, ita sanctificatur per gratiam justificantem consequentem ad talem dilectionem, ut simul componantur gratia, & potentia ad omittendam dilectionem præceptam, unde cohæreat gratia cum potentia ad peccandum: ergo pariter poterit gratia perseverare, quin excludat potentiam ad peccandum in sensu diviso, quatenus per peccatum ab ea gratia dividatur.

VI. Opponitur primo, quod dicitur 1. Jo. 3. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quia*

semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quia ex Deo natus est. Si autem peccare non potest, qui gratia donatus est, se habet ad peccatum, sicut mortuus ad operationes. Et 1. Jo. 5. pariter habetur: *Qui natus est ex Deo, non peccat, sed generatio Dei conservat eum*. Et Christus D. Matth. 7. *Non potest arbor bona malos fructus facere*.

Respondet tamen Hieronymus loco laudato, testimonia isthæc accipienda esse in sensu composito, quatenus non potest in sensu composito gratiæ consistere peccatum, nec potest malos fructus facere arbor bona, dum manserit bona. Et hoc pacto exponit etiam illa Augustinus tr. 5. in Epist. Joan. Repugnat quippe Scripturis, quod in sensu Calvini ea sumantur, ita scilicet, ut non possit justus simpliciter peccare in sensu diviso a gratia. Etenim Actorum 8. Simon Magus credidit, & baptizatus fuit, & paulo post a fide, & charitate recessit. Et Act. 20. dicitur: *Ex vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se*. Et de facto omnes apostatæ, & hæretici gratiam, & fidem amittunt, & alii peccatores amittunt saltem gratiam.

VII. Opponitur secundo: Gratia, quæ nos sanctificat in JESU Christo per hoc, quod nos illi uniat, est omnipotens, (ut dictum est in 37. ex his thesibus) & digna filio Dei: ergo gratia ista non solum tollit peccatum, sed etiam potentiam ad peccandum, adeo ut spiritus, cor, & sensus sint instar mortui relate ad peccatum. Antecedens probatur a Jansenio ex variis notis, seu proprietatibus, quibus Augustinus gratiæ efficaciam designat, & quæ a fortiori dicendæ sunt de gratia baptismali, propter quam datur gratia actualis. Prima gratiæ nota est, quod ejus potestas sit omnipotentissima, ex Epist. 107. ad Vitalem; quod sit ineffabilis, ex lib. de Grat. Christi cap. 24. quod sit potentior aversione nostra, ex lib. de Prædestinat. Sanct. cap. 2. quod sit occultissima, & potentissima, ex lib. de corrept. & grat. cap. 5. & quod sit efficacissima, ex lib. de Grat. & liber. arb. cap. 5. Propterea cap. 14. habet: *Deo volenti salvum facere nullum liberum resistit arbitrium. Sic enim velle, & nolle in volentis, aut nolentis est potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem*. Et lib. 1. ad Simplician. q. 2. *Non potest effectus misericordiæ Dei esse in hominis potestate, ut frustra ille misereatur, si homo nolit*.

Secunda proprietas gratiæ est, ex Augustino apud Jansenium, quod voluntas ita agatur per gratiam, & rapiatur, ut ipsa vix agere intelligatur. Hæc habet S. Doctor lib. de gestis Pelagii cap. 3. *Procul dubio plus est agi, quam regi; qui enim regitur, aliquid agit, & a Deo regitur, ut recte agat; qui autem agitur, agere aliquid ipse vix intelligitur: Et tamen tantum præstat nobis gratia Salvatoris, ut non dubitet Apostolus dicere, Quotquot spiritu Dei aguntur, hi filii sunt Dei; nec aliquid in nobis libera voluntas melius agere potest, quam ut illi se agendam commendet, qui male agere non potest*.

Tertia gratiæ nota est, quod sit victrix supra voluntatis arbitrium. Etenim lib. de corrept. & grat. c. 12. Augustin. loquens de Gratia Adamica dicit, *Adjutorium datum primo homini ante lapsum fuisse tale, ut cum eo permaneret, si vellet*; Loquens vero de gratia Christiana, quæ datur homini post lapsum, ait, *Subventum esse infirmitati voluntatis humanæ, ut divina gratia indeclinabiliter, & insuperabiliter ageretur*.

Quarta nota gratiæ ex Augustino est, quod operationes nostræ quæ per illam fiunt, tribuantur Deo, qui voluntatem agit pro libito, impellit, flectit, & inclinat quo libet, ita ut dicatur Deus loqui in nobis, ac diligere in nobis, quando loquimur, & diligimus, & non quod solum det nobis loquendi, ac diligendi potestatem. Sic. in Psal. 56. & tr. 93. in Joan. & ep. 120. cap. 17. & alibi.

Quinta, ut per gratiam non dicantur homines velle, & operari, sed Deus dicatur misereri hominum, juxta illud ad Roman. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei*. Et Augustinus advertit lib. 2. ad Simplician. cap. 2. non eodem modo concurrere gratiam ad operationes nostras, ac voluntatem; quia si eodem modo concurrerent, sicut dicitur, *Non est volentis, sed miserentis Dei*; ita posset ex opposito dici, non est miserentis Dei, sed volentis. Hæc habet S. Doctor: *Si propterea solum dictum est, Non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, quia voluntas hominis sola non sufficit, ut juste, pieque vivamus, nisi adjuvemur misericordia Dei, potest & hoc modo dici: Igitur non miserentis est Dei, sed volentis est hominis; quia misericordia Dei sola non sufficit, nisi consensus nostræ voluntatis addatur. At illud manifestum est, frustra nos velle, nisi Deus misereatur; Illud autem nescio quomodo dicatur frustra Deum misereri, nisi nos velimus*. Ratio autem cur nos frustra velimus, nisi Deus misereatur, & gratiam conferat, est manifesta, quia nostra bona libera operatio non potest esse salutaris, & ad salutem conducere sine Dei gratia: Ratio vero cur male dicatur, frustra Deus misereri, nisi nos velimus, adducitur ab eodem Augustino loco laudato per hæc verba: *Si enim Deus miseretur, ergo jam volumus; ad eandem quippe misericordiam pertinet, ut velimus; Deus enim est, qui operatur in nobis & velle, & operari in bona voluntate*.

Sexta gratiæ proprietas ex Augustino est, quod pariat in nobis effectum, propter quem datur, ad differentiam gratiæ Adamo collatæ, quæ solum dedit posse; hæc autem dat posse simul, & velle, ut habet lib. de corrept. & grat. cap. 11. dicens: *Prima gratia est, qua fit, ut homo habeat justitiam, si velit; secunda ergo plus potest, qua etiam fit, ut velit*. Etenim ex quo Adami voluntas concupiscentiali vitio debilitata est, non sufficit amplius, quod per gratiam possit velle, sed opus est adjutorio, *quo fiat, ut velit, & tanto ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiscentem voluntate spiritus vincat*, ut loquitur Augustinus loco laudato. Et cap. sequenti addit: *Si enim in tanta infirmitate vitæ hujus ipsis relinqueretur voluntas sua, ut in adjutorio Dei, sine quo perseverare non possent, manerent, si vellent, nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot, & tantas tentationes infirmitate sua voluntas ipsa succumberet; & ideo perseverare non possent, quia deficientes infirmitate sua nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut possent*. Cum autem gratia per Christum in natura lapsa pariat hunc effectum, quod velimus, non vero, si velimus, sequitur, quod per illam peccato moriamur, ita ut nihil vitæ pro illo supersit. Imo Concilium Arausicanum can. 4. diserte docet, Deum non expectare voluntatem nostram, ut a peccato per gratiam nos liberet, sed efficere, ut velimus a peccato purgari, dicens: *Si quis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare con-*

ten-

tendit, *non autem*, *ut etiam purgari velimus*, *per Spiritus Sancti infusionem* , *&* *operationem in nos fieri*, *confitetur*, *resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti* : *Præparatur voluntas a Domino* . Si autem gratia non expectat, ut velimus, sed absolute facit nos velle, non potest voluntas sub tali dono non esse peccato mortua, ita ut nihil ei vitæ remaneat pro peccato.

Respondeo Jansenium ex his notis gratiæ efficacis nihil evincere faciens ad rem nostram: tum quia in his notis sermo est de gratia actuali, & in hac thesi sermo est de gratia habituali sanctificante, quam diximus in expositione thesis trigesimæ sextæ esse qualitatem nobis inhærentem, tanquam naturam supernaturalem, & radicem omnis supernaturalitatis; quod autem hæc quamvis exigat gratias actuales, consistat cum potentia ad peccandum in sensu diviso, abunde jam ostendimus: Tum etiam quia gratia actualis efficax stat pariformiter cum facultate voluntatis ad illi resistendum, ut proinde, si resisteretur, non esset efficax , sed mere sufficiens , ut alias diximus. Ad id quod ex Augustino opponitur in ordine ad notas gratiæ efficacis facile respondetur , ejus infallibilem effectum, & ineluctabilem vim non provenire ex eo , quod gratia libertatem evertat, & necessitatem inducat, sed ex eo quod posita prævisione consensus sub tali auxilio, impossibile sit, quin collato tali auxilio consensus sequatur. Unde consensus necessario promanat, quin tamen promanet consensus necessarius: proinde simul cum gratia stat facultas ad illi resistendum , & ad peccandum . Quare

Ad primam notam jam diximus , quomodo non possit voluntas humana impedire divinam voluntatem, qua prædefinit consensum, quamvis possit gratiæ resistere , & dissentire; etenim non desunt in ærario Omnipotentiæ infinita media, & auxilia, quibus voluntatem uniuscujusque hominis quantumvis duram possit ad arbitrium emollire, & quocumque velit inflectere, incolumi ejus libertate indifferentiæ : aliter Omnipotentia non posset dominari in creaturam liberam qua liberam; unde non competeret Omnipotentiæ ea perfectio, qua major excogitari non possit.

VIII. Ad secundam, Augustinus verbis illis solum vult innuere, quod relate ad opera salutaria potissimæ partes sint gratiæ, quin tamen excludatur libera operatio voluntatis, quæ gratiæ resistere possit : quod Apostolus innuit verbis illis : *Non ego*, *sed gratia Dei mecum*. Hinc idem Augustinus exponens verba illa Roman. 8. *Quicumque Spiritu Dei aguntur*, *ii sunt filii Dei*, sic habet: *Dicet mihi aliquis*: *Ergo agimur* , *non agimus*: *Respondeo*, *immo & agis* , *&* *ageris*, *&* *tunc bene agis* , *si a bono agaris*; *Spiritus enim Dei qui te agit*, *adjutor est agentibus*; *nemo autem adjuvatur*, *si ab illo nihil agatur*: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram*. Et lib. de corrept. & grat. cap. 2. pariter habet : *Intelligant*, *si filii Dei sunt*, *se spiritu Dei agi*, *ut quod agendum est*, *agant* ; *&* *cum egerint* , *illi* , *a quo aguntur* , *gratias agant* ; *&* *ad hoc eis ostenditur*, *quid agere debeant*, *ut quando id agunt*, *sicut agendum est*, *idest cum dilectione*, *&* *delectatione justitiæ*, *suavitatem*, *quam dedit Dominus*, *ut terra eorum daret fructum suum* , *accepisse se gaudeant*. Stat ergo, quod voluntas gratiæ resistere possit culpabiliter, quamvis a spiritu Dei suaviter, & fortiter in bonum inclinetur.

IX. Ad tertiam, quomodo voluntas per gratiam efficacem indeclinabiliter , & insuperabiliter a Deo agatur illæsa libertate , non semel explicavimus, præsertim in tertia thesi. Discrimen inter gratiam datam in statu innocentiæ, & eam , quæ datur in statu naturæ lapsæ , demonstravimus in thesi 36. , ubi diximus non dari inter utramque gratiam discrimen essentiale , ita ut illa daret solum posse cum libertate ad volendum , & hæc det etiam velle sine libertate ad nolendum ; sed discrimen utriusque esse accidentale, quatenus hæc & confertur positive indigno , & supponit redemptionem , & ex Christi meritis est uberior , ut possit ægritudinem naturæ lapsæ sublevare : in utroque tamen statu gratia efficax agit arbitrium insuperabiliter , incolumi libertate, ut ostendimus loco laudato.

X. Ad quartam, tribuuntur Deo operationes nostræ salutares, sicut victoria tribuitur Duci, quamvis milites bellum gerant; quia sicut potiores partes sunt Ducis in victoria, quam militis ; ita a fortiori potiores partes sunt Dei in victoria tentationum, & bonis operationibus, quam nostræ voluntatis: cum Deus non solum dirigat, det arma, præcipiat, & intendat illas, sed etiam det vires, & infallibiliter illas prædefiniat citra libertatis præjudicium. Hinc dicitur Deus in nobis loqui, & diligere.

XI. Ad quintam , quia ad operationes salutares diversimode concurrit gratia, ac voluntas, illa quidem tanquam causa principalissima , & invictissima , voluntas vero tanquam instrumentum liberum , quod possit quidem gratiæ resistere , sed subsit dominio Dei , cum non desint auxilia , quibus possit illam emollire; ideo non potest dici, quod operatio salutaris non sit miserentis Dei, sed volentis; possit autem ex opposito dici cum Apostolo , quod non sit volentis, nec currentis, sed miserentis Dei: nec similiter dici potest quod frustra Deus misereatur, si nos nolimus; sed dicendum, quod frustra nos velimus, si Deus non misereatur.

XII. Ad sextam diximus , inter gratiam Adamicam, & Christianam , seu inter gratiam sanitatis in statu naturæ integræ , & medicinalem in statu naturæ lapsæ, & ægrotæ, solum dari discrimen accidentale , quod hæc gratia sit uberior ex meritis Christi , ut possit expugnari necessitas moralis ad peccandum orta ex rebellione carnis adversum spiritum , quam ex peccato contraximus; quia tamen ubi *abundavit delictum*, *superabundavit gratia*, ut dicitur ad Rom. 5. ideo gratia efficax in statu naturæ lapsæ dicitur ab Augustino dare ipsum velle, non quia gratia efficax in statu innocentiæ non daret pariter ipsum velle ; sed quia cum gratia per Christum sit uberior , ideo speciali modo , & frequentius in nobis ipsum velle operatur, ut observavit Petavius tomo 1. dogmatum lib. 10. cap. 16. Sicut enim cum loquimur de virtutibus specialem vim habentibus , solemus ea explicare per actum secundum; unde cum definitur a Theologis, & Jurisperitis Justitia , explicatur per actum secundum dicendo , quod sit Virtus tribuens unicuique jus suum : ita ad explicandam vim gratiæ efficacis in statu naturæ lapsæ , exprimitur passim ab Augustino per actum secundum dicendo, quod det ipsum velle . Arausicanum laudatum solum vult , quod Deus non expectet operationes nostras naturales ad gratiam conferendam ; non vero quod gratiæ nos non cooperemur, si velimus , atque adeo cum libertate ad resistendum culpabiliter , unde per gratiam

tiam non reddimur instar mortui relate ad peccatum.

XIII. Opponitur ultimo. Per peccatum originale contraximus rebellionem carnis, & legem in membris repugnantem legi mentis: nam Trid. sess. 5. can. 1. definit, *Adamum per illam prævaricationis offensam secundum corpus, & animam in deterius commutatum fuisse*. Ergo per gratiam baptismalem, qua tollitur adæquate originale, tollitur etiam hæc rebellis concupiscentia, qua ad malum inclinamur: atque adeo gratia baptismalis non solum reddit peccato mortuum spiritum, & cor, sed etiam sensum, tollendo motus sensuales inordinatos. Probatur consequentia, quia Apostolus ad Rom. 5. docet, non minus profuisse nobis gratiam per Christum, quam obfuerit peccatum Adæ, dicens: *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita per unius obeditionem justi constituuntur multi*; *ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam per Jesum Christum Dominum nostrum*. Imo plus gratia profuit, quam obfuerit peccatum Adæ; cum dicat: *Non sicut delictum, ita & donum. Si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis Jesu Christi in plures abundavit*.

Respondeo, errorem fuisse Heterodoxorum, quod per Baptismum debeat tolli, ac extingui fomes concupiscentiæ, aliter peccata non tollerentur, sed instar capillorum raderentur mox renascitura, & incrementum acceptura. Hunc errorem damnavit Tridentinum sess. 5. can. 5. dicens: *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, hæc sancta Synodus fatetur, & sentit: quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, & viriliter per Christi Jesu gratiam repugnantibus non valet, quinimmo qui legitime certaverit, coronabitur*. Additque deinde, eam peccatum proprie non esse, sed peccatum ab Apostolo appellari, eo quod a peccato sit, & ad peccatum inclinet. Quare cum ea non sit peccatum, bene sequitur, quod gratia baptismalis omnino peccatum tollat, & non solum radat, ut docuit August. lib. 1. cont. duas Epist. Pelag. cap. 13. ubi habet: *Dicimus baptisma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec ut omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quasi rasorum in capite capillorum, unde crescant iterum resecanda peccata*. Idcirco autem remanet in nobis hæc peccati originalis pœna, ut sciamus ad Redemptorem confugere, ejusque gratiam implorare, ut in agone vincamus, scientes illicita gratiæ esse longe præstantiora illicitis concupiscentiæ. Id expressit Aug. lib. 4. de Continentia cap. 7. dicens: *Languorem istum culpa meruit, natura non habuit; quam sane culpam per lavacrum regenerationis Dei gratia fidelibus jam remisit: sed sub ejusdem Medici manibus adhuc natura cum suo languore confligit*. Et deinde explicans illud Psal. 102. *Qui propitiatur omnibus iniquitatibus tuis, qui sanat omnes infirmitates tuas*, subdit: *Propitius fit Deus iniquitatibus, cum peccata dimittit; sanat languores cum desideria prava compescit: Illud fit in baptismate confitentibus; hoc fit in agone certantibus*.

XIV. Heterodoxi pariter docuerunt, non posse citra errorem dici, quod concupiscentia sumpta pro actu secundo non sit mala, nisi quando prætergreditur limites rationis, cujus imperio regi debet; & ideo volunt per gratiam baptismalem illam tolli: consonat autem erroribus Jansenii, quod peccatum contrahatur, etiam sine libertate indifferentiæ ad carendum illo. Sed falluntur, cum ea sit doctrina Catholica, omnesque Patres doceant, concupiscentiæ motus non esse peccaminosos, si desit illis liber consensus noster. Augustinus lib. 1. contra duas Epistolas Pelagianorum cap. 10. habet: *Nulla condemnatio est nunc iis, qui sunt nunc in Christo JESU; non enim damnatur, nisi qui concupiscentiæ carnis consentit ad malum*. Et lib. 1. de Civit. Dei cap. 25. *Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absque culpa est in corpore non consentientis, si absque culpa est in corpore dormientis?* Et lib. de Gen. cont. Manichæos cap. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat, atque compescit; Quod cum fit, non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur*.

XV. Ad argumentum itaque negatur consequentia. Ad probationem, gratia Redemptoris longe magis nobis profuit, quam obfuerit culpa, non quia sustulit concupiscentiæ motus, & languores per peccatum contractos, sed quia relinquens illos ad agonem, sanat suis auxiliis nostras ægritudines, adeo ut universim plus alliciamur, & adjuvemur a gratia ad prosequendum honestum, quam alliciamur a concupiscentia, & ob ægritudinem inclinemur ad turpia, ut sic possimus splendidiorem gloriæ coronam mereri. Præterquamquod gratia Redemptionis ad delendam culpam necessaria est simpliciter infinita, &, ut Theologi ostendunt, superabundans pro culpa, etiamsi hæc esset gravitatis infinitæ; quod fuse dixi in Curs. Theolog. p. 6. disp. 1. quæst. 5. ut proinde dicatur Psalm. 129. *Copiosa apud eum redemptio*. Et 1. ad Cor. 6. *Empti estis pretio magno*. Et Apostolus loco laudato; *Non sicut delictum, ita & donum*.

In calce adverto, in hoc alio sensu facile a Quesnello potuisse hanc thesim usurpari, quod scilicet Fideles post receptam in baptismo gratiam sanctificantem, quandiu in ea perseverant, sint veluti peccato mortui, ac soli Deo vivant, vel potius in eis vivat Christus, omnia ipsorum opera per gratiam suam, & charitatem operando; sic enim videtur interpretari illud Apostoli ad Rom. 2. *Quicumque baptizati sumus in Christo JESU, in morte ipsius baptizati sumus, consepulti enim sumus per baptismum in mortem*: & infra additur: *Existimate vos mortuos quidem esse peccato, viventes autem Deo in Christo Jesu*. Sed Apostolus solum vult, baptizatos esse mortuos peccato professione, obligatione, executione, & in perpetuum; aliter non hortaretur in eodem capite Fideles, ut non exhibeant membra sua iniquitati. Quinimmo simul cum gratia, & charitate peccata venialia cohærere posse, nemo est qui ambigat: dicitur enim Prov. 24. *Septies cadet justus*: & 1. Jo: 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est*: & Jac. 3. *In multis offendimus omnes*. Peccat itaque primo, thesis isthæc adversus Catholica dogmata, dum contendit gratiam baptismalem inducere impeccabilitatem. Peccat secundo, dum contendit inducere immunitatem ab omni culpa, saltem quandiu ipsa in anima perseverat. Peccat tertio, dum contendit gratiam baptismalem reddere mortuum peccato, non solum spiritum, & cor, sed etiam sensum, ita ut hac gratia præditus, perinde ac mortuus, careat motibus sensualitatis inordinatis; quod adversatur experientiæ, adeo ut ipse Apostolus non erubuerit publice fateri, quod in se experiebatur

batur, dicens Rom. 7. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XLIII.

Quadragesimatertia contendit, primum gratiæ baptismalis effectum esse, quod ita moriamur peccato, ut non solum spiritus, & cor (idest anima, & voluntas) sed nec etiam sensus, qui sedes est concupiscentiæ, quidquam vitæ habeat in ordine ad iterum peccandum; non secus ac homo mortuus nihil habet amplius vitæ pro rebus mundi. Propterea juxta hanc thesim, sicut homo mortuus nullam potest exercere vitalitatem, ac libertatem relate ad res mundanas, nec potest amplius huic sæculo vivere quantum est ex se; ita qui per gratiam baptismalem peccato est mortuus, nullam potest libertatem exercere in ordine ad peccandum; unde non potest amplius ab eo peccatum ullum perpetrari. Exsuscitatur itaque hic a Quesnello hæresis Joviniani, qui docebat baptismum reddere nos impeccabiles; quam deinde secutus est Calvinus in Antidoto Concilii Tridentini seff. 7. can. 7. ubi docuit, baptismo, veluti Dei chirographo, certiores nos reddi de perpetua gratia adoptionis; cum autem experientia liquido constet, plurimos post susceptum baptismum non semel peccatorum vinculis sponte alligari, dicendum esset juxta hanc hæresim, quod gratiam baptismalem illi non susceperint; sicut non suscipitur ab iis, qui cum fictione recipiunt baptismi Sacramentum; quamvis ab istis gratia non recipiatur, quia voluntarie ponunt obicem gratiæ, non detestando culpas præteritas; ab iis vero gratia non reciperetur ex eo præcise, quod Deus vellet illam denegare; quandoquidem peccatum futurum non potest dici, quod sit nunc obex gratiæ. Proinde latet etiam in hac thesi hæresis illa Janseniana, quod Christus non sit mortuus, nec sanguinem fuderit pro omnibus omnino hominibus. Quomodo enim mortuus est pro iis, quibus denegat in baptismo gratiam baptismalem ad salutem pernecessariam, etiamsi nullum illi ponant obicem gratiæ voluntarium? Quare falsum est primo, quod gratia baptismalis non conferatur iis, qui post baptismum sunt peccaturi; etenim in Trid. seff. 7. can. 7. anathematizatur, qui dixerit, *per Sacramenta novæ legis non dari gratiam semper, & omnibus quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant; sed aliquando, & aliquibus.* Falsum est secundo, quod justificati per gratiam, ac peccato mortui careant libertate requisita ad relabendum, & quod sint instar hominis mortui relate ad res hujus mundi: cum pariter a Tridentino seff. 6. can. 23. anathematizetur, qui dixerit, *Hominem semel justificatum amplius peccare non posse, neque gratiam amittere: atque adeo eum, qui labitur, & peccat, nunquam vere fuisse justificatum.* Aliter inepte hortaretur Apostolus ad non peccandum illos, quos dicit peccato mortuos, verbis illis Rom. 8. *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis vestris.* Denique falsum est, quod sit effectus gratiæ baptismalis ita tollere quicquid habet veram, ac propriam rationem peccati, ut tollat etiam in renatis concupiscentiam; unde sensus, qui sedes est fomitis, se habeat instar mortui, ut habetur in hac thesi: etenim idem Trident. seff. 4. definit, *Manere in baptizatis concupiscentiam, vel fomitem, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus non valet:* Ubi etiam declarat, quod *licet ea ab Apostolo appelletur peccatum, non proinde in renatis vere, & proprie peccatum sit, sed quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat.*

PROPOSITIO XLIV.

Non sunt nisi duo amores, unde volitiones, & actiones omnes nostræ nascuntur: Amor Dei, qui omnia agit propter Deum, quemque Deus remuneratur, & Amor, quo nos ipsos, ac Mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert, & propter hoc ipsum fit malus. *Quesn. Jo. 5. 29. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLV.

Amore Dei in corde peccatorum non amplius regnante, necesse est, ut in eo carnalis regnet cupiditas, omnesque actiones ejus corrumpat. *Quesn. Luc. 15. 13. edit. 1693.*

PROPOSITIO XLVI.

Cupiditas, aut Charitas usum sensuum bonum vel malum faciunt. *Quesn. Matth. 5. 28. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLVII.

Obedientia legis profluere debet ex fonte: & hic fons est Charitas. Quando Dei amor est illius principium interius, & Dei gloria ejus finis, tunc purum est, quod apparet exterius: alioquin non est nisi hypocrisis, aut falsa justitia. *Quesn. Matth. 22. 26. edit. 1693.*

PROPOSITIO XLVIII.

Quid aliud esse possumus, nisi tenebræ, nisi aberratio, & nisi peccatum sine fidei lumine, sine Christo, & sine Charitate? *Quesn. Ephes. 5. 8. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XLIX.

Ut nullum peccatum est sine amore nostri, ita nullum est opus bonum sine amore Dei. *Quesn. Marc. 7. 22. & 23. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO L.

Frustra clamamus ad Deum, Pater mi, si Spiritus charitatis non est ille, qui clamat. *Quesn. Rom. 8. 15. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Iterum hic recuduntur theses non semel alias a Pontificibus profligatæ.

II. Bajus, Jansenius, Quesnellus non distinguunt virtutes morales, nisi ratione diversorum officiorum, non

non vero ratione diversorum objectorum formalium, unde relegant a choro virtutum Theologalium Fidem, & Spem.

III. Ex hisce erroribus theses istæ promanant.

IV. Hic duntaxat demonstratur, amorem sui, amorem proximi, & amorem creaturarum posse culpa vacare, etiamsi talis amor non referatur ad Deum, nec sit actus charitatis erga Deum.

V. Probabiliter dari possunt actus morales indifferentes in individuo.

VI. Et quamvis isti repugnarent, non dubitatur tamen apud Catholicos, quod sit studiosus, & non peccaminosus amor concupiscentiæ, quo quis seipsum diligit, dum Deo inservit propter retributionem.

VII. Pariter Spes, quæ prout condistincta a charitate respicit bonum nostrum, non solum non est actus peccaminosus, sed est etiam actus supernaturalis disponens ad justificationem.

VIII. Amor etiam proximi propter se dilecti & est actus distinctus a charitate erga Deum, & est supernaturalis, si lumine supernaturali hujusmodi objectum attingatur.

IX. Tunc amor suimet est vitiosus, quando est immoderatus, & secundum appetitum sensitivum, non quando est secundum appetitum rationalem, & juxta dictamen rationis.

X. Præceptum diligendi seipsum includitur in præcepto diligendi proximum; & ideo sicut amor proximi, ita amor suimet potest esse rationabilis, quamvis non referatur actu, & formaliter ad Deum.

XI. Non dicitur frui creaturis tanquam fine ultimo, qui illas diligit sine relatione ad Deum.

XII. Rerum terrenarum amor solum quando est nimius, animum in ipsas rapit, & redigit nos in earum servitutem.

XIII. Quando per actum Spei concupiscentem amamus Deum creaturis, tunc creaturæ veniunt ut finis ultimus negative, non positive; & ideo talis actus non est rationi dissonus.

XIV. Non enim opponuntur inter se actus concupiscentiæ, & actus benevolentiæ erga Deum, ita ut non possit ille ad hunc ordinari, & cum ipso cohærere.

XV. Quinimmo potest voluntas eodem simplicissimo actu in Deum ferri & amore concupiscentiæ, & amore charitatis.

I. MIrum est, quod post proscriptam a tribus Pontificibus Pio Quinto, Gregorio Decimotertio, & Urbano Octavo thesim illam Baji 38. quæ habet: *Omnis amor creaturæ rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quæ a Joanne prohibetur; aut laudabilis illa charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*; post iterum proscriptam ab Alexandro Octavo thesim illam septimam a Jansenianis recusam, quæ pariter habet: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel Mundi; si Dei, charitas Patris est; si Mundi, concupiscentia carnis, hoc est mala est*: nunc iterum a Quesnello idem omnino virus in hisce thesibus propinetur. Et perperam illum Quesnelliani excusant, ut in adjectis Anacephalæosibus fiet perspicuum; ubi ostendemus, theses istas tam in proprio verborum sensu, quam ad mentem Auctoris esse erroneas. At quid faciant tela Theologica ad errores hos confodiendos, ubi nihil prosunt fulmina Apostolica? Nihilominus, ut eorum falsitas deprehendatur, adverto, Bajum magisterio Calvini edoctum in lib. 1. de virtutibus impiorum cap. 2. & lib. de charit. cap. 5. plura huc spectantia docuisse, quæ deinde Jansenius iterum edocuit, & nunc Janseniani pervicaciter tuentur. Primo quidem commentitiam esse distinctionem amoris Dei in naturalem, & supernaturalem; cum Deus nonnisi per charitatem a Spiritu Sancto diffusam amari possit, ut habet in thesi 35. Deinde nullum exerceri posse actum virtutis moralis solis naturæ viribus, ut habet in thesi 37. Præterea omnia opera Infidelium esse peccata; quandoquidem deficiente fide supernaturali, non possunt diligere Deum ex charitate infusa, & quicquid non ita diligitur, ut ad Deum referatur, vitiosum, & peccatum est. Quarto, omnem affectum mercenarium, & concupiscentiæ, qui movetur ex amore retributionis, esse vitiosum, & solum affectum charitatis, & benevolentiæ erga Deum esse studiosum, & bonum. Quinto, etiam dolorem peccati ex solo timore gehennæ esse vitiosum. Sexto, esse pariter turpem detestationem peccati, si moveatur ex ejus fœditate, & non ex bonitate Divina. Denique virtutes morales, quæ prosequuntur amore officia virtutum propter solam earum honestatem, & propter solam convenientiam cum natura rationali absque relatione ad Deum summe dilectum, non esse virtutes, sed vitia. Quæ omnia erronea esse liquido constat est Thesibus ab Alexandro Octavo profligatis. Quoniam autem iterum in hisce thesibus perfricta fronte edocentur, ideo nonnulla hic subjiciam adversus hos errores, quos jam docuerat antecedenter Calvinus in Antid. ad sess. 6. cap. 25. dicens: *Dei judicio nihil est sincerum, nec probum, nisi quod ex perfecto ejus amore manat*; & olim Jo. Huss. in Concilio Constantiensi damnatus, qui hæc effutiebat: *Divisio immediata bonorum operum est, quod sunt vel virtuosa, vel vitiosa. Quare si homo est vitiosus, & agit quicquam, tunc agit vitiose; & si est virtuosus, & agit quicquam, tunc agit virtuose; quia sicut vitium, quod crimen dicitur, seu mortale peccatum, inficit universaliter actus hominis vitiosi, sic virtus vivificat omnes actus hominis virtuosi.*

II. Itaque Bajus, Jansenius, Quesnellus virtutes morales non distinguunt ratione diversorum formalium objectorum, sed quia Charitas ad varia virtutum officia incumbit propter Deum summe dilectum; etenim si ea diligantur ex objecto formali creato, talis dilectio esset vitiosa, & peccatum, quia non refertur ad Deum quod ad Deum referendum est: si vero diligantur ex objecto formali Increato, talis dilectio erit actus charitatis, qui omnia agit propter Deum, & hujusmodi actum Deus remuneratur. Exempli gratia, charitas si alienæ miseriæ succurrat propter Deum, appellatur Misericordia; si propter idem motivum exhibeat Deo cultum, appellatur Religio; si colat parentes, appellatur Pietas; si sustineat mala, appellatur Patientia; si præceptis obtemperet, dicitur obedientia, dummodo omnia hæc ad Deum referantur; ut proinde unicum detur objectum formale virtutis, nempe Deus summe dilectus, & ideo unica sit virtus, nempe Charitas, reliqua vero sint potius objecta materialia, & officia variarum virtutum. Quæ omnia quantum a veritate Catholica, & a sensu communi omnium Patrum, & Theologorum abhorreant, nemo est quin videat: Relegant quippe isti Auctores a choro virtutum

etiam

etiam duas alias virtutes Theologales, Fidem, & Spem: propterea Quesnellus in 52. thesi dicit: fidem non dari sine amore, & fiducia; & in 57. non dari spem in Deo, ubi non est Dei amor; cum tamen ex Trid. sess. 6. cap. 6. actus istarum virtutum ad dilectionem Dei disponant, & ad impii justificationem. Adde proscriptam pariter olim fuisse propositionem illam Baji 17. quæ habet: *Non est vera obedientia legis, quæ fit sine charitate:* & tamen Quesnellus in hac 47. thesi obedientiam vocat hypocrisim, & falsam justitiam, nisi profluat ex fonte charitatis, nixus proculdubio verbis illis Baji l. 2. de merit. operum cap. 1. ubi habet: *Quia quæcumque sine charitate fiunt, etiamsi apud homines speciosa videantur, tamen apud Deum simulata tantum, & non vera sunt legis obedientia; quicunque enim faciebant, quod lex jubebat, inquit Augustinus, non adjuvante spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere.*

III. Duo hic a nobis essent demonstranda. Alterum, quod inter amorem Dei bonum, & supernaturalem, & amorem, quo nosmetipsos, & mundum diligimus, qui sit malus, & vitiosus, intercedant plures actus variarum virtutum, qui non sint charitatis. Alterum vero, quod amor, quo nosmetipsos, ac mundum diligimus, non sit malus per hoc præcise, quod non referamus illum actu signato ad Deum; cum possit esse bonus, & supernaturalis, esto non sit actus elicitus, nec imperatus a charitate supernaturali. Ex utroque enim hoc afferto descendit primo falsitas hujus quadragesimæquartæ thesis, quod scilicet non dentur solum duo amores in nobis; videlicet vel amor Dei, qui omnia agit propter Deum, vel amor mundi, qui non referendo omnia ad Deum eatenus sit malus. Secundo, descendit aperte falsitas quadragesimæquintæ, quod non regnante in nobis Dei amore, debeat regnare amor vitiosus. Tertio, falsitas quadragesimæsextæ, quod usum sensuum vel charitas faciat bonum, vel cupiditas malum, nec possit fieri bonus, nisi a charitate, & non malus a cupiditate; si enim dantur aliæ virtutes a charitate, potest ab amore illarum fieri bonus; & si potest amor sui ipsius esse bonus, potest a tali cupiditate non esse malus. Quarto, descendit falsitas quadragesimæseptimæ, quod obedientia sit vitiosa, si non procedat ex amore Dei, quamvis procedat ex amore honestatis creaturæ, seu ex eo quod consonum sit naturæ rationali, & juxta dictamen rationis, quod superioribus obtemperemus: quod proscriptum jam fuerat in thesi 16. Baji, quæ habet: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate.* Quinto, descendit falsitas quadragesimæoctavæ, quod sine Fidei lumine, sine Christo, & sine charitate non sit in nobis, nisi tenebræ, aberratio a via, quæ Christus est, & peccatum: cum possint etiam Infideles lumine rationis illustrati elicere actus virtutum naturalium, ut diximus in thesi 26. necnon peccatores sine Christo ponere actus etiam supernaturales, quibus ad justificationem disponantur; & sine charitate elicere possint homines actum aliarum virtutum. Sexto, descendit falsitas quadragesimænonæ, quod nullum detur opus bonum, & nullus actus virtutis sine amore Dei, & sine actu charitatis. Septimo demum descendit falsitas quinquagesimæ thesis, videlicet, quod sine spiritu charitatis non possit laudabiliter peccator Deum invocare verbis illis Isaiæ 64. *Et nunc, Domine, Pater noster es tu, nos vero lutum;* quamvis enim peccator, gratia orbatus non sit filius Dei adoptivus, adhuc tamen ad imaginem, & similitudinem Dei creatus, & affectu paterno a Deo enutritus potest illum invocare Patrem, cum dicatur Malach. 2. *Numquid non Pater unus omnium nostrum?* Et filius prodigus antequam rediret ad Patrem, dixit: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi; Pater peccavi in cœlum, & coram te.* Et ipse Dominus Lucæ 11. dixit: *Si vos cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quanto magis Pater vester de Cœlo dabit spiritum bonum petentibus se?* Constat autem, quod non frustra clamaverit publicanus charitate destitutus Lucæ 18. dicens: *Deus propitius esto mihi peccatori*; sic enim ad justificationem obtinendam se disposuit, & descendit justificatus in domum suam.

IV. Quoniam autem iterum deinde Quesnellus in thesi quinquagesimatertia, & sequentibus uni charitati tribuit actiones Christifideli dignas, quam solam Deus audit, coronat, ac remunerat, ita ut nec spes, nec religio sit, ubi non est charitas; idcirco in iis mox exponendis ostendetur falsitas primi hujus Janseniani assumpti, quod nullæ aliæ virtutes dentur præter charitatem. Hic adversus alterum Jansenianum assumptum ostendemus duntaxat, amorem sui, amorem proximi, ac amorem creaturarum posse culpa vacare; ut proinde falsum sit, quod peccet homo, quoties seipsum, aut creaturas diligit absque relatione ad Deum.

V. Itaque quamvis commendandum magnopere sit, quod omnes, & singulos actus ad Dei gloriam referamus, & quod nihil in hoc mundo, nisi propter Deum diligamus: at probabiliter falsum est, quod non possint dari actus indifferentes in individuo (ut communius Theologi docent cum Soto, Bonaventura, Alensi, & aliis apud Vasquez p. 2. disputat. 52. cap. 2.) qui scilicet versentur circa bonum aliquod indifferens, hoc est neque honestum, neque turpe; ut sunt actus, quibus prosequimur quædam commoda, aut delectabilia naturæ convenientia, & non indecentia, ex motivo, quod sint convenientia naturæ, & non ex motivo alio honesto, aut propter Deum. Quod docuit Hieronymus epist. 89. ad Augustinum, dicens: *Bonum est continentia, malum est luxuria; inter utrumque indifferens ambulare, &c. Hoc neque bonum, neque malum est: sive enim feceris, sive non feceris, nec justitiam, nec in justitiam habebis.* Et Gregor. Nazianz. orat. 3. in Julianum habet, *Non continuo sequi esse pœna dignum eum, qui laudem non meretur, vel contra laude dignum esse eum, qui non est dignus supplicio.* Idemque sentit Gregorius Magnus hom. 27. in Evangelia, ubi dicit aliquos prosequi suos propinquos amore non præcepto a Deo, sed qui sponte impenditur a natura, & a Deo non prohibetur: unde nec est peccaminosus, quia non prohibetur, nec virtuosus, quia non est ex fine honesto, nec per relationem ad Deum.

Neque obstat primo, quod dicitur 1. ad Corint. 11. *Omnia ad Dei gloriam facite.* Nam hoc est consilium, non præceptum. Neque obstat secundo quod actus non ordinatus ad finem debitum sit peccaminosus, ex Angelico p. 2. quæst. 18. art. 9. Nam potest actus non esse peccaminosus, licet non ordinetur ad finem honestatis, si ordinetur ad commodum naturæ, quod non apparet prohibitum.

Sicut

Sicut enim citra culpam potest aliquis actus non ordinari ad Deum perfectissimo modo, quo possit, quia tale præceptum non reperitur; ita potest non ordinari ad finem honestum, quia nec tale præceptum reperitur.

VI. Sed transmisso, quod non possint dari actus indifferentes in individuo, illud extra controversiam inter catholicos est, quod possit quis amore concupiscentiæ seipsum amare, dum Deo inservit præcise intuitu retributionis; quin tamen hic actus sit actus charitatis, nec sit peccaminosus. Quod definit Trid. sess. 6. can. 31. ubi habet: *Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis operatur, anathema sit*. Et proscripta eatenus est ab Alex. VIII. illa decimatertia Jansenia-na thesis: *Quisquis æternæ mercedis intuitu Deo famulatur, charitate si caruerit, vitio non caret, quoties intuitu beatitudinis operatur*. Ex quo diserte colligitur, neque charitatis hunc actum esse, neque peccaminosum: quicquid oblatret Lutherus in assert. articulorum contra Bullam Leonis, assert. 6. dicens: *Contritio, quæ paratur per amissionem beatitudinis, facit hypocritam, immo magis peccatorem*. Adversus quod assertum proscripta fuit ab Alexandro Octavo illa thesis decima, pariter Janseniana, quæ habet: *Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, mere ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens*. Et passim in Scripturis proponitur nobis merces, & retributio, ut ex ea ad legis Divinæ observantiam incitemur. 1. Petr. 5. *Cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam:* Eccles. 12. *Benefac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso, certe a Domino*. Hinc David Psalm. 118. dixit: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*. Unde Augustinus passim monet, ut intuitu mercedis æternæ, non temporariæ operemur. In Ps. 102. habet: *Erige spem tuam ad Bonum bonorum omnium. Ipse erit bonum tuum, a quo omnia in suo genere facta sunt bonum tuum*. Et in Psalm. 14. *Non faciamus aliquid, nisi spe cœlestium præmiorum; ipsa est enim altitudo, non hic quærere mercedem, sed sursum*. Quomodo poterit hujusmodi actus esse peccaminosus, si ad illum passim impellimur, & cohortamur a Scripturis, a Patribus, a Concionatoribus, a Theologis, qui socordes excitant ad observantiam mandatorum ex hoc dumtaxat motivo æternæ retributionis, nulla facta mentione Divinæ bonitatis, quamvis deinde solertes, & perfectos excitent ex motivo altiori bonitatis Divinæ?

VII. Et sane spes, ut condistincta a charitate, non habet pro motivo formali intrinseco Deum ut bonum in se, sed Deum ut bonum nobis; ut proinde affectus spei sit affectus concupiscentiæ respiciens bonum nostrum, non amicitiæ respiciens Deum summe dilectum; & tamen hic actus non solum non est peccaminosus, sed supernaturalis disponens ad justificationem, ex Trid. sess. 6. c. 6.

Neque dicas, spem supernaturalem sine charitate esse non posse: cum dicat August. in Enchir. cap. 3. *Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil potest? Spes vero sine amore esse non potest. Propter quod Apostolus Paulus fidem, quæ per dilectionem operatur, commendat, quæ sine spe esse non potest; proinde nec amor sine spe est, nec spes sine amore*. Ubi videtur docere, quod sola spes elicita a Charitate sit supernaturalis, & disponat ad justificationem. Nam contra est, quia ex communissimo Theologorum sensu datur spes Theologalis a Charitate distincta; cum Apostolus tres exprimat virtutes Theologales 1. Cor. 13. dicens: *Fides, spes, & charitas, tria hæc, major autem horum est charitas*. Et Trid. sess. cap. 7. loquitur de spe tanquam virtute distincta a fide, & charitate, dum dicit: *In justificatione simul hæc omnia infusa accipit homo, fidem, spem, & Charitatem*. Et hujus distinctionis argumentum evidens est, quod per quodvis peccatum deperdatur charitas, non tamen fides, & spes, nisi peccatum his virtutibus adversetur. Unde Medina p. 2. qu. 62. art. 4. putat, oppositam doctrinam esse hæreticam; Vasquez tamen p. 2. disp. 91. cap. 4. cum Suar. Valentia, & aliis pene hæreticam, & saltem erroneam. Et ratio a priori est, quia objectum formale spei, quod est Deus ut bonus, & commodus nobis, est diversum ab objecto formali charitatis, quod est Deus ut bonus in se; prior virtus respicit bonitatem Dei respectivam, posterior absolutam, & ideo essentialiter discriminantur. Nec Augustinus est contrarius, cum passim loquatur de spe tanquam de virtute condistincta a fide, & charitate. In Enchir. cap. 6. dixit: *Ad illa tria redeamus, fidem, spem, & charitatem*. Et c. 117. *Charitas, quam duabus istis majorem dixit Apostolus, quanto in quocunque major est, tanto melior est in quo est: cum enim quæritur, Utrum quisque sit homo bonus? non quæritur, quid credat, aut speret, sed quid amet*. Quare ubi dicit spem ab amore non sejungi, loquitur, ut advertit Angelicus, de spe formata a charitate; sicut nec fides formata a charitate sejungitur: At nec actus spei, nec actus fidei sunt actus eliciti a charitate, sed uterque iste actus potest esse informis, & in peccatore esse sine actu charitatis, ad quem illi disponunt. Quando autem Apostolus 1. ad Cor. 13. loquens de Charitate dicit, *Omnia credit, omnia sperat*, non vult, quod hi actus eliciantur, sed solum quod imperentur passim a Charitate.

VIII. Denique ostenditur, quod præter actum charitatis, quo Deum diligimus, dari possit actus, quo aliud a Deo diligamus, & non sit actus vitiosus, sed possit esse etiam supernaturalis, atque adeo studiosus, cujusmodi est amor proximi elicitus a charitate erga proximum, quo hic ametur propter se; ita ut actus sit naturalis, si consideretur lumine naturali, quod proximus sit propter se amandus; sit vero supernaturalis, si consideretur lumine supernaturali, & in ordine ad gratiam, & gloriam æternam. Quod enim amor Dei, & amor proximi propter se ad duas virtutes supernaturales Charitatis spectent, ut communius Theologi docent, ex eo colligitur, quia Christus Dominus utrumque actum nobis præcipit, & dilectionis Dei, & dilectionis proximi, dicens Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Hoc est maximum, & primum mandatum. Secundum autem simile est huic, Diliges proximum tuum sicut te ipsum*: non essent autem duo præcepta Charitatis, si unica esset Charitatis virtus, ita ut proximus esset propter Deum diligendus; quandoquidem præceptum diligendi complectitur generaliter alia omnia, quæ propter Deum diligenda sunt. Præterquamquod, ut advertit D. Thom. 2. 2. qu. 27. art. 8. si proximus unice propter

Deum

Deum diligendus esset, ad hoc ut actus sit bonus, & supernaturalis, non vero peccaminosus, sequeretur, quod præceptum diligendi Deum non esset primum, & maximum; quia in tantum dilectio Dei præstat dilectioni proximi, in quantum hæc consideratur ut dilectio proximi propter se; quod si consideretur ut dilectio proximi propter Deum, talis dilectio præstat dilectioni solius Dei, quia complectitur hanc, & se extendit ad aliquid aliud, videlicet ad dilectionem proximi. Hæc sunt verba D. Thom. 2. 2. q. 27. art. 8. *Alio modo potest attendi comparatio, ut dilectio Dei accipiatur secundum quod solus diligitur; dilectio autem proximi accipiatur secundum quod proximus diligitur propter Deum: & sic dilectio proximi includit dilectionem Dei, sed dilectio Dei non includit dilectionem proximi. Unde erit comparatio dilectionis Dei perfectæ, quæ extendit se etiam ad proximum, ad dilectionem Dei insufficientem, & imperfectam; quia hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum, diligat & fratrem suum, & in hoc sensu dilectio proximi præeminet.*

IX. Opponunt primo adversus hanc ultimam doctrinam Janseniani ex eorum Præceptore lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 21. Debemus diligere proximum, sicut nos ipsos; sed nosmetipsos vitiose diligimus, si propter nos diligamus; ergo etiam vitiose diligimus proximum propter seipsum, non propter Deum. Minor probatur ex Apostolo 2. ad Timoth. 3. qui radicem vitiorum vult esse amorem sui, dicens: *Erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, & voluptatum magis amatores, quam Dei, habentes speciem quidem pietatis, sed virtutem ejus abnegantes.* Propterea amor sui est potius odium suimet, quia fons, & origo est malorum omnium.

Confirmat id Jansenius, quia Deus nunquam dedit præceptum diligendi seipsum, sed solum præcepit, ut proximum sicut nos ipsos diligamus, ad indicandum, quod sicut nosmetipsos solum propter Deum debeamus diligere, ita & proximum; nam diligere est velle bonum: qui autem Deum bonum summum vult sibi, aut proximo, hic profecto se, & proximum diligit; aliter odit potius, quam diligat. Quod Augustinus docuit ep. 52. dicens, *Nullam aliam esse dilectionem, qua quisque diligit seipsum, nisi quod diligit Deum. Qui enim aliter se diligit, potius se odisse dicendus est; fit quippe iniquus, privaturque luce justitiæ, qui a potiore, ac præstantiore bono aversus, atque inde vel ad seipsum conversus, ad inferiora, & egena utique convertitur; fitque in ipso, quod veracissime scriptum est: Qui autem amat iniquitatem, odit animam suam. Quia ergo nemo, nisi Deum diligendo, diligit seipsum, non opus erat, ut dato de dilectione Dei præcepto, etiam seipsum homo diligere juberetur; cum in eo diligat seipsum, quod diligit Deum.*

Respondeo negando minorem, Ad probationem: Docent nonnulli cum Angelico lect. 9. quod Apostolus ibi loquatur de amore suimet immoderato, qui dicitur apud Græcos Philautia, quo homo suæ gloriæ, lucris, deliciis, ac voluptatibus inhiat. Hic enim amor procul dubio est fons omnium vitiorum. Quod pariter docuit Estius ex eadem Schola Lovaniensi, qui hæc habet. *Phrasis hæc exponenda est de amore inordinato, quo bona privata communibus anteponuntur; quemadmodum Augustinus in Regula exponit illud 1. ad Cor. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt.* Quod si audiamus Tostatum in Caput 22. Matth. qu. 292. loquitur Apostolus de amore, quo homo amat seipsum secundum appetitum sensitivum, & carnalem, non secundum rationalem, & juxta dictamen rationis. Quare sic ut possimus amare Deum nobis ex virtute spei condistincta a Charitate, ita possumus desiderare Deum proximo. Quicquid sit, an Deum proximo desideremus per eandem virtutem spei, qua Deum nobis concupiscimus, an per aliam? in quo Theologi variant. Præterea possumus ex virtute misericordiæ condistincta a charitate subvenire proximo indigenti, sicut possumus virtuose depellere miserias a nobismetipsis. Ac demum sicut possumus nobismet velle, & procurare bona spiritualia, necnon temporalia, quæ non impediunt assecutionem ultimi finis; ita ex virtute supernaturali amicitiæ possumus velle proximo bona spiritualia, puta virtutes supernaturales fidei, spei, charitatis, patientiæ, misericordiæ, necnon temporalia, quæ ultimi finis assecutionem non retardent.

X. Ad confirmationem: Deus omisit præceptum diligendi seipsum, quia talis amor est unicuique insitus a natura, ut habet Cornelius exponens laudatum caput Matthæi; vel omisit, quia charitas re vera est erga alterum, juxta illud Gregorii Magni homil. 17. in Evangelia: *Charitas minus quam inter duos haberi non potest.* Vel dici potest cum eodem Tostato, quod Deus dum præcepit homini, quod diligat proximum sicut seipsum, indivisim præceperit, ut seipsum diligeret, dilectione recta, & rationabili; ad quam non spectat, quod semper amet sibi Deum, aut alia bona propter Deum. Quamvis enim talis amor sit perfectissimus; at non obligat Deus homines, ut semper seipsos ament amore perfectissimo; aliter cum sit perfectior amor, quo homo seipsum amet propter Deum, quod pertinet ad Charitatem, quam quo amet sibi Deum, quod pertinet ad spem, sequeretur, quod hic etiam amor ad spem pertinens esset vitiosus; quod ostendimus esse falsum. Quare licite potest homo seipsum amare dilectione minus perfecta, qua velit sibi bona creata, quæ tamen non impediant Dei summi boni assecutionem. Ad auctoritatem adductam Augustini respondetur, illum diligere seipsum, qui diligit Deum nihil amando, quod retardet ab ejus assecutione; unde ita velit bona creata sibi, ut non avertatur a potiore, & præstantiore bono, ut loquitur idem S. Doctor. Et quamvis nobis præcipiatur dilectio Dei *ex toto corde*, non proinde fit, quod semper præcipiatur dilectio Dei perfectissima, & quod nosmetipsos propter Deum diligamus. Nam per illa verba, *ex toto corde*, solum fit sensus, quod non dividatur cor nostrum, partim amando Deum, partim creaturas, quæ retrahunt nos a Deo: sicuti quando Philippus Eunucho petenti baptismum dixit Act. 8. *Si credis ex toto corde, licet*, non exprimebat per illa verba, quod fides deberet esse intensissima, aut quod non posset ille aliquid aliud credere ab eo, quod credendum est, sed solum, quod nihil deberet admiscere, quod veræ fidei repugnaret; quia hoc solum importat divisionem cordis in credente, & sic etiam in amante Deum.

XI. Opponunt secundo ex eodem Jansenio ad probandum, quod non possint creaturæ diligi citra culpam, nisi propter Deum ex actu perfectæ charitatis: Creatura rationalis nonnisi increato bono frui potest, ut docet passim Augustinus, præsertim lib. 1. de doctrina Christiana cap. 10. frui autem nihil aliud est, quam alicui bono inhærere propter ipsum, ut idem docet loco laudato cap. 4. ergo creatura rationalis non potest amare creaturas propter seipsas; atque adeo præter actus charitatis non datur nisi vitiosa cupiditas.

Confirmatur ex effectibus, quos gignit amor creaturarum. Nam primo reddit animum similem rebus amatis, & corruptibilibus: unde Aug. tr. 2. in Epist. Jo. habet: *Talis est quisque, qualis ejus dilectio est. Terram diligis, terra eris*. Secundo ita rebus terrenis animum ligat, ut difficulter possit ab eis se avellere: propterea, ut habet August. l. 20. de Civit. c. 26. *Eorum amissione cruciamur, quibus fruendo utique lætabamur*. Tertio amor facit amantem servum amati, siquidem omnia facit propter amatum; non potest autem citra culpam homo alium Dominum agnoscere præter Deum: ergo creaturas nonnisi propter Deum potest licite amare.

Respondeo, Augustinum loqui de fruitione boni tanquam finis ultimi, in quo Beatitudo collocetur, ut habet loco laudato cap. 22. dicens: *Quod propter ipsum diligendum est, in eo constituitur vita beata*. Et cap. 31. habet: *Dicimus ea re nos perfrui propter seipsam, & ea re nobis fruendum esse tantum, qua efficimur beati*. Et in hoc sensu tr. 10. In Epist. Jo. dicit, non esse collocandum amorem nostrum in divitiis, in salute corporis, aut in gloria, & honoribus, sed altius assurgendum ad Deum amandum, eoque fruendum. Transmisso autem, quod repugnet actus indifferens in individuo, & quod non possit commodum aliquod naturæ propter se amari, negari non potest, quod possit propter se amari bonum honestum, quod reperitur V. G. in tribuendo unicuique jus suum, in succurrendo egenis, in obtemperando parentibus: etenim ista secundum se sunt rectæ rationi consona, atque adeo propter se amabilia, ita ut possint quidem ultimate propter Deum amari, sed non teneamur, ut diximus, ad talem finem positive ea referre.

XII. Ad Confirmationem, illi effectus gignuntur ab amore vehementi, & inordinato, non a moderato, & rationabili, præsertim rerum honestarum, ut constat experientia; Amor quippe nimius & reddit amantem similem amato, & amantem ligat, ita ut difficulter ab objecto amato recedat, & reddit eundem servum amati: secus vero amor moderatus, & subordinatus intentioni superiori; qua identidem nos, & actus nostros in Deum referimus, tanquam in finem simpliciter ultimum.

XIII. Opponunt tertio ad probandum, quod non possimus per actum spei concupiscere Deum nobis, sed quod teneamur ex affectu charitatis Deum nobis concupiscere propter Deum ipsum. Etenim talis actus concupiscentiæ sejunctus ab affectu charitatis respicit Deum tanquam finem creaturæ, illum huic referendo; hoc autem fert ordinis perversitatem, eo quod utatur potius creatura Deo, quam illo fruatur; & ex Aug. lib. 83. qq. q. 30. *Summa perversitas est frui utendis, & uti fruendis*; ergo talis actus est vitiosus. Major probatur, tum quia qui Deum amat sibi, potius se amat, quam Deum, siquidem ex amore sui nascitur amor Dei, ut sibi convenientis, ac commodi; unde Augustinus homil. 34. habet: *Si diligis aurum, prius te diligis, & sic aurum*; tum etiam quia amans Deum creaturæ amat Deum in ordine ad creaturam, & sic tractat creaturam tanquam finem ultimum Dei; cùm enim propter finem ultimum omnia debeant amari, dum Deus propter creaturam amatur, Deus tractatur tanquam finis ultimus creaturæ: ergo talis actus concupiscentiæ referendo Deum creaturæ pervertit ordinem, ac respicit Deum ut finem creaturæ.

Confirmatur, quia amor hic concupiscentiæ opponitur amori amicitiæ erga Deum; ergo est vitiosus. Probatur antecedens, quia amor concupiscentiæ est amor mercenarius, & respicit commodum amantis; amor amicitiæ, & benevolentiæ est gratiosus, & respicit bonum amati: ergo opponuntur.

Respondeo, finem ultimum alium esse positive ultimum, ita ut non possit haberi ulterior finis: alium vero esse finem ultimum negative, quatenus ita est ultimus, ut non excludat finem ulteriorem. Quando per actum concupiscentem Spei amamus Deum creaturis, creaturæ sunt finis ultimus negative, quatenus per hunc actum Deus ad creaturam duntaxat ordinatur, sed non ita ordinatur, ut non possit hoc ipsum commodum, quod a Deo creatura reportat, per actum charitatis ordinari ad Deum, tanquam ad finem ultimum positive, qui alium finem ulteriorem excludit. Non est autem dissonum, sed consentaneum rationi, quod ita Deum creaturis amemus; etiamsi perfectior esset actus charitatis, quo commodum, quod creaturæ reportant a Deo sibi appropriato, referatur deinde ad Deum tanquam ad finem ultimum positive: Ad eum modum, quo consentaneum rationi est, quod vitemus culpam propter timorem gehennæ, quamvis perfectior esset actus charitatis, quo nollemus gehennam, ne a Deo summe dilecto elongemur. Etenim per actum spei non amatur Deus creaturis tanquam medium, sed tanquam finis ultimus *qui* fini *cui* tantum negative ultimo, solum præscindendo, non excludendo relationem ad finem *cui* ultimum positive, quæ habetur per actum charitatis. Hoc autem non solum vacat culpa, sed etiam est laudabile, & bonum; quia bonum, & virtuosum est amare Deum, prout nobis proponitur amandus; atqui proponitur nobis amandus non solum ut bonus in se per actum charitatis, sed etiam ut bonus nobis per actum spei: ergo actus spei non solum non est vitiosus, sed etiam positive studiosus. Hinc qui vult per actum spei Deum creaturæ, non dicitur uti Deo, aut frui creatura; quia Deum non amat propter creaturam tanquam propter finem ultimum positive: & quamvis per talem actum potius se amet, quam Deum, non proinde talis actus est vitiosus, quia solum præscindit, non excludit actum perfectiorem, quo se amet propter Deum: sicuti qui peccatum odit propter gehennam, hoc actu magis odit gehennam, quam peccatum: etenim propter quod unumquodque tale, & illud magis: nec tamen talis actus est vitiosus: quia solum præscindit ab actu perfectiori; quo peccatum odio habet magis, quam gehennam. Ex quo etiam sequitur, quod non tractetur Deus tanquam finis

nis ultimus creaturæ, quia scilicet per talem actum venit Deus solum ut finis *qui* relate ad creaturam, quæ est finis *cui* solum negative, non vero positive ultimus; quatenus de facto non ordinetur hoc ipsum bonum creaturæ ad Deum per actum charitatis, possit tamen, & quidem dignius ordinari.

XIV. Ad Confirmationem, falsum omnino est, quod illi actus concupiscentiæ, & benevolentiæ erga Deum opponantur; quamvis enim dicant diversos respectus, non propterea opponuntur, ut non possit aut in eadem voluntate uterque actus cohærere, aut in eodem actu uterque respectus identificari. Quod possit in eadem voluntate simul dari uterque actus, ex eo evincitur, quia quamvis dicant respectus diversos, non tamen oppositos: Sicut actus justitiæ, & actus liberalitatis possunt ob eandem rationem in eadem simul voluntate componi; unde potest simul Cajus velle solvere Titio centum, quæ illi debet, & simul gratis erogare ex liberalitate quinquaginta, quæ non debet: Et qui debet extreme indigenti ex virtute misericordiæ dare alimenta, & simul habet votum erogandi stipem pauperi, potest idem extreme indigenti alimenta subministrare, ut utrique obligationi satisfaciat, eliciendo duos actus, alterum misericordiæ, alterum religionis: unde poterit pariter homo velle observare Divinam legem & ex motivo retributionis, & ex motivo complacendi Deo summe dilecto; atque adeo duplici actu, quorum alter sit concupiscentiæ, & mercenarius; alter amicitiæ, & gratiosus; & simul poterit duplici consimili actu amare sibi Deum summum bonum, tanquam sibi commodum, & summe convenientem, seu propter suam bonitatem respectivam, & amare Deum propter se, videlicet propter bonitatem suam absolutam.

Confirmatur, quia potest amor amicitiæ imperare actum, qui conferat ad suum finem, amor autem concupiscentiæ potest conferre ad amorem amicitiæ; ergo potest actus amicitiæ, seu charitatis erga Deum imperare actum concupiscentiæ elicitum a spe Theologica, & sic uterque actus imperans, & imperatus in eadem voluntate commorari. Probatur minor, tum quia ad finem intentum ab actu amicitiæ cum Deo confert omnis actus Deo gratus, & talis est, ut ostendimus, actus elicitus a spe Theologica; tum etiam quia ad finem charitatis maxime conducit nostra beatitudo, ac Dei possessio, quæ intenditur ab actu spei; in eo quippe beatitudinis statu charitas liquidius, & ardentius suum erga Deum affectum explicat, eumque glorificat; unde potest actus concupiscentiæ a spe elicitus imperari ab actu charitatis.

XV. Dixi, quod etiam possit in eodem simplicissimo actu identificari realiter tum formalitas propria actus concupiscentiæ, seu actus mercenarii, tum etiam formalitas propria actus amicitiæ, seu actus gratiosi. Sicut enim in eodem summo bono identificatur & bonitas absoluta, quatenus Deus in se est summe bonus, & bonitas respectiva, quatenus est summe bonus, & conveniens nobis; ita poterit idem actus utramque bonitatem respicere, amando Deum & qua in se bonum, & qua bonum ipsi amanti: Ad eum pariter modum, quo potest idem indivisibilis actus esse simul ex virtute misericordiæ, ex virtute religionis, ex virtute justitiæ, & ex virtute obedientiæ; quando quis subministrat extreme indigenti alimenta, quæ debet, & ratione talis indigentiæ, & ex vi voti, & ex debito justitiæ antecedenter contracto, & ex Superioris præcepto; sicut etiam furtum sacrilegum v. gr. quod redigat parentes ad miseriam, simul opponitur virtuti justitiæ, virtuti religionis, ac virtuti pietatis erga parentes. Poterit ergo voluntas creata tam duplici, quam eodem actu indivisibili ferri simul in Deum & amore charitatis, tanquam in ultimum finem *qui*, & *cui*, & amore concupiscentiæ, tanquam in finem ultimum *qui*, respiciendo creaturam rationalem tanquam finem *cui* negative tantum, & non positive ultimum, ita ut possit hanc ipsam Dei possessionem, quam intendit, in Deum dirigere tanquam in finem positive ultimum, cui major ipsius gloria, & manifestatio intendatur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XLIV.

Quadragesimaquarta docet, nostras omnes volitiones originem suam trahere a duobus Amoris actibus, videlicet aut Amoris erga Deum omnia propter ipsum operantis, adeoque boni, ac præmio digni, aut Amoris mundi non ordinantis ad Deum, quæ ad ipsum referenda sunt, adeoque mali. Quis hæc audiendo iram comprimat? cum non semel proscripta sint, tam in thesi 38. Baji dicentis: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitiosa est cupiditas, qua Mundus diligitur, & a Joanne probibetur; aut laudabilis illa Charitas, qua per Spiritum Sanctum in corde diffusa Deus amatur*; quam in sexta ex thesibus ab Alex. VIII. profligatis, ubi pariter dicitur: *Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi; si Dei, Charitas Patris est; si Mundi, Concupiscentia carnis, hoc est mala est*. Errat siquidem primo, dum præter amorem mundi, quem dicit vitiosum, nullum alium amorem agnoscit præter amorem Dei omnia propter ipsum operantem, qui spectat ad virtutem Theologicam charitatis. Etenim præter hos duos amores dantur proculdubio amores, quibus prosequimur tum objecta honestatum aliarum virtutum Theologic., nempe Fidei, & Spei, tum etiam omnium virtutum moralium; hi autem amores neque ad charitatem presse dictam spectant, neque possunt dici mali: cum enim actus fidei, ac piæ affectionis ad fidem, spei, timoris, pœnitentiæ, aliique ad justificationem disponentes sint actus supernaturales, proculdubio mali esse non possunt. Errat deinde thesis, dum præter amorem Dei nullum alium amorem agnoscit, quo nosmetipsos, aut mundum diligamus, qui non sit malus. Etenim non solum non sunt mali, sed positive laudabiles sunt amores, quibus prosequimur objecta virtutum supernaturalium, sicut etiam illi, quibus prosequimur objecta virtutum naturalium; Infideles enim non male operantur, sed honeste, dum parentes honorant, egenis subveniunt, ac reddunt unicuique jus suum; quod tamen secundum se sine gratia supernaturali præstant, utpote destituti fide, quæ initium, & fundamentum est salutis. Unde ad Roman. 2. dicitur: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt*. Et proscripta est thesis 22. Baji, ubi dicitur,

citur, a Pelagianis, non a Catholicis hunc Apostoli textum intelligi de Gentibus fidei gratiam non habentibus. Errat denique, dum docet, amorem, quo nosmetipsos, ac mundum diligimus, non referendo id ad Deum, propter hoc ipsum esse malum; perinde quasi detur obligatio referendi signate quamcunque nostram operationem ad Deum, diligendo illum amore charitatis in singulis actibus nostris: Sicut autem nemo admiserit, dari obligationem ponendi in quacunque opportunitate actum intensissimum charitatis perfectæ, qui hic & nunc poni posset, eo quod isthæc obligatio esset nimis ardua, & induceret homines ad desperandum de salute assequenda: ita nemo pariter admittere debet, quod quandocunque libere operamur, obligemur ponere actum perfectæ charitatis, omnia ad Deum referendo, ita ut omnis actus liber, qui non sit perfectæ charitatis, sit peccaminosus, prout exprimitur in thesi; quandoquidem ista etiam obligatio est nimis ardua, & induceret in desperationem, atque adeo induceret homines in reprobum sensum, quo collineant theses rigidissimæ tam morales, quam Scholasticæ Jansenianorum. Et sane de fide est ex Tridentino sess. 6. can. 7., non esse peccaminosa opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, ut ad illam disponant; & tamen ea non sunt actus perfectæ charitatis, sed fidei, spei, timoris, pœnitentiæ: quare erronee asseritur, quod præter actum charitatis, quo Deum amamus, omnia propter illum operando, quilibet alius amor sit malus. Quod pariter constat ex Canone trigesimoprimo laudatæ sessionis Tridentini, ubi anathematizatur qui dixerit, *justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur:* hoc enim actu homo seipsum amat amore concupiscentiæ optando sibi gloriam æternam, non amat Deum amore amicitiæ, idipsum ad Deum referendo, nec proinde actus est malus, prout Janseniani delirabant in thesi 13. ab Alexan. VIII. confixa.

Hinc si attente perpendatur thesis hæc Quesnelliana, non potest accipi in eo sensu, in quo accipitur doctrina Leonis Papæ, qui sermone quinto de jejunio septimi mensis videtur idipsum docere, dum dicit: *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates; rationabilis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.* Quod pariter videtur docere Augustinus lib. 2. de peccator. merit. cap. 18. ubi dicit: *Mirum est, si voluntas possit in medio ita consistere, ut nec bona sit, nec mala: si enim justitiam diligimus, est bona, secus est mala.* Constat quippe, quod universim Patres passim doceant, esse Dei, & justitiæ amatorem, non solum illum, qui Deum diligit amore perfectæ charitatis, omnia propter ipsum operando, ut vult Quesnellus, sed etiam illum, qui aliis aliarum virtutum actibus amore Deum prosequitur tantum exercite, non signate, quatenus amat objecta virtutum, quæ Deo arrident; ut proinde dixerit Christus D. Jo. 14. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit*, cum sit aliqua etiam Dei dilectio mandatorum observantia. Præterquamquod cum omnis creata honestas, ac bonitas sit quædam divinæ bonitatis participatio, consequens est, ut qui quamcunque honestatem objectivam amat, Deum etiam aliquatenus amore prosequatur. Quare falsissimum est, quod actus aliarum virtutum distinctarum a charitate (qui non sunt formalis, sed virtualis dilectio Dei) sint peccaminosi: Quicquid sit, an sint etiam possibiles actus morales indifferentes in individuo, qui nec boni moraliter sint, nec mali. Ex quibus omnibus facile innotescit etiam thesium proxime sequentium falsitas.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XLV.

Quadragesimaquinta similiter sustinet, quod amore Dei non amplius regnante in corde peccatoris, necesse sit, ut in eo regnet carnalis cupiditas, quæ omnes ejus actiones corrumpat; quasi vero non possit peccator amissa gratia, & charitate quicquam boni facere, sed omnes ejus actus sint peccaminosi. Diximus autem non solum actus supernaturales fidei, spei, timoris, attritionis ad justificationem disponentes esse bonos, ac a Deo aliquando præceptos, juxta doctrinam Trident. sess. 6. cap. 6. quamvis tunc in corde peccatoris nondum regnet Dei amor, & charitas; sed etiam quamplures impiorum actus naturales esse studiosos, juxta doctrinam Augustini pluribus in locis, ac præsertim lib. de spirit. & liter. cap. 28. ubi habet: *Impiorum quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audimus, quæ secundum justitiæ regulam non solum vituperare non possumus, verum etiam merito, recteque laudamus: quamquam si discutiuntur, quo fine fiant, vix inveniuntur, quæ debitam justitiæ laudem, defensionemque mereantur.* Idcirco autem *vix*, seu raro admodum ea sic inveniuntur, quia impii carent abundantia illa auxiliorum, quæ consona est justis ex exigentia gratiæ justificantis. Et idem S. Doctor epist. 5. ad Marcellinum pariter dicit, in Romanis Ethnicis fuisse aliquas Civiles sine vera Religione virtutes. Quare ubi Augustinus in Enchirid. cap. 117. dicit: *Regnat enim carnalis cupiditas, ubi non est charitas*, intelligendus est, ut in superiori thesi dicebamus, quod peccatum a cupiditate carnali ortum in iis actionibus regnet, in quibus non habetur charitas saltem late sumpta, per hoc scilicet, quod diligantur objecta aliarum virtutum a charitate distinctarum, quæ tamen per se ad charitatem ordinantur. Dicitur etiam regnare cupiditas carnalis, ubi non regnat Dei amor, quia deficiente gratia, & charitate, deest abundantia auxiliorum, quibus carnali cupiditati valide repugnetur.

Quod si quæras, quare non debeant etiam aliquam consimilem benignam interpretationem suscipere verba hujus thesis, ita ut intelligantur, quod regnet cupiditas, ubi non regnat amor Dei, saltem late sumptus, quod esset dicere actum liberum esse turpem, si non sit ex amore alicujus virtutis; quod passim Catholici docent negantes actus morales indifferentes in individuo? Responsio est facilis, quia verba doctrinalia sumi debent in sensu proprio, & quem præseferunt, nisi quid obstet, prout Augustinus docet de verbis Sacrorum Bibliorum; aliter nihil certi ex iis haberi posset, si ad minus proprium, ac legitimum sensum detorquerentur, ut fit ab Heterodoxis. Quod autem ubi Patres docent inter cupiditatem, & charitatem nihil mediare, explicentur de charitate presse dicta, obstat eorundem doctrina; cum passim doceant,

ceant, præter charitatem Theologicam dari alias virtutes, quarum actus non sint peccaminosi; unde explicandi sunt de charitate late sumpta, quæ complectitur omnes virtutes; cum autem nusquam Quesnellus admittat alias virtutes a charitate distinctas, (immo pluribus in locis eas neget, ut videre est in harum thesium decursu, præsertim in quinquagesimatertia, & sequentibus) nihil obstat quominus verba hujus thesis intelligantur in sensu proprio de amore Dei, qui spectat ad charitatem Theologicam. Et propterea hic idem sensus dicendus est etiam sensus ab Auctore intentus. In hoc autem sensu thesis est hæretica: & ideo fuit absolute proscribenda tum in proprio verborum sensu, quem de se facit, tum etiam in sensu, quem facit in codice Auctoris. Sic absolute prolata proscribenda esset hæc propositio: Odio habendi sunt parentes, quia in sensu verborum proprio male audit. At in Evangelio, in quo parentum honoratio præcipitur, verba illa Christi D. *Qui non odit patrem, & matrem*, &c. *non potest meus esse discipulus*, digna sunt suo Auctore, sed accipienda sunt in sensu accommodo, ne dicamus Christum loqui pugnantia, ac sibimet contradicere; videlicet, (ut exponit Gregorius Papa homil. 37. in Evangelia) quod parentes odio habendi sint, ac fugiendi, quoties eos in via Dei patimur adversarios.

Quibus adde, thesim hanc esse erroneam etiam in eo, quod pariter asserit, videlicet necesse esse, ut in corde peccatoris, in quo abest amor Dei, regnet cupiditas, quæ omnes ejus actus corrumpat. Si enim omnes actus peccatorum necessario sunt peccaminosi, non datur in iis libertas indifferentiæ, seu libertas a necessitate, requisita ad demeritum, & ad peccatum formale, sed solum datur libertas a coactione; quæ juxta sententiam Catholicam contra Jansenium non sufficit ad demeritum. Quare non solum est erroneum dicere, quod peccator in omnibus suis actionibus peccet, puta audiendo Missam, aut jejunando juxta præceptum Ecclesiæ; sed est erroneum etiam dicere, quod non habeat libertatem indifferentiæ ad carendum hac, vel illa culpa, ut ostendimus in thesi trigesima octava; ea enim esset libertas physica, non moralis; atque adeo libertas floccipendenda in ordine ad culpam evadendam, ut proinde dici deberet liberum arbitrium per peccatum esse extinctum; quod adversatur doctrinæ Tridentini sess. *6.* can. 5.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XLVI.

Quadragesimasexta in eadem fæce volutatur, dum dicit, cupiditatem, aut charitatem reddere malum, aut bonum usum sensuum; quasi vero non possimus uti sensibus, nisi aut per actus malos ortos a cupiditate, seu a concupiscentia, aut per actus bonos imperatos a charitate; cum tamen certissimum sit ex nuper dictis, quod possit usus sensuum esse bonus per actus imperatos ab aliis virtutibus distinctis a charitate, nempe per actus misericordiæ, justitiæ, mortificationis, pœnitentiæ, & similes; peccator quippe ante justificationem, quamvis charitate careat, bene utitur sensibus suis, dum se disponit ad justificationem, audiendo Missam præceptam, jejunando, restituendo ablatum ex amore justitiæ. Quod si pravus esset sensuum usus ex hisce actibus ortus, & ex prava cupiditate actus isti, charitate deficiente, essent peccaminosi, sequeretur, quod peccator ad justificationem se disponeret patrando novas culpas; atque adeo per hujusmodi actus redderet se magis indispositum ad justificationem obtinendam; nec deberent illi actus præcipi, sed prohiberi. Quod si dicas, actus illos, ut malitiam exuant, debere ex charitate promanare, & poni ex motivo divinæ bonitatis summe dilectæ, ad quam omnia referenda sunt, non vero ex motivo creato illarum virtutum; jam ex hoc fieret, quod unicuique istorum actuum esset annexa justificatio, quippe quæ a dilectione perfecta Dei separari non potest; atque adeo nulla daretur dispositio remota, ac præparatio ad justificationem, contra doctrinam Tridentini sess. *6.* c. *6.* Erroneum proinde est, quod solum a charitate usus sensuum sit bonus, & a cupiditate sit malus. Nomine enim charitatis in hac thesi secundum proprium verborum sensum venit charitas Theologica, ut supra diximus, non vero charitas late dicta, quæ chorum omnium virtutum complectatur; in quo sensu Augustinus in Psalm. 18. dixit: *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat iniquitati*. Nomine vero cupiditatis venit cupiditas vitiosa reddens actus peccaminosos, ut docet August. lib. 3. de Serm. Dom. in monte cap. 22. ubi habet: *Voluntas non est, nisi in bonis; nam in malis, flagitiosisque factis cupiditas proprie dicitur*. In hoc sensu proprio a Quesnello hic usurpari tam charitatem quam cupiditatem constat etiam ex præcedentibus thesibus; atque adeo thesis isthæc tam in proprio, quem præseferunt verba, quam in sensu ab Auctore intento fuit configenda.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XLVII.

Quadragesima septima in iisdem erroribus versatur, dum docet, legis observantiam non habere rationem virtutis, nisi ea profluat ex fonte charitatis, ita ut Dei amor sit ejus interius principium, & Dei gloria sit ejusdem finis. Quod si desit Dei amor tanquam principium interius, & Dei gloria tanquam ejusdem finis, tunc exterior obedientia sit hypocrisis, & falsa, seu fucata justitia. Proscripta jam fuerat a Pio V. a Gregorio XIII. & ab Urbano VIII. hæc eadem Baji propositio 16. dicens: *Non est vera legis obedientia, quæ fit sine charitate*. Nec veretur Quesnellus iterum illam in medium adducere, contendens peccati reos esse, ac hypocritas, qui proximum diligunt sicut seipsos, qui parentes honorant, qui præceptis naturalibus, ac positivis Dei, & Ecclesiæ obtemperant ex motivo proprio virtutis obedientiæ, respiciendo unice honestatem, quæ relucet in exequendis mandatis Legislatorum, præscindendo a motivo charitatis: quasi vero turpe sit, & peccaminosum sectari honestatem, quæ in virtute morali obedientiæ continetur. Ex quo fieret, quod qui ex tali motivo legem observat, ob hoc ipsum peccet, quatenus transgreditur aliam legem de non operando honeste, nisi ex motivo charitatis. Hanc tamen legem non dari,

ri, non solum ex eo constare videtur, quia esset nimis ardua, ferretque moralem impossibilitatem, ut observetur, (non secus ac lex de ponendo semper actu charitatis intensissimo) ut proinde induceret in desperationem; sed etiam quia de medio tolleret virtutes alias a charitate distinctas; cum tamen de fide sit dari tres virtutes Theologales ex Apostolo 1. Corinth. 13. ubi dicit: *Fides, Spes, & Charitas, tria hac; major autem horum est Charitas*. Non posset autem dici charitas esse major, nisi darentur aliæ virtutes, quibus præferretur. Hinc Tridentinum sess. 6. c. 7. de his tanquam de tribus virtutibus loquitur, dicens: *In justificatione simul hæc omnia accipit homo, fidem, spem, & charitatem*; ac deinde definit in eadem sess. can. 28. quod licet per quodvis peccatum gratia, & charitas amittatur, non semper amittatur etiam fides. Similiter de virtutibus moralibus, tanquam de virtutibus inter se, & a charitate distinctis, dicitur Sapient. 8. *Sobrietatem, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominis*. Hinc communissimus Theologorum, Patrum, ac totius Ecclesiæ sensus fert varietatem, ac distinctionem virtutum, ut sine temeritate ea negari non possit. Quare licet perfectius sit amare objectum virtutum moralium propter Deum ex affectu charitatis, quam amare illud propter se, & ex motivo proprio talis virtutis non; propterea hujusmodi amor est vitiosus, aut dicit ullam imperfectionem positivam; sicut non est imperfectus positive, aut culpabilis amor Dei minus intensus, quamvis sit minus perfectus, quam amor Dei intensior; & consequenter legis obedientia, quæ non ponitur ex motivo charitatis, sed ex motivo proprio virtutis obedientiæ, quia scilicet rationi consonum est superiorum mandata exequi, non est *hyprocrisis*, nec *justitia falsa*, sed vera virtus, quamvis minus perfecta, quam sit charitas.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XLVIII.

Quadragesima octava docet, nihil boni esse posse in nobis sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate, atque adeo in Infidelibus non posse esse, nisi tenebras, & barathrum culparum, & in peccatoribus post Christum, ejusque gratiam, & charitatem amissam nihil superesse præter aberrationem a via salutis, & peccatum. Quod attinet ad Infideles, recuditur vigesima quinta ex proscriptis Bajanis thesibus, quod scilicet *Omnia opera Infidelium sint peccata*: cum tamen certum esse debeat, posse Infideles solis naturæ viribus honeste aliquando operari, ut passim Patres testantur. Hieronymus in illud ad Gal. 1. *Ut revelaret filium suum in me*, hæc habet: *Perspicuum sit, natura omnibus Dei inesse notitiam, & habere in se semina sapientiæ, & justitiæ, reliquarumque virtutum: Unde multi absque fide, & Evangelio Christi sapienter faciunt aliqua, vel sancte; ut parentibus obsequuntur*, &c. Chrysost. hom. 5. in Roman. 2. habet, *Deum sic hominem finxisse, ut possit per se virtutem intelligere, ac vitium declinare*. Cum autem per Adæ peccatum, quæ nobis naturalia sunt non amiserimus, & ex Tridentino sess. 6. c. 1. liberum arbitrium non sit amissum, licet sit viribus attenuatum, & inclinatum, idcirco etiam in natura lapsa dantur vires naturales ad honeste operandum; unde proscripta est vigesima secunda Baji thesis docens: *Cum Pelagio sentiunt, qui textum Apostoli ad Roman. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea quæ legis sunt faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*; siquidem etiam sine lumine fidei potest humanum arbitrium naturaliter legem servare. Quibus adde, quod Infideles, etiam ante actum fidei, qui spectat ad intellectum, elicere possunt actum supernum, qui spectet ad voluntatem, quo scilicet velint fidem amplecti, & credere; quandoquidem ex tali actu libero voluntatis fides denominatur meritoria; unde dicitur Rom. 10. *Corde enim creditur ad justitiam*.

Quod autem spectat ad peccatores, recuditur pariter hic 34. ex Bajanis proscriptis thesibus, quæ habet: *Omne, quod agit peccator, vel servus peccati, peccatum est*: necnon 39. dicens: *In omnibus suis actibus peccator servit dominanti cupiditati*. Et sane peccator, qui a Christo, atque adeo a via salutis aberravit, antequam gratiam sanctificantem, & charitatem recuperet, potest a Deo excitatus, ejusque gratia adjutus, actibus supernis fidei, spei, doloris ad illam se disponere, & cum filio prodigo dicere: *Surgam, & ibo ad Patrem meum, & dicam illi, Peccavi*; in quo certe non aberraret, nec peccaret; unde falsum est, quod sine Christi gratia, & charitate nihil aliud esse possit peccator, quam aberratio, & peccatum. Quinimo Tridentinum sess. 14. c. 4. declarat, attritionem a peccatore conceptam non solum non reddere illum hypocritam, & magis peccatorem, (prout redderet, si esset peccaminosa) sed etiam esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quo pęnitens viam sibi ad justitiam parat, & ad gratiam Dei per Sacramentum obtinendam se disponit. Hinc ab eodem Trid. sess. 6. cap. 9. anathematizatur, qui dixerit: *Opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacunque ratione facta sint, vere esse peccata, aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto gravius peccare*.

Denique ex eo etiam thesis hæc est erronea, quod velit sine fidei lumine, sine Christo, sine charitate non posse homines culpas declinare; cum certum sit non posse culpæ ascribi, quod vitari non potest. Hinc Tridentinum sess. 6. can. 6. docet, in potestate hominis esse vias suas malas facere; & consequenter potest culpas declinare, etiamsi fidei lumine careat, Christo, & charitate.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XLIX.

Quadragesima nona contendit, eodem modo peccatum se habere ad amorem nostri, sicut opus bonum ad amorem Dei; unde sicut nullum peccatum excludit amorem nostri, ita nulla bona operatio sejungatur a Dei amore: ex quo recurrit, quod in thesibus superioribus dicebatur, operationes, quæ non profluunt ex fonte charitatis erga Deum, esse lutulentas, & peccaminosas. Sed manifeste errat; cum enim peccatum sit turpe, & inhonestum, & sub hac ratione amari non possit, debet apparere aliquo modo nobis bonum, (videlicet aut quia est delectabile, aut quia est utile) ut possit amorem terminare; si autem amatur,

tur, quia parit in nobis delectationem, aut utilitatem, dum peccatum amamus, volumus nobis bonum illud delectationis, vel utilitatis, & ideo amamus nosmetipsos, cum amare nihil aliud sit, quam velle bonum. At opus bonum, utpote honestum, potest de se amorem terminare, nec est necesse, quod illud velimus propter Deum dilectum, quando independenter ab hac relatione ad Deum habet suam bonitarem, nempe honestatem, quæ secundum se potest amari: & ideo potest opus bonum esse sine amore Dei. Sic qui propter mercedem æternam bene operatur, non solum non peccat, ut definitur a Tridentino sess. 6. can. 31. verum etiam ponit actum bonum, & salutarem; & tamen sic operando non amat Deum, cum nihil boni Deo velit, sed amet seipsum, cum velit Deum sibi; unde Deum amat amore concupiscentiæ spectante ad spem supernaturalem, non amore amicitiæ, qui spectet ad charitatem. Similiter qui proximum diligit, non quidem ex motivo Divinæ bonitatis summe dilectæ id præcipientis, sed ex motivo honestatis creatæ, quæ reperitur in dilectione proximi, quatenus talis dilectio est conformis naturæ rationali, & dictamini rationis, non amat hoc actu Deum; & tamen opus non solum est usquequaque honestum, tam ex objecto formali, quam ex objecto materiali, sed etiam est opus præceptum a Deo, qui peccatum præcipere non potest: Siquidem non unum, sed duo sunt præcepta charitatis: Primum quidem, ut diligamus Deum ex toto corde, atque adeo non ex corde diviso inter amorem Dei, & amorem creaturarum oppositum Divinæ voluntati; Alterum, ut proximum sicut nosmetipsos diligamus. Quod si teneremur proximum diligere ex motivo charitatis erga Deum, non essent duæ virtutes charitatis, altera, quæ Deum tantum respiceret, altera, quæ tantum respiceret proximum, ut communiter Theologi docent; sed esset una, quæ utrumque actum eliceret, & dilectionis Dei propter seipsum, & dilectionis proximi propter Deum; & consequenter non essent duo Præcepta charitatis, sed unum tantum, quod generaliter complecteretur omnia, quæ propter Deum sunt diligenda. Immo ex Angelico 2. 2. quæst. 27. art. 8. si non possemus honeste diligere proximum propter se, sed teneremur illum amare propter Deum, sequeretur, quod præceptum dilectionis Dei non esset primum, & maximum, prout Christus Dominus Matth. 22. illud appellavit, sed præcipuum esset, & maximum præceptum de dilectione proximi propter Deum; eo quod dilectio proximi includeret Dei simul, & proximi dilectionem, ad quod non se extenderet mera dilectio Dei. Potest itaque opus esse usquequaque bonum, quamvis amorem Dei formalem non includat.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim L.

Quinquagesima non est absimilis præcedentibus, dum docet frustra nos clamare ad Deum, Pater mi, quando ille, qui clamat, non est spiritus charitatis; atque adeo Dei invocationem, fiduciam in ejus amore paterno, orationes, suspiria esse inania, nisi ex fonte charitatis promanent. Sed quomodo dici possunt inania, si maxime conferunt ad charitatem, & justificationem impetrandam, ac de congruo promerendam, quoties procedunt ex auxilio superno? Propterea Tridentinum sess. 14. cap. 4. docet, *ex ingenti peccatorum detestatione manasse clamores illos Sanctorum, Tibi soli peccavi, & malum coram te feci: Laboravi in gemitu meo, lavabo per singulas noctes lectum meum; Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, & alios hujusmodi generis: ac deinde can. 5. anathematizat qui dixerit, hanc *peccatorum detestationem, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum multitudinem, ac fœditatem, necnon amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum, non esse verum, & utilem dolorem, neque ad gratiam præparare*. Et tamen hujusmodi clamores, ac peccatorum detestatio non profluunt ex fonte charitatis, sed potius ex amore quo quis seipsum honeste diligit, dolendo de culpis ob amissionem gloriæ, & ob damnationis incursum. Quod si frustra Deum Patrem nostrum invocaremus, quando nondum adest spiritus charitatis, qui clamet, quomodo peccatori id a Deo injungeretur Jerem. 3. ubi dicit: *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem amodo voca me, Pater meus, & dux virginitatis meæ tu es*. Dum enim huic invocationi promittitur peccatorum remissio, & charitas, ea invocatio non procedit ex spiritu charitatis, & tamen utilis est ad charitatem impetrandam. Sic etiam non frustra filius prodigus Lucæ 11. decrevit dicere: *Pater peccavi in cœlum, & coram te*, siquidem ob hoc propositum ex consideratione propriæ egestatis ortum, cum adhuc longe esset, atque adeo nondum reversus ad Patrem, hic misericordia motus accurrit, & osculatus est eum, ac induit illum stola prima, restituendo illi, quam amiserat, charitatem. Idemque dicitur de Publicano Lucæ 18. qui cum fiducia remissionis obtinendæ clamabat, *Deus propitius esto mihi peccatori*, & hac de causa *descendit justificatus in domum suam*. Verum quidem est, quod deficiente charitate habituali, operationes virtutum supernaturalium, quibus Patris Cœlestis auxilium imploramus, nullatenus deserviant ad merendam de condigno gratiam. In quo sensu 1. ad Corinth. 13. dicitur: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, ut advertit D. Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 4. Deserviunt tamen ad illam impetrandam, & ad merendum de congruo vires supernas, quibus ad illam pervenire possimus; unde non fiunt frustra, ut Quesnellus effutit adversus Catholicas veritates. Quod ex eo etiam fit perspicuum, quia oratio Dominica etiam a peccatoribus charitate orbatis recitanda sit, dicendo cum fiducia, & humilitate, *Pater noster, qui es in cœlis, dimitte nobis debita nostra*; quamvis enim peccator non sit Dei filius adoptivus per gratiam, adhuc potest Deum invocare Patrem, per hoc quod ad ejus imaginem, ac similitudinem sit creatus, & ab eo enutritus affectu paterno: unde dicitur Malach. 2. *Numquid non Pater unus omnium nostrum?*

PRO-

PROPOSITIO LI.

Fides justificat, quando operatur, sed ipsa non operatur, nisi per charitatem. *Quesn. Act.* 13. 39. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Duplex hic error involvitur, & quod fides justificet, & quod fides non operetur, nisi per charitatem.

II. Fides non justificat, nisi dispositive, non formaliter; & per dilectionem operatur, quatenus actus fidei disponit, ac se extendit ad inducendam operationem propriam charitatis.

III. Multifariam Heterodoxi errarunt in explicando quomodo fides justificet. Quesnellus docet, fidem non esse sine fiducia, & amore, atque hac ratione per fidem apprehendi potius justificationem, quam acquiri.

IV. Si posset fides formaliter justificare, conjuncta cum Spe, & charitate, posset pariter sejuncta ab illis.

V. Quod autem possit ab iis separari, perperam Calvinus inficiatur.

VI. Justus ex fide vivit, *tum quia per fidem reddit sibi quadantenus præsentem beatitudinem: tum etiam quia ex fide formata charitate vivit vita gratiæ.*

VII. Fides autem sicut potest esse sine charitate, ita potest sine illa operari.

VIII. Passim fides dicitur justificare, sed solum causaliter, & meritorie.

IX. Tribuitur quidem fidei salus, sicut tribuitur etiam spei, dilectioni, timori, baptismo, quin tamen hæc seorsim ad salutem sint satis.

X. Explicatur in quonam sensu verum sit, quod Omnis, qui credit, habeat vitam æternam.

XI. Et in quonam sensu Patres doceant solam fidem justificare.

I. UTrumque erroneum, & fidei catholicæ adversum, & quod fides justificet per suam operationem, & quod non possit habitus fidei suam operationem exercere nisi per charitatem. Docet quidem Apostolus ad Rom. 3. quod nos per fidem justificemur; & ad Galatas 5. quod fides per dilectionem operetur. At quomodo per fidem justificemur explicat Trident. sess. 6. cap. 8. dicens, *Ea verba in eo sensu intelligenda esse, quem perpetuus Ecclesiæ consensus tenuit, & expressit, ut scilicet per fidem ideo justificari dicamur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, sine qua impossibile est placere Deo, & ad filiorum ejus consortium pervenire*. Calvinus autem, & cum eo Janseniani contendunt, fidem formaliter justificare per suam operationem, quæ vel sit quædam fiducia, & amor in Deum, vel ab his actibus non sejungatur, ut habet Quesnellus in thesi sequenti. Hæc sunt Calvini verba in Antid. Concilii ad can. 11. sess. 6. *Sola fides est, quæ justificat, fides tamen, qui justificat, non est sola; sicut calor Solis solus est, qui terram calefacit, ipse tamen calor non est solus in Sole, sed cum splendore*. Quod pariter docuerunt Philippus Melancthon, Kemnitius, & alii Heterodoxi apud Bellar. lib. 1. de Justific. cap. 15. putantes ad præsentiam charitatis fidem justificare, ita ut effectus justificationis soli fidei tribuatur, & charitas ut solum requisitum. Quod pariter non obscure docet Quesnellus in thesi 68. dicens: *Dei bonitas abbreviavit viam salutis, claudendo totum in fide, & precibus*, indicans solam fidem, quæ juxta suas hallucinationes nonnisi per charitatem operatur, & non est sine fiducia, & amore, formaliter justificare, & non mere dispositive, ut docet Tridentinum.

II. Præterea modus, quo fides per dilectionem operatur, juxta verba Apostoli, explicatur ab Angelico his verbis: *Fides primo, & principaliter consistit in operatione, in quantum scilicet inhæret primæ veritati; sed veritas prima est etiam ultimus finis, propter quem operamur; inde etiam est, quod fides ad operationem se extendit, secundum illud ad Galatas* 5. *Fides per dilectionem operatur*. Quare licet verum sit, quod operationem fidei, quæ primæ veritati inhæret, subsequatur deinde operatio charitatis, propter quam assequimur ultimum finem, non propterea verum est, quod in hac thesi dicitur, fidem non operari, nisi per charitatem, ita scilicet ut non possit vera fides in peccatoribus Christifidelibus dari, ac operari absque charitate; cum definitum sit in Trid. sess. 6. can. 28. non semper amissa per peccatum gratia, & charitate, fidem amitti.

III. Antequam ostendam falsitatem utriusque asserti, præmitto multifariam ab Heterodoxis explicari, quod fides justificet; etenim justificat quatenus *fides est fiducia misericordiæ, quod propter Filium Dei habeamus remissionem peccatorum, non propter nostras virtutes*, ut habet Philippus Melancthon in locis communibus titulo de bonis operibus. Lutherus vero in 2. cap. ad Galat. dicit: *Fides est formalis justitia, propter quam homo justificatur, non propter charitatem*. Alii cum Calvino, & Kemnitio dicunt fidem justificare, quia homo credendo accipit, quod Deus promittendo offert; & idcirco fides non est sine fiducia accipiendi, quod Deus promisit, & sine amore Dei dantis, quod promisit. Huic sententiæ videtur inhæsisse Bajus, Jansenius, & nunc Quesnellus, docentes fide justificationem apprehendi potius, quam acquiri.

IV. Ostenditur nunc prius, quod fides non justificet per suam operationem, sed solum ad justificationem disponat, & deinde ostendemus, quod non requiratur charitas ad hoc, ut fides operetur. Quod attinet ad primum, ratio cur fides non justificet, est, quia si posset justificare ad præsentiam fiduciæ, seu spei, & charitatis, posset etiam separata ab his virtutibus justificare; constat autem quod sine dilectione non potest peccator justificari saltem extra Sacramentum Pœnitentiæ, juxta illud 1. Jo: 2. *Qui non diligit, manet in morte*. Ergo fides non justificat. Probatur sequela, quia fides eadem omnino est, sive præsentes sint aliæ virtutes Theologicæ, sive sint absentes: ergo si justificaret præsentibus aliis virtutibus, etiam justificaret iis absentibus, imo etiam præsentibus vitiis oppositis.

V. Neque dicas, quod fides non possit a fiducia, & charitate separari. Nam peccatores amissa per peccatum charitate, & gratia, non amittunt fidem, si non peccant peccato infidelitatis, ut diximus ex Tridentino loc. laud., quare potest a chari-

ritate separati, & sic separata posset justificare, si verum esset, quod fides justificet, quod est erroneum. Deinde in tantum in sententia Calvini, & Lutheri, quos sequitur in his thesibus Quesnellus, vera fides non potest a fiducia, & amore separari, in quantum, ut habet Lutherus in Epist. ad Romanos, fides est similis igni, qui si non luceat, & ardeat, non est ignis; vel in quantum, ut habet Calvinus lib. 3. instit. cap. 2. fides comparatur Christo, & Charitas Spiritui sancto; unde sicut Christus nequit esse sine Spiritu sancto, ita nec fides sine charitate: fides quippe intuetur, & recipit Christum simul cum spiritu dilectionis, & sanctificationis: Sed neutra ratio quicquam probat; non prima, quia etiam similitudines, quæ habentur in Evangeliis, non in omnibus debent convenire, ut alias advertimus ex Augustino, & a fortiori similitudines, quæ a nonnullis adducuntur ad aliquid explicandum. In Scripturis autem sola charitas, non vero fides igni comparatur; dicitur enim in Canticis: *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; lampades ejus lampades ignis*. Et quamvis fides comparetur igni, in tantum esset igni similis, in quantum habet de se fides summam activitatem, non vero in quantum semper fides operatur, aut in quantum semper debeat habere secum annexam charitatem, quæ semper operetur; quis enim somniet, virtutes Theologales, semper ac sunt in anima, semper operari? cum enim in baptismo infundantur infantibus, deberent etiam in infantibus operari. Neque quicquam evincit Calvini ratiocinatio, quia scilicet qui fide respicit, & intuetur Christum, intuetur illum cum spiritu dilectionis, & sanctificationis. Hinc enim solum fit, quod ad fidem spectet tum Christus, tum Spiritus Sanctus solum objective: eo modo, quo sanitas est in ægroto, quando de illa cogitat, & illam appetit; at hinc non sequitur, quod non possit fides a spiritu dilectionis separari.

Neque instes, charitatem consequi ad fidem; & idcirco fides semper charitati annectitur: & per charitatem operatur. Nam charitas non consequitur ad fidem tamquam passio, & proprietas necessaria, sed consequitur tamquam virtus, ad quam alia disponit, & inclinat; ideo enim fides dicitur gignere charitatem, quia actus fidei inclinat, & disponit ad actum charitatis, & ad diligendum Deum, cui credit, quin tamen necessitet ad talem dilectionem; aliter actus charitatis non esset meritorius, & salutaris.

VI. Neque opponas illud Habacuc 2. *Justus ex fide vivit*, quod videtur innuere, fidem sejungi non posse a charitate, qua vivimus vita spirituali.

Nam sententia ista, qua non semel utitur Apostolus, si ad literam explicetur, solum significat, justum sustentare se, ac tolerare in via desiderium patriæ per fidem; quoniam fides facit quodammodo præsentem beatitudinem, quam speramus; ea quippe est *sperandarum substantia rerum argumentum non apparentium*, ut dicitur ad Hebr. 11. Significatur etiam per eandem sententiam, quod justus vivat vitam spiritualem, & divinam ex fide, videlicet ex fide formata per charitatem, non vero ex fide informi, neque inde infertur, quod fides non possit esse informis.

VII. Quod attinet ad alterum assumptum, quod scilicet non requiratur charitas, ut fides esse, & operari possit, unde falsum sit; quod nonnisi per charitatem vera fides operetur, manifeste ostenditur ex eo, quod etiam in magnis peccatoribus possit dari vera fides, ergo a fortiori potest haberi fidei exercitium in aliis non magnis peccatoribus, sine charitate. Antecedens constat, tum ex proscriptione thesis duodecimæ facta ab Alex. VIII. quæ habet: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides, & si videantur credere, non est vera fides divina, sed humana*; tum etiam ex verbis Apostoli 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habeam, nihil sum*; Ubi cum dicat *omnem fidem*, amplectitur etiam divinam; unde potest divina fides haberi sine charitate. Præterquamquod ibi solum loquitur Apostolus de fide divina, cum statim addat: *Nunc autem manet fides, spes, & charitas*. Hinc Trid. sess. 6. can. 28. habet: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*. Et similiter Augustinus lib. 1. de Trinit. cap. 18. docet, *Fidem sine charitate esse posse, non tamen prodesse*. Et ratio cur Deus voluerit ex sua misericordia, tum quod perseverent in peccatore habitus fidei & spei, amissa charitate, & gratia, quando peccatum his virtutibus non adversatur, tum etiam quod per auxilium supernaturale possit ante exercitium charitatis haberi verus actus fidei Divinæ, ac spei, etiam ab eo, qui destitutus est habitu fidei propter infidelitatem, est, quia voluit peccatorem posse se disponere per hos actus supernaturales fidei, & spei ad actum charitatis. Cum enim ordo gratiæ imitetur ordinem naturæ, sicut in ordine naturæ ad introductionem formæ debent præire dispositiones, ita in ordine gratiæ; est autem dispositio congrua ad actum charitatis actus fidei divinæ, ac spei Theologicæ: & ideo Deus ad eliciendos hos actus confert auxilium, antequam conferat auxilium ad actum charitatis. Quando autem in peccatore non infideli perseverat habitus fidei infusæ, tunc ad hujus exigentiam datur connaturalius auxilium supernaturale ad eliciendum actum fidei. Quod si in peccatore infideli ille habitus non præsupponatur, tunc auxilium datur ex divina misericordia, ut possit peccator per actus fidei ponere congruam dispositionem ad actum charitatis. Quinimo non potest tale auxilium deesse, posito quod cuilibet peccatori præcipiatur, ut revertatur ad Dominum, & sine illo auxilio reverti non possit.

VIII. Opponitur primo a Jansenianis, quod passim in Scripturis dicamur nos per fidem justificari; justificatio autem nequit haberi sine charitate: ergo fides sine charitate haberi non potest; atque adeo fides justificat, quando ipsa operatur, nec operatur, nisi per charitatem. Antecedens patet; Nam Rom. 5. dicitur: *Justificati ergo ex fide pacem habeamus ad Deum*: ad Ephesios 2. *Salvi facti estis per fidem*: ad Roman. 3. *Arbitramur hominem justificari per fidem*. Quare fides justificat, non quidem dispositive, sed formaliter, quatenus homo credendo accipit spiritum dilectionis, quem Deus promittendo offert.

Confirmatur, quia Lucæ 8. dicitur: *Crede tantum, & salva eris*: Lucæ 7. *Fides tua te salvam fecit*: Jo. 3. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam*: Et Marci 16. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit*. Ergo fides sola est, quæ justificat, quamvis debeat per charitatem operari.

Confirmatur secundo, quia omni credenti infallibiliter a Deo promittitur salus: ergo justificatio competit actui fidei; cum autem justificatio fine charitate haberi non possit, sequitur, quod repugnet fides informis, quæ non justificet. Quare dicendum, quod justificet per charitatem, seu potius ad præsentiam charitatis; non secus ac sol calefacit per calorem ad præsentiam lucis, ut loquitur Calvinus. Antecedens probatur, quia ad Rom. 10. dicitur: *Omnis qui credit in eum, non confundetur*: Jo. 3. *Ut omnis qui credit in eum, non pereat*; *sed habeat vitam æternam*. Act. 3. *In hoc omnis, qui credit, justificatur*.

Respondeo, quando in Scripturis dicitur impius justificari per fidem, aut ex fide, solum sensus est, quod fides sit initium, & fundamentum salutis nostræ, & radix justificationis, ut diximus ex Trid. sess. 6. cap. 8. unde fides non est nuda apprehensio justitiæ, ut contendunt Adversarii, sed est nostræ justitiæ inchoamentum, ita ut illam nobis impetret, & promereatur de congruo. Hinc ad Hebr. 12. dicitur: *Sancti per fidem operati sunt Justitiam, adepti sunt repromissiones*; Ubi particula, *Per*, solum indicat causam, non apprehensionem Justitiæ; sicut cum dicimur justificari per Christum, indicatur, quod Christus sit causa nostræ justificationis. Et August. de Verb. Apost. serm. 16. *A fide incipit homo, sed quia & dæmones credunt, necesse est addere spem, & charitatem*: Et serm. 22. *Domus Dei credendo fundatur, sperando erigitur, diligendo perficitur*; Et in Psal. 31. *Magnum opus, sed ex fide*; *laudo superædificationem operis, sed video fundamentum fidei*; *laudo fructum boni operis, sed in fide agnosco radicem*. Quare tam in locis Scripturæ adductis, quam in aliis plurimis solum sit sensus, quod fides inchoet nostram justificationem, & illam impetret, ac promereatur. Sic Lucæ 7. dicitur: *Fides tua te salvam fecit*; ubi indicatur, quod fides contulerit ad salutem, impetrando illam. Et aperte August. in Epist. 105. ad Sixtum docuit, fidem mereri, & impetrare, non vero esse nostram Justificationem, dicens: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fides hanc impetret; neque enim nullum est meritum fidei*. Et lib. 1. contra Adversarium legis, & Prophetarum cap. 17. *In novo Testamento fides impetrat Charitatem*. Et lib. de prædestinat. Sanctor. cap. 7. *Ex fide ideo Apostolus dicit justificari hominem, non ex operibus, quia ipsa prima datur, ex qua impetrentur cætera, quæ proprie opera nuncupantur, in quibus juste vivitur*. Quod si peccatoris contritio solum de congruo meretur justificationem, quin ipsa justificetur formaliter, ut communius Theologi docent contra Vasq. & alios, a fortiori fides solum ut causa meritoria remota de congruo ad nostram justificationem concurrit.

IX. Ad primam confirmationem, ubi Christus D. dixit sufficere solam fidem, non dixit eam solam sufficere ad remissionem peccatorum, ut Sectarii opinantur, sed sufficere ad miraculum illud de excitatione defunctæ, de quo ibi erat sermo. Non negatur autem a Catholicis, quod sola fides interdum sufficiat ad miracula impetranda, quando hæc requiruntur ad fidem confirmandam, non vero ad illustrandam vitam patrantis illa. Non est itaque verum, quod sola fides sufficiat ad salutem: Et quamvis fidei aliquando salus tribuitur, non propterea fit, quod sola fides salutem causet sine concursu aliarum virtutum; sic salus tribuitur etjam spei, dum dicitur Roman. 8. *Spe salvi facti sumus*; tribuitur etiam timori Dei, dum dicitur Eccles. 2. *Timor Domini expellit peccatum*; necnon dilectioni, dum dicitur Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; aliquando etiam Baptismo, dum dicitur ad Tit. 3. *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis*; nec proinde sequitur, quod singula istorum seorsum satis sint ad salutem.

X. Ad secundam, dum dicitur, quod omnis, qui credit, habet vitam æternam, non sit sensus, quod sola fides ad id sufficiat, sed sit sensus, quod fides salutem causet, si cætera non desint, ut modo diximus. Pariformiter enim dicitur in hoc eodem sensu Eccles. 2. *Omnis qui sperat in eam, non confundetur*; Et Lucæ 11. *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; Et ad Rom. 10. *Factus est omnibus obedientibus sibi causa salutis æternæ*; quin tamen hæc sola satis sint, ubi cætera desint. Hinc Patres passim docent, solam fidem ad salutem non esse satis. Augustin. tr. 10. in Epist. Joan. *Multi dicunt, Credo, sed fides sine operibus non salvat*. D. Prosper lib. 1. de vita contempl. cap. 19. *Nec opera sine fide, nec fides sine operibus justificat*. Quibus adde, in eo etiam sensu dici posse, quod omnis, qui credit in illum, habeat vitam æternam, quatenus nemo sine fide consequitur vitam æternam. Quod sic explicat August. lib. de prædest. Sanctor. c. 8. Si in aliqua Urbe sit unus duntaxat Rethoricæ præceptor, bene diceretur, quod omnes in ea Urbe ab eo Rhetoricam discant, non quia omnes Rethoricæ navent operam, sed quia nemo est, qui huic facultati dat operam, quin eam discat ab illo.

XI. Opponitur secundo auctoritas multorum Patrum, qui soli fidei justificationem ascribunt; nec posset illi soli ascribi, nisi aliquatenus imbiberet charitatem, ita scilicet, ut nonnisi per charitatem operetur, Basilius in hom. de humilitate habet: *Hæc est perfecta gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem se ipsum veræ justitiæ indignum, sola autem fide in Christo justificatum*. Ambrosius in ser. 45. *Sicut suffecit Judæ ad scelera Christum deseruisse, ita suffecit latroni ad innocentiam, Domino credidisse*. Et in cap. 4. *Non ergo opus est lex, quando impius per solam fidem justificatur*. Chrysostom. hom. 3. in epist. ad Titum: *Si credis fidei, cur alia infers? quasi fides justificare non sufficiat sola*. Et August. lib. cont. duas Epist. Pelagianorum cap. 21. *Quantælibet virtutis antiquos prædicas justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris*.

Respondeo, quod Sancti Patres, ubi docent solam fidem justificare, opponunt fidem aut operibus cæremonialibus veteris legis, aut operibus externis, aut similibus, quin excludant spem, dilectionem, pœnitentiam, & quicquid ad justificationem requiritur. Basilius iis verbis laudatis excludit opera, quæ fiunt sine fide, & gratia Dei; dicens quippe sola fide hominem justificari, significat ex dono Dei tantum justificari, non vero ex aliis operibus prævenientibus omnia Dei dona. Hinc idem Basilius in sermone de fide diserte docet, ad salutem requiri præter fidem etiam charitatem: quod probat ex eo, quia Joan. 15. Christus Dom. prædixit, discipulos suos non ex sola fide, sed etiam ex dilectione esse cognoscendos. Ambrosius ibi solum excludit opera cæremonialia legis. Etenim in Comment.

ment. ad 4. cap. ad Hebr. habet: *Magna res est fides, & salutaris, & sine hac non est salvari possibile, sed sola fides non sufficit.* Chrysost. pariter ibi docet, solam fidem, idest sine cæremoniis veteris legis, ad salutem esse satis: propterea hom. 1. in 1. Epist. ad Timoth. habet: *Non fide solum opus est, sed etiam charitate.* Denique Augustinus solum ibi vult, neminem sine fide salvari, atque adeo antiquos justos neque per opera naturæ viribus elicita, neque per legem Moysis, sed per fidem in Christum D. esse salvatos. Passim enim Augustinus docet, solam fidem ad salutem non sufficere; & loco supra laudato de Trinitate diserte dixit; *Fidem sine charitate esse posse, non tamen prodesse.*

Ex quibus fit, falsum omnino esse primo, quod fides justificet per suam operationem. Falsum omnino esse secundo, quod fides non operetur, nisi per charitatem; est quippe vera fides Divina, quæ antecedenter ad charitatem, & sine charitate operatur, quin tamen ea justificet, sed solum ad justificationem disponat.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LI.

QUinquagesima prima dupliciter errat adversus fidei dogmata; tum quia docet, fidem justificare, quando operatur; tum etiam quia docet, fidem non operari, nisi per charitatem. Quod attinet ad primum, certum est, fidem habitualem operari posse, & influere in actum fidei, etiam separatum a charitate; siquidem ex Tridentino sess. 6. can. 28. non semper amissa per peccatum gratia amittitur fides; quæ ne frustra remaneat, debet posse operari; ejus tamen operatio, quamvis non sit viva, & charitate informata, adhuc tamen ex eodem Tridentino vera fides est; nec proinde talis fides justificat. Etenim ex cap. 7. ejusdem sessionis Tridentini fides vitam æternam non præstat sine spe, & charitate. Fides est requisita, ut accedamus, non ut per illam duntaxat perveniamus ad Deum: propterea ad Hebr. 11. dicitur: *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*; fidei enim operatio est solum ad Deum introductoria, & per eam tantum ad illum appropinquamus; at non justificat, nec vitam æternam præstat ex eodem Tridentino se sola; ut proinde a Christo D. dicatur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, & Jacob. 2. *Fides sine operibus mortua est.* Propterea in canon. 9. ejusdem sess. Tridentini anathematizatur, qui dixerit, *Impium sola fide justificari.* Multi enim, quamvis parati vitam potius perdere, quam Christi fidem negare, sunt tamen fornicatores, adulteri, &c. qui proinde ex 1. ad Corinth. 6. *Regnum Dei non possidebunt.* Quando autem Apostolus ad Roman. 3. dicit, *Arbitramur justificari hominem per fidem sine operibus*, solum excludit opera legis, & naturæ, non opera gratiæ, inter quæ est dilectio, quæ est ultima dispositio ad justificationem. Explicat autem Tridentinum sess. 6. cap. 8. in quo sensu Apostolus dicat, nos per fidem justificari, quia scilicet Fides est *humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis*: propterea solum radicaliter justificat, non formaliter.

Quod attinet ad alterum errorem hujus thesis, ostendimus habitualem fidem non semper per quodvis peccatum amitti; & tunc, ne sit prorsus frustranea, suam habere potest operationem propriam, qua firmissime credimus Deo loquenti: hæc autem operatio non potest haberi per charitatem, quæ jam supponitur per peccatum amissa: quare falsum est, quod fides operetur per charitatem. Propterea Tridentinum sess. 6. cap. 6. docet, per fidem, timorem, spem, ac pœnitentiam impium præparari, ac disponi ad justificationem, gratiam, & charitatem habitualem obtinendam: cum autem operatio fidei præcedat habitum charitatis infusum, non potest operatio fidei ullatenus ascribi charitati. Docet quidem Apostolus ad Galat. 5. quod ad salutem consequendam valeat *non circumcisio, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur.* At in eo sensu id accipiendum est, ut advertit D. Thomas, non solum quia fides per charitatem habet meritum vitæ æternæ, quod etiam competit spei, & aliis virtutibus infusis: sed etiam quia fides est initium salutis, & obtenta charitate, ad operationes impellit, quibus finem ultimum assequamur. Ubi adverte, verum duntaxat esse, quod fides, quæ per dilectionem operatur, juxta sensum explicatum, valeat ad salutem: at erroneum esse, quod in thesi dicitur, fidem non operari, nisi per charitatem, cum possit adhuc sejuncta a charitate operari.

Videri posset nonnulli imperito, quod thesis isthæc non esset proscribenda, quippe quæ usurpat ipsissima verba Apostoli, & non videtur quare dici non possit, quod ea usurpet in eodem sensu Catholico, in quo ab Apostolo usurpantur, videlicet quod fides, quando operatur, justificet, non quidem formaliter, sed radicaliter: & quod fides non operetur, nisi per charitatem, videlicet opera meritoria vitæ æternæ. Sic autem benigne explicata, prout Apostoli verba explicantur, sanam, & Catholicam doctrinam continet, nec est obnoxia censuræ.

Sed fallitur, qui non advertit ad regulam supra traditam, quod scilicet verba doctrinalia, & dogmatica sumi debeant in sensu proprio, non secus ac verba Sacrorum Bibliorum accipi debent, ut advertit Augustinus, in suo germano sensu, sicut etiam verba Conciliorum, quoties aliunde non constat, in sensu minus proprio hic, & nunc accipienda esse: E. g. dum dicitur in Tridentino, quod ad Sacramentum Pœnitentiæ constituendum requiratur dolor, non potest id intelligi de dolore virtuali, qui in actu amoris Dei virtualiter continetur, sed debet intelligi de dolore formali, quia hic est sensus proprius hujus vocis, nec aliunde habetur, quod possit intelligi de dolore virtuali: contra vero, quando in Scripturis dicitur, quod justificatio extra Sacramentum peccatori non conferatur, nisi præmissa peccatorum detestatione, ac dolore, profecto intelligi potest tam de dolore formali, quam de virtuali incluso in dilectione Dei super omnia, quia scilicet ex aliis Scripturæ locis habetur, quod etiam vi dilectionis Dei super omnia conferatur justificatio. Ad rem nostram: Ex aliis ejusdem Apostoli textibus habetur, quod fides sine charitate nihil prosit, nec possit præstare vitam æternam; propterea quando dicit, quod fides justificet, non debet intelligi, quod fides justificet formaliter, sed solum radicaliter. Similiter ibi docet Apostolus, fidem a charitate sejunctam posse operari, ut quando dicitur 1. Corinth. 13. *Si ha-*

buero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum ; propterea dum dicit fidem per dilectionem operari, non debet id ita explicari, ut requiratur charitas ad operationem fidei, prout ferret proprius, ac obvius verborum sensus. Contra nunc in casu nostro, ex aliis Quesnelli locis non solum non habetur, quod in sensu minus proprio ad mentem Apostoli verba hujus thesis usurpentur, quin potius constat oppositum, ut facile est advertere. Quare cum thesis sit doctrinalis, & in sensu obvio, quem præseferunt verba, sit erronea, fuit procul dubio tum in propria verborum significatione, tum etiam ad mentem Auctoris proscribenda; præsertim quia in sensu verborum proprio ab Hæterodoxis usurpata sit, & a Tridentino damnata; unde perspicuum est, callide hic obtrudi ad circumventionem erroris.

Quibus adde, quod licet Quesnellus (putans forte thesim hanc esse æquivocam) in sensu Catholico hic, & nunc usurparet, & sensum hunc Catholicum forte aliis in locis innuerit, non propterea ea absolute prolata, & absque explicatione sensus Catholici non fuisset proscribenda. Ratio est, quia propositio, quæ capax est utriusque sensus tam Catholici, quam hæretici, postquam in controversiam adducta est in Ecclesia, præsumitur, quod absolute prolata usurpetur in sensu hæretico; datur enim obligatio explicandi sensum hunc æquivocum ad vitandum scandalum; atque adeo nisi sensus explicetur, præsumitur, quod in sensu hæretico usurpetur. Et ratio ulterior est, quia cum voces æquivocæ ex circumstantiis determinentur ad hanc potius significationem, quam illam, (ut verbum, *absolvo te*, ex circumstantia Confessionis Sacramentalis significat absolutionem a peccatis, ex circumstantia vero fori externi significat absolutionem a reatu pœnæ) hinc fit, quod quoties propositio aliqua ab hæreticis male usurpata est, & ab Ecclesia damnata, ex hac circumstantia determinetur ad significandum sensum damnatum, quoties non explicatur: & ideo absolute prolata est digna, quæ proscribatur, idque verum est, etiamsi aliis in locis Auctor aliquatenus sensum ejus Catholicum innuisset. Sic postquam propositio ista a Christo D. prolata, *Pater major me est*, ab Arianis explicata est erronee de majoritate Patris relate ad Filium ut Deum, non licet absolute dicere, (præsertim in locis, in quibus adhuc viget hæresis Ariana) quod Pater sit major Filio, quia ex circumstantiis determinatur ad significandum sensum falsum, quod Filius Dei sit creatura, etiamsi aliis in locis Auctor dixerit, quod Dei Filius sit Patri coæqualis. Quare cum damnata sit a Tridentino thesis dicens, fidem justificare, nempe formaliter, ex hac circumstantia fit, quod ea prolata absolute (præsertim in locis, ubi ea hæresis suos habuit Asseclas) determinetur ad significandum sensum damnatum; unde proscribenda est, quamvis Auctor aliis in locis verbis subobscuris ad effugiendas censuras sensum ejus Catholicum explicasset. Idemque dicendum de aliis Quesnellianis thesibus, quæ damnatum Jansenianum sensum præseferunt. Quare quamvis ex. gr. Quesnellus dicat in cap. 14. Lucæ vers. 1. quod homo aperiat sæpe cor malignitati, pravisque suspicionibus, quando deberet illud aperire lumini, & gratiis, quas Salvator sua visitatione eidem offert, unde videtur admittere, quod possit humana voluntas gratiæ resistere; non propterea fit, quod non fuerit proscribenda ejus thesis decimatertia, & aliæ ejusdem furfuris, in quibus diserte dicitur, quod gratiæ interiori voluntas resistere non possit. Istæ enim theses post condemnationem thesium Jansenii non alium sensum præseferunt, quam illum ab Ecclesia damnatum, unde proscribendæ sunt: quamvis Quesnellus verbis illis relatis doceat in eo alio loco, quod possit homo aperire oculos malignitati, quos deberet aperire gratiis a Salvatore oblatis, de quibus loquitur in thesi quinta. Quare perperam nonnulli conantur Quesnellum excusare: præsertim quia cum passim Jansenizet, quamvis recte sentiret, adhuc istis locutionibus damnatum sensum præseferentibus scandalum non declinaret.

Ex quibus omnibus fit, Augustinum laudabiliter sensum Catholicum ab Apostolo locis laudatis intentum expressisse in Epistolam ad Galatas in præfat. illis verbis: *Non aufert peccatum, nisi gratia fidei, quæ per dilectionem operatur*; Quesnellum vero non expressisse sensum Catholicum, sed hæreticum a verbis hujus thesis: *Fides justificat, quando operatur; nec operatur, nisi per charitatem.* Primo, quia verum est, peccata non tolli sine gratia fidei, ut habet Augustinus; non est tamen verum, quod fides justificet, quando operatur, ut loquitur Quesnellus. Verum pariter est, juxta locutionem Augustini, quod fides per dilectionem operetur, hoc est vi dilectionis impellat ad operationem, videlicet ad mandata servanda; at non est verum, quod non operetur fides, nisi per charitatem, ut habet Quesnellus; cum possit dari fidei actus sine charitate. Secundo, quia licet consimilibus æquivocis verbis loquuti fuissent Augustinus, & Quesnellus, verba Augustini nonnisi sensum Catholicum haberent ex ea circumstantia, quod tunc juxta sensum Catholicum Apostoli communiter usurpabantur: Contra vero eadem verba in Quesnello haberent sensum hæreticum ex hac circumstantia, quod in hoc sensu damnato ea usurpata sint ab Heterodoxis, a quibus signate debuisset recedere, si nollet iis adstipulari. Tertio, quia passim ex aliis Augustini textibus ejus mens deprehenditur; unde ex hac pariter circumstantia vox æquivoca ad sensum catholicum determinatur: contra vero, quia passim Quesnellus Jansenizat, ideo ex hac circumstantia ad sensum Jansenianum vox æquivoca determinatur. Ad eum modum quo in codice alicujus Ethnici, qui passim doceret, Solem ut Deum esse adorandum, verba illa sacrosancta Apostoli 1. ad Tim. 1. *Soli deo honor & gloria*, ex circumstantia talis codicis determinarentur ad sensum execrandum. Et hæc dicta sint pro aliis thesibus, quæ videntur alicui imperito affines esse locutionibus Sanctorum Patrum: quamvis enim revera æquivocationem paterentur; ex adjunctis tamen aut loci, aut temporis, aut auctoris, aut codicis in Sanctis Patribus statim obvius fieret sensus Catholicus, in Quesnello vero sensus erroneus.

PRO-

PROPOSITIO LII.

Omnia alia salutis media continentur in fide, tanquam in suo germine, & semine, sed hæc fides non est absque amore, & fiducia. *Quesnel. Act.* 10. 43. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Peccat thesis hæc, tum in eo, quod velit, Deum nihil aliud nobis ad salutem conferre præter fidem; tum etiam in eo, quod velit fidem esse non posse sine fiducia, & amore.

II. Præire debet ad fidem pia affectio, a qua fidei assensus imperetur.

III. Pia hæc affectio ad fidem esse debet actus supernaturalis, atque adeo prærequirens auxilium supernum.

IV. Nec est actus simplicis alicujus complacentiæ elicitus a charitate.

V. Quando cupiditas credendi dicitur procedere a charitate, tunc nomine charitatis venit quæcunque virtus moralis.

VI. Virtus autem, quæ gignit piam affectionem ad Fidem, non est Teeologalis, sed moralis.

VII. Fidei actus pertinet ad intellectum, unde distinguitur a fiducia, quæ spectat ad voluntatem.

VIII. Fides est causa fiduciæ, seu confidentiæ in Deum.

IX. Venit quidem aliquando apud Latinos nomine fidei fiducia; At in Scripturis nomine fidei venit fides firma, quæ passim fiduciam parit; non secus ac fides debilis, & infirma parit timorem, quin tamen vera fides componi possit cum formidine, ne non sit Deus locutus.

X. Distinguitur etiam fides ab amore.

XI. Per actus prævios fidei, & spei peccator disponitur ad charitatem, & contritionem.

XII. Inter veros fideles dantur plurimi, qui retenta fide charitatem amittunt.

XIII. Justus vivit ex fide formata charitate, & conservat vitam gratiæ credendo, quæ a Deo revelata sunt.

XIV. Quamvis fides non sit formata charitate, adhuc est supernaturalis.

XV. Fides est virtus Teeologalis ex numero intellectualium virtutum, quamvis ea Aristoteli fuerit ignota: estque præstantior, quam sit scientia.

XVI. Fides informis non est otiosa, sed prodest ad merendum de congruo auxilium ad resipiscendum.

XVII. Fides operatur per charitatem, quatenus per charitatem habet, ut ponat operationes meritorias vitæ æternæ.

XVIII. Inaniter Quesnellus excusatur.

I. SI sensus primæ partis hujus thesis esset, quod fides sit humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis, omnino verum haberet; ea quippe est doctrina Tridentini *sess.* 6. cap. 8. At ex contextu aliarum thesium, & ex proprio verborum sensu denotatur, in hac prima parte, in qua dicuntur omnia salutis media contineri in fide, illud Quesnellum contendere, quod nihil aliud nobis a Deo detur conferens ad salutem præter fidem, quam deinde in secunda parte thesis dicit non esse absque amore, & fiducia: cum enim nullam aliam virtutem infusam agnoscat præter charitatem imbibitam in fide, ut in proxime sequentibus thesibus aperte asseverat, ideo sensus ab eo hic intentus non est, quod fides sit radix nostræ justificationis, sed quod nullum aliud a Deo nobis conferatur auxilium in ordine ad salutem, præter hanc fidem, & quod omnis alius actus, qui non sit fidei imbibentis charitatem, sit vitiosus, ut habet in thesi 44. & sequentibus. Secunda vero pars hujus thesis nova explicatione non indiget; etenim ex modo dictis in thesi præcedente aperte constat, fidem posse esse sine fiducia, & amore, & proscriptam fuisse ab Alexandro Octavo thesim duodecimam, in qua dicebatur, *In magnis peccatoribus, deficiente amore, deficere fidem; & quod licet videantur credere, ea non sit fides Divina, sed humana.*

Ad confodiendum utrumque errorem, ostendam prius non solum conferri nobis in ordine ad salutem actum fidei necessario prærequisitum ad actum dilectionis supernaturalis; cum ex Apostolo impossibile sit sine fide placere Deo; nec solum conferri nobis auxilia ad eliciendos actus supernaturales aliarum virtutum moralium, quod fuse dicendum in expositione thesium proxime subsequentium: sed etiam conferri auxilium supernaturale ad ponendum actum piæ affectionis ad fidem, quo scilicet velimus libere credere; ut proinde hæc pia affectio ita ad fidem amplectendam spectet, ut antecedat illam: nec solum non sit actus vitiosus, sed etiam habeat suum meritum supernaturale, non secus ac reliqui actus supernaturales spectantes ad voluntatem. Deinde iterum ostendam, fidem secundum se non ferre fiduciam, & amorem, sed esse actum intellectus distinctum simul, & superabilem ab utroque hoc alio actu fiduciæ, & amoris spectante ad voluntatem.

II. Demonstro itaque, præter actum supernaturalem fidei, quo intellectus firmissime credit primæ veritati, conferri etiam nobis a Deo auxilium supernaturale ad eliciendum antecedenter actum liberum piæ affectionis imperantem assensum fidei, ut inde eluceat hunc actum non esse vitiosum, nec omnia salutis media contineri in solo actu fidei involvente fiduciam, & amorem ad mentem Quesnelli. Sic autem arguo, Ad hoc ut intellectus determinetur ad assensum fidei firmissimum, & obscurum, præire debet actus voluntatis imperans talem assensum: aliter assensus fidei non esset liber, & meritorius libertate extrinseca orta ab actu libero illum imperante, quæ unice potest illi competere, cum in intellectu libertas esse non possit. Qua de causa Augustinus lib. de don. perseverantiæ cap. 18. dixit: *Quoniam fides sine voluntate non potest esse*: Hic autem actus voluntatis nequit esse vitiosus, imo nec naturalis; tum quia immediate, & per se antecedit, & determinat ad actum supernaturalem; tum etiam, quia est actus salutaris, ac meritorius in ordine ad finem supernaturalem obtinendum. Nec potest talis actus esse elicitus a charitate, quippe qui præcedit actum fidei, & consequenter actum charitatis, & ad illos actus disponit: ergo requiritur ad talem actum libere eliciendum auxilium supernaturale, tanquam medium necessario prærequisitum ad salutem obtinendam; atque adeo non omnia salutis media continentur tanquam in germine, ac semine in solo actu fidei imbibente fiduciam, & amorem ad mentem Quesnelli; nec est verum, quod omnis

actus,

actus, qui non est elicitus a charitate, sit vitiosus.

III. *Confirmatur*. Actus piæ affectionis ad fidem, quo voluntas determinat intellectum ad assensum fidei, est affectus positive virtuosus; & non est elicitus a charitate, sed a virtute, quæ a Theologis dicitur Piæ affectionis, eo quod causet pium affectum erga Ptimam veritatem revelantem, quo determinatur intellectus ad credendum: ergo præter fidem, spem, & charitatem, aut præter fidem, quæ non sit absque amore, & fiducia, requiritur hoc aliud salutis medium, quod illas virtutes antecedat. Unde non est verum, quod omnis actus, qui non sit elicitus a charitate, sit vitiosus. Antecedens probatur quoad utramque partem; & primo quidem, quod ille actus sit affectus virtuosus, constat, tum quia a tali affectu oritur meritum in actu fidei; meritum autem non potest dari in actu, qui non sit laudabilis, & studiosus: tum etiam, quia talis actus est conformis legi Divinæ, & naturæ rationali, quæ tenetur velle assentiri revelatis a Deo, si proponantur sufficienter credibilia: tum demum quia est supernaturalis, & salutaris, quippe qui per se præcurrit assensum fidei supernaturalem, & confert ad salutem per actum fidei obtinendam. Propterea Augustinus epist. 107. hæc habet *Tu initium fidei, ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ voluntatis, non vis esse donum Dei?* Ergo hic affectus non solum non est vitiosus juxta asserta Quesnelli, sed etiam est positive virtuosus, supernaturalis, & salutaris. Probatur autem secunda pars antecedentis, quæ a Jansenianis negatur, quod scilicet non sit actus elicitus a charitate; etenim affectus charitatis supernaturalis supponit per se assensum fidei, cum non possit dirigi nisi a cognitione supernaturali, quæ regulariter alia non est, quam fides; ergo actus piæ affectionis ad fidem non potest prodire a charitate; Aliter ad hunc alium actum elicitum a charitate deberet alius actus fidei præire, & sic processus in infinitum. Hinc Tridentinum sess. 6. cap. 6. inter dispositiones peccatoris ad justificationem ponit primo loco actum voluntatis, quo libere credit, seu qui imperat assensum fidei. Et Augustinus lib. 1. ad Simplicianum habet: *Nisi ergo vocando præcedat misericordia Dei, nec credere quisquam potest, ut ex hoc incipiat justificari*.

IV. Neque dicant Janseniani, hanc piam affectionem imperantem actum fidei esse actum imperfectum, & complacentiam simplicem elicitam a charitate, & ideo non præire ad illum assensum fidei, sicut præire debet ad actus charitatis perfectos. Nam primo omnis actus charitatis, etiamsi imperfectus, oritur a cognitione supernaturali pertinente ad habitum fidei. Deinde falsum est, quod hujusmodi actus sit imperfectus, & simplex complacentia; cum pia affectio ad fidem sit actus liber, & meritorius: affectus autem simplices, & inefficaces non possunt esse liberi, sed fiunt in nobis sine nobis libere operantibus. Præterquamquod actus, qui determinat, & cogit intellectum ad assensum fidei, non potest esse affectus simplex, & actus charitatis imperfectus, ut patet.

V. Opponunt ad hæc, quod actus fidei necessario procedat ex affectu charitatis: ergo pia affectio ad fidem est actus elicitus a charitate. Antecedens probatur, tum quia prima cupiditas boni est voluntas credendi; cupiditas autem boni est charitas; cum dicat Augustinus lib. 2. ad Bonifac. c. 9. *Quid est boni cupiditas, nisi charitas, de qua Joannes Apostolus sine ambiguitate loquitur, dicens: Charitas ex Deo est?* Tum etiam quia omnem actum fidei præcedit voluntas bona; hæc autem est actus charitatis, ex Augustino lib. de Gratia Christi c. 2. ubi habet: *Quasi vero aliud sit bona voluntas, quam charitas, quam Scriptura nobis esse clamat ex Deo, & a Patre datam, ut filii ejus essemus*. Tum demum quia ex Augustino duo dantur amores, alter Creatoris pertinens ad charitatem infusam, alter creaturæ pertinens ad vitiosam cupiditatem; cum autem pia affectio ad fidem non pertineat ad cupiditatem vitiosam, sequitur, quod pertineat ad charitatem.

VI. Respondeo, falsum ex dictis esse antecedens. Ad primam probationem, Augustinus nomine charitatiss non solum usurpat charitatem infusam, sed etiam non raro quamcunque virtutem moralem, ut dicemus in thesi sequenti; virtus autem piæ affectionis ad fidem non est Theologalis, cum non habeat ipsum Deum pro objecto formali motivo, sed est moralis, habens pro objecto motivo honestatem, quæ reperitur in volendo libere credere Deo revelanti positis signis credibilitatis. Ad secundam recurrit eadem responsio, quod nomine charitatis sæpe Augustinus intelligat omnem virtuosum affectum salutarem, quamvis non sit amor Divinæ Bonitatis, prout est in se. Ad tertiam, quando Augustinus dicit, præter vitiosam cupiditatem non dari nisi amorem Dei, intelligit de amore Dei aut formali, aut quodammodo virtuali, sicut est omnis amor honestatis creatæ, quæ a virtute morali respiciatur; hic enim cum natura sua referatur, & sit actu referibilis ad Deum, dicitur esse amor Dei quodammodo virtualis, seu amor Dei non presse, sed late sumptus.

VII. Ostendo nunc contra secundam hujus thesis partem, fidei actum non esse actum fiduciæ in Deum, & deinde ostendam nec esse actum amoris, & ab utroque actu sejungi posse. Quod ad fiduciam attinet, Apostolus dicens 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*, distinguit fidem a spe, & dicit esse duo diversa; cum autem fiducia nihil aliud sit, quam spes roborata, manifestum est, fidem esse diversam a fiducia. Hinc Job. 8. dicitur: *Spes hypocritæ peribit, & sicut tela aranearum fiducia ejus*: Et ubi Ps. 39. dicitur, *Beatus vir, cujus est nomen Domini spes ejus*, Hierem. 17. habetur, *Beatus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*; quibus significatur fiduciam esse ipsam spem, atque adeo pertinere ad voluntatem: ubi fides pertinet ad intellectum, ut constat ex illo 2. ad Cor. 10. *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*: per fidem enim intellectus in obsequium Christi ducitur captivus, quia a pia affectione voluntatis cogitur credere, quod non apparet evidenter verum, sed solum apparet evidenter credibile.

VIII. *Confirmatur*: quia ad Eph. 3. dicitur: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per fidem ejus*: quare si per fidem habetur fiducia, & confidentia, sequitur, quod fides sit causa fiduciæ. & non ipsa fiducia: quod etiam colligitur ex verbis illis 1. ad Timoth. 3. *Qui bene ministraverint, gradum bonum sibi acquirent, & multam fiduciam in fide, qua est in Christo*. Si enim fiducia acqui-

xitur

ritur in fide, sequitur, quod fides fiduciam causet, unde possit a fiducia sejungi, ut in Anacephalæosi solidius firmabitur. Quibus adde, quod fiducia, & spes sit solum de bonis arduis probabiliter futuris; fides vero sit de omnibus revelatis, etiam de gehenna, quæ non speratur, sed timetur, necnon de aliis, quæ nec sperantur, nec timentur. Hinc sæpe in Scripturis dicimur credere, quin possit ibi esse sermo de fiducia: ut cum dicitur Jo. 10. *Non creditis, quia ego in Patre, & Pater in me est? alioquin propter opera ipsa credite*. Et Rom. 10. *Si in corde tuo credideris, quia Deus eum suscitavit a mortuis, salvus eris*. Et Act. 8. *Credo Filium Dei esse Jesum Christum*. Neque obstat, quod Heterodoxi docent cum Kemnitio in examine Concilii Tridentini, videlicet quod ratione fidei primo loco consurgat in nobis notitia rerum credendarum, secundo assensus, quo unusquisque affirmet talem promissionem, aut aliud objectum revelatum ad se pertinere, tertio desiderium justificationis, & demum fiducia accedendi ad thronum gratiæ, quæ justificationem apprehendat.

Nam contra est, quia quoties dantur omnes isti actus, tunc duo primi pertinent ad intellectum, duo posteriores ad voluntatem; unde non una est virtus fidei, ad quam omnes isti actus spectent, cum non possit una virtus gignere actus spectantes ad diversas potentias; sed solum cor, seu anima potest concurrere ad actus diversarum potentiarum; unde cordi tribuuntur tam quæ spectant ad intellectum, quam quæ spectant ad voluntatem: sic Matth. 9. dicitur: *Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* Matth. vero 22. dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*.

IX. Opponunt ad hæc, quod Apostolus dicens ad Rom. 4. Abraham justificatum ex fide, nomine fidei intelligat fiduciam: dicit enim, *Qui contra spem in spem credidit*: Et infra addit; *Non hæsitans diffidentia*: In hoc sensu Jacobi 1. dicitur etiam, *Postulet autem in fide nihil hæsitans*: & Marci 11. *Omnia quæcumque orantes petitis, credite, quia accipietis, & evenient vobis*. Necnon 2. Paralip. 20. *Credite in Domino Deo vestro, & securi eritis*.

Confirmant primo, quia in Evangelio reprehenduntur quidem ob timiditatem, & defectum fidei, ubi nomine fidei venit fiducia: Matth. 8. *Quid timidi estis modicæ fidei?* Matth. 14. *Modicæ fidei, quare dubitasti?* Matth. 6. *Quanto magis vos modicæ fidei?* Sic fortitudo etiam tribuitur passim fidei, & nomine fidei videtur importari fiducia. Hebr. 11. *Sancti per fidem vicerunt regna, fortes facti sunt in bello*. 1. Petri 5. *Cui resistite fortes in fide*.

Respondeo non negari, quod aliquando nomen fidei apud Latinos usurpetur pro fiducia: negatur solum, quod fides divina non possit esse actus intellectus nixus authoritati Dei loquentis, quin ullam imbibat, aut trahat fiduciam: ut quando credimus v. g. David genuisse Salomonem. Aliquando tamen nomine fidei in Scripturis venit fides firma, quæ trahat actum spei, & fiduciæ, quod scilicet impetrandum sit id, quod creditur; ut cum dixit Christus D. Chananææ Matth. 15. *O mulier, magna est fides tua*. Et 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam*. Sic Abraham credendo in spem contra spem credidit ob divinam promissionem posse sperare ex Sara sterili filium, quem sperare non poterat naturaliter: unde iis verbis significatur fides Abrahæ, non spes, aut fiducia, quamvis spes ex fide illa gigneretur: Quod etiam significatur, dum dicitur, quod Abraham non hæsitaverit diffidentia: credidit quippe sine hæsitatione, & fides fiduciam peperit. Quando D. Jacobus dicit, *Postulet in fide nihil hæsitans*, similiter vult, quod sine dubitatione credatur eventurum, quod postulatur, si recte postuletur, & quod talis fides annectatur spei de obtinendo bono quod postulatur. Idemque dicas in aliis textibus adductis.

Ad confirmationem; sicut fides, quando est firmissima, sæpe fiduciam parit: ita quando deficit a firmitate debita, non solum non gignit fiduciam, sed parit timorem: Ubi notandum, proscriptam esse ab Innoc. XI. thesim 21. dicentem: *Assensus fidei supernaturalis, & utilis ad salutem stat cum notitia solum probabili revelationis; immo cum formidine, qua quis formidet, ne non sit Deus locutus*. In hujus tamen thesis expositione diximus in Trutina, fidem posse esse modicam, & debilem, ita ut timorem gignat; non tamen per hoc quod sit formidolosa, sed per hoc quod sit imperfecta, infirma, & introductoria, ita ut facile amittatur: Sicut propositum non peccandi dicitur imperfectum, & debile, non quia admiscet voluntatem peccandi, sed quia facile superveniente tentationis impulsu deseritur. Propterea D. Petrus dicitur fuisse modicæ fidei, non quia composuit fidem cum dubitatione, sed quia fidem per dubitationem amisit. Quod notavit Augustinus Serm. 14. de verbis Domini, ubi habet: *Titubatio Petri quasi mors fidei fuit, sed ubi exclamavit, fides resurrexit; non ambularet, nisi crederet; sed nec mergeretur, nisi dubitaret*. Ad id quod additur de fortitudine similiter respondendum, fidem firmissimam gignere aliquando fortitudinem, sicut gignit fiduciam, non quod ipsa sit aut fiducia, aut fortitudo, sed quod sit istarum radix.

X. Ostendo denique contra illam aliam hujus thesis particulam, fidem & distingui, & sejungi posse ab amore Dei, non secus ac fiducia; tum quia, ut diximus, tres virtutes Theologales fidem, spem, & charitatem Apostolus enumerat 1. ad Corin. 13. unde fides a charitate, non secus ac a spe, distinguitur: tum etiam quia Apostolus ibidem dicit: *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil sum*, diserte indicans, quod possit fides, etiam Divina, de qua ibi loquitur, a charitate separari. Quod pariter definit Trid. sess. 6. can. 28. ubi habet: *Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva, aut eum, qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum, anathema sit*: fides quippe viva, & formata non differt specie, & substantialiter a mortua, & infirma; sicut homo vivus a mortuo, sed differt solum accidentaliter, & denominative, ut advertit Angelicus; ita scilicet, ut si gratiæ coexistat, dicatur viva, potens exercere operationes meritorias vitæ æternæ; si vero gratiæ non coexistat, dicatur mortua: Sicuti corpus humanum, aut membrum dicitur vivum, si animæ sit unitum, secus vero dicitur mortuum. Quod docuit Augustinus lib. contra Donatistas, ubi habet: *Sicut si manus alicujus esset arida, verum quidem esset membrum, sed sine sanguine, ideoque mortuum; sic & fides cum sit vera, tamen sine operibus mortua est*.

XI. Confirmatur primo, quia peccator tenetur se con-

convertere ad Deum, & gratiam amiſſam recuperare; atqui non poteſt illam recuperare, niſi per actus prævios fidei, qui diſponunt ad charitatem, & quam impetrant, ut habet Aug. lib. de ſpir. & lit. cap. 31. dicens: *Unde eſt dilectio, ideſt charitas, per quam fides operatur, niſi unde illam fides ipſa impetravit?* ergo fides charitatem antecedit, tanquam diſponens ad illam, & impetrans illam: atque adeo ab ea non ſolum diſtinguitur, ſed etiam ſeparari poteſt; ſiquidem poteſt aliquando fides habere vim impetrandi auxilium ad ponendum libere actum charitatis, quin tamen ſub tali auxilio voluntas ſe determinet ad illum ponendum; aliter non libere conſentiret.

Confirmatur ſecundo, quia in Eccleſia ſunt fideles boni, & fideles mali; ergo datur in fidelibus malis vera fides abſque charitate, & gratia; atque adeo ſtare poteſt fides ſine charitate. Antecedens conſtat ex ſimilitudinibus, quæ in Evangelio habentnr ad id ſignificandum; nempe ex ſimilitudine palearum, & tritici in eadem area, Matth. 3. Ex ſimilitudine piſcium bonorum, & malorum in eodem reti, Matth. 22.: Ex ſimilitudine venientium ad nuptias ſine veſte nuptiali, Matth. 25. necnon ex ſimilitudine Virginum prudentium & fatuarum; ovium, & hædorum, &c.

XII. Neque dici poteſt, quod fideles, ſi careant charitate, & gratia, habeant ſolum fidem hiſtoricam, ſeu notitiam articulorum fidei, non fidem veram preſſe dictam. Nam ſi carerent vera fide, non ſolum deberent reprehendi, quod gratiam amiſerint, ſed etiam quod amiſerint fidem. At ſolum reprehenduntur, quod amiſerint gratiam, videlicet quod careant veſte nuptiali, quæ gratiam ſignificat, ex Hieronymo, & Chryſoſtomo; & quod Virgines fatuæ oleum non habeant, ideſt opera Miſericordiæ; ut notat idem Chryſoſtomus; ac ſimiliter qui ex grege Dominico erunt a ſiniſtris, non damnabuntur ob carentiam fidei, ſed propter mala opera, ut advertit Auguſtinus in lib. de fide, & operibus cap. 15. ergo ſtat fides vera ſine ullo amore, & charitate.

XIII. Opponitur primo tum id quod dicitur 1. Jo. 5. *Omnis, qui credit quoniam Jeſus eſt Chriſtus, ex Deo natus eſt*, atque adeo fides non ſejungitur a charitate; tum quod dicitur 1. ad Timoth. 5. *Qui ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*: tum demum quod habetur Habacuc 2. *Juſtus ex fide vivit*: ubi videtur fides imbibere charitatem, quæ eſt animæ vita.

Reſpondeo, in primo textu ſermonem eſſe de fide formata charitate, ut exponit Auguſt. tr. 10. in Epiſt. Joannis: In ſecundo ex Chryſoſtomo ſermo eſt de iis, qui, ut loquitur Apoſtolus ad Tit. 1. *confitentur ſe noſſe Deum, factis autem negant*; de his jure merito dicitur, quod quamvis corde credant, quia tamen operantur, perinde ac ſi non crederent, ſunt Infideli deteriores, eo quod ſint magis inexcuſabiles: In tertio textu juxta nonnullos ſenſus eſt, quod juſtus vivat ex fide formata charitate; at legitimus ſenſus literalis eſt, quod juſtus conſervet vitam gratiæ, & toleret deſiderium æternorum ex fide, ſeu credendo, mox ſibi eſſe obventura ea, quæ ſperat.

XIV. Opponitur ſecundo, quod fides informis non ſit vera fides ſupernaturalis, ſed fides naturalis, non ſecus ac fides de objecto falſo: ergo fides ſupernaturalis eſt formata, & imbibit charitatem. Antecedens probatur tum ex Angelico, qui q. 4. de fide art. 5. habet. *Fides informis non eſt vera virtus, quia etſi habeat perfectionem debitam ex parte intellectus, non tamen ex parte voluntatis*: tum ex D. Gregor. hom. 26. in Evang. ubi habet: *Vera fides eſt, quæ in hoc, quod verbis dicit, moribus non contradixit*: tum demum, quia fides ſine charitate eſt otioſa: dicitur enim 1. ad Cor. 13. *Si habuero omnem fidem, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt*.

Confirmatur, quia ex eodem Apoſtolo ad Galat. *Fides per charitatem operatur*; unde ſi a charitate ſejungatur, operari non poteſt, atque adeo eſt ſupervacanea. Propterea Auguſt. in Enchir. c. 117. habet: *Qui recte amat, proculdubio recte credit, & ſperat; qui vero non amat, inaniter credit, etiamſi ſint vera, quæ credit; inaniter ſperat, etiamſi ad veram felicitatem doceantur pertinere, quæ ſperat*.

XV. Reſpondeo, fidem informem eſſe fidem ſupernaturalem; hæc enim ſemel infuſa non expellitur per quodvis peccatum, ut oſtendimus; fides tamen de objecto falſo non poteſt eſſe ſupernaturalis: huic enim ex Tridentino ex præſtantia entis ſupernaturalis falſum ſubeſſe non poteſt. Quare nego antecedens. Ad primam probationem: fidem eſſe veram virtutem, etiam ſejunctam a charitate, non ſolum conſtat ex eo, quod Apoſtolus tres enumeret virtutes Theologales, Fidem, Spem, & Charitatem; ſed etiam quia ex D. Th. p. 2. q. 55. art. 1. Virtus eſt, quæ inclinat potentiam ad bonum: atqui fides Theologica, cui falſum ſubeſſe non poteſt, etiam ſeorſum a charitate inclinat, ac determinat potentiam ſolum ad verum, quod eſt bonum potentiæ intellectivæ: ergo eſt vera virtus. Et ratio ulterior eſt, quia ad rationem virtutis tria univerſim requiruntur, & quod potentiam perficiat in ordine ad ſuum actum: & quod talis actus ſit difficilis, & arduus: ac demum, quod talis actus referri poſſit ad ultimum finem; quæ omnia fidei Theologicæ omnino conveniunt: ea enim perficit potentiam in ordine ad actum certiſſimum, ac ſupernaturalem, qui ratione ſupernaturalitatis præſtat actui ſcientifico: præterea talis actus ratione obſcuritatis eſt difficilis ac arduus: ac demum ad finem ultimum de ſe eſt ordinabilis, ut eſt in confeſſo: unde negari non poteſt, quod fides informis ſit vera virtus: Competit enim illi virtutis definitio, nempe quod ſit *Diſpoſitio perfecti ad optimum*, cum diſponat potentiam intellectivam in ſuo genere perfectam ad actum optimum infallibiliter verum, ac ſupernaturalem: ſicut etiam alia definitio virtutis, quod *bonum faciat habentem, & opus ejus bonum*: reddit quippe hominem bonum in ordine intellectivo: non enim requiritur, quod virtus reddat ſubjectum bonum in linea morali.

Neque dicas, quod non recenſeatur ab Ariſtotele inter virtutes intellectuales, quæ ſunt duntaxat quinque, nempe intellectus, ſeu Habitus primorum principiorum, Scientia, Sapientia, Prudentia, & Ars. Nam Ariſtoteles non potuit cognoſcere lumine naturali hanc virtutem ſupernaturalem, quæ præſtantiori modo perficit intellectum, quam quælibet alia virtus intellectualis naturalis. Quamvis autem ex defectu evidentiæ fides non ſoleat appellari virtus intellectualis, ut advertit Angelicus in 3. diſt. 23. art. 3. quia ſcilicet ita determinat ad cogno-

cognoscendum verum, ut non determinet ad cognoscendum verum evidenter: nihilominus solet appellari virtus Theologica, per hoc quod habeat pro objecto formali ipsum Deum: soletque etiam dici virtus intellectualis large dicta, cum perficiat intellectum multo magis, quam scientia, relate ad quam se habet ut excedens, & excessum: longe tamen magis præstat scientiæ fides ratione supernaturalitatis, quam præstet fidei scientia ratione evidentiæ.

XVI. Ad secundam probationem antecedentis: Sicut fides sine operibus dicitur a D. Jacobo fides mortua, quippe quæ non operatur per charitatem, quæ est vita animæ; ita fides, quæ, quod verbis dicit, moribus contradicit, a D. Gregorio dicitur non esse fides vera, quatenus non est fides consummata, ac vivificata a gratia, ut advertit Suar. disput. 7. de Fide sect. 4. Quod autem fides sine charitate adhuc sit vera fides, definit Tridentinum sess. 6. can. 28. supra laudato.

Ad tertiam, negatur quod fides sine charitate sit otiosa. Quamvis enim non prosit ad merendum de condigno gloriam, prodest tamen ratione supernaturalitatis ad merendum de congruo novum auxilium, quousque ad recuperandam vitam gratiæ deperditam perveniatur; unde prodest ad resipiscendum, quamvis non prosit ad vitam æternam; in quo solum sensu Apostolus loco laudato dicit, nihil prodesse.

XVII. Ad confirmationem, Fides independenter a charitate operatur suam operationem utilem ad resipiscendum; unde non est supervacanea. Dicitur autem ab Apostolo fides per charitatem operari, non quia sine charitate non operatur, sed quia a charitate habet, quod ponat actionem meritoriam vitæ æternæ; tum etiam, quia fides est initium, & fundamentum nostræ salutis, & obtenta charitate ad operationes impellit, quibus ultimum finem consequamur. Similiter Augustinus solum ibi contendit, quod fides, & spes sine charitate careant merito vitæ æternæ; non vero quod non prosint ad resipiscendum, merendo de congruo auxilium requisitum ad spiritualem resurrectionem.

XVIII. Ad excusandum Quesnellum, adrumant ejus Asseclæ dicendo, quod thesis hæc censuram non mereatur, saltem quoad hanc partem, in qua dicitur fides non esse absque amore: Siquidem fides non est absque prævia pia affectione ad fidem, quæ aliqualis amor est honestatis, quæ relucet in captivando intellectum in obsequium fidei, unde in bono sensu dici potest, quod fides non sit absque amore.

Sed incassum Quesnelliani oblatrant, ut Canes ad Lunam. Etenim tam secundum germanum verborum sensum, quam etiam ad mentem Auctoris dici nequit, quod fides non sit sine amore, tum quia amor absolute dictus denotat amorem, qui pertineat ad charitatem; tum etiam quia dum dicitur fides non esse absque amore, & fiducia, sicut nomine fiduciæ venit spes, ita nomine amoris venit charitas. Præterea cum dixerit Quesnellus in thesi antecedenti, quod fides justificet, quando operatur, nec operetur nisi per charitatem, jam vult fidei operationem non sejungi a charitate justificante, atque adeo ab amore presse dicto. Et cum in thesi 68. dicat, viam salutis claudi in fide, & precibus, vult consequenter, fidem habere secum amorem justificantem. Quare excusationes istæ, quæ pro Quesnello adducuntur, sale, & oleo destitutæ, insulsitatem ipsam sapiunt, & protervitatem.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim LII.

Quinquagesimasecunda errat trifariam. Errat primo, dum docet, omnia salutis media contineri in fide tanquam in suo germine, & semine. Errat etiam, dum docet, fidem nunquam sejungi ab amore. Errat demum, dum docet, fidem non esse absque fiducia. Quoad primum, falsum est, quod omnia salutis media in fide contineantur; tum quia vocatio ad fidem, & actus supernaturalis piæ affectionis ad fidem, sunt media ad salutem, quin contineantur in fide, quippe quæ fidem antecedunt; esto nomine fidei, quæ est salutis fundamentum, veniat etiam pia affectio, a qua fides denominatur libera, & meritoria: unde Augustinus Epist. 107. dicit: *Tu initium fidei (ubi est etiam initium bonæ, hoc est piæ, voluntatis) non vis esse donum Dei?* Tum etiam quia ad fidem libere acceptatam, quæ salutis initium est, ac fundamentum, reliqua salutis media consequuntur, non continentur; etenim si in ea continerentur, se sola sufficeret ad salutem, quando alia non possunt haberi, quod est falsum; sicuti quia in dilectione Dei super omnia continetur virtualiter, tanquam in germine, & semine, observantia omnium mandatorum, juxta illud ad Rom. 13. *Plenitudo legis est dilectio*, idcirco qui cum sola Dei dilectione decedit, salvatur.

Quod vero attinet ad secundum errorem, constat fidem posse esse sine amore, tum ex Apostolo 1. ad Corint. 13. *Si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum*; tum ex Trident. sess. 6. can. 28. ubi anathematizatur, *qui dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti*; tum demum ex thesi 12. ab Alexandro VIII. confixa: *Quando in magnis peccatoribus deficit omnis amor, deficit etiam fides; & etiamsi videantur credere, non est fides Divina, sed humana*; separabilitas autem fidei a charitate est evidens signum distinctionis; potest itaque dari vera fides absque ullo amore.

Denique quoad tertium, quamvis fiducia (quæ nihil aliud est quam spes supernaturalis roborata, ex Bellarmino de Justif. lib. 1. cap. 6.) consistere non possit sine fide, quæ est basis, & fundamentum reliquarum virtutum infusarum; falsum tamen est, quod non possit viceversa fides esse absque spe, seu fiducia: sicut enim stare potest vera fides sine charitate, & de facto ab ea sejungitur, quandocunque homo moraliter peccat, & peccatum non est infidelitatis; ita stare potest vera fides sine spe, seu fiducia, & de facto ab ea sejungitur, quando homo peccat solum peccato opposito spei, desperando de Divina Misericordia, quin peccet peccato infidelitatis opposito fidei. Multo minus verum est, quod fides cum fiducia identificetur, (quod forte Quesnellus contendit, ut evincat unicam tantum esse virtutem, nempe charitatem, quæ cum fide, & fiducia identificatur) damnatur quippe hæc hæresis a Tridentino sess. 6.

can. 12. ubi anathematizatur, *qui dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum, vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur:* fides enim, quæ solum dispositive justificat, non vero formaliter, ut ibidem Tridentinum docet cap. 8. spectat ad intellectum, cujus est credere: (unde 2. ad Corinth. 10. dicitur, *In captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi*); fiducia vero, ac omnis spes pertinet ad voluntatem, ut proinde de se meritoria sit: unde Hierem. 7. habetur: *Beatus vir, qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia ejus*. Verum quidem est, aliquando in Scripturis nomine fidei venire fiduciam, ut cum dicitur Matth. 8. *Quid timidi estis modicæ fidei?* cum etiam apud Latinos aliquando fides pro fiducia sumatur, ut apud Terent. *Tristis severitas inest in vultu, atque in verbis fides:* passim tamen nomine fidei in Scripturis venit assensus præstitus Deo revelanti, qui fiduciam, seu spem certam causare natus est, quamvis non semper illam causet, ac proinde ab ea separetur. Hinc dicitur Matth. 9. *Confide filia, fides tua te salvam fecit*, ubi excitatur ad fiduciam concipiendam mulier, quæ propter fidem sanata erat. Quare fides nec identificatur, nec essentialiter connectitur cum fiducia, aut cum amore, nec ea continet tanquam in germine, ac semine omnia salutis media.

PROPOSITIO LIII.

Sola Charitas Christiano modo facit (actiones Christianas) per relationem ad Deum, & Jesum Christum. *Quesn. Coloss. 3. 14. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LIV.

Sola Charitas est, quæ Deo loquitur; eam solam Deus audit. *Quesn. 1. Corinth. 13. 1. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LV.

Deus non coronat, nisi Charitatem, qui currit ex alio impulsu, & ex alio motivo, in vanum currit. *Quesnel. 1. Corinth. 9. 24. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LVI.

Deus non remunerat, nisi Charitatem, quoniam Charitas sola Deum honorat. *Quesnel. Matth. 25. 36. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LVII.

Totum deest Peccatori, quando ei deest spes; & non est spes in Deo, ubi non est amor Dei. *Quesnel. Matth. 27. 5. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LVIII.

Nec Deus est, nec Religio, ubi non est Charitas. *Quesn. 1. Joan. 4. 8. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LIX.

Oratio Impiorum est novum peccatum, & quod Deus illi concedit, est novum in eos judicium. *Quesn. Joan. 10. 25. edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. Simulata isthæc charitatis commendatio eo collineat, ut ab exercitio reliquarum virtutum abstineamus.

II. Perinde quasi nullus actus, qui non sit charitatis, sit studiosus.

III. Possibilis est amor Dei naturalis.

IV. Lex enim naturalis obligat nos ad Deum diligendum, & ad hunc finem creaturæ rationales conditæ sunt.

V. Per peccatum amisimus solum gratiam, qua Deum diligamus amore superno, non tamen vires naturales, quibus Deum diligamus.

VI. Amor Dei naturalis non fert amicitiam cum Deo extinctivam culpæ.

VII. Quicquid sit, an in alia saltem providentia dari pariter possit præter fidem supernaturalem etiam fides naturalis.

VIII. Negari non possunt aliæ virtutes a charitate condistinctæ.

IX. Dantur quippe virtutum objecta formalia diversa.

X. Si actus aliarum virtutum non essent secundum se studiosi, neque essent tales dum imperantur a charitate.

XI. Commentitium est, quod per actus virtutum moralium reponatur finis ultimus in objecto creato.

XII. Communissima Doctorum auctoritas stat pro virtutum diversitate.

XIII. Quando dicitur ab Augustino, inter charitatem, & cupiditatem nihil mediare, nomine Charitatis veniunt actus omnium virtutum, & nomine Cupiditatis venit cupiditas mala, seu concupiscentia radix omnium malorum.

XIV. Virtutum moralium actus sunt honesti, etiamsi non dicant signate, & formaliter relationem ad Deum, sed solum exercite, & virtualiter.

XV. Hinc descendit singularum harum thesium falsitas.

I. OMnes istæ theses videntur ad amplexum charitatis animum incendere, quippe quæ sola Christianos mores exornat, sola cum Deo necessitudinem habet, sola coronam, ac præmium reportat, & sola Dei honorem prosequitur: Eaque deficiente, nulla spes inest peccatori, nulla est ejus religio, ac observantia erga Deum, ac demum oratio ejus fit in peccatum. Verum dum uni charitati sceptrum dant, & coronam, eidem coronam auferunt, ac sceptrum, cum regalem ei auferant comitatum, & de medio tollant chorum virtutum reliquarum, quæ Charitati principi inserviunt. Ex quo fit, ut peccatores viribus destituti, quibus ad charitatis solium illico prætervehantur, animum abjiciant, ac in barathrum desperationis sese præcipites agant, cum non valeant virtutum inferiorum prensare manus, quibus tanquam per gradus valeant ad charitatis verticem pervenire, nec possint orationibus quicquam virium misericorditer consequi; quin potius oratio ipsa a charitate ad salu-

salutem pernecessaria, per novam culpam, magis removeat; ut proinde ab ipsa oratione retrahi animus debeat, ne majus præbeat impedimentum charitati a Deo ad arbitrium infundendæ Electis suis. Ecce quo collimat simulata isthæc charitatis commendatio.

II. In expositione quadragesimæ quartæ ex his thesibus palam fecimus quamplurimos errores Jansenianorum in duobus præsertim assertis, videlicet & quod nulla alia detur in voluntate virtus præter charitatem, & quod omnis amor, qui non sit Dei, & charitatis, sit vitiosus, & culpabilis. Adversus hoc secundum assertum plura ibi diximus, ostendendo, quod possit amor objecti creati, præsertim honesti, esse studiosus; etiam transmisso, quod repugnet actus indifferens in individuo, qui quamvis bonus non sit, adhuc culpa vacet. Huc autem remisimus demonstrare alterius asserti falsitatem, quod scilicet nulla alia detur virtus ad voluntatem spectans condistincta a charitate: quamvis non pauca adversus hunc palmarem errorem dixerimus in expositione septimæ thesis ab Alexandro Octavo confixæ, in qua idem virus a Jansenianis eructabatur.

Antequam ejusdem asserti falsitatem iterum demonstrem, adverto, Quesnellum solum amorem Dei supernaturalem, & charitatem infusam agnoscere, quæ non sit peccaminosa, adeo ut neget possibilem in natura lapsa in Ethnico nondum fide supernaturali instructo amorem Dei naturalem. Eatenus enim in hac quinquagesima tertia thesi dicit, quod sola charitas Christiano modo faciat actiones christianas per relationem ad Deum, & JESUM Christum, quia nisi dicat relationem ad Jesum Christum, (qui sola fide supernaturali cognosci potest, attingendo in illo Trinitatem personarum, & Incarnationem) non est charitas infusa, nec christiano modo exercetur. Propterea ostendo prius dari posse viribus naturæ amorem Dei, qui quamvis non sit meritorius beatitudinis supernaturalis, est tamen laudabilis; ut propterea ex hoc etiam capite falsum sit, quod sit peccaminosus omnis amor, qui non sit actus charitatis infusæ: quod Janseniani contendunt cum Quesnello in Thesi quadragesima octava. Deinde ostendam præter charitatem infusam dari etiam alias virtutes in natura lapsa supernaturales, quarum actus sint studiosi, etiamsi non imperentur a charitate per relationem ad Deum, & Jesum Christum, ut vult hic Quesnellus, juxta errores Baji Antesignani.

III. Quod attinet ad possibilitatem amoris Dei naturalis, qui non dicat relationem ad Deum simul, & Jesum Christum, sed ad solum Deum cognitum naturali lumine, constat ad hunc actum non deesse vires in natura lapsa: (quamvis fideles in præsenti providentia nunquam actum amoris exerceant absque concursu gratiæ, ratione cujus sit supernaturalis): Siquidem proscripta est illa Baji propositio 33. quæ habet: *Distinctio illa duplicis amoris, naturalis videlicet, quo Deus amatur ut Auctor naturæ, & gratuiti, quo Deus amatur ut Beatificator, vana est, & commentitia:* necnon alia 37. dicens: *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ cum injuria Crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus*. Apostolus etiam ad Rom. 1. docet inexcusabiles esse Gentiles, qui agnoscentes ex creaturis visibilibus Deum, illum non sicut Deum glorificaverunt; unde ostendit posse ab iis naturæ viribus diligi, & glorificari. Hæc sunt verba Apostoli: *Invisibilia Dei per ea quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ita ut sint inexcusabiles; quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt*. Quod expendens Ambrosius subdit: *Idcirco tam pulchra astra condidit, ut ex his quantum, & quam admirabilis est Creator eorum, possit agnosci, & solus adorari. Per naturalem ergo legem reum facit genus humanum; potuerunt enim id per legem naturæ apprehendere, fabrica mundi testificante Authorem solum Deum esse diligendum*. Idem Apostolus Act. 17. dixit: *Definiens statuta tempora, & terminos habitationis eorum, quærere Deum, si forte attrectent eum, aut inveniant*, indicans posse naturali lumine Deum attrectari, & inveniri, utique ut amor illi debitus rependatur. Et Rom. 2. idem etiam Apostolus habet: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt*. Et quia primum, & maximum legis præceptum est de Dei dilectione, ideo ex Apostolo naturaliter Gentes possunt Deum diligere; ut proinde proscripta sit Baji illa thesis 22. *Cum Pelagio sentiunt, qui textum illum Apostoli ad Rom. 2. Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, intelligunt de Gentibus fidei gratiam non habentibus*. Hinc Trident. sess. 6. can. 3. anathematizat, *Qui dixerit, hominem sine adjutorio gratiæ credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur;* indicans, quod omnes hos actus possit quidem sine gratia exercere, non tamen *sicut oportet*. Augustinus etiam passim id docet. Nam lib. 1. Confess. cap. 1. dicit: *Fecisti nos ad te, & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te:* naturali quippe conditione, sicut magnes in pyxide nautica solum quiescit cum ad polarem stellam se convertit; & ignis semper nititur ad sphæram suam advolare, ut ibi conquiescat: ita homo in dilectione Divina satietatem habet, & quietem. Et in dialogo contra Manichæos idem Augustinus habet: *Partem eam animi, in qua cupiditas sita est, nempe voluntatem, nobis idcirco dedit, ut ipsum, qui solus est, concupiscamus*. Similiter D. Prosper Augustino consonat dicendo ser. 139. *Non esset vitium recedere a Deo, nisi naturæ, cujus hoc vitium est, potius competeret esse cum Deo*. Quod etiam docuit Fulgentius de Fide ad Petrum cap. 3. dicens: *Deus cognoscendi, ac diligendi se nonnisi Angelis, & hominibus indidit facultatem*. Necnon Anselmus in Monol. c. 66. *Nihil aptius, quam rationalem creaturam ad hoc esse factam, ut Summam essentiam, & super omnia bona amet, sicut ipsa est summum bonum; immo ut nihil amet, nisi illam, aut propter illam*.

IV. Præter auctoritates adductas, id pariter efficacissime suadent rationes Theologicæ. Primo quidem, quia lex naturalis nos obligat ad Deum diligendum; lex autem non obligat ad impossibile, ut non semel ostendimus, & naturæ lumine perspicuum est; ergo naturæ viribus diligi Deus potest. Secundo, quia Deus ut Auctor naturæ creaturam rationalem condidit in sui amorem, & ut virtutes exerceat, quibus ipsum opificem suum glorificet; hic autem finis esset impossibilis, si naturæ viribus creatura rationalis non posset Deum ut Au-

ctorem naturæ amare, eique morem gerere; ergo. Major constat, quia Deus non condidit Angelos, & homines nisi propter finem ipsis consentaneum, & dignum suo conditore, qualis est, ut ipsi inserviant, illumque glorificent, & ament. Hinc Ecclef. 17. dicitur: *Posuit oculum suum super corda illorum, ostendere illis magnalia operum suorum, ut nomen sanctificationis collaudent; & gloriari in mirabilibus ejus, ut magnalia enarrent operum ejus*. Tertio quia potest voluntas per vires gratiæ elevari ad ponendum amorem Dei supernaturalem: ergo potest per vires naturæ ponere amorem Dei naturalem. Consequentia ex eo probatur, quia non potest voluntas, nec alia potentia ferri extra proprium formale specificativum; non enim potest elevari v. g. potentia visiva ad Deum videndum, eo quod Deus sit extra specificativum oculi, quod est coloratum; potest autem elevari intellectus ad Deum videndum, quia Deus est intra specificativum intellectus, quod est ens ut ens; & quia potest naturaliter Deum cognoscere cognitione abstractiva, ideo potest per lumen gloriæ indebitum elevari ad illum intuitive videndum. Et eadem ratione non potest appetitus sensitivus elevari ad Deum amandum, cum non feratur naturaliter nisi ad objecta delectabilia, & materialia, non ad honesta. Quare cum possit voluntas per adjutorium gratiæ elevari ad amorem Dei supernaturalem, sequitur, quod viribus naturæ possit Deum amare amore naturali. Quarto potest voluntas affectu naturali diligere parentes, & amicos; ergo a fortiori Deum, in quo cognoscit longe præstantiora incitamenta ad amandum. Denique quælibet creatura fertur naturali impetu in bonum sibi conveniens: ergo a fortiori naturæ ductu creatura rationalis fertur modo sibi consentaneo, hoc est per amorem liberum ad bonum Increatum, quod sibi maxime conveniens est, & consentaneum.

V. Neque dicas primo, quod licet possibilis fuerit Dei dilectio in statu innocentiæ, non sit tamen possibilis in statu naturæ lapsæ ob ejus imbecillitatem; ut docuit Augustinus epist. 107. ad Vitalem, ubi habet: *Liberum arbitrium ad diligendum Deum granditate primi peccati perdidimus*.

Nam licet per peccatum amiserimus gratiam, qua possemus Deum diligere amore supernaturali, non amisimus tamen vires naturæ, quibus possimus Deum diligere amore naturali. Ex Tridentino enim sess. 6. can. 5. & cap. 1. post Adæ peccatum non est extinctum liberum arbitrium, licet viribus sit attenuatum, & inclinatum; unde ex ea culpa solum contraxit impotentiam moralem, non vero physicam ad Deum diligendum, & in hoc sensu loquutus est Augustinus loco laudato.

VI. Neque dicas secundo, quod si posset in natura lapsa dari amor Dei naturalis, posset per vires naturæ dari amicitia cum Deo extinctiva culpæ.

Nam ad amicitiam requiritur mutuus amicorum amor, & Jus ad talem amorem: in præsenti providentia amor ipse supernaturalis in peccatore non constituit hanc amicitiam cum Deo, sed disponit ad gratiam, quæ fert talem amicitiam; ea quippe dat ex divina promissione jus creaturæ, ut ametur a Deo, unde confert jus ad gloriam; & ex altera parte habet Deus ratione summæ suæ bonitatis jus, ut a creatura ametur: unde per gratiam habetur inter Deum, & creaturam rationalem jus ad mutuum amorem amicabilem, & ideo gratia constituit divinam amicitiam. Amor tamen naturalis ne dispositive quidem confert ad amicitiam divinam, & ad remissionem peccati. Propterea nullum sequitur inconveniens, quod in natura lapsa homo diligat Deum amore naturali, esto in præsenti providentia fideles nunquam amore naturali illum diligant, quia semper ac volunt Deum diligere, præsto est divinum auxilium, quod influat in talem actum, ut proinde amor sit supernaturalis. Infideles tamen non possunt amore supernaturali Deum diligere; etenim *Sine fide impossibile est placere Deo*, ut habetur ad Heb. 11. propterea si aliquando Deum diligerent amore naturali, antequam Deo crederent fide supernaturali, Deus non permitteret, ut docent communiter, quod cum eo amore decederent, antequam fidei lumine illustrarentur, & ad dilectionem supernaturalem invitarentur: si tamen permitteret, non eatenus gehennam declinarent, cum talis amor non sufficiat ad deletionem culpæ, ne dispositive quidem.

VII. Neque dicas tertio, quod si posset dari in natura lapsa uterque Dei amor, naturalis, & supernaturalis, posset pariter dari fides naturalis etiam, & supernaturalis; sicut enim Dei bonitas potest movere ad sui amorem, ita prima veritas revelans potest ad sibi credendum obligare: unde par ratio.

Nam licet Deus semper ad quemcunque fidei actum concurrat auxilio supernaturali; quod discutitur apud Ripaldam disput. 45. de ente supernaturali: certum tamen est, quod non concurrat auxilio supernaturali ad amorem Dei, qui ante fidem stricte dictam eliciatur ab Ethnico, eo quod non possit hic sine fide placere Deo; placeret autem, si Deum amaret amore supernaturali, qui in præsenti providentia est ultima dispositio ad gratiam; unde quamvis non possit dari fides stricte dicta naturalis, potest tamen dari amor Dei naturalis, qui solum dicat relationem ad Deum, non vero ad Jesum Christum, qui lumine supernaturali duntaxat, attingi potest. Corruit itaque doctrina Quesnelliana, quod præter charitatem christiano modo facientem actiones christianas per relationem ad Deum, & Jesum Christum, omnis alius actus sit culpabilis, & quod sine fidei lumine, sine Christo, & sine charitate ista supernaturali nihil simus, nisi tenebræ, nisi aberratio, nisi peccatum, ut loquitur thesis 48.

VIII. Ostendendum nunc, quod præter charitatem infusam, dentur in natura lapsa actus supernaturales aliarum etiam virtutum ad voluntatem spectantium; nec spei duntaxat, ut ostendimus in expositione thesis 44. & piæ affectionis ad fidem, qua velimus fidem amplecti, & sic ad spem, & charitatem disponi, ut ostendimus in thesi 51. sed etiam aliarum virtutum moralium, puta obedientiæ, misericordiæ, justitiæ, religionis, patientiæ, & similium; ita ut istarum actus non solum sint officia harum virtutum juxta doctrinam Bajanorum, quam in expositione thesis quadragesimæquartæ explicavimus, sed etiam sint actus istarum virtutum nullatenus ad charitatem spectantes, qui ab Infideli exerceri possint naturæ viribus, & sint actus naturales laudabiles, (quamvis non meritorii vitæ æternæ) & a fidelibus exerceantur viribus gratiæ, unde sint actus supernaturales; qui si eliciantur a justis, mereantur de condigno augmentum gratiæ, & glo-

& gloriæ; si vero eliciantur a peccatoribus, mereantur de congruo ulteriorem gratiam, ut tandem aliquando ad justificationem obtinendam, aut per dilectionem Dei super omnia, aut per attritionem cum sacramento disponantur.

IX. Probatur autem ista virtutum multiplicitas; quia ubi sunt motiva, & objecta formalia virtutum diversa, ibi dantur diversæ virtutes; sed præter motivum specificans charitatem, quod est bonitas Dei absoluta, & motivum specificans spem, quod est bonitas Dei respectiva, dantur plures aliæ honestates creatæ, quæ sunt diversa motiva, & specificativa virtutum moralium; ergo dantur plures virtutes morales distinctæ a Theologalibus. Minor probatur, quia honestates, quæ reperiuntur v. gr. in obtemperando superiori, in cultu divinæ excellentiæ, in subveniendo indigentibus, in tribuendo unicuique jus suum, sunt diversæ inter se specificantes varias virtutes, puta obedientiæ, religionis, misericordiæ, justitiæ; nec ista sunt objecta increata, sed creata: ergo dantur plures honestates creatæ, quæ sint objecta motiva plurium virtutum moralium.

X. Confirmatur: Si actus istarum virtutum non essent studiosi secundum se, sed vitiosi, sequeretur, quod nec essent studiosi, si imperarentur a charitate; quia imperium intrinsecum, quod haberent ab actu charitatis imperante, non immutat eorum naturam: Ad eum modum, quo si actus bonus misericordiæ imperetur ab actu malo inanis gloriæ, imperium hoc extrinsecum non immutat bonitatem, & honestatem propriam actus misericordiæ. Et ratio a priori est, quia actus misericordiæ sive imperetur ab actu bono charitatis, sive ab actu malo inanis gloriæ, sive nullatenus ab alio actu imperetur, semper est conformis naturæ rationali, atque adeo semper habet suam intrinsecam honestatem, & bonitatem moralem. Hinc in præsenti providentia actus misericordiæ tam ponitur auxilio gratiæ, & est supernaturalis, ac meritorius, si ponatur seorsim ab alio actu imperante, quam si ponatur imperatus ab actu charitatis; & probabiliter etiam est supernaturalis, si imperetur ab actu leviter malo inanis gloriæ, ut ostendi in Cursu Theologico p. 2. disp. 7. q. 5. ex Lugo disp. 10. de fide, & aliis.

XI. Confirmatur ulterius, quia intantum actus v. g. misericordiæ non esset in sententia Jansenianorum bonus, sed vitiosus, si non ordinaretur ad Deum summe dilectum, ita ut imperetur a charitate, in quantum eliciens hunc actum amaret propter se honestatem illam creatam, a qua talis actus specificatur, & sic finem ultimum constitueret in ipsa creatura; atqui sive talis actus imperetur a charitate, sive non imperetur, semper specificatur ab eadem honestate creata: ergo sicut non reponitur finis ultimus in tali honestate creata, quando actus imperatur a charitate, ita neque quando seorsim ponitur. Et ratio a priori est, quia non quodcunque amatur propter se, & propter suam intrinsecam bonitatem, amatur tanquam finis ultimus positive, sicut est Deus; passim enim amatur tanquam finis negative ultimus, quatenus talis amor terminatur quidem ad eam bonitatem creatam, sed potest ulterius terminari ad Deum, referendo illum ad finem positive ultimum; quod si præscindatur a tali relatione ad Deum, non eatenus ille actus est malus, ut fusius diximus in expositione thesis quadragesimæ quartæ. Confirmatur demum, quia si virtutes v. g. justitiæ, & religionis non diversificarentur inter se, secluso quovis imperio extrinseco charitatis, sequeretur, quod reus furti sacrilegi non deberet utramque malitiam in confessione exponere; in tantum enim tenetur, quia furtum opponitur diversæ virtuti, ac opponatur sacrilegium; illud opponitur justitiæ, hoc religioni. Neque enim pluralitas præceptorum secundum se reddit peccata specie diversa, nisi hæc diversis virtutibus opponantur; propterea qui comedit carnes in pervigilio v. g. Sancti Matthiæ, quod incidit in tempus Quadregesimæ, & in diebus quatuor temporum, unum solum peccatum committit, quia quamvis violet tria præcepta, horum tamen violatio eidem virtuti temperantiæ opponitur.

XII. Ad hæc accedit auctoritas omnium omnino Theologorum, qui præter virtutes Theologales agnoscunt quatuor Cardinales, vid. Prudentiam, Fortitudinem, Justitiam, ac Temperantiam: quod Patres, & Interpretes docent significari Sapientiæ octavo iis verbis: *Sobrietatem enim, & prudentiam docet, & justitiam, & virtutem, quibus utilius nihil est in vita hominibus.* Accedit etiam auctoritas Ecclesiæ: cum in Concilio Viennensi, ut habetur in Clementina unica de summa Trinitate, decernatur, probabilius esse, quod in baptismo parvulis cum gratia infundantur virtutes morales, de quibus solum, & non de Theologalibus erat controversia: unde habet: *Nos autem attendentes generalem efficaciam mortis Christi, quæ per baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis conferri in Baptismo informantem gratiam, & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis sanctorum, & doctorum modernorum Theologiæ magis consonam, & concordem, sacro approbante Concilio, duximus eligendam.* Accedit pariter auctoritas Augustini, qui disertissime libro 4. contra Julianum c. 3. habet: *Noveritis itaque, non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem, quod faciendum est; finis vero, propter quod faciendum est:* quod expresse adversatur doctrinæ Jansenianæ, quæ virtutes solum distinguit ratione officiorum, quatenus v. g. misericordia appellatur officium erogandi stipem, & justitia officium solvendi debitum; cum tamen finis omnium istarum virtutum dicatur esse finis ipsius charitatis, nempe Deus, propter quem exerceri debent ea officia, ut sint studiosa, & non vitiosa. Augustinus tamen distinguit virtutes a finibus, seu ab objectis motivis, & specificativis diversis, non ab officiis; ideo actus earum virtutum vult esse studiosos, etiamsi non imperentur a charitate, nec referantur ad Deum. Accedit demum auctoritas communissima aliorum sanctorum Patrum. D. Prosper de vita contemplativa lib. 3. c. 18. habet: *Principales quatuor esse virtutes, non solum Philosophi sentiunt, sed etiam nostri consentiunt. Sed quare quatuor, vel quæ sint opera singularum? hoc Domino illuminante debemus breviter demonstrare.* Hieronymus similiter in Epistol. ad Pammachium habet: *Dicamus aliquid & de Philosophis. Quatuor virtutes describunt Stoici, ita sibi invicem nexas, & mutuo cohærentes, ut qui unam non habuerit, omnibus careat, Prudentiam, Justitiam, Fortitudinem, Temperantiam. Has omnes sic habetis singuli, ut tamen emineatis in singulis.* Sic etiam passim Gregorius, Ambrosius, & alii, ut proinde temeritatis notam non effugiat, qui ab hoc communissimo omnium sensu discordat in re tam dilucida, ut pigeat in ea ulterius immorari.

XIII.

XIII. Opponitur primo auctoritas Augustini dicentis in Enchiridio cap. 107. *Regnat carnalis cupiditas, ubi non est charitas;* Et in Psal. 18. *Qui noluerit servire charitati, necesse est, ut serviat cupiditati:* ergo ex Augustino non datur alius actus, qui non sit peccaminosus præter actum charitatis; atque adeo hæc sola virtus est, quæ facit actiones Christianas per relationem ad Deum, & JESUM Christum; quæ Deo loquitur, & quam Deus audit; quam coronat, & remunerat; ita ut nec spes, nec religio virtutes sint, si desit charitas; nec oratio impiorum a culpa sit immunis ob defectum charitatis. Quod pariter docet Leo Papa serm. 5. de jejunio, dicens: *Duo amores sunt, ex quibus omnes prodeunt voluntates: rationalis enim animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi.*

Respondeo, satis superque demonstratum esse, quod etiam ex Augustini sententia dentur virtutes morales a charitate distinctæ. Et quod spes a charitate sejungatur ex eo constat, quod non amittuntur habitus fidei, & spei infusæ per quodvis peccatum, etiamsi quodvis peccatum charitatem expugnet, idque ut possit peccato per actus supernaturales, atque adeo studiosos fidei, & spei ad resurrectionem spiritualem se disponere. Quare quando opponitur ab Augustino, a Leone Papa, & aliis sanctis Patribus charitas cupiditati, & amor Dei amori hujus mundi, dicendo inter hos actus non dari medium, tunc, ut notat Vasquez par. 2. disp. 192. cap. 2. nomine Charitatis non venit charitas presse dicta, sed late sumpta pro quolibet actu cujusvis virtutis, quo aut Deum diligimus, aut ad Deum diligendum disponimur; & nomine cupiditatis, seu amoris mundi non venit quilibet actus, quo objectum creatum amamus, sed venit ipsa mala cupiditas, seu concupiscentia, de qua dicitur Jacobi 1. *Concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* Quod S. Doctor lib. 83. qq. quæst. 36. expressit dicens: *Aliud est charitas, radix omnium bonorum, aliud cupiditas, radix omnium malorum; tantumque inter se differunt, quantum virtus, & vitium.* Et lib. 1. de lib. arb. cap. 4. *Convenit inter nos, omnia malefacta non ob aliud mala esse, nisi quod libidine, hoc est improbanda cupiditate fiunt.* Et sane sicut misericordia, justitia, & aliæ virtutes possunt late sumi pro actibus externis talis virtutis, ita ut dicatur misericors, qui egenis succurrit, & justus, qui debita solvit, quamvis hos actus non exerceat ex motivo istarum virtutum, sed ex motivo charitatis v. gr.; & possunt etiam stricte sumi pro actibus, qui fiant ex motivo proprio illarum: ita pariter charitas potest tum stricte sumi pro actu elicito ex amore bonitatis divinæ; tum etiam late pro quolibet actu virtuoso, quo obsequia Deo grata, & gloriosa exercemus, unde ad ejus dilectionem disponimur. Et in hoc sensu verum est, quod ubi non regnat charitas, seu virtus, regnet cupiditas, seu vitium, & ubi non datur Dei amor late sumptus, (ita scilicet ut sit vel formaliter amor Dei, vel saltem dispositive, ut est quilibet alius actus virtutis infusæ) detur amor mundi, seu concupiscentia pariens peccatum, (si supponantur impossibiles actus morales indifferentes in individuo). Et hoc sensu dixit Christus D. Matthæi 12. *Qui non est mecum, contra me est.*

XIV. Opponitur secundo, quia nullum opus potest vacare culpa, nisi referatur ad Deum, qui sicut necessario est principium omnis bonæ operationis, ita debet esse ejusdem finis; ut proinde omnis affectus sistens in creatura sit vitiosus, quippe carens fine debito: atqui solus actus charitatis refert omnia ad Deum; ergo præter charitatem nulla alia datur virtus. Major videtur doceri ab Augustino lib. 4. contra Julianum cap. 3. ubi habet: *Cum non ad suum referuntur auctorem dona Dei, hoc ipso male his utentes efficiuntur injusti.* Et deinde concludit: *Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter quod facere debet, peccare convincitur.* Et apertius infra dixit: *Quicquid autem boni fit ab homine, & non propter hoc, propter quod vera sapientia præcipit, etsi officio videatur bonum, ipso non recto fine peccatum est.* Quibus verbis ostendit præcipi nobis ab ipso rationis dictamine, ut omnia in Deum referamus actu charitatis; quod si non referamus, eo ipso desumus obligationibus a natura impositis; & sic quantumvis videamur exercere opera virtutis, adhuc tamen ob omissionem hujus respectus debiti erga Deum peccamus.

Respondeo, actum virtutis moralis esse honestum, etiamsi non referatur ad Deum formaliter, & signate: sufficit enim, quod referatur exercite, & virtualiter, quatenus suapte natura quilibet actus honestus ad Deum tendit, & ad illum assequendum, & glorificandum ordinatur, unde ad illum formaliter referri potest. Obligatio autem referendi ad Deum signate quamcumque nostram operationem non datur, essetque onerosa nimis: ut proinde onus Christianæ legis non esset leve, nec jugum Christi suave; unde falsum est, quod ex defectu talis relationis actus aliarum virtutum a charitate sint culpabiles, & vitiosi. Omisso tamen, quod revera ea obligatio daretur, negari non potest, quod posset dari ignorantia invincibilis talis præcepti, aut quod aliquis probabilissime existimaret ex communissimo Theologorum consensu illud non dari, in quo casu violatio illius non esset culpabilis; siquidem ignorantia invincibilis juris naturæ excusat a peccato formali, ut constat ex secunda thesi proscripta ab Alex. VIII. unde saltem in tali casu, qui esset frequentissimus, dari posset exercitium aliarum virtutum a charitate, quod esset studiosum, & non culpabile, quamvis actualiter, & formaliter non referret omnia ad Deum ex imperio charitatis. Itaque Augustinus in locis adductis interpretandus est, quod velit omnia referenda esse ad Deum exercite, & virtualiter, sicut referuntur actus aliarum virtutum a charitate respicientium honestatem creatam propriam illorum; & quod sic non refertur, revera est culpabile, si negatur possibilitas actus indifferentis in individuo, a qua quæstione hic præscinditur.

Quod autem in hoc sensu loquutus sit Augustinus, constat, quia disputabat adversus Julianum, contendentem veras virtutes in Infidelibus reperiri; ex quo inferretur actum esse virtuosum, & laudabilem, si ejus objectum materiale esset bonum, sed objectum formale esset turpe; ut si quis erogaret stipem pauperi ob inanem gloriam, aut ex alio fine temporali, & vitioso. Propterea dicit, veras virtutes non posse tendere, nisi ad objectum formale honestum de se referibile ad Deum, & quod natura sua ad Deum ordinetur. Hinc lib. 4. cap. 3. adversus Julianum hæc habet: *An placet tibi, ut ve-*

veras virtutes avarorum esse dicamus, cum lucrorum vias prudenter excogitant, cum pro acquirenda pecunia sæva, atque aspera multa fortiter tolerant, cum varias cupiditates, quibus sumptuose vivitur, temperanter, sobrieque castigant, cum abstinent ab alieno, & de suo sæpe amissa contemnunt, (quod videtur ad Justitiam pertinere) ne jurgiis, & judiciis plura consumant? Quare Augustinus solum vult, a fine turpi fœdari actus istos, qui videntur ad virtutes pertinere, non vero ex defectu relationis ad Deum; quandoquidem si ex motivo proprio virtutum procederent, sufficienter ad Deum implicite, & virtualiter referrentur, & essent laudabiles, ac præmium consentaneum mererentur. Quod diserte docet loco laudato, sic alloquens eundem Julianum: *Ergo virtutes istæ tali fine turpes, atque deformes, & ideo nullo modo germanæ, veræque virtutes, tibi tamen ita veræ videntur, & pulchræ, ut nec nominis sui possint, nec generis sustinere dispendium, sed solius, quod appetiverunt, præmii exilitate frustrentur, idest terrenorum commodorum fructu, non cœlestium præmiorum?*

XV. Adde, quod si officia istarum virtutum essent vitiosa, & peccaminosa præcise ex defectu relationis ad Deum, ad summum continerent culpam venialem: cum autem Augustinus loco laudato dicat, quod utentes Dei donis sine relatione ad Deum efficiantur injusti, atque adeo graviter peccent, aperte sequitur, quod loquatur de iis, qui ne virtualiter quidem actus virtutum referunt ad Deum, sed exercent officia virtutum referendo illa positive ad finem lethaliter pravum. Et in hoc sensu intelligendum est, quod alias dixit Augustinus, virtutes Romanorum non fuisse veras virtutes, & virtutes Stoicorum fuisse fucosas; quia ne implicite quidem, & exercite ad Deum officia virtutum referebant, sed positive ordinabant illa ad finem pravum: unde dixit lib. 19. de Civ. cap. 16. *Superari vitia apertissima vitiis quibusdam occultis, quæ putantur esse virtutes, in quibus regnat superbia, & quædam sibi placendi altitudo ruinosa.* Et Hieronymus pariter lib. 2. in epist. ad Galat. cap. 3. dixit: *Illi Philosophi vitium vitio, peccatumque peccato medicantur: nos amore virtutum vitia superamus:* Nec dixit, amore virtutis, sed amore virtutum, ad significandum præter charitatem infusam alias dari veras virtutes; quamvis Augustinus sæpe nomine charitatis infusæ intelligat omnes virtutes infusas, ut supra animadvertimus; & in eo solum sensu dixerit inter charitatem infusam, & cupiditatem vitiosam nihil mediare.

XVI. Opponitur ultimo celebris locus Augustini tr. 86. in Jo: ubi dixit: *Quid enim boni operis est ante fidem? cum dicat Apostolus, Omne quod non est ex fide, peccatum est:* ergo si Infideles destituti fide, & charitate supernaturali in quovis opere peccant, pariter fideles peccant, ubi non charitate ducuntur.

Resp. proscriptam jam esse thesim illam vigesimam quintam Baji: *Omnia opera Infidelium sunt peccata, & Philosophorum virtutes sunt vitia.* Quare Augustinus solum ibi docet, quod ante fidem nihil boni operis possit dari conducens ad vitam æternam, ut diserte expressit lib. 4. cap. 3. contra Julianum, dicens: *Si ad consequendam veram beatitudinem, quam nobis fides per Christum promittit, nihil prosunt homini virtutes, non sunt veræ virtutes,* quatenus scilicet non sunt virtutes conducentes ad finem ultimum, quem unice consequi de facto possumus, posita elevatione naturæ ad talem finem supernaturalem. In tantum autem Augustinus addit, quod sit peccatum quodcunque ab infidelibus fit, quia passim ex fine pravo officia virtutum ab iis depravantur. Textum vero adductum Apostoli Patres communiter, & Interpretes non intelligunt in hoc sensu, in quo dicitur illum Augustinus usurpare, quod scilicet sit peccatum, quod fit ab Infidelibus, eo quod fides sit initium bonorum operum conducentium ad vitam æternam; sed intelligunt in eo sensu, quem alias exposuimus, quod scilicet peccatum sit omne, quod non est ex fide, hoc est ex dictamine conscientiæ, & credulitate, quod liceat. Negari enim non potest, quod ante fidem stricte dictam possint actus variarum virtutum exerceri. Nam & possunt Infideles legem naturalem observare, aliter non peccarent illam transgrediendo; & possunt ponere plures actus virtutum naturalium, immo actum ipsum naturalis dilectionis Dei, ut ostendimus; & elicere possunt actum supernaturalem piæ affectionis ad fidem necessario prævium ad assensum fidei, ut diximus in expositione thesium immediate præcedentium: desiderium ipsum fidei, & orationem, qua Infideles petunt fidem, esse actus supernaturales docet probabiliter Lugo disp. 12. de Fide n. 24. quia talis oratio videtur ad fidem spectare, non secus ac voluntas credendi, juxta illud Gregorii Magni Homil. 9. in Ezechielem: *Opera sine fide non adjuvare, nisi fortasse pro fide percipienda fiant.* Quare non potest illud Apostoli, *Omne, quod non est ex fide, peccatum est*, in eo sensu accipi, quod omnia infidelium opera sint peccaminosa. Aliter frustra Daniel cap. 4. consuluisset Nabuchodonosori Regi Infideli, quod peccata sua eleemosynis redimeret, si elemosynarum erogatio esset peccaminosa: quamvis enim is actus non esset supernaturalis, unde non posset ordinari ad merendum præmium supernaturale; erat tamen actus virtutis naturalis, qui ordinari poterat ad præmium naturale, nempe ad avertendum pœnam temporalem jam imminentem; & propterea non poterat esse actus vitiosus, & culpabilis.

XVII. Ex hactenus dictis facile est istarum omnium thesium falsitatem deprehendere. Falsum quippe est primo, quod sola charitas infusa faciat actiones christianas; cum etiam aliæ virtutes supernaturales actiones christianas operentur. Falsum est secundo, solam charitatem Deo loqui, illamque solam Deum audire: Deo quippe loquimur variis supernaturalibus affectibus, qui non sunt actus charitatis, illosque Deus exaudit, cum sint meritorii præmii supernaturalis. Falsum est proinde tertio, quod Deus non coronet, nisi actus charitatis, & quod in vanum currat, qui ex alio impulsu, & motivo currit; (præscindendo hic ab ea sententia, quod Deus non coronet, nisi actus, qui saltem aliquatenus a charitate imperentur, quam refert, ac rejicit Vasq. 1. 2. disp. 217.) Etenim qui ex motivo aliarum virtutum operantur, non currunt in vanum, sed ex una virtute cum adjutorio gratiæ ad aliam virtutem gradum faciunt, quousque ad coronam gloriæ perveniant, ut habetur Ps. 83. *Etenim benedictionem dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem.* Falsum est quarto, quod Deus non remuneret, nisi charitatem, & quod sola charitas Deum honoret; aliis quippe plurimis acti-

bus

bus Deus honoratur, puta religionis, petitionis, gratiarum actionis, confidentiæ in illum: quæ etiam, ut dicitur Hebr. 10. *Magnam habet remunerationem*. Falsum est quinto, quod peccatori totum desit, si desit spes, nec spes dari possit sine amore Dei; potest quippe peccator antecedenter ad spem credere, orare, & alias virtutes supernaturales exercere, quæ mereantur de congruo ulteriorem gratiam supernaturalem; potest similiter antecedenter ad actum charitatis spem firmam, ac supernaturalem in Deo reponere, & sic ad Dei dilectionem se disponere. Falsum est sexto, quod ubi non est charitas, nec Deus sit, nec Religio; quamvis enim peccator destitutus Dei amicitia Deo careat, non propterea non potest auxilio gratiæ actus supernaturales exercere, sicut fidei, & spei, ita etiam Religionis, misericordiæ, patientiæ, ac aliarum virtutum, quibus auxilium supernaturale mereatur, ut ad charitatem, & ad Dei gratiam pertingat. Falsum denique est, quod Impiorum oratio sit novum peccatum; & quod sit novum in eos judicium, quod illis conceditur; etenim oratio impiorum potest esse supernaturalis, & impetratoria gratiæ ad resipiscendum; sicut Lucæ 18. dicitur, quod Publicanus descenderit in domum suam justificatus, *quia a longe stans nolebat oculos ad Cœlum levare, sed percutiebat pectus suum dicens: Deus propitius esto mihi peccatori*.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LIII.

QUinquagesima tertia vult, solam charitatem Christiano modo operantem, omnia referendo ad Deum, & Christum Dominum, facere actiones Christianas; ut proinde nulla operatio digna sit homini Christifideli, quæ non procedat ex motivo charitatis perfectæ, respicientis non solum Deum, sed etiam Christum. Cum autem certum sit, esse operationes Christianas, credere, sperare, orare, diligere proximum, & similes, sequitur, quod nisi hujusmodi operationes ex motivo charitatis, & per relationem ad Deum, & Jesum Christum procedant, juxta hanc thesim non sint operationes studiosæ, & Deo, ac Christo gratæ. Ex quo etiam fieret, nullam aliam dari virtutem a charitate distinctam, & hujusmodi varias honestas operationes esse officia diversa ejusdem charitatis, non vero actus diversos diversarum virtutum: quod Jansenianı contendunt diserte ab Augustino doceri, qui lib. 9. de Trinit. cap. 7. habet: *Si ad Creatorem referatur amor, non jam cupiditas, sed charitas erit; tunc enim est cupiditas, cum propter se amatur*. Et lib. 6. de Musica cap. 14. *Amor inferioris pulchritudinis* (quam divinæ) *animum polluit*. Propterea etiam docent, quamcumque aliam liberam operationem, quæ non sit charitatis perfectæ, esse iniquam, & Christiano homine indignam, non agnoscentes medium inter charitatem, & vitiosam cupiditatem.

Errant tamen, & vehementer errant. Si enim ita se res haberet, cum valde arduum sit semper operari ex motivo perfectissimo charitatis, via ad Cœlum esset impervia, (quo semper collineat Jansenianorum doctrina) unde non posset dici, quod jugum Christi sit suave, & onus leve; nec diceretur 1. Jo: 5. *Mandata ejus gravia non sunt*. Propterea anathematizatur a Tridentino sess. 6. can. 31. *qui dixerit, justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur*. Et sane non aliunde, amissa gratia, & charitate, non semper amittuntur habitus infusi fidei, & spei, nisi ut possit peccator per exercitium harum virtutum laudabiliter operari, ac se disponere ad justificationem, & ad charitatem recuperandam; unde hujusmodi actus non spectant ad charitatem. Hinc tres enumerat Theologales virtutes Apostolus 1. ad Cor. 13. dicens. *Fides, spes, & charitas, tria hæc; major autem horum est charitas*. Quod autem istæ sint virtutes diversæ constat, tum quia charitas non posset dici virtus præstantior, si ea esset unica; tum etiam quia objectum formale charitatis est diversum ab objecto formali fidei, & spei; motivum enim formale charitatis est Deus prout in se bonus; spei vero est Deus ut bonus nobis, & fidei motivum est Auctoritas Dei loquentis. Hac etiam de causa distinguuntur virtutes morales tam inter se, quam a Theologalibus, quia pariter habent objectum formale diversum; misericordia enim v. g. movetur ab honestate, quæ reperitur in sublevatione pauperum ab eorum miseriis; Justitia ab honestate tribuendi unicuique jus suum; Religio ab honestate cultus præstiti Divinæ excellentiæ; & sic de reliquis. Quod vero harum honestatum amor sit studiosus, etiam præcisa relatione ad Deum, constat, quia conformis est rationis dictamini; quamvis enim honestius, & laudabilius esset, harum virtutum actus ponere ex motivo charitatis, & cum relatione ad Deum; at non proinde inhonestum est, & vituperabile, sed solum minus honestum, & minus laudabile est, eos ponere ex motivo proprio singularum virtutum; quod cum sit rationi consentaneum etiam spectatum secundum se, habet suam propriam honestatem, & laudabilitatem. Quod Augustinus docuit lib. 4. contra Julianum c. 3. dicens: *Noveris non officiis, sed finibus a vitiis discernendas esse virtutes: officium est autem, quod faciendum: finis vero, propter quod faciendum est*. Propterea ubi S. Doctor dixit, amorem, qui non refertur ad Deum, esse cupiditatem, & amorem creaturæ animum polluere, intelligendus est de amore, qui nullatenus ad Deum refertur, neque formaliter, neque lato modo, ac de amore creaturæ, qui nullatenus sit amor saltem late sumptus Creatoris. At amor honestatis creatæ, quæ in motivo virtutum moralium reperitur, refertur ad Deum saltem lato modo, quatenus natura sua est ordinabilis ad Deum, & prosequitur directe objectum creatum, quod Deo placet; unde est etiam amor Dei late sumptus, juxta illud Christi D. Jo: 14. *Si diligitis me, mandata mea servate*, quia si minus formaliter, certe lato modo Deum diligit, qui ejus imperata facit: cum enim eidem sit aliquem amare, ac velle illi aliquid ei gratum, & grata procul dubio sint Deo opera, quæ natura ipsa (atque adeo Deus condens naturam) per rationis dictamen consulit, aut præcipit, consectarium est quod Deum diligat saltem lato modo, qui ponendo opera virtutum moralium dictamini rationis obtemperat, quamvis ea non referat ad Deum signate, amando illum amore perfecto charitatis.

Quibus adde, ex eo etiam erroneam esse hanc thesim, quod velit, actiones studiosas, ac Christifideli dignas fieri non posse sine relatione ad Deum simul, & ad Christum Dominum. Ex quo fieret, quod

quod non solum peccaret, qui poneret opera virtutum moralium, necnon actus fidei, & spei absque relatione ad Deum, sed etiam peccaret, qui ex motivo charitatis operaretur cum sola relatione ad Deum absque relatione ad Christum Dominum, quo quid absurdius dici potest? Certum quippe est, quod fidelis, cui non desit fides ad salutem necessaria, si post amissam per peccatum gratiam conteratur ex motivo Divinæ bonitatis offensæ, statim justificetur, quamvis hic & nunc non cogitet de Christo Domino, de Trinitate, ac de Incarnatione Verbi; nusquam enim in Scripturis, ubi præcipitur dilectio Dei super omnia, & dolor de peccato commisso, imponitur, quod hujusmodi dilectio, & dolor ponantur cum relatione ad Christum Dominum. Quesnellus hanc aliam invehens obligationem, vult inviam omnino reddere viam salutis, cum ad hæc omnia non facile obvia nos adigat, ad quæ Deus summe misericors noluit nos adigere. Cadunt enim optimæ istæ operationes sub consilium, non sub præceptum; propterea qui conteritur cum sola relatione ad Deum, & non etiam ad Christum, cæteris paribus, actum ponit minus perfectum, non tamen peccaminosum, aut insufficientem ad justificationem, & salutem consequendam; non secus ac qui ponit actum perfectæ charitatis cum relatione ad Deum, & ad Christum intensum ut quatuor, ponit actum minus perfectum, quam si poneret actum intensum ut sex, sed non poneret actum culpabilem, & cui non subsequatur justificatio: Nisi forte Quesnellus ad has etiam angustias vellet homines adigere, ut velit eos, semper ac libere operantur, ad actum charitatis intensissimum cum relatione ad Deum, & ad Christum Dominum obligare, ut prorsus de salute assequenda desperent, & sic in reprobum sensum adducantur.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LIV.

Quinquagesimaquarta idem reponit, dum docet, solam charitatem Deo loqui, & a Deo audiri. Utrumque autem erroneum; cum Deum nos alloquamur etiam actibus fidei, spei, necnon timoris, doloris, misericordiæ erga pauperes, orationis, pœnitentiæ, aliarumque virtutum moralium; & Deus etiam hos nostros affectus, ac preces misericorditer audiat. Docet quippe Tridentinum sess. 14. cap. 4. clamores, ac gemitus peccatoris, qui ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipiuntur, si voluntatem peccandi excludant, cum spe veniæ, esse donum Dei, ac Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed moventis, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat. Additque, Ninivitas hoc timore utiliter concussos misericordiam a Domino impetrasse. Quare non solis actibus charitatis Deum alloquimur, nec solos clamores ex amore conceptos Deus exaudit. Et sane actus fidei, spei, timoris, ac pœnitentiæ, qui ex eodem Tridentino sess. 6. cap. 6. ad justificationem disponunt, quamvis non procedant a virtute charitatis, adhuc Deum alloquuntur, misericordiam exposcendo, illosque Deus audit, misericordiam impertiendo. Peccator ingemiscens dicit: *De profundis clamavi ad te, Domine. Si iniquitates observaveris, quis sustinebit? Speravit anima mea in Domino*; quibus clamoribus permotus misericordiam Deus elargitur, ac redimit illum ex omnibus iniquitatibus ejus. Adde, quod non solum oratio justi, si debito modo fiat, sit impetratoria, & Deus illam audiat, quamvis non procedat ex motivo charitatis; (ad id enim noluit nos Christus adigere, dicens, *Petite, & accipietis*) verum etiam peccatores vitiis dediti, qui ad perfectam contritionem concipiendam illico induci non possunt, si a Deo postulent auxilium, quo etiam moralem hanc impossibilitatem expugnent, illud obtineant, ex eodem Tridentino sess. 6. cap. 11. ubi dicitur: *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis*. Cum ergo peccatores isti, quibus contritio perfecta est moraliter impossibilis, admoneantur, ut faciendo quod possunt, petant quod non possunt, ecce tibi, si petant, Deo loquuntur citra actum charitatis. Et cum dicatur Deus eos adjuvare, ut possint conteri; ecce tibi, quomodo Deus audit voces aliarum virtutum a charitate distinctarum; unde nec sola Charitas Deo loquitur, nec eam solam Deus audit.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LV.

Quinquagesimaquinta pariter contendit, Deum solam charitatem coronare, & in vanum currere, qui ex alio motivo, & impulsu currit. Docet proinde gloriæ coronam non conferri propter actus aliarum virtutum supernaturalium, & hujusmodi actus in eo, qui currit ad comprehendendum, esse prorsus inutiles. Utrumque pariter est erroneum, & quod Deus soli charitati coronam gloriæ conferat; (quicquid tamen sit, an actus meritorius vitæ æternæ debeat saltem ex aliquo charitatis imperio promanare, juxta sententiam, quam diximus referri, ac refelli a Vasquio p. 2. disp. 217.) & quod inanes sint conatus nostri, si non profluant ex motivo charitatis. Quoad primum: Christus Dominus, ut ad actus virtutum moralium, præsertim ad charitatem erga proximum, & ad opera misericordiæ nos incendat, in extremo die, nulla facta mentione motivi charitatis, dicet iis, qui a dextris ejus erunt, se illos ad Regnum possidendum, & ad immarcescibilem gloriæ coronam advocare, ut promissam reportent remunerationem illorum actuum, qui, si minus ex charitate erga Deum promanant, ad illam tamen maxime conducunt: Sicut etiam ob eorundem actuum omissionem, ut habetur Matth. 25. *Dicet his, qui a sinistris ejus erunt: Discedite a me maledicti in ignem æternum*. Similiter Christus Dominus enumerans octo beatitudines docuit, actus virtutum moralium perducere homines ad gloriam, eo quod per illos charitas erga Deum & foveatur, & augeatur; unde nulla facta mentione charitatis dixit Matth. 5. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum Cælorum*: Pariterque beatos, ac præmio dignos docuit esse mites, lugentes, justitiam esurientes, misericordes, mundos corde, pacificos, ac persecutionem patientes propter justitiam. Hinc Eccles. 12. dicitur: *Benefac justo, & invenies retributionem magnam, & si non ab ipso,*

certe a Domino: & Psalm. 118. dicitur*: Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem*; quia scilicet Deus non solum coronat omnes usquequaque perfectas operationes justorum; sed etiam coronat illas, quamvis fiant ex motivo retributionis, & non ex motivo perfectæ charitatis. Quod pariter denotatur verbis illis 1. ad Corint. 9. *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem, ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

Quoad alterum errorem, non solum non sunt inanes in ordine ad coronam gloriæ operationes aliarum virtutum a charitate distinctarum, quæ a justo eliciuntur, ut hactenus dictum est, sed etiam utiles sunt in peccatore ad justificationem, si fiant ex auxilio gratiæ; quippe quæ ad illam disponunt, promerendo de congruo nova auxilia, quibus novi actus supernaturales eliciantur, quousque ad justificationem perveniatur, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 4. dicens: *Hoc timore utiliter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Deo impetrarunt.* Et can. 5. loquens de attritione supernaturali peccatoris, anathematizat, qui de ea dixerit, *non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam.* Idemque dicendum de aliis supernarum virtutum actibus tam Theologalium, nempe fidei, & spei, quam Moralium; etenim etiam orando, jejunando, Missas audiendo, peccator ad justificationem obtinendam disponitur, quin tamen per eos actus justificetur. Unde neque justus, neque peccator in vanum currunt universim in ordine ad salutem per hoc, quod ex alio impulsu, & ex alio motivo currant, quam ex motivo charitatis.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LVI.

Quinquagesima sexta in eundem scopum collineat docendo, quod solam charitatem Deus remuneret, & quod sola charitas Deum honoret; cum tamen utrumque pariter Doctrinæ Catholicæ adversetur. Docet quippe Apostolus 1. ad Corinth. 15. *Abundate in omni opere bono, scientes, quod labor vester non est inanis apud Deum*: ideo autem dicitur non esse inanis, quia Deus est illum remuneraturus. Quod autem nomine boni operis non veniat sola Dei dilectio, sed etiam exercitium aliarum virtutum, constat, quia sæpe Scriptura tanquam bona commendat officia aliarum virtutum, nulla facta mentione finis extrinseci, & motivi charitatis; nempe Abrahæ hospitalitatem, Genes. 18. Jobi misericordiam in pauperes, Job 29. Tobiæ erga mortuorum sepulturam, Tob. 1. continentiam Joseph, Genes. 39. Honorem parentibus, & senioribus, 1. Petr. 5. Retributionem autem omnibus harum virtutum operibus dandam esse ostendit Apostolus dicens ad Hebr. 6. *Non est injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis, quam ostenditis in nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis:* & cap. 10. *Vinctis compassi estis, & rapinam vestrorum bonorum cum gaudio suscepistis, cognoscentes vos habere meliorem, & manentem substantiam. Nolite itaque amittere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem.* Quinimo ex Scripturis constat, Deum præmio temporali sæpe remunerasse exercitia harum virtutum naturalium. Sic Ezechielis 29. dicitur de Nabuchodonosore*: Dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laboraverit mihi, ait Dominus Deus.* Quæ verba exponens Hieronymus addit: *Ex eo quod Nabuchodonosor mercedem accepit boni operis, intelligimus, etiam Ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei judicio præteriri.* Unde constat, non dari solam virtutem charitatis supernaturalis, nec solam charitatem Deum remunerare.

Ex his autem consequenter descendit alter hujusce thesis error, quod scilicet sola charitas Deum honoret; cum etiam ab exercitio reliquarum virtutum honor, ac reverentia Deo debita exhibeatur. Sicut enim non solum odio, & blasphemia, sed per quodcunque peccatum Deus inhonoratur, teste Apostolo ad Rom. 2. ubi habet, *Per prævaricationem legis Deum inhonoras*; ita non solum dilectione formali, sed etiam aliis virtutum actibus Deum honoramus; quippe qui sunt amor Dei late sumptus, quatenus qui diligit honestatem alicujus virtutis propter se, & secluso motivo charitatis, ponit actus Deo gratos, & sic Deum saltem lato modo diligit. unde Joan. 14. dicitur: *Qui habet mandata mea, & servat ea, ille est, qui diligit me.* Et sane negari non potest, quod Deus honorabatur Sacrificiis, quæ Deo tanquam domino vitæ, & necis exhibebantur; ergo multo magis observatione præceptorum, ac misericordiæ, & charitatis operibus honoratur; cum dicatur 1. Reg. 15. *Melior est obedientia, quam victimæ*; & Oseæ 6. *Misericordiam volui, & non sacrificium, & scientiam Dei plusquam holocausta*; & Marci 12. *Diligere proximum tanquam seipsum, majus est omnibus holocaustomatibus, sacrificiis.* Usqueadeo autem etiam oratione, ac precibus Deus honoratur, ut Martialis Ethnicorum lingua loquens dixerit*: Qui fingit sacros auro, vel marmore vultus, Non facit ille Deos; qui rogat, ille facit.* Quanto autem altius Deus honoratur per actus fidei, ac spei, dum intellectum captivamus in ejus obsequium, & fiduciam omnem in ejus fidelitate, ac misericordia collocamus? Quare nec solam charitatem Deus remunerat, nec sola charitas Deum honorat.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LVII.

Quinquagesima septima vult peccatori totum deesse, ubi desit illi spes in Deo, & hanc spem sine Dei amore consistere non posse. Utrumque pariter fidei dogmatibus refragatur. Constat siquidem (quod attinet ad primum) ex Tridentino sess. 6. cap. 15. nonnisi per peccatum infidelitatis fidem amitti, atque adeo peccatori, cui per peccatum desperationis deest spes, non deesse fidem, qua possit per considerationem divinarum promissionum, ac infinitæ misericordiæ animum jam per desperationem abjectum erigere in spem magnam, & sic ad justificationem se disponere. Fidem autem non esse fiduciam, seu spem roboratam, nec essentialiter cum fiducia connecti supra ostendimus in thesi 52. Præterquamquod si de Infidelibus ipsis, quibus fides deest, dici non potest citra injuriam divinæ misericordiæ, & sanguinis Christi pro illis etiam oblati, quod totum illis desit in ordine ad salutem, cum non desint illis auxilia superna misericorditer collata, quibus

ad fi-

ad fidem amplexandam incitantur ; Deus quippe, ut habetur Joann. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: a fortiori non desunt auxilia ad resurgendum in peccatore, qui per peccatum desperationis spem amisit ; cum ea a fide habituali, quæ absque infidelitate non amittitur, exigantur. Quibus adde, quod peccatori post spem amissam, imo etiam post amissam fidem, adhuc remanet liberum arbitrium, quo possit non solum cum auxiliis gratiæ, quæ illi non desunt, per actus fidei, spei, timoris, doloris, ac per orationem, ac corporis mortificationem præparare se ad gratiam recuperandam, sed etiam sine auxiliis supernis aliquem virtutis actum ponere, aut peccatum aliquod declinare : ut constat ex vigesima nona Baji proscripta thesi, quæ habet: *Non solum ii fures sunt, & latrones, qui Christum viam, & ostium veritatis & vitæ negant, sed etiam quicunque aliunde, quam per Christum in viam justitiæ, hoc est ad aliquam justitiam conscendi posse dicunt*: necnon ex vigesimaoctava, quæ habet: *Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum*, quandoquidem liberum arbitrium, quamvis per culpam sit viribus attenuatum, & inclinatum, non est tamen amissum, ut docet Tridentinum sess. 6. cap. 1. Verum quidem est, quod operationes studiosæ, si non sint supernaturales, nullatenus conducant ad salutem, sed falsum est, quod non possit impius sine gratiæ auxiliis ponere aliquam studiosam operationem. Quod docuit Augustinus lib. de spirit. & lit. cap. 28. dicens: *Sicut non impediunt a vita æterna justum quædam peccata venialia, sine quibus hæc vita non ducitur; sic ad salutem æternam nihil prosunt impio aliqua bona opera, sine quibus difficillime vita cujuslibet pessimi hominis invenitur*.

Quoad alterum ejusdem thesis errorem, videlicet, quod spes in Deo reperiri non possit absque Dei amore, ostendimus in eadem quinquagesimasecunda thesi, id etiam refragari veritati : siquidem ex communissima Theologorum sententia, sicut fides non amittitur per quodvis peccatum, sed solum per peccatum infidelitatis : ita spes non amittitur, nisi aut per peccatum oppositum spei, aut per peccatum infidelitatis ; (quatenus amissa per hoc peccatum fide, quæ est fundamentum spiritualis ædificii, amittitur consequenter etiam spes). Potest itaque in eo, qui charitatem, ac amorem amisit, adhuc remanere non solum fides, sed etiam spes in Deo, ut per auxilia ab his virtutibus exigita possit in earundem actibus exerceri, & sic viam munire ad gratiam recuperandam, juxta doctrinam Tridentini sess. 6. cap. 6. Quare ubi Augustinus in Enchirid. cap. 3. hæc habet: *Jam de amore quid dicam, sine quo fides nihil prodest? spes vero sine amore esse non potest*; vel loquitur de spe formata, & non informi, (ut interpretatur Angelicus) quæ certe sine charitate esse non potest ; vel loquitur de amore late sumpto, ut notat Rip. disp. 22. num. 23. quatenus omnis spes est quidam amor, & desiderium boni sperati. At si amor sumatur antonomastice pro charitate, (prout sumi debet in hac thesi juxta proprium ejus, ac germanum sensum, quem habet de se ; num præsertim illum etiam habeat ex adjunctis) certe potest spes ab amore sejungi, non secus ac fides a spe, & charitate. Quare thesis hæc integre accepta, quod scilicet totum desit, atque adeo etiam fides desit, quando deest spes, quæ non est sine Dei amore, aut saltem ab eo non separatur, directe adversatur definitioni Tridentini sess. 6. can. 28. ubi anathematizat, qui dixerit, *amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti*.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LVIII.

Quinquagesima octava absolute negat, Deum, ac Religionem inesse in peccatore charitate denudato ; quasi vero non possit peccator post amissam gratiam Deum habere sibi conjunctum per actus fidei, ac spei, illumque per actus religionis colere, & ita ad charitatem recuperandam se disponere ; cum tamen ad id teneatur, ut advertit Tridentinum sess. 6. cap. 6. Dicitur enim 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino*; his autem actibus congrua fit præparatio. Paralogizant Janseniani, dum docent, quod si Religio Deum colat, & non ex motivo charitatis, sed ex motivo honestatis creatæ, quæ reperitur in cultu exhibito Divinæ excellentiæ, in tali casu aliquid creatum amaretur propter se, & non propter Deum, unde in creatura reponeretur finis ultimus ; quod sane vitiosum est, & superstitiosum ; propterea putant, deficiente charitate, deficere veram Religionem, seu cultum veri Numinis, & haberi superstitionem, per hoc quod creatura tanquam Numen, & finis ultimus colatur. Sed enormiter errant, quia dum honestas creata cultus exhibiti Divinæ excellentiæ diligitur propter se, sistendo in tali objecto creato absque relatione ad Deum, tunc honestas hæc creata amatur solum tanquam finis ultimus ipsius actus, seu operis non ultra de se tendentis, non vero amatur tanquam finis ultimus amantis, seu operantis, quatenus hic velit in hoc creato objecto suum ultimum finem constituere, illudque tanquam numen colere. Hic amor respiciens honestatem creatam cultus Deo exhibiti, tanquam finem ultimum operantis, procul dubio esset impius, & superstitiosus, at amor respiciens eandem honestatem creatam, ut finem ultimum operis, est religiosus, ac pius ; quippe qui terminatur ad objectum conforme rationis dictamini, ac Deo gratum : unde, ut alias diximus, est quidam Dei amor, non quidem formalis, cum non spectet ad charitatem, sed late sumptus, spectans ad virtutem moralem a Theologalibus condistinctam. Quod similiter dicendum de objectis aliarum virtutum moralium. Propterea deficiente charitate adhuc potest in peccatore tam Deus esse per actus fidei, ac spei, quam vera Religio, cujus actus terminentur ad honestatem creatam cultus Deo exhibiti, quæ solum est finis ultimus operis, relate vero ad operantem est finis ultimus solum negative, quatenus, non ordinat actu amorem hujus objecti creati ad Deum ; non est tamen finis ultimus positive, ita ut in eo beatitudinem collocet, præferendo creaturam Creatori. Hoc enim præstat peccator solum quando diligit objectum turpe ; siquidem tunc Deus ipse contemnitur, (dicitur enim universim de prævaricatoribus Isaiæ 1. *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*) & quodammodo finis ultimus in objecto illo turpi affective reponitur. Profecto thesis hæc in alio Codice Ascetico posset non male audire, & solum deno-

notare ex adjunctis, quod per peccatum exulet a corde peccatoris tum Deus per gratiam, tum etiam Religio, quatenus peccator falsum Numen colit, præponendo creaturam Creatori, illamque sibi habendo pro idolo, prout dicitur ad Philipp. 3. *Quorum Deus venter est:* At secundum se in proprio, ac germano verborum sensu est erronea, ut ostendimus; & multo magis est erronea ex adjunctis in Quesnelli Codice; tum quia non semel in ejus thesibus hic error aliis aliisque verbis disseminatur; tum etiam quia passim in eo recuduntur errores Jansenii, inter quos postremum non obtinet locum, quod nulla detur virtus a charitate distincta. Proscribenda proinde fuit hæc thesis, tum in sensu germano, & obvio, quem præseferunt verba, tum etiam ex adjunctis ad mentem Auctoris.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LIX.

Quinquagesima nona citra horrorem audiri non potest, cum doceat Impiorum orationem esse novum peccatum, & quod per illam conceditur, esse novum in eos judicium: ita ut non solum de oratione tanquam de nova culpa, sed etiam de beneficiis sive spiritualibus, sive temporalibus sibi collatis ob preces Deo exhibitas judicandi, ac puniendi sint peccatores, quomodocumque iis utantur; quasi vero sit novum etiam peccatum qualiscunque usus sive bonus, sive malus quorumcumque bonorum, quæ Deus impiis orantibus elargitur. Inhæret in hac thesi Quesnel. vestigiis Baji; cujus trigesimaquinta ex profligatis thesibus habet: *Omne, quod agit peccator, sive servus peccati, peccatum est*: & quadragesima: *In omnibus suis actibus peccator servit cupiditati dominanti:* Sicut etiam sexagesimaquinta: *Nonnisi Pelagiano errore admitti potest usus aliquis lib. arb. bonus, sive non malus, & gratiæ Christi injuriam facit, qui ita sentit, & docet*. His, aliisque ejusdem furfuris Bajanis, ac Jansenianis thesibus instructus Baji, ac Jansenii Assecla docuit in quadragesimaquarta, & sequentibus, duos esse duntaxat in homine amores, alterum perfectæ charitatis bonum; alterum carnalis cupiditatis malum: propterea peccatoris oratio, & usus beneficiorum Dei, cum non promanent a charitate, dicuntur non esse immunes a nova culpa. Constat autem non esse culpabiles, quin etiam esse commendabiles, multas, etiam Ethnicorum, studiosas operationes, easque a Deomet commendatas, ac remuneratas in hac vita, ut diximus in thesi 41. & 48. & pluribus in locis advertit Augustinus, præsertim lib. contra Mendacium cap. 15. ubi habet: *Quod scriptum est, bene Deum fecisse cum Hebræis obstetricibus, & cum Rahab Hierichuntina meretrice, non ideo factum est, quia mentitæ sunt, sed quia in homines Dei misericordes fuerunt*. Quod si virtutes inferioris notæ Deus commendat, ac remuneratur; quanto magis Deo grata erit, etiam Ethnicorum, oratio, naturæ viribus elicita, in qua plures actus studiosi erga Deum exercentur, adorationis, humiliationis, fiduciæ, & similes? Sed longe gratior Deo est oratio fidelium impiorum viribus gratiæ elicita, quæ de se meritoria de congruo, ac impetratoria est novi auxilii superni, quo bene utatur peccator, quousque perveniat ad justificationem, juxta doctrinam Trident. sess. 6. cap. 6. Sic Lucæ 18. Publicanus ille, postquam oravit dicens, *Deus propitius esto mihi peccatori*, reversus est in domum justificatus: oratio enim, ac deprecatio peccatoris nata est non irritare, sed placare Deum iratum, ac misericordiam implorare simul, & obtinere. Quod si ea esset novum peccatum, deberet peccatoribus oratio Dominica inhiberi, quia omnes præceptis salutaribus moniti, & divina institutione formati audemus Patrem nostrum exorare, ut dimittat nobis debita nostra. Et filius prodigus decernens petere humiliter a Patre, ut faceret se tanquam unum de mercenariis suis, non ad misericordiam illum commovisset, quin potius ejus iracundiam excitasset, si verum esset, quod impiorum oratio sit nova culpa, & quod Deus illis concedit, sit novum in eos judicium. Ex quo etiam fieret, quod peccator in Sacramento Pœnitentiæ deberet se accusare, quod a Deo auxilium postulasset ad evadendas dæmonis insidias, & ad veniam delictorum exorandam. Quo quid absurdius dici, aut fingi potest? Illud hic mirari non desinam, quod cum tam enormiter Janseniani desipiant, adhuc tamen tot, ac tamdiu suos habent Asseclas.

Adversus hæc objectant passim, quod oratio appelletur victima labiorum, juxta illud Oseæ 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum;* victimæ autem, si offerantur ab impiis, non sunt acceptæ coram Deo; dicitur enim Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles Domino*: ergo oratio impiorum non est accepta Deo, sed abominabilis, & peccaminosa. At contra est, quia illæ duntaxat victimæ impiorum sunt abominabiles, quæ sunt impiorum qua talium, seu quæ procedunt ex pravo affectu, ac intentione, atque adeo cum scelere, non vero quæ sunt quidem impiorum, ordinantur tamen ad placandum Deum iratum, qualis est oratio impii directa ad petendum a Deo auxilium ad resurgendum.

PROPOSITIO LX.

Si solus supplicii timor animat pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ducit ad desperationem. *Quesnell. Matth. 27. 5. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXI.

Timor nonnisi manum cohibet, cor autem tamdiu peccato addicitur, quamdiu ab amore justitiæ non ducitur. *Quesn. Luc. 20. 59. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXII.

Qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ, illud committit in corde suo, & jam est reus coram Deo. *Quesn. Matth. 21. 46. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXIII.

Baptizatus adhuc est sub lege, sicut Judæus, si legem non adimpleat, aut adimpleat ex solo timore. *Quesnel. Rom. 6. 14. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXIV.

Sub maledicto legis nunquam fit bonum, quia peccatur sive faciendo malum, sive illud nonnisi ob timorem evitando. *Quesnel. Gal. 5. 18. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXV.

Moyses, Prophetæ, Sacerdotes, & Doctores Legis mortui sunt absque eo quod ullum Deo dederint Filium, cum non effecerint nisi mancipia per timorem. *Quesn. Marc. 12. 19. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXVI.

Qui vult Deo appropinquare, nec debet ad ipsum venire cum brutalibus passionibus, neque adduci per instinctum naturalem, aut per timorem, sicuti bestiæ, sed per fidem, & per amorem, sicuti filii. *Quesn. Hebr. 13. 20. edit. 1693.*

PROPOSITIO LXVII.

Timor servilis non sibi repræsentat Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem. *Quesn. Luc. 19. 21. edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. Dum retrahit nos Quesnellus a timore servili, retrahit pariter a charitate, ad quam timor manuducit.

II. Non semel consimiles harum thesium errores a Pontificibus, & a Conciliis confixi sunt.

III. Solus timor servilis formaliter est vitiosus, utpote retinens affectum ad culpam, non tamen servilis materialiter, nedum initialis, aut filialis.

IV. Timorem servilem esse rectum, & supernaturalem ostendunt Scripturæ, & Tridentinum.

V. Esto non procedat ex amore charitatis.

VI. Nec sit Initialis imbibens aliquem charitatis affectum, sed sit pure servilis.

VII. Est quippe charitatis ostiarius, & manuductor.

VIII. In eo actu neque ex parte objecti materialis, neque ex parte formalis apparet turpitudo.

IX. Dum odio habetur peccatum ex timore pœnarum, non excluditur objectum præstantius charitatis, sed ab eo præscinditur.

X. Congeruntur plures Theologicæ ratiocinationes suadentes rectitudinem timoris servilis.

XI. Si odium peccati ortum ex metu esset secundum quid involuntarium, per hoc quod includeret aliquem affectum liberum erga illud, proculdubio esset peccaminosum; secus vero si solum includat aliquem affectum inefficacem, & non liberum; & in hoc casu attritio non dicitur esse coacta.

XII. Quamvis requireretur actus amoris erga justitiam, ad hoc ut odium injustitiæ sit virtuosum; at amor hic justitiæ non deberet oriri ex charitate.

XIII. Judæi legem implebant ex timore pœnæ mundano involvente affectum erga culpam, non ex timore servili, & supernaturali.

XIV. Detestatio peccati ob timorem pœnæ fert quidem amorem sui, sed non inordinatum; & quamvis eo actu magis odio habeatur pœna, quam culpa, non inde fit, quod cessante timore pœnæ, haberetur affectus ad culpam.

XV. Hinc omnes, & singulæ istæ theses corruunt.

I. Timorem servilem in hisce Thesibus tanquam hostem virtutis teterrimum repræsentat Quesnellus, vim inferentem, & coactionem, quæ aditum aperiat desperationi. Illum vult peccato cor addicere, si sejungatur ab amore justitiæ; & reatum coram Deo habere pedissequum, quamvis a culpa animum avocet, per hoc quod non avocet ex motivo charitatis. Christifidelem æque ac Judæum docet esse sub lege, non vero sub gratia, si metu duntaxat pœnæ ad legem implendam adducatur; ut proinde quamvis sit sub lege gratiæ, quæ amorem justitiæ postulat, adhuc videatur esse sub servitute peccati, seu sub lege, in qua maledictum, & peccatum dominabatur, (ut explicavimus ex Augustino in thesi septima) eo quod timore duntaxat pœnæ homines cogebat ad legis observantiam; quamobrem peccarent tam faciendo malum, quam illud nonnisi ob timorem evitando. Negat Moysen, & Prophetas, ac legis scriptæ Doctores ullum induxisse ad Dei filiationem adoptivam, & ad obtemperandum divinis mandatis ex amore filiali, putans omnes, quotquot ad legis observantiam comminationibus, ac flagellis perterriti inducerentur, eos tanquam mancipia timore servili, non filiali, atque adeo non sine culpa voluisse culpam declinare, ac legem implere; quinimo tanquam belluas potius ob timorem, non tanquam filios per fidem, & amorem ad Deum appropinquasse; Timor quippe servilis sub oculos hominum ponit Deum velut sagittas jaculantem, & fulmina intorquentem, immitem, illacrymabilem, & injustum. Hæc omnia Quesnellus congerit adversus timorem servilem, perinde quasi velit ad filialem Dei dilectionem nos allicere. At revera retrahendo nos a timore indivisim nos pariter retrahit ab amore, cum ille ad hunc manuducat, & raro admodum eveniat, ut ad aulam charitatis aliunde pateat aditus, quam per ostium timoris: cum dicatur Eccles. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus*. Dum autem Quesnellus docet, timorem compellendo ad pœnitentiam inducere in desperationem, ipse fucatis istis persuasionibus homines inducit ad desperandum. Cum enim ex una parte instanter inculcet, neminem per viam timoris incedere, nisi gressibus peccaminosis, qui ducunt ad perditionem; & aliunde via dilectionis, quæ ad salutem ducit, editissima sit, & sui abnegationem exposcat, quid superest homini, quam ut in barathrum desperationis sponte se conjiciat? Præsertim quia juxta doctrinam harum thesium charitas non confertur a Deo volentibus, conantibus, laborantibus, orantibus, sed iis duntaxat, quos Deus ad arbitrium voluit in syllabum Electorum ascribere; neque enim est in manu voluntatis gratiam efficere efficacem, sed in manu Dei illam conferre citra ullam voluntatis cooperationem,

ut di-

ut dicitur in thesi vigesimaprima, & sequentibus.

II. Quod admirationem non levem hac in re excitat, illud est, quod cum proscripta fuerit paucis ab hinc annis ab Alex. VIII. thesis illa 14. dicens, *Timor gehennæ non est supernaturalis*; necnon decimaquinta dicens: *Attritio, quæ ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*; Cum tam diserte Tridentinum anathematizaverit seff. 14. Can. 5. *qui dixerit, dolorem ex gehennæ metu conceptum non esse utilem, & ad gratiam non præparare*; necnon seff. 6. Can. 8. *qui dixerit, gehennæ metum, per quem ad Dei misericordiam de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere*; adhuc tamen in hisce thesibus errores isti toties damnati, & ad vivum exusti iterum reviviscant: perinde quasi triumphum reportent Janseniani, si adversus tot Pontificis ex Cathedra loquentis definitiones, & adversus Œcumenici Concilii Tridentini Canones adversa fronte pugnam committant. Quis autem nisi mentis impos adversus Ecclesiæ dogmata ausit militare?

III. Ut autem ostendam futiles esse, ac umbratiles ratiocinationes, quibus Adversarii conantur errores harum thesium propugnare, paucis ostendam prius timorem servilem non solum vacare culpa, sed etiam esse laudabilem, & timorem gehennæ esse supernaturalem, ut diximus ex thesi decima quarta proscripta ab Alexandro VIII. Quod ut rite percipiatur, advertendum censeo ex D. Thoma 2. 2. quæst. 19. art. 2. Timorem dividi in filialem, initialem, servilem, ac mundanum: Quos omnes sic explicat Doctor Angelicus. *Cum objectum timoris sit malum, quandoque homo propter mala, quæ timet, a Deo recedit, & iste dicitur Timor humanus, vel mundanus: Quandoque autem homo propter mala, quæ timet, ad Deum convertitur, & inhæret: quod quidem malum est duplex, scilicet malum pœnæ, & malum culpæ. Si ergo aliquis convertatur ad Deum, & ei inhæreat propter timorem pœnæ, erit timor servilis. Si autem propter timorem culpæ, erit timor filialis, nam filiorum est timere offensam Patris; si autem propter utrumque, est timor initialis, qui est medius inter utrumque timorem*. Impræsentiarum autem agendum de timore servili, quo quis culpam fugit, ne pœnam incurrat, non quatenus culpam vellet, si abesset pœna; nam hujusmodi timor procul dubio est peccaminosus, utpote imbibens affectum ad culpam; (quicquid sit utrum talis timor dicatur Mundanus, quatenus vi talis timoris homo res mundanas amans a Deo recedit actu interno peccaminoso, an vero Servilis in quantum servilis, ut loquitur Angelicus 2. 2. qu. 19. art. 4., quia scilicet vi illius solum pœna timetur, quin ullatenus ametur justitia) sed quatenus præcise is timor adhibetur tanquam medium ad culpam fugiendam; & hunc non solum vacare culpa, sed etiam esse actum supernaturalem, si procedat a lumine supernaturali, docent Catholici contra Jansenianos. Dicitur autem timor hic procedere a lumine supernaturali, quoties lumine naturali non potest attingi malum, quod timetur, ut est gehenna, & quævis pœna ut procedens a Deo culparum vindice; propterea ex Trid. seff. 14. cap. 4. Attritio, quæ ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, dicitur esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsus, qui ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ disponit, ac propterea est actus bonus, & supernaturalis; cum non possit ad gratiam, quæ est supernaturalis, disponere, nisi actus supernaturalis, eo quod in eodem genere debeat esse dispositio, & forma.

IV. Ostenditur autem, quod hic timor servilis sit bonus, & rectus, quia passim in Scripturis Deus hunc timorem incutit, ut homines a culpa removeat, illumque commendat: ergo adhibere hujusmodi medium ad culpam fugiendam de se est bonum; esto medium præstantius sit proponere bonitatem divinam, quæ per culpam offenditur, ut ex amore Dei a culpa fugiamus. Antecedens constat. Nam Lucæ 13. dicitur: *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Lucæ 12. *Ostendam autem vobis, quem timeatis: timete eum, qui postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam: ita dico vobis, hunc timete*. Psal. 118. *Confige timore tuo carnes meas, a judiciis enim tuis timui*. Malach. 1. *Si ego Pater, ubi est honor meus? & si Dominus, ubi est timor meus?* Eccles. 25. *Timor Dei initium dilectionis ejus*. Prov. 14. *Timor Dei fons vitæ, ut declinent a ruina mortis*. Cum autem in his, & aliis plurimis Scripturæ locis modo timor Dei Vindicis commendetur, modo ad timorem gehennæ, & pœnarum homines cohortentur, modo timor a Deo nobis misericorditer conferri dicatur, manifestum est, illum esse rectum, & laudabilem, & si procedat a fidei lumine, esse supernaturalem, ac meritorium, non vero vitiosum. Quod pariter ostendunt verba laudata Tridentini appellantis illum, Donum Dei, ac Spiritus Sancti impulsum. Et in eadem seff. 14. Can. 5. definit Concilium, dolorem peccati conceptum ex consideratione pœnarum Inferni esse utilem, ac præparare ad gratiam: quæ omnia luculenter indicant timorem servilem non esse vitiosum, sed laudabilem, esto perfectior sit timor filialis.

V. Neque dicant primo Heterodoxi, ex his Scripturæ, & Tridentini locis solum inferri, quod sit bonus, & rectus timor pœnarum, qui ex amore charitatis procedit, & in Deum tanquam in ultimum finem refertur, non vero timor pure servilis, qui nullatenus ex amore charitatis ad Deum dirigatur: Ad eum modum quo ex doctrina Augustini actio naturalis comedendi, alendi filios, & similes, si referatur ad Deum, est actio recta, & laudabilis; secus vero si destituatur tali relatione.

Nam hoc ipsum est, quod Tridentinum damnat adversus Lutherum: qui solum negabat timorem pure servilem esse donum Dei, non vero timorem pœnarum ortum ex affectu charitatis. In Epist. enim ad Sulpicium hæc habet Lutherus: *Pœnitentia vera non est, nisi quæ ab amore justitiæ, & Dei incipit, & hoc est principium pœnitentiæ*. Et eandem rationem sui erroris reddit Lutherus in serm. de Pœnitentia, quam adducunt nunc Janseniani: quia scilicet *quo magis timore pœnæ, & dolore damni homines conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse*. Quare in his thesibus idem error olim a Tridentino damnatus iterum recuditur. Constat autem ex verbis laudatis tum Scripturarum, tum Tridentini, approbari timorem, & dolorem ortum a consideratione pœnarum, nulla facta mentione charitatis; atque adeo secundum se timor servilis,

vilis, etiam sejunctus a charitate, culpa vacat, & est Dei donum. Præsertim quia in loco laudato Ecclesiastici hujusmodi timor dicitur aperte esse initium dilectionis; quod si ex charitate procederet, charitas, quæ illum imperat, esset initium timoris, & non e converso timor initium charitatis. Et Trident. seff. 6. cap. 6. docet hoc idem verbis illis: Peccatores *a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Quare vocatur utilis timor servilis, & simul dicitur esse initium dilectionis, unde non profluit a charitate, sed viam munit ad illam. Præterquamquod si timor servilis secundum se esset vitiosus, non posset a charitate imperari, & ad Deum referri; cum non possit actus in se malus ex amore Dei diligi, ac in Deum referri. Possunt solum referri in Deum actiones illæ natura sua rectæ, (videlicet actio alendi filios, ac vitam conservandi) quippe quæ non sunt malæ per hoc præcise, quod non referantur ad Deum actu, & formaliter, ut diximus in expositione thesis 53. ex eodem Augustino; cum satis sit quod natura sua, implicite & virtualiter ob earum honestatem ad Deum referantur; sunt tamen malæ, si non referantur ad Deum, & simul positive referantur ad finem pravum.

VI. Neque dicant secundo, Scripturas, & Tridentinum loqui de timore filiali, aut saltem initiali, quo possumus ex charitate utrumque simul horrere, ac fugere, videlicet Dei offensam, & gehennam.

Nam recurrunt eædem responsiones modo allatæ, quod solum mentio ibi fiat de timore pœnarum; & solus hic timor dicebatur vitiosus a Luthero, quem damnat Tridentinum. Præterquamquod Apostolus ad Roman. 8. loquens de utroque amore servili, & filiali, utrumque dicit esse donum Dei; hæc enim habet: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum*: ubi Glossa addit: *Unus spiritus est, qui facit duos timores, servilem, & castum*. Hinc D. Bonavent. l. 5. de Grat. Sanctific. c. 4. dicit: *Timor servilis donum Spiritus Sancti est, nec tamen est cum Spiritu Sancto, sicut aurora est a Sole, nec tamen cum Sole est. Timor servilis Spiritui Sancto locum præparat, & eum, sicuti seta filum, introducit*. Et Augustinus de verbis Apostol. serm. 13. habet: *Timor servus est charitatis. Ne possideat diabolus cor tuum, præcedat servus in corde tuo, & servet Dominæ venturæ locum: fac vel timore pœnæ, si nondum potes amore justitiæ*. Et ser. 18. de verbis Domini cap. 12. *Adhuc timor ille servilis est, custos quidem malorum, ut abstineant se a malis, & abstinendo digni sint ad se admittere charitatem*. Quomodo autem poterit dici malus timor, qui est ostiarius charitatis, quæ regina virtutum est, & ad illam homines introducit? ita tamen introducit, ut deinde a charitate expellatur, non quidem ut malus, sed ut minus bonus, ac perfectus; dicitur enim 1. Joa. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem*. Hinc Aug. serm. 14. de Tempore habet: *Cum per timorem pœnæ bona vita retinetur, per bonam vitam bona conscientia comparatur, ut per bonam conscientiam nulla pœna timeatur. Quapropter discat timere, qui non vult timere*. Et idem S. Doctor tradit, Apostolum per timorem servilem transiisse ad perfectam charitatem; siquidem prius fuit timore perterritus, quando prostratus divina virtute, tremens, ac stupens exclamavit Act. 9. *Quid me vis facere?* & sic deinde ad Deum diligendum secluso timore gradum fecit. Hæc sunt verba Augustini epist. 50. *Quem major timor compulit ad charitatem, ejus perfecta charitas foras misit timorem*. Charitas autem non expellit timorem filialem; nam de hoc timore dicitur Ps. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*; sed timorem servilem, utpote cum perfecta dilectione incongruum, licet sit introductorius ad illam.

VII. Adde, vix accidere, ut aliquis ad Deum convertatur, nisi prius aliquo timore perterrefiat: quod advertit Augustinus de catechizandis rudibus cap. 5. dicens: *Rarissime accidit, immo vero nunquam, ut quisquam veniat volens fieri Christianus, qui non sit aliquo timore Dei perculsus*. Et propterea Cyprianus l. 3. ad Quirinum cap. 10. dicit: *Fundamentum, & firmamentum fidei, ac spei esse timorem*. Quis autem dixerit illum esse malum, a quo tam ingentia bona promanant? & quomodo dici poterit, quod a charitate procedat, si deservit charitati, ad illam introducit, & ab eadem expellitur, non quia malus est, sed quia cum perfecta dilectione non cohæret? non secus ac fides in patria expellitur a visione Dei, non quia fides non sit virtus, & quidem Theologalis, sed quia nequit cum Dei visione habere contubernium. Unde Basilius in Ps. 32. dixit: *Necessario velut introductorius ad pietatem timor assumitur: dilectio vero deinceps succedens a timore scientifico adoptatos perficit*.

VIII. Nec solum luculentis, ac innumeris auctoritatibus, sed rationibus etiam Theologicis demonstratur bonitas, & rectitudo timoris servilis, quo quis a culpa refugit ex hoc duntaxat motivo, ne pœnam incurrat: secluso tamen affectu illo pravo, quod culpam amaret, si pœnam non haberet pedissequam. Et primo quidem a priori, quia in odio peccati ex motivo declinandi gehennam neque apparet turpitudo ex parte objecti materialis, cum sit conforme rationi, ac divinæ legi peccatum odisse: neque ex parte objecti formalis, & motivi: quia rationi pariter, & consiliis, ac admonitionibus divinis consentaneum est, quod ab ira Dei vindicis, & a gehenna refugiamus: quoties autem actus honestatem habet, & naturæ dictamini concordat tum ex parte objecti materialis, tum ex parte objecti formalis, non potest non esse rectus, & studiosus: ergo hujusmodi est timor servilis.

IX. Neque dicant Janseniani, quod detestans culpam præcise ad vitandam pœnam hoc ipso habeat affectum ad culpam, & idcirco timor servilis sit peccaminosus.

Nam hoc assumptum est omnino gratuitum, & falsum: potest quippe voluntas odisse, aut amare aliquod objectum ex uno motivo, & solum præscindere ab alio, quin illud positive excludat: v. g. potest quis detestari peccatum ob ingratitudinem erga Christum redemptorem, præscindendo a motivo bonitatis divinæ, quæ per peccatum offenditur, quin tamen talis actus excludat positive hoc secundum motivum, & implicite dicat, si non daretur motivum redemptionis, non odissem peccatum ex motivo Divinæ bonitatis: ita pariter odio habens peccatum ob solum motivum gehennæ præscindit ab alio motivo proprio charitatis; unde

non

non dicit implicite, quod si non daretur gehennæ, non odio haberet peccatum ob motivum divinæ bonitatis; quoniam autem præscinditur ab hoc alio actu peccaminoso, ideo nulla turpitudo in eo primo actu continetur. Sicut enim in intellectu *Præscindentium non est mendacium*, juxta commune proloquium, ita in voluntate *Præscindentium non est malitia*. Sic fur, qui dum ducitur ad patibulum, detestatur furtum ob solum motivum suspendii, non peccat, si præscindat ab alio motivo, quod sit offensa Dei; peccaret autem, si illud excluderet positive, dicendo, quod non detestaretur peccatum ex motivo offensæ divinæ, si deesset suspendium. Sic etiam qui solvit debitum pauperi ex motivo justitiæ, non eatenus debet dicere, quod non conferret illi pecuniam ex motivo misericordiæ, si ea non deberetur ex justitia; cum possit ab hoc secundo actu præscindere.

X. Secundo, si timor servilis non est malus, quando imperatur a charitate, non est malus secundum se, cum non possit actus malus a charitate imperari, & sic evadere bonus.

Tertio, Si dolor ex solo motivo poenarum esset malus, non posset ultimo disponere ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ; quod autem disponat, negari non potest, cum sit actus supernaturalis, ut constat ex proscriptione thesis decimæquintæ facta ab Alexand. VIII. quæ habet: *Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis*.

Quarto, quia timor, qui elicitur a virtute spei Theologica, est bonus, & supernaturalis; hujusmodi autem est timor servilis, quo quis fugit culpam, ne incidat in gehennam; ergo. Probatur minor, quia virtuti spei competit elicere timorem de malo, quod opponitur bono illam specificanti, cum ad eandem virtutem, ad quam spectat prosequi bonum proprium, spectet etiam fugere a malo, quod bono proprio talis virtutis opponitur; atqui bonum specificans spem Theologicam est æterna beatitudo, & malum huic oppositum est gehenna: ergo ad eandem virtutem spei spectat & prosequi beatitudinem, & fugere a gehenna, atque adeo ob timorem gehennæ fugere a culpa, quæ ad illam inducit: Sicuti quia bonum, quod specificat charitatem, est Divina bonitas, prout est in se, & malum huic oppositum est offensa Dei, idcirco ad eandem virtutem charitatis spectat & amore prosequi divinam bonitatem, & fugere ab offensa Dei, atque adeo ob timorem filialem nolle Deum offendere. Quare sicut timor filialis spectat ad virtutem theologicam charitatis, ita timor servilis ad virtutem spei theologicæ; unde bonus est, & supernaturalis.

Quinto, quia potest quilibet ex timore gehennæ nolle simpliciter peccare, ut patet; atqui si timor iste esset peccaminosus, qui ex timore gehennæ nullum vult committere peccatum, deberet hunc ipsum timorem nolle, utpote peccaminosum, atque adeo vellet, & nollet hunc timorem servilem, quod repugnat.

XI. Opponitur primo, quia omnia, quæ ex timore fiunt, sunt involuntaria, ita ut cessante malo, quod timetur, non fierent; sicut projectio mercium ex timore naufragii est involuntaria, & coacta, & non poneretur, si naufragium non immineret: ergo qui fugit a culpa ex timore gehennæ, a culpa nollet recedere, si deesset gehenna, atqui hic actus est aperte peccaminosus; ergo timor servilis est peccaminosus. Antecedens docetur tum ab Angelico p. 2. qu. 6. art. 7. ubi dicit: *In eo, qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundum quod in se consideratur*: Tum ex Augustino in epist. ad Galat. ubi habet: *Timore ista implere cogebantur*. Et infra: *Qui per charitatem servit, libere servit, & sine miseria, obtemperans Deo cum amore, faciendo, quod docetur, non cum timore, quod cogitur*; quoties autem legis observantia est coacta, & involuntaria, non potest non esse peccaminosa.

Confirmatur, quia justitia, quæ ponitur ob timorem pœnæ, juxta phrasim Apostoli, dicitur esse justitia ex lege, quippe quæ ponitur ex metu legis perterrefacientis; atqui justitia, quæ est ex lege, est culpabilis; ergo timor inducens ad hanc justitiam culpabilem est pariter peccaminosus. Minor probatur. Ad Philipp. enim cap. 3. dicit Apostolus: *Secundum justitiam, quæ ex lege est, conversatus sine querela: Sed quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus sum propter Christum detrimenta*: significans contemnendam esse justitiam, quæ est ex lege, seu quæ fit ob timorem legis terrentis. Propterea notavit Fulgentius lib. de Incarn., & Grat. cap. 27. Cum in illa justitia, quæ ex lege est, sine querela conversaretur Apostolus, fuisse se impium non negat.

Respondeo, hunc ipsum fuisse Lutheri errorem, quod scilicet attritio ex solo metu concepta sit coacta, & involuntaria; hæc enim habet serm. de Pœniten. *Quo magis timore pœnæ conteruntur, eo magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse*. Adversus hunc errorem, Trident. sess. 14. c. 4. loquens de hac contritione, quæ dici solet attritio, decrevit in hæc verba: *Falso docent contritionem esse extortam, & coactam, non liberam, & voluntariam*: & can. 5. anathematizat, *qui dixerit, illum esse dolorem coactum, & non liberum, & voluntarium*. Quare dicendum dupliciter posse esse involuntarium, quod fit ex metu: primo quidem contra affectum actualem de se efficacem, & nobis liberum, ratione cujus voluntas vellet oppositum, si malum non immineret: secundo contra affectum inefficacem, & necessarium. Si primo modo quis doleat de culpa ob timorem poenæ, habendo affectum efficacem erga culpam, si deesset pœna, proculdubio peccat; & talis dolor dici solet absolute involuntarius, quatenus habetur affectus efficax, & liber objecti vetiti, seu culpæ, de qua habetur coactus dolor. Et de his actibus meticulosis dicit Angelicus, quod fiant coacte, & cum repugnantia voluntatis: At si secundo modo quis doleat non peccat; quia affectus ille inefficax, cum non sit liber, non potest imputari ad culpam: Nec talis dolor dicitur coactus, seu contra actum efficacem in oppositum; dicitur tamen esse involuntarius secundum quid, & voluntarius simpliciter, juxta doctrinam Angelici p. 2. qu. 6. art. 6. ubi cum Philosopho lib. 3. Et hic cap. 1. docet omnia, quæ ex metu fiunt, esse simpliciter voluntaria, & solum secundum quid involuntaria ratione affectus inefficacis, & inevitabilis erga bonum oppositum malo, quod imminet. Nihilominus potest aliquid fieri ex metu, ita tamen, ut nec fiat coacte, nec actus sit involuntarius ullo pacto, neque secundum affectum effi-

efficacem, & liberum erga bonum oppositum, neque secundum affectum inefficacem, & naturaliter consurgentem, atque adeo non liberum; & hoc accidit quoties aliquid ita fit ex metu, ut tamen in tali operatione nulla sit difficultas, & molestia, nec inclinatio in oppositum; ut si quis ex metu v. gr. gehennæ detestetur peccatum, ad quod tamen nullam habet inclinationem, ut proinde in tali detestatione nullam patiatur molestiam, & nullus consurgat affectus inefficax in oppositum. Cæterum sive detestatio culpæ ex metu gehennæ fiat sine tali affectu inefficaci in oppositum, & sit omnimode voluntaria, sive fiat cum tali affectu inefficaci non libero, & sit secundum quid involuntaria, nunquam tamen dicitur esse coacta, cum non fiat contra actum efficacem liberum in oppositum. Immo nonnemo docet illa tantum, quæ fiunt ex metu, dici involuntaria secundum quid, quæ sunt coacta, seu contra actum efficacem, & liberum, non contra actum inefficacem, & naturalem in oppositum; & quod in tantum quæ fiunt ex metu dicantur universim esse involuntaria secundum quid, in quantum ut plurimum fiunt cum actu libero in oppositum; Sicut qui projicit merces ex metu naufragii, positive nollet eas projicere, si naufragium non immineret. Sed quicquid sit de hoc, illud certum est, quod actu positivo in oppositum carere debeat attritio ex metu gehennæ, & pœnarum præcise concepta, quam Tridentinum definit non esse extortam, & coactam, sed liberam, & voluntariam, & quæ est actus bonus, & supernaturalis; esset tamen coacta, & peccaminosa, si staret cum affectu libero ad culpam, quam vellet patrare, qui illam detestatur, si non daretur gehenna.

Ad confirmationem, justitia, & legis observantia, quæ ponitur ex lege perterrefaciente, tunc solum stat cum injustitia interna, quando est coacta, & cum actu efficaci, & libero, quod nollet homo legem servare, si posset declinare pœnas a lege indictas adversus inobservantes; cujusmodi ut plurimum erat justitia Judæorum, qui erant sub peccato legis, hoc est quibus peccatum dominabatur. Quod si desit hic affectus liber in oppositum, justitia non potest non esse laudabilis; nec dicitur esse coacta, quamvis ex metu pœnæ præcise ponatur, & non ex motivo charitatis.

XII. Opponitur secundo, quia ad tollendam perversam voluntatem peccandi, & affectum erga culpam requiritur amor justitiæ ortus ex charitate; hic tamen non habetur, quoties quis ex præciso metu pœnæ culpam detestatur: ergo per talem actum non tollitur, sed fovetur affectus erga culpam. Antecedens probatur ex Augus. lib. 3. contra advers. Legis, & Prophet. cap. 7. ubi habet: *Desiderium peccandi non extinguitur, nisi contrario desiderio recte faciendi, ubi fides per dilectionem operatur.* Et similiter infra habet: *Desiderium peccati per prohibitionem non extinguitur per jubentem literam timore pœnæ, sed per juvantem Spiritum dilectione justitiæ.* Et alibi non semel docet, quod timor non tollat, sed premat tantum cupiditatem peccandi; ut proinde necessarius sit amor justitiæ, ut animus a peccati amore avertatur.

Confirmatur, quia idem August. lib. de spir., & lit. cap. 8. docet, iram Dei exarsisse tam adversus Judæos, qui legem violabant, quam adversus illos, qui legem implebant; quia solum implebant timore pœnæ, non amore justitiæ. Hæc sunt verba S. Doctoris; *Qui & quicunque faciebant, quod lex jubebat, non adjuvante Spiritu gratiæ, timore pœnæ faciebant, non amore justitiæ; ac per hoc coram Deo non erat in voluntate, quod coram hominibus apparebat in opere, potiusque ex illo rei tenebantur.* Respondeo, quod licet requireretur ad tollendum affectum erga culpam aliquis amor justitiæ; at non per hoc debet esse amor Dei ortus a charitate infusa; cum sufficiat aut amor justitiæ ortus a virtute spei (quatenus timor gehennæ promanat ab amore boni oppositi, quod est æterna beatitudo, quæ est spei Theologicæ objectum formale) aut amor justitiæ, seu quilibet actus virtuosus, quo justitiam, seu legis observantiam diligimus. Et quamvis aliquando Augustinus dicat requiri amorem charitatis; nihilominus nomine charitatis sæpe venit quilibet affectus erga virtutem, quamvis non sit elicitus a virtute Theologica charitatis, ut diximus in expositione thesis 44. Cæterum falsum est, quod ad eliciendum actum odii erga peccatum ex timore pœnæ requiratur actus formalis amoris erga justitiam; potest siquidem odium peccati excitari aut ex consideratione propriæ malitiæ, quæ in culpa reperitur, aut ex consideratione pœnæ, quam trahit, quin ponatur amor absolutus, & efficax boni oppositi, ut communius Theologi docent: Sicut ex opposito potest voluntas amare Deum, quin simul debeat ponere odium formale peccati oppositi bonitati Divinæ, quemadmodum enim amor Dei continet tantum virtualiter odium peccati, ita odium peccati potest continere solum virtualiter amorem justitiæ, & hujusmodi virtualis amor justitiæ, inclusus in detestatione peccati orta ex amore gehennæ, sufficit in Sacramento Pœnitentiæ ad peccatum delendum.

Ad argumentum itaque nego antecedens. Ad probationem; Augustinus ibi requirit dilectionem justitiæ, seu charitatem late sumptam; non quidem ut tollatur desiderium peccandi simpliciter, & absolute, sed ut tollatur, ac deponatur firmiter, & constanter; nisi enim actu positivo tendamus aut in Deum, aut in justitiam, facile cupiditas peccandi redit in pristinum.

XIII. Ad confirmationem, idcirco Dei ira exarsit adversus Judæos, qui legem implebant ex timore pœnæ, quia implebant cum affectu positivo ad culpam, si pœna abfuisset: & ideo nec formalis, nec virtualis amor justitiæ erat in ea legis observantia coacta, sed potius amor, & affectus erga inobservantiam, quam vellent ponere, si possent pœnam declinare; unde apud Deum erant potius rei, quam justi; quamvis exterius legem implerent.

XIV. Opponitur tertio: Detestans culpam ob timorem pœnæ inordinate operatur; ergo peccaminose. Antecedens probatur; primo, quia talis pœnæ timor non oritur ex amore Dei, sed ex amore sui; atque adeo timens respicit seipsum tanquam ultimum finem; unde Augustinus tract. 9. in Epist. Jo. habet: *Ille timor, ne in ignem æternum mittaris cum diabolo, non est castus; non enim venit ex amore Dei.* Secundo, quia per talem actum homo magis odit pœnam, quam culpam; siquidem *Propter quod unumquodque tale, & illud magis*: atqui hic affectus est inordinatus; tum quia non detestatur culpam super omne malum, si magis odit pœnam, quam culpam; tum etiam quia non detestatur magis, quod est magis odibile; tum demum, quia sic detestans culpam implicite dicit, si deberet

beret alterutrum vitari, potius vitarem poenam, quam culpam: Sicuti qui assentitur conclusioni propter præmissas, implicite dicit, quod si alterutrum esset negandum, neganda prius esset conclusio, quam præmissæ, cum propter præmissas detur assensus conclusioni.

Respondeo actum illum non esse inordinatum, sed ordinatissimum; cum ordinetur ad vitandam gehennam, quam quilibet vitare tenetur, ut possit assequi suum ultimum finem. Ad primam probationem: quamvis timor ille immediate oriatur ex amore sui; at non proinde talis amor est inordinatus, aut reponens in creatura ultimum finem; satis enim est, quod sit referibilis ad Deum, tanquam ad finem positive ultimum. Augustinus solum negat, quod talis amor sit castus, hoc est filialis, & procedens ex amore Dei, sed non propterea vult esse vitiosum; cum ibidem dicat, illum in charitatem introducere, & esse initium Sapientiæ; tunc autem non esset simpliciter castus, quando ita detestaretur culpam ob timorem poenæ, ut affectu libero vellet culpam, si abesset poena. Ad secundam probationem, quamvis illo actu magis homo odio habeat poenam, quam culpam, adeo ut cessante hoc motivo poenæ, hic & nunc non detestaretur culpam; at non propterea fit, quod cessante motivo poenæ vellet peccare, ut recte advertit Suar. apud Lugo disput. 5. de Poenitentia n. 158. Ad eum modum quo si quis inserviat Regi propter mercedem, non dicitur eatenus, quod cessante motivo mercedis nollet Regi inservire. Sicut autem non peccat, qui solum odit gehennam, &' nullo modo hic & nunc odit peccatum: ita nec peccat, qui hic & nunc utrumque odit, sed odit magis gehennam, quam peccatum, dummodo non velit potius declinare gehennam, quam peccatum. Verum quidem est, quod peccatum sit dignum odio super quodvis odibile; at non semper tenemur odisse illud, nec semper tenemur odisse illud odio magis intenso, quam odio habeamus aliud malum: cum satis sit, quod detestans peccatum propter poenam non odio habeat peccatum tanquam minus malum, quam sit poena; quamvis illud hic & nunc minus odio habeat, quam poenam. Si enim non est vitiosum odium solius poenæ sine ullo odio peccati, neque est vitiosum odium majus poenæ, ubi habetur minus odium peccati; dummodo peccatum non odio habeatur tanquam minus malum, quam sit poena.

Præterea falsum est, quod odio habens magis poenam hic & nunc, quam peccatum, debeat esse cum ea præparatione animi, ut si alterutrum esset declinandum, magis vellet declinare gehennam, quam peccatum: Sicuti qui inservit Regi propter mercedem, quamvis hic & nunc magis hoc actu amet mercedem, quam Regem, non proinde implicite dicit, quod si alterutrum esset contemnendum, prius contemneret Regem, quam mercedem. Ad paritatem de actu conclusionali dicendum, quod si ad assentiendum conclusioni nullum aliud daretur motivum præter præmissas, bene inferretur, quod si alterutrum deberet negari, potius negaretur conclusio, quam præmissæ, posito quod propter præmissas præstatur conclusioni assensus; at si daretur aliud motivum ad affirmandam conclusionem, non sequitur, quod intellectus deberet potius conclusionem negare, quam præmissas; cum posset ob præstantius aliud motivum affirmare conclusionem negatis præmissis. Similiter in casu nostro: si deesset aliud motivum ad detestandum peccatum præter gehennam, optime inferretur, quod detestans peccatum propter gehennam, si alterutrum tantum deberet declinare, potius vitaret gehennam, quam peccatum; at quia potest ex alio motivo præstantiori, puta Bonitatis divinæ, odio haberi peccatum, ideo detestans peccatum propter gehennam posset velle peccatum odisse propter motivum præstantius Bonitatis divinæ, si non daretur gehenna; unde in detestatione peccati propter gehennam ne implicite quidem continetur ille affectus peccaminosus, quod potius vitaretur gehenna, quam peccatum, si solum deberet alterutrum declinari.

XV. Ex hactenus dictis constat primo non posse dici, quod si solus supplicii timor animat poenitentiam, hæc aut sit violenta, seu coacta, aut inducat in desperationem. Ostendimus enim, attritionem conceptam ex solo motivo poenarum non esse coactam, sed liberam, ac plene voluntariam, ut adversus Lutherum a Tridentino definitum est; nec solum non inducere ad desperationem, sed natura sua introducere ad Dei amorem, & charitatem: Quin potius ad desperandum incitaretur homo, si non posset aliter salutem consequi, quam per charitatem, ad quam non posset se per actus prævios supernaturales disponere, & quæ nullatenus esset in manu voluntatis, sed ex mero Divino arbitrio danda esset unice Electis, prout contendit Quesnellus.

Nequit etiam secundo dici, quod timor solum manum a peccato cohibeat, non cor; seu solum actiones exteriores legi conformet, interior tamen voluntas sit culpabilis, si non ducatur ab amore justitiæ, ac in Deum summe dilectum omnia referat. Ostendimus enim vacare culpa, & esse Dei donum, ac impulsum Spiritus Sancti, atque adeo esse actum supernaturalem, timorem poenæ cognitæ lumine superno; nec requiri, quod actu charitatis, & probabiliter nec requiritur quod alio actu virtutis infusæ justitia ametur, ut sit supernaturalis, ac meritoria detestatio peccati ex metu gehennæ.

Nequit pariter dici tertio, quod peccet, & sit reus coram Deo, qui abstinet a malo ductus timore poenæ; aliter, ut ostendimus, non posset quis ex metu gehennæ ab omni culpa abstinere; siquidem non posset abstinere ab hac ipsa culpa, quam tunc committeret, si verum haberet sententia Janseniana.

Nequit dici quarto, quod baptizatus non sit sub gratia, sed sit sub lege, sicut Judæus; ita scilicet, ut peccatum, & non gratia illi dominetur, si legem non impleat, aut illam impleat ex solo timore. Ratio est, quia cum baptizatus sit sub gratia, non solum affluenter haurit in gaudio aquas, seu gratias actuales de fontibus Salvatoris, sed etiam de facili potest per attritionem cum Sacramento Poenitentiæ recuperare gratiam sanctificantem. Quare cum possit per gratiam, quæ in lege Evangelica datur copiosa, expugnare, si velit, necessitatem moralem ad peccandum, non dicitur esse sub lege, ut Judæus, qui sæpe coacte, & cum affectu ad culpam legem perterrefacientem implebat; juxta illud Augustin. lib. de Grat. & Lib. Arbitr. cap. 12. ubi docuit, dominari peccatum iis, qui erant sub lege, non vero iis, qui erant sub gratia, dicens:

Pec-

Peccatum vobis non dominabitur; *non enim estis sub lege*, *sed sub gratia*. Et in Epist. ad Roman. n. 12. habet: *Sub lege pugnamus*, *sed vincimur*; *fatemur enim mala esse*, *quæ facimus*, *& fatendo mala esse*, *utique nolumus facere*, *sed quia nondum est gratia*, *superamur*.

Nequi dici quinto, quod sub maledicto, seu peccato legis, videlicet sub lege, in qua maledictum dominatur, nunquam fiat bonum, & quod peccetur etiam quando malum vitatur ob timorem pœnæ. Etenim, ut ostendimus in thesi sexta, & septima, etiam multi eorum, qui sub lege erant, bonum operabantur Deum diligendo ex toto corde, & bonum plurimi operabantur implendo legem ob timorem pœnæ, sed sine affectu ad culpam, atque adeo sine animo legem non implendi, si posset pœna declinari.

Nequit dici sexto, quod Moyses, & alii Prophetæ nullum Deo dederint dilectorem, ac filium adoptivum per gratiam sanctificantem, & quod solum tanquam mancipia homines ad legem implendam cogerent per timorem. Ratio est eadem, quia nisi multi ex Judæis Deum dilexissent, quomodo potuissent multi salutem consequi, & Christum Dominum in Ascensione sua ad cœlum comitari? Quis autem somniare poterit, quod sine comitatu consentaneo, atque adeo ingenti, præsertim Judæorum, quos Deus præ aliis dilexit, Christus mortis, & peccati triumphator cœlum conscenderit? Deinde plurimi etiam ex Judæis per timorem pœnæ bonam, & supernaturalem viam sibi muniebant ad dilectionem. Quare non omnes ducebantur tanquam mancipia timore pœnæ culpabili imbibente affectum ad transgressionem legis, si pœna deesset. Hoc autem ex eo fit perspicuum, quod Joannes cap. 7. Apocalypsis recenseat ex qualibet tribu filiorum Israel duodecim milia signatorum, qui reipsa ad cœlestem Jerusalem pervenerunt; additque se postea vidisse *turbam magnam*, *quam dinumerare nemo poterat*, *ex omnibus gentibus*, *& tribubus*, &c. *stantes ante thronum in conspectu Dei*, *& Agni*. Et Augustinus lib. 3. ad Bonifac. cap. 4. ubi refert calumniam sibi impositam a Pelagianis, quod Judæis gratia sufficiens denegata fuisset, (ut nunc docent Jansеniani) ostendit exemplo Sanctorum Patriarcharum, & Prophetarum, tanquam notiori, omnes justos illius temporis, necnon justos, qui fuerunt in Lege naturæ, tanquam filios promissionis, non ex lege, sed ex fide in Christum Dominum gratiam per eundem Christum obtinuisse, ut salvarentur, dicens: *Sive igitur Abraham*, *sive ante illum Justi*, *sive post eum usque ad ipsum Moysen*, *sive cæteri Prophetæ post eum*, *& Sancti homines Dei*, *usque ad Joannem Baptistam*, *filii sunt promissionis*, *& gratiæ*, *secundum Isaac filium liberæ*, *non ex lege*, *sed ex promissione hæredes Dei*, *cohæredes autem Christi*. *Absit enim*, *ut Noe justum*, *& prioris temporis Justos*, *& quicumque ab illo usque ad Abraham Justi esse potuerunt*, *vel conspicui*, *vel occulti*, *negemus ad supernam Jerusalem*, *quæ Mater nostra est*, *pertinere*.

Nequit dici septimo, quod volentes Deo appropinquare solum possint ad illum venire per fidem, & amorem ut filii, & non etiam per timorem servilem, non tamen ut belluæ, sed ut homines, quia rationabiliter a culpa abstineant etiam timorem pœnæ. Etenim homines per fidem, & timorem supernum etiam Deo appropinquant, & ad ejus amicitiam, & filiationem disponuntur; unde Augustinus lib. de catechizandis rudibus cap. 5. dixit: *Ipsa etiam severitate*, *qua corda fidelium saluberrimo terrore quatiuntur*, *charitas ædificanda est*.

Nequit postremo dici, quod timor servilis Deum sibi repræsentet ut Dominum durum, imperiosum, injustum, intractabilem, cum potius Deum sibi repræsentet ut Dominum misericordem simul, & justum; appellatur quippe Psalm. 111. *Misericors*, *& miserator*, *& justus*; & ut Expositores sacrorum Bibliorum advertunt, dicitur quidem non raro Deus, quod sit multum misericors, & quod multus sit ad ignoscendum; nusquam tamen dicitur, quod sit multum justus, & quod multus sit ad puniendum. Propterea timor servilis, qui est bonus, & supernaturalis, justitiam istam sibi ponit ob oculos tanquam Deo debitam, ne ab homuncionibus contemnatur, & ut culpa deseratur, quæ Deum ad iram provocat, & vindictam, per hoc quod peccator abutatur ejus patientia, benignitate, ac longanimitate.

Videtur cum verbis sexagesimæ primæ thesis cohærere, quod habet Angelicus 1. 2. q. 107. ar. 1. ad 2. dicens: *Lex vetus dicitur cohibere manum*, *non animum*; *quia qui timore pœnæ ab aliquo malo abstinet*, *non simpliciter ejus voluntas a peccato recedit*; *& propter hoc lex nova*, *quæ est lex amoris*, *dicitur animum cohibere*. Sed manifeste Angelicus ibi non loquitur de timore servili respiciente pœnas æternas, & amissionem bonorum supernorum, hunc quippe timorem expresse 2. 2. qu. 19. ar. 4. docet esse a Spiritu Sancto, & secundum substantiam suam esse bonum; quandoquidem per illum non solum pœnam expavescimus, sed etiam justitiam amamus. Loquitur itaque loco laudato de timore servili respiciente solum pœnas temporales a Deo, vel ab hominibus infligendas, & amissionem bonorum terrenorum; docetque hunc de se manum duntaxat cohibere, non animum. Etenim qui timore harum pœnarum mandatis legis obtemperat, non eatenus a peccato recedit simpliciter; siquidem cum tali externa legis observantia cohærere potest interior culpa, seu animus non obtemperandi, si metus abesset. At timor pœnarum æternarum de se manum simul cohibet, & animum; quia qui hoc metu ductus legi obtemperat, nequit simul dicere, quod legem non servaret, si metus abesset, quandoquidem ex hoc ipso pravo animo gehennam mereretur: quare de se timor gehennæ manum simul, & animum cohibet. Quinimo Tridentinum hujusmodi timorem dicit esse *donum Dei*, *& Spiritus Sancti impulsum*, & proscripta fuit ab Alexandro VIII. thesis illa 14., qua dicebatur timor gehennæ non esse supernaturalis. Et ratio a priori est, quia licet motivum formale, propter quod ponitur legis observantia, quoties ea ponitur ex metu gehennæ, sit ad pœnas evadendas: nihilominus adhuc talis actus involvit odium peccati, & amorem justitiæ, seu observantiæ tanquam objectum terminativum: unde ex nullo capite potest esse malus. Addo præterea spem propemodum, juxta sententiam probabilissimam Reginaldi, Lugo de Pœnit. disp. 5. n. 140. & aliorum apud de la Croix de Contrit. num. 884. dici posse, quoties ponitur legis observantia, & odio habetur peccatum ex metu pœnarum temporalium, si lumine superno istæ attingantur tanquam a Deo vindice infligendæ; quandoquidem etiam talis actus supernaturalis

 est,

est, & usquequaque bonus, quin possit ullatenus cum culpa cohærere; unde voluntas a malo abstinens ob hunc timorem simpliciter a peccato recedit. Sicut enim observantia legis ob metum gehennæ cohærere non potest cum illa culpabili voluntate conditionata non observandi legem, si talis metus abesset, quia eo ipso huic voluntati gehenna deberetur, atque adeo ea non declinaretur; ita observantia legis posita ex motivo evadendi pœnas temporales lumine supernaturali attactas, tanquam a Deo vindice infligendas, coherere nequit cum actu illo pravo conditionato non servandi legem, si talis metus abesset; quia pariter huic pravo actui divinam iram provocanti deberetur vindicta a Deo infligenda; unde ea non declinaretur. Contra vero, si observantia legis ponatur ex metu v. gr. suspendii a Judice infligendi, aut infamiæ, &c. cohærere poterit cum hac observantia actus ille conditionatus pravus legem non servandi, si suspendii, aut infamiæ metus abesset; quia ad hunc actum internum pravum non consequitur suspendium, nec infamia; unde pœnæ istæ declinarentur. Quare quia in veteri lege pœnæ hujusmodi temporales passim transgressoribus imponebantur, ideo Angelicus docet, quod lex vetus de se non animum cohibebat, sed manum; lex vero amoris, seu lex nova (in qua etiam justitia tanquam objectum terminativum amatur, ut diximus, quoties ex metu gehennæ culpa odio habetur) de se non solum manum cohibet, sed etiam animum; unde non solum habetur vi talis actus exterior legis observantia, sed etiam interior. Denique metu gehennæ, atque pœnarum animum quoque, & non solam manum cohiberi, satis aperte colligitur ex Concilio Tridentino, quod sess. 14. cap. 4. supponit contritionem imperfectam, seu attritionem ex tali metu conceptam omnem peccandi voluntatem aliquando excludere.

Et sane, quod Deum timere sit malum, nec possit homo citra culpam ex timore induci ad legem servandam, fuit hæresis Quintinistarum, ut advertit Cajet. p. 1. quæst. 19. art. 1. dicentium, quod conscientia timore Dei imbuta habenda sit pro Inferno, & quod conscientia divini judicii contemptrix, secura, stupida, & consopita habenda sit pro Paradiso. Est autem Catholicum dogma, quod expavescere divinum judicium sit de se bonum, & suo modo Paradisus, quatenus, ut habet idem Cajetanus ibidem, est ad Paradisum via; ut proinde Proverb. 18. dicatur: *Beatus homo, qui semper est pavidus*. Et ratio est, quia, ut dicitur Eccles. 7. *Qui timet Dominum, nihil negligit*; unde viam sibi munit ad Paradisum; sicut etiam animum disponit ad Deum honorandum, juxta illud Apocal. 14. *Timete Deum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*: redundat enim in Judicis honorem, quod ejus judicium timeatur. Contra vero conscientia timore exuta habenda est pro Inferno, quatenus similiter est ad Infernum via; unde Ecclesf. 1. dicitur: *Qui sine timore est, non poterit justificari*. Hinc Ecclesia utrumque a Deo deprecatur, timorem scilicet, & amorem, dicens: *Sancti Nominis tui, Domine, timorem pariter, & amorem fac nos habere perpetuum*.

His adde, quod Angelicus loco laudato dicat, legem veterem datam fuisse imperfectis, hoc est nondum consecutis Spiritum gratiæ vi illius legis, & ratione illius status; quandoquidem gratia Spiritualis (ut diximus in thesi 7.) tunc dabatur vi legis Gratiæ, & per merita Christi venturi: & ideo lex illa vocabatur lex timoris; & Apostolus vocat illam Rom. 3. *Legem Factorum*, quæ vox actiones externas proprie significat, quia tunc homines imperfecti inducebantur ad observantiam externam legis per comminationem pœnarum temporalium. Propterea nil mirum, quod lex vetus dicatur manum cohibere, non animum; & quod non simpliciter a peccato recedat, qui timore istarum pœnarum ab aliquo malo abstinet. Lex vero nova, cum sit lex gratiæ per Spiritum Sanctum diffusæ in cordibus nostris, ut dicitur ad Rom. 5. manum simul, & animum cohibet; quia qui actu superno a peccato abstinet, etiamsi metu gehennæ, adhuc justitiam amat, & simpliciter a peccato recedit. Additque Angelicus, quod sicut in statu veteris testamenti fuerunt nonnulli habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti, qui principaliter expectabant promissiones spirituales, & æternas, & secundum hoc pertinebant ad legem novam, ut proinde quoties metu gehennæ, aut metu amissionis gloriæ justitiam diligebant, simpliciter a peccato eorum voluntas recederet; ita in novo testamento sunt nonnulli carnales, quos oportet ad virtutis opera inducere etiam per timorem pœnarum temporalium, & per aliqua temporalia promissa: quousque tamen hoc metu legem observant, non simpliciter a peccato recedunt, & licet manum cohibeant, non tamen eatenus etiam animum cohibent.

Quomodo autem verum sit, quod homines in lege veteri nullatenus participarent gratiam ratione illius status, sed solum in quantum participabant statum novi testamenti, expressit Cajetanus in Epist. ad Rom. 6. his verbis: *Esse sub lege, & sub gratia est nomen statu legalis, qui integratur tribus conditionibus. Prima est subjectio hominis legi Mosaicæ. Secunda est negatio Divinæ gratiæ adjutricis pro quanto lex præcipiebat, sed per sua opera quæcunque non afferebat gratiam adjutricem, ut patet ex superius dictis a Paulo: Ex operibus legis nemo justificatus est. Tertia hinc consequens, quod homo sub lege relinquatur sibi ipsi, utpote non adjutus interno dono Divinæ gratiæ*. Ad evitandam tamen imperitorum deceptionem, in quam facile ex hac doctrina labi possent, addit idem Cajetanus: *Nec per hoc intelligas, Novitie, quod Judæi ante Christi adventum sub lege existentes caruerint gratia; quoniam hoc dicimus: sed intellige, quod ex illo statu non habuerint gratiam, sed habebant gratiam, qui illam habebant, ex participatione status novi revelandi per Christum: Participabant autem statum novi testamenti fide, & devotione ad Mediatorem Dei, & hominum Messiam*. Hinc optime Angelicus docuit, legem veterem, in qua ratione talis status gratia superna homines destituebantur, non cohibere de se animum, sed manum duntaxat, seu solam externam obedientiam ex solo metu pœnarum temporalium induxisse; quamvis qui ex participatione novi status revelandi per Christum, & ex fide in Christum venturum gratia superna muniebantur, animum simul, & manum cohiberent, sive ducti ex motivo charitatis, sive ducti ex metu pœnarum superno lumine atractarum, quas a Deo vindice luituri essent, nisi obtemperassent.

Quod autem in eo statu legis veteris non solum præciperentur actus externi, sed etiam actus inter-

interni virtutum etiam Theologalium, qui sine gratia exerceri non possunt, unde illam haberent homines ex participatione status novi Testamenti, fuse ostendit Suarius lib. 9. de Legibus cap. 4. 6. & 7. Etenim a lege veteri positiva qua tali, seu quatenus respiciente ceremonialia legis, solum præcipiebantur actus externi; a lege tamen veteri qua morali præcipiebantur actus virtutum moralium, & Theologalium; sicut etiam olim in statu legis naturæ. Hinc Christus D. interroganti, *Quodnam est mandatum magnum in lege?* respondit Matth. 22. *Diliges Dominum Deum tuum*. Et Matth. 19. alteri interroganti, *Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam?* respondit; *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*. Cum autem certum sit, quod sine fide impossibile sit placere Deo, & sine dilectione Dei, ad quam spei actus manuducunt, vita æterna ab adultis in lege veteri obtineri non potuisset, sicut neque sine contritione peccatoris, sequitur evidenter, quod ea in lege, secundum quod moralis erat, etiam actus virtutum Theologalium præciperentur.

Inquires. Quomodo poterant homines in lege veteri per observantiam mandatorum salutem consequi? cum certum sit, non potuisse homines in eo statu justificari, atque adeo neque ad salutem disponi per opera legis, dicente Apostolo Rom. 3. *Ex operibus legis non justificabitur omnis caro coram illo*.

Ad hoc respondendum, quod per opera legis cæremonialia nullatenus poterant justificari, neque ex opere operantis, quia nullum ex iis operibus aut gratiam conferebat, aut disponebat ad illam; neque ex opere operato, quia etiam Sacramenta veteris legis erant, ut loquitur Apostolus Galat. 4. *elementa egena, & infirma*, quæ nullatenus gratiam continebant, atque adeo illam causare non poterant: unde circumcisio, qua peccatum originale tollebatur, erat solum conditio, qua posita ex meritis Christi venturi gratia conferebatur; sicut etiam in lege naturæ hujusmodi erat remedium, quo tollebatur originale a parvulis, ut communiter Theologi docent in tractatu de Sacramentis. Et ratio a priori est, quia ex doctrina Apostoli, & Conciliorum nullum opus legis scriptæ, vel naturalis vim habet justificandi; circumcisio autem, & remedium legis naturæ erant opus legis scriptæ, vel naturalis; ergo justificare non poterant; unde solum erant conditiones, quibus positis Deus vi meritorum Christi gratiam conferebat deletivam originalis peccati Hinc Apostolus ad Galat. 2. dicit: *Si ex lege justitia, ergo gratis Christus mortuus est*. Contra vero Baptismus & continet, & causat gratiam, quia est actio moraliter assumpta a Christo D. principaliter baptizante, atque adeo continens merita Christi D, quæ vim habent obtinendi nobis gratiam. Præterea per opera legis moralia in lege Mosaica, ac in lege naturæ (puta per actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia) poterat peccator supposito actu fidei essentialiter prærequisito, dispositive justificari; non secus ac in lege gratiæ merendo gratiam de congruo, & justus per actus virtutum supernaturalium poterat de condigno mereri augmentum gratiæ. At quia gratia tunc tam actualis ad exercendos hos actus requisita, quam abitualis non conferebatur ex vi veteris testamenti, sed solum ex meritis Christi venturi, & in fide, ac per fidem ejusdem, idcirco in lege veteri homines non dicebantur per opera legis ullatenus justificari; unde ad Hebr. 9. Apostolus docet, fieri non posse, quod per sanguinem hircorum, aut vitulorum peccata deleantur.

Ex quibus omnibus fit perspicuum, in lege veteri præter præcepta cæremonialia, & positiva fuisse etiam præcepta naturalia, ac præcepta fidei, spei, charitatis, pœnitentiæ, religionis, & similia, non secus ac in lege naturæ; & quia ad satisfaciendum præceptis virtutum Theologalium requiritur gratia Theologica, idcirco in lege Mosaica, ac in lege naturæ gratia isthæc non defuit, quamvis ea non daretur nisi ex meritis Christi venturi; unde in tantum gratia hæc dabatur, in quantum qui illam habebant, participabant statum novi testamenti. Propterea quamvis in lege scripta passim Deus bona temporalia promitteret custodientibus legem suam, ac pœnas temporales comminaretur prævaricatoribus, nihilominus adhuc bona æterna promittebat justis, (non secus ac in lege naturæ) & peccatoribus comminabatur gehennam; dicitur enim Sapient. 5. *Justi autem in perpetuum vivent*. Et Tob. 2. *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam daturus est Deus iis, qui fidem suam non mutant ab illo*. Nec potuisset Princeps ille Judæorum Christum interrogare Lucæ 18. *Magister, quid faciens vitam æternam possidebo?* nisi notitiam haberet mercedis æternæ justis a Deo promissæ, ac conferendæ. Similiter Isaiæ 33. dicitur: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et Judith. 16. *In die judicii visitabit illos, dabit ignem in carnes eorum, ut urantur, & sentiant usque in sempiternum*. Isaiæ 66. *Vermis eorum non morietur*, & sic alibi passim. Quare in tantum lex vetus dicebatur lex timoris, lex vero gratiæ dicitur lex amoris, quia in lege veteri gratia non conferebatur ratione illius status, neque unquam ex opere operato, ac proinde non conferebatur in ea ubertate, qua nunc confertur, dum haurimus aquam in gaudio de fontibus Salvatoris; deficiente autem gratiæ ubertate, opus erat ad legum observantiam illos adigere variis pœnis etiam temporalibus, quæ imperfectis magis terrorem incutiunt, quam pœnæ æternæ; ubi autem in novo Testamento charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis, vires supernæ non desunt nobis; ut facile, & cum delectatione, liberati ab oneribus legis veteris, possimus præceptis divinis obtemperare, amore potius ducti, quam timore: Quamvis etiam timor gehennæ bonus sit, & laudabilis, necnon etiam supernaturalis, cum sit regulariter, ut diximus, janitor charitatis, qui ad Dei amorem manuducit. Quomodo autem Christus mereri potuerit gratias illas Sanctis Patribus, aliisque collatas ante sui adventum, variis, ac sublimibus modis a Theologis, ad quos spectet, explicatur, eosque in Cursu Theologico disp. 3. de Incarnat. quæst. 3. art. 2. recensui, ac suis rationum momentis expendere conatus sum.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim LX.

Sexagesima docet, quod si solus supplicii timor animet pœnitentiam, quo hæc est magis violenta, eo magis ad desperationem ducat; atque adeo vult,

vult, quod dolor de peccatis patratis procedens ex solo gehennæ metu, & non etiam ex motivo charitatis, quo magis est coactus, ac molestus, eo magis animi dejectionem, ac desperationem inducat de salute assequenda. Errat tamen primo, dum supponit pœnitentiam hanc a solo metu gehennæ animatam esse violentam, seu coactam. Errat deinde, dum dicit, pœnitentiam istam, utut molestam, ac gravem (& in hoc solum sensu violentam) de se ullatenus ducere ad desperationem. Quod attinet ad primum; a Tridentino sess. 14. can. 5. anathematizatur, qui dixerit, dolorem ex gehennæ, ac pœnarum metu conceptum esse extortum, & coactum, non vero liberum, & voluntarium; sicuti etiam qui dixerit, illum non præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. Quare nequit dici, quod pœnitentia, quam solus supplicii timor animat, sit violenta, seu coacta, & cum renitentia appetitus eliciti, cum sit plene libera, & voluntaria. Quamvis enim quæ fiunt ex metu, dici soleat, quod fiant coacte, & sint secundum quid involuntaria; ut est projectio mercium facta ex metu naufragii, quæ libere quidem ponitur, sed coacte, seu cum renitentia voluntatis, quæ nollet merces projicere, nec illas projiceret, si abesset periculum naufragii, unde non dicitur esse plene voluntaria, sed dicitur admiscere involuntarietatem, & esse secundum quid involuntaria: hoc tamen solum est verum, quando quæ fiunt ex metu, sunt secundum se mala, & noxia, ut est mercium projectio; quod si essent de se bona, & nobis utilia, quamvis ex metu fiant, non proinde fiunt coacte, nec sunt secundum quid involuntaria: proinde qui leges observat ex metu supplicii, non eatenus observat coacte, ita ut censeatur velle eas non observare, si metus abesset. Quamvis enim possint ita leges ex metu observari, ut habeatur hic pravus affectus conditionatus illas non observandi, si metus abesset; at de se hic pravus affectus non est annexus observantiæ legum factæ ex metu; quippe quæ de se est bona, & appetibilis, unde de se non fert affectum illum conditionatum non observandi leges, si supplicium non esset transgressoribus indictum; ac proinde quamvis sit facta ex metu, non dicitur esse coacta, nec secundum quid involuntaria. Sic etiam qui tempestate suborta ob metum naufragii elicit actum contritionis perfectæ, non dicitur illum elicere coacte, nec talis contritio dicitur esse involuntaria secundum quid: est quidem verum, quod si non daretur hic & nunc metus naufragii, non poneretur hic, & nunc actus contritionis; at non est verum, quod cum actu contritionis a metu occasionatæ annectatur pravus ille affectus, quod nollet homo contritionem ponere tanquam de se malam, si metus abesset; Sicut e converso cum projectione mercium ob metum naufragii stat ille affectus conditionatus, quod projectio mercium, utpote mala, non poneretur absente metu. Quare cum dolor de peccatis de se sit honestus, & rationi consonus, qui de iis dolet ob metum gehennæ, tanquam ob motivum præcisum talis doloris, (ita ut sit attritio, & non contritio) non dicitur ponere illum coacte, sed plene libere, ac voluntarie, cum non debeat illi annecti pravus ille affectus conditionatus, quod si talis metus abesset, nollet homo de peccatis dolere. Illud tamen est inconcussum, quod si culpabiliter talis affectus dolori de peccatis adjungeretur, procul dubio hujusmodi dolor ad gratiam non præpararet, sed redderet hominem magis peccatorem. Constat itaque, quod pœnitentia, quam solus supplicii timor animat, seu attritio, non sit coacta, neque in hoc sensu violenta.

Deinde quamvis attritio dici possit in hoc alio sensu violenta, quatenus est amara, molesta, & gravis; non per hoc dici potest, quod ullatenus ad desperandum inducat, eo magis, quo magis est violenta. Ratio est, quia tunc molestia, & arduitas alicujus operationis de se nimia animum concutit, & incitat ad desperandum, quando arduitas illa expugnari non potest alieno adjutorio facile parabili. At ad ponendum dolorem de peccatis nobis a Deo injunctum, quantumcunque sit arduus, præsto nobis est Deus adjutorio gratiæ, quod arduitatem emolliat; ut enim docet Tridentinum sess. 6. c. 11. *Deus impossibilia* (hoc est nimis ardua, quæ cum sint moraliter impossibilia, dici solent absolute impossibilia, ut advertit Angelicus 3. p. qu. 86. art. 1.) *non jubet, sed jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis*. Quare cum facile possimus auxilium gratiæ a Deo petere, illudque non denegetur, quo adjuvante possimus sine difficultate, ac molestia de peccatis dolere, nunquam dici potest, quod hujusmodi dolor a Deo injunctus (quamvis de se arduus) nobis molestus, ac gravis sit, & in hoc sensu violentus, unde ad desperationem ducat. Et sane in omnium sententia magis difficilis peccatori est contritio, quam sit attritio; (ut proinde in lege gratiæ ad emolliendam contritionis arduitatem unice olim requisitæ ad peccatorum remissionem obtinendam, Christus Dominus instituerit Sacramentum Pœnitentiæ, in quo ad Dei gratiam impetrandam attritio disponeret) nemo tamen dixerit, quod contritio peccatoribus injuncta sit operatio gravis, ac violenta ducens ad desperationem; quandoquidem possumus de facili auxilium a Deo exposcere, illudque debito modo oranti nunquam denegatur, quo poni possit citra molestiam, immo etiam cum delectatione contritio præcepta; unde multo magis id verum est de attritione, quæ de se minus ardua est, quam contritio: & ideo thesis hæc est erronea, tam si velit attritionem esse violentam, seu coactam, quam si solum afferat, eam esse ita arduam: ut ducat ad desperationem.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXI. & LXII.

Sexagesima prima loquens de eo qui metu ductus facit bonum, & sexagesima secunda loquens de eo, qui ob metum pœnæ declinat a malo, in hoc errore conveniunt, quod scilicet timor a charitate sejunctus sit culpabilis. Prior siquidem docet, quod universim quamvis timor divini supplicii manum cohibeat a patrando scelere externo, & ad legis observantiam impellat, cor tamen peccato addicatur, quousque non ducitur ab amore justitiæ, seu ex motivo charitatis. Altera pariter docet, eum qui a culpa non abstinet, nisi timore pœnæ, illam in corde suo committere, & esse coram Deo reum. Verum quamvis procul dubio peccaminosus sit timor mundanus, seu humanus, sive, ut loquitur Angelicus 2. 2. qu. 19. art. 4. servilis, in quantum

tum servilis, hoc est formaliter servilis, & proprius mancipiorum, quando scilicet quis propter timorem pœnæ mandatis obtemperat cum affectu pravo conditionato, quod non obtemperaret, si metus abesset; sic enim non solum justitia non amatur formaliter, sed etiam positive amatur injustitia actu illo conditionato, efficaci quantum est ex se, quatenus injustitia, seu legis transgressio poneretur, si non adesset comminatio pœnæ: nihilominus timor servilis, qui materialiter tantum est servilis, (quando scilicet ob pœnæ metum bene operamur citra affectum illum pravum conditionatum non bene operandi, si metus abesset) non solum non est peccaminosus, sed etiam ex Tridentino sess. 14. can. 4. est donum Spiritus sancti, atque adeo est supernaturalis, quando est timor pœnæ cognitæ per lumen fidei, qualis est gehenna; proscripta siquidem est decima quarta illa Thesis ab Alex.VIII. quæ habet: *Timor gehennæ non est supernaturalis:* propterea si quis ob metum gehennæ secluso quolibet motivo charitatis legem divinam implet, ponit actum obedientiæ studiosum, ac supernaturalem; & qui ob eundem metum dolet de peccatis, ponit actum attritionis supernum, qui, ut habet Tridentinum loco laudato, ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit, eo quod sit Spiritus Sancti impulsus, quo pœnitens adjutus viam sibi ad justitiam parat; quamvis extra sacramentum per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat. Hinc proscripta pariter est ab Alex. VIII. thesis 15. dicens: *Attritio, quæ gehennæ & pœnarum metu concipitur sine dilectione benevolentiæ Dei propter se, non est bonus motus, ac supernaturalis.* Et sane qui ob merum gehennæ metum servat mandata, ac de peccatis dolet, ponit medium institutum a Deo ad observantiam suorum mandatorum, & ad peccata detestanda; ponendo autem hoc medium, nempe gehennæ metum in ordine ad finem a Deo intentum, proculdubio bene operatur. Hinc in Scripturis sæpe pœna indicitur ad hunc finem, ut ex ejus metu a peccatis abstineamus, & de perpetratis doleamus. Matth. 7. dicitur: *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.* Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* Et ipse Christus Dominus ad hunc timorem habendum hortatur dicens Lucæ 12. *Ostendam vobis quem timeatis, timete eum, qui postquam occiderit corpus, habet potestatem mittere in gehennam; Ita dico vobis, hunc timete.* Et ratio ulterior est, quia qui legem implet, & a malo abstinet unice ob metum gehennæ, quamvis ad id non moveatur ex amore justitiæ, tamen revera justitiam, seu legis observantiam amat, illamque eatenus ponit; unde objectum materiale talis actus proculdubio est bonum; objectum autem formale, quod est metus gehennæ, usqueadeo bonum est, ut ad ipsum Christus D. hortetur; & ex Tridentino est *bonus motus, Dei donum, & impulsus Spiritus Sancti:* quibus verbis denotatur, ipsum esse supernaturalem & eatenus ad gratiam impetrandam disponere; unde talis actus usquequaque est bonus, ac rectus, tam ex objecto materiali, quam ex objecto formali. Quomodo igitur dici poterit, quod peccato cor addicat, & sit reus coram Deo, qui aut facit bonum, aut declinat a malo, non ductus ab amore justitiæ, aut ex motivo charitatis, sed ex solo gehennæ, ac pœnarum metu? Quare thesis hæc est erronea tum in proprio verborum sensu, tum etiam in sensu ab authore intento.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXIII.

Sexagesimatertia docet, quod baptizatus, sive legem non adimpleat, sive illam ex solo timore adimpleat, sub lege sit sicut Judæus, quatenus sicut Judæus peccati reus erat etiam legem adimplendo, si ex solo timore illam adimplebat, ita pariter baptizatus. Sed tripliciter errat; Primo, supponendo, quod Judæus, qui sub lege erat, (hoc est sub onere legis scriptæ, in qua multa præcepta positiva addita fuerunt a Deo, quæ non erant ante legem, seu in statu legis naturæ; nec conferebatur illa gratiarum ubertas, quæ nunc confertur in lege gratiæ, ut possent facile tunc ea præcepta servari, quamvis gratia sufficiens non deesset) universim legem adimpleret ex timore pœnæ servili, inquantum servili, atque adeo peccaminoso, nunquam vero ex timore servili bono, ac laudabili; cum tamen certum sit, ut dicemus in thesi 65. multos ex Judæis legem observasse, non solum ex motivo pœnæ servili, sed etiam ex motivo charitatis, & sic salutem æternam assequutos esse, ut docet Angelicus p. 2. qu. 107. art. 1. ad 2.

Errat secundo, dum asserit, quod si baptizatus legem adimplet ex timore pœnæ, sit sub lege, & non sub gratia, seu destitutus sit illa gratiarum ubertate, quæ confertur nobis in statu legis gratiæ, præsertim per sacramenta novæ legis, & per sacrificium incruentum. Etenim, nisi velit Quesnellus negare homini libertatem a necessitate ad bene operandum, tam poterat Judæus cum gratia intensa ut unum sufficiente de se ad bene operandum legem servare laudabiliter, atque adeo non ex timore mundano seu formaliter servili, quam potest baptizatus cum gratia intensa ut sex legem servare peccaminose, hoc est ex motivo timoris mundani. Unde fit, quod si baptizatus resistat gratiæ intensæ ut sex, & tali timori mundano succumbat, non eatenus dicatur esse sub lege, seu destitutus ubertate gratiarum: & viceversa si Judæus cooperabatur gratiæ intensæ ut unum, & legem servabat, aut ex solo timore servili, aut ex motivo charitatis, non eatenus dicebatur esse sub gratia, seu instructus ubertate gratiarum. Etenim antiquæ legis sacramenta ab Apostolo dicuntur fuisse egena, & infirma, (quippe quæ gratiam non continebant, ut sacramenta novæ legis) & ideo carebant Judæi plenitudine auxiliorum, quæ nobis per Christi merita conferuntur in lege gratiæ; non tamen deerat illis gratia sufficiens ad legem laudabiliter implendam, atque adeo non ex timore mundano peccaminoso. Nam si defuisset illis gratia sufficiens ad non peccandum, nullatenus peccare possent. *Quis enim peccat in eo, quod nullatenus cavere potest?* ut habet Augustinus.

Errat tertio, dum vult, baptizatum æque ac Judæum, qui legem adimplet ex solo timore, esse sub lege, (in qua, ut habet Augustinus, peccatum dominabatur) & eatenus peccare. Etenim neque Judæus implendo legem, ut poterat, ex solo timore servili, peccabat, quin imo laudabiliter operabatur, quamvis esset sub lege; quia peccatum in ea

in ea tunc dominari, solum fert, quod plerunque, non quod semper, & necessario peccaretur: Neque baptizatus peccat implendo legem ex solo timore servili; quia quamvis sit sub gratia, ejusque auxiliis affluat, non idcirco obligatur ad semper operandum perfectissimo modo, seu ex motivo charitatis, sicut non obligatur ad ponendum semper actum charitatis intensissimum quem potest. Quare sicut laudabiliter operatur ponendo actum charitatis minus intensum, esto minus perfecte operetur, quam si poneret actum charitatis intensiorem; ita laudabiliter operatur implendo legem ex solo timore servili, quamvis minus perfecte se gerat, quam si legem impleret ex motivo charitatis. Quod autem spiritus timoris servilis sit bonus, non peccaminosus, esto minus perfectus spiritu charitatis, constat ex Apostolo ad Rom. 8. ubi habet: *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Ubi Glossa addit: *Unus spiritus est, qui facit duos timores, servilem, & castum:* cum autem a Deo sit tam timor servilis, quam castus & filialis, ut advertit D. hom. 2. 2. q. 19. art. 4. uterque bonus est, quamvis castus sit præstantior.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim L X I V.

SExagesima quarta contendit, sub maledicto, (hoc est sub peccato) legis nunquam fieri bonum, eo quod tam peccatur faciendo malum, quam illud declinando ob merum pœnarum metum. Errat tamen, tum in afferto, tum in causali assertionis. Quod attinet ad assertum. Quamvis sub peccato legis, hoc est sub lege scripta, in qua concupiscentia, & peccatum dominabatur, ex August. lib. de Grat. & lib. arb. cap. 12. ut plurimum homines peccarent, quippe qui multis præceptis legalibus onerati carebant ea gratiarum ubertate, quæ nobis, qui sumus sub gratia, confertur ex meritis Christi D. jam exhibiti, præsertim vi Sacramentorum, & Sacrificii novæ legis; nihilominus omnino a veritate abhorret, quod tunc temporis nihil boni fieret; multi enim ex motivo perfectissimo charitatis operabantur, ut dicemus in thesi sequenti, necnon ex motivo aliarum virtutum, quarum actibus ad justificationem habendam disponebantur. Sicut enim dum sumus nunc sub gratia, (ita scilicet ut gratia dominetur) non pauci resistendo gratiæ male operantur; ita homines qui tunc erant sub lege, (ita scilicet, ut peccatum tunc & concupiscentia dominarentur) non pauci resistendo cupiditati dominanti recte operabantur: cum enim tunc gratia sufficiens ad salutem assequendam non deesset, qui ad Deum per fidem supernaturalem accedebant, ex fide ad spem, & ad alios virtutis actus supernos auxiliis cœlestibus progrediebantur usque ad dilectionem Dei super omnia, & ad justificationem obtinendam: cum hoc solum discrimine inter utrumque statum, quod nunc auxiliorum copia est superabundans, & ad justificationem in sacramento Pœnitentiæ obtinendam etiam per actum attritionis disponimur; secus vero tunc, quando homines erant sub lege.

Quod vero attinet ad causalem afferti, pariter est erronea: tum quia ea divisio non est adæquata; licet enim nihil boni facerent homines sub maledicto legis, aut faciendo malum, aut illud ob timorem evitando, poterant tamen recte operari per exercitium fidei, spei, charitatis, & aliarum virtutum moralium: tum etiam quia poterant laudabiliter operari etiam quando ob merum timorem gehennæ declinabant malum, si timor, ex quo moverentur, non esset mundanus, sed servilis, ut ostendimus in thesibus præcedentibus. Et ratio ulterior est, quia timor hic servilis, cum manuducat, & disponat ad charitatem, supernaturalis est, & eatenu. bonus. Eeclef. 5. diserte dicitur: *Timor Dei initium dilectionis est.* Et Augustinus serm. 18. de Verbis Domini cap. 12. *Timor ille servilis est custos quidem malorum, ut abstineant se a malis, & abstinendo digni sint ad se admittere charitatem*; ita tamen timor servilis ad charitatem munit viam, ut deinde a charitate tanquam a Regina virtutum expellatur; juxta illud 2. Jo. 4. *Perfecta charitas foras mittit timorem;* non quidem filialem, ac reverentialem, qui a charitate procedit, de quo dicitur Psal. 18. *Timor Domini sanctus permanens in sæculum sæculi*; sed servilem, de quo etiam 1. Jo. 4. dicitur: *Timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate*; & idcirco a charitate expellitur: ad eum fere modum, quo superveniente Dei visione cessat fides, quæ ad illam tendit: unde dicitur 1. ad Cor. 13. *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quo ex parte est.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXV.

SExagesimaquinta asserit, Moysen, Prophetas, Sacerdotes, ac Doctores legis scriptæ nullum dedisse Deo Filium, qui videlicet ex motivo charitatis operaretur, & Spiritu Dei ageretur, prout Apostolus loquitur ad Rom. 8. *Quicunque Spiritu Dei aguntur, ii sunt Filii Dei*, sed solum effecisse mancipia, qui scilicet ex timore pœnæ ad legis observantiam ducerentur. Sed primo falsum est, quod in lege veteri defuerint homines a legis Doctoribus instructi citra providentiam Dei extraordinariam, qui legem naturalem, & positivam diligendi Deum super omnia servassent, ut eatenus ultimo disponerentur ad Gratiam sanctificantem, qua redderentur filii Dei adoptivi; cum Angelicus dixerit part. 2. quæst. 107. art. 1. ad 2. *Fuerunt aliqui in statu veteris testamenti habentes charitatem, & gratiam Spiritus Sancti*; quamvis enim tunc cupiditas, & peccatum ita dominaretur, ut non sine difficultate voluntas gratiæ collatæ ad servandas leges consentiret; at non proinde nemo ex illis recte operatus est, ut gratiam sanctificantem assequeretur, fieretque Dei filius. Sicut enim lege gratiæ, in qua scilicet gratia dominatur, & abundat, multi gratiæ quantumvis intensæ dissentiunt, & peccant instar Justæ, qui innumeris auxiliis fuit instructus; ita in lege, in qua concupiscentia dominabatur, non pauci gratiæ consentiebant, & legem implebant; & eodem modo ante legem, seu in statu legis naturæ, quando ita crevit malitia hominum super terram, ut pœnituerit Deum fecisse hominem, multi Patriarchæ, & Prophetæ, aliique ad Dei dilectionem perve-

pervenerunt, qua gratiam sanctificantem, & Dei filiationem assequuti sunt. Unde Augustin. lib. 3. ad Bonif. cap. 4. dicit: *Sive Abraham, sive ante illum justi, sive post eum usque ad ipsum Moysen, sive ceteri Prophetæ post eum, & Sancti homines Dei usque ad Joannem Baptistam filii sunt promissionis, & gratiæ*. Nonne septem Machabæi ex motivo charitatis tanquam Dei filii dicebant 2. Machab. 7. *Parati sumus mori magis, quam patrum leges prævaricari?* Nonne ex eodem motivo Susanna dixit Daniel. 13. *Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini?* Hinc Jo. Apocal. 7. vidit ex qualibet tribu duodecim millia signatos *stantes ante Thronum in conspectu Dei, & Agni*, quia scilicet multi ex qualibet tribu in lege veteri auxiliis gratiæ, quamvis non valde intensis, bene usi sunt, usque ad salutem consequendam, in erubescentiam, & confusionem eorum, qui in lege evangelica innumeris, ac valde intensis gratiæ auxiliis dissentiendo damnantur.

Deinde, quod in lege veteri, quicunque ex timore ducebantur ad legem implendam, instar mancipiorum legem servarent, (seu cum affectu pravo conditionato legem non servandi, si metus abesset) pariter est erroneum; ostendimus quippe ex Scripturis, Tridentino, Patribus, & ratione, posse homines ob timorem mere servilem, ac proprium servorum, (qui se magis, quam Dominum amant) absque ullo affectu ad culpam, legem implere, & sic laudabiliter, ac meritorie operari; Ad eum modum quo recte & laudabiliter operatur, qui instar mercenarii legem observat intuitu mercedis æternæ, quin peccet ex hoc, quod non operetur ex motivo charitatis, ut definit Trident. sess. 6. can. 31. Quamvis autem conditio mercenarii sit nobilior conditione servi, unde sublimius operatur, qui legem observat intuitu mercedis æternæ, quam qui illam observat ob metum gehennæ: uterque tamen actus est bonus, ac supernaturalis; bonus quidem est uterque actus, quia in utroque bonum est objectum materiale, nempe legis observantia, & in utroque bonum est objectum formale, nempe desiderium mercedis æternæ, & timor, ac fuga gehennæ: est etiam uterque actus supernaturalis, quia uterque procedit ex lumine superno, quo duntaxat cognoscimus & mercedem æternam, & gehennam. Immo, ut advertit Ripalda t. 3. disp. 22. sect. 7. uterque actus pertinet ad virtutem infusam spei; quia bonum proprium spei est beatitudo, quam speramus, & propter quam præcepta servamus: cum autem ad eundem virtutis habitum spectet, & prosequi bonum, a quo illa specificatur, & fugere a malo, quod ei bono opponitur; & bonum oppositum beatitudini, quam respicit spes infusa, sit gehenna, ideo ad eundem habitum spei, ad quem spectat operari propter beatitudinem, spectat etiam operari ob timorem, & fugam gehennæ: Ad eum modum, quo spectat ad eundem habitum charitatis infusæ tam dilectio Dei propter ejus bonitatem, quam timor filialis, & fuga a Dei offensa; quia bonum oppositum divinæ bonitati est Dei offensa. Quare tam est erroneum, quod in lege veteri nemo operabatur ut filius Dei adoptivus ex motivo charitatis; quam est erroneum, quod omnes, qui ex metu pœnæ legem implebant, illam implerent ut mancipia ex metu mundano peccaminoso, & coacte.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim LXVI.

Sexagesimasexta docet, quod debeamus Deo appropinquare per fidem, & amorem ut filii, non per timorem ut belluæ, nec ad illum venire cum brutalibus passionibus, aut adduci per instinctum naturalem. Verum, quod instinctus naturalis nos adducat ad Dei cognitionem, & amorem mere naturalem, negari non potest: etenim sicut lapis ductu naturæ fertur ad centrum, & ignis ad sphæram; ita homo naturæ instinctu fertur ad Deum; ita ut inquietum sit cor nostrum, donec in illo requiescat. Hinc Damascenus lib. 1. Orthodoxæ fidei cap. 1. dixit: *Notitia Dei omnibus a natura est insita; neque aliquis ratione utens ignorare potest*. & Job 36. dicitur: *Omnes homines vident eum, unusquisque intuetur procul*: Solus insipiens, ac stultus huic naturali dictamini reluctatur, ut ad arbitrium vivat. Hinc Psal. 53. habetur: *Dixit insipiens in corde, suo, Non est Deus*: Ubi Anselmus in Prof. cap. 3. addit: *Ideo dixit, quia stultus est, & insipiens*. Quare si naturæ magisterio edocti dicimus dari Deum pelagus bonorum omnium, ad eundem pariter diligendum ipsa natura nos impellit. Neque enim verum est, quod non possimus Deum naturæ viribus diligere; cum proscripta sit Bajana illa thesis 36. dicens: *Amor naturalis, qui ex naturæ viribus exoritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanæ, cum injuria Crucis Christi, defenditur a nonnullis Doctoribus*. Quod si quando sarcina brutalium passionum premimur, adhuc ad illum adire tenemur, ut ea nos exoneret.

Præterea quamvis in ordine supernaturali primus accessus ad Deum fiat per fidem; dicitur enim ad Heb. 11. *Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit*: Nihilominus ad illum deinde non appropinquamus per solam charitatem, sed etiam per spem, & per alios actus virtutum moralium, quas inficiari non debet Quesnellus, ut ostendimus in thesi 53. Quamvis autem de aliis virtutibus in hac thesi præscindatur; tamen ex hoc ipso hic censentur erronee excludi, ut in simili diximus in Anacephalæosi thesis 32.

Denique erroneum est, quod ad Deum appropinquare non possimus per timorem; (dummodo non sit mundanus, qui a culpa non est immunis, & ad externam legis observantiam homines tanquam belluas revera coarctat) ostendimus quippe timorem servilem esse bonum motum, Dei donum, & Spiritus Sancti impulsum, ex Trid. sess. 14. cap. 4. doloremque ex gehennæ metu conceptum non solum esse utilem, & ad gratiam præparare, sed etiam esse liberum, ac voluntarium, non vero coactum, ut ibidem Tridentinum definit can. 5. Possumus itaque si minus ut filii, saltem ut servi, (non tamen ut belluæ, vel ut mancipia) per hunc timorem Deo appropinquare, cum disponat, ac viam muniat ad Dei gratiam in sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Quod autem ad Dei gratiam disponit, proculdubio supernaturale est: adeoque ad Deum possidendum pergratiam, & gloriam facit nos appropinquare.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim LXVII.

SExagesimaseptima somniat timorem servilem non repræsentare sibi Deum, nisi ut Dominum durum, imperiosum, injustum, ac intractabilem; perinde quasi non satis esset ad homines a culpa retrahendos animadvertere, quod quamvis Deus sit patiens, longanimis, facile exorabilis, sit etiam justus; unde tandem aliquando gehennæ pœnam culpis debitam ad ostensionem suæ justitiæ respuentibus auxilia gratiæ quodammodo coactus imponat. Etenim usqueadeo Deus alienus est a puniendo, ut de eo dicatur proprium esse misereri semper, & parcere; & punitio dicatur opus ejus peregrinum apud Isaiam 28. ubi dicitur: *Sicut in valle, quæ est in Gabaon, irascetur, ut faciat opus suum, alienum opus ejus; ut operetur opus ejus, peregrinum est opus ejus ab eo*. Quod ex eo fit perspicuum, quia ut justitiam simul ostenderet, & delinquentibus parceret, *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ut habetur ad Rom. 8. Quare ergo Deum timens timore servili repræsentare sibi debet Deum ut Dominum durum, si ad expugnandam cordis nostri duritiem opponit continenter divitias suæ bonitatis, & longanimitatis? unde ad Rom. 2. dicitur: *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? An ignoras quia benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ*. Quare Deus repræsentari debet ut imperiosus, & acerbus, si ita comminatur acerba consona gravitati culparum, ut simul semper pronus sit ad ignoscendum? si non septies, sed septuagies septies peccata dimittit? si peccatoribus exprobrare potest, quod voluerit toties illos congregare, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluerint? si per Isaiam 49. dixit: *Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si illa oblita fuerit, ego non obliviscar tui*. Quare Deus repræsentatur ut injustus, si Psal. 85. dicitur esse *Miserator, & misericors, patiens, & multæ misericordiæ?* si semper punit citra condignum? si propter nimiam (ut loquitur Apostolus) charitatem suam, qua dilexit nos, ad debitam damnationis sententiam non descendit, nisi postquam Filium suum dederit nobis causæ nostræ Patronum? dicitur enim 1. Jo: 2. *Si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum justum*. Quare demum repræsentandus Deus ut intractabilis, & inexorabilis, si cor contritum, & humiliatum non despicit? immo ad quamcumque peccatoris lacrymulam misericordiam suam mirum in modum ubertim elargitur? si una tantum ex centum ovibus amissa, vadit ad illam quærendam, & post inventam imponit in humeros suos gaudens, & cupiens, ut sibi, non ovi, amici, & vicini congratulentur; perinde quasi magis conferat sibi habere hanc ovem, quam ovi esse sub tanto Pastore? Quare timor servilis, a quo Deus repræsentetur, ut est in se, & qualis a Davide describitur Psal. 144. *Miserator, & Misericors Dominus, patiens, & multum misericors*, sed tamen etiam justus, plurimum confert ad avertendos homines a reatu culpæ, illosque ad Dei dilectionem perducendos. Sic Josaphat. 2. Paralip. 20. *timore perterritus totum se contulit ad rogandum Dominum*. Sic Ninivitæ ex Triden. sess. 14. cap. 4. *timore utiliter concussi plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt*; & communiter peccatores, ut advertit idem Trident. sess. 6. cap. 6. *a Divinæ justitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiunt*. Qua de causa a Sanctis Patribus timor hic vocatur veluti ostiarius charitatis, quia per illum fit nobis aditus ad perfectam Dei dilectionem. Instar omnium sit Augustinus, qui serm. 18. de Verb. Domini cap. 8. habet: *Time tamen, ut ista formido custodiat te, & perducat ad dilectionem*.

P R O P O S I T I O LXVIII.

Dei Bonitas abbreviavit viam salutis claudendo totum in fide, & precibus. *Quesnell. Act. 2. 21. edition. 1693. & 1699.*

S Y N O P S I S.

I. Nititur hæc thesis in Augustini verbis non rite intellectis.

II. Triplicem autem errorem continet; & quod excludat alia media ad salutem necessaria; & quod neget fidem esse actum intellectus; & quod alias non agnoscat virtutes ab ista distinctas.

III. Non sufficit ad salutem Fides sine exercitio aliarum virtutum Theologalium, & Moralium, & sine observantia mandatorum.

IV. Scriptura, Tridentinum, & Patres docent id apertissime.

V. Duplex etiam ratio id efficaciter evincit.

VI. Huic doctrinæ non adversatur auctoritas D. Jacobi.

VII. Fides sine operibus non est mortua ad eum modum, quo homo dicitur mortuus, quatenus amissa anima non est amplius homo; sed sicut corpus dicitur mortuum, quod adhuc ab anima separatum est corpus.

VIII. Explicatur quonam pacto per fidem justificemur.

IX. Et quomodo verbum Dei sanet, ac salvet nos.

X. *Dum Sancti Patres docent, solam fidem justificare, excludunt opera cæremonialia, & externa, non vero charitatem.*

I. ILlud ipsum in hac thesi Quesnellus contendit, quod docuerat in quinquagesima secunda, videlicet, quod omnia salutis media contineantur in fide, quæ non est sine fiducia, & amore. Non enim vult, quod sola fides informis cum oratione contineat media omnia ad salutem necessaria; quandoquidem in thesi quinquagesima nona dicit, Orationem impiorum non solum non deservire ad salutem obtinendam, sed esse novum peccatum, & quod per talem orationem a Deo conceditur, esse novum in eos judicium. Quare solum hic docet, viam salutis a Deo abbreviatam esse, omnia claudendo in fide, & precibus, hoc est in fide, quæ per fiduciam, & amorem Deum invocat, & exorat.

Cum

Cum enim dicatur Joan. 2. *Quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit*; nec possit nomen Domini invocari supplicibus precibus in ordine ad salutem, nisi per fidem, juxta illud Apostoli: *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt?* idcirco fides, & preces ad salutem requiruntur, quatenus fides est, quæ credit; spes vero, & charitas, quæ orat, ut docet Augustinus in Enchir. cap. 7., ubi habet: *Ecce tibi Symbolum, & Dominica oratio; quid brevius auditur, aut legitur? Quia enim de peccato gravi miseria premebatur genus humanum, & Divina indigebat misericordia, gratiæ Dei tempus Propheta prævidens ait: Et erit omnis, quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit; propter hoc Dominica Oratio. Sed Apostolus cum ad ipsam gratiam commendandam hoc propheticum commendasset testimonium, continuo subjecit: Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Propter hoc Symbolum. In his duobus tria illa intuere: Fides credit, Spes, & Charitas orant; sed sine fide esse non possunt; ac per hoc & fides orat.* In his itaque Augustini verbis non rite intellectis videtur Quesnellus fabricam hujus thesis construxisse, dicens, quod via salutis abbreviata sit a Deo claudendo totum in fide, & precibus.

II. In hoc autem asserto tripliciter errat adversus Catholicam veritatem, & Augustini mentem. Primo quidem, quod velit ita viam salutis in fide, & precibus claudi, ut velit omnia salutis media contineri in fide, quæ non est absque amore, & fiducia, ut loquitur in thesi 52. unde excludit tanquam media necessaria ad salutem auxilia prævia ad actum fidei, quæ dantur Infideli, ut possit libere fidem amplecti actu piæ affectionis spectante ad voluntatem, ut ostendimus in thesi commemorata. Secundo, quod velit fidem non esse actum intellectus, sed esse ipsam fiduciam, & amorem, atque adeo fidem ipsam orare formaliter, non radicaliter; quod si verum esset, non posset fides esse sine his affectibus fiduciæ, & amoris; quod tamen expresse D. Augustinus negat loco laudato, statim subdens: *Porro & aliquid, quod non speratur, credi potest. Quis namque fidelium pœnas non credit impiorum, nec sperat tamen?* Tertio, quod velit in hac fide, & precibus claudi totum, quod ad viam salutis spectat, ut proinde excludat actus aliarum virtutum, dilectionis proximi, misericordiæ, religionis, pœnitentiæ, & similium, docens omnia virtutum istarum officia a sola charitate prodire. Unde fit non posse hominem ad charitatem per exercitium istarum virtutum infusarum se disponere. Et ratio hujus erroris est, quia putat Quesnellus omnes actiones nostras condistinctas a charitate esse peccaminosas, ut habetur in thesi 44. juxta doctrinam Lutheri lib. 1. de libero arbitrio, pag. 141., ubi habet: *Peccare justos etiam in operibus bonis, & bona opera esse ex se mortalia peccata.* Quod pariter docuerat Calvinus in Antidoto pag. 291. dicens: *In eo differt a Lege Evangelium, quod non sub conditione operum, sicut illa, sed ex fide vitam promittit.* Adversus hæc omnia fuse diximus in expositione illius quinquagesimæ secundæ thesis, quæ cum ista coincidit. Hic adversus tertium hoc erroneum assertum aliquid addendum.

III. Ostendo itaque fidem sine operibus, hoc est sine exercitio aliarum virtutum Theologalium simul, & Moralium, non esse satis ad salutem consequendam: atque adeo viam salutis non claudi totam in fide & precibus modo explicato. Et primo quidem requiritur observantia mandatorum; cum dicatur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; requiritur præter fidem charitas; cum dicatur 1. Jo. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Requiruntur opera præter fidem; cum dicatur Jacobi 2. *Quid proderit, fratres mei, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat? Numquid poterit fides salvare eum?* Et post multa ad hanc rem concludit Apostolus: *Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est.* Hinc passim in Scripturis dicitur, quod merces in cœlo retribuenda sit operibus; ut ostendatur, fidem esse initium dumtaxat, & radicem bonorum operum, quibus coronam gloriæ nobis comparamus. Matth. 20. habetur: *Voca operarios, & redde illis mercedem.* Matt. 5. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* 1. ad Corinth. 3. *Unusquisque propriam mercedem accipiet secundum proprium laborem.* Et ad Roman. 2. *Deus reddet unicuique secundum opera sua.*

IV. Porro Tridentinum sess. 6. can. 29. anathematizat, qui dixerit, eum, qui post baptismum lapsus est, sola fide amissa justitiam recuperare sine sacramento pœnitentiæ: & can. 19. anathematizat, qui dixerit, nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera: & can. 24. anathematizat, qui dixerit, bona opera fructus solummodo, & signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam: ac demum can. 22. anathematizat, qui dixerit, amissa per peccatum gratia, simul & fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, quamvis non sit viva: Usqueadeo verum est fidem non continere fiduciam, & charitatem, sed posse ab iis actibus sejungi, & ad illos solum disponere; nec solam fidem sine operibus sufficere ad salutem assequendam.

Accedit Patrum auctoritas, qui passim docent, non soli fidei reddi mercedem æternam, sed etiam operibus; Et præter fidem opera etiam ad salutem requiri. Augustinus lib. de fide, & operibus c. 14. habet: *Jam illud videamus, quod excutiendum est a cordibus religiosis, ne mala securitate salutem suam perdant, si ad eam obtinendam solam fidem sufficere putaverint.* S. Cyrillus lib. 10. in Jo. c. 18. *Quod autem fides ad salutem non sufficiat, Christi etiam discipulus ostendit scribens: Tu credis, quia unus est Deus.* S. Basilius orat. in init. Proverb. *Omnes, qui viam evangelicam incedimus, mercatores sumus, per opera mandatorum nobis possessionem cœlestium comparantes.* Et Augustinus in Epist. 105. ad Sixtum: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna.*

V. Ratio autem, cur præter fidem requiratur exercitium bonorum operum, est, tum ad peccata declinanda, quibus opprimeremur, nisi virtutibus sedulam operam navaremus; tum etiam, ut possimus ad sublimiorem gloriæ gradum in patria evehi, & in eo æternum perdurare. Quod Tridentinum diserte docuit sess. 6. cap. 11. dicens: *Nemo sibi in sola fide blandiri debet, putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiamsi Christo non compatiatur, ut & conglo-*

glorificetur. Nam & Christus ipse, ut inquit Apostolus, cum esset Filius Dei, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam, & consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ. Ac deinde Tridentinum monet nos exemplo Apostoli sic currere, ut comprehendamus, sic currere, non quasi in incertum, neque tanquam aerem verberantes, sed castigando corpus, ac in servitutem redigendo, ne reprobi efficiamur: Monetque pariter nos verbis Principis Apostolorum dicentis 2. Pet. 1. *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Hæc enim facientes, non peccabitis aliquando.* Ex quibus ad rem nostram concludit, Orthodoxæ Religionis doctrinæ adversari eos, qui docent, *in omnibus operibus justos peccare, si in illis suam ipsorum socordiam excitando, & sese ad currendum in stadio cohortando, cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intuentur æternam.* Ad hæc addendum, per hanc thesim in medium iterum adduci errorem Massiliensium, qui totam Christianæ vitæ perfectionem in sola Oratione fidei annexa reponebant, ut ex Augustino, & Epiphanio notat de Castro, Verbo *Oratio*. Præterquamquod thesis hæc errorem etiam redolet Quietismi, perfectionem omnem reponentis in oratione puræ fidei; idque ex eo erroneo asserto, in quo utraque hæresis nititur, videlicet, quod voluntas non proprie se determinet, sed solum determinetur vel a Deo ad bonum, vel a diabolo, aut a concupiscentia ad malum, & sit velut corpus exanime; ut habet Molinos in secunda ex suis confixis thesibus ab Innocentio XI.

VI. Opponitur ad hæc primo ex Calvino lib. 3. Instit. cap. 17. quod D. Jacobus loco laudato non dixerit: Quid proderit, si fidem quis habeat, & non habeat opera? sed dixerit: *Quid proderit, si fidem quis dicat se habere?* unde non docet, fidem sine operibus non prodesse, sed quod solum non prosit dicere, quod quis fidem habeat.

Confirmatur, tum quia ibidem fides sine operibus comparatur a D. Jacobo fidei dæmonum, quos constat fidem veram, ac supernaturalem non habere; tum etiam quia fides sine operibus dicitur esse mortua; ergo bene potest dici, quod Deus viam salutis clauserit in fide, & precibus; quæ tamen sit fides viva, ac supernaturalis, non vero fides mortua, ac naturalis. Et eodem modo responderi potest aliis locis adductis juxta eandem distinctionem; ergo sufficit ad salutem sola fides cum precibus explicatis.

Respondeo universim verba dogmatica sumi debere in sensu proprio, nisi quid obstet; alioquin nihil certi haberemus ex Scripturis, Conciliis, & Patribus spectans ad fidem. Quare in locis adductis ubi sermo est de fide, quæ sine operibus non sufficit ad salutem, intelligendum est de fide supernaturali, quæ in proprio sensu ibi significatur. De eadem loquitur D. Jacobus, qui quamvis dicat, nihil prodesse, quod quis jactet se habere fidem, si desint opera, diserte tamen addit, *Numquid poterit fides salvare illum?* indicans non satis esse fidem sine operibus, ut salutem consequamur.

VII. Ad confirmationem: D. Jacobus comparat fidem impiorum cum fide dæmonum, quatenus neutra istorum fides est fructuosa; quamvis utraque sit objective vera, ac recta. Et in hoc sensu pariter Augustinus libro unico de Baptismo cap. 10. comparat fidem dæmonum etiam cum fide D. Petri, quam Dominus commendavit Matth. 16. Fides tamen fidelium impiorum est supernaturalis, & libera; fides vero dæmonum est naturalis, & coacta, seu extorta ab ipsa rerum evidentia. Hinc D. Jacobus dixit, *dæmones credunt, & contremiscunt*; quatenus inviti, & coacti credunt; nos autem, qui sponte, & libere credimus, non credimus contremiscentes, ut advertit Bellarminus lib. 1. de Justificat. cap. 15. Ad id, quod additur, fides sine operibus non est mortua, ut homo mortuus, qui post mortem non est homo, nisi cum addito distrahente, velut homo pictus; sed est mortua fides informis, sicut corpus sine anima dicitur mortuum: quemadmodum enim accidit corpori, quod uniatur animæ, & fit vivum; ita accidit fidei, quod uniatur gratiæ, & fit viva; homo tamen essentialiter importat corpus, animam, & unionem; unde homo mortuus non est amplius homo; corpus vero adhuc mortuum est corpus; & sic fides etiam informis, & mortua est vera fides.

VIII. Opponitur secundo, quod homo dicatur gratis justificari, & salvari per fidem, & non ex operibus; ergo in sola fide, & precibus modo explicato continentur omnia ad salutem necessaria. Antecedens probatur; quia ad Ephes. 2. dicitur: *Gratia enim estis salvati per fidem, & hoc non ex vobis, Dei enim donum est, non ex operibus, ut ne quis glorietur.* Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius.* & Rom. 4. *Ei, qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum: ei autem, qui non operatur, credenti autem in eum, qui justificat impium, deputatur fides ejus ad justitiam.*

Confirmatur, quia Verbum Dei, quod sola fide apprehenditur, in Scripturis dicitur salvare animas nostras; ergo sola fides sufficit. Antecedens constat ex eo, quod dicitur Jacobi 1. *Suscipite insitum verbum, quod potest salvare animas vestras*: & Psal. 106. *Misit verbum suum, & sanavit eos:* & Rom. 1. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti.*

Respondeo Tridentinum sess. 6. cap. 8. explicare, quid sit per fidem justificari gratis, dicens: *Per fidem ideo dicimur justificari, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, & radix omnis justificationis. Gratis autem justificari ideo dicimur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur; si enim gratia, jam non ex operibus est; alioquin, ut idem Apostolus inquit, gratia jam non est gratia.* Quare aliud est justificari gratis per fidem, aliud vero justificari sola fide: etenim justificari gratis per fidem importat, quod sine ullo prævio merito habeamus fidem, quæ est initium, & radix nostræ justificationis: justificari vero sola fide importat, nihil aliud ad justificationem requiri præter fidem; quod est falsum. Ubi adverte, operationes naturales neque esse meritum condignum, neque congruum, relate ad obtinendam fidem supernaturalem, quippe quæ est in ordine superiori relate ad operationes naturales. At operationes supernaturales virtutum infusarum, quæ præeunt justificationem, quamvis non possint illam mereri de condigno, possunt tamen illam mereri de congruo; quia merita quæ habentur ex gratia præveniente, non pugnant cum gratia, alioquin ipsa gratia pugnaret cum gratia, quod est falsum. Hinc August. epist. 105. habet: *Nec ipsa remissio peccatorum sine aliquo merito est, si fi-*

si fides hanc impetrat . Hujusmodi autem meritum de congruo non fundatur in ulla proportione inter meritum , & præmium , sed in sola promissione Dei , qui credentibus, & poenitentiam agentibus congruenter remissionem peccatorum promisit .

IX. Ad confirmationem ; Verbum Dei sanat, & salvat , non sola fide , qua apprehenditur , sed etiam charitate, & aliis operibus, quibus adimpletur . Hinc a D. Jacobo non dicitur verbum Dei salvare, sed quod possit salvare animas nostras ; si scilicet instar seminis retineatur in corde bono , & fructum afferat in patientia tempore tentationum .

X. Opponitur ultimo Auctoritas Sanctorum Patrum, qui passim videntur docere , quod ad salutem sit satis fides . Primo, Augustinus lib. 83. qq. q. 76. habet: *Si quis cum crediderit , mox de hac vita decesserit, justificatio fidei manet cum illo, nec præcedentibus bonis operibus; quia non merito ad illam, sed gratia pervenit .* Secundo, Chrysostomus Homil. 3. in Epist. ad Titum: *Si credis fidei, cur alia infers, quasi fides justificare non sufficiat sola ?* Tertio , Ambros. ex Comment. in cap. 3. ad Rom. *Justificati sunt gratis, quia nihil operantes , neque vicem reddentes sola fide justificati sunt.* Et in cap. 9. beatos dicit, *de quibus hoc sanxit Deus, ut sine labore , & aliqua observatione sola fide justificentur apud Deum.* Quarto, Origenes in cap. 3. Epist. ad Rom. *Dicit* (Apostolus) *sufficere solius fidei justificationem, etiamsi nihil ab eo operis fuerit expletum .* Et sic non raro alii Patres loquuntur , qui diserte videntur docere, quod viam salutis in fide, & precibus (seu in fide , quæ non sit sine fiducia , & amore) totum claudendo Divina bonitas abbreviaverit .

Respondeo, hæc , & alia id genus loca Sanctorum Patrum , quæ in expositione quinquagesimæ thesis adduximus, solum significare , quod fides formata charitate sufficiat ad salutem, quin conferant ad istam opera naturalia , aut requirantur opera cæremonialia legis, vel opera externa , si non possumus ea exequi .

Ad primum: Augustinus passim docet , fidem sine charitate esse fundamentum duntaxat ædificii , ac initium justificationis : ita ut opera bona ante fidem nullatenus disponant ad gratiam fidei ; opera vero post fidem, utpote supernaturalia, ad justificationem conferant , & ad salutem . In lib. de prædest. Sanctorum cap. 7. habet: *Ex fide ideo dicit Apostolus justificari hominem, non ex operibus , quia ipsa prima datur , ex qua impetrentur cætera , quæ proprie opera nuncupantur , in quibus juste vivitur .* Quare ad locum in argumento adductum dicendum , ibi Augustinum loqui de fide viva , & formata charitate, quæ non obtinetur per meritum operum naturalium.

Ad secundum, Chrysostomus etiam præter fidem opera, quibus juste vivamus , requirit ad salutem; ideo Homil. 70. in Matth. habet ; *Ne fideles sola se fide salvari posse confidant , de pœna malorum disserit : ita infideles ad fidem , fideles vero ad recte vivendum cohortatur .* Hinc loco laudato , ubi dicit solam fidem posse justificare , excludit cæremonias veteris legis , ut constat ex contextu.

Ad tertium , pariter D. Ambrosius ibi excludit opera cæremonialia legis ; cum expresse alibi doceat, solam fidem non sufficere ad salutem; præsertim in Comment. ad 4. caput ad Hebr, ubi habet: *Magna res est fides , & salutaris , & sine hac non est salvari possibile ; sed sola fides non sufficit : Operari fidem per dilectionem necessarium est , & conversari digne cum Deo .* Præterquamquod, ut notat Bellarminus, Commentaria ista in Epist. D. Pauli non præseferunt auctoritatem , quæ D. Ambrosio debetur; cum ea communiter censeantur non esse hujus Sancti Doctoris.

Ad ultimum : ibi Origenes excludit opus externum , utpote ad justificationem nullatenus requisitum, dummodo non stet per voluntatem, quin ponatur , quando præcipitur . Nam idem Auctor in cap. 4. ejusdem Epistolæ ad Romanos diserte docet , fidem sine operibus ad novum hominem spectantibus non esse satis , dicens : *Credentibus quidem Christo , nec tamen deponentibus veterem hominem cum actibus suis , fides reputari non potest ad justitiam .*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXVIII.

SExagesima octava docens , Deum salutis viam abbreviasse, totum concludendo in fide, & precibus, enormiter errat tam in sensu, quem facit , quam in sensu in quo fit a Quesnello: Sensus quem facit est , quod ad salutem obtinendam satis sint fides , & oratio. Cum autem oratio de se spectet ad virtutem moralem Religionis , non vero ad charitatem , sensus hujus thesis erit , quod ad salutem non solum non requiratur præceptorum observantia , & exercitium aliarum virtutum moralium , quod mox dicemus esse erroneum, sed neque etiam exercitium virtutum supernaturalium spei , & charitatis : Cum tamen 1. ad Cor. 13. dicatur : *Si habuero omnem fidem , ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero , nihil sum* ; & perspicuum sit , homines ad exercitium omnium virtutum Theologalium a Deo obligari ; ut proinde proscripta fuerit ab Alex. VII. prima illa thesis , quæ habet : *Homo nullo unquam vitæ tempore tenetur elicere actum fidei , spei , & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium .* Quare evidenter est absonus sensus germanus hujus thesis.

Sensus autem, in quo fit a Quesnello, est, quod ad incedendum per viam salutis, sufficiant fides , & preces , hoc est fides , quæ (ut dixit in thesi 52.) non est absque amore , & fiducia , quibus actibus Deum invocamus, & exoramus , juxta illud Augustini in Enchirid. cap. 7. *Fides credit ; spes , & charitas orant ; sed sine fide esse non possunt ; propter hoc & fides orat.* In hoc autem sensu errat primo Quesnellus, dum vult, fidem , spem, & charitatem orare formaliter, & non solum radicaliter , quatenus impellunt ad orandum ; unde oratio non est actus elicitus ab iis virtutibus, sed imperatus . Quare sicut Apostolus dicit, fidem justificare ; quod tamen non est intelligendum de justificatione formali , sed solum quod disponat ad justificationem, ut advertit Tridentinum sess. 6. cap. 8. & sicut idem Apostolus dicit, fidem operari per charitatem ; non quia fides est actus elicitus a charitate, sed quia fides per charitatem impellit ad operationes salutares, & ad legis observantiam: ita Augustinus docet , fidem , spem, & charitatem orare, impellendo pariter ad orandum . Errat secundo, dum

iterum

iterum aliis phrasibus docet, quod dixerat in thesi 52. videlicet omnia salutis media contineri in fide, & fidem non esse absque amore, & fiducia; in hoc autem triplicem anguem latitare ibi ostendimus. Errat tertio, dum docet, ad salutem obtinendam fidem, & preces in sensu explicato satis esse; cum certum sit requiri etiam præceptorum observantiam, juxta illud Christi Domini Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi*, *serva mandata*, necnon susceptionem Sacramentorum, & exercitium aliarum virtutum moralium; ut proinde Christus Dominus in extremo die Reprobis dicturus sit, propter omissionem operum Misericordiæ detrudendos esse in ignem æternum; iis enim verbis finalis sententia profertur Matth. 25. *Discedite a me maledicti in ignem æternum*, *qui paratus est diabolo*, *& angelis ejus*: *Esurivi enim*, *& non dedistis mihi manducare*, &c. Hinc Petrus Apostolus ad universa pietatis opera adhortatur dicens c. 1. suæ Epistolæ: *Fratres magis satagite*, *ut per bona opera certam vocationem vestram*, *& electionem faciatis*: *Hæc enim facientes non peccabitis aliquando*. Et Trident. sess. 6. c. 11. advertit, neminem in sola fide blandiri sibi debere, nisi etiam Christo compatiatur, ut & conglorificetur, addens ex Apostolo, quod *Christus ipse*, *cum esset Filius Dei*, *didicit ex iis quæ passus est obedientiam*, *& consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ*. Quare omnia salutis media non concluduntur in sola fide, & precibus, quomodocunque id explicetur a Quesnello.

PROPOSITIO LXIX.

Fides, usus, augmentum, & præmium Fidei, totum est donum puræ liberalitatis Dei. *Quesn. Marc. 9. 22. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Torpentes, *ac desides vult nos Quesnellus reddere*, *dum dicit*, *fidei usum*, *& augmentum esse Dei donum*.

II. Contendit, *eam esse merum donum Dei*, *ita ut nostram cooperationem excludat*.

III. Actus voluntatis imperans assensum fidei est ita donum Dei, *ut sit etiam meritum nostrum*.

IV. Hinc præmium pariter, *quod pro eo actu confertur*, *neque est purum donum Dei*, *ita scilicet*, *ut excludat moralem ejus exigentiam*.

V. Discrimen inter gratiam collatam in statu innocentiæ, *& eam*, *quæ confertur in statu naturæ lapsæ*, *non est essentiale*, *sed mere accidentale ex tribus capitibus*; *unde in utroque statu actus supernaturales meritorii non sunt purum Dei donum*.

VI. Janseniani explicare nequeunt quonam pacto actus nostri possint esse meritorii, *si solam habeant libertatem a coactione*.

VII. Vita æterna in statu naturæ lapsæ, *non secus ac in statu innocentiæ*, *ita est Dei donum*, *ut sit etiam merces*: *Unde fit*, *gratiam Adamicam*, *& Christianam solum accidentaliter discriminari*.

VIII. Explicatur in quonam sensu dicat Apostolus, Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.

IX. Sicut etiam quomodo Deus operetur in nobis velle, *& perficere*.

X. Et quare dicatur Deus Electos a Reprobis discernere.

XI. Ad eum modum, *quo voluntas nostra est causa principalis culpæ*, *vi cujus discernitur tandem Reprobus ab Electo*; *ita Deus est causa principalis bonæ operationis*, *vi cujus tandem Electus discernitur a Reprobo*.

XII. Quare Deo principalius nostra bona operatio ascribatur?

I. HOrrendum ingrati animi crimen subiremus, nisi immensæ Divini erga nos amoris beneficentiæ acceptos referremus actus omnes nostros salutares: sunt quippe hujusmodi operationes ex Trid. sess. 6. can. 32. Divinæ liberalitatis dona; quamvis non sint ita dona Dei, ut non sint etiam merita nostra. Quesnellus in hac thesi videtur sub specie cujusdam pietatis ad gratitudinem nos excitare, commemorando ingentia dona, quæ nobis a Deo misericorditer conferuntur per fidem, per ejus usum, & augmentum, nec non per præmium. At dicendo simul totum hoc esse donum puræ putæ divinæ liberalitatis, non solum torporem inducit, & socordiam, dum vult nullatenus a nostra libera cooperatione illud dependere, verum etiam de medio tollit in tot ingentibus fidei donis dotem illam præstantissimam, quod scilicet hæc ipsa dona sint pariter nostra merita: Quod maximopere divinam benificentiam commendat: Siquidem hac de causa vult nos semper excitatos, ut Deo inserviamus, majus semper ac majus augmentum gratiæ, & gloriæ promerendo, ac timentes ne a justitia decidamus, & circa fidem etiam naufragium patiamur, dum in manu voluntatis nostræ positum est fidem amplecti, ac illam recusare, necnon per ejus usum, & exercitium in ea crescere, & præmium inde misericorditer promissum reportare. Hinc Cœlestinus Papa in Epistola dixit: *Tanta erga omnes homines est bonitas Dei*, *ut nostra velit esse merita*, *quæ sunt ipsius dona*. Errat proinde Quesnellus, & vehementer errat adversus catholicas veritates, dum docet totum esse donum puræ liberalitatis Dei, fidem, ejus usum, augmentum, ac præmium, excludendo nostram liberam cooperationem tam in actu, quo fidem amplectimur, quam in actibus, quibus habitu infuso fidei utimur, sicut etiam in actibus, quibus fidei augmentum promeremur; nec non excludendo a præmio rationem debiti relate ad merita de condigno, ut mox explicabimus.

II. Quod autem in hoc sensu thesis isthæc loquatur, ex eo constat, quia in thesi 34. dicitur, gratia Adami non produxisse nisi merita humana, juxta sententiam Jansenianorum docentium, solum in statu innocentiæ merita tribui humano arbitrio potius, quam gratiæ. Quod Bajus olim docuerat in prima ex ejus proscriptis thesibus dicens: *Nec Angeli*, *nec primi hominis adhuc integri merita recte vocantur gratia*: in statu vero naturæ lapsæ, in quo duos tantum Quesnellus agnoscit amores, ut habet in thesi 44. aut ex charitate infusa bonum, aut ex carnali cupiditate malum, vult actum charitatis (qui simul sit fidei ac fiduciæ, juxta thesim præcedentem, & 52.) in nobis causari a gratia suprema, forti, irresistibili; omnipotenti, prout habet in thesi vigesima prima; unde necessitet voluntatem, quæ solum est libera a coactione; & ideo talis actus non sit meritum huma-

num;

num, sed gratia. Ex quo fieret, fidem, & ejus usum, ac augmentum esse merum donum divinæ liberalitatis, nullatenus imbibens nostram liberam cooperationem; nec non præmium, quod fidei hujus actibus correspondet; cum ab operationibus, utpote non liberis, nullatenus exigatur.

III. Ostenditur falsitas ex iis omnibus, quæ adversus Jansenii theses, & adversus plurimas istarum, præsertim adversus decimam, & decimamtertiam, diximus, enervando errores Jansenianorum contendentium gratiam in natura lapsa esse talem, cui voluntas resistere non possit; quod si verum esset, procul dubio fides, usus, augmentum, & præmium fidei totum esset donum puræ munificentiæ Divinæ. Cum autem pluribus ostenderimus auxilium gratiæ esse indifferens, nec lædere libertatem indifferentiæ, aperte sequitur, quod solum gratia auxiliaris requisita ad fidem amplexandam sit donum puræ liberalitatis Dei; fides tamen in quantum libera, & meritoria, seu actus supernaturalis, quo quis libere imperat intellectui assensum fidei supernaturalem, non sit ita donum liberalitatis divinæ, ut non sit etiam meritum nostrum. Quod etiam dicendum de usu fidei, seu de actibus liberis, & meritoriis, quibus assensus fidei imperatur, utendo relate ad illos habitu prævio fidei infusæ; necnon de actibus liberis, ac meritoriis, quibus augmentum talis habitus promeremur. Ex quo etiam sequitur, quod præmium collatum istis actibus fidei meritoriis a justo elicitis, neque sit donum puræ liberalitatis divinæ, sed ita sit donum Dei, ut sit etiam a nostris meritis exigitum de condigno, atque adeo debitum ex justitia.

IV. Totum hoc aperte colligitur ex verbis Trid. sess. 5. can. 32. ubi anathematizatur, *qui dixerit; hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita.* Unde fit, omnes actus nostros supernaturales, qui sunt liberi, & meritorii, non esse donum puræ liberalitatis divinæ, nisi tantum in radice, quatenus ex pura liberalitate confert nobis Deus auxilium supernaturale ad illos ponendos absque ulla prævia exigentia sive physica, sive morali; at formaliter includunt etiam nostram liberam cooperationem; quæ pariter est donum Dei, cui principaliter debetur, & simul etiam est meritum nostrum exigitivum præmii supernaturalis; unde præmium, quod confertur actibus fidei, non est purum donum excludens exigentiam moralem illius. Quod pariter colligitur ex verbis ejusdem Trid. in eadem sess. 6. cap. 16. ubi habet: *Bene operantibus usque in finem, ac in Deo sperantibus proponenda est vita æterna, & tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, & tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus, & meritis fideliter reddenda;* unde constat præmium bonorum operum supernaturalium, sicut etiam ipsos actus nostros meritorios esse solum in radice, non formaliter donum puræ liberalitatis Dei: essent tamen formaliter donum puræ divinæ munificentiæ, si subsisteret doctrina Janseniana, quod nos relate ad actus fidei, ac salutares nullam exerceremus libertatem indifferentiæ essentialiter requisitam, ut actus illi sint meritorii, qui solum principalius Deo tribuantur, non vero adæquate, nisi dumtaxat in radice.

Hinc, ut idem Trid. advertit, præmium bonis operibus conferendum *est illa corona justitiæ, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse ajebat Apostolus, a justo Judice sibi reddendam;* quod autem est debitum ex justitia, & a justo Judice dandum, non potest dici donum puræ liberalitatis, esto ex pura liberalitate nobis contulerit Deus facultatem ad hoc præmium promerendum, & ex pura liberalitate conferat gratiam efficacem ex intentione boni operis secuturi, qua de facto hujusmodi præmium mereamur.

V. Confirmantur hæc omnia ex iis, quæ diximus in thesi sexta ostendendo nullum esse discrimen essentiale inter gratiam Adamo collatam in statu innocentiæ, & illam, quæ nobis confertur in statu naturæ lapsæ; sed solum differre accidentaliter ex tribus illis capitibus, quod scilicet gratia ista supponat positivam indignitatem subjecti; & quod supponat Verbi Incarnationem requisitam ad exhibendam satisfactionem condignam pro mortali; & demum quod debeat esse uberrima ad frangendum impetum concupiscentiæ rebellis, & aliorum plurimorum hostium removentium nos ab exercitio virtutum. Cæterum sicut gratia Adamica erat talis, cui voluntas posset resistere, vel obtemperare, & ideo obedientia erat meritoria, unde & ipsa, & ejus præmium non erant donum puræ liberalitatis Dei in sententia Jansenianorum; ita prorsus dicendum de gratia in statu naturæ lapsæ, quæ pariter cohæret cum libertate indifferentiæ; unde parit merita, nec non præmium meritis debitum, quæ non sint donum puræ liberalitatis Dei, excludens nostram liberam cooperationem ab actibus meritoriis, & exigentiam moralem in istis relate ad præmium. Propterea Augustinus epist. 195. dixit: *Nulla ne sunt merita justorum? Sunt plane, quia justi sunt, sed ut justi fierent, merita non fuerunt.* Et Concil. Arausicanum can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.*

VI. Adde adversus hos Jansenianorum errores, quod uniformiter discurrant de operibus peccaminosis, ac de operibus honestis, seu charitatis, ut sicut illa sunt demeritoria per solam libertatem a coactione, ita ista sint ratione ejusdem libertatis meritoria: quando tamen urgentur, quomodo possit quis peccare, & puniri ponendo operationem, quam declinare non potest? respondent, (quamvis inaniter, ut ostendimus in expositione primæ thesis ab Alex. VIII. confixæ) sufficere libertatem in causa, seu in peccato Adæ, ratione cujus contraximus necessitatem peccandi. At si rogentur, quomodo possit quis mereri, ac præmiari per operationem, quam non potest a se excutere, quamvis sit libera libertate a coactione? ad hoc ne in speciem quidem possunt quicquam reponere, cum non possit libertas in causa, seu Adamo peccante efficere, ut actus bonus non liber sit meritorius; peccatum quippe Adæ quamvis potuisset efficere, ut contrahamus demeritum propter operationes malas non liberas, non poterat tamen peccatum illud efficere, ut nos per operationes honestas non liberas contrahamus meritum; unde sicut Janseniani in natura lapsa negant dari vera merita, sed dicunt actus honestos liberos libertate a coactione esse donum puræ liberalitatis Dei, ita cohærenter negant, quod vita æterna detur in præmium rigorose dictum; & ideo docent præmium large dictum fidei esse donum puræ liberalitatis Divinæ. Quæ omnia omnino a veritate

abhor-

abhorrent. Etenim bene cohærent etiam in natura lapsa, & quod Dei donum sit bona nostra operatio, ac præmium, quod ex illa consequitur; & quod hæc nostra bona operatio sit in nostra potestate, unde voluntas illam eligens exigat præmium illi promissum. Quod facile intellectus bene dispositi percipiunt; secus vero intellectus aut rudes, aut pervicaces, qui sanis sermonibus non acquiescunt. Et ideo Augustin. lib. 2. contra Petilianum Donatistam Episcopum cap. 84. habet: *Si tibi proponam quæstionem, quomodo Deus Pater attrahat ad Filium homines, quos in libero dimisit arbitrio? fortasse eam difficile soluturus es. Quomodo enim attrahit, si dimittit, ut quis quod noluerit eligat? & tamen utrumque verum est; sed intellectu hoc penetrare pauci valent.* Quare gratia ineluctabiliter nostras operationes obtinet, & simul est in nostra potestate illas non ponere; & ideo bonæ operationes sunt simul donum Dei, & merita nostra; atque adeo pariter præmium est donum Dei, & simul debitum meritis nostris; proscripta proinde fuit thesis 3. Baji docentis: *Et bonis Angelis, & primo homini, si in statu illo perseverasset usque ad ultimum vitæ, felicitas esset merces, & non gratia*; optime enim cohæret tam in statu innocentiæ, quam in statu naturæ lapsæ, quod vita æterna sit Dei donum, & gratia, quamvis sit merces nostris meritis debita. Et ratio est, quia, ut diximus ex Concilio Arausicano can. 18. *Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant*; unde merces ipsa est etiam gratia, & ideo non est donum puræ liberalitatis Dei.

VII. Opponitur primo a Bajo lib. 1. de meritis operum cap. 3. id, quod Augustinus dicit de corrept. & grat. c. 11. ubi sic loquitur de vita æterna respondente meritis Angelorum, & Adami: *Quæ futura erat & homini, sicut facta est Angelis, merces meriti; nunc autem per peccatum, perdito bono merito in iis, qui liberantur, factum est donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Quare ex mente Augustini videtur esse, quod in statu naturæ innocentis dabantur merita, quibus tanquam merces, & non tanquam gratia respondebat vita æterna; in statu vero naturæ lapsæ merita sunt deperdita, & facta est donum Dei vita æterna, quæ fuisset merces, si bona merita non perdidissemus per peccatum; unde fit, fidem, usum, augmentum, & præmium fidei esse donum puræ munificentiæ divinæ

Respondeo Augustinum non negare quod vita æterna, quæ fuisset Adamo merces, (sicut fuit merces Angelis bonis) fuisset etiam gratia, & donum Dei in radice meritorum, sicut nunc est post peccatum; etenim etiam post peccatum vita æterna dicitur esse merces ab eodem Augustino epist. 105. ad Sixtum, ubi habet: *Sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors, ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna;* & tamen post peccatum, ipsis Jansenianis fatentibus, est Dei donum. Quare ex triplici illo capite, ex quo accidentaliter discriminatur gratia Adamica in statu innocentiæ a gratia Christiana in statu naturæ lapsæ, beatitudo ab Augustino dicitur esse facta donum Dei, quæ fuisset Adamo merces, si perseverasset. Primo quidem quia præsupposita indignitate contracta ab Adamo per peccatum, gratia in natura lapsa est speciali titulo gratia. Secundo quia in natura lapsa ad gloriam consequendam prærequiritur redemptio a peccato per satisfactionem præviam Hominis Dei: unde Augustinus loco laudato habet: *Nunc potentiori gratia indigent isti: & quæ potentior, quam Dei Unigenitus Filius æqualis Patri, pro eis homo factus, & sine ullo vel originali, vel proprio peccato a peccatoribus crucifixus?* Tertio quia in natura lapsa ad gloriam consequendam requiritur gratia uberior, quæ vincat concupiscentiam repugnantem meritis, quæ ante peccatum non erat in Adamo Protoparente: unde idem Augustinus eodem loco habet: *Ille non opus habet eo adjutorio, quod implorant isti, cum dicunt; Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ; ille vero nulla tali rixa a seipso in seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* His itaque de caussis nostra merita, ac præmium dici solent Dei donum, non quia sunt purum Dei donum, sed quia in tali dono divina liberalitas longe major est, quam in statu naturæ innocentiæ.

VIII. Opponitur secundo illud Apostoli ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei;* quibus verbis videtur Apostolus docere, uni Deo deberi nostras bonas operationes, ac vitam æternam, nullatenus vero nobis.

Confirmatur ex eo, quod dicitur Ezechiel. 11. *Faciam ut faciatis:* Et ad Philipp. 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere:* ergo nostrum velle, & facere uni Deo tribuendum; atque adeo est donum puræ liberalitatis divinæ.

Respondeo, Patres, qui hoc testimonio Apostoli utuntur ad ostendendam necessitatem gratiæ in statu naturæ lapsæ, ostendere ejusdem gratiæ necessitatem etiam in statu naturæ innocentis: quare ex hoc non infertur, quod bona operatio, ejusque præmium sit donum puræ liberalitatis divinæ in uno, & non etiam in altero statu, ut contendit Bajus, & ante illum Calvinus lib. 9. Instit. cap. 19. In tantum autem dicit Apostolus, non esse volentis, neque currentis, sed miserentis Dei, quia ex Divina Misericordia fit, ut velimus, ratione gratiæ efficacis, quam confert; unde Deo principalius nostra operatio debetur, quin tamen desit nostra cooperatio; ut docet idem Apostolus ad Cor. 15. dicens: *Non ego, sed gratia Dei mecum*: quem locum Quesnellus in Gallica versione corrupit ad eludendam ejus auctoritatem vertendo sic: *Non ego, sed gratia Dei, quæ est in me*, perinde quasi sola gratia bonas operationes causaret, & ad illas determinaret.

IX. Ad confirmationem, in duplici sensu posset intelligi, quod Deus sua gratia faciat nos facere. Primo significando caussalitatem moralem, ut consilium, exhortatio, preces faciunt aliquid facere; & in hoc sensu proculdubio gratia facit nos facere bonas operationes, illas suadendo; facitque nos pro sua bona voluntate usque in finem perseverare. Secundo potest significare caussalitatem physicam; & hanc potest etiam bifariam denotare: potest enim significari, quod Deus per auxilium gratiæ ita influat physice in operationem, ut determinet voluntatem ad illam; & falsum est, quod hoc pacto auxilium gratiæ faciat nos facere; cum voluntas non determinetur ab auxilio, sed ipsa determinet auxilium indifferens ad coagendum. Hinc Eccles. 3. dicitur: *Facite ut salvi sitis.* Et Hieronymus 2. in Matth. *Noster animus suscipiens granum præ-*

prædicationis, *& fovens sementem humore fidei, facit in agro sui pectoris pullulare*. Potest etiam significari causalitas physica gratiæ, dum dicitur, quod faciat nos facere, & quod operetur in nobis velle, & perficere, non quia determinat ad operationem, sed quia principalius ipsa agit, & minus principaliter coagit voluntas; & in hoc sensu procul dubio gratia facit nos facere, quin ex hoc inferatur, quod bona operatio sit donum meræ liberalitatis divinæ, quamvis sit donum divinæ liberalitatis collatio auxilii prævisi efficacis, cum quo Deus nobiscum ponit operationem salutarem, ut fuse in tertia thesi explicavimus.

X. Opponitur ultimo illud Apostoli 1. ad Cor. 4. *Quis est, qui te discernit? quid habes, quod non accepisti? quid gloriaris, quasi non acceperis?* quod videtur significare esse donum puræ liberalitatis Dei quicquid boni operamur in ordine ad salutem; aliter si voluntas gratiam determinaret ad operandum, non esset Deus, qui sua gratia discerneret electos a reprobis; sed ipsi se discernerent, possentque homines gloriari de hac ipsa determinatione ad bene operandum, tanquam propria, & non accepta Deo.

Confirmatur primo, quia discernere operantem salutariter a non operante, & electum a reprobo fert bene operantem fieri inæqualem non operanti. Hanc autem inæqualitatem non inducit auxilium gratiæ, si posset esse æquale in utroque; ergo induceretur a voluntate; unde voluntas discerneret, & non Deus, si nostra operatio, ejusque præmium non esset donum puræ munificentiæ Divinæ.

Confirmatur secundo, quia si gratia operatur solum partialiter, & voluntas ita cooperatur, ut determinet potius gratiam, quam determinetur a gratia, sequeretur, quod discretio principalius fieret a voluntate, quam a gratia; cum tamen Apostolus videatur a voluntate excludere discretionem etiam partialem, nedum principalem.

Confirmatur tertio, quia quamvis voluntas esset causa minus principalis relate ad operationem salutarem, si tamen partialiter ad illam concurreret determinando ad illam, posset homo de hoc ipso gloriari, quod fecerit, ut gratia fortita sit effectum suum, & sic gloriari, quod se discreverit a non operante.

Respondeo, dictum laudatum Apostoli etiam de Angelis intelligendum esse, ut notat Anselmus lib. de casu Diaboli cap. 1. cujus titulus est: *Quod etiam ad Angelos dicatur*: *Quid habes, quod non accepisti?* Et August. lib. de corrept., & grat. cap. 15. dicit, Adamum non aliter potuisse perseverantiam habere, quam acceptam a Deo; atque adeo tam in statu naturæ innocentis, quam in natura lapsa verum est, & explicandum ab omnibus, quod bona operatio, quamvis libera, Deo accepta referenda sit: quare in utroque naturæ statu agnoscenda est gratia, cui voluntas resistere, aut obtemperare possit. Ratio autem cur bona operatio tribuenda sit Deo, ita ut Deus discernat bene operantem a non bene operante, & electum a reprobo, non vero voluntas, quæ determinat gratiam ad bonam operationem ponendam, est, quia licet in genere causæ formalis bona operatio discernat bene operantem a non bene operante; sicut in genere causæ formalis albedo discernit album a non albo: nihilominus in genere causæ efficientis illi causæ principali, cui ascribitur forma, ascribitur etiam effectus formalis; atqui boná operatio ascribitur Deo tanquam causæ principali; (quippe qui illam consulit, ac sæpe mandat, dat vires supernaturales ad illam, ac seligit auxilium prævisum efficax ex intentione, quod illa ponatur) ergo bene operans, ut discretus a non bene operante, tribuitur principaliter Deo, non ipsi arbitrio; sicut victoria ascribitur magis Duci, quam militibus; & homicidium magis consulenti, ac mandanti, quam exequenti. Quinimo potiori jure Deus est causa principalis bonæ operationis, quam dux sit causa victoriæ, aut sicarius sit causa homicidii, quia soli Deo competit prævisio auxilii efficacis, quod conferre possit ex animo inducendi ineluctabiliter victoriam tentationum, ac bonam operationem; quam prævisionem neque dux habet, neque mandans homicidium. Præterquamquod, cum Deus sit auctor, & causa ipsius potentiæ naturalis, ac totius integræ libertatis creatæ, & per eandem indivisibilem actionem, qua nos agimus, agat & ipse eandem nostram operationem, ex hoc etiam titulo magis tribuitur Deo nostra bona operatio, quam intendit, & cujus est auctor, quam ipsi voluntati coagenti; sicut etiam quia Deus ex speciali sua dilectione erga bene operantem seligit auxilium prævisum efficax, & oportunum, subquo bona operatio infallibiliter sequatur citra læsionem libertatis; quod non potest præstare dux erga militem triumphum reportantem.

XI. Quod confirmatur, & explicatur paritate malæ operationis, seu peccati; etenim quia voluntas est causa principalis efficiens relate ad peccatum, quod discernit formaliter peccantem a justo, & reprobum ab electo, ideo voluntas est causa principalis efficiens talis discriminis; unde Judas Apostolus loquens de hæreticis dicit num. 19. *Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes*. Quod D. Thomas exponit. *Qui separant semetipsos per hæreses, & schismata:* ergo ex opposito quia causa efficiens principalis bonæ operationis est Deus, ideo Deus est causa efficiens, cur electus a reprobo discriminetur.

Quia tamen voluntas etiam cooperatur gratiæ, & determinat illam ad actum bonum, ideo potest etiam aliquatenus de hoc gloriari non quidem præsumptuose, quasi idipsum non acceperit, sed humiliter, & in Domino juxta illud Apostoli: *Qui gloriatur, in Domino glorietur*. Hinc Bernardus serm. de verbis Apostoli habet: *Non ait Apostolus, si autem accepisti, quid gloriaris? Sed quid gloriaris, inquit, quasi non acceperis? ut non prohibeat, sed doceat gloriari*. Et Augustinus epist. 106. exponens hoc Apostoli dictum habet: *Hoc itaque totum non ideo dicitur, ut homo non glorietur, sed ut qui gloriatur, in Domino glorietur; quia opera ex gratia, non ex operibus gratia*. Immo Apostolus ipse diserte docet, gloriationem istam non esse indignam homine justo, qui gratiam ad bonam operationem determinat, dicens 2. ad Corinth. 12. *Si voluero gloriari, non ero insipiens; veritatem enim dicam*: Immo de facto de præclaris facinoribus gloriatur, dicens 2. ad Timoth. 9. *Bonum certamen certavi, cursum consummavi*. Et 1. ad Corinth. 15.

13. *Abundantius omnibus laboravi*. Censet enim dignum laude, honore, & gloria illum, qui bene operatur, dicens Rom.2. *Gloria*, *& honor omni operanti bonum*. Et 1. ad Cor. 4. *Laus erit unicuique a Deo*.

Ad primam confirmationem, diximus causam formalem inæqualitatis inter bene operantem, & non bene operantem non esse gratiam, sed bonam operationem; causam vero efficientem principalem bonæ operationis esse Deum; ita tamen, ut etiam voluntas coagat ad illam elective; & ideo Deo tribuitur discretio electi a reprobo, quin tamen bona operatio, ejusque præmium sit donum puræ liberalitatis Divinæ.

XII. Ad secundam, ostendimus, quomodo principalius Deo tribuatur bona operatio, & discretio electi a reprobo, quamvis voluntas cooperetur gratiæ, ita ut illam determinet, & non determinetur ab illa ad coagendum; sicuti principalius tribuitur homicidium mandanti, quam exequenti; unde ad restitutionem tenetur mandans, non exequens, nisi in defectum mandantis; esto homicidium sequatur ex ultima determinatione exequentis illud. Apostolus autem non excludit partialem cooperationem, & aliquam discretionem a voluntate; sicuti quando homicidium tribuitur mandanti, (ita ut ille prius ad restitutionem teneatur, & in hujus defectum teneatur exequens) non fit quominus homicidio cooperatus sit exequens; immo solus exequens physice ad illud cooperatur; sicut sola voluntas cooperatur elective ad bonam operationem. Quæ omnia egregie Augustinus explicavit de spiritu, & litera cap. 33., ubi ostendit solius Dei esse vocare, voluntatis vero esse consentire, & per hoc voluntatem accipere a Deo bonam operationem, dicens: *Consentire autem vocationi*, *vel ab ea dissentire*, *propriæ voluntatis est*; *quæ res non solum non infirmat*, *quod dictum est*, *Quid habes*, *quod non accepisti? verum etiam confirmat: accipere quippe*, *& habere anima non potest dona*, *de quibus hoc audit*, *nisi consentiendo*; *ac per hoc accipere*, *& habere utique accipientis*, *& habentis est*. Ecce quomodo ex Augnstino consensus a Deo accipitur; unde Deus discernit, quamvis voluntas consentiat.

Ad ultimam confirmationem; satis diximns, in quo sensu possit homo gloriari de bonis operationibus, quæ Deo principalius, & quodammodo absolute tribuuntur; adeo ut Apostolus tenuissimas illas partes, quas tribuit voluntati relate ad operationes salutares, veluti non agnoscat, cum dicat: *Non ego*, *sed gratia Dei mecum*. Quare fides, usus, augmentum fidei, ac præmium non sunt donum puræ Divinæ munificentiæ, esto principalissime Deum cognoscant auctorem.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXIX.

Sexagesimanona vult esse donum puræ liberalitatis divinæ tam fidem, quam fidei usum, ac ejus augmentum, necnon ipsum præmium, quod fidei actibus confertur. Usquequaque tamen errat, dum vult hæc omnia ita esse dona Dei, (quod citra summam impietatem negari non potest) ut tamen sint pura dona, seu dona meræ divinæ munificentiæ, ex quo fieret deesse rationem meriti tum in actu, quo quis a Deo illustratus, & adjutus libere credit; tum etiam in actu, quo quis libere utitur fide infusa; necnon in actibus fidei, quorum intuitu confertur fidei habitualis augmentum; ac demum deesse rationem mercedis in præmio, quod in patria datur credentibus. Hæc autem omnia doctrinæ Catholicæ mirum quantum adversantur: siquidem opera ex gratia libere a nobis posita, quamvis in radice sint pura Dei dona; (cum Deus non conferat ulli primam gratiam intuitu operum naturalium, sed omnino gratis; aliter gratia non esset gratia, ut habet Apostolus ad Rom. 11.) at dum libere a nobis ponuntur, habent etiam rationem meriti apud Deum, & sunt exigitiva præmii; ut proinde Tridentinum sess. 6. can. 32. anathematizet, *Qui dixerit*, *hominis justificati bona opera ita esse dona Dei*, *ut non sint etiam bona ipsius justificati merita*. Quando autem quis libere credit, esto nondum esset tunc justificatus, ut proinde non posset mereri condignum præmium supernaturale, meretur tamen illud de congruo; quatenus congruum est, quod Deus summe munificus captivanti libere intellectum in obsequium Christi conferat novum auxilium supernum, quo possit novos actus supernaturales spei, timoris, contritionis elicere, quousque perveniat ad justificationnem; quod meritum congruum in operibus liberis naturæ viribus positis, utut studiosis, Catholici non admittunt, ex eo scilicet capite, quia si gratia conferretur ob meritum operum naturalium, gratia non esset gratia, ut ex Apostolo, & Conciliis constat adversus Semipelagianos. Quare cum Trid. doceat sess. 6. cap. 6. fidem ad justificationem disponere, per hoc quod homo excitatus divina gratia, & adjutus fidem ex auditu concipiat, ac libere moveatur in Deum, credens vera esse, quæ divinitus revelata, & promissa sunt, sequitur, actum fidei habere rationem meriti, & sic non esse donum puræ liberalitatis divinæ. Quod a fortiori dicitur in justificato, qui utitur fide infusa exercendo libere actus fidei, ac proinde merendo de condigno gratiæ, ac fidei etiam infusæ augmentum; atque adeo usus etiam, & augmentum fidei dici non potest merum Dei donum; cum in usu fidei sit etiam ratio meriti, & exigentia activa, & in augmento fidei infusæ detur exigentia passiva, quatenus confertur intuitu actus fidei exigentis illud augmentum. Idemque pariter dicendum de præmio, quod credentibus in patria confertur. Etenim Trid. sess. 6. cap. 16. docet, *Bene operantibus usque in finem*, *& in Deo sperantibus proponendam esse vitam æternam*, *& tanquam gratiam filiis Dei per Christum Dom. misericorditer promissam*, *& tanquam mercedem ex ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus*, *& meritis fideliter reddendam*. Quare præmium in patria propter fidei actus conferendum, quamvis in radice sit merum Dei donum, quatenus Deus misericorditer, & omnino liberaliter dignatus sit tale præmium promittere, & gratiam ad ponendos tales actus supernaturales conferre; supposita tamen hac promissione onerosa, hujusmodi donum induit rationem mercedis; atque adeo de facto non est donum puræ liberalitatis divinæ. Quod docuit Arausicanum can.18. ubi habet: *Debetur merces bonis operibus*, *si fiant*; *sed gratia*, *quæ non debetur*, *præcedit*, *ut fiant*. Hinc in ea parabola Dominus vineæ dixit Matth. 20. *Voca operarios*, *& redde illi mercedem*; ex quo deno-

denotatur præmium justis laborantibus in hac vita conferri, etiam ut mercedem, & ut coronam, quam Apostolus 2. Tim. 4. dixit reddendam sibi a justo Judice; quatenus etiam ex justitia; & non ex sola misericordia debetur justis, supposito contractu oneroso de illa conferenda post certamen. Ex hoc autem, quod Deus *operetur in nobis velle, & perficere*, ut habet Apostolus ad Philip. 2., non fit, quod bona operatio sit ita Dei donum, ut non sit etiam nostrum meritum, quia Deus non operatur in nobis consensum, nec facit nos facere determinando voluntatem cum eversione propriæ libertatis a necessitate, ut delirant Janseniani; sed id præstat, tum moraliter suadendo, ac præcipiendo bonam operationem; tum physice causando illam tanquam agens principale; unde possimus cum eodem Apostolo dicere 1. Cor. 15. *Non ego, sed gratia Dei mecum.*

PROPOSITIO LXX.

Nunquam Deus affligit innocentes, & afflictiones semper serviunt vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. *Quesnel. Jo. 9. 3. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Non semel isthæc Thesis Bajana a Summis Pontificibus proscripta fuit.

II. Deipara fuit Regina martyrum citra quamcumque præviam culpam.

III. Ærumnæ hujus vitæ potuissent homines affligere etiam citra culpam originalem.

IV. Quinimo infantibus innocentibus afflictiones humanæ infligi possunt a Deo, non solum ut Auctore naturæ, sed etiam ut Provisore in ordine ad plures honestos fructus, ac fines.

V. Cum Deus permittat peccatum Tyrannorum ob bonum Martyrum, a fortiori poterit velle mala physica ob spiritualem profectum innocentium.

VI. Etiam in hac vita melior est conditio Martyrum, quam Tyrannorum, & eorum, qui affliguntur, quam eorum, qui afflictionibus carent.

VII. Explicatur, in quonam sensu dicat Augustinus, quod citra injustitiam, ac tyrannidem non possit Deus innocentes affligere.

VIII. Certe injustus esset, si animas innocentes juxta placitum Manichæorum ad miserias peccati destinasset, & ad pœnas æternas.

IX. Non deformant pulchritudinem, ac ordinem Universi ærumnæ hujus sæculi, dum vexant etiam innocentes.

X. Neque obstrepunt Providentiæ divinæ.

XI. Miseriæ hujus vitæ sunt mala secundum quid, non mala simpliciter; haud aliter, quam sectio venæ, quæ causat sanitatem.

I. JAnsenianorum pervicacia adversus Ecclesiæ definitiones in eo maxime elucet, quod theses non semel a Pontificibus proscriptas iterum iterumque perfricta fronte in medium reponant. Jam a Pio V., a Gregorio XIII., & ab Urbano VIII. confixa fuit thesis illa Baji 73. dicens: *Omnes omnino justornm afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: Unde Job, & Martyres, qua passi sunt, propter sua peccata passi sunt*. In hac vero quamvis dicatur, quod afflictiones hujus vitæ vel deserviant ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem, nihilominus idem omnino virus evomitur, quatenus negatur affligi unquam a Deo culparum expertes, aut ab iis abunde emundatos, sed debere afflictionem omnem pedissequam esse peccati; adeo ut opposita sententia, quæ est omnium Scholasticorum, ac Catholicorum, a Bajanis, & a Jansenianis insimuletur Pelagianismi, Manichæismi, Atheismi, blasphemiæ, & impietatis in Deum, perinde quasi faciat illum injustum, ac crudelem. Qua in re pariter insinuatur tum thesis 19. ab Alexandro Octavo confixa, quæ habet: *Homo debet agere tota vita pœnitentiam pro peccato originali:* tum etiam 24. ab eodem Pontifice proscripta, quæ Deiparæ est valde injuriosa; dicit enim: *Oblatio in Templo, quæ fiebat a B.V. Maria in die Purificationis suæ per duos pullos columbarum, unum in holocaustum, alterum pro peccatis, sufficienter testatur, quod indiguerit purificatione, & quod Filius, qui offerebatur, etiam macula Matris maculatus esset secundum verba Legis.*

II. Ostenditur autem hujus thesis falsitas primo, quia Beatissima Virgo fuit Regina Martyrum, tum in Filii circumcisione, tum quando fugit in Ægyptum, sciens quod Christus D. ad necem ab impio Herode quæreretur; tum etiam quando dolens Filium amissum per triduum cum D. Josepho quæsivit; tum quando vidit Redemptorem sub cruce, & in cruce patientem, doloris gladio transfixa juxta Simeonis prophetiam; tum demum quando Christum D. e cruce depositum in sinu complectebatur, & tamen nullum unquam peccatum contraxerat, ob quod puniretur, aut a quo purificaretur, nec ullo debito luendi pœnas peccati alieni se astrinxerat, nec sine dementia potest in ea quæcunque sordes agnosci, ut Augustinus habet l. 5. de hæresib. cap. 5. dicens: *Stulte, unde sordes ex Virgine Matre, ubi non est concubitus cum homine Patre? unde sordes in ea, quæ nec concipiendo libidinem, nec pariendo est perpessa dolorem?* Et S. Eligius dixit: *Nequaquam immunda judicatur, quæ Sancto Spiritu obumbrante totius munditiæ, & Sanctitatis Auctorem genuisse probatur.* Quod si potuit Deipara maculæ etiam originalis expers citra ullam injustitiam, aut crudelitatem a Deo affligi, quidni & alii Justi poterunt similiter male pati, quamvis aut non male egerint, aut pœnarum reatum satis superque exsolverint? Quod autem maculæ etiam originalis expers Deipara fuerit, præter ea, quæ passim ab Auctoribus congeruntur (juxta dicta in Cursu Theologico p. 8. q. 1. art. 2.) ad ostendendum veritatem hanc esse proxime definibilem a Pontifice, ad vivum adumbratur ipsissimis literis nonnihil permutatis, quibus videtur oppositum evinci, videlicet, *Omnes peccaverunt in Adam*, ex quo Programmate pulcherrimum hoc, & purissimum enascitur Anagramma: *Peccamus, una Dei Mater non.*

III. Probatur secundo, quia proscripta est thesis 55. Baji, quæ habet: *Deus non potuisset creare talem hominem, qualis nunc nascitur*; ita scil. ut sit obnoxius ærumnis corporeis, quibus nunc affligitur, & cum rebellione concupiscentiæ. Damnata pariter est thesis 79. ejusdem Baji, quæ habet: *Immortalitas primi hominis non erat gratiæ beneficium, sed naturalis eius conditio*: Necnon 29. dicens: *Integritas primæ conditionis non fuit indebita naturæ humanæ exaltatio, sed naturalis ejus conditio.* Quod si rebellio concupiscentiæ, & ærumnæ hujus

vitæ possunt hominem affligere, citra ullam præviam culpam originalem, a fortiori poterunt affligi innocentes miseriis a Deo immissis ad exercitium virtutis, & incrementum meriti: Siquidem motus concupiscentiæ ~~rebellis~~, seu stimulum carnis, & angelum, qui nos colaphizet, non possumus appetere, eo quod virtutis bono contradicant; afflictiones vero appetere possumus, ut Christo patienti conformemur; ergo si possunt motus illi competere naturæ innocenti ex naturali ejus conditione; (cum naturaliter appetitus sensitivus feratur in objecta delectabilia disconvenientia rationi, in quo consistit concupiscentiæ rebellio) a fortiori poterunt a Deo infligi innocentibus afflictiones, quibus Christo conformentur ad exercitium virtutis, atque adeo ex amore erga illos, & non ex odio: Non secus ac ex amore erga Filium potest Rex velle, ut militiæ incommoda, & pericula subeat ad triumphum reportandum. Quare sicut Deus naturæ Auctor non esset dicendus crudelis, & injustus, quamvis concupiscentia, & ignorantia essent hominis primordia naturalia, & non pœnæ peccati; quia scilicet simul confert potestatem ad superandam concupicentiam, & ad eliciendos adversus stimulum carnis plures actus virtutis; & similiter non fuisset injustus, si denegasset Adamo immunitatem a morte, & mortis vestigiis antecedenter ad culpam, quia natura sua homo est obnoxius impressionibus, & alterationibus externis, quæ necessario inferunt sensibus molestiam; unde nunc nimio frigore alget, nunc æstuat nimio calore; & ideo morbis, ac morti fuisset obnoxius Adam, etiamsi non peccasset, si caruisset dono indebito integritatis naturæ, & justitiæ originalis: Ita non dissonat Divinæ Providentiæ, quod innocentes sepæ flagellis suis tangantur, ac dolore, morbo, fame, siti premantur, cum ea conferre possint ad patientiæ, humilitatis, dilectionis Divinæ, spei, aliarumque virtutum exercitationem, & ad meriti augmentum. Non enim conqueri potest innocens, quod ægritudinem subeat, aut momentaneam aliquam tribulationem, quæ pariet deinde æternum gloriæ pondus; sicut nequit homo conqueri, quod ei obolus tollatur, si vice oboli detur ei nummus aureus, aut auri talentum; nec ægrotus conqueritur de Medico, si det ei pharmacum amarum, quod statim restituat sanitatem. Hinc Augus. qu. super Gen. 146. advertit, Josephum suos fratres magna cum eorum perturbatione detinuisse, antequam ostenderet se esse fratrem ab iis venditum, ut ex dilatione manifestationis ingens deinde gaudium perciperent, dicens: *Quod non eos utique fecerit calamitosos, quando tantæ etiam ipsorum futuræ lætitiæ exitum cogitabat; & totum hoc, quod agebat, uti eorum gaudium differretur, ob hoc agebat, ut eadem dilatione cumularetur.*

IV. Neque dicas cum Jansenianis, argumenta isthæc probare, quod Deus solum adultis innocentibus possit conferre afflictiones hujus vitæ, non vero parvulis innocentibus; quia illis duntaxat possunt afflictiones deservire ad exercitium virtutis, & ad augmentum meriti.

Nam contra est primo, quia transmisso, quod solis adultis eæ possent infligi, adhuc falsa est thesis præsens, quod Deus nunquam innocentes affligat. Deinde adhuc parvulis omnino a culpa immunibus post baptismum infligi possunt afflictiones hujus vitæ, non solum a Deo ut Auctore naturæ, sed etiam ut Provisore in ordine ad plures honestos fructus, & fines, ad quos potest Deus sine injustitia eas dirigere. Primo quidem, ut humanæ miseriæ consideratio dum pueri in ipsa ætate infantili patiuntur hujus vitæ miserias, prodesse possit adultis. Secundo, ut juxta providentiam connaturalem Deus naturam humanam gubernet; naturalis autem providentia postulat, ut iisdem molestiis hujus vitæ subesse possit homo, tam in ætate infantili, quam in ætate adulta. Tertio, ut possent infantes, quando ad ætatem adultam pervenerint, virtutum actus exercere ratione molestiarum, quas infantes perpessi sunt, admirando in iis Dei providentiam, & Universi ab ipso conditi pulchritudinem, quæ in his ipsis rerum vicissitudinibus maxime elicet, ut fuse ostendit Augustinus in lib. contra Epist. Fund. c. 40., ubi inquirit: *Curquod naturæ Deus dedit, tollat corruptio?* Ad quod respondet: *Non tollit, nisi ubi permittit Deus: ibi autem permittit, ubi ordinatissimum & justissimum judicat pro rerum gradibus, & pro meritis animarum.* Præterquamquod consultius est, altissimos Dei fines in iis, quæ de facto permittit, ejus sapientiæ, ac scientiæ relinquere, quam velle tenuitate nostræ cogitationis indagare, dicendo cum Apostolo ad Rom. 11. *O altitudo divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei! quam incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Etenim ad nostræ humilitatis exercitationem sæpe Deus altissimos fines suæ providentiæ nobis occultat; ut advertit Augustinus lib. 11. de Civit. cap. 22. dicens: *Nos admonet Divina Providentia, non res insipienter vituperare, sed utilitatem rerum diligenter inquirere; & ubi nostrum ingenium, vel infirmitas deficit, ita credere occulta, sicut erant quædam, quæ vix potuimus invenire, quia & ipsa utilitatis occultatio, aut humilitatis exercitatio est, aut elationis attritio.* Hinc Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. sapienter ad Dei providentiam in omnibus commendandam hortatur, dicens: *Decet igitur nos omnia mirari, laudare, & absque scrutatione acceptare, quæ sunt providentiæ opera, tametsi appareant multis injusta,* Cæterum expresse Christus Dominus, dum a Discipulis interrogaretur Jo. 9. ob cujusnam culpam homo ille cæcus natus fuerat, dicentibus: *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* respondit Jesus: *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Usque adeo verum est, afflictiones justorum non deservire unice aut ad puniendum peccatum, aut ad purificandum peccatorem.

V. Roborantur rationes adductæ ex eo, quod Deus permittat justos vexari ab impiis præcise propter eorum profectum; ergo a fortiori potest disponere cruciatus, & afflictiones justorum ob eundem finem. Etenim si tantum est bonum, quod ex tolerantia justorum provenit, ut Deus possit sapienter ad illud obtinendum permittere peccatum; a fortiori poterit disponere ejus Providentia, ut citra ullum cujuscunque peccatum justi in hac vita affligantur, ut inde tantum bonum proveniat. Antecedens autem docetur a Patribus, præsertim a Basilio hom. 9. ubi habet: *Sapiens, & providentissimus rerum humanarum dispensator Deus utitur ad nostram exercitationem malignitate aliorum, quemadmodum Medicus viperæ veneno ad salutarem medicamentorum præparationem.* Hinc Augustinus in Enchiridio cap. 11. habet: *Nec etiam Deus, cum summe beatus sit, ullo modo sineret aliquid mali esse in operibus suis,*

suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malis. Similiter cap. 100. habet: *Nec sineret Bonus mala fieri, nisi Omnipotens etiam de malo posset facere bene*. Et cap. 27. idem luculentius docuit verbis illis: *Melius enim judicavit de malis bona facere, quam mala nulla esse permittere*. Quod pariter docuit lib. 11. de Civit. cap. 18. dicens: *Nec enim Deus ullum, non dico Angelorum, sed nec hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret; atque ita ordinem sæculorum tanquam pulcherrimum carmem ex quibusdam quasi antithetis honestaret*.

VI. Cæterum quod Augustinus nullatenus thesi huic Jansenianæ astipuletur, ex eo constat, quod passim doceat disertissimis verbis, afflictiones justorum ad exercitationem, & profectum pertinere, non ad ultionem peccatorum. In sent. 275. habet: *Labor piorum exercitatio est, non damnatio; nec etiam conturbari debemus, cum aliquis Sanctus gravia, & indigna perpetitur, si obliti non sumus, quæ pertulerit Justus justorum, Sanctusque sanctorum*. Quare cum comparet piorum afflictiones cum passione Christi D. aperte insinuat, quod sicut Christus D. sine ulla propria culpa passus est, quantumvis voluerit pro nostris culpis condignam Deo Patri satisfactionem exhibere; ita sancti a Deo similiter affligantur, & non propter peccata. Similiter sent. 99. Sanctus Doctor habet: *Sustineantur a Fidelibus infideles, & inter hortorum frumenta zizaniorum avulsio differatur; quantumlibet sæviant impii, melior est, etiam in hoc tempore, causa justorum, quia quanto acrius impetuntur, tanto gloriosius coronantur*. Ubi notandum, quod etiam in hoc tempore melius se habeant justi, qui affliguntur, quam tyranni, qui eos affligunt; quia spes futuræ coronæ reddit illos etiam in passionibus gaudentes; sic Apostoli Act. 5. *Ibant gaudentes a conspectu Concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*; Sic Marcus, & Marcellianus ad stipitem alligati pedibus clavis confixis dixerunt: *Nunquam tam jucunde epulati sumus*. Et in hoc sensu Psal. 22. dicitur: *Calix meus inebrians quam præclarus est*! Inexplicabilis quippe dulcedo, quæ ex calice tribulationis propter Christum perpessæ a justis hauritur, eos velut in ebrietatem rapit, ut in cruciatibus ipsis mirum in modum exultent. Hinc August. lib. de Agone Christi cap. 7. diserte docuit, Justorum lætitiam in tribulationibus efficere, ut nihil patiantur, sed de ipsis afflictionibus glorientur, dicens: *Nec enim nos moveat, quod in hac vita secundum carnem, quam portant justi, multa gravia, & aspera tolerent; nihil enim mali patiuntur, quia jam possunt dicere, quod ille vir spiritualis exultat, & prædicat Apostolus Paulus dicens: Gloriamur in tribulationibus, scientes quoniam tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero spem: spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis*. Quod autem istos cruciatus Justi nullatenus subeant propter peccata prætertia, sed unice propter eorum profectum, expressit lib. 3. de lib. arb. cap. 9. dicens: *Si enim bonum & magnum aliquem virum hortante honestatis officio videamus ignibus, quantum ad corpus attinet, concremari, non hoc vocamus pœnam peccati, sed fortitudinis, & patientiæ documentum*.

VII. Opponitur primo, quia videtur divinæ justitiæ dissonum, quod innocentes, aut a culpis præteritis plene emundati crucientur: ergo nunquam Deus illos affligit. Antecedens videtur disertissime doceri ab Augustino; qui adversus Julianum negantem originale peccatum passim objicit, quod injustus esset Deus affligendo infantes tot cruciatibus; si peccati originalis essent expertes. Lib. 2. cap. 10. habet: *Deus autem justus, si tanta parvulis mala, quanta nunc dicere non sufficio, nihil peccati trahentibus irrogaret, magis appareret injustus*. Et lib. 6. cap. 5. *Quomodo autem non est injustum jugum grave, si nullum est in parvulis malum, propter quod juste jugo premantur gravi?* Hinc lib. 2. Oper. imperf. fol. 220. docet, non posse citra injustitiam innocentibus inesse ingenii tarditatem. Et lib. 3. contra Julian. cap. 5. non posse hominem a dæmonio juste vexari, si culpæ sit immunis: Pariter cap. 6. non posse citra injustitiam innocentibus infligi corporis monstrositatem: Et cap. 4. nec posse iisdem contingere fatuitatem naturalem; unde cap. 9. concludit: *Si nullum esset peccati contagium, profecto nulli malo parvuli obstricti, nihil mali vel in corpore, vel in anima sub tanta justi Dei potestate paterentur*.

Respondetur, Augustinum loqui in præsenti providentia, in qua homo, si non peccasset Adam, in felicitate constitutus fuisset cum dono justitiæ originalis, quo redditus fuisset immunis a morte, & mortis vestigiis; propterea docet, quod supposita hac lege, Deus injustus fuisset, si hominem peccati immunem miseriis addixisset. Quod autem ea sit mens Augustini, ex eo constat, quia his argumentis utitur solum adversus eos, qui peccatum originale, ac leges præsentis providentiæ non negabant; non vero adversus Manichæos, qui illas negabant, ut ipsemet Augustinus notavit lib. 1. Retract. cap. 9. His adde, quod si ex capite innocentiæ, & non ex capite præsentis providentiæ non posset Deus parvulis mala infligere citra injustitiam, sequeretur, quod de facto non posset Deus ullum malum infligere parvulis innocentibus præcise ob manifestandam suam gloriam; quod tamen est aperte falsum; cum Jo. 9. dicatur de illo cæco a nativitate, quod cæcitatem non contraxerit ob propriam, aut parentum culpam, sed ut manifestarentur opera Dei in illo.

VIII. Opponitur secundo, quia si Deus innocentes affligeret, notam subiret crudelitatis; ergo nunquam affligit innocentes. Antecedens probatur ex Augustino, qui sicut adversus admittentes universim leges præsentis providentiæ contendebat, Deum subire notam injustitiæ, si pueros innocentes affligeret juxta doctrinam & explicationem modo traditam; ita adversus Manichæos negantes Scripturas passim contendit, Deum subire notam crudelitatis, si pueros a culpa immunes cruciaret, & bonas animas ad vitæ hujus ærumnas tolerandas sine ulla culpa destinasset. Hæc enim habet disp. 1. contra Fortunat. *Si Deus nihil pati potuit, quia inviolabilis est, crudeliter huc nos misit, ut ista patiamur*. Et disp. 2. habet: *Cui noceri nihil poterat, crudelis voluntas fuit mittendi animam ad tantas miserias*.

Respondeo, idcirco Augustinum docuisse adversus Manichæos, quod Deus fuisset crudelis, si animas innocentes miseriis destinasset, quia Manichæi volebant, primo, quod animas innocentes destinasset etiam ad miseriam peccati, cogendo illas, quod

quod peccatis subjacerent. Secundo, quia fingebant illas destinatas ad miserias etiam æternas. Tertio quia volebant Deum animas innocentes miseriis destinasse, non ob utilitatem ipsarum, aut propter Dei gloriam, sed solum ad impediendum malum imminens Deo ex gente tenebrarum; quæ tamen Deo nocere non poterat. Hinc recte infert, quod in hoc systemate Deus esset crudelis ad eas miserias culpæ, & pœnæ æternæ adigendo animas innocentes. Quod in hoc sensu loquatur Augustinus aperte colligitur ex iis verbis lib. 22. contra Faustum cap. 22. *Multo melius esset hominum millia ob nullam vel levem culpam temporali morte interficere, quam membra sua, ideft membra Dei substantiam Dei, & plane Deum, & in peccati voraginem tradere, & pœnæ sempiternæ colligatione damnare*. Et disp. 1. contra Fortunatum, anima peccatis a Deo addicta juxta sententiam Manichæorum inducitur has querelas adversus suum conditorem proferre: *Cur mihi imputas vulnera, quæ suscepi? Quare me cogis ad pœnitentiam, cum sis causa vulnerum meorum? Cum tu scias, quæ passa sum, gentem tenebrarum in me fecisse, te Authore, qui violari non poteras; & tamen volens cavere regnis tuis, quibus nihil noceri possit, me in miserias præcipitasti*.

IX. Opponitur tertio, quia videtur ordini Universi obstrepere, quod innocentes affligantur; ergo ut supra. Antecedens docetur ab Augustino lib. 3. de lib. arbit. cap. 9. ubi habet: *Si peccatis animarum detractis miseria perseverat, aut etiam peccata præcedit, recte deformari dicitur ordo, atque administratio Universitatis*. Cum autem ordo Universi sit ex lege æterna Dei, ut notat idem Augustinus loco laudato cap. 6. sequitur, huic legi, ac divinæ voluntati dissonare, quod miseria culpis detractis perseveret, aut quod culpam præcedat.

Confirmatur, quia pariter opponitur Divinæ providentiæ, quod mala patiatur, qui non male egit. Quod expressit Augustinus lib. 83. quæst. q. 24. dicens: *Deus quovis homine optimo, & justissimo longe melior, & justior est; Justus autem regens, & gubernans nullam pœnam cuiquam sinit immerito infligi; nullum præmium immerito dari: meritum autem pœnæ peccatum, & meritum præmii recte factum*. Similiter lib. 1. de lib. arb. cap. 1. habet: *Nemo injuste pœnas luit, quod necesse est credamus; quandoquidem divina providentia hoc universum regi credimus*. Et lib. 9. de Civit. cap. 13. differens cum Platonicis de causa miseriæ quorundam Angelorum, quos ipsi bonos quidem, sed miseros esse fatebantur, ait: *Porro quia providentia Summi Dei, sicut etiam ipsi fatentur, non fortuita temeritate regitur Mundus, nunquam esset istorum æterna miseria, nisi esset magna malitia*. Quare summa Numinis providentia postulat, ut non affligantur innocentes, nec male patiantur, qui non male egerunt. Et fusius contra Julianum lib. 1. Operis imperfect. fol. 50. ostendit contra Pelagianos, non posse parvulos innocentes tot, ac tantis malis premi supposita divina justitia, omnipotentia, ac providentia, dicens: *Deus in tot, & tantis malis, quæ parvuli patiuntur, aut justitiam, aut omnipotentiam, aut ipsam curam rerum humanarum est perditurus. Quodlibet autem istorum dixeris, vide quid egeris*.

Respondeo distinguendam esse miseriam naturalem, quæ scilicet ex concursu causarum naturalium provenit, ut febris, mors, vulnus, fames, & similia, a miseria pœnali, quæ unice originem habet a culpa: Id, quod ordinem universi deturparet, esset solum quod miseria pœnalis anteiret culpam, aut quod sublatis culpis ea perseveraret; non tamen miseria naturalis hujus vitæ, qua possunt etiam innocentes premi propter exercitium virtutum, & gloriæ incrementum; dummodo ea sit temporalis, non æterna. Hinc Ludovicus Vives in suis Commentariis dixit: *Deus injustissimus esset, si innocentem æterno mœrore sineret affici; nam ad tempus affligi bonum hominem, etiam ex benignitate est, ut beatior tanto fiat, quanto plura est perpessus adversa propter sempiternam beatitudinem*. Quod autem Augustinus loco laudato solum doceat a miseria pœnali deformari ordinem Universi, non vero a miseria naturali, si culpam non præsupponat, constat ex contextu; nam comparans bonum, & magnum virum, qui hortante honestatis officio ignibus concremetur, cum sceleftissimo latrone, qui pariter flammis comburatur, dicit: *Ornant ambo illa tormenta, sed ille merito virtutis, iste peccati*.

X. Ad confirmationem recurrit eadem responsio; solum enim ad Divinam providentiam spectat, quod miseria pœnalis culpam subsequatur, non vero miseria naturalis, quæ temporalis duntaxat fit, non vero æterna. Si miseria pœnalis infligeretur innocenti ab homine, hic profecto injustus esset, & tyrannus; Cum autem Deus quovis homine optimo, & justissimo longe melior, & justior sit, nequit ita regere Universum, ut pœnam infligat sine prævio demerito: sicut nec præmium confert sine prævio merito: Nihilominus sicut conferre potest donum aliquod absque ullo prævio merito, ut est donum creationis, quod proinde nequit dici præmium: ita potest infligere alicui cruciatum temporalem sine prævio demerito: ut proinde ille non dicatur pœna, nec supplicium, sed corporalis afflictio. Etenim ex Augustino lib. 3. de lib. arb. cap. 18. *Omnis pœna, si justa est, peccati pœna est, & supplicium nominatur*: quando autem afflictiones corporales non sunt supplicium, possunt in bonum innocentis conferre, & sic possunt a Deo optimo, & justissimo infligi. Unde Augustin. lib. 83. quæst. qu. 82. docet, aliquando justos torqueri in hac vita, non quia peccarunt, sed quia hoc illis expedit, ne peccent, dicens: *Quia Deum & justum, atque omnipotentem esse perniciosissimæ iniquitatis est dubitare, nulla causa probabilior occurrit, cur justi homines laborent plerumque in hac vita, nisi quia hoc eis expedit*. Nunquam tamen expedit, quod cruciatus æternus infligatur innocenti; & ideo Augustinus adversus Platonicos dicit, Angelos bonos non esse posse in æternum miseros. Quando autem dicit adversus Pelagianos, quod Deus justitiam, aut omnipotentiam, aut rerum humanarum curam esset perditurus, si parvulos innocentes cruciaret, loquitur in præsenti providentia, in qua contulit Adamo justitiam originalem, seu immunitatem a morte, ac mortis vestigiis, eamque posteris contulisset, si Adam non peccasset; Supposita enim hac promissione, non possent parvuli tot miseriis naturalibus vexari, si peccatum non contraxissent. Ex quibus adversus Julianum infert, quod cum parvuli de facto hujus vitæ angustiis premantur, & Deus non sit injustus, negari non possit, quod parvuli originale contraxerint, & ideo justitia originali caruerint; ea quippe non caruissent, si Adam non peccasset.

XI. Opponitur ultimo, videri lumine naturæ notum,

tum, quod citra culpam nemo possit cruciari. Etenim Philosophi Gentiles, ut salvarent, quod nemo sine culpa torqueatur, in varios errores abierunt. Nam Manichæi in commixtionem naturæ bonæ, & malæ humanas miserias retulerunt: Alii cum Cerdone, & Marcione apud Irenæum lib. 1. cap. 21. somniarunt, dari duos Deos, quorum alter esset bonus, a quo omnia bona, alter malus, & injustus, a quo homines innocentes affligerentur: Alii cum Pythagora apud Eusebium lib. 14. de Præparat. dixerunt, a dæmone miserias has derivari: Alii cum Stoicis apud Tertullianum lib. contra Hermogenem docuerunt, malorum causam esse materiam, ex qua homo compactus est: Alii apud Augustin. lib. 4. contra Julianum cap. 12. causam malorum voluerunt esse delicta ab animabus commissa antequam corpori unirentur: Juxta quorum sententiam videntur discipuli interrogasse Christum Dominum Jo. 9. verbis illis: *Rabbi, quis peccavit? hic, aut parentes ejus, ut cæcus nasceretur?* Quomodo enim potuerat ille peccare antequam nasceretur, nisi potuisset delinquere antequam corpori uniretur? ergo afflictiones hujus vitæ unice tribui debent culpæ ex vi ipsius luminis naturalis. Hinc etiam Pelagiani, ne Deum facerent injustum affligendo parvulos miseriis hujus vitæ, dixerunt, parvulos in iis miseriis esse felices; ut proinde Augustinus lib. 2. oper. imperfect. exclamarit: *O dementiam singularem! Hoc disputare est, an insanire? Cum miseria se natos esse parvuli testantur; & felices eos dices?*

Respondeo, Philosophos Gentiles non vi luminis naturalis, sed ex eorum cæcitate in eos errores abiisse: potuissent enim vi luminis naturalis circumscripta notitia ordinis supernaturalis Divinam providentiam agnoscere, in eo, quod viros innocentes affligat ad eorum virtutem, & constantiam exercendam; sicut Catholici omnes, Patres, & Theologi deprehenderunt, quod Deus eos non raro cruciet ad virtutis exercitamentum, & incrementum meriti; lumine quippe naturali dignoscitur animæ immortalitas, & quod post hanc vitam beatitudo naturalis intensior debeatur iis, qui virtutem in hac vita arctius amplexi sunt; unde non erat aliunde petenda causa harum miseriarum, videlicet vel a commixtione naturæ bonæ, ac malæ, vel a Dei injustitia, vel a dæmone, seu malo genio, vel a materia, aut a peccatis vitæ superioris ante unionem animæ cum corpore. Et jure merito Augustinus dementes docet esse Pelagianos, qui docent parvulos miseriis vexatos esse felices.

Ubi iterum recolendum, miserias corporales, quæ a Deo dantur, ut animæ prosint, non esse dicendas miserias, ac mala simpliciter, sed secundum quid; sicut sectio venæ, quæ causat sanitatem, non est simpliciter mala, sed secundum quid; quia a medico ordinatur ad bonum præstantissimum sanitatis. Hinc amicis suis Deus sæpe mala ista corporalia largitur, quibus tanquam malleo coronam sibi cudant immortalem: unde Apostolus 2. ad Cor. 12. dixit: *Libenter gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi.* Et in Evangelio Matth. 5. beatos Dominus vocat, ac felices eos, qui persecutiones patiuntur, qui lugent, quibus homines maledicunt, & qui ærumnis hujus vitæ vexantur; quia scilicet hæc sunt mala secundum quid; & absolute bona, quoties conferunt ad præstantissimum bonum salutis æternæ. Propterea Damascenus Dialogo contra Manichæos habet: *Malum illud proprie est, & appellatur, quod adversus Creatoris legem perpetratur, improprie autem, ac nostro more, quod ad sensum nostrum grave, ac molestum est, quod quidem licet in præsens dolores afferat, tamen postea salutis, ac sempiternæ lætitiæ fructus edit.* Et D. Bernardus advertit serm. 17. in Cantica, quod Deus ipsius dæmonis, hostis humani generis, machinis, & fraudibus utatur, ut servis suis coronam perpetuam intexat, dicens: *Jucundum judicium, ut superbus ille humilium malleator eisdem ipsis nesciens fabricet coronas perpetuas, impugnando omnes, & omnibus succumbendo.* Quod pariter notavit Origenes Homil. 13. in cap. 22. Numerum dicens: *Ob hoc neque diabolum removit a Principatu sæculi hujus, quia adhuc opus est opera ejus ad perfectionem eorum, qui coronandi sunt, ad exercitia certaminum, ad victorias Beatorum.* Constat itaque non semper afflictiones deservire aut ad puniendum peccatum, aut ad purificandum peccatorem; cum sæpe Deus innocentes, ac sui amicos affligat ad exercitium virtutis, & ad meriti incrementum, & ad altissimos suæ sapientiæ, ac providentiæ fines; sicut de cæco illo a nativitate Christus D. dicit Jo. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Et Tobiæ 12. diserte pariter dicitur, idcirco Deum tot afflictionibus illum vexasse, quia acceptus erat Deo, ut proinde probandus esset tanquam aurum in fornace tribulationis; hæc enim habentur. *Quia acceptus eras coram Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te:* Hoc siquidem pacto paternum suum amorem erga justos Deus exercet, ut dicitur Proverb. 3. *Quem enim diligit Deus, corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.*

Constat etiam, erroneam esse Jansenianorum doctrinam, putantium in renatis post Baptismum remanere reatum aliquem culpæ originalis, a quo per afflictiones a Deo immissas aliquatenus purificentur, ut proinde tota vita debeat homo pœnitentiam agere pro peccato originali, ut dicitur in ea thesi 19. ab Alex XIII. profligata. Etenim Trident. sess. 5. can. 5. anathematizat qui dixerit, vi baptismatis non tolli id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ac definit, in renatis nihil esse damnationis, sed innocentes, immaculatos, puros, innoxios, ac Deo dilectos effici, ita ut nihil prorsus eos ab ingressu Cœli remoretur; concupiscentiam autem, vel fomitem relinqui ad agonem, nec habere veram, ac propriam rationem peccati, quamvis ex peccato sit, & ad peccatum inclinet; cui definitioni refragatur Bajus dicens in thesi 41. *Concupiscentia, sive lex membrorum & prava ejus desideria, quæ inviti sentiunt homines, sunt vera legis inobedientia.* Necnon Jansenius lib. 2. de statu naturæ lapsæ cap. 14. col. 844. unde in Indice ejusdem tomi expresse dicitur: *Concupiscentiæ motus indeliberati sunt peccata.* Præterea sess. 14. cap. 2. idem Concilium docet, Sacramentum Baptismi a Sacramento Pœnitentiæ differre, non solum quia Minister Baptismi non est Judex, cum Ecclesia in neminem judicium exerceat, qui non prius in ipsam per Baptismi januam fuerit ingressus: sed etiam quia *per Baptismum Christum induentes, nova prorsus in illo efficimur creatura, plenam, & integram peccatorum omnium remissionem consequentes; ad quam tamen novitatem, & integritatem per sacramentum Pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & la-*

& laboribus, Divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possumus; ut merito Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit. Ratio autem hujus discriminis ab eadem sess. 14. cap. 8. explicatur iis verbis: *Divinæ justitiæ ratio exigere videtur, ut aliter ab eo in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum ignoranter deliquerint; aliter vero qui semel a peccatis, & dæmonis servitute liberati, & accepto Spiritus S. dono, Templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidaverit.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXX.

SEptuagesima vehementer errat docendo, quod nunquam Deus innocentes affligat, sed quod afflictiones semper deserviant vel ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. Quod omnis pœna supponat culpam, nemo est, qui ambigat, sed quod omnis cruciatus detur in pœnam, hoc adversatur Catholicæ doctrinæ. Sicut enim omne præmium supponit meritum; at non omne bonum, quod a Deo confertur, habet rationem præmii, (ut est prima gratia, quæ nullum meritum præsupponit) ita omnis pœna supponit culpam, sed non omnis afflictio habet rationem pœnæ; etenim neque cruciatus Christi D., neque afflictiones Beatissimæ Virginis, neque anxietates D. Josephi, aut similes inflictæ fuerunt a Deo in pœnam, sed solum ut patienter toleratæ conferrent ad gloriam. Propterea proscripta jam fuerat thesis illa Baji, quæ hic a Quesnello recuditur, dicens: *Omnes omnino justorum afflictiones sunt ultiones peccatorum ipsorum: Unde Job, & martyres, quæ passi sunt, ob sua peccata passi sunt.* Disertissime Christus D. id docuit quando interrogatus quisnam peccaverit, ut ille nasceretur cæcus? respondit Jo. 9. *Neque hic peccavit, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Ex his verbis adeo perspicuis Christi D. legitime solum inferri potest, quod non omnes afflictiones culpam præsupponant, nec dicant habitudinem ad illam. Quesnellus tamen observans hæc verba mirabili illatione infert oppositum; quod scilicet nunquam Deus innocentes affligat, & quod semper afflictoines tendant aut ad multam peccati, aut ad purgationem peccatoris. Quis ad hæc non obstupescat? Stimulus carnis datus fuit Apostolo, non quidem ut purificaretur a suis culpis jam dimissis, sed quia *Virtus in infirmitate perficitur*, ut dicitur 2. ad Corint. 12. Tobiæ immissæ sunt afflictiones ad virtutis incrementum, *Quoniam acceptus erat coram Deo*, ut habetur Tobiæ 12. David Ps. 16. habet: *Igne me examinasti, & non est inventa in me iniquitas.* Et sane quilibet innocens rationabiliter expetere potest pœnalitates hujus vitæ, quoties aut ad Dei gloriam conferunt, aut deserviunt ad pœnitentiæ, ac humilitatis incrementum, quod æternum gloriæ pondus operatur in nobis; ut proinde Jacobi primo dicatur: *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet Coronam vitæ.* Quare possunt etiam in hunc finem a Deo istæ pœnalitates immitti; sic enim nec irrogat creaturæ injuriam, nec suæ contradicit sanctitati. Et ratio a priori est, quia malum tenue, quod confert ad obtinendum igens bonum, non habet rationem mali, & odibilis, sed habet rationem boni, & appetibilis; unde quilibet potest rationabiliter illud appetere, & Deus potest misericorditer illud conferre. Sicut enim libenter patitur ægrotus venæ incisionem, & pharmaci amaritiem ad salutem recuperandam; & medicus hæc illi injungit, amore ductus, non odio; ita libenter innocens subit hujus vitæ amaritudines, & Deus paterno affectu ductus illas immittit, ut prosint illi in perpetuas æternitates: siquidem sub hac ratione induunt rationem boni valde utilis, si minus delectabilis. Potest itaque Deus in hac vita innocentes affligere, quamvis illos punire non possit; cum Divinæ justitiæ deroget pœnam infligere non præsupposita culpa; habet quippe innocens jus, ne puniatur, seu habet jus, ne pœna unice infligatur solum ut cruciet, quin ordinetur ad bonum ingens ejusdem innocentis. Propterea August. lib. 1. oper. imperf. n. 39. dixit: *Neque enim sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.*

PROPOSITIO LXXI.

Homo ob sui conservationem potest sese dispensare ab ea lege, quam Deus condidit in sui utilitatem. *Quesnel. Marc.* 2.28. *edit.* 1693. & 1699.

SYNOPSIS.

I. Figmentum hujusce Thesis ne ab Ethnicis quidem ipsis unquam confictum est.

II. Dispensatio in lege ab eo duntaxat fieri potest, qui legem condidit.

III. Quinimo in multis Decalogi præceptis ne Deus quidem ipse dispensare potest ut Legislator, quamvis sæpe possit ut Dominus supremus materiam immutare, unde possit licere, quod erat vetitum.

IV. Non semper habetur causa sufficiens, cur in lege dispensetur, quoties dispensatio confert in sui conservationem.

V. Est autem latum discrimen inter Legem, & Votum, quod auctoritate propria potest probabiliter in melius commutari.

VI. Lex de non occidendo innocentem in rigore non dispensatur in sui conservationem, quando occiditur innocens in defensionem cum moderamine inculpatæ tutelæ.

I. HUc gigas illi Rigorismi Janseniani decrevit, ut aperiat omnibus immensum ostium laxitati. Quænam inter laxas, & erroneas opiniones ad Moralem spectans laxa magis, quænam magis erronea excogitari potest, quam thesis præsens, in qua unicuique datur obvius modus eximendi se universim ab onere cujuscunque legis, dispensando se a lege ad propriam utilitatem condita, per hoc quod conferat ejus transgressio ad sui conservationem? Nulla siquidem lex regulariter reperiri potest, quæ non sit lata sive directe, sive indirecte ad nostram utilitatem; nulla pariter lex, quæ libertatem moralem suis vinculis non adimat, & quæ conservationi nostræ, aut vitæ, aut valetudinis non aliquatenus obsit; atque adeo in qualibet ferme lege potest unusquisque semet dispensare, si verum est, quod possit homo ob sui conservationem ab ea lege se dispensare, quæ in sui utilitatem est condita. Ad hoc figmentum confingendum nemo xx Ethnicis ipsis Philosophis aliqua-

aliquatenus de Divina Lege, ac providentia imbutis, nedum ex Theologis pervenisse fertur. Non defuerunt, qui docerent, posse Pontificem dispensare in lege naturali quoad quædam præcepta, quæ remote a primis principiis juris naturalis deducuntur; necnon in lege positiva Divina, quando id expedit ad bonum commune. Nec defuerunt, qui docerent posse Deum dispensare in omnibus præceptis Decalogi tam secundæ, quam etiam primæ tabulæ; quorum sententia communissime rejectatur. At qui doceret posse homines semet dispensare ab omni lege, quoties id expedit ad sui conservationem, ita ut ipsemet arbiter sit, & judex in propria causa, quis unquam audierit, aut cuinam in mentem venerit? Rigida tamen Moralis Jansenianorum disertis verbis id docere non veretur. Et quod potissimum horrorem ingerit, illud est, quod Quesnellus virus hoc eructat in observationibus super verbis ipsis Christi Domini, & Apostolorum, ad latius illud dispergendum, ac propinandum apud homines, præsertim rudes, & incautos; perinde quasi hoc impium dogma ab ipsis divinis oraculis evulgetur.

II. Ostenditur nunc falsitas directe, quia dispensatio, cum sit Juris relaxatio, ab eo tantum provenire potest, qui legem condidit, & ad illam servandam obligavit; quinimmo relate ad leges naturales, quæ sunt natura sua immutabiles, sicut non est liberum Deo illas non ferre, ita nec est liberum in illis dispensare, cujusmodi est v. g. lex de non odio habendo Deum, de non neganda fide, de non pejerando, de non mentiendo, in quibus ipsemet Deus dispensare non potest; cum sit intrinsece malum simpliciter, & in quacunque circumstantia odium Dei, infidelitas, perjurium, mendacium: ergo a fortiori non potest homo in his legibus (quæ cum sint latæ in Dei obsequium, sunt indirecte latæ in nostram utilitatem) semet dispensare in sui conservationem; unde in omnium sententia nequit homo ob metum mortis imminentis fidem negare, Deum odisse, pejerare, mentiri, dispensando secummet in his legibus ad vitam conservandam.

III. Confirmatur, quia Deus in omnibus Decalogi præceptis non potest ullatenus dispensare cum hominibus; ergo a fortiori non potest homo in iisdem ullatenus secummet dispensare. Antecedens ostenditur advertendo prius, Deum dupliciter considerari posse, & ut supremum Dominum, qui potest ad libitum disponere de creaturis omnibus, ita ut possit, ut dicitur 2. Machab. 8. *universum mundum uno nutu delere*; & ut Legislatorem, ad quem proprie pertinet in lege dispensare; ejusdem quippe potestatis est legem condere, & dispensare. Si consideretur Deus ut Legislator, non potest in præceptis Decalogi dispensare: quippe quæ evidentem habent, & immutabilem honestatem ad rectitudinem morum necessariam. Si vero consideretur ut supremus Dominus, neque potest in rigore dispensare, sed solum potest materiam variare, qua variata tollitur ea repugnantia ad rectam rationem, quæ prius habebatur, unde fit licitum, quod prius erat illicitum. Sic ex. gr. occidere innocentem, & non in propriam defensionem, secundum se est contra legem naturalem, in qua Deus proprie, & formaliter dispensare non potest: quod si Deus ratione supremi dominii det mihi facultatem, aut præceptum imponat occidendi innocentem, sicut imposuit Abraham, tunc proprie loquendo non dispensat in ea lege, sed solum immutat materiam, quatenus quod de se erat inhonestum, accedente imperio Dei supremi Domini vitæ cujuscunque, evadit honestum, & juxta dictamen rationis; adeo ut non obedire Deo præcipienti occisionem innocentis sit malum, & inhonestum. Est quippe juxta dictamen rationis, quod Dominus possit de re sua ad libitum disponere; cum autem Deus sit vitæ nostræ supremus Dominus, poterit de illa disponere ad libitum: & ideo sicut potest ipse immediate vitam innocenti adimere, sic potest Abrahamo præcipere, ut Isaac innocentem occidat, non dispensando in lege naturali, sed mutando ejus materiam. Ad eum modum, quo est contra legem naturalem, quod servus occidat equum sui Domini; si tamen Dominus præcipiat servo, quod equum suum occidat, Dominus non dicitur dispensare in lege naturali de non inferendo alteri damnum, sed dicitur materiam talis legis immutare, ita ut occisio illius equi, quæ erat injusta, & illicita, & contra legem naturalem, si fieret invito Domino, accidente imperio Domini, quod occidatur, sit occisio licita, honesta, & juxta dictamen rationis; quinimmo rationis dictamini repugnat, quod servus in hoc non obediat, & nolit equum illum occidere. Idem dicas in aliis præceptis Decalogi, cujus materia variari potest, ita ut de illicita evadat licita ob aliquam circumstantiam supervenientem. Quare Deus quando concessit Hebræis spolia Ægyptiorum, non dispensavit in lege naturali de non furando, sed materiam immutavit modo explicato, donando illis ea bona, tanquam supremus Dominus; vel ut supremus Judex reddidit Hebræis mercedem laborum suorum, ut dicitur Sapient. 10. Pariformiter quando dixit Oseæ, ut assumeret sibi mulierem fornicariam, non dispensavit in lege naturali de non fornicando, sed tanquam supremus Dominus dedit potestatem in corpus illius mulieris; non secus ac ab uxore per contractum matrimonialem traditur marito potestas in proprium corpus; & sic immutatur materia, quæ de illicita evadit licita, & honesta.

Quod si materia præceptorum naturalium immutari non possit, ut est lex de non odio habendo Deum, de non neganda fide, de non pejerando, nunquam hæc possunt evadere honesta, neque per dispensationem a Deo factam in lege naturali, neque per materiæ variationem, quatenus non spectat ad supremum Dei dominium, quod possit actiones istas intrinsece turpes imperare; unde non possunt istæ exuere intrinsecam inhonestatem ratione imperii divini supervenientis; sicut potest occisio innocentis, aut occisio equi alieni de se inhonesta evadere honesta ratione imperii divini supervenientis; quia ad supremum Dei dominium spectat posse disponere de vita innocentis, & de rebus omnibus creatis.

Ex quibus dilucide constat, non posse hominem in lege condita ad sui utilitatem dispensare in sui conservationem, quando nec Deus ipse potest in lege naturali proprie dispensare; & quamvis possit ratione circumstantiæ supervenientis aliquando immutari materia alicujus legis naturalis, ita ut actio aliqua de se inhonesta possit ratione circumstantiæ evadere honesta; (sicut occisio equi facta a servo, quæ est inhonesta, si fiat domino invito, potest evadere honesta, si fiat domino illam præcipien-

cipiente) nunquam tamen evadere potest honesta legis transgressio facta auctoritate propria in iis circumstantiis, in quibus lex indigeret dispensatione superioris, quamvis transgressio conferret ad propriam conservationem.

IV. Neque dicas, quod si transgressio legis conditæ in propriam utilitatem conferat ad sui conservationem, eo ipso datur causa sufficiens, ut in ea dispensetur, non solum a superiore, sed etiam auctoritate propria; sicut enim in probabili sententia votum auctoritate propria potest commutari in melius; v. g. votum erogandi aliquam eleemosynam commutari potest in ingressum Religionis; quia cum votum sit promissio facta in obsequium Dei, censetur Deo promissario magis gratus ingressus in Religionem, quam eleemosyna: ita videtur posse fieri auctoritate propria dispensatio in aliqua lege lata in propriam utilitatem, quando dispensatio confert in sui conservationem; quia legislator non censetur velle, quod lex lata in utilitatem subditi cedat in ejus detrimentum.

Nam contra est, quia quamvis aliquando possit esse causa sufficiens, cur superior dispenset in aliqua lege, quando ea est nimis onerosa; sicut periculum proximum gravis infirmitatis est causa sufficiens cur Episcopus dispenset in lege jejunii; At primo falsissimum est, quod in quacunque lege fieri possit dispensatio a superiore, esto dispensatio conferat ad sui conservationem. Nam v. g. lex non negandi fidem, quamvis condita in propriam utilitatem mediate, & immediate in obsequium Dei loquentis, nequit a Deo ipso, nedum a superiore humano dispensari, licet ejus observantia ferat mortem, quam tyrannus comminatur. Nec datur causa sufficiens cur dispensari quis possit ab humana potestate in lege de custodiendo sigillo sacramentali, per hoc quod aliter mors immineat; & sic in innumeris aliis legibus tam divinis, quam humanis, quæ obligant etiam cum vitæ discrimine, per hoc quod intendant aut Dei obsequium, aut bonum publicum, quod prævalere debet bono privato. Deinde quamvis nonnullæ leges tam divinæ, quam humanæ non obligent cum discrimine vitæ, ut lex de integritate materiali Confessionis, lex jejunii, & similes; at falsum etiam est, quod quoties in his legibus datur causa sufficiens, cur superior dispenset, possit quilibet auctoritate propria secummet dispensare, ubi commode possit adiri superior, qui dispenset. Quinimo quando causa dispensandi est dubia, solus superior dispensare potest: eo quod in dubiis melior sit conditio legis, quæ stat in possessione suæ obligationis.

V. Ad id quod additur de voto, in tantum suam habet probabilitatem sententia docens posse voventem auctoritate propria commutare votum in evidenter melius, in quantum voti obligatio oritur a voluntate ipsius voventis, qui censetur promittere Deo aliquid sub ea conditione, quod non offerat aliquid melius, & ideo gratius; & ideo non infringit promissum, qui illud commutat in melius. At lex obligat ex voluntate superioris, qui non obligat conditionate, sed absolute; unde nequit v. g. auditio Missæ præcepta die festo commutari in aliquid evidenter melius sine facultate superioris; & ideo quando datur causa, cur superior dispensare possit, ab eo petenda est dispensatio, quin possit quilibet secummet dispensare.

His adde, quod si vera esset doctrina isthæc Quesnelliana, potuisset Susanna in lege de non fornicando cum Senibus secummet dispensare, quia ea dispensatio contulisset ad sui conservationem: posset etiam Religiosus in lege de non nubendo semet dispensare, si matrimonium censeatur necessarium ad sui conservationem; posset Parochus tempore pestis fugere, & oves suas indigentes Sacramentorum administratione deserere, quia hoc expedit ad propriam conservationem; possetque quilibet a lege jejunii eximi ob eamdem rationem, quia semper ad sui conservationem confert vitatio macerationis carnis; idemque dicas de aliis legibus. Neque obstat quod hujusmodi leges non censeantur directe latæ in propriam utilitatem, sed in bonum commune. Nam contra est, quia de ratione legis cujuscumque est, quod feratur in bonum commune, & hoc pacto respicit utilitatem cujuscumque constituentis communitatem; sic præcepta Decalogi, quæ ad primam tabulam spectant, quamvis directe videantur præcipere, & respicere Dei amorem, honorem, & cultum, respiciunt tamen etiam bonum commune, & sic bonum etiam uniuscujusque; dicitur enim Deuter. 6. *Custodi præcepta Domini Dei tui, ac testimonia, & cæremonias quas præcepit tibi: & fac, quod placitum est, & bonum in conspectu Domini, ut bene sit tibi*: unde si potest homo in aliqua lege respiciente directe bonum commune, & sic etiam utilitatem cujuscumque de tali communitate semet dispensare, quando id confert ad propriam conservationem, poterit in qualibet lege hoc pacto dispensare.

VI. Opponitur, quod non alia de causa possit quilibet dispensare in lege, v. g. de non occidendo innocentem, quando occisio est necessaria ad sui defensionem, & conservationem, nisi quia lex ista de non occidendo alium lata est in utilitatem hominum; sic etiam lex a Deo lata, ne ullus sibi amputet brachium, aut aliud membrum, quia respicit nostram utilitatem, potest dispensari auctoritate propria, quando amputatio brachii necessaria est ad vitam conservandam; ergo universim lex a Deo condita in hominum utilitatem potest a quolibet dispensari, quando id necessarium est ad propriam conservationem.

Respondeo, in his casibus non haberi dispensationem in lege de non occidendo innocentem, aut in lege de non amputandis sibi membris, sed haberi, ut diximus, variationem materiæ ratione illius circumstantiæ, quod occidatur innocens cum moderatione inculpatæ tutelæ ad sui defensionem, & amputetur brachium ad vitam conservandam. Etenim ratione harum circumstantiarum, quod de se erat illicitum, & inhonestum, evadit licitum, & juxta dictamen rationis. Quamvis enim de se contra dictamen rationis sit, quod occidatur innocens, & brachium abscindatur; at non est contra dictamen rationis, atque adeo non est inhonestum nec illicitum, quod cum moderamine inculpatæ tutelæ occidatur nocens, qui propriam vitam invadit; quia scilicet in pari gradu præferenda est vita propria vitæ nocentis; & similiter contra dictamen rationis est de se, quod brachium amputetur; at non est rationi dissonum, quod amputetur ad vitam conservandam, quia præferenda potius est conservatio vitæ, quam conservatio brachii. Hoc tamen non accidit in omnibus aliis legibus; etenim non solum est de se contra dictamen rationis, quod Parochus v. g. dimittat oves suas indi-

indigentes Sacramentis, ſed etiam eſt contra dictamen rationis, quod illas dimittat tempore peſtis ad conſervandam vitam propriam; quia non eſt præferenda vita propria ſaluti æternæ animarum ſibi demandatarum. Et eodem modo tam de ſe, quam ad conſervandam vitam, eſt contra dictamen rationis negare fidem, mentiri, fornicari, & ſimilia; quia in his caſibus contemnenda eſt vita; atque adeo in his, & ſimilibus legibus neque poteſt homo ſe diſpenſare ad ſui conſervationem, neque dici poteſt ratione hujus circumſtantiæ, quod aliter non poſſit vita conſervari, variari materiam talium legum, ita ut evadat licitum, & honeſtum, quod de ſe erat illicitum, ac inhoneſtum. Quod ſi nec Deus ipſe poteſt diſpenſare in lege v. g. de non mentiendo, de non pejerando ad conſervandam vitam hominis, a fortiori non poterit homo ſemet diſpenſare; unde palmaris, ac intolerabilis error in hac theſi continetur, dicendo, quod univerſim poſſit homo ob ſui conſervationem ſeſe diſpenſare ab iis legibus, quas Deus condidit in ſui utilitatem.

ANACEPHALÆOSIS

Adverſus Theſim LXXI.

Septuageſima prima docet, poſſe hominem propria auctoritate ſe diſpenſare ob ſui conſervationem ab omnibus legibus a Deo latis in ejus utilitatem. Sed quam magnam id aperiat laxitati viam, nemo eſt, quin videat. Hinc enim fieret, poſſe quemlibet etiam in lege naturali ſecummet diſpenſare, in qua ne Deus quidem ipſe diſpenſare poteſt, ſi ejus tranſgreſſio ſit abſolute, & ſimpliciter intrinſece mala ut eſt v. g. lex de non mentiendo, de non pejerando, & ſimiles; etenim leges iſtæ etiam in utilitatem hominis latæ ſunt; (rueret quippe commercium humanum, ſi mendacia, & perjuria licerent) accidere autem poteſt caſus, quod quis mentiendo, vel pejerando poſſet mortem ſibi a tyranno intentatam declinare; unde licite poſſet ob vitæ conſervationem in his legibus ſecummet diſpenſare, in quibus nec Deus ipſe poteſt; (cum ex perfectione omnipotentiæ proveniat, quod non poſſit peccatum ponere, & quodcunque ſuæ obſtrepit Sanctitati). Potuiſſet ſimiliter Suſanna citra culpam ob ſui conſervationem in adulterium cum Senioribus illis conſentire. Poſſet quilibet libidini indulgere, quando id expediret ad vitam ſervandam. Præterea ut quis diſpenſetur in voto caſtitatis, non eſſet opus ad Pontificem recurrere, quoties ad vitæ conſervationem cenſeretur expediens matrimonium: Et ut in legibus Eccleſiaſticis habeatur diſpenſatio, non eſſet opus in ſimilibus caſibus ad Superiorem recurrere. Denique quia nonnullis videri poſſet maxime conducere ad hilaritatem, & ſic ad vitæ conſervationem ab onere cujuſcunque legis ſe ſubtrahere, idcirco poſſent iſti in quacumque lege ſecummet diſpenſare. O præclaram doctrinam, quæ profecto expanſis ulnis a plurimis exciperetur, niſi duceret in barathrum perditionis! Ratio autem, cur non liceat ſecummet diſpenſare, ne in iis quidem legibus, in quibus ſuperior diſpenſare valide, ac licite poteſt, eſt, tum quia nemo debet eſſe judex in propria cauſa, eo quod facile poſſet ab amore ſuimet homo decipi, & inclinari ad judicandum, quod detur ſufficiens cauſa ad diſpenſandum, quando revera non eſt ſufficiens; tum etiam quia ſcandalum non vitaretur, ſi quilibet arbitratu ſuo ſecummet diſpenſaret, etiam in iis legibus, in quibus facile poteſt a ſuperiore diſpenſationem obtinere; tum demum quia ruptis hoc pacto legum repagulis iniquitas inundaret. Quare vehementer errat, qui putat poſſe hominem ſecummet diſpenſare ob ſui conſervationem in legibus, quas Deus condidit in hominum utilitatem.

PROPOSITIO LXXII.

Nota Eccleſiæ Chriſtianæ eſt, quod ſit Catholica, comprehendens & omnes Angelos cœli, & omnes Electos, & Juſtos terræ, & omnium ſæculorum. *Queſn. Hebr. 12. 22. 23. 24. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXIII.

Quid eſt Eccleſia, niſi cœtus filiorum Dei manentium in ejus ſinu, adoptatorum in Chriſto, ſubſiſtentium in ejus perſona, redemptorum ejus ſanguine, viventium ejus ſpiritu, agentium per ejus gratiam, & expectantium gratiam futuri ſæculi? *Queſn. 2. Theſ. 1. 2. edit. 1693.*

PROPOSITIO LXXIV.

Eccleſia, ſive integer Chriſtus, Incarnatum Verbum habet ut Caput, omnes vero Sanctos ut membra. *Queſn. 1. Timoth. 3. 16. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXV.

Eccleſia eſt unus ſolus homo, compoſitus ex pluribus membris, quorum Chriſtus eſt Caput, vita, ſubſiſtentia, & perſona; unus ſolus Chriſtus, compoſitus ex pluribus Sanctis, quorum eſt ſanctificator. *Queſn. Epheſ. 2. 2. 14. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXVI.

Nihil ſpatioſius Eccleſia Dei, quia omnes Electi, & Juſti omnium ſæculorum illam componunt. *Queſn. Epheſ. 2. 22. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXVII.

Qui non ducit vitam dignam Filio Dei, & membro Chriſti, ceſſat interius habere Deum pro Patre, & Chriſtum pro Capite. *Queſnel. 1. Joann. 2. 22. edit. 1693.*

PROPOSITIO LXXVIII.

Separatur quis a Populo Electo, cujus figura fuit Populus Judaicus, & Caput eſt Jeſus Chriſtus, tam non vivendo ſecundum Evangelium, quam non credendo Evangelio. *Queſn. Act. 2. 23. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Præcipuum harum theſium intentum eſt, enervare Eccleſiaſticam juriſdictionem, & dubias reddere dogmaticas Eccleſiæ definitiones.

II. Si Pontifex, aut Epiſcopi in hæreſim incidant, unde

unde careant jurisdictione, facili negotio dignosci poterit; Secus vero si incidant in peccatum. Et ideo incommoda non levia sequerentur, si per quodvis peccatum ad Ecclesiam non pertinerent.

III. Ecclesia est cœtus Vocatorum.

IV. Multifariam Heterodoxi circa Ecclesiæ definitionem errarunt.

V. Quomodo Catholici illam definiant?

VI. Quænam sint Ecclesiæ notæ?

VII. Quodnam dicatur Ecclesiæ caput, & quænam membra?

VIII. Etiam Reprobi, & Peccatores spectant ad Ecclesiam constituendam.

IX. Non tamen Hæretici, Schismatici, Apostatæ, & Excommunicati.

X. Non datur duplex Ecclesia, altera militans, quæ bonos, & malos complectatur in terris; altera triumphans, quæ solum ex Electis confletur in cœlis; sed utraque est eadem Ecclesia, diversis tamen temporibus.

XI. Frustra daretur Pœnitentiæ Sacramentum, si peccatores Christiani ad Ecclesiam non pertinerent.

XII. Pluribus objectis fit satis.

XIII. Cur Ecclesia dicatur sancta, & non potius impia, cum plures in ea sint qui impietatem sequantur, quam qui fulgeant sanctitate?

XIV. Homines in Scripturis dicuntur esse Dei filii vel ratione creationis, aut regenerationis, vel ratione imitationis, vel demum ratione doctrinæ.

XV. Angeli non spectant ad Ecclesiam visibilem?

XVI. Quomodo populus Judaicus fuerit figura populi Electi, & Synagoga fuerit figura Ecclesiæ?

XVII. Insulse nimis nonnulli Quesnello patrocinantur.

I. DUm Quesnellus in his thesibus in speciem præcisivis, sed reapse exclusivis (ut diximus in thesi 32., & infra luculentius ostendemus) implicite docet, Reprobos ac peccatores, juxta errores Pelagianorum, & Calvini apud Bellarmin. esse extra Ecclesiam, quam Christus ædificavit sanguine suo, excidendo in ea septem columnas septem Sacramentorum, ac promittendo illi præsidium fidei adversus portas inferi, illud videtur clanculum, ac vafre omnibus suadere, quod scilicet nostra fides nutet, & Pastorum Ecclesiæ jurisdictio sit prorsus dubia, atque incerta; cum enim ignotum sit, num sint in statu gratiæ Pontifices, & Episcopi, qui Ecclesiam in Conciliis repræsentant, quando aliquid tanquam fide credendum proponunt, ignotum pariter est, num hic, & nunc ab hoc Pontifice, & ab his Episcopis vera Ecclesia (quæ non conflari dicitur nisi a solis Justis) repræsentetur; unde pariter incertum est, an subsit falso, quod illi proponunt tanquam fide credendum: Idemque dicendum, quando Pontifex extra Concilium loquitur ex Cathedra, hoc est, ut docet Suarius lib. 1. contra Regem Angliæ cap. 3. quando Pontifex tanquam Magister, & Doctor a Christo Domino constitutus alloquitur Ecclesiam sibi demandatam, proponendo, quæ ab omnibus fidelibus infallibiliter credenda, aut observanda sunt. Præterea ex hoc quod ignotum sit, num Pontifices, & Pastores Ecclesiarum sint in statu gratiæ, quando aliquid præcipiunt, incertum pariter esset, num polleant jurisdictione Ecclesiastica, & auctoritate aliquid præcipiendi; siquidem nulla jurisdictio Ecclesiastica competit iis, qui sunt extra Ecclesiam. Ex quibus descendit, quod a Quesnello callide videtur insinuari, videlicet Jansenianos non debere esse solicitos, quod Jansenii theses a Pontificibus ex cathedra loquentibus damnatas, & rejectas ipsi nec damnent, nec rejiciant; neque etiam quod excommunicationes a Pontificibus, aut ab Episcopis latas adversus inobedientes incurrant; cum enim ignotum sit, an hujusmodi Pontifices, aut Episcopi inter electos, & justos recenseantur, incertum est, quod Ecclesiam constituant, & quod ecclesiastica polleant jurisdictione. Quinimo juxta Quesnelli delirium ad Ecclesiam non pertinebant, atque adeo ecclesiastica jurisdictione carebant Pontifices, quando Jansenianas theses proscripserunt, eo quod citra culpam proscribere eas non potuerint; cum audacter eas esse juxta Augustini mentem, & catholicas Jenseniani omnes doceant.

II. Neque dicas, quod sicuti non sequuntur hæc incommoda per hoc quod Pontifex, si sit hæreticus, & Episcopi, si sint excommunicati, nullam habeant jurisdictionem ecclesiasticam, ita neque sequuntur hæc inconvenientia, si careant jurisdictione, per hoc quod sint in statu peccati mortalis, & ideo sint extra Ecclesiam, ex electis, & justis dumtaxat compositam.

Nam longe dispar est ratio. Pontifex enim hæreticus tunc solum amittit dignitatem, & jurisdictionem Pontificiam, quando aut ipse ab Ecclesia se publice separat, aut convictus hæreseos publice invitus a consortio fidelium separatur, ut notat Bellarmin. lib. 3. de Eccles. cap. 10. idque ad bonum Ecclesiæ regimen, ne sequantur incommoda adducta: Idemque dicas de Episcopis, si in hæresim incidant, aut in excommunicationem; ut constat ex Canone *Audivimus* 24. qu. 1. At si Pontifex, & Episcopi extra Ecclesiam essent, & jurisdictione carerent per hoc præcise, quod patrarent peccatum aliquod mere internum, id non posset aliis innotescere; unde incerta esset illorum jurisdictio; & facile posset quilibet excutere jugum debitæ subjectionis.

III. Ad ostendendam tamen harum thesium falsitatem, operæ pretium est explicare prius, quid veniat nomine Ecclesiæ in Sacris literis; Deinde quænam sint notæ, quæ veræ Ecclesiæ competunt; ac demum quid importet Christum esse Ecclesiæ caput.

Primo itaque Ecclesiæ nomen idem sonat, ac evocatio, seu cœtus vocatorum, quia scilicet populo Dei, seu cœtui vocatorum nemo adjungitur, quem non prævenerit Deus sua superna vocatione, quæ est primum omnium beneficium, quod Sanctis confertur, unde dicitur ad Rom. 8. *Quos vocavit, hos & justificavit; quos justificavit, illos & glorificavit.* Quamvis autem quoad essentiam eadem fuerit Ecclesia veteris testamenti, ac ea, quæ est testamenti novi, quia tamen quoad statum hæc est excellentior, ideo illa appellabatur Synagoga, seu Congregatio; congregari enim possunt tam homines, quam belluæ. At in novo testamento appellatur Ecclesia, seu Evocatio, quia solum homines vocari possunt. Cæterum sicut nomen hoc, Civitas, aliquando significat cœtum civium, aliquan-

quando locum, in quo cives habitant; ita hoc nomen, Ecclesia, aliquando significat cœtum fidelium, ut cum dicitur ad Rom. 16. *Salutant vos omnes Ecclesiæ Asiæ*; aliquando locum ipsum, in quo fideles congregantur; ut cum dicitur Judith 6. *Omnis populus per totam noctem intra Ecclesiam oraverunt*.

IV. Porro quinque hæreticales sententias circa Ecclesiæ definitionem enumerat Bellarm. lib. 3. de Eccles. militante cap. 2. Prima, quod importet congregationem prædestinatorum duntaxat, ut habetur in Concilio Constantiensi sess. 15. ar. 5. adversus Jo. Wiklephum, & Jo. Hus, ubi habetur: *Præscitus, etsi aliquando sit in gratia secundum præsentem justitiam, tamen nunquam est pars sanctæ Ecclesiæ, & Prædestinatus semper manet membrum Ecclesiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, sed non a gratia prædestinationis*. Secunda Pelagianorum, quod importet cœtum omnium justorum a qualibet culpa immunium, seu perfectorum, ut refert August. lib. de hæresibus cap. 88. ubi habet: *In id etiam progrediuntur, ut dicant, vitam justorum in hoc seculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Ecclesiam Christi in hac mortalitate perfici*: quam sententiam Calvinus tribuit etiam Anabaptistis. Tertia, quod sit congregatio justorum, qui nunquam circa fidem lapsi sunt, etiamsi alia peccata commiserint: Ita Novatiani, Donatistæ. Quarta, quod sit congregatio fidelium, quibus peccata non imputantur, si veram habent fidem: Ita Confessionistæ in Confessione Augustana; quamvis Brentius dicat duas dari Ecclesias, alteram Sanctorum, qui vere credunt, & Deo obediunt, quæ non est visibilis, nisi oculis fidei, alteram externam hominum communicantium in doctrina fidei, & usu Sacramentorum, in qua boni, & mali inveniuntur; quamvis mali nunquam ad veram Ecclesiam pertineant. Quinta demum ex Calvino, quod constet ex solis justis prædestinatis.

V. Catholici tamen docent, Ecclesiam catholicam esse unam, & visibilem, & importare cœtum hominum veram fidem profitentium, ac utentium Sacramentis a Christo Domino institutis, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præsertim Romani Pontificis Christi in terra Vicarii. Unde ratione primæ partis extra Ecclesiam Catholicam sunt omnes infideles, & hæretici, ac apostatæ: Ratione secundæ partis ad Ecclesiam non pertinent Catechumeni, utpote nondum admissi ad Sacramentorum participationem, (idemque dicas de pueris ante baptismum) & excommunicati, quia adhuc a participatione Sacramentorum excluduntur. Ratione tertiæ partis sunt extra ovile Ecclesiæ Schismatici, quippe qui licet fidem profiteantur, & sacramenta participent, detrectant tamen subjectionem debitam legitimo pastori. Reprobi autem, ac peccatores ab Ecclesia non excluduntur: unde fit, Ecclesiam esse visibilem, quia quamvis ad constituendam veram Ecclesiam pertineant etiam virtutes internæ fidei, spei, charitatis, & aliæ, quæ in plurimis reperiuntur; nihilominus ut aliquis sit pars Ecclesiæ, de qua Scripturæ loquuntur, sufficit, (ut multi cum Bellarmino docent) quod fidem exterius profiteatur, ac sacramentis a Christo Domino institutis utatur cum subjectione debita Pastoribus Ecclesiæ, ac præsertim Romano Pontifici. Sunt autem membra viva Ecclesiæ, qui fidem hanc ita profitentur exterius, ut sint etiam præditi virtutibus internis fidei, spei, & charitatis; sunt vero membra mortua, si iisdem careant. Quod si velimus loqui cum Augustino in Breviculo Collationis, Collatione tertia, ita Ecclesia est corpus vivum, ut quidam sint de anima, & corpore Ecclesiæ, per hoc quod sint uniti Christo per virtutes internas, & professionem fidei, & communicationem Sacramentorum externam; quidam vero initium vitæ habeant, & quasi sensum, non tamen motum, si scilicet habeant fidem, non vero charitatem; alii sint de anima, non de corpore Ecclesiæ, ut Catechumeni, & excommunicati, qui fidem habent, & charitatem: Alii demum sint solum de corpore Ecclesiæ, & non de anima, si careant virtutibus internis, & solum spe, aut timore aliquo temporali fidem profiteantur, & sacramenta participent sub regimine pastorum; & hujusmodi sunt instar capillorum, unguium, aut malorum humorum in corpore humano.

VI. Deinde quod attinet ad notas Ecclesiæ, sciendum Ecclesiam Catholicam instar Solis radios lucidissimos usquequaque diffundere, ut facillime per illos dignosci possit; propterea habet plurimas notas, seu testimonia, ac signa, quibus possit vera Ecclesia a falsis discerni; ita tamen, ut non reddant illam evidenter veram, sed evidenter credibilem, & credendam, juxta illud Psal. 92. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Præcipuæ hujusmodi notæ sunt, quod Ecclesia sit Una, sit Sancta, sit Catholica, sit Apostolica, ut habetur in Symbolo fidei. Dicitur esse *Una*, videlicet unitate Fidei, unitate Baptismi, ac reliquorum Sacramentorum, unitate Capitis tum invisibilis, qui est Christus Dominus, tum visibilis, qui est Pontifex, & unitate membrorum inter se unitorum; unde ex Apostolo ad Ephes. 4. dicitur: *Unum corpus; & unus spiritus*. Deinde est *Sancta* tum sanctitate doctrinæ, ac Secramentorum, tum sanctitate præcipuorum ejus membrorum: unde Cant. 6. Ecclesia dicitur *Pulchra ut Luna*. Appellatur etiam *Catholica*, seu universalis quoad locum, & tempus; etenim semper fuit, postquam super fundamentum Apostolorum a Christo Domino fuit ædificata, & semper erit; (dicitur enim Daniel. 9. *Regnum, quod in æternum non dissipabitur*,) & ubique gentium reperitur, juxta illud Psal. 2. *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ*. Et Psal. 71. *Dominabitur a mari usque ad mare*; unde Christus Dominus Apostolis injunxit Lucæ ult., & Act. 1., ut Evangelium in omnes gentes prædicaretur; & ideo *in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Pariter Ecclesia dicitur *Apostolica*, tum ratione suæ originis; unde dicitur ad Ephes. 2. *Superædificati super fundamentum Apostolorum, & Prophetarum*; tum ratione legitimæ, & continuæ successionis ejus Pastorum, qui ab Apostolis ad nos usque descenderunt.

VII. Denique Caput Ecclesiæ dicitur Christus Dominus, quatenus in reliqua membra influit gratiam, & auxilia, necnon in quantum habet potestatem imperandi, ac gubernandi fideles. Hinc ad Ephes. 1. dicitur: *Ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam*. Et Trident. sess. 6. cap. 16. habet: *Cum enim ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipsos justificatos virtutem jugiter influat, quæ virtus bona*

eorum

eorum opera semper antecedit & comitatur, & subsequitur, & sine qua nullo pacto Deo grata, & meritoria esse possunt, &c. Est autem Christus Dominus caput Ecclesiæ non solum in quantum Deus, sed etiam in quantum homo; Christus enim nos redemit in quantum Homo Deus, & in quantum talis est judicaturus orbem. Hinc non solum influit auxilia supernaturalia in justificatos, qui sunt viva membra Ecclesiæ, sed etiam in peccatores fideles, qui sunt membra Ecclesiæ, mortua quidem per defectum charitatis, quæ est animæ vita, sed non separata ab Ecclesia; immo etiam auxilia, & gratias influit in Infideles, qui sunt extra Ecclesiam, & in excommunicatos, ac in hæreticos, qui sunt membra abscissa, ad hoc ut per auxilia ista gratiæ uniantur Ecclesiæ per fidem, & vivificentur per charitatem. Proscripta siquidem est ab Alexandro VIII. thesis illa quinta, quæ habet: *Pagani, Judæi, Hæretici, aliique hujus generis nullum omnino accipiunt a Jesu Christo influxum; adeoque hinc recte inferes in illis esse voluntatem nudam, & inermem sine omni gratia sufficienti*. Quare relate ad Infideles, & Hæreticos est caput solum quatenus est eorum Redemptor, non quia pertinent, sed ut pertineant ad Ecclesiam militantem; Relate vero ad Angelos est etiam caput; cum dicatur ad Coloss. 2. *Estis illo repleti, qui est caput omnis Principatus, & Potestatis;* at non est caput, tanquam eorum Redemptor, sed est caput, vel quia ob merita Christi subsequentia Deus contulit eis gratiam, ut multi docent, vel saltem quatenus habet illis præcipiendi auctoritatem, & super illos excellit. Non dicitur tamen dæmonum caput, quamvis possit etiam dæmonibus imperare, quia dæmones non sunt membra per charitatem conjuncta cum Christo, sicut sunt Angeli, nec similitudinem cum Christo habent in donis gratiæ. Potest etiam dici Christus in quantum homo caput Angelorum, ut notat Cajetan. ex D. Thom. 3. p. qu. 8. art. 4. quatenus in eos influit quoad ea, quæ spectant ad actus Hierarchicos, videlicet secundum quod unus Angelus illuminat, ac perficit alium.

VIII. Ostendo nunc adversus hasce theses Quesnellianas, quod ad Ecclesiam pertineant non solum electi, & justi, sed etiam reprobi, & peccatores; ut proinde non possit nutare firmitas credendorum!, nec Pastorum Ecclesiæ jurisdictio, ex eo scilicet, quod ignoretur, num sint reprobi, aut peccatores, qui proponunt articulos fidei credendos, & qui auctoritate Ecclesiastica aliquid præcipiunt. Primo quidem, quod attinet ad reprobos, constat, quod ad Ecclesiam pertinent, ex parabolis luculentissimis Evangelii; comparatur enim Ecclesia Matth. 22. convivio nuptiarum, ad quod intravit etiam non vestitus veste nuptiali, qui projectus est in tenebras exteriores; unde conclusit Christus Dominus: *Multi sunt vocati, pauci vero electi*. Comparatur Matthæi 25. decem virginibus, quarum quinque prudentes ornatis lampadibus intrabunt cum Sponso ad nuptias in die judicii; quinque vero fatuæ ignoratæ a Sponso excludentur. Comparatur Matthæi 13. sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti, quorum mali foras missi sunt: Ubi additur, quod sic Angeli separabunt malos de medio justorum, illosque mittent in caminum ignis. Matthæi 25. comparatur ovili, in quo habentur oves, & hædi, nempe, ut idem Christus Dominus explicavit, electi, & reprobi. Idem significant verba illa Apostol. 2. ad Timot. 2. *In magna autem domo sunt vasa aurea, & argentea, & lignea, & fictilia, quædam in gloriam, & quædam in contumeliam*. Nomine autem magnæ domus venit Ecclesia, in qua sunt vasa aurea ad honorem, nempe electi: & vasa aurea ad contumeliam, nempe reprobi. Quod pariter Patres communiter docent. Pro omnibus in re tam dilucida satis sit Augustinus, qui libro de unitate Ecclesiæ cap. 13. dicit, Judam proditorem fuisse in Ecclesia, sicut erant & reliqui Apostoli, & tamen erat reprobus. Sic viceversa Paulus fuit extra Ecclesiam, dum illam persequebatur, & tamen erat prædestinatus, ut advertit idem Augustinus serm. 1. de convers. Pauli dicens, prius illum fuisse lupum, deinde ovem.

IX. Ratio tamen, cur etiam reprobi sint de Ecclesia, & non soli electi, est, quia omnes baptizati (quamvis ex iis multi sint reprobi) sunt membra Christi; Cum dicatur ad Galat. 3. *Omnes enim filii Dei estis per fidem in Christo Jesu; quicunque enim baptizati estis, Christum induistis*. Et 1. ad Cor. 12. *Omnes nos uno spiritu in unum corpus baptizati sumus*. Hæretici tamen, Apostatæ, Schismatici, & excommunicati desinunt esse membra Christi, & Ecclesiæ; dicitur enim ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, & delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus:* unde Augustinus lib. de unit. Eccl. cap. 4. habet: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus, & sepultus est, non utique sunt de Ecclesia*: ergo hæretici non sunt membra Christi. Quod pariter docet Concil. Nicæn. c. 8. & 19. De Apostatis etiam dicitur 1. Jo. 2. *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis*. Erant quippe de Ecclesia, sed non erant ex nobis secundum Divinam electionem, ut exponit Augustinus lib. de bono perseverantiæ cap. 8. Schismatici etiam sunt extra Ecclesiam, quippe quæ vocatur Jo. 10. *Unum ovile*; Rom. 12. *Unum corpus*; & Cant. 6. *Una amica, una sponsa, una columba*: unde Augustinus lib. de fide, & symbolo cap. 10. ait: *Nec hæreticus pertinet ad Ecclesiam Catholicam, quę diligit Deum, nec schismaticus, quoniam diligit proximum*. Et Fulgentius de fide ad Petrum c. 38. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, non solum Paganos, sed etiam Judæos, hæreticos, & schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æternum ituros*. Et Hieron. in cap. 3. ad Titum: *Inter hæresim, & schisma hoc interesse arbitramur, quod hæresis perversum dogma habeat, schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia pariter separet*. Constat itaque, Hæreticos, Apostatas, & Schismaticos, quamvis Christianos, ad Ecclesiam non pertinere: Sicuti neque spectant ad Ecclesiam excommunicati, de quibus, ut docent communiter Expositores, Christus D. Matthæi 18. dixit: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & Publicanus*; Ethnicus autem procul dubio de Ecclesia non est. Hinc August. lib. de unit. Ecclesiæ cap. ult. dicit, Excommunicatos visibiliter præcidi a corpore Ecclesiæ. Quod etiam habetur in jure Canonico 11. qu. 3. c. *Canonica*; ubi dicitur: *Canonica instituta, & Sanctorum Patrum exempla sequentes, Ecclesiarum*

Dei

Dei violatores auctoritate Dei, & judicio Sancti Spiritus a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ, & a consortio totius Christianitatis eliminamus. His adde, quod sicut multi ex Reprobis sunt de Ecclesia, ita ex opposito multi ex Prædestinatis sunt extra Ecclesiam; etenim multi ex Gentilibus, Judæis, & Hæreticis decursu temporis ad Ecclesiam confugiunt, & salvantur, unde sunt prædestinati, & tamen antecedenter sunt extra Ecclesiam; sicut Paulus licet prædestinatus extra Ecclesiam erat, ut diximus, quando Ecclesiam Dei persequebatur.

Et ratio ulterior est, quia si solum electi essent de Ecclesia, sequerentur incommoda, quæ diximus, videlicet quod omnia incerta essent; nemo enim agnosceret Pastorem suum, nec Pastor oves suas, cum nemo sciat quisnam sit ex numero Electorum. Præterea nemo sciret, quænam sint veræ scripturæ, vera Sacramenta, vera fides; hæc enim omnia pendent ex Ecclesiæ veræ testimoniis.

X. Secundo, quod attinet ad peccatores fideles, eos pariter esse de Ecclesia, sive occulti sint, sive manifesti, contra errorem Donatistarum & Novatianorum constat, tum ex parabolis laudatis de area, de reti, de decem Virginibus, de convivio nuptiali, ut notat Augustinus in Breviculo Collationis coll. 3. tum etiam quia Matt. 18. dicitur; *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum* &c. *si eos non audierit, dic Ecclesiæ;* quibus verbis significatur dari in Ecclesia peccatores, qui neque per correctionem fraternam, neque adhibitis duobus testibus ad bonam frugem se recipiunt, donec ab Ecclesia per sententiam justam expellantur. Et 1. ad Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris sui aliquis habeat*. Apocalypsis 2. & 3. scribens Joannes septem Ecclesiis Asiæ, illarum defectus acriter reprehendit, & ut advertit Augustinus cap. 10. contra Parmenianum, reprehendit Angelum, hoc est præpositum Ecclesiæ Sardensis, dicendo: *Non habes, quod vivas, sed mortuus es; esto vigilans*. Idem Augustin. tract. 6. in Jo: habet: *Nos fatemur in Ecclesia Catholica & bonos, & malos esse, sed tanquam grana, & paleas*. Et in Breviculo Collation. refert Collationem illam Carthagine habitam inter trecentos, & sex Episcopos Catholicos, (quorum unus erat ipse,) ac ducentos nonaginta sex Episcopos Donatistas, in qua coacti sunt isti fateri, in Ecclesia Dei bonos simul, & malos reperiri, juxta parabolam retis, in quo boni simul, & mali pisces congregantur. Quoniam autem Donatistæ contendebant malos in Ecclesia esse occultos, ad eum modum, quo in reti pisces mali non cognoscuntur, nisi quando in litore boni a malis separantur; Catholici responderunt Ecclesiam comparatam etiam esse areæ, in qua frumenta, & paleæ discernuntur, immo magis apparent paleæ, quam frumenta; ut proinde etiam peccatores manifesti Ecclesiam constituant. Et quia Donatistæ calumniabantur Catholicos, quod duas Ecclesias constituerent, alteram in terris, quæ bonos simul, & malos complecteretur, alteram in Cælis, quæ solum contineret Electos; Catholici propugnarunt non esse duas Ecclesias, sed unam tantum, diversis tamen temporibus, ita ut nunc dum Ecclesia est Militans, bonos simul, & malos contineat; in Cælis vero, ubi est Triumphans, solum contineat Electos; non secus ac unus est Christus diversis temporibus; in terris quidem mortalis, in Cælo autem immortalis. Hæc sunt Augustini verba: *Eandem ipsam unam, & Sanctam Ecclesiam dixerunt nunc esse aliter, tunc aliter futuram; nunc habere malos mixtos, tunc non habituram; Sicut non ideo duo Christi sunt, quia aliquando mortalis, aliquando immortalis fuerit Christus*.

XI. Ratio autem cur Ecclesia Dei non a solis justis, sed etiam a peccatoribus constituatur, est, non solum quia aliter frustra Christus D. Sacramentum Pœnitentiæ instituisset, quod duntaxat peccatoribus, qui in Ecclesia sunt, potest administrari; sed etiam quia cum passim incertum sit, quinam sint boni, quinam vero mali, incertum pariter esset, quinam sint veri Ecclesiæ Pastores, & quibusnam obediendum sit: incertum etiam esset, quænam essent oves, quarum Pastores deberent curam agere: incertum denique quid credendum infallibiliter sit, quid omnino observandum; cum incertum esset, num Ecclesiam constituerent Pontifices, qui ex Cathedra loquuntur, & Episcopi, qui Concilium repræsentarent. Hinc in Concilio Constantiensi damnatur Sessione quinta tum errorem 22. Joannis Huss asserentis Pastorem malum esse æquivoce Pastorem; tum error 30. quo asserebatur Prælatum malum non esse vere Prælatum.

XII. Opponitur nunc ad probandum, quod Reprobi non spectent ad Ecclesiam; primo quia Arca Noe fuit figura Ecclesiæ, ut docet Augustinus lib. 5. de Baptismo cap. ult.; in Arca autem solum fuerunt, qui salvandi erant ex aquis: ergo in Ecclesia solum sunt, qui salutem consequentur. Secundo, quia Ecclesia est unum ovile; oves autem ut distinctæ ab hædis sunt Electi, ex Augustino tr. 35. in Jo. 9. ergo ab Electis duntaxat Ecclesia constituitur. Tertio, quia Corpus mysticum Christi, quod est Ecclesia, est simile Corpori Christi reali; hoc autem totum fuit gloriosum; ergo pariter Corpus mysticum; atque adeo solum electos complectitur. Quarto, Christus est Caput illius Ecclesiæ, quam salvabit: sed solos Electos salvabit: ergo est Caput Ecclesiæ constitutæ ex solis Electis. Quinto, quia 1. Jo. 2. dicitur: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum*. Ubi August. lib. de Corrept. & Gratia cap. 9. sic ait: *Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis, hoc est quando videbantur ex nobis, non erant ex nobis; item non erant filii etiam quando videbantur in professione, & nomine filiorum*.

Respondeo ad primum, similitudines, quæ passim in Evangelio adhibentur, non debere in omnibus convenire; aliter deberent omnes baptizati tam boni, quam mali salvari, per hoc quod Arca Noe fuerit symbolum Ecclesiæ, & in illa arca omnia animalia evaserint naufragium, tam munda, quam immunda. Quare in hoc solum Ecclesia comparatur Arcæ, ut notat Augustinus loco laudato, quod sicut nemo extra Arcam salvus fuit, ita nemo extra Ecclesiam salvus erit.

Ad secundum: non semper in Scripturis oves significant Electos; sed passim significant tam bonos, quam malos, qui Pastorum curæ commissi sunt; ut cum dicitur Joan. ult. *Pasce oves meas;* debet enim Vicarius Christi pascere etiam malos fide-

fideles, ut boni fiant; sic in Ps. 73. *Iratus est furor tuus super oves pascuæ tuæ*. Aliquando tamen sumitur nomen Ovis pro solis Electis, ut quando Matth. 25. dicuntur oves separandæ ab hædis; & quando Jo. 10. habetur: *Oves meæ vocem meam audiunt*. In loco autem laudato sumitur hoc nomen juxta priorem significationem.

Ad tertium, Vel dicas, quod similitudines non debeant in omnibus convenire; Vel dicas, quod sicut in Corpore vero Christi D. omnes partes secundum speciem suam, seu formales fuerunt gloriosæ, vid. caput, pectus, brachia &c. non tamen omnes in individuo, seu materiales, quia multæ partes Corporis Christi fluebant, & mutabantur, ut in nobis, ita in Corpore mystico Ecclesiæ omnes partes secundum speciem suam erunt gloriosæ, videlicet Apostoli, Prophetæ, Doctores, Martyres, Virgines, Confessores; non tamen omnes partes veluti materiales, videlicet singuli homines.

Ad quartum: Christus est Caput ejus Ecclesiæ, quam salvabit, quatenus non est Caput aliarum Sectarum, quæ salutem non consequentur; quamvis enim aliqua Ecclesiæ membra non sint salvanda, non per hoc Christus non dicitur salvare Ecclesiam suam, cujus est Caput; est enim Caput totius sui Corporis, quamvis nonnulla membra in particulari sint peritura.

Ad ultimum. Qui exierunt ex Ecclesia dicuntur non fuisse ex nobis, videlicet secundum prædestinationem, non vero secundum Sacramentorum Communionem. Et in eodem sensu dicuntur ab Augustino non fuisse filii, quamvis viderentur in professione, & nomine filiorum. Quod aperte idem Augustinus docuit tract. 45. in Jo. dicens: *Quid est, quod dixi, Quam multæ oves foris! quam multi luxuriantur, casti futuri! quam multi blasphemant Christum, credituri in Christum! & hi oves sunt? Veruntamen modo alienam vocem audiunt, alienum sequuntur. Item quam multi intus laudant blasphematuri! Casti sunt, fornicaturi! stant, casuri! & non sunt oves, de prædestinatis enim loquitur.* Ecce quomodo Augustinus diserte doceat multos esse intus, atque adeo de Ecclesia, & ex nobis secundum participationem Sacramentorum, & sub professione, ac nomine filiorum Dei; quamvis secundum prædestinationem non sint oves, nec unquam in hoc sensu fuerint ex nobis.

XIII. Opponitur deinde ad probandum, quod fideles peccatores ad Ecclesiam non pertineant; Primo quia Ecclesia in Symbolo fidei dicitur Sancta; ergo non constat nisi ex sanctis. Quod si sufficeret, quod minor Ecclesiæ pars sit Sancta, ut possit absolute dici Sancta, a fortiori deberet sufficere quod major ejus pars dicatur impia, ut absolute posset Ecclesia dici impia. Secundo quia sicut habens Deum pro Patre habet Ecclesiam pro Matre, ita viceversa habens Ecclesiam pro Matre habet Deum pro Patre; sed peccator non habet Deum pro Patre; (dicitur enim ad Rom. 8. *Nam qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*: Et de peccatoribus dicitur Jo. 8. *Vos ex Patre diabolo estis*) ergo nec Ecclesiam habet pro Matre. Tertio quia si Ecclesia est Christi Corpus mysticum, nequit habere membra mortua, in quibus nihil Christus operatur, cujusmodi sunt peccatores. Quarto quia qui pertinent ad Regnum diaboli, omnes sunt impii: ergo qui pertinent ad Regnum Christi, omnes sunt probi, & justi. Quod videtur docere August. l. 2. contra Cresconium cap. 21. dicens: *Ac per hoc etiam nesciente Ecclesia propter malam, pollutamque conscientiam damnati a Christo jam in Corpore Christi non sunt, quod est Ecclesia, quoniam non potest Christus habere membra damnata*. Et similiter Hieronymus in Comment. ad Ephes. 5. ubi habet: *Ecclesia Christi gloriosa est, non habens maculam, neque rugam, neque aliquid hujusmodi*; qui ergo peccator est, aut aliqua sorde maculatus, de Ecclesia Christi non potest appellari, nec Christo subjectus dici.

Respondeo ad primum, Ecclesia dicitur Sancta triplici ex Capite; primo quidem, quia sancta sunt, quæ ad ipsam constituendam spectant; videlicet Baptisma, professio Christiana, nempe fidei, & morum, & unio membrorum inter se, & cum suo capite. Secundo dicitur Sancta, quia Deo est dicata, ejusque Caput est Christus, qui est Sanctus Sanctorum. Tertio est Sancta propter Sanctos, quos habet; & quamvis habeat etiam impios, non eatenus dici potest impia: tum quia denominatio sumitur a parte præstantiori; sicut homo dicitur rationalis, quamvis ejus Corpus non sit rationale: tum etiam quia proprium est Ecclesiæ Catholicæ habere Sanctos, quin sit proprium Ecclesiæ Catholicæ habere impios.

XIV. Ad secundum, tripliciter etiam homines in Scripturis dicuntur esse filii Dei, ut notat Augustinus lib. contra Adimantum cap. 5. Primo ratione generationis, creationis, aut regenerationis; nam Christus est Dei filius, quia a Patre generatus: homines sunt Dei filii, quia ab eo creati; unde dicitur Deuteron. 32. *Numquid non ipse est Pater tuus, qui fecit, & creavit te?* Et justi dicuntur Dei filii, quia ab eo regenerati; in quo sensu loco laudato dicitur ab Apostolo: *Qui Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei*. Secundo dicuntur homines Dei filii ratione imitationis: quo sensu dicitur Matthæi 5. *Diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos, ut sitis filii Patris vestri*. Et in hoc eodem sensu peccatores dicuntur esse a Patre diabolo, quatenus illum imitantur. Tertio ratione doctrinæ; Sicut enim Apostolus vocat suos filios, quos imbuerat doctrina Christi, dicens Gal. 4. *Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur in vobis Christus*: ita dicuntur filii Dei, & Ecclesiæ, qui Dei, & Ecclesiæ doctrinam tenent, ac docent, etiamsi mali sint; unde Isaiæ 1. dicitur: *Filios enutrivi, & exaltavi, ipsi autem spreverunt me*. His explicatis, dico: qui est filius Dei Patris ratione doctrinæ, & imitationis, est similiter filius Matris Ecclesiæ, & viceversa: at qui est filius Dei per regenerationem, potest non pertinere ad Ecclesiam, ut Catechumenus, qui est in gratia: & viceversa potest aliquis non esse Dei filius in hoc sensu, sed filius diaboli per imitationem, & simul ad Ecclesiam pertinere, ut ostendimus.

Ad tertium, sicut possunt aliqua membra esse arida, & mortua, & tamen ad Corpus vivum pertinere, illique esse conjuncta; ita Corpori Mystico Christi D. nempe Ecclesiæ, possunt esse conjuncta quædam membra mortua, in quibus Christus non operatur operationes vitales, seu salutares. Hinc Pontifices, & Episcopi sunt vera capita hujus Mystici Corporis, Doctores vero sunt oculi, & linguæ, esto carerent vita gratiæ; possunt quippe esse instrumenta operativa per potestatem sive ordinis,

sive

sive jurisdictionis, quæ potest esse sine gratia. Quamvis autem in corpore naturali membrum mortuum non possit esse instrumentum ullius operationis; potest tamen in Corpore mystico. Et ratio disparitatis est, quia in Corpore naturali operatio pendet a bonitate instrumenti; cum non possit anima operationes vitales exercere, nisi per apta, viva, ac bona instrumenta: at in Corpore Mystico operatio non pendet a probitate, aut vita instrumenti, eo quod anima hujus mystici Corporis sit Spiritus Sanctus, qui tam potest operari per instrumenta viva, & idonea, quam per mala instrumenta, & mortua.

Ad quartum, non possunt ad Regnum diaboli pertinere filii Dei: per hoc enim ipsum, quod sint filii Dei, eruit illos Deus a potestate, & captivitate diaboli. At qui per imitationem sunt filii diaboli, possunt pertinere ad Regnum Dei in hoc mundo, seu ad Ecclesiam militantem; quia Christus noluit eos ab Ecclesia expulsos per peccatum, sed solum illos expellit per infidelitatem, per apostasiam, per schisma, per excommunicationem, vi quorum non possunt in Sacramentis cum aliis fidelibus communicare sub regimine legitimorum Pastorum, ac præsertim Vicarii Christi Dom.

Ad auctoritatem Augustini dicendum, non significari illis verbis, quod in Corpore Christi Mystico, seu in Ecclesia non dentur mali, sed solum quod non dentur mali, qui sint instar bonorum membra viva Christi D. sint autem in hoc Corpore Mystico eo prorsus modo, quo in corpore naturali sunt humores corrupti, qui revera sunt in corpore, sunt tamen etiam separati a membris corporis, ut idem August. habet tract. 3. in ep. Joan.

Ad auctoritatem Hieronymi dicendum, Ecclesiam non adæquate sumptam, sed secundum quod est sancta, & continet perfectos, nullam habere maculam, neque rugam. Etenim idem Hieronymus in cap. 1. ad Gal. quærens, quomodo cohæreant inter se verba Apostoli, quæ nunc Ecclesias Galatiæ commendant, nunc reprehendunt, dicit, non dari duas Ecclesias, alteram justorum, alteram scelestorum; sed unam esse, de qua diversimode loquuntur Scripturæ. Aliquando enim tribuunt Ecclesiæ, quod est proprium perfectorum, qui sunt in Ecclesia, ut est carere macula, ac ruga; aliquando tribuunt, quod est proprium imperfectorum, ac malorum, ut est peccare, ac indigere correptione. Quare quoties Ecclesia laudatur, respiciendum est ad Ecclesiam, prout continet Sanctos, & perfectos; quoties reprehenditur, respiciendum est ad eandem, prout continet imperfectos.

XV. Ex hactenus dictis infertur primo, quod licet Angeli, ac Sancti ad illam Ecclesiæ Catholicæ partem pertineant, quæ in Cœlis beata cum Rege suo Christo ævo fruitur sempiterno, ac triumphum semper agit ob victorias de suis hostibus reportatas; nihilominus ad Ecclesiæ partem, quam dicimus Militantem, & visibilem, non spectant Angeli, nec Electi in quantum tales, sed justi simul, ac peccatores, quantumvis sint Reprobi; de quibus nulla fit mentio in thesi 72. & sequentibus; ut proinde implicite Quesnellus velit eos ad Ecclesiam non pertinere, ut mox ostendemus.

Infertur secundo, Ecclesiam non esse cœtum filiorum Dei duntaxat, sed esse cœtum omnium illorum, qui veram fidem profitentur, & in iisdem Sacramentis communicant sub regimine Vicarii Christi D. Quod autem dicitur in thesi 73. videlicet adoptatos in Christo subsistere in ejus persona, si fiat sensus, quod adoptati in Christo sanctificentur per gratiam receptam in persona JESU Christi resuscitati, cui ipsi sunt uniti, (prout loquitur Quesnellus in thesi 36.) est omnino falsum, justos in persona Christi ita subsistere, ut ibi ostendimus.

Infertur tertio, Ecclesiam non debere dici Christum, ut habetur in thesi 74., sed esse Corpus Christi mysticum, habens quidem ut caput Verbum Incarnatum, non tamen habens sub se solum omnes Sanctos ut membra, complectitur quippe bonos simul, & malos, quamvis reprobos. Ratio autem, cur Ecclesia non debeat dici esse ipse Christus, est, quia cum Ecclesia juxta definitionem explicatam sit cœtus fidelium in Sacramentis communicantium sub regimine Vicarii Christi, & in hoc cœtu Christus comprehendi non possit, siquidem Christus non suscipit Sacramenta, sed ea instituit, nec subest regimini sui Vicarii, sed illi præest, sequitur, quod Christus sit solum Ecclesiæ caput, quatenus influit in reliqua membra gratias, & auxilia, prout præmisimus, & quatenus habet potestatem gubernandi fideles, ac illis imperandi, quin debeat dici membrum Ecclesiæ, ut docent communiter contra nonnullos apud Suarez t. 1. in 3. p. disp. 23. sect. 1., Vasquez disput. 98., Lugo disp. 17. num. 9. Etenim membrum dicit dependentiam ab aliis membris; Christus vero nullam dicit dependentiam ab Ecclesia. Quamvis autem Apostolus 1. ad Corinth. 12. dicat: *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*; non est sensus, quod fideles sint membra de Christo, quod pariter sit membrum; sed est sensus, quod illi fideles erant membra de Paulo, quod erat membrum Christi; sicut manus potest dici membrum de membro, hoc est de brachio, quod pariter est membrum; Vel est sensus, quod illi fideles erant pars Ecclesiæ, seu membrum relate ad Ecclesiam, quæ pariter est membrum Christi; Vel sensus demum est, ut alii volunt, quod fideles sint membra ad invicem.

Infertur quarto, nec apte dici in thesi 75. quod Ecclesia sit unus solus homo compositus ex pluribus membris, quorum Christus est caput, vita, subsistentia, & persona, unus solus Christus compositus ex pluribus Sanctis. Etenim neque est verum, quod Ecclesia sit Christus, neque est verum, quod Christus sit vita, subsistentia, & persona relate ad Sanctos, ut diximus in illatione secunda; neque est verum, quod Ecclesia ex solis justis, & non etiam ex peccatoribus componatur.

Infertur quinto, neque esse verum, quod habetur in thesi 76. Ecclesiam esse spatiosissimam, quatenus complectatur electos, & justos omnium sæculorum; tum quia debet etiam reprobos, & malos continere: tum etiam quia quamvis justi, qui fuerunt, & nunc non sunt, possint ad Ecclesiam conferre inquantum visibilem secundum id, quod nobis reliquerunt ad doctrinam Catholicam spectans, suis exemplis, & institutionibus, justi tamen, qui erunt, conferent quidem ad Ecclesiam, & illius erunt tunc temporis membra, nunc autem ad illam non spectant.

Infertur sexto, falsum esse, quod dicitur in thesi 77., quod cesset esse de Ecclesia, & habere Deum pro Patre relate ad doctrinam, & Christum pro Capite relate ad influxum peccator, qui

non ducit vitam dignam filio Dei, & membro Christi.

XVI. Infertur ultimo, falsissimum esse, quod habetur in thesi 78. videlicet quod tam separentur ab Ecclesia Infideles, qui non credunt Evangelio, quam peccatores, qui non vivunt secundum Evangelium. Imo ex hoc ipso, quod populus Judaicus fuerit figura populi Electi, evincitur falsitas hujus thesis: nam, ut arguit Augustinus in breviculo, collatione tertia, in populo Judaico a Deo electo in veteri testamento non deerant gravissima scelera; & tamen nusquam legitur, quod Moyses, Samuel, vel alii Prophetæ, aut Beatissima Virgo, D. Anna, Elisabeth, Simeon, Zacharias, Joannes Baptista, & alii justi separaverint se ab aliis hominibus iniquissimis in iis, quæ spectabant ad Templum, Altare, Sacrificia, & alia, quæ cultum religiosum continebant. Quare sicut in populo electo veteris testamenti boni, & mali simul commorabantur in iis, quæ religionis erat; ita prorsus dicendum in novo testamento, videlicet Ecclesiam Dei justos simul, & peccatores complecti.

XVII. Insulse nimis Quesnello patrocinantur, qui dicunt, in hisce thesibus, in quibus Ecclesię dignitas exprimitur, mentionem non fieri de peccatoribus, ac reprobis, sed solum de justis, & electis, non quia ab utrisque non constituitur, sed quia justi sunt potior ac dignior Ecclesiæ pars: unde sicut in Symbolo fidei dicitur ea esse Sancta, sumpta denominatione a præstantiore ejus parte, quamvis non pauci ad Ecclesiam pertinentes sint scelesti; ita dici poterit, quod Ecclesia sit cœtus justorum, quamvis etiam peccatores in ea reperiantur.

Sed valde puerilis est hæc evasio, in qua confunditur denominatio cum definitione. Cui autem ignotum est, quod possit res a potiori ejus parte denominari, non possit tamen per eam duntaxat definiri? Sic homo denominatur rationalis denominatione desumpta ab anima rationali, quæ est pars hominis præstantior. At si quis interroget, quid sit homo? non potest definiri per unum tantum ejus physicum constitutivum, dicendo, quod sit Anima rationalis, sed dici debet, quod sit compositum ex anima rationali, & corpore. In casu nostro, potest quidem Ecclesia denominari Sancta, non solum a sanctitate doctrinæ, ac Sacramentorum, sed etiam denominatione desumpta a præcipuis ejus membris. At dum Quesnellus in thesi septuagesimatertia interrogat, *Quid est Ecclesia?* non potest illam per unam duntaxat partem definire, dicendo, quod sit Cœtus justorum; sed respondere debet, quod sit Cœtus fidelium, qui a justis simul, & a peccatoribus, ab electis, & reprobis conflatur. Præterquamquod in thesi septuagesimaoctava expresse Quesnellus negat, peccatores fideles ad Ecclesiam pertinere, ut mox planius exponetur, rejectando excusationem illam, quod in his thesibus a peccatoribus solum præscindatur, & præscindentium nullum sit mendacium. Vult enim ibi Quesnellus, quod a populo electo, seu ab Ecclesia separentur, atque adeo ad illam non pertineant tam peccatores, qui non vivunt secundum Evangelium, quam Infideles, qui Evangelio non credunt.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXXII. usque ad LXXVII.

SEptuagesima secunda, & sequentes usque ad septuagesimam octavam multifariam errant loquentes de Ecclesia Catholica, & de Christo D. qui est Ecclesiæ Caput. Primo quidem dum dicitur absolute Ecclesia comprehendere omnes Angelos cœli. Quamvis enim ad Ecclesiam triumphantem spectent Angeli, & non sit duplex Ecclesia, altera militans in hac vita, & altera triumphans in altera, sed una tantum sit Ecclesia, considerata tamen pro diverso statu, & pro diversis temporibus; ad eum modum, quo idem est Christus Dominus, qui consideratus prout erat in hac vita, dicebatur Passibilis, & Mortalis, consideratus prout est in Cœlo, dicitur Impassibilis, & Immortalis: Nihilominus sicut Christus antonomastice in Scripturis venit ut Christus passibilis; (siquidem in veteri testamento præfiguratus fuit ut passibilis, & mortalis, & in novo testamento dicitur semetipsum exinanisse) ita Ecclesia Catholica antonomastice sumitur pro hac solum parte Ecclesię, quę est visibilis, & militans. Et ad hanc proculdubio non pertinent Angeli. Secundo falsum est, quod Ecclesia comprehendat omnes Electos. Cum enim Ecclesia Catholica, & visibilis definiatur communiter apud Bellarm. lib. 3. de Concil. cap. 1. quod sit *cœtus hominum, ejusdem Christianæ fidei professione, & eorundem Sacramentorum communione colligatus, sub regimine legitimorum Pastorum, ac præcipue unius Christi in terra Vicarii Romani Pontificis;* (unde ad Ecclesiam non pertinent Infideles, nempe Pagani, Turcæ, Judæi, sicut nec Apostatæ, Hæretici, Schismatici, Excommunicati, & Catechumeni) possint autem inter Infideles, & alios ad Ecclesiam non pertinentes nonnulli esse electi, quatenus peracturi sint pœnitentiam debitam, & sint salvandi; aperte sequitur, quod non omnes electi Ecclesiam constituant; aliter etiam constitueretur ab iis electis, qui nunc sunt infideles, & de facto sunt extra ovile Christi. Falsum est tertio, quod Ecclesia constituatur ab omnibus Justis terræ, & omnium sæculorum; cum enim multi, qui nunc sunt infideles, & ad Ecclesiam non pertinent, futuri sint aliquando justi, deberent etiam isti Ecclesiam constituere, quod tamen nemo dixerit; quippe qui non pertinent ad Ecclesiam nunc, dum sunt infideles, sed pertinebunt tunc, quando erunt justi. Falsum est quarto, quod adoptati in Christo subsistant in ejus persona, seu quod Christus sit subsistentia, & persona justorum (præsertim si fiat sensus, quod sanctificentur per gratiam receptam in persona Christi, ut dicitur in thesi 36.) Falsum est quinto, quod Ecclesia sit integer Christus, siquidem Christus est solum Ecclesiæ caput, in quantum influit gratias in sua membra, sed absque ulla dependentia a reliquis membris, nec subest regimini sui Vicarii, nec Sacramentorum est susceptor, ut alii, qui Ecclesiam constituunt, sed Institutor. Hinc falsum est sexto, quod Ecclesia sit unus solus homo, nempe Christus compositus ex pluribus Sanctis, quorum est Sanctificator. Falsum est septimo, quod peccator non ducens vitam dignam filio Dei, & membro

Chri-

Christi desinat habere Deum pro Patre, (vere enim Patrem habet Deum, non inquantum retinet gratiam, seu filiationem adoptivam, cum illam ob mortale amiserit, sed in quantum retinet ejus doctrinam, ac fidem) desinatque habere Christum pro capite quoad influxum auxiliorum, ut per gratiam vivificetur.

Illud vero, in quo enormiter Quesnellus errat in his omnibus thesibus, est, quod solum velit Justos, & Electos ad Ecclesiam pertinere, non vero peccatores, & reprobos. Qua in re exsuscitatur hæresis Calvini, & aliorum apud Bellarm. loco laudato, qui eatenus negabant Ecclesiam esse visibilem, cum non possimus discernere electos, & justos a reprobis, & peccatoribus; unde rueret firmitas fidei, & credendorum, necnon Ecclesiæ jurisdictio: cum enim dignosci nequeat, num isti Pastores Ecclesiæ sint ex numero justorum, & electorum, an secus, incerta est eorum jurisdictio, & incertum pariter, quod in Conciliis Oecumenicis definiunt tanquam de fide credendum. Id autem eo consilio a Quesnello in his thesibus inculcatur, ut Janseniani parvipendant proscriptiones a Pontificibus non semel factas thesium Jansenii, necnon excommunicationes latas adversus contumaces: cum enim incertum sit, an ad veram Ecclesiam spectent Pastores, qui theses illas proscripserunt, & excommunicationes comminati sunt, idcirco non debent inde homines retrahi a sequenda ea doctrina, quam dicunt esse Augustini. At ex Evangelio luculenter constat, in Ecclesia bonos simul, & malos, electos, & reprobos contineri. Ea quippe Matth. 25. comparatur Ovili, quod oves simul, & hœdos continet, nempe electos, & reprobos: Matth. 13. comparatur Sagenæ missæ in mare, quę bonos simul, & malos pisces congregat, nempe justos, & peccatores: Matth. 3. comparatur Areæ, quæ triticum simul continet, & paleas. Unde August. tr. 6. in Jo. habet: *Fatemur in Ecclesia Catholica & bonos, & malos esse, sed tanquam grana, & paleas.* Quod si peccatores ad Ecclesiam non pertinerent, Sacramentum Pœnitentiæ non esset Sacramentum mortuorum, quippe quod non posset peccatoribus fidelibus conferri, sicut non potest conferri Infidelibus, nec excommunicatis, & aliis, qui ab Ecclesia sunt ejecti, dicente Apostolo 1. Cor. 5. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Et hac de causa qui post correptionem fraternam non emendantur, non deberent accusari Ecclesiæ, quæ non judicat de iis, qui foris sunt; & tamen Matth. 18. Christus D. dicit: *Si non audierit eos, dic Ecclesiæ.*

Ex quibus fit primo, erroneum esse, quod dicitur in thesi 77. quod scilicet peccator non ducens vitam dignam membro Christi sit membrum abscissum, ut proinde non habeat Christum pro capite; quamvis enim sit membrum mortuum, non est tamen abscissum, ut est excommunicatus. Fit secundo, erroneum similiter esse, quod dicitur in thesi 78. quod eodem modo separetur a populo electo (nempe ab Ecclesia) peccator, qui non vivit secundum Evangelium, & infidelis, qui Evangelio non credit: Infideles enim ad Ecclesiam non pertinent, quippe quæ est cœtus Vocatorum ad fidem, seu cœtus fidelium: unde August. lib. de unitate Ecclesiæ cap. 4. habet: *Qui non credunt Christum in carne venisse de Virgine Maria ex semine David, aut in corpore ipso resurrexisse, in quo crucifixus, & sepultus est, non utique sunt de Ecclesia.* At peccatores pertinent ad Ecclesiam, ut ostendimus; & ex hoc ipso fit perspicuum, quod populus Judaicus a Deo electus in veteri testamento, qui erat figura Ecclesiæ, malos simul, & bonos complectebatur, eosque indiscriminatim admittebat in iis, quæ ad cultum religiosum pertinebant.

Nonnulli, vel quia decipiuntur, vel potius ut decipiant, in hisce thesibus Quesnellum excusant dicendo, quod solum afferat justos, & electos ad Ecclesiam spectare, quin excludat peccatores, & reprobos, sed ab iis præscindat: Præsertim quia alibi expresse docuit, in Ecclesia bonos simul, & malos contineri; videlicet in c. 13. Matth. v. 47. ubi habet: *Sagena, & navis Ecclesiæ præsentis indiscriminatim accipiunt pisces bonos, & malos, veros christianos, & hypocritas, electos, & reprobos.*

Verum in Sole cæcutit, qui non advertit, Quesnellum in hisce thesibus velle, quod peccatores nullatenus ad Ecclesiam spectent, non secus ac excommunicati, & infideles; etenim id verbis non obscuris asseritur in thesi 77. expresse autem habetur in thesi 78. ubi dicitur, eodem modo ab Ecclesia separari peccatorem, qui non vivit secundum Evangelium, ac Infidelem, qui Evangelio non credit. Verum quidem est, quod in aliis thesibus præscindat a peccatoribus, & reprobis. Sed quis non videat, in materia dogmatica propositionem præcisivam, & multo magis rei definitivam de se æquivalere exclusivæ, (ut advertimus in thesi 32.) præsertim postquam dissensio aliqua in ea re fuit inter Catholicos, & Hæreticos? Sicut enim si quis diceret, Ecclesiam constitui a baptizatis adultis, quamvis præscindat a baptizatis infantibus, censetur tamen illos excludere, juxta hæresim damnatam a Tridentino sess. 7. can. 13. ita qui asserit, ac multoties repetit, Ecclesiam constitui a justis, & electis, censetur excludere malos, ac reprobos, juxta hæresim Wiglephi, Lutheri, Calvini, & aliorum apud Bellarminum.

Neque obstat, quod alibi Quesnellus dixerit, sagenam, & navim Ecclesiæ accipere pisces bonos, & malos. Nam aliquando hic Auctor callide utitur verbis ambiguis ad fallendum, ut advertimus in thesi 10., ubi diximus, quod cum non semel docuerit disertis verbis nullam voluntatem resistere gratiæ interiori, juxta hæresim Jansenii, usus est aliquando verbis ambiguis, dicendo hominem gratiæ resistere; cum tamen nusquam diserte docuerit, quod resistat gratiæ interiori; propterea ubi dixit, quod gratiæ resistat, solum voluit, quod resistat gratiæ exteriori, prout loquitur in thesi quinta. Ita in casu nostro; aperte Quesnellus in his thesibus negat peccatores in Ecclesia contineri, cum dicat, eodem modo ab illa separari peccatorem, ac Infidelem; propterea ubi verbis ambiguis ad fallendum dixit, Ecclesiam accipere bonos, & malos, cum nusquam docuerit, malos, & bonos Ecclesiam constituere, intelligendus est, quod ibi voluerit, vel bonos, & malos accipi ab Ecclesia in sensu Melancthonis, qui dicebat, bonos, & malos admisceri in Ecclesia, quin tamen veram Ecclesiam conflent; Vel juxta mentem Brentii dicentis bonos, & malos esse solum in Ecclesia externa, quatenus tam mali, quam boni conveniunt in doctrina fidei, & usu Sacramentorum, quamvis soli justi spectent ad veram Ecclesiam præditam privilegiis, quæ narrantur in Scripturis, quæ non est visibilis, nisi oculis fidei.

Præterquamquod ſicut excommunicati , (qui proculdubio ad Eccleſiam non pertinent, utpote ab ea dimiſſi) nec non hæretici , qui a congregatione Fidelium egreſſi ſunt, dici poſſunt eſſe in Eccleſia ſecundum quid , non ſimpliciter , ut advertit Bellarm. lib. 3. de Eccl. cap. 4. videlicet quia etiam ipſi quædam Sacramenta valide adminiſtrant ; ita peccatores . Denique dici poſſunt eſſe in Eccleſia largo & vulgari modo ſumpta, prout complectitur omnes Chriſtianos , (ut notat D. Ambroſius apud eundem Bellarm.) & in hoc ſenſu dicere potuit Queſnellus , quod ſagena Eccleſiæ piſces bonos , & malos accipiat , cum diſerte non ſemel docuerit , peccatores ad veram Eccleſiam preſſe ſumptam ſimpliciter non pertinere .

Dicunt Queſnelli Aſſeclæ , quod theſis 77. aſſerens, peccatorem non habere Deum pro Patre, nec Chriſtum pro capite, poſſit rite intelligi, & explicari , quod non habeat Deum pro Patre per gratiam, qua clamamus, Abba, Pater, ut dicitur Rom. 8. nec habeat Chriſtum pro capite, qui influat in membra viva, ſicut vitis in palmites. Sed inaniter adlaborant . Nam primo in germano & obvio verborum ſenſu theſis eſt erronea; excludit quippe omnem rationem Patris in Deo, & capitis in Chriſto relate ad peccatores; cum negatio ſit malignantis naturæ. Deinde theſis, quæ poteſt tam in vero, quam in erroneo ſenſu uſurpari , ex adjunctis ad hunc potius ſenſum, quam ad illum determinatur, ut explicavimus in theſi 51. Cum autem theſis hæc abſolute doceatur, poſtquam Heterodoxi contenderint, peccatores ad Eccleſiam non ſpectare, & doceatur in Codice, in quo aliis in locis (præſertim in theſi 78.) hoc diſerte exprimitur , ex his adjunctis fit, quod in ſenſu erroneo accipienda ſit ; & ideo tum in proprio verborum ſenſu , tum in ſenſu ab Auctore intento proſcribenda fuit.

PROPOSITIO LXXIX.

Utile, ac neceſſarium eſt omni tempore, omni loco , & omni perſonarum generi ſtudere, & cognoſcere ſpiritum , pietatem , & myſteria Sacræ Scripturæ. *Queſnel.* 1. *Cor.* 14. 15. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXX.

Lectio Sacræ Scripturæ eſt pro omnibus . *Queſnel. Act.* 8. 28. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXXI.

Obſcuritas ſancta verbi Dei non eſt laicis ratio diſpenſandi ſe ipſos ab ejus lectione . *Queſnell. Act.* 8. 31. *edition.* 1693. *&* 1699.

PROPOISITIO LXXXII.

Dies Dominicus a Chriſtianis debet ſanctificari lectionibus pietatis, & ſuper omnia ſanctarum Scripturarum . Damnoſum eſt velle Chriſtianum ab hac lectione retrahere . *Queſn. Act.* 15. 21. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXXIII.

Eſt illuſio ſibi perſuadere , quod notitia myſteriorum Religionis non debeat communicari fœminis lectione ſacrorum librorum . Non ex fœminarum ſimplicitate , ſed ex ſuperba virorum ſcientia ortus eſt Scripturarum abuſus , & natæ ſunt hæreſes . *Queſnell. Joan.* 4. 26. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXXIV.

Abripere e Chriſtianorum manibus novum Teſtamentum, ſeu eis illud clauſum tenere, auferendo eis modum illud intelligendi, eſt illis Chriſti os obturare . *Queſnel. Matth.* 5. 2. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO LXXXV.

Interdicere Chriſtianis lectionem Sacræ Scripturæ , præſertim Evangelii, eſt interdicere uſum luminis filiis lucis , & facere, ut patiantur ſpeciem quandam excommunicationis . *Queſnel. Luc.* 11. 33. *edit.* 1693.

PROPOSITIO LXXXVI.

Eripere ſimplici populo hoc ſolatium jungendi vocem ſuam voci totius Eccleſiæ, eſt uſus contrarius praxi Apoſtolicæ, & intentioni Dei. *Queſn.* 1. *Corinth.* 14. 16. *edit.* 1693. *&* 1699.

SYNOPSIS.

I. Erraret profecto Eccleſia , ſi theſes iſtæ verum haberent, & maxima fidelium pars eſſet in ſtatu damnationis .

II. Antiquæ hæreſes hic exſuſcitantur .

III. Sacrorum Bibliorum lectionem lingua materna non eſſe promiſcue permittendam , nec adhibendam eſſe in uſu publico , oſtenditur ex uſu Apoſtolorum , tum etiam veteris legis , ac Eccleſiæ univerſalis .

IV. Ad Eccleſiæ unitatem ſpectat , quod publicus uſus Scripturarum ſit lingua communiſſima .

V. Indocti facile arriperent anſam errandi, ſi vernacula lingua Scripturas legerent .

VI. Primarius finis Divinorum Officiorum eſt Dei cultus , non conſolatio , & inſtructio populi, quæ per conciones frequenter haberi debet .

VII. Non fruſtra eſt publica Eccleſiæ oratio, quamvis ejus ſenſus non intelligatur a populo .

VIII. Prædicatio debet eſſe vernacula lingua , quia ea continet explicationem ; ſecus vero Biblia Sacra.

IX. Apoſtolus, & Patres huic doctrinæ non refragantur .

X. In quonam ſenſu Scripturæ dicuntur eſſe perſpicuæ , cum pluribus de cauſis ſint obſcuræ , & profundiſſimæ ?

I. AD enormitatem erroris harum theſium primo intuitu conſpiciendam ſatis erit advertere , quod bene magna , immo maxima fidelium pars eſſet in ſtatu damnationis , ſi illæ ſubſiſterent; ſiquidem pauci admodum ſacrorum eloquiorum , ac

ac mysteriorum studio vacant omni tempore, ac omni loco; quod in prima harum thesium dicitur omni personarum genere necessarium esse ad salutem. Erraret præterea Ecclesia, dum non permittit passim vernaculam sacrorum Bibliorum editionem, ut possent omnes, etiam rudes, ac foeminæ, ea continenter legere, dum dicitur in his thesibus lectio sacræ Scripturæ esse pro omnibus, quin obscuritas sancta Verbi Dei sit ratio sufficiens, ut laici seipsos ab hac lectione dispensent. Erraret etiam Ecclesia universa, dum vetat, ne indiscriminatim omnibus lectio sacrarum Scripturarum vulgari lingua concedatur, si verum esset, quod dies Dominicus a Christianis hac lectione debeat sanctificari; & quod damnosum sit Christifideles ab ea retrahere, perinde quasi plerisque obesset potius, quam prodesset; unde solum adhortandi sint, ut explicationi Sacrarum Scripturarum, quæ per Parochos, Concionatores, & alios Professores in Ecclesiis fieri debet singulis festis, interesse non prætermittant. Videtur autem hæc omnia Quesnellus deglutire, dum addit, illusionem, ac deceptionem pati Ecclesiam, dum sibi persuadet, mysteria nostræ Religionis non esse communicanda foeminis, ac idiotis lectione, sed solum explicatione sacrarum Scripturarum; perinde quasi etiam ex foeminarum simplicitate, & non ex sola superba virorum scientia Scripturarum abusus, atque hæreses ortæ sint.

Post has contumelias adversus Ecclesiam per summam injuriam intortas, descendit ad commendandam lectionem Novi Testamenti, quod ipse tot observationibus Janseniana lue infectis explicavit, & tot editionibus in vulgus dispersit, ut sub specie docendi incautos doctrinam sacram, suos errores subdole edoceret. Hinc dicit, verba Christi Domini sola electione novi Testamenti a nobis audiri, ita ut alius non suppetat modus ea intelligendi; unde interdicere hanc lectionem fidelibus idem sit, ac usum luminis interdicere filiis lucis, & velle illos cuidam excommunicationi esse obnoxios. Et concludit, quod eripere populo hoc solatium conjungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, vernacula lingua audiendo Divina officia, ita ut possit eorum sensus percipere, & cum Ecclesia orare, adversetur praxi Apostolicæ, ac intentioni Divinæ.

II. Theses istæ captiosæ, quæ videntur pietatem redolere, dum lectionem sacræ Scripturæ omnibus commendant, fucata fraude non solum Ecclesiæ consuetudini, & præceptis, præsertim Tridentini, impie detrahunt, sed etiam antiquas hæreses exsuscitant, & ad ebibendum Jansenianum virus ex lectione Novi Testamenti a Quesnello suis erroribus passim vafre inspersi, incitant, suadent, ac alliciunt. Sciendum itaque Calvinum lib. 3. Instit. cap. 20. §.33. Kemnitium, Brentium, aliosque Hæreticos apud Bellarm. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. docuisse, quod in hisce thesibus iterum Quesnellus reponit; videlicet sacram Scripturam omnibus vernacula uniuscujusque lingua tradendam, eaque publice utendum in Divinis Officiis, ut populus vocem suam voci totius Ecclesiæ conjungat; cum Christus Dominus lingua vernacula veritates Evangelicas edocuerit, & Apostoli die Pentecostes variis linguis loquuti sint magnalia Dei, ita ut unusquique lingua sua illos audiret, ut habetur Act. 2. Catholici tamen ex opposito docent, non esse passim sine discrimine concedendam singulis lectionem sacrorum Bibliorum lingua materna, nec eadem legenda, aut canenda esse in publico, & communi usu Ecclesiæ, quamvis non prohibeantur universim vulgares translationes, ut somniat Kemnitius. Siquidem in Regula quarta Indicis librorum prohibitorum confecti per Patres a Tridentina Synodo delectos, & Pii IV. Pontificis maximi auctoritate comprobati, hæc habentur. *Cum experimento manifestum sit, si sacra Biblia vulgari lingua passim sine discrimine permittantur, plus inde ob hominum temeritatem detrimenti, quam utilitatis oriri, hac in parte judicio Episcopi, aut Inquisitoris stetur, ut cum consilio Parochi, vel Confessoris, Bibliorum a Catholicis Auctoribus versorum lectionem vulgari lingua eis concedere possint, quos intellexerint ex hujusmodi lectione non damnum, sed fidei, atque pietatis augmentum capere posse.* Et quamvis Tridentinum sess. 22. cap. 8. & can. 9. anathematizet, qui dixerit Missam vulgari lingua debere celebrari; præcipit tamen omnibus curam habentibus animarum, ne parvuli petant panem, & non sit, qui frangat eis, ut frequenter, præsertim diebus Dominicis, & festis, ex iis, quæ in Missa leguntur, vel per se, vel per alios aliquid exponant. Et sess. 5. cap. 2. iisdem curam animarum gerentibus districte pariter mandat, ut saltem diebus Dominicis, & festis solemnibus plebes sibi commissas pro sua, & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Solum permittuntur omnibus, & in usu publico Divinorum officiorum adhibentur Biblia sacra tribus illis linguis, utpote universalioribus, Hebræa, Græca, & Latina, quas Christus Dominus titulo suæ Crucis honoravit; præsertim quia iis linguis sacræ literæ ab Auctoribus suis conscriptæ fuere, vel certe per has solas Christi Evangelium in præcipuis Orbis terræ partibus promulgatum fuit. De iis enim hæc habet Hilarius in Præfatione ad Psalmos: *His maxime tribus linguis sacramentum voluntatis Dei, & beati regni expectatio prædicatur: ex quo illud Pilati fuit, ut his tribus linguis Regem Judæorum Dominum Jesum Christum esse perscriberet.*

III. Ostenditur autem, cur non debeat omnibus indiscriminatim permitti lectio sacræ Scripturæ lingua materna, nec debeant istæ translationes deservire in usu publico Divinorum Officiorum. Primo quidem ex usu Apostolorum, qui quamvis ubique Gentium Evangelium prædicarint lingua uniuscujusque regionis, cum præditi fuissent dono linguarum; & quamvis ubique Gentium Ecclesias fundarint, ex Irenæo lib. 1. cap. 3. nihilominus Evangelia, & Epistolas non scripserunt linguis earum Gentium, quibus prædicabant, sed solum Hebraice, aut Græce, & juxta nonnullorum sententiam etiam Latine; creditur enim Marci Evangelium fuisse prius Romæ Latine scriptum, ac deinde ab eodem in Græcam linguam fuisse translatum, ut videre est apud Damasum in vita B. Petri. Quod autem aliis linguis non scripserint, constat, tum quia nullum de iis vestigium extat; tum etiam quia Petrus, & Jacobus nonnisi Græce scripserunt Judæis per totum orbem dispersis, quamvis iis nec lingua Græca, nec Hebræa esset materna, sed solum lingua ejus regionis, in qua degebant; ut patet ex verbis illis Act. 2. *Nonne isti, qui loquuntur, Galilæi sunt? & ecce nos audivimus illos loquentes nostris linguis.* Similiter Joannes

Apo-

Apostolus Græce scripsit primam suam Epistolam Parthis, quibus tamen Græca lingua non erat materna, ut notat Augustinus lib. 2. quæst. Evangel. qu. 39. Apostolus etiam Græce scripsit Romanis, quibus non Græca, sed Latina lingua erat vulgaris.

Constat secundo ex usu veteris legis, & ex usu Ecclesiæ universalis. Etenim in veteri lege post septuaginta illos annos Babylonicæ captivitatis Hebræi linguam propriam obliti, Chaldaicam, seu Syriacam habuerunt maternam; & tamen solum Hebraice sacra Biblia in templo legebantur, aut canebantur, ut constat ex lib. 2. Esdræ cap. 8. ubi dicitur, quod cum legeretur universo populo Liber Legis Domini, Nehemias, & Esdras, necnon Levitæ illum interpretabantur, eo quod aliter illum non perciperent, propterea facta est lætitia magna nimis a Populo, quia intellexerant verba Legis, adhibita Esdræ Sacerdotis, & Scribæ interpretatione.

Quod vero attinet ad usum Ecclesiæ universalis, Augustinus lib. 2. de doctrina Christiana cap. 11. habet, necessariam esse ad intelligentiam Scripturarum peritiam trium duntaxat linguarum, Hebraicæ, Græce, & Latinæ, quia iis duntaxat linguis Sacra Biblia legebantur; nec ullus ex antiquis Auctoribus alterius translationis meminit. Unde sequitur ex Apostolica traditione descendere hoc, quod in universa Ecclesia ab immemorabili factitatum est; ex regula August. lib. 4. contra Donatistas cap. 24., & Leonis serm. 2. de jejunio Pentecostes dicentium, *Quod universa tenet Ecclesia, si non possit initium assignari, de Apostolica traditione descendere credendum est*. Quod autem hac in re usque ad Augustini tempora ubique consueverat Ecclesia facere, id hactenus ubique Gentium fecit, ut fuse ostendit Bellarm. loco laudato, ut proinde temere quis inquireret, recte ne, an secus id fiat; cum Augustinus epist. 118. doceat, insolentissimæ insaniæ esse contra id, quod universalis Ecclesia facit, disputare.

IV. Ratio autem cur in divinis Officiis non sint permittendæ traslationes vulgares Sacrorum Bibliorum, est, quia ad Ecclesiæ unitatem spectat, ut publicus usus Scripturarum sit in lingua communissima; aliter tolleretur Ecclesiarum communicatio, neque possent Concilia Oecumenica celebrari, cum non habeant Patres omnes donum linguarum. Hac de causa Apostoli fere omnia Græce scripserunt, quia tunc temporis Græca lingua erat communissima; teste M. Tullio in orat. pro Archia poeta, ubi habet: *Græca leguntur in omnibus fere gentibus; latina suis finibus exiguis sane continentur*. Quia vero post amplitudinem Imperii Romani tempore Cęsarum, & Imperatorum Romanorum latina lingua cœpit esse communissima, ideo Scripturæ in latinam linguam conversæ sunt, & hujusmodi translatione Ecclesia nunc utitur, præsertim in toto Occidente. Et ratio ulterior est, quia si vulgari lingua apud omnes in divinis Officiis Scripturæ legerentur, earum translationes deberent fere singulis ætatibus variari, cum passim magna ex parte singulis sæculis linguæ vulgares varientur. In tanta autem varietate translationum non pauci facili negotio errores committerentur, qui non possent facile corrigi, cum nequeant Pontifices, aut Concilia de tot linguis dijudicare.

Neque obstat, quod si materna lingua Scripturę legerentur in Divinis Officiis, populus voci totius Ecclesiæ conjungeret suam, quod esset solatio, & utilitati. Nam populus Prophetias, Psalmos, & alia, quæ in Divinis Officiis habentur, non intelligeret, etiamsi vernacula lingua legerentur; sicut ea non intelligunt de facto plurimi, qui linguam latinam callent, nisi Interpretibus studeant. Hinc jure merito Tridentinum damnat eos, qui cum Quesnello contendunt, elata voce recitandum esse Canonem Missæ; sicut etiam alta voce proferenda esse verba Consecrationis, ac Missam vernacula tantum lingua esse celebrandam, ut possit populus voci totius Ecclesiæ suam vocem conjungere; perinde quasi Ecclesiæ ritus hac in re intentioni, & institutioni Christi adversentur. Hæc sunt verba Concilii sess. 22. can. 9. *Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis, & verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere, aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem, anathema sit*.

Qua de causa cum delatum esset Alexandro VII. anno 1661. in Gallia Missale Romanum in Gallicam vernaculam linguam translatum esse, & evulgatum, in dejectionem dignitatis sacrorum mysteriorum, decretum hoc edidit memoratu dignissimum, quod legitur pag. 102. in Codice Causæ Quesnellianæ.

Ad aures nostras ingenti cum animi mœrore pervenit, quod in Regno Galliæ quidam perditionis filii in perniciem animarum novitatibus studentes, & Ecclesiasticas sanctiones, ac praxim contemnentes, ad eam nuper vesaniam pervenerint, ut Missale Romanum latino idiomate longo tot sæculorum usu in Ecclesia probato conscriptum, ad Gallicam vulgarem linguam convertere, sicque conversum typis evulgare, & ad cujusvis ordinis, & sexus personas transmittere ausi fuerint, & ita sacrosancti ritus majestatem latinis vocibus comprehensam dejicere, & proterere, ac sacrorum mysteriorum dignitatem vulgo exponere, temerario conatu tentaverint. Nos, quibus, licet immeritis, vineæ Domini Sabaoth a Christo Salvatore nostro plantatæ, ejusque pretioso sanguine irrigatæ cura demandata est, ut spinarum ejusmodi, quibus illa obrueretur, obviemus incremento, earumque quantum in Deo possumus radices succidamus; quemadmodum novitatem istam perpetui Ecclesiæ decoris deformatricem, inobedientiæ, temeritatis, audaciæ, seditionis, schismatis, aliorumque plurium malorum facili productricem abhorremus, & detestamur; Ita Missale præfatum Gallico idiomate a quocumque conscriptum, vel in posterum alias quomodolibet conscribendum, & evulgandum, motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione perpetuo damnamus, reprobamus, & interdicimus, ac pro damnato, reprobato, & interdicto haberi volumus, ejusque impressionem, lectionem, & retentionem universis, & singulis utriusque sexus Christifidelibus, cujuscunque gradus, ordinis, conditionis, dignitatis, honoris, & præeminentiæ, licet de illis specialis, & individua mentio habenda foret, existant, sub pęna excommunicationis latæ sententiæ ipso jure incurrendæ perpetuo prohibemus; mandantes, quod statim quicunque illud habuerint, vel in futurum quomodocunque habebunt, realiter, & cum effectu exhibeant, & tradant locorum Ordinariis, vel Inquisitoribus, qui nulla interposita mora

ra exemplaria igne comburant, & comburi faciant; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 12. *Januarii* 1661. *Pontificatus Nostri anno sexto.*

V. Ratio demum cur non omnibus permitti debeat lectio Scripturarum lingua vernacula, est, quia indocti facile ansam inde arriperent errandi in materia fidei, & morum. Etenim, ut Hilarius advertit libro ultimo de Synodis, hæreses omnes ex non intelligentia Scripturarum ortæ sunt; & D. Petrus epist. 2. c. 3. loquens de Epistolis Apostoli, dicit: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Facilis autem Scripturas depravant indocti, quippe qui ex imperitia ipsa facilius evadunt instabiles; & ideo præstat iis explicationem Scripturarum a doctis audire, quam illas legere lingua populari. Certe si rudes audirent proprio idiomate illud Oseæ, *Vade, & fac tibi filios fornicationum;* aut illud ex Canticis: *Osculetur me osculo oris sui; læva ejus sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me;* incestum Thamar, vel Davidis adulterium, aut mendacia Judith; & quod Sara, Lia, Rachel dederint ancillas suas in concubinas, & alia hujusmodi, quę ex instinctu Spiritus Sancti in sacris Literis summa cum laude narrantur, facile aut Sanctos illos Patriarchas contemnerent, aut ad eadem perpetranda incitarentur. Præterquamquod legendo nonnulla, quæ videntur inter se pugnare, quin possint de facili ea conciliare, in discrimine essent, ut nihil omnino crederent. Propterea Basilius, & Hieronymus ægre ferebant, quod populus de Scripturis disceptaret, quamvis id temporis non facile ab iis quæstionibus audiendis, ac tractandis possent homines universim averti, cum græca, & latina lingua, quibus Scripturæ legebantur, nonnullis populis esset vulgaris. Quibus adde, quod si passim sine facultate, ac delectu permitteretur omnibus lectio Bibliorum sacrorum lingua vernacula, illud præsertim incommodum sequeretur, quod Quesnellus contendit, dum Scripturam in Gallicam linguam transtulit; videlicet quod pluribus in locis fraudulenter adulteraretur, ut facile posset rudibus, & indoctis virus propinari; non secus ac ex paulo ante edita versione Montensi immensa malorum seges per totam Galliam pullulavit; dum promiscue ea legeretur. Nec alio potissimum medio Protestantium Ministri utuntur, ut populi pertinacissime suis erroribus adhærescant.

VI. Opponitur ad hæc primo ex Brentio, quod finis divinorum Officiorum, ac lectionis sacræ Scripturæ est populi instructio, solatium, & ædificatio; ex lingua autem peregrina, & ignota hæc haberi non possunt; ergo divina Officia, ac lectiones sacræ materna lingua haberi debent. Major patet ex Apostolo ad Rom. 15. *Ut per patientiam, & consolationem Scripturarum spem habeamus.* Et 1. ad Cor. 14. *Volo quinque verba in sensu meo loqui, & ut alios instruam, quam decem millia verborum in lingua.* Et infra: *Cum convenitis, unusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalypsim habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant.*

Confirmatur primo ex Calvino, quia si non percipiatur sensus verborum, dum publice, aut privatim oratur, oratio est prorsus inutilis: ideo Matth. 15. ex Is. 29. dicitur: *Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me.* Et 1. ad Cor. 14. *Si orem lingua, spiritus meus orat, mens autem sine fructu est;* ergo vulgaris lingua ad divina Officia canenda, & ad privatas orationes adhibenda est.

Confirmatur secundo ex Kemnitio, quia Christus D. sermones suos habebat lingua vernacula; & Apostoli non solum die Pentecostes locuti sunt variis linguis magnalia Dei, ita ut unusquisque audiret lingua sua illos loquentes, sed etiam quando per totum orbem dispersi Evangelium prædicabant, utebantur lingua propria uniuscujusque regionis; nec est credibile, quod iis populis Scripturas sacras relinquerent, nisi translatas eorum lingua, ut possent eas legere ad alios instruendos. Præterquamquod si verbum divinum audiri potest lingua vulgari, quidni pariter & legi?

Confirmatur tertio ex Brentio, quia in cap. *Quoniam in plerisque*, tit. de officio Judicis ordinarii Innocentius III. mandat, ut ubi reperiuntur non pauci homines diversarum linguarum, Episcopus habeat ministros idoneos, qui diversis linguis divina Officia celebrent, ac Sacramenta administrent. Quare contra praxim Apostolicam, & contra intentionem divinam populo denegatur consolatio, quæ ubertim ex divinis Officiis, & ex lectione Scripturarum percipitur, conjungendo vocem propriam voci totius Ecclesiæ.

Respondeo, finem præcipuum divinorum Officiorum esse Dei cultum, consolationem vero populi, instructionem, & ædificationem esse finem secundarium. Instructio autem, & consolatio ab iis, qui latinam linguam callent, habetur aliqualiter a sensu verborum; at imperiti non sunt idonei, qui a sensu verborum instruantur, quamvis vulgari lingua divina officia peragerentur; unde pro iis conciones frequentissime haberi debent in Ecclesiis. Porro in textu laudato Apostoli 1. ad Cor. 14. sensus est, utiliorem esse cohortationem, quæ quinque verbis habetur ad captum populi, quam longissimum sermonem, qui ab auditoribus non intelligatur. Ad id, quod additur, nomine Psalmi significatur donum gratis datum psallendi, seu, ut exponit Chrysostomus, donum componendi cantica spiritualia, ac ea in Ecclesia modeste canendi; nomine Doctrinæ venit donum docendi alios, quæ ad fidem, & mores spectant; nomine Apocalypsi intelligitur donum revelationis, quatenus non raro Deus orantibus in Ecclesia revelat sua mysteria; nomine Linguæ significatur donum linguarum; ac demum nomine Interpretationis venit donum exponendi Scripturas. Et sensus laudati textus est, quod omnia hæc exerceantur in utilitatem, & ædificationem, non vero in ostentationem, & inanem gloriam.

VII. Ad primam confirmationem falsum est, quod ex publica Ecclesiæ oratione nullus fructus percipiatur a populo, qui orationem illam non intelligit; cum percipiatur fructus, etiamsi illa ne audiatur quidem; cum oratio Ecclesiæ non fiat populo, sed Deo; unde satis est, quod Deus illam intelligat; Sicuti siquis latine oret Regem pro populo, qui nec intelligat, nec audiat eam deprecationem, poterit populus fructum ex illa recipere. Deinde ipsa oratio, quæ auditur, etiamsi non intelligatur, adhuc est fructuosa; ut docet Origenes homil. 20. in Josue dicens: *Si quando vides legi Scripturam in auribus tuis, quam non intelligis, interim hanc primum scias te suscepisse utilitatem, quod auditu,* ve-

velut precatione quadam, noxiarum virtutum, quæ te possident, virus depelletur. Et Chrysostomus homil. 3. de Lazaro habet: *Quid si non intelligamus, quæ continentur in sacris Literis? maxime quidem, etiamsi non intelligas illic recondita, tamen ex ipsa lectione multa nascitur sanctimonia*. Sic, ut notat Augustinus lib. 3. de doctrina Christiana, multi ex Judæis non-frustra Deum colebant figuris, & cæremoniis, quarum significationem non percipiebant; cum satis sit, quod eo animo actio illa externa ponatur, ut cultus Deo præstetur. Si autem necesse esset intelligere, quæ in divinis Officiis canuntur, pauci admodum fructum ex iis perciperent; cum pauci psalmos, Prophetias, & Apostolorum sententias intelligant. Hinc D. Antonius illam orationem commendabat, in qua ita mens de Deo cogitat, & animus in Deum ita rapitur, ut non intelligat verba sua.

Neque obstant adducti textus Scripturarum. Nam ubi dicitur, quod populus labiis duntaxat Deum honoret, sensus est, ut exponit Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 55. quod dum populus ille labiis Deum honorabat illum laudando, factis Deum inhonorabat peccando; vel sensus est, quod dum Deus honoratur verbali oratione, animus vagatur ad terrena negotia. Ubi vero Apostolus ait, quod dum lingua oratur, mens est sine fructu, sensus est, quod si non percipiatur oratio, quæ profertur, mens non eruditur sensu illorum verborum, quamvis animus ex ea fructum reportet; ut accidit quando rustici Psalmos cum affectu, ac devote recitant, quin illos intelligant. Hinc Apostolus ibidem addit: *Nam tu bene gratias agis*, indicans fructuosam esse gratiarum actionem, quamvis fiat verbis, quorum significatio ignoratur.

VIII. Ad secundam, potest quidem, ac debet lingua vernacula prædicari Evangelium, quia prædicatio ipsa explicationem continet; ex hoc autem non sequitur, quod possint vernacula lingua ab omnibus Scripturæ legi, cum ex tali lectione interpretationis vacua possint indocti in errorem, ac in hæreses induci. Sic e. g. potest pueris a matre dari panis in frusta dissectus ad comedendum, quin tamen dari possit integer, ac solidus. Quod autem Apostoli nullibi reliquerint Scripturas nativo uniuscujusque regionis idiomate translatas, jam supra ostendimus: satis enim erat relinquere Catechismum vulgari lingua compositum, ut nunc fit ex lege Trident. sess. 24. cap. 7. qua Episcopis injungitur, ut Catechesin in vulgarem linguam fideliter verti, atque a Parochis omnibus populo exponi curent.

Ad ultimam, Innocentius III. solum ibi loquitur de lingua Græca, & Latina; cum enim tunc temporis captum fuisset a Latinis Byzantium, & ibi cum Latino Imperatore, ac Patriarcha Constantinopolitano Græci cum Latinis essent permixti; sancivit Pontifex cum Patribus Concilii Lateranensis decreto 9. non expedire, quod in eadem Urbe duo essent Episcopi, alter pro Græcis, alter pro Latinis, sed idem Episcopus deberet providere de idoneis Ministris, qui Græcis græce, Latinis latine Sacramenta administrarent.

IX. Opponitur secundo id quod habet Apostolus 1. ad Cor. 14. *Si incertam vocem det tuba, quis parabit se ad bellum? ita & vos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? eritis enim in aera loquentes:* Et paulo post addit: *Si benedixeris spiritu, qui supplet locum idiotæ, quomodo dicet, Amen, super benedictionem tuam? quoniam quid dicas nescit: nam tu quidem bene gratias agis, sed alter non ædificatur*. Quibus verbis videtur Apostolus velle quod populus intelligere debeat, quæ in divinis Officiis leguntur, ut ædificetur, & consoletur uniendo vocem suam voci Ecclesiæ.

Confirmatur primo, quia Scripturæ versæ fuerunt olim in linguam Caldaicam, tunc temporis vulgarem; postmodum in Græcam, quæ pariter tunc erat vulgaris; & Apostoli ea translatione usi sunt; ac demum in Latinam, quando hæc etiam facta erat vulgaris. Et S. Hieronymus testatur, si Kemnitium audiamus, se Biblia sacra in linguam Sclavonicam vertisse; ergo possunt Scripturæ absque piaculo in vulgarem linguam verti, & sic legi publice, ac privatim in ædificationem & solatium populi.

Confirmatur secundo ex eodem Kemnitio, quia Chrysostomus sæpissime laicos hortatur ad legendas Scripturas: Homilia 9. in Epist. ad Coloss. habet: *Audite, obsecro sæculares omnes: comparate vobis Biblia, animæ pharmaca, si nihil aliud vultis, vel novum Testamentum acquirite, Apostolorum acta, Evangelia*, &c. Et ad Eustochium loquens, hæc habet: *Tenenti Codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat*. Apostolus etiam 1. ad Timoth. 4. habet: *Attende lectioni*. Et Christus D. Judæis Jo. 5. dixit: *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in ipsis vitam æternam habere: & illæ sunt quæ testimonium peribent de me*. Et Deuter. 27. præcipitur, ut verba legis dilucide scribantur, ut possint ab omnibus legi, & custodiri; dicitur enim: *Et scribes super lapides omnia verba legis hujus plane, lucide*. Quomodo enim poterit populus scire mysteria, & spiritum Scripturarum, ac præcepta Domini, quæ in iis continentur, si nequeat iterata lectione iis studere? ergo utile simul, ac necessarium est huic studio vacare, ac vulgari lingua Scripturas legere.

Confirmatur demum, quia anno circiter nongentesimo a Sede Apostolica Moravis concessum fuit, ut divina Officia celebrarent lingua Sclavonica; & de facto Armeni, Ægyptii, & alii populi vulgari eorum lingua Sacra faciunt; ergo non est ratio, cur omnibus Ecclesiis id non permittatur.

Respondeo, Apostolum ibi non loqui de lectione sacræ Scripturæ, sed de exhortationibus, quæ lingua populari habendæ sunt, ut omnes instruantur: Ita B. Justinus in fine Apologiæ controv. 2., necnon Basilius, & Theodoretus. Ubi autem vult, quod idiota possit respondere, *Amen*, loquitur de canticis spiritualibus, quæ in Ecclesia canebantur tempore collationum spiritualium, ut docet Eusebius lib. 2. hist. cap. 17. ex Philone, & Dionysius de div. nomin. cap. 3. Vult itaque Apostolus, ut non solum exhortationes, sed etiam cantica spiritualia sint ad captum populi, ut possit idiota ea confirmare dicendo, Amen. Nec est eadem ratio de canticis spiritualibus, ac de divinis Officiis; hæc enim ob rationes adductas debent peragi lingua, quæ sit communis Ecclesiæ universali; quia tamen quæ in Psalmis canuntur, & in aliis lectionibus sacris publice leguntur, etiamsi transferrentur in linguam popularem, non per hoc a populo intelligerentur, ideo satis est populo, ut mente in Cœlum elevata iis assistat, & animo ad Deum absorpto.

Ad

Ad primam confirmationem, versio Chaldaica est paraphrasis potius Scripturarum, quam versio; unde non magnam habet auctoritatem. Versio in Græcam linguam ideo fuit conveniens, non quia ea lingua esset popularis, sed quia tunc temporis erat communissima: (etenim Ptolemæo Regi Ægypti, qui Græcam versionem fieri curavit, lingua Græca non erat vulgaris) similiter convenienter facta postmodum fuit versio in linguam Latinam, quando hæc erat communissima, præsertim toti occidenti. Quod a Kemnitio dicitur de D. Hieronymo, (quod scilicet in linguam Sclavonicam Scripturas verterit) apud veteres scriptores non facile invenies; nihilominus eo dato, non inde sequitur, quod eas verterit, ut publico Ecclesiæ usui inservirent, vel ut ab omnibus indiscriminatim legerentur, sed ut ab iis legerentur, quibus ea lectio ædificationi, consolationi, ac solatio esse posset, quæ nunc etiam iisdem a Pio IV. permittitur, ut diximus.

Ad secundam, Chrysostomus in ea Concione, ut homines Theatricis repræsentationibus, aliisque diverticulis magis deditos ad bonam frugem reduceret, eos ad lectionem Scripturarum hortatur; non quod vellet, ut omnes etiam indocti tali lectioni operam darent, sed saltem docti, quibus ea lectio esse posset utilitati, & ædificationi. Idemque dicendum de verbis laudatis Apostoli, & Christi D. In Deuteronomio autem solum dicitur, quod verba legis, seu præcepta debeant dilucide scribi, ut possint ab omnibus sciri, & servari: Mysteria tamen Scripturarum, cum sint altissima; & exigant profundum, & gravem sermonem, non possunt facile ab omnibus percipi; & ideo satis est, quod populo ea explicentur.

Ad ultimam. Quamvis aliquando Ecclesia justis de causis dispensarit, ut vernaculo idiomate Divina officia peragerentur; non propterea omnibus indiscriminatim id permitti debet ob rationes adductas. In casu proposito fuit ratio sufficiens, cur cum Moravis dispensaretur, ut vulgari sermone Scripturas haberent, quia scilicet tunc temporis totum regnum simul convertebatur, ut narrat Æneas Sylvius de origine Boemorum cap. 13. & non satis erant ministri latini ad divina officia celebranda, & ad Sacramentorum administrationem: at decursu temporis, ubi crevit eruditio, multiplicatis ministris, qui latine possent divina peragere juxta consuetudinem totius Ecclesiæ, desiit pro iis usus linguæ vulgaris Sclavonicæ; unde nunc Moravi Catholici latine tantum divina peragunt. Ægyptii vero, Æthiopes, Armeni, & alii, utpote Hæretici, aut Schismatici, linguis maternis utuntur in divinis officiis, non secus ac Lutherani, & Calviniani; & ideo vel Germanice, vel Gallice, vel Anglice, vel Polonice, vel aliis linguis Scripturas publice legunt.

X. Opponitur demum, quia in tantum interdicitur fidelibus indiscriminatim lectio Sacræ Scripturæ, & laici possunt seipsos ab hac lectione dispensare, in quantum non est obvius sensus sacrorum eloquiorum; unde indoctis obesse potius ea lectio poterit, quam prodesse: sed hoc est falsum: ergo omnes, etiam laici, ac fœminæ, ad hanc lectionem tenentur. Probatur minor, quia Scripturæ passim docent divina eloquia esse apertissima, ac lucida, quippe quæ ad omnes instituendos Spiritu Sancto dictante conscripta sunt. Psal. 18. dicitur: *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*. Et Psal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum*; Sicut etiam Proverb. 6. *Mandatum lucerna est, & lux*; Et Matth. 6. dicitur: *Vos estis lux mundi*: Quod si Apostoli orbem illuminant, quomodo eorum prædicatio, ac Scripturæ poterunt esse obnoxiæ obscuritati? Pariter 2. Petri 1. dicitur: *Habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, tanquam lucernæ lucenti in caliginoso loco*. Et 2. Cor. 4. *Quod si opertum est Evangelium nostrum, in iis, qui pereunt, est opertum, in quibus Deus hujus sæculi excæcavit oculos infidelium, ut non fulgeat eis illuminatio gloriæ Christi*. Quare fidelibus Evangelium est apertissimum, ac nullius negotii; non secus ac lex antiqua, de qua dicitur Deuter. 30. *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non supra te est, neque procul positum, nec in cœlo situm, neque trans mare;* quibus significatur obscuritate carere, & non esse opus, ut loquitur Brentius, montes superare, & ire Romam pro interpretatione Scripturarum.

Thes. Quesn.

Confirmatur primo ex Augustino, qui lib. 2. doctr. Christ. cap. 6. habet: *Magnifice, & salubriter Spiritus Sanctus ita Scripturas modificavit, ut locis apertioribus fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret: nihil enim fere de illis obscuritatibus eruit, quod non plenissime dictum alibi reperiatur*.

Confirmatur secundo ex Chrysostomo homil. 3. de Lazaro, ubi docet Philosophorum quidem Codices esse obscuros, addens: *Apostoli vero, & Prophetæ omnia contra fecerunt manifesta, claraque prodiderunt; exposuerunt nobis veluti communes Orbis Doctores, ut per se quisque discere possit ea, quæ dicuntur, e sola lectione*. Et ibidem apertissime etiam videtur docere, quod dicitur in hac septuagesimanona thesi Quesnelliana, dicens: *Non potest fieri, ut quisquam salutem assequatur, nisi perpetuo versetur in lectione spirituali*.

Confirmatur demum, quia saltem novum testamentum est ad omnium captum; unde illud abripere e manibus Christianorum est Christi os illis obturare. Etenim vetus Testamentum ob ejus obscuritatem erat liber signatus, ut dicitur Isaiæ 29. At Testamentum novum Apocalypsis 1. dicitur esse liber apertus; Aperuit enim Agnus librum: Quod significatum fuit ex eo, quod in morte Christi Domini velum Templi scissum est, ut habetur Matth. 27. ergo saltem lectio novi Testamenti est pro omnibus, & omnibus necessaria.

Respondeo, Lutherum in Præfationem assertionis articulorum a Leone X. proscriptorum docere, quod Scriptura *sit ipsa per se certissima, facillima, apertissima sui ipsius interpres*. Ejus tamen obscuritatem, ac difficultatem ille ignorat, qui in ea est peregrinus, & hospes. Quinimo ipse idem Lutherus infra hæc habet: *Scio esse impudentissimæ temeritatis eum, qui audeat profiteri unum Scripturæ librum a se in omnibus partibus intellectum*. Ejus namque obscuritas plane constat ex eo, quod Psalmo 18. dicitur: *Da mihi intellectum, & scrutabor legem tuam. Faciem tuam illumina super servum tuum, & doce me justificationes tuas;* cum tamen David in phrasibus Hebraicis esset apprime versatus, nec a superbia, aut infidelitate tenebræ illi offunderentur. Unde Hieronymus in epistola ad Paulinum habet: *Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ habet, qua nos putas parvulos, & pene lactentes inscitiæ nocte circumdari*? Ipse Christus Dominus suis discipulis Scripturas, utpote obscuras, interpretatus est, ut habetur Lucæ ult. Et Eunuchus Reginæ Æthiopum, quamvis in Scripturis versatus, pius, ac humilis,

ut testatur Hieronymus loco laudato, interrogatus tamen a Phillippo Act. 8. verbis illis: *Putasne intelligis, quæ legis?* respondit: *Et quomodo possum, nisi aliquis ostenderit mihi?* Et D. Petrus loco supra laudato loquens de epistolis Pauli diserte dicit, in iis esse quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant. Augustinus ipse epist. 119. cap. 21. habet: *In ipsis sanctis Scripturis multo nescio plura, quam scio.* Et lib. 12. Confess. cap. 14. *Mira profunditas eloquiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens parvulis sed mira profunditas, Deus meus, mira profunditas; horror est intendere in eam; horror honoris, & tremor amoris.* Et lib. 2. doctr. Christ. cap. 6. docet, obscuritatem sacræ Scripturæ eo fine a Deo volitam esse, ut hominum superbia labore edometur, & intellectus a fastidio revocetur, cui facile investigata plerumque viluerunt: quod pariter docet Gregorius hom. 6. in Ezechielem.

Ratio tamen obscuritatis, & profunditatis oritur non solum ex mysteriis altissimis, quæ in scripturis traduntur, puta de Trinitate, de Incarnatione, de Prædestinatione, ac Reprobatione, de divina operatione in nostris mentibus, ac de aliis arcanis rebus, ac supernaturalibus, quæ acrem etiam Angelorum aciem effugiunt; verum etiam ex eo quod plerumque scripturæ contineant vaticinia de futuris, quæ Deus noluit esse omnibus perspicua. Oritur demum ex modo, quo Deus voluit ea conscribi, ut in effodiendo thesauro veritatis absconditæ pie, ac sancte operam sedulam impendamus, ut advertit etiam Basilius in proœmio exposit. in Isaiam dicens, divinitus esse provisum, ut non sine labore ac studio in scripturis versemur; tum ut mens humana sic occupata a deterioribus avocetur; tum ut constantius ea menti insideant, tum ut avidius iis fruamur; tum demum ut puritatem animi prosequamur, quæ ad intelligenda divina mysteria est pernecessaria. Hinc etiam interrogatus Christus D. Matth. 13. cur in parabolis loqueretur, *Vobis*, inquit, *datum est nosse regnum Dei, cæteris autem in parabolis; ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Etenim cum Scripturæ lectio sit omnibus communis, ita divinitus temperata est, ut & sit clausa indignis, ne margaritæ canibus, & suibus projiciantur, & ab iis intelligatur, qui animi puritate ad cognoscenda divina mysteria disponuntur.

Ad argumentum itaque respondeo, negando minorem. Ad probationem, Spiritus Sanctus ob altissimos suos fines, ut diximus, noluit omnibus esse perspicuum sensum Scripturarum. Ubi David dicit Præceptum Domini esse lucidum, non loquitur de Scripturis, sed de mandatis divinis, quæ sunt lucida, lucerna, & lux, per hoc quod facile percipiantur, & dirigant in viam salutis. Sunt etiam Scripturæ lucidæ, non quia facile intelliguntur, sed quia intellectæ mentem illustrant. Sic Apostoli dicuntur esse lux Mundi, per hoc quod luce exemplorum, ac probitatis nos pariter dirigant ad eorum vestigia sectanda. Ab Apostolo dicitur Evangelium infidelibus esse opertum, eo quod illi infidelitate, & pravis affectibus sint obcæcati; fidelibus tamen facile innotescunt mysteria, quæ in Evangelio continentur, sublatis umbris figurarum veteris Testamenti; quis enim est, qui mysterium Incarnationis, ac Redemptoris ignoret? At non inde fit quominus multa in Evangelio sint difficilia, quæ indigeant Oedipode Sacro. Illud quod ex Deuteronomio dicitur, Abulensis, & alii interpretantur pariter de præceptis divinis, quod obscuritate careant, non de Scripturis; cui enim non innotescat præceptum diligendi Deum super omnia, & alia Decalogi præcepta? Augustinus vero lib. de perfectione justitiæ resp. penult. interpretatur textum illum de facilitate implendi divina præcepta cum auxilio gratiæ; quod est contra Hæreticos docentes impossibilia esse Dei mandata.

Ad primam Confirmationem, quamvis fere quæ sunt in uno loco Scripturæ obscura, in alio explicentur, at non omnibus facile innotescit, ubinam explicentur quæ sub velamine obscuritatis conteguntur; & ideo Augustinus ipse loco laudato dixit, multo plura esse in sacris literis, quæ nesciat, quam quæ sciat.

Ad secundam, Chrys. invehitur ibi adversus illos qui libris Philosophorum potius student, quam Scripturarum, ac asserit obscuriora esse, quæ Philosophi docent de arcanis naturæ, quam quæ docent Apostoli de arcanis gratiæ; & sub illustratione Spiritus Sancti hæc reddi perspicua. Non negat autem in Scripturis esse plurima difficilia, quæ indigeant expositore. Etenim in illa eadem Homilia de Lazaro addit: *Sume librum in manus, lege historiam omnem, & quæ nota sunt, memoria tene, & quæ obscura sunt parumque manifesta, frequenter percurre. Quod si non poteris assiduitate lectionis invenire, quod dicitur, accede ad sapientiorem, vade ad doctorem.*

Quando autem addit S. Doctor, neminem salvari, nisi perpetuo in lectione spirituali versetur, constat exaggerationibus uti, quæ concionatoribus permittuntur, ad excutiendum torporem auditorum; in rigore tamen Theologico, si ad trutinam revocetur, certe non subsistit. Sic idem Chrysostomus Homil. 5. in Genesim amplificando, & exaggerando dixit: *Neque in re justa, neque in injusta jurare licet.* Cum tamen certum sit apud Theologos esse actum Religionis jurare in re justa, ac necessaria. Quod si absque amplificatione verum esset, neminem sine lectione perpetua Scripturarum posse salvari, sub mortali omnes tenerentur Magistrum adire, a quo legere discant, quod nemo dixerit. Præterquamquod iis verbis solum significatur, quod viam salutis impediat neglectus lectionis sacræ relate ad eos, qui facile, & utiliter eam adhibere possunt, non vero relate ad omnes.

Ad ultimam, discrimen inter vetus, & novum testamentum est solum in ordine ad mysteria, quæ tunc non facile intelligebantur, quia tecta erant figuris, & umbris; nunc vero facile intelliguntur, quia sunt impleta; at non est discrimen inter sententias Scripturarum; unde Origenes Homil. 10. in Exodum dicit, etiam nunc nos indigere Agno, qui librum signatum aperiat. Et Hieronymus in epist. ad Paulinum dicit, adhuc nunc manere velamen, tam in facie Moysis, quam in facie Evangelistarum, & Apostolorum, si obscuritatem, & difficultatem Scripturarum spectemus; ideoque oportet usurpare illam Prophetæ deprecationem: *Revela oculos meos, & considerabo mirabilia de lege tua.* Ex quibus omnibus dilucide constat falsitas omnium istarum thesium ad Sacræ Scripturæ ac præsertim Novi testamenti lectionem spectan-

stantium. Quod si Novi Testamenti a Spiritu Sancto dictati lectio non omnibus indiscriminatim permittenda est, quoties illud in vernaculam linguam fuerit translatum, quid, oro, dicendum erit de lectione Novi Testamenti a Quesnello Gallica lingua editi cum suis moralibus observationibus, de quo Pontifex in hac Constitutione dicit, a se alias damnatum, utpote Catholicis veritatibus pravarum doctrinarum mendacia multifariam permiscens, & ubique disseminatum, ac etiam latine redditum, ut versutis seductionibus, atque fallaciis dominicum gregem in viam perditionis abducat? Illi profecto aqua, & igni interdicendum est.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim LXXIX. usque ad LXXXVI.

SEptuagesima nona, & sequentes usque ad octogesimam sextam, dum sacræ Scripturæ lectionem mirum in modum exaltant, eamque omnibus necessariam deprædicant, in medium adducunt hæreses Calvini, Kemnitii, Brentii, & aliorum apud Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 15. contendentium, Scripturas omnibus indiscriminatim permittendas, & tradendas lingua vernacula; Necnon in propria cujuscunque Regionis lingua publice canendas esse in Divinis Officiis; Cum tamen Ecclesia in regula quarta Indicis prohibeat, ne passim sine delectu omnibus ejusmodi lectio concedatur; sicut etiam ne in publico, & communi usu Scripturæ vulgaribus linguis legantur, vel canantur, prout a Tridentino sess. 22. cap. 8., & can. 9. sancitur, anathematizando eos, qui dixerint lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; sed solum legi possint tribus illis linguis, quibus titulus Crucis inscriptus fuit, nempe Hebræa, Græca, & Latina; tum quia istæ omnium calculo reliquis præstant antiquitate, amplitudine, & gravitate; tum etiam quia his solum linguis sacra Biblia initio conscripta fuere ab Auctoribus suis.

Et sane hic fuit usus antiquissimus, & universalis Ecclesiæ, ut solum his linguis in Divinis officiis omnes uterentur, teste Bellar. lib. 2. de Verbo Dei cap. 15. unde proinde dici debeat ex Apostolorum traditione id promanasse, juxta regulam D. Augustini lib. 4. contra Donatistas cap. 4. dicentis: *Quod universa servat Ecclesia, si non possit ejus initium assignari, ex Apostolica traditione descendere credendum est*. Et ratio est, quia ad unitatem Ecclesiæ pernecessarium est, ut Scripturarum usus fiat linguis universalioribus, quæ facile a doctis ediscantur; sic enim Conciliis Oecumenicis definiri potest, quod ad rectam Scripturarum intelligentiam spectat; Aliter si unaquæque regio diversa Scripturarum editione uteretur, cum nemo possit omnium nationum linguas callere, non posset in Conciliis judicium certum ferri de sensu Scripturarum. Quamvis autem hujusmodi incommodum non sequeretur, si solum privatim quilibet utatur Scripturis Divinis lingua vernacula; nihilominus falso, ac temere dicitur, quod ejusmodi lectio sit omnibus ad salutem necessaria; aliter innumeri ex rusticis, & fœminis, qui legere nesciunt, essent in statu damnationis: falso etiam, ac temere dicitur, quod ejusmodi lectio sit omnibus indiscriminatim permittenda; cum Ecclesia censeat id non expedire, eo quod plurimis ea lectio detrimento potius esset, quam utilitati, ut Basilius, Hieronymus, & alii Patres apud Bellarminum testantur, & ipsa experientia comprobat. Hinc. 2. Petr. 3. de Epistolis Pauli dicitur: *In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem*.

Scopus harum thesium est, ut etiam indocti, ac fœminæ inducantur ad pervolutandum novum Testamentum in Gallicam linguam translatum, ac etiam latine redditum, toties recusum, ac ubique disseminatum, cum captiosis observationibus, quibus Quesnellus luem Jansenianam propinare conatur improvidis, & in reprobum sensum sub specie pietatis perducere.

Errat itaque primo thesis 79. contendens utile, & necessarium esse omni personarum generi, omni tempore, ac loco studium Scripturæ sacræ. Si enim ad id homines tenerentur, quotusquisque salutem consequeretur? non solum autem non est necessarium cuilibet huic studio vacare, sed nec etiam omnibus utile; cum facile possint indocti in laqueos incidere, ubi desit sacer Interpres, qui profundissima nostræ Religionis mysteria in sacris Bibliis contenta edisserat, ac explanet.

Errat secundo thesis 80. quæ pariter vult lectionem sacræ Scripturæ esse pro omnibus. Aliter erraret Ecclesia, dum prohibet vernaculas editiones sacrorum Bibliorum, ac jubet, ne indiscriminatim facultas concedatur ea legendi lingua materna. Hinc lectio ista neque est pro omnibus simpliciter, neque pro omnibus moraliter, seu fere pro omnibus; cum enim potissima Christifidelium pars ex imperitis, ex rusticis, ac fœminis confletur, quibus ea lectio non esset utilitati; propterea neque est pro omnibus omnino, neque fere pro omnibus.

Errat tertio thesis 81. asserens, sanctam verbi Dei obscuritatem non esse satis, ut possint laici seipsos ab ea lectione dispensare. Etenim cum in iis tenebris facile possint imperiti in plurimorum errorum foveas incidere, quærendi sunt ab iis Prælectores, aut Instructores, seu Concionatores, qui facem præferant explicatione sacrorum mysteriorum.

Errat quarto thesis 82. præscribens Christifidelibus, ut dies Dominicos lectione sanctarum Scripturarum sanctificent; ac damnosum reputans, quod ab ea lectione Christiani retrahantur; dies quippe festi aliis pietatis operibus ab indoctis sanctificandi sunt, ac præsertim audiendo Conciones, & Scripturarum explicationes, necnon lectione eorum librorum, qui ad legentium captum sint accommodati, ac eorundem pietatem foveant. Quare non est damnosum, sed utile velle Christifideles a lectione Scripturarum retrahere, quoties ob ingenii tarditatem errores potius possunt ex iis, quam catholicas veritates haurire.

Errat etiam quinto thesis 83. contendens, fœminis lectione sacrorum librorum communicandam esse notitiam mysteriorum Religionis. Quamvis enim ex superba virorum scientia non raro orti sint Scripturarum abusus, & natæ sint hæreses; at etiam ex fœminarum simplicitate innumeri errores passim suboriuntur: & facilius fœminæ deceptioni essent obnoxiæ, si vernacula lingua Scripturas pervolutarent. Immo Hieronymus in Epistola

ad Ctesiphontem advertit, Hæresiarchas passim simplicium mulierculararum ministerio usos esse ad suos errores disseminandos; ut Simon Magus, Nicolaus Antiochenus, Marcion, Apelles, Montanus, Arius, Donatus, Helpidius, Priscillianus, & alii.

Errat quoque sexto thesis 84. dicens, quod sit veluti os Christo D. obturare, vitando, ne passim omnibus permittatur novi Testamenti lectio lingua vernacula: eo quod sic auferatur modus, quo possit illud intelligi. Etenim Christus D. non omnibus immediate loquitur lectione novi Testamenti; indoctis quippe potius loquitur explicatione facta per Ecclesiæ Ministros mysteriorum, quæ in novo Testamento continentur.

Errat propterea septimo thesis 85. concedens, quod interdicere lectionem Scripturarum Christifidelibus sit interdicere usum luminis filiis lucis. Etenim qui propter ingenii hebetudinem a lectione Scripturarum non illustrantur, sed potius obtenebrantur, aliunde debent illuminari, videlicet a sanctis, & piis Concionibus, & a Scripturarum explanationibus.

Errat denique thesis 86. docens, quod eripere simplici populo solatium conjungendi vocem suam voci totius Ecclesiæ, (hoc est vetare ne vernacula lingua publice divina Officia legantur, & canantur) sit usus contrarius praxi Apostolicæ, ac intentioni Dei. Certum quippe est, Apostolos linguis earum gentium, quibus prædicabant, Evangelium annunciasse, at nonnisi Hebraice, & Græce scripsisse, quidquid sit, an D. Marcus latine scripserit suum Evangelium) usumque universalis Ecclesiæ fuisse, ut divina officia non quidem lingua vernacula, sed lingua communissima peragerentur. Nec id intentioni Dei refragatur, quippe qui noluit omnes eodem modo sacris mysteriis erudiri: sicut enim panis Eucharisticus nonnisi a Presbyteris regulariter tradendus est laicis, juxta illud Ecclesiæ: *Cujus officium committi voluit solis Presbyteris quibus sic congruit, ut sumant, & dent cæteris*: Ita panis divini verbi, quamvis omnibus communicandus sit, ut ab eo pascantur, congruum tamen fuit, ut a doctis, ac piis populo simplici communicetur propter rationes adductas. Hinc Apostolus docet, sermonum, seu Scripturarum interpretationem non ab omnibus faciendam esse, sed ab iis, quibus datum est a Deo, qui gratias suas dividit singulis prout vult, dicens 1. ad Cor. 12. *Alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum; alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult*. Quare theses istæ sua dignæ censura omnes jure merito proscribuntur.

PROPOSITIO LXXXVII.

Modus plenus sapientia, lumine, & charitate est dare animabus tempus portandi cum humilitate, & sentiendi statum peccati, petendi spiritum pœnitentiæ, & contritionis, & incipiendi ad minus satisfacere justitiæ Dei, antequam reconcilientur. *Quesnel. Act. 9. 9. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO LXXXVIII.

Ignoramus quid sit peccatum, & vera pœnitentia, quando volumus statim restitui possessioni bonorum illorum, quibus nos peccatum spoliavit, & detrectamus separationis istius ferre confusionem. *Quesn. Luc. 17. 11. & 12. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Quid sit peccatum, potius ignoratur ab eo, qui non vult statim a se illud repellere, quam ab eo, qui vult peccati statum sentire.

II. Errores ab Alexandro Octavo hac in re proscriptos iterum hic in medium reponit perfricta fronte Quesnellus.

III. Peccator per novas culpas se disponeret ad justificationem, si voluntarie perseveraret in culpis præteritis sub prætextu incipiendi satisfacere Divinæ justitiæ, antequam reconcilietur.

IV. Non pauci docent esse etiam præceptum, quod omnes Catholici docent esse saltem sanum consilium, deponere statim sarcinam peccatorum.

V. Ex antiqua Ecclesiæ praxi solum habetur, quod absolutio canonica a censuris, & pœnis pro foro externo non dabatur statim; secus vero absolutio Sacramentalis a peccatis.

VI. Paritas desumpta ex humanis probaret nimis.

VII. Sanum consilium est, quod Sacramentalis absolutio differatur, quando Confessarius, utpote Judex simul, ac Medicus, censet dilationem esse profuturam; at non est sanum consilium, quod pœnitens differat reconciliationem cum Deo, ut sentiat statum peccati, & incipiat in eo statu satisfacere Divinæ justitiæ.

I. Differre reconciliationem cum Deo data opera, juxta Quesnellum, est modus plenus sapientia, lumine, & charitate. At cum D. Jacobo cap. 3. merito dici potest: *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica*, quæ illustrationi Spiritus Sancti invitantis ad pœnitentiam, & charitati ipsi ex diametro adversatur. Ignoramus sane, quid sit peccatum, si nolumus statim, quoad ejus fieri potest, ejus jugum excutere, & damna illata reparare, redeundo in possessionem bonorum illorum, quibus nos peccatum expoliavit: tantum abest, ut ignoremus, quænam mala per peccatum contraxerimus, quando volumus statim restitui in possessionem bonorum, quæ per peccatum amisimus.

Iterum itaque Quesnellus Jansenianorum theses olim proscriptas captioso, ac specioso quodam verborum apparatu in medium reponit. Confixerat Alexander VIII. thesim illam decimam sextam, quæ habet: *Ordinum præmittendi satisfactionem absolutioni induxit non politica, nec institutio Ecclesiæ, sed ipsa Christi lex, & præscriptio, natura rei idipsum quodammodo dictante*; Necnon decimam septimam, quæ pariter habet; *Per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*: Et similiter decimam octavam, in qua dicitur: *Consuetudo moderna quoad administrationem sacramenti Pœnitentiæ, etiamsi eam plurimorum hominum sustentet auctoritas, & multi temporis diuturnitas confirmet, nihilominus ab Ecclesia non habetur pro usu, sed pro abusu.*

In

In quibus facile est advertere Jansenianorum audaciam eo pervenisse, ut velint Ecclesiam errare potuisse in administrationem Sacramentorum, dum dicitur diuturnissima praxis Ecclesiæ universalis absolvendi pœnitentes ante pœnitentiam expletam esse abusus, ordoque pœnitentiæ esse inversus per hanc praxim absolvendi pœnitentes statim ac censentur dispositi; eo quod ex Christi lege, ac præscriptione consentanea naturis rerum præmitti deberet absolutioni satisfactio, prout olim docuerat Petrus de Osma apud Lugo disp. 12. de Pœnit. n. 42., damnatus in sua Bulla a Sixto IV. Constat quippe, satisfactionem sacramentalem esse partem sacramenti Pœnitentiæ integralem duntaxat, non essentialem; atque adeo posse ex Christi D. institutione, & Divina clementia peccatores a culpa per absolutionem sacramentalem liberari, etiamsi satisfactionem non præmiserint; nec consuevisse Ecclesiam aliam satisfactionem a publicis peccatoribus, & excommunicatis ante absolutionem a Censuris prærequirere, quam Canonicam, seu juxta Canones Pœnitentiales, in qua pariter passim dispensabatur.

II. Nunc autem in eosdem impingit scopulos Quesn.; Immo si harum thesium verba juxta germanum eorum sensum sumantur, non solum docet peccatorem non debere ante satisfactionem Sacramentaliter absolvi, prout in thesibus ab Alex.VIII.proscriptis effutiebatur; sed nec debere conteri, & divinam gratiam recuperare, (quam Deus pœnitentibus ultro misericorditer offert) antequam incipiat ad minus satisfacere Divinæ justitiæ, portando cum humilitate, ac sentiendo ipsius peccati statum, (perinde quasi ex Dei voluntate, & non ex impia creatæ voluntatis obstinatione status ille omnium miserrimus perseveraret) ac petendo spiritum pœnitentiæ, & contritionis, atque adeo differendo hos actus, quamvis Deus ad illos hortetur, ac sæpe etiam præcipiat, ne differantur. Dicitur enim Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum*, *& ne differas de die in diem*; *subito enim veniet ira illius*, *& in tempore vindictæ disperdet te*. Additque demum, ex ignorantia peccati, ac veræ pœnitentiæ provenire, quod peccator velit illico ad Crucifixi pedes provolutus Deum offensum placare, retractando offensas, ac de iis ex toto corde, & in amaritudine animæ dolendo, ut Deus odium, & iram in amorem, ac benevolentiam (quæ summa ejus clementia est) confestim convertat, atque ita dignetur ingentia bona per peccatum deperdita in integrum restituere; quippe qui benignissime promisit Ezech. 10. non solum omnium iniquitatum nostrarum oblivisci, si per pœnitentiam deleantur, dicens: *Si impius egerit pœnitentiam*, *omnium iniquitatum ejus*, *quas operatus est*, *non recordabor*; sed etiam bona omnia per peccatum amissa confestim reddere, dicens Joel. 2. *Reddam vobis annos*, *quos comedit locusta*, *bruchus*, *& rubigo*, *& æruca*. Quod innuit Tridentinum sess. 6. cap. 16. verbis illis: *Justificatis*, *sive acceptam gratiam perpetuo conservaverint*, *sive amissam recuperaverint*, &c. Hæc autem Quesnelliana placita quantum rationi dissonent, cæcus omnino est, qui non videat primo intuitu.

Verum antequam thesis utriusque errores insecter, illud præmittendum censeo. Non interdici hic a Pontifice universim absolutionis dilationem, quando scilicet ea expediens a Confessario sive ut Judice, sive ut Medico reputetur, videlicet vel ut pœnitens v. gr. restitutionem præmittat; vel ut sese prius exhibeat mandatis Ecclesiæ obtemperaturum, vel ut peccandi occasiones adimat, vel ut constantiæ præbeat sufficiens experimentum, vel ut in proposito magis firmetur, vel aliis de causis, quibus prudenter solet, & sæpe debet absolutio differri. Solum itaque in his thesibus proscribitur, universim expedire, ut antequam absolvantur pœnitentes, & cum Deo reconcilientur, detur eis tempus portandi statum peccati, & quod debeat aliqua saltem satisfactio absolutionem præire, prout a Jansenianis docebatur in decima septima ex thesibus ab Alexandro VIII. profligatis, in qua dicebatur: *per illam praxim mox absolvendi ordo pœnitentiæ est inversus*.

III. Ostenditur nunc harum thesium falsitas, & primo ad hominem; quia veræ sapientiæ, lumini supernaturali simul, ac naturali, necnon charitati erga Deum, ac erga seipsum opponitur, quod ad reconciliationem cum Deo peccator disponatur novis culpis, & cum voluntaria perseverantia in culpis præteritis; atqui si peccator nollet, statim ac posset, cum Deo per contritionem, aut per absolutionem sacramentalem reconciliari, juxta sententiam Quesnelli, ad reconciliationem se disponeret novis culpis, & cum voluntaria perseverantia in culpis præteritis; ergo veræ sapientiæ, lumini, ac charitati non solum non est consonum, sed etiam est valde repugnans, quod velit peccator voluntarie differre reconciliationem cum Deo, incipiendo prius satisfacere divinæ justitiæ, ac tolerando separationem a suo ultimo fine. Major est perspicua; quis enim dixerit, quod reus læsæ Majestatis humanæ ad veniam a Rege obtinendam se disponat iterando novas offensas, & differendo voluntarie petitionem veniæ? Minor constat ex doctrina Quesnelli, qui in thesi 44. docuit, nostras volitiones omnes, & actiones ex duobus amoribus nasci; videlicet aut ex amore Dei, qui omnia propter Deum agit, quem Deus remuneratur; aut ex amore, quo nos ipsos, ac mundum diligimus, qui cum non referat ad Deum, quod referendum est, hoc ipso est malus; unde ex Quesnello peccator differens amorem Dei, & reconciliationem cum Deo, alias actiones interim ponere non potest, nisi peccaminosas; atque adeo per novas culpas se disponeret ab obtinendam remissionem, necnon per voluntariam perseverantiam in culpis præteritis.

Neque dicas, quod antequam cum Deo reconcilietur, possit ponere actus charitatis minus perfectos disponentes ad actus perfectos, vi quorum habeatur ultima dispositio ad reconciliationem cum Deo. Nam Quesnellus nullam aliam agnoscens virtutem a charitate distinctam, juxta thesim quinquagesimam tertiam, sicut negat posse peccatorem per exercitium aliarum virtutum remote se disponere ad obtinendam reconciliationem cum Deo; ita cohærenter negare debet, quod possit ad eandem reconciliationem remote se disponere per actus charitatis minus perfectos. Præterquamquod, cum in thesi quadragesimaquarta duos tantum amores in nobis agnoscat, videlicet amorem Dei, qui omnia agat propter Deum, & quem Deus remuneretur, ac amorem, quo nos ipsos, & mundum diligimus, qui quod ad Deum referendum est, non refert,

& pro-

& propter hoc ipsum est malus, sequitur juxta hanc doctrinam, quemcunque actum nostræ voluntatis esse peccaminosum, nisi sit amor Dei, qui omnia agat propter Deum, atque adeo ultimo ad reconciliationem cum Deo disponat; ex quo fit, quod diximus, peccatorem differendo hanc reconciliationem, quoscunque alios actus interim eliciat, iterum peccare, ac proinde nonnisi per novas culpas se disponere ad reconciliationem cum Deo.

Quibus adde, quod juxta thesim 28. Quesnelli, *Prima gratia, quam Deus concedit peccatori, est peccatorum remissio*; & juxta thesim 38. *Peccator non est liber, nisi ad malum sine gratia Liberatoris*; sicuti etiam juxta thesim 40. *Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem*. Nunc sic: Quando peccator vult differre reconciliationem cum Deo, ut sentiat cum humilitate statum peccati, & incipiat satisfacere justitiæ divinæ, vel hujusmodi voluntas est ex gratia Liberatoris, & deberet trahere peccati remissionem, ac reconciliationem cum Deo, posito quod prima gratia, quam Deus peccatori confert, sit remissio; unde non sentiret peccator statum peccati: Vel non esset ex gratia Liberatoris ea libera voluntas; & eo ipso est peccaminosa, posito quod sine gratia peccator non sit liber, nisi ad peccandum, nec possimus sine gratia quicquam amare, nisi ad nostram condemnationem; Unde fieret, quod hoc ipsum velle dilationem reconciliationis cum Deo ad sentiendum cum humilitate statum peccati, & ad dandam aliquam satisfactionem divinæ justitiæ, esset novum peccatum; & sic peccator per novas culpas se disponeret ad remissionem culpæ obtinendam, quo quid absurdius dici, aut fingi poterit?

Ostenditur deinde earundem thesium falsitas, quia dilatio pœnitentiæ, ac reconciliationis cum Deo de se fert proclivitatem ad novas culpas perpetrandas, tum ex defectu auxiliorum Dei specialium, quæ peccator demeretur; tum ex habitu, qui acquiritur per actus malos prævios non retractatos, tum ex dæmonis instigationibus, in cujus captivitate peccator reperitur. Unde Gregor. hom. 11. in Ezechielem dixit: *Peccatum, quod per pœnitentiam non deletur, suo pondere trahit ad aliud*; ergo recurrit, quod per novas culpas peccator ad reconciliationem disponeret, si voluntarie illam differret. Expedit quidem aliquando, quod Confessarius absolutionem differat, ut certior fiat de pœnitentis dispositione, ac emendatione; nunquam tamen expendit, quod pœnitens contritionem differat, & reconciliationem cum Deo.

IV. Adde, plurimos Doctores cum Soto, Argentina, Alensi, Paludano, Antonino, & aliis apud Lugo disp. 7. de Pœnit. sect. 11. contendere, non solum esse sanum consilium, (quod omnes Catholici effirmant) sed etiam dari præceptum, quod peccator statim post commissum mortale, aut cum memoriæ occurrit, de eo conteratur. Quod suadere conantur, primo ex lege justitiæ; etenim qui rem alienam furatus est, puta pecuniam, famam, aut quid simile, tenetur statim damnum resarcire; ergo qui per peccatum læsit jus divinum, tenetur statim per contritionem illud reparare. Secundo, ex præcepto charitatis erga Deum; tum quia videtur legibus charitatis, ac amicitiæ semel cum Deo initæ graviter dissonare, quod dissoluta amicitia velit homo in eo inimicitiæ statu perseverare, & non statim reconciliari cum Deo paratissimo ad amplexandum offensorem; tum etiam quia videtur contra reverentiam Patri, aut Domino debitam, si filius, aut servus sciens se graviter Patrem, aut Dominum offendisse, negligat sibi illius gratiam, & reconciliationem quamprimum promereri; tum pariter quia sicut præceptum negativum non amittendi fidem obligat ad recuperandam statim fidem amissam, ut docent communiter Theologi apud Suarez disp. 13. de fide sect. 5. & Sanch. l. 2. cap. 1. ita præceptum negativum non amittendi charitatem videtur obligare ad recuperandam illico charitatem per peccatum amissam; tum demum quia præcepto charitatis videtur opponi non solum velle permanere in eo affectu malo, quo quis voluit statum inimicitiæ cum Deo, de quo non dubitatur, sed etiam voluntarie negligere reconciliationem cum Deo; præsertim quia status inimicitiæ cum Deo reponit hominem in periculo patrandi novas culpas, quod periculum tenetur quilibet ex præcepto charitatis declinare. Tertio, videtur peccator ad statim pœnitendum teneri etiam ex præcepto charitatis erga seipsum; tum quia si quilibet tenetur ex hac virtute ad liberandum se statim ac potest a quolibet malo gravi corporis, puta a morte, vel membri jactura, a fortiori obligabitur se liberare, quamprimum poterit, a malo gravissimo animæ, quod est inimicitia cum Deo optimo maximo; tum etiam quia quilibet tenetur ex ordine charitatis seipsum magis diligere, quam proximum; sed ad proximum corrigendum, quamprimum commode fieri potest, quilibet obligatur; ergo etiam ad corrigendum seipsum. His, aliisque non levibus rationum momentis videtur evinci obligatio statim pœnitendi post peccatum commissum. Quamvis autem communius Doctores negent dari hujusmodi obligationem, & is rationibus faciant satis apud Perex de Pœnit. disp. 13. sect. 5., nemo tamen in dubium revocat consultum esse, quod peccator statim e fovea culpæ emergat, eo quod facile nimia dilatio in novam culpam inducat; & multo minus poterit quis somniare, quod ista dilatio sit consulenda, adeo ut dici possit modus sapientia plenus, lumine, & charitate dare tempus portandi, ac sentiendi statum peccati, ita ut ex ignorantia peccati, & pœnitentiæ proveniat, quod quis velit statim de injuriis Deo illatis dolere, detrectando ferre confusionem separationis a divina amicitia, & ab aliis bonis per culpam deperditis.

Neque dicas, nolle Quesnellum, quod differatur reconciliatio cum Deo per contritionem, sed solum quod differatur per Absolutionem sacramentalem. Nam cum in prima ex his duabus thesibus dicatur, modum plenum sapientia, lumine, & charitate esse, dare animabus tempus portandi statum peccati; & in altera dicatur, ex ignorantia peccati, ac veræ pœnitentiæ provenire, quod velimus statim restitui possessioni bonorum, quibus nos peccatum spoliavit, perspicuum est, velle Quesnellum, quod peccator differat etiam contritionem, quæ a statu peccati exsolvatur, & possessioni bonorum, quibus per peccatum denudatus fuit, restituatur.

V. Opponitur primo praxis antiqua Ecclesiæ in absolvendis peccatoribus, quibus nonnisi in articulo mortis ante peractam pœnitentiam absolutio conferebatur, ut videre est apud Morinum cap. 1. lib. 9. ergo saltem debet peccator incipere Deo satisfacere, antequam cum Deo reconcilietur. Et ratio est, quia in humanis non datur offensori venia,

nia, niſi poſt exhibitam ſatisfactionem; ergo a fortiori peccator non debet reconciliationem expectare, antequam ad minus incipiat Deo ſatisfacere.

Reſpondeo, duplicem diſtinguendam eſſe abſolutionem, alteram ſacramentalem, & a peccatis, alteram Canonicam, & a cenſuris, ſeu aliis pœnis; per illam primam peccator reconciliabatur Deo, per hanc ſecundam reconciliabatur Eccleſiæ, & Altari; abſolutio ſacramentalis conferebatur ſtatim ac peccator reperiebatur rite diſpoſitus; quod conſtat, quia in Clementina *Dudum de ſepulturis* Sacerdoti imponitur, quod *Confeſſiones audiat, pœnitentias imponat, & abſolvat*; quod videtur exprimere abſolutionem eſſe illico conferendam, prout luculentius dicitur in decreto Bonifacii Epiſcopi Moguntini circa ſæculum octavum apud Morinum n. 12. ubi habetur: *Curet unuſquiſque Presbyter ſtatim poſt acceptam Confeſſionem pœnitentia ſingulos data Oratione conciliare*. Quod pariter docet Sozomenus c. 16. lib. 7. unde videtur colligi, hanc fuiſſe Chriſti inſtitutionem. Etenim ex Auguſtino lib. 4. de Bapt. parvulorum cap. 24. *Quod univerſa tenet Eccleſia, nec Conciliis inſtitutum, ſed ſemper retentum eſt, nonniſi Apoſtolica auctoritate traditum rectiſſime creditur*. Abſolutio tamen Canonica, quæ conferebatur, juxta ſacros Canones, pœnitentibus, (qua poſita immunes erant a reliquis pœnis Canonicis, & publicis, & ab impedimento accedendi ad Euchariſtiam, unde dicebantur reconciliari Eccleſiæ, & Altari) poſt executionem omnium, aut ſaltem aliquarum Canonicarum pœnarum conferri ſolebat. De hac enim ita loquitur Concil. Tolet. III. *Ut ſecundum forum antiquorum Canonum detur pœnitentia, qua expleta, ſicut Sacerdotalis contemplatio probaverit, pœnitens communioni reſtituatur*. Quod attinet ad abſolutionem ſacramentalem, congruum fuit, ut per ſe loquendo ſtatim conferri poſſet poſt propoſitum exequendi pœnam injunctam a Confeſſario; quia aliter lex gratiæ non fuiſſet benignior lege naturæ, & lege ſcripta, in quibus poſt contritionem gratia conferebatur, non expectata prius ulla alia ſatisfactione. Ex quo fit, quod ſicut abſolutio ſacramentalis ſecundum ſe ſtatim conferri debet poſt confeſſionem doloroſam, non expectata prius executione pœnitentiæ impoſitæ; ita pariter haberi ſtatim poſſit per contritionem reconciliatio cum Deo, quin expectari debeat, quod peccator incipiat ſatisfacere divinæ juſtitiæ antequam cum Deo reconcilietur; aliter durior eſſet lex gratiæ lege naturæ, & ſcripta, in quibus id non exigebatur; Ipſe enim Deus offenſus ad contritionem ſtatim ponendam hortabatur, præſertim verbis laudatis Eccleſ. 5. *Non tardes converti ad Dominum, & ne differas de die in diem*.

VI. Ad id quod additur, paritas in humanis nimis probat, atque adeo nihil. In humanis enim paſſim non remittitur offenſa, niſi poſt exhibitam plenam, & condignam ſatisfactionem, & ſæpe etjam poſt hanc ſatisfactionem amicitia priſtina non reſtituitur; at ad obtinendam reconciliationem cum Deo ſicut ab adverſariis non requiritur condigna ſatisfactio prævia, ita in ſententia Catholicorum ſufficit ex divina benignitate, quod præcedat ſolum propoſitum ſatisfaciendi.

VII. Opponitur ſecundo auctoritas S. Caroli Borromæi, D. Xaverii, & quorundam Conciliorum apud Montaltium epiſt. 10., a quibus dilatio aliqua abſolutionis ſacramentalis ſuadebatur Confeſſariis, præſertim relate ad recidivos; idque non aliunde videtur ſuaderi poſſe, niſi ut peccator incipiat prius ſatisfacere Deo offenſo; ergo univerſim ad obtinendam peccatorum remiſſionem requiritur, ut peccator aliqualem prius exhibeat ſatisfactionem divinæ juſtitiæ.

Confirmatur primo, Princeps militi ſæpius proditionem molienti, aut maritus uxori adulteræ non ſtatim ignoſcit, neque hi audent veniam petere ante ſatisfactionem non levem præſtitam: ergo neque peccator relate ad Deum offenſum.

Confirmatur ſecundo, ut poſſit reconciliari peccator cum Deo, debet prius pravos habitus tollere, quibus fit pronus ad relabendum; habitus autem pravi non tolluntur, niſi actibus contrariis: ergo peccator antequam reconcilietur cum Deo, debet alios virtutis actus exercere actibus peccaminoſis perpetratis contrarios, & interim petere ſpiritum pœnitentiæ, & contritionis, & dare initium aliquod ſatisfactionis debitæ Divinæ juſtitiæ.

Reſpondeo conſilium D. Caroli Borromæi, & D. Franciſci Xaverii, quod differatur abſolutio illi, de quo dubitatur, an ſine hoc fræno ſit relapſurus, eſſe ſaniſſimum; at hinc non infertur, quod univerſim pœnitentibus differenda ſit abſolutio, & multo minus, quod debeat pœnitens differre contritionem, qua Deo reconcilietur; quinimo is, cui abſolutio ſacramentalis differtur, excitari debet ad contritionem, ne, ſi interim decedat, damnetur.

Ad primam confirmationem, diximus paritatem ex humanis deſumptam probare nimis; præſertim quia nec maritus uxori prima vice adulteranti, nec Princeps militi prima vice proditionem molienti ſtatim ignoſcunt, etiam poſt exhibitam condignam ſatisfationem, & multo minus in priſtinam neceſſitudinem eos remittunt, cum tamen in ſententia Adverſariorum abſolutio non ſit differentia ei, qui ſemel tantum peccavit; nec requiritur ex Queſnello adæquata, ſed ſolum initialis ſatisfactio prævia, antequam peccator Deo reconcilietur.

Ad ſecundam, Ut peccator cum Deo reconcilietur, non debet prius pravos habitus tollere; aliter moribundus non poſſet cum Deo reconciliari neque per contritionem, neque per abſolutionem ſacramentalem: Poteſt ſiquidem cum pravis habitibus cohærere ſincera deteſtatio culparum, necnon etiam ſtatus gratiæ; unde ſatis eſt, quod abſolutionem, & peccati remiſſionem præcedat propoſitum ponendi ſatisfactionem ſacramentalem, propoſitum tollendi habitus vitioſos, necnon propoſitum emendationis; idque ex immenſa divini Numinis benignitate, & clementia.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adverſus Theſim LXXXVII. & LXXXVIII.

Octogeſima ſeptima, & Octogeſimaoctava eodem collineant, ut ſcillicet ad reconciliationem peccatoris cum Deo præeat tempus, quo ſentiatur peccati pondus, necnon confuſio conſentanea. Utraque eſt erronea: Prior tamen reſpicit directe Confeſſarium, docetque, ad ejus charitatem, ſapientiam, ac lumen ſpectare, quod peccatori detur tempus portandi cum humilitate, & ſentiendi ſtatum peccati, petendi ſpiritum contritionis, & aliquatenus ſatisfaciendi divinæ juſtitiæ, antequam contritionem

tionem concipiat, aut sacramentaliter absolvatur, & ita reconcilietur cum Deo. Posterior respicit directe poenitentem, docetque, ex ignorantia peccati, ac veræ poenitentiæ provenire, quod velit statim stolam primam per peccatum amissam recuperare, quin prius velit suæ nuditatis ferre confusionem.

Quod spectat ad primam, recuduntur in ea theses illæ Jansenianæ ab Alex. VIII. proscriptæ, quæ contendebant, præmittendam esse Absolutioni sacramentali satisfactionem ex Christi institutione, & per praxim Ecclesiæ absolvendi statim peccatorem esse inversum ordinem poenitentiæ; istamque consuetudinem non haberi pro usu, sed pro abusu. Quam temere id afferatur clarius est luce ipsa meridiana: constat quippe universam Ecclesiam errare non posse. Christus autem parens amantissimus, qui paratus est accurrere statim ad collum poenitentis dicentis ex corde, Peccavi, illumque osculari, ac cito induere stola prima, dignatus est Poenitentiæ Sacramentum instituere ad modum judicii, in quo mulcta non antecedit sententiam judicialem, sed subsequitur. Propterea absolutio sacramentalis statim conferenda est poenitenti rite disposito: Imponitur quippe in Clement. *Dudum de sepulturis* Sacerdoti, quod *Confessiones audiat*, *poenitentias imponat*, *& absolvat*. Nisi forte aliquando per accidens ad experiendam, & confirmandam in poenitente firmitatem propositi a Confessario, utpote judice simul, & medico, differri debeat absolutio: Tunc tamen excitandus est poenitens ad contritionem perfectam, ut per illam statim cum Deo reconcilietur; unde possit validioribus auxiliis muniri ad perseverandum, & ad exequenda monita Confessarii. Ex quo etiam fit, ut si interim ex improviso decedat, salvari possit. At Quesnellus non solum enormes istos Jansenianorum errores recudit, docendo, quod non statim conferatur poenitenti disposito absolutio sacramentalis; sed ulterius vult, quod non statim ille cum Deo quomodocunque reconcilietur, atque adeo neque per absolutionem sacramentalem, neque per contritionem; cum dicat dandum illi tempus ad petendum spiritum contritionis; & deinde subdat, quod si ille vellet statim restitui possessioni gratiæ per peccatum amissæ, (atque adeo statim reconciliari cum Deo per contritionem, detrectando denudationis suæ ferre confusionem) ignoraret, quid sit peccatum, & quid sit vera poenitentia. Quid absurdius dici, aut fingi potest?

Hinc patet etiam alterius thesis error; tum quia & adversatur Dei monitis docentis Eccles. 5. *Non tardes converti ad Dominum*, *& ne differas de die in diem*; tum quia exponitur peccator periculo damnationis, si ex improviso decedat, antequam reconcilietur cum Deo; tum demum quia exponitur periculo relabendi, si perseverat spoliatus bonis per peccatum amissis, cum desint ei auxilia illa uberiora, quæ conferuntur a Deo ex exigentia gratiæ sanctificantis: ut propterea Gregor. hom. 11. in Ezechiel. dixerit: *Peccatum*, *quod per poenitentiam non deletur*, *suo pondere trahit ad aliud*. Quare ex profunda peccati, ac veræ poenitentiæ cognitione provenit, ut velit peccator statim ad Deum reverti, & in possessionem bonorum amissorum ex summa ejus clementia restitui, quin detrectet confusionem tum præsentem, tum futuram, ex jugi cogitatione, quod tam bonum Dominum offenderit. Ad charitatem vero, sapientiam, ac lumen Confessarii spectat, ut poenitentem rite dispositum quantocyus cum Deo reconciliet, impertiendo statim (nisi aliud hic, & nunc expedire videatur) absolutionem sacramentalem; ut si forte desit illi vera contritio, saltem per attritionem cum Sacramento possit amissam gratiam recuperare. Etenim si olim in lege naturæ, ac in lege scripta statim post contritionem (etiam nulla alia satisfactione præmissa) conferebatur a Deo sua amicitia peccatori; nunc in lege gratiæ, quæ est longe benignior, statim post attritionem poenitenti confertur absolutio sacramentalis, & gratia, dummodo detur propositum ponendi postmodum satisfactionem a Confessario injunctam; qui fuit mos Ecclesiæ antiquissimus, ac proinde ex traditione Apostolica derivatus. Quamvis enim poenitentiæ in sacris Canonibus injunctæ præmitterentur olim Absolutioni Canonicæ, qua poenitens restituebatur Ecclesiæ, & Altari; satisfactio tamen, quæ est pars integralis Sacramenti, non erat præmittenda pro foro interno Absolutioni Sacramentali, qua homo reconciliatur cum Deo offenso.

PROPOSITIO LXXXIX.

Quartusdecimus gradus conversionis peccatoris est, quod cum sit jam reconciliatus, habet jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ. *Quesn. Luc.* 15. 23. *edit. 1693.*

SYNOPSIS.

I. Duplex hujus thesis sensus uterque est erroneus; præsertim quod per peccatum homo sit extra Ecclesiam, & amittat jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

II. Peccator est Ecclesiæ membrum, quamvis mortuum, unde non amittit jus assistendi Sacro.

III. Excommunicatis duntaxat, qui sunt membra recisa ab Ecclesia, vetatur audire Sacrum, & interesse Divinis officiis.

IV. Si quilibet peccator teneretur ab audiendo sacro abstinere, pauci admodum Sacro interessent.

V. Sicut peccator jus habet suscipiendi sacramentum poenitentiæ, ita pariter jus habet assistendi Sacrificio altaris.

VI. Quamvis magis indignus sit qui Sacrificio assistat, peccator nondum reconciliatus cum Deo, quam excommunicatus, qui per contritionem est Deo conjunctus; at huic tantum jure merito ab Ecclesia prohibetur auditio sacri, non illi.

VII. Ad eum modum, quo peccator non amittit habitus infusos fidei, & spei, quamvis iis sit indignus, nec privatur charactere baptismali, nec auxiliis supernaturalibus, ita nec amittit jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ.

I. Duplex videri posset esse sensus hujus thesis, uterque cohærenter ad alias Quesnelli theses, uterque pariter erroneus. Primus posset esse, quod peccator eo ipso ac est reconciliatus, habeat jus assistendi Sacro, quantumvis per excommunicationem præviam ab eo audiendo, & a divinorum officiorum usu impediretur. Cum enim in sequentibus thesibus sermo sit de excommunicatione, & in nonagesima prima dicatur, quod ab Ecclesia non exeat peccator, quando ab ea videtur per excommunicationem expulsus, si Deo, Jesu Christo,

& ipsi

& ipsi Ecclesiæ per charitatem sit affixus, dubitari posset, unum hic etiam Auctor velit innuere, quod nulla sit habenda ratio excommunicationis, ubi peccator sit Deo reconciliatus, unde possit statim assistere sacrificio Ecclesiæ. Quod pariter videtur cohærere cum nonagesima tertia, ubi dicitur, quod a Christo Domino sanentur vulnera, quæ a præcipiti Pastorum zelo infliguntur; perinde quasi sufficiat, quod vulnus animæ per contritionem sanetur, ut possit statim ante absolutionem a censuris restitui Ecclesiæ peccator, possitque illico Missæ, ac Divinis Officiis interesse. Equidem non arbitror, quod juxta hunc sensum hæc thesis accipienda sit. Certum quippe esse debet, quod sicut Censura per actum judicialem infligitur, ita sine actu judiciali non tollatur, ne in foro quidem conscientiæ: propterea proscripta fuit ab Alexandro Septimo thesis illa 44. quæ habet: *Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumacia cessante, cessant censuræ*. Quamvis enim Censura sit pœna medicinalis, juxta illud 1. ad Cor. 5. *Judicavi tradere hujusmodi hominem Sathanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*: non per hoc statim cessat cessante contumacia. ex cap. *Qua fronte*, de Appellat. & cap. *Cum desideres*, de sent. excommunicat. Verum quidem est, quod Censura, quatenus habet rationem medicinæ, cessare debeat ægro jam curato; nihilominus quatenus habet etiam rationem pœnæ, indiget actu Ecclesiasticæ Jurisdictionis, ut tolli possit: Hinc enim fit quod sicut Reus fuit sensibiliter contumax Ecclesiæ, ita visibiliter etiam eidem subjiciatur, & ab ea absolvatur. Jus quippe, quod ab Ecclesia acquiritur adversus contumaces, per solam resipiscentiam non extinguitur: Ad eum prorsus modum, quo jus, quod acquirit Judex ad puniendum furem ratione furti, non extinguitur per solam restitutionem rei alienæ.

Alter tamen hujus thesis sensus, qui videtur a Quesnello intentus, est, quod eatenus peccator post reconciliationem acquirat illico jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ, quia ante reconciliationem per peccatum extra Ecclesiam reperiebatur, non secus ac hæreticus, aut excommunicatus; ut proinde tanquam membrum ab Ecclesia recisum, non solum nullum jus habeat assistendi sacro, sed nec etiam possit illud audire, aut divinis officiis interesse. Cum enim in septuagesima secunda, & aliis subsequentibus thesibus dicatur Ecclesia electos, & justos complecti, & in septuagesima octava diserte asseratur, separari a populo electo tam eum, qui non credit Evangelio, quam eum, qui non vivit secundum Evangelium; consectarium est, quod in sententia Quesnelli eodem modo amittat jus assistendi sacro hæreticus, ac peccator; & ideo in hac thesi dicitur, quod peccator per reconciliationem jus habeat assistendi sacrificio Ecclesiæ; non secus ac hæreticus, & excommunicatus post absolutionem jus habent ad sacrum audiendum, quod prius propter hæresim, aut excommunicationem audire licite non poterant.

II. Ostenditur autem hujus doctrinæ falsitas. Primo ex iis, quæ adversus prædictas theses diximus ostendendo Ecclesiam Dei etiam a peccatoribus, & reprobis conflari, ut proinde per culpam non reponatur extra Ecclesiam peccator, nec jus amittat audiendi sacrum; cum potius ratione præcepti Ecclesiastici ad illud audiendum diebus festis teneatur. Et sane quod peccator sit Ecclesiæ membrum, mortuum quidem, sed non recisum ab Ecclesia, quod proinde vivificari possit a gratia sanctificante per charitatem, ad quam disponant actus supernaturales fidei, & spei, (quorum actuum habitus per quodcunque peccatum non amittuntur) fit perspicuum verbis illis Christi Dom. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te, & ipsum solum; si te audierit, lucratus eris fratrem tuum; si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum stet omne verbum: quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ*. Profecto Ecclesia non judicat de iis, qui extra illam sunt; dicente Apostolo 1. ad Cor. 5. *Quid mihi de his, qui foris sunt, judicare?* cum autem Christus præcipiat, ut peccator post fraternam correptionem, si non emendetur, Ecclesiæ denuncietur, quæ de illo judicet, & a se per excommunicationem illum separet, si in vitiis suis insordescat, juxta id, quod ibidem additur: *Si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus, & Publicanus*; manifeste sequitur, quod peccator non sit extra Ecclesiam, præcise ratione culpæ, atque adeo non amittat jus assistendi sacrificio Ecclesiæ, ut ex meritis Christi Domini possit uberiora auxilia obtinere ad resipiscendum.

III. Ostenditur secundo, quia Ecclesia solum excommunicatis prohibet, ne sacro, ac divinis officiis intersint, non vero peccatoribus, imo his præcipit Sacri auditionem diebus festis; quod si per peccatum jus amisisset peccator assistendi Sacrificio Missæ, non secus ac irretitus excommunicatione, sequeretur, quod Ecclesia præcipiendo sacri auditionem obligaret illum ad novum peccatum patrandum: non secus ac ad novum peccatum patrandum obligaret Ecclesia peccatorem, si illi præciperet, quod communicet, dum est in statu peccati mortalis, vi cujus amisit jus ad communicandum. Ratio autem quare peccator amittat jus ad sacram synaxim recipiendam, dum est in statu peccati mortalis, non tamen amittat jus assistendi sacro, est, quia si peccator indigne Eucharistiam sumeret, Sanctum daretur canibus, & margaritæ ante porcos projicerentur; quod rationis dictamini, ac divino præcepto repugnat. Contra vero peccator, dum Sacrificio assistit, cultum exhibet Christo exteriorem, & piis actibus, ac supplicibus precibus fructum postulat Sacrificii, ut possit superno lumine illustratus in pristinum divinæ amicitiæ statum per pœnitentiam redire; unde non amittit jus per peccatum assistendi sacro, quod per characterem baptismalem obtinuit. Potuisset quidem Christus D. ex Ecclesia ejicere, immo statim in infernum detrudere Reos omnes læsæ Majestatis Divinæ, sed immensa ejus Clementia, & Longanimitas vult suis auxiliis (quæ ubertim ex suis vulneribus, dum sacrificium incruentum offertur, erga omnes, sed præsertim erga circumstantes effluunt) peccatores e dæmonis captivitate eripere, & misericordiam suam in illos exercere; cupit enim esse, & nuncupari Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, non vero Pater Justitiarum, & Deus totius amaritudinis, multus ad ignoscendum, non vero multus ad puniendum. Propterea non solum non ejicit e suo ovili oves aberrantes, quin potius illas perquirit, & ubi repererit, imponit in humeros suos gaudens, perinde quasi thesaurum reperisset; tantumque abest, ut velit

Thes. Quesnel.

velit a præsentia Sacrificii Ecclesiæ illos abigere, ut potius velit illos etiam præcepto Ecclesiastico ad illi assistendum, saltem diebus festis, adigere, ut facilius possint resipiscere, & in filios iterum adoptari.

IV. Confirmatur, quia si deberet peccator ab audiendo sacro abstinere, sequeretur, quod rari admodum sacro assisterent: quatenus, ut habetur Eccles. 9. *Nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit;* præsertim quia ex D. Bernardo, *Bonæ mentis est, ibi culpam agnoscere, ubi culpa non est.* Cultus autem Deo debitus valde minueretur, si pauci admodum eatenus assisterent Sacrificio, quod pro omnibus quidem, sed præsertim pro peccatoribus offertur: cum sit Sacrificium propitiatorium. Quinimo cum dixerit Christus D. Marci 2. *Non necesse habent sani Medico, sed qui male habent; non enim veni vocare Justos; sed peccatores;* videtur magis in negotio Redemptionis, atque adeo in Sacrificii Eucharistici institutione intendisse, quod peccatores revocarentur ad vitam gratiæ, quam quod justi vitam gratiæ, qua præditi sunt, abundantius haberent; atque adeo magis intendisse, quod prima gratia obtineretur peccatoribus, quam quod justis obtineretur secunda gratia, seu gratiæ augmentum. Adde, quod licet lis sit inter Scholasticos, utrum Adamo non peccante Verbum fuisset incarnatum; nihilominus qui tuentur Christum deficientibus culpis fuisse venturum ad exaltandam naturam innocentem, unanimiter docent, quod in tali hypothesi Christus non venisset passibilis, sed venisset in carne impassibili, & gloriosa; quare ea tantum de causa venit in carne passibili, & obtulit Sacrificium cruentum in Cruce, (quod idem omnino est ex Tridentino sess. 22. cap. 2. ac sacrificium altaris incruentum, sola offerendi ratione diversum) ut non redimeret ab omnibus iniquitatibus nostris. Quod si clementiam suam usque adeo erga peccatores ostendit, ut pro illis voluerit sacrificium cruentum offerre, ac deinde incruentum usque ad Mundi consummationem, quomodo fieri potuisset, ut vellet peccatores a Sacrificio abesse? *Hujus quippe,* (ut habet Tridentinum laudatum) *oblatione placatus Dominus, gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.* Quare homo vi baptismalis characteris est intra septa ovilis Christi, & jus habet percipiendi ritu debito alia Sacramenta, & assistendi Sacro, juxta Christi institutionem.

V. Confirmatur secundo, quia Christifidelis, quantumvis innumeris culpis gravatus, adhuc jus habet suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, quippe quod ex primario fine pro peccatoribus institutum est, ideoque vocatur Sacramentum mortuorum; quamvis etiam prosit justificatis per contritionem, necnon iis, qui solum venialiter deliquerunt: Ergo pariter peccator ante reconciliationem jus habet assistendi Sacrificio; quippe quod licet Latreuticum sit, Propitiatorium, Eucharisticum, & Impetratorium, hoc est institutum ad Dei cultum, (prout olim fiabat in lege veteri per Holocaustum) institutum etiam ad avertenda peccata, & pœnas peccatis debitas, (quod fiebat per Sacrificium, seu per Hostiam pro peccato,) & institutum simul in gratiarum actionem, & ad nova beneficia impetranda, (quod utrumque olim fiebat per Hostiam pacificam) nihilominus quatenus repræsentat Sacrificium cruentum in ara Crucis oblatum pro peccatoribus, potius offertur ad peccata delenda, quam pro Justis in gratiarum actionem, aut ad nova beneficia impetranda; atque adeo jus habet Christifidelis peccator etiam ante reconciliationem assistendi huic sacrificio, non secus ac jus habet suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ.

VI. Opponitur ex Quesnello parabola illa Lucæ 15. Prodigi illius Adolescentis, qui dissipavit substantiam suam vivendo luxuriose, nec jus habuit ad recumbendum in mensa Patris, antequam cum illo reconciliatus fuisset post verba illa, *Pater peccavi in cœlum, & coram te:* quibus prolatis Pater induit illum stola prima, jussitque occidi vitulum saginatum, ut cum illo manducaret; ergo pariter post reconciliationem peccator jus habet assistendi Sacrificio Ecclesiæ. Et ratio videtur esse, quia novum temeritatis crimen incurreret, qui ad conspectum Christi pro se mactati perfricta fronte accederet, cum per peccatum reus sit velut Christicidii.

Confirmatur primo, quia multo magis indignus est, ut huic Sacrificio intersit, qui nondum est Deo reconciliatus post peccatum, quam qui excommunicatione innodatus nondum est ab illa absolutus, licet per contritionem Deo sit conjunctus; atqui hic jus non habet assistendi sacrificio Ecclesiæ; ergo multo minus ille.

Confirmatur secundo, quia indignus est, qui in convivio Eucharistico assideat non indutus veste nuptiali; & ideo jus non habet communicandi, qui nondum est reconciliatus, non solum per contritionem, sed etiam per confessionem sacramentalem; atqui pariter indignus est, qui Sacrificio incruento assistat reus mortalis culpæ; ergo neque hic habet jus assistendi huic Sacrificio ante reconciliationem.

Respondeo, ex illa parabola potius oppositum evinci; sicut enim adolescens ex titulo filiationis naturalis jus quoddam habebat redeundi ad Patrem ad veniam obtinendam; ita baptizatus, qui gratiam amisit per peccatum, quia ratione characteris baptismalis est Dei domesticus, ideo sicut debitum retinet præstandi Deo obsequium per Sacrificium Ecclesiæ, ita jus habet eidem assistendi ad impetranda auxilia, ut possit resipiscere. Ad id, quod additur, non dicitur temeritatis notam incurrere peccator, qui assistit sacrificio ad Deum colendum, & ad obtinenda auxilia, quæ vi illius ubertim conferuntur.

Ad primam confirmationem: in tantum excommunicatus, qui Deo reconciliatus est per contritionem, non potest sacrificio interesse, quia per excommunicationem est extra Ecclesiam, & prohibentur illi jure positivo divina officia, quousque a censura absolvatur; unde peccaret, si Sacro interesset. At peccatori non solum non prohibetur Sacro adesse, sed etiam præcipitur, ut diebus festis illi intersit; unde peccaret, si præceptum hoc violaret. Congruum propterea est, ut excommunicato prohibeatur auditio Sacri, donec absolvatur, & quod peccatori ea præcipiatur, etiam antequam Deo reconciliatus sit per contritionem.

VII. Ad secundam: quamvis indignus sit quolibet cœlesti beneficio, qui reus est læsæ Majestatis divinæ, nihilominus sicuti ex divina clementia non amittit habitus infusos fidei, ac spei, quibus pariter est indignus, nec amittit characterem, quo Dei domesticus constituitur, nec privatur auxiliis super-

supernis, quibus excitatur ad pœnitentiam; ita nec expellitur ab Ecclesia, nec jus amittit assistendi Sacrificio, juxta antiquissimam Ecclesiæ praxim, quam respuere nonnisi audacissimus, & iniquissimus poterit, non sine magna injuria erga benignissimum Redemptorem, qui peccatores non solum non expellit a se, sed peramanter advocat, & allicit, ut ad pristinam secum reducat amicitiam.

Opponunt deinde Quesnelli Asseclæ, quod hic non docuerit, peccatorem per reconciliationem acquirere jus assistendi Sacro, sed solum docuerit, quod peccator reconciliatus assistat Sacrificio Ecclesiæ, (ut habetur in Codice e Gallico latine verso Parisiis in lucem edito anno 1694.) indicans dumtaxat, quod post reconciliationem non sit amplius indignus, qui Sacro intersit, non vero quod ante reconciliationem peccet assistendo Sacrificio Ecclesiæ.

Sed contra est, quia ex adjunctis constat, verbis illis in Codice Quesnelliano expressis illud ipsum significari, quod in hac thesi disertius exponitur, & in aliis Editionibus reperitur, videlicet peccatorem vi reconciliationis cum Deo habere jus assistendi Sacro, atque adeo ante reconciliationem carere tali jure; unde si assisteret Sacrificio Missæ, sine jure, hoc est sine legitima facultate illi assisteret, & ideo audiendo Missam peccaret. Ratio est multiplex; Primo, quia dum Quesnellus docet, decimumquartum conversionis peccatoris gradum esse, quod reconciliatus assistat Sacrificio Ecclesiæ, quid aliud his verbis denotat, nisi quod per reconciliationem peccator gradum faciat a non legitima assistentia Sacro ad legitimam assistentiam, atque adeo vi reconciliationis habeat jus audiendi Sacrum, quo antecedenter carebat? Deinde, quia pariformiter ibidem Quesnellus subdit, decimumquintum conversionis peccatoris gradum esse, quod reconciliatus, & Sacro assistens pascatur carne Jesu Christi; manifestum autem est, quod post debitam reconciliationem peccator ita accedat ad Sacram Synaxim, ut habeat jus, seu legitimam facultatem accedendi, qua procul dubio ante reconciliationem carebat, adeo ut peccaret, si accederet: ergo pariter ita post reconciliationem ex Quesnello assistit Sacro, ut vi reconciliationis habeat jus assistendi, quo tamen jure ante reconciliationem carebat, adeo ut peccaret, si assisteret.

Confirmatur, quia Quesnellus in thesi quinquagesima nona docet, orationem peccatoris esse novum peccatum. Ad quem errorem tuendum Quesnelliani abutuntur verbis illis Prov. 15. *Victimæ impiorum abominabiles*, ut diximus in expositione illius thesis; ergo a fortiori esset peccatum auditio Missæ, quæ est actus Religionis præstantior, ipsam imbibens orationem. Et in septuagesima octava vult, peccatorem, non secus ac hæreticum, & excommunicatum, esse extra Ecclesiam, a consortio fidelium segregatum; quare sicut hæreticus, & quilibet excommunicatus etiam toleratus ita dicitur post reconciliationem, & absolutionem a censuris assistere Sacro, ut tunc solum habeat jus assistendi, & si antecedenter assistat, peccet: ita in sententia hujus Auctoris peccator reconciliatus assistit Sacro, quatenus per reconciliationem obtinet jus assistendi, quo antecedenter carebat; ut proinde non sine culpa assisteret: Quod tamen quam sit absonum, ac erroneum, satis superque demonstratum est.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim LXXXIX.

OCtogesima nona inter gradus conversionis peccatoris reponit, quod per reconciliationem cum Deo jus habet assistendi Sacrificio Ecclesiæ; perinde quasi peccatori, tanquam hæretico, aut excommunicato, & ab Ecclesia sejuncto, interdiceretur, quod Missæ, aliisque divinis Officiis intersit, antequam absolvatur, & sic ad Ecclesiam regrediatur. Mirum non est, quod ita sentiat Quesnellus, qui vult peccatores ad Ecclesiam non pertinere, præsertim quia in thesi 78. diserte docet, tam separari ab Ecclesia peccatorem non vivendo secundum Evangelium, quam hæreticum, non credendo Evangelio. Erroneum tamen est dicere, quod peccatores ad Ecclesiam non pertineant, ut ibi ostendimus. Erroneum pariter dicere, quod si ad Ecclesiam pertineant, vetetur illis, quod Sacrificio intersint, antequam reconcilientur cum Deo; quinimo præcipitur illis sub mortali, ut diebus festis Missam audiant, illamque licite, ac laudabiliter audiunt pro festis diebus, quando ea non præcipitur, ut impetrent a Deo auxilium ad resurgendum. Etenim, ut habet Tridentin. sess. 22. cap. 2. *Hujus oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & ingentia etiam peccata dimittit.* Additurque, unum idemque esse Sacrificium incruentum, quod nunc in altari offertur, ac Sacrificium cruentum olim oblatum in ara crucis, sola ratione offerendi diversum; propterea sicut tunc illud multis astantibus auxilia contulit ad pœnitendum; unde Luc. 23. dicitur: *Omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant, quæ fiebant, percutientes pectora sua revertebantur;* ita pariter Sacrificium incruentum peccatoribus prodest ad obtinendum donum pœnitentiæ, si illi religiose assistant. Quare per peccatum solum amittitur jus suscipiendi Sacramenta vivorum ante reconciliationem cum Deo, quæ fiat vel per contritionem, vel per attritionem cum Sacramento pœnitentiæ: (imo ad Eucharistiam sumendam, quæ est Sacramentorum omnium maximum, in quo ipse Author sanctitatis existit, necessario prærequiritur sacramentalis Confessio) & ratio est, quia isthæc Sacramenta unice pro vivis instituta sunt, & idcirco vitam gratiæ debent præsupponere. At sicut per peccatum non amittitur jus ad suscipienda Sacramenta mortuorum, quia pro peccatoribus instituta sunt, ut per illa cum Deo reconcilientur; ita nec amittitur jus assistendi Sacrificio Ecclesiæ ante hanc reconciliationem, quia pariter hoc Sacrificium a Christo D. benignissime etiam pro peccatoribus institutum est, ut possint inde gratias obtinere ad resurgendum. Quare sicut ex summa Dei misericordia fidelibus, qui per peccatum gratiam amittunt, relinquuntur habitus superni fidei, & spei, quando peccatum his virtutibus non adversatur, ut per auxilia ab iis exigita connaturalius possint disponi ad resipiscendum; ita ex eadem summa misericordia provenit, ut pro peccatoribus possit Sacrificium applicari, & ut possint eidem peccatores assistere, ut iis prosit ad resurgendum.

Quibus adde, falsum etiam esse, quod hic esset quartusdecimus gradus conversionis peccatoris; si-

quidem erronee a Quesnello ibid. reponitur secundus gradus in eo, quod *Ubi Dei amor regnare desiit, necessum sit, ut regnet carnalis cupiditas, quæ ejus actiones corrumpat*, ut ostendimus in thesi 45. Quare thesis isthæc (ut aliæ omnes) usquequaque erroribus scatet doctrinæ Catholicæ repugnantibus.

PROPOSITIO XC.

Ecclesia authoritatem excommunicandi habet, ut eam exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis. *Quesn. Matth. 18. 17. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XCI.

Excommunicationis injustæ metus nunquam debet nos impedire ab implendo debito nostro: Nunquam eximus ab Ecclesia, etiam quando hominum nequitia videmur ab ea expulsi, quando Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ per charitatem affixi sumus. *Quesnellus Joan. 9. 22. & 23. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XCII.

Pati potius in pace excommunicationem, & anathema injustum, quam prodere veritatem, est imitari S. Paulum: tantum abest, ut sit erigere se contra authoritatem, aut scindere unitatem. *Quesnellus Roman. 9. 3. edit. 1693. & 1699.*

PROPOSITIO XCIII.

JESUS quandoque sanat vulnera, quæ præceps Primorum Pastorum festinatio infligit sine ipsius mandato: JESUS restituit, quod ipsi inconsiderato zelo rescindunt. *Quesnel. Joann. 18. 11. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Si hæc ita se haberent, uti asseritur in hisce Thesibus, inutilis esset usus Ecclesiæ antiquissimus ferendi censuras.

II. Eo collineat Quesnellus, ut absque metu excommunicationis omnes Janseniani suscribant formulæ præscriptæ, qua hæreses Jansenii damnantur, quamvis non jurent ad mentem Pontificis exigentis tale juramentum.

III. Multifariam potest censura esse aut invalida, aut injusta.

IV. Potest etiam sententia excommunicationis esse vel evidenter, vel solum probabiliter injusta, aut nulla.

V. In quonam sensu verum est, quod censura etiam injusta timenda sit?

VI. Exponitur Regula Summulistica ad dignoscendam vim harum, ac similium thesium confixarum, quando sunt indefinitæ.

VII. Enormiter errat thesis, quæ docet ad validitatem censuræ requiri consensum præsumptum Ecclesiæ, atque adeo etiam Laicorum.

VIII. Si hoc esset, Ecclesiæ caput subderetur corpori.

IX. Et quilibet facile putaret censuram suam non fuisse latam de consensu Ecclesiæ præsumpto.

X. Sicut uni Pastori denunciari debet, qui non emendatur, ita ab uno Pastore, independenter a consensu Ecclesiæ, ille est excommunicandus.

XI. Timenda est Excommunicatio, quæ nobis videtur injusta, Pastori tamen videtur justissima.

XII. Obtemperandum in iis omnibus, in quibus non est evidens, quod subsit culpa.

XIII. Pontifex errare non potest in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris ad fidem, vel ad mores pertinentibus; Et quamvis in aliis quæstionibus facti errare possit, semper tamen ei obtemperandum, quoties non est evidens, quod censura sit injusta, vel nulla, aut quod peccatum contineat id quod præcipitur.

XIV. Pati potius excommunicationem quam prodere veritatem tunc solum possumus, quando evidens omnino est, anathema esse injustum.

XV. Vulnera a Pastoribus inflicta per excommunicationem Christus non sanat per hoc præscise, quod quis credat, ea inconsiderato zelo fuisse inflicta.

XVI. Inane est Quesnellianorum effugium.

I. SI theses istæ verum haberent, inutilis omnino esset usus Ecclesiæ jam inde a tempore Apostolorum antiquissimus ferendi Censuras; ecquis enim non statim crederet, Censuram contra se latam esse nullam, aut esse injustam, ut proinde ea non ligetur? Etenim juxta theses istas satis est primo ad excommunicationis nullitatem, si non præsumatur consensus totius Ecclesiæ relate ad illam ferendam; cuilibet autem statim occurrere possunt rationes in speciem non leves, quibus sibi persuadeat consensum totius Ecclesiæ non præsumi, ut hæc, vel illa censura feratur; atque adeo quilibet facile se immunem crederet a vinculo excommunicationis. Sufficit secundo, ut nemo credat se ab Ecclesia vi excommunicationis exiisse, si excommunicatio censeatur injusta; quilibet autem facile persuadebit sibi, injustitiam aliquam in Censura contineri, sive injustitia oriatur ex defectu causæ sufficientis, sive ex defectu ordinis causæ, sive aliunde; & ideo ex hoc etiam capite nemo se crederet ab ulla excommunicatione irretitum; Nemo pariter legibus sub interminatione excommunicationis aliquid præcipientibus obtemperaret, ex hoc motivo, quod excommunicationis injustæ metus non debeat nos a nostris operationibus aut debitis, aut licitis retardare. Neque enim ab Ecclesia eximus ex Quesnello, quando ex hominum nequitia videmur per excommunicationem expulsi, si per charitatem Deo, Christo Domino, & Ecclesiæ affixi sumus. Sufficit tertio, quod quis anathema credat esse injustum, ut in pace illud meritorie patiatur, dum non retrahit se ab iis operationibus, quas censet sibi injuste vetari. Quinimo Apostoli vestigiis (qui cupiebat anathema esse pro fratribus suis) dicitur inhærere, qui errores, quos censet esse Catholicas veritates, aliis insinuat, ac inculcat, quantumvis id sibi sub pœna excommunicationis inhibeatur. Neque in hoc ullatenus sese adversus Ecclesiæ auctoritatem erigere censendus est, quamvis Ecclesiæ judicio præferat, quod sibi verius videtur; neque unitatem spiritus, ac corporis Ecclesiæ scindere, quamvis Ecclesiæ Capiti in rebus etiam ad fidem, & mores pertinentibus non se submittat. Sufficit demum, ut quis putet præcipiti festinatione a primis Pastoribus, & ab ipsomet

met Pontifice vulnera latis censuris inflicta esse absque Christi Domini mandato, ut possit quis se sanum omnino reputare, credens restitui sibi a Christo Domino, quod sibi ab ejus Vicario recissum est; prout Christus Dominus Lucæ 22. dicitur sanasse suo contactu Malchum, cujus auriculam præcipiti zelo D. Petrus amputaverat.

II. Porro dum hæc omnia non sine stomacho Quesnellus obtrudit in suo Codice passim Jansenizante, diserte videtur velle, ut Janseniani Censuras non reformident, unde possint tuto subscribere formulæ præscriptæ, & non ad mentem Pontificis, absque metu incurrendi in excommunicationem, quam docet esse injustam, & sine consensu saltem præsumpto corporis Ecclesiæ: necnon ut tuto possint suos errores disseminare, ac in praxim reducere, quamvis Pastores Ecclesiæ, & ipsemet Pontifex sub interminatione excommunicationis id non semel vetuerint. Quo etiam collineant sequentes theses, Potestatibus non solum Ecclesiasticis, sed etiam sæcularibus valde injuriosæ; in quibus docet Ecclesiam fovere schismata, ac divisiones, damnando hæreses Jansenianas, ac lingua peregrina loqui; unde quodammodo senuerit. Docet etiam Potestates sæculares adversari Jansenianis, ut eorum victoria Deo tribuatur; Jansenianos censeri impios, hæreticos, flagitiosos, eorumque libros perniciosos; cum tamen pietatem redoleant: Ac demum juramenta, quæ Janseniani coguntur præstare, dum subscribunt formulæ ab Alexand. VII. præscriptæ, esse spiritui Dei, ac doctrinæ Christi contraria. Sic enim putant in re tam gravi, tamque hæreticorum propria, sibi, & aliis imponere; Quod deinceps fusius ostendetur.

III. Nunc autem antequam istarum de excommunicatione thesium virus patefaciam, adverto pluribus de causis censuram posse aut omnino esse nullam, aut injustitiam continere, etiamsi sit valida.

Est quidem nulla primo ex defectu Jurisdictionis, ut si lata sit ab excommunicato, vel suspenso, aut ab intruso, vel non rite electo, aut aliter usurpante jurisdictionem, quam non habet; vel si appellatio ante sententiam sit interposita, vel si sententia contineat intolerabilem errorem; puta si quis excommunicetur explicando in ipsa sententia causam vel prorsus iniquam, vel irrationabilem, vel insufficientem; v. g. quia non contrahit matrimonium, ad quod non tenetur, quia non audit Missam quotidie, quia non audit Concionem singulis festis; aut si quis suspendatur absque ulla causa, solum quia non est gratus Episcopo; si enim publice, & juridice ex ipsa sententia constet isthæc injustitia, proculdubio sententia erit nulla etiam ex defectu jurisdictionis. Secundo est nulla ex defectu ordinis juridice substantialis, ut si aperte feratur contra leges, vel Canones; puta si excommunicatio feratur contra participantes absque trina monitione, ex cap. *Statuimus* de sent. excom. & cap. *Constitutionem* eodem titulo in 6. Tertio ex defectu causæ legitimæ, ut dictum est, tunc enim pariter nulla est ex defectu jurisdictionis, quæ non se extendit ad censuram sine causa ferendam.

Injusta vero dicitur esse censura, primo si injustam causam contineat: (in quo casu est etiam nulla) Secundo si feratur a Judice ex iniqua intentione, vel odio, aut simili causa; verum si ex hac intentione nulla alia injuria sequatur, sententia non erit proprie injusta, sed lato modo, prout justitia dicitur generaliter de omni virtute, & injusta dicitur quæcumque actio, quæ non est moraliter bona. Tertio si non servetur ordo juris accidentalis; in quo casu dicitur injusta, quatenus opponitur justitiæ legali, non vero justitiæ commutativæ. Quia tamen non pervertitur substantialis ordo juris, ideo injusta simul est, & valida, tum jure naturæ, tum jure positivo, in quo non petitur talis conditio ut substantialis. Quarto solet dici injusta, si revera contineat inæqualitatem, & injuriam, quamvis secundum allegata, & probata sit justa; unde non est simpliciter valida, sed solum secundum quid; sicut non est simpliciter justa, sed solum secundum quid, cum solum sit justa ex parte actionis, injusta vero ex parte rei.

IV. Adverto secundo, sententiam excommunicationis, aut alterius Censuræ aliquando esse evidenter, seu certo moraliter nullam, aut injustam; ut si aperte contineat errorem intolerabilem, aut si legitime ejus nullitas declarata sit; aliquando vero esse solum nullam, aut injustam probabiliter, vel apparenter. Præterea aliquando est nulla, aut injusta in re simul, & in publica scientia, & existimatione communi; aliquando vero est nulla solum in re, sed non in publica scientia, & existimatione aliorum. Non videtur tamen, ut notat Suarius, dari posse viceversa sententia censuræ, quæ sit in re valida, & non simul sit valida in existimatione, seu scientia publica: quamvis enim evenire facile possit, quod talis sententia apud multos male affectos, aut ignaros non censeatur valida; quia tamen juridice lata est, debet per se loquendo ex se ferre sufficientem notitiam publicam suæ validitatis.

V. Adverto tertio, distinctione pariter opus esse ad percipiendum sensum illius sententiæ celeberrimæ D. Gregorii Homil. 26. in Evang. relatæ a Gratiano 11. quæst. 3. cap. 1. *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta timenda est*; non enim sensus est, quod sit timenda sententia, quæ evidenter est injusta, ac nulla; sed timenda est quæ ita est injusta; ut sit valida. Constat quippe ex multis juribus, præsertim ex cap. *Cum contingat* de offic. deleg. & ratione naturali evidens est, posse sententiam aliquam esse injustam simul, & invalidam evidenter, quæ certe nullatenus est pertimescenda; V. G. si feratur sententia injusta ab excommunicato, vel suspenso, ita ut evidenter constet de defectu jurisdictionis ob has Censuras. Quare, ut advertit Suarez de Censuris disp. 4. sect. 7. in triplici sensu verum est, quod sententia Pastoris injusta timenda sit: Primo si sententia solum sit injusta lato modo, per hoc scilicet, quod a superiore ex prava intentione, vel ex odio feratur; cum tamen nullam aliam injuriam contineat: & hæc certe timenda est. Et de hac etiam intelligendum est quod habet Urbanus Papa in sua Epistola decretali c. 5. dicens: *Valde timenda est sententia Episcopi, licet injuste liget aliquem.* Quod si sententia ista aliunde sit evidenter nulla, non debet timorem incutere, quia, ut habet D. Th. judicium sic injustum non est judicium. Secundo timenda est sententia injusta, quando ita in re est nulla, ut tamen non constet evidenter de ejus nullitate; quia in dubiis obtemperandum est superiori; aliter nemo esset, qui legibus obtemperaret, cum non desint passim ratiunculæ umbratiles, quibus sibi quilibet persuadeat dubium esse valo-

rem

rem legis, aut sententiæ Judicis. Tertio si sententia sit injusta simul, & nulla, ita tamen, ut hoc evidenter constet soli subdito, non tamen publice omnibus, adhuc timenda est; cum non debeat pro foro exteriori contemni, si forte in tali foro sit valida; nec possit non servari cum aliorum scandalo, qui eam nullitatem ignorant: Quod si omnibus ejus nullitas, & injustitia sit perspicua, non debet ita negligi, ut videatur ipse etiam Superior, vel Judex, ejusque potestas despici; sed solum poterit excommunicatus cum debito moderamine, ac reverentia quadam uti jure suo. Quare universim Pastoris sententia timenda est, non tamen semper eodem modo, sed accommodate ad materiam, & circumstantias jam explicatas.

VI. Adverto demum, ad dignoscendam vim harum thesium confixarum, quæ sunt indefinitæ, recolendam esse regulam Summulisticam; quam explicavimus in Trutina exponendo thesim 29. necnon 53. ab Innoc. XI. confixas: ubi diximus, quod thesis confixa indefinita potest facere tum sensum universalem, ita ut ejus contradictoria, quæ debet esse vera, sit particularis; tum sensum particularem, ut proinde ejus contradictoria vera sit universalis: Ex. Gr. illa propositio, *Urgens metus gravis est causa justa simulandi Sacramentorum administrationem*, si faceret sensum universalem, quod omnis metus gravis sit causa justa, deberet esse vera contradictoria particularis, quod aliquis metus gravis, puta mortis, non sit justa causa; cum quo bene staret, quod metus gravis infamiæ posset esse causa justa hujus simulationis. Quod si ea faceret sensum particularem, videlicet quod aliquis metus gravis sit justa causa, deberet esse vera ejus contradictoria universalis, videlicet quod nullus metus gravis, sive sit mortis, sive infamiæ, sit causa justa simulandi Sacramentorum administrationem. Num autem theses confixæ indefinitæ sumendæ sint in sensu universali, an vero in particulari, colligi debet ex ipsa materia, quæ proscribitur, ex communi sensu, & ex mente eorum, qui thesim illam docuerunt. Ad rem nostram; Thesis ista Quesnelliana indefinita, Excommunicatio injusta non debet nos impedire a nostris debitis operationibus, si faceret sensum universalem, quod scilicet Nulla excommunicatio injusta debeat nos impedire, deberet solum esse vera contradictoria particularis, quod scilicet Aliqua excommunicatio injusta debeat impedire. Quod si thesis confixa faceret sensum particularem, significando quod Aliqua excommunicatio injusta debeat impedire, esset vera ejus contradictoria universalis, quod scilicet Nulla debeat impedire. Dicendum nunc aperte colligi ex iis principiis, quod tam thesis 91. quam 92. habeant sensum universalem explicatum; & ideo debet esse verum contra mentem Quesnelli, quod Aliqua excommunicatio injusta (puta quæ a subdito per rationes probabiles, aut apparentes censetur injusta, a superiore vero censetur justa) debeat nos impedire ab operationibus, quas potest nobis superior prohibere; Cum quo bene stat quod Aliqua alia excommunicatio injusta, puta quæ est evidenter injusta, vel quia continet errorem intolerabilem, vel quia est a superiore, de quo apud omnes evidenter constat, quod nullam habeat jurisdictionem, non debeat nos retardare a nostris operationibus, quamvis illas posset verus superior prohibere. Ex quo patet etiam quomodo possit aliquando verum esse, quod pati potius in pace excommunicationem injustam, quam prodere veritatem, sit imitari Apostolum cupientem anathema esse pro fratribus suis. Fingamus enim, quod impius Pastor sub pœna excommunicationis præcipiat Confessori, ut revelet homicidium factum a Petro, quod tamen illi solum innotescit ex notitia sacramentali; debet potius pati in pace excommunicationem istam injustam, quam violare sigillum sacramentale. At non est verum, quod a Quesnello in hac thesi non obscure docetur, videlicet excommunicationem injustam secundum rationes apparentes subditi, justam vero ex mente superioris pati potius in pace, quam obtemperare superiori præcipienti, ne doceantur errores, quos Janseniani dicunt esse veritates, sit imitari Apostolum, nec sit erigere se contra authoritatem superioris, nec scindere unitatem spiritus, ac corporis Ecclesiæ, cujus unus est Dominus, una fides, unum baptisma, ut habetur ad Ephesios 4.

VII. Ostenditur nunc istarum quatuor thesium falsitas seorsim. Et quod attinet ad nonagesimam, enormiter errat, dum docet Ecclesiam exercere per primos Pastores authoritatem excommunicandi de consensu saltem præsumpto totius corporis, seu omnium Christifidelium; ita scilicet ut nec Episcopi, nec Pontifex possint valide aliquem excommunicare, nisi præsumatur consensus etiam laicorum. Ex quo fieret, quod excommunicationis sententia esset nulla, si explicite, aut implicite illam laici recusarent. Cum autem Janseniani putent, non præsumi consensum Christifidelium relate ad excommunicationes latas adversus eos, qui formulæ ab Alex. VII. præscriptæ non subscribunt ad mentem Pontificis, & qui suos errores docent, quos putant esse germanam doctrinam Augustini; ideo in hac thesi subdole insinuatur, nullas esse Pontificias istas excommunicationes. In quo non solum errant, erigendo se contra auctoritatem Pontificis loquentis ex Cathedra, sed etiam errant ex hoc etiam capite, quod velint Pastores Ecclesiæ in exercitio spiritualis auctoritatis immediate sibi a Christo collatæ dependere a judicio, & consensu fidelium. Quod si verum esset, sequeretur, quod possent etiam Laici fideles ferre excommunicationem; si enim Laicorum consensus reddit validam excommunicationem latam ab Episcopo, possent ipsi etiam immediate hanc jurisdictionem exercere. Sicuti enim si vera esset nonnullorum sententia, quod lex a Principe lata quoad validitatem pendeat ab acceptatione populi, (esto peccet populus, si absque ulla causa legem a Principe promulgatam non recipiat, ex thesi 28. proscripta ab Alex. VII.) poterit populus immediate, antequam Regem sibi constituat; in quem transferat potestatem legislativam, ipse leges ferre in bonum communitatis: ita pariter si valor excommunicationis penderet a consensu Laicorum, possent Laici immediate ferre censuras, & spiritualem jurisdictionem exercere; cum tamen certum sit, hanc jurisdictionem non esse temporalem, ac terrenam, nec ab hominibus in Ecclesiam derivari, sed omnino spiritualem, ac unice a Christo Dom. promanare.

VIII. Confirmatur, quia Ecclesiæ caput subderetur corpori, si ab hujus consensu penderet validitas excommunicationis a se latæ, & sic omnis

lex

lex ecclesiastica deberet etiam dici, quod pendet a consensu fidelium. Propterea si Pontifex vellet statuere festum aliquod de præcepto, prout nuper statuit festum Immaculatæ Conceptionis B. Virginis, aut si vellet in pervigilio alicujus festi jejunium præcipere, deberet id fieri dependenter a consensu fidelium; unde fieret, quod relate ad quodcumque exercitium suæ jurisdictionis spiritualis a consensu corporis Ecclesiæ deberet pariter dependere; quod tamen est contra praxim Ecclesiæ. Præterquamquod si Episcopus in ferenda sententia excommunicationis non requirit prius Pontificis consensum, a quo posset inhiberi ne hic & nunc sua auctoritate utatur; a fortiori non debet Episcopus, nedum Pontifex, requirere consensum fidelium, a quibus nullatenus pendet.

IX. Confirmatur secundo, quia ostium immensum libertati aperiretur, si subsisteret thesis ista: quandoquidem quilibet posset facile (præsertim passionis œstro percitus, ac hallucinatus) sibi persuadere, quod excommuniationi adversus se latæ populus non consentiat; & ideo quilibet se immunem crederet a tali censura. Adde quod si auctoritas ferendi excommunicationis sententiam penderet a consensu fidelium, pariter deberet auctoritas ferendi interdictum a consensu fidelium, saltem præsumpto, dependere; nunquam autem præsumitur, quod plebs fidelium velit in interdictum locale consentire; cum hujusmodi interdictum sit afflictivum plurimorum innocentium, qui certe nollent sic cruciari, ac tot bonis spiritualibus, ac sacramentis per interdictum privari; unde nunquam interdictum locale esset validum. Quibus adde, quod in hac thesi non solum requiritur Laicorum consensus ad validitatem excommunicationis, sed etiam Laicis ipsis dicitur inesse auctoritas excommunicandi, quæ per primos Pastores exerceatur illis annuentibus; unde auctoritas ferendi censuras juxta Quesnellum non residet in primis Pastoribus, sed residet in Ecclesia, atque adeo etiam in Laicis, qui Ecclesiam conflant, ita ut ea per primos Pastores exerceatur; quo quid absurdius?

X. Opponitur ex Quesnello illud Matthæi 18. ubi dicitur: *Si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe illum inter te, & ipsum solum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum, vel trium stet omne verbum; quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ: si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, vel publicanus.* Quibus verbis Christus Dominus videtur indicare, quod ab Ecclesia debeat condemnari ut contumax, ac excommunicari, qui non emendatur, & ab Ecclesia separari tanquam Ethnicus, vel Publicanus; unde de consensu Ecclesiæ saltem præsumpto debet auctoritas excommunicandi per suos Pastoresexercere.

Respondeo, quod si interpretatio Quesnelli subsisteret, deberet toti Ecclesiæ & non soli Pastori accusari, qui coram testibus admonitus non est emendatus. Quare sicut accusari debet uni Pastori, qui significatur nomine Ecclesiæ, ita ab uno Pastore debet excommunicari independenter a consensu corporis. Quod patet, tum ex praxi Ecclesiæ; tum quia Christus Dominus solis Pastoribus facultatem contulit excommunicandi, dicens Apostolis Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram, erunt soluta & in cœlo;* unde Trid. sess. 25. cap. 3. loquens de excommunicationibus, quæ ab Episcopo feruntur, habet: *Totum hoc in ejus arbitrio, & conscientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut tempore eas decernendas esse judicaverit.*

Adde demum adversus Quesnellum, quod in ejus sententia ex thesi 78. peccator est extra Ecclesiam, unde independenter ab excommunicatione est separatus a populo electo; & ideo relate ad peccatores excommunicatio est supervacanea; & a fortiori est supervacanea excommunicatio relate ad justos, cum relate ad istos sit nulla, nec possit præsumi, quod fideles consentiant in excommunicationem, quæ feratur in justos: unde in sententia Quesnelli, aut consensus fidelium præsumptus non requiritur, aut excommunicatio est prorsus inutilis tam relate ad peccatores, quam relate adjustos.

XI. Ostenditur nunc falsitas thesis nonagesimæ primæ; quia quamvis verissimum sit, quod metus excommunicationis evidenter injustæ, ac nullæ neminem impedire debeat ab operationibus debitis, prout præmisimus; hinc tamen non fit, quod excommunicatio, quæ nobis dumtaxat videtur injusta, Pontifici tamen, aut Episcopis videtur justissima, non sit timenda, ejusque metus non debeat nos impedire ab operationibus, quas nos dicimus esse debitas, a superioribus tamen merito nobis inhibentur tanquam improbæ; ut proinde non possint Janseniani aut formulæ ab Alex. VII. præscriptæ non syncere subscribere, aut errores Jansenianos non rejicere, prout illis sub excommunicatione præcipitur; sub hoc prætextu, quod excommunicatio ipsis videtur injusta, & quod teneantur propugnare, ac disseminare theses Jansenianas, quas Pontifex damnat ut hæreticas, & alienas a mente Augustini, ipsi vero putant esse Catholicas, & juxta mentem S. Doctoris. Ratio est, quia, ut diximus ex D. Gregorio homil. 2. *Utrum juste, vel injuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia timenda est.* Aliter essent immunes a culpa Judæi, qui contendebant Christum Dominum esse crucifigendum, dicentes Jo: 19. *Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Essent immunes a culpa interfectores Apostolorum, de quibus dicitur Jo: 16. *Qui interficit vos, arbitratur obsequium se præstare Deo*; Immunis a culpa fuisset Saul, qui 1. Reg. 13. dixit: *Necessitate compulsus obtuli holocaustum;* cui tamen Samuel dixit: *Stulte egisti, nec custodisti mandata Domini Dei tui, quæ præcepit tibi.* Immunis a culpa fuisset Oza, qui putabat extendendam esse manum ad tenendam arcam, ne corrueret; & tamen 2. Regum 6. habetur: *Extendit Oza manum ad arcam Dei, & tenuit eam, quoniam calcitrabant boves, & declinaverunt eam: Iratusque est indignatione Dominus contra Ozam, & percussit eum super temeritate; qui mortuus est juxta arcam Dei.* Denique omnes Heterodoxi a culpa essent immunes, quia putant errores suos sacrarum Scripturarum auctoritate fulciri, in quo culpabiliter hallucinantur.

XII. Ratio autem, cur obtemperandum superiori sit, & excommunicatio timenda, quamvis forte nobis videatur injusta, est, quia nisi teneremur parere, quoties non est evidenter malum id,

quod

quod præcipitur, quilibet ad arbitrium operaretur, cum non desint cuilibet apparentes ratiunculæ, quibus sibi persuadeat se non teneri ad id, quod sibi vetatur. Hinc D. Bernardus de præcepto, & dispensat. cap. 9. habet: *Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud secus omnino accipiendum est, quam si præcipiat Deus:* Ubi notandum diligenter, quod obedientia præstanda sit non solum relate ad id, quod certum est non displicere Deo, sed etiam relate ad id, quod non est certum displicere Deo. Quare quamvis Jansenìani putarent displicere Deo, quod a Pontifice præcipitur, adhuc obtemperare tenentur, & nisi obtemperent, excommunicationem incurrunt, quam ipsi dicunt esse injustam, cum non sit iis certum id, quod ipsi putant, videlicet displicere Deo, quod a Pontifice sub pœna excommunicationis præcipitur. Idem prorsus docet Augustinus lib. 22. contra Faustum cap. 74. & habetur in cap. *Quid culpatur* 23. qu. 1. ubi dicitur: *Vir justus, si forte etiam sub Rege homine sacrilego militet, recte potest illo jubente bellare, si civicæ pacis ordinem servans, quod sibi jubetur, vel non esse contra Dei præceptum certum est, vel utrum sit, certum non est; ita ut fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi; innocentem autem militem ostendat ordo serviendi.* Quod si ex Augustino satis est ad obtemperandum, quod certum non sit, bellum, quod a Rege sacrilego præcipitur, non esse injustum; quanto magis a Jansenianis obtemperandum est Pontifici sub pœna excommunicationis præcipienti, cum non sit iis certum, esse contra Dei voluntatem id, quod præcipitur? quin potius, si hallucinationem, & obstinationem vellent deponere, pro certo iidem haberent, esse juxta Dei voluntatem, quod post tot diligentias per tot annos præmissas tandem aliquando Pontifex imperavit. Propterea falsissimum est, quod excommunicationem contra inobedientes non incurrant, & quod non exeant ab Ecclesia, putantes, se Deo, Jesu Christo, atque ipsi Ecclesiæ esse per charitatem affixos. Quomodo enim charitas Dei potest esse in illo, qui Pontifici ipsi non obedit in iis, quæ Deo displicere certum non est? cum Deus voluerit, quod in his obtemperemus etiam Regi sacrilego, nedum Pastoribus sanctissimis, ac sapientissimis, perinde ac ipsemet præciperet, juxta illud Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Propterea Dominus Samueli dixit 1. Reg. 8. *Non te abjecerunt, sed me.* Solum in iis, quæ certo, ac evidenter contra Dei voluntatem sunt, superioribus obtemperare non possumus, in aliis vero tenemur. Quod innuit Augustinus in Ps. 124. ubi loquitur de Christianis, qui sub Juliano militabant, dicens: *Julianus extitit Imperator, extitit Apostata, iniquus Idololatra: milites Christi serviebant Imperatori infideli; ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant, nisi illum, qui in Cœlo erat; si quando volebat ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum; quando autem dicebat, producite aciem, ite contra illam gentem, statim obtemperabant.* Hinc Bernardus loco laudato cap. 12. habet: *Sive Deus, sive homo Vicarius Dei, mandatum quodcumque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura; pari reverentia deferendum, ubi tamen Deo contraria non præcipit homo.* Et noster Patriarcha Ignatius injungit nobis parte 6. cap. 1. ut ad vocem superioris, perinde ac si a Christo Domino egrederetur, quam promptissimi simus, obtemperando in omnibus, *in quibus nullum manifestum est peccatum.*

XIII. Opponitur a Jansenianis, quod Pontifex relate ad factum falli potest; unde si præcipiat sub excommunicatione, quod formulæ præscriptæ animo syncero subscribatur, excommunicatio erit injusta, & non timenda, si nitatur in supposito quoad factum falso, quod scilicet Jansenius errores docuerit.

Sed quod Pontifex non possit errare in quæstionibus facti connexis cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores pertinentibus, ut in casu nostro, satis superque ostendimus in quæstione prodroma Theologicæ Trutinæ, & dicemus etiam in thesi sequenti. Deinde si non constet evidenter, quod censura sit nulla, ac injusta, aut quod manifeste peccatum sit, id quod præcipitur, tenemur obtemperare, ut jam ostendimus. Quod disertis verbis docuit Bernardus de præcepto, & dispens. cap. 12. ubi habet: *Sed homines, inquis, facile falli in Dei voluntate de rebus dubiis percipienda, & in præcipiendo fallere possunt. Sed enim quid hoc refert tua, qui conscius non es? præsertim cum teneas de Scripturis* (Malachiæ 2.) *quod labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem ex ore ejus requirent, quia Angelus Domini exercituum est: Requirunt dixerim legem, non quam vel nulla authentica scriptura tradiderit, vel ratio manifesta probaverit, (de hujusmodi quippe nec præceptor expectandus, nec prohibitor auscultandus est) sed quod ita latere, aut obscurum esse cognoscitur, ut in dubium venire possit, utrumnam Deus sic, an aliter forte velit . . . . Ipsum proinde, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his, quæ aperte non sunt contra Deum, audire debemus.* Quod si Deus in veteri lege jussit, quod in rebus dubiis, & ambiguis Sacerdotes explicare debeant veritatem, & juxta illorum decreta unusquisque operetur; quanto magis in lege gratiæ standum est in rebus dubiis decisioni Pontificiæ, & ejus mandatis obtemperandum, quoties non est evidens, quod culpa præcipiatur? Hæc sunt verba Deuteronomii c. 17. *Venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem; & facies quodcumque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te;* ac deinde mortem Deus comminatur ei, qui suberbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio.

XIV. Ostenditur pariter falsitas thesis nonagesimæ secundæ ex iisdem principiis, quia scilicet quamvis sit imitari Paulum patiendo potius in pace anathema injustum, quam prodendo veritatem, quando evidens est apud omnes, quod anathema sit injustum, ac nullum; non tamen quando solum subditus putat anathema nullum esse, & injustum; tunc enim obtemperandum est, & quæ putantur a subdito veritates, si a Pontifice damnentur, ac prohibeantur, ejus decisioni standum est. Nec dicitur esse proditor veritatis, qui damnat ut erroneas theses a Pontifice damnatas, quamvis ipse putet esse veras; sed potius ditur

capti-

captivare intellectum in obsequium fidei, & obedientiæ, dignus proinde qui superna luce illustretur ad deprehendendam falsitatem, quæ prius sub specie veritatis apparebat. Hinc adversus Jansenianos, qui dicunt velle se hujusmodi anathema injustum pati in pace ad Paulum imitandum, merito exclamaret Bernardus verbis illis Epist. 7. *O patientia omni digna impatientia! non possum, fateor, non irasci huic contentiosissimæ patientiæ. Vera patientia est, pati, vel agere contra quod libet, sed non præter quod liceat*. Ubi adverto, communius Expositores docere, Paulum dicentem ad Rom. 9. *Optabam enim ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundum carnem*, non optasse excommunicationem, ne proderet veritates fidei, sed deplorasse, quod ante conversionem optasset ad obsequendum fratribus suis Ecclesiam exagitare, & Christi se esse insectatorem, & hostem potius, quam sectatorem & asseclam. Verum quicquid sit de verborum istorum expositione, illud certum est, quod non Paulum, sed Saulum imitentur, qui excommunicationem, quam ipsi dicunt esse injustam, Pontifex vero, & Ecclesia censet justissimam, in pace potiuntur, ut validius Ecclesiam exagitent, dum proditorum instar amicos se simulant, exterius obediendo mandatis Pontificis, intus tamen Catholicis veritatibus adversantur.

XV. Ostenditur denique falsitas nonagesimætertiæ pariter ex iisdem principiis; non enim Christus Dominus sanat vulnera a Pastoribus inflicta, quando isti per excommunicationem separant ab Ecclesia refractarios, & contumaces, per hoc præcise, quod vulnus excommunicationis dicatur infligi injuste, ex zelo inconsiderato, ac sine Christi mandato: præsertim quia in casu nostro vulnera, quæ inflicta sunt Jansenianis, non præcipiti festinatione, sed matura consideratione, ac præmiis per plures annos tot examinibus inflicta sunt, Spiritu S. inspirante, qui Ecclesiam suam adversus tartareos hostes semper tuetur. Exemplum Malchi allatum a Quesnello, de quo Lucæ 22. dicitur, quod fuerit præcipiti festinatione, ac zelo inconsiderato sine Christi mandato percussus a Petro, ac sanatus a Christo Domino, qui restituit illi auriculam abscissam, non est ad rem. Nam primo Malchus fuit vere percussus a Petro, ac mox sanatus; Quesnellus tamen non vult, quod excommunicatio Pontificia, quæ putatur injusta, quenquam feriat; aliter si revera feriret, separaret ab Ecclesia excommunicatos, nec aliter deinde a Christo sanarentur, quam per contritionem; quod est error, de quo diximus in thesi 89. videlicet quod censuræ cessent cessante contumacia, ac correcto reo, citra absolutionem judicialem. Deinde Malchus curatus fuit a Christo Domino, quia Petrus eo renuente Malchum percussit; Pastores tamen jussu Spiritus Sancti telo excommunicationis feriuntur contumaces, quando ipsi duntaxat credunt censuram esse injuste, ac præcipiti festinatione latam. Constat itaque ex hactenus dictis, sententiam Pastoris etiam injustam esse timendam, juxta explicationem datam, ac vere separare ab Ecclesia contumaces, qui perfricta fronte jactitant extra ictum se positos esse ab innocentia sua; cum tamen ex hoc ipso novum reatum contrahant, & ex hoc magis a consortio fidelium removendi sint, quod simultatem dissimulent. Concludam itaque cum D. Gregorio loco laudato: *Utrum juste, an injuste obliget Pastor, Pastoris tamen sententia gregi timenda est. Is, qui sub manu Pastoris est, ligari timeat vel injuste*. Timenda enim est non solum excommunicatio, quæ ipsi excommunicato apparet injusta, a Pastore vero censetur esse justa; cum hæc omnino servanda sit, eo quod judicium superioris judicio subditi prævalere debeat, ut ostendimus; sed etiam timenda excommunicatio, de cujus nullitate, & injustitia habet subditus evidentiam; (dummodo id non sit omnibus evidens, & extra omnem dubietatem) etenim hæc pariter excommunicatio pro foro externo servanda est ad scandalum vitandum; ac datur onus procurandi, ut ea nullitas declaretur auctoritative.

Ex quibus patet, in quonam sensu intelligenda sint, quæ pro his thesibus propugnandis objectant Quesnelliani. Dicunt enim ex communi omnium sensu apud Suarium disp. 4. de Censur. cap. 7. Sententiam excommunicationis injustam contemnendam esse. Etenim S. Nicon in Epist. ad Enclistium, cujus fragmentum reperitur in primo tomo Bibliothecæ Sanctorum Patrum, hæc habet: *Scias, Pater, quod Divinæ Scripturæ cum Divinis Canonibus definiunt quod injustæ quæ imponuntur punitiones apud Deum non ligant, etiamsi Pontifex eas imposuerit, quanto magis inferior, ut dicit S. Dionysius? Qui itaque inconsiderata sententia, & intemperante animo aliquem a fidelibus separavit, non solum eum non attingit, sed in ejus etiam caput recurrit, sicut Sanctæ quoque Synodi pronunciant*. Ac deinde refert S. Nicolaum dicentem: *Si Antistes præter Dei scopum punierit, Deus eum non sequitur; & ecce invenitur pœna, quæ ab eo infligitur, injusta, & propterea invalida*. Idque etiam habetur in cap. *Illud plane*, causa 11. quæst. 3. ubi dicitur: *Si quis fidelium fuerit anathematizatus injuste, potius ei oberit, qui facit, quam qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim Sanctus habitans in Justis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, immeritam nulli ingerit pœnam*. Et in cap. *Cui est illata*, ex Gelasio Papa ead. causa, & quæst. disertissime dicitur: *Si injusta est sententia, tanto curare eam non debet, quanto apud Deum & ejus Ecclesiam neminem potest gravare iniqua sententia. Ita ergo ea se non absolvi desideret, qua se nullatenus perspicit obligatum*.

Sed hæc omnia, si rite intelligantur, confirmant doctrinam hactenus traditam, quin ullatenus faveant hisce confixis thesibus. Verissimum enim est, quod sententia injusta non liget apud Deum; quandoquidem, ut dicitur in cap. *A Nobis* de sent. excommunic. *Judicium Dei veritati, quæ non fallit, neque fallitur, semper innititur*: neque pariter ligat apud Ecclesiam, seu apud homines, dummodo tamen sit notorie injusta, non vero quando reus censet illam injustam. Quando enim est notorie apud omnes injusta, cessat scandalum, & contemptus clavium, si ea non servetur; secus vero si non sit evidenter injusta, quamvis reus putet illam esse injustam, ut ostendimus.

Dices, a multis Doctoribus, ut a Soto, Lopezio, Medina, & aliis apud Sanch. lib. 6. cap. 3. n. 23. doceri, quod subditus non teneatur obedire quando dubitat, an res præcepta sit supra potestatem præcipientis, si ex obedientia magnum damnum sibi proveniat in vita, aut in honore, aut in pecu-

pecunia: ergo falsum est, quod teneatur subditus obedire, si probabile sit, quod res præcepta sit supra potestatem præcipientis, & quod excommunicatio indicta sit injusta; atque adeo metus excommunicationis injustæ, si probabiliter tantum sit injusta, non debet nos retrahere ab implendo debito nostro.

Respondeo primo, antecedens communius negari, & non solum excusari subditum, quando res præcepta est nimis ardua, si rationibus valde urgentibus injustitia præcepti suadeatur, ut notat Suar. l. 5. de Legibus c. 18. n. 29. non vero si quomodocumque probabile sit, & multo minus, si solum dubitetur, quod præceptum sit injustum. Sicut enim non potest Cajus spoliare Titium re, quam possidet, si solum probabile sit, quod ea res sit sua; ita non potest subditus spoliare Superiorem potestate præcipiendi, si solum probabile sit, quod hic, & nunc res præcepta superet ejus potestatem. Respondeo secundo: ex hoc quod verum esset, non teneri subditum obtemperare, si probabile sit rem præceptam excedere potestatem præcipientis, quando ex obedientia imminet ipsi subdito grave damnum sive in pecunia, sive in honore, aut in vita; non per hoc sequitur, quod universim id liceat, etiamsi tale grave damnum non sequatur. Ratio disparitatis est, ut advertit Bardi de Conscientia disput. 4. cap. 26. n. 16. quia Superior non habet directum, & immediatum dominium de bonis, quæ a subditis possidentur, nisi quatenus hic, & nunc postulat publica necessitas; unde non debet spoliari subditus sua pecunia, & aliis bonis præstantioribus per solas rationes probabiles, quæ favent Superiori; & ideo nisi constet, quod res præcepta non sit supra potestatem præcipientis, non tenetur subditus obedire, quoties sibi grave damnum imminet. At si hoc grave damnum non immineat, non satis est, quod solum probabiliter res præcepta sit injusta: quia non debet Superior spoliari potestate præcipiendi, quam possidet, nisi constet, quod ea potestas non se extendat ad hoc, vel illud præcipiendum.

Neque replices, quod sicut est in possessione suæ pecuniæ subditus, ita pariter est in possessione suæ libertatis; ergo si nequit spoliari sua pecunia per solas rationes probabiles, quæ favent Superiori præcipienti, ita nec debet spoliari libertate; atque adeo sicut non tenetur obedire subditus, quando solum probabile est, quod res præcepta excedat potestatem præcipientis, si ex obedientia immineat sibi grave damnum in pecunia, aut similibus bonis; ita nec tenetur, si solum ex obedientia sequatur coarctatio libertatis, quæ pretiosior est pecunia, juxta illud Poetæ: *Non bene pro toto libertas venditur auro.* Quare potest universim subditus non obtemperare, & excommunicationis metum excutere, si rationes dumtaxat probabiles suadeant præcepti, & excommunicationis injustitiam, quamvis de tali injustitia non constet.

Sed contra est, quia, ut advertunt laudati Doctores, subditus per hoc præcise, quod sit subditus, spoliatur sua libertate, & Superior est in possessione præcipiendi; atque adeo nisi constet, quod Superior non possit hic, & nunc ferre præceptum, & excommunicare, non est spoliandus sua potestate; & ideo subditus non est liber ad non obtemperandum per hoc, quod habeat rationes probabiles de injustitia præcepti, & excommunicationis. Contra vero subditus per hoc præcise, quod sit subditus, non spoliatur sua pecunia, & aliis fortunæ bonis, quæ possidet; & ideo nisi constet de justitia præcepti, non tenetur obedire, quando imminet sibi grave damnum, ob quod spoliandus esset sua pecunia. Quare paritas retorquetur. Ideo enim non tenetur subditus juxta hanc sententiam obedire, quando opinatur præceptum esse injustum, si ex obedientia imminet grave damnum in pecunia, aut aliis fortunæ bonis, quia non debet spoliari sua pecunia, cujus est in possessione per solas rationes probabiles de justitia præcepti favente Superiori, si pariter sit probabile, quod præceptum sit injustum; ergo ex opposito ideo tenetur subditus obedire, licet opinetur præceptum esse injustum, quod grave illud damnum non imminet, quia non debet Superior spoliari sua potestate præcipiendi, & excommunicandi, quam possidet, nisi constet de injustitia præcepti, & censuræ. Cæterum etiam dato, quod vera esset nonnullorum opinio communis rejecta, videlicet licitum esse non obtemperare, quoties probabilius est, quod res præcepta excedat potestatem præcipientis, quamvis id non constet, ex hoc solum sequeretur, quod sicut non est metuenda excommunicatio, quæ evidenter apud omnes est injusta, ita non esset pro foro interno metuenda excommunicatio, quæ probabilius est injusta; Ex quo non fieret, quod non esset metuenda excommunicatio, quæ ob aliquas rationes sive futiles, sive etiam probabiles a subdito reputatur injusta. Quare jure merito theses istæ de Excommunicatione in sua latitudine acceptæ proscribendæ fuerunt: Præsertim quia eo semper collineat Quesnellus in his, & sequentibus thesibus, ut animum suis Affeclis addat ad contemnenda Ecclesiæ præcepta, ac excommunicationes, quæ jure merito feruntur adversus illos, qui formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ, qua Jansenianæ theses ejurantur, renuunt subscribere; (ut ex sententia juridica ab Archiepiscopo Mechliniensi adversus Quesnellum lata, & a nobis in secunda ex his thesibus ad verbum relata facile est dignoscere) Cum tamen consuetum semper in Ecclesia fuerit his formulis occurrere hæresibus, atque hæreticis clanculum eructantibus virus suum, præsertim in Concilio Nicæno, Chalcedonensi, & aliis, ut videre est apud Livinum de Meyer nostræ Societatis in parallelo antiquæ, & præsentis Ecclesiæ; in calce egregii sui Operis inscripti *Historia de Auxiliis*, in lucem editi anno 1715. Ex quibus omnibus pespicuum fit, Quesnellum in sua Apologia solum in speciem theses Jansenianas rejectasse; protestatio siquidem contraria est factis; cum easdem in suis hisce thesibus sæpe recudat; & nunquam formulæ Alexandrinæ subcribere voluerit; quin potius suos Affeclas a tali subscriptione averterit cum contemptu censurarum.

XVI. Opponunt Quesnelliani, quod ad impugnandam thesim nonagesimam fingamus hostem, quem feriamus, dum dicimus, quod etiam laicis competeret auctoritas excommunicandi, si verum esset, quod ad validitatem excommunicationis per Primos Pastores latæ requiratur consensus, saltem præsumptus, totius corporis Ecclesiæ. Ratio est, quia Quesnellus requirendo consensum totius corporis, non requirit consensum etiam Laicorum, sed solum consensum Pastorum. Etenim, ut notat Bellarm. lib. 1. de Romano Pontifice cap. 6. nomine Ecclesiæ-

Ecclesiæ-

Ecclesiæ, ubi sermo est de ejus Jurisdictione, non veniunt Laici, sed veniunt soli Pastores, ut constat ex verbis illis Christi D. Matth. 18. *Quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ*, videlicet ejus Pastoribus: Unde non sequitur inconveniens adductum, quod Laicis competeret auctoritas excommunicandi, & quod caput subderetur suis membris.

Sed contra est primo, quia in ea thesi 90. si attente advertatur ad legitimum verborum sensum, nomine totius corporis Ecclesiæ non veniunt soli Pastores, sed veniunt omnes Fideles, atque adeo etiam laici, conflantes Ecclesiam. Ratio est, quia cum ibi dicatur, quod Primi Pastores exercendo auctoritatem excommunicandi, quæ residet in Ecclesia, indigeant consensu totius corporis, saltem præsumpto, non potest intelligi, quod indigeant consensu præsumpto ipsorum Pastorum, ut est in confesso; ergo denotatur, quod indigeant consensu præsumpto reliquorum fidelium. Neque dicas, quod singuli Pastores indigeant consensu præsumpto reliquorum Pastorum. Nam quando hic Episcopus valide excommunicat suum subditum in sua diœcesi, impertinenter se habet consensus præsumptus Episcoporum, qui sunt in India, ad quos nullatenus pertinet tale judicium; quare sensus est, quod requiratur consensus illorum fidelium, qui conflant corpus hujus Ecclesiæ particularis, atque adeo consensus Laicorum, qui in ordine ad hanc causam eodem modo se habent, ac Clerici ejusdem diœcesis.

Contra secundo, quia quamvis nomine corporis Ecclesiæ secundum se venire possit corpus dumtaxat Pastorum, at spectatis circumstantiis temporis, & loci, in ea thesi significatur potius corpus omnium fidelium, etiam laicorum. Siquidem in Comitiis generalibus Cleri Gallicani nuper solemniter proscriptus fuit liber Anonymi, cui titulus *De Testemoniis Fidei*, in quo auctoritas judicandi de heterodoxia, vel orthodoxia thesium in toto Ecclesiæ corpore dicitur collocari, ita ut ad hoc judicium etiam consensus saltem præsumptus laicorum requiratur; propterea apparet, quod etiam impræsentiarum vigeat error illorum, qui apud Turrecrematam in Sum. de Ecclesia lib. 2. cap. 7. dicebant, ipsi universali Ecclesiæ, quæ dicitur Collectio Fidelium, in omnibus membris suis datam esse potestatem clavium, & quidem principalius, quam Papæ. Propterea si voluisset Quesnellus ab hoc errore recedere, explicare debuisset, quod nomine Corporis Ecclesiæ non includantur Laici.

Contra tertio, quia etiam dato, quod in hac thesi nomine Corporis Ecclesiæ venirent soli Pastores, adhuc esset proscribenda ex hoc, quod evertat Monarchicum Ecclesiæ regimen, dicendo, quod auctoritas excommunicandi solum resideat in tota Ecclesia, & non in singulis, Pastoribus, seu Episcopis, cum tamen Christus D. uni Petro dixerit Matth. 16. *Tibi dabo Claves Regni Cœlorum*. Et Apostolus 1. ad Cor. 5. incestuosum illum excommunicavit solum In nomine Domini, coram aliis quidem, sed non auctoritate ab iis accepta. Unde Tridentinum loco laudato dixit, in unius Episcopi arbitrio, & conscientia positum esse, ut spectatis circumstantiis temporis, loci, ac personæ, excommunicatio feratur, quando ille judicaverit.

In calce adverto, exsuscitari in hisce Thesibus de Excommunicatione errores illos Canonice damnatos Jo: Huss, & Pauperum de Lugduno, (ut videre est in Elucidationibus D. Thomæ 2. 2. qu. 185. ar. 1. Fr. Seraphini Capponi) qui sub prætextu cujusdam charitatis, & conscientiæ effutiebant, Primo, Sacerdotem Christi secundum legem ejus viventem, ac præditum Scripturæ notitia, & affectu ad ædificandum populum, prædicare debere, non obstante prætensa excommunicatione: Secundo, quemlibet Prædicantis munus de mandato accipere, quando ad Sacerdotium accedit; & illud mandatum debere exequi, Superioris excommunicatione nequicquam obsistente: Tertio, eos, qui ob hujus excommunicationis metum concionari desistunt, esse reipsa excommunicationis vinculo innodatos: Quarto, prædicationem Verbi Dei esse unicuique Christifideli liberam, adeo ut ea liceat, quamvis a Superioribus districte inhibeatur: Et alia hujus furfuris, quæ erroribus harum Thesium Quesnellianarum sunt valde affinia. Porro Theses istæ ex ipsa auctoris intentione fiunt longe deteriores, quia ille non vult excommunicationem esse contemnendam ad prædicandum iterum Christi Evangelium contra præceptum Superioris; sed vult esse contemnendam ad edocendas hæreses Jansenianas, quæ dicuntur esse juxta doctrinam Augustinianam, & Evangelicam. Hujusmodi autem erant hac in re articuli istorum Heterodoxorum in Concilio Constantiensi sess. 8. & sess. 15. damnati, ac deinde iterum per Bullam Martini V. sess. 24. & ult. proscripti; videlicet Art. XI. *Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi prius sciat eum excommunicatum a Deo; & qui sic excommunicat, fit per hoc hæreticus, vel excommunicatus*. Art. XIII. *Illi, qui dimittunt prædicare, seu audire verbum Dei propter excommunicationem hominum, sunt excommunicati, & in die judicii traditores Christi habebuntur*: Et Art. XVI. *Sacerdotes Christi viventes secundum legem, & habentes Scripturæ notitiam, & affectum ad ædificandum populum, debent prædicare, non obstante prætensa excommunicatione*. Ecce tibi quibus vestigiis inhæreat Quesnellus in hisce postremis thesibus, non amplius pietatem simulantibus, prout in primis simulabatur, sed simultatem affectantibus adversus Ecclesiam, dum ejus Excommunicationes contemptui habentur, eaque notatur tanquam senio confecta, ac enormibus erroribus obnoxia, præsertim in exigendis communiter juramentis juxta materiæ gravitatem; idque ut Janseniani audacter, ac pervicaciter in cœno suorum errorum volutentur, nullatenus absterriti a Censuris, & pœnis Ecclesiasticis; quod ex luculentissimis documentis, quæ habentur in Codice Causæ Quesnellianæ, fit perspicuum.

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XC. usque ad XCIII.

Nonagesima, & seqq. usque ad nonagesimam tertiam eo videntur tendere, ut contemptui exponant Excommunicationes latas adversus Jansenianos, ne isti a sequenda Jansenii doctrina a Summis Pontificibus toties proscripta metu excommunicationis retrahantur. Dicitur enim primo, quod excommunicatio sit nulla, si Ecclesia authoritatem, quam habet excommunicandi, non exerceat per primos Pastores de consensu saltem præsumpto totius corporis, atque adeo etiam laicorum. Se-

cundo, quod metus excommunicationis injustæ non debeat homines retrahere ab implendo proprio debito; unde si qui v. g. existiment docendam sibi esse doctrinam Jansenianam, & injustas esse excommunicationes latas adversus Jansenii discipulos, qui eam profitentur, non debeant eatenus retrahi ab ea edocenda. Tertio, quod Excommunicatio neminem ab Ecclesia ejiciat, quamvis videatur ex aliorum nequitia vi excommunicationis ejectus, si Deo, & Ecclesiæ sit conjunctus per charitatem. Quarto, quod potius humiliter toleranda sit excommunicatio, quæ censetur esse injusta, quam sit prodendum, quod a superiore sub interminatione excommunicationis præcipitur, ut reveletur. Quinto, quod ita se gerens non efferatur supra Ecclesiæ auctoritatem, nec ejus unitatem scindat, sed potius imitetur Apostolum cupientem anathema esse pro fratribus suis. Sexto, quod vulnus excommunicationis, si præcipitanter, & inconsiderato zelo a Pastoribus Ecclesiæ infligatur absque Christi D. mandato, nihil afferat nocumenti; ab eodem quippe Christo D. curatur illico. Quæ omnia si verum haberent, quotusquisque censeret se ullam excommunicationem incurrisse? Quam facile esset unicuique sibi suadere, censuram non esse latam de consensu præsumpto totius Ecclesiæ? vel censuram esse injustam, ut proinde non separet ab Ecclesia hominem illi affixum per charitatem? Quinimo qui mandatis Ecclesiæ non obtemperaret, & ob id excommunicaretur, cum facile sit ratiunculas adinvenire ad dicendum, quod injusta sit excommunicatio, jactare posset se esse Apostoli imitatorem, non Ecclesiæ contumacem; & a Christo Domino sibi restitui, quod sublatum est per vulnus censuræ absque ejus voluntate inflictum.

Et sane citra delirium dici nequit, quod ad ferendam censuram Pontifex requirat consensum saltem præsumptum totius Ecclesiæ, & Episcopus consensum suæ Diœcesis. Cum enim Ecclesia etiam a Laicis componatur, quomodo poterit laicorum consensus requiri ad ferendam censuram, quæ unice spectat ad potestatem clavium, & ad jurisdictionem spiritualem? Trident. sess. 25. cap. 3. diserte docet, in unius Episcopi arbitrio, & conscientia positum esse, quod excommunicationes, quando expediens fuerit, decernantur. Quod si censura nulla esset, quando populus dissentit, aut præsumitur dissentire, nunquam valide Interdictum locale ferretur, quia universim nunquam populus censetur in illud consentire. Itaque sicut potestas ferendi leges Ecclesiasticas in Prælatis est unice a Christo Domino, & nullatenus ab ipsa communitate; ita potestas ferendi censuras; atque adeo sicut non requiritur populi consensus ad leges ferendas, quæ ad animarum salutem expedire videntur, ita nec ad ferendas censuras: Aliter nunquam valide ferrentur leges, & censuræ, quia cum iis populus gravetur, non præsumitur, quod in eas consentiat, sed solum, quod eas toleret, ac pie obtemperet. Sic etiam quando Titius excommunicatur, præsertim si in civitate munus publicum exerceat, eo ipso gravatur tota civitas, cui vetatur, ne cum illo communicet tam in spiritualibus, quam in civilibus; propterea non præsumitur, quod civitas in talem excommunicationem consentiant, utpote sibi onerosam. Et quamvis aliquando consentiret ob atrocitatem delicti; nihilominus Titius excommunicatus non facile sibi persuaderet quod præsumatur civitatis consensus; unde excommunicatio universim esset nulla, aut saltem pro nulla haberetur.

Adde, quod Quesnellus auctoritatem excommunicandi non agnoscit in Pastoribus sub conditione, quod populus consentiat, sed illam agnoscit in populo sub conditione, quod exerceatur per primos Pastores; quod fert conferre Jurisdictionem spiritualem populo, & non Pastoribus, & subjicere caput Ecclesiæ membris suis; atque adeo Hierarchiam Ecclesiasticam a Christo Domino ædificatam super firmam petram sui Vicarii, a fundamentis evertere.

Deinde quamvis verissimum sit, quod excommunicatio, quæ apud omnes evidenter est injusta, & nulla, contemnenda sit; falsissimum tamen est, quod universim excommunicatio injusta sit contemnenda. Etenim quæ est evidenter injusta solum relate ad ipsum subditum, si non sit pariter evidenter injusta apud omnes, servanda est pro foro externo ad scandalum vitandum, & procuranda est omnibus modis absolutio. Quod si apud subditum est solum probabiliter, non vero evidenter injusta, ea simpliciter, & absolute est servanda; quia standum semper pro validitate actus, quoties non constat evidenter de opposito: Aliter si unusquisque posset esse Judex in propria causa, rueret omnis Politia. Hinc tam Urbanus Papa in Epistola Decretali cap. 5. quam D. Gregorius homil. 26. in Evang. docent, valde timendam esse Episcopi sententiam, quamvis injustam; hoc est (ut notat Suar. disp. 4. de Censuris sect. 7.) sive sit injusta lato modo, quatenus ex odio Episcopi provenit, sed juris ordine servato, & juxta meritum causæ; sive sit injusta per hoc, quod probabiliter tantum sit injusta; sive demum sit injusta per hoc, quod uni subdito sit evidenter injusta, aut nulla, quin tamen omnibus constet evidenter. Quando vero omnibus perspecta est evidenter sententiæ nullitas, (ut si præcipiatur sub excommunicatione id, quod constat esse intrinsece malum, vel si constet, quod præcipiens careat jurisdictione debita) tunc, ut notat Angelicus, judicium hoc pacto injustum non est habendum pro judicio, & ideo contemnendum. Quod si Episcopus sub excommunicatione præcipiat Titio v. g. quod accipiat Bertam in uxorem post præmissa sponsalia, & Titio innotescat interponi aliquod impedimentum dirimens matrimonium, quod manifestare non potest, tunc solum est verum, quod pati potius debeat anathema hoc pacto injustum, quam accedere ad non suam, quod est intrinsece malum, ut habetur in cap. *Inquisitioni* de sent. excommunicationis; & in cap. *Litera*, de Restitut. Spoliatorum. At si non est certum, quod sit intrinsece malum id, quod præcipitur, obtemperandum est, juxta doctrinam Augustini lib. 2. contra Faustum cap. 74. relatam in cap. *Quid culpatur* 23. q. 1. cum non excuset ab obtemperando sola probabilitas de præcepti injustitia; Et multo minus excusari possunt Janseniani, si præceptis Pontificiis non obtemperent, & excommunicationes contemnant; cum perspectissimum sit, justum, & rationabile esse, id quod iis injungitur; unde solum ex pertinacia, & obstinatione dicunt Censuras esse injustas. Hinc non ex hominum nequitia dicendi sunt ab Ecclesia per excommunicationem expulsi, dum non obtemperant;

perant; sed jure, ac merito ab Ecclesia ejiciuntur: Nec ullatenus sunt Deo, & Ecclesiæ per charitatem affixi, cum culpabiliter renuant mandatis Ecclesiæ se subjicere. Quod si vere censura hominem ligat, quoties servato juris ordine fertur, etiamsi ex prava intentione, vel odio Judicis erga subditum ea feratur, a fortiori censura ligat, quando sanctissime lata est adversus contumaces, quamvis isti ad excusandas excusationes in peccatis dicant, se injuste ligari.

Ex quibus sequitur primo, quod Excommunicationis metus debeat nos impedire etiam ab operationibus cæteroqui de se debitis, quamvis probabiliter illa reputetur injusta; & a fortiori si evidenter sit justa, & ex pertinacia dicatur injusta, ut est excommunicatio lata in Jansenianos, qui pervicaciter dicunt ad se spectare, quod Jansenii doctrina propugnetur, perinde ac esset D. Augustini. Sequitur secundo, quod contra Pontificis auctoritatem se erigat, & Ecclesiæ unitatem scindat, non avero Apostolum imitetur, qui vult potius pati anathema, quod ipse aut putat, aut solum fatetur esse injustum, quam præceptis Ecclesiæ obtemperare. Sequitur tertio, Christum Dominum non sanare vulnus excommunicationis, quod hominem separat ab Ecclesia, etiam quando ex odio, nedum ex inconsiderato zelo fertur, dummodo fiat Juris ordine servato. At perfricta fronte, audacter, ac temere videtur in his thesibus indicari, quod excommunicationes adversus Jansenianos ex præcipiti zelo Pastorum Ecclesiæ latæ sint. Fixum itaque sit, quod Gregorius habet apud Gratianum 11. q. 3. cap. 1. *Sententia Pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est.*

PROPOSITIO XCIV.

Nihil pejorem de Ecclesia opinionem ingerit ejus inimicis, quam videre illic dominatum exerceri supra fidem fidelium, & foveri divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. *Quesnellus Roman. 14. 16. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Blasphemias in hac, & sequentibus thesibus congerit adversus Ecclesiam Quesnellus.

II. Pontifex in materia fidei, ac morum errare non potest, quando ex cathedra loquitur, etiam in quæstionibus facti.

III. Præsertim quia communius Theologi censent, esse objectum materiale fidei Conclusionem Theologicam erutam ex una præmissa de fide, & altera moraliter certa, ut in casu nostro.

IV. Multa ad factum hoc pacto spectantia definita de fide sunt a Pontificibus, & a Conciliis.

V. Codices non pauci pariter damnati sunt, quamvis id ad factum pertineret.

VI. Hæc autem non esse parvi, sed maximi momenti, nemo est, quin videat.

I. QUis non horreat audiendo blasphemias, quas in hac thesi congerit Quesnellus, videlicet Ecclesiam ipsam, non vero nonnullos ex fidelibus, malam de se opinionem ingerere inimicis suis, atque adeo illos scandalizare; Ecclesiam dominatum exercere supra fidem fidelium, ac schismata fovere propter res nullius momenti, quæ neque ad fidem spectant, neque ad mores? Ratio autem cur pessime de Ecclesia sentiat hac in re Quesnellus, videtur proculdubio esse, quia theses Jansenianæ in sensu ab Auctore intento proscribuntur; quod innovavit zelantissimus Pontifex in sua Bulla edita anno 1705. incipiente, *Vineam Domini Sabaoth*, damnando præter theses toties damnatas Jansenii, etiam obsequiosum illud Jansenianorum silentium, decernens, *damnatum in quinque propositionibus Janseniani libri sensum, quem illarum verba præseferunt, ab omnibus Christifidelibus ut hæreticum non ore solum, sed & corde rejici, ac damnari debere; nec alia mente, animo, aut credulitate Formulæ subscribi licite posse.* Cum enim Janseniani virus in corde retinerent, & clanculum illud in perniciem fidelium late diffunderent, opus fuit ea Bulla iterum ferro, ac flamma Jansenianam hanc Hydram confodere. Hac de causa Quesnellus veluti insaniens in medicum, tot blasphemias in Ecclesiam ipsam eructat in hac thesi, aliasque plurimas in sequentibus, dicendo, quod jam senuerit, dum lingua quodammodo peregrina veritates Catholicas prædicat; quod Prædicatoribus veritatis sit adversa; quod membra illa, quæ arctissime conjuncta sunt Ecclesiæ, respiciat, ac tractet perinde ac si essent sejuncta; quod homines magis Christo conformes, tanquam hæreticos, insectetur; quod pervicaciter agnoscere nolit errores suos; quod eo devenerit, ut veritatem, ejusque sectatores persequatur. Ecquis audiat sine stomacho hæc, quæ de terrestri Hierosolyma Quesnellus effutit, quæ Babylonis sunt propria?

Ecclesia, quæ Sponsa Christi est, ejusque sanguine purificata, in qua neque maculam est reperire, neque rugam, poterit scandala disseminare, schismata fovere, ac supra fidem fidelium dominari, præcipiendo tam rigide, quæ nullius momenti sunt, nec ad fidem spectantia, neque ad mores? Pudet me Theologicis rationibus hæc omnia confutare. Quis enim non videat, nisi in ipso Sole caliget, maxime ad fidem, & ad mores spectare, quod silentium Jansenianorum, quod jactitant obsequiosum, tanquam insidiosum, ac maxime fidei, ac moribus capitale, aqua, & igni iis interdiceretur? Si scandalum inde promanat, Pharisaicum est, & passivum, cum nequeat ab Ecclesiæ sanctitate activum scandalum oriri. Non aliæ divisiones his proscriptionibus causantur ab Ecclesia; nisi illæ, quæ Hæreticos a Catholicis separant; nec alius dominatus exercetur supra fidem fidelium, nisi qui ad fidem tuendam maxime confert.

II. In eo toti sunt Janseniani, quod ad factum pertineat, num Jansenius theses proscriptas in sensu hæretico docuerit, an in sensu non proscribendo. Quare cum in forma juramenti ab Alexandro VII. præscripta dicantur damnari, ac rejici theses ex libro Jansenii excerptæ in sensu ab eodem Authore intento, & in iis, quæ ad factum pertinent, possit Pontifex errare; (qui solum in iis, quæ ad fidem, & mores spectant, ex assistentia Spiritus Sancti nec falli, nec fallere potest) sequitur, quod ea, quæ præcipiuntur spectantia ad sensum a Jansenio intentum in iis thesibus, & in ordine ad formulam juramenti sincero animo præstandam, videantur malam ingerere opinionem de Ecclesia ejus inimicis, per hoc quod dominatum

exer-

exerceat supra fidem fidelium, ac divisiones foveat in iis, quæ nec fidem lædunt, nec mores.

Verum, licet possit errare Pontifex tanquam Doctor privatus, immo etiam tanquam habens Pontificiam dignitatem, in quæstionibus facti particularis, puta num hic, vel ille sit dignus Episcopatu, vel Purpura, num sit reus alicujus criminis, num excommunicatus, num deponendus? at in quæstionibus facti, quæ ita sunt permixtæ quæstionibus juris, ut a negatione facti rite inferatur negatio juris, Pontifex loquens ex Cathedra errare non potest; quia hæc etiam infallibilitas est necessaria ad commune bonum Ecclesiæ, ejusque rectum regimen; quo spectant promissiones Divinæ de assistentia Spiritus Sancti: E. gr. spectat ad factum, Num hæc Sacra Scriptura vulgata contineat doctrinam fidei? Num libri Lutheri, & Calvini contineant doctrinam fidei contrariam? Num D. Ignatius pie vixerit, adeo ut possit in album Sanctorum ascribi? & alia id genus; quia tamen facta isthæc connectuntur cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores pertinentibus, ideo ad bonum Ecclesiæ regimen, & ad bonum fidei spectat, ut in iis Pontifex errare non possit; si enim erraret, quod hæc Scriptura vulgata contineat doctrinam fidei, errare posset in iis omnibus, quæ in ea Scriptura dicuntur esse a Deo revelata. Similiter si erraret in eo facto, quod hic liber Calvini contineat hæresim, erraret in eo, quod dicantur esse contra fidem nonnulla, quæ in eo libro continentur, & si erraret in hoc quod D. Ignatius obierit in osculo Domini, erraret in hac quæstione ad mores spectante, quod sit sacer, & salutaris cultus Duliæ, qui D. Ignatio tanquam Dei servo exhibetur. Et ideo fere communissime docent, quod in canonizatione Sanctorum errare non possit. In casu autem nostro, si Pontifex erraret in hoc, quod theses illæ in libro Jansenii contentæ in sensu, quem illarum verba præseferunt, & ab Auctore intento, sint hæreticæ, erraret in iis quæstionibus juris ad fidem spectantibus, quæ in eo libro continentur, videlicet quod interiori gratiæ nunquam resistatur, quod ad meritum, & demeritum sufficiat libertas a coactione, &c. Idemque dicas de aliis hæreticorum libris, qui ratione doctrinæ erroneæ proscribuntur. Illud tamen intercedit discrimen inter libros hæreticorum, puta Calvini, Lutheri, & libros Jansenii, quod ex iis satis constet, eos fuisse hæreticos, imo & Hæresiarchas, quin constet, quod ab hæresi recesserint; at ex libris Jansenii solum constat, quod hæreses illas docuerit, non tamen omnino constat, quod contumaciter adversus Ecclesiam usque ad mortem eas docuerit; etenim in suo ultimo testamento diserte dixit, omnia se submittere judicio S. Matris Ecclesiæ. Et in Procemio ad tom. 2. cap. 29. habet: *Quicquid ab ista Petri Cathedra, ab isto Ecclesiæ universæ Capite, Moderatore, Pontifice præscriptum fuerit, hoc teneo: quicquid improbatum, improbo, damnatum, damno, anathematizatum, anathematizo:* Quicquid sit an in speciem tantum ea dixerit, & ad effugiendas Censuras Ecclesiasticas; quod multi non temere arbitrantur. Cum enim passim aperte docuerit Bajanas theses, non semel a Pontificibus proscriptas, protestatio illa videtur fuisse contraria factis.

III. Ubi adverte, quod communius Theologi doceant, esse objectum materiale fidei Conclusionem theologicam erutam ex una præmissa de fide, & altera moraliter certa: Ex. gr. ex hac præmissa de fide, Quod Conciliis Oecumenicis definitur, est de fide: & ex hac alia moraliter tantum certa, quod Tridentinum fuerit Concilium Oecumenicum, infertur tanquam objectum materiale fidei, de fide esse quæcunque a Tridentino definita sunt. Similiter ex hac præmissa de fide, Quæcumque Tridentinum definit, sunt de fide; & ex hac alia, quæ est tantum moraliter certa, videlicet, Hæc, quæ habentur in hoc Codice, (qui apud omnes dicitur continere quæ Tridentinum docuit) sunt definita a Tridentino, infertur hæc consequentia, quæ est objectum materiale fidei, videlicet quod de fide sint, quæ in hoc Codice dicuntur definita a Tridentino. Quamvis autem nonnulli putent, Conclusionem, quæ descendit ex una præmissa revelata, & altera moraliter certa, non esse objectum materiale fidei, antequam ea definiatur ab Ecclesia; docent tamen omnes, quod ea Conclusio saltem sit proxime definibilis, & quod sit de fide post Ecclesiæ definitionem.

In casu itaque nostro, ex hac præmissa moraliter certa, quod Jansenius usurparit verba, quæ in suo Codice habentur in sensu proprio, quem verba præseferunt; & ex hac alia de fide, quod quinque illæ theses, quæ in Codice Jansenii habentur, sint hæreticæ, infertur consequentia hæc, quæ censetur esse vel objectum materiale fidei, vel saltem proxime definibilis, Quod scilicet Jansenius docuerit theses hæreticales; atque adeo, quod theses illæ damnandæ sint in sensu ab Auctore intento. Et ratio est, quia, si quis hanc Conclusionem neget, non censetur negare præmissam illam moraliter certam, & evidentem, quod scilicet Jansenius usurparit theses illas in sensu, quem verba præseferunt; sed censetur negare alteram præmissam, quæ est de fide, & obscura, quod scilicet quinque illæ theses in Jansenii Codice contentæ sint hæreticales; & ideo jure merito censeretur esse hæreticus, qui diceret Jansenium non docuisse theses hæreticales. Quamvis enim id videatur pertinere ad quæstionem facti, at quæstio ista facti connectitur cum quæstione juris ad fidem spectante; unde potest ea esse objectum materiale fidei, & in ea decidenda Pontifex ex Cathedra loquens debet esse infallibilis. Hinc communiter dicimus esse objectum materiale fidei, quod Clemens XI. sit Vicarius Christi; quia de fide est, omnem Pontificem rite electum esse Christi Vicarium: est autem moraliter certum, quod Clemens XI. sit rite electus; propterea qui negaret Clementem XI. esse Christi Vicarium, non censeretur negare præmissam illam moraliter certam, & evidentem, quod scilicet sit legitime electus, sed censeretur negare præmissam illam, quæ est de fide, & obscura, quod scilicet omnis Pontifex legitime electus sit Christi Vicarius; & ideo qui negaret Clementem XI. esse Christi Vicarium, censeretur hæreticus; quia scilicet, quamvis hæc quæstio, Num hic sit verus Pontifex, spectet ad factum, connectitur tamen cum illa quæstione juris, Num omnis Pontifex rite electus sit Christi Vicarius; & ideo in hac quæstione facti reperitur infallibilitas; dummodo tamen ita moraliter constet de legitima Clementis XI. electione, ut nonnisi fatue, ac omnino temere a fidelibus negari possit. Quare cum nonnisi temere negari possit, quod Jansenius usurparit ver-

verba in sensu proprio, quem præseferunt, ideo qui negaret Jansenium docuisse theses hæreticales, censeretur negare quod quinque illæ theses proscriptæ, quæ in ejus Codice continentur, sint hæreticales. Quamobrem jure merito potuit Pontifex definire, quod theses Jansenii in ejus libro contentæ hæresim contineant secundum sensum, quem verba præseferunt; & jure merito requirit id, quod præscribitur in formula juramenti mox referenda; quod scilicet theses illæ ex libro Jansenii excerptæ in sensu ab Auctore intento damnentur. Etenim quamvis videatur id spectare ad quæstionem facti, quia tamen quæstio ista facti connectitur cum quæstionibus juris ad fidem, vel mores spectantibus, idcirco ea in re nequit Pontifex errare. Unde merito etiam requirit Pontifex, quod Janseniani non solum exterius formulæ illi subscribant, sed etiam corde credant, theses Jansenianas juxta sensum, quem præseferunt, esse hæreticas, & damnandas.

IV. His adde, multa ad factum pertinentia Pontifices, & Concilia definiisse, eo quod ad fidem Catholicam spectet, ea indubitanter credere, ver. gr. quod cum Corpore Christi non remaneat substantia panis in Eucharistia, quod Christus aquam vino miscuerit in ultima Cœna, quod Deipara semper Virgo permanserit, quodque ex speciali privilegio etiam venialia vitaverit, quod Ecclesia antiquissimis temporibus usa fuerit Indulgentiis, & similia, quæ Leo X. in sua Bulla contra modernos hæreticos definivit, ac postea etiam Tridentinum, quin hæretici ausi fuerint adversus has definitiones objicere, quod hæc spectent ad factum; quia non pertinent hæc facta ad paucos, in quibus solum potest Pontifex etiam ut Pontifex, seu ut habet Pontificiam jurisdictionem, errare, ut docet Bellarm. lib. 4. de Pontifice cap. 2. (v. gr. An hic Episcopus deponendus sit ab Episcopatu? an jure fuerit promotus? &c.) sed pertinent hæc facta ad totam Ecclesiam, & ad omnes fideles, a quibus credenda sunt; & ideo in definitione horum factorum Pontifex indiget assistentia Spiritus Sancti, ac proinde infallibiliter vera sunt, prout proponuntur credenda. Atqui pariter hoc factum, quod scilicet hæreticæ sint theses Jansenii, prout verba præseferunt, & in sensu obvio, quem in Jansenii libro habent, & qui ab eodem Jansenio intentus fuit, spectat ad totam Ecclesiam, ut possint hanc luem vitare fideles; ergo pariter infallibiliter verum est hoc, quod a Pontifice loquente ex Cathedra definitur, quamvis pertineat ad factum.

V. Adde ulterius, Pontifices, & Concilia consuevisse olim libros damnare, etiam juxta sensum Auctoris, quamvis id ad factum pertineret. Constat quippe ex actis Concilii Chalcedonensis, quod Synodus absolvere Theodoretum recusavit, quamvis abjurasset hæreses, quæ in Nestorii libro continebantur, nisi diserte diceret anathema Nestorio, & dogmatibus ejus. Et similiter in prima Synodo Nicæna pro hæreticis habiti sunt, & exilio mulctati Eusebius, & Theognis, qui quamvis subscriberent condemnationi errorum, qui dicebantur esse Arii, detrectabant tamen ipsi Ario dicere anathema, putantes, Arium eos errores non docuisse in sensu, quo proscribebantur. Hac eadem ratione Alexander VII. anno 1664. in sua Bulla decrevit, ut quinque illæ theses, quæ in libro Jansenii reperiuntur, in sensu ab Auctore intento damnarentur. Formula autem ab Ecclesiasticis omnibus, a Doctoribus, & Licentiatis, a Rectoribus Collegiorum, atque Magistris subscribenda hæc habet: *Ego N. Constitutioni Apostolicæ Innocent. X. datæ 31. Maji 1653., & Constitutioni Alexand. VII. datæ die 16. Octobris 1656. Summorum Pontificum me subjicio, & quinque propositiones ex Cornelii Jansenii libro, cui nomen, Augustinus, excerptas, & in sensu ab eodem auctore intento, prout illas per dictas Constitutiones Sedes Apostolica damnavit, sincero animo rejicio, ac damno, & ita juro. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.*

VI. Constat itaque falsum esse, quod ad fidem non pertineat id, quod in ordine ad theses Jansenii, & ad earum sensum a Pontifice ex Cathedra loquente definitur, & quod ab omnibus damnandum præcipitur sub censurarum interminatione. Aliter Ecclesia in suis definitionibus turpiter erraret, exercendo dominatum supra fidem fidelium, hoc est obligando fideles ad credendum, quod fidei adversentur ea, quæ nullatenus neque immediate, neque mediate fidem lædunt. Incassum proinde Quesnellus docet, hæc esse parvi momenti, quæ malam ingerunt de Ecclesia opinionem, & pariunt divisiones. Hoc idem olim Monothelitæ adversus Sophronium dictitabant, ut possent suas hæreses tueri. Quare adversus Quesnellum Ecclesia exprobrare poterit, quod habetur 3. Reg. 18. *Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus Patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, & secuti estis Baalim.*

ANACEPHALÆOSIS

Adversus Thesim XCIV.

Nonagesima quarta impudentissime de Ecclesia obloquitur, dum vult ab omnibus conspici, quod ea dominatum exerceat supra fidem fidelium, fovendo schismata propter res parvi momenti, quæ nec fidem, nec mores inficiunt; ut proinde pessima de ipsa ingeratur opinio hostibus suis. Quis hæc audiendo non inhorrescat? Quod Ecclesia, quæ est norma Sanctitatis, possit pravam de se opinionem ingerere, & aliis esse offendiculo: Quod eadem possit dominatum suum exercere supra fidem fidelium, ac divisiones fovere propter res, quæ ad ipsam non spectant, quis unquam Ecclesiæ infensissimus, ac perditissimus hostis effutire ausus fuit? Dominatum suum supra fidem fidelium exercet Supremus Hierarcha, definiendo tanquam Ecclesiæ Magister, quæ ab omnibus credenda sunt, & quidem præsidio Spiritus Sancti suffultus, ita ut errare non possit; quomodo ergo poterit dominatum istum cum aliorum scandalo exercere? Hoc equidem in votis habent Heterodoxi, quod in Ecclesia nullus daretur Supremus Controversiarum Judex, ut cuilibet integrum esset sentire, quod magis arrideat, atque ab interno privato spiritu edoceri, ac dirigi. Itaque vel vult Quesnellus, quod Pontifex dominatum suum exerceat in iis, quæ ad fidem, & ad mores pertinent; & cum non possit hac in re errare Magisterio Spiritus Sancti edoctus, nullatenus poterit aliis esse offendiculo, ac pravam de se opinionem ingerere hostibus Ecclesiæ: Vel vult, quod dominatum suum exerceat in iis, quæ ad fidem, ac mores

non spectant; & in tali casu erraret enormiter Pontifex, ac Ecclesia cum ipso; quod nemo Catholicus poterit de Ecclesia sentire; quandoquidem imperare, quod fide divina credantur, quæ ad fidem non pertinent, error est intolerabilis. Et sane si Cathedra Apostolica huic errori esset obnoxia, cur Ecclesia juxta morem antiquissimum in dubiis ad fidem spectantibus ad oraculum Pontificium semper confugit, ut ediceret, ac definiret, quod ab omnibus fidelibus fide divina credendum est? Cur superiore seculo universi ferme Galliæ Antistites ad Christi Vicarium Innocentium X. supplices miserunt libellos, ut dignaretur decernere, quid esset ab omnibus credendum in iis, quæ spectant ad quinque Jansenii theses? Quare sicut Ecclesia, utpote Organum Spiritus Sancti, in rebus fidei, ac morum errare non potest; ita eadem, utpote Una, & Sancta, (ut habetur in Symbolo fidei) quatenus Sancta est, non potest ita se gerere, ut scandalum præbeat, ac malam de se opinionem ingerat hostibus suis, turbas excitando propter res parvi momenti, quæ neque spectant ad fidem, neque ad mores: Et quatenus est Una, nequit divisiones fovere, sed unitatem; ut enim dicitur ad Ephes. 5. *Unus Deus*, *una Fides*, *unum Baptisma*.

Ex verbis hujus thesis facile est advertere, quo collineat Quesnellus, dum has blasphemias adversus Ecclesiam eructat. Decrevit Alexander VII. in sua Bulla edita anno 1664., quod Ecclesiastici omnes jurarent juxta formulam præscriptam se sincero animo rejicere, ac damnare quinque illas theses ex libro Jansenii excerptas in sensu ab Auctore intento; & Innocentius XII. eas in obvio sensu, quem in Iansenii libro habent, quique ab eodem Jansenio intentus fuit, damnatas esse pronunciavit; quod pariter in sua Bulla edita anno 1705. Clemens XI. confirmavit. Hinc Janseniani, ut suum Antesignagum ab hac nota liberarent, (quod scil. theses illas edocuerit in sensu proscribendo) in medium adduxerunt, quod definitio isthæc spectet ad quæst. facti, in qua Pontifex est errori obnoxius, non vero ad quæstionem juris, quæ fidem, aut mores concernat, in qua definitio Pontificia est ineluctabilis; & hac de causa in hac thesi dicitur Ecclesia exercere suum dominatum supra fidem fidelium, fovendo divisiones propter res, quæ nec fidem lædunt, nec mores. Sed errant, & vehementer errant: quamvis enim Pontifex errare possit in iis, quæ ad purum putumque factum spectant, & nullatenus ad fidem, v. gr. quod hic sit, vel non sit dignus Episcopatu; errare tamen non potest in iis, quæ ita ad factum spectant, ut de eo tota Ecclesia edocenda sit, ut fidei puritas, ac morum probitas in ea servetur. Hinc licet ad quæstionem facti pertineat, Num Nestorius fuerit hæreticus? quia tamen de hoc facto edocenda fuit Ecclesia in bonum fidei, idcirco Concilium Chalcedonense non solum damnavit hæreses Nestorianas, sed etiam voluit, ut Theodoretus post abjuratas hæreses, quæ in Nestorii libro continentur, diserte diceret anathema Nestorio, & dogmatibus ejus, antequam absolveretur. Et in Concilio Nicæno tanquam hæretici habiti sunt Eusebius, & Theognis, qui licet hæreses Arii damnarent, recusabant tamen anathema dicere Ario, quem dicebant ab iis erroribus immunem, eo quod theses illas proscriptas docuerit in sensu non proscribendo. Quare similiter in hac quæstione facti, Num in sensu proscribendo docuerit Jansenius in suo libro theses proscriptas, potuit Pontifex definire in bonum fidei, quod theses illas proscriberet in sensu intento a Jansenio, ut fideles omnes cavere possint a lethifera Jansenii doctrina, atque ab ejus Asseclis. Propterea Ecclesia exercendo hac in re suum dominatum supra fidem fidelium, illum non exercet propter res parvi momenti, quæ ad fidem, aut mores non spectant, nec fovet divisiones, nec pravam de se ingerit opinionem hostibus suis. Quod ex eo dilucide constare potest, quia Constitutionem regnantis Pontificis, *Vineam Domini Sabaoth*, in qua hæc omnia confirmantur, & obsequiosum Jansenianorum silentium reprobatur, tanquam rem ad fidem spectantem Episcopi omnes in tota Gallia expansis ulnis acceptarunt, necnon universus cœtus Cleri Gallicani, cui ipse Eminentissimus de Noaglies præerat, approbavit.

PROPOSITIO XCV.

Veritates eo devenerunt, ut sint lingua quasi peregrina plerisque Christianis, & modus eas prædicandi est veluti idioma incognitum: adeo remotus est a simplicitate Apostolorum, & supra communem captum fidelium: Neque satis advertitur, quod hic defectus sit unum ex signis maxime sensibilibus senectutis Ecclesiæ, & iræ Dei in filios suos. *Quesnel.* 1. *Cor.* 14. 21. *edition.* 1699.

PROPOSITIO XCVI.

Deus permittit, ut omnes Potestates sint contrariæ Prædicatoribus veritatis, ut ejus victoria attribui non possit, nisi Divinæ gratiæ. *Quesn. Act.* 17. 8. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCVII.

Nimis sæpe contingit, membra illa, quæ magis sancte, ac magis stricte unita Ecclesiæ sunt, respici, atque tractari tanquam indigna, ut sint in Ecclesia, vel tanquam ab ea separata; sed justus vivit ex fide, & non ex opinione hominum. *Quesnellus Act.* 4. 11. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCVIII.

Status persecutionis, & pœnarum, quas quis tolerat, tanquam hæreticus, flagitiosus, & impius, ultima plerumque probatio est, & maxime meritoria, utpote quæ facit hominem magis conformem Jesu Christo. *Quesnel. Luc.* 22. 37. *edit.* 1693. *&* 1699.

PROPOSITIO XCIX.

Pervicacia, præventio, obstinatio in nolendo aut aliquid examinare, aut agnoscere se fuisse deceptum, mutant quotidie quoad multos in odorem mortis id, quod Deus in sua Ecclesia posuit, ut in ea esset odor vitæ, ver. gr. bonos libros, instructiones, sancta exempla, &c. *Ques.* 2. *Corint.* 2. 16. *edit.* 1693. *&* 1699.

PRO-

PROPOSITIO C.

Tempus deplorabile, quo creditur honorari Deus, persequendo veritatem, ejusque discipulos, Tempus hoc advenit ...... Haberi, & tractari a Religionis Ministris, tanquam impium, & indignum omni commercio cum Deo, tanquam membrum putridum, capax corrumpendi omnia in societate Sanctorum, est hominibus piis morte corporis mors terribilior. Frustra quis sibi blanditur de suarum intentionum puritate, & zelo quodam Religionis, persequendo flamma, ferroque viros probos, si propria passione est excæcatus, aut abreptus aliena, propterea quod nihil vult examinare. Frequenter credimus sacrificare Deo impium, & sacrificamus diabolo Dei servum. *Quesn. Joan. 16. 2. edit. 1693. & 1699.*

SYNOPSIS.

I. Citra blasphemiam dici nequit, quod Ecclesia sit senio confecta.

II. Antiquæ hæreses hic recuduntur.

III. Error, & deceptio in Ecclesiam cadere non possunt, cum ea sit Catholica, seu Universalis, sit Sponsa Christi, sit Sancta, Domus Dei, Columna, & Firmamentum Veritatis.

IV. In æternum est perduratura; unde senescere, ac deficere non potest.

V. Ita Patres communissime.

VI. Et quæ a Patribus adversus Donatistas congeruntur, ea omnia militant adversus Jansenianos.

VII. Neque Ecclesia deficiet tempore Antichristi; Neque Synagoga universa in fide defecit; Et quamvis hæc potuisset deficere, non tamen Ecclesia.

VIII. Similitudines Scripturarum non debent in omnibus convenire. Hinc licet Lunæ comparetur Ecclesia, non tamen in ordine ad defectum.

IX. Ex quibus descendit falsitas omnium, & singularum thesium istarum.

X. Ecclesia debet esse Universalis seu Catholica, Sancta, & Apostolica; unde Ecclesia Janseniana est Ecclesia figmentum.

I. PErgit Quesnellus in his thesibus Ecclesiam Catholicam contemnere tanquam senio confectam, dicens in ea veritates esse plerisque fidelibus tanquam linguam peregrinam, ac modum eas prædicandi remotum esse a simplicitate Apostolorum, & supra fidelium captum. Ut autem Jansenianos tanquam legitimos Evangelii Prædicatores commendet, non solum Potestatibus Ecclesiasticis, sed etiam Sæcularibus est injuriosus, dicens, utrasque pugnare adversus istos veritatis Prædicatores, ut tandem victoria divinæ gratiæ ascribatur. Addit, persæpe despici tanquam indignos ut sint in Ecclesia, homines eidem Ecclesiæ arctissime conjunctos, qui tamen Christo Domino conformes fiunt, dum tolerant, quod tanquam Hæretici flagitiosi, ac impii habeantur. Docet etiam, ex obstinatione Pastorum provenire, quod in odorem mortis mutentur, quæ Deus in Ecclesia posuit, ut essent in odorem vitæ, prout sunt ex Quesnello libri, exhortationes, ac exempla Jansenianorum. Addit demum, incidisse nos in tempora maxime deplorabilia, dum credimus Deum honorari persequendo doctrinam Jansenianam; & putamus sacrificare Deo impios, ac veritatis Catholicæ perduelles, dum justi, ac servi Dei sacrificantur diabolo. Quæ omnia nonnisi ab Heterodoxis per summam injuriam Ecclesiæ objectari possunt. Uno tamen ictu simul hæc omnia confodienda sunt, ostendendo, Ecclesiam senescere, aut errare non posse in iis, quæ ad fidem, aut mores pertinent; erraret autem, si theses istæ Quesnellianæ subsisterent, ut est in confesso.

II. Ut altius inspiciatur, quod antiquæ hæreses iterum hic in medium adducantur; sciendum, Lutheranos, & Calvinistas putasse Ecclesiam jam senuisse, & indiguisse reformatione, ut in pristinum florem revocaretur. Primis quippe quingentis annis putant illam plene floruisse, deinde paulatim incepisse deficere a vera fide, ac religione, donec penitus defecerit, ac apostatarit, refloruisse tamen tempore Lutheranorum, & Calvinistarum, a quibus Ecclesia Reformata est pura, integra, incorrupta, sublatis Papistarum superstitionibus, & corruptelis. Verum ex opposito Catholici sic adversus Hæreticos raciocinantur: Vera Christi D. Ecclesia, quæ Una, Sancta, Catholica, & Apostolica est, errare in fide, ac deficere non potest; quamvis enim multi ex Ecclesia possint errare, ac de facto errarint, (Ariani negantes Christi divinitatem, Nestoriani asserentes duas in Christo personas, Euthychiani asserentes unam in Christo naturam, & alii innumeri) Ecclesia tamen universalis deficere in fide, seu in doctrina morum errare non potest; nisi velit quisquam Christum esse mendacem, qui dixit: *Portæ inferi non prævalebunt adversus eam*: ergo si primis quingentis annis fuit vera Ecclesia, non habens maculam, neque rugam, ut Adversarii ipsi fatentur, non potuit decursu temporis senio confici, deficere in fide, ac indigere reformatione. Quapropter quæcunque ab Hæreticis adversus Ecclesiam exprobrantur, & quæ in his thesibus Quesnellus objectat, omnino commentitia sunt, nec in veram Christi Ecclesiam cadere possunt; quippe quæ nec senescere, aut deficere potest, nec adversari Prædicatoribus veritatis, cum solum Prædicatoribus falsitatis possit esse contraria. Nequit etiam contingere, quod qui magis sancte vivunt, habeantur ab Ecclesia universa, & tractentur tanquam indigni, qui in ea sint; erraret enim Ecclesia ipsa: Sicut etiam si tanquam hæreticum, flagitiosum, & impium haberet Christi asseclam: necnon si ex pervicacia, aut præventione obstinate nollet aliquid examinare, ita ut agnoscat se fuisse deceptam; aut si in odorem mortis mutaret bonos libros, instructiones, & sancta exempla, quæ Deus posuit, ut in Ecclesia essent odor vitæ; ac demum si eo pervenisset, ut Ministri Religionis universim possent tanquam membra putrida habere, ac tractare homines pios, persequendo illos flamma, ferroque; ita ut frequenter credatur Deo sacrificari impius, dum diabolo sacrificatur servus Dei: etenim error hac in re, sive frequenter, sive semel tantum accidat, si a Ministris Religionis qua talibus universim proveniat,

non esset error hominis, aut doctoris privati, sed error, qui ipsi Ecclesiæ tribueretur; quod ex divina Providentia contingere non potest: Aliter de veritate fidei, & Ecclesiæ posset quilibet prudenter ambigere. Quomodo enim possent dici inexcusabiles, qui non credunt, quæ docet Ecclesia in ordine ad fidem, aut mores, si ea posset his erroribus subjacere.

III. Ostenditur autem, senectutem, defectum, hallucinationem, deceptionem, pervicaciam, obstinationem, aliaque in hisce thesibus contenta in Ecclesiam cadere non posse. Et primo quidem, quia vera Ecclesia est catholica, seu Universalis, non solum ratione loci, quatenus per totum orbem diffusa est, juxta illud Marci 16. *Euntes in mundum universum prædicate Evangelium omni creaturæ;* sed etiam ratione temporis, quatenus semper durabit, unde senescere non potest; dicitur enim Danielis 2. *Suscitabit Dominus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Secundo, quia est *Sponsa Christi*, indissolubili vinculo illi conjuncta, juxta illud Oseæ 2. *Sponsabo te mihi in sempiternum*; unde Cyprianus lib. de Unitate Ecclesiæ habet: *Adulterari non potest Sponsa Christi, incorrupta est, & pudica.* Tertio, quia est *Sancta*, tum quia ejus Sponsus Christus est Sanctus Sanctorum, tum etiam quia nemo in illam ingreditur, nisi sanctificatus per Baptismum, juxta illud 1. Cor. 6. *Hæc quidem fuistis, sed abluti, & sanctificatis estis*; tum pariter quia omnia ejus instituta, Sacramenta, ritus, & doctrina ad sanctitatem diriguntur, vel ut sancti efficiamur, vel ut in sanctitate crescamus, & conservemur; adeo ut Calvinus ipse lib. 4. cap. 1. §. 17. Ecclesiam vocet Sanctam, quia quotidie proficit in sanctitate, & ad metam sanctitatis aspirat. Quomodo autem cum Ecclesiæ sanctitate cohærere possunt, quæ in his thesibus dicuntur, non quidem de malis fidelibus, (qui profecto multi sunt in Ecclesia, vel ut convertantur, vel ut per ipsos boni exerceantur, ut habet Augustinus) sed de ipsa Ecclesia, quæ proinde dicitur senuisse; Quarto, quia Ecclesia est *Domus Dei;* in qua peculiari modo habitat Altissimus, & quam sibi ædificavit supra firmam petram nunquam ruituram, ut dicitur Matth. 16. Denique quia est *Columna, & firmamentum veritatis*, ut habetur 2. ad Timoth. 3. unde a veritate nunquam aberrare potest. Immo ex Calvino ipso ideo dicitur Columna veritatis, vel quia est fida *veritatis custos*, ut habet lib. 1. Instit. cap. 1. §. 10. vel quia *veritatem præconio suo celebrat, puram & sinceram retinet, ac ad posteros transmittit*, ut loquitur in Commentario; vel quia *veritatem tuetur, & propagat, ut a posteris in omne ævum colatur*, ut habet in cap. 43. Isaiæ. Quomodo ergo somniare poterunt Janseniani, quod Ecclesia senuerit, & ideo in eos errores collapsa sit, qui in his thesibus exponuntur?

IV. Confirmatur primo, tum ex illo Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi;* quomodo ergo poterit Ecclesia senescere, aut deficere? Tum etiam ex illo Isaiæ 61. *Fœdus perpetuum feriam eis, & scietur in Gentibus semen eorum, & germen eorum in medio populorum. Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos, quia isti sunt semen, cui benedixit Dominus.* Quare Isaias Ecclesiam vult esse perpetuam, adeo ut senescere, ac deficere non possit; cum dicatur: *Fœdus perpetuum feriam eis*; loquitur enim de Ecclesia visibili, cum etiam dicatur: *Omnes, qui viderint eos, cognoscent illos*, &c. Ubi Calvinus ipse in Commentario habet: *Differit Propheta de propagatione Ecclesiæ, quæ tunc velut in angusto terræ angulo conclusa erat, & postea propaganda per totum orbem, ita ut conspicua sit omnibus Gentibus.*

V. Confirmatur secundo ex Patrum consensu, qui Ecclesiam senescere, deficere, aut in doctrina fidei, aut morum errare non posse uno ore passim docent. Augustinus exponens versiculum illum Psal. 47. *In civitate Domini virtutum, in civitate Dei nostri*, quem intelligit de Ecclesia Christi, habet: *Sed forte ista civitas, quæ mundum tenuit, aliquando evertetur? Absit; Deus fundavit eam in æternum. Si ergo Deus fundavit in æternum, quid times, ne cadat firmamentum?* Chrysostomus serm. 25. in festo Pentecostes diserte docet Ecclesiam esse senectutis, ac rugarum expertem, dicens *Sanguis Christi irrigat Ecclesiam, & ideo plantaria ejus marcescere non possunt, nec amittunt folia arbusta ejus: Non tenetur temporum qualitate, sed Spiritus eam Sancti gubernat gratia, & ideo non senescit, nec contrahitur; & multis impugnantibus non opprimitur.* Ambrosius similiter in lib. de Salomone cap. 4. loquens de Ecclesia habet: *Etsi undarum fluctibus, aut procellis sæpe vexatur; tamen nunquam potest sustinere naufragium, quia in arbore ejus, idest in Cruce Christi, erigitur, in puppi Pater residet gubernator; proram Paraclitus servat Spiritus.* Infinitus propemodum essem, si adderem quotquot hac de re Patres unanimiter enunciant.

VI. Confirmatur demum ex iis, quæ adversus Donatistas docent Patres, quæ pariter militant contra Lutheranos, & Calvinistas, necnon etiam contra Jansenianos. Donatistæ, (ut refert Augustinus in lib. de hæresibus cap. 69.) quia Cæcilianus contra eorum voluntatem ordinatus fuerat Ecclesiæ Carthaginensis Episcopus, schisma fecerunt, ac deinde schisma verterunt in hæresim, dicendo Ecclesiam Catholicam, quæ prius fuerat toto orbe dispersa, postea periisse propter crimina Cæciliani, & in ea solum parte Africæ remansisse, quæ Donato adhærebat. Consimilis postmodum fuit hæresis Lutheranorum, & Calvinistarum dicentium Ecclesiam primis quingentis annis toto orbe dispersam, propter Pontificis crimina, (quem Antichristum appellarunt) omnino periisse, sed tandem in ea parte Europæ, quæ Luthero adhærebat, revixisse. His erroribus adhærent nunc theses istæ Quesnellianæ dicentes, Ecclesiam senuisse, denotando, quod solum vigeat apud Asseclas Jansenii, qui sunt Prædicatores veritatis, adversus quos omnes Potestates sunt contrariæ, ut eorum victoria attribui non possit, nisi divinæ gratiæ; Eos esse arctissime Ecclesiæ unitos, quamvis tractentur ut hæretici, ac flagitiosi; idque provenire ex pervicacia, & obstinatione eorum, qui nolunt agnoscere se fuisse deceptos; unde jam venit tempus deplorabile, quo pii homines a Ministris Religionis (videlicet ab Ecclesiarum Pastoribus, & ab ipsomet Pontifice loquente ex Cathedra) passione obcæcatis habentur ut membra putrida. Adversus has blasphemias adamussim quadrant, quæ fuse congerit Augustinus adversus hæresim Donatistarum. Satis sit hic referre, quæ habet in lib. de unitate Ecclesiæ cap. 12. *Si quis vobis evangelizaverit præterquamquod*

accepistis, anathema sit. Evangelizata est nobis Ecclesia per totum orbem terrarum futura; hoc in Lege, & Prophetis, & Psalmis esse prænunciatum ipse Dominus testificatus est. Aliud autem evangelizat, qui periisse dicit de cætero mundo Ecclesiam, & in parte Donati in sola Africa remansisse: Ergo anathema sit. Nos similiter dicimus: Aliud evangelizat, qui Ecclesiam dicit senuisse, & Prædicatoribus veritatis esse contrariam, ac solum in parte Jansenii remansisse: ergo anathema sit. Huc etiam facit, quod habet Augustinus tr. 4. in Jo: dicens: *Innumerabiles sunt, qui se videntes non solum jactant, sed a Christo se illuminatos videri volunt; sunt autem hæretici.*

VII. Opponitur autem primo, quia Ecclesia tempore Antichristi deficiet, ut colligitur ex verbis Apostoli 2. Thessal. 2. *Nisi venerit discessio primum, & revelatus fuerit homo peccati*; ergo nil mirum, quod Ecclesia jam de facto senuerit.

Confirmatur, quia Synagoga Judæorum sæpe defecit a fide; ergo pariter senescere, ac etiam deficere poterit Ecclesia. Antecedens probatur; defecit enim Synagoga tempore Mosis, quando omnis populus vitulum adoravit, Exodi 32. Defecit tempore Eliæ, quando solum ipse remansit fidelis; ut dixit 3. Reg. 19. *Derelictus sum ego solus, & quærunt animam meam, ut auferant eam.* Defecit tempore Isaiæ, quando omnis populus a Deo recessit; dicitur enim Isaiæ 1. *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui; Israel autem me non cognovit:* Necnon tempore Jeremiæ, qui cap. 2. dixit: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas.* Defecit etiam in morte Redemptoris, quando lex vetus cum suis cæremoniis expiravit.

Respondeo, tempore Antichristi multos quidem fideles defecturos a fide, non tamen omnes, ita ut dicatur Ecclesia defecisse, ut constat ex verbis illis Matth. 24. *Ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi:* in hoc itaque sensu interpretanda sunt verba laudata Apostoli, quamvis nonnulli Expositores cum D. Hieronymo epist. 151. doceant, iis verbis significari, quod adventum Antichristi præcedere debeat discessio, non quidem a fide, sed ab Imperio Romano, quatenus omnes Gentes, quæ Romano Imperio subjacent, recedent ab eo. Hæc enim habet Hieronymus: *Nisi fuerit Romanum Imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet, qui ideo venturus est; ut Antichristum destruat.*

Ad Confirmationem, primo falsum est, Synagogam universam in fide defecisse. Nam tempore Mosis Levitæ, & Sacerdotes non defecerunt, ut constat ex iis verbis Exodi 32. *Videns ergo Moyses populum ait: Si quis est Domini, jungatur mihi; congregatique sunt ad eum omnes Filii Levi;* qui, ut habetur Num. 3. erant vigintiduo millia. Neque defecit tota synagoga tempore Eliæ, Isaiæ, aut Jeremiæ; etenim non solum in regno Juda plures Reges fuerunt probi, & veri Dei cultores, ut Asa, Josaphat, Joathan, Ezechias, Josias, sub quibus vera religio conservabatur; (quinimo sub malis Regibus in templo Salomonis semper mansit usus sacrificiorum secundum legem Mosaicam usque ad captivitatem Babylonicam) sed etiam in Regno Jeroboam, in quo idola publice colebantur, plurimi erant veri Dei adoratores. Etenim quando Elias putabat se solum remansisse, audivit a Deo 3. Reg. 19. *Dereliqui mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal.* Neque demum defecit tempore mortis Christi Domini, quia tunc cæremoniis, & sacrificiis legis veteris successit Ecclesia Christi, tanquam figuratum ad figuram, & lux ad umbram.

Deinde transmisso, quod Synagoga potuerit a vera fide deficere, non sequitur, quod pariter possit deficere Ecclesia, quæ promissionem habet a Christo Domino de sua firmitate, & stabilitate; Præsertim quia Ecclesia ita est Catholica, & universalis, ut extra illam nemo salvus esse possit; unde si tota deficeret, nemo salvari posset. Contra vero Synagoga non erat Catholica, & universalis; etenim extra illam homines salvari poterant, ut Ninivitæ, & alii; unde quamvis tota deficeret, adhuc remaneret modus, quo homines possent salutem consequi.

VIII. Opponitur secundo id, quod dicitur Danielis 9. *Deficiet hostia, & sacrificium*, quod interpretantur nonnulli de Ecclesiæ defectione.

Confirmatur, quia in scripturis Ecclesia comparatur Lunæ; quare cum Luna aliquando deficiat, nil mirum, quod possit aliquando Ecclesia senescere, ac deficere. Quinimmo quod de facto senuerit, videtur ex eo inferri, quod modus prædicandi veritates sit veluti idioma incognitum, remotus a simplicitate Apostolorum, & supra captum fidelium.

Respondeo illud Danielis ab Expositoribus intelligi de defectione synagogæ, prout modo explicavimus, non de defectione Ecclesiæ; cum de fide sit hanc deficere non posse.

Ad Confirmationem; Similitudines non debent in omnibus convenire; sic Beatissima Virgo passim comparatur Lunæ, quin tamen illa unquam defecerit, sicut deficit Luna. Quare in eo Ecclesia Lunæ æquiparatur, quod sicut Luna lumen accipit a sole, ita Ecclesia lumen fidei, & sanctitatis a Christo: unde Augustinus in Psalm. 10. dixit: *Luna intelligitur Ecclesia, quod suum lumen non habeat, sed ab Unigenito Dei Filio, qui multis locis in Sanctis Scripturis allegorice sol appellatus est, illustretur.* Præterea sicut Luna in principio mensis exigua est, ac paulatim crescit quousque sit plena, ac perfecta; ita Ecclesia in sui ortu in exigua orbis parte cœpit, ac deinde in universum orbem propagata est. Et ideo Augustinus exponens illud Psalm. 103. *Fecit Lunam in tempora*, habet: *Intelligimus spiritualiter Ecclesiam crescentem de minimo.* Denique sicut luna modo lucida est, modo tenebrosa; ita Ecclesia modo pace fruitur, modo persecutiones patitur, ut notat Ambros. lib. 4. Hexamer. cap. 2. dicens: *Ecclesia tempora sua habet persecutionis, & pacis; nam videtur sicut Luna deficere, sed non deficit. Obumbrari potest, deficere non potest.*

IX. Ex quibus constat primo, erroneum esse, quod in argumento additur, & habetur in thesi 95. videlicet quod Ecclesia senuerit; quod in ea veritates non prædicentur amplius lingua Apostolorum. Possunt quidem multi in Ecclesia & verbo, & exemplo a vestigiis Apostolorum discedere; Ecclesia tamen ab iis discedere non potest. Etiam quando hæresis Ariana vigebat, adeo ut, teste Hieronymo, *ingemiscens terrarum orbis Arianum se esse miratus sit*, Ecclesia Romana fidem suam conservabat, & mo-

& modum prædicandi veritates ad normam Apostolorum. Quare licet multi in concionibus modum prædicandi non raro teneant remotum a simplicitate Apostolorum, & supra captum fidelium, Ecclesia tamen his defectibus subesse non potest.

Constat secundo, erroneam pariter esse thesim *96.* dum dicit, Deum permittere, quod prædicatoribus veritatis omnes potestates sint contrariæ. Nam si nomine Prædicatorum veritatis intelliguntur Janseniani, falsum est, quod veritates prædicent, quando prædicant sententias ab Ecclesia damnatas, & quas impudenter dicunt esse Augustini, perperam illum interpretantes: falsum pariter est, quod Deus permittat omnes Potestates, videlicet Ecclesiasticas, & sæculares, esse illis contrarias: cum Deus dicatur permittere solum peccata, & quæ peccata non sunt, dicatur velle, ac intendere: est autem valde laudabile, quod omnes Potestates Jansenianis thesibus sint contrariæ; unde Deus hoc non permittit, sed intendit. Quod si nomine Prædicatorum veritatis venirent concionatores Evangelici, aut Pastores Ecclesiæ, falsum est, quod omnes potestates istis sint contrariæ; cum non possint esse contrariæ veritatibus Evangelicis: alioquin posset Ecclesia deficere.

Constat tertio, erroneam etiam esse thesim *97.* dum dicit, nimis sæpe contingere, quod membra Ecclesiæ unita tractentur tanquam ab ea separata. Falsum quippe est, quod Janseniani, (qui hic denotantur) dum docent theses ab Ecclesia damnatas, sint membra Ecclesiæ unita; falsum pariter est, quod possit Ecclesia universa habere tanquam membra a se separata, quæ sunt sibi conjuncta; seu tractare tanquam infideles eos, qui veritates Evangelicas prædicant: quandoquidem in fide erraret. Quod si dicatur, nimis sæpe contingere, non quidem quod Ecclesia universa, sed quod Ecclesiæ Ministri, & ipse Summus Pontifex habeat tamquam membra separata ab Ecclesia, quæ sunt illi arcte conjuncta: hoc pariter & Ecclesiæ, & Sanctæ Sedi est valde contumeliosum, ac aperte falsum; præsertim in materia, de qua est sermo: id quippe mirum quantum divinæ providentiæ erga Ecclesiam Sponsam suam dilectissimam derogaret.

Constat quarto, erroneam similiter esse thesim 98. dum dicit maxime meritorium esse, quod quis toleret se haberi ut hæreticum; falsum quippe est, quod possit Ecclesia universa habere ut hæreticos eos, qui veritates a Deo revelatas sectantur, ac prædicant sive verbo, sive exemplo; & quamvis possit aliquando a nonnullis haberi aliquis per summam injuriam ut hæreticus, ad divinam providentiam spectat, non permittere, quod plerumque, aut nimis sæpe id contingat, ne error aliquis in fide subrepat. Falsum pariter est, quod meritorie posset quis tolerare, quod ut hæreticus habeatur; cum teneatur quilibet hanc de se opinionem ab aliorum mente depellere, tum in obsequium fidei, tum etiam ad scandalum vitandum.

Constat quinto, erroneam pariter esse thesim nonagesimam nonam, quæ vult, ex pervicacia Pastorum Ecclesiæ, & ex eorumdem obstinatione (quatenus nolunt aut examinare quod definiunt, aut agnoscere se fuisse deceptos) oriri, quod in odorem mortis mutentur, quæ Deus in Ecclesia posuit, ut essent in odorem vitæ: falsum quippe est, quod isthæc pervicacia, obstinatio, deceptio possit in Ecclesiam cadere. Falsum etiam est, quod damnari possint ab Ecclesia, seu a Pontifice ex Cathedra loquente tanquam scatentes erroribus sive in fide, sive in doctrina morum codices, instructiones, aut exempla, quæ revera horum errorum sunt expertia, & redolent sanctitatem: in utroque enim casu portæ Inferi adversus Ecclesiam prævalerent.

Constat denique, erroneam similiter esse thesim centesimam, dum vult advenisse jam tempus deplorabile, quo credatur Deus honorari infestando veritatem, ejusque discipulos; quatenus denotare vult Quesnellius, quod Ecclesia falso credat honorari Deum, dum persequitur doctrinam Jansenianam, ejusque discipulos: Dum etiam vult, quod Ministri Religionis, atque adeo ipsa Ecclesia universa habere, & tractare possit tanquam membra putrida a quibus aliorum corruptio timeri possit, homines pios: Quod sub prætextu zeli possit viros probos flama, ferroque persequi: Quod possit passione propria obcæcari, aut abripi aliena: quod possit nolle examinare, quæ ad fidem conservandam spectant: Ac demum, quod possit ex hallucinatione sacrificare Dei servum diabolo, dum putat Deo impium sacrificare. Hæc enim omnia ferrent in Ecclesia senectutem, ac defectum, cui subesse non potest, ut jam ostendimus. Quinimmo nec possunt frequenter hæc accidere relate ad particulares Ecclesiæ Ministros; ac multo minus relate ad Pontificem, ut ostendimus, quippe id valde derogaret Divinæ providentiæ. Et quod spectat ad thesium confixionem, & ad sacrificandum Deo pium, declarando ex Cathedra illum esse hæreticum, nunquam id accidere potest ex assistentia Spiritus Sancti, præsertim quia locutioni Pontificiæ ex Cathedra illico accedit consensus saltem implicitus totius Ecclesiæ. Unde theses istæ Quesnellianæ toti etiam Ecclesiæ sunt injuriosæ.

X. Neque dicant Janseniani, veram Christi Ecclesiam apud ipsos esse, & quidem Reformatam, (ut olim Lutherani, & Calvinistæ jactitabant) se esse Prædicatores veritatis ad captum fidelium; ac se a nobis haberi ut hæreticos cum sint vere pii, ac pietatem in aliis foveant suis doctrinis, & exemplis.

Nam contra est, quia vera Ecclesia Christi Domini debet esse Catholica, & universalis, toto orbe diffusa, quæ semper durabit, prout a Christo Domino instituta est, & extra quam nemo salvus esse possit: At cœtus Jansenianorum vix in aliquibus Provinciis reperitur; nonnisi sexaginta ab hinc annis cœpit luem suam spargere Jansenius, quamvis haustam a Bajo, & prius a Calvino, cum quibus tamen non in omnibus convenit; & extra hunc cœtum homines olim certe salvabantur; aliter vera Ecclesia omnino olim defecisset, quod adversatur Christi promissioni. Quare multifariam constat, extra veram Ecclesiam esse Jansenianos.

Adde, quod Ecclesia vera debeat esse sancta ratione suæ doctrinæ, quænam autem sanctitas in cœtu Jansenianorum, qui tradunt doctrinam sanctitati repugnantem? videl. quod post peccatum detur generalis impotentia ad quodcunque opus bonum; quod sine gratia nihil boni operis cujuscumque generis fieri possit; quod peccator non sit liber nisi ad malum, sine gratia liberatoris; quod infallibiliter salventur, quos Deus vult salvare; & quod Christus Dominus nonnisi pro Electis sanguinem fuderit; quod non possit voluntas Gratiæ resistere; &

alia

alia hujusmodi innumera, quæ torporem animo inducunt, & socordiam, non vero excitant ad pias operationes; quicquid enim agant Electi, infallibiliter salvantur; unde frustra conantur, & satagunt, ut per bona opera certam faciant suam electionem.

Denique vera Ecclesia debet esse Apostolica, quæ scilicet ab Apostolis initium duxit, per Apostolos disseminata est per Orbem universum, & sequitur doctrinam Apostolorum: At Janseniana secta nonnisi paucis ab hinc annis ortum habuit, nec ab Apostolis disseminata est, & intra arctissimos fines continetur. Doctrinæ autem Apostolicæ est contraria. Nam 2. Petri 3. habetur, in Epistolis Pauli esse multa difficilia, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas. Janseniani ex opposito docent, Scripturæ lectionem esse pro omnibus: Apostolus 1. Timoth. 3. dicit Deum velle omnes homines salvos fieri; Janseniani vero, quod solum Electos velit salvos esse. Negant Apostoli gratiam necessitare, Christum Dominum solum pro Electis mortuum esse; fidem aliter justificare, quam dispositive & alia innumera id genus, quæ Janseniani docent. Quare extra veram Ecclesiam esse dicendi sunt, & Prædicatores esse falsitatis, non veritatis, adeo ut jure merito omnes potestates sint illis contrariæ.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim XCV. usque ad C.

Nonagesimaquinta, & sequentes usque ad centesimam thesim alias plurimas evomunt blasphemias adversus Ecclesiam, de qua inter alia audacissime dicitur, quod det signa senectutis, atque adeo vergat ad interitum; cum tamen ex Christi promissione ea deficere non possit. Eo autem, si advertatur, videtur his blasphemiis collineare Quesnellus, ut Ecclesiæ auctoritatem, ac infallibilitatem infringat, quippe quæ ferro, ac flamma insectatur hæreses Jansenianas. Hoc autem ex eo fit perspicuum, quod hæc exarentur in Codice passim Jansenizante, quod idem aliis, aliisque phrasibus non semel obtrudatur, quod ansa ad hæc inculcanda arripiatur in illorum textuum explanatione, qui nullatenus ad hanc rem faciunt. Quare blasphemat in hisce thesibus primo Quesnellus, dum in 95. docet veritates Catholicas plerisque Christifidelibus esse ignotas, ac modum eas edocendi esse remotum a simplicitate Apostolorum, & supra captum communem fidelium; addendo, quod hoc sit signum senectutis Ecclesiæ. Quod attinet ad veritates necessario perdiscendas, ignotæ quidem illæ sunt nonnullis, qui voluntarie propriis passionibus obcæcantur; sed plerisque Christianis non possunt esse ignotæ; cum Christus Dominus promiserit se daturum nobis Spiritum, qui doceat nos omnem veritatem, dicens Jo. 16. *Cum venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*. Hinc ad Divinam spectat providentiam, quod nunquam Prædicatores in Ecclesia desint, qui modo captui fidelium consentaneo mysteria nostræ Religionis edoceant. Deinde quid horribilius fingi, aut excogitari adversus Ecclesiam potest, quam quod in ea dari possint, immo quod de facto dentur signa senectutis? Poteritne Ecclesiæ filius hæc audire, & non excandescere? Poteratne Supremus Ecclesiæ Pastor dissimulare, dum lues hæc in Codice Quesnelliano propinata per Galliam grassabatur? Etenim si senescere posset, pariter posset Ecclesia deficere. Siquidem ex Apost. ad Hebr. 8. *Quod antiquatur, & senescit, prope interitum est.* Ea autem deficere non potest; cum Christus Dominus dixerit Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.*

Blasphemat secundo in thesi 96. docens Deum permittere, quod omnes potestates Prædicatoribus veritatis sint adversæ. Jansenianis, utpote falsitatis præconibus, possunt Potestates omnes tam Ecclesiasticæ, quam sæculares adversari. At præconibus veritatis Catholicæ adversari nequit Ecclesiastica potestas. Cum enim Ecclesia ex Apost. 2. ad Tim. 9. sit *columna, & firmamentum veritatis*, solum erroribus potest esse adversa: Aliter erraret, & portæ inferi adversus eam prævalerent.

Blasphemat tertio docens in thesi 97. nimis sæpe contingere, quod habeatur tanquam indignus qui sit in Ecclesia, & tanquam ab ea sejunctus, qui arcto vinculo est illi conjunctus. Janseniani quidem contumaciter adhærentes erroribus Jansenii jure ac merito ab Ecclesia habentur tanquam membra recisa; at Justi nequeunt ita nimis sæpe tractari; cum nequeat hac in re Ecclesia errare præsidio Spiritus Sancti munita. Pervicaciter autem videtur hic supponi, quod Janseniani sancte, ac stricte sint Ecclesiæ uniti, ac in ejus sinu recepti.

Blasphemat quarto docens in thesi 98. ultimam plerumque probationem maxime meritoriam reponi in eo, quod quis toleret se haberi tanquam hæreticum. Etenim ad divinam providentiam spectat non permittere, ut id plerumque accidat; Et si aliquando id permittatur a Deo, tolerantia ista non esset laudabilis; quilibet enim tenetur conari in obsequium fidei hanc de se opinionem ab aliis ejectare, juxta doctrinam Hieronymi, qui in causa fidei neminem vult esse patientem. Porro delirant Janseniani, si credant reddi se Christo Domino conformes per hoc, quod tanquam hæretici persecutionem sustineant, nolentes damnare Jansenii theses ab Ecclesia damnatas.

Blasphemat quinto docens in thesi 99. posse in Ecclesiam cadere in materia fidei deceptionem, necnon pertinaciam, & obstinationem in nolendo perquirere veritatem; sicut etiam, quod mutare possit in odorem mortis, quæ Deus posuit in Ecclesia in odorem vitæ ad fidem, & mores spectantia, nempe bonos libros, instructiones, & sancta exempla. Mentiturque etiam, dum supponit hujusmodi esse libros, & exempla Jansenianorum, quæ ab Ecclesia damnantur.

Blasphemat sexto docens in thesi 100. advenisse tempus deplorabile, quo Ecclesia veritatem persequatur. Tempus hoc advenire non potest, supposita Christi promissione de non deserenda sponsa sua. Erroneas autem Jansenii theses Ecclesia persequitur, earumque propugnatores; & in hoc vere Deum honorat.

Blasphemat denique, dum ibidem vult posse Religionis ministros habere aliquem tanquam membrum putridum, & a consortio fidelium segregandum, tanquam disseminantem verbis, ac scriptis, necnon libris in lucem malignam editis doctrinas erroneas, ac hæreseos nota inurendas, quando

doctrina, quæ in vulgus disseminatur, non est hujusmodi. Etenim si posset Ecclesia, seu Pontifex ex Cathedra loquens in rebus tanti momenti decipi, deficeret profecto illis infallibilitas in iis, quæ ad fidem, & mores spectant. Hinc non potest nisi cum summa vel temeritate, vel impietate affirmari, quod hac in re Religionis Ministri aut propria passione queant obcæcari, aut abripi aliena, aut cæco modo, ac nullo prævio examine hujusmodi res definire, ac sacrificare diabolo Dei servum, putantes Deo impium sacrificare. Propterea dum Ecclesia, seu Pontifex ex Cathedra theses Jansenianas hæreseos nota inurit, ac illarum sectatores anathematizat, fieri nequit, quominus Spiritus Sancti illustratio facem præferat, ne a via veritatis, & a semita justitiæ aberret; non enim potest Christus Dominus sponsam suam, nullam habentem maculam, neque rugam deserere; cum Oseæ 2. dicatur: *Sponsabo te mihi in sempiternum;* nec possint portæ inferi adversus illam prævalere.

PROPOSITIO CI.

Nihil Spiritui Dei, & doctrinæ JESU Christi magis opponitur, quam communia facere juramenta in Ecclesia; quia hoc est multiplicare occasiones pejerandi, laqueos tendere infirmis, & idiotis, & efficere, ut nomen, & veritas Dei aliquando deserviant consilio impiorum. *Quesnel. Matth.* 5. 37. *edit.* 1693. 1699.

SYNOPSIS.

I. Ne Janseniani cogantur jurare, quod ab ipsis damnetur doctrina Jansenii, reprobat Quesnellus Ecclesiæ usum exigentis in similibus casibus juramentum.

II. Olim in hoc plures Heterodoxi errarunt, perperam Scripturarum sensum interpretantes.

III. Nullo jure juramentum vetatur, ubi tres illos comites habeat, Veritatem, Judicium, & Justitiam.

IV. Usus Ecclesiæ fert, quod juramenta in gravibus caussis exigantur.

V. Fit satis auctoritatibus Scripturarum, quæ in oppositum objectantur, præsertim Christi Domini vetantis omnino juramenta.

VI. Est actus Religionis juramentum, nec de se ad peccatum impellit.

VII. Non est inordinatum, quod cultus Dei ad finem inferiorem immediatum ordinetur.

VIII. Juramentum non debet esse frequens, quippe quod non numeratur inter ea, quæ appeti possunt citra ullam præviam necessitatem, ut est Votum, & alia hujusmodi.

IX. Cederet in Dei irreverentiam juramentum, si passim usurparetur.

I. QUid mirum, quod ita male sentiat Quesnellus de juramentis, quæ passim ab Ecclesia exiguntur, cum tam male senserit in thesibus præcedentibus de ipsa Ecclesia. Sicut autem in iis docuit Ecclesiam senuisse, ac tractare ut impios, & hæreticos Prædicatores veritatis, perinde quasi possit deficere, & in materia ad fidem, & mores spectante errare; ita in hac ultima docet, Ecclesiam de facto errare in exigendis passim juramentis consuetis; quasi vero multiplicet occasiones pejerandi, & laqueos tendat infirmis, ac idiotis, efficiendo, ut Dei Nomen, ac veritas deserviant consilio impiorum. In sole ipso cæcutit, qui non videt, quid in postremis hisce thesibus Auctor contendat. Animos vult addere Jansenianis, ut contemnant excommunicationes, quibus coguntur injunctæ formulæ subscribere, in qua anathema dicitur quinque thesibus ex libro Cornelii Jansenii excerptis in sensu ab Auctore intento; & ideo docet, eas excommunicationes tanquam injustas non esse metuendas. Injustitiam autem harum excommunicationum suadere contendit, dum docet, Ecclesiam in hac re non sine scandalo exercere dominatum supra fidem fidelium, ac divisiones fovere propter res nullius momenti, quæ nec fidem lædunt, nec mores, quippe quæ ad factum pertinent, in quo potest Ecclesia decipi. Commendat deinde Jansenianos tanquam Prædicatores veritatis, & Ecclesiam contemnit tanquam senio confectam, ac oblitam simplicitatis Apostolicæ in tradenda doctrina fidei, & morum. Docet ex Divina permissione Jansenianos veritatis præcones ab omnibus Potestatibus exagitari, ac tanquam hæreticos haberi, quamvis arctissimam habeant cum Ecclesia necessitudinem. Libros Jansenianorum, eorumdemque instructiones, & exempla vult esse posita in Ecclesia, ut sint in odorem vitæ, & mutari in odorem mortis, dum passim damnantur, ac prohibentur; idque, quia qui eos proscribit, ex pervicacia, & obstinatione aut renuit eos examinare, aut renuit agnoscere se esse deceptum. Deplorat proinde præsentem Ecclesiæ statum, in quo a Ministris Religionis, & ab ipsomet Pontifice tanquam membra putrida habentur homines pietate conspicui. Ac postremo in hac thesi condemnat Ecclesiæ consuetudinem in exigendis passim communibus juramentis, ut sic Jansenianos ab omni liberet religione, si Ecclesiam jurejurando decipiant, & Apostolicæ Sedis providentiam fallant, dum præscriptæ formulæ subscribunt, ac jurant se sincero animo rejicere, ac damnare quinque theses ex libro Jansenii excerptas in sensu obvio, quem in eo libro habent, & qui fuit ab Auctore intentus, prout eas Sedes Apostolica rejicit, ac damnat; quamvis interius non judicent in eo Jansenii libro doctrinam hæreticam contineri. Propterea docet, juramenta hæc dare ansam perjuriis, ac laqueos tendere relate ad infirmos, & idiotas, qui nesciunt uti restrictione mentali Janseniana: Ac demum efficere, ut nomem, ac veritas Dei deserviant consilio impiorum, hoc est illorum, qui omnibus viis conantur luem Jansenianam extinguere. Hos quippe omnes pietatis, ac veritatis insectatores vult esse Quesnellus; ipse profecto cum suis Asseclis pientissimus, ac Apostolicæ veritatis Buccinator, dum sese Ecclesiæ Catholicæ hostem profitetur.

II. Quod Spiritui Dei, & doctrinæ Christi opponatur quodcumque juramentum, somniarunt olim plures ex Heterodoxis, videlicet Waldenses, Pseudoapostoli, Albanenses, Cathariftæ, seu Cathari, Anabaptistæ, & alii apud Suarium lib. 1. de Juramento cap. 4. Fundamentum hujus hæresis est, quia juramentum in veteri testamento videtur expresse a Deo vetari; cum dicatur Oseæ 4. *Neque juraveritis, Vivit Dominus;* Et Zach. 5. *Omnis fur judicabitur, & omnis jurans ex hoc similiter judicabitur.* Christus etiam videtur disertis verbis quodcumque

que juramentum prohibere; etenim Matth. 5. habetur: *Audistis, quia dictum est antiquis, Non perjurabis; reddes autem Domino juramenta tua: Ego autem dico vobis, Non jurare omnino.* Quare videtur opponi directe juramentum tam Spiritui Dei, quam doctrinæ Christi, qui quodvis juramentum, & in quacumque circumstantia videtur prohibuisse verbis illis: *Dico vobis, non jurare omnino*; Præsertim quia paulo post subdit: *Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non, quod autem his abundantius est, a malo est*; Quod pariter Jacobi 5. usque adeo prohibetur, ut videatur præceptum non jurandi omnibus aliis præceptis quodammodo anteferri; dicitur enim: *Ante omnia, fratres mei, nolite jurare neque per cœlum, neque per terram, neque aliud quodcumque juramentum*; Et inculcat deinde Christi doctrinam, dicendo: *Sit autem sermo vester, Est, est, Non, non*; Ac demum addit: *Ut non sub judicio decidatis*; hoc est ut non condemnemini in divino judicio. Videtur proinde non vacare culpa quodcunque juramentum, & ideo Spiritui Dei, ac doctrinæ Christi adversari. Hinc Clemens Romanus lib. 6. Constit. Apostol. cap. 11. habet: *Magister noster præcepit, ut neque per verum Deum juraremus*; *ut sermo noster firmior, credibiliorque ipso jurejurando haberetur*. Quamvis autem Quesnellus in hac thesi non videatur quodcunque juramentum improbare, sed solum juramenta, quæ passim ab Ecclesia exiguntur, ac præsertim juramentum, quod exigitur ab iis, qui præscriptæ formulæ subscribunt rejiciendo, ac damnando quinque illas theses Jansenii; nihilominus, cum dicatur in hac thesi, quod juramenta isthæc adversentur doctrinæ Christi Dom. qui videtur quodcunque juramentum vetuisse verbis laudatis Matthæi 5. idcirco Quesnellus antiquam hæresim in medium adducit, qua docebatur, quodcumque juramentum esse illicitum, spiritui Deo, ac doctrinæ Christi opponi, & ansam præbere perjuriis: si enim juramentum liceat, non est cur rejiciantur juramenta isthæc communia, spectata causæ gravitate.

III. Ostenditur tamen falsitas hujus thesis, quia juramentum secundum se neque jure naturali, neque jure positivo, neque in lege veteri, neque in lege gratiæ vetatur: quinimo si secum habeat adjunctos tres illos comites, de quibus fit mentio Jeremiæ 4. (videlicet Veritatem, Judicium, & Justitiam) est actus Religionis, & meritorius. Satis superque hæc veritas constare posset ex usu, & traditione Ecclesiæ, & ex Sanctorum exemplis: constat tamen etiam disertissimis Scripturis. Etenim Deuteron. 6. & 19. dicitur: *Dominum Deum tuum timebis, illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*. Et in Ps. 62. habetur: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Hinc passim Patriarchæ, & Prophetæ tam in tempore legis naturæ, quam scriptæ juramenta adhibuerunt; ut Abraam, Isaac, & Jacob Genes. 26. & 32. Moyses Deuter. 3. & 4. David, & alii Prophetæ non raro usurpabant verba illa, *Vivit Dominus*, quæ erat jurandi forma. Et ratio a priori est, quia juramentum, cum sit quædam divini Numinis invocatio, procedit ex vera fide, quod Deus sit prima veritas, quæ nec falli nec fallere potest; unde si secum habeat adjunctos comites, vid. veritatem, justitiam, ac necessitatem, est actus Deo obsequiosus, ac religiosus, & proinde meritorius. Propterea in secundo decalogi præcepto (Exodi 20.) non prohibetur juramentum; sed solum prohibetur, ne frustra, & in vanum nomen Dei assumatur.

Quod autem neque in lege gratiæ sit vetitum juramentum lege ulla positiva, constat tum ex eo, quod nullibi reperiatur prohibitum, ut ostendemus in responsione ad textus in contrarium adductos; tum etiam quia passim Apostolus adhibet juramenta: 2. ad Cor. 1. habet: *Ego autem testem Deum invoco in animam meam*: Ad Galat. 1. *Quæ autem scribo vobis, ecce coram Deo, quia non mentior*: Et ad Roman. 1. *Testis enim mihi est Deus*: Unde Isidorus lib. 2. sent. cap. 31. dicit: *Non est contra præceptum Dei jurare, sed dum usum jurandi facimus, perjurii crimen incurrimus*. Jurandi quippe consuetudo exponit hominem periculo jurandi absque tribus illis comitibus juramenti, & ideo exponit hominem periculo perjurii.

IV. Confirmatur hoc idem ex Ecclesiæ consuetudine, adversus quam disputare ex Augustino epist. 118. insolentissima est insania. Sæpe enim ab Ecclesia exiguntur juramenta tam in judiciis, ut videre est in Titulis de Jurejurando, & Testibus, quam ad abjurandam hæresim, ut constat ex titulo de Hæreticis, & ex Concilio Constantiensi in Bulla Martini V. & ex usu Sanctæ Inquisitionis; Interdum etiam juramenta exiguntur ad promittendam obedientiam, ad pacem confirmandam, ad confirmandos contractus, & ad similes casus; unde nequit dici, juramenta, quæ ab Ecclesia exiguntur, opponi Spiritui Dei, & doctrinæ Christi. Et ratio ulterior est, quia ex Apostolo ad Hebr. 6. juramenti necessitas habetur, ut omnis controversiæ sit finis, & confirmatio; hæc autem necessitas etiam in lege gratiæ habetur; unde etiam in lege gratiæ necessarium aliquando est, & ideo jure merito ab Ecclesia exigitur juramentum.

V. Ad locum ex Osee adductum in contrarium respondet Theodoretus, & Lyranus, ibi non prohiberi fidelibus, ne jurent per Deum vivum, sed prohiberi illis, qui ad idola colenda declinaverant, ne jurent per illa idola, tanquam per Deum vivum, quia sic profiterentur idolis illis competere rationem Dei viventis. Vel dicas cum Hieronymo, & Cyrillo, quod Deus nolebat a cultoribus Idolorum usurpari nomen Dei viventis; indigni quippe erant, ut illud pollutis labiis nominarent.

Ad id quod additur ex Zacharia, dicendum, ibi aperte vetari dumtaxat juramentum mendax, non vero quodcunque juramentum; statim enim subditur: *Veniet ad domum furis, & ad domum jurantis in nomine meo mendaciter*.

Quod attinet ad auctoritatem Christi D. quæ videtur negotium facessere verbis illis, *Nolite jurare omnino*, varii varia. Respondet primo Hieronymus, Christum solum prohibere juramentum per creaturas, prout consueverant Judæi jurare, videlicet per Cœlum, per Terram, per Hierosolymam; cum enim jurans veneretur eum, per quem jurat, ideo Judæi jurantes per creaturas venerabantur illas honore, & obsequio proprio Dei; quod certe prohibendum fuit. Hinc idem Sanctus Doctor exponens locum laudatum Matthæi habet: *Considera, quod hic Salvator non per Deum jurare prohibuit, sed per Cœlum, per Terram, per Hierosolymam?* &c. Respondet secundo Chrysostomus homil. 17. in Matthæum cum eodem Hieronymo, & Theophylacto, quod Judæis tanquam parvulis juramentum permittebatur, ut veritas jurejurando firmaretur: At in Lege Evangelica omnis sermo fidelis esse debet pro jurejurando, & ideo juramentum

pro-

prohibetur; Sicut prohibetur circumcisio, & immolatio victimarum in lege Evangelica, quæ in lege veteri erant Judæis consona. Respondent alii tertio apud Suarium loco laudato, prohiberi a Christo juramentum in rebus profanis, non in rebus sacris. Quarta responsio D. Bernardi Hom. 65. in Cant. cum aliis est, verba laudata Christi D. continere consilium, non præceptum: cum enim facile possit jurans labi ad jurandum sine omnibus tribus comitibus juramenti, ideo consilium videtur esse, abstinere potius ab omni juramento, quam exponere se alicui periculo labendi in juramentum indebitum. Sed quicquid sit de his responsionibus, quæ passim a Doctoribus impugnantur, responsio communior ex Augustino in lib. de mendacio cap. 15., & D. Th. 2. 2. quæst. 89. art. 2. est, a Christo D. prohiberi juramentum non necessarium, quia ex juramento non necessario fit transitus ad facilitatem jurandi, ex facilitate ad consuetudinem, & ex consuetudine jurandi in perjurium; & ideo, ut advertit Angelicus, non invenitur, quod Apostolus juraverit, nisi scribens, ubi consideratio cautior non habet linguam præcipitem. Quod autem hic fuerit sensus verborum Christi Dom. videtur constare ex iis, quæ addit dicens: *Sit sermo vester, Est, est, Non, non; quod autem his abundantius est, a malo est*, indicans, juramentum superadditum simplici assertioni non esse malum, sed esse a malo, hoc est oriri a malo, videlicet ab imbecillitate fidei humanæ, in cujus remedium adhibetur juramentum; quod proinde se habet instar pharmaci subvenientis humanis morbis: unde sicut pharmacum frequens est noxium, & solum in necessitatibus adhibendum est, ita juramentum. Quamvis enim per juramentum Deus honoretur profitendo ejus veritatem, dum invocatur in testem; nihilominus sicut in humanis invocatio Regis, aut Principis in testem tunc fert venerationem talis personæ, quando in necessitate invocatur; secus vero fert defectum reverentiæ debitæ, si levibus de causis ea testimonia invocentur: ita in casu nostro. Unde Christus D. juramenta isthæc non necessaria, & quæ levibus de causis fiant, omnino prohibet, non solum quia facile ex frequentia jurandi labi potest homo in perjurium; sed etiam quia summa reverentia Numini debita postulat, ut non de facili in testem veritatis invocetur. Quare præceptum Christi Dom. ut omnino ab juramento abstineamus, cadit duntaxat super omne juramentum incautum, & non necessarium.

Adde, præceptum hoc Christi Dom. de vitando juramento incauto continere etiam admonitionem, & consilium, ut abstineamus etiam a juramentis licitis, quoties non præcipiuntur, propter periculum, ne ex consuetudine jurandi labamur in perjurium, ut advertit Augustinus in epist. 104. ad Publicolam, & refertur in cap. 3. 22. qu. 1. ubi habetur: *In novo Testamento dictum est, ne omnino juremus, quod mihi non propterea dictum videtur, quia verum jurare peccatum est, sed quia pejerare immane peccatum est; a quo longe nos esse voluit, qui omnino ne juremus admonuit*. Quod pariter docuit Antiochus Abbas homil. 63. dicens, admonitionem, & adhortationem in iis verbis Christi Dom. contineri, ut non juremus omnino: Sic ex. gr. quamvis pugnare pro veritatibus Catholicis, & disputare adversus Hæreticos, ut ad veram fidem reducantur, sit de se laudabile; at jure merito prohibetur indoctis, ne has disputationes instituant, & consultum est, ut abstineant etiam ab iis colloquiis, quibus non facile Hæretici reducuntur, & periculum est, ut indocti in dubitationem aliquam de rebus fidei labantur. Similiter Sacras Scripturas legere, ac scrutari de se bonum est: at indoctis prohibetur, ne Scripturas in popularem linguam translatas legant sine facultate Episcopi, & consilio Parochi, vel Confessarii, eo quod ob hominum temeritatem plus detrimenti, quam utilitatis ex hac lectione hauriatur, ut dicitur in Regula 4. Indicis librorum prohibitorum.

Neque hinc inferas, prohibenda, non præcipienda esse ab Ecclesia communia juramenta, quæ pariter passim multiplicant occasiones pejerandi, & laqueos tendunt infirmis, & incautis. Nam sicut recte ab Ecclesia v. gr. præcipitur jejunium Quadragesimale, quamvis non raro hominum malitia inde ansam arripiat ad multiplicanda peccata; idemque dicas de aliis plurimis præceptis Divinis, & Ecclesiasticis; quia scilicet spectandum a Legislatore, quod est de se consonum, non vero quod inde sequitur per accidens ex hominum malitia: ita prorsus rationabiliter ab Ecclesia passim præcipiuntur communia juramenta, quamvis hominum malitia inde arripiat ansam pejerandi, quia de se consonum est, ut subsidium juramenti in rebus non levis momenti imbecillitati humanæ ab Ecclesia imponatur. Et per hæc patet responsio ad locum adductum Jacobi vetantis juramentum quodcunque, ne sub judicio decidamus: sicut etiam ad auctoritatem Clementis Romani.

VI. Opponitur, quod vetanda sint non solum quæ de se sunt mala, sed etiam quæ de se impellunt ad malum; quia, ut habetur Ecclesiastici 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*; atqui juramenta, quæ communiter ab Ecclesia exiguntur, impellunt ad perjurium: ergo vetanda sunt. Probatur minor, quia nisi juramenta de se ad malum impellerent, non esset ratio, cur a Christo Domino vetarentur, & a D. Jacobo verbis supra laudatis.

Confirmatur, quia intantum juramentum licite adhiberetur, in quantum esset actus Religionis intendens de se cultum Dei; at juramenta, quæ ab Ecclesia exiguntur, non ordinantur ad Dei cultum, seu ad venerandum Deum, per quem juratur, sed ordinantur ad fines inferiores, puta ad confirmandam humanam veritatem, aut pactum, vel foedus humanum, ergo juramenta ista non sunt actus virtutis religionis, nec habent debitum ordinem ad Deum. Confirmatur secundo, quia si juramenta ista essent actus Religionis, essent secundum se appetibilia, & exercenda etiam absque ulla necessitate, sicut votum, quod est actus religionis, de se meritorie nuncupatur; at juramenta exerceri non debent citra necessitatem, vel piam utilitatem; ergo non sunt actus religionis liciti, ac honesti.

Confirmatur demum, quia secundum se licitum, & honestum est actus religioni frequentare; atqui licitum, & honestum non est frequentare juramenta; ergo non sunt actus religionis; unde non debent ab Ecclesia exigi, præsertim quia multiplicant occasiones pejerandi.

Respondeo, communissimam esse Theologorum doctrinam cum Angelico 2. 2. qu. 89. art. 4., quod juramentum sit actus Religionis. Etenim Deuteron. 6. dicitur, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli*

soli servies, ac per nomen illius jurabis; unde ponitur juramentum tamquam actus pertinens ad latriam, & ad servitutem Deo debitam. Et ratio est, quia quamvis motivum inducens ad jurandum frequentius non pertineat ad virtutem religionis, sed ad firmandam fidem in verbis, vel pactis humanis; nihilominus sine Dei cultu, ac reverentia juramentum non exercetur; ad reverentiam enim Dei spectat, quod ejus sanctum nomen non invocetur sine necessitate & incaute; necnon quod dum invocatur Deus in testem, ejus summam veritatem, ac veracitatem credamus, ac profiteamur. Non est autem verum, quod juramentum de se impellat ad malum, nempe ad perjurium; quamvis si quis facile, & sine necessitate contra reverentiam Deo debitam juret; ex consuetudine ista jurandi sine causa sufficienti, facile labi possit ad pejerandum: & ideo a Christo Domino vetatur juramentum incautum, & non necessarium.

VII. Ad primam confirmationem diximus quomodo juramentum sit actus religionis, quamvis principale ejus motivum non sit cultus Dei, sed confirmatio veritatis. Non est autem inordinatum quod cultus Deo exhibitus in juramento ordinetur ad finem inferiorem; sicut non est inordinatum, quod Sacrificium Missæ v. g. ordinetur ad obtinendam salutem ægroti, quia quamvis quod est præstantius ordinetur ad finem inferiorem immediatum; at finis ultimatus, ad quem natura sua ordinatur tam veritas per juramentum confirmanda, quam valetudo ægroti per sacrificium obtinenda, est Dei gloria.

VIII. Ad secundam: Juramentum, ut advertit Angelicus loc. laud. non numeratur inter ea quæ de se sunt appetenda, sed inter ea, quæ sunt necessaria, sicut enim medicina quæritur solum ad subveniendum infirmitati; unde non debet esse frequens ejus usus, nec debet citra necessitatem sumi: ita juramentum quæritur ad subveniendum alicui defectui, quo scilicet unus homo alteri discredit; & ideo non debet esse frequens ejus usus, nec debet citra necessitatem adhiberi. Unde Augustinus lib. de ser. Dom. in monte dixit: *Qui intelligit non in bonis, idest per se appetendis, sed in necessariis jurationem habendam, refrænet se quantum potest, ut non ea utatur, nisi necessitas cogat*. Votum e contra est de se appetibile; & ideo non requiritur necessitas ulla, ut votum nuncupetur, & aliquid Deo gratum promittamus. Illud enim interest inter votum, & juramentum, quod in voto aliquid in Dei reverentiam ordinamus, quod de se semper est bonum; at in juramento ordinamus Dei invocationem, & assumitur reverentia Divini Nominis ad aliquid confirmandum: & ideo juramentum non est appetibile de se, sed supposita dumtaxat necessitate, instar pharmaci.

IX. Ad ultimam, sicut non est utile medicinam frequentare, quia si desit necessitas prærequisita, ea est noxia; ita non est utile, nec honestum frequentare juramenta, quia pariter cedit in Divini Numinis irreverentiam, quod citra necessitatem passim adhibeantur; non secus ac in humanis cederet in irreverentiam erga Principem, si passim citra necessitatem invocaretur ad aliquid testandum. Hinc Angelicus art. 5. ad 3. dixit: *Quanto juramentum magis est venerandum, tanto periculosius assumitur, si non cum debita moderatione inducatur*; Ad eum modum, quo pharmacum quo virtuosius, eo magis nocere poterit, si frequentius adhibeatur, quam necessarium sit. At quando aut juxta consuetudinem, aut juxta præceptum Ecclesiæ adhibentur juramenta, tunc procul dubio actus sunt religionis, nec carent necessitate prærequisita; unde non carent sua laudabilitate, honestate, ac merito; esto nonnullis per accidens ex propria eorum malitia cedant in laqueum, & in ruinam.

A N A C E P H A L Æ O S I S

Adversus Thesim CI.

Centesima prima, quæ postrema est thesium Quesnellianarum; improbat universim juramenta, quæ communiter omnibus, etiam idiotis, præscribuntur: Cum tamen certum sit, fuisse antiquissimum Ecclesiæ morem exigendi a fidelibus juramenta in rebus non levis momenti, puta in Judiciis, in Contractibus, in Abjurationibus, in promissionibus de stando mandatis Ecclesiæ, & similibus; dum autem conqueritur Quesnellus quod juramenta exigantur in Ecclesia communiter ab omnibus, etiam ab infirmis, qui facile in perjuria labuntur, & ab idiotis, qui nesciunt iniquis cavillationibus veritatem occultare, cæcus est, qui non advertit, quod obloquatur de Juramento, quod ab Ecclesiasticis in Gallia exigitur juxta formulam ab Alex. VII. præscriptam de rejiciendis, ac damnandis Jansenii thesibus in sensu ab Auctore intento. Docet hujusmodi juramenta Spiritui Dei, ac doctrinæ Christi D. maxime adversari, quippe quæ multiplicant pejerandi occasiones, & laqueos tendunt idiotis, ac efficiunt, ut venerandum Dei nomen impiorum machinis deserviat: Ubi illos tanquam impios denotat, qui conantur hac via Jansenianam luem ab Ecclesiæ finibus exterminare.

Errat itaque enormiter primo, dum consuetum totius Ecclesiæ modum exigendi ab omnibus indiscriminatim in rebus gravioribus juramenta, perfricta fronte audet condemnare. Etenim, ut Augustinus docet epist. 118. contra id, quod universalis Ecclesia facit, disputare, *insolentissimæ insaniæ est*.

Errat secundo docens, juramenta isthæc Dei Spiritui adversari. Etenim quod universim Dei Spiritui non adversentur juramenta, supposita causæ gravitate; nemo est qui dubitet: ea quippe Deus etiam præcepit Deuter. 6. & 10. dicens: *Dominum Deum tuum timebis, & illi soli servies, ac per nomen illius jurabis*. Et ratio est, quia juramentum (dummodo fiat *in veritate, in judicio, & in justitia*, ut dicitur Jerem. 4. seu in re, quæ putatur vera, ac justa, & ex gravi causa) est actus Religionis; unde Psal. 62. habetur: *Laudabuntur omnes, qui jurant in eo*. Quinimo Deus ipse juramento non semel usus est in rebus gravissimis. Dicitur enim Psalm. 109. *Juravit Dominus, & non pœnitebit eum*: & Luc. 1. *Jusjurandum, quod juravit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis*. Quod vero nec adversentur Dei Spiritui juramenta, quæ solent ab Ecclesia communiter exigi, (ac præsertim juramentum, quod exigitur ab iis, qui subscribere debent formulæ ab Alexandro VII. præscriptæ in ordine ad rejiciendas, ac damnandas Jansenii theses) satis est advertere ad causæ gravitatem, propter quam præscribuntur.

Errat tertio docens, juramenta doctrinæ Christi D. esse contraria. Etenim ex August. lib. de Mendacio cap. 15. & ex Angelico 2. 2. q. 89. ar. 2. a Christo D. solum prohibetur juramentum non necessarium, ex

ex quo periculum pejerandi imminet. Hinc juramento non semel usus est Apostolus, sed cum maturo consilio, dicens ad Hebr. 1. *Testis enim mihi est Deus ;* & ad Gal. 1. *Quæ autem scribo vobis , ecce coram Deo , quia non mentior.*

Errat quarto docens, juramenta, quæ ab Ecclesia rationabiliter exiguntur, multiplicare occasiones pejerandi, & laqueos tendere infirmis, & idiotis. Etenim non dicitur præbere occasionem peccandi, quod de se valde conducit ad bonum reipublicæ, quamvis inde sumatur peccandi occasio ex prava peccantis dispositione. Aliter non deberent vota nuncupari, nec injungi jejunia, quia sic ex votis, & præcepto jejunii multiplicantur occasiones peccandi ; quæ pariter ex quacunque lege hoc pacto multiplicantur, (quandoquidem, nisi daretur lex, non daretur legis transgressio, & consequenter neque daretur peccatum ; unde ad Rom. 7. dicitur : *Peccatum non cognovi , nisi per legem*) At non proinde leges, quæ de se respiciunt bonum communitatis, non sunt ferendæ : Ita juramenta, quæ ab Ecclesia solent exigi, cum respiciant bonum sive fidei , sive pacis , sive aliud bonum, non dicuntur revera multiplicare occasiones pejerandi, quamvis nonnulli ex propria imbecillitate inde pejerandi ansam arripiant . Scandalum quippe in hoc casu non est datum ; sed acceptum ; sive dicatur esse scandalum Pusillorum proveniens ex ignorantia, vel infirmitate pejerantis , sive potius Pharisaicum proveniens ex ejusdem malitia ; unde non habet rationem scandali : Sicut non habet rationem scandali Divina Misericordia , quamvis ea multi abutantur , arripiendo peccati occasionem ex spe veniæ.

Errat denique Quesnellus, dum docet juramenta isthæc efficere, ut nomen, & veritas Dei deserviant consilio impiorum. Etenim si ad id deservirent, scandalum, ut ostendimus, non esset datum, sed acceptum, & revera Pharisaicum; ad eum scilicet modum, quo ex Christi prædicatione ansam Pharisæi arripiebant carpendi ejus dicta ; & tamen Christi prædicatio erat summe benefica ; nec dici poterat, quod præberet Pharisæis occasionem peccandi . Prætérquamquod impie dicitur , quod juramenta faveant consilio impiorum, si his verbis denotetur , quod juramenta injuncta ab Alex. VII. faveant eorum consilio, qui cupiunt hac via Galliam expurgari a lue Janseniana. Ex quibus omnibus liquet, in omnibus , & singulis hisce Quesnellianis Thesibus non unum duntaxat lethiferum anguem latitare.

INDICULUS
THESIUM
QUESNELLIANARUM.

1 DE peccatore post gratiam amissam.
2 De Gratiæ necessitate ad omne opus bonum.
3 In vanum a Deo præcipi, quod ipse non dat.
4 Fieri non posse, quod Deus non operatur in nobis.
5 Gratiæ exteriores sine interiori obdurant.
6 De discrimine inter Fœdus Judaicum , & Christianum .
7 Deus in novo fœdere donat , quod petit ; secus in veteri.
8 Gratia novi fœderis operatur , quod Deus præcipit.
9 Ubi adsit gratia , nunquam Christum abnegamus.
10 Effectus gratiæ impediri , aut retardari non potest.
11 Gratia facit, quod Deus jubet.
12 Indubitabiliter salvatur , quem Deus vult salvare.
13 Interiori gratiæ voluntas nunquam resistit.
14 Cedat oportet, quicumque gratia illustratur.
15 Gratia operatur quodcunque Deus præcipit.
16 Gratiæ illecebris nemo est qui resistat.
17 Nullatenus est doctus a Patre , qui non venit ad Christum .
18 Divinum semen semper affert fructum suum .
19 Gratia est Omnipotentis Dei voluntas.
20 De vera Idea Gratiæ.
21 Gratiæ operatio imitatur operationem Incarnationis.
22 De concordia Gratiæ cum libero arbitrio.
23 Gratiæ operationem exprimit Creatio.
24 Sicut sanantur corpora, ita Gratia sanat animas .
25 Animam Deus sanat sola sua voluntate.
26 Nulla datur Gratia, nisi per Fidem .
27 Fides est prima omnium gratiarum.
28 Prima peccatoris Gratia est peccatorum remissio.
29 Nulla datur Gratia extra Ecclesiam .
30 Infallibiliter salvantur , quos Deus vult salvare .
31 Christi desideria sortiuntur semper effectum suum .
32 Christus se morti tradidit propter Electos.
33 Omnia renuncianda sunt , ut Christum nobis appropriemus.
34 Gratia Adami producebat solum merita humana.
35 Debita erat naturæ Gratia Adami.
36 Gratia Adamica, & Christiana essentialiter differunt .
37 Gratia Christiana est Omnipotens , non Gratia Adami.
38 Peccator sine Gratia est solum liber ad malum.
39 Sine Gratia voluntas est incapax ad omne bonum .
40 Quicquid amatur sine Gratia , damnabiliter amatur .
41 Dei cognitio sine Gratia pravos affectus producit.
42 Nonnisi iniquitas sine Christi Gratia.
43 Baptismalis gratia reddit nos peccato mortuos.
44 Inter Charitatem , & Cupiditatem nihil mediat.

45 Re-

45 Regnat carnalis cupiditas, ubi non regnat Dei amor.
46 Usus sensuum fit bonus, vel malus a Charitate, aut a Cupiditate.
47 Obedientia, si non profluat ab amore Dei, est hypocrisis.
48 Sine Charitate nonnisi aberratio, & peccatum.
49 Nullum est opus bonum sine amore Dei.
50 Frustra est Dei invocatio, quæ non fit a Charitate.
51 Fidei operatio justificat, & unice habetur per charitatem.
52 Fides non est absque amore, & fiducia.
53 Christianæ operationes unice habentur a Charitate.
54 Sola Charitas Deo loquitur, & ab eo auditur.
55 Deus Charitatem duntaxat coronat.
56 Sola Charitas Deum honorat, & ab eo remuneratur.
57 Totum deest, ubi spes desit; nec datur spes sine amore Dei.
58 Ubi non est Charitas, nec est Religio.
59 Oratio peccatoris est novum peccatum.
60 Pœnitentia orta ex solo metu ducit ad desperationem.
61 Timor sine amore justitiæ manum cohibet, non cor a culpa.
62 Peccat, qui a malo non abstinet, nisi timore pœnæ.
63 Qui legem adimplet ex solo timore, sub lege est, sicut Judæus.
64 Sub maledicto legis peccat etiam qui ob timorem peccatum evitat.
65 Moyses, prophetæ, ac ejus legis Doctores nonnisi mancipia per timorem effecerunt.
66 Non appropinquamus Deo per timorem, ut bestiæ, sed per amorem, ut filii.
67 Timor servilis Deum repræsentat ut imperiosum, ac injustum.
68 Clauduntur omnia in fide, & precibus.
69 Fides, ejusque usus, ac præmium est donum puræ liberalitatis Dei.
70 Deus nunquam affligit innocentes.
71 Ob sui conservationem dispensat se homo a lege condita in sui utilitatem.
72 De Ecclesiæ Christianæ notis.
73 Quid sit Ecclesia?
74 Habet Ecclesia Christum ut caput, omnes Sanctos ut membra.
75 Ecclesia est ipse Christus compositus ex pluribus Sanctis, quos sanctificat.
76 Comprehendit Ecclesia omnes Electos, & Justos.
77 Peccator non habet Deum pro Patre, & pro capite Christum.
78 Peccator, non secus ac Infidelis, a populo Electo separatur.
79 Sacræ Scripturæ studium utile, ac necessarium est cuilibet.
80 Lectio Sacræ Scripturæ est pro omnibus.
81 Obscuritas Divini verbi ab ejus lectione non excusat.
82 Dies festus hac lectione sanctificandus. Damnosum est eam impedire.
83 Etiam a fœminis Sacra Biblia sunt evolvenda.
84 Claudere Christianis novum Testamentum, est illis os Christi obturare.
85 Vetare hanc lectionem est vetare usum luminis filiis lucis.
86 Vox populi jungenda voci Ecclesiæ, si praxim Apostolicam sequi velimus.
87 Sapientia, & Charitas postulant, ut ad tempus portetur status peccati.
88 Ex ignorantia peccati provenit, quod velimus statim illud excutere.
89 Peccator post reconciliationem jus habet assistendi Sacro.
90 De consensu saltem præsumpto Ecclesiæ excommunicatio ferenda est.
91 Excommunicatio injusta contemnenda. Non separat ab Ecclesia Deo conjunctos.
92 Imitatur Apostolum, qui patitur potius anathema injustum, quam prodat veritatem.
93 JESUS sanat vulnera a Pastoribus inflicta zelo inconsiderato.
94 Mala opinio de Ecclesia ingeritur, dum foventur divisiones, &c.
95 Modus prædicandi veritates est unum ex signis senectutis Ecclesiæ.
96 Omnes Potestates sunt contrariæ Prædicatoribus veritatis.
97 Nimis sæpe contingit, membra unita Ecclesiæ tractari tanquam indigna.
98 Ultima plerumque probatio est, haberi tanquam hæreticum.
99 Pertinacia quotidie fert, ut in odorem mortis mutentur, quæ sunt odor vitæ.
100 Frequenter credimus sacrificare Deo impium, dum Dei servum diabolo sacrificamus.
101 Doctrinæ Christi adversatur, communia facere juramenta in Ecclesia.

Subjiciuntur Articuli XII. quos Card. de Noailles ad Bened. XIII. approbandos frustra transmisit erroneos, ac fraudulentos Anno M. DCC. XXV.

„ *Articulus Primus*. Post Adæ peccatum nemo deinceps veram justitiam, aut salutem æternam adipisci potuit absque Mediatoris, & Redemptoris Fide modo magis, modo minus explicita, seu distincta pro varietate temporum, & personarum.

„ *Artic.* 2. Lex Moysis vi propria necessariam ad implenda Dei præcepta gratiam non conferebat.

„ *Artic.* 3. Absolutæ Dei voluntati nemo resistit.

„ *Art.* 4. Ut in statu naturæ lapsæ liberum arbitrium peccare, aut mereri censeatur non requiritur æqualis ad bonum, & malum facilitas, aut æqualis utrinque propensio, neque æquales in voluntate vires requiruntur.

„ *Artic.* 5. Cæcis, & obduratis omnem gratiam interiorem aliquando subtrahi in pœnam præcedentium peccatorum multi, & celebres Theologi sine erroris periculo propugnant. Qui autem omni gratia destituti gravia peccata contulissent, coram Deo reos non esse nemo dicere audeat.

„ *Artic.* 6. Præcipuum Religionis caput est Divinum mandatum de dilectione Dei a cæteris præceptis distinctum.

„ *Artic.* 7. Omnium nostrarum actionum ad Deum directio res est præcepti, non consilii tantum: Nec sufficit, si tendant solum interpretative ad Deum.

„ *Artic.* 8. Qui Deum ignorans, vel de Deo actu non cogitans, vel expresse ad malitiam peccati non advertens graviter peccat, Deum offendit.

„ *Artic.* 9. Tutam salutis viam minime sectantur, qui in Sacramento Pœnitentiæ non requirunt eam Dei dilectionem, quam ad justificationem in Baptismo ab adultis exigunt Concilium Arausicanum Secundum, & Concilium Tridentinum.

„ *Artic.* 10. Evangelicis præceptis, & Ecclesiæ Regulis consentanea est praxis, qua differtur absolutionis Beneficium Pœnitentibus gravissimorum, aut publicorum scelerum Reis, vel iis, qui in peccati Lethalis consuetudine, aut occasione proxima versantur, vel iis qui inimicitias deponere, ablata proximo suo bona, vel famam, honoremque restituere, scandala reparare renuunt, aut sua culpa procrastinant, vel qui sinceræ conversionis animi dubia exhibent signa, vel iis, qui Mysteria Fidei, aut Christianæ vitæ præcepta addiscere negligunt, vel generatim iis omnibus, quos non sicuti oportet præparatos prudens Confessarius judicaverit.

„ *Artic.* 11. Scripturæ Sacræ lectio per se quidem utilis est, sed omnibus, & singulis hominibus nenessaria non est ad salutem, nec unicuique licet Scripturas pro suo arbitrio, aut ex privato Spiritu interpretari, aut eas legere absque debita Pastoribus reverentia, & obedientia, aut sine sincera animi submissione erga Ecclesiam, cujus est de vero sensu, & interpretatione Scripturarum judicare, & earumdem lectioni vacare.

Artic. 12. Si qua excommunicatio prohibeat veræ virtutis actum, aut a vero præcepto avertat, injusta simul, & invalida censenda est, juxta Ecclesiæ Decreta.

„ *De his Articulis hæc Historice, & Theologice D. Lafiteau Episcopus Sistericensis lib.* 5. *Histor. Constitut.* Unigenitus *ad ann.* 1724. *ex Gallico in Latinum versa* " Cardinalis *inquit*, de Noailles sub initium Decembris Romam scriptum transmisit Duodecim Articulorum Doctrinalium, quibus fraudulentiores nemo unquam, aut vidit, aut audivit; Qui probari non potuerunt, quin simul, & calumniæ omnes Jansenianæ in Bullam *Unigenitus* approbarentur. Scilicet fuerat scriptum illud confectum maximo, quo fieri potuit, ad fallendum artificio; Et tamen mirari licet Card. de Noailles eo processisse, ut nisi eorum approbatione a Benedicto XIII. obtenta, negaret se Bullæ *Unigenitus* subscripturum. Brevem eorum notionem summatim daturus dicam omnes æquivocos fuisse, & suspectos pravæ significationis: Nonnullos falsos, quod nimium genericis vocibus efferrentur, alios manifestis erroribus inquinatos: ex pluribus pronum erat perniciosa consectaria colligere, plerasque autem adversantes communioribus Theologorum Decretis, & Libertati Scholarum Catholicarum. Præterea in iis ipsis, quas continebant, veritatibus injuriosi erant Bullæ *Unigenitus*, ac si iis Constitutio ita adversaretur, ut nonnisi prævia Articulorum cautione acceptari deberet: Cæterum Episcopus Senecensis acerrimus Appellantium eos XII. Articulos totidem Bullæ Capitibus contradicere palam pronunciabat: *Addit* ad ann. 1725. Episc. Sistericensis insignem Jansenistarum fraudem: Nam quo tempore Card. de Noailles Romam ad Pont. Bened. XIII. scribebat XII. Articulos ex scripto Doctrinali Accademiæ Parisiensis, quod sibi fingebat, excerptos, eodem Parisiis ajebat XII. Articulos esse explicationes quasdam Bullæ *Unigenitus* a Papa transmissas, quare Typis Gallicis impressi fuere nomine Pontificis magno Regni scandalo. Fraudem sensit Ludovicus XV., damnari exemplaria, ac lacerari jussit: Quare Scriptum D. de Beaumont Episcopus Santonensis damnavit, valde de hoc commendatus a Benedicto XIII. per Epistolam Card. Paulutii ad Nuntium Pontificium in Gallis: *Hæc D. Lafiteau Ep. Sistericensis. Ut de aliis sileam Episc. Massiliensis* 14. *Janu.* 1726. *damnavit idem scriptum, cui Jansenistæ mendaciter hunc Titulum fecerant*: Explications de N. S. P. le Pape Benoit XIII. envoyées en France au Mois de Mars 1727. sur la Bulle UNIGENITUS, *Quod Scriptum idem Episcopus in suo* Mandamento *testatur evulgatum fuisse magna contentione per universam Galliam, magnasque Quesnellitarum exultatione. Sane D. Theodoricus de Viaxnes* 2. Memoire sur les projets des Jansenistes en Hollande p. 10., & 11. *ait se subscripturum fuisse ex toto corde iis Articulis, neque quidquam amplius opus fuisse ad funditus evertendam Bullam* Unigenitus, *quam vocat Magnum Idolum Cabalæ Molinianæ, quamque dolet fœliciter obstitisse, ne ii Articuli Romæ approbarentur. Vides subdolum agendi modum Hæreseos Jansenianæ, quæ amphibologias se damnare gloriatur in mollioribus Casuistis.*

Excerptum ex Concilio Romano sub Benedicto XIII. ann. 1725. *ex Cap.* 2. *de summa Trinitate, & Fide Catholica in favorem Bullæ* Unigenitus.

Ab omnibus Episcopis, & Animarum Pastoribus tota, ut hactenus sollicitudine curandum est, ut

„ con-

„ constitutio a San. Mem. Clem. XI. edita, quæ incipit *Unigenitus*, quamque nostræ uti Fidei Regulam agnoscimus, ab omnibus cujuscunque conditionis, & gradus, omnimoda, ac debita obedientia, & executione observetur .... Invigilent etiam libros contra ipsam Constitutionem editos, aut falsas doctrinas in illa damnatas, propugnantes, diligenter perquirere eosque sibi tradi mandent, nobis inde, ac Sedi Apostolicæ denunciandos.

Literæ Eminentissimi Card. de Noailles ad Bened. XIII. 19. Julii 1728.

„ ITeratis sæpius supplicationibus ad Beatitudinem Tuam jam confugi, *Pater Sancte*, nunquam pro summa charitate Tua repulsam passus, nondum tamen pro votis exauditus. Exaudiat tandem, & optata referam Apostolicæ gratiæ pignora. Statui enim, quæ a me desiderari indicasti, ita pleno, ac fideli implere obsequio, ut excidant, & deleantur omnia, quæ displicuerunt, simul & constet, me prorsus cum Sanctitate Tua, cum Eminentissimis Collegis, & cum universo Episcopatu idem sentire, ac docere: hoc certo, ac firmo, quod diu coram Christo meditatus, ipso inspirante cœpi consilio, multum sublevor, lux jam melior affulget, redit animi pax, & tranquillitas, totusque conquiesco in sinu Beatitudinis tuæ, quæ excelsam Summi Pastoris Sedem cœlestis sapientiæ studio, ac omnium virtutum splendore implet, & illustrat. Ego jam delibor, *Beatissime Pater*, instat tempus resolutionis meæ, in proximo adstat Christus Judex, ipso jam teste profiteor, me Constitutionem *Unigenitus* sincero obsequio, ac debita reverentia suscipere; Librum *Considerationum Moralium*, ac centum, & unam Propositiones ab eo excerptas eodem modo, & sub iisdem qualificationibus in dicta Constitutione expressi rejicere, ac damnare, ac insuper revocare corde, & animo Documentum illud Pastorale, quod a Nobis Anno 1719. editum fuit, sicut & id omne, quod huicce acceptationi contrarium nomine nostro prodiit. Spondeo præterea me, quam primum, quos hic aperimus Sanctitati Tuæ animi nostri sensus, Pastorali Documento propositurum, ac promulgaturum, ut ab omnibus in hacce Regia Urbe, & amplissima Diœcesi, pari nobiscum Fide, & Religione Decretum Apostolicum observetur. Hac sincera, & Episcopali declaratione debitum exolvimus, *Beatissime Pater*: Tuæ jam est charitatis, fidelem, & obsequentem filium solari, & erigere: obstat nihil, quin jam totum tuæ te permittas pietati. Effluant igitur in nos, quæ intercepta doluimus, Patris optimi beneficia, jamque adeo exoptatam solemnis Jubilæi gratiam largiaris, ut una cum nostris digniores, Deoque gratiores effecti, meliora, & sanctiora vota pro incolumitate Beatitudinis Tuæ, ipsiusque Apostolatus prosperitate ex animo nuncupemus. Interea ad pedes Sanctissimi Patris provolutus Benedictionem Apostolicam exorat &c.

Mandatum Pastorale in acceptationem Constitutionis publicavit die 11. *Octobris* 1728., *quod transmisit ad Bened. XIII. literis, quæ incipiunt;* Implevi promissa &c. *quibus ita sub finem addit.*

„ Huic Epistolæ jam prope subscribebam, cum audio infaustum; excusum furtivis typis, prodire quasi scriptum a me die 22. ultimi mensis Augusti, Instrumentum. Quod si fortassis, meorum ac pacis adversariorum opera, ad S. V. perveniat, fidem illi prorsus nullam adhiberi precor, reservari totam sinceris his protestationibus, quas continent scriptæ a me ad Beatitudinem Tuam epistolæ plures, & adjunctum literis hisce propositum a me populo meo Mandatum.

Nempe fraudulenti Jansenistæ severioris Moralis Zelatores eo ficto Instrumento vulgaverunt, Card. de Noailles 22. Aug. revocasse suam acceptationem.

Contra Appellationes interpositas a Bulla Unigenitus *emanarunt Romana Decreta, quorum aliqua hic indicantur.*

“ INstrumentum Appellationis interjectæ die 1. Martii 1717. ab Illustrissimis, & Reverendissimis Episcopis Mirapicensi, Senecensi, Montis Pessulani, & Bononiensi ad futurum Concilium Generale a Constit. SS. D. N. D. Clementis Papæ XI. data Romæ ann. 1713. 6. Idus Sept. necnon ab omnibus inde secutis, aut secuturis, & a gravaminibus occasione ejusdem Constitutionis a Sanctissimo D. N. D. Clemente Papa XI. sua, vel cujusvis authoritate illatis, vel inferendis, seu adversus dictos Episcopos, seu adversus ipsis adhærentes, subjunctis Conclusionibus, quibus dictæ Appellationi adhæserunt S. Facultas Theologiæ Parisiensis in Comitiis Generalibus die 5. habitis coram præfatis Illustrissimis, & Reverendissimis Episcopis, S. Facultas Theologiæ Remensis die 8., & S. Facultas Nannetensis in die 20. ejusdem mensis: “ *Proscriptum Decreto Congregat. Univ. Inquisit.* 17. *Febr.* 1718.: Memoire, dans le quel on examine, si l'Appelle interjetté au futur Concil General de la Constitution *Unigenitus* per quatre Eveques de France, au quel plusieurs Facultez, & un grand Nombre de Chanoines, & des Curez du Royaume ont adheré, est legitime, & Canonique, & quel sont les effets de cet Appelle 1717. *Proscriptum Decr. S. Congr. S. Officii* 29. *Julii* 1722.: Arrest de la Cour du Parlement, portant suppression d'un Imprimé intitulé *Lettres de plusieurs Eveques sur l'obligation de priver du Sacrifice de la Messe, & des Suffrages de l'Eglise ceux, qui meurent Appellants de la Constitution* Unigenitus. *A Ypres* 1739.: Proscriptum Decreto Clem. XII. 26. Jan. 1740.

Contra ficta Miracula intercessione Parisii (*M. Paris*) *Diaconi in Appellatione Defuncti, sunt Decreta, quæ hic indicantur.*

„ INstruction Pastorale de Monsigneur l'Eveque de Montpellier adressée au Clerge, & aux Fideles de son Diocese au sujet des Miracles que Dieu fait en faveur des Appellans de la Bulle *Unigenitus*. Caroli Joachimi Episcopi Montis-Pessulani: *Proscriptum Brevi Clementis XII.* 3. *Octob.* 1733.: Lettre Pastorale de Monsigneur l'Eveque de Montpellier adressée au Clergé, & aux Fideles de son Diocese pour leur notifier un Miracle operé dans son Diocese par l'intercession de M. Francois de Paris, & le premunire contre un Bref. de N. S. P. le Pape en date du 3. Octob. 1733., & deux Ecrits de M. L'Archeveque d'Embrun la meme, & cujuscunque alterius similis scripti ab eodem Episcopo Montis-Pessulani editi, vel quod deinceps edi contige-

 „ rit.

„ rit: *Proscriptum Decreto Clem. XII. 11. Octob.* „ 1734. Prohibuit autem libellum prædictum, uti „ continentem Propositiones respective falsas, scandalosas, simplicium se ductivas, perniciosas, temerarias, contumeliosas, Authoritati Apostolicæ „ Sedis, & universæ Ecclesiæ derogantes, impias, „ schismati, schismaticis, & Hæresi faventes, de „ Hæresi suspectas, erroneas, & Hæreticas.

Contra existentiam a Jansenistis Hollandis assertam tum Ecclesiæ Archiepisc. Ultrajectinæ, tum Episcopalis Harlemensis, & pseudo electiones trium Archiepisc. Ultrajecten., & duorum Harlemen. abiisdem Jansenistis, & Appellantibus patratas, emanarunt Decreta Apostolica hic indicata, quæ seriem rerum Chronologicam ad hoc tempus continent.

„ ASsertio Juris Ecclesiæ Metropolitanæ Romano „ Catholicæ (*Ultrajectensis*) adversus quosdam, „ qui eam ad instar Ecclesiarum per Infidelium „ persecutiones destructarum Jure pristino penitus „ excidisse existimant. Per J. C. E. J. V. Licent. „ ejusdem Ecclesiæ Canonicum Delphis 1703. *Pro-* „ *scriptum Brevi Clemen. XI. 4. Octob.* 1707.

„ Motivum Juris pro Capitulo Cathedrali Har- „ lemensi Harlemi 1703. *Proscriptum Brevi Clem.* „ *XI. 4. Octob.* 1703.

„ *Hæc quidem ante Bullam* Unigenitus; *Ex re-* „ *bellione autem schismatica contra hanc Bullam o-* „ *riginem habuit per Jansenistas Pseudo erectio Ar-* „ *chiepiscopatus Ultrajectensis cum electione Steeno-* „ *ven, Berckman, & Neidarts in Pseudo Archiepi-* „ *scopos, & de Bock, & Van-Stiphout in Episcopos* „ *Harlemenses cum pseudo erectione hujus Episcopa-* „ *tus in Belgio Fœderato. Seriem Chronologicam ha-* „ *bes ex Brevibus Apostolicis, quæ sequuntur.*

Breve, *quod incip.:* Qua sollicitudine *datum 21. Febr.* 1725. *ad Catholicos in Fœderato Belgio, quo a Benedicto XIII. declaratur irrita electio, & illicita Consecratio Cornelii Steenoven Janseniani in Archiepisc. Ultrajectinum.*

„ NOstis, *inquit*, quibus artibus pravæ doctrinæ „ semina spargere molientes dissensionis filii „ non solum Catholico nomine, sed Pastoralium „ etiam numerum induta larva, & confictis Ec- „ clesiastici Ministerii titulis abutentes ad anima- „ rum curam, & Sacramenta administranda obre- „ pere, aut irrumpere tentaverint. Sed superbia „ eorum, quæ ascendit semper, eo demum teme- „ ritatis evasit, ut postquam a septem Clericis, „ qui Canonicorum nomen jactabant Ultrajectini „ Capituli, quod jam ante annos ab hinc plures „ supra centum intercidit, perperam, ac temere „ facta esset die 27. mensis Aprilis an. 1723. Ele- „ ctioCornelii Steenoven Turbulentæ factionis Ante- „ signani, & Ecclesiasticis censuris obstricti in Archie- „ piscopum Ultrajectinum, quamquam ab hac S.Sede „ rejectam ejusmodi electionem certo, & palam re- „ scivissent, curarunt tamen, atque effecerunt, ut „ eidem Cornelio die 25. mensis Octob. an. 1724. A- „ postolica auctoritate, & Sacrorum Canonum con- „ temptis regulis per detestabilem, ac sacrilegam „ manuum impositionem Episcopalis consecrationis „ munus traderetur. Ne autem factiosorum conatus „ ulla pravitate vacarent, consecratio peracta est a „ Dominico Maria Valler Episcopo Babylonensi jam „ ab exercitio Episcopalis Ordinis suspenso, ejus „ suspensione per literas S. Cardinalium Collegii „ apud vos Typis impressas publice denunciata: „ Sed ad hæc inde etiam cumulus perversitatis ac- „ cessit, quod memoratus Episcopus Babylonensis, „ minime assistentibus ex præscripto S. Canonum „ duobus aliis Episcopis, nullaque Apostolica au- „ ctoritate suffultus, solus antedictum Cornelium „ consecrare ausus fuerit.... Auctoritate Apostolica „ decernimus, & declaramus, tam electionem ejus- „ dem Cornelii in Archiep. Ultraject. fuisse irritam, „ ac prorsus nullam, quam ejus consecrationem „ fuisse omnino illicitam, & execrandam, ac proin- „ de ipsum omni Ecclesiastica, & Spirituali juris- „ dictione carere,... ab omni exercitio Episc. Or- „ dinis esse suspensum ....Declaramus omnes, & „ singulas prædictorum Officiorum (in Pastores, „ Missionarios, Ministros, aut alios... ad anima- „ rum curam, & Sacramentorum administrationem „ quovis etiam necessitatis prætextu) deputationes „ factas, aut faciendas cum omnibus inde secutis „ prorsus irritas esse &c.

„ *Per aliud Breve Benedicti XIII., quod incipit* „ Novis istic *datum* 13. *Augusti* 1725. *reprobatur* „ *electio* Cornelii Berckman *in Archiepiscopum Ul-* „ *trajectinum loco Defuncti.*

„ *Per aliud Breve Clementis XII., quod incip.* „ Magna nos *datum die 6. Octobris* 1739. *reproba-* „ *tur electio Petri Joannis* Meindarts *in Arch. Ul-* „ *trajectensem.*

„ *Per Breve Benedicti XIV., quod incip.* Quam- „ quam *datum die 1. Sept.* 1742. *reprobatur, quod* „ *idem* Meindarts, non erubuerit quemdam Hie- „ ronymum de Bock Harlemensi donare Episcopatu „ jamdiu exoleto, & abs se nunc restituto ea po- „ testate, quam sibi ex ingenio fingit ... cum suo „ commentitio Ultrajectensi Capitulo.

„ ALiud Breve Bened. XIV. die 26. Junii ann. „ 1745. emanavit, quo Pseudoarchiepiscopus „ Ultrajectensis *Meindarts* narratur Hieronymo de „ Bock e vivis erepto Episcopum constituisse Ec- „ clesiæ Harlemensi Joannem Van-Stiphout, dedis- „ se etiam de hoc literas ad Sedem Apostolicam, „ & expetiisse confirmationem Electionis a se fa- „ ctæ: quam Pontifex reprobat.

„ Alio Brevi dato 18. Aug. ann. 1745. reprobat „ ejus Consecrationem.

„ Antea autem, nempe die 26. Jan. 1745. pro- „ dierat a Bened. XIV. Breve sub hoc titulo: *Da-* „ *mnatio, ac Prohibitio Libri* cui titulus est *Illu-* „ *strissimorum, ac Reverendissimorum Archiepiscopi* „ *Ultrajectensis, & Episcopi Harlemensis Instrumen-* „ *tum Appellationis ad Concilium Generale futurum* „ *a duobus Brevibus, quæ præferunt nomen SS. D.* „ *N. Benedicti XIV. scriptis ad Universos Catholicos* „ *in Fœderato Belgio &c.* de quo Libro ait Ponti- „ fex, Auditis &c. Libellum præfatum uti conti- „ nentem Propositiones falsas, seditiosas, scanda- „ losas, captiosas, ad schisma, ac eversionem „ Hierarchiæ Ecclesiasticæ pellicientes, & Aposto- „ licæ Sedis prædictæ auctoritati injuriosas, & Ec- „ clesiasticæ Jurisdictionis eversivas, auctoritate „ Apostolica tenore præsentium, damnamus, ac „ reprobamus.

EPISTOLA BENEDICTI XIV.

AD EPISCOPUM MASSILIENSEM

Venerabili Fratri

ENRICO EPISCOPO MASSILIENSI *

BENEDICTUS XIV.

„ VEnerabilis Frater salutem & Apostolicam „ Benedictionem. Gratæ præter modum fuerunt nobis Fraternitatis tuæ litteræ, quæ adventante Natali Domini die lætis omnibus, atque omni officii genere nos affecerunt: Venere siquidem abs te dignissimo Episcopo strenuo veræ vindici Religionis, Custode commissi Gregis dira quoque sæviente pestilentia, Romanæ omnium Matris Ecclesiæ fidissimo Filio. Jucundæ pariter illæ accidissent, si quæ de mandato Nobis prorsus immeritis Apostolico ministerio speranda existimas, conscii nostræ tenuitatis evenire posse reputaremus: Et illud Nos vehementer commovit, quod pro Pastorali sollicitudine insitaque animo tuo pietate supremæ huic Divi Petri Cathedræ opportune denunciant: novam scilicet insurgere per Gallias tempestatem, nisi diligenter eam dissipare caveamus. Postquam enim Apostolica auctoritate, & carissimi in Christo Filii nostri Regis Christianissimi validissima ope non parum depressa est adversantium Constitutioni *Unigenitus* licentia; inimicus homo surrexit iterum ad super seminandum isthic zizania Dominico in agro, jam tandem diuturnis laboribus non modice perpurgato, assumptis in perversi Operis societatem, quibusdam (ut scribis) Religiosissimæ Dominicanæ Familiæ Alumnis, qui cum e sui Ordinis instituto bonum doctrinæ semen spargere debeant; mortiferam errorum segetem excitare conantur. Non ita pridem ad Nos pervenerat nuncius esse paucos ejusdem Ordinis in Gallia, qui partium studio (ut Vulgus opinabatur) abrepti doctrinæ turbas concitarent: His Nos illico occurrimus opportunis monitis & præceptis: videbanturque contentiosos animos deposuisse. Nunc autem cum in tua Civitate, atque alibi tumultuari non desinant; Nos utique Deo imbecillitati nostræ opitulante dabimus operam, ut concidat ipsorum audacia, aut saltem non fit impunita: pateatque perstare Nos in custodia universi Gregis, nec unquam toleraturos ipsum deturbari a lupis rapacibus insidiosam ovium pellem indutis, undecunque hanc sibi assumant. Quod vero ab istis molestiæ plurimum tibi inferatur, eosque habeas tuæ laudis obtrectatores; quamquam id gloriosum reputare debeas, non tamen ferendum est; & Nos admoniti qua te injuria lacessierint, eorum audaciam auctoritate nostra coercere, & in ipsos animadvertere prompti ac parati erimus, nec Pontificiam severitatem adversus hujusmodi insolentiam desiderabis. Certum exploratumque habemus nullam tibi in eorumdem importunitate moram fieri, quin sedulo incumbas quotidie magis ad eosdem refrænandos, sustinendamque sanam doctrinam; tamen te amantissime adhortamur, ut magnifico incessu pergas iustum jamdiu a te initum vigilantiæ ac virtutis cursum: audita siquidem Supremi Pastoris voce alacrius in suscepta pugna perseverabis, parta jam tibi merita cumulaturus. Nos interim Apostolicam Benedictionem pignus singularis erga te Charitatis Nostræ, Fraternitati tuæ peramanter impertimur. Datum Romæ die 28. Decembris anno 1741.

---

* Henrico Belsunce præstantissimo Massiliensi Episcopo, qui documento Pastorali quum anno 1740. P. Crozet Dominicani Massiliæ Theologiam docentis Theses quasdam confixisset, adversarium habuit, & acerrimum damnatarum propositionum defensorem, qui in illarum auctorem debuisset animadvertere, P. Robert Dominicanorum Provincialem.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,
Quæ in hoc Opuſculo continentur.
Prior numerus Theſim confixam deſignat, Alter numerum marginalem.

A

ABſolutio canonica a cenſuris & pœnis, & abſolutio Sacramentalis a peccatis quandonam olim conferebantur? Propoſit. 87. *n.* 5.
Abſolutio Sacramentalis num, & quando differri poſſit? Propoſ. 79. *n.* 2.
Actus morales indifferentes in individuo num ſint poſſibiles? Propoſ. 44. *n.* 5.
Adami gratia non producebat merita humana. 34. 1. *Nec erat debita naturæ ſanæ, ac integræ.* 35. 1. *Solum erat debita naturæ prout elevatæ ad finem ſupernaturalem.* 35. 13.
Adami gratia, & gratia Chriſti Domini non differunt eſſentialiter, ſed ſolum ex variis titulis accidentaliter. 36. 1. & 37. 3.
Adjutorium quo, ſeu gratia efficax, & Adjutorium ſine quo non, ſeu gratia ſufficiens in utroque ſtatu naturæ datur tam integræ, quam lapſæ. 24. 3. 35. 12. & 36. 11.
Adjutorium ſine quo non, ſeu gratia ſufficiens nulli deeſt in pœnam peccati. 4. 7.
Afflictiones, & ærumnæ hujus vitæ non deſerviunt ſolum ad puniendum peccatum, vel ad purificandum peccatorem. 70. 1.
Amare Deum intuitu retributionis non eſt malum. 36. 3.
Amare Deum ex toto corde quid importet? 44. 10.
Amor amicitiæ erga Deum, & amor concupiſcentiæ non pugnant ad invicem. 44. 14.
Amor Dei naturalis poſſibilis eſt in ſtatu naturę lapſæ. 53. 3. *Non tamen amicitiæ naturalis cum Deo.* 53. 6.
Amor Dei perfectus, & amor Mundi, ac ſuimet malus non ſunt unica origo noſtrarum volitionum, & actionum. 44. 1.
Amor Dei poteſt non regnare in corde peccatoris, quin eatenus regnet carnalis cupiditas, quę omnes actiones corrumpat. 45. 1.
Amor Dei ubi deſit, non aderit illico amor proprius peccaminoſus. 49. 1.
Amor proximi, quamvis non profluat a charitate erga Deum, adbuc eſt laudabilis. 44. 8.
Amor ſuimet quandonam ſit vitioſus & quando laudabilis, licet non ſit propter Deum. 49. 9.
Angeli an Eccleſiam conſtituant? 72. 15.
Apoſtatæ non ſunt membra Chriſti, & Eccleſiæ. 72. 9.
Apoſtoli nonniſi Hebraice, ac Græce, & ad ſummum Latine ſcripſerunt. 79. 3.
Auxilia gratiæ ſunt nobis intrinſeca. 19. 5. *Quomodo differant in ſtatu naturæ innocentis, & lapſæ?* 36. 5.
Auxilium inefficax a Deo confertur ut ſufficiens, non ut inefficax. 11. 8.
Auxilium ſufficiens num denegetur a Deo aliquibus poſt certum numerum peccatorum? 4. 8. & 30. 13. *Vide Gratia ſufficiens.*

B

BAptizatus non eſt ſub lege, ſicut Judæus, ſi legem adimpleat ex ſolo timore. 63. 1.
Baptiſmalis gratia poteſt per peccatum amitti, ſicut etiam fides. 43. 3.
Baptiſmalis gratiæ effectus non eſt, ut homo non habeat plus vitæ pro peccato, quam mortuus pro rebus mundi. 43. 1.
Bona operatio Deo magis tribuenda eſt, quam voluntati ad illam ſe determinanti. 69. 10. *necnon* 10. 8.
Bonorum terrenorum renunciatio non eſt ad ſalutem neceſſaria. 33. 8.

C

CAlvinus, & Lutherus diverſimode errarunt circa arbitrii libertatem. 10. 5.
Cæcitas corporis in quo differat a cæcitate cordis. 4. 5.
Cenſura pluribus de cauſis poteſt eſſe nulla, aut injuſta. 9. 2.
Charitas cuinam cupiditati opponatur, & cupiditas charitati. 1. 2.
Charitas, & cupiditas quonam pacto adverſentur. 46. 1.
Charitatis ſpiritu deficiente non fruſtra clamamus, Pater mi. 50. 1.
Charitas non eſt ſola, quæ facit actiones chriſtianas. 53. 1. *Nec eſt ſola, quæ Deum alloquitur, & quam Deus audit.* 54. 1. *Neque charitatem duntaxat Deus coronat.* 55. 1. *Neque ſolam Deus honorat.* 56. 1. *Neque peccatori totum deeſt, ſi deſit ſpes, poteſtque ſpes eſſe ſine charitate.* 57 1. *Poteſt etiam religio a charitate ſeparari.* 58. 1.
Chriſtianum fœdus, & Judaicum quomodo differant. 6. 1.
Chriſti deſideria non ſemper habent effectum ſuum. 31. 1.
Chriſti reſurrectio quomodo ad noſtram juſtificationem conferat, & Chriſti paſſio ad peccatorum remiſſionem. 36. 1.
Chriſtus D. quodnam juramentum probibuerit. 101. 5.
Chriſtus oravit etiam pro Reprobis. 31. 4. & 9.
Chriſtus non pro ſolis Electis mortuus eſt. 32. 1.
Chriſtus quomodo ſit Eccleſiæ caput, & quænam ſint ejus membra? 72. 7.
Cognitio Dei ſine gratia non parit præſumptionem, vanitatem, & oppoſitionem ad ipſum Deum. 41. 1.

Con-

Concordare libertatem arbitrii cum efficacia gratiæ quare sit arduum? 11. 5. Concupiscentiæ amor, quo quis Deum sibi amat, est honestus. 33. 6.
Concupiscentiæ motus, & affectus turpes inefficaces, ubi sunt necessarii, culpa vacant. 33. 12. & 43. 14.
Conjugium spirituale inter Deum, & animam justam solum ex parte sponsæ repudiari potest. 14. 3.
Concupiscentiæ dominatui quomodo quis subjiciatur. 1. 9.
Cooperatio cum auxiliis gratiæ Deo tribuitur. 13. 9. & 25. 5.
Creatio non est gratia antonomastice dicta. 24. 6.
Creatura rationalis condi potest sine gratia. 34. 1.

D

DÆmones in Inferno physice ne, an solum moraliter necessitentur ad peccandum? 1. 6.
Dæmonis tyrannidi quomodo peccator subjiciatur. 1. 9.
Delectatio sive charitatis, sive cupiditatis non est victrix cum violatione libertatis a necessitate. 20. 1. & 20. 7.
Deus est, qui nos discernit, quamvis voluntas ad bonam operationem se determinet. 10. 7.
Deus esset peccati auctor, si homo necessario peccaret. 38. 11.
Deus impossibilia non præcipit, ne in pœnam quidem peccati. 15. 5.
Deus in quonam sensu, quem vult, induret. 4. 6. Et in quonam sensu discernat Electos a Reprobis. 68. 10.
Deus in hac vita etiam innocentes affligit ob fines altissimos suæ Providentiæ. 70. 1.
Deus non est peccati Auctor, quamvis culpam prævideat, & non impediat. 10. 10.
Deus non permittit, ut potestates omnes sint contrariæ Prædicatoribus veritatis. 96. 1.
Deus non potest in omnibus Decalogi legibus dispensare 71. 2. In aliquibus naturalibus solum potest materiam variare. ibid.
Deus prædefinit omnes actus salutares sub circumstantiis suis. 12. 9.
Deus providit infantibus de remedio ad salutem. 30. 12.
Deus quonam pacto donet nobis bonam operationem. 7. 2.
Deus quomodo operetur in nobis velle, & perficere. 13. 9.
Deus quomodo possit ineluctabiliter obtinere a creatura assensum liberum. 10. 6.
Deus vult omnium omnino salutem. 12. 1. & 30. 1.
Deus ita vult omnes salvare, ut tamen non omnes salventur infallibiliter. 30. 1. & 31. 2.
Diabolo non sacrificatur frequenter Dei servus, dum credimus sacrificare Deo impium. 100. 1.
Dilectio. V. Amor Dei.
Dives difficultatem quidem habet assequendi salutem, ac perfectionem, non tamen impossibilitatem. 33. 12.
Doctus, & illustratus a Patre vi gratiæ interioris potest non discere, nec venire ad Filium. 13. 1.
Donatistas imitantur Janseniani. 95. 6.

E

ECclesia deficere non potest, nec senescere. 95. 1.
Ecclesia est Catholica, Sancta, Sponsa Christi, Columna, & Firmamentum veritatis. 95. 4.
Ecclesia est sancta, quamvis innumeros peccatores contineat. 72. 13.
Ecclesia est Cœtus vocatorum. 72. 3. Complectitur homines veram fidem profitentes, ac utentes Sacramentis a Christo D. institutis sub regimine Pastorum, ac Vicarii Christi. 72. 5. Complectitur etiam peccatores, & reprobos. 72. 13.
Ecclesia non fovet Schismata, dum damnat silentium obsequiosum Jansenianorum. 94. 1.
Ecclesia quomodo oret pro omnium salute. 30. 11.
Ecclesia non comprehendit solum Electos. 26. 2.
Ecclesiæ Christianæ quænam sint notæ. 72. 1. & 95. 1. Ea non est cœtus filiorum Dei duntaxat. 73. 1. Nec est integer Christus tanquam caput, & Sancti ut ejus membra. 74. & 75. 1. Nec complectitur solum electos, & justos. 76. 1.
Ecclesia non est duplex, altera Militans, altera Triumphans, sed una diversis temporibus. 72. 10.
Ecclesię membra stricte illi unita non sæpe contingit, ut tanquam indigna tractentur. 97. 1.
Ecclesiæ praxis in absolvendis peccatoribus tam a peccatis, quam a censuris. 87. 4.
Ecclesia quomodo lunæ comparetur. 95. 7.
Ecclesiæ usus in divinis officiis peragendis. 79. 3.
Efficaciam gratiæ cum libertate arbitrii quare sit arduum conciliare. 11. 5.
Efficax gratia necessaria quidem est, ut ponatur, non tamen ut poni possit bona operatio. 3. 12. & 11. 7.
Efficax gratia quid sit. 3. 12. & 13. Quomodo ejus infrustrabilitas cum libertate voluntatis concilietur. 23. 3.
Electi a Reprobis a Deo discernuntur principalius. 3. 12. & 10. 8.
Electi in quonam sensu salventur indubitabiliter. 12. 1.
Ethnici extra Ecclesiam aliquid boni operari possunt. 38. 6.
Excommunicati ad Ecclesiam non spectant, sicut nec Schismatici, Apostatæ, & Hæretici; spectant tamen ad illam peccatores. 72 9.
Excommunicatio ut feratur, non requiritur consensus præsumptus totius Ecclesiæ. 90. 7.
Excommunicatio etiam injusta timenda est. 91. 3. Qui illam non timet, erigit se contra Ecclesię auctoritatem, & Saulum, non Paulum imitatur. 92. 14. Christus non sanat vulnera; quæ a Pastoribus per excommunicationem infliguntur, quamvis videantur zelo inconsiderato ea infligi. 93. 15.
Excommunicatio cessante contumacia non cessat. 89. 1.
Exhortationes. V. Gratiæ exteriores.
Exprobrationes frustra fierent peccantibus, si deesset illis auxilium sufficiens. 16. 4.

F

FIdes dæmonum in quonam sensu fidei impiorum assimiletur. 68. 7.
Fides, & preces non satis sunt ad salutem. 68. 1.
Fides informis potest esse supernaturalis. 12. 5. Eaque vera virtus est, quamvis Aristoteli ignota, & quomodo. ibid.

Fi-

Fides non est prima omnium gratiarum. 27. 1.
Fides non prærequiritur ad obtinenda auxilia gratiæ. 26. 1.
Fides num sola ad salutem sufficiat. 51. 9.
Fides quomodo justificet, & quomodo per charitatem operetur. 51. 1.
Fides supernaturalis nequit esse formidolosa, quamvis possit esse modica. 52. 9.
Fides, usus, augmentum, & præmium fidei non sunt donum puræ liberalitatis Dei. 69. 1.
Fidei actus naturalis num sit possibilis? 53. 7.
Fidei materiale objectum num sit Conclusio Theologica? 94. 3.
Fidei lumine destituti non semper peccant. 48. 1.
Fidem præire debet pia affectio supernaturalis imperans illam. 52. 2. *In fide non continentur omnia alia salutis media, & potest fides esse absque amore, & fiducia*. 52. 1. *Ex fide justus in quonam sensu vivat*. 51. 6.
Fomes concupiscentiæ per Baptismum non extinguitur. 43. 13. *Non est peccatum proprie, sed vocatur ab Apostolo peccatum, quia ex peccato est, & ad peccatum inclinat*. *ibid.*

G

Gentiles in quo differant a Judæis. 6. 9.
Gloriari possumus in Domino de bonis nostris operationibus. 69. 11.
Gratia Adamica, & Christiana non differunt essentialiter. 36. 1. & 37. 3.
Gratia conceditur etiam extra Ecclesiam. 29. 1.
Gratia baptismalis. *V. Baptismalis gratia*.
Gratia destitutus potest aliquid amare, & non in suam condemnationem. 41. 1. *Neque in eo est solum impuritas, & indignitas*. 42. 1.
Gratia efficax. *V. Efficax Gratia*.
Gratia in quonam sensu faciat nos facere. 69. 9.
Gratianum requiratur ut possit bonum opus fieri. 2. 1.
Gratia non est imitatio Dei Incarnantis, ac Resuscitantis Filium suum. 21. 1. *Neque adumbratur per creativam operationem*. 23. 1. *Nec sanat animas a cupiditate, sicut corpora sanantur a morbis*. 24. 1.
Gratia non est Dei voluntas nobis extrinseca. 11. 2. & 16. 1.
Gratia non necessitat physice. 14. 1.
Gratia novi Testamenti, ac veteris in quonam differant. 8. 6.
Gratia præditi æquali Pharao, & Nabuchodonosor, hic consensit, ille dissensit. 20. 6.
Gratia prima, quæ peccatori conceditur, non est peccatorum remissio. 28. 3.
Gratia sufficiens ad salutem datur omnibus. 3. 5. & 13. 12. & 30. 13. *V. Auxilium sufficiens, & Adjutorium sine quo non*.
Gratia sufficiens ad legem implendam non deest iis, qui peccant. 4. 1. & 11. 3.
Gratia sufficiens quare a Jansenianis dicatur esse perniciosa? 3. 8. & 5. 4. *Ea datur omnibus indiscriminatim*. 26. 6.
Gratiæ collationis prima causa est a Deo, Gratiæ defectus prima causa est ex nobis. 30. 3.
Gratiæ actualis quænam sint proprietates ex Augustino, & in quo sensu. 43. 7.
Gratiæ interiori potest voluntas resistere. 8. 2. & 9. 1. *V. Gratiæ operatio*.
Gratiæ illustratio non necessitat ad bonam operationem. 25. 4.
Gratiæ operationem potest voluntas impedire, & retardare. 10. 2. & 13. 1. *V. Gratia interior*.
Gratiæ illecebris potest voluntas reluctari. 16. 1. & 17. 1. & 18. 1.
Gratia pertinens ad statum naturæ integræ, & lapsæ. 3. 4.

H

Hæretici ad Ecclesiam non spectant, ut nec Schismatici, Apostatæ, & Excommunicati, licet ad illam spectent peccatores. 72. 9.
Hæretici vera falsis passim permiscent, ut decipiant. 12. 2.
Hæreticum, flagitiosum, ac impium haberi, non est plerumque probatio maxime meritoria. 98. 1.
Homo ob sui conservationem nequit se dispensare a legibus conditis in sui utilitatem. 71. 1.

I

Janseniani Donatistas imitantur. 95. 5.
Janseniani admittunt in peccantibus tenuem quandam gratiam interiorem, insufficientem tamen ad bene operandum. 16. 4.
Jansenius inepte Tridentinum interpretatur; quod diserte docet dari in natura lapsa libertatem indifferentiæ. 23. 6.
Illustratio gratiæ non necessitat ad consentiendum. 24. 4.
Infantes, etiam post baptismum, obnoxii sunt ærumnis hujus vitæ, idque ob fines altissimos Providentiæ. 70. 4.
Infantium sine baptismo decedentium salutem Deus quomodo velit? 30. 12.
Infideles non destituuntur gratiæ auxiliis. 29. 1. *Possuntque laudabiliter operari*. 38. 6. & 53. 16.
Innocentes, etiam in hac vita, a Deo affliguntur. 70. 1.
Judæ in quonam sensu bonum erat, si natus non fuisset. 50. 10.
Judæi quomodo ducerentur spiritu servitutis, non spiritu filiorum Dei. 6. 5. *Innumeri ex Judæis, non sicut mancipia per timorem, sed sicut filii per amorem legem implebant*. 60. 15. *Judæis non deerat gratia sufficiens ad legem implendam*. 6. 2. & 7. 7. *Non defuit iis gratia sufficiens ad salutem*. 26. 7. *Judæi obdurati in quonam sensu non poterant credere?* 4. 4.
Judæorum Synagoga num defecerit aliquando in fide? 95. 7.
Judaicum fœdus in quonam differat a fœdere Christiano? 6. 1. & 7. 1.
Judaicæ legis scopus quinam fuerit ex Jansenio inepte Augustinum interpretante? 7. 5. & 8. 4.
Juramenta communia facere in Ecclesia non opponitur Spiritui Dei, & doctrinæ Christi. 101. 1.
Juramentum secundum se neque jure naturali, neque positivo prohibetur. 101. 3. *Quodnam juramentum Christus D. prohibuerit omnino?* 101. 5. *Juramentum est actus Religionis*. 101. 6.
Justificari nos gratis per fidem quid importet? 68. 8.
Justus quam ob causam a Deo crucietur in hac vita? 70. 11.
Justus quomodo ex fide vivat? 51. 6.

L

Leges conditas in nostram utilitatem nequit homo ob sui conservationem violare. 71. 1.

Liber-

Libertas abstinendi a peccato non est libertas a servitute peccati. 2. 7.
Libertas in causa non sufficit ad peccatum formale. 1. 6. & 24. 10. & 38. 3. *Nec libertas a coactione*. 7. 3. & 21. 3. & 38. 3.
Libertas indifferentiæ requiritur ad meritum, ac demeritum. 11. 8. *Eaque datur in natura lapsa*. 22. 3. & 23. 5.
Libertas ad declinandum hoc, vel illud vage peccatum, nisi sit etiam ad declinandum quodcunque peccatum, excusat a culpa. 38. 4.
Libertati ex Jansenio sola vis, & coactio adversatur. 11. 4.
Libertatis concordia cum omnipotenti operatione Dei non demonstratur in Incarnatione. 22. 1. *Quomodo explicetur hæc concordia in sententia Societatis?* 23. 3.
Liberum arbitrium per peccatum est solum viribus attenuatum, & inclinatum. 2. 5.
Literam occidere, ac Spiritum vivificare quid importet? 11.
Lutherus, & Calvinus circa libertatem arbitrii errarunt diversimode. 10. 5.

M

Mercedis æternæ intuitu operari non est malum. 33. 5.
Merita in statu naturæ innocentis tribus de causis dicuntur merita humana, quamvis sint dona Dei, sicut sunt merita in statu naturæ lapsæ. 34. 13.
Metus quomodo pariat involuntarium. 60. 6.
Miraculis, & gratiis exterioribus annectit Deus gratias interiores. 20. 5.
Miseria pœnalis debet culpam consequi, non miseria naturalis. 70. 9.
Missæ Sacrificium Latreuticum est, Propitiatorium, Eucharisticum, & Imperatorium. 89. 5. *Huic Sacrificio jus habet assistendi etiam peccator*. 89. 1.
Moyses, Sacerdotes, Prophetæ, aliique Legis Doctores dederunt Deo filios, & non mancipia duntaxat per timorem. 65. 1.

N

Natura sana, ac natura ægrota in quonam differant; & quomodo differant gratia sanitatis, & gratia medicinalis. 36. 9.
Naturæ status multiplex, videlicet puræ, integræ, innocentis, lapsæ, ac reparatæ, explicatur. 34. 2.
Naturæ status ante legem, sub lege, & sub gratia quid importet? 7. 9.
Necessario erit, sed non necessarius consensus a Deo prædefinitus sub principiis indifferentibus. 12. 11.
Necessitas dicti, & necessitas rei quid importent? ibid.
Necessitas physica evertit meritum, ac demeritum. 16. 2.
Necessitas peccandi differt a servitute peccati. 2. 5.

O

Obdurati Judæi in quonam sensu non poterant credere? 4. 4.
Obduratis, & obcæcatis confert Deus gratiam sufficientem ad resipiscendum. 4. 2. *Iisdem gratia sufficiens non confertur in pœnam*. 3. 11.
Obdurationis causa quænam sit? 5. 10.
Obedientia potest esse laudabilis, quamvis non profluat a charitate. 47. 1.
Obscuritas divini Verbi unde oriatur? 79. 10. *Ea est ratio sufficiens, cur laici a lectione divinarum Scripturarum se dispensent*. 81. 1.
Operatio honesta cur Deo magis tribuenda sit, quam voluntati illam eligenti. 10. 8. & 69. 10.
Orare oportet, quando id, quod præcipitur, est moraliter impossibile. 15. 8.
Orandi formula in quonam sensu sit regula credendi? 7. 10. & 30. 11.
Orandum non esset pro eo, de quo sciretur, quod esset certo damnandus, sicut nec oramus pro diabolo. 31. 10.
Oratio impiorum non est novum peccatum. 59. 1.
Oratio annexa fidei non sufficit ad salutem. 68. 5.
Originalis culpa non fert se sola adultorum damnationem. 30. 6.

P

Pastorum pervicacia non est causa, cur quotidie mutentur in odorem mortis, quæ Deus posuit in odorem vitæ. 99. 1.
Peccati pondus ille agnoscit, & experitur, qui vult illico a se illud excutere. 88. 1.
Peccati statum sentire, & cum humilitate portare, non est modus sapientia, lumine, & charitate plenus. 87. 1.
Peccati servitus non connectitur cum necessitate peccandi. 2. 5.
Peccator post gratiam amissam non remanet impotens ad omne bonum opus. 1. 3.
Peccator non est membrum recisum ab Ecclesia, quamvis sit mortuum. 82. 2. *Non est liber solum ad malum sine gratia Liberatoris*. 38. 1. *Per peccatum non cessat habere Deum pro Patre, & Christum pro capite*. 77. 1. *Nec separatur ab Ecclesia, sicut infidelis*. 78. 1. *In quonam sensu dicatur esse mortuus per peccatum*. 23. 7.
Peccatores etiam, ac Reprobi ad Ecclesiam spectant. 72. 10.
Peccatori non deest totum, si desit spes; & potest spes esse sine Dei amore. 57. 1.
Peccatum, quod simul est pœna peccati, non est peccatum formale, si caveri non potest. 38. 9.
Peccat universim nemo in eo, quod non potest declinare. 3. 7.
Peccatum, & mendacium duntaxat habere hominem de suo, in quonam sensu dicatur. 1. 11.
Petitiones nostræ non sunt frustraneæ, quamvis Deus promiserit nobis auxilium sufficiens. 13. 6. & 24. 3. & 30. 11.
Pœnitentiæ dilatio fert proclivitatem ad novas culpas. 87. 3.
Pontifex quandonam possit relate ad factum decipi? 90. 13. & 94. 2.
Præceptum Dei non est vanum, quamvis Deus non det id, quod præcipit. 3. 1.
Præceptumne sit, an consilium, quod statim homo post commissum peccatum conteratur? 87. 5.
Præcepta divina, si essent de re impossibili, essent inutilia. 15. 6.
Prædefinit Deus omnes actus honestos sub suis adjunctis temporis, & loci. 12. 9.
Prædestinatio quid importet? 3. 13.
Prædeterminatio physica Thomistica toto cœlo differt a gratia medicinali Janseniana. 9. 1. & 22. 4.
Prædicatoribus veritatis non adversantur Potestates omnes. 96. 1.

Proprietates gratiæ actualis quænam sint ex Augustino? 43. 7.

Q

QUesnellianæ theses Jansenii confixas theses recudunt. 1. 1. & 2. 9.
Quesnellus de medio tollit cooperationem voluntatis cum gratia. 8. 1. & 12. 2. & 21. 1.
Quesnelli Asseclæ inaniter illum excusant. Vide in calce thesis. 7. 9. 10. 19. 20. 22. 30. 33. 42. 43. 51. 52. 72. 78. 89. 90.
Quesnellum juridice damnat, ac punit Archiepiscopus Mechliniensis. 2. 9.

R

REgula traditur ad dignoscendam vim thesium confixarum, quando sunt indefinitæ. 90. 6.
Regula credendi in quonam sensu legem statuat supplicandi. 7. 10. & 30. 11.
Religionis virtus potest esse sine charitate. 58. 1.
Renunciatio terrenorum bonorum non est simpliciter ad salutem necessaria. 33. 8.
Reprobi non possunt de Deo conqueri, quod gratia efficaci destituantur. 10. 9.
Reprobi, ac peccatores etiam ad Ecclesiam spectant. 72. 10.
Reproborum etiam vult Deus salutem efficaciter, quantum est ex se. 12. 3. & 30. 1.
Resistere potest voluntas divinæ gratiæ interiori, quamvis non possit omnino impedire effectum absolute volitum, & efficaciter prædefinitum a Deo. 10. 6. & 31. 11.
Resistentiam voluntatis gratiæ interiori sufficienti nusquam admisit Quesnellus. 10. 11.

S

SAcrificio jus habet assistendi etiam peccator. 89. 1.
Satisfactio non est necessario præmittenda reconciliationi cum Deo. 87. 2.
Scientia conditionalium in Deo negari non potest. 2. 13.
Scripturæ Sacræ studium non est omnibus, ac semper necessarium. 79. 1. *Ejusdem lectio non est pro omnibus.* 80. 1. *Obscuritas divini Verbi est ratio sufficiens, cur Laici se ab hac lectione dispensent.* 81. 1. *Dies Dominicus non est ab omnibus hac lectione sanctificandus.* 83. 1. *Nec est opus, quod fœminis notitia mysteriorum fidei lectione sacrorum Bibliorum communicetur.* 83. 1. *Clausum tenere idiotis novum Testamentum non est illis os Christi obturare.* 84. 1. *Nec est interdicere usum luminis filiis lucis.* 85. 1. *Id non adversatur praxi, & intentioni Dei.* 86. 1.
Semen Verbi, quod Deus irrigat, non semper affert fructum. 18. 1.
Sententia Pastoris, etiam injusta, timenda est. 90. 3.
Silentium obsequiosum Jansenianorum merito damnatur. 94. 1.
Spei nostræ timor adjungendus, non quidem ne gratia desit nobis, sed ne nos desimus gratiæ. 13. 5.
Spes Theologica omnibus præcepta satis ostendit, dari omnibus auxilium sufficiens ad salutem. 13. 2.
Superiori obtemperandum est, quoties non constet subesse culpam in re præcepta. 90. 12.
Synagoga Judæorum num in fide unquam defecerit? 95. 7.
Synagogæ non promittebantur a Deo bona duntaxat temporalia. 6. 4.

T

TEstamenti veteris, ac novi discrimen. 79. 10.
Testamentum novum. V. Scriptura sacra.
Theses proscriptæ, si sint indefinitæ, quomodo explicandæ. 90. 6.
Theologica Conclusio an sit objectum materiale fidei? 94. 3.
Thomistica doctrina adversatur Jansenianæ. 9. 2.
Timor gehennæ est supernaturalis, atque adeo bonus, & rectus. 60. 2.
Timor quomodo reddat actum involuntarium? 60. 6.
Timor pœnæ, si retrahat a culpa, non reddit hominem coram Deo reum. 62. 1.
Timor servilis animans pœnitentiam non ducit ad desperationem. 65. 1.
Timor servilis non solum manum a culpa cohibet, sed etiam cor, quamvis desit amor. 66. 1.
Timor etiam servilis facit nos Deo appropinquare. 66. 1.
Timor servilis non repræsentat Deum imperiosum, injustum, & intractabilem. 67. 1. *Nec est actus inordinatus reponens finem ultimum in creatura.* 60. 14. *Quamvis qui culpam propter pœnam detestatur, magis eo actu odio habeat pœnam, quam culpam, non proinde cessante timore pœnæ vellet peccare.* 60. 14.
Timor supernaturalis spei annectendus est, timendo ne Deum nos deseramus, non vero ne Deus nos deserat. 13. 5.

V

VIrtutes morales a Jansenianis distinguuntur solum ratione diversorum officiorum, non ratione diversorum formalium objectorum. 44. 2.
Virtutes supernaturales, etiam morales, a charitate distinctæ dantur de facto. 52. 8.
Vita æterna non est merum donum liberalitatis divinæ in natura lapsa. 69. 9.
Voluntas gratiæ cooperatur. 11. 2. & 21. 1. *Sine gratia non est incapax ad quodvis bonum.* 39. 1. *Relate ad gratiam non se habet mere passive.* 21. 4.
Voluntatis cooperationem cum gratia de medio tollit Quesnellus. 8. 1.
Votum non infringit, qui illud commutat in melius. 71. 5.

Sit autem hic hujus Operis (Sed oh ubi Æternitatis !)

F I N I S.

239.02
V837

51487

VIVA, S. J., DOMINICUS
AUTHOR

Opera Omnia Theologico-Moralia.
TITLE
Editio Novissima
Tomi VI, VII, et VIII.

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	DATE RETURNED
	STORAGE - CBPL	

51487